R. P. FRANCISCI

SUAREZ

E SOCIETATE JESU

OPERA OMNIA.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS COMPLECTENS

DISPUTATIONES DE CENSURIS IN COMMUNI, EXCOMMUNICATIONE, SUSPENSIONE ET INTERDICTO, ITEMQUE DE IRREGULARITATE.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

COULOMMIERS. — TYP. ALBERT PONSOT ET P. BRODARD.

R. P. FRANCISCI

SUAREZ

E SOCIETATE JESU

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA, A CAROLO BERTON,

CATHEDRALIS ECCLESIÆ AMBIANENSIS VICARIO,

INNUMERIS VETERUM EDITIONUM MENDIS EXPURGATA, ADNOTATIONIBUSQUE IN ULTIMUM TOMUM RELEGATIS ILLUSTRATA,

REVERENDISSIMO ILL. DOMINO SERGENT, EPISCOPO CORISOPITENSI, DICATA.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS.



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13.

MDCCCLXXVII.

INDEX DISPUTATIONUM AC SECTIONUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

DISPUTATIO I.

DE CENSURA COMMUNI.

DISPUTATIO II.

DE CAUSA EFFICIENTE CENSURÆ.

DISPUTATIO III.

DE MODO FERENDI CENSURAM.

DISPUTATIO IV.

DE CAUSA OB QUAM FERRI POTEST CENSURA.

DISPUTATIO V.

DE SUBJECTO CENSURÆ.

DISPUTATIO VI.

DE EFFECTIBUS CENSURÆ.

DISPUTATIO VII.

DE MODO TOLLENDI CENSURAM.

DISPUTATIO VIII.

DE EXCOMMUNICATIONE SECUNDUM SE.

DISPUTATIO IX.

DE EXCOMMUNICATIONE UT PRIVAT SUFFRAGIIS.

DISPUTATIO X.

DE SECUNDO EFFECTU, QUI EST PRIVATIO PASSIVÆ COMMUNICATIONIS SACRAMENTORUM.

DISPUTATIO XI.

DE TERTIO EFFECTU, QUI EST PRIVATIO ACTIVÆ ADMINISTRATIONIS.

DISPUTATIO XII.

DE QUARTO EFFECTU, QUI EST PRIVATIO DIVINORUM OFFICIORUM, ET RERUM SACRARUM.

DISPUTATIO XIII.

DE QUINTO EFFECTU, QUI EST INHABILITAS AD ECCLESIASTICA BENEFICIA, VEL EORUM FRUCTUS.

DISPUTATIO XIV.

DE SEXTO EFFECTU, QUI EST PRIVATIO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

DISPUTATIO XV.

DE SEPTIMO EFFECTU, QUI EST PRIVATIO CIVILIS COMMUNICATIONIS.

DISPUTATIO XVI.

DE OCTAVO EFFECTU, QUI EST PRIVATIO FORENSIS COMMUNICATIONIS.

DISPUTATIO XVII.

DE REMOTIS EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS.

DISPUTATIO XVIII.

DE CAUSIS MAJORIS EXCOMMUNICATIONIS.

DISPUTATIO XIX.

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE.

DISPUTATIO XX.

DE NONNULLIS EXCOMMUNICATIONIBUS IN PARTICULARI AB HOMINE.

DISPUTATIO XXI.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS PAPÆ RESERVATIS IN BULLA CŒNÆ DOMINI.

DISPUTATIO XXII.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS JURIS RESERVATIS.

DISPUTATIO XXIII

DE EXCOMMUNICATIONIBUS NON RESERVATIS.

DISPUTATIO XXIV.

DE EXCOMMUNICATIONE MINORI.

DISPUTATIONES P. D. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

DE CENSURIS IN COMMUNI

ET IN PARTICULARI DE EXCOMMUNICATIONE, SUSPENSIONE, ET INTERDICTO, AC PRÆTEREA DE IRREGULARITATE.

PRÆFATIO.

Tractatus hic de Censuris Ecclesiasticis magnam connexionem habet cum pœnitentiæ sacramento; ideoque post illius doctrinam et aliarum rerum, quæ cum illo connexæ sunt, optime cadit censurarum cognitio, tum quia ferre Ecclesiasticam censuram actus est clavium, quarum potestatem superius declarare cœpimus, quoniam ab illa pendet vis sacramenti pœnitentiæ, eamque doctrinam perficere et consummare necesse est; tum etiam quia censurarum cognitio maxime est confessariis necessaria, ut convenienter possint judicium animarum ferre. Atque ita Theologi agentes de sacramento pœnitentiæ, simul de clavibus et censuris disputarunt in 4, d. 18 et 19 ac 20. Alios auctores omitto, quoniam et vulgaria sunt loca, et in sequentibus frequens eorum mentio fiet. Sunt autem in Ecclesia variæ species censurarum, quibus proinde multa communia sunt, quæ ad communem rationem censuræ consequuntur, et ideo, ut debitum doctrinæ ordinem servemus, et clarius, ac distinctius procedamus, dicemus prius de censuris in communi, postea vero de singulis speciebus. In quibus omnibus tractandis eum ordinem, quem in sacramentis tenuimus, observabimus, uniuscujusque rei originem et naturam, causas, effectus, et proprietates ordinate inquirendo.

DISPUTATIO I.

DE CENSURA IN COMMUNI, AN SIT ET QUID SIT.

Quoniam censura res est ab Ecclesia instituta, non possumus præsentem disputationem definire, nisi de potestate instituendi censuras simul dicamus; et ideo prius significationem vocis explicabimus; deinde potestatem censuras instituendi ostendemus; ac tandem tam definitionem quam generalem censuræ divisionem concludemus.

SECTIO I.

Quid censura Ecclesiastica sit, seu quid hac voce significetur.

1. Non possumus ostendere censuram esse, nisi prius, quid hac voce significetur, exacte intelligatur. Ad hoc autem necesse est etiam cognoscere quid res ipsa significata sit; quoniam hæc duo in præsenti materia valde sunt conjuncta; et ideo utrumque simul explicandum est. Nihil autem fere de hac quæstione ita in communi proposita invenio ab auctoribus dictum, cum tamen a vera illius intelligentia multæ et graves controversiæ pendere possint. Imo et Innocentius III, in cap. Quærenti, de Verborum significatione, interrogatus, quid nomine censuræ intelligi debeat, sola partitione respondet, intelligi scilicet excommunicationem, suspensionem aut interdictum; communem autem descriptionem seu interpretationem nullam adhibet.

2. *Vocis censuræ significatio.* — Censura igitur, juxta Latinam quamdam et propriam significationem, idem est quod censoris dignitas; censor autem dictus est a verbo *censeo,* quod est constituere vel præcipere, ut dicitur in lege *Censere,* 3 Digest., de Verbor. signification.; pertinebat autem ad dignitatem censoris de civium moribus indagare, et indignos honoribus repellere. Ex quo ulterius derivata est vox *censuræ,* ut idem sit, quod severa correctio, vel potius mulcta aliqua, quæ loco pœnæ imponitur, et censio etiam Latine dici-

tur. Hinc ergo translata est et accommodata hæc vox ad significandam Ecclesiasticam pœnam et mulctam, quæ severitatem contineat, et rigorem aliquem Ecclesiasticæ jurisdictionis, et potestatis coercivæ exerceat. Per hæc autem verba nondum satis explicatur propria ratio censuræ, prout est in usu Ecclesiæ, et prout de illa nunc agere intendimus; alioqui omnis gravis pœna Ecclesiastica, quæ per modum mulctæ, seu privationis, et inhabilitatis imponitur, esset censura, quod falsum est. Nam Ecclesia imponit hæretico, verbi gratia, ratione sui criminis, mulctam omnium temporalium bonorum, cap. Vergentis, de Hæreticis, et c. Cum secundum leges, eodem titulo, in sexto, quæ sine dubio est satis severa pœna, quam nomine censuræ nullus appellabit. Ad hoc vero facile dici potest, privationem temporalium bonorum non esse pœnam propriam Ecclesiasticæ potestatis, sed communem potestati civili; et ideo non comprehendi nomine censuræ Ecclesiasticæ, quæ est spiritualis.

3. *Genus censuræ. — Lege Sylvest., verb. Pœna, num. 2. — Irregularitas cur censura non sit.* — Sed licet hoc verum sit, ad summum hinc habetur genus censuræ, scilicet esse spiritualem pœnam, quod verum est, et infra magis explicabitur; adhuc tamen inquirendum superest, quid contrahat spiritualem pœnam ad rationem censuræ; neque enim satis est addere, gravem pœnam, quæ severitatem indicet; non enim omnis pœna spiritualis, etiamsi in illo ordine gravis sit, potest censura appellari; nam irregularitas sæpe est gravis pœna, et est spiritualis, et tamen non est censura, ut ex dicto cap. Quærenti, colligitur, et infra ostendetur. Dici vero potest, censuram significare talem pœnam spiritualem, quæ per se et ex primaria institutione sua habeat rationem pœnæ, quæ solum propter crimen imponatur; irregularitatem autem non esse hujusmodi, quia, loquendo præcise de ratione irregularitatis ut sic, non est introducta in pœnam seu ratione criminis, sed ut inhabilitas quædam ob indecentiam aliquam, quæ proinde sæpe contrahi potest absque delicto. Quod si aliquando pœna est, non propterea tunc induit rationem censuræ, quidquid aliqui moderni sentiant cum Soto in 4, dist. 22, q. 3, art. 1, contra quos agemus infra sectione 3, quia illa ratio pœnæ est quasi secundaria in illa mulcta seu inhabilitate, primaria vero est ratio indecentiæ, quæ semper intervenit. Unde talis irregularitas, quæ est pœna, ejusdem rationis est cum illa, quæ non est pœna; et eamdem inhabilitatem quoad eosdem effectus importat.

4. *Depositio et degradatio cur non sint censuræ.* — Nondum vero est plene et adæquate explicata ratio censuræ, nam depositio et degradatio per se et ex primaria institutione sua sunt pœnæ spirituales et gravissimæ, quæ nunquam possunt nisi propter delictum imponi, etiam gravissimum, ut colligitur ex cap. Tuæ, de Pœnis, et cap. 2, eodem, in sexto, ubi interpretes id notant; et tamen non sunt censuræ, ut infra ostendemus. Deinde sæpe aliquis privatur propter delictum Ecclesiastico beneficio vel jurisdictione, quæ sunt res spirituales; est ergo illa gravis et spiritualis pœna; et tamen censura non est. Deinde cessatio a divinis etiam non est censura, et tamen est spiritualis pœna.

Censuræ definitio.

5. Dicendum vero est, censuram, prout est in usu Ecclesiæ, ita posse definiri : Censura est pœna spiritualis et medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eamdem ordinarie absolvi possit. Hæc descriptio sumpta est ex iis quæ jura et Doctores communiter de censuris tradunt; ab his enim sumenda est definitio et essentia talium rerum moralium, quæ ex arbitrio hominum plurimum pendent. Et specialiter eam insinuat Joannes de Legnano, Tractatu de Censura ecclesiastica, c. 1, quamvis ille aliquid omittat, quod nobis visum est necessarium, et aliqua addat, quæ pertinent potius ad speciales censuras, quam ad rationem communem. In primis ergo censura per spiritualem pœnam tanquam per genus definitur, quia non omnis pœna spiritualis, censura est, ut recte est probatum; omnis autem censura est pœna spiritualis, quia est actus jurisdictionis, et potestatis coercivæ, et nunquam, vel imponitur, vel incurritur, nisi ratione criminis. Unde, si censura sumatur active, sic actionem judicis significat, quæ est punitio activa; si vero sumatur passive, significat ipsam spiritualem pœnam, quæ pro culpa infligitur. Est autem semper hæc pœna privativa aliquorum spiritualium bonorum, saltem quoad usum, ut constat ex usu Ecclesiæ, et ex ipsa ratione spiritualis pœnæ, nam hoc ipso quod spiritualis est, non potest consistere in inflictione alicujus rei positivæ, quæ pœnam inferat;

nulla enim talis res positiva cogitari potest, nec per legem, aut sententiam judicis fieri, seu imprimi; nec si illa fingeretur, posset pœnæ rationem habere; consistit ergo in aliqua morali privatione, et necesse est, ut privet spiritualibus commodis, nam inde habet quod spiritualis sit.

6. *Censura primario privat usu actionum spiritualium, in ordine tamen ad illam etiam temporalium.* — Dixi autem, primario esse privationem spiritualium actionum, tum quia secundario etiam privat usu corporalium seu externarum actionum, nimirum communicatione humana, honore, vel salutatione, et cætera, quod tamen semper est quasi indirecte et in ordine ad spiritualia. Tum etiam quia hæc censura non privat hominem spiritualibus bonis habitualibus seu permanentibus et internis, ut sunt in primis character, quia indelebilis est, et ideo non potest censura privare potestate ordinis. Item ejusmodi sunt, gratia habitualis et virtutes infusæ, quia his non potest homo invitus privari, neque sunt immediate in potestate Ecclesiæ, sed ejus jurisdictio proxime circa actiones versatur; et ideo pœna hæc, quæ censura dicitur, immediate privat actionibus, seu usu spiritualium rerum. Unde licet interdum Ecclesia privet aliquem Ecclesiastico beneficio, illa pœna non est proprie censura, nisi habeat adjunctam suspensionem aliquam spiritualium actionum; nam hac seclusa, privatio beneficii magis est temporalis quam spiritualis pœna. Quia licet in beneficio principalius sit spirituale officium, quam temporale commodum, tamen in illa pœna, ut præcisa a suspensione, magis intenditur inflictio temporalis incommodi, quam spiritualis nocumenti. Denique sub hoc usu spiritualium bonorum comprehendimus, non solum proprias et rigorosas actiones, sed etiam effectus eorum et passiones, seu quasi passiones, ut sunt receptio sacramenti, participatio suffragiorum Ecclesiæ, etc.

7. *Censura requirit Ecclesiasticam potestatem.* — *Qua potestate fertur, eadem tollitur.* — Hinc autem facile intelligitur, hujusmodi censuram requirere Ecclesiasticam potestatem, per quam possit imponi; quoniam legitima pœna non nisi ab habente jurisdictionem et potestatem infligi potest; censura autem est pœna justa et legitima; et ideo requirit in Ecclesia potestatem, de qua in sequente sectione dicemus. Addidi vero, talem esse usum hujus potestatis in censura ferenda, ut juxta communem usum Ecclesiæ, per eamdem Ecclesiæ potestatem tolli et absolvi soleat. Unde, si quæ est pœna in Ecclesia, quæ ut perpetua imponitur absque spe remissionis, vel hoc solo titulo excludi debet a genere censuræ, et hujusmodi est depositio et degradatio, ut inferius videbimus. Ratio autem hujus non est alia, nisi quia juxta Ecclesiæ consuetudinem et institutionem, censura est vinculum, seu ligamen quoddam dissolubile moraliter, quantum est ex institutione sua. Citatur c. Nemo 1, 11, quæst. 3, ubi censuræ vincula appellantur; ibi vero nihil de dissolubilitate agitur; est tamen hæc consentanea materiæ talis pœnæ, quia non consistit proprie in aliqua inhabilitate ipsius personæ, nec in privatione habitus seu radicalis potestatis, ut sic dicam, sed solum in privatione actionum, seu in quodam vinculo spirituali, quo aliquis ita ligatur, ut tales actiones jure et legitime exercere non valeat; tale autem vinculum postulat, ut dissolubile sit, et sub hac ratione per censuram imponitur. Unde includit conditionem, *donec resipiscas*, c. 1 de Judic., cum similibus, de qua latius infra.

8. *Censura cur nunquam transeat in rem judicatam.* — Ac propterea, licet aliæ sententiæ post decem dies, ex quo latæ sunt, ita transeant in rem judicatam, ut tolli non possint (ut dicitur in c. Quod ad consultationem, de Sententia et re judicata), nihilominus censura, per quamcumque sententiam imposita, post quodcumque tempus auferenda est, si homo resipiscat, ut colligitur ex c. Ex litteris, de Constitutionibus. In quo textu fundari potest prædicta pars definitionis, et in aliis, quos ibi Panormit. refert, n. 10, et Felinus, num. 34. Ratio autem esse videtur, quia, licet censura sit pœna, simul tamen est medicina, ut in ipsa definitione indicavimus, et in sequentibus latius explicaturi sumus, et Theologi frequenter advertunt in 4, d. 18, de excommunicatione tractantes; est autem eadem ratio de cæteris censuris ut sic; non enim imponuntur solum ut hominem puniant, sed ut eum resipiscere faciant a culpa et contumacia, ut notavit Bonaventura in dicta d. 18, art. 1, quæst. 2, et sumitur ex dict. cap. Ex litteris, et ex cap. 1 de Judic., et ex c. 1 de Exceptionibus, in 6, et expressius in cap. 1 de Sententia excommunicationis, in sexto. Non autem esset talis pœna medicina, si esset perpetua et absque spe remissionis. Maxime cum bona illa, quibus privat, spiritualia sint; et ideo per se, et directe magnum quoddam

nocumentum inferat eorum privatio, ideoque morti comparetur in cap. Per venerabilem, circa finem, Qui filii sint legitimi; ergo ea solum ratione medicinalis esse potest, quia propter vitandum tale nocumentum, peccator ad resipiscendum inducitur, ut recte docuit Augustinus, libro de Correctione et gratia, cap. 15, et habetur in cap. Corripiantur, 24, quæst. 3; quod non faceret, si veniam seu remissionem desperaret; quare de ratione censuræ est, ut sit ligamen dissolubile.

9. Atque ex his satis constat, quid sit censura in communi sumpta, et quæ sit ejus descriptio, quæ partim ex citatis juribus a nobis sumpta est, partim ex aliis, in quibus Ecclesiastica censura, pœna vocatur, non solum secundum communem rationem nocumenti, sed etiam secundum proprium respectum pœnæ ad culpam, quia non nisi propter culpam juste imponi potest, ut sumitur ex cap. Nullus, 11, quæst. 3, et c. Sacro, de Sententia excommunicat. Partim ex dicto c. Quærenti, ubi tres tantum censuræ Ecclesiasticæ recensentur, quæ divisio non nisi juxta prædictam descriptionem constare potest, ut ex dicendis in sect. 3, manifestum fiet.

SECTIO II.

Utrum sit in Ecclesia potestas ad ferendas censuras, et qualis illa sit.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi esse potest, quia Ecclesia non habet potestatem ad privandum hominem spiritualibus bonis, nam si quæ potestas illi data est, illa est ad ædificationem, non ad destructionem; privare autem fideles bonis spiritualibus, non est ædificatio eorum, sed destructio. Neque Ecclesia est domina horum bonorum, ut eis possit suo arbitrio uti, sed ad summum est dispensatrix eorum in commodum et in utilitatem fidelium. In contrarium vero est usus Ecclesiæ, qui non potuit nisi legitima potestate fundari; alioqui fuisset intolerabilis error ac violenta tyrannis.

2. *Potestas jurisdictionis duplex.* — Lutherani cum multis aliis hæreticis censuras Ecclesiasticas ideo contemnunt, quia omnem Ecclesiasticam potestatem a Christo manantem Ecclesiæ pastoribus eripiunt, de quorum opinionibus ea retulisse nobis sufficit, quæ in superioribus, agentes de clavibus et de ministro pœnitentiæ, tetigimus. Nunc breviter Catholica veritas statuenda et confirmanda est. Dicendumque est primo, esse in Ecclesia potestatem jurisdictionis in foro exteriori seu contentioso a Christo Domino concessam. Hæc assertio de fide est. Ut autem intelligatur et probetur, repetenda est distinctio in superioribus tacta, de duplici potestate ordinis et jurisdictionis. Hic ergo non est sermo de potestate ordinis, quia ad censuram ferendam, neque illa potestas sufficit, nec necessaria est, ut infra videbimus. Rursus potestas jurisdictionis distingui solet in interiorem et exteriorem; quæ ita appellantur, non quia utraque non exerceatur per actus sensibiles et externos; nam, cum utraque sit in hominibus respectu aliorum hominum, necesse est, ut per actus exteriores exerceatur; sed ita appellantur, quia una ordinatur ad forum sacramentale, quod pertinet solum ad conscientiam et internum bonum animarum; et ideo interior jurisdictio appellatur; de qua diximus agentes de ministro sacramenti pœnitentiæ. Altera vero potestas ordinata est ad gubernandam Ecclesiam in exteriori foro per judicia, pœnas, etc., quæ ad bene constituendam et regendam hominum rempublicam necessaria sunt; et hæc vocatur potestas jurisdictionis exterioris. Ad quam pertinet vis directiva ad ferendas leges obligantes in conscientia, quam esse in Ecclesia, in materia de legibus probandum est. Pertinet etiam vis coerciva, et propterea etiam vocatur potestas fori contentiosi.

3. *Matth. loca ex c. 16 et 18, expenduntur. — Ex Pauli locis idem colligitur.* — Hanc ergo potestatem fuisse a Christo suæ Ecclesiæ datam constat primo ex illis generalibus verbis Matthæi 16 et 18 : *Quodcumque ligaveris* (seu *ligaveritis) super terram, erit ligatum et in cœlis,* etc. In quibus primum consideranda est generalis locutio, *Quæcumque alligaveritis;* nam merito extenditur ad omnia illa, quæ ad conveniens Ecclesiæ regimen necessaria vel utilia esse possunt. Neque esse potest ulla ratio excludendi aliquid, vel limitandi verba, quæ Christus non limitavit, ut ponderavit Innocentius III in cap. Solitæ, de Major. et obedient. Item expendenda est metaphora verbi *ligandi;* optime enim accommodatur ad Ecclesiasticam censuram, quæ, ut supra diximus vinculum quoddam, seu ligamen est. Quod vero additur, *erit ligatum, et in cœlo,* satis declarat, potestatem hanc non esse naturalem, sed supernaturalem, et ligamen illud esse spirituale, et superioris ordinis. Denique quod sermo sit de potestate fori contentiosi, in loco Matth. 18,

satis declarant antecedentia verba : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, et publicanus,* id est, separetur, ut indignus Ecclesiastica communicatione et fructu. Ut enim ostenderet Christus futurum esse, ut hoc juste, et valide fieret in sua Ecclesia, statim subjunxit, *Amen, dico vobis, quæcumque ligaveritis.* Atque hanc potestatem in se agnoscebat Paulus cum diceret, 2 ad Cor. 10 : *Nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam.* Quam etiam non multo ante comprehenderat sub armis militiæ nostræ, quæ *non carnalia,* sed *potentia Deo* appellat, etiam *ad ulciscendam omnem inobedientiam.* Unde cap. 13, subdit : *Quoniam si venero iterum, non parcam;* et infra : *Ideo absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi.* Et hanc eamdem potestatem coercivam nomine virgæ optime significavit, primæ ad Cor. 4, dicens : *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate, et spiritu mansuetudinis?*

4. Præterea hac potestate usus est Paulus, 1 Corinth. 5, dicens : *Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est;* et 1 ad Timotheum 1, actum ejusdem potestatis indicat, cum ait : *Ex quibus est Hymenæus, et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.* Et eadem potestate creditur usus Petrus, cum Actòr. 8, dixit Simoni Mago : *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto.* Nam, quod illis verbis Simonem excommunicaverit, et ab Ecclesia ejecerit, satis significatur in canone 30 Apostolorum, ubi Simoniaci excommunicantur, et in exemplum adducitur factum Petri, qui Simonem ab Ecclesia ejecit. Itaque intellexit Tharasius, in epistol. ad Adrianum Papam, quæ habetur in 1 tomo Bibliothecæ Sanctor. Traditione, et usu Ecclesiæ, confirmabitur amplius hæc veritas in sequente sectione.

5. *Ratio assertionis.* — *Varis textibus utriusque juris probatur assertio.* — Ratio vero ejus est, quia omnis respublica bene instituta indiget potestate jurisdictionis tam directiva quam coerciva, ut convenienter regi possit, ut per se manifestum est, etiam in naturæ lumine; sed Christus suam Ecclesiam instituit tanquam unum corpus politicum per homines regendum, et gubernandum, ut ex Evangelio, et traditione Ecclesiæ manifestum est, et in materia de fide latius tractari solet : ergo. Utraque item antecedentis præmissa ex utroque jure, civili, scilicet, et canonico, confirmari potest. Nam, in l. 2, ff. de Jurisd. omn. jud., dicitur : *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio expleri non potuit;* et in l. ult., ff. de Eo cui mand. est jurisd., dicitur : *Jurisdictio sine modica coercitione nulla est.* Similia fere verba habentur in cap. Pastoralis, in principio, de Offic. delegati; *Jurisdictio nullius videretur esse momenti, si coercitionem aliquam non haberet.* Et in c. Ex litteris, eod. tit. : *Jurisdictio delusoria videretur, si coercitionem aliquam non haberet.* Idemque habetur in c. Præterea, eod. tit., ubi etiam illa generalis regula traditur : *Cui causa committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam pertinere noscuntur, plenariam recipit potestatem.*

Quo loco Evangelii dederit Christus Ecclesiæ jurisdictionem fori contentiosi.

6. Potest vero circa hanc assertionem quæri, quo tempore, seu Evangelii loco dederit Christus Dominus hanc potestatem Ecclesiæ suæ. Aliqui existimant dedisse illam Matth. 18, cùm Apostolis dixit : *Amen, dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram,* etc., nam eo loco sermonem habebat Christus de actibus externæ jurisdictionis, ut superius declaratum est, et exponunt ibi Hieronymus et Chrysostomus, homil. 61. Indicat etiam Augustin., lib. 1 cont. Advers. leg. et Proph., c. 17. Atque ita sentiunt Cajet., t. 1 Opus., tract. 3, cap. 5, et Victor., relect. 2 de Potest. Eccles., n. 9. Sed quanquam ex illo loco recte colligatur aliquando dandam fuisse a Christo Ecclesiæ et Apostolis hanc potestatem, non tamen satis colligitur ibi esse datam, sed verisimilius est ibi solum fuisse promissam. Quod primo ostendi potest a simili ex Matth. 16, ubi Christus dixit Petro : *Quodcumque ligaveritis super terram,* etc.; et tamen omnes intelligunt solum fuisse promissionem factam; quod satis ostendunt præcedentia verba de futuro : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni cœlorum.* Quamvis autem in alio loco Matth. 18, similia verba de futuro adjuncta non fuerint, tamen ex ipso contextu satis constat, verba illa : *Quæcumque alligaveritis,* omnino referri ad tempus futurum, et continere prædictionem, ac promissionem

potestatis in Ecclesia futuræ. Neque enim ibi Christus sacerdotes, Apostolos aut judices creavit, neque de instituenda ex tunc Ecclesia aut magistratibus ejus tractavit, sed solum docebat ordinem correctionis in sua Ecclesia servandum, utique postquam Ecclesia esset ab ipso fundata; totus ergo ille sermo refertur ad tempus, in quo et pro quo Ecclesia fundanda erat, non ad illud ipsum, in quo Christus loquebatur.

7. *Locus Joannis* 21, *expenditur.* — Est ergo aliorum sententia hanc potestatem datam esse Joan. 21, cum Petro dixit Christus : *Pasce oves meas*, nam illis verbis constituit Petrum supremum Ecclesiæ pastorem; et consequenter potestatem illi tribuit non solum ad tradendum ovibus pabulum doctrinæ, ut hæretici volunt, sed etiam ad regendas illas, et coercendas, si necesse sit; utrumque enim est ad pastorale munus necessarium, ut ex rationibus, et juribus adductis satis constat, et erudite demonstrat Bellarminus, lib. 1 de Rom. Pontif., c. 15. Atque hanc sententiam tenuit Turrecremata, lib. 2 Summ. Eccles., c. 77. Unde concludit soli Petro datam esse a Christo immediate hanc potestatem, cæteris vero Apostolis per Petrum, quod superius etiam docuerat cap. 54, ut inde etiam concluderet neminem in Ecclesia habere hanc potestatem immediate a Christo præter Romanum Pontificem; et ab eo cæteros pastores, et Episcopos illam participare. Ad quam sententiam confirmandam plura affert decreta, præsertim capit. Ita Dominus, dist. 19, ex Leone Pap., 87 epist., et eumdem Leonem, serm. 3 ordinationis suæ, ubi loquens de Petro, inter alia ait : *Non nisi per ipsum dedit id, quod aliis non negavit.* Et eamdem sententiam tenet Jacobatius, lib. 10 de Conciliis, art. 7.

8. *Petro datam esse potestatem immediate.* — Sed in hac sententia verum quidem et indubitatum est, dedisse Christum Petro immediate hanc potestatem jurisdictionis coercivæ, et Joann. 21 implevisse quod illi specialiter promiserat Matth. 16. Nam, licet Augustin., tract. 50 in Joan., docere videatur illam promissionem factam esse Petro, non ut singulari personæ, sed ut repræsentanti Ecclesiam, sensus tamen ejus est, illam promissionem non ita fuisse factam soli personæ Petri, ut cum illo esset extinguenda talis potestas, ac si propter ipsum præcipue et non propter Ecclesiam perpetuo duraturam promitteretur. Nam quod ipsi Petro vere, ac proprie talis promissio facta fuerit, et verba ipsa Christi satis declarant, et Anacletus Papa, in epist. 2 decretali (refertur in c. In novo, 21 dist.) docuit, et ipse etiam Augustinus ita intellexit, lib. 2 cont. Gaudent., c. 23. Dicitur ergo Petrus accepisse hanc potestatem in persona Ecclesiæ, id est, pro Ecclesia, quæ eam accepit in Petro tanquam in suo capite et principe; et e converso Petrus accepit illam, ut caput Ecclesiæ, perpetuo duraturam cum ipsa Ecclesia, non in sua persona sola, sed in successoribus suis. Itaque quoad hanc primam partem certa est dicta sententia.

9. Quoad aliam vero partem de cæteris Apostolis probabilius existimo, etiam ipsos accepisse immediate a Christo hanc potestatem, sicut iisdem illam Christus immediate pollicetur. Quæ est communior Scholasticorum sententia in 4, dist. 18 et sequent., quam etiam tenet Gabr., in canonem lect. 3; Herv., tract. de Potestat. Pap.; Cajet. et Victor. supra; et Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., cap. 24. Et sumitur ex Anacleto supra. Nam hæc potestas cum aliis, quæ in Apostolis fuerunt, erat de intrinseca ratione Apostolici muneris, quod est supremum in Ecclesia, juxta illud 1 ad Corinth. 12 : *Et quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum Apostolos*, etc., ubi D. Thom. : *Majores*, inquit, *ministri in Ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent, quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum*, etc. Pertinet ergo hæc potestas intrinsece ad munus Apostolicum; Christus autem immediate contulit omnibus Apostolis dignitatem, et munus Apostolicum, ut sumitur ex Lucæ 6, et Joan. 6. Unde cum post Christi mortem loco Judæ sufficiendus esset unus Apostolus, cæteri non ausi sunt creare illum, sed designare personas, et a Christo petierunt, ut, quam ipse eligeret et institueret, declararet. Fuit ergo illa dignitas immediate a Christo data; ergo et jurisdictio illi intrinsece annexa, juxta illud : Qui dat formam, dat consequentiam. Quamobrem Paulus sicut ab ipso Christo Apostolus factus est (juxta illud ad Galat. 1 : *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum)*, ita ab eodem potestatem accepit, juxta illud ad Corinth. 13 : *Quam Dominus dedit mihi*, et ad Galat. 2 : *Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.*

10. *Ubi data potestas Apostolis.* — Si ergo inquiratur, quando cæteris Apostolis data sit

hæc potestas immediate a Christo, dicendum est datam esse Joan. 20, cum illis dixit : *Sicut misit Pater, et ego mitto vos;* tunc enim illos constituit legatos suos *et vicarios*, ut Chrysostomus loquitur, ubi recte Toletus ita exponit : *Qua auctoritate Pater misit me, eadem vos ego mitto, ut prædicetis, gubernetis, et dirigatis mundum in viam salutis et veritatis.* Quod ita intellige, ut particula *sicut,* non dicat æqualitatem, sed similitudinem cum proportione. Nam sicut Christus missus est a Patre cum omni potestate conveniente tali personæ, et muneri Redemptoris, ita ipse misit Apostolos cum omni potestate Apostolico muneri convenienti, ut diserte exposuit Cyrillus, lib. 12 in Joan., c. 55, et Cyprian., lib. de Unit. Ecclesiæ, prope init., et epist. 73 ad Jubaianum.

11. *Quid de Petro.* — Dices : ergo etiam tunc dedit Petro potestatem prædict. .., et non Joan. 21, ut diximus. Respondetur tunc dedisse Petro potestatem, quasi delegatam, et æqualem cum cæteris Apostolis; postea vero dedisse illi potestatem ordinariam supremi pastoris, cui alii succederent in Ecclesia, ut in ea potestas illa perpetuo duraret, quod alii Apostoli non habuerunt, neque ipse Petrus ex vi prioris concessionis. Unde in posteriori loco factus etiam est ipsis Apostolis superior et eorum pastor, quod per priorem concessionem non habuit. Neque propterea necesse est dicere habuisse Petrum duas potestates jurisdictionis, sed unam integram, prius minus perfectam, postea perfectiori modo concessam.

12. *Quid de Thoma.* — Sed quid dicendum est de Apostolo Thoma, qui tunc aberat, quando Christus illa verba protulit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos?* Respondetur idem hic esse dicendum quod supra diximus de potestate ordinis et jurisdictionis in foro pœnitentiæ. Itaque potuit Christus per suam potestatem excellentiæ eam concessionem extendere etiam ad personam absentem; vel, si solum ad præsentes locutus est (ut magis indicat pronomen illud *vos*), post octo dies, quando iterum apparuit, et Thomam ad fidem reduxit, et in Apostolorum collegio confirmavit, tunc ei similem potestatem tribuit, vel aliquibus verbis similibus, vel etiam sine illis; sicut etiam Matthiæ invisibiliter dedit similem potestatem, quando illum elegit; et postea similiter eamdem donavit Paulo.

13. *Episcopi non recipiunt immediate a Christo jurisdictionem.* — Nec vero ex hoc necessario sequitur, quod Victoria et Castro locis supra citatis inferunt, et affirmat etiam Soto in 4, dist. 22, quæst. 2, art. 1, nempe Episcopos omnes recipere immediate a Christo potestatem jurisdictionis coercivæ, nam potestas illa data Apostolis in communi non fuit ordinaria, sed delegata, et ideo illa ut sic non derivatur ad Episcopos. Sicut etiam supra diximus dedisse Christum Apostolis immediate jurisdictionem in foro pœnitentiæ per illa verba : *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos;* et nihilominus non dedisse illam, neque semper dare immediate omnibus Episcopis. Unde quoad hanc partem eodem modo philosophandum est de hac potestate jurisdictionis externæ, sicut de interna, ut facile constabit, considerando et applicando omnia, quæ de priori potestate diximus; quæ hic repetere necessarium non est. Atque juxta hanc veritatem explicanda sunt ea, quæ Turrecremata pro suæ sententiæ confirmatione afferebat. Cum enim Pontifices aiunt omnem Ecclesiasticam potestatem a Christo per Petrum ad cæteros dimanasse, loquuntur de omni potestate ordinaria, quæ in Ecclesia durat seu exercetur, non de peculiari et delegata Apostolorum potestate.

Esse in Ecclesia potestatem ad censuras ferendas.

14. Dico secundo esse in Ecclesia potestatem ad censuras instituendas, atque ferendas. Hæc veritas etiam est de fide, quæ magna ex parte ostendi potest ex testimoniis adductis, nam ex eis intelligimus, Apostolos fuisse usos hac potestate. Cum enim Paulus ait, 1 ad Timoth. 1, se tradidisse Satanæ Alexandrum, et Hymenæum, per excommunicationem id fecisse communiter exponitur; et similiter, 1 ad Cor. 5, cum ait : *Judicavi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis,* etc. Eodemque modo exponitur (ut supra notavi) factum Petri, Actor. 8; et similiter in canone Apostol. superius citato habemus usum censuræ ex Apostolorum tempore; quem usum tenuisse postea sequentes Pontifices constat fere ex omnibus epistolis decretalibus; præcipue videndæ sunt epistola 1 et 2 Alexandri, et 2 Cœlestini I, in qua tractans in specie de excommunicatione, dicit esse ex Apostolorum instituto. Urbanus etiam I, in sua epistola decretali, ex locis Evangelii supra adductis colligit Christum dedisse Ecclesiæ hanc potestatem. Idem fere Fabianus

P., epist. 1 et 2, et eodem modo cæteri Pontifices, et Concilia omnia hanc potestatem supponunt, et exercent, ut supervacaneum sit ea in particulari recensere. Idemque dici potest de sanctis Patribus; quanquam illi frequentius loquuntur de excommunicatione; quod nobis satis nunc est. Videantur Augustinus, lib. 2 Retract., c. 17, ubi hanc potestatem colligit ex verbis illis, 1 Cor. 5 : *Auferte malum ex vobis ipsis*, ita exponens : *Hominem malum, et perniciosum a vobis separate per excommunicationem.* Quam esse maximam pœnam dicit idem Augustin., lib. de Correct. et grat., cap. 15, et habetur in cap. Corripiantur, 34, quæst. 3. Unde eleganter Chrysost., homil. 4 ad Hebr. : *Nemo* (inquit) *contemnat Ecclesiastica vincula; non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.* Et habetur in c. Nemo, 11, quæst. 3. Unde etiam Anther. P., in epist. decretali, dicit hanc pœnam habere in Ecclesia eum locum, quem pœna mortis habebat in Synagoga. Quod etiam significavit Innoc. III, in capit. Per venerabilem, circa finem, Qui filii sint legitimi, in illis verbis : *Mori præcipitur, id est, per excommunicationis sententiam veluti mortuus a communione fidelium separari.* Notanda etiam sunt verba Tertulliani, in Apolog., c. 39 : *Summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur;* et prius hanc pœnam vocaverat *censuram divinam;* circa quæ verba videndus est Pamelius, et latius in epistol. 38 et 62 Cypriani, ubi multa alia ex sanctis Patribus congerit.

15. *Ratione probatur.* — Ratione demonstrari potest hæc assertio ex præcedenti, nam in Ecclesia est spiritualis potestas coerciva, quæ ex Christi institutione non est limitata ad unum vel alterum modum pœnæ, sed generatim concessa ad omnem modum, qui secundum rectam rationem possit institui. Unde et ipsa verba Christi generalia fuere, quantum ex forma verborum esse poterant, scilicet, *Quæcumque ligaveritis.* Sed hic modus ligandi et puniendi per censuras est possibilis, ut constat, et est proportionatus spirituali potestati, tum quia spirituali potestati magis congruit spiritualis gladius quam materialis; tum etiam quia unaquæque respublica, ut puniat, vel coerceat subditos, privare potest illos propriis bonis, vel privilegiis illius reipublicæ; hoc autem facit Ecclesia per censuras.

16. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices, non esse parem rationem de spiritualibus, et de materialibus bonis; videtur enim contra debitum usum potestatis spiritualis, ut Ecclesia privet subditos spiritualibus bonis, ut in ratione dubitandi propositum est. Quæ non parum augetur argumento Chrysostomi, homilia de anathemate, ubi sic inquit : *Aut anathematizas viventem aut mortuum? Si mortuum, impie agis, quia jam sub jure humano non existit, sed Domino suo stat vel cadit. Si vivum, impie etiam agis, nam eum, qui ad bonum converti potest, abscindis.* Respondetur, pœnam hanc non esse abusum, sed justum usum Ecclesiasticæ potestatis, neque esse nimium rigorosam, aut acerbam, sed proportionatam et convenientem, clave (ut inquiunt) non errante, id est, si pastores Ecclesiæ prudenter illa utantur. Primo quidem, quia hæc spiritualia bona, quibus homines per censuras privantur, non sunt ipsamet bona interna, in quibus vita spiritualis consistit, aut a quibus essentialiter pendet (his enim non potest homo privari per humanam potestatem absque proprio consensu), sed pertinent vel ad usum alicujus Ecclesiastici ministerii, vel sacramentorum, vel ad communicationem in aliquo fructu sacrificiorum, orationum et aliorum bonorum operum Ecclesiæ. Et quamvis communicatio in his bonis possit multum conferre ad internum bonum animæ, nihilominus aliquando magis confert ad excitandum et commovendum hominem contumacem ipsa privatio talis communicationis; nam pudore afficitur, quando videt se a consortio Sanctorum segregari, vel timore movetur, cum se conspicit in tanto periculo constitutum. Præterea talis pœna non est pura, sed medicinalis, ut dicitur in c. 1 de Sent. excomm., in 6, et sumitur ex illo Pauli 2 ad Corint. 5 : *Tradidi eum Satanæ, ut spiritus ejus salvus fieret.* Neque vero potest semper tam suavis esse medicina, ut nihil noceat, quod in corporalibus etiam videre licet. Hoc autem nocumentum in hujusmodi censura non erit admodum grave, si ipsa censura brevi tempore duret; est autem fere positum in voluntate ejus, qui sic punitur, ut brevissima sit talis pœna seu privatio, præsertim, quoad ea bona, quæ ad proprium spiritualem profectum conferre possunt. Unde si ille, qui sic punitur, nolit resipiscere, et propterea diu tantis bonis privetur, sibi imputet. Eo vel maxime, quod ad commune bonum Ecclesiæ expedit, ut, qui hujusmodi

est, ab aliorum consortio segregetur. Ecclesia autem in his censuris instituendis et ferendis, magis prospicit communi bono quam privato; nam, *pestilente flagellato, stultus etiam sapientior erit,* ut dicitur Proverb. 19 et 20.

17. *Loco Chrysostomi satisfit.* — Ad argumentum autem Chrysostomi respondetur in primis, de sententia ipsius Chrysostomi, tum aliis locis, tum in illamet homilia, satis constare, esse in Ecclesia potestatem, de qua agimus, et licitum usum anathematis. Solum ergo reprehendit vel nimiam facilitatem et abusum, vel temeritatem etiam anathematizandi ultra concessam potestatem. Et huc videtur ratio ejus tendere; reprehendit enim eos, qui fortasse nimio zelo ducti, non solum doctrinam aliquorum anathematizabant, sed etiam in ipsas personas invehebantur sine fructu et utilitate. Item videtur specialiter reprehendere aliquos, qui ita ferebant anathema, ut nullam relinquerent spem redeundi, contra quos recte procedit ratio ejus. Alioqui nullam vim habet; nam juste et pie potest abscindi vivus, etiamsi converti possit; imo ad hoc abscinditur, ut convertatur, ut *spiritus ejus salvus fiat,* ut dicitur 1 ad Cor. 5. An vero possit censura seu excommunicatio in mortuum ferri, dicemus postea suo loco. Nunc satis sit dicere, si quomodo fertur, vel esse potius declarationem excommunicationis prius contractæ, vel directe solum esse quoad ea, quæ potest defunctus a viventibus participare, ut sumitur ex V Synodo, act. 1, et habetur in c. ult., 24, q. 2.

18. Supererat autem hoc loco tractandum, in quibus personis seu ministris Ecclesiæ hæc potestas resideat. Sed hoc spectat ad causas seu ministros censurarum ferendarum, de quibus propriam inferius disputationem instituemus.

SECTIO III.

Quotuplex sit censura.

1. *Excommunicatio, suspensio et interdictum sunt censuræ.* — Hæc quæstio definita videtur ab Innocent. III, in cap. Quærenti, de Verb. signific., ubi sub censura tres species comprehendi docet, excommunicationem, suspensionem et interdictum. Ex qua definitione est in primis certum et extra controversiam has tres esse veras censuras, quia hoc verbis expressis docet Pontifex; et ita in hoc nullus Catholicus dubitat. Et potest facile ostendi ex dictis de communi ratione censuræ; nam hæ omnes sunt quædam pœnæ spirituales, quibus privantur fideles usu vel communicatione aliquorum spiritualium bonorum. Unde etiam facile constat, id quod secundo loco est certum, has tres esse distinctas in ratione censuræ; nam diverso modo, et diversis bonis spiritualibus privant, ut, de singulis disserentes, late videbimus.

2. *Præter has tres non est alia censuræ species.* — Tertio colligitur ex eadem definitione, nullam aliam esse censuram præter has tres. Hoc non est tam evidens, quia Pontifex non expresse adhibuit hanc partem negativam seu exclusivam. Mihi tamen satis certa videtur, quia illa responsio Pontificis est doctrinalis, et ideo, licet in verbis indefinita videatur, æquivalet universali, ac si diceret, omnem censuram in illis tribus membris comprehendi. Item quia alias insufficienter Pontifex respondisset, et quæstioni sibi propositæ non plene satisfecisset. Fuerat enim ab illo interrogatum, quid esset nomine censuræ intelligendum in Pontificiis rescriptis; et respondet, non solum interdictum, sed etiam suspensionem et excommunicationem; ergo intelligit nihil aliud illa voce comprehendi juxta Ecclesiasticam consuetudinem et significationem. Alias regula illa insufficiens esset ad intelligenda rescripta Pontificum, et concessiones, quæ in eis fiunt; nam interdum possemus nomine censuræ quidquam aliud explicare. Atque ita vana et fere nullius momenti esset illa responsio; siquidem ea non obstante, quando Pontifex concedit facultatem tollendi censuras Ecclesiæ, vel ferendi illas, posset quis interpretari, ibi dari facultatem tollendi, vel imponendi etiam irregularitatem, depositionem, aut alia similia. Nec dici potest, ibi tantum exponi nomen censuræ, quatenus in rescriptis Pontificiis usurpatur, non vero secundum se et absolute sumptum; hæc enim duo inter se pugnant; nam censuræ nomen rem quamdam moralem, seu pœnam ab Ecclesia introductam significat, et primo ac per se nititur Pontificia auctoritate, et inde ad inferiores derivatur. Unde non potest aliter censura sumi, nec plures species sub se continere quam in usu Summorum Pontificum habeat. Et ita quoties in jure numerantur censuræ, harum trium tantum fit mentio, ut videre licet in cap. primo, et in cap. Statutum, de Sent. excom., in 6. Idemque sumitur ex cap. Is cui, ubi Gloss. alia jura refert. Est etiam optimus textus, in cap. de Iis quæ vi metusve caus., in 6. Sit

ergo certum, tantum esse in Ecclesia illas tres species censuræ. Atque ita illum textum intelligunt communiter expositores ibi, et Summistæ, verb. Censuræ; Navarr., cap. 27, in princ., et num. 152, et num. 194, et num. 254, et recentiores omnes communiter.

3. *Soti opinio rejicitur.* — Contra hanc vero resolutionem opinatus est ex parte Soto in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, ubi his tribus membris addit duo alia. Unum est cessationis a divinis, de quo, quia prolixam postulat declarationem, infra suo loco tradendam, hic solum dicam vel claudi sub interdicto, vel censuram non esse, et ideo non augere hanc partitionem. Aliud membrum est cujusdam irregularitatis; distinguit enim duplicem irregularitatem, unam, quæ cum crimine, alteram, quæ sine crimine contrahitur. Et hanc posteriorem fatetur non esse censuram, sed inhabilitatem quamdam; priorem vero ait proprie dici censuram irregularitatis. Ex quo infert, cum in bulla Cruciatæ datur facultas absolvendi a censuris, sub ea comprehendi priorem irregularitatem, non vero posteriorem. Hanc doctrinam secuti sunt posteriores Thomistæ, ut videre licet in Bannes, 2. 2, quæst. 64, art. 8. Verumtamen illam nullo textu, ratione, vel auctoritate probant, et ideo admittenda non est, præsertim cum repugnet responsioni Innocent. III, in dicto cap. Quærenti, ut ex dictis constat. Mirumque est, cur Soto nullam illius textus mentionem fecerit, neque aliquid responderit.

4. *Omne impedimentum usus officii interdum suspensio late dicitur.* — Posset enim aliquis apparenter respondere, irregularitatem illam comprehendi sub suspensione; est enim irregularitas suspensio quædam, ut tradit Innoc., in cap. ult. de Excessibus Prælatorum. Sed in primis, juxta hanc interpretationem non augetur numerus censurarum ultra dictas tres generales species. Deinde juxta eamdem expositionem, non sola irregularitas, quæ ob crimen imponitur, sed etiam quæcumque alia erit censura, quia omnis irregularitas vocari potest suspensio, juxta illum modum loquendi aliquorum Canonistarum. Unde veritas est, interpretationem illam esse confictam, et fundatam in æquivocatione illius nominis *suspensio*. Nam, ut infra suo loco videbimus, interdum sumitur stricte pro quadam censura Ecclesiastica. Et hoc modo irregularitas nunquam in jure vocatur suspensio, sed distinguuntur tanquam pœnæ vel privationes diversarum rationum. Alio vere modo sumitur late vox, *suspensio*, pro quocumque impedimento, aut prohibitione usus, officii, vel facultatis Ecclesiasticæ; et in hac significatione sumitur, quando irregularitas vocatur suspensio, quomodo etiam depositio vel degradatio potest suspensio vocari; imo et peccatum mortale interdum ita appellatur, ut patet ex cap. ult. de Cohab. cler. et mul.; improprie tamen et late. Pontifex autem, in dicto cap. Quærenti, stricte et proprie de suspensione loquitur, ut per se notum est. Nullam ergo irregularitatem sub illa trimembri divisione comprehendit, quia revera nulla irregularitas censura est, ut ex dictis etiam in sectione 1 constare potest.

5. *Per bullam Cruciatæ non potest tolli irregularitas.* — Unde etiam falsum est, quod de facultate absolvendi per bullam Cruciatæ, Soto intulit; quanquam nonnulli Theologi illam sententiam amplexi sint, et multi confessarii minus docti, eorum auctoritate nixi, illa facultate utantur. Ducti etiam illo principio, quod privilegia amplificanda sunt, quoad possunt, juxta cap. Olim, de Verb. signif., et l. Beneficium, de Constit. Princip., ubi dicitur beneficia principis largissime esse interpretanda. Verumtamen intelligendum hoc est, quantum cum probabili ratione aut fundamento possunt; hic autem nullum invenitur, quia si irregularitas censura non est, ut revera non est, potestas, quæ ex vi verborum privilegii limitata est ad censuras, non potest rationabiliter ad aliquam irregularitatem extendi. Apparentius posset illa extensio fundari, quia in bulla dicitur, *A censuris et pœnis;* irregularitas autem illa, quamvis censura non sit, est tamen pœna. Verumtamen neque hac ratione vera est illa extensio, ut recte Navarrus notavit, qui refert, juxta consuetudinem et stylum Romanæ curiæ, in ea generali facultate absolvendi a censuris et pœnis non comprehendi irregularitatem, juxta regulam textus in cap. ult. de Offic. Vicar., in 6, ubi dicitur : *In generali concessione nequaquam illa veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.* Cujus signum etiam est, nam interdum in privilegiis, seu bullis Pontificiis, post illa generalia verba additur facultas dispensandi in irregularitate, quando Pontifex vult illam concedere, ut ex Bulla Jubilæi concessi a Clemente VIII, anno 1539, notavit Ugolinus, lib. de Censuris, tabula 1, cap. 26, num. 2.

6. *Quid per potestatem absolvendi a pœnis*

in rescriptis Pontificis intelligatur. — Adde, quod etiam cum hæc facultas expresse conceditur, excipitur irregularitas contracta ob voluntarium homicidium, quæ etiam potest esse pœnalis, ut in simili etiam fecit Trident., sess. 4, cap. 6 de Reformat. Nullo ergo modo censenda est comprehendi sub illa generali facultate absolvendi a pœnis. Quod si dicatur, illam irregularitatem ita esse pœnam, ut etiam absque culpa, et consequenter absque ratione pœnæ contrahi possit, propter indecentiam vel significationem, idem dicendum erit de quacumque irregularitate, quæ licet in pœnam imponatur, non amittit perpetuam et specialem rationem inhabilitatis, ratione cujus sub illa generali clausula non comprehenditur. Eo vel maxime quod sub illa generali concessione non potest omnis pœna comprehendi; alias etiam posset per hujusmodi jubilæum liberari pœnitens a pœna pœnitentiaria sibi imposita; quod est alienum ab usu Ecclesiæ. Probabile ergo est ibi solum intelligi pœnas illas, quæ sacramentorum usum, seu receptionem impedire possunt, ut Navarrus superius attigit; quia hujusmodi privilegia in eum finem præcipue concedi solent, et ideo concedunt ea quæ sunt veluti præparatoria ad illum finem, ut in simili notant Jurisperiti, in l. Ad rem nobilem, 56, ff. de Procuratoribus. Irregularitas autem non est talis pœna, quæ prædictum usum impediat, ut suo loco videbimus. Vel certe solum ibi est sermo de illa pœna, in quam proprie possit absolutio cadere; nam ibi solum datur facultas absolvendi; irregularitas autem non absolvitur, sed dispensatur. Quo argumento utitur ipse Soto ad probandum, ibi non concedi potestatem tollendi irregularitatem, quæ absque crimine contrahitur, quia, scilicet illa non absolvitur, sed dispensatur; hoc autem verum est de omni irregularitate, ut supra tactum est, et infra ostendetur in propria materia, ex modo loquendi omnium decretorum, a quibus hæc res tota potissime pendet. Quod si objicias, juxta hanc interpretationem, pœnam nihil differre a censura, respondetur primo, etiamsi id verum esset, non fore magnum inconveniens, quia interdum in privilegiis adjungi possunt duæ voces synonymæ ad majorem explicationem. Secundo addit Navarrus nomen pœnæ in rigore plus comprehendere, etiamsi juxta prædictas expositiones limitetur, quia potest aliquis esse privatus ad tempus usu alicujus sacramenti in pœnam, quæ proprie censura non sit; et ab illa pœna poterit absolvi pœnitens ex vi illius vocis.

7. *Ratio sufficientiæ prædictæ divisionis ostenditur.* — Sed quæret aliquis rationem sufficientiæ, ob quam tot sunt species censuræ, et non plures, neque pauciores. Quod dubium tractat late Ugolinus supra; et duas affert rationes, quas prætermitto, tum quia supponunt exactam cognitionem singularum censurarum et propriarum differentiarum, quibus inter se distinguuntur; tum etiam quia si in speculativo rigore rationes illæ expendantur, non invenientur efficaces. Ait enim in prima ratione quamdam esse censuram, quæ privat totaliter usu bonorum Ecclesiæ tam activo quam passivo, scilicet excommunicationem; aliam, quæ solum privat ex parte; hanc vero subdividit, nam alia est, quæ privat active simul et passive, ut interdictum; alia, quæ solum active, ut suspensio. At vero statim interrogabo, cur non sit alia censura, quæ privet etiam ex parte, sed passive tantum; item cur non sit alia, quæ privet omnium bonorum communicatione, active tantum, et alia, quæ tantum passive. Quod si fortasse excommunicatio minor hujusmodi est, juxta capit. ult. de Clerico excom. ministrante, vel non recte prima species assignata est, cum sub illa excommunicatio minor comprehendatur, vel hæc erit quarta species censuræ a prædictis distincta. Oritur etiam statim difficultas, quomodo, juxta illam distinguendi rationem, hæ censuræ sint quasi species totales diversæ, et non potius una sit quasi pars alterius; quod infra in propriis locis videndum est. Ratio igitur sufficientiæ sola est, quia Ecclesia plures censuras non instituit, ut constat ex Pontificis declaratione; ideo autem Ecclesia non instituit plures, quia illæ sufficiunt ad effectum, seu finem censurarum, qui est inobedientes et contumaces aut corrigere, aut, si duriores sint, ab Ecclesia præscindere. Item in illis tribus generibus censurarum continentur omnia spiritualia bona, quibus Ecclesia potest sibi subditos privare, ut eos coerceat, et varii modi, quibus id facere potest, qui extenduntur vel ad diversos ordines personarum, ut sunt clerici, vel laici, vel non solum ad personas, sed etiam ad loca sacra, quanquam in ordine ad personas, prout expedit ad corrigenda diversa peccatorum genera, vel clericorum propria, vel communia etiam laicis, et secreta, aut publica, quæve cum majori scandalo fiunt; ad quæ omnia sufficit illa varietas censurarum;

præsertim, cum Ecclesia habeat alias pœnas, quæ censuræ non sunt, ut supra visum est.

8. *In quibus censuræ species conveniant et differant.* — Tandem interrogabit aliquis, quæ sint ea, in quibus prædictæ censuræ conveniunt aut differunt; quam rem tractat late Sylvester, verb. Interdictum, num. 4, et Navarr., cap. 27, num. 164; sed non est, quod in hac quæstione explicanda hic immoremur, ne oporteat hic involvere multa, quæ inferius in propriis locis declaranda sunt. Satis ergo nunc sit respondere, illa tria in primis convenire in communi ratione censuræ; et consequenter convenire etiam aliquo modo in causis, effectibus, accidentibus, et modo ferendi vel tollendi censuram. De quibus omnibus quatenus communia sunt, in proximis disputationibus dicturi sumus. Differunt autem in propriis rationibus, seu proprietatibus dictarum censurarum, quæ pro hujus loci opportunitate satis insinuatæ sunt; inferius autem in propriis locis sunt ex professo tractandæ. Hic etiam inquiri posset, an recte dividatur censura in eam, quæ est a jure divino, vel humano; vel in eam quæ est a jure, aut ab homine; sed hæc tractabuntur melius disputatione sequente.

DISPUTATIO II.

DE CAUSA EFFICIENTE CENSURÆ, ET VARIIS MODIS EFFICIENDI, SEU IMPONENDI ILLAM.

Explicata communi ratione censuræ, et speciebus ejus, tractandum sequitur de causis ejus, quæ potissime sunt causa efficiens, et materialis, seu subjectiva, et finalis; formalis vero hic nulla est propria, nam ipsa censura se habet ut forma seu privatio quædam; quia tamen in ferenda censura aliqua debita forma servanda est, quæ aliquo modo pertinet ad efficientem causam, seu ad modum servandum in imponenda censura, illam in sequente disputatione explicabimus. Unde ob hanc rationem huic causæ primum locum in hac materia damus, vel etiam quia hæ res morales, quæ solum sunt ex institutione, maxime pendent ex efficiente causa. De hac ergo videndum est, an sit divina, vel tantum humana, et hæc quæ sit, et quotuplex, et quot modis possit, aut soleat censuram imponere.

SECTIO I.

Utrum sit aliqua censura de jure divino, vel omnis sit immediate ex potestate humana.

1. *Potestatem ferendi censuras et usum ejus esse de jure divino.* — Nonnulli Doctores, præsertim Jurisperiti ita loquuntur, ut dicant, vel omnes censuras, vel aliquas saltem esse de jure divino. Alii vero simpliciter negant esse ullam censuram de jure divino. Quod simpliciter et absolute verum est. Ne tamen ob verborum ambiguitatem sit diversitas in modo loquendi, quatuor distinguere oportet. Primum est potestas ferendi censuras; secundum est institutio censuræ; tertium impositio, et quasi applicatio censuræ ad hanc, vel illam personam; quartum est obligatio, quæ ex vi censuræ impositæ manet in tali persona, ut contra censuram non operetur; quæ sunt attente distinguenda, et notanda, pro his, quæ in discursu materiæ dicemus.

2. *Differentia inter potestatem regiam et Pontificiam.* — Quod ergo ad potestatem attinet, dici quidem potest de jure divino, quia illa potestas immediatam originem a Deo traxit, ut vidimus, et quia divino jure sancitum est, ut in Ecclesia sit hujusmodi potestas. Unde, quia potestas est propter usum, ideo dici etiam potest, usum hujus potestatis esse ex divino jure, vel saltem illi conformem, quia Christus dando Ecclesiæ hanc potestatem, voluit, ut esset in Ecclesia usus ejus, si necessarius vel utilis existimaretur. Et hac ratione dixit Chrysostomus, homil. 4 ad Hebr., et refertur 11, quæst. 3, cap. 31 : *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica, non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit,* etc. Quin potius in Extravagant. *Unam sanctam*, de Majorit. et obed., hæc potestas, *divina* appellatur, *quia ore divino Petro fuit data, sibi, suisque successoribus in ipso.* Vocatur autem *divina,* solum ut significetur, potestatem hanc, ut fuit in Petro, et ut residet in Summo Pontifice, immediate a Christo, et non mediante aliquo homine datam esse. In quo multum differt a potestate regia, quæ immediate ab ipsis hominibus duxit originem; quanquam potestas etiam temporalis, sumpta, non prout est in hoc vel illo homine, sed prout absolute est in hominibus, divina quodammodo dici possit, *quia non est potestas nisi a Deo,* ut dicitur ad Rom. 13, et Proverb. 8 : *Per me reges*

regnant. Nihilominus tamen prædicta potestas humana est et creata, eo modo quo hujusmodi res morales creari possunt; est enim subjective in homine suo modo, et est limitata et finita, et ab alio pendens; et ideo simpliciter est potestas creata et hoc modo humana; sicut etiam potestas intelligendi quæ est in homine, immediatam originem traxit a Deo, et nihilominus in se humana est. Quo fit, ut usus hujus potestatis propter hanc causam non possit dici simpliciter aut divinus aut de jure divino, tum quia actus, in quo talis usus consistit, non est a potestate divina immediate, sed ab humana; tum quia fit arbitrio et modo humano et ab hominibus invento, ut dicetur; tum etiam quia non est absoluta lex, aut præceptum divinum de tali usu in particulari, sed solum in communi, quatenus de jure divino est, ut inobedientes corrigantur. Sicut etiam de jure naturali est, ut puniantur malefactores, et tamen pœna, quæ ab humano judice imponitur, simpliciter humana est aut ex humano jure, non ex divino.

Assertio 2.

Institutionem censuræ esse de jure humano.

3. Secundo dicendum est, institutionem censuræ esse de jure humano, nullamque esse censuram jure divino institutam. Hæc est communior sententia Doctorum, ut constat ex Soto, loco citato, et ex aliis, quos inferius referemus. Ratio autem est, quia institutio censuræ non fit, nisi quando in particulari præscribitur modus talis pœnæ, seu privationis talium actuum, aut spiritualium bonorum; at vero Christus Dominus nunquam per se ipsum immediate instituit, ut Ecclesia uteretur tali pœna, determinando modum ejus; sed Ecclesia per potestatem ab ipso acceptam hæc omnia in particulari definiit; ergo institutio censuræ simpliciter non est divina, sed humana, etiam secundum immediatam causam, a qua trahit originem. Confirmatur et explicatur a simili; nam institutio sacramentorum simpliciter est de jure divino, quia Christus immediate tradidit essentiales ritus in conficiendis sacramentis servandos; at vero in sacramentalibus, licet potestas ad illa instituenda a Christo data sit, eorumque usus etiam sit fortasse præceptus, saltem sub ea communi intentione, ut sacramenta decenter, et ordinate administrarentur, nihilominus eorum institutio simpliciter est de jure humano, quia eorum determinatio in particulari non est tradita immediate ab ipso Christo, sed prudenti judicio, et arbitrio hominum facta per acceptam potestatem; ergo eodem modo de institutione censurarum sentiendum est; et confirmatur, nam in hujusmodi censuris nihil est, quod per Ecclesiasticam potestatem mutari non possit, et in discursu Ecclesiæ multa sunt mutata, et alia temporum successione aucta; hæc autem sunt signa certa humanæ institutionis; nam divina institutio vel simpliciter immutabilis est, vel si est dispensabilis, illud est in aliquo casu valde singulari, et ex gravissima causa; et fortasse non sine interpretatione manante ab ipso jure divino, ut in superiori tomo tetigimus, disputantes de ministro sacramenti confirmationis.

4. *Contraria sententia improbatur.* — Contra hanc doctrinam senserunt aliqui, quos statim referam. Potueruntque fundari in verbis illis Matthæi 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, et publicanus;* nam illis verbis videtur Christus satis indicasse et instituisse censuram excommunicationis; et virtualiter præcipitur ibi pastoribus Ecclesiæ, ut illa feriant inobedientes, et contumaces, quia non possunt alia ratione teneri cæteri fideles ad vitandos hujusmodi homines. Sed ex hoc loco nihil colligi potest; alias etiam posset quis inde colligere, omnem hominem inobedientem Ecclesiæ præceptis esse divino jure excommunicatum; quod quam sit absurdum, per se notum est. Item alias Ecclesia neminem excommunicat, sed declarat ipso divino jure excommunicatum esse, quia Ecclesiæ non obedit. Et quando leges Ecclesiasticæ ferunt censuram, seu excommunicationem ipso jure contrahendam, non esset id intelligendum de jure humano, sed divino; et ita non esset alia differentia inter has leges, et alias, quæ talem pœnam illo modo non imponunt, nisi quod illæ priores expresse continent declarationem pœnæ impositæ jure divino, aliæ vero minime, quamvis in re ipsa eadem pœna interveniat, quæ omnia sunt falsa et absurda. Sequela vero patet, quia Christus generaliter et absolute dicit : *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus;* ergo vel non potest ibi esse sermo in particulari de censura excommunicationis, vel illam contrahent omnes, qui Ecclesiæ non obediunt.

5. *Evasio.* — *Præcluditur.* — Quod si quis dicat, hoc non sequi generaliter de omnibus

transgressoribus præceptorum Ecclesiæ, sed de contumacibus, et pertinaciter resistentibus Ecclesiæ præceptis, neque hoc etiam sensu probabile est illud consequens, nimirum, quod homo contumax statim ex divino jure excommunicationem vel aliquam censuram incurrat, tum quia si lex divina imponeret hanc pœnam, deberet modum et gradum illius contumaciæ declarare, quia lex imponens tam severam pœnam debet etiam definire modum peccati, propter quod imponitur, alias summa esset perplexitas; tum etiam quia talis lex non determinat modum illius pœnæ, nec materiam aut circumstantias ejus, ut constat ex ipsius verbis, quæ generalissima sunt. Quocirca in illis verbis in primis significatur hoc generale dogma, graviter delinquere eos, qui Ecclesiam non audiunt, et maxime si contumaces sint; ideoque habendos esse, et cavendos, ut graves peccatores, quales sunt ethnici et publicani. Denique significatum est a Christo Domino se daturum suæ Ecclesiæ potestatem ligandi et solvendi. Atque ita in illis verbis continetur potestas ferendi censuram excommunicationis, non vero ipsius censuræ institutionem aut præceptum in particulari, sed solum in generali vitandi peccatores inobedientes Ecclesiæ, sub qua generali lege comprehenditur distributio accommodata (ut ita dicam) vitandi unumquemque inobedientem Ecclesiæ, juxta gradum et modum prohibitionis, seu separationis factæ ab ipsa Ecclesia. Et hæc est communis expositio interpretum ibi, et Theologorum in hac materia.

Assertio 3.

Nulli peccato esse annexam censuram ex solo divino jure.

6. Tertio dicendum est, ex solo jure divino nulli peccato esse annexam aliquam censuram, atque ita omnem censuram esse de jure humano, etiam quoad illud tertium, quod supra posuimus, scilicet, applicationis censuræ ad tale delictum. Hoc sequitur necessario ex præcedenti, quia non potest censura imponi propter delictum, nisi prius ipsa instituta sit, vel saltem per ipsammet impositionem institui intelligatur, quia non potest imponi pœna, nisi quæ habeat, vel habere possit esse sibi proportionatum; hoc autem convenit censuræ ratione institutionis, sicut aliis rebus moralibus; si ergo nulla censura est divino jure instituta, ut ostensum est, multo minus potest esse ex divino jure alicui peccato annexa.

7. *Opinio asserens peccato hæresis annexam esse excommunicationem.* — *Impugnatur.* — Contra hanc conclusionem sentiunt Almain. in 4, d. 18, quæst. 1; et Echius, in Ench., cap. 27; Clichtovæus, in assertione veritatis Concilii Senonens.; Driedo, lib. 2 de Libertate Christiana, c. 8, dum docent saltem peccato hæresis, si adjunctam habeat contumaciam, annexam esse censuram aliquam ex divino jure. Fundaturque in verbis Pauli ad Titum 3 : *Hæreticum hominem post primam, et secundam admonitionem, devita.* Sed hæc verba non cogunt. Primo quidem, quia intelligi possunt de naturali obligatione, quam unusquisque habet vitandi periculum nocumenti, et consequenter personam quæ sit illi occasio peccandi; hujusmodi autem est hæreticus, *cujus sermo ut cancer serpit*, ut dicitur, 2 ad Cor. 2. Sic etiam dicitur, 1 ad Cor. 5, et ad Galat. 5 : *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Deinde, licet daremus ibi esse sermonem de propria censura, non sequitur illam esse institutionem divinam, sed ad summum Apostolicam, quia illud præceptum Pauli est; et simile præceptum Apostolicum refert Fabianus, epist. 1, et habetur in cap. Sicut Apostoli, 11, quæst. 3, et in canonibus Apostolorum multa similia continentur. Eo vel maxime, quod potest exponi, *Devita*, id est, excommunica; loquitur enim cum Tito, qui erat Episcopus, et potestatem habebat excommunicandi.

8. *Verba secundæ Joann. exponuntur.* — Atque juxta superiorem sensum intelligi possunt verba illa 2 Joann. : *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, neque Ave ei dixeritis.* Quanquam hæc verba potius videantur intelligenda de præcepto quodam naturali non cooperandi hujusmodi hominibus, neque exhibendi eis aliqua signa, quibus vel nos ipsis consentire videamur, vel ipsi in suo errore confirmari possint. Et hoc significavit Joannes verbis sequentibus : *Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis.* Quomodo dixit etiam Paul., 2 ad Thessal. 3 : *Si quis non obedit verbo nostro, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* In quo ultimo verbo etiam indicat, non solum ad cavendam communicationem in delicto, sed etiam ad corripiendum proximum ex charitate interdum consultum esse, vel etiam præceptum, abstinere a communica-

tione illius, *ut confundatur*. Cujusmodi etiam est illud, 1 ad Corinth. 5 : *Si is, qui frater nominatur est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sume.* Quæ verba omnes fere prædictas admittunt interpretationes; et, si extendantur ad propriam censuram, intelligenda sunt, quando et quomodo Ecclesiæ pastores judicaverint hujusmodi peccatores cavendos esse. Atque ita ex his omnibus testimoniis inter se collatis evidenter colligitur, nullum esse in Scriptura fundamentum, ut dicamus censuram aliquam esse annexam jure divino peccato hæresis, potius quam aliis peccatis. Et ideo contraria sententia longe probabilior est, et communis aliorum Doctorum, ut latius traditur in materia de hæresi, 2. 2, quæst. 11.

ASSERTIO 4.

Obligationem servandi censuram simpliciter esse de jure humano, licet remote a jure divino vel naturali originem trahat.

9. Quarto dicendum est, obligationem servandi censuram impositam, seu non operandi contra illam, simpliciter esse de jure humano, quanquam remote trahat originem a divino, imo et a naturali jure, quale est illud : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* ad Rom. 13. Contra hanc assertionem videtur sensisse Covarr., in cap. Alma mater, part. 1, § 1, a principio, ubi tractat quæstionem, an communicare cum excommunicatis sit prohibitum jure divino; et prius simpliciter affirmat, et postea hoc limitat, distinguens de communicatione in rebus divinis, vel in humanis, et priorem affirmat esse prohibitam lege Evangelica, posteriorem, lege humana. De qua re postea latius in particulari dicemus, agentes de excommunicatione. Nunc probatur conclusio aperte ex dictis, nam immediata ratio, et causa illius obligationis, quæ ex censura oritur, est Ecclesiæ prohibitio, qua seclusa, nulla esset obligatio, neque absolutum præceptum de tali actu vel de privatione illius, sed solum quasi conditionatum, scilicet, *si Ecclesia per censuram præceperit abstinere a tali actu, parendum est illi;* quod præceptum et divinum est, ac latum in lege Evangelica, ut sumitur ex Matth. 18, et dici etiam potest de lege naturæ saltem in ordine ad rectam rationem, ut fide illustratam. Nam hoc ipso quod fides docet Ecclesiæ pastores esse vere superiores, habentes veram potestatem, naturaliter consequitur, ut dictet, parendum illis esse in his, quæ juste præcipiunt aut vetant. Hoc tamen satis non est, ut obligatio orta ex particularibus præceptis eorum sit juris divini vel naturalis; alioqui etiam abstinere a carnibus in feria sexta esset de jure divino, quia jus divinum præcipit, ut obediamus Ecclesiæ hoc præcipienti. Quod tamen aperte falsum est, ut per se constat.

10. *D. Thom.* — Quod si in illo præcepto, et omnibus similibus obligatio mensuratur ex proxima regula, a qua nascitur, et ideo est humana, idem erit in censuris, quia obligatio servandi illas immediate oritur ex præcepto humano. Imo si res attente consideretur, ipsa censura nihil aliud est, quam privatio quædam moralis et moraliter necessaria necessitate humani præcepti. Ut, verbi gratia, in dicto exemplo de excommunicatione, per eam non fit, ut excommunicatus habeat aliquam pravam, vel indecentem conditionem, ob quam jure naturæ malum sit illi communicare in sacris, ad eum modum, quo jure naturæ et divino malum est dare sanctum canibus aut communionem notorio peccatori; nihil enim hujusmodi excogitari aut fingi potest, quod per censuram fiat; nam censura supponit in homine pravitatem, et indignitatem, ratione cujus addit prohibitionem in communicatione, vel alio usu spiritualium rerum. Et confirmatur ad hominem; cur enim communicare cum excommunicato in humanis, prohibitum esset jure humano, ut Covarruvias docet? An quia materia illius prohibitionis humana est? Non quidem, quia divinum præceptum etiam potest cadere in actiones humanas; ergo ratio solum est, quia illa prohibitio immediate orta est ex hominis præcepto; ergo eadem ratione communicatio in divinis cum excommunicato prohibita est jure humano, non divino. Patet consequentia, quia generatim loquendo, etiam actiones sacræ possunt esse materia juris humani, ut patet in præcepto audiendi Missam, et similibus; et ita est in præsenti, quia utraque communicatio eodem præcepto prohibita est, et, si jus divinum præcise attendamus, de neutra communicatione quidquam statuit, quandoquidem, ut supra vidimus, nihil de tali censura, ut est in usu Ecclesiæ, in particulari instituit. Unde D. Thom., in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 2, ad 3, seu in Addit., quæst. 23, art. 3, ad 2, aperte sentit hanc obligationem oriri ex præcepto Ecclesiæ,

dicens : *Præceptum Ecclesiæ directe respicit spiritualia; et ideo, qui communicat excommunicato in divinis, facit contra præceptum,* qui a fortiori idem diceret de quacumque censura.

11. *Ecclesia potest dispensare in actibus ex censura vetitis.* — Atque hinc infertur, posse Ecclesiam dispensare in prohibitione istorum actuum. Quod consequenter Covarruvias loco superius citato negat, specialiter de illo actu communicandi in sacris, quia Ecclesia non potest dispensare in iis quæ juris divini sunt. Sed ex contrario fundamento nos oppositum recte inferimus. Quia Ecclesia vel Summus Pontifex potestatem habet dispensandi supra jus canonicum, ut dicitur in c. Proposuit, de Concess. præbendæ. Utrumque confirmamus ex usu et ratione, nam, sicut modus censuræ institutione Ecclesiæ definitus est, ita potest mutari, et augeri, vel minui prohibitio, ex justa voluntate ejusdem Ecclesiæ. Quod optime confirmat decretum Concilii Constantiensis, quo illa prohibitio communicandi cum excommunicatis coarctata est ad denunciatos et alios quosdam; ergo eadem ratione potest Ecclesia ex justa causa dispensare cum aliquo in particulari, et quoad aliquas particulares actiones. Et confirmatur, nam Pontifex potest omnino auferre excommunicationem, etiam sine mutatione vel dispositione peccatoris, sua voluntate absque alia causa, et rata erit ita ut factum teneat, etiamsi fortasse ipse peccet male utendo sua potestate; quia totum illud est simpliciter quid humanum; ergo eadem ratione potest coarctare prohibitionem censuræ ad quosdam actus et non ad alios, vel excipere hanc ut illam personam ab illa prohibitione, etiamsi omnino censuram non tollat. Est enim fere eadem ratio, neque in hoc apparet specialis aliqua repugnantia, neque aliud inde sequitur contra jus divinum aut naturale, quia seclusa prohibitione Ecclesiæ non est per se malum communicare cum illa persona, quæ excommunicata est, vel aliquid simile operari.

12. Et quidem per se apparet incredibile, non posse Pontificem mihi concedere facultatem recitandi, verbi gratia, horas canonicas cum excommunicato, non absolvendo illum simpliciter ab excommunicatione, sed solum suspendendo prohibitionem quoad hunc actum, cum in rebus longe difficilioribus et juri divino propinquioribus dispensare possit, ut in voto, matrimonio rato, et quodammodo in obligatione satisfaciendi, applicando indulgentias. Est ergo hæc dispensatio in potestate Ecclesiæ, quantum est ex vi obligationis per censuram inductæ. Quod ideo addo, quia fieri potest, ut ille homo, cui censura est imposita, aliquam pravam conditionem habeat, ratione cujus talis actio, vel communicatio cum illo, sit intrinsece mala, ut absolvere illum vel quod ipse sacrificet aut communicet in tali statu; et quoad hoc non potest dispensare Pontifex, quia non oritur ex censura, neque ex jure humano, sed ex naturali; nos autem loquimur præcise de obligatione orta ex censura. Hic autem oriebantur quædam peculiares difficultates de excommunicatione, quas in propria materia commodius tractabimus.

SECTIO II.

Qui homines possint instituere aut ferre censuras.

1. *Immediata causa censuræ est homo.* — Ex dictis in præcedenti sectione colligere licet, propriam et immediatam, ac per se causam efficientem censuræ esse hominem, tam quoad institutionem quam quoad applicationem et obligationem. Per hominem autem intelligimus etiam collegium hominum; nam illud etiam est capax hujus potestatis, si cætera requisita adsint, ut de Concilio generali manifestum est. Et constat ex usu Ecclesiæ. Et idem mos est de provinciali. Et expresse asseritur in cap. Grave nimis, de Præbendis. Et de Capitulo Ecclesiæ sede vacante idem infra ostendetur. Itaque sub homine etiam hominum congregatio comprehenditur. Et sic facile probatur illatio, quia secluso jure divino, non superest alia causa. Neque enim Angeli censuras ferre possunt, quia potestas superius dicta non illis, sed hominibus data est, ut per se constat, et in simili dictum est in superiori tomo, cum de ministro sacramentorum ageremus. Certum est autem non omnem hominem habere hoc jus ferendi censuras, sed peculiares conditiones requirere, quas in sequentibus explicare necessarium est. Oportet autem ex dictis advertere, aliud esse censuras instituere, aliud eas imponere seu applicare; sicut in sacramentis, aliud est ea instituere, aliud ea ministrare; unde licet Christus solus ea instituerit, homines ministrant. Hic ergo solum fere superest inquirendum, qui homines censuras applicare possint et imponere; id enim est proprie censuras inferre et quasi ministrare; nam de auctore censurarum, quoad institutionem, pauca supersunt

addenda iis quæ in superiori disputatione et sectione dicta sunt.

2. *Potestas instituendi censuras proprie solum est penes Summum Pontificem.* — Quanquam vero de hac re nihil fere scriptum legerim, videtur necessario dicendum, potestatem instituendi censuras proprie apud solum Pontificem Summum residere. Ratio est, quia censuræ sunt veluti quidam ritus generales universæ Ecclesiæ, quibus uti debent particulares ejus pastores ad coercendos subditos inobedientes. Nam, licet usus seu applicatio censurarum diversus esse possit in diversis Episcopatibus, quoad particulares eorum leges vel mandata, juxta varia hominum judicia et arbitria, tamen forma (ut ita dicam) censuræ, quæ imponitur in universa Ecclesia, eadem est. Neque enim aliis censuris utitur, aut uti debet vel potest Ecclesia Hispanica, aliis Gallica, et sic de aliis, sed omnibus eadem regula et forma essentialis in censuris ferendis servanda est. Alioqui et magna esset confusio in Ecclesia, et nihil firmum et certum possent jura canonica de censuris statuere. Signum ergo est, hanc censurarum institutionem soli universali Ecclesiæ Pastori reservatam esse. Aliud item signum indicavit Scot., 4, dist. 19, art. 5, sumptum ex censura excommunicationis majoris, quæ lata a particulari Episcopo obligat suo modo omnes fideles, quod esse non potest, nisi in virtute institutionis Pontificis. De quo signo plura inferius; sub Pontifice autem, generale Concilium comprehendimus, quia, ut illius leges universalem Ecclesiam obligent, auctoritatem Pontificis illud congregantis et confirmantis requirunt. Et ita simpliciter loquendo, in solo Pontifice Summo est potestas instituendi ritus universales toti Ecclesiæ præter sacramenta, ut in superiori tomo attigi, disputando de sacramentalibus in genere.

3. *Possitne potestas hæc delegari.* — Ratio vero primaria non est alia, nisi quia hæc potestas, ut perpetuo in Ecclesia duratura, soli Petro et successoribus ejus immediate est a Christo concessa; ipsi autem illam aliis non communicarunt, quia ad conveniens Ecclesiæ regimen nec necessarium erat, neque expediebat. Denique hoc satis confirmat usus Ecclesiæ; nullibi enim sunt aliæ censuræ præter illas tres, quas Pontifices in Ecclesia esse decreverunt; ergo signum est, in nullo alio esse potestatem instituendi illas; nam, si fuisset potestas, non defuisset saltem aliquis actus vel usus ejus. An vero possit Pontifex hanc potestatem aliis communicare, quæstio est parvæ utilitatis; non dubito tamen, quin possit, si præcise et absolute potestatem consideremus, quia nihil est singulare in hac potestate, ob quod delegari seu committi non possit, cum solum sit quædam potestas jurisdictionis. Considerando autem non solum id, quod simpliciter fieri potest, sed quod expedit, fortasse non potest, propter ea quæ diximus et propter Ecclesiæ usum.

Apud quem sit potestas ordinaria ferendi censuras.

4. *Primario ac per se est in Summo Pontifice.* — Omissa ergo potestate instituendi censuras, de potestate ferendi illas, ut certum sumimus ex superioribus, eam primario ac per se esse in Summo Pontifice. Unde, ut in eo sit, omnes illas conditiones requirit, quæ ad dignitatem Pontificis Summi habendam necessariæ sunt, quia est in illo tanquam consequens seu complens dignitatem Pontificiam, quoad pastorale munus et supremam potestatem jurisdictionis; quæ autem sint illæ conditiones, non spectat ad hunc locum exponere, sed in materia de fide tractari solet, 2. 2, quæst. 1, art. 10.

5. *In aliis etiam potest esse hæc potestas.* — Deinde est certum hanc potestatem esse posse in aliis, idque duobus modis, scilicet, vel ut ordinariam, id est, ex proprio officio et munere, jure ordinario alicui convenientem, qua propterea uti dicitur nomine proprio is qui illam habet, ut jurisperiti tradunt; vel ut delegatam seu ex speciali commissione concessam. Quos duos modos jurisdictionis supra declaravimus, tractando de interiori jurisdictione fori pœnitentiæ, et eadem ratione et proportione hic locum habent. Ut sumitur ex cap. Grave, de Officio et potest. judicis ordinarii, et in simili tradit Covarr., d. cap. Alma mater, part. 1, § 2. Ratio vero est, quia nec Pontifex per seipsum potest hanc potestatem, ut ordinarius judex, semper exercere, sed indiget aliis ordinariis pastoribus, ut coadjutoribus, et sæpe etiam necessarium est, ut tam ipse quam alii inferiores pastores hanc potestatem aliis committant. Et utrumque confirmat satis usus Ecclesiæ, et patebit magis ex dicendis.

6. *In Episcopis est hæc potestas in ordine ad suos subditos.* — Tertio certum est Episcopos omnes habentes proprios Episcopatus habere jure ordinario hanc potestatem. Dico autem,

habentes Episcopatum, quia hæc potestas non comitatur necessario potestatem ordinis seu consecrationis Episcopalis, ut aperte supponitur in cap. Cum ab Ecclesiarum, de Offic. ordin., sed comitatur pastorale munus, cum ad potestatem jurisdictionis spectet. Et hæc est tota ratio hujus assertionis, quia hæc potestas necessaria est ad pastorale munus exercendum, quod Episcopis ex vi sui muneris competit; et ideo ex proprio jure et officio hanc potestatem habent, sicut et potestatem judicandi ac puniendi, etc. Atque hoc tradit Concil. Trident., sess. 6, de Reform., cap. 3 et sess. 14, c. 4 de Reform., et per se notum est ex usu totius Ecclesiæ et ex jure canonico, cap. Qualiter, 2, de Accusat., et cap. Transmissam, de Elect., et cap. 1, ac fere ex toto titulo de Officio ordinarii, præsertim cap. Ad reprimendam, et sumitur etiam ex cap. Cum Episcopus, eodem titulo, in 6, et ex multis aliis, quæ Gratianus congerit, 11, q. 3, ex quibus sequitur, hanc potestatem, prout est in inferioribus Episcopis, solum extendi ad eorum subditos, seu ad uniuscujusque diœcesim, ut ex ipsa ratione et necessitate jurisdictionis satis constat, et sumitur etiam ex cap. 2 de Constitutionibus, in sexto. Quomodo autem hoc intelligendum sit, et quinam sint subditi, vel quibus modis subditi efficiantur quoad hunc actum, explicabimus inferius, disputantes de iis in quos potest ferri censura.

7. *Competatne hæc potestas Episcopis jure humano aut divino.* — Sed quæres, an hoc jus ordinarium, quo Episcopi habent hanc potestatem, sit jus divinum aut mere humanum; nam ex dictis superius videtur sequi esse omnino humanum, quia hæc potestas per hominem, id est, per Summum Pontificem datur Episcopis. At hoc videtur inconveniens; alias posset Pontifex omnes Episcopos hac potestate privare. Respondetur idem dicendum esse quoad hoc de jurisdictione hac in foro contentioso, quod superius dictum est de jurisdictione in foro pœnitentiali, nimirum, hanc potestatem, licet mediante Pontifice detur, nihilominus esse aliquo modo de jure divino saltem in genere et radicaliter, quia Christus ipse statuit, ut essent in Ecclesia Episcopi, qui essent ordinarii pastores, ad Ephes. 4, et Act. 20. Unde consequenter etiam voluit, ut haberent hanc potestatem ordinariam, suo muneri convenientem, sub qua contineretur potestas coerciva, etiam per censuras, ut in superioribus explicatum est. Atque hoc videtur supponere Christus in illis verbis Matth. 18 : *Dic Ecclesiæ,* id est, Ecclesiæ pastoribus, ut omnes exponunt et necessario intelligendum est. Unde cum subdit : *Quæcumque alligaveritis,* supponit futuros fore in Ecclesia pastores, qui eam potestatem ex proprio munere haberent, quanquam necesse non sit, ut eam habeant immediate ab ipso Christo, sed mediante ejus Vicario ac dependenter ab illo, et juxta mensuram ab illo præscriptam, ut de alia jurisdictione latius declaratum est in superiori tomo.

8. *Competatne hæc jurisdictio aliis præter Episcopos. — Ratio dubitandi. — Resolutio.* — Quæri vero ulterius potest, an hæc potestas ordinaria aliis conveniat, præterquam Episcopis. Nec dubitamus de Archiepiscopis, Patriarchis et aliis in ordine hierarchico superioribus; nam illi etiam Episcopi sunt; sed dubitamus de quibusdam aliis. Et ratio dubitandi esse potest, quia soli Episcopi sunt Apostolorum successores, quibus hæc potestas excommunicandi data est, cap. In novo, 11 dist., et cap. Quorum vices, 68 dist. Unde in decretis sæpe significatur, hoc munus esse proprium Episcoporum, et ideo *Episcopale judicium* appellatur in cap. Corripiantur, 24, quæst. 3, et *mucro Episcopi* dicitur in cap. Visis, 16, quæst. 2; et 11, quæst. 3, multi habentur canones, in quibus solis Episcopis ea jurisdictio tribuitur. Dicendum vero nihilominus est, jurisdictionem hanc, licet primario ac per se conveniat Episcopis, et ideo ipsi soli possint regulariter illa speciali solemnitate excommunicare, quæ requiritur in cap. Debent, 11, quæst. 3, interdum tamen posse participari ab inferioribus clericis, quod manifeste constat ex cap. Nemo Episcopus, 11, quæst. 3, ubi supponitur, presbyterum posse excommunicare, et idem dicitur de Plebano, in c. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordin., et de Priore, in cap. Cum in Ecclesiis, de Major. et obed., quibus locis id notant Glossa et Doctores, et Covarr., c. Alma, 3 part., § 8, num. 6.

9. *Quibus præter Episcopos competat hæc potestas.* — Et in particulari certum in primis est, Legatum a latere Pontificis habere hanc potestatem ordinariam, ex cap. Legatus, de Officio Legati, in 6, et ex communi sententia Doctorum. Deinde vicarius Episcopi etiam censetur habere potestatem hanc jure ordinario, ex communi sententia Doctorum cum Gloss. in c. Licet, de Officio vicarii, quia idem tribunal censetur esse vicarii et Episcopi, ut dicitur in cap. 2 de Consuetudin., in 6, et in

cap. Romana, de Appellat., in 6. Unde idem est servata proportione de vicario Archiepiscopi, cujus tamen potestas limitata est per cap. 1 de Officio ordinar., § ultimo, ne extendatur ad Episcopum suffraganeum, saltem dum Archiepiscopus in sua diœcesi adest, vel non longe abest. Rursus idem judicium est de vicario electo a Capitulo, Sede vacante, juxta decretum Concilii Trident., sess. 25, de Reformatione, c. 16. Quo fit, ut Capitulum ipsum a fortiori eamdem potestatem habeat, ex cap. Cum olim, de Majoritate et obedientia, et alii notant Capitulum succedere in jurisdictione Episcopali competente jure proprio. Et specialius colligitur ex capitulo unico de Majoritate et obedientia, in sexto. Denique omnes, qui ex aliquo ordinario munere, et statuto Ecclesiæ hanc jurisdictionem habent, dici possunt illam ut ordinariam habere, ut Cardinales in propriis Ecclesiis, in quibus suos titulos habent, ex cap. His quæ, de Majoritate et obedientia, ubi Abbas et alii id notant. Item Superiores religionum, ut colligitur ex cap. Cum in Ecclesiis, de Majoritate et obedientia, cap. Sicut. de Simon., et notavit Glossa in cap. De persona, verb. *Aut Monachum,* in fine, 11, quæst. 1, et in cap. Quanto, verb. *Si Prælati,* de Offic. ordin. Idemque constat ex usu religionum, juxta Apostolica indulta unicuique concessa. Denique multi sunt in Ecclesia Abbates, archidiaconi et archipresbyteri, quibus quoad hanc partem Episcopalis jurisdictio communicata est, qui proinde illam ut ordinariam habebunt, ex cap. Veniens, cum Glossa, de Eo qui ordinem furtive suscepit, et Glossa in Extravaganti Execrabilis, inter communes, de Præbendis et dignitatibus, verb. *Prioratus,* in fin., et sumitur etiam ex utroque tit. de Officiis archipresbyterorum et archidiaconorum. Nam licet in cap. 5 hujus tituli dicatur archidiaconos ex institutione sua non habere, ut sententiam proferant, id tamen intelligendum est de primæva institutione diaconorum, qui sunt quasi oculi Episcopi et illius custodes, juxta cap. Diaconi, 93 dist. At vero postea per Ecclesiam illis concessa est aliqua jurisdictio; quod tamen non est generale in omnibus, sed institutio specialis vel consuetudo attendenda est. His etiam annumerandæ sunt Ecclesiasticæ congregationes, quæ hanc etiam potestatem ut ordinariam habere possunt, ut sunt Concilia generalia, provincialia vel synodalia, et Capitulum Ecclesiæ, et regularium congregationes, quæ legitimæ sint, et ab Ecclesia approbatæ. Alioqui non poterunt unum verum corpus politicum efficere, in quo hæc potestas resideat.

10. *Quid intersit inter ordinariam et delegatam potestatem. — Differentia inter potestatem ordinariam Episcopi et aliorum.* — Sed inquiret fortasse aliquis, cur dicantur hi omnes hanc potestatem ut ordinariam habere, cum multi ex iis, quos numeravimus, solum ex speciali commissione illam habeant, et quid intersit talem jurisdictionem ordinariam, vel solum commissam vocare. Respondetur in primis multum interesse, nam, qui habet jurisdictionem ordinariam, potest illam ipse committere et delegare, ut habetur in lege More, Digestis de Jurisdictione omnium judicum, et patet in exemplis positis. Nam legatus Papæ potest jurisdictionem suam delegare, ut tractat Panormitanus, in c. ultim. de Officio Legati, et idem est de aliis numeratis. Qui autem solum habet jurisdictionem hanc ut commissam seu delegatam, non potest, ex vi illius modi habendi jurisdictionem, eam subdelegare, ut constat ex toto titulo de Offic. deleg. Dixi, *ex vi modi habendi,* quia interdum delegatis hoc etiam conceditur, vel ex peculiari concessione, vel ex generali privilegio talis delegati. Ut de Pontificis delegato Canonistæ tradunt in dict. tit., et videri potest Jason, in lege *A judice,* C. de Judiciis. Tunc autem etiam erit differentia inter habentem hanc potestatem delegatam et ordinariam, quod in illo talis potestas semper pendet a concedente et cessat illo defuncto, si causa inchoata non sit, cap. Gratum, et cap. Licet, de Offic. deleg., et cap. Si a subdelegato, eodem, in 6, quæ dependentia non est in alio, qui ordinariam potestatem habet. Addere etiam possumus hanc potestatem in omnibus illis personis vocari ordinariam, quia ex vi propriæ dignitatis et officii eis convenit, juxta sui muneris necessitatem vel congruitatem, et juxta ordinariam legem ab Ecclesia statutam. Unde potest differentia assignari inter has posteriores personas et Episcopos; nam quod Episcopi habeant hanc jurisdictionem ordinariam, trahit originem, ut diximus, a jure divino; cæteri vero illam habent mere de jure humano, quia de cæteris præter Episcopos nihil speciale Christus Dominus statuit. Unde fit, ut parochi non numerentur inter eos, qui hanc potestatem ordinariam habent, quia ex neutro jure, divino aut humano, illam participant; neque etiam eorum muneri est, per se loquendo, necessaria, quia

ipsi non sunt ordinarii judices in foro exteriori, quod secus est in foro interiori pœnitentiæ, quia in eo sunt ordinarii pastores.

11. *Ordinaria jurisdictio confertur per collationem Ecclesiastici muneris.* — Ex quo ulterius colligi potest, hanc ordinariam jurisdictionem semper conferri his personis per collationem alicujus Ecclesiastici muneris, absque alia speciali commissione, quia jam tali muneri annexa est talis potestas. Unde ab eo censendus est quis habere jurisdictionem hanc proxime et immediate, a quo tale munus immediate recipit. Unde Summus Pontifex immediate habet illam a Christo, reliqui omnes mediante Pontifice. Et ab illo quidam immediate, ut vicarius, et legatus ejus, et Episcopi, et religiones, etc., alii mediate, ut vicarius Episcopi mediante Episcopo, et sic de aliis, ut Provincialis alicujus religionis medio Generali, qui illum eligit, et Generalis medio Capitulo, quod illum eligit. Est autem ulterius advertendum variis modis accidere posse, ut talis potestas conjuncta sit tali muneri, seu dignitati, qui ad duos reducuntur. Unus est privilegii, vel concessionis factæ a Pontifice, vel alio potestatem habente ex cap. Cum contingat, de Foro competenti, ubi id Doctores notant; et alii, quos refert Ugolinus supra, paragrapho 21, num. 7. Hoc autem privilegium interdum est ob muneris necessitatem, ut constat in Prælatis religionum. Aliquando vero ob decentiam alicujus dignitatis, vel specialem prærogativam, ut constat in aliis exemplis adductis.

12. *Interdum consuetudine, aut præscriptione habetur potestas hæc.* — Nonnunquam vero jurisdictio hæc consuetudine, vel præscriptione obtinetur, ut constat ex cap. Dudum 2, versic. Sed cum in jure, de Elect. In quo notandum est, ex eo quod quidam archidiaconus consuetudinem habebat ferendi censuras, inferre Pontificem, illum habere curam animarum annexam; idque merito, quia hoc est munus pastoris, et superioris. Unde non potest quis hanc consuetudinem habere, nisi supponatur habere subditos, in quos possit tales actus exercere. De quo videri potest Abbas, cap. 2 de Iis quæ fiunt a majori parte Capituli, ubi Innocentius, et alii. Præterea, in cap. Romana, de Sentent. excommun., in 6, idem dicitur de potestate absolvendi ab excommunicatione lata ab alio, ex quo optimum sumitur argumentum a similitudine rationis. Alia vero jura idem dicunt de præscriptione, ut patet in cap. Cum olim, et c. Auditis, de Præscript. Ratio vero est, quia jurisdictio consuetudine potest acquiri, ut sumitur ex cap. Cum contingat, de Foro compet., et cap. 1, § Neque suffraganeorum, eodem tit., in 6. Ubi Doctores id notant. Quia, sicut consuetudine potest obligatio, quæ vim legis habeat, introduci, et abrogari, et præscriptione possunt jura, et dominia mutari, ita etiam jurisdictionis potestas, ad quam spectat hæc, de qua nunc agimus. Quanquam autem hæc jurisdictio dicatur consuetudine, vel præscriptione acquiri, tamen, qui illam concedit, revera est Summus Pontifex, qui merito hoc voluit et statuit, ut jurisdictiones Ecclesiasticæ firmæ essent, et certæ, ut latius in materia de consuetudine, et de præscriptione tractatur.

13. *An consuetudo ferendi unam censuram sufficiat ad ferendas omnes.* — Solet autem hoc loco inquiri, an potestas hæc possit præscribi vel consuetudine acquiri in una ferenda censura, et non in aliis: vel potius hoc ipso, quod quis habet consuetudinem ferendi unam censuram, v. gr., excommunicationem, obtineat etiam potestatem ferendi alias censuras. Sed, quia hæc Jurisperitorum sunt magis propria, ideo breviter dicendum est, juxta communem eorum sententiam non sufficere consuetudinem unius censuræ ferendæ, ut circa omnes acquiratur potestas. Quod fundari solet in cap. Cum olim, de Præscriptionibus. Ubi quidam Abbas, qui præscriptione probaverat usum excommunicandi, et interdicendi, in potestate ferendi has censuras defenditur; de suspensione autem nihil ibi dicitur, sed generaliter cætera Episcopalia munia, quæ ibi specialiter non numerantur, ei denegantur. Qui textus probabiliter suadet, non tamen convincit, nisi rationem adjungamus. Ea vero esse videtur, quia nec potestas hæc est omnino indivisibilis, ut acquisita circa unum actum necessario debeat acquiri circa alium specie diversum; nec inter ipsos actus est aliqua necessaria connexio, ut necesse sit, eum, qui unum efficit, posse alios efficere; nec etiam ob similitudinem, acquisito jure circa unum, acquiritur circa alios, quia hoc non habet locum in præscriptionibus, et consuetudinibus, ut est certa, et communis doctrina. Vide Ugolinum, dicto § 21, num. 3 et 4. Atque hæc nobis sufficiant de modo habendi hanc potestatem jure ordinario.

SECTIO III.

Cui possit delegari potestas ferendi censuras, et quomodo hæc delegatio facienda sit.

1. *Potestas ferendi censuras est communicabilis.* — Alius modus habendi hanc jurisdictionem est per delegationem, seu commissionem superiorum. Quod etiam est certum, cum ex generali lege, et quasi natura potestatis jurisdictionis, quæ hoc modo communicabilis est, unde etiam in foro interno pœnitentiæ hoc modo committi potest, ut supra vidimus; tum etiam ex usu et traditione Ecclesiæ, et ex variis decretis, quæ habentur in titulo de Officio delegati, a principio, et videri potest Covar., in cap. Alma mater, part. 1, § 1. Cum autem hic modus habendi hanc potestatem extraordinarius sit, id est, ex nulla certa lege, aut munere originem habens, sed solum ex arbitrio et voluntate concedentis, ideo non possumus certas assignare personas, quibus hoc modo potestas hæc conveniat, sed solum dicere possumus, oportere eum, qui talem jurisdictionem est habiturus, esse capacem illius, et in alio esse potestatem delegandi, vel subdelegandi illam, et in utroque esse voluntatem, in altero dandi, et in altero acceptandi, quæ sigillatim explicare oportet.

2. *Aliquæ conditiones requiruntur ad hanc potestatem recipiendam.* — Primum igitur, scilicet, capacitatem esse necessariam, per se notum est, ad omnem potestatem necessarium. Unde etiam priori modo non potest esse hæc potestas ut ordinaria in aliquo, nisi supposita ejus capacitate; tamen, quia illo modo semper est annexa hæc jurisdictio alicui muneri, vel officio, ideo nihil in particulari diximus de prærequisitis ad illam ex parte dantis vel recipientis, sed tantum in communi, eum esse capacem talis jurisdictionis, qui fuerit capax ejus muneris, ratione cujus confertur. At vero in præsenti oportet in particulari designare conditiones necessarias ex parte hominis, ut sit capax talis jurisdictionis, quamvis multæ ex illis communes sint etiam jurisdictionem ordinariam habentibus.

3. *Solus homo viator hanc potestatem habere potest.* — Primo ergo necesse est, ut sit homo viator, quia neque Angelus, neque homo beatus, aut extra viam est capax Ecclesiasticæ jurisdictionis; nam Ecclesia militans et visibilis, per ministros in ea militantes, ac visibiles, gubernari debet. De qua re diximus aliqua, quæ ad præsens accommodari possunt, superiori tomo tractantes de ministro sacramenti. Est autem advertendum, aliud esse loqui de habente hanc potestatem, aliud de effectu seu efficacia ejus; nam ut homo recipiat, vel retineat hanc potestatem, necesse est, ut vivat; at vero, ut efficiat, fieri potest, ut id non sit necessarium. Nam interdum causa consequitur effectum, quando jam actu non est, ut in naturalibus constat, et in præsenti etiam est certum in censuris, quæ transgressione alicujus legis ipso jure incurruntur; nam causa inferens illam censuram, revera est auctor legis, etiamsi mortuus sit, qui per legem tanquam per virtutem a se relictam operatur, ut infra latius explicabimus. An vero in censura lata ab homine id etiam contingere possit, dicemus commodius sequente disputatione.

4. *Debet etiam esse rationis compos.* — *Non potest hæc potestas committi carenti usu rationis, ut illam exerceat cum ratione utatur.* — Deinde necessarium est, ut qui hanc jurisdictionem est recepturus, sit rationis compos; nam qui ratione uti non potest, nec ferre potest judicium, et consequenter nec punire, neque aliquem alium actum jurisdictionis exercere. Unde neque puer ante usum rationis, neque perpetuo amens, aut stolidus, capax esse potest hujus potestatis. Sed hic etiam distinguere oportet inter usum et potestatem ipsam; nam quoad usum, manifestum est, eum, qui caret usu rationis, pro illo tempore, quo illo caret, non posse exercere hanc potestatem, quia quidquid faciat, aut facere videatur, humanum non est; et ideo homines ligare non potest. Ad quam rem multa congerit Ugolinus, tabul. 1 de Censuris, cap. 2, § 3. Sed res per se est satis clara. At vero quoad potestatem, non est dubium, quin permanere in eo possit, etiam eo tempore, in quo usum rationis non habet, ut non solum in dormiente, sed etiam in furioso aut ebrio manifestum est. Unde dubitari posset, an sicut hæc potestas conservari potest, ita etiam possit dari illi, qui non potest ratione uti, nimirum, ut ea utatur, quando rationis usum habuerit. Nam qui non est incapax ad retinendum, non videtur esse incapax ad recipiendum. Dicendum vero est, non posse id fieri, quia, ut in principio dicebam, ad recipiendum hanc potestatem, requiritur voluntas et consensus recipientis, quem præbere non potest aliquis, quando usum

rationis non habet, quia consensus dicit actum humanum et rationalem; et ideo nec infans, nec perpetuo amens, nec denique furiosus aut ebrius, eo tempore quo sic dispositus est, hanc potest recipere potestatem. Quæ omnia recte confirmari possunt ex l. Cum prætor, vers. Non autem, ff. de Judiciis.

5. *Vir, et non femina est illius capax.* — Alia conditio requisita est, ut is, qui hanc potestatem accepturus est, vir sit, et non femina. Nam femina incapax est jurisdictionis spiritualis ad claves pertinentis, præsertim quæ ad judicium vel sententiam ferendam valeat, ut de interiori foro supra dictum est; et de exteriori docent D. Thom. in 4, dist. 25, quæst. 2, art. 1; et ibi Thomas de Argent., art. 3, ad 2 cont. 2 concl.; Anton., 3 part., tit. 16, cap. 7, § 2; et Navarr., in Summ., cap. 27, num. 6; et Covarr., in cap. Alma mater, part. 1, § 11, num. 2; quod probari potest ex cap. Mulierem, cum aliis multis, quæ referuntur, 33, quæst. 5, ubi dicitur, mulierem nec docere posse nec judicare. Sed illi textus non multo probant, quia nec Pontificia decreta sunt, sed sententiæ Augustini, nec videntur agere de absoluta capacitate, sed de decentia. Unde etiam ibidem dicitur, mulierem non posse esse testem, neque fidem dare. Melius probari potest ex cap. De monialibus, de Sent. excommun., ubi dicitur, Abbatissas non posse sibi subditas a censura, si quam contraxerint, absolvere; ergo multo minus poterunt ligare, si non possunt solvere. Probari item solet ex cap. Nova, de Pœnit. et remiss., ubi sermo est de quibusdam actibus sacramentalibus, et de prædicatione Evangelii. Potest tamen sumi argumentum vel a simili, vel quia in fine Pontifex concludit, claves regni non esse datas feminis, etiam Beatæ Virgini. Et hæc est ratio a priori hujus conclusionis. Congruentia vero est, quia sexus femineus non est per se proportionatus ad spiritualia munera obeunda. Unde nec docere, nec dominari in viros permittitur, 1 ad Tim. 2. Unde, quamvis in religionibus eis committatur quædam potestas gubernandi, quæ moraliter necessaria est in religionibus Monialium, quia non poterat honeste et decenter per viros id fieri, illa tamen potestas non extenditur ad proprios actus clavium, sed ad actus præcipiendi, corripiendi, et instruendi, quantum conveniens est ad paternum, et quasi domesticum regimen, ut omnes auctores citati notant, et late Victoria, relect. 2 de Potestate Ecclesiæ, quæst. 2, num. 3, et Summistæ omnes, verbo *Abbatissa*. Et confirmatur; nam femina est incapax Ordinis, ut infra tractando de sacramento Ordinis ostendemus; potestas autem hæc ferendi censuras prærequirit Ordines, vel saltem dispositionem ad illos, quæ fit per primam tonsuram, ut statim dicemus. Denique hoc consentaneum etiam est juri civili, in l. 2, ff. de Regularibus juris, ubi dicitur, feminas remotas esse ab officiis publicis, et ideo judices esse non posse, etc.

6. *Objectio. — Exponitur cap. Dilecta, de Majorit. et obed., et cap. Dilecti filii, de Arbitris.* — Contra hoc vero objici potest cap. Dilectæ, de Majorit. et obed., ubi dicitur, Abbatissam quamdam solitam esse suspendere ab officio et beneficio canonicas suas, et clericos suæ jurisdictioni subjectos, quamvis excommunicationem in eos ferre non posset, et Pontifex jubet, ut illi obediatur; unde suspensionem illam validam esse supponit; at suspensio quædam censura est. Item in cap. Dilecti filii, de Arbitris, Pontifex approbat, quod quædam nobiliores feminæ ex consuetudine habeant jurisdictionem ordinariam in subditos suos. Et in cap. Dilecta, de Excessib. Prælat., quædam Abbatissa vocatur caput et patrona cujusdam congregationis clericorum. Ad primum respondetur ex Abbate et aliis, illam supensionem non fuisse censuram, sed prohibitionem quamdam vel privationem, quæ, late loquendo, suspensio appellari potest; tantum ergo erat illud quoddam mandatum, quod per mulierem interdum ferri potest. Unde (quod notandum est) Pontifex ibi non respondet servari debere censuram ab Abbatissa latam, sed præceptum et mandatum ejus; et cuidam Abbati injungit, ut, si subditi illius Abbatissæ obedire noluerint, eos per censuras obedire compellat, indicans, suspensionem Abbatissæ non fuisse censuram, sed simplicem prohibitionem seu mandatum. Unde ad alias partes, non negamus mulierem habere posse jurisdictionem, præsertim temporalem, de qua nonnulli decreta illa interpretantur, sed non sufficienter, quia jurisdictio in clericos non est omnino temporalis. Et ideo Abbas ibi advertit de jure speciali posse feminam habere jurisdictionem in clericos. Non tamen inde fit, posse habere tantam jurisdictionem, ut etiam ad censuras ferendas extendatur. Aliqui autem nolunt illam vocare jurisdic-

tionem, sed solum jus quoddam, et quasi dominium, vel potestatem, quæ ad jus constituendum, vel judicium ferendum non sufficit. Sed hoc spectat ad modum loquendi, de qua re nonnulla etiam diximus supra, tractando de jurisdictione pœnitentiali.

7. *Pontifex potest hanc potestatem concedere feminæ, de potentia absoluta, non tamen ordinaria.* — Addo præterea, aliud esse loqui de potestate (ut sic dicam) absoluta Summi Pontificis, aliud de ordinaria lege Ecclesiastica. Nam priori modo fortasse non repugnat Summum Pontificem concedere hanc potestatem alicui feminæ. Quod tenet Paludanus in 4, dist. 19, quæst. 2, art. 1, et non dissentit Soto, dist. 20, quæst. 1, art. 4, versus finem; Navarrus, Consilio 73, de Sententia excommunicationis; et Ugolinus, dicto cap. 2, § 7, num. 5. Quoniam hoc non est contra jus divinum; et ideo nihil est cur Pontifex ex absoluta potestate id facere non possit, sicut etiam potest hanc jurisdictionem laico conferre. At secundum communem legem, et usum Ecclesiæ hoc nunquam fit; et ideo nec consuetudine introduci potest, neque ab Episcopis concedi; neque a Pontifice Summo aliquando factum esse legimus, quia non decet; et licet non sit simpliciter contra jus divinum aut naturæ, est tamen minus consentaneum illis.

8. *Non baptizatus non potest habere potestatem Ecclesiasticam.* — Quarta et ultima conditio est, ut hæc potestas clerico committatur; nam solus ille secundum ordinarium usum Ecclesiæ capax illius censetur. Omitto, debere etiam hujusmodi hominem baptizatum esse, tum quia hæc conditio ad præcedentem necessario supponitur, ut constat ex materia de baptismo, et de Ordine, et sumitur ex cap. 1 et 3 de Presbytero non baptiz. ministrante; tum etiam quia hæc conditio generalis est ad omnia Ecclesiastica munia, eo quod baptismus janua sit Ecclesiæ. Unde multo magis necessarium est, ministrum censuræ ferendæ esse baptizatum, quam esse clericum, quia hoc posterius est necessarium ordinarie ex congruentia quadam, ut dicemus; illud vero prius est semper et absolute necessarium; nam, qui reipsa nondum est membrum Ecclesiæ visibilis, non potest spiritualem jurisdictionem in eam exercere; de quo plura inferius dicam.

9. Probatur ergo posita conditio ex Symmacho Papa in cap. 1, dist. 69, ubi specialiter loquitur de censura excommunicationis; et ex cap 2 de Judiciis, ubi generaliter dicitur non posse laicum Ecclesiastica tractare negotia aut judicia, maxime spiritualia. Idem sumi solet ex cap. Ecclesia, de Constit. Ex quibus decretis conclusionem hanc eliciunt communiter scribentes ibi. Verum hæc jura, si attente legantur, non loquuntur de re, in qua nunc versamur, quia non tractatur, quid jurisdictionis pastores Ecclesiæ possint aut debeant committere laicis, sed quid ipsi laici ex se, vel ex suis dominiis habeant. Et hoc sensu dicitur, laicos nullam habere jurisdictionem in Ecclesia. De qua re loquuntur etiam decreta, quæ citantur in dist. 96. Magis favere possunt verba Gregorii, lib. 7 Epistolarum, in 66, quæ referuntur in cap. Indicatum, 98 dist. : *Cavendum est, ne secularibus viris, atque non sub regula nostra degentibus res Ecclesiasticæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis.* Quæ generalis admonitio habetur ex multis decretis, 16, quæst. 7. In particulari autem de commissione hujus jurisdictionis nihil expressum invenio. Sunt vero notanda verba, quæ ibi referuntur in cap. In nova, ex Concil. Hisp. II, cap. 9 : *Indecorum est vicarium Episcopi laicum esse, et seculares in Ecclesia judicare.* Et infra vocatur *contemptor canonum,* Episcopus, qui Ecclesiasticam administrationem laico crediderit. Censetur etiam hæc communis sententia Theologorum, D. Thom. in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 1; Soto, dist. 20, 1 art. 3, et aliorum eisdem locis; qui tamen non loquuntur specialiter de jurisdictione ad ferendas censuras, sed de potestate clavium. De qua in sua proprietate sumpta alia est ratio, quoniam usus ejus potestatem ordinis includit, et ideo non solum non potest esse in laicis, sed neque in omnibus clericis, sed in solis Episcopis et sacerdotibus, ut definit Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 6, et can. 10.

10. Quare idem D. Thom. in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 3, ait, quamvis non sacerdos non possit ligare et solvere in foro interiori, posse tamen habere jurisdictionem in foro contensioso, et ideo posse censuras ferre. Et ad 1, ait, licet non habeat clavem ordinis, habere posse clavem jurisdictionis. Et eodem modo loquitur Richardus, eadem dist., art. 4, quæst. 3; et Soto, dist. 20, quæst. 1, art. 4. Et sine dubio verum est, ad recipiendam hanc jurisdictionem non esse necessarium sacerdotalem Ordinem, ut D. Thomas et alii Theologi tradunt, et Abbas in cap. Trans-

missam, num. 2, de Electione; et alii communiter. Et colligitur satis clare ex dicto cap. Transmissam. Quamvis Glossa in cap. 1, vers. *Præter*, 96 dist., oppositum sentiat ex cap. Canonica, de Sentent. excommun., ibi: *Qui (sicut audivimus) presbyter esse debet.* Quam Glossam explicat Ugolin., dict. cap. 2, § 9, num. 5, ut intelligatur, quando excommunicatio solemni ritu et cæremoniis ferenda est; nam tunc (inquit) ferri potest a solo sacerdote. Sed de hoc infra videbimus; nam Glossa illa generatim loquitur. In cap. autem, quod citat, non est sermo de censura ferenda, sed de absolutione a censura, de qua infra suo loco.

11. *Sola prima tonsura sufficit, ut hæc potestas alicui committatur.* — Addendum præterea, non solum sacerdotium, verum neque ullum Ordinem sacrum aut sacramentalem requiri, saltem vero primam tonsuram necessariam esse in eo, cui ea jurisdictio committenda est. Ita sentiunt Doctores citati; Covarruvias, in dicta relectione, part. 2, n. 3, et Summistæ, verb. *Excommunicatio*, et Juristæ omnes. Ratio est, quia hæc jurisdictio per se et natura sua non supponit characterem, cum ad forum contentiosum pertineat. Unde id non est jure divino necessarium; sed neque jure humano id statutum est, sed solum quod non sit laicus, vel (quod perinde est) quod sit clericus. At vero per primam tonsuram constituitur quis in clericorum ordine, ut probatur ex cap. Cum contingat, de Ætate et qualit. ordinandor.; ergo illa sufficit ad hanc potestatem recipiendam. Atque ita juxta communem sententiam potest esse vicarius Episcopi, et censuras ferre, qui primam habet tonsuram, non vero sine illa, ut ex Abbate, et aliis notant Covarr. et Ugolinus supra. Qui etiam advertunt, hujusmodi inferiorem clericum, si conjugatus sit, incapacem fieri hujus potestatis, juxta sententiam Abbatis, et aliorum in cap. Sane, 1, de Clerico conjug. Ex quo textu id sumi potest. Addit præterea Victor., relect. 2 de Potest. Eccles., quæst. 2, num. 4, etiam virum religiosum, si non sit clericus, non esse capacem jurisdictionis spiritualis, dicitque esse communem sententiam Doctorum, et sequitur Ledesm. in 4, 2 part., quæst. 20, art. 4, circa medium, mihique verum videtur, et consentaneum sacris canonibus, licet Gloss. in capit. Mulier, 23 dist., contrarium indicare videatur.

12. *De absoluta potestate Pontificis potest hæc jurisdictio laico committi.* — Tandem addunt fere omnes dicti Doctores, et Navarr., dicto cap. 27, num. 6, hæc esse intelligenda secundum ordinariam legem Ecclesiæ, non vero de absoluta Summi Pontificis potestate; nam cum hoc statutum tantum sit de jure positivo, Pontifex in eo dispensare potest. Quod notavit Glossa, in cap. Præter, verb. *Duci*, 32 dist. Alii vero inferiores Episcopi id facere non possunt, quia est contra legem superioris; unde etiam si id facere tentent, irritum erit et inane, quia lex illa non solum prohibet, sed etiam laicum facit incapacem talis jurisdictionis. Ex quo fit, ut ex diuturna etiam consuetudine non possit hæc potestas acquiri seu præscribi a laico, ut notavit Abbas in cap. Cum tanto, num. 15, de Consuet., ubi nonnullis juribus et rationibus id confirmat, quia non potest consuetudo facere capacem spiritualium eum qui incapax est. Secus autem esse existimo, ut supra dicere cœperam, de homine non baptizato, etiam si contrarium Ugolinus sentiat, dicto cap. 2, § 9, quia non baptizatus, non tantum Ecclesiastico jure, sed divino et quasi naturali est incapax jurisdictionis spiritualis, unde nullum de hac re extat Ecclesiasticum statutum; nec decreta, quæ Ugolinus adducit, quidquam ad rem præsentem faciunt, sed ex perpetuo usu et traditione Ecclesiæ, quæ jus divinum declarat, id habetur. Atque hæ tantum conditiones videntur simpliciter necessariæ; nam aliæ, quæ poni solent, magis sunt necessariæ ad actionem, seu usum, quam ad potestatem, ut sectione sequente declarabimus; unde etiam constat, has conditiones communes esse habentibus hanc jurisdictionem ordinariam; nam omnia, quæ adduximus ad probandam dictam necessitatem, non procedunt specialiter de jurisdictione delegata, sed absolute de jurisdictione; et ideo a fortiori procedunt de habente ordinariam jurisdictionem. Unde non mihi probatur, quod Soto supra indicat, laicum electum in Episcopum habere jurisdictionem ad ferendas censuras, antequam ordinetur. Nisi forte nomine laici comprehendat eum, qui solam primam tonsuram habet.

13. *Potestas hæc concedi potest congregationi, cujus singulæ personæ prædictas habeant conditiones.* — *Quid si collegium constet laicis et clericis.* — Secundo principaliter dicendum est, jurisdictionem hanc non solum singulari homini, sed etiam hominum congregationi delegari posse. Quamvis enim auctores

nihil de hoc expresse loquantur et frequenter non sit in usu, quia non tam commode hæc mandata committuntur communitatibus, sicut determinatis personis, tamen a fortiori convinci potest communitatem ex se capacem esse jurisdictionis, etiam hoc modo. Quia ex hac parte non est cur amplius requiratur ad jurisdictionem delegatam, quam ad ordinariam. Imo addendum est, posse hanc jurisdictionem interdum delegari multis personis, quæ alioqui non constituebant unum collegium, sed per ipsam delegationem consurgit unum tribunal cui jurisdictio illa delegatur. Quomodo tribunal, seu consilium Sanctæ Inquisitionis dici potest, habere jurisdictionem delegatam a Papa, quamvis singulari, et permanentiori modo, quam alii judices delegati; de quo alias. Atque hinc ulterius sequitur ad hanc congregationem, seu collectionem hominum, ut ei possit concedi talis potestas, accommodandas esse conditiones superius positas. Nam talis congregatio constare debet ex hominibus ratione utentibus, qui viri sint baptizati, et in aliquo gradu clericorum constituti, quia alias collegium Ecclesiasticum non constituerent; et ideo non magis esset capax Ecclesiasticæ jurisdictionis, quam quilibet homo laicus. Quid autem dicendum sit, si collegium constaret ex laicis et clericis, regula jurisperitorum est, tunc collegium censeri Ecclesiasticum, quando plures sunt clerici, vel etiam si sint æquales, quia pars dignior trahit ad se minus dignam, ut tradit Abbas in cap. Ex litteris, de Constitut., n. 3, ubi tam ab ipso, quam in additione alia referuntur. Videri etiam potest idem Abbas, in cap. Cum super, de Offic. deleg., num. 11, ubi ait generaliter, actiones Capituli, seu collegii, in quo sunt aliquæ personæ inhabiles, tenere ratione habilium, quia tunc revera illæ sunt, quæ constituunt collegium; quod intellige per se, et ex ratione generali; nam in casu speciali potest aliud accidere, ut infra sect. dicam.

14. *In delegante debet esse potestas delegandi non impedita.* — Tertio dico, præter capacitatem ex parte recipientis esse necessarium in concedente potestatem delegandi vel subdelegandi, quod est manifestum. Quia nihil fit ab eo, qui non habet potestatem faciendi, et similiter nemo dat, qui non habet dandi potestatem. Itaque non sufficit habere jurisdictionem, sed necesse est ita habere, ut alteri eam communicare quis possit. Imo necesse est etiam habere eam potestatem non ita impeditam, quin suum actum exercere valeat, ita saltem ut factum teneat. Et hac ratione, si is, qui hanc jurisdictionem delegat, excommunicatus aut supensus sit, alter nullam inde accipiet jurisdictionem, quia per censuram erat principalis potestas in altero ita ligata, ut effectum suum consequi non posset. Quibus autem modis illa potestas impediri possit, explicabimus sectione sequente in ipsamet potestate ferendi censuram; nam eadem est utriusque ratio.

15. *Cessante jurisdictione in delegante cessat etiam in delegato, causa integra existente.* — Et quoniam is, qui potestatem hanc habet tantum delegatam, eam habet quodammodo dependentem in conservari a delegante, quamdiu per illam operari non cœpit, ideo necesse est, ut principalis jurisdictio duret in concedente seu delegante; nam, si nondum causa inchoata ille moriatur, aut jurisdictionem amittat, in altero etiam jurisdictio cessabit, ut constat ex cap. Licet, et cap. Gratum, et cap. Relatum, et cap. ult. de Offic. deleg. Quod est generaliter verum in hac jurisdictione fori contentiosi; nam in foro pœnitentiæ aliud fortasse est, ut supra notavi. Intelligo autem, necessarium esse, ut hæc jurisdictio firmiter (ut ita dicam) adhæreat, et independenter a potestate concedentis, negotium esse inchoatum in eadem causa, vel in aliqua earum, quæ inter se connexionem habent. Nam, si hæc potestas generaliter concedatur ad plures causas inter se non connexas, et in una earum inchoatus sit usus ejus, et non in aliis, respectu illius prioris tantum firmatur jurisdictio, ita ut, mortuo concedente, in illa possit censuras ferre delegatus, et non in aliis, ut latius tractant Jurisperiti, præsertim Felinus, in cap. Pastoralis, § Quorum, de Rescript.

16. *Quisnam delegare possit.* — Excipiuntur autem ex singulari favore fidei Inquisitores, ut patet ex cap. Ne aliquid, de Hæret., in 6, quamvis eorum jurisdictio delegata vocetur in cap. Per hoc, eodem titulo, ac sæpe alias. Illa autem singularis exceptio confirmat regulam in contrarium in cæteris causis. Tandem quis habeat potestatem concedendi hanc delegatam jurisdictionem, jam in superioribus tactum est; is enim, qui ut judex ordinarius illam habet, per se loquendo, illam delegare potest; nam hoc ipsum munus delegandi est quidam usus et actus jurisdictionis ordinariæ, ut tradunt Juristæ in l. More, Dig. de Jurisdict. omn. judic., et Abbas in cap. Cum Ber-

toldus, num. 5, de Sentent. et re judicata. Qui vero judex ordinarius non est, talem jurisdictionem concedere non potest, nisi ex singulari aliqua ratione talis potestas ei concedatur, ut de delegato Papæ idem auctores notant ex cap. Pastoralis, de Offic. deleg.

17. *Tam dantis quam recipientis voluntas requiritur ad potestatem hanc.* — Ultimo requirebamus voluntatem utriusque, scilicet dantis et recipientis hanc jurisdictionem; quod etiam est per se satis clarum, et ab omnibus assertum, quia hic est veluti quidam contractus humanus, qui sine mutuo consensu non perficitur; et ideo aiunt Juristæ, mandatum in initio esse voluntarium, postea vero quam acceptatum est, esse necessarium, non quia revocari aut dimitti non possit, sed quia sine justa causa, aut sine consensu alterius id fieri non poterit; sed de hoc alias.

SECTIO IV.

Quæ conditiones necessariæ sint, ut, qui potestatem habet ferendi censuram, valide illam ferat.

1. Sicut philosophi naturales dicunt, ut causa efficiens suum producat effectum, præter virtutem agendi, requirere conditiones aliquas, sine quibus non efficit, ita intelligendum est, proportione servata, in hac causa efficiente morali; et ideo postquam dictum est de potestate efficiendi censuras, consequens est, ut explicemus conditiones, quas hujusmodi causa ad illas efficiendas requirit. Quæ conditiones duplices distingui possunt: quædam necessariæ ad valorem actus, seu, ut revera censura inferatur ac teneat; aliæ requisitæ solum, ut actio juste ac recte fiat. Has posteriores explicabimus sectione sequente, nunc de prioribus dicendum est.

2. *Excommunicatus aut suspensus non potest censuram ferre.* — Prima igitur conditio necessaria est, ut potestas hæc non sit ad agendum impedita ab eo, qui ejus usum efficaciter impedire potest; nam hæc conditio in omni causa agente necessaria est. Hic autem multiplex impedimentum morale intervenire potest. Unum est si ipsemet, qui censuram laturus est, affectus sit censura excommunicationis majoris aut suspensionis; nam hæ censuræ impediunt usum omnis spiritualis jurisdictionis, ut latius infra dicemus agentes in particulari de effectu harum censurarum. Oportet autem hujusmodi impedimentum notorium esse, aut publice denunciatum; nam, si censura sit occulta Ecclesiæ, etiamsi sit nota ei, qui illa affectus est, peccabit quidem ipse, utendo in eo statu sua jurisdictione, ut infra dicemus, non tamen erit invalidus actus. Quia, propter bonum Ecclesiæ regimen, ipsamet Ecclesia non vult tunc omnino impedire talem usum, actum irritando; quæ omnia latius sunt inferius tractanda.

3. *Impedimentum occultum non tollit hanc potestatem.* — Quin potius addendum hic est, etiamsi contingeret aliquem in re ipsa falso titulo profiteri hujusmodi jurisdictionem, si hoc impedimentum sit occultum, et in foro, seu publica existimatione Ecclesiæ auctoritate superioris introductus sit in illud munus, et existimetur revera habere talem jurisdictionem, illud impedimentum non invalidare actum, quia ipsamet Ecclesia supplet defectum illum, eo quod ita expedit ad bonum regimen. Quæ est communis doctrina in cap. Nihil, de Elect., et in l. Barbarius, ff. de officio Præt., ex quibus juribus colligitur, et ex cap. Ad probandum, de Sent. et re judic., in illo verbo, *publice innodatus;* eamque supra tetigimus agentes de jurisdictione in foro interiori; est enim communis ad omnia judicia; et ideo satis fuerit illam attigisse. Hinc vero colligi videtur limitandam esse doctrinam datam in superiori sectione, nam in eo casu fit actio valida, sine vera potestate agendi, cum sola existimatione. Sed dicendum est, quamvis tunc actio fiat sine illa potestate simpliciter, quam quis existimatur habere, non tamen sine aliqua potestate quam pro tunc et ad illum actum Pontifex concedit, ne publica judicia Ecclesiæ dubia maneant et incerta; nam actionem esse sine aliqua potestate agendi fieri non potest.

4. *Secundum impedimentum.* — Aliud impedimentum simile præcedenti erit, si quis habeat hanc jurisdictionem ita dependentem ab alio, ut cessante in superiori, cesset in alio ei subordinato; si ipse superior publice excommunicatus sit vel suspensus; tunc enim sicut ipse per se non potest censuras ferre, ita neque per alium. Ac propterea si delegans excommunicatus sit, impeditur usus jurisdictionis etiam in delegato; et si sit excommunicatus Episcopus, impeditur usus jurisdictionis in ejus vicario, ut constat ex cap. primo de Officio vicarii, in sexto, ubi Glossa et Doctores id notant; idemque erit in aliis similibus impedimentis; ut, si judex Ecclesiasticus recusetur; nam per recusationem impeditur, ne excommunicare possit recusantem, donec recusatio legitime examinetur. Item per legi-

timam appellationem interpositam, antequam censuram ferat, ex cap. Quoties 2, quæst. 6, ubi Glossa, et in cap. Cum contingat, de Officio delegati, ubi Abbas. Item si superior prohibeat actum inferioris potestatis, etiam irritando ipsum actum, quod interdum facere potest absque censura, et aliis similibus, de quibus videri potest Ugolinus, dicto cap. 2, § 22 et 23; posset autem aliquis non improbabiliter dicere, in his casibus non solum impediri, sed etiam auferri jurisdictionem ad talem actum, quia hæc potestas tantum est moralis, quæ per voluntatem, seu concessionem aut denegationem superioris, datur et aufertur. Sed hoc ad modum loquendi spectat.

5. *Nemo hanc potestatem in se ipsum exercere potest.* — Secunda conditio est, ut, qui hanc potestatem habet, non in se ipsum, sed in alium eam exerceat seu censuram ferat; sicut philosophi dicunt, naturale agens non agere in se ipsum, ita de hoc morali agente existimandum est. Quæ est communis sententia Doctorum, cum Glossa in cap. Quoties 1, quæst. 7. Ratio vero est, quia hæc potestas non operatur nisi in subditum, ut infra dicetur; idem autem non est sibi ipsi subditus, proprie loquendo. Unde, si Episcopus ferat legem sub pœna excommunicationis, quamvis alia ratione teneri possit ad servandam illam legem, si sit de re ad omnes æque pertinente, tamen quoad censuram impositam, non potest seipsum ligare, quia non est sibi superior aut judex. Quod bene docuit Abbas in cap. 1 de Raptoribus, num. 12, et in cap. Universalis, de Sentent. excomm., num. 13; Sylvest., et alii Summistæ, verb. *Excommunicatio.* Verumtamen advertere oportet, quamvis nemo in censuram a se latam incidere possit, occasione tamen censuræ a se latæ, posse in aliam censuram incurrere, quia jam non ipse in se fert censuram, sed ab alio, scilicet a jure latam incurrit. Ut si Episcopus communicet cum excommunicato ab ipso, contrahet excommunicationem minorem, quam non ipse, sed jus tulit. Sicut etiam, si rem sacram faciat in Ecclesia a se interdicta, irregularis fit, quod bene notavit Ugolin., dicto cap. 2, § 8, plures Doctores referens.

6. Quoniam vero superius diximus, hanc potestatem excommunicandi esse posse in hominum congregatione, addendum hic est, positam conditionem non obstare, quominus tale collegium possit censuram ferre in aliquem ejusdem collegii, sed solum quod non possit in totum ipsum collegium; respectu enim totius procedit ratio facta, quod collegium non potest esse sibi ipsi subjectum tanquam superiori habenti jurisdictionem in se; nam hæc omnia dicunt respectum ad alium. At vero respectu singularum personarum collegii non procedit hæc ratio, quia totum potest respicere partem, ut sibi subjectam; est enim inter ea sufficiens distinctio ad hunc respectum. Unde Concilium vel Capitulum ferre potest præcepta, quæ singulos ex congregatione obligent; eadem ergo ratione potest in singulos censuras ferre. Quod etiam consuetudo totius Ecclesiæ satis confirmat; et sumi etiam potest ex cap. Irrefragabili, de Officio Ordinarii, ubi Doctores idem advertunt.

7. *Judex non potest in propria causa censuram ferre.* — Tertia conditio est, ut non solum, qui hanc potestatem habet, non utatur illa in propria persona, sed etiam neque in propria causa, ut expresse Gregorius tradit in cap. Inter querelas, 23, quæst. 4. Ubi Glossa optimam rationem affert, quia nemo permittitur esse judex in propria causa, ut docet Fabianus Papa, c. 1, 4, quæst. 4. Et fundatur in eodem principio supra posito, quia nemo potest judicare nisi sibi subjectum, ut recte ostendit D. Thom., 2. 2, quæst. 67, art. 1; nemo autem est sibi ipsi subjectus, et ideo in propria causa non potest ferre judicium commune utrique parti, inter quas causa agitur. Accedit, quod etiam est contra jus naturæ ut aliquis sit simul actor et judex; esset enim magna inæqualitas, et alteri parti injuria fieret.

8. *Nisi per modum defensionis.* — *Objectioni occurritur.* — Ex hac vero ratione intelligimus, hanc conditionem tunc esse necessariam, quando censura imponitur per modum judicii, secus vero esse, si Episcopus vel alia Ecclesiastica persona solum per modum defensionis censuram ferat in eum, qui ipsi violentiam infert. Id enim, et validum, et licitum esse tradit Innocent. IV, in cap. Dilecto, de Sentent. excom., in 6, ex illo principio naturali, quod vim vi repellere licet, ad quam defensionem potest uti armis sibi propriis, qualis est potestas Ecclesiastica in Ecclesiæ principe. Quapropter ille tunc non gerit personam judicis, sed defendentis se vel Ecclesiam. Dices : non videtur posse separari illa ratio judicis ab usu hujus potestatis; nam dictum est hanc esse potestatem jurisdictionis, ipsam vero censuram esse quandam pœnam. Unde fit, hanc jurisdictionem esse ad vindicanda, seu punienda delicta;

nullus autem hoc recte facit circa alium, nisi exercendo in illum judicium. Respondetur primo, licet pœna sit ad ulciscendam culpam, non tamen semper primario ac per se infligi propter hunc finem; sed interdum ad præcavenda majora mala, vel impediendum aliquod nocumentum, quod aliquis jure potest impedire; et hoc postremo modo imponi censuram, quando id fit in defensionem; et ideo non oportere tunc exercere judicium formaliter ac proprie. Concedo tamen in eo actu ita se gerere latorem censuræ tanquam sui defensorem, ut etiam se gerat tanquam superior et pastor, non tam judicando, quam imperando sub tali censura. In quo præcepto virtuale includitur judicium, quo transgressor talis præcepti censetur dignus tali pœna, quæ illi imponitur. Quod judicium non repugnat fieri in propria causa, eo quod sit per modum defensionis. Addunt etiam jurisperiti, non solum per modum defensionis, sed etiam proprium judicium exercendo id fieri posse, quando causa est tam publica et manifesta, ut nec negari possit, neque ulla examinatione indigeat, ut notat Abbas, in cap. Cum venissent, n. 10, de Judiciis; ubi plura de hac re tradit, n. 6, 10 et 11, et in cap. 1 de Officio delegat., n. 6.

9. *Censura per liberam voluntatem debet inferri.* — Quarto est maxime necessarium, ut is qui potestatem hanc habet, libera voluntate illa utatur, volens, et intendens inferre censuram. Ratio est, quia hæc est potestas moralis, cujus actus et usus etiam debet esse moralis, et humanus; non est autem usus moralis sine usu liberæ voluntatis. Unde in primis necessarius est actualis usus rationis, sine quo non potest esse liber usus voluntatis; et ideo licet prædicta potestas manere possit, ut supra dicebam, in furioso, sicut in dormiente (manere, inquam, habitualiter, et quasi in actu primo), non tamen potest pro eo tempore exire in actum, seu ferre censuram; transacto autem illo tempore, si homo ad sanam mentem redeat, uti poterit sua potestate. Quæ omnia et communia sunt inter Doctores, et per se nota videntur.

10. *Ut censura inferatur, debet haberi intentio illam ferendi.* — Deinde necesse est, ut accedat voluntas, et intentio ferendi censuram; nam voluntas et intentio operandi est quæ dat efficaciam et valorem negotiis, et actionibus humanis, cap. Cum voluntate, de Sententia excommunicationis. Propter quod etiam in sacramentis conficiendis, quæ multo magis supernaturalia sunt, voluntas et intentio ministri requiritur. Quapropter, quoties Prælatus sub censura aliqua præcipit, non ea intentione, ut a transgressoribus præcepti contrahatur, sed solum ad inferendum metum, seu exaggerandam rem, quæ præcipitur, tunc revera non incurritur censura; et hæc solet comminatoria appellari. In qua tamen observandum est, quando verba superioris per se ferunt satis expresse impositionem censuræ, semper esse timendam, nisi vel ex materia ipsa, vel ex aliis sufficientibus conjecturis prudenter judicetur, superioris voluntatem non esse ferre censuram, sed tantum comminari, quia his seclusis circumstantiis, non potest magis de voluntate superioris constare, quam de verbis ejus expresssis. Quamobrem admonendos existimo Ecclesiæ Prælatos, ne iis comminatoriis censuris utantur, tum quia eo ipso quod ex vera intentione non procedunt, fictionem quamdam continere videntur; tum etiam quia fieri facile potest, ut ea occasione nonnulli simpliciores ex conscientia erronea graviter peccent, alii vero, qui perspicaciores sibi videntur, interdum veras censuras contemnant.

11. Atque ex his fit ulterius, hanc voluntatem ferendi censuras debere esse liberam. Quod si intelligatur de libertate e necessitate absoluta, satis constat ex dictis, quia hæc saltem libertas ad humanam actionem necessaria est. Imo naturaliter loquendo non potest esse talis voluntas, quæ ex usu rationis procedat, quæ non sit hoc modo libera; solusque Deus potest hujusmodi voluntati necessitatem inferre, quod miraculum nihil ad præsentem rem moralem pertinet; nam si Deus id faceret, potius ipse dicendus esset ferre talem censuram quam homo qui ad id volendum ex necessitate a Deo moveretur. Quin potius addo, non solum necessarium esse talem voluntatem esse hoc modo liberam, sed etiam sufficienter, et humano modo deliberatam, ea saltem deliberatione et libertate, quæ ad peccandum mortaliter sufficeret, quia alias non est actio simpliciter humana, et rationalis, qualis in re tam gravi merito requiritur. Et ideo, si repentino motu et absque ulla deliberatione censura feratur, non est quod valida existimetur.

SECTIO V.

An censura per metum illata valida sit.

1. Libertas interdum opponitur necessitati simpliciter, seu determinationi ad unum, de qua jam dictum est; aliquando vero coactioni quæ gravem metum inferat, et de hac est controversia, an tanta libertas, quæ hanc vim, seu coactionem excludat, ad valorem censuræ requiratur; quæ sub generali quæstione comprehenditur, an facta per metum valorem habeant; quæ in universali tractari solet, 1. 2, quæst. 6, in particulari vero in variis locis, præsertim de voto et de matrimonio, ubi a nobis etiam, Deo dante, tractabitur.

2. *Prima opinio.* — In præsenti ergo quidam existimant tantam libertatem non esse necessariam, sed censuram latam ex metu, etiam cadente in constantem virum, validam esse. Ita asseruit Glossa, in c. unico de Iis quæ vi metusve causa fiunt, in 6, verb. *Vacuamus,* et Gloss. in cap. Injustum, verb. *Non valet,* et Gloss. cap. Quatuor. verb. *Timore,* 10, quæst. 3; Abbas, in cap. 2 de Iis quæ vi, num. 11, cum aliis, quos refert Ugolin., dict. c. 2, § 4. Non affert autem aliud eorum fundamentum, nisi hoc generale, quod voluntas coacta, voluntas est. Et ideo facta per metum, valida sunt nisi jure impediantur. Ut egregie probatur in l. Si mulier, § Si metu, 2, ff. de Eo quod metus causa. Hoc autem non est jure impeditum, quia licet in illo cap. unico stabilitum sit, ut absolutio a censura metu extorta nullius valoris sit, tamen id non decernitur de ipsa censura ex simili metu lata. Neque argumentum a simili, in iis quæ a jure positivo pendent, est efficax; præsertim, quia sunt multa, quæ Pontificem movere potuerunt ad irritandam absolutionem metu extortam, et non censuram; maxime quod, moraliter loquendo, nunquam censura extorquetur per vim; absolutio autem sæpe.

3. *Secunda opinio.* — Nihilominus alii contrariam defendunt sententiam; et fundantur in dicto cap. unico. Putant enim potestatem ligandi semper conjunctam esse cum potestate absolvendi, cap. Verbum, de Pœnit., dist. 1, ubi dicitur : *Dominus par jus, et solvendi, et ligandi esse voluit, nam utrumque pari conditione commisit; ergo, qui solvendi jus non habet, nec ligandi habet.* Unde colligunt hos actus censeri in jure æquales; et ideo, quod de uno statutum est, ad alterum jure extendi. Imo a fortiori sumitur argumentum; nam jura in favoribus amplianda sunt, et in rebus odiosis restringenda. Si ergo absolutio, quæ favorabilis est, jure irrita censetur ratione metus, et violentiæ, multo magis idem censendum erit de ipsa censura, quæ odiosa est. Verumtamen, neque hoc argumentum est admodum urgens, si in solo jure positivo sistamus.

4. *Censura aut absolutio metu extortæ non sunt irritæ jure naturæ.* — Et ideo tam de absolutione quam de censura, prius videre oportet quid sit dicendum, persistendo in solo jure naturæ. Et mihi quidem videtur, talem actum non esse irritum ipso jure naturæ. Ad quod ostendendum primum expendo in illo cap. unico verbum illud *Evacuamus,* quo Pontifex significat, se irritare factum illud, non vero illud ex se fuisse irritum. Deinde accedit illa ratio, quod voluntarium ex metu, est voluntarium simpliciter, teste Philosopho, 3 Ethicor., et D. Thom., 1. 2, q. 6. Et ideo, nisi ob aliquam singularem rationem, et causam, non sufficit ad irritandum omnem contractum vel negotium ex metu factum, ut constat de voto facto ex metu mortis, naturaliter, aut sine injuria illato. Hic autem non intervenit singularis aliqua ratio, ob quam talis metus natura sua irritet censuram, si alioqui censura ipsa non sit ita injusta, ut ea ratione nulla sit; tunc enim non erit irrita ob metum, sed ex alio capite. Sicut, si judex in alio negotio cogatur per gravem metum ad sententiam ferendam, si alioqui sententia ipsa justa sit, non propterea erit irrita; idem ergo erit in censura. In quo etiam potest specialis ratio considerari, nam censura non potest esse valida sine intentione ferentis, ut supra dictum est; per metum autem non potest aliquis cogi ad habendam intentionem, sed ad summum ad exterius proferendam censuram; ergo, si judex, non obstante metu, non habeat intentionem inferendi censuram, tunc quidem erit censura irrita, non ob metum, sed ob defectum intentionis; si vero habeat veram intentionem, illa non fuit proprie extorta per metum; ergo non potest metus obstare, quominus habeat effectum.

5. *Objectio. — Solvitur. — Quid si judex reflexe cogatur affirmare se habere intentionem ligandi.* — Dices : quamvis metus non possit directe extorquere actum interiorem, indirecte tamen, et ex consequenti cogit ad illum, quando actus exterior non potest honeste fieri sine interiori. Ita vero est in præ-

senti, quia homo studiosus nihil vult ficte operari; proferre autem exterius sententiam sine intentione, est fictio quædam. Sed contra, quia non omnis fictio est contra honestatem morum, sed illa tantum, quæ mendacium includit; potest autem exterius proferri sententia excommunicationis sine intentione ligandi, et absque mendacio, sicut fit in sententiis comminatoriis, quia judex non affirmat se velle ut alter ligatus maneat, sed per modum imperii id profert; non est autem necesse, ut qui imperat, velit ut imperium habeat effectum. Nam et Deus sæpe imperat quod non vult absolute fieri. Dices : quid si per metum cogatur judex affirmare, vel etiam jurare se habere intentionem ligandi per talem censuram? Respondeo, si tanta malitia, et reflexione id fiat, ut non possit nisi aut mentiri, aut habere intentionem, tunc potius debet habere intentionem, si justa esse possit, quam mentiri (nam si justa esse non possit, neutrum debet facere propter illum metum); tunc autem intentio illa vere dicetur extorta per metum, quia respectu hominis recta ratione utentis, perinde est non posse vitare actum sine culpa, ac simpliciter non posse vitare. Nihilominus tamen propter priorem rationem opinor talem actum non privari sua efficacia et effectu, propter solum metum. Sicut, si superior per metum cogatur aliquid præcipere cum vera voluntate obligandi satis manifestata, revera obligabit, neque est, cur illa voluntas inefficax reddatur; nam hoc potius esset in nocumentum ipsius superioris, maxime cum transacto metu possit superior revocare præceptum. Idem ergo erit in censura ferenda; est enim eadem seu proportionalis ratio.

6. *Censura metu illata non est jure positivo irrita.* — Quocirca cum jure positivo nihil expresse statutum sit de censura ex metu illata, probabilius censeo etiam ex hac parte talem censuram non esse irritam, sed habere facile remedium, si judex, qui illam tulit, eam velit revocare. Imo, si non detur locus consulendi ipsummet latorem censuræ, ut illam revocet, vel declaret non fuisse suæ intentionis per talem censuram ligare, probabile est, præsumi posse rationabiliter, talem judicem non habuisse intentionem ligandi, sed solum exterius sententiam protulisse, nisi alioqui expressis verbis ejus, quæ non possint alium sensum continere absque mendacio, constet, illum habuisse talem intentionem, quamvis semper securius sit absolutionem a tali censura procurare, aut ab ipsomet judice intentionem ejus agnoscere. Quod si consultus ipse dicat, se habuisse intentionem ligandi, et in ea velit persistere, ita ut licet prius illam ex metu tulerit, postea eam auferre nolit, sine dubio censeo illam et valuisse, et validam permanere, donec ab eodem vel ab alio superiori potestatem habente tollatur. Neque ex dict. c. unico, de Iis quæ vi, in 6, sufficiens argumentum sumitur ad ostendendum, jure positivo talem censuram esse irritam, ut ratione superius facta in prima sententia recte declaratur.

7. Quin potius Abbas, in c. 2 de Iis quæ vi, n. 17, inde colligit argumentum in contrarium, quia cum specialiter Papa id providerit circa absolutionem, argumentum est, in reliquis nullam esse factam mutationem. Et ex superius dictis est optima ratio differentiæ, nam, quod absolutio metu extorta sit irrita, est favor Ecclesiasticæ potestatis, et fuit moraliter necessarium, ut pastores Ecclesiæ ab his vexationibus essent immunes. At vero quod censura metu illata sit irrita, non est favor potestatis Ecclasiasticæ, sed ejus in quem fertur talis censura, nam Ecclesiæ nihil interest, quod talis censura irrita sit, sed melius est, ut ejus potestas suum habeat effectum, cum integra maneat ad revocandum illum, si oportuerit. Neque etiam fuit id moraliter necessarium, quia hujusmodi vexationes, vel nullæ, vel rarissimæ sunt. Accedit etiam, quod ad extorquendam absolutionem sæpe potest vis inferri ab eo homine, qui absolvendus est, ad ferendam autem censuram minime. Metus autem, quando per injuriam infertur ab eodem, circa quem exercetur actus, merito potest, aut debet irritare talem actum, non solum in jure positivo, sed etiam interdum in naturali. De qua re latius in locis supra citatis. Itaque in præsenti, si consensus sit voluntarius, et liber, quantum sufficit ad actum simpliciter humanum et moralem, satis erit etiam si metus interveniat. Quod ex eo tandem confirmari potest, quod si metus sit justus, ut si Rex compellat Episcopum ad ferendam sententiam contra aliquem, justam et necessariam reipublicæ, compellat autem gravibus comminationibus justis et intra latitudinem suæ potestatis, tunc sine dubio sententia illa valida est, et sæpe ad commune bonum Ecclesiæ expediens; ergo idem erit, etiam si metus sit injuste illatus; nam involuntarium secundum quid æquale intervenit in utroque casu; injuria vero, quæ ad-

miscetur, parum refert ad irritandam censuram.

8. Semper tamen supponimus, talem voluntatem esse justam, id est, habentem justam, et sufficientem causam ad inferendam censuram. Nam ex defectu talis causæ potest et voluntas reddi impotens, et censura nulla. Quæ autem sit hæc causa, et quando ex defectu ejus censura nulla sit, explicabimus melius infra, disputatione quarta. Denique voluntas hæc etiam esse debet efficax seu operativa ad extra; nam censura non potest induci per solum interiorem actum voluntatis potestatem habentis, sed necesse est, ut in aliquem actum exteriorem prodeat, quo suum exequatur effectum, nam hæc efficientia moralis est inter homines, qui de interioribus non judicant. Quis autem sit hic actus externus, et quomodo fieri debeat ut effectum consequatur, in sequente disputatione dicemus.

SECTIO VI.

Quid necessarium sit in inferente censuram, ut recte et convenienter illam inferat.

1. *Quid necessarium sit ut censura recte moraliter feratur.* — *Non debet ferri ex pravo affectu.* — *Non est tamen defectus substantialis.* — Quæstio hæc intelligi potest, vel absolute de rectitudine morali, vel specialiter de rectitudine justitiæ. Si priori sensu intelligatur, satis est respondere, servanda esse generalia principia morum, et ad præsentem actionem applicanda, nimirum, necessarium esse, ut talis actio habeat objectum justum, et bonum, ut statim in secundo sensu declarabimus, nam tale objectum ad materiam justitiæ pertinet, et quod nulla prava extrinseca circumstantia violetur. Hoc enim ad absolutam rectitudinem moralem in quolibet actu humano necesarium est. Primum ergo oportet, ut judex non ferat talem sententiam ex pravo affectu odii, aut vindictæ, vel alterius similis affectus; hujusmodi enim intentio vitiat actum moralem, ut per se notum est, et præsertim actum judicandi, ut eleganter docet Ambrosius, in cap. Judicet, 3, quæst. 7; et Gregorius, in cap. Judicare, 11, quæst. 3, ubi multa alia de hac materia referuntur, et optime in c. 1 de Sent. et re judicata, in 6. Tamen, quia hujusmodi intentio per se non pertinet ad materiam justitiæ, ideo, si aliunde actio iniqua non sit, non propterea erit invalida ad censuram inferendam. Hæc ergo conditio ad bonos mores requisita est, non ad valorem censuræ, per se loquendo. Quod ideo addo, quia interdum talis intentio potest ita præcipitem agere judicem in censura ferenda, ut substantialem defectum committat; tunc vero censura erit nulla ex alio defectu, non ex sola intentione.

2. *Non debet ferri a judice prohibito.* — Rursus necessarium est, ut judex alioqui prohibitus non sit, vel eo tempore, vel loco, vel simpliciter, ne censuram ferat, ita tamen, ut prohibitio neque potestatem auferat, neque usum ejus omnino irritet, sed prohibeat tantum; hoc enim sæpe accidere potest. Ut, v. gr., si prohibitum sit die festo censuram ferre, aut in tali loco. Sic etiam, qui censuris excommunicationis, vel suspensionis est affectus in re ipsa, denunciatus autem non est, prohibitus est ferre censuram; tamen si illam ferat, non propterea invalida erit, ut tractando de excommunicatione, et de suspensione dicemus. Denique, interdum potest superior prohibere inferiorem, ne confessiones audiat, non auferendo jurisdictionem, sed solum vetando usum; et tunc licet inferior peccet, transgrediendo tale præceptum, actio vero ipsa, seu absolutio valida est; ita ergo in hac potestate jurisdictionis accidere potest. His ergo modis potest esse iniqua actio ferendi censuram contra charitatem, vel obedientiam, aut aliam virtutem, etiamsi non sit contra justitiam, quamvis interdum soleat talis censura vocari injusta, quatenus opponitur justitiæ universali, quæ omnem virtutem includit; talis autem injustitia non obstat, quominus censura sit valida, quia illa rectitudo, quam aufert, est accidentalis, et extrinseca ad rationem censuræ.

Quid necessarium sit in ferente censuram, ut illa ex justitia feratur.

3. *Justitia legalis ad censuram necessaria.* — Circa alium sensum, qui est magis proprius, oportet advertere triplicem esse justitiam, ad quam spectare potest hæc actio ferendi censuram. Prima est justitia legalis, quam maxime servare tenetur judex in sententiis ferendis, et superior in condendis legibus; nam est persona publica, quæ maxime curare debet commune bonum. Et ad hoc pertinet, ut in censura ferenda judex servet ordinem a jure præscriptum; hoc ergo etiam requisitum est, ut censura recte feratur, ut per se manifestum est, et aperte traditur in c. 1, et c. Sacro, de Sentent. excom., in 6.

An vero hoc requisitum pertineat tantum ad rectitudinem, et honestatem actionis, vel etiam ad valorem censuræ, constabit melius ex dicendis disputatione sequenti. Nam interdum tale requisitum solet esse substantiale, ideoque ad valorem actus necessarium; interdum vero accidentale tantum, et tunc pertinebit solum ad honestum, ac debitum operandi modum. Quando autem sit substantiale, vel accidentale requisitum, dicemus prædicta disputatione.

4. *Justitia distributiva et commutativa requiruntur ad censuram.* — Rursus potest hæc actio pertinere ad justitiam distributivam; nam ex sententia D. Thomæ, 2. 2, quæst. 63, art. 4, in judicio, vel sententia ferenda, servanda est distributiva justitia; ferre autem censuram actus quidam judicii est, vel formaliter vel virtute. Hæc vero justitia distributiva talis est, ut habeat adjunctam commutativam; nam, licet hic interveniat forma justitiæ distributivæ, quatenus in censura ferenda non debet respici persona, sed causa, nec debet excludi a participatione communium bonorum, nisi qui indignus est illis, tamen ad ipsum tenetur judex ex commutativa justitia, ad quam spectat, ut nemo ultra condignum puniatur. Et ideo hæc actio etiam habere debet rectitudinem justitiæ commutativæ; imo hæc est veluti substantialis rectitudo talis actus; aliæ vero secundum quasdam communes rationes, seu convenientias, aut participationes aliarum virtutum, illi conveniunt. Requirit ergo hæc actio æqualitatem quamdam rei ad rem (quantum in hac materia inveniri potest), ut justa sit. Hæc autem æqualitas potissime æstimanda est ex causa ferendi censuram; et ideo illa maxime consideranda est et observanda; et e converso illa censura maxime proprie injustitiam continet, quæ sine legitima aut condigna causa fertur. Quæ autem sit hæc causa, et quando ex illius defectu censura sit nulla, dicemus ex professo in disput. 4; quare de his conditionibus hæc sufficiant.

DISPUTATIO III.

DE VARIIS MODIS FERENDI CENSURAS, ET DE DISTINCTIONE CENSURÆ A JURE, VEL AB HOMINE.

In hac disputatione, explicanda a nobis est forma ferendi censuram, quæ non tam est forma ipsius censuræ, quam illius actionis, per quam censura fertur; et ideo ad perfecte cognoscendam efficientem causam censuræ, modum etiam causandi cognoscere necesse est. Modus autem hic in duo principalia membra dividi solet, scilicet, per legem, aut per hominem; quamobrem ab hac divisione incipiendum nobis est, et deinde in singulis membris, quid in eis observandum sit, exponendum.

SECTIO I.

Utrum recte dividatur censura in eam, quæ a jure, et quæ ab homine fertur.

1. *Ratio dubitandi pro utraque parte.* — Ratio dubitandi est, quia nulla censura fertur, nisi per humanam potestatem, ut supra diximus; potestas autem humana in homine est, quæ non operatur, nisi ipso homine per ipsam operante; ergo nulla est neque esse potest censura nisi ab homine, id est, per hominem illata. Rursus e converso nulla esse posse videtur, quæ non sit a jure; hoc enim jus, ut supra ostendimus, non est divinum, sed tantum humanum, quod non est nisi lex vel præscriptum hominis; nulla est autem censura, quæ feratur, nisi sit conjuncta, vel annexa alicui præcepto humano; nam censura, ut infra dicemus, non infertur propter peccatum præteritum, ut præteritum est, sed ut aliquo modo respicit futurum, videlicet, medio aliquo præcepto, quod de peccato vitando aut reparando imponitur; ergo omnis censura medio aliquo jure imponitur.

2. *Quid per has voces, censura ab homine, et a jure, significetur.* — Hæc dubitatio solvetur facile explicando significationes harum vocum. Præcipua vero difficultas est in declarando altero membro divisionis, scilicet, quando et quomodo esse possit censura a jure. Itaque dubium non est, quin omnis censura proxime fundetur in alicujus hominis voluntate ac potestate; quo sensu omnis censura potest dici lata ab homine, ut proposita dubitandi ratio concludit. At vero duobus modis potest homo ferre censuram. Uno modo ferendo legem stabilem ac permanentem, obligantem sub hac pœna, quam ipso facto incurrant ejus transgressores. Alio modo potest homo ferre censuram proferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione vel negotio, in quo non stabilitur jus, aut statutum permanens, sed transitorium mandatum. Quando ergo censura fertur primo modo, dicitur esse a jure, quia licet jus ab

homine processerit, jam vero talis censura in ipso jure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet veluti commune nomen, et quasi per antonomasiam vel accommodationem vocatur censura ab homine. Atque hoc sensu divisio illa communis est omnium Theologorum, et Canonistarum; qui frequentius illam tradunt de excommunicatione; est autem eadem ratio de suspensione, ut notavit Abbas, in c. ult. de Cler. excom. ministr., num. 4; Cajet., Sylvest., et alii Summist., verb. Suspensio; et idem etiam est de interdicto, ut notavit Calderinus, in tract. de Interdict., 1 part. ejus, quamvis hæc censura rarius videatur ipso jure ferri, ut suo loco dicemus. Est itaque hoc sensu clara divisio et sufficiens; nam omnis censura, quæ non fertur media aliqua constitutione, quæ propriam rationem juris habeat, vocatur *ab homine*, per hominem intelligendo vel singularem personam, vel collegium hominum, ut supra notavimus.

3. *Quis censuram a jure ferre possit.* — Quocirca omnia, quæ de causa efficiente censuræ disputatione præcedente diximus, in utramque censuram conveniunt, in eam quidem, quæ est ab homine, propriissime et immediate; in eam vero, quæ est a jure, quatenus ipsum jus ab homine procedit. Ideoque circa illam solum addere oportet, illum tantum hominem posse hoc modo censuram ferre, qui potest jus condere, aut legem statuere. Qui necessario habiturus est potestatem jurisdictionis, et omnes conditiones, quas supra diximus esse necessarias ad censuram ferendam; et præterea oportebit, ut superiorem quandam jurisdictionem habeat. Quam in Ecclesia habet Summus Pontifex supremam, universalem, et a solo Christo proxime pendentem. Sub illo vero, et dependenter ab ipso eam habent Concilia generalia; et Legatus Pontificis eam posset recipere universalem; ordinarie vero solum eam recipit pro aliquo regno vel provincia, ad quam mittitur. At vero solum ex parte, et circa subditos suos, et in suis diœcesibus et territoriis eam habent Episcopi, et alii, qui Episcopalem jurisdictionem participant; qui fere sunt omnes superius numerati disput. præced., sect. 2, quos etiam recenset Sylvest., verb. Excommunicatio 1, num. 5 et 6.

4. *Plus requiritur ad rectitudinem censuræ a jure, quam legis absque censura.* — Ex quo etiam fit, ut in hac censura ferenda concurrere debeant omnes conditiones, quæ ad justam legem ferendam necessariæ sunt; nam si lex non esset valida, vel justa, nec censura talis esse posset. Quin potius plus requiritur ad rectitudinem vel justitiam talis censuræ, quam ad rectitudinem ejusdem legis per se et nude sumptæ, absque censura. Fieri enim potest, ut lex simpliciter prohibens, vel præcipiens aliquid, justa sit et honesta; et tamen quod injustum sit ipsam sancire pœna censuræ, ipso facto incurrendæ; utpote si non sit adeo gravis illius legis materia, ut tanta pœna condigna sit. Lex enim pœnalis non solum debet servare æquitatem in re, quam præcipit, sed etiam in commensuranda pœna delicto. Quando vero ex hoc capite possit censura esse nulla, videbimus disputatione sequente.

5. *Censura a jure de se perpetua est sicut lex.* — Præterea, sicut de ratione legis est, ut de se perpetua sit, quamdiu non abrogatur a superiori vel ab æquali, scilicet successore, vel per contrariam consuetudinem, ita hæc censura, seu potius efficacia ad inferendam illam, perpetua est, quando aliquo ex dictis modis lex non revocatur, vel simpliciter, vel saltem quantum ad hoc, ut non habeat talem censuram adjunctam. Nihil enim vetat, quominus unum possit ab alio separari. Quamdiu autem alterum horum non fit, efficacitas ad inferendam censuram in ipsa lege manet; nam hoc ipsum est veluti pars ipsius legis; et ideo tam est firmum ac stabile, sicut ipsa lex. Denique ob eamdem causam in aliis proprietatibus seu conditionibus hæc censura imitatur jus ipsum seu legem, scilicet, ut feratur in subditos, ut non excedat potestatem ferentis, quæ tunc a nobis exponendæ non sunt, sed ex materia de legibus supponendæ.

Qua ratione censura a jure ferri possit.

6. *Ratio dubitandi.* — Merito autem interrogabit aliquis, qui fieri possit, ut censura per jus ipsum inferatur, cum censura sit quædam pœna, ut supra diximus, et lex per se ipsam non possit nec debeat inferre seu infligere pœnam, sed solum taxare illam, ut per judicem inferatur. Tum quia nemo obligari potest, ut in se ipso pœnam exequatur extra forum pœnitentiæ, sed solum ut sustineat a superiore seu judice inflictam. Si autem lex per sese pœnam infligeret, obligaret ipsum reum ad ejus executionem, quia non intervenit ibi alia persona, a qua possit executioni mandari. Tum etiam quia nemo potest juste puniri, nisi audiatur prius ejus accus-

tio et excusatio, ut non nisi juxta levitatem vel gravitatem delicti puniatur; hoc autem non potest facere nuda lex per se ipsam; ergo nec potest ipsa punire, sed solum designare pœnam, quam alter exequatur.

7. Hæc difficultas tractari solet in materia de legibus, in qua omnes pro certo habent, posse hanc pœnam, quæ est censura, ita imponi per legem, ut statim per transgressionem legis contrahatur, ante sententiam judicis, tam condemnatoriam, quam declaratoriam. Ipse enim usus Ecclesiæ sufficienter docet, et esse in Ecclesia hanc potestatem, et illum modum puniendi justum esse, quod præcipue tangitur in difficultate posita.

8. *Prima sententia.* — *Rejicitur.* — Putant autem aliqui hoc esse peculiare et proprium in censuris Ecclesiasticis; nam Ecclesia per censuram privat hominem bonis ipsius Ecclesiæ, quorum distributio, et communicatio ad ipsam Ecclesiam pertinet; et ideo per legem potest illos privare, quos voluerit, ex justa causa, qualis est transgressio talis legis. Ita fere Soto, lib. 1 de Justitia, quæst. 6, art. 3, qui, consequenter loquendo, sub censuris includit irregularitatem, quæ etiam ipso jure solet imponi, ut infra videbimus, et quoad illum modum privationis imitatur censuras. Tamen neque videtur verum, hoc esse ita peculiare in censuris, ut non possit etiam in aliis pœnis locum habere; neque etiam per illam rationem sufficienter declaratur. Quia per censuram non solum privatur homo bonis propriis Ecclesiæ, sed etiam aliquibus bonis communibus omnibus hominibus, ut est communicatio civilis, seu participatio humani convictus; privat etiam aliquando bonis propriis, seu appropriatis homini, quorum distributio jam non pertinet ad Ecclesiam, quia jam sunt facta propria talis personæ. Ut, v. gr., privat hominem libertate ad communicandum cum aliis, et quadam habilitate (ut ita dicam) ut alii cum ipso communicent, quæ tamen sunt bona quædam humana, quorum homo est dominus. Deinde privat interdum beneficio Ecclesiastico, et jurisdictione, et fructibus, quæ omnia et similia erant propria illius hominis, qui per censuram illis privatur. Denique leges civiles interdum imponunt pœnas ipso jure, ut sumitur ex l. Non potest, ff. de Furt., et indicat Gloss., in l. Si quis major, C. de Transact., de quarum intelligentia alibi latius.

9. *Secunda sententia.* — *Cajet.* — Alii ergo extendunt hoc ad omnes pœnas privativas, et putant esse illarum proprium, quod possint per legem ipsam ferri. Ita sentit Cajet., 2. 2, quæst. 62, art. 3. Et ratio esse potest, quia, cum hæc pœna consistat in pura privatione, ut actu infligatur, non requirit actionem rei se ipsum punientis, quia mera privatio causari potest sine propria actione, per causalitatem quamdam moralem ipsius legis; et ita cessat prima ratio injustitiæ, quæ in hoc modo puniendi inesse videbatur. Altera vero ratio facile cessare potest, quia, quantum ad gravitatem delicti, ipse legislator potest justam æstimationem illius facere, et judicare esse dignum tali privatione, si vere, et in re ipsa sit contra legem, prout ab ipso fertur. Judicium autem de veritate seu reali transgressione ipsius legis committit ipsi delinquenti, quantum ad ipsum spectat, et ad conscientiam ejus, id est, ut se ipsum agnoscat tali pœna affectum, seu talibus bonis privatum; in quo nulla illi fit injuria, ut per se notum est. Quantum vero spectat ad alios, ad judicem semper pertinebit ferre sententiam in hujusmodi reum, non jam condemnatoriam, quia necessaria non est, sed declaratoriam, tum criminis, tum etiam pœnæ ex tunc contractæ, ex quo delictum commissum est.

10. *Lex potest pœnam imponere per ipsum delinquentem in se exequendam.* — Quæ quidem responsio, quoad hanc posteriorem partem, optima est et universalis; nam in omnibus pœnis optime satisfacit. Quoad priorem vero partem existimo esse nimis contractam, et limitatam, quia non solum pœnæ pure privativæ, sed etiam illæ, quæ effectum seu actionem positivam per ipsum delinquentem exercendam requirunt, possunt aliquando juste inferri per solam legem ipso facto, ut latius in materia de legibus probandum est. Et nunc breviter declaratur, quia, quod is, qui deliquit, circa se ipsum, vel circa res suas exerceat actionem pœnalem, non est per se malum, imo ex se potius est honestum; ergo, quod ad talem actionem exercendam per legem obligetur, neque est per se injustum, neque est cur existimetur supra humanam potestatem legislativam; præsertim, quando talis pœna delicti gravitatem non excedit, neque est adeo acerba, et difficilis, ut præter humanam conditionem videri possit, obligare hominem ad illam in se exequendam. Et confirmatur; nam hæc res magis est moraliter quam physice pensanda; ac moraliter loquendo, perinde est obligare hominem ad aliquid non agendum, et ad ali-

quid pœnale agendum; imo interdum illud difficilius est; ut, verbi gratia, obligari ut per diem taceat, aut quod cum amicis non communicet, difficilius alicui erit quam dare eleemosynam, vel aliquid simile facere.

11. *Non est de ratione pœnæ, ut per sententiam, et non per legem inferatur.* — Respondendum ergo absolute est, non esse de ratione justæ pœnæ, ut per solam sententiam et non per legem inferatur; neque etiam excedere potestatem legis humanæ, ut obliget reum ad exequendam in se pœnam ipsa lege latam, sive talis executio requirat physicam actionem, sive carentiam actionis, dummodo talis modus ferendi pœnam prudenter judicetur expediens ad commune bonum, et non excedens gravitatem delicti; neque sit in re adeo difficili, ut vel naturæ repugnet, sicut est se occidere, vel mutilare, vel moraliter supra humanas vires esse videatur, ut se publice flagellare, vel aliquid simile. In præsenti ergo materia prudenti arbitrio Ecclesiæ judicatum est, hunc modum imponendi censuram aliquando expedire ad commune bonum Ecclesiæ ad præcavenda, vel ulciscenda nonnulla graviora crimina, quorum modum, et gravitatem talis pœna non excedit. Neque in ejus executione aliquid intervenit, quod supra humanas vires moraliter sit, quodve alia ratione injustitiam contineat; et ideo etiam hic modus ferendi censuram legitimus est.

SECTIO II.

Utrum in ferenda censura sit aliqua certa forma servanda, et quænam illa sit.

1. *Ad censuram ferendam necessaria est sufficiens manifestatio externa.* — *Armill.* — *Navarr.* — Constat ex dictis præcedente disputatione, necessariam esse aliquam exteriorem actionem hominis habentis potestatem et voluntatem inferendi censuram, ut actu illam inferat seu efficiat; talemque debere esse actionem illam, ut per eam aliis sufficienter explicet voluntatem, quam habet inferendi censuram, seu obligandi sub tali censura. Quia voluntas humana nil potest in alios operari per se ipsam, neque physice, neque moraliter, sed media aliqua actione externa proportionata effectui; ideoque nec lex humana obligare potest nisi exterius sit sufficienter proposita, nec voluntas superioris obligat nisi exteriori præcepto intimetur; nec inter homines contractus solis voluntatibus fiunt sine sensibilibus actionibus vel signis, quæ internas voluntates satis manifestent. Hoc ergo etiam in præsenti necessarium est, neque de hoc esse potest ulla controversia, ut patet ex communi consensu Doctorum quos referam. Et videri potest Sylvester, verbo Excommunicatio primo, num. 13 et 15; Armilla, n. 17; Tabiena, Excomm. 2, n. 4, in Manuali, c. 27, num. 12 et 161.

2. *Prima opinio.* — Difficultas vero est, qualem esse oporteat hanc exteriorem actionem seu sensibilem significationem. Quidam enim existimant necessarium esse ut talis expressio fiat per verba clara et in omni proprietate sumpta. Ita tenet Ugolinus, de Cens. Eccles., tab. 1, cap. 2, § 5, et cap. 20. Unde infert mutum, etiamsi alias jurisdictionem et liberum usum voluntatis habeat, non posse ferre censuram; nam si verba desint, nutus et signa non sufficiunt; nunquam enim censura hoc modo ferri consuevit. Necesse est autem, ut sub nutibus et signis etiam scripturam comprehendat; alioqui non satis concluderet mutum non posse ferre censuram. Affert autem ad hoc confirmandum quædam jura, scilicet, cap. Sacro, et cap. A nobis 1, de Sententia excomm., et cap. 1, eodem titulo, in 6, et cap. ult. de Constit., in 6. Ex quibus juribus nihil probatur, quia nullam mentionem faciunt verborum, sed solum requirunt sufficientem intimationem censuræ, ut non ignoretur, quam intimationem *promulgationem* vel *pronunciationem* appellant. Quod autem verbis pronunciari debeat, non asserunt, sed potius in illo cap. 1 de Sentent. excom., in 6, dicitur, *ut in scriptis proferatur*. Rationem præterea adducit, quia hæc pronunciatio censuræ cum aut lege, aut sententia fiat, debet esse satis expressa et certa; ergo debet fieri per verba; nam illa tantum sunt per se primo ad exprimendam mentem instituta; reliqua vero signa sunt ambigua et incerta. Et confirmatur, nam hac de causa Episcopus vel Summus etiam Pontifex, licet facto, vel usu aliquem vitet, non propterea illum excommunicare censetur, quia illud factum ambiguum est, et multis de causis fieri potest. Unde non satis indicat excommunicandi voluntatem.

3. *Scriptura est sufficiens signum ad censuram ferendam.* — Sed hæc omnia, quamvis recte probent necessaria esse signa satis expressa et certa, non tamen quod illa necessario futura sint verba proprie dicta. Non enim dubito, quin scriptura possit sufficere, etiamsi judex nihil ore proferat, quia scriptura etiam est per se primo instituta ad exprimendam

mentem, et satis expresse et certo id præstat, neque est ullum jus, quod statuat, hanc sententiam verbis esse proferendam. Et in hoc est latum discrimen inter hunc forum contentiosum et internum pœnitentiæ, in quo necesse est sententiam propriis verbis proferri, ut valida sit. Quanquam non defuere auctores graves, qui etiam in illo sacramento negaverint esse de essentia ejus, ut sententia ore proferatur, affirmantes, in aliquo raro casu et necessitate extrema posse, aut scripto pronunciari, aut nutibus indicari; quorum sententia si vera esset, magnum ex illa sumeretur argumentum ad rem, de qua agimus, confirmandam. Verumtamen, etiamsi falsa sit, tamen generale principium, in quo fundari potest, verum est, et licet ad illam materiam male applicetur, in præsenti autem optime. Nimirum, non esse de ratione validæ sententiæ, ut ore proferatur, nisi ubi aliquod speciale jus id statuit, sicut nos credimus fecisse Christum in sententia sacramentali. At in præsenti nullo jure statutum est, ut sententia, qua fertur censura, ore proferatur; deberet enim tale jus esse humanum et Ecclesiasticum (nam hoc solo introductæ sunt censuræ); nullum vero extat tale jus, ut ostendimus; ergo ad censuram ferendam non est necessaria propria verborum forma.

4. *Nutibus potest ferri censura, si sufficienter significent effectum.* — Ex quo fit, ut quacumque ratione fingatur mutus habens reliqua necessaria, nempe jurisdictionem et rationis usum ac sufficientem intelligentiam causæ, ille possit sententiam validam proferre, quæ censuram contineat, si scribere sciat, vel etiam si nesciat, si nutibus possit alteri sufficienter exprimere voluntatem suam, ejusque ministerio sententiam de censura inferenda expresse et distincte præscribere. Quod fieri posset, altero interrogante an vellet alium censura ligare, et in qua specie, et reliqua necessaria, et ipso judice annuente, et nutibus mandante ita scribi et intimari; hic enim modus est sufficiens ad exprimendam judicis voluntatem et ad imponendum præceptum; unde ex se etiam sufficit ad sententiam ferendam, et nullo jure positivo invalidus factus est. Non est autem hic casus moralis, qui aliquando evenire possit, si de mutuo perpetuo, et a nativitate sermo sit; nam ille ineptus est ad Ecclesiasticum regimen suscipiendum, præsertim cum necessario sit etiam surdus. Posset autem hic casus accidere, si ex ægritudine vel alia occasione, Ecclesiasticus judex loqui non possit; tunc enim non statim privatur sua potestate, ut per se constat; ergo neque etiam privatur usu ejus, si aliquo sufficienti modo possit illum exercere; sunt autem sufficientes modi a nobis propositi, ut satis declaratum videtur. Fateor tamen, nisi intercedant verba, aut scripta, aut vocalia, aut scripta, vel propria manu, vel alterius ope exhibita, nullam aliam actionem videri sufficientem ad exhibenda signa satis certa et expressa, quibus mediantibus censura inferatur, quia reliqua omnia sunt valde æquivoca et imperfecte significantia. Quamobrem si verbum sensibile in hac amplitudine sumatur, recte dicere possumus ad inferendam censuram necessaria esse sensibilia verba; et brevitatis causa ita semper loquemur.

5. *Nulla certa verba esse præscripta ad censuram inferendam.* — Addendum vero est secundo, non esse præscripta certa aliqua verba, quibus censura ferenda sit, sed tantum necessarium esse, ut sufficientia sint ad præceptum seu voluntatem superioris de censura ferenda ita declarandam, ut nullam repugnantiam, vel indeterminationem, aut confusionem contineant. Qualia sunt hæc : *Excommunico Petrum. Qui hoc fecerit, sit suspensus,* vel similia. Dixi autem oportere, ut talia verba habeant determinationem in actione inferendi censuram; nam si diceret judex : *Ego te excommunico, vel absolvo,* inepta esset forma et nihil determinate significat. Si autem dicat : *Ego excommunico et absolvo,* aliqui putant validam esse formam; quæ per priorem partem habet suum effectum, per posteriorem vero (quæ revera est nova forma) tollit illum. Ita Ugolin., cum aliis, quos citat, dict. cap. 20, § 3. Refert tamen Glossam, in cap. Si is qui, 11, quæst. 3, dicentem contrarium, et sane non sine probabilitate; nam illa verba videntur proferri per modum unius formæ; et sic continent repugnantiam.

6. Dico tamen, hoc pendere ex intentione operantis; nam, si intendat duas sententias proferre, prius condemnativam, et postea absolutivam, non se impedient propter immediatam et propinquam consecutionem unius post aliam, quoniam, si cætera necessaria concurrant, hæc non est sufficiens causa annullandi censuram, etiam si judex, quando illa priora verba profert, jam habeat intentionem immediate post tollendi talem censuram; nam hæc intentio non repugnat absolutæ voluntati inferendi censuram pro illo tem-

pore; neque est de ratione censuræ, quod eo tempore duret, aut quod ea intentione feratur. Denique, si ex quocumque eventu contingat, ut judex non possit proferre posterius absolutionis verbum, etiamsi habuisset intentionem illud proferendi, censura permanebit. At vero, si judex unicam intentionem habeat inferendi censuram per omnia illa verba per modum unius formæ, aut simul efficiendi utrumque effectum per illa significatum, nihil efficiet, quia vel in verbis, vel in intentione includit repugnantiam. Quia vero hic posterior modus operandi videtur esse hominis amentis aut stolidi, ideo priori modo videtur interpretandum tale factum, si accideret; quamvis etiam in illo sensu vix possit excusari ab ignorantia et a culpa; nam ille modus ferendi censuram, moraliter loquendo, nullius potest esse utilitatis, et præ se fert quemdam contemptum seu parvipensionem censuræ.

7. *Censura debet ferri per verba definita quoad speciem censuræ.* — Tertio necessarium est, ut verba sint definita quoad speciem censuræ. Et hoc sensu dixi non debere esse confusa seu generica, qualia essent : *Qui hoc fecerit, manebit censura ligatus,* vel similia. Oportet ergo uti verbo exprimente speciem censuræ, ut *excommunico, suspendo, interdico.* Ratio est, quia hæc verba suo modo efficiunt quod significant; non possunt autem efficere effectum in genere, sed in aliqua specie; ergo oportet, ut determinatam speciem significent, alias nihil efficere valebunt. Sicut præceptum ad nihil potest obligare nisi in particulari determinet actum quem præcipit; nec judex aliquid efficiet si condemnet ad pœnam, et speciem pœnæ non exprimat. Et in universum causa indeterminata non potest determinatum effectum producere, nisi vel ab alia determinetur, vel ipsa habeat vim se determinandi, quod est proprium causæ liberæ, et ad sola verba exterius prolata accommodari non potest. Nec sufficit intentio proferentis talia verba generica, ut ab illa determinentur ad inducendam definitam speciem censuræ, quia interior intentio, nisi exterius exprimatur, non sufficit ad hunc effectum, ut superius dictum est; per illa autem verba non exprimitur talis intentio. Secus autem esset, si in verbo esset multiplex significatio et æquivoca, et in aliqua earum significaret determinatam speciem censuræ; tunc enim intentio prodest ad determinandam verbi significationem. Nam hoc etiam in sacramentis conficiendis verum est, cum tamen verba sacramentorum maxime debeant esse certa ac definita : ergo multo magis id sufficiet in censuris ferendis. Valebit ergo censura sic lata ; tamen, ut non ignoretur, oportet, ut ex adjunctis, et ex antecedentibus, et subsequentibus satis constet illa intentio, et in qua significatione judex utatur verbo *suspendo,* aut alio simili, quod multiplicem significationem habeat.

8. *Verba censuræ debent esse determinata ad infimam speciem censuræ. — Verbum excommunico, simpliciter prolatum, de majori excommunicatione intelligitur.* — Atque hinc proportionali ratione sequitur, quando sub aliqua specie illarum trium, quas numeravimus, aliæ species infimæ continentur, necessarium esse, ut determinatio fiat usque ad ultimam speciem; nam effectus in aliqua specie infima fieri debet; et ideo eodem modo debet verbis exprimi; nam verba hæc non possunt plus efficere quam significent. Distinguuntur autem species, ut infra dicemus, per effectus, unde alia est suspensio ab officio, alia a beneficio, alia ab utroque; his ergo vel similibus verbis necesse est eam exprimi. Dices : etiam sub excommunicatione dantur duæ species, scilicet major et minor; et tamen non oportet hoc exprimere, sed si absolute verbum excommunicandi proferatur, valida est sententia, et major excommunicatio infertur, ut declaratur in c. Si quem, de Sententia excomm. Respondeo, vel illas non esse species illius censuræ, sed analogata quædam; et ideo verbum *excommunico,* simpliciter dictum, accipi pro principaliori significato; vel certe (ut abstineamus a quæstione dialectica), secundum communem usum Ecclesiæ jam illud verbum ita esse accommodatum, ut simpliciter prolatum quasi per antonomasiam intelligatur accipi pro majori excommunicatione. Et ideo, cum infertur excommunicatio minor, oportet illud additum adjungi, vel per effectum explicari, scilicet : *Privo te perceptione sacramentorum.* Idemque observandum est in aliis censuris, si in eis sit similis usus alicujus verbi, ut si suspensio absolute dicta accipi soleat in jure pro suspensione ab officio et beneficio simul, vel aliquid simile, ut in propriis tractatibus videbimus.

Quid si censura sub forma disjunctiva feratur.

9. *Quorumdam opinio. — Opinio aliorum.* — Hic vero curiose inquirunt Doctores, quid,

si species censuræ sub disjunctione feratur, vel sub communi genere, ut : *Maneat excommunicatus vel suspensus,* vel sub determinata specie, ut : *Suspendo te ab officio vel beneficio.* In qua quæstione aliqui simpliciter negant per talia verba quidpiam effici, quia nihil determinate significant; ergo nihil determinate possunt efficere; effectus autem non potest fieri nisi determinatus; ergo nullus effectus potest sequi ex vi talium verborum. Ita tenet Ugolin., dict. tab. 1, cap. 20, § 3, num. 4, et citat Navarr., cap. 27, num. 161, ubi citat Panor. Alii vero et illam sententiam validam esse existimant, et utrumque inferre effectum. Ita sensit Glossa, in cap. Latores, verb. Ab officio, de Clerico excomm. ministr., quamvis solum dicat, tunc rem esse dubiam, et ideo ab utroque effectu abstinere debere illum, in quem hoc modo censura lata est. Sed qui oppositam sententiam tenent, facile negabunt rem esse dubiam. Et sane vix potest esse dubium, quin per talem modum proferendi sententiam, uterque effectus simul non inferatur, si verba illa disjunctiva in ea proprietate sumantur, ut in quæstione supponendum est.

10. *Particula, vel, interdum distributive sumitur.* — Advertendum est ergo particulam illam, *vel,* interdum sumi posse distributive, et æquivalet dictioni copulativæ, ut constat ex usu Latinorum, et ex l. Cum quidam, C. de Verbor. signific. Quod maxime accidere solet in propositionibus negativis, ut si quis dicat : *Nemo legat, vel doceat, vel scribat,* sensum reddit copulativum. Unde, quia verbum *suspendo,* v. gr., virtualem includit negationem, ideo cum quis profert : *Suspendo ab officio vel beneficio,* non inepte intelligi potest copulative uti illa dictione, *vel.* Quod si hæc fuerit ejus intentio, verba quidem erunt sufficientia, juxta doctrinam supra datam, quia licet tale verbum sit æquivocum, tamen revera habet utramque significationem, et per intentionem operantis ad alteram determinatur. Oportebit tamen, ut ex adjunctis vel alia via sufficienter constet hanc fuisse judicis intentionem, et hoc sensu verba protulisse. Alioqui nemo obligabitur ita illa intelligere, sed in mitiori sensu erunt interpretanda.

11. *Censura sub disjunctione lata obligat ad alterutram partem quam reus elegerit.* — Difficultas vero est, an verba illa disjunctive sumpta aliquid possint operari, quia utrumque simul non possunt; et non est major ratio de uno quam de alio; ergo nihil efficient. Nihilominus oppositum videtur fieri valde probabile hac ratione, quia disjunctiva licet non sit definita ad unam partem determinate, confuse tamen est determinata ad unam earum; nihil ergo impedit quominus sententia ita sub disjunctione prolata valida sit. Nam intentio judicis esse potest, ut altera illarum partium executioni mandetur; relinquit autem arbitrio ipsius rei, ut quam maluerit partem illius pœnæ eligat et acceptet. Ergo censura sub hac forma illata erit valida saltem quoad alterutram partem; erit autem in arbitrio ejus, in quem fertur, eligere alteram partem earum, et ad illam determinate obligabitur. Et potest hoc confirmari et declarari variis exemplis; nam in indulgentia concedenda valida est hæc forma : *Concedo tibi indulgentiam si tali die jejunaveris aut eleemosynam feceris;* et ex vi talis formæ relinquitur in arbitrio alterius, ut, quod maluerit, ex illis operibus eligat. In foro etiam pœnitentiæ potest satisfactio imponi sub disjunctione simili, scilicet : *Vel uno die jejuna, vel te ipsum semel flagella.* Et sine dubio est sententia valida, et in arbitrio pœnitentis manet eligere quod maluerit ex illis operibus. Imo etiam in externo et criminali foro ita ferri solet pœnalis sententia : *Vel solvat centum, vel publice flagelletur.* Et in præceptis ferendis sæpe servatur eadem forma. Ut est ad rem præsentem accommodatum exemplum in capite A crapula, de Vita et honestate clericorum, ubi sic concluditur : *Si quis autem in his se culpabilem exhibuerit et a superiore commonitus non satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.* Quibus verbis non fertur censura, sed, ut feratur, præcipitur sub illa disjunctione; per quam relinquitur in arbitrio Episcopi, ut, quam partem voluerit, eligat; ergo poterit etiam Episcopus sub eadem disjunctione censuram ferre, et in arbitrio delinquentis relinquere, ut quam voluerit, partem eligat.

12. Denique hæc forma ferendi censuras approbari videtur in c. Præterea, 2, de Appellation., scilicet : *Nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum esse cognoscas.* Nam Pontifex supponit illam formam censuræ validam esse, quamvis ab illa appellari possit. Hic vero textus nihil probat; nam ibi non agit Pontifex de tali forma censuræ, sed de quacumque censura lata sub illa conditione, *nisi satisfeceris;* et quæritur, an ab illa possit appellari. Et respondet affirmando. Ut vero, et quæstionem, et responsionem extendat ad

omnes censuras, illas omnes supra dicta disjunctione numerat, non quia in una et eadem sententia ita ferri soleant, sed quia in diversis sententiis nunc una, nunc alia fertur. Quamvis autem ex prædicto textu hæc pars non probetur, tamen ex ratione adducta, et ex aliis exemplis similibus videtur fieri valde probabilis; et ideo in eo casu consulerem talem sententiam timendam esse, et quoad alteram saltem partem esse servandam; electionem tamen relinqui arbitrio delinquentis.

13. *Quomodo ad varias personas sententia disjunctiva accommodari possit.* — Posset autem interdum habere alium sensum illa disjunctiva, ut singulæ partes ejus ad diversas personas accommodarentur secundum diversas conditiones earum. Ut, v. gr., si prohibitio pertineret ad laicos et clericos, et adderetur sub pœna excommunicationis vel suspensionis, intelligi posset secundum distributionem accommodam, ut excommunicatio pro laicis, suspensio pro clericis esset imposita. Vel si prohibitio pertineret tantum ad clericos, quorum alii haberent officium tantum, alii etiam beneficium, et in sententia diceretur *ab officio vel beneficio,* intelligi posset, qui beneficium habet ab illo suspendi, reliquos ab officio. Et quidem, si de hoc sensu satis constare possit, ex materia præcepti, circumstantiis, vel aliunde, non est dubium, quin valida sit talis sententia, quæ non est proprie disjunctiva respectu ejusdem, sed diversorum; ad singulos vero determinata quoad alteram partem unicuique accommodatam. Persistendo autem in proprio sensu disjunctivo respectu ejusdem non invenio alium sensum probabilem præter superius positum; et in eo verisimile est talem sententiam valituram.

14. *Quomodo peccet reus qui neutram partem disjunctivæ servare vult.* — Dices : quid si pœnitens neutram partem in sententia contentam velit eligere, et consequenter neutram etiam velit servare? quale peccatum committet aut contra quam censuram delinquet? Neutra enim videtur tunc obligare, quia neutra obligat determinate, donec fiat electio. Unde non est major ratio de una, quam de alia. Neque ambæ simul obligare possunt, quia non conjunctim, sed sub disjunctione tantum latæ sunt. Quod si in eo casu non peccat delinquens violando aliquam censuram, nihil etiam peccabit ex eo solum, quod neutram eligit; nullo enim præcepto ad hoc tenetur; neque apparet ulla virtus, contra quam id sit. Si vero neutram censuram eligendo, et consequenter neutram custodiendo, nihil peccat, aperte concluditur illam sententiam invalidam et inefficacem esse; quandoquidem in voluntate rei positum est, ut per illam ad nihil obligetur. Ex quo ulterius potest concludi, etiamsi ipse velit aut eligat, non propterea obligari censura, quia, sicut nemo potest in seipsum censuram ferre, ut supra dicebamus, ita non potest ex arbitrio suo et voluntate illam contrahere. Ad hoc vero dici potest, hujusmodi reum obligari ex vi talis sententiæ, et ex præcepto judicis ad subeundam vel servandam alterutram censuram; et, quamdiu neutram eligit, utraque ligari, quia hæc est intentio ferentis; quam satis exprimit per illa verba, cum alio modo nequeant efficaciam habere. Vel certe, hoc ipso, quod talis reus incipit non observare unam ex illis censuris, manet ex vi disjunctivæ obnoxius alteri; ita ut illa sit quædam virtualis electio; nam, si in disjunctiva destruatur una pars, necesse est alteram verificari, ut tota disjunctio possit esse vera. Non est ergo illa forma censuræ ita in se perplexa aut indeterminata, ut ea de causa censeri debeat prorsus inefficax et nulla. Nihilominus tamen omnino cavenda est talis forma; graviterque peccaret judex, qui illa uteretur, tum propter dubium et difficultatem; tum quia non est in usu Ecclesiæ; tum etiam quia est parum accommodata et consentanea naturæ, et modo hujus pœnæ, quæ per censuram imponitur; est enim omnino involuntaria; et non pendet, nec pendere debet ex arbitrio vel acceptatione ejus, cui imponitur, quod in aliis pœnis secus est.

15. *Censuram debere ferri in determinatam personam.* — Quarto necesse est, verba, quibus censura fertur, esse determinata quoad personam, in quam censura fertur, ad eum modum, quo de formis sacramentorum dici solet. Est enim hic proportionalis ratio; nam sicut formæ sacramentorum efficiunt quod significant, ita etiam suo modo verba censuræ. Unde, quia effectus non fit nisi in determinata persona aut subjecto, ideo necesse est, ut per ipsa verba significetur determinate persona, in quam fertur. Alias, si verba suspensa sint, ut, *ego excommunico,* etiam effectus manebit suspensus, et ita nihil fiet. Hæc autem determinatio personæ non eodem modo semper fit, sed juxta exigentiam sententiæ aut legis ferentis censuram. Interdum enim fertur censura contra singularem personam distincte propositam et cognitam. Et tunc etiam

singulariter et distincte determinari debet, sive per proprium nomen, sive per aliquod pronomen, aut per quælibet alia signa sufficienter designetur. Aliquando vero fertur censura contra singularem personam, quamvis occultam; et tunc designari debet sub aliqua conditione, vel per habitudinem ad delictum, ut, v. gr., *excommunico eum, qui hoc fecit, nisi satisfaciat.* Aliquando denique fertur censura in generali; et tunc etiam generaliter designantur personæ sub habitudine, seu denominatione talis delicti, ut, *omnes hæretici,* aut, *percussores clericorum,* etc.

16. *Formam censuræ debere significare de præsenti et practice effectum.* — Quinto necessarium est formam ferendi censuram ita esse determinatam, ut de præsenti et practice significet ipsam censuram, ut actu effectam per talem sententiam aut legem, seu per talia verba. Quod maxime observatur ab auctoribus in his censuris quæ jure feruntur, et in generalibus quæ feruntur ab homine; nam in iis, quæ absolute feruntur ab homine contra certam personam, res est clara; oportet enim, ut per verbum de præsenti, quod indicet voluntatem judicis, censura feratur, ut notarunt auctores omnes in principio citati. Unde si utatur verbo de futuro, ut, *excommunicabo,* aut, *excommunicandus erit,* non feret censuram, ut constat; idemque censeo de his verbis, *præcipio excommunicari,* quia non continent executionem, sed præceptionem. Et ex vi sua suspendunt actum in futurum.

17. *Quid si forma per hoc verbum, excommunicetur, etc., feratur.* — Sed quid, si in actu exercito dicat, *excommunicetur?* videtur enim illa forma invalida, quia etiam dicit habitudinem ad tempus futurum, non executionem de præsenti. Aliunde vero apparet sufficiens; nam in forma baptismi sufficit verbum illud, *baptizetur Petrus,* etc., quamvis illa etiam significare debeat actum præsentem; ergo idem erit in illa excommunicandi forma, *excommunicetur.* Quocirca illud verbum æquivocum videtur; nam, si sit practice imperativum, ita ut sit sensus, *excommunicetur mea potestate,* æquivalet huic formæ, *excommunicatus sit, aut maneat;* et in hoc sensu erit sufficiens; nam etiam in sacramentali judicio censetur in eo sensu sufficiens ea forma, *absolvatur Petrus,* quamvis peccatum sit ea uti, ut supra dixi; ergo a fortiori similis locutio in eodem sensu sufficiet in præsenti. Tamen, si verbum illud, *excommunicetur,* sit quasi præceptum datum alteri, ut illud exequatur, clarum est nihil per se efficere; et quia communi usu omnium in hoc sensu proferri solet, ideo moraliter censetur insufficiens ad hunc effectum. Atque hoc maxime observandum est in præceptis seu legibus ferentibus censuram; nam quoties utuntur simili verbo, *excommunicetur, suspendatur,* etc., non inferunt censuras ipso jure, sed præcipiunt judicibus, ut eas imponant, ut notavit Gloss., in cap. 2, § 1, verb. Innodetur, de Hæret., in 6, et est communis sententia Canonistarum. Qui consequenter asserunt, verbum optativi et subjunctivi non sufficere, quod est per se manifestum; neque ea verba sunt in usu.

SECTIO III.

Quibus verbis indicetur censura latæ sententiæ vel ferendæ.

1. *Quoties in ferenda censura ponitur particula, ipso facto, etc., etiamsi verbum sit de futuro, significat effectum præsentem.* — Ad majorem declarationem formæ ferendi censuram necessaria præsens quæstio est, quia variæ sunt formulæ, quibus jura, et Prælati præcipientes utuntur ad censuram ferendam, et non semper constat, an ipsi imponant vel imponi jubeant. Et ideo advertendum est, censuram, quæ per jus ipsum fertur, interdum appellari censuram *ipso jure,* quia ipsum jus fert illam sub ea conditione, si ipsi non obediatur; aliquando dici censuram *ipso facto,* quia posito facto seu inobedientia talis legis, statim, nulla alia spectata sententia vel declaratione, incurritur; et ideo etiam dici solet *latæ sententiæ,* quia per ipsam legem lata est sententia de illa, etiam ante commissum delictum; illa ergo tria, *ipso jure, ipso facto,* et *latæ sententiæ,* eamdem rem significant, quamvis diversa consideratione ad eam significandam sint imposita. Quocirca, quotiescumque in lege aliquod horum verborum ponitur, satis clarum est illam esse sufficientem formam, ut lex per se ipsam censuram inferat. Et quidem, si talia verba adhibeantur (ut ita dicam) in actu signato, res est manifesta, adeo ut licet contingat aliquam ex illis dictionibus conjungi verbo de futuro, nihilominus limitent illud, et trahant ad significandam actualem effectionem censuræ. Est accommodatum exemplum in cap. Si religiosus, de Elect., in 6 : *In pœnam præsumptionis illius, electio eadem ipso facto viribus vacuetur omnino,* ubi verbum *vacuetur,* per se sumptum, solum significaret electionem fore irri-

tandam: tamen propter adjectionem particulæ *ipso facto,* sine dubio per talem legem fit irrita electio; et verbum *vacuetur* aut non habet vim futuri, sed vim efficacis imperii ex tunc operantis; vel, si sumatur ut futurum, intelligatur respectu illius temporis, quo lex lata est, non respectu illius, quo postea delictum committitur. Similia sunt, et eodem modo interpretanda verba illa : *Decernimus ipso jure fore suspensos,* in cap. Provida, de Elect., in 6, vel, *volumus eo ipso fore suspensos,* in cap. Cupientes, § Cæterum, eod. tit. Nam illud, *eo ipso,* perinde est ac *ipso facto.* Idem habetur in Clement. 1, § Verum, de Hær.

2. *Quid si particulæ illæ non in actu signato, sed exercito ponantur.* — At vero, quando similes particulæ formaliter non adhibentur, sed in actu exercito, tunc attendenda est vis et significatio verborum, maxime prout sunt in frequenti usu juris, ut nimirum virtute contineant aliquam ex dictis particulis. Ut, quando lex fertur per verba, quæ per se ferunt prolationem sententiæ actu inferentis pœnam, tunc plane continet censuram latæ sententiæ, ut si lex dicat : *Excommunicationis sententia duximus innodandum,* vel, *excommunicationis sententia innodantes.* His enim verborum formis utitur Bonifacius VIII, ad inferendam ipso jure excommunicationem, c. unico de Schismat., in 6. Similem vim habent illa verba : *Sententiam excommunicationis incurrat,* vel, *Ecclesiastico subjaceat interdicto.* Quibus utitur Gregorius X, in c. unico de Injuriis, in 6. Item illa : *Excommunicationis sententiæ se noverint subjacere,* quibus utitur Alexander IV, in c. 2 de Hæreticis, in 6. Idem indicari solet aliis verbis, quæ significant, ipso facto, sine interventu alterius rei censuram contrahi, sive id fiat per verba de præsenti, ut antea dicebamus, sive per verba de præterito, ut in Clementina 1, de Pœnis : *Sit hujus nostræ constitutionis auctoritate anathematis mucrone percussus.* Vel, ut in cap. Præterea, 2, de Appellat. : *Si hoc feceris, te excommunicatum esse cognoscas.* Similia exempla sunt frequentia in jure, ut videre licet in cap. ultimo de Rebus Eccles. non alien., in 6, et in cap. ultimo de Pœnis, in 6. Ex quibus colligi potest fere generalis regula, quando lex imponit hanc pœnam per verbum præsentis, aut præteriti, ipso jure imponi. De qua videri possunt juris interpretes cum Glossa, in verbo *Sub anathemate,* in cap. unico de Sagittar.; et Glossa, cum textu in leg. *Si quis in tantam,* C. Unde vi, et in leg. *Si quis major,* C. de Transactionibus.

3. *De forma, excommunicationem noveris te incursurum.* — Solet autem dubitari de his verbis : *Excommunicationem aut suspensionem noveris te incursurum.* Aliqui enim putant continere censuram ipso facto, ex Clementina ult. de Pœnis. Ibi tamen additur expresse verbum, *ipso facto;* sicut etiam in cap. 1 de Usur., in 6; et ideo Felinus, in cap. Rodulphus, de Reser., num. 28, negat illa verba præcise sumpta sufficere. Et revera est probabile, quia in rigore illa verba sunt tantum de futuro. Nihilominus tamen timenda sunt, quia non significant censuram esse ferendam, sed contrahendam ex vi talis legis, atque adeo ipso facto. Unde illud futurum solum videtur respicere tempus, quo talis lex fertur; et ideo probabilius videtur illa verba sufficienter indicare censuram ipso facto.

4. *De forma, anathema sit.* — Item quæri solet de his verbis, *anathema sit.* Nam Glossa, in c. final. de Foro compet., negat per ea ferri, sed solum comminari anathema; sed est omnino falsa sententia; nam graviora sunt illa verba, quam hæc, *excommunicatus sit;* at hæc continent sententiam latam; ergo et illa; sunt enim executiva, sicut hæc, *excommunicatus maneat,* et similia. Estque illa forma anathematizandi frequens in Conciliis adversus hæreticos; et præsertim in Concilio Trid., et ex Concilio Gangrensi referuntur multa in Decreto, dist. 30, ubi in c. 16, satis declaratur per illam formam abscindi hæreticos ab Ecclesia.

5. *De aliis particulis.* — Rursus quæri potest, an hæ particulæ, *ex tunc, mox, statim, omnino, prorsus,* et similes, declarent satis censuram ipso jure latam. Aliqui enim affirmant absolute, ex Panormitano in c. Si diligenti, num. 18, de Foro compet.; sed ibi solum meminit horum verborum, *ipso facto,* vel *eo ipso;* de quibus jam diximus. Quapropter de illis particulis judicandum existimo juxta exigentiam verborum, quibus adjunguntur. Nam si dicatur, *statim excommunicetur,* non sufficiet; secus si dicatur, *statim,* aut *ex tunc excommunicatus sit,* ut in c. Quam sit, de Elect., in 6, dicitur : *Ex tunc se noverit eo ipso privatum.*

6. *De forma, sub pœna talis censuræ.* — Tandem dubium est de hac forma : *Sub pœna talis censuræ.* Et ratio dubitandi esse potest,

quia hæc forma est ejusdem rationis : *Sub interminatione anathematis,* quæ usitata est in jure, ut patet in c. Clericis, Ne Cleric. vel mon., et in cap. Relatum, § ad hoc, de Jure patronatus, in 6. Et tamen illa verba continent censuram ipso jure latam, ut colligitur ex cap. 1, de Eo qui fur. ord. susc.; nam absolutione censetur indigere sic excommunicatus. Idemque colligitur ex cap. Salonitanæ, dist. 63, in verbis illis : *Quod ei sub excommunicationis interpositione mandamus.* Ubi Glossa refert varias opiniones; nam quidam censent his verbis contineri censuram ipso jure latam; alii variis distinctionibus utuntur. Veritas autem est, illis verbis præcise sumptis non ferri, sed comminari censuram; quod verum est tam in censura lata ab homine, quam a jure, quia non plus significant illa verba ab uno, quam ab alio prolata. Ratio autem est, quia in illis verbis nullum est, quod latam sententiam indicet; sed ut minimum sunt indifferentia, et abstrahunt a censura, tam lata quam ferenda; et hoc ipso, de ferenda potius quam de lata interpretanda sunt. Tum quia odia restringenda sunt, et in mitiorem partem interpretanda. Quod principium non solum in jure interpretando, sed etiam in sententiis, vel præceptis ab homine latis servandum est, quidquid nonnulli Juristæ dicant. Tum maxime, quia hoc ipso, quod superior vel legislator sistit in illis verbis, et non ultra progreditur, non profert sententiam, neque in actu exercito infert censuram, etiam sub conditione. Solum ergo censuram comminatur, vel præcipit, ut inferatur, si subditus contumax fuerit. Et hæc est communis sententia Theologorum, Jurisperitorum et Summistarum, quos supra citavi.

7. Dixi autem hoc esse intelligendum de illis verbis præcise sumptis; nam, si addatur aliquod determinans significationem, continere poterit sententiam censuræ ipso jure latæ, ut si dicatur : *Sub pœna excommunicationis, statim incurrendæ,* vel, *cui mox subjaceat,* vel alio simili modo. Idemque censeo, si judex vel ante, vel post, declaret intentionis suæ esse ipso jure ferre censuram. Quod aliqui verum esse dicunt in jure Pontificio propter supremam Papæ potestatem, non vero in aliis inferioribus judicibus. Sed certe, si verba, etiam adhibita illa interpretatione legislatoris, non satis declarant censuram ipso jure ferri, neque in jure Pontificio sufficient, quia etiam Pontifex non potest censuram inferre sine sufficiente significatione exteriori; si vero in illis verbis cum adjuncta interpretatione est sufficiens significatio externa, etiam in sententiis vel præceptis inferioribus sufficiet, quia significatio verborum pro omnibus eadem est; neque Pontifex novam significationem verbis adhibet, ut jura sua efficaciam habeant. Veritas ergo est, quamvis illa verba præcise sumpta non significent sententiam latam, adjuncto aliquo alio, posse illam significare, quæ additio sufficienter fit, cum judex suam intentionem declarat esse de censura statim lata. Nam hæc est determinatio quædam illorum verborum; et ideo necesse est, ut hæc declaratio tam authentice seu juridice fiat, sicut ipsa lex vel sententia; alioqui non sufficiet, quia non determinabit significationem verborum in eodem foro, seu prout in tali lege vel sententia continentur.

8. *Unde verba illa, ipso jure, etc., in forma censuræ tantam vim habeant.* — Hic autem occurrebat gravis et difficilis quæstio, cur videlicet in censuris ferendis illa verba, *ipso jure,* vel, *ipso facto,* tantam vim habeant, ut, posito crimine, statim inducant effectum, nulla omnino alia sententia expectata, cum tamen in aliis legibus pœnalibus hanc vim non habeant, sed semper expectanda sit sententia saltem declaratoria criminis, ut pœna incurratur, juxta communem sententiam. In qua re, et in differentia assignanda multum laborant auctores, et varie respondent juxta varias sententias supra relatas, sed non satisfaciunt, quia supponunt, humanas leges non posse alias pœnas ipso facto imponere, cujus oppositum nos docuimus. Et ideo dicendum existimo omnes leges, quæ pœnam sub illa forma imponunt, aliquid proprium et peculiare operari, quod non operarentur, si simpliciter, et absque tali forma pœnam comminarentur. Et hoc probat ratio facta; et quia tales particulæ non frustra, neque sine fructu adhibentur. Quid autem in unaquaque lege operentur, ex qualitate materiæ, et pœnæ, et ex communi usu, et consuetudine, et (si fieri potest) ex aliarum legum interpretatione accipiendum est. Hæc enim omnia non eodem modo concurrunt in omnibus legibus pœnalibus; et ideo non oportet, ut omnes eumdem modum operandi vel obligandi habeant, quamvis in aliqua verborum forma similes exterius videantur. In præsenti ergo, illa forma ferendi censuram per legem efficax est illius, quia et materia legis, et pœna ipsa id patitur, et communis Ecclesiæ usus ; et ipsa

rum legum consensio, et communis ac necessaria interpretatio id requirit, ut ostensum est.

SECTIO IV

Utrum forma ferendi censuram possit esse sub conditione ad causam censuræ pertinente.

1. *Conditio formæ censuræ duplex.* — Duobus modis intelligi potest, censuram ferri sub conditione. Primo sub conditione pertinente ad causam censuræ ferendæ, id est, sine qua non est completa causa ad ferendam censuram; et completa conditione, causa etiam censuræ completur. Secundo sub conditione impertinente ad causam vel rationem censuræ, quæ potest esse, aut conditio de re præterita, vel præsente, aut futura, ut si quis ita ferat sententiam : *Excommunico, qui tale delictum fecerit, si est ignobilis,* aut, *res talis evenerit.*

2. *Censura potest ferri sub conditione ad causam ejus pertinente.* — Priori modo non est dubium, quin forma ferendi censuram possit esse conditionalis, sive ab homine, sive a jure feratur; imo raro censura fertur, nisi sub hac forma conditionata. Et ratio est, quia censura non fertur nisi ratione delicti, nec pure fertur propter delictum jam commissum ut sic, regulariter loquendo, et utrumque ostendemus disputatio sequente, sed fertur semper in ordine ad futurum. Ut, v. gr., si peccatum jam commissum sit, fertur in ordine ad satisfactionem, vel emendationem illius, quia hæc pœna medicinalis est; vel, si non sit commissum, fertur in ordine ad observationem alicujus mandati, tum quia hæc pœna etiam est medicina præservativa; tum etiam quia est medium ad constringendos subditos, ut præceptis obediant. Ergo in censura ferenda semper includitur aliqua conditio, scilicet, Nisi satisfeceris, vel nisi mandatum impleveris, aut, si tale peccatum commiseris, hanc vel illam censuram incurres. Atque hic modus ferendi censuram universalis est in omnibus censuris, quæ ipso facto feruntur, ut facile constare potest ex omnibus decretis, quæ in sectione præcedente adducta sunt; suntque innumera similia in jure, quæ supervacaneum esset nunc referre. Idemque est in generalibus sententiis, seu mandatis cēnsuram ipso facto incurrendum continentibus; nam hæc fere similia sunt legibus ipso jure ferentibus censuras, ut mox dicemus.

3. *Etiam censura ab homine sub illa conditione ferri potest.* — De censuris autem, quæ ab homine feruntur in particulares personas propter peculiare delictum, res est magis dubia, quia tunc absolute, et sine ulla conditione videtur talis pœna imponi. Quæ difficultas in primis videtur habere locum in suspensione, et interdicto, quæ semper absolute feruntur, propter delictum commissum. Sed de hoc infra ex professo est disputandum; nunc dicitur, vel nullum esse inconveniens id admittere, vel tunc illas non ferri sub ratione propriæ censuræ, sed sub ratione puræ pœnæ vindicativæ. Deinde esse poterat difficultas de quacumque censura, etiam excommunicationis, quando post consummatam contumaciam, seu elapsum terminum, intra quem fuerat sub conditione posita, jam absolute fertur, quia tunc non videtur includere conditionem ullam, sed illam jam supponere. Eadem vero est responsio. Forte enim nullum est inconveniens id admittere, quia licet possit censura sub prædicta conditione ferri, non oportet, ut hoc sit de intrinseca ratione ejus. Tangitur vero in illa difficultate quæstio, an post expletum terminum contumaciæ, seu conditionem sub qua ab homine posita est in particulari, necessaria sit nova sententia, ut ipsa incurratur, vel solum ut declaretur seu denuncietur. Sed hoc infra tractandum est, et ibi hoc punctum commodius expedietur.

Possitne censura ferri ab homine sub conditione peccati in futurum committendi.

4. *Juri divino, aut naturali non repugnat ita ferri.* — Hic vero dubitari solet primo, an censura possit ab homine ferri in generali sub conditione peccati in futuro committendi, id est, *Si quis commiserit tale peccatum, excommunicatus sit.* In qua quæstione nullam rationem dubitandi video, si solum divinum jus, aut (illo supposito) puram rationem naturalem spectemus, quia hic modus ferendi censuram per se nihil habet contra rationem. Item quia, si per legem id fieri non est contra rationem naturalem, cur erit, fieri per hominem? Dicunt aliqui, quia homo fert censuram ut judex; judex autem non potest ferre sententiam nisi de iis, quæ novit; et ideo solum potest eam ferre in particulari, de facto sibi juridice noto. Sed hoc ad summum probat de sententia declaratoria censuræ jam contractæ, non vero de illativa ipsius censuræ; alioqui etiam per legem inferri non posset;

nam lex ab homine fit, et virtute continet hujusmodi sententiam. Item, etiam sententia, cum in particulari fertur sub conditione, ut explicuimus, non supponit notitiam illius peccati, et inobedientiæ, ratione cujus proxime censura contrahitur. Unde dicendum est, quando judex per sententiam absolute infert pœnam, tunc necessario debere supponi notitiam delicti; quando vero infert illam solum sub conditione pendente a tempore futuro, non oportere, ut supponatur notitia delicti jam facti; nam id repugnat; sed satis esse, ut cognoscatur delictum esse dignum tali pœna, et quod illa imponatur, ut contrahenda, quando in re fuerit commissum delictum. Itaque si in solo jure divino, et naturali sistamus, hoc non est per se, et intrinsece malum.

5. *An repugnet juri positivo. — Communis Canonistarum opinio.* — Dubitari ergo solum potest, an jure positivo prohibitum id sit. Ita enim apparet ex cap. Romana, § Caveant, de Sent. excom., in 6, ubi specialiter sermo est de sententia excommunicationis, quamvis illa particula, *excommunicationis,* desit in antiquioribus codicibus, ut ibi notatur in margine. Igitur ibi prohibentur judices, ne censuras ferant per sententias conditionatas pro futuris culpis, sub hac forma : *Si tale, vel tale fecerint, excommunicati sint.* Neque etiam pro culpis jam commissis, sub illa forma : *Si de illis intra tale tempus non satisfecerint.* Propter quem textum Canonistæ communiter concedunt hunc modum ferendi censuram esse prohibitum, ut videre licet in Abbate, in cap. Licet, num. 9, de Elect.; Covar., et citatis ab ipso, in cap. Alma mater, 1 part., § 18.

6. Addunt vero in primis, etiamsi judex malefaciat ferendo sententiam contra illam prohibitionem, non tamen propterea censuram ejus esse irritam, sed validam, et timendam. Quod quidem verum est, quia in illo textu nullum est verbum irritans factum, neque aliquid præcipiens, quod sit de substantia et valore censuræ. Deinde tot adhibent limitationes, et exceptiones ab hac prohibitione, ut nullam vim fere habeat textus ille; nam in summa dicunt prohiberi judices ne hoc faciant, nisi ubi rationabilis causa subsit, in ipsa sententia exprimenda; ipse enim Pontifex hanc ipsam declarationem in fine illius textus adhibuit. Hoc autem naturali jure cautum videtur; ergo ibi nulla prohibitio facta est, quæ proprie sit de jure positivo. Accedit, quod in cap. A nobis 1, extra de Sent. excom., interrogatus Clem. III, de hac forma excommunicandi : *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit,* dicit comprehendere omnes subditos, et simpliciter illam approbare videtur. Verum est hoc jus esse antiquius, sed cum per illud jus non expresse revocetur, neque aliquid statutum sit, quod absolute illi repugnet, non est cur dicamus esse abrogatum. Eo vel maxime, quod videmus illud antiquum jus communi Ecclesiæ consuetudine retentum esse; modus enim ille ferendi censuram adeo est usitatus ab Ecclesiasticis judicibus, tam inferioribus quam superioribus, vidente etiam, et tacente ipso Summo Pontifice, ut nulla ratione affirmare possimus illud esse contra Ecclesiæ prohibitionem.

7. *Cap. Romana, de Sent. excom., in 6, exponitur.* — Unde, si in illo cap. Romana, talis prohibitio contineretur, per contrariam consuetudinem videretur abrogata. Re tamen vera existimo ibi non contineri absolutam prohibitionem, sed admonitionem quandam, per quam judices Ecclesiastici sui officii admonentur, ne facile hujusmodi sententias proferant, sed magna circumspectione et cautione. Hanc enim vim in omni proprietate et rigore habet verbum illud, *Caveant.* Et hoc etiam indicant omnes illæ moderationes, quæ in illo textu adhibentur, scilicet, *nisi mora, vel culpà præcesserit, aut alia rationabilis causa subsit.* Solum videtur illo jure positivo additum, ut hæc causa in ipsa sententia exprimatur. Quod fortasse ideo factum est, ut judices prudentiores sint in hoc modo ferendi censuram. Illa vero circumstantia non est adeo necessaria, ut pertineat ad substantiam talis actionis; imo nec tam gravis, ut obliget sub peccato mortali. Unde in usu sæpe omitti existimo.

8. *Prior opinio.* — Quæret vero aliquis consequenter, quid discriminis sit inter censuram ipso jure latam, et eam, quæ fertur per generalem sententiam hominis sub prædicta conditione de futuro. Videntur enim nihil omnino differre, quia etiam illa hominis sententia est quoddam præceptum : præceptum autem, et jus idem esse videntur, et per transgressionem talis præcepti ipso facto incurritur censura; ergo nulla est differentia. Hanc quæstionem tractat Covarr., dict. cap. Alma mater, 1 part., § 10, num. 2, ubi ex sententia aliorum Canonistarum ait, censuram generaliter ab homine latam pro futuris

culpis similem esse illi, quæ fertur per statutum vel legem. Unde quædam ex illis vocibus, quibus censura ab ipso jure lata explicari solet, possunt satis proprie convenire in censuram latam ab homine per generalem sententiam pro culpis futuris; nam etiam illa dici potest censura latæ sententiæ, et ipso facto, nam et de illa lata est sententia conditionata ante factum, et per factum statim contrahitur, nulla alia sententia vel actione intercedente. Atque ita Ugolinus, dicto lib. de Cens., tab. 1, cap. 9, § 6, definiens censuram latæ sententiæ, dicit esse illam, quæ a jure, vel ab homine generaliter fertur sub prædicta forma. Verumtamen prædicta ratione etiam censura in specie et in particulari lata illo modo pro futura culpa dici potest latæ sententiæ, et ipso facto, ut per se constat.

9. *Posterior et verior opinio.* — Nihilominus alii existimant, illas censuras, seu modos ferendi censuras esse diversos, dum a jure, vel ab homine per generalem sententiam feruntur. Refertque Covarruvias supra Henricum, et alios constituentes octo differentias inter illas, et ipse nonnullas ibidem tradit. Quod vero ad nos spectat, duæ videntur esse præcipuæ. Prior est, quia censura lata per statutum respicit territorium, seu diœcesim ferentis illam, et intra illam obligat, et non extra; sententia vero respicit personas, et consequenter obligat illas, ubicumque sint. Quæ differentia latius a nobis explicabitur infra, dum agemus de iis, qui ab altero excommunicari possunt; attingit enim propriam materiam illius disputationis. Altera differentia est, quia censura per legem lata ex se est perpetua, sicut et ipsa lex; et ideo durat, et efficaciam habet etiam post mortem legislatoris. At vero censura, quæ fertur per sententiam, non est de se perpetua, sed pendet (ut ita dicam) in fieri et in esse a judice. Ideoque si judex moriatur, aut amittat jurisdictionem, antequam talis sententia effectum habeat, amittit suam vim, ut in sequenti § ostendemus.

Possitne censura ab eo, qui non vivit, fieri.

10. *In censura a jure fieri potest. — Non autem in censura ab homine. — Ratio posterioris partis.* — Ex dictis enim definitur quæstio, quam supra huc remisimus, an censura possit fieri ab eo qui jam non vivit. Distinguendum est enim, quia vel censura est a jure, vel ab homine. In censuris a jure contingere potest ut censura fiat, quando præcipua causa censuræ jam non existit; illa enim causa fuit legislator, a cujus voluntate et potestate lex vim habet, qui post mortem censuram operatur per legem, tanquam per instrumentum separatum, quod permanet, et in virtute retinet voluntatem, et efficaciam legislatoris. At vero in censuris, quæ feruntur ab homine, nunquam fieri potest, ut post mortem inferentis, censura ipsa esse, aut ligare incipiat, etiamsi per generalem sententiam pro futuris culpis lata sit. Hæc est communis sententia Canonistarum cum Glossa, in cap. A nobis 1, verb. Non nisi, de Sentent. excom., ubi Abbas, num. 12, et in cap. Ad hoc, num. 9, de Clericis non resident.; Tabiena, verb. Excommunic. 2, num. 10; et Navarr., in cap. Placuit, de Pœnit., dist. 6, num. 35 et 161; et late Ugolin., dict. tab. 1, cap. 2, § 2, et cap. 9, § 4. Qui omnes nec textum, nec firmam aliquam rationem afferunt ad hanc posteriorem partem confirmandam. Solum aiunt sententiam respicere statum præsentem judicis; unde, cum judex in eo tempore, quo impletur conditio, jam non sit judex, eo quod jam non sit, nec sententia ejus jam habet vim sententiæ, et ideo ligare non potest. Prima propositio, quæ est fundamentum totius rationis, ita declaratur, nam sententia lata sub conditione, ideo, impleta conditione, incipit habere effectum, quia moraliter existimatur, ac si tunc ferretur; quod Juristæ aiunt fictione juris tunc ferri, ac si esset absoluta; ergo, ut talis sententia effectum habeat, necesse est, ut qui eam tulit, adhuc sit habilis ad ferendam illam; ergo si tunc jam non vivat, aut jurisdictionem, vel jurisdictionis usum non habeat, sententia, prout tunc lata, nulla est, et consequenter nullum potest habere effectum.

11. *Impugnatur ratio.* — Hæc autem ratio videtur posse applicari ad censuram jure latam; nam tunc etiam moraliter existimatur legislator, ut actu prohibens et ferens censuram, quando impletur conditio; ergo etiam oportebit, ut pro eo tempore sit habilis; ergo ut vivat, et jurisdictionem habeat. Quod si respondeatur, satis esse, quod mandatum ejus vivat, et firmum maneat, idem dici poterit de sententia; nam hoc est quod quærimus, cur etiam sententia non vivat, et firma maneat, vel cur magis dependeat a præsente statu superioris, vel cur potius in sententia quam in lege fingatur superior ut

actu ferens illam. Eo vel maxime, quod et in tali lege includitur virtute sententia, ut supra dixi; et illa generalis sententia etiam est quoddam mandatum prohibens actum sub tali censura. Accedit, quia, quod talis sententia vires amittat per mortem ejus, qui illam tulit, vel est ex natura rei, vel ex jure positivo; hoc posterius non ostenditur; prius autem dici non potest. Alias, licet superior expresse declaret, ut illa sententia vim habeat, etiam post mortem suam, donec a successore revocetur, id non consequetur, quia illa voluntas excedit jurisdictionem ejus; hac enim sola ratione existimari potest hoc esse contra jus naturæ. Consequens autem est falsum, nam Romanus Pontifex interdum adhibet illam clausulam in hujusmodi sententiis, ut fecerunt Gregor. XIII, et Pius ac Sixtus V, in bulla Cœnæ Domini, ut notavit Navarr., num. 27, cap. 73. Neque enim dici potest hoc esse peculiare in Summo Pontifice; nam si hoc est contra jus naturæ, et excedit limites humanæ jurisdictionis, etiam illi repugnabit.

12. *Ex aliis principiis idem suadetur.* — Dicendum nihilominus est, prædictam communem doctrinam veram esse, et moraliter certam, utpote communi usu receptam, qui pro lege valet. Et quamvis non contineatur expresse in jure positivo, fundari tamen potest in nonnullis principiis ejus. Primum, quod odia restringenda sunt, juxta vulgarem juris regulam. Aliud, quod mandatum expirat morte mandantis, quando res est integra, in cap. Relatum, et cap. Licet, et cap. Gratum, de Offic. deleg., et l. Mandatum, C. Mandati, et § Recte, Institut. eodem. Hic autem res censetur esse integra tempore mortis ipsius mandantis, quia nondum erat impleta conditio; et ideo ex tunc cessavit mandatum. Præterea est hoc valde consentaneum rationi naturali; nam ad bonam gubernationem pertinet, ut leges quidem stabiles sint, ut aliquid sit certum et firmum in reipublicæ gubernatione; mandata vero, quæ per modum actualis gubernationis ab hominibus dantur, non maneant perpetuo; esset enim intolerabile onus; et ideo ut cum illis moriantur, seu cessent, usu omnium receptum est. Denique, sicut homo non potest ferre censuram, quando jurisdictionem non habet, ita videtur non posse eam ferre pro eo tempore, pro quo jam non est jurisdictionem habiturus. Quod autem hoc fiat per legem, peculiare est, propter naturam et conditionem legis, ut explicatum est. Ex quo etiam fieri videtur, ut, cum lex suo modo pendeat a consensu, et acceptatione communitatis, quando aliqua lex ferens censuram acceptatur per modum statuti, et legis, eo ipso acceptetur, ut permanens quoad effectum, etiam post mortem legislatoris; quod secus est in sententia ab homine lata. Summus autem Pontifex, cum illam clausulam adhibet, extrahit talem sententiam ab hac generali ratione sententiæ, et quoad hoc condit illam per modum legis, vel statuti, quod pro sua suprema potestate, quam ab hominibus non habet, neque ab eis in illius usu pendet, facere potest, operando præter commune jus; et ideo videtur hoc esse singulare in ipso, et ad inferiores non esse extendendum.

13. *Si ante impletam conditionem judex jurisdictionem aut usum ejus amittat sententia ab illo lata non ligat.* — Duo tamen hic advertenda supersunt. Primum est doctrinam hanc communem procedere, non solum quando ante impletam sententiæ conditionem judex moritur, sed etiam quandocumque ante prædictum tempus desinit esse judex, aut amittit jurisdictionem, vel si eo tempore, quo impletur conditio, sit impeditus ab usu jurisdictionis, ut si sit excommunicatus, vel alia simili ratione suspensus; in his enim omnibus eventibus eadem ratio militat, nimirum, quod efficacia talis sententiæ semper pendet a potestate et jurisdictione ferentis; neque enim ob aliam causam pendet a vita illius, nisi quia pendet a potestate, quæ vitam supponit; ergo quacumque ratione potestatem, vel usum potestatis amiserit, sententia vim suam amittit. Præterea, hujusmodi sententia conditionata effectum habet eo tempore, quo impletur conditio, ac si tunc esset pronunciata, et non retrotrahitur, ut est communis sententia, quam recte declarat, et confirmat Covarr., in cap. Alma mater, part. 1, § 10, num. 6; ergo ut valida sit, et effectum habeat, semper necesse est, eo tempore, quo impletur conditio, qui illam tulit, habere potestatem legitimam et expeditam ad ligandum alium.

14. *Si cum impletur conditio judex habeat jurisdictionem, etiam si interrupta fuerit, sententia ligat.* — *Non autem si illam omnino amittat, licet iterum eligatur.* — Dico tamen hoc esse necessarium pro eo tempore, pro quo impletur conditio, quia non est necesse, ut toto tempore, quo expectabatur conditio, judex continue habuerit eumdem usum potestatis;

nam licet interim fuerit excommunicatus, v. gr., si postea absolvatur, ac tandem, cum impletur conditio, invenitur habilis ad ferendam censuram, id satis est. Quanquam in hoc aliud esse videatur, si in eo medio tempore judex fuit tantum suspensus ab usu jurisdictionis, vel si fuit omnino suo munere et jurisdictione privatus, et postea restitutus, vel iterum electus; nam in priori casu procedit quod dictum est, non vero in posteriori. Et ratio discriminis est, quia quando judex non privatur officio et potestate, sed suspenditur ab usu ejus, non annullatur omnino sententia conditionalis ab illo lata, sed suspenditur etiam; quare, ablato impedimento ab ipso judice, tollitur etiam respectu talis sententiæ, et eadem perseverat usque ad tempus conditionis implendæ. At vero, quando judex omnino amittit officium vel jurisdictionem, quodlibet mandatum et sententia, pendens a futura conditione, prorsus extinguitur, extincta potestate, a qua pendebat; et ideo etiam si illa eadem persona iterum ad idem munus assumatur, nisi iterum ferat similem sententiam, nullum sortietur effectum prior sententia, etiam si conditio impleatur. Unde ita censendum est de illo judice, ac si habuisset alium successorem a se distinctum, quia revera quoad mutationem potestatis perinde se habet, ac si facta fuisset in persona distincta; quod autem persona sit eadem, materiale quid est respectu actionum et effectuum talis potestatis.

15. *Corollarium ex dictis.* — Ex quo etiam mihi obiter colligo, quando priori modo contingit, tempore, quo expletur conditio, judicem habere suspensum usum potestatis, et ideo pro tunc etiam impediri censuram, si post illud tempus tollatur suspensio illa a judice, posse etiam sententiam recuperare vim suam, si talis sit conditio, ut toto illo tempore durare possit, et per totum etiam illud compleatur. Exemplis declaratur; nam si judex tulit sententiam excommunicationis: *Si homicidium, vel perjurium commiseris,* et quis falso juraverit eo tempore, quo ipse judex suspensus est, vel excommunicatus, neque tunc contrahet censuram, quia tunc ipse judex inhabilis est ad ferendam illam; neque postea, etiam si ablata sit judicis suspensio, quia conditio solum pendebat ex illo actu, et ex illo puncto temporis, in quo delictum commissum fuit; et postea nulla fuit nova contumacia. At vero si forma censuræ fuisset hæc: *Nisi intra mensem restitueris, vel satisfeceris, excommunicatus sis,* et cum completur illud tempus, judex sit suspensus, qui tunc non restituit, non statim contrahit censuram, propter rationem dictam; postea tamen ablata a judice suspensione, si subditus perseveret in non restituendo, ligabitur prædicta censura, quia, ut diximus, sententia illa non fuit extincta, sed suspensa; et conditio ejus talis fuit, ut non solum pro illo puncto, vel momento, in quo tempus mensis expletum fuit, sed etiam pro toto tempore sequenti possit compleri, quia ille terminus non est præfixus ad finiendam obligationem, sed potius ad inchoandam, et ad dilatandam solutionem usque ad illum, et non ultra; et ideo illa conditio melius per negationem explicatur, scilicet: *Dummodo ultra mensem non differas solutionem.* Ac propterea quo magis ac magis differtur solutio, eo magis expletur conditio; et consequenter nova contumacia committitur in prædicto casu, atque adeo censura incurritur, quandoquidem et judex jam habet usum suæ potestatis, et per sententiam latam, expleta conditione, satis illam exequitur. Idemque est quoties terminus præfixus conditioni talis fuerit, ut per lapsum ipsius non finiatur obligatio, sed potius major, seu vegetior fiat, ut dixit Navarrus, in Summa, cap. 21, ex cap. Cum dilecti, et Abbate ibi, n. 12, de Dolo et contumacia.

16. *Contracta semel censura non aufertur per mortem judicis.* — Alterum advertendum erat, quamvis censura nondum contracta, et lata per sententiam conditionatam, impediatur, ut diximus, per mortem, vel depositionem judicis, eam vero, quæ jam contracta est ex vi talis sententiæ, utpote convenienti tempore expleta conditione, non tolli, etiam si postea judex moriatur aut deficiat, ut constat ex cap. Pastoralis, § 1 de Officio ordinarii, et ex cap. unico de Major. et obed., in 6. Et ratio est, quia censura semel contracta jam non pendet quasi in conservari a judice, qui illam tulit; et ideo non aufertur per ablationem causæ, neque aliter, quam per propriam absolutionem, ut notavit Abbas, in cap. A nobis 1, n. 12, de Sent. excom., et inferius latius dicturi sumus.

SECTIO V.

An censura sub conditione lata comprehendat eum, qui domicilium mutavit.

1. *Difficultatis ratio.* — Hæc difficultas ex resolutione præcedentis puncti oritur. Nam,

si in prædicto casu censura impeditur, eo quod judex desinit esse judex ante expletam conditionem, eadem ratione impeditur censura, si subditus desinat esse subditus ante impletam conditionem, utpote si domicilium mutet. Consequens est falsum : ergo. Sequela probatur, quia ratio, cur censura cessat, quando judex desinit esse judex, ideo est, quia jurisdictionem amittit; sed quando fit mutatio ex parte alterius extremi, utpote quia ipse subditus domicilium mutat, etiam desinit jurisdictio in illam personam, quia desinit esse subdita; jurisdictio enim est veluti relatio quædam, quæ per mutationem cujusvis extremi amittitur; ergo, cum inferre censuram sit actus jurisdictionis, etiam cessabit. Minor probatur, quia alias, si Episcopus sub excommunicatione præciperet alicui alienum restituere intra certum tempus, ille posset vim excommunicationis effugere mutando domicilium, quod videtur absurdum, ac in fraudem censuræ et Ecclesiasticæ disciplinæ.

2. *Si quis ante conditionem impletam fiat non subditus, non tenetur censura.* — Hæc difficultas controversa est inter Canonistas, quos, et varias eorum opiniones late refert Ugolinus, dicto lib. de Censur., tab. 1, c. 20, § ultim., num. 4. Sed eas omitto, quia vel non formaliter, vel non adæquate ad difficultatem respondent, quanquam opinio, quam ipse Ugolinus præter alios indicat, mihi vera esse videatur. Dico ergo formaliter ad difficultatem respondendo, admittendam esse sequelam, videlicet, si ex aliqua mutatione subditi contingat ante impletam conditionem illum fieri non subditum, respectu illius, ut sic, cessare et vires amittere censuram latam sub tali conditione. Hoc convincit ratio facta, et quia censura ferri non potest nisi in subditum, ut infra late dicturi sumus, et constat ex cap. Romana, de Sententia excom., in 6. Quod ergo in controversiam afferri potest, solum est, quando aliquis subditus per mutationem fiat non subditus. Et quia potest aliquis non esse subditus simpliciter, et nihilominus esse subditus quoad aliquid, seu in aliqua causa, ideo licet per mutationem domicilii certum sit, fieri non subditum simpliciter, eum, qui antea erat subditus, adhuc sub quæstione restat, an possit manere subditus respectu illius causæ, vel actionis, propter quam lata est censura, vel an etiam respectu illius subjectionem amittat.

3. *Si quis ante impletam conditionem mutet domicilium, non est subditus, quoad censuram latam.* — In qua re dicendum censeo in primis, quandocumque censura est lata per statutum generale propter futuram actionem, si quis mutet domicilium ante completam conditionem, etiam si postea agat contra statutum, non incurrere censuram. Hoc est evidens, quia ille jam non obligatur illo statuto, cum jam sit extra territorium, et extra jurisdictionem alterius Prælati. Et hoc a fortiori convincitur ex c. fin. de Constit., in 6, ut legendi patebit.

4. Ex quo ulterius infero, qnandocumque censura lata est per generalem sententiam ab homine, vel per speciale præceptum, quibus pure prohibetur, vel præcipitur aliquid in futurum sub tali censura, sine ullo ordine vel habitudine ad præteritum factum, tunc etiam amittere vim ad inferendam censuram respectu illius, qui mutavit domicilium. Probatur, quia, licet hæ sententiæ dicantur esse ab homine, re tamen vera solum sunt quædam præcepta; unde solum possunt obligare subditos. In eo autem casu ille, qui mutat domicilium, desinit esse subditus, quare non obligatur præceptis alterius Prælati; hæc autem præcepta quoad hoc non habent majus robur aut majorem durationem, propterea quod censura munita fuerint. Et confirmatur ac declaratur; nam cessante causa censuræ sub conditione latæ, cessat censura; ut, si lata est excommunicatio, nisi restituas intra tale tempus, et intra illud creditor donet debitum, jam postea non teneberis censura, quia ablatum est censuræ fundamentum; at vero in præsenti casu, de quo agimus, cessat etiam fundamentum et causa censuræ; nam fundamentum est obligatio servandi tale præceptum; causa vero est inobedientia, et contumacia; hæc autem cessant mutato domicilio, ut ostensum est. Denique ibi nullus intervenit titulus, ratione cujus ille, qui subjectionem simpliciter mutavit per translationem domicilii, maneat subditus quoad talem actionem, cum neque ipsa actio, nec judicium aliquod circa illam fuerit inchoatum tempore prioris domicilii.

5. *Censura, lata sub conditione respiciente præteritum factum tempore domicilii commissum, mutato domicilio non vitatur. — Prior modus quo id contingere potest.* —Quapropter addendum est tertio, secus esse quando censura fertur sub conditione, quæ respicit factum præteritum, et commissum tempore prioris domicilii et subjectionis. Tunc enim ratione

juris acquisiti ex priori facto fit, ut, licet mutetur subjectio simpliciter cum domicilio, maneat secundum quid quoad talem causam, et consequenter quoad talem censuram. Duobus autem modis videtur hoc posse accidere. Primo, si quis prius commisit delictum, vel nocumentum fecit, ad cujus restitutionem, vel satisfactionem intra tantum tempus obligatus est a priori judice sub censura ipso facto incurrenda; tunc enim, licet intra illud tempus mutet domicilium, obligatus manet priori præcepto; et, si conditionem non impleat, censuram contrahet. Cujus duplex ratio reddi potest : prima, quia per prius delictum mansit subditus speciali titulo præter titulum domicilii, quod per se sufficit ad constituendum subditum in tali causa, ut infra ostendemus; et ideo, quamvis mutetur domicilium, manet subjectio quoad hanc causam ratione delicti, cap. fin. de Foro competente, et consequenter manet obligatio sub eadem censura. Quod optime confirmat textus in cap. 1 de Raptoribus, et cap. 1, in princip., de Privileg., in 6. Altera ratio est, quia illa sententia excommunicationis non est purum præceptum rei futuræ, sed est veluti judicium quoddam inchoatum in tali causa, in qua ille constitutus est reus, et vel formaliter, vel virtute coram tali superiore citatus est, ut causam agat, et in eo judicio condemnatus est, et ita per sententiam præventus, ut in eodem judicio reum absolvat; et ideo semper manet subditus quoad hanc causam, juxta ea, quæ in sequenti puncto adjiciemus.

6. *Posterior modus quo id accidere potest.* — *Limitatur doctrina.* — Alio modo potest hoc contingere, quando non præcessit delictum, præcessit tamen aliqua causa, quæ in judicium trahi cœpta est; ut si præcessit aliquis contractus vel debitum, cujus executio coram superiori postulata fuerat per citationem partis, et alia, quæ ad litem inchoandam requiruntur; tunc enim si ex tali causa, vel in ordine ad progressum ejus, orta est impositio censuræ sub conditione intra certum tempus, quamvis eo tempore mutetur domicilium, semper manet subjectio in ordine ad talem causam, quæ est expressa decisio Gregorii IX, in cap. Proposuisti, de Foro competent. Simileque habetur in l. Si quis, 7, ff. de Judiciis. Et in hoc casu vera est sententia Gloss., Innocent., Abbat., et aliorum, in cap. Præterea, 2, de Appellat., quatenus aiunt, per mutationem domicilii non tolli vim censuræ sub prædicta conditione propositæ; id enim procedit solum, quando tale præcessit delictum, aut causæ inchoatio, ut ratione illius maneat aliquis subditus quoad talem causam, etiam si alioqui jurisdictionem mutet, ut declaratum est. Videtur tamen in eo casu moderatio adhibenda, nimirum, si hujusmodi persona in fraudem, vel proprio motu domicilium mutet. Nam, si ex præcepto superioris propter commune bonum, vel aliam similem causam cogatur domicilium mutare, tunc omnino desinit esse subditus priori judici, etiam in causa coram illo inchoata, juxta doctrinam Bart., in l. 1, ff. de Pœn.; et insinuatam a Gloss., in dict. l. Si quis, 7, ff. de Judiciis, ex l. Qui autem, ff. Si quis cautionibus. Si ergo in eo casu omnino mutatur subjectio, cessat obligatio omnino parendi priori superiori, et consequenter in præsenti materia cessabit contumacia, ut propterea, etiam si adveniente tempore impleatur conditio, non incurratur censura.

SECTIO VI.

Quomodo suspendatur censura sub conditione lata.

1. *Per appellationem suspenditur censura.* — *Per appellationem non solum suspenditur censura, sed etiam præceptum.* — Hæc quæstio necessaria est ad hujus materiæ complementum. In qua primo dicendum est, hujusmodi sententiam suspendi per interpositam appellationem, ut expresse definitur in cap. Præterea, 1, de Appellat. Quia per appellationem transfertur causa ad alium judicem. Cum ergo prior sententia conditionalis nihil operata esset ante conditionem expletam, et tempore, quo impletur conditio, jam sit jurisdictio suspensa per appellationem, suam vim amittit, ut sumitur etiam ex cap. Cum contingat, de Offic. deleg., cap. Per tuas, de Sent. excom., et cap. Solet, eod. tit., in 6, ubi duo sunt advertenda. Unum est, per hanc appellationem non solum suspendi censuram, sed etiam præceptum seu obligationem exequendi id, quod sub censura præcipitur; ita ut expleto termino præscripto in tali sententia, non solum non incurratur censura, sed etiam non peccetur, non exequendo mandatum. Quia in totum hoc appellatio fertur; imo ideo appellatur a censura, quia appellatur a præcepto, quod ibi est principaliter intentum; censura vero est quasi accessorium; parumque utilis esset appellatio, si excusaret a pœna, et non a culpa. Atque hæc est sententia communis

Canonistarum, in dict. cap. Præterea, qui limitationem adhibent, quando appellans satis declarat se appellare a sola censura, et non a mandato. Quod per se manifestum est, raro tamen continget. Neque est ita interpretanda appellatio. nisi ex verbis satis constet.

2. Aliud observandum est, oportere appellationem esse legitimam, ut jura tradunt, et ratio ipsa naturalis docet. Ut autem legitima sit, duo potissimum requiruntur. Primum, ut sit ex causa probabili et sufficiente; et (quantum attinet ad externum forum) servandæ sunt Jurisperitorum regulæ, et ad præsentem materiam applicandæ, nimirum, ut si sententia sit interlocutoria, appellatio esse debeat ex causa rationabili, et coram judice probanda, juxta cap. Ut debitus, de Appel., et c. Romana, § ult., eodem titulo, in 6. At vero, cum appellatio est a sententia definitiva, ut admittatur, et valeat in illo foro, non est necessarium causam exprimere, sed simpliciter appellare, ut est communis doctrina in l. 2, ff. de Appel. Censebitur autem in præsenti materia sententia interlocutoria, quando vel non fertur servato ordine, et strepitu judicii, vel non fertur in tota causa, sed circa aliquem ejus articulum interponitur; juxta doctrinam Abb. communem, in cap. Auditis, de Procu., num. 3, et Rub. Ut lite non contest., num. 4; et tunc oportebit, causam appellationis proponere coram judice a quo, et illam probare coram judice ad quem appellatur. Quando vero respectu totius causæ juridice tractatæ fuerit imposita censura, censebitur definitiva, et tunc sufficiet simpliciter appellare, quantum ad externum forum spectat. Quod vero attinet ad forum conscientiæ, si quis bona fide appellet, intelligens se habere causam sufficientem et probabilem, id satis erit: si autem mala fide id faceret, solum ad dilationem litis, sciens appellationem esse injustam, et sine causa, graviter peccaret, et (ut opinor) non suspenderet vim præcepti, et censuræ, quia fraus et dolus nemini debent patrocinari, neque illa est vera defensio, sed offensio; nihilominus tamen in foro exteriori, quamdiu non probatur talis defectus, semper habet appellatio prædictum effectum. Nisi esset in causa, in qua secundum jura non habet locum appellatio, ut in causa fidei, vel in causa religiosi, quando secundum regulam corrigitur, ut habetur in cap. Ad nostram, et cap. Reprehensibilis, de Appell., et notat Palud., 4, dist. 18, q. 1, art. 4, conclus. 2, et alii.

3. *Quod sit tempus legitimum appellationis a censura.* — *Abbatis opinio.* — Secundo requiritur, ut talis appellatio debito tempore fiat. Quærunt autem circa hoc Canonistæ, an hujusmodi appellatio interponenda sit tempore a jure præscripto ad legitime appellandum ab aliis sententiis, quod est tempus decem dierum, juxta textum in cap. Quod ad consultationem, de Re judicata; an vero fieri possit toto tempore, quo conditio impleta non est. In qua re Abbas, in dicto cap. Præterea, docet etiam ad hanc appellationem servandum esse tempus lege præscriptum, quia illud jus est generale, et nulla est in jure facta exceptio de hac sententia; et ideo in illa etiam servandum est. Unde, cum ille numerus dierum computandus sit a die latæ sententiæ, juxta l. 1, § Biduum, ff. Quando appel. sit, quæ habetur etiam in cap. Biduum 2, q. 6, fit, ut intra primos decem dies a die sententiæ censuræ latæ appellandum ab ea sit, ut per appellationem suspendatur, etiam si terminus implendæ conditionis diuturnior sit.

4. *Vera opinio.* — Quæ opinio securior quidem est et ad tollendas lites aptior; tamen in rigore et in conscientiæ foro contrariam sententiam existimo esse satis tutam, et in foro etiam exteriori secure posse judices juxta illam pronunciare, nimirum, quocumque tempore interponatur appellatio, dummodo sit ante expletum conditionis tempus, legitimam esse et suspendere censuram. Quæ est opinio Glossæ et aliorum, in dict. cap. Præterea, quam referunt et sequuntur Covarr., dict. § 10, num. 4; et Navarr., in cap. Cum contingat, de Rescrip., causa 14. Quorum auctoritas reddit hanc opinionem satis probabilem et tutam; quæ etiam favorabilior est et mitior; ideoque (cæteris paribus) magis probanda. Favetque illi non parum dictum cap. Præterea, ibi, *Medio tempore;* illa enim particula indefinita æquivalet universali, cum sit quasi doctrinalis seu decisiva; ergo totum illud intermedium tempus est legitimum ad appellationem interponendam; atque in illo jure satis est hæc exceptio insinuata. Accedit, quod hæc sententia conditionata pro eo tempore, in quo nondum est impleta conditio, non simpliciter est sententia, sed secundum quid, quia conditionalis nihil ponit in esse; et ideo, quando conditio impletur, tunc ferri censetur; ergo mirum non est, quod toto priori tempore ab ea appellari possit, et quod ea ratione non comprehendatur sub communi jure præfiniente tempus ad appellandum a sententia, utique absoluta et perfecta.

5. *Discrimen inter censuram latam absolute et sub conditione.* — In quo etiam aliquid singulare in censura et præsertim in excommunicatione invenitur; nam ab illa, quando pure et absolute lata est, appellari non potest, saltem quantum ad effectum suspendendi censuram, ut habetur in c. Pastoralis, § Verum, de Appellat., et in cap. Is cui, § ult., de Sent. excomm., in 6. Ubi hoc etiam ad suspensionem et interdictum extenditur. Et optima ratio in priori textu redditur, quia hujusmodi sententia censuræ secum affert executionem; a sententia autem jam executioni mandata nemo potest appellare; sed quærendum est aliud remedium, nempe absolutionis.

6. *A censura conditionata, impleta conditione, non potest appellari. — Potest tamen a sententia declaratoria.* — Ex quo obiter colligitur graviter illos errasse, qui putarunt, etiam in sententia excommunicationis latæ sub conditione, intra certum terminum habere locum appellationem, post expletam conditionem, dummodo intra decennium fiat. Quæ videntur in eo fundari, quod talis sententia tum censetur simpliciter lata, quando conditio impletur; non tamen adverterunt conditionalem, impleta conditione, transire in absolutam; et ideo in præsenti materia secum ferre executionem; quapropter non potest ab illa appellari. Advertit autem Navarr., in dict. c. Cum contingat, causa 15, quod, licet sententia excommunicationis absolute lata non possit per appellationem suspendi, sententia tamen declaratoria, qua scilicet aliquis declaratur incurrisse, et denunciari et vitari præcipitur, per legitimam appellationem suspenditur. Quod ipse ibi late probat, eamque doctrinam approbat Covarr., dict. n. 4; sed de hoc modo suspendendi censuram per appellationem hæc nobis sufficiant.

7. *Per recursum ad Papam seu superiorem sententia suspenditur.* — Ad hanc vero causam suspensionis revocantur aliæ, quæ, licet non sint propriæ appellationes, illi æquivalent, ut notavit Paludan., in 4, dist. 18, q. 1, art. 4, concl. 2. Una causa est, quando aliquis non potens aut nesciens appellare, sese protectioni Apostolicæ Sedis committit, ut expresse traditur in cap. Ad audientiam, de Appellat. Atque idem est, quando iter ad Sedem Apostolicam arripitur seu inchoatur, ut in eodem titulo dicitur, c. Dilecti filii, secundo : *Quia plus est* (dicitur) *ad Sedem Apostololicam facto procurare, quam verbo.* Idemque a fortiori erit, si totum negotium Papa vel superior ad se avocaverit; tunc enim ablata est jurisdictio inferiori. Denique, quacumque ratione ille, cui censura imponitur, recurrat ad superiorem provocando seu petendo judicium ejus, censetur virtute appellare; et ideo id satis est, ut sententia suspendatur.

8. *Per consensum ejus, in cujus favorem lata est censura, suspenditur.* — Alia causa sufficiens ad suspendendum censuram ultra terminum in sententia præfixum esse potest voluntas et consensus ejus, in cujus favorem lata est; ut, v. gr., si in favorem creditoris præcipitur debitori sub censura, ut intra tres menses solvat, et postea creditor concedat majorem terminum, ita ut per quatuor aut plures menses expectare contentus sit, tunc non incurret debitor excommunicationem, etiam si conditio videatur impleri in termino per sententiam præscripto. Quia, licet videatur facere contra verba præcepti superioris, non tamen contra mentem et voluntatem ejus, quæ est ut satisfiat creditori; quando autem ipse consentit, jam pro eo tempore ei satisfactum est. Quæ ratio explicatur aliter; nam cessante causa excommunicationis, cessat excommunicatio; ergo suspensa (ut ita dicam) causa excommunicationis pro aliquo tempore, pro eodem suspenditur excommunicatio; nam est eadem ratio et proportio, quia pro eo tempore vere tollitur causa excommunicationis et materia præcepti. Quando autem mihi præcipitur, ut solvam debitum hodie, supponitur me teneri ad solvendum pro die hodierno; at vero, quando creditor contentus fuit, ut differatur solutio in crastinum, jam non sum debitor pro hodierna die; nec judex vult me plus obligare quam ipse creditor velit. Et ideo etiam jam non sum contumax, eo tempore non solvendo, nec rationabiliter talis præsumi possum, cum constet materiam præcepti esse ablatam pro eo tempore. Cessat ergo pro tunc causa incurrendæ censuræ, et ideo tunc non incurritur. Quæ fuit sententia Abbatis, Decii et aliorum in dict. cap. Præterea, quam etiam tenet Angel. qui alios refert, verb. *Excommunicatio* 2, num. 20.

9. *Contraria sententia improbatur.* — Et mihi videtur tam speculative quam practice vera et secura, quamvis alii contrarium sentiant, ut Sylvest., verb. *Excommunicatio* 2, num. 1, casu 13; Navarr., cap. 27, num. 25; Ugolin., qui alios refert supra, c. 20, § ultim., num. 5. Hac solum ducti ratione, quod, sicut proferre talem sententiam est actus jurisdictionis, ita etiam differre vel suspendere illam;

ergo sine consensu judicis habentis jurisdictionem non sufficit alterius partis consensus ad prædictum effectum. Hæc tamen ratio facile dissolvitur ex fundamento a nobis adducto; nam suspendere sententiam directe et quasi potestative, stante causa et materia ejus in eodem vigore, est actus jurisdictionis; suspendere tamen vel dilatare sententiam per subtractionem materiæ non est actus jurisdictionis, sed dominii circa talem materiam. Sicut etiam revocare sententiam semel latam, si directe et ex potestate agentis id fiat, est actus jurisdictionis; omnino vero auferre vim sententiæ conditionalis per subtractionem causæ et materiæ, ut, v. gr., condonando debitum, non est actus jurisdictionis, sed dominii.

10. *Notandum pro data resolutione.* — Et ideo in hujusmodi sententiis diligenter observandum est, ut talis sententia omnino, et (ut ita dicam) adæquate data sit in favorem talis personæ, quæ dominium habet seu potestatem ad remittendum, vel differendum debitum seu satisfactionem. Nam, si illa non sit causa totalis, sed partialis, et judex intendat aliquod commune bonum in executione talis sententiæ, tunc non sufficiet consensus partis ad differendum terminum ejus, ut ex contraria ratione satis notum est. Tamen in simili casu et servata proportione, non sufficiet consensus ejusdem partis ad tollendam omnino obligationem talis præcepti et censuræ, etiam si omnino cedat juri suo, quia etiam tunc maneret jus boni communis, quod judicem præcipue intendere supponimus. At vero, servata proportione, quotiescumque per consensum partis remittentis debitum tollitur censura, per consensum ejusdem differentis debitum, censura differtur. Et hoc probat ratio facta, nec discrimen sufficiens assignari potest.

11. *Incurraturne censura non impleta conditione post terminum longiorem a parte indultum. — Quorumdam sententia. — Vera sententia.* — An vero, non expleta conditione, etiam post terminum longiorem præfixum ex consensu partis, tunc incurratur excommunicatio, nonnullum dubium habere potest. Nam judex solum præfixit terminum trium mensium, v. gr., et pro tunc impeditus est effectus ex consensu creditoris; ergo, ut postea incurratur, nulla est causa sufficiens; nam voluntas creditoris non sufficit; voluntas autem superioris non adest, quia jam elapsum est tempus per eam præscriptum. Propter quam rationem ita sentiunt Angelus, verb. *Excommunicatio* 1, n. 21; et Sylvest., verb. *Excommunicatio* 2, num. 1, casu 13; Navarr., ubi supra. Quamplures alios refert Henric., lib. 13 Summæ, cap. 20, littera H. Dicendum nihilominus est, postea incurri censuram, quia vere expletur conditio, sub qua lata est. Quod duobus modis explicari potest. Prior et facilis est, quia, ut supra dicebamus, ille terminus non est ad finiendam, sed ad differendam solutionem; et ideo non tam positive quam negative explicandus est, scilicet, ut ultra tres menses non differatur solutio; habet autem subintellectam conditionem, nempe, *invito creditore,* quia in ejus gratiam talis sententia fertur; et ideo, cum primum ipse incipit esse invitus, impletur conditio, quia jam ultra tres menses differtur solutio invito creditore. Alter modus explicandi erit, etiam si positive terminum illum, v. gr., trium mensium declaremus, quia tempus illud, nec materialiter, nec continue oportet intelligi, sed de tribus mensibus, pro quibus urgeat obligatio solvendi debitum. Totum autem illud tempus, quod adjectum est ex voluntate creditoris, ex eadem constitutum est extra obligationem pro tunc solvendi debitum; quare statim ac illa voluntas cessat, iterum clauditur illa obligatio sub priori tempore trium mensium, quo tunc moraliter ac formaliter censetur terminari; quamobrem, si tunc non solvatur debitum, impletur conditio, sub qua excommunicatio lata est. Quo fortasse sensu recte dicunt Juristæ, prorogatione termini facta, eumdem terminum esse censeri, quia sub ea conditione prorogatio fieri existimatur, ut sumitur ex lege *Sed etsi,* ff. de Precario, et l. Si cum die, ff. de Arbitris. Qui etiam recte distinguunt inter innovationem et prorogationem termini ex l. 4, ff. de Damno infecto; nam innovare est novum terminum concedere; prorogare vero est eum, qui erat assignatus, extendere. Atque ita in præsenti, licet creditor non possit novum terminum auctoritate sua statuere, potuit tamen prorogare priorem, et ita idem ipse est, qui postea expletur suspensione ablata. Et ita solvitur facile fundamentum oppositæ opinionis; nam tunc excommunicatio non incurritur nisi ex vi prioris sententiæ; et ideo non est necessarius novus consensus judicis, quem Angelus et Sylvester requirunt.

SECTIO VII.

Utrum censura ferri possit sub conditione ad causam pertinente.

1. *Male fertur sententia censuræ sub conditione impertinente.* — Superest, ut de alio genere conditionalis censuræ dicamus, quando scilicet conditio talis est, ut ad complendam causam censuræ nihil referat, ut, v. gr., si hac forma feratur : *Excommunico te, si navis ex India venerit aut venit.* Potest enim hæc conditio esse, aut de re præsente, seu jam facta, aut de re futura contingenti; nam, si sit omnino necessaria, est supervacanea. Dico ergo, quotiescumque talis conditio additur huic sententiæ, quæ ad causam vel rationem ferendi censuram nihil spectat, imprudenter addi et male fieri. Probatur, tum quia tunc maxime procedunt leges, quæ hoc vetant, ut, l. 1, § Biduum, ff. Quando appel. sit; tum etiam quia si illa conditio nihil refert ad causam censuræ, sine ratione fertur censura dependenter ab illa; tum denique quia in re tam gravi et spirituali non debet aliquid impertinens adjungi.

2. *Conditio non augens culpam potest esse causa rationabilis limitandi censuram.* — Dixi autem, conditionem debere esse talem, ut ad rationem ferendi censuram nihil referat; nam interdum dari potest conditio, quæ licet non augeat vel minuat culpam, nihilominus tamen possit esse rationabilis causa limitandi vel suspendendi censuram. Et hæc forma : *Excommunico clericum hoc facientem, nisi sit in tali dignitate constitutus,* conditionalis est; et illa conditio non minuit culpam, imo fortasse interdum auget; nihilominus tamen propter honorem et æstimationem dignitatis Ecclesiasticæ expedire potest ita limitare censuram. Quod attente observandum est in omnibus similibus conditionibus; aliquando enim possunt rationabiliter addi, ut explicatum est; aliquando vero continere possunt acceptionem personarum, ut si generali censuræ addatur conditio, solum ad excludendas aliquas personas sine rationabili causa propter singularem affectum vel cognationem ad illas.

3. *Sententia censuræ sub conditione impertinenti de præsenti, aut præterito, tenet.*—Secundo dicendum est, quoties talis conditio est de præsenti aut de præterito, si jam extat, validam esse censuram, quantumvis conditio sit impertinens; sicut e contrario si non extat, censura est nulla. Ratio est, quia conditionalis nihil ponit in esse, si conditio non sit apposita; si autem sit apposita, æquivalet absolutæ, unde non impedit effectum ex hoc præcise, quod conditio sit impertinens aut nihil ad causam referat. Confirmatur; nam etiam in sacramentis ministrandis talis conditio, aut concepta in mente et intentione, aut verbis expressa, non impedit valorem sacramenti, si revera conditio extet, ut diximus superiori tomo, disp. 13, sect. 3.

4. *Nisi contineat intolerabilem errorem.* — Dico autem, *ex eo præcise quod sit impertinens,* nam, si ex tali additione ulterius eveniat, ut sententia contineat intolerabilem errorem, jam ex eo capite poterit censura impediri; vel etiam, si talis sit conditio, ut perplexitatem inducat. Ut est in illo vulgato exemplo de duobus habentibus æqualem potestatem, simulque proferentibus sententiam sub hac conditione, *si alter te non excommunicat.* Nam talis conditio vel intelligi debet de sola prolatione sententiæ, et sic neutra ex parte impletur conditio, et consequenter neutra ex parte tenet sententia. Vel, si conditio intelligatur de valore censuræ, id est, si alter non te valide excommunicat, sic includit perplexitatem; nam si demus, unius sententiam non esse validam, hoc ipso videtur apponi conditio necessaria, ut altera sit valida; quod si una valida est, etiam erit altera, quia non est major ratio de una quam de alia; et ideo talis modus ferendi sententiam merito continetur sub illis, qui continent intolerabilem errorem. De quo in simili diximus de sacramentis, disputatione citata.

5. *Censura lata sub conditione impertinente de futuro contingente, est nulla.* — Tandem addendum est, quoties conditio posita est de futuro, contingente et est omnino impertinens ad causam et rationem ferendi censuram, probabilius videri, talem sententiam statim esse nullam; neque oportere expectare eventum conditionis appositæ ad judicandum de valore censuræ. Ita sentit Ugolin., dict. c. 20, § ultim., in ultimis verbis; et idem nos loco citato censuimus de simili modo ministrandi sacramenta. Et ratio in præsenti est, quia talis sententia continet intolerabilem errorem; actus enim spiritualis potestatis non debet esse ita pendens a casuali conditione, quæ ad talem actum omnino impertinens sit. Alias etiam posset Petrus sub hac forma excommunicare Paulum, *si Joannes consenserit,* quanquam voluntas Joannis nihil vel ad potestatem,

vel ad causam, seu rationem excommunicandi pertineat. Hoc autem est valde absurdum et intolerabilis abusus spiritualis potestatis. Et ideo censeo talem sententiam a principio continere intolerabilem errorem, ac propterea nullam esse juxta decisionem cap. Per tuas, de Sentent. excom., et c. Solet, eodem titulo, in 6.

SECTIO VIII.

Utrum debeat admonitio præcedere, antequam censura feratur.

1. Explicuimus ea, quæ videntur esse substantialia in forma censuræ ferendæ; nunc solemnitas accidentalis explicanda est. Hæc autem solemnitas esse potest, aut antecedens, aut concomitans, aut subsequens; de quibus sigillatim dicendum est, quoniam fusiorem declarationem requirunt. In hac ergo de admonitione, quæ censuram antecedit, inquirimus.

2. *Admonitio sufficiens debet antecedere censuram.* — Principio ergo certum est, juxta canonum dispositionem sufficientem admonitionem ante censuram debere antecedere. Quod frequentius traditur de excommunicatione, ut patet ex cap. Sacro, de Sentent. excommun., et in c. Romana, eodem titulo, in 6, et cap. Cum speciali, de Appellation., et alibi frequenter; tamen etiam extenditur ad alias species censuræ, ut patet ex cap. Reprehensibilis, de Appellat. Ubi de sola suspensione et excommunicatione sermo est. In cap. vero Statutum, de Sentent. excom., in 6, ad interdictum hæc regula extenditur. Et in cap. Indigne, 12, q. 2, generatim dicitur : *Debet esse provisum, ut vindictam admonitio præcedat.* Solum circa interdictum oportet advertere, quia interdum propter unius culpam toti universitati imponitur, juxta cap. Si sententia, de Sent. excom., in 6, tunc admonitionem non omnibus, sed illi, ob cujus culpam censura fertur, faciendam esse. Quod per se notum est, quia alii non sunt contumaces aut inobedientes. Sic ergo in omnibus censuris ferendis admonitio sufficiens præcedere debet. In quo Doctores eisdem locis et moderni scribentes de censuris consentiunt.

3. *Admonitio antecedit censuram ab homine, non a jure.* — Observare autem oportet hæc omnia jura loqui de censuris, quæ ab homine feruntur, quia in iis, quæ per legem ipso jure imponuntur, nec necessaria est admonitio alia, nec fere locum habet. Primum patet, quia ipsa lex sufficienter admonet, non semel, aut iterum, sed quasi continue. Unde omnino cessat ibi ratio, vel necessitas alterius monitionis. Ratio enim præcipua, propter quam jura admonitionem requirunt, est, tum propter pœnæ gravitatem, tum maxime, quia juxta Ecclesiæ morem, ut infra dicemus, non fertur nisi in contumacem; non censetur autem contumax, nisi qui prius admonitus non obedit; at vero qui non obedit legi prohibenti sub censura ipso facto incurrenda, satis est contumax; non indiget ergo alia admonitione. Secundum patet, quia, si alia admonitio præter legem ipsam necessaria esset, non posset censura ipso facto incurri, contra intentionem legum, quam supra ostendimus. Sequela patet, quia, si post violatam legem, alia admonitio necessaria esset, et admonitus resipisceret, jam non contraheret censuram; ergo non contrahebatur ipso jure. Quod si admonitus non resipisceret, et contraheret censuram, non tam propter legem violatam, quam propter contumaciam in non resipiscendo, seu non satisfaciendo, illam contraheret. Ipsa ergo lex satis admonet; et ideo jura solum requirunt, ut non ignoretur, quia ignorantia impedit admonitionem, et excusat contumaciam, c. 2 de Constit., in 6, de quo plura inferius. Limitandum vero hoc est, quando ipsum jus monitionem requirit, ut in Clementina ultima, § fin., de Stat. monach., ibi : *Nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursuros.* Et simile quid habetur in Clem. 1 de Decimis. Hoc autem speciale est; et inde amplius firmatur generalis regula tradita, quod, ubi jus est absolutum, et censuram ipso facto fert, aliam admonitionem non requirit.

4. *Censura lata ab homine per generalem legem pro peccatis futuris non indiget monitione.* — Ex quo infero, idem dicendum esse de censuris latis per sententias generales pro peccatis futuris, etiamsi tales sententiæ non attingant statum et perpetuitatem legum; et ideo ab homine vocentur. Nam in modo, quo feruntur, sunt simillimæ censuris a jure latis. Unde ratio facta æque de illis procedit; nam etiam hujusmodi sententiæ continent censuram latæ sententiæ et præceptum, quod, dum permanet, per sese admonet subditos, non tantum semel aut iterum, sed continue; ergo in tali modo ferendi censuram non requiritur alia admonitio, verum potius repugnare videtur cum tali modo censuræ latæ sententiæ. Unde jura eodem modo loquuntur de censuris

latis per has sententias generales, sicut de iis quæ jure feruntur, ut patet ex c. A nobis, de Sent. excom. Quod aliqui de statuto seu lege interpretantur. Sed neque in textu est aliquod verbum, quo id significetur, sed potius oppositum, ut patet ex illis verbis, quibus quæstio proponitur : *Si quis ita pronunciaverit*, etc., et ex verbis, quibus Pontifex respondet : *Quod hac sententia non nisi subditi obligantur*. Neque hæc decisio posset commode in concordiam redigi cum decisione textus in c. 2 de Constitut., si in utroque esset sermo de statutis, ut late tractat Covarr., dict. relect., part. 1, c. 10, et infra dicemus. Expressius vero, in c. Quia periculosum, de Sent. excom., in 6, distinguitur excommunicatio, quæ ipso facto incurritur, in eam, quæ per sententiam generalem, et per statutum infertur, et declaratur illa non comprehendi Episcopos, et superiores Prælatos, nisi de eis expressa fiat mentio. Unde constat sermonem esse de censura generatim lata, sive per sententiam, sive per statutum, et tamen de utraque supponitur incurri ipso facto ; ergo etiam supponitur non requiri aliam admonitionem, sive per sententiam, sive per legem feratur.

5. *Cap. Romana objicitur et exponitur.* — Contra hoc vero objici potest textus in c. Romana, de Sent. excom., in 6, ubi excommunicatio prohibetur ferri absque monitione præmissa, tam *specie*, quam *in genere*. Propter quæ verba id etiam indistincte asseruit Abb., in c. 2, num. 11, de Officio ordinarii. Verumtamen textus ille non loquitur de censuris generalibus, quæ feruntur propter peccata futura, sed *pro culpis et offensis præteritis vel præsentibus;* hæc enim sunt verba textus. Quæ quidem sententiæ semper sunt speciales quoad delicta, quia delictum semper est in specie, seu in particulari commissum ; possunt autem esse speciales vel generales, quoad personas. Et in his est longe diversa ratio, quia, quando delictum commissum est, non præcessit contumacia, quia nec lex, nec sententia prohibens sub censura præcessit, quod secus est in sententiis, quæ propter peccata futura feruntur. Quamobrem idem verum censeo de censuris pro futuris delictis, etiamsi in specie ferantur per præceptum tali personæ impositum, ut hoc vel illud faciat aut vitet sub tali censura ipso facto incurrenda, quia tunc revera illam incurret absque alia admonitione prævia, propter eamdem rationem. Et ex ipso usu id satis probari videtur. An vero tunc ad denunciationem faciendam sit necessaria admonitio, postea dicemus.

6. *Solum in sententiis pro præteritis culpis, est necessaria admonitio.* — Igitur necessitas admonitionis solum invenitur in sententiis latis ab homine propter præteritas seu jam commissas culpas, ut constat ex dicto c. Romana. Et plane alia jura, quamvis non semper id exprimant illis verbis, semper tamen loquuntur de sententiis ab homine latis supposito delicto ; et ideo utuntur hoc verbo, *promulgandi sententiam in aliquem,* ut patet ex dict. c. Sacro, et ex c. Cum speciali, de Appell. Sic autem explicata hæc lex Ecclesiastica generalis est, et omnes homines ferentes censuram, seu omnes censuras a quocumque homine latas comprehendit, quia jura indistincte, et generatim loquuntur, et quia rationes supra factæ in omnibus locum habent. Unde, sicut in superioribus dictum est sub homine ferente censuras comprehendi collegia, seu communitates, quæ hanc potestatem habere possunt, ita hic dicendum est, conditionem hanc non minus in eis esse requisitam, quam in aliis. Quod late declarat Ugolinus, lib. de Cens., tab. 1, c. 18, in princ. Sed id omitto, quia res est clara. Neque est dubium, quin hæ leges ex genere suo graviter obligent, ut constat ex tenore canonum quos attulimus, ut in c. Sacro, et aliis, et ex materia earum, quæ gravis est, et bono animarum necessaria. Quapropter ex suo genere grave peccatum erit, illam prætermittere, ut notavit Ledes., 2, part. 4, quæst. 23, art. 3.

7. *Teneaturne Summus Pontifex in censuris ferendis monitionem præmittere.* — Solum potest de Summo Pontifice dubitari, an teneatur hanc circumstantiam servare in ferendis censuris. Et breviter respondeo, aliquid esse posse pertinens ad jus naturale, nimirum, ut sine sufficiente causa nemo puniatur, et quod contra inauditam partem sententia non feratur, in quibus principiis etiam hæc admonitio fundatur; et quoad hæc tenebitur Pontifex hunc ordinem servare. Aliquid vero in hoc est pertinens ad jus positivum, ut, v. gr., quod admonitio fiat tali modo, et quod non sufficiat evidentia, et gravitas delicti absque illa, et similia, et quantum ad hæc, ita tenebitur Pontifex hoc jure, sicut in universum legislator suis legibus obligari potest. Non quidem ex vi potestatis directivæ, sed ex naturali obligatione ad commune bonum tuendum, et ad conformitatem, seu proportionem debitam capitis cum corpore, de

quo alias. Itaque non recte faceret Pontifex, si absolute et sine ulla causa hunc ordinem ferendi censuram inverteret. Ex causa tamen, sicut posset in hoc dispensare cum alio, ita posset interdum juste agere ferendo censuram absque alia admonitione, supposita gravitate delicti, et publica evidentia facti, et aliqua urgente necessitate. Non est enim tam intrinsecum censuræ, ut propter contumaciam ab Ecclesia feratur, quin possit etiam propter simplex delictum ferri de absoluta Pontificis potestate. Quæ doctrina tota confirmari potest ex c. In causis, de Sent. et re judicata.

8. *Debeatne censuram latam in defensionem propriam præcedere admonitio. — Quorumdam opinio.* — Quoniam vero dictum est hanc admonitionem solum requiri in censuris ab homine latis per sententiam ob culpam commissam, dubitare quis potest, an, quando censura non fertur per modum judicii, sed per modum defensionis juxta superius dicta in sect. 2, teneatur monitionem præmittere. Multi enim Canonistæ negant tunc esse necessariam monitionem, quos refert Covar., in dict. § 9, num. 6, et alios refert Ugolin., dict. c. 18, lib. 2, quos ipse sequitur ex fundamento jam insinuato. Quia tunc excommunicatio non est a judice, ut judex est, sed a persona privata defendente jus suum; præmittere autem monitionem solum est præceptum judici, ut ex citatis juribus sumitur, præsertim ex c. Sacro. Addi etiam potest, tunc esse notoriam contumaciam, et ideo non esse necessariam monitionem.

9. *Secunda opinio.* — Contrariam sententiam defendit Covar., citato loco, et eam tenet expresse Abbas (quamvis soleat in contrarium citari), in c. Venerabili, de Censib., n. 3. Imo refert Hostiensem tenentem contrarium, et dicit hanc partem esse tutiorem; et idem tenet Innocentius ibi, cujus doctrinam Abbas exponit. Fundamentum esse potest, quia jura non limitant hoc præceptum, de præmittenda monitione, ad solos judices, cum ea formalitate judicandi, sed absolute prohibent, *ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, promulgare præsumat;* quæ sunt verba c. Sacro; ille autem, qui in defensionem sui juris alium excommunicat, verissime dicitur in eum promulgare excommunicationis sententiam; nam illa vox, *sententiam,* non necessario sumitur in eo rigore, quo est actus judicii proprie sumpti, sed prout communiter dici solet de censura excommunicationis, etiamsi per præceptum feratur. Adde, eum, qui censura utitur in sui defensionem, nunquam posse ita exuere potestatem, vel actum judicis, quin eis utatur, quia censura necessario est actus jurisdictionis, et pœna, quæ supponit condignam culpam. Neque est verum ibi intercedere aliquam contumaciam ante admonitionem, etiamsi delictum aliquod præcedere possit, quia nondum ille fuit inobediens formaliter præcepto Ecclesiæ, licet fortasse in re aliqua jus suum Prælato denegaverit, quod interdum sine peccato posset contingere, ut jam explicabo.

10. *Posterior sententia præfertur et explicatur.* — Hæc itaque posterior sententia mihi verior videtur; imo addo, si res ad praxim reducatur, vix posse aliter talem censuram prudenter ferri. Constituamus ergo communem casum de Episcopo, qui, visitans suam diœcesim, ab aliquo parocho, vel Abbate non admittitur ad visitandum, eo quod se asserat exemptum; in quo casu aiunt omnes dicti auctores, si hujusmodi Episcopus antea erat in possessione visitandi illam Ecclesiam, posse excommunicationis sententiam ferre in talem parochum, etiamsi appellationem interposuerit, juxta superius dicta in sect. 2. Interrogo ergo, an ille parochus denegans locum visitandi titulo tuendi jus suum, graviter peccaverit ante admonitionem Episcopi, necne? Nam, si non peccavit, nec censura fertur quasi in punitionem commissi delicti; ergo non potest ferri nisi per modum præcepti, et pro peccato futuro, id est, si contradicendo, et resistendo perseveraverit; et tunc jam non sumus in casu, in quo decreta statuunt, ut admonitio præcedat, ut ex dictis constat. Unde in eo casu verissimum censeo non esse necessariam aliam admonitionem præter præceptum, quia ipsum præceptum satis admonet. Quoniam vero hujusmodi præcepta semper imponuntur sub aliquo termino peremptorio, ut, si intra illum conditio impleatur, statim ipso facto censura incurratur, oportebit terminum illum seu tempus tantum esse, quantum ad deliberandum, et humano modo agendum moraliter sufficiat, quod juxta causæ et negotii qualitatem prudentiæ Prælati committendum est. Præceptum autem, toto tempore illo urgens, sufficienter æquivalet etiam trinæ monitioni. Si autem parochus censeatur, vel præsumatur graviter peccasse, hoc ipso quod suum Prælatum a sua possessione perturbare tentavit, tunc rursus

interrogo, an Prælatus illum excommunicet propter delictum commissum, nimirum, ut puniat illud, vel ut cogat desistere a vi inchoata. Sub priori ratione non se gerit Prælatus tanquam se defendens, sed tanquam verus judex, quia punire delictum commissum, nil refert ad defensionem, sed solum quod delinquens ab incepto desistat; unde ille est propriissimus actus judicis, ut sic; ergo tunc habent locum omnia jura, quæ admonitionem præmittendam statuunt; debet ergo illam præmittere, si ea intentione et ratione censuram ferre velit. Si autem ad hoc ferat excommunicationem, ut ille ab incepto desistat, non potest aliter hoc facere, quam hoc ipsum præcipiendo sub censura ipso facto incurrenda; atque ita jam illa est censura sub conditione futuræ culpæ, et admonitionem continet in ipsomet præcepto; ergo, moraliter loquendo, nullus hic videtur relinqui quæstioni locus. Neque in hoc modo ferendi censuram aliquid novum aut peculiare fit, nam servantur illæ duæ regulæ, quod pro peccato præterito non fertur censura nisi monitione præmissa; sub conditionem de futuro fertur cum sola monitione in præcepto inclusa. An vero hæc debeat esse triplex, vel sufficiat una, et circa hoc aliquid singulare in eo casu inveniatur, jam explicabo.

SECTIO IX.

Quotuplex debeat præcedere admonitio.

1. *Trina monitio debet antecedere censuram.* — Non solum statuunt jura, admonitionem præmittendam esse, sed etiam modum, quo facienda est, præscribunt. Et primo quidem in dicto c. Sacro, statuitur, ut *hæc admonitio competens sit.* Ubi Glossa competentem monitionem declarat, id est, trinam, quæ alias solet in jure dici *canonica.* Tanta enim, et tam suavi providentia voluerunt Ecclesiastici canones hujusmodi censuras ferri, ut prius triplicem monitionem præmitti voluerint, ut patet ex c. Contingit, 2, de Sent. excomm., quanquam ibi non videatur generalis lex tradi, sed in quodam peculiari casu et negotio præcipi. At vero in c. Constitutionem, de Sent. excom., in 6, § Statuimus, satis declaratur, statutum esse per jura, ut trina monitio præmittatur. Unde videtur hoc jus esse antiquissimum; nam jura, quæ de illo loquuntur, non significant illud de novo statuere, sed illud supponere, ut perpetuo in Ecclesia observatum, ut patet ex cap. De illicita, 24, quæst. 3, etc. De Presbyterorum, 17, quæst. 4, ubi indicatur, hanc formam trinæ admonitionis sumptam esse ex ordine correctionis fraternæ, quem Christus docuit. Unde in cap. Omnes decimæ, 16, quæst. 7, dicitur: *Secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel, et secundo, et tertio.* Non quod hoc sit præceptum juris divini, tum quia ostensum sit totam hanc censurarum institutionem Ecclesiasticam esse; tum etiam quia ad forum contentiosum pertinet, non ad fraternam correctionem. Solum ergo id dicitur, quia ad instar, et imitationem ordinis a Christo propositi hæc institutio facta est. Unde in c. Præsenti, 5, quæst. 2, alius admonendi ordo a Sylvestro Papa olim servatus commemoratur; in quo quinque monitiones fiebant, antequam anathema proferretur; post singulas vero monitiones paulatim etiam indicebatur censura, et crescente contumacia augebatur, privando prius ingressu Ecclesiæ, postea communione, seu communicatione fidelium, postea anathema pronunciando. Verumtamen ritus trinæ monitionis in Ecclesia retentus est. Quem observare tenentur omnes Ecclesiastici judices cujuscumque ordinis, vel conditionis sint, infra Summum Pontificem; nam jus, quod hoc statuit, generale est, et commune omnibus, et super omnes. De ipso vero Pontifice Summo ita censendum est, sicut supra de admonitione diximus.

2. *Unam monitionem pro pluribus fieri posse.* — In servanda vero hac forma trinæ admonitionis ea moderatio adhibenda est, quæ in dict. c. Constitutionem, ponitur, nimirum, non semper necessarium esse, ut hæ tres monitiones tribus temporibus distinctis fiant, sed unam pro tribus fieri posse, *dummodo aliquorum dierum competentia intervalla concedantur;* ut si sub hac forma fiat : *Admoneo te, ut intra tres dies satisfacias, singulos dies pro singulis admonitionibus tibi concedendo.* Et (quod advertendum est) in illo textu nulla causa postulatur, ut hoc modo possit fieri admonitio una pro trina, sed generatim et absolute conceditur; et ita indistincte fieri potest utroque modo. Ideoque fortasse posterior modus unius admonitionis pro trina magis est usu receptus, quia facilior. Et in his Doctores conveniunt.

3. *Quantum temporis necesse sit pro unaquaque monitione concedere.* — Dubitant tamen quantum temporis necesse sit pro unaquaque admonitione concedere. Aliqui enim

putant, ut minimum, oportere, ut pro unaquaque admonitione duorum dierum spatium concedatur, quia textus ille ait : *Aliquorum dierum competentia intervalla.* Quod indicat Navar., c. 27, num. 11, sub hac limitatione : *Quando non est periculum in mora.* Ex illo autem textu non satis colligi videtur, hoc esse necessarium, quia ibi non dicitur, quod pro singulis admonitionibus detur aliquorum dierum spatium; sed quod judices inter monitiones servent aliquorum dierum convenientia intervalla. Hoc autem propriissime, et juxta literam servabitur, etiamsi tres, vel duos dies tantum pro omnibus admonitionibus judex concedat, ex illis diebus conveniens intervallum singulis admonitionibus designando; tunc enim vere ac proprie aliquorum dierum intervalla pro omnibus, vel pro una omnibus admonitionibus æquivalente, tribuuntur. Nihilominus tamen, quia prior sensus planior videtur, tutius erit id observare, ubi nulla rationabilis causa cogit ad tempus illud coarctandum; ex illa vero id facere licebit, quod prudenti arbitrio judicis relinquendum est, pro negotii qualitate, ut Glossa circa eumdem textum annotavit. Si quis autem recte consideret, jam tunc judex non servabit formam admonitionis præscriptam simpliciter in illa parte illius canonis, sed utetur facultate concessa in eodem textu in ultima parte illius, quæ superest explicanda.

4. *Ex rationabili causa potest tempus monitionum coarctari, non autem admonitio prætermitti.* — Additur ergo ibi, *nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda;* ubi illud relativum, *ea,* intervalla dierum refert; igitur ex rationabili causa potest illa dierum pluralitas coarctari, vel etiam ad diem unum aut brevius tempus, si necesse fuerit, redigi. Ponderari autem potest vis illius vocis, *moderanda;* nam ex vi illius non videtur permitti, ut propter ullam necessitatem admonitio omnino prætermittatur, nullumve tempus ad resipiscendum concedatur, sed solum ut terminus coarctetur et limitetur; hanc enim vim habet verbum, *moderandi.* Et sane, si quis consideret propriam materiam, in qua versatur hæc admonitio, vix potest cogitari casus, in quo admonitionem omnino prætermittere oporteat, juxta Ecclesiæ intentionem in his censuris ferendis. Nam, aut agitur de delicto commisso, aut de vitando damno aut opere aliquo, quod timetur. Quando censura est hujus posterioris generis, jam diximus, non esse necessariam aliam admonitionem præter illam, quæ in peccato ipso vel lege continetur; et jura, quæ de hac admonitione tractant, non loqui de hujusmodi censura; ideoque certum est, Prælatum, qui hoc modo fert censuram in ordine ad futurum, posse terminos ejus coarctare quantum judicaverit expedire, juxta negotii qualitatem, et periculum, quod imminere potest. Si autem censura respicit delictum jam factum, non fertur absolute ad puniendum illud, eo quod factum sit, ut supponimus, sed ut ab illo resipiscat vel pro illo satisfiat, et ex hac parte jam respicit futurum; et ideo ferri non potest sine aliquo genere admonitionis, quia non potest absolute ferri, sed conditionali modo, ut supra tactum est, scilicet, *Nisi intra tale tempus resipueris vel satisfaceris, talem censuram incurres.* In hac autem forma ferendi censuram intrinsece includitur admonitio. Voluerunt autem jura, ut hæc admonitio sit trina, vel formaliter, vel virtute, id est, una pro trina, cum eo temporis intervallo, quod et ad moralem interruptionem, et ad humanam consultationem, et deliberationem sufficeret. Quia vero negotiorum qualitas, vel instantia non semper permittit tantum tempus concedere sine gravi periculo majoris damni, ideo ipsamet lex humana prudenter addidit, ex necessitate posse judicem tempus illud moderari, in quo includitur, ut possit etiam, si necesse sit, nullam aliam admonitionem præmittere, præter eam, quæ in ipso præcepto, seu sententia conditionata includitur.

SECTIO X.

Utrum admonitio adeo necessaria sit, ut nullam exceptionem patiatur.

1. Varii solent a prædicta necessitate casus excipi, quos hoc loco examinare necesse est. Primus est, quando censura absolute fertur pro delicto commisso, sine ordine ad futurum. Tunc enim admonitio non habet locum, tum quia admonitio non est de re facta, sed facienda; tum etiam quia admonitio fit, ut expectetur contumacia; quando autem censura illo modo fertur, non expectatur contumacia nova, sed pro delicto facto imponitur. Unde, licet reus corrigatur, non effugiet talem pœnam. Atque hæc est communis doctrina Canonistarum, quos statim referam.

2. *Censura imposita per modum pœnæ non indiget monitione.* — Supponit autem hæc exceptio censuram posse ferri illo modo pro

delicto commisso, sine nova contumacia, quod difficile est. Et ideo distinguunt dupliciter posse ferri censuram, scilicet, ut formaliter in ratione censuræ, et tunc aiunt nec exceptionem, nec modum illum imponendi censuram locum habere, quia censura ut sic significat medicinalem pœnam, ut infra videbimus; potest autem etiam imponi per modum puræ pœnæ vindicativæ, et tunc aiunt procedere dictam exceptionem. Ita Innocent., in c. 1 de Excess. Prælat.; Panormit. in cap. Reprehensibilis, de Appellat., num. 4, et ibid. alii. Qui præterea limitant hanc sententiam, ut in excommunicatione locum non habeat, quia hæc nunquam est pura pœna, sed semper medicinalis, ut infra suo loco videbimus. Et nunc breviter sumitur ex cap. Qua fronte, de Appellat., ubi dicitur, Ecclesiam semper esse paratam ad dandam absolutionem excommunicato cum debita subjectione et dispositione illam petenti; ergo mulgo magis parata est ad non excommunicandum, si peccator resipiscere velit vel obedire; ergo de hoc semper admonendus est.

3. De suspensione autem videtur certa prædicta doctrina et distinctio. Probari autem solet ex cap. Eos, et c. ult. de Temp. ordin., in 6, et cap. Tam litteris, de Testib., in quibus juribus est sermo de suspensione, et propterea specialiter de illa hoc affirmat Abbas, sequens Innocent., in cap. Si quis Presbyter, de Cleric. excomm. min., n. 2, et in dict. c. Reprehensibilis, num. 3, ubi etiam adducit c. In loco, 5, quæst. 4, in quo textu potius de excommunicatione quadam sermo est. Et responsio clara ad illum est ibi ferri excommunicationem quamdam pro delicto futuro, et ideo non esse necessariam aliam admonitionem; idem autem responderi potest ad cap. Eos, et cap. ult. de Temp. ordin., in 6. Nam eodem modo ibi feruntur suspensiones ipso facto pro futuris delictis. Solum in dict. c. Tam litteris, videtur Summus Pontifex quosdam suspendere ob præcedens quoddam delictum absque ulla monitione prævia, nullave satisfactione aut resipiscentia eorum expectata. Unde non est dubium, quin hæc censura possit per modum pœnæ imponi, sine ullo ordine ad futurum. Jura ergo, quæ vetant suspensionem ferri nisi admonitione præmissa, ut dictum c. Reprehensibilis, et cap. Sicut, de Cohabitatione clericorum et mulierum, intelliguntur de suspensione, quæ fertur per modum censuræ; non vero quando imponitur per modum simplicis pœnæ.

4. *Probabile esse interdictum ferri posse per modum puræ pœnæ.* — De interdicto vero major est difficultas. Nam licet Abbas supra idem affirmet, non affert tamen positivum (ut sic dicam) testimonium juris, quod id probet, sed solum negativum ex cap. Romana, de Sent. excomm., in 6, ubi sola excommunicatio promulgari prohibetur absque monitione præmissa, cum tamen prius de interdicto, suspensione et excommunicatione, sermo quantum ad alia fuisset. Et possumus hoc confirmare ex dicto cap. Reprehensibilis, ubi eadem prohibitio extenditur ad suspensionem, et tacetur de interdicto. Quod si, ea non obstante, adhuc probabile est, suspensionem sub ratione pœnæ posse aliter ferri, a fortiori idem erit de interdicto. Nam licet in cap. Statutum, de Sent. excom., in 6, illa prohibitio ad interdictum extendi videatur, non tamen videtur ibi statui generale jus, sed in quadam particulari materia, ut infra, textum illum circa aliud punctum pertractando, amplius declarabimus. Vel dici etiam posset ibi esse sermonem de interdicto, quod est propria censura, non de illo, quod est pura pœna. Atque ita hæc pars probabilis est, sed incerta, quam infra in propria materia commodius decidemus.

5. Denique idem sentiunt Innocentius et Abbas de excommunicatione minori, solumque majorem excipiunt. Sed licet de aliquo genere excommunicationis imperfectæ, prout dicitur de temporali privatione usus Eucharistiæ, vel alterius sacramenti, hoc verum habeat, et nonnullis juribus probari possit, ut infra videbimus, in excommunicatione tamen minori, prout nunc est in usu, contrarium servari puto, ac servandum esse, quod non potest hic amplius explicari, donec propria ratio illius censuræ intelligatur; et ideo in proprium locum id remitto.

6. *An verus executor omnino admonitionem prætermittere possit.* — Secunda exceptio assignari solet, quando aliquis fert censuram non ut judex, sed ut executor, ex c. ult., § ult., de Offic. deleg. Ibi tamen nulla de hac re mentio est, sed solum dicitur, hujusmodi executori non committi jurisdictionem, sed certum ministerium; ex quo non licet inferre, posse illum ministerium suum exequi contra jus. Debet ergo aut supponere admonitionem factam a judice, vel præmittere. Quod si illi præceptum sit, ut absolute, et sine admonitione, vel conditione censuram proferat, et alioqui sit certum et publicum,

admonitionem non esse factam, non video quomodo possit licite exequi tale mandatum; nam est cooperari ad sententiam manifeste injustam. Itaque, ad summum poterit statim censuram ferre sub illa conditione : *Nisi comparueris,* vel simili; supponendo (ut in rebus dubiis faciendum est) judicem habere justam causam omittendi trinam admonitionem; omnino autem prætermittere monitionem, etiam inclusam in illa conditionali, et statim absolutam, et inevitabilem censuram ferre, juste non poterit.

7. *Cum est periculum in mora, an possit omitti admonitio.* — Tertia exceptio est, quando est periculum in mora, quæ est frequens apud Canonistas, ut notat Navarr., in cap. Cum contingat, caus. 5, de Rescriptis. Verumtamen, ut ex iis, quæ ibidem subjungit, aperte sumitur, hæc exceptio solum est respectu trinæ monitionis, non vero respectu illius, quæ in præcepto conditionato includitur, sine quo nunquam posse ferri talem censuram ipse Navarrus ibidem docet.

8. *An propter nimiam contumaciam rei possit omitti admonitio.* — Quarta exceptio est, quando jam est cognita et manifesta contumacia, ut quia reus antea prædixit et publicavit se non pariturum. Quæ exceptio, ut aliquam probabilitatem habeat, explicari debet per illam, quam Theologi adhibere solent ad præceptum de correctione fraterna; tunc enim dicunt omittendam esse, quando non est spes fructus, quia tunc actio esset otiosa; ita ergo in præsenti, si tanta sit cognita contumacia, ut moraliter nulla sit spes fructus admonitionis, merito videbitur omittenda. Quæ quidem causa videtur mihi sufficiens, quantum ad forum conscientiæ spectat, ad omittendam trinam admonitionem, seu præviam, et ut statim ferri possit censura, quæ ipso facto incurratur perseverante contumacia; non tamen videtur hæc causa posse aliquando sufficere, ut juste omittatur hæc conditio, et admonitio in illa inclusa. Quia quantacumque appareat in præsenti contumacia peccatoris, potest, quando contra illum profertur censuræ sententia, mutari, et semper manet in illo hoc jus, ut si pravam voluntatem mutet et parere velit, possit censuram evitare. Neque refert, quod sit parva, vel moraliter nulla spes talis mutationis, quia hoc non tollit, quin illi servandum sit jus suum. Deinde, quia intentio etiam Ecclesiæ in his censuris ferendis est, ut non ita ferantur propter peccata commissa, ut existimentur inevitabiles ex parte ipsius Ecclesiæ, si peccator illam audire velit, et obedire. Unde talis admonitio non fundatur solum in spe fructus, sed etiam in debito et juridico usu ipsius censuræ. Verum est, quia hæ pœnæ medicinales sunt, interdum esse omittendas, quando non est spes fructus, ut inferius dicemus.; tamen, quia per eas non solum intenditur bonum ejus contra quem feruntur, sed etiam aliorum et præsertim communitatis, ideo interdum juste feruntur absque morali spe privati fructus ipsius peccatoris. Et tunc dicimus, servandam esse formam talem in ferenda censura, quæ admonitionem contineat.

9. *Præsumpta contumacia non sufficit ad censuram ferendam.* — Quod vero spectat ad forum contentiosum, proprium est jurisperitorum id definire. Mihi tamen videtur, idem esse judicandum in illo foro; nam quantumvis aliquis affirmet, vel etiam juret se non compariturum, licet citetur, vel non obediturum, licet ipsi aliquid præcipiatur, nihilominus, donec actu citetur, vel præceptum ei imponatur, et ipse non pareat vel compareat, non poterit juste excommunicari aut excommunicatus declarari. Quia propter prius delictum ut sic excommunicari non potest sine ordine ad futurum, et prior contumacia non tam fuit in effectu, quam in affectu, nec tam in re, quam in signis seu verbis; censura autem directe cadit in contumaciam externam, seu actu ipso, vel omissione consummatam.

10. Quod vero quidam aiunt, propter præsumptam contumaciam posse fieri censuram ex c. Venerabilibus, § Porro, de Sentent. excomm., in 6, non recte ad præsens adducitur, juxta veram illius textus intelligentiam. Non enim præsumpta contumacia in futuro actu ad censuram sufficit, sed in actu præterito, quia Ecclesia non judicat de futuris, quantumvis in præsenti affectu, et determinatione causæ contineri videantur, quia mutari homo potest, et de facto illa non commisit. Imo nec Deus ipse illa punit, etiamsi evidenter sciat, an futura sint; sed punit præsentem affectum. De quo Ecclesia non judicat. Unde talis præsumpta contumacia semper supponit aliquod præceptum Ecclesiæ, reipsa impositum sub tali conditione, cui peccator non obedit in re; quia tamen dubitari potest, an id fecerit ex impotentia, vel rationabili causa, an vero ex rebelli voluntate, ideo quamdiu non probatur illa excusatio, præsumi contu-

macia dicitur. Et hic est proprius casus illius § Porro, qui non caret sua difficultate, infra suo loco tractanda; est tamen longe diversus ab illo, in quo nunc versamur; in quo non supponitur præceptum latum, sed solum timetur, vel moraliter certo creditur futura contumacia, si præceptum feratur; et propterea dicitur omitti posse præceptum, et fieri transitum ad censuram immediate et absolute ferendam, quod credibile non est. Quin potius (quod etiam est notatu dignum) in illo § Porro, non fertur censura propter præsumptam contumaciam, sed supponitur lata ipso facto incurrenda, et præsumitur incursa. Quia præsumitur contumacia, quando oppositum non probatur, in ordine ad absolutionem præmittendam, quia id securius est; nunc autem agimus non de præsumptione censuræ, sed de impositione illius; quæ fortasse ferri de novo non potest propter contumaciam tantum præsumptam etiam in præterito actu, nedum in futuro. Sed de illo puncto in sequenti disputatione dicendum est.

11. *An in delicto publico cum ejus auctore prætermitti possit monitio.* — Quinta exceptio fieri potest, quando delictum publicum est et notorium, simul cum auctore ejus. Sed hæc exceptio per se improbabilis est, et a nemine fortasse asseritur in eo sensu, quamvis Covarr., dict. § 9, num. 6, referat Felin. et Anton. de Butrio aliter loquentes; et eodem modo loquitur Abb. in cap. Illud, de Cleric. excom. minist., dicens in notoriis monitionem non requiri. Addit tamen, id esse intelligendum juxta doctrinam aliis locis, quæ ibi citat, ab ipso traditam. Aliqui vero id exponunt, quando non solum delictum, sed etiam contumacia notoria est. Et ita loquuntur Covarr., Ugolin., et alii. Sed certe, si contumacia præcessit, necesse est monitionem præcessisse; si autem futura creditur, non sufficit, ut jam dixi. Unde in dict. cap. Illud, quod ipsi citant, non fertur absoluta excommunicatio pro peccato notorio, sed sub conditione, *nisi intra viginti dies hoc fecerit.* Hæc autem conditio admonitionem continet, ut satis constat ex dictis. Quare ad propriam censuram ferendam semper est necessaria monitio; secus aliquando est ad declarationem censuræ latæ in notoriis criminibus, ut infra dicam.

12. Addit vero Gratian., 2, quæst. 1, suo § ult., qui incipit, Quod autem, in eo casu omitti posse secundam et tertiam monitionem, si ad primam peccator incorrigibilis appareat. Unde Glossa ibi potius advertit admonitionem debere præcedere etiam in notoriis, et alia jura citat. Idemque docet Abbas, in cap. Cum sit Romana, de Appellat., num. 32, et Covarruv., dict. § 9, num. 6. Et ratio est clara ex dictis, quia censura talis non fertur propter delictum præcise, ut præteritum, sed cum ordine ad futuram contumaciam; ergo quod delictum sit publicum, necne, parum refert, donec per admonitionem constet, an sic delinquens etiam incorrigibilis sit. Unde etiam illud, quod Gratianus ait, hanc causam publicitatis delicti esse sufficientem ad excusandam trinam admonitionem, et ut una sufficiat, mihi non videtur universaliter verum; sed solum, quando occurrens necessitas hoc postulaverit, juxta decisionem textus, quem nunc declaramus, in c. Constitutionem, de Sentent. excommunic., in 6. Verisimile autem est, in hujusmodi publicis criminibus sæpe hujusmodi necessitatem occurrere, ad scandala, vel alia damna vitanda.

Possitne censura ab homine sine prævia monitione ferri ob delictum cui in jure est annexa.

13. Sexta apparentior exceptio est, quando delictum tale est, ut propter illud sit in jure imposita censura, v. gr., excommunicatio ipso facto incurrenda. Nam tunc potest reus iterum ab homine excommunicari, absque ulla alia monitione præmissa. Ita tenet Additio ad Abbatem, in dict. cap. Reprehensibilis, num. 6, et probat ex illo textu, qui sic habet : *Prælati non proferant sententias suspensionis vel excommunicationis in subditos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat.* Sed hic textus apud me nullam vim habet; nam propriissime, et satis ad litteram intelligitur de sententia declaratoria, qua aliquis publice denunciatur excommunicatus; cumque materia sit odiosa, non est amplianda, sed restringenda potius. Unde Glos. ibi solum ait, tunc posse delinquentem puniri sine admonitione. Estque hoc consentaneum rationi, quia jam ille excommunicatus est per jus, et ideo mirum non est, quod possit denunciari per sententiam; nam talis denunciatio pure respicit præteritum absque nova contumacia; et ideo potest absolute ferri sine admonitionem in futurum.

14. *Pars negativa probatur.* — At vero

quod homo ferat in illum novam censuram, quod revera est novum vinculum, et novum nocumentum infert (ut declarat Gloss., in cap. Ita quorumdam, de Judæis) idque faciat sine ulla admonitione prævia, neque in illo textu habetur, neque in ullo alio, estque contra commune jus, et ideo non est facile asserendum. Maxime, quia ille, qui deliquit contra jus, licet in eo fuerit contumax respectu legislatoris, tamen non fuit contumax respectu alterius hominis, a quo iterum excommunicatur. Quin potius, si ab illo admoneatur, fortasse resipiscet; ergo præter rationem est, ut absolute, et sine ullo respectu ad futurum, novo vinculo ligetur. Neque satisfaciet, qui dixerit illum jam fuisse admonitum per legem; et ideo opus non esse, ut iterum admoneatur. Nam illud verum est respectu censuræ latæ per legem, vel ad summum etiam ad denunciationem ejus. Ut vero nova censura imponatur, nova contumacia necessaria videtur; ideoque nova etiam admonitio. Atque ita sensit Hostien., citatus ab Abbate supra, et in eamdem sententiam inclinat Covarr., dict. § 9, n. 5. Et hæc sententia est sane magis pia, magisque probabilis, præsertim quoad hoc ut non possit talis censura absolute ferri ab homine sine ullo respectu ad futuram contumaciam vel resipiscentiam; in quo respectu admonitio quædam includitur, ut sæpe dixi. Trina vero monitio facilius omitti posset; quanquam sine aliqua necessitate, vel causa probabili non video cur fieri debeat.

15. *Declaratio de censura ipso jure contracta, sine citatione et probatione fieri non debet.* — Imo addit Covarr. etiam denunciationem seu declarationem juridicam de censura ipso jure contracta non esse faciendam, nisi prius, citata parte, juridice de crimine constet; et aliter factam declarationem nullam esse ipso jure, ex illo generali principio juris, quod contra inauditam partem, nihil potest in judicio definiri, cap. 1 de Causa poss. et propriet., et ex aliis Glossis et Doctoribus, quos ibi citat. Et a simili probari potest ex c. Cum secundum leges, de Hæret., in 6, ubi dicitur, licet hæreticus ipso facto amittat dominium suorum bonorum, non tamen esse illis privandum, donec per sententiam declaratoriam de crimine constet; ergo a fortiori idem dicendum est de bonis spiritualibus, quibus per censuram aliquis privatur. Quanquam in hoc sit diversitas, quod hæreticus non tenetur se suis bonis seu illorum usu privare ante sententiam. Excommunicatus autem ipso jure statim tenetur sese abstinere, et non communicare cum aliis, quia pœna hæc est diversæ rationis, et diverso etiam modo fertur ipso jure, ut supra tactum est, et latius dicendum est in materia de hæresi. In eo vero est similitudo, quod publica executio pœnæ per legem impositæ, quatenus ab humano judice fit, semper supponit proportionatam scientiam criminis publicam et juridicam; ad quam, per se loquendo, requiritur citatio partis, nisi fortasse in delictis publicis et notoriis. Quod latius prosequi ad Juristas pertinet.

16. *An recognoscente parte suum crimen, declaratio possit fieri.—Pars affirmans.*—Non declarant autem Covar. et alii, an, si in prædicto casu, quando pars citatur ad denunciationem faciendam, illa statim compareat et suum crimen recognoscat, et paratam se ad satisfaciendum ostendat, nihilominus juste denunciari valeat. Videtur autem posse, quia alias illa citatio etiam esset admonitio, quandoquidem denunciationem impedire potest, si alter velit resipiscere; ergo, si denunciatio fieri non potest sine citatione prævia, fieri etiam non poterit absque admonitione, etiam in criminibus, propter quæ ipso jure incurritur censura. Consequens est contra dictum cap. Reprehensibilis, et interpretationem ejus quam tradidimus. Et contra rationem; nam denunciatio non est nova censura, neque amplius ligat, ut dicitur in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Ergo per se non pendet ex eo, quod reus satisfactionem vel emendationem offerat, sed absolute ferri potest propter delictum commissum, statim ac juridice de illo constat.

17. *Pars negans vera.* — In contrarium vero est, quia statim ac reus se subdit Ecclesiæ, et satisfactionem offert, absolvendus est a censura, quæ medicinalis pœna est, cap. Qua fronte, de Appellat.; ergo injuste faceret judex in eo casu procedendo ad denunciationem censuræ; nam licet denunciatio non liget amplius, retinet tamen prius vinculum, et aliquo modo illud auget, saltem respectu aliorum, qui ante denunciationem non tenebantur vitare reum, præsertim post Concil. Constantiense. Unde etiam augetur infamia ipsius delinquentis; quæ omnia videntur esse contra Ecclesiæ intentionem, quæ est salus delinquentis, et condigna satisfactio, qua obtenta, non vult majus nocumentum illi inferre. Cujus sufficiens argumentum est, quod vult illum absolvere. Hæc igitur pars vera videtur.

Neque obstat cap. Reprehensibilis; nam in eo sermo est de canonica monitione; et hæc dicitur non esse necessaria in his criminibus; non vero ideo excludit admonitionem juridicam, ut ita dicam, quæ in citatione ipsa includitur, et non tam propter emendationem vel contumaciam novam expectandam quam propter juridicum ordinem servandum necessaria est. Cujus argumentum est, quia, ubi in aliquo casu citatio prætermitti potest, talis etiam admonitio necessaria non est ad denunciationem faciendam.

18. *Ad declarationem in delictis notoriis habentibus ipso jure censuram, non requiritur citatio.* — Et juxta hanc limitationem et declarationem intelligi potest, quod sententia excommunicationis vel alterius censuræ in criminibus notoriis absque prævia monitione ferri possit. Id enim verum erit in sententia denunciativa censuræ, non inflictiva; et consequenter non in omnibus criminibus, sed in eis, quæ ipso jure habent censuram annexam; tunc enim, cum ob facti notorietatem nova citatio necessaria non sit, et censura jam sit contracta, statim potest ad denunciationem procedi. Ad quod facit text. in c. De manifesta, 2, q. 1, et c. Evidentia, de Accusat., et cap. Illud, de Cler. excom. ministr. Et melius cap. Bonæ memoriæ, 1, de Electione.

An in delictis, propter quæ jubetur ferri ab homine censura, possit monitio prætermitti.

19. *Pars affirmans.* — Potest autem hic inquiri, an hæc exceptio ad illa crimina, quæ sub aliqua censura in jure prohibentur, non ipso facto incurrenda, sed ferenda, ita ut possit judex statim absque ulla monitione prævia illam inferre. Videtur enim posse, quia jam per legem facta erat sufficiens admonitio; ergo jam ille est contumax Ecclesiæ; ergo statim potest censura ligari. Item, quia alias nullius efficaciæ aut momenti esset illa comminatio censuræ, quæ per talem legem fit, quandoquidem ob transgressionem ejus nunquam potest excommunicatio imponi, sed propter contumaciam, quæ postea subsequitur.

20. *Pars negativa vera.* — Nihilominus dicendum est etiam in hoc casu præmittendam esse admonitionem. Imo, per se loquendo, requiri trinam. Quod aperte sentit Cajetan., in Summ., verb. *Clericorum peccata,* et verb. *Præceptum.* Covarruv. supra, num. 5, ubi alios refert. Quin potius inde probat, prohibitionem legis non sufficere loco admonitionis, ut censura ab homine feratur. Et videtur hoc satis colligi ex dicto cap. Reprehensibilis, ubi solum excipitur censura, quæ ipso jure lata est propter culpam; exceptio autem firmat regulam in contrarium. Cujus præcipua ratio est, quia de necessitate censuræ est, ut præcedat admonitio, et ideo semper debet cum proportione præcedere. Unde, cum a lege fertur, admonitio legis sufficit; cum vero fertur ab homine, ejus monitio præcedere debet, ut ita etiam contumacia sit respectu ejus, a quo censura manat. Quod etiam jura disposuerunt propter majorem suavitatem in censuris ferendis; et ideo servanda sunt cum moderatione, quæ ab ipsis adhibentur, scilicet, si necessitas aliquid moderari coegerit; hæc autem nulla in præsenti occurrit, ex eo solum, quod peccatum sit sub censura ferenda prohibitum.

21. *Rationi in contrarium satisfit.* — *Corollarium.* — Nec sequitur, hanc legem imponentem talem censuram carere effectu; nam in primis potest et interdum debet Prælatus, præsertim quando imminet periculum agendi contra tale præceptum, aut quando abusus contra illud paulatim introducitur, potest (inquam) admonere subditos, ut servent legem, quia alioqui exequetur in eos pœnam legis, et tunc sine alia admonitione poterit absolute ferre censuram in transgressores legis, quia jam præcessit sufficiens admonitio ante violatam legem. Deinde, si delictum jam est patratum, potest exigere condignam satisfactionem, quam si reus nolit exhibere, tunc poterit in eum ferre censuram lege præscriptam, quam fortasse sine tali lege ferre non posset. Ex quo infero, si delictum tale sit, ut nullo modo extendatur in futurum, sed, simul ac consummatur, omnino transeat, nulla relicta obligatione restituendi vel satisfaciendi respectu hominum, sed tantum respectu Dei, tale delictum non posse prohiberi per legem comminatione censuræ ferendæ, sed vel ipso jure imponi debere, aut nullo modo. Et hoc apud me convincit ratio facta.

Septima exceptio plures continens.

22. *Quando absolutio sub conditione datur, non impleta conditione, ipso jure incurritur censura.* — Solent præterea a prædicta generali regula excipi casus illi, de quibus statui-

tur in cap. Eos, de Sentent. excom., in 6, nimirum de illis, qui absolvuntur a censuris sub conditione satisfaciendi, vel se præsentandi suis Ordinariis, aut coram Summo Pontifice, vel alia simili; illi enim si conditionem non impleant debito tempore, in eamdem censuram incidunt sine alia admonitione, in eamdem (inquam) specie, non numero, ut per se constat. Hæc vero exceptio nulla est, quia illa censura posterior ipso jure incurritur; est enim in eodem cap. lata. Adde, cum absolutio illa conditionalis sit formaliter vel virtute, ipsammet æquivalere admonitioni de actu futuro præstando sub pœna similis censuræ ipso facto incurrendæ. Quocirca potius ex principiis positis statuenda hic est generalis regula, quotiescumque absolutio a priori censura non est conditionata, sed absoluta, ut similis censura iterum imponatur, necessariam esse novam monitionem, neque sufficere admonitionem, quæ ante priorem censuram præcessit, etiamsi de revocanda data absolutione tractetur, eo quod male data fuerit. Ita docet Covarruv., dicto § 9, num. 4, ex Rota et Felino, quos refert. Et ratio est, quia revera illa est nova censura; et ideo jus generaliter statutum pro censuris ferendis in illa etiam servandum est. Quo fit, ut necessario id debeat intelligi, quando absolutio fuit valida, licet probetur male concessa. Nam, si nulla fuisset, prior censura semper mansisset; et ita non esset nova monitio necessaria.

23. *Cur in censura lata in mortuum non requiratur monitio.* — Ultimo excipiunt aliqui eam censuram, quæ ferri interdum solet in hominem jam defunctum, juxta cap. A nobis, 2, de Sentent. excom., et cap. fin. 24, q. 2. Quia, qui defunctus est, jam non est capax admonitionis, ut per se constat. Veruntamen neque hæc exceptio necessaria est. Primo, quia regulariter, tunc quando profertur sententia censuræ circa mortuum, non fertur seu efficitur censura, sed declaratur, eum, cum viveret, censuram incurrisse, et jam dictum a nobis est ad declarationem non requiri semper monitionem. Secundo, quia si fortasse aliquando novus aliquis effectus fit ex vi illius sententiæ, non est proprie censura aliqua circa ipsum defunctum, sed est prohibitio, quæ aliis viventibus fit, ne pro tali defuncto orent, aut suffragia pro illo offerant, vel etiam, ut corpus ejus e loco sacro expellant, aut aliquid simile; quæ pœna jam non est medicinalis respectu defuncti, sed ad terrorem et correctionem aliorum, et supponit in defuncto non solum contumaciam, sed etiam extremam perditionem, moraliter certam in foro Ecclesiæ. Et ita etiam illa sententia est ad declarandum illum esse indignum et incapacem talium beneficiorum.

24. *Summa totius sectionis.* — Igitur loquendo de propria censura, quæ est medicinalis pœna, nunquam fertur sine admonitione prævia. Nec ferri debet sine trina, nisi necessitate urgente. Est enim præ oculis habenda differentia inter admonitionem absolute, vel trinam. Nam hæc ex justa causa omitti potest, et ad unam reduci, et talis esse posset casus, tantaque necessitas, ut possit terminus ita coarctari, ut nec una pro trina possit moraliter ac virtualiter reputari; de quo nullam regulam præter judicis prudentiam assignare possumus. At vero admonitio simpliciter seu saltem una, ita necessaria est, ut nulla sit adhibenda exceptio, quia intime includitur in ratione pœnæ medicinalis; et ad minimum necessarium est ferri sub ea conditione : *Nisi satisfeceris, resipueris, hoc vel illud feceris, aut omiseris,* quæ forma intrinsece admonitionem includit.

SECTIO XI.

A quo et cui facienda sit admonitio.

1. *Admonitio debet fieri auctoritate judicis, a quo ferenda est censura. — Debet fieri ad instantiam partis, si privata est utilitas.* — Prior pars præsentis quæstionis facile ex dictis definitur. Nam ex his quæ dicta sunt de hac admonitione sequitur, fieri debere auctoritate et nomine ipsius judicis, qui censuram laturus est. Ratio est manifesta, quia admonitio talis esse debet, ut, si quis non pareat, contumax et inobediens existat, quod esse non potest, nisi admonitio auctoritate superioris facta sit. Canonistæ addunt aliam rationem, nimirum, quod hæc admonitio habet vim citationis; citatio autem, ut sit alicujus momenti, judicis auctoritatem requirit. De quo late Abbas, in c. 1 de Judiciis, n. 33. Qui etiam addunt, quando censura ferenda est in commodum alicujus privatæ personæ, tunc oportere admonitionem fieri ad instantiam ejus, quia habet vim citationis; et citatio, ut valida sit, ad instantiam partis fieri debet, quia propter privatam utilitatem non debet judex proprio motu suum officium interponere. Quod late tractat Abbas supra, n. 4, et in cap. Prout, de Dolo et contumacia, num. 19. At vero si

censura feratur propter commune bonum, in quo casu potest judex ex officio procedere, tunc etiam potest ex officio admonere, sicut etiam potest ex officio citare, ut notavit idem Abb., in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia, num. 5, et sumitur ex c. Venerabilibus, § Porro, de Sentent. excommunic., in 6.

2. *Admonitio coram testibus fieri debet et in scriptis.* — Additur præterea in c. Sacro, de Sentent. excom., admonitionem hanc fieri debere, *præsentibus idoneis personis, per quas possit probari monitio, si necesse fuerit.* Unde infert Abbas ibid., num. 3, necessarium non esse, ut hæc admonitio in scripto fiat; *nam ideo* (inquit) *requiritur præsentia personarum.* Unde insinuare videtur, quando admonitio in scriptis fit, non esse necessariam præsentiam testium. Quod affirmavit expressius Tabiena, in verb. *Excommunicatio,* 2, in principio, quia tunc cessat ratio illius textus, scilicet, ut possit probari admonitio, si necesse sit; nam, si admonitio in scripto facta est, per scripturam poterit sufficienter probari. Quia vero admonitio non habet vim et rationem admonitionis ex eo solum quod scripta sit, nisi notificetur alio audiente vel legente, ideo necessarium semper erit, ut hoc fiat coram testibus, quia alia via probari non potest, et ideo præsentia testium, quam illa lex generaliter, et sine exceptione præscribit, necessaria semper est; scriptura autem ideo necessaria non est, quia lege non requiritur.

3. *In admonitione non est necesse inseri ejus causam.* — Addit præterea Gloss., in cap. Constitutionem, de Sentent. excomm., in 6, vers. *Servatis,* in hujusmodi admonitione inferendam esse causam, super quæ fit monitio. Quod in nullo textu scriptum reperio, et merito, quia, si sit sermo de causa, quæ est ipsa materia admonitionis, per se notum erat; quo modo enim poterat aliter fieri admonitio? Si vero sit sermo de causa, quæ movet judicem ad illam monitionem faciendam, eam explicare non semper necessarium est, sed solum quantum necessarium fuerit, ut constet admonitionem juridice et rite fieri.

An admonitio in præsentia delinquentis fieri debeat.

4. Addunt præterea Doctores, admonitionem hanc faciendam esse personaliter ei, qui monetur, id est, non satis esse, ut in ejus domo, aut in Ecclesia, aut alio loco publico admonitio legatur; sed in ejus præsentia proferri debere, ita ut ab ipso audiri possit. Ita docet Covarr., num. 4, cum multis Canonistis, quos refert. Quanquam hoc etiam nullo decreto expressum sit; et in aliis citationibus sufficere soleat, ut in domo ejus, qui citatur, fiant. Et ratio hic specialis esse videtur, quia admonitio hæc tendit ad correctionem; quam si quis audire nolit, ejus contumacia consummetur; et sic justa censura locum habeat; ad hoc autem est necessarium, ut ipsamet persona moneatur.

5. *Quando censura contra incertam personam fertur, sufficit fieri in loco publico.* —Hoc vero in primis intelligendum est in his censuris, quæ contra singulares et determinatas personas feruntur; nam in iis quæ generales sunt contra personas, quæ hoc vel illud delictum commiserunt, cum personæ delinquentes ignorentur, non potest eis admonitio personaliter fieri; satis ergo erit, quod fiat in aliquo loco publico et usitato more, ut in Ecclesia coram populo; nam id satis erit, ut ad notitiam delinquentium perveniat admonitio. Et in foro quidem exteriori ita semper præsumitur, quamdiu oppositum probatum non fuerit; in conscientia vero necessarium semper est, ut ad notitiam personæ deveniat. Alioqui excusabitur, ut latius sequent. disput. videbimus.

6. *Si admonitio domi facta ad rei notitiam deveniat, sufficit in utroque foro.* — *Si autem ipse ob dolum impediat, sufficit fieri in loco publico.* — Ob contrariam vero rationem, si admonitio, domi facta pro particulari persona, postea ad ejus notitiam sufficienter deveniat, non solum in conscientia sufficit ad obligandum, sed etiam in foro exteriori, si probari possit ad ejus notitiam devenisse, ut Covarr. supra affirmat, cum multis aliis. Qui argumentum sumunt ex Clementin. 3, de Elect., in illis ultimis verbis : *Nisi ad appellatum ejus plena et certa notitia intra tempus prædictum aliter pervenisset;* et subditur ibidem : *Idem quoque in aliis casibus observari volumus, in quibus requiritur intimatio facienda.* Qui textus videtur expressus. Et ratio etiam est per se satis clara. Rursus addendum est, si sit sententia specialis contra certam personam, et ipsa per vim, aut fraudem impediat, ne sibi talis monitio fiat, tunc sufficere admonitionem in domo fieri, aut, si domum vel certum domicilium non habeat, in Ecclesia matrice vel principali illius loci, quia tunc ipse est in causa, ut ei non possit admonitio fieri personaliter; vis autem et dolus non debet ei prodesse; et ideo

ille jam merito contumax censetur, ut expresse habetur in c. Quoniam frequenter, § 1, de Dolo et contumacia. Alios præterea casus ponit Covarr., in quibus satis est admonitionem fieri ad domum; qui ad forum externum fortasse prodesse possunt; ad forum autem conscientiæ non multum referunt; nam regula proposita servanda est.

7. *Admonitio debet fieri sub comminatione talis censuræ.* — Non declarant autem dicti auctores, an oporteat hanc admonitionem expresse fieri sub tali censura ferenda, si non pareant, vel satis sit admonere, præcipiendo simpliciter, ut hoc fiat. Neque etiam declarant, ut quando admonitio fit tantum una pro trina, oporteat etiam hoc expresse dicere, vel sufficiat in re ipsa talem terminum assignare, qui triplici admonitioni æquivalere possit. Et quoniam de his circumstantiis nihil expresse jura statuunt, neque ex sola rei natura possumus sufficiens argumentum sumere, ideo id servandum erit, quod consuetudine receptum fuerit, quæ est optima legum interpres. Consuetudo autem esse videtur, ut admonitiones fiant sub expressa comminatione talis censuræ, quoniam ex sola transgressione simplicis præcepti Ecclesiastici absque comminatione censuræ non censetur homo sufficienter contumax, ut absolute statim censura feratur. Alioqui pro transgressione cujuscumque legis Ecclesiasticæ, præsertim sæpius repetita, posset quis statim excommunicari vel interdici, quod non est in usu Ecclesiæ, nec jure ordinario fieri potest. Ex quo etiam videtur in posteriori puncto dicendum, quando fit una monitio pro trina, oportere ita hoc explicari ei, qui admonetur, ut intelligat terminum sibi tunc præfixum ad parendum esse ultimum, post quem statim sit censura feriendus, sive expresse ille intelligat illud æquivalere trinæ monitioni, sive non; hoc enim parum videtur referre, multoque minus refert, ut tempus illud in tres partes expresse dividatur, unicuique monitioni singulas partes accommodando. Quamvis enim bonum sit, usitatam formam et solemnitatem, præsertim pro exteriori foro, servare, tamen, si tempus in tali monitione concessum revera sufficiat pro trina monitione, et judex declaret se illud concedere pro ultimo termino, et monitione completa, ibi virtute continentur reliqua, et ad substantiam actus non spectant. Quod autem illud saltem necessarium sit, patet, tum quia, dum nihil aliud explicatur, bona fide poterit admonitus credere illam esse primam monitionem tantum; non ergo erit sufficienter contumax, ut statim censura feriatur. Tum etiam quia jus disponit, ut sit trina admonitio, vel una pro trina; ergo cum jus disponit, ut una non sufficiat nisi pro trina, intelligitur exterius constare debere illam monitionem, licet una formaliter sit, pro trina fieri, quia jus maxime disponit de ipsa exteriori forma. Non potest autem exterius id constare, nisi saltem illo modo declaretur, illum designari, ut postremum terminum; nullus enim modus potest esse magis implicitus : ergo. Ex quo potest prior pars confirmari; ideo enim necessarium est declarare ei qui monetur, illum esse ultimum terminum, ut censuram timeat, vel inexcusabilis sit, si adhuc resistat; ergo multo magis necessarium erit, ut intelligat præceptum imponi in ordine ad censuram ferendam, nisi obediat.

8. *Objicitur locus Pauli, 1 Cor. 5, et Matth. 18.* — Potest vero objici factum Pauli, 1 ad Corinth. 5, qui fornicarium absentem excommunicavit, nulla monitione præmissa. Quod si quis forte respondeat, credendum esse prius Paulum admonuisse, dici poterit, illud esse voluntarie assertum, cum ipse solum dicat : *Omnino auditur inter vos talis fornicatio,* etc.; statimque : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est;* et infra : *Tradidi hujusmodi hominem Satanæ.* Ubi solum fit mentio de peccato commisso, et statim fit judicium, et fertur sententia. Et, quamvis daremus aliquam monitionem præcessisse, tamen verisimile non est, præcessisse sub comminatione censuræ. Et certe cum Christus dixit, Matth. 8 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus,* etc., non intellexit : *Si non audierit Ecclesiam præcipientem sub comminatione censuræ.*

9. *Prædictis locis respondetur.* — Respondetur primo, nos non affirmare hoc esse de necessitate simpliciter, ita ut nulla ratione possit Ecclesia aliter uti sua absoluta potestate. Unde concedi potest, et Christum illam dedisse, et Paulum illa usum esse, quia forte tunc fuit expediens illo rigore uti. Nihilominus tamen potuit ipsa Ecclesia aliud jus ordinarium statuere, quod esset suave, et fragilitati hominum magis accommodatum. Propria vero responsio est, Christum in illo loco non tractasse de modo ferendi censuram in particulari, sed de ordine correctionis fraternæ.

Unde, quod ait : *Si Ecclesiam non audierit,* absolutum quid est et indefinitum, cujus determinatio quoad modum et ordinem Ecclesiæ institutioni relicta est. Quod vero spectat ad factum Pauli, verisimilius est, eum prius monuisse, et fortasse sæpius, fornicarium illum. Et juxta interpretationem D. Thomæ, et aliquorum, id colligi potest ex verbis, quæ paulo inferius subjungit : *Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis.* Et infra : *Cum hujusmodi nec cibum sumere.* Ubi D. Thom. intelligit, Paulum mentionem facere alterius epistolæ prioris, quæ non extat, in qua scripserat hujusmodi peccatores esse separandos et excommunicandos. Quod certe, si ita est, videtur scriptum fuisse a Paulo occasione hujus fornicarii. Per illam ergo epistolam satis fuerat admonitus etiam sub comminatione censuræ. Imo addo, mihi non satis constare illam excommunicationem Pauli fuisse omnino absolutam, et non potius sub ea conditione : *Nisi statim separetur et pravum statum relinquat;* nam peccatum illud non omnino præterierat, sed perdurabat continue, ut patet ex illis verbis : *Ita ut uxorem patris sui aliquis habeat;* ergo verisimile satis est, illam censuram fuisse latam sub hac conditione : *Nisi statim illam relinquat.* Nam intentio Pauli solum erat, ut ille resipisceret, ut declarant sequentia verba : *Ut spiritus salvus sit in die Domini;* ergo si ille statim a peccato resurgeret et scandalum tolleret, juxta Pauli intentionem non incurreret excommunicationem latam; ergo verisimile est fuisse latam sub ea conditione. Quod si hoc ita est, non erat necessaria alia admonitio, præsertim in delicto adeo publico et scandaloso, ut satis ex dictis constat.

SECTIO XII.

Utrum censura sit valida, quando admonitio non præcessit.

1. *Censuram sine monitione latam esse quidem injustam, non autem nullam, communis resolutio.* — Ultimo dubitari potest circa hanc admonitionem, an ita sit de necessitate censuræ, ut si prætermittatur, censura sit nulla. Communiter Canonistæ absolute respondent, esse quidem injustam, non tamen nullam. Injustam (inquam), id est, inique datam et contra legem, seu contra justitiam legalem, licet non contra commutativam. Non tamen nullam, quia lex, quæ præcipit servari hunc ordinem in censura ferenda, non præscribit illum ut substantialem, nec irritat sententiam aliter latam; ergo, si alias judex habet jurisdictionem et sufficientem causam, erit sententia valida, etiamsi monitio non præcedat. Assumptum probatur ex dict. cap. Sacro, ubi post latum illud præceptum, subditur : *Si contra præsumpserit* (scilicet judex), *etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem sibi noverit interdictum.* Si ergo justa esse potest sententia, etiamsi monitio non præcedat, non potest esse nulla. Verum est, in cap. Romana, de Sentent. excomm., in 6, de hujusmodi sententiis e contrario dici : *Si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas.* Sed in hoc posteriori loco, *injustum* sumitur priori sensu a nobis declarato; in posteriori vero, *justa sententia,* dicitur intra rationem commutativæ vel distributivæ justitiæ, quia nimirum pœna est æqualis seu proportionata causæ. Et licet, in dicto cap. Romana, tales sententiæ injustæ dicantur, non tamen dicuntur nullæ, ut Glossa notat, atque ita nullum est verbum irritans hujusmodi sententias.

2. Propter quod hæc sententia communis est. Tenet eam Abbas, in dict. cap. Sacro, et in cap. Reprehensibilis, de Appellation., n. 13, et alii, quos referunt et sequuntur Covar., dict. § 9, num. 7; et Navarr., in cap. Cum contingat, de Rescriptis, causa 5. Qui omnes etiam addunt hoc verum esse, non solum in sententiis latis a judicibus ordinariis, sed etiam a delegatis, contra quosdam, qui de sententiis delegatorum oppositum senserunt. Sed sine fundamento, quia nullum est jus, quod circa hoc statuat peculiare aliquid de judicibus delegatis; sed virtute ejusdem legis generalis tenentur ipsi admonitionem præmittere, cujus et judices ordinarii; ergo non est cur illa lex potius annullet sententias illorum, quam istorum. Generaliter ergo de sententiis quorumcumque judicum asserendum est, ex hoc solo capite, quod canonica admonitio in jure præcepta non præcesserit, non reddi nullas.

3. *Præcedens resolutio limitatur primo.* — Hanc autem communem sententiam intelligendam in primis existimo de trina admonitione; hæc enim *canonica et competens* proprie appellatur, ut declaratum est, et de illa solum loquuntur jura allata. At vero si loquamur absolute de admonitione, etiam de illa, quæ includitur in omni lege, vel mandato, quod respicit futurum, et non cadit in præteritum nisi sub aliquo ordine ad futu-

rum, sic censeo monitionem adeo esse necessariam ad valorem censuræ, ut si omnino excludatur, censura nulla sit. Quod recte notavit Victoria, in Summ., tract. de Excom., num. 6. Tamen pendet ex illa quæst. an censura possit pure et absolute ferri pro peccato præterito, quam in disputatione sequente ex professo tractaturi sumus.

4. *Excommunicatio lata in participantes cum excommunicatis, nisi trina monitio præcedat, est nulla.* — Deinde ab illa generali regula excipiendi sunt casus in jure expressi, irritantes censuram aliquam ob defectum canonicæ admonitionis omissæ. Hujusmodi est casus in cap. Statuimus, de Sent. excomm., in 6, ubi excommunicatio major lata ab eodem judice contra participantes cum excommunicatis in locutione, et aliis, absque canonica monitione præmissa, irrita decernitur illis verbis : *Aliter excommunicatio in participantes prolata non teneat.* Et inferius in c. Statutum, eadem lex extenditur ad suspensionem, et interdictum in eosdem participantes lata. Ubi expresse etiam dicitur : *Decernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas;* et in cap. Constitutionem, eodem titulo, declaratur in hoc casu, præter alia, etiam requiri, ut hi, qui monentur, nominatim exprimantur. In hoc ergo casu, qui singularis videtur esse in jure, censura fit nulla ob prætermissam canonicam admonitionem; nec ex illo licet argumentum sumere ad alios, quia jus speciale est; imo potius sumitur argumentum, generale jus esse in contrarium. Et ratio hujus specialitatis esse potuit, ut coerceretur facilitas, vel nimia licentia, quam in hoc judices sumere possent cum magno animarum periculo. Etenim cum judices nimium studeant et procurent, ut censuræ a se latæ serventur, excedere facile in hoc possent, idem genus censuræ ferentes in participantes, et primo in excommunicatos.

5. *Debet tamen excommunicatio esse lata ab eodem a quo prima censura lata est.* — Ex quo verisimile fit, quod nonnulli Canonistæ annotarunt, etiam hanc exceptionem non esse generalem de omni censura lata in participantes, sed de lata ab eodem judice in partipantes cum ligato a se ipso. Itaque si unus Episcopus excommunicatione majori liget participantes cum excommunicato ab alio Episcopo, etiamsi id faciat sine admonitione canonica præmissa, non erit irrita censura, quia exceptio solum fit de participantibus cum excommunicato ab eodem judice. Hæc enim sunt verba legis : *Statuimus, ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo,* etc. Et ratio esse potest, quia judices non sunt ita solliciti in tuendis alienis censuris ac propriis. Verum est, in conclusione illius decreti absolute colligi : *Aliter autem excommunicatio in participantes prolata non teneat.* Et in cap. Constitutionem, ita simpliciter refertur hæc lex, *quæ prohibet participantes cum excommunicatis,* etc. Et idem fit in cap. Statutum. Unde videtur fieri probabilis etiam hæc pars; maxime cum sit favorabilis et ideo extendenda. Nihilominus prior videtur magis juridica. Quia et conclusio primi capitis, et narrationes aliorum accommodanda necessario sunt ad verba expressa, quæ in prima lege prohibente habentur; prohibitio autem expresse facta est cum illa limitatione, *ab eo.*

6. *Censura lata a delegato sub conditione ut canonicam monitionem præmittat, illa omissa, est nulla.* — Atque hinc ulterius sequitur, similem exceptionem esse faciendam in censuris latis a judice, qui jurisdictionem accepit sub hac expressa conditione, ut canonicam monitionem præmittat, quod solum potest accidere in judice delegato; nam ordinarii per se loquendo absolutam habent potestatem, ut ea utantur juxta commune jus. Delegatus autem illam recipit juxta arbitrium delegantis. Unde quidam generaliter dixerunt, censuras latas a judice delegato absque canonica monitione prævia, nullas esse. Sed id non est probabile ita generatim sumptum, quia jura absolute loquuntur, et delegatus absolute etiam recipit jurisdictionem, ut ea utatur juxta commune jus, nisi a concedente limitetur; secus vero est, si limitetur dicto modo, quia delegatus non potest excedere formam et concessionem sibi factam; alias nihil facit, cum nullam potestatem habeat, nisi concessam a delegante, c. Cum delecta, de Rescriptis, et c. Pisanis, de Restit. spoliator. Talis autem limitatio satis exprimi censetur, quoties in ipsa forma mandati seu delegationis expresse habetur, ut non ferat censuram, nisi monitione præmissa. Quia tunc censetur addi ad aliquid statuendum et cavendum ultra commune jus, ut ex communi sententia Canonistarum docet Covarr., dicto § 9, num. 8, ubi hoc latius declarat. Nec obstat juris axioma, quo asseritur, ea, quæ tacite insunt, si exprimantur, non inducere novam dispositionem in forma, l. 3, ff. de Legat., 1, et in l. Conditiones, 98, ff. de Conditionib. et demonstrat. Illud enim principium intelli-

gendum est, nisi illud, quod tacite inest, aliter exprimatur, id est, ut specialem habeat effectum, quem implicite tantum contentum non haberet, ut notant Jurisperiti, in l. Si ita, 68, § Illi, ff. de Legatis, 1, et quoties conditio expressa aliquid operari potest, quod tacita non operaretur, ne sit otiosa expressio, in eum finem explicatam esse intelligendum est, nisi aliunde constet solum ad instructionem additam esse hujusmodi expressionem. De qua re Abbas latius, dict. cap. Cum dilecta, num. 12.

SECTIO XIII.

Quæ circumstantiæ servandæ sint in censura ferenda.

1. *In hac sectione sermo est de censura ab homine. — Vid. Henriquez, lib. 13 de Excom., cap. 16, num. 2.* — Hactenus explicuimus solemnitatem, quæ antecedere debet censuram ferendam; nunc declaranda est forma, et solemnitas servanda in ipsamet sententia, qua fertur censura. Ex quo statim intelligitur sermonem esse de censuris latis ab homine, nam in his, quæ sunt a jure, vel statuto humano, solum ea solemnitas necessaria est, quæ ad legem ferendam requiritur. Unde quæ de hac forma ferendi censuram specialiter statuuntur, in cap. 1, de Sentent. excom., in 6, de censuris ab homine latis intelligenda sunt, ut ibi expositores sentiunt, et specialiter annotat Socinus, in cap. Pervenit, num. 69, et in cap. Sacro, num. 110, de Sentent. excom., et non obscure colligitur ex illis verbis ejusdem cap. 1 : *Caute provideat judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda,* etc., et subditur postea : *Quisquis igitur excommunicat,* etc. Loquitur ergo illud cap. solum de judice Ecclesiastico, a quo fertur censura, quæ ab homine dicitur.

2. *Censura debet ex scripto proferri.* — De hac ergo censura primo statuitur in dicto cap. 1, ut judex in scriptis eam proferat. Et ut hoc semel adnotemus, quamvis in principio illius textus sermo sit in particulari de excommunicatione, tamen postea expresse subditur, omnia quæ ibi statuuntur, etiam in suspensione et interdicto esse observanda; et ideo nos semper de censura in communi loquemur. In illa ergo prima clausula in primis statuitur, ut censuræ sententia, priusquam proferatur, scribatur; non enim posset ex scripto proferri, nisi prius scriberetur. Secundo, ut ex scripto ipso proferatur, ita ut non satis sit eam prius pronunciare, et postea scribere, seu dictare, sed necesse sit, dum profertur, legendo per scriptum eam proferre. Hanc enim vim habet prædictum verbum illius legis, ut expositores ibi notant. Et ratio ejusdem legis id requirit; ideo enim statuitur, ut hæc scriptura intercedat, ut de modo et causa censuræ, et reo, et aliis certo constet, ut statim dicetur; ergo oportet, ut ipsa sententiæ promulgatio ex scripto fiat, alioqui posset judex aliter illam prius describere, aliter vero postea proferre. Idque confirmat satis aperte capitulum ultimum de Sentent. et re judicata, in sexto.

3. *Debeat netalis scriptura esse authentica. — Innoc.* — Quæri vero potest, an oporteat talem scripturam esse authenticam, id est, fide publici notarii, vel etiam testibus munitam. Et communiter respondent Doctores cum Innocentio ibi, non esse necessarium, quia in dicto decreto hoc non exprimitur, neque est cur a nobis addatur. Quæ ratio convincit quoad eam scripturæ auctoritatem, quæ ad finem illius legis necessaria non est; quia vero finis illius, ut statim dicemus, est, ut et reo, et superiori judici, si oportuerit, de tenore talis sententiæ constare possit, ideo necessarium erit, ut scriptura eam auctoritatem habeat, quæ ad hanc fidem faciendam sufficiat, alioqui lex illa suo effectu frustraretur. Oportebit igitur, ut saltem ab ipso judice subscripta sit, vel ut sufficientibus testimoniis probari possit, per illam scripturam prolatam fuisse sententiam.

4. *Quis debeat sententiam promulgare.* — Denique colligunt aliqui ex illis verbis, oportere, ut judex per se ipsum, non per alium talem sententiam promulget, et ex scripto publice legat. Ita Ugolinus, cap. 21, § 1, citans Philip. Francum, Geminianum, et Socinum. Et fundari videtur in cap. fin. de Sentent. et re judicata, in 6. Ubi præcipitur judicibus, ut per se ipsos sententias ferant; excipiuntur autem Episcopi ob suam dignitatem. Sed si ea generalis lex censuras etiam comprehendit, fiet, ut omnis censura, aliter lata, sit nulla, quod ipsi non admittunt. Si vero sententia censuræ sub illa generali lege non comprehenditur quantum ad omnia, quæ in illa statuuntur, sed habet suum peculiarem ritum et formam, ut infra videbimus, etiam quoad dictam circumstantiam non comprehendetur sub illa lege. Quare probabile est necessarium non esse, ut judex Ecclesiasticus per seipsum proferat censuram, quia et consuetudine magis receptum esse videtur,

et ad finem intentum in illo cap. 1, hoc non est necessarium. Nec verba ejus in omni proprietate sumpta id continent; dicitur enim judex proferre, sive per se, sive per ministrum proferat; alias oporteret etiam per se ipsum talem sententiam scribere, quod nemo dicet. Et hoc certius est in Episcopis, quos etiam dicti auctores excipiunt, propter eorum dignitatem.

5. *In scriptura censuræ debet contineri ejus causa.* — Secundo præscribitur in illa lege, ut in tali scriptura, in qua censura fertur, simul conscribatur causa propter quam profertur. Quod quidem in aliis sententiis proferendis necessarium non est, ut sumitur ex cap. Sicut, de Sent. et re judicata, et ideo ut in hac sententia necessarium sit, hoc speciali jure statui oportuit. Et merito; intercedit enim specialis ratio, tum propter ipsum reum, ut causam sciat, quam tollere et emendare debet, qui est finis præcipuus censuræ; tum propter alios, ut scientes crimen, propter quod alter ligatur, possint vitare illum in cooperatione talis criminis; tum propter ipsum judicem, ut cautior sit in censura ferenda, cum ejus rationem in scripto sit redditurus; tum propter judicem superiorem, quem reus adire potest, ut perspecta causa censuræ de illius justitia possit melius judicare. Quæ autem, et qualis esse debeat hæc causa, explicandum a nobis est late disputatione sequente; nunc satis sit dicere (quod in c. Sacro, extra de Sent. excommunic., admonetur) hujusmodi causam debere esse rationabilem et manifestam; erit autem rationabilis, si sit tali pœnæ, et censuræ proportionata; manifesta autem, si sit non solum ipsi judici privatim nota, sed etiam juridice probata, juxta varia decreta, quæ habentur, 6, quæst. 2, et in c. Nemo 2, quæst. 1.

6. *Cum censura fertur pro præterito delicto in incertam personam, satis est delictum esse publicum, vel sufficienter probatum. — Ut autem feratur in ordine ad futurum, hoc non est necessarium.* — Hoc autem intelligendum est, quando censura fertur in speciali contra determinatam personam; nam, si sententia feratur in generali, vel contra personam ignoratam in particulari, scilicet contra eum, qui tale scelus patravit, tunc satis est, quod delictum sit publicum, vel sufficienter probatum, etiamsi de persona non constet, nam hoc repugnat cum tali modo ferendi censuram. Imo considerandum est, ex superius dictis, censuram dupliciter ferri, primo omnino absolute post sufficientem admonitionem; secundo in ordine ad futurum, sive ordinetur solum, ut caveatur crimen, sive ad exigendam satisfactionem pro crimine commisso. Quando ergo hoc secundo modo fertur proprie non requiritur, ut causa proxima censuræ sit nota, vel probata, quia illa contumacia nondum completa est; postea vero statim ac consummatur contumacia, poterit censura ipso facto incurri, si ita sit imposita, etiam si talis contumacia aliis nota non sit, sed tantum ipsi reo, quamvis ad declarandum, vel denunciandum, illum incurrisse talem censuram, necessaria sit legitima probatio, ut statim dicetur, quia ille est actus judicialis, et proprius judicis, ut persona publica est, et ideo requirit publicam scientiam. Quæ ratio a fortiori procedit, quando ipsa censura non incurritur ipso facto, sed absolute ferenda est post sufficientem monitionem. Et juxta hæc intelligendum est, et explicandum novum jus Concilii Trident., sess. 25, c. 3 de Reformatione.

7. *Judex debet scripturam reo tradere.* — Tertio præcipitur in dicto cap. 1 de Sentent. excom., ut judex exemplum scripturæ continentis sententiam censuræ, reo tradat; quod tamen non absolute præcipitur, sed sub conditione, *si intra mensem fuerit requisitus,* etc. Ubi Joan. Andr. in Gloss. advertit tale exemplum debere esse integrum, et de verbo ad verbum usque ad annotationem diei, et anni; quod variis juribus confirmat; sed nobis satis est vis, et proprietas ipsius nominis *exemplum,* et quod alio modo non satisfieret intentioni legis. Imo, una ex præcipuis causis, ob quas statutum est, ut censura ex scripto feratur, videtur fuisse, ut possit fidele et authenticum exemplum illius dari reo ad sui defensionem, vel emendationem. Unde etiam constat (quod Glossa ibi notavit) hoc habere locum in censuris, quæ contra determinatas, et nominatas personas feruntur. Addit vero Joannes Andr. ibi ex Hostiensi, quod si in sententia lata in generali, vel contra innominatam personam, aliquis sub illa comprehendi poterat, exemplum petat, illi tribuendum est. Quod verum censeo, quia verba illius legis generalia sunt, tam ex parte judicum, quam ex parte sententiarum seu censurarum; et ideo omnes comprehendunt, sive in speciali, sive in generali ferantur; distributione tamen accommoda, ita ut in singulis, juxta uniuscujusque capacitatem, dicta forma, ejusque circumstantiæ serventur.

8. *Judex ferens censuram, non servata forma cap. 1 de Sent. excom., ipso jure suspenditur. — Sententia tamen non est nulla.* — Ultimo imponitur pœna suspensionis judicibus, qui dictam formam in censuris ferendis non servaverint; et declaratur, eam suspensionem esse propriam et rigorosam censuram, ita incurrendam ipso facto, ut si, ea durante, id est, *intra mensem,* judex, qui illam incurrit, divina officia exequatur, irregularis fiat, et cum eo solus Papa possit dispensare. Nihilominus tamen significatur ibidem, censuram latam a tali judice, prætermissa dicta forma, ex vi hujus defectus non esse nullam. Ratio autem non est alia, nisi quia Pontifex noluit eam formam præscribere ut essentialem, sed solum ut necessariam ex præcepto ipsi judici. Hoc autem ita esse colligitur ex illis verbis textus : *Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans;* relaxare enim proprie est solvere quod ligatum erat; supponit ergo illam sententiam vere ligasse; illum tamen defectum esse sufficientem causam, ut statim sine difficultate absolutio detur, id est, sine ullo gravamine ipsius rei. Et ita exponunt Gloss. et expositores ibi, et Abbas, c. Sicut, de Sent. et re judic., n. 12.

9. Sed objici potest, quia omnis sententia lata absque scriptura nulla est, juxta c. fin. de Sent. et re judic., propter quem textum oppositum tenuit Ripa, in Rubr. de Constit., n. 48. Respondetur illud esse generale in aliis sententiis definitivis; hic vero specialiter excipi eas, quibus censuræ proferuntur, forte, ut censuræ magis timeantur.

10. *Objectioni respondetur.* — Sed instabis, nam talis exceptio in hoc capite expresse non fit, et non est absolute necessaria ad verba illius textus explicanda; ergo non est facienda. Explicatur minor, nam tria in illa lege præcipiuntur, ut vidimus. Et de tertio quidem manifestum est non esse de substantia, et valore sententiæ; nam est quid posterius, scilicet, dare exemplum sententiæ reo censura irretito. Ex aliis vero duabus conditionibus, prima, scilicet, quod sententia ex scripto recitetur, non est peculiariter instituta in eo capite, sed est generalis ad omnes sententias, et in hoc textu fuit applicata ad sententiam, qua fertur censura. Altera vero conditio non erat de necessitate sententiæ, ut sic, sed in hoc capite fuit specialiter proposita pro tali genere sententiæ, scilicet, continentis censuram. Dici ergo potest eam formam censuræ quantum ad id quod peculiariter additum est in eo capite, non esse de substantia, et si id tantum desit, non esse nullam, sed facile relaxandam; et hoc voluisse Pontificem, id est, si causa censuræ in sententia non scribatur. Et, si attente legatur, hoc tantum docuit Abbas citato loco. At vero quantum ad alia, quæ generalia sunt omni sententiæ, et de substantia, ac valore ejus, non videtur voluisse Pontifex aliquid innovare, vel aliquem valorem addere sententiæ censuræ alias nullæ ex vi aliorum jurium.

11. *Censura lata contra omnes conditiones c. 1 de Sent. excom. non est nulla.* — Hic discursus redderet probabilem sententiam Ripæ, si de censuris, tanquam de propriis, et rigorosis sententiis judicandum esset. Respondetur tamen potius esse de illis censendum, tanquam de quibusdam mandatis Ecclesiasticis, et medicinis quibusdam, quæ magis ad emendationem, quam ad punitionem applicantur; ideoque non ex communi modo et forma ferendi sententiam, sed ex proprio jure, ac modo in talibus sententiis statuto, de valore earum judicandum esse. Quapropter, cum verba illius legis generalia sint, scilicet, censuram latam contra tenorem illius decreti relaxandam esse, absolute et simpliciter sunt intelligenda de quacumque sententia continente censuram, etiamsi illi desint omnia, quæ in illo capite specialiter statuuntur, ut habet communis sententia.

SECTIO XIV.

An necesse sit, post latam sententiam censuræ, denunciationem subsequi.

1. *Post latam censuram debet sequi denunciatio.* — Ad perfectam, et consummatam solemnitatem, in forma censuræ servandam, est hæc denunciatio, quæ est veluti cæremonia consequens ipsam censuram. Post censuram enim illatam debere subsequi hanc denunciationem, statutum est in jure. De excommunicatione quidem in c. Curæ, 11, q. 3, ubi dicitur, debere Episcopos nomina excommunicatorum mittere ad convicinos Episcopos, et ad parochos, ac denique in celebri loco posita, pro foribus Ecclesiæ *cunctis convenientibus inculcare.* Duplexque ratio redditur hujus publicationis. Prima, *ut ipsis excommunicatis ubique occludatur aditus Ecclesiasticus.* Secunda, *ut excusationis causa omnibus auferatur.* Idemque colligitur ex c. Pervenit, primo, et c. Pastoralis, § Verum,

de Appellation., et ex Clement. ultim. de Censib., ubi de sententia interdicti idem præscribitur. Et de suspensione idem significatur in Clementin. 2 in Pœnis. Atque ita denunciationem hanc communem esse omnibus censuris docent Felicianus in Enchiridion de Censuris, c. 5 de Interdicto, et Ugolinus, dicto cap. 21, § 2.

2. *Magis necessaria est denunciatio in excommunicatione quam in aliis censuris.* — Verum est, in jure magis expressum esse hoc quoad excommunicationem, quam quoad alias censuras. Estque sine dubio in illa major ratio, et necessitas, quia ejus effectus magna ex parte pendet ex aliorum notitia, præsertim nunc post Concilium Constantiense, in quo non obligamur ad vitandum excommunicatum, donec sit nominatim denunciatus aut declaratus, excepto manifesto clerici percussore. Quocirca nullum video sufficiens præceptum, quo teneantur judices Ecclesiastici denunciare, aut peculiari diligentia procurare, ut censura suspensionis vel interdicti in aliquem lata publicetur. Poterunt tamen id facere, quando et quomodo expedire censuerint; et interdum poterunt obligari, vel in casibus a jure expressis, vel quando juxta delicti gravitatem, et contumaciam id fuerit necessarium, vel etiam quatenus ad executionem censuræ talis publicatio, et notitia necessaria esse potest. In censura vero excommunicationis magis per se requiritur hæc denunciatio, ideoque est, per se loquendo, necessaria, et interdum repeti potest et debet ad majorem peccatoris confusionem, quando, et delicti gravitas, et obstinatio peccatoris id exigere videtur, et maxime quando id est in jure expressum, ut in Clementina prima de Pœnis, et in extravagant. unic. de Furtis.

3. Ut vero distinctius intelligatur, quando Episcopus aut judex teneatur ad hanc denunciationem faciendam, quando vero licite possit, non vero teneatur, et denique quando nec teneatur nec possit, sed ab illa debeat abstinere, distinguamus oportet inter excommunicationem ab homine et a jure. Et rursus excommunicationem ab homine in eam, quæ contra determinatam et nominatam personam, et quæ fertur per sententiam generalem vel contra indefinitam et incognitam personam. Denique excommunicatio ab homine lata contra determinatam personam duobus modis ferri, et contrahi potest. Primo ipso facto, si non impleat præceptum impositum tali personæ in particulari sub censura ipso facto incurrenda. Secundo quando post trinam admonitionem, et perfectam contumaciam absoluta sententia excommunicationis in aliquem nominatim fertur.

Censuram ab homine contra certam personam latam, trina monitione præmissa, necessario sequitur denunciatio.

4. *Quæ denunciatio sit sufficiens.* — Ab hac ergo ultima incipiendo, in ea maxime verum habet, ad officium judicis pertinere, post latam sententiam hujusmodi excommunicationis, eam sufficienter publicare, ut et ab aliis servari possit, et ipse etiam excommunicatus ad eam servandam compellatur. Et de hujusmodi censura videtur maxime sermo esse in dicto c. Curæ sit, 11, quæst. 3. An vero teneantur Episcopi statim servare omnia, quæ in illo capite præcipiuntur, difficile est definire; non enim videtur esse in usu, ut Episcopi statim admoneant alios vicinos Episcopos de omnibus, qui a se excommunicantur; imo neque omnes parochos sibi subditos, sed solum in propria parochia ejus qui excommunicatur, vel in Ecclesia matrice faciunt publicari, vel ad summum in foribus Ecclesiæ, aut aliis locis publicis censuræ sententiam scriptam defigi. Item, si solum ex natura rei consideremus Episcopi officium, non videtur ex vi illius obligari, ut summam diligentiam adhibeat, ut sententia excommunicationis ad omnium notitiam deveniat. Cur enim non satis erit eam publice pronunciare, et promulgare, cum in præceptis etiam et statutis hoc sufficiat? Quamvis enim canones statuant, ut excommunicatus vitetur ab omnibus, et Episcopus curare debeat, ut canones serventur, non tamen tenetur adeo sollicite procurare, ut ignorantia facti circa alicujus excommunicationem ab omnibus aliis tollatur, quia id directe et per se non spectat ad juris observationem. Si autem loquamur de jure positivo, nullum est, quod hanc formam denunciationis stricte instituere, ac præcipere videatur. Maxime enim caput illud *Curæ sit.* At vero illud neque continet verbum aliquod, quod rigorosum præceptum indicet; solum enim habet verbum hoc, *Curæ sit;* et nullam pœnam postea imponit; et non videtur usu receptum quoad omnes illas circumstantias.

5. Quocirca dicendum mihi videtur, publicationem, seu denunciationem moraliter sufficientem esse in præcepto Episcopi, vel ju-

dicis, ex vi sui muneris, tum quia decreta illam requirunt vel supponunt fere semper; tum etiam quia, considerata natura talis censuræ, est moraliter necessaria, ut habeat effectum, et ut digne tractetur. Utrumque autem procurare pertinet ad munus judicis ferentis illam. Modum autem hujus denunciationis, vel qui ponitur in illo c. Curæ sit, vel alium, qui excogitari facile possit, non arbitror esse nunc determinate in præcepto universali, sed magna ex parte relinquendum esse arbitrio judicis, ut juxta gravitatem delicti, et contumaciam delinquentis, magis, vel minus faciat publicari excommunicatum; cujus contumacia tanta esse posset, et tam grave delictum, præsertim si sit aliis nocivum, ut teneatur judex denunciationem facere juxta formam præscriptam in illo c. Curæ sit. Semper vero excipiuntur peculiares casus in jure expressi, in quibus denunciationis modus præscribitur, ut videre licet in cap. 1, de Treuga et pace, et in cap. Parochianos, de Sentent. excomm., et in Clement. 1 de Furtis, et in Clement. 1 de Privileg., et in Clement. ultim. de Censib.

6. *Censuram jure incursam non debet sequi denunciatio nisi post sententiam declaratoriam.* — Ex quo intelligimus minorem esse hanc obligationem, quotiescumque censura ipso jure, seu per violationem præcepti contrahitur ante propriam sententiam declaratoriam. Tunc enim, cum censura nondum sit juridice publicata per sententiam, non ita urget necessitas deducendi in aliorum notitiam; præsertim nunc, quando alii non tenentur vitare excommunicatum, donec declaratus, vel denunciatus sit. Adde, ante denunciationem hujusmodi censuræ necessarium esse, ut antecedat sententia declaratoria criminis, etiamsi alioqui notorium sit. Nam hæc denunciatio est quædam executio pœnæ impositæ; executio autem pœnæ requirit juridicam declarationem culpæ, etiamsi alioqui notoria sit. Et ita sumitur ex cap. Pervenit 1, et ex cap. Consuluit, de Appellat., et late docet Covar., cum aliis, quos refert in c. Alma, 1 part., § 2, n. 9. Ad hanc autem sententiam declaratoriam ferendam non semper tenetur judex, nisi, vel ad petitionem partis, vel quando ad commune bonum est ita necessarium, ut ratione sui publici muneris ad id obligetur. Post sententiam autem declaratoriam criminis eodem modo tenebitur judex ad denunciationem censuræ faciendam, quo dictum est in censura ab homine lata; est enim eadem ratio. Et juxta hæc intelligenda sunt jura, quæ jubent hanc denunciationem fieri etiam in censuris jure ipso latis; nisi quando modus denunciationis in eisdem præscribitur, ut supra dictum est. De quo vide Abbatem, in cap. Parochianos, de Sentent. excommunicationis.

A quo possit licite hæc denunciatio fieri.

7. Ex quo præterea intelligitur a quo possit licite hæc denunciatio fieri. Nam in primis necesse est, ut habeat jurisdictionem, vel legitimam potestatem delegatam, quia, ut dixi, hæc denunciatio est quædam executio censuræ, et sine dubio, est actus potestatis coercivæ. Quocirca in excommunicatione ab homine, primo et per se fieri potest ab eo, qui censuram intulit; nam ad illum pertinet exequi sententiam suam. Colligiturque ex c. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Deinde vero ab aliis pastoribus, et Episcopis fieri poterit, et debebit, qui fuerint ab excommunicante requisiti. Idemque erit (proportione servata) in censuris ipso facto contractis per violationem statuti proprii Episcopi; nam est eadem proportionalis ratio. At vero in censuris latis jure communi denunciatio fieri potest, vel a proprio Episcopo ipsius delinquentis, vel, si in alterius diœcesi deliquit, et consequenter ibi censuram contraxit, ab Ordinario illius loci poterit denunciari, nam ratione delicti quoad hoc factus est subditus. Et sumitur ex Clem. 2, vers. *Locorum,* de Pœnis, et ex aliis supra citatis, et ex cap. De illis, 6, quæst. 3, quod fere idem est cum c. 1 de Raptoribus.

8. *Etiam in publicis, quibus est censura annexa, denunciatio fieri non potest nisi a legitimo judice, præcedente sententia declaratoria.* — Quidam vero addunt, quando crimen est notorium, et illi est ipso jure censura annexa, a quocumque denunciari posse. Ita refert ex Geminiano Ugolinus, dict. § 2, circa initium, et approbare videtur sub hac limitatione, scilicet, dummodo crimen non tantum quoad factum ipsum, sed etiam quoad rationem criminis ita sit notorium, ut sit etiam inexcusabile, ita ut hoc etiam ipsum notorium sit. Sæpe enim contingit factum esse notorium, ut, v. gr., Petrum occidisse clericum; non est tamen ita notum, illud fuisse crimen, nam poterit Petrus excusari, quod in suam defensionem fecerit, aut aliquid simile. Sed, utcumque crimen sit notorium, semper ad denunciandum reum est necessaria jurisdictio

vel potestas ad exequendam pœnam; et ideo nunquam existimo posse fieri a quocumque, sed cum debito ordine superius explicato, alioqui magna esset confusio et occasio scandali. Eo vel maxime, quod sententia declaratoria semper antecedere debet, quantumvis factum sit notorium; nam quod sit etiam prorsus inexcusabile, vix est moraliter possibile. Et ideo id non venit in moralem considerationem, nec impedit, quominus debitus justitiæ ordo servandus sit, ut nemo non auditus damnetur. Manifestum est autem non posse a quocumque ferri sententiam declaratoriam, sed a legitimo judice; ab eodem ergo fiet denunciatio.

9. *Aliquando potest judex juste denunciare, etiamsi ad id non tenetur.* — Igitur ut denuntiatio juste fiat, primo supponi debet potestas. Deinde, si cum potestate sit etiam obligatio denunciandi juxta superius dicta, clarum est tunc justissime fieri denunciationem. Si vero non sit talis obligatio, quamvis judex possit absque peccato illam, vel omittere, vel differre, et ideo videri possit debere etiam id facere, ut minus infamet proximum, minusque nocumentum illi inferat, præsertim quia denunciatio interdum reddit difficiliorem absolutionem, ut patet ex cap. Tua, de Sentent. excomm., nihilominus dici generaliter non potest, quoties judex non tenetur denunciare, male facere denunciando, aut teneri etiam non denunciare. Quia sæpe intervenire potest prudens arbitrium, et esse possunt causæ probabiles, ob quas, vel ob commune bonum, vel alterius tertii, vel ipsiusmet excommunicati, judicetur expediens illum denunciare. Quapropter in hujusmodi eventibus, si judex id faciat, quod probabiliter existimat magis expedire, et alioqui servet ordinem juris, non peccabit, sed sua potestate legitime utetur.

SECTIO XV.

Utrum aliquando teneatur judex non denunciare censuram.

1. Quæstio hæc gravis est et annexa præcedentibus, et ideo non potest hoc loco prætermitti. Potest autem tractari de duplici judice aut persona, scilicet, de principali judice cognoscente de causa, aut de mero executore ab ipso requisito seu misso. Item procedit dubium tam de censura ab homine lata per sententiam, quam a jure, subsecuta sententia saltem declaratoria pœnæ. Et quidem si sententia justa fuit, non est dubium, quin denunciatio subsequi possit, per se loquendo. Difficultas ergo solum est, quando sententia fuit injusta. Et de ipso principali judice regulariter loquendo non est dubium, quin, si injustam sententiam tulit, non debeat ad denunciandum progredi, quia illud nihil aliud est quam in injustitia inchoata progressum facere et injustam sententiam executioni mandare. Solum potest hoc limitari, quando injustitia, quæ præcessit, fuit omnino transiens, et non habet (ut sic dicam) tractum successivum, quod in fine magis explicabitur.

2. *An executor possit vel debeat exequi sententiam quam scit esse injustam.* — *Ratio dubitandi.* — At vero de judice mere executore difficultas est, an possit, vel debeat exequi, vel denunciare hanc personam, etiamsi illi constet sententiam ipsam excommunicationis injustam esse. Et ratio dubitandi est, quia juris Pontificii interpretes communiter ita affirmant, et videtur expresse definitum ab Innocent. III, in c. Pastoralis, § Quia vero, de Officio delegati, ubi ad similem quæstionem propositam ita respondet: *Attendentes itaque, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem, respondemus, quod, cum ordinarius obsequi teneatur delegato, etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eamdem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat.* Ratione item, quæ ex hoc textu sumitur, confirmatur hæc pars, quia mero executori non committitur causæ cognitio, sed mera executio, ac propterea neque exceptionem, neque appellationem admittere cogitur, l. Ab executione, Codice Quor. appellation. non recip., quia nimirum ad ipsum non spectat discernere, an juste vel injuste judicatum sit. Et confirmatur, quia executor in eo munere gerit personam publicam; ergo operari debet ex scientia publica, et non ex scientia privata; scientia autem publica respectu illius est illa, quæ ex publica sententia resultat; ergo secundum illam operari debet, etiamsi alioqui per scientiam privatam cognoscat illam esse injustam. Secundo specialiter confirmatur in præsenti materia, quia denunciatio non tam est executio quam denunciatio executionis; ipsa enim sententia excommunicationis secum affert executionem, et denunciatio non addit vinculum, sed declarat impositum, cap. Pastoralis, § ult., de Appellat., et maxime ad hoc ordinatur, ut excommunicatus ab aliis vitetur, quod ipsi facere debent, etiamsi sententia injusta sit; ergo non est, cur tunc impediatur.

3. *Ratio in contrarium.* — In contrarium vero est in primis naturalis ratio, quia executio talis sententiæ est intrinsece mala; ergo nulla ratione fieri potest, quantumvis a superiori præcipiatur. Consequentia per se evidens est, et probatur ex cap. Inquisitioni, de Sentent. excomm., ubi idem Innocent. III, propter hanc causam ait, conjugem, cui certo constat matrimonium fuisse nullum, non debere cum altero conjungi, etiamsi per excommunicationem compellatur, quia accedere ad talem personam est intrinsece malum, cum sit fornicatio. Antecedens autem probatur, quia exequi sententiam injustam est ad injustitiam cooperari vel potius injuriam ipsam efficere. Nec satis est respondere denunciationem hanc excommunicationis non esse proprie executionem sententiæ, eo quod ipsa sententia censuræ secum illam afferat, quia si denunciatio talis sententiæ sumatur respectu ipsius excommunicati, est saltem conditio necessaria, ut ipse possit tali sententia ligari; unde est quasi applicatio causæ inferentis injustum nocumentum, quod in moralibus perinde est ac ipsummet nocumentum inferre; si vero sumatur respectu aliorum, quamvis talis denunciatio non plus liget denunciatum quoad ipsum, ligat tamen amplius quodammodo quoad alios, quia tenentur illum vitare, cum antea non tenerentur, præsertim post Extravagantem *Ad evitanda,* et præterea addit novam infamationem publicam, atque adeo grave nocumentum, quod cum injustum sit, ad illud cooperari intrinsece malum est.

4. Neque enim satisfacit responsio, quod executor tunc operatur ex scientia publica tanquam publica persona; nam cum hæc scientia publica non habeatur nisi per sententiam, si de illa constat esse injustam, non potest veram publicam scientiam conferre, quæ sufficiat ad formandum dictamen conscientiæ rectum, quod liceat talem sententiam exequi, aut secundum illam operari. Et confirmatur primo, quia milites etiam subditi principi eos vocanti ad bellum, si constet eis bellum esse injustum, non possunt licite illi obedire, nec bellum agere, juxta sententiam receptam Theologorum omnium, quæ sumitur ex August., 22 contra Faust., cap. 74 et 75, et habetur in cap. Quid culpatur, 23, q. 1, ubi ait, licere sub rege sacrilego militare, si quod jubetur, aut non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ubi ergo est certum, quod jubetur esse contra Dei præceptum, illud exequi militando non licet. Est autem eadem ratio et proportio, quæ in illo casu, in præsenti; nam princeps indicens bellum, auctoritate publica id facit, tanquam gerens sententiam in alium principem vel regnum, cui bellum indicit tanquam reo criminis vel auctore nocumenti, cujus vindicta vel reparatio ad ipsum pertinet; milites autem sunt veluti executores hujus sententiæ, qui etiam operantur ut organa et instrumenta hujus potestatis, et sub ea ratione ut personæ publicæ; est ergo eadem proportio. Similisque est in criminali judicio, quando lictori constat sententiam mortis in alium prolatam esse evidenter injustam; tunc enim non potest juste illam exequi; alias excusare possemus a culpa omnes martyrum carnifices, imo et milites gentiles Christi crucifixores, quia licet alias eis constaret de martyrio vel Christi innocentia, tamen excusari possent, dicendo illos operari ut personas publicas, ex publica scientia per sententiam comparata.

Quæstionis resolutio.

5. *Variæ divisiones dubii resolutione proponuntur.* — Hæc quæstio late disputatur a Doctoribus tam Theologis in 2. 2, quæst. 67, art. 2, quam Jurisperitis in dicto § Quia vero, ubi Panormitan. varias refert opiniones, et in c. Ad aures, de Temp. ord., ubi late Innocent., et in cap. Quia plerique, de Immun. Eccles. Estque amplissima hæc quæstio, quia non solum in sententia censuræ, sed in qualibet alia locum habet, et tam de executore quam de ipso judice tractari potest, an possit secundum allegata et probata, contra propriam scientiam juste judicare. Sed prætermissis aliis, quæ ad præsentem locum non spectant, solum hic agimus de executore mere deputato ad denunciandam sententiam excommunicationis seu censuræ, de qua videtur esse specialis ratio. Distinguendum ergo in primis est de sententia ita injusta, ut sit etiam nulla, et de illa, quæ, non obstante injustitia, valida est. Et hæc posterior subdistingui potest, nam quædam est non solum valida, sed etiam justa, secundum allegata et probata, quamvis re ipsa injusta sit; alia vero est injusta, etiam secundum allegata et probata, ita ut de ipsius injustitia ex ipso processu seu actis litis constare possit. Unde dupliciter etiam potest executori constare de injustitia sententiæ. Primo per privatam notitiam facti aut aliarum circumstantiarum, ex quibus certo sibi per-

suadet sententiam esse in re ipsa injustam, simul tamen ignorans, an secundum allegata et probata justa sit. Secundo potest esse certus de injustitia sententiæ, per acta seu processum ipsiusmet litis, quia nimirum ex ipso constat injustitiam esse commissam in sententia. Hæc vero injustitia duplex etiam esse potest, una contra accidentalem formam judicii, alia contra substantiam et essentiam ipsius judicii. Denique injusta sententia duplicem potest habere statum : unus est ante elapsum tempus ad appellandum concessum, in quo vel nondum appellatum est, vel licet fuerit juste appellatum, judex tamen noluit appellationem admittere. Alius status est post elapsum tempus ad appellandum concessum, in quo appellatum non fuit, sed sententia transivit in rem judicatam.

6. Primo ergo dicendum est, quoties executori certo constat sententiam censuræ esse nullam, quacumque ratione illi hoc constet, non potest licite illam denunciare. In hoc conveniunt omnes auctores citati, et sumitur ex cap. 2 de Crimin. falsi, ubi laudatur executor, quod sententiam auctoritate falsarum litterarum latam, noluerit executioni mandare, quia nimirum talis sententia nulla erat. Eadem autem ratio est de omni sententia nulla. Idem probatur ex cap. Ex litteris, de Offic. deleg., ubi id notat Glossa, ver. *Denuncietis,* et Abbas, num. 2 et 5. Probaturque generaliter, quia talis denunciatio esset falsa, simpliciter loquendo et in omni sensu, quia si excommunicatio fuit nulla, ergo neque in re ipsa, neque in exteriori foro, ille est excommunicatus; ergo si excommunicatus esse denuncietur, falsum est quod de illo refertur. Est autem illud mendacium grave, quia perniciosum et injuriosum; ergo nemini potest esse licitum illud proferre, etiamsi ab alio requiratur.

7. *Secunda conclusio.* — Secundo dicendum est : si excommunicatio sit justa secundum allegata et probata, licet executori constet in re esse injustam et contra veritatem causæ, potest et debet, si superior ei præcipiat, eam denunciare. Probatur ex dicto c. Pastoralis, § Quia, quod ut minimum probat hanc partem, ut paulo inferius magis expendemus. Ratio etiam superius insinuata id convincit, quia illud præceptum superioris est justum; ergo publicus minister tenetur ei obedire, alioqui esset bellum justum ex utraque parte inter illos, nam unus posset alium juste cogere, et alter, si obedire non tenetur, juste se defendere. Nec satis est respondere, hoc interdum contingere intercedente ignorantia (ut videre licet in casu cap. Inquisitioni, de Sentent. excom.). Quia hic revera non intercedit ignorantia proportionata, nec sufficiens ad excusandum a præcepto, sicut contingit in casu illius textus, scilicet, quando superior præcipit alicui viro, ut matrimonium consummet cum ea femina, quæ in foro Ecclesiæ sufficienter probatur esse ejus uxor, tamen ei evidenter constat non esse, ut quia habet aliam priorem quam probare non potest. vel propter aliud simile impedimentum; nam in eo casu nullo modo debet obedire superiori præcipienti, quamvis ille juste præcipiat, quia actio illa, quæ præcipitur, in re ipsa semper manet intrinsece mala, scilicet, simplex fornicatio, et alioqui est actio mere privata, et a tali conjuge ut privata persona exercenda, et ideo nunquam est licita; scientia vero et ignorantia, quæ ibi interveniunt, efficiunt, ut ex parte judicis possit præceptum esse justum ob juris præsumptionem seu probationem; et ex parte subditi simul sit justum non obedire, quia nimirum talis scientia proportionata est ad illum actum. At vero in præsenti non ita est, quia tam superior præcipiens quam inferior, operantur ut personæ publicæ, et ideo debent scientia publica informari et secundum illam operari; cum ergo scientia veritatis quam inferior habet, sit mere privata, non excusat quominus obedire debeat in publico ministerio superiori juste præcipienti. Et confirmatur, quia judex tenetur judicare secundum allegata et probata, etiamsi necesse sit eum condemnare, quem scit revera esse innocentem, ut est verior et communior sententia Theologorum cum D. Thom., 2. 2, q. 67, art. 2, et Jurisperitorum cum Glossa, in dict. c. Pastoralis, § Quia; ergo et minister publicus, cui ipse executionem mandat, tenetur ei obedire; alias frustra esset talis sententia, talisque potestas, cum nec debeat, nec possit judex per seipsum sententiam exequi, neque ad hoc cogendus sit. Quod si hoc verum est in sententiis criminalibus, quæ sæpe ingerunt detrimentum irreparabile, multo magis habebit locum in sententia excommunicationis, cujus damnum reparari facile potest.

8. *Tertia conclusio.* — Tertio addo : quando executor novit sententiam quidem esse injustam per comparationem ad rem ipsam, scientia omnino privata, ignorat autem an sit justa secundum allegata et probata, tunc etiam

potest et debet sententiam exequi, denunciando excommunicatum, si ab eo, qui potestatem habet, præcipiatur, si non possit commode se excusare vel superiorem a priori sententia mutare. Recte enim faciet in hoc casu subditus recurrendo ad superiorem, juxta cap. Si quando, de Rescriptis, ibi : *Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.* Potest ergo hujusmodi subditus coram superiore se excusare et legitimam excusationis causam allegare. Si tamen superior id non admittat, quia juridice non probatur, nec velit eum a tali munere liberare, jam tunc dicitur executor, non solum posse, sed etiam debere obedire. Probatur primo, ex dict. cap. Pastoralis, § Quia vero, in illis ultimis verbis : *Etsi sciat sententiam illam injustam, exequi nihilominus tenetur eamdem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere eum absolvat.* Ubi absolute ponit illam conditionem, *etsi cognoverit esse injustam,* scilicet privata cognitione. Non requirit autem, ut positive cognoscat esse sententiam justam secundum allegata et probata, sed significat satis esse, ut illi oppositum non constet; hanc enim vim habet illa ratio : *Attendentes autem, quod non cognitio, sed executio tantum demandatur eidem;* ergo non tenetur executor justitiam sententiæ juridice inquirere aut examinare; ergo, si non constet ei esse injustam juridice, id est, secundum allegata et probata, potest et debet illam exequi. Et confirmatur, nam inferior, quoties ei non constat præceptum superioris esse injustum, debet præsumere esse justum, et consequenter illi obedire; in eo autem casu non constat sententiam esse injustam; nam, licet scientia privata constet in re ipsa non habere æquitatem, cum hoc tamen stare potest, ut illa sit justa juridice, et consequenter simpliciter non constat esse injustam; ergo præsumi debet justa; ergo executor, cui committitur ejus denunciatio seu executio, cum non teneatur amplius cognoscere vel inquirere de justitia causæ, potest et debet tali mandato sui superioris parere.

Executor sciens sententiam secundum allegata et probata esse injustam, non debet nec potest illam denunciare.

9. *Quarta conclusio.* — Quarto vero dicendum est : si puro executori constet sufficienter, sententiam esse injustam secundum allegata et probata, quia condemnatur ut nocens, qui revera in processu litis non probatur nocens, tunc non debet, nec potest licite talem sententiam exequi. Hæc est communior sententia Doctorum in illo § Quia vero. Et probatur ex dictis a contraria ratione; nam tota ratio obediendi judici præcipienti executionem sententiæ, quæ in re est contra innocentiam partis, est quia talis sententia, vel cognoscitur, vel præsumitur esse justa secundum allegata et probata; ergo quando cognoscitur etiam secundum hanc rationem esse injusta, nulla ratione potest ei obediri, nam tunc nullus relinquitur locus præsumptioni. Præterea, illa sententia omni ratione injusta est, et præsertim sub ratione sententiæ, quæ fundari debet in juridica notitia; ergo non potest executor illam denunciare, nisi cooperando injustitiæ, quia jam nulla illi relinquitur justitiæ ratio, sub qua possit ab injusta cooperatione excusari; præsertim cum in eo negotio se gerat ut persona publica, quæ maxime formari debet notitia, et scientia publica, quæ ex probationibus sumitur.

10. *Objectio.* — Sed dicunt aliqui notitiam publicam a judice sumi ex probationibus, ab executore vero non inde esse sumendam, quia ad illum non pertinet acta processus examinare, quia non est illi cognitio causæ demandata, ut dicitur in prædicto textu, sed sumendam esse ex ipsa publica sententia, quæ per se sumpta justa præsumenda est. Unde aiunt etiamsi ex ipsis actis et processu executori constet sententiam fuisse prolatam contra merita causæ, et sine sufficienti probatione, nihilominus debere illam exequi, quia text. in dict. § Quia vero, indistincte ait, *Etsi injustam esse cognoverit, vel sciat;* ergo sive sciat private, sive ex actis, illa decisio procedit, tum quia lex illa nihil in hoc distinguit; tum etiam, quia ratio ejus æque procedit in omni casu, scilicet, quia executori non demandatur causæ cognitio, sed executio.

11. *Solutio.* — Hæc vero sententia nullo modo probanda est, alias quoties ipsa sententia in se ipsa non expresse continet injustitiam, ita ut per se conferat notitiam injustitiæ, quam continet, semper erit licitum executori illam exequi, licet evidentissime et publice alias constet esse injustam, etiam secundum acta, et juridicas probationes. Consequens est valde absurdum, alias datur occasio exequendi innumeras injustitias, et actiones iniquas; licebit enim cuilibet inferiori, vel famulo obedire superiori præci-

pienti rem iniquam, quoties in ipsis verbis, seu externa specie actus non apparet iniquitas, etiam si alias de illa evidenter constet. Præterea, argumentum supra factum de bello justo videtur esse manifestum, quia etiam princeps indicens bellum gerit personam publicam, et se habet quasi proferens sententiam in alium, contra quem bellum indicit. Præterea, quando sententia est nulla, non oportet, ut de nullitate ejus constet ex ipsa sententia per se ac nude sumpta, sed quacumque ratione alias id sufficienter constet, satis est, secundum sententiam ab omnibus receptam et supra probatam; ergo pari ratione idem erit de sententia injusta secundum jus. Quia vel illa etiam est nulla frequentius, aut semper, ut multi volunt, vel certe continet publicam injustitiam, quam, licet in sola forma, seu verbis sententiæ judex non exprimat, ex actis tamen et processu publice de illa constat, sicut constat de nullitate. Et quod attinet ad rationem injuriæ, perinde est exequi sententiam injustam, ac nullam. Nec potest reddi ulla ratio, ob quam notitia, quam executor habet de nullitate sententiæ, etiam si aliunde, quam ex illa sententia habeatur, satis sit publica, ut propterea non sit executioni mandanda, et tamen similis et æqualis notitia de injustitia legali non sufficiat ad impediendam executionem in conscientia.

12. Quocirca quamvis executor sit persona publica, et ut sic regi debeat per scientiam publicam, hæc tamen scientia publica non est sumenda ex solis verbis sententiæ; alias tota niteretur auctoritate ipsius judicis proferentis sententiam, et hæc sola prævalere semper deberet apud executorem contra omnem aliam notitiam quantumvis evidentem et publicam, tam ex facto, quam ex processu; quod est plane absurdum, et expositum multis moralibus periculis, absque aliqua publica utilitate, et sufficienti ratione. Quæ est enim necessitas, ut tanta fides adhibeatur solius judicis auctoritati, aut verbis sententiæ ejus, quando contrarium constat ex actis, ex quibus potest publice constare, an executor juste reclamet, vel judici resistat? Quod enim judex contra scientiam privatam possit et debeat judicare secundum allegata et probata, ideo est, quia cum de privata ejus notitia non possit constare reipublicæ, esset magna ejus perturbatio, et multorum malorum occasio, si illa licentia judici concederetur. At vero in præsenti, cum de injustitia sententiæ possit ex actis, atque adeo publice constare, nulla sequitur perturbatio, aut malorum occasio, quod executor allegando talem injustitiam sententiæ nolit eam executioni mandare, aut denunciare. Nec refert, quod ei non sit demandata causæ cognitio; sensus enim horum verborum in prædicto textu solum est, executori non esse demandatam juridicam causæ inquisitionem et examinationem; propterea tamen non est illi denegatum id, quod naturale est, atque etiam morale, ac politicum, ut regi debeat in actione sua per cognitionem, quam de causa habet proportionatam reipublicæ et muneri suo; hæc autem est notitia, quæ resultat non ex nuda sententia præcise sumpta, sed ut conjuncta actibus et processui, ut ostensum est. Textus autem, in dicto § Quia vero, cum ait, *licet injustam esse cognoverit,* aperte loquitur de privata et particulari scientia, et ita omnes interpretantur; hanc enim vim habet verbum illud, *cognoverit,* vel *sciat,* scilicet, ipse sua privata scientia.

13. *Quando sententia et in se et secundum allegata et probata justa est, licet quoad modum sit injusta, teneri executorem illam exequi.*—Ultimo dicendum est : quando sententia censuræ, et in re ipsa, et secundum allegata et probata valida est, et justa secundum justitiam commutativam, et causæ æquitatem, licet sit injusta quoad modum, vel quoad ordinem juris non servatum, vel quoad alium similem defectum a judice commissum, potest, et debet (regulariter loquendo) merus executor illam exequi, etiam si illi constet de tali injustitia. Hoc fortasse habet nonnullam majorem difficultatem in aliis sententiis, præsertim criminalibus, de quibus nunc non agimus; in præsenti tamen fere nullam habere videtur. Nam in primis ille executor denuncians talem sententiam verum dicit, quia cum supponatur sententia valida, verum est eam ligare, et consequenter constituere excommunicatum, vel suspensum, etc.; sed executor nihil aliud, quam hoc affirmat; verum ergo profert; ergo ex hac parte non peccat. Rursus, si aliqua ibi intervenit injustitia, ille non cooperatur illi, cum commissa fuerit in modo procedendi, non servato juris ordine, et illa non obstante, sententia valida fuit, quam ipse exequitur sub ea ratione; nam ex vi sententiæ jam alter ligatus erat, et ipse solum denunciat quod factum est, non tamen modum (et ideo hæc executio minor est in hac sententia censuræ, quam in aliis, ut

sumitur ex cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat.); ergo ex nullo capite denunciatio talis sententiæ illicita est ex parte executoris. Quapropter non solum hoc procedit, quando per scientiam privatam nota est illi injustitia sententiæ, quod clarum est ex dictis, sed etiam quando ex ipsis actis, seu processu illam notitiam comparavit, quia, cum actio illa, prout ab executore manat, non contineat specialem deformitatem, non impeditur, quacumque ratione constet de injusto modo procedendi judicis.

14. *Objectio. — Confirmatio objectionis.* — Dices : judex ipse etiam post latam talem sententiam injuste facit illam denunciando, cum teneatur potius illam revocare, et resarcire injuriam factam. Cujus signum est, quia id præstabit, seu ad id coget judex superior, si ad eum recursus detur; ergo inerat hæc obligatio ipsi judici, qui talem sententiam tulit, ex intrinseca ratione justitiæ; ergo, dum prosequitur talem sententiam usque ad denunciationem, injuste operatur; ergo injuste præcipit executori, ut talem denunciationem faciat; ergo ipse executor non potest juste illam facere, quia alias cooperabitur injustitiæ, maxime quando ex ipsis actis et processu illi constat de injustitia. Et confirmatur, nam, licet denunciatio non inferat novum vinculum, infert tamen novum detrimentum, tum ob majorem infamiam, quam ex se affert; tum etiam quia plures effectus habet excommunicatio denunciata quam non denunciata, maxime post Extravagant. *Ad evitanda*, et aliquando censura post denunciationem reservata est, cum antea non esset, ut colligitur ex cap. Tua nos, de Sent. excommunic.; ergo si talis denunciatio reipsa sit injusta, et hoc constet executori per scientiam publicam, id est, per acta, et processum causæ, non potest juste talem denunciationem facere.

15. *Objectio. — Solutio. — Judex aliquando potest denunciare sententiam a se latam, et injustam quoad modum.* — Respondeo ad priorem partem, non semper teneri judicem ad suspendendam denunciationem, etiam si in progressu, et ordine censuræ aliquem defectum contra justitiam legalem commiserit, si alioqui ei constet sententiam esse justam secundum æquitatem causæ, sufficienter in processu probatam, quia ille defectus non est substantialis, et magis est contra obedientiam legis respicientis commune bonum, quam contra jus debitum huic particulari personæ; et ideo ex illo defectu præcise sumpto non oritur obligatio restitutionis respectu talis personæ. Et eadem ratione non semper obligat ad suspendendam executionem vel denunciationem sententiæ. Quod maxime verum habet in censura, seu excommunicatione, quæ secum affert substantialem executionem; et sicut non impeditur ex illa injustitia accidentali, ut sic dicam, quominus valida sit, ita nec ut substantialem executionem secum afferat; ergo, per se loquendo, et ob eam solam causam non impedietur judex, quominus, non obstante illo defectu præterito, possit sine nova injuria sententiam validam denunciare. Sic enim propter similem, vel proportionalem rationem statuitur in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., ut, non obstante appellatione a sententia, censura denunciari possit.

16. *Quod a fortiori locum habet in executore.* — Deinde dicitur, licet aliquando defectus in censuræ sententia commissus talis sit, ut juxta juris ordinem legibus præscriptum non possit judex, qui sententiam tulit, ad denunciationem progredi, etiam si sententia valida fuerit, ideoque judex ipse peccet præcipiendo talem denunciationem, nihilominus executor non tenetur, vel injustitiam illam examinare, vel exceptionem sibi propositam admittere, sed simpliciter potest munus suum exequi. Quia ad ipsum non spectat alium juris ordinem servare, neque de causa cognoscere, aut appellationem admittere, sed simpliciter exequi quod sibi mandatum est, ut dicitur in dicto cap. Pastoralis, § Quia vero, de Offic. deleg., et sumitur ex l. Ab executione, C. Quando appellat. non recip. Quod maxime verum habet, quando is, in quem talis sententia lata est, vel non appellavit, vel convenienti tempore appellationem prosecutus non est; nam tunc sententia transivit in rem judicatam, et ideo merito volunt jura, ut quamvis fuerit injusta, executioni mandetur, ne lites in infinitum extendantur. In quo casu intelligunt Panormitanus et alii responsionem Pontificis, in dict. § Verum, de Appellat.

17. *Quæ injustitia quoad modum necessaria sit, ut executor sententiam exequi non possit.* — Nihilominus vero addo, si talis fuerit injustitia sententiæ, ut considerata causa, et negotii statu, adjungere denunciationem nova sit injustitia, quæ ita sit notoria, ut sine alia causæ inquisitione seu cognitione, per se nota sit ei, cui executio mandatur, et ex actis

ipsis constare possit, in eo casu non debere, nec posse licite talem executorem mandanti parere. Et ideo addidi in assertione, *regulariter loquendo,* quia hæc exceptio contingit raro. Nihilominus tamen, si illa omnia concurrant, veram esse existimo, et sufficienter probari objectione facta, ejusque confirmatione. Eamque insinuat Gloss., in Clem. unica, de Foro compet., ibi : *Nec justam haberet causam non parendi, ut quia notorie sunt injusti;* ubi etiam Cardin. Zabarella, § Eorumdem, idem sentit. Ac denique hoc etiam suadent rationes factæ in principio, secundo loco; quibus per hanc partem, et per superiorem assertionem satisfactum est. Priores vero rationes probant assertiones cæteras; et ideo ad illas amplius respondere necesse non est.

SECTIO XVI.

An per interpositam appellationem denunciatio censuræ juste latæ suspendatur.

1. *Interposita appellatio num impediat quominus censura ab homine lata denunciari possit.* — De censura vero juste lata adhuc superest dubium, an saltem per interpositam appellationem ejus denunciatio suspendatur. Nonnulli enim simpliciter id affirmant. Sed hoc duobus modis potest intelligi. Primo ut appellatio sit a censura ab homine lata, et quod impediat, ne judex possit ad denunciationem progredi. Et hoc sensu illa sententia generatim sumpta falsa est, et contra expressas decisiones juris in cap. Pastoralis, § Verum, de Appell., et cap. Cum contingat, de Offic. delegat., et cap. Is qui, de Sent. excom., in 6, quibus cavetur, appellationem interpositam post latam et contractam excommunicationem, non impedire ejus effectum, nec denunciationem. Poterit ergo judex non obstante appellatione, ad denunciationem progredi, etiamsi alioqui appellationem admiserit, si tamen judex ordinarius sit; nam si sit delegatus, et velit denunciare, oportet, ut id faciat antequam appellationem admittat; nam, si prius admittat, non poterit postea denunciare, quia jam desiit esse judex in illa causa, juxta cap. Pastoralis, § Præterea, et § Cum autem, de Officio deleg., ubi videri potest Abbas, num. 23. Aliqui vero excipiunt casum, in quo sententia excommunicationis fuit nulla. Sed non videtur necessaria exceptio, quia, si loquamur de re ipsa, illa sententia, hoc ipso quod nulla est, nihil valet ad denunciationem faciendam. Unde in foro conscientiæ, neque ipsa, neque denunciatio subsecuta ligabit, ut dicemus disputatione sequenti. Quare, quod ad hoc forum spectat, nihil refert talis appellatio. At vero in ordine ad exterius forum, licet is qui appellat, allleget excommunicationem esse nullam, seu in ea fuisse intolerabilem errorem, denunciari potest, quamvis postea admittendus sit ad probandum, juxta cap. Cum contingat, de Offic. deleg. Et, si sufficienter probaverit, tunc tam excommunicatio, quam denunciatio declarabitur fuisse nulla.

2. *Appellatio a censura contra ignorantem lata non impedit denunciationem, nisi ignorantia posset a censura excusare.* — Ultimo addit Ugolin. supra, num. 4, cum aliis Doctoribus, quos refert, saltem posse impediri denunciationem per appellationem interpositam, quando censura contra ignorantem lata est; citatque cap. Dilectus, de Appell. Sed fortasse legendum est, *Dilectis,* nam sub eo titulo nullum est capitulum, quod, *Dilectus,* incipiat, et alia quæ incipiunt *Dilecto,* vel *Dilecti,* nihil ad rem præsentem faciunt. Et illud etiam cap. Dilectis, parum vel nihil probat, quia ibi appellatio interposita fuit non solum ante denunciationem, sed etiam ante sententiam latam, vel saltem eo tempore, quo ejus effectus suspensus erat, quo tempore legitime poterat appellari. Quocirca, si ignorantia non fuit talis, ut excusare posset ab excommunicatione, non video, quo jure talis appellatio impediat denunciationem, quia cum illa excommunicatio liget, secum affert executionem; habet ergo locum etiam in eo casu decisio textus, in dict. cap. Pastoralis, § Verum. At, si ignorantia sit talis, ut excuset a censura, impediet quidem denunciationem, vel in interiori foro, vel etiam in exteriori, si de tali ignorantia in illo sufficienter constiterit; tunc autem non tam impediet ratione appellationis, quam ipsiusmet ignorantiæ impedientis effectum censuræ, ut suppono.

3. *Denunciatio censuræ a jure latæ potest per appellationem impediri.* — Hæc vero omnia procedunt in censura lata ab homine per sententiam, ut ita dicam, executivam; in censura vero lata a jure, et in universum in omni illa, quæ ipso facto contrahitur, ante denunciationem juridicam censuræ præcedere debet sententia declaratoria criminis, per quam non infert judex censuram, sed solum juridice declarat hunc esse reum talis

criminis; ex quo fit consequenter, ut ille contraxerit censuram jure latam, ex eo tempore, quo crimen commisit. Et ideo post talem sententiam facilius potest denunciatio impediri per appellationem, quia talis sententia nec excommunicat hominem, nec directe declarat illum excommunicatum, sed reum criminis; et ideo nec omnino reddit hominem inhabilem ad appellandum, nec sufficienter et juridice ostendit illum excommunicatum, donec circa ipsam declarationem criminis sit definitiva, vel ita efficax, ut non sit quasi suspensa per appellationem. Et ita sensit Gloss., in cap. Cupientes, de Elect., 6, verb. *Privatos;* dicit enim appellationem hujusmodi esse admittendam, quando non constat alias reum vere incidisse et deliquisse, sed dubium est; nam, si constaret, non esset talis appellatio admittenda; quod intelligo, si ita constaret, ut nulla tergiversatione celari posset, quia jam tunc esset virtualiter appellare ab ipsa pœna canonis, aut velle illam eludere. Et eamdem sententiam tenet Innocentius, in dicto cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Sumiturque a fortiori ex iis, quæ tradunt Navarr., in cap. Cum contingat, de Rescript., caus. 15, et Covar., cap. Alma, 1 part., § 10, num. 4.

4. *A sententia declaratoria censuræ ab homine latæ ipso facto incurrendæ potest appellari.* — Qui non solum ab hac sententia declaratoria docent posse appellari, sed etiam a sententia declaratoria censuræ incursæ, seu contractæ excommunicationis, etiam ab homine latæ, saltem ad hunc effectum, ut post talem appellationem excommunicatus vitandus non sit, donec prior sententia confirmetur. Quam doctrinam opinor intelligendam de sententia, qua declaratur quis incidisse ipso facto in excommunicationem ab homine latam; nam hæc revera semper est directe de delicto potius quam de censura. Et ita in illa procedit eadem ratio, quæ in censura lata a jure, ut jam supra insinuavi. At vero a sententia declaratoria excommunicationis ab homine latæ, id est, qua præcipitur aliquis denunciari excommunicatus directe et absolute ab eodem judice, non existimo posse appellari quoad illum effectum, sed potius talem excommunicatum vitandum esse, non obstante tali appellatione. Quod non obscure colligitur ex illo cap. Pastoralis, § Verum, in illis verbis, *Ut ab aliis evitetur,* et ex cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6, in illis verbis, *Ipsius effectus per appellationem sequentem minime suspendantur.* Imo existimo hujusmodi appellationem non esse admittendam, nisi prius talis excommunicatus absolvatur, vel per legitimas probationes constet sententiam excommunicationis, contra illum latam, fuisse nullam, juxta cap. Cum contingat, de Officio delegati.

5. *Quando post denunciationem censura fortior redditur, per appellationem suspenditur.* — Tandem addit Navarr., in cap. Cum contingat, de Rescript., remed. 6, num. 7, appellationem post excommunicationem latam impedire denunciationem ejus, quando per denunciationem fortior redditur, ut, si post reservationem lata sit et non antea, ut in cap. Tua, de Sent. excomm. Et in hanc sententiam refert Perusinum, Immolam, et Antonium. Qui in hoc fundantur, quod tunc non procedit ratio decisionis textus in dict. § Verum, scilicet, quod excommunicatus per denunciationem amplius non ligatur. Quam doctrinam ipse Navarr. adeo amplificat, ut dicat nunc post Extrav. *Ad evitanda,* nunquam posse fieri denunciationem post appellationem interpositam, quia nunc, ait, maximas vires acccipit excommunicatio, seu censura per denunciationem. Sed ut verum fatear, doctrina hæc non sufficienter fundatur; nam in rigore censura, vel excommunicatio nunquam magis ligat propter denunciationem; nam, esse reservatam, non est magis ligare, quia non habet plures effectus; sed solum est coarctari jurisdictionem ad tollendum illud vinculum, quod in se idem est. Ratio autem dicti § Verum, in hoc solum fundatur, quod excommunicatio denunciata non amplius ligat. Nihilominus tamen prior doctrina probabilis est, et admitti potest propter auctoritatem tot Doctorum; ampliationem autem Navarri probandam non censeo; quia revera nunc non ligatur amplius excommunicatus propter denunciationem; nam ei nullum conceditur privilegium per Extrav. *Ad evitanda;* solum ergo fit denunciatio, ut alii eum vitare teneantur. Expresse autem in dicto § Verum, dicitur, denunciationem debere fieri, non obstante appellatione interposita, *ut ab aliis evitetur;* ergo, cum etiam nunc solum censura accipiat majores vires per denunciationem quoad hunc effectum, ut alii vitare teneantur, non obstante Extravag. *Ad evitanda,* locum habet decisio textus in dict. § Verum.

DISPUTATIO IV.

DE CAUSA PROPTER QUAM FERRI POTEST CENSURA. UBI DE DIVISIONE CENSURÆ IN JUSTAM, ET INJUSTAM, AC NULLAM.

Explicata causa efficiente, et modo quo censura fit, agendum est de causa quodammodo finali, quæ etiam objectiva dici poterit et quasi materia circa quam censura versatur. Supponimus autem, ut manifestum, ad ferendam censuram requiri aliquam causam ex parte ejus, in quem fertur, quia, cum censura sit valde onerosa, et gravis pœna, ratio ipsa postulat, ut sine proportionata causa non inferatur. Quod etiam in jure expressum est, cap. Sacro, de Sent. excomm., et cap. 1, eodem titulo., in 6, et sæpe alias. Quo fit, ut ex defectu hujus causæ maxime possit censura esse aut injusta, aut nulla; et ideo explicando hanc causam, et qualitatem, ac varietatem ejus, simul explicabimus differentiam inter censuram injustam et nullam, ut etiam intelligatur, quando, et quomodo sententia pastoris, tametsi injusta, timenda sit.

SECTIO I.

Utrum censura solum possit ferri propter culpam.

1. *Censura solum propter culpam ferri potest.* — Principio certum est, censuram solum posse juste ferri propter culpam; ostendimus enim censuram esse quamdam pœnam; pœna autem dicit habitudinem ad culpam, unde non potest juste, nisi propter culpam imponi; ergo neque censura. Maxime cum pœna hæc spiritualis sit, cui potissimum convenit, ut non nisi propter culpam infligatur, et sit etiam medicinalis, quæ morbum supponit. Quo fit, ut culpa, seu peccatum subditi sit veluti occasio, et causa impulsiva movens judicem ad ferendam censuram. Et hæc est rationabilis causa ferendi censuram, quam requirit jus in cap. Sacro, de Sent. excomm. Emendatio autem seu correctio peccatoris est finis proximus censuræ ferendæ; finis (inquam) proximus ipsius operis secundum se; nam finis operantis est accidentarius, et infinite variari potest; unde nec cadit sub scientiam, nec ad justitiam, vel valorem censuræ quidquam refert, quamvis ad honestam actionem ipsius judicis multum interesse possit.

2. *Non omnis censura requirit culpam propriam ejus in quem fertur.* — Solum est in hac assertione considerandum, in excommunicatione, hoc verum habere quoad peccatum proprium ejus, in quem directe fertur censura, quia nemo potest excommunicari nisi propter proprium peccatum, cap. Si habes, 24, quæst. 3, ex Augustin., epist. 75, quem textum cum aliis notat Covar., 1 Variar., c. 8, et in cap. Alma, part. 1, § 9, num. 3. Est enim hæc censura gravissima, et in hunc tantum modum et finem instituta, ut statim videbimus. Et hac etiam ratione jure statutum est, ut non feratur nisi in personas singulares, et non in communitatem, ut infra etiam videbimus, quia nullus nisi propter propriam et personalem culpam excommunicari potest. Suspensio item proprie ferri non potest nisi propter propriam culpam, quamvis in hoc differat ab excommunicatione, quod ferri potest in communitatem, cap. Quia sæpe, de Elect., in 6, et cap. Si sententia, de Sentent. excom., in 6. Fieri autem potest, ut in communitate sit aliqua, vel aliquæ personæ innocentes, etiamsi culpa fuerit ipsius communitatis; satis vero nunc est, quod saltem in ipsa communitate debet supponi culpa, nam in eam fertur directe talis censura. Loquor autem formaliter de censura; nam in suspensione, quæ sit pura pœna, habet hoc aliquam difficultatem; quam infra in propria materia tractabimus. At vero interdictum non solum habet hoc ipsum quod suspensio, quia in communitatem ferri potest, ut ex eisdem juribus constat, sed etiam hoc habet peculiare, ut in aliquem directe ferri possit absque culpa ejus propria, ut habetur ex eodem cap. Si sententia. Semper tamen fertur propter culpam, saltem alterius. Nec vero id fit injuste, quia tunc non proprie fertur ut pœna ejus, qui non deliquit (nemo enim proprie punitur propter culpam alienam), sed vel unus in alio punitur, quatenus ad ipsum aliquo modo pertinet, quo modo in corpore quædam membra patiuntur propter alia, vel Ecclesia propter commune bonum, et propter terrorem ejus, qui deliquit, hoc gravamen interdicti aliquando imponit etiam iis, qui non deliquerunt. Sicut etiam ob eamdem causam aliquando interdicitur locus, ut et ipse reus magis horreat adeo gravare civitatem aut populum, et reliqui etiam magis excitentur ad procurandum, ut reus pareat, et Ecclesiæ obediat.

3. Semper igitur supponi debet peccatum aliquod seu inobedientia ad Ecclesiam, ut

censura ferri possit. Et hoc insinuatum est in ordine præscripto Matthæi 18 : *Si peccaverit in te frater tuus;* et deinde, *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, et publicanus.* Satis etiam idem colligitur ex eo, quod ferre censuram est actus potestatis ligandi atque solvendi a Christo datæ, ut supra dictum est; sicut autem actus potestatis solvendi supponit peccatum, quod solvendum vel remittendum sit, ita actus potestatis ligandi per censuram, supponit culpam, propter quam aliquis ligandus sit.

4. *Delictum debet esse cognitum ab eo qui censuram laturus est.* — Atque ex hoc principio sequitur censuram non posse ferri, nisi supponatur culpa cognita ab eo, qui censuram fert, quia non potest illum impellere nisi media cognitione. Item, quia nullus potest de causa sibi incognita judicare. Et hoc etiam traditur in dict. cap. Sacro, § Caveant, de Sentent. excomm. Quanquam in hoc distinguere oporteat de censura ab homine lata per sententiam absolutam, et (ut ita dicam) executivam, et de censura lata a jure vel etiam ab homine per sententiam generalem, aut per præceptum quo aliquid prohibetur sub censura ipso facto incurrenda. Nam, quando censura fertur hoc posteriori modo, quia non denuo fertur a judice post commissam culpam, sed statim, ac factum ipsum committitur, per ipsum jus seu præceptum infertur, ideo necessaria non est judici nova notitia, sed satis est quod in re ipsa peccatum committatur, quod ignorare non potest ipse, qui deliquit, quod illi sufficit, ut possit se agnoscere censura irretitum. Ut vero ab aliis hoc ipsum cognoscatur, necessaria erit proportionata notitia culpæ; et ideo, ut a judice publice denuntietur, necessaria est publica, et juridica notitia ejusdem culpæ, ut in superioribus dictum est. At vero quando censura fertur priori modo, tunc maxime indiget judex notitia culpæ suo muneri proportionata, id est, publica, et juridica, sicut sententia ipsa publica et juridica esse debet. Et hoc modo statuitur in jure, ut feratur censura, causam probatam esse debere, in cap. De illicita, 24, q. 3. Supponiturque in cap. 1 de Sentent. excomm., in 6, ubi hæc causa inseri mandatur in sententia, quæ scripto proferenda est. Quæ autem probatio sit ad hanc notitiam sufficiens, nihil habet in hoc negotio peculiare, sed idem quod in aliis justis sententiis dicendum est.

SECTIO II.

Utrum, censura ferri possit propter peccatum mere internum.

1. *Propter actum mere internum non potest ferri censura.* — Hæc quæstio de potestate Ecclesiastica generaliter tractari solet, habet tamen specialem difficultatem in censuris, estque annexa præcedenti; et ideo prætermittenda non est. Communis igitur resolutio est censuram ferri non posse propter peccatum solum interius mente consummatum, nisi in actum externum prodeat. Quæ sententia sumitur ex D. Thom., 1. 2, quæst. 91, art. 4, ubi generatim docet, humanam legem vel judicium ferri non posse de interioribus motibus. Item Paludan., 4, dist. 17, quæst. 2, art. 2, et quæst. 7, art. 5, et dist. 15, quæst. 5, art. 2; Gabr. ibi, quæst. 2, dub. 5, et lect. 64 in can., lit. N.; Durand., dist. 17, quæst. 8; Almain., de Potest. Eccles., cap. 3; Anton., 3 part., tit. 13, cap. 4, § 7, et tit. 24, cap. 4; Cajet., 2. 2, quæst. 11, art. 3, et in Sum., verb. *Hæresis,* et verb. *Horæ Canonicæ;* Sylvest., eod. verb., quæst. 2, et verb. *Excomm.* 7, quæst. 2; Angel., verb. *Hæreticus;* Tabien., Excom. 5, casu 4, num. 4; Castr., lib. 2 de Just. hær. pun., cap. 18; Dried., lib. 3 de Libert. Christ., cap. 5, sub fin.; Navarr., in Sum., cap. 23, num. 38, et cap. 27, num. 56, et in cap. Cogitationes, de Pœnit., dist. 1; Simancas, in Catholic. instit., cap. 42; Covarr., reg. *Peccatum,* part. 2, num. 7; Hostiensis, in cap. Mulieres, de Sentent. excommun.

2. Sumiturque ex cap. Tua nos, et cap. Sicut tuis, de Simonia. Ubi tanquam certum principium sumitur, Ecclesiam judicare de sibi manifestis, non vero de occultis. Et idem fere habetur in c. Erubescant, d. 32. Habetque hoc fundamentum in Scriptura, dicente Paulo, 1 ad Cor. 4 : *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo;* significans hoc judicium esse proprium solius Dei, *quoniam homo videt ea, quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* Unde est etiam axioma juris : *Non habent latentia peccata vindictam,* c. Christiana, 32, quæst. 5, et in l. Confratrem, cap. de iis qui ut indigne, etc. Item, *cogitationis pœnam nemo patitur,* de Pœnitent., dist. 1, cap. 14, et ff. de Pœn., l. 18. Ubi recte Glossa advertit, id intelligi, si in finibus cogitationis

sistitur. Interdum enim punitur in jure non solum qui facit, sed etiam qui vult facere, ut patet ex l. Quisquis, C. ad l. Juliam Majestat., et l. Is qui cum telo, C. ad l. Corneliam de Sicar. Intelligunt autem talia jura, non eum, qui in pura voluntate sistit, sed qui quantum in ipso est, delictum perficere voluit, et tentavit, sed perficere non potuit, ut ex eisdem juribus constat, et ex l. Si quis, 5, C. de Episc. et cleric., quam cum aliis refert Gratianus, in cap Si quis, de Pœn., dist. 1. Et ita etiam intelligendum est cap. Nulli, dist. 19, ubi excommunicatur, *Qui Apostolicis voluerit contraire decretis.* Ex quibus etiam concluditur ratio, quia ad ferendam sententiam censuræ, necessaria est sufficiens probatio causæ; sed de interiori actu non potest esse inter homines sufficiens probatio; ergo nec potest esse materia seu sufficiens causa censuræ.

3. *Ratio difficultatis.* — Verumtamen statim insurgit difficultas, quia hæc omnia recte procedunt de illa censura, quæ fertur per propriam sententiam, non vero de illa, quæ fertur ipso facto incurrenda per transgressionem alicujus juris, seu præcepti, nam, ut illa incurratur, satis est, ut delictum ipsum committatur, etiam si soli committenti sit cognitum, ut superius dictum et probatum est. Ergo saltem hoc modo posset censura aliquo jure imponi incurrenda ipso facto per peccatum sola voluntate conceptum; nam defectus probationis hoc non impedit, et nihil aliud obstare videtur. Et confirmatur, nam interdum fertur censura canonico jure propter malam intentionem, qua fit actus, ut in cap. Si quis, dist. 30, ex Concil. Gangrens., cap. 18, ubi anathema dicitur in eum, qui die Dominico jejunaverit in ejusdem diei contemptum; et Clem. 1, de Hæreticis, § Verum, ubi excommunicantur judices, qui in causa fidei ex odio vel amore aliquid omittunt, seu faciunt. Aliquando etiam præcipitur bona intentio in actu, quamvis sine additione censuræ, ut in c. ultim., versiculo *Cæterum,* de Hæreticis, in 6. Aliquando præcipitur, ut actus exterior devote fiat, ut in cap. Dolentes, de Celebratione Miss.; devotio autem actus interior est.

4. Quod si quis dicat in his omnibus nunquam prohiberi, vel præcipi internum actum nisi ut conjunctum exteriori, vel in ordine ad illum. Ex hoc sumimus argumentum, posse etiam præcipi ipsum actum interiorem secundum se; et consequenter per censuram puniri posse ipso jure transgressorem talis præcepti. Sequela probatur, quia quod attinet ad rationem occulti, et carentis probatione apud Ecclesiam, interdum æquales sunt actus interior secundum se, vel ut respiciens exteriorem solum per modum intentionis extrinseci finis, aut attentionis ad Deum, vel aliquid simile; nam ex vi exterioris actus solum manifestatur interior voluntas movens seu imperans talem actum; finis autem operantis non ostenditur ex vi talis actus. Et idem est de attentione in orando, v. gr. Quod si ex conjecturis, vel ex confessione operantis conjectari aut cognosci potest ille actus interior quatenus respicit exteriorem, eisdem modis potest actus interior secundum se manifestari; ergo par est utriusque ratio.

Habeatne Ecclesia directam jurisdictionem in actus internos.

5. *Prima opinio.* — Propter hæc, et similia argumenta non defuerunt Doctores, qui generatim docerent habere Ecclesiam jurisdictionem directam in actus pure internos, et consequenter posse illos præcipere vel prohibere etiam sub censura. Ita sensit Glossa in cap. Cogitationis, de Pœnit., dist. 1, et in Clement. 1 de Hæreticis, § Verum, verb. *Eo ipso incurrant,* quæ plura jura congerit. Sed non admodum urgentia. Illam sequitur Antonin., 3 part., tit. 24, cap. 7; Panorm., in cap. Extirpandæ, § Qui vero, in ejus repetitione, num. 21; Major, 4, dist. 12, quæst. 7, § Contra primam; Rosella, verb. *Absolutio* 1, n. 28, et verb. *Hæresis.* Hi vero auctores non loquuntur expresse de actu interiori, sed generatim de actu occultissimo, unde possunt exponi de occulto per accidens. Adrianus vero, Quodlib. 8 et 4, quæst. 3 de Confess., de actu interiori eos exponit, et sequitur. Idem Albertus Pighius, lib. 6 de Eccles. Hier., cap. 16; Cordub., lib. 4 Quæst. Theolog., quæst. 13, et idem tandem tenet Medina, C. de Pœn., tractat. de Orat., quæst. de Potest. Eccles., respectu actuum cordis, licet prius solvat argumenta Adriani, duo præsertim, quæ ille peculiariter addidit.

6. *Prius argumentum proximæ sententiæ solvitur.* — Unum est, quia, qui in die festo peccat, etiam sola voluntate, in quacumque materia, committit peculiare peccatum violando præceptum Ecclesiæ de observatione festi; ergo præceptum Ecclesiæ prohibet etiam interiores actus malos. In hoc vero argumento

et antecedens est falsum, quia non omne peccatum, præsertim internum, est opus servile prohibitum tertio præcepto decalogi. Et consequentia etiam non est bona; nam licet daremus omne peccatum commissum in die festo aggravari aliquo modo ex illa circumstantia contra virtutem religionis, ut indicat D. Thom., 2. 2, quæst. 122, art. 4, non inde fit Ecclesiam prohibere illum actum interiorem, sed quasi consecrare tempus aliquod divino cultui, ex quo ex natura rei sequitur, ut omnis irreverentia illi tempori facta jure naturæ prohibita sit. Sicut consecrato loco, vel calice, vel alia quacumque re ad cultum Dei, quanquam consecratio sit de jure positivo humano, irreverentia, tali rei facta, est contra jus naturæ. Quod si ex hoc capite non crescit malitia talis peccati, v. gr., pravi desiderii habiti in die festo, quia illa non est peculiaris injuria temporis sacri, revera peccatum illud ex illa circumstantia gravius non est.

7. *Secundum argumentum.* — Aliud argumentum Adrian. erat, quia Ecclesia dispensat in voto pure interiori, et sola mente facto; ergo signum est habere Ecclesiam potestatem directam in hujusmodi actus; ergo eadem ratione habebit potestatem prohibendi illos, atque etiam puniendi modo accommodato, id est, vel per legem, vel per sententiam, saltem quando per confessionem rei de delicto constiterit, cum alias sufficienter probari non possit. Unde non satis est respondere, votum mentale non dispensari nisi petente vovente, et per eam petitionem jam manifestari Ecclesiæ, quia illa manifestatio solum est conditio necessaria ad talem usum jurisdictionis; ipsa vero jurisdictio immediate cadit in actum internum, quod eadem proportione dicetur de jurisdictione quoad punitionem actus, quæ fit per hominem. Quoad legem vero prohibentem, et per seipsam punientem non est necessaria illa conditio, quia lex non requirit in legislatore cognitionem delicti facti, vel futuri, sicut supponit sententia in judice. Unde potest roborari argumentum, et amplificari similitudo ex voto sumpta; nam Ecclesia non solum potest dispensare in voto mentali jam facto, et sibi manifestato, sed etiam potest irritare hujusmodi votum, vel antequam fiat, vel cum fit, etiamsi nullo modo sibi manifestetur. Nec responderi potest, hujusmodi irritationem habere locum ratione materiæ, quæ est sub potestate, vel dominio Ecclesiæ. Constituo enim etiam materiam voti esse mere internam, ut de eliciendo actu fidei, vel amoris Dei toties in die; nam hoc etiam votum potest Ecclesia non solum dispensare, sed etiam irritare.

8. *Solvitur quoad priorem partem.* — Hoc vero argumentum, etiamsi nonnihil apparentiæ habere videatur, evidenter instatur in parente, qui potestatem habet irritandi votum filii. Et in Prælato, qui etiam potest irritare votum religiosi. Et tamen hi nec præcipere, nec punire possunt actus pure internos. Quod ergo ad irritationem attinet, est apertum discrimen, quia in parente vel Prælato ille non est proprie actus jurisdictionis, sed dominii cujusdam. Propter quod aiunt Theologi non requiri causam, ut irritatio valida sit et justa, sed solum quod talis persona ita sit sub potestate alterius constituta, ut voluntatem suam dependentem habeat a voluntate alterius, quoad vim se obligandi. Unde, quia hæc obligatio, quamvis ex actu interiori manet, cadit in hanc personam ita subordinatam alteri, ideo potest alia persona absolute tollere talem obligationem, quod est votum irritare. Non ergo inde recte infertur jurisdictio in actum interiorem secundum se, sed infertur quoddam dominii genus in illam personam, quæ talem actum exercuit vel exercere potest. At de irritatione, quæ fit a Papa antecedenter potius quam consequenter, alia ratio est, quia Papa potest inhabilitare personam ad aliquam obligationem, etiamsi talis obligatio ortum habeat ab actu interiori; sic enim irritavit Ecclesia matrimonium contractum sine parocho et testibus, quamvis obligatio matrimonii ex interiori consensu ducat originem.

9. *Solvitur quoad posteriorem partem.* — Atque ex hoc etiam capite respondendum est ad aliam partem de dispensatione; nam dispensatio voti non cadit proprie in actum interiorem, qui præcessit, sed in effectum ejus, qui moraliter manet, id est, in obligationem, quæ jam non est actus internus, sed morale quoddam vinculum, quod manet in homine et auferri potest ex justa causa a superiori habente potestatem. Cujus signum est, quia obligatio voti eadem est apud Deum, sive votum sit pure mentale, sive externum; et ideo æque potest in utroque per Ecclesiam dispensari. Eo vel maxime, quod hoc vinculum non aufertur dispensando proprie in aliqua lege; nam lex de implendo voto, cum sit naturalis et divina, indispensabilis est; includit enim sensum compositum, scilicet, ut votum manens servetur; quod autem votum

factum semper maneat, hoc non est de lege naturæ; imo nec ad jus proprie pertinet, sed ad factum. In hoc ergo dispensat Pontifex seu superior vice Dei, cedens juri, quod suo modo acquisitum fuerat Deo ratione promissionis. Quod autem hoc jus emanaverit ex actu pure interno vel voce manifestato, est impertinens, quia hæc potestas directe non respicit originem (ut sic dicam) aut modum causæ, a qua jus hoc vel obligatio orta est, sed jus ipsum Dei, cui vicarius ejus tanquam dispensator prudens cedere potest, quod est in voto dispensare. Denique aliam differentiam non contemnendam advertit Medina, quia aliud est obligationem tollere, aliud imponere. Minus enim requiritur ad illud prius quam ad hoc posterius. Unde, quia dispensare votum, est tollere obligationem et vinculum, ideo datum est Ecclesiæ, ut paterna providentia possit rationabili modo hoc vinculum tollere, etiamsi ex solo mentali actu originem ducat; ferre autem legem est imponere obligationem et onus; et multo magis puniri, est odiosum et involuntarium; et ideo non oportuit jurisdictionem ad hos actus ita amplificari. Ut hic etiam locum habeat illa regula juris : *Odia restringi, favores convenit ampliari.*

10. *Solvuntur argumenta Medinæ pro eadem sententia. — Quomodo intelligatur excommunicari credentes talem errorem, aut non credentes talem veritatem.* — Nihilominus idem Medina in eamdem sententiam inclinat, et propria affert fundamenta, præter rationem dubitandi supra a nobis propositam. Unum ac præcipuum congerit ex variis Conciliis censuram ferentibus in delinquentes per solos actus interiores, ut in eos, qui non recte credunt de Spiritu Sancto, vel de oblationibus, aut jejuniis Ecclesiæ, aut de aliis veritatibus fidei; citatque Concilium Romanum, Gangrense, Toletanum primum, Bracharense, Constantiense et Basiliense. In quibus tres vel quatuor loquendi modi habent nonnullam difficultatem. Nam illa generalis locutio, quod damnantur vel anathematizantur credentes talem errorem aut non credentes talem veritatem, difficultatem non habet, et frequentissima est in jure canonico in titulo de Hæreticis, ut patet in cap. Excommunicamus 1, § Credentes præterea, et c. Excommunicamus 2, § Si qui autem, et aliis multis, in quibus sermo est de credentibus in foro Ecclesiæ, id est, de quorum credulitate per verba vel facta, quantum est ex parte eorum, constare possit. Dico autem, *Quantum est ex parte eorum*, quia potest contingere, ut verbum ipsum vel factum ita sit occultum, ut probari non possit; hoc vero per accidens est; nam ex se probabile est, hoc ipso, quod verbo vel facto exterius manifestatur. Distingui autem solent in jure duplices credentes hæreticorum: quidam qui eorum erroribus fidem adhibent, et ii sunt æque hæretici, ut expresse dicitur in cap. penul., § ult., de Hæret., videntur autem condistingui ab hæreticis dogmatizantibus; et de his procedit præcipue quod diximus. Et de eisdem loquitur secundum caput Excommunicamus, supra citatum. Alii vero dicuntur credentes personæ, quia revera non credunt ejus errores, tamen conservant quamdam confidentiam et familiaritatem cum tali persona, cum ea communicando, vel ei subveniendo, aut etiam sermones audiendo. Et de hoc genere credentium certius est sine exterioribus actibus esse non posse. De qua distinctione legi possunt, quæ traduntur in Directorio Inquisit., 2 part., in Glossa Joan. Andr. ad titulum de Hæreticis, circa dictum cap. Excommunicamus 2, et in q. 50 Eymerici, et annotationibus Pennæ, et infra exponendo Bullam Cœnæ aliquid dicemus.

11. *Verba canonis* 19 *Concilii Gangrensis exponuntur.* — Specialem ergo difficultatem habent illa verba Concilii Gangrensis, quæ sic refert Medina, ex Gratiano : *Si quis jejunia Ecclesiæ putaverit esse contemnenda, perfectam in sua conscientia judicans rationem, anathema sit.* Sed refert ea diminute, et juxta versionem minus probatam. Nam in can. 19 illius Concilii sic legitur : *Si quis eorum, qui continentiæ student, absque necessitate corporea, tradita in commune jejunia et ab Ecclesia custodita, superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anethema sit.* Quod ergo in alia versione dicitur : *Putaverit contemnenda,* non accipitur pro sola existimatione interiori, sed prout prodit in actum exteriorem, quod et phrasis Latina cum elegantia significat, et ad litteram ita etiam habent verba Græca, ut notatum est in Decreto Gregoriano, d. 30, c. Si quis eorum. Illa autem ultima verba, quæ obscurissima sunt in textu Gratiani, clara sunt juxta aliam versionem citatam. Et in eis notantur Eustachiani hæretici, qui asserebant contemni posse jejunia Ecclesiæ, postquam quis pervenit ad quemdam gradum perfectionis, et illis præferri quædam jejunia, quæ ipsi instituebant, ut in Codice Gregoriano etiam advertitur. Unde in illo capite directe non fertur anathema in habentes talem erro-

rem, sed in contemnentes jejunia ex tali errore; error autem ipse supponitur damnatus seu anathematizatus, eo modo quo alii errores damnati sunt.

12. *Testimonium Concilii Toletani I a Medina adductum exponitur.* — Aliud testimonium expositione indigens sumptum ex Concilio Toletano I, in confess. fidei : *Si quis dixerit vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit;* et multa similia ibi feruntur in quibus expresse distinguitur actus exterior ab interiori, et sub disjunctione proponitur; ergo quilibet eorum per se sufficit ad incurrendam talem excommunicationem. Possumus autem respondere primo, illam particulam, *vel*, sumi pro conjunctiva, et indicare potius illa duo verba esse æquivalentia, quia, ut quis feriatur illo anathemate, non satis est dicere, nisi credendo dicat, ut nunc suppono ex materia de Hæresi. Ita ergo non satis est interius credere, nisi aliquo modo dicat seu credulitatem ostendat. Unde ibidem etiam sic legitur : *Si quis dixerit atque crediderit Deum Patrem eumdem esse Paracletum, anathema sit.* Non est autem verisimile in alio sensu constitui hunc anathematismum quam cæteros. Fortasse etiam illud duplex verbum additum est, ut significaretur, illud anathema non solum incurri verbis docendo illam doctrinam, sed etiam factis, vel ritibus, aut quocumque alio modo illa operando; nam illud est credere in foro et facie Ecclesiæ. Et juxta hæc etiam exponendus est alius anathematismus, qui ibidem habetur : *Si quis Astrologiæ, vel Mathesi existimat esse credendum, anathema sit.* Non enim pura existimatio interior sufficiet, sed quæ aut verbo, aut opere exercetur, etc.

13. *Locus Concilii Constantiensis, sess. 45, explicatur.* — Præterea affert Medina Concilium Constantiense, ubi sess. 45, traditur forma examinandi hæreticos, an credant hoc, vel illud, ut si id fateantur, puniantur. Unde infert, supponi in illo Concilio, Ecclesiam punire etiam hæresim pure internam. Sed non recte infert; nam dum Ecclesia ita interrogat, non solum fidem internam, sed etiam confessionem fidei requirit. Unde, si hæreticus sic interrogatus, fateatur se credere talem errorem, jam non solum corde credit, sed etiam ore confitetur ad suam damnationem. Neque obstat, quod Medina objicit, quia ille tunc non errat, nec peccat confitendo ore, quod mente tenet, quia verum dicit et obedit justo præcepto. Nam assumptum simpliciter est falsum; aliud est enim non mentiri, aliud non errare; quatenus ergo per illam confessionem profert ore, quod mente tenet, non mentitur; quatenus vero per eam confessionem suum errorem profitetur, errat in fide et hæreticus est, jam non tantum interius, sed etiam exterius. Unde, licet non peccet contra obedientiam, peccat tamen contra fidem. Neque eam ob causam male facit judex interrogans, quasi occasionem præbens peccandi, quia ille non præbet occasionem, sed permittit utendo jure suo. Petit enim rem, quæ simpliciter posset sine peccato fieri, scilicet, confitendo peccatum præteritum, et in præsenti jam non discredendo. Quod autem ille reus ex malitia sua in eodem errore perseveraturus sit, eumque professurus, alteri non imputatur, sicut potest licite petere juramentum ab infideli, etiamsi per falsos deos juraturus sit. Unde, si quis ita interrogatus diceret se non credere, tamen aliquando interius credidisse illum errorem, idque diceret non animo confitendi errorem, nec complacendi in priori delicto, sed ex quadam ignorantia vel timore, animo se accusandi, fortasse in exteriori foro aliqualiter puniretur, si in illo talem confessionem faceret, propter suspicionem vel præsumptionem; tamen ille revera, si prius tantum mente deliquit, non contraxit censuram, nec ratione illius confessionis tantum illam incurrere potest, quia in illa non peccat, nec ibi operatur ex errore concepto; unde non magis est ille hæreticus exterior, quam is qui suam hæresim internam in sacramentali judicio confitetur.

14. *Ad Concilium Basiliense respondetur.* —Tandem affert Medina ConciliumBasiliense, sess. 38, ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne aliquis quemdam libellum legat, aut eidem quovis modo assentire credereve audeat. Quod si quis respondeat Concilium illud in illo articulo schismaticum fuisse, hoc non refert ad præsentem causam, nam saltem ibi supponebatur, posse Ecclesiam censuram ferre pro interiori actu. Quapropter hic eadem responsio supra data applicanda est; semper enim in his decretis est sermo de assensu, ac credulitate publica, seu in foro Ecclesiæ. Nullum ergo est in toto positivo jure decretum, quo censura feratur contra transgredientes præceptum per solum actum internum. Ex quo sumi potest non infirmum argumentum, ad veram et communem sententiam confirmandam. Nam, quod in tanta varietate legum et in tanta multitudine erro-

rum vel delictorum contra præcepta Ecclesiæ, nunquam factum est, signum est non posse ab Ecclesia fieri.

Satisfit rationi difficultatis in principio positæ, ostenditurque non posse censuram ipso jure ferri pro peccato interno.

15. Superest vero, ut ad priorem difficultatem a nobis positam respondeamus. Dicendum est ergo, etiam censuram ipso jure latam non posse cadere in peccatum pure internum, quia omnino est extra forum Ecclesiæ. Est enim Ecclesia visibilis ac sensibilis; et ideo, sicut directe non habet potestatem nisi in homines sensibiles, et in animas non nisi ut corporibus unitas, ita non habet directam potestatem in actus pure internos, sed in eos, qui ex internis et externis componuntur. In internos autem, non nisi ut informant externos. Unde orta est duplex distinctio, qua hic utuntur Theologi. Prima est de actu per se vel per accidens occulto. Actus enim pure interior est per se occultus Ecclesiæ; et ideo omnino est extra jurisdictionem et potestatem vindicativam ejus, quia est (ut sic dicam) extra objectum talis potentiæ. Actus vero exterior, licet interdum sit occultus, est per accidens, quia ipse secundum se non est extra objectum talis potentiæ, et ideo ille sæpe punitur per legem, ideoque esse potest materia censuræ.

16. Altera distinctio est de actu interiori, vel secundum se et absolute sumpto, vel ut unito et informante moraliter actum exteriorem; nam priori modo invisibilis est, ideoque nec præcipi, nec puniri potest per Ecclesiam. Posteriori autem modo est aliqualiter sensibilis per exteriorem actum, sicut anima per corpus, vel sicut contritio per confessionem; ideoque sub hac ratione et præcipi, et prohiberi, et puniri potest. Atque in hunc modum facile exponuntur reliqua jura, quæ in confirmatione illius difficultatis adducuntur. In omnibus enim illis est sermo de actibus internis non secundum se, sed prout informant externos; seu (quod idem est) de externis, ut procedentibus a talibus internis. Sic enim excommunicantur frangentes ex contemptu jejunia Ecclesiæ; nam, licet ille contemptus in se interior sit, imperat tamen, et informat illam omissionem externam, et eodem modo odium vel amor in judice imperat pravum usum sui muneris. Et hac ratione ei præcipitur interdum, ut eam intentionem non habeat, scilicet, quatenus influit in exteriorem actum. Ac denique eodem modo præcipitur attentio vel devotio inter orandum exterius; nam illa attentio est quasi forma constituens exteriorem actum in ratione orationis.

An possit censura imponi pro actu externo, prout manante ab aliquo interno illi accidentario.

17. *Prima opinio.* — Statim vero occurrit replica in eadem difficultate facta, quæ optimam petit difficultatem, scilicet, quando intentio, vel contemptus, aut alius similis actus interior ita imperat exteriorem, ut in ipso exteriori nullo modo appareat inde imperari, quia posset idem actus exterior ab alio interiori imperari, et præsertim, quia sæpe talis intentio est mere extrinseca, et per accidens ad talem exteriorem actum, an tunc possit censura imponi propter peccatum externum ex tali intentione factum, ita ut, si ex illa intentione fiat, incurratur censura, non vero si ex alia. Quidam absolute censent hoc fieri non posse ab Ecclesia. Quod aperte docet Navarrus, cap. Mandato, de Simonia, n. 20. Citatque Almainum, tit. de Potestate Ecclesiæ, cap. 3. Sed ibi solum ait, hæreticum non incurrere pœnas Ecclesiæ, donec incipiat suam hæresim manifestare, quod longe diversum est. Fundaturque opinio Navarri in eodem cap. Mandato; nam ibi Pontifex declarat, simoniacos ex solo affectu animi absque exteriore pacto non incurrere pœnas juris, etiamsi intercedat exterior datio et acceptio spiritualis pro temporali ex illo affectu animi. Et significat non posse Ecclesiam tale peccatum punire, in illis verbis : *In quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori.* Quod expressius significatur in capite Tua nos, eodem titulo, ubi dantes et accipientes tali intentione dicuntur *culpabiles apud districtum judicem, qui scrutator est cordium,* non vero apud Ecclesiam, ut clare ibidem supponitur; nam ad hoc propositum ibidem dicitur, *Nobis datum esse de manifestis tantummodo judicare.* Et hinc etiam sumitur ratio pro hac sententia, quia quoad rationem occulti, tam est per se occultum, hunc actum exteriorem manare a tali intentione ac ipsemet actus interior; unde illa emanatio actus exterioris a tali interiori dici potest mere interna, tum quia nullo externo signo manifestatur; tum etiam quia solum est in ipsomet actu interiori, et in exteriori nihil ponit, neque illi proprie aliquid addit.

18. *Secunda opinio.* — At vero Medina supra pro certo habet, posse Ecclesiam id facere, et sæpe fecisse in decretis superius citatis. Et hoc putat esse validissimum argumentum, quod possit Ecclesia actum mere internum prohibere et punire, quia punit actum externum imperatum ab interiori, etiam quando tale imperium non potest esse Ecclesiæ notum. Cajetanus etiam et fere alii auctores, præsertim moderni, indistincte affirmant, posse Ecclesiam prohibere et punire actum externum, ut procedentem a tali interno; nec distinguunt de illo influxu vel emanatione, quando est talis, ut possit de illa Ecclesiæ constare, vel non possit.

19. *In actum externum essentialiter bonum non potest cadere censura.—Prima conclusio.* — Mihi tamen videtur sub disjunctione esse respondendum, et dicendum primo, quando actus exterior secundum se non est malus, nec absolute prohibitus, non posse Ecclesiam prohibere, ne ex prava intentione fiat; et consequenter, nec posse censuram ferre in eum, qui prava intentione talem actum effecerit. In hoc sensu locutus fuit sine dubio Navarrus, ut constabit legenti. Et sufficienter probatur ex ratione facta, quæ quoad hoc est efficax. Et amplius explicatur in hunc modum : nam ille actus exterior in foro Ecclesiæ est bonus, etiam si ab operante ex prava intentione interiori fiat; ergo non potest Ecclesia illum punire nec judicare, et consequenter nec prohibere, sed ad summum poterit naturalem prohibitionem proponere. Antecedens patet, quia vel illud opus est ex objecto bonum, et habet omnes exteriores circumstantias ad bonitatem necessarias; et tunc non nisi temere potest ille actus judicari malus ob pravam intentionem operantis; vel actus est indifferens ex objecto, et circumstantiis externis; et tunc etiam in foro Ecclesiæ præsumitur bonus; qui enim malus non probatur, bonus præsumitur, ut est commune axioma juris; ergo non potest Ecclesia talem actum punire propter solam intentionem internam; nam hoc revera esset directe punire, vel prohibere intentionem.

20. Et hoc videtur etiam recte probari ex illis capitulis Tua nos, et finali, de Simonia. Nam in casibus illorum textuum actiones externæ non erant malæ, sed aut bonæ, aut indifferentes; et ideo si ex pura intentione interna habuere malitiam, Ecclesia abstinet ab earum judicio, et in divinum eas remittit. Et eadem ratione existimo, si judex in re ipsa servaret æqualitatem et justitiam ad reum in æquitate pœnæ, quam in ordine juris servando, etiam si ex odio illius illi velit eam pœnam, imo, licet ea de causa totum rigorem justitiæ cum eo servet sine ulla injuria, non incursurum censuras latas in eos, qui ex odio, vel simili affectu procedunt. Nam talia jura semper loquuntur de his, qui ducti tali affectu justitiam in suo munere non servant, ut aperte constat in dicta Clementina 1, § Verum, de Hæret., ibi : *Grave est quoque, et damnatione dignissimum malitiose insontibus eamdem imponere pravitatem.* Et infra : *Quod malitiose, aut fraudulenter tantam labem, aut quod ipsos in executione officii inquisitionis impediat, falso alicui non imponant.* Item : *Quod si odii, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu contra justitiam et conscientiam suam omiserint,* etc. Et similiter in cap. ult. de Hæreticis, in 6, postquam præcipitur pura, et provida intentio, statim subditur : *Ne ad accusatorum, vel testium nomina supprimenda, ubi est securitas, periculum esse dicant,* etc. Itaque semper prohibetur per se primo in actione exteriori aliqua injustitia, præter pravitatem intentionis. Actio ergo exterior ex se bona, vel indifferens nunquam prohibetur vel punitur jure humano propter solam malitiam ex prava intentione.

21. *In actionem ex se malam potest cadere censura, ut procedentem ex tali intentione.* — *Secunda conclusio.* — Nihilominus tamen addo secundo, posse Ecclesiam prohibere, et per censuram ipso jure punire actionem externam alioqui in se malam, ut procedentem ex tali intentione, vel affectu, aut dispositione interiori, et non alias. Hoc probant jura adducta in proposita difficultate. Imo hac regula uti solent Doctores ad explicandos canones censuram ipso jure ferentes; nam si habeant verba aliqua indicantia peculiarem modum operandi ex parte intellectus aut voluntatis, tunc, licet exterius idem peccatum committatur, si modus ille desit, non judicant incurri censuram. Ut, si lex dicat : *Qui præsumpserit hoc facere, excommunicatus sit,* vel : *Qui scienter hoc fecerit,* aut *ex contemptu,* aut quid simile, qui id facit ex negligentia quadam, vel inadvertentia culpabili, licet peccet, non incurrit censuram. Et similiter, qui ex timore humano hæresim exterius profitetur, interius non deserens fidem, non incurrit pœnas contra hæreticos latas. Et tamen illi actui externo solum deest malitia, quæ ex conjunctione ad interiorem hæ-

resim illi posset adjungi; ergo potest Ecclesia malum exteriorem actum punire, ut conjunctum, vel manantem a tali interiori, et non alias. Ratio vero est, quia in tali actu exteriori libere facto est sufficiens ratio prohibitionis et pœnæ. Quod ergo Ecclesia limitet suam peculiarem prohibitionem, et censuram ad illum actum, ut manantem a tali intentione vel dispositione interna, non est rigor, sed potius benignitas Ecclesiæ, et quidam limitatus usus suæ potestatis; ergo nihil est, cur hoc sit extra potestatem Ecclesiæ, cum simpliciter, et sine limitatione possit talem actum, vel omissionem externam, utpote iniquam, prohibere, etiam sub censura. Unde hic non obstat, quod illa limitatio, quam Ecclesia adhibet suæ legi, interdum talis est, ut sub humanam probationem cadere non possit; nam illa non est ratio per se talis censuræ, sed potius adhibetur ad coarctandam censuram; et alioqui pœna imposita talis est, ut sine strepitu exterioris judicii possit in conscientia incurri ex vi ipsius legis, ideoque satis est, quod ille peculiaris respectus ad actum interiorem possit esse in conscientia notus ipsi delinquenti. Neque vero hinc sumendum est argumentum ad quemlibet actum interiorem secundum se, ut Medina putavit, quia oportet semper supponere materiam per se capacem directæ prohibitionis et jurisdictionis Ecclesiasticæ.

22. *Eodem præcepto quo actus exterior præcipitur, jubetur etiam interior de ejus substantia. — Tertia conclusio.* — Tandem dicendum est, quando actus interior est veluti de substantia exterioris actus, ut moralis est, tunc recte posse ab Ecclesia præcipi, vel prohiberi illo eodem præcepto, quo prohibetur vel præcipitur actus externus, ut talis actus moralis est. Quoad hoc est vera et universalis regula Cajetani, et aliorum. Et ratio est, quia tunc exterior et interior, non sunt duo, sed unus actus veluti compositus ex spirituali forma et materia sensibili; et ideo totus sensibilis est, et sub objecto Ecclesiasticæ potestatis contentus. Atque hoc modo præcepto jejunii præcipitur voluntas jejunandi, et præcepto confessionis exterioris fidei præcipitur interior, quia sine hac illa vere non fieret; et sic de aliis. Et e converso, prohibito esu carnium, prohibetur voluntas interior, ita ut illa etiam sola peccatum sit mere internum. Nam, licet dici possit, illud peccatum esse contra jus naturale, quia ex suppositione præcepti Ecclesiastici, objectum ejus pravum est, proxime tamen et immediate peccatum illud est contra Ecclesiæ prohibitionem; nam prohibendo actum, prohibet illam voluntatem, quod prædicto modo facere potest, ut dixi. Et ideo, licet illa voluntas separetur ab exercitio actus externi, in se prohibita manet. Imo in omni præcepto includitur prohibitio voluntatis agendi contra ipsum præceptum.

23. *Qua ratione Ecclesia præcipiat attentionem in recitandis horis. — Primus dicendi modus Medinæ rejicitur.* — Denique juxta hanc assertionem optime explicatur id, quod Ecclesia præcipit de attentione seu devotione in recitandis horis, quod late declarat Medina supra, et varios modos proponit. Primus est, illud non esse per modum præcepti, sed cujusdam pacti impliciti, quo Ecclesia confert beneficia sua clericis sub hac conditione, ut ipsi se obligent ad devote orandum. At hoc non placet: primo, quia illo modo etiam potest homo se obligare ad puram orationem mentalem, quia tunc homo non obligatur ab alio, sed ipse se obligat sua voluntate et pacto; at vero Ecclesia ita præcipit devote recitare, ut non posset præcipere orationem pure mentalem. Item illud pactum sine ullo fundamento est excogitatum. Præsertim quia hæc obligatio non solum est annexa beneficiis Ecclesiasticis, sed etiam susceptioni sacri Ordinis, et professioni fere omnium religionum. Quod si in his omnibus dicatur intervenire hoc pactum, oportet aliquod ejus signum ostendere; nullum est enim. Quia, quantumvis is, qui sacrum Ordinem suscipit, nolit consentire tali pacto, nec se obligare ad recitandum devote, obligatus manet; ergo signum est, hanc obligationem non oriri ex propria voluntate, sed superioris, qui potest illam imponere. Unde etiam posset Ecclesia aliquid simile absolute præcipere absque conditione in qua tale pactum fingi possit, ut præcipit audire Missam attente. Et eadem ratione posset præcipere omnibus fidelibus aliquo die recitare Rosarium, vel Litanias, vel aliquid simile.

24. *Secundus modus improbatur.* — Unde etiam non placet alia interpretatio illius præcepti, scilicet Ecclesiam non præcipere attentionem et devotionem interiorem, sed solum exteriorem, id est, ut exterius nihil fiat, quod possit interiorem attentionem impedire; neque etiam aliquid omittatur, quod ad eamdem attentionem necessarium sit, v. gr., vigilare, etc. Hoc enim satis non est, quia stante

tota illa exteriori dispositione accidere potest, ut mens attenta non sit. Quod si voluntarie ita se habeat, id satis est, ut non impleat præceptum Ecclesiæ, sive recitandi horas, sive audiendi Missam, juxta veram et sanam doctrinam. Non solum ergo præcipitur ille modus exterioris devotionis, sed etiam ipsa interior attentio in seipsa.

25. *Vera ratio illius obligationis.* — Ratio ergo illius præcepti, et interpretatio vera sumenda est ex proposita assertione. Illa enim lex præcipit orationem veram; est autem de ratione orationis, etiam vocalis, ut cum aliqua attentione interiori fiat; et ideo illud præceptum de externo actu continet etiam præceptum attentionis, sine qua exterior actus non erit oratio, sed quædam materialis prolatio illorum verborum. Quocirca cum in illo præcepto specialiter petitur devotio, si per eam vocem attentionem tantum intelligamus, præceptum quidem continet, non tamen distinctum ab ipsomet præcepto recitandi officium, sed est ipsummet magis declaratum. Si vero intelligatur perfectior attentio, et devotio cordis, sic non est absolute præceptum, sed consilium. Potuerunt tamen in illo cap. Dolentes, sub præcepto prohiberi illi exteriores abusus, quibus impediri poterat hæc devotio; et quoad hoc potest admitti posterior expositio Medinæ, dummodo non excludat obligationem alicujus interioris attentionis.

26. *Si propter omissionem actus exterioris imponatur censura, illo facto sine attentione non vitatur.* — Atque hinc infero, posse aliquem transgredi præceptum Ecclesiæ, et censuram incurrere, si absolute contra transgressorem sit imposita, etiam si in actu exteriori nihil desit exterius requisitum, ex vi talis præcepti, sed sola interior attentio. Ut si quis corporaliter sit præsens in Missa, et nihil exterius faciat attentionem impediens, neque signum aliquod exhibeat, quo possit conjectari, an sit ibi corpore et animo, vel tantum corpore, et tamen voluntarie divagetur omnino mente, revera non implet præceptum. Et idem est de recitatione horarum; nam illud revera non est orare, aut sacrificio adesse. Quod si contra hoc applicetur argumentum superius factum, quia illud peccatum ita est per se occultum, ut non sit in foro Ecclesiæ probabile. Respondetur, esto hoc ita sit in illo modo transgressionis, tamen illud esse per accidens respectu talis præcepti, quod directe datur de actu exteriori, non materialiter sumpto, sed ut est actus religionis. Quod autem separetur hoc formale, manente illo materiali, accidentarium est; absolute autem materia illius præcepti externa est, et natura sua probabilis inter homines, ita ut etiam ille modus transgressionis vix possit, moraliter loquendo, fieri sine aliqua causa vel demonstratione exteriori, quod satis est ad rem moralem, de qua tractamus. Quando ergo dicimus, peccatum externum esse materiam censuræ, si illud commissionis sit, semper requirit aliquam actionem externam, vel propriam, vel moraliter imputatam tanquam consulenti, aut imperanti, vel saltem ut non impedienti, cum posset et deberet; si autem peccatum sit omissionis, non semper requirit (metaphysice loquendo) carentiam exterioris actionis, sed potest interdum sufficere, ut exterior actio non ita fiat, sicut necesse est ad implendum præceptum, etiamsi ille defectus præcise proveniat ex carentia alicujus actus interioris.

27. *Ecclesia potest præcipere actum internum præcipiendo externum, quod ab illo substantialiter pendet. — Non potest autem præcipiendo externum, cui est accidentarius.* — Ex quibus obiter intelligitur, an, et quo modo possit Ecclesia præcipere operari aliquid ex definita, et honesta intentione alicujus finis. Nam, si illa intentio sit prima et substantialis, a qua pendet humanus actus exterior, ut est materia talis præcepti, sic poterit præcipi eodem præcepto. Talis est in proximo exemplo voluntas orandi; nam si quis tantum haberet voluntatem legendi hunc librum gratia studii, ex vi illius non faceret actum præceptum, quia non oraret. Necessaria ergo est voluntas orandi, et illa est quædam intentio respectu illius proximi finis seu objecti. At vero, quando intentio est mere extrinseca, non videtur posse cadere sub præceptum Ecclesiasticum, quia tunc per se et directe purus internus actus præcipi videretur. Quanquam oppositum non sit improbabile. Ad præsens tamen non multum refert, quia, ut opinor, nulla invenietur censura vel pœna Ecclesiastica, quæ ob solum defectum hujus intentionis incurratur.

28. Et explicatur in hunc modum : nam, si intentio talis sit, ut etiam sine illa actus ex natura rei maneat studiosus, et vere humanus ac virtutis, etiamsi fingatur præceptum Ecclesiæ de addendo alio motivo sive fine extrinseco illi actui, nihilominus actus ille factus sine tali intentione extrinseca, manebit bonus, quia neque objectum bonum, nec cir-

cumstantiæ propriæ illi desunt; alia vero circumstantia extrinseci finis non erat necessaria ad bonitatem ejus; sed, si necessaria fingatur ex præcepto positivo, solum est propter bonitatem talis intentionis secundum se, vel ad summum, ut ex illa intentione addatur accidentaria bonitas alteri actui. Qua suppositione facta, peccabit ille homo omittendo illam intentionem, non tamen actum illum faciendo; ergo propter illum actum non potest incurri censura, cum bonus sit. Nec vero propter omissionem, nam illa pure interna videtur; et ideo etiam est valde probabile illam non esse materiam Ecclesiastici præcepti. Secus vero est de priori intentione; nam sine illa non remanet actus bonus, etiam secundum substantiam præcepti, imo interdum, neque humanus, ut patet de oratione vocali sine ulla attentione facta; et ideo ibi non tantum est interna omissio, sed etiam externa, quamvis non ex defectu materiæ, sed formæ; sicut homo mortuus simpliciter non est homo.

29. Et in hoc etiam cernitur differentia inter actus exteriores, bonum et malum, comparatos ad fines extrinsecos; nam actus malus potest peculiariter prohiberi, et censura affici, ut factus ex intentione extrinseca; bonus autem non potest præcipi fieri ex intentione extrinseca, neque ob contrarium defectum potest censura ferri; utrumque enim diximus. Est autem ratio differentiæ, quia per prohibitionem priorem per se ac directe prohibetur actus exterior malus, in quem fertur censura, et illa additio talis intentionis non auget, sed potius restringit præceptum; at vero per aliud præceptum directe juberetur interior intentio. Item in bonis actibus, seclusa sola extrinseca intentione, non manet exterior materia censuræ, ut declaratum est; in malis autem additio pravæ intentionis supponit in actu externo sufficientem materiam præcepti, et non tollit illam deformitatem; et ideo recte potest ille actus cum illa limitatione sub censura prohiberi.

SECTIO III.

Utrum actus exterior, per quem censura incurritur, debeat esse in sua specie perfectus et consummatus.

1. *Sensus quæstionis.* — Superest autem explicandum, qualis actus exterior requiratur, vel sufficiat ad materiam censuræ. In quo non inquirimus de gravitate malitiæ; nam de hoc in sectione sequente dicemus; sed de perfectione, vel imperfectione ipsius actus moralis, vel quoad integritatem ejus, seu consummationem, vel quoad rationem voluntarii, aut aliam similem conditionem, ut in discursu explicabimus. Potest autem hæc quæstio tractari, vel in ordine ad potestatem Ecclesiasticam, vel in ordine ad usum.

2. *Propter externum peccatum non consummatum in sua specie posse ferri censuram.* — Prior sensus parum difficultatis et utilitatis habet, quia, si peccatum est externum, et sufficientem gravitatem habet, ex se potest esse materia censuræ, sive in sua specie sit inchoatus, sive perfectus, et sive hoc, sive illo modo fiat, id est, per directam voluntatem, aut per indirectam, vel per ignorantiam, etc. Prudentiæ autem judicis habentis potestatem erit discernere, an expediat, necne, prohibere sub censura tale peccatum quovis modo fiat, vel tantum sub tali aut tali conditione. Posterior autem sensus difficilis est propter legum varietatem, et propter eamdem causam est utilior ad discernendum, quando ita fiat contra præceptum, ut censura incurratur. Unde intelligitur, quæstionem hanc proprie locum habere in censuris a jure impositis, vel ab homine per generales sententias, vel mandata; nam aliæ, quæ versantur circa particularia, jam satis sibi determinant materiam seu culpam, propter quam feruntur.

3. *Varii modi actuum imperfectorum.* — Ut ergo de hac re nonnullas generales regulas tradamus, advertendum est pluribus modis posse actum interiorem esse imperfectum. Primo quoad solum terminum, seu effectum actionis physicæ, ut sic dicam, ita ut actio ex parte peccantis perfecta sit, tantumque desit ultimus effectus ejus. Ut, si quis alterum percussit lethali vulnere, etiamsi jam tunc peccatum suum, quatenus in ejus actione consistit, consummaverit, nondum tamen dicitur perfectus homicida, donec alter moriatur. Secundo, potest actio esse imperfecta, quia licet exterius attentata, seu inchoata fuerit, tamen in re ipsa non solum non perfecit ultimum effectum a peccatore intentum, verum etiam neque aliquid operata est, quod ad talem effectum sufficeret. Ut cum in prædicto exemplo, vel vulnus non est lethale, vel certe nullum, quia manus percutientis aberravit. Tertio, potest actio exterior esse perfecta, etiam quoad ultimum effectum, esse

tamen imperfecta quoad voluntatem vel scientiam, qua fit. Ut si quis occidat hominem casu, et ignorans esse hominem ex negligentia culpabili, vel putans esse hominem, et ignorans esse clericum; vel ex parte voluntatis, si nollet occidere, sed terrere, vel ad summum vulnerare aut mutilare. Quarto, potest effectus intentus esse perfectus, modus tamen exterior esse imperfectus in illo genere peccati, ut contingit in illo casu cap. ult. de Simonia, ubi intervenit mutua datio, et receptio rei spiritualis pro temporali, qui est ultimus effectus ab utroque operante intentus; obtinetur autem sine ullo exteriori pacto; et ex hac parte actio est imperfecta. Denique, potest peccatum externum esse imperfectum ex fictione animi, quia operans revera non intendit tale vitium committere, sed simulare aut fingere quod committit; quod tunc etiam erit peccatum, quando ipsa simulatio prohibita est; ut cum aliquis verbo, aut factis se profitetur hæreticum aut infidelem, cum interius talis non sit. Possuntque fortasse alii modi hujusmodi peccatorum imperfectorum excogitari. Sed omnes sufficienter ad hæc capita reducuntur, vel ex eis expediuntur.

Prima conclusio.

4. Dico ergo primo : quandocumque lex absolute profert censuram ratione alicujus delicti sub verbis includentibus aliquem effectum ultimum, donec talis effectus consummetur, non incurritur censura. Unde, quantumvis perfecta sit actio ex parte delinquentis, si effectus impediatur etiam miraculose, censura etiam impeditur; ut, si excommunicatio sit lata contra homicidam, quamvis ad mortem sufficienter aliquis vulneret, ita ut naturaliter desperetur vulnerati vita, donec hic moriatur, non manet alter excommunicatus. Et, si miraculose vivat, consequenter impedietur censura. Hæc est communis sententia, et fundari potest a simili in cap. Perpetuo, de Elect., in 6, ubi dicitur, ferentem suffragium pro indigno, si non sortitur effectum, non incurrere pœnas. Ratio autem est, quia verba legis proprie intelligenda sunt, et stricte, præsertim in materia odiosa, quæ restringenda est, juxta regulam juris. Unde a fortiori sequitur, eum, qui omnino aberravit ab effectu intento, et intentato, non contrahere censuram similis legis prohibentis tale peccatum sub nomine includente effectum. Ut, si quis volens percutere clericum, casu illum non attingit, etiamsi sagittam emittat, vel ictum in eum dirigat, non incurrit in canonem *Si quis suadente ;* nam in effectu et reipsa manus violentas illi non imposuit, prout verba legis præ se ferunt. Quam rem late tractat, et ad eam plures auctores citat Ugolinus, tab. 1 de Censur., cap. 9, § ult.; et in simili videri possunt Covarruvias, in cap. Alma, 1 part., § 10, num. 15; et Navarrus, de Datis et promiss., num. 15, vers. *Octavo noto*. Itaque in hac materia hæc regula potissimum servanda est, essetque sufficiens, recte applicata ad omnes casus, scilicet, ut verba legis in toto rigore et proprietate teneantur, et strictissime limitentur, quantum proprietas verborum permiserit.

5. *Varii casus ex prædicta assertione definiuntur.* — Et hinc definientur varii casus, ut de simonia etiam conventionali, quæ non pervenit ad effectum seu traditionem rei ex utraque parte; tunc enim propter imperfectionem actus non incurri irregularitatem docuit Navarrus, in Sum., cap. 23, num. 104, ubi alios refert. Idem de eo, qui electionem inchoat, non tamen perficit, contra legem sub censura prohibentem eligere; illum enim non incurrere censuram, cum multis Canonistis, et contra alios docuit Ugolinus, de Cens., tab. 1, cap. 20, § ult., num. 7. Ex hoc principio, quod actus ille est imperfectus. Addit tamen ipse limitationem quandam ad hanc regulam, nimirum, si actus consistat in quadam successione continua, ut est ædificare in alieno solo, retinere alienum, aut concubinam in domo; nam tunc ait sufficere actum inchoatum, et nondum perfectum, ad incurrendam excommunicationem. Sed non est necessaria limitatio, quia in his, et similibus exemplis actus perfectus est, quantum lex requirit; nam, dum ædificatio absolute prohibetur, in ea actione non includitur terminus consummatus; et ideo ipsa actio, ut est in fieri, est consummata transgressio talis præcepti, dummodo talis sit, ut ad peccatum mortale sufficiat, juxta ea, quæ dicemus sectione sequenti. Lex autem prohibens retinere alienum, aut concubinam, ex parte est positiva, præcipiens actum restituendi alienum, vel ejiciendi concubinam; et cum id præcipit sub censura, semper designat tempus, intra quod faciendum id est; et consummato illo tempore, censetur transgressio consummata, et perfecta. Quod si lex non designaret tempus, sed præciperet quam primum fieri, ipsa omissio actus esset perfecta transgressio præcepti,

statim ac intelligeretur consummata. Denique ex hoc principio definitur illa quæstio, an lex, quæ solum profert censuram contra committentes aliquod delictum, comprehendat etiam consulentes. Pars enim negans ex hoc principio concludenda est, nisi oppositum expressum sit in lege, ut late docet Navarrus, in Sum., c. 27, num. 51, cum Cajetano, verbo *Excommunicatio,* in princ., ubi hanc regulam ex professo tractat generaliter, et specialiter in c. 47. De qua etiam videri potest Soto in 4, dist. 22, quæst. 1; Navarrus etiam, de Datis et promiss., n. 13, vers. *Octavo noto;* Covarruvias, c. Alma, 1 part., § 10, num. 15; Ugolinus, tab. 1, c. 9, § ult.

6. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : quando exterior actio est de se imperfecta, et insufficiens ad effectum lege prohibitum, tunc, licet effectus aliunde sequatur per accidens aut præter illum modum, quem lex peculiariter prohibet, tunc non incurritur censura, quantumvis intentio operantis mala sit. Ratio est, quia lex per se primo potius prohibet actionem, quam effectum, quia lex est de actionibus humanis, de effectibus autem quatenus per actiones fiunt; si ergo actio talis non est, qualis ipsa lege humana prohibetur sub censura, quamvis contingat sequi effectum, quem lex humana vitare cupit, imo quamvis ab ipso delinquente interius intendatur, non incurret censuram. Exemplo hoc patet in casu illo de simoniacis mentalibus, qui exterius consummant mutuam dationem et acceptionem, sine ulla conventione externa, nec tacita, nec expressa; in eis enim perficitur ultimus effectus simoniacæ intentionis, a qua etiam illa actio exterior maculatur, et aliquo modo simoniaca est, per relationem ad illam intentionem, a qua imperatur; nihilominus tamen in illo genere est imperfecta actio, quia in ea non intervenit pactum externum; et ideo ratione illius non incurritur censura, quia lex Ecclesiastica, quæ talem censuram imponit, non vetat illum effectum dandi et accipiendi, nisi ut provenientem ex pacto tacito vel expresso.

7. *Corollarium ex præcedente assertione.* — Hinc etiam videtur sequi, si quis vulneret alium tali vulnere, quod de se non sit sufficiens ad causandam mortem, quamvis contingat illum mori ex aliqua superveniente causa accidentali, cui vel ipsemet vulneratus occasionem dedit, vel aliunde contingenter occurrit, in eo casu non incursurum vulnerantem censuram, etiamsi contra homicidas imposita sit; nam ille revera non est homicida, cum mors non sit ex actione ejus secuta. Nec sufficit, quod aliquid ad mortem cooperetur, tum quia illa met est imperfecta respectu legis prohibentis homicidium; tum etiam quia est valde per accidens, et proprie non est ab actione ipsius vulnerantis, sed a superveniente causa, quæ in tali subjecto vulnere affecto magis operatur; et ita vulnus illud quasi materialiter et dispositive concurrit, valde tamen remote respectu vulnerantis. Nec etiam sufficiet, quod sic vulnerans intentionem habuerit fortius vulnerandi, vel etiam occidendi, quia, ut dixi, intentio non sufficit ad censuram, nisi quatenus ex illa sequitur actio exterior prohibita.

8. *Objectioni occurritur.* — *Notandum pro secunda assertione.* — Hic vero instabit aliquis de irregularitate, quæ in illo casu contraheretur propter homicidium subsecutum. Sed quia de antecedente assumpto ex professo infra dicendum est; indiget enim multa explicatione; ideo illo supposito, dicendum est, irregularitatem non solum in homicidam, sed etiam in dantem causam, vel occasionem homicidio, esse impositam, si tamen homicidium subsequatur. Et est differentia inter illam censuram, quod illa non imponitur principaliter per modum pœnæ, sed per modum inhabilitatis, ob significationem et indecentiam, ratione homicidii subsecuti. Sed de hoc, ut dixi, plura suo loco. Hic vero observare oportet, quamvis hoc sit verum, et tutum in foro conscientiæ, quando est moralis certitudo, quod talis effectus, v. gr., mors non poterat provenire ex tali vulnere vel actione, nihilominus tamen, quando non est certitudo, sed res dubia, tunc potius servandam esse censuram, et absolutionem petendam, saltem sub conditione, ad dubium tollendum. Tum quia hæc pars est tuta, et in contemnenda illa censura posset esse periculum; tum etiam quia si causa talis fuit, ut probabile generet dubium, et alioqui effectus sit subsecutus, merito in humano judicio præsumitur, illum effectum inde duxisse originem. Quapropter multo magis in foro contentioso necessarium erit, ut manifestis probationibus constet, illam actionem non potuisse esse causam talis effectus. Sed de hac generali materia, scilicet, quomodo quis se gerere debeat circa censuram in casu dubii, inferius latius dicemus.

9. *Tertia conclusio.* — Dico tertio : quando peccatum fuit imperfectum ex defectu per-

fecti voluntarii, tunc perpendenda sunt verba legis, et natura censuræ; nam, si verba legis talia sunt, quæ postulent perfectum, et directum voluntarium, tunc imperfectio actus excludens tale voluntarium, excusabit etiam a censura. Ratio hujus partis clara est, quia lex non operatur ultra id, quod propriis verbis suis continet ac declarat. Exempla autem sunt, si lex dicat : *Qui præsumpserit hoc facere, Qui temere hoc fecerit, Qui temerario ausu,* et similibus modis, quos inferius, explicando particulares censuras, annotabimus. Nam per illas dicendi formulas significatur, talem censuram solum ferri in eum, qui directa et deliberata voluntate talem legem transgreditur. Advertendum est autem, non quamcumque imperfectionem voluntarii excusare, sed illam tantum, quæ excludit voluntarium directum et ex certa scientia; nam, si quis ex passione, vel ex amore humano, aut ex timore simili talem actum faciat, actus quidem aliquo modo est imperfecte voluntarius, quia est secundum quid involuntarius; et nihilominus censuram incurrit, quia vere præsumit, seu temere agit quod lex prohibet. Quanquam aliquando talia possent esse verba legis, ut sic peccantem non comprehenderent, ut lex, quæ dicit : *Qui ex contemptu jejunia fregerit, anathema sit,* non comprehendet eum, qui ex passione jejunium frangit. Itaque in hoc etiam servandum est illud, quod diximus, ut attente pensentur verba legis, et qualem modum operandi postulent.

10. At vero, si lex nullum speciale verbum addat, sed absolute præcipiat, et censuram ferat contra transgressores, tunc voluntarium, quod sufficit ad peccandum deliberate et humano modo contra illam legem, et ad contumaciam ad censuram, satis est ad talem pœnam ipso jure impositam incurrendam. Hæc regula videtur manifesta ex terminis, quia, sicut illa lex absolute prohibet tale delictum, ita absolute profert censuram; ergo ex vi talis legis non plus, nec alius modus voluntarii requiritur ad incurrendam censuram, quam ad peccandum contra ipsam legem. Quocirca in hujusmodi casu, licet quis peccet ex libidine, aut ex amore humano, et cum aliquo involuntario secundum quid, si tamen ille modus voluntarii satis est ad peccandum contra illam legem, et alioqui materia est proportionata, ut supponimus, satis etiam erit ad incurrendam censuram.

11. *Objectio.* — *Solutio.* — Sed contra; nam si sit lex prohibens sub censura ipso facto incurrenda, ne aliquis hæreticus domi recipiatur, et consanguineus vel amicus illum domi recipiat, non incurrit censuram, ut communiter Doctores tradunt, quos refert, et sequitur Navarr., in Sum., c. 27, n. 55. Id autem solum esse videtur, quia id non fit ex affectu violandi legem, sed ex quadam necessitate et affectu naturali; ergo idem erit quoties ex simili affectu, vel passione peccatur. Respondetur, assumptum quidem illud verum esse, non tamen propter illam rationem, sed quia tunc non peccatur contra illam legem, neque (formaliter loquendo) fit actio tali lege prohibita. Quando enim lex prohibet recipere hæreticum, formaliter intelligenda est de hæretico, quatenus hæreticus est; tunc vero non recipitur, ut hæreticus, sed ut amicus, vel consanguineus, vel etiam ut homo, si fortasse indigeat. Quando vero censendus sit recipiens, sub una vel altera ratione recipere, in foro interiori ex intentione ejus facile judicabitur, in exteriori vero ex circumstantiis discernendum erit, ut Navarrus notavit. Intentio etiam præcipientis attente pensanda est; nam, si solum generalibus verbis fertur in receptatores hæreticorum, recte et juridice illo modo exponitur; si tamen ex aliis verbis particularibus legis constet, etiam prohibere recipere ipsam personam, aut ei benefacere, ut resipiscat, tunc aliter judicandum erit de actione recipiendi. Quia, etiam si non recipiatur hæreticus, ut hæreticus est, seu in favorem hæresis, favor, vel receptio ipsius personæ mala erit, nisi intercedat gravis causa, quæ ad excusandum sufficiat; qualis erit, aut extrema necessitas talis personæ, aut tanta conjunctio cum illa, ut quasi una moraliter censeantur, ut est inter parentem et filium, vel etiam inter fratres, vel alia minor juxta materiæ qualitatem; non enim potest uniformis regula pro omnibus tradi. Quando vero non intercedit causa sufficiens ad excusandam culpam, nec censura excusabitur propter modum voluntarii, ut declaratum est.

Num metus excuset ab incurrenda censura.

12. Hic vero statim occurrebat quæstio, si actus sit voluntarius simpliciter, involuntarius vero secundum quid ratione metus, an hoc satis sit, ut non contrahatur censura. Sed hoc non habet hic peculiarem difficultatem, sed communem de lege humana, an

metus excuset ab illius transgressione. Non est autem dubium, quin interdum excuset. Si ergo talis est metus, ut excuset a culpa, excusabit etiam a censura, tum quia censura supponit culpam, ut dictum est; tum etiam quia adjectio censuræ non impedit, quominus metus, qui excusaret a culpa transgressorem talis legis, præcise impositæ sine censura, similiter excuset, etiam si censuræ pœna addita sit, supposita quod materia est eadem, et obligatio in conscientia per se sufficiens, semper tamen humana, quæ non obligat cum tanto dispendio et rigore. At vero si metus non excusat a culpa, non excusabit etiam a censura; neque fingi potest casus, in quo metus sufficiat ad excusandam talem pœnam, scilicet censuram, etiamsi non excuset a gravi culpa, quandoquidem lex, ut supponimus, absolute imponit censuram adversus transgressores talis legis. Secus vero esset, quando adderet aliquod verbum indicans et postulans liberiorem modum operandi, de quo jam dictum est.

13. *Quis metus excuset ab observatione legis humanæ.* — Quis autem metus sufficiat ad excusandum ab obligatione observantiæ legis humanæ, in propria materia tractandum est. Nunc breviter dicimus, regulariter loquendo, metum mortis, vel alterius gravis nocumenti, quando est urgens, et cadens in constantem virum, sufficere ad hanc excusationem, quia præcepta Ecclesiastica ordinarie non obligant cum majori rigore. Unde propter minora incommoda vitanda excusamur obligatione jejunii, aut Missæ audiendæ. Dixi autem *regulariter,* quia si talis metus incutiatur directe in contemptum religionis aut Ecclesiasticæ potestatis, tunc potius sustinenda esset mors, quam lex Ecclesiastica violanda, quia jam non agitur de sola observatione legis, sed de vitando gravi damno nostræ religionis, cujus bonum commune tenetur homo præferre propriæ vitæ. Et Ecclesia potestatem habet obligandi in eo, vel simili casu, cum dicto rigore; et ita expedit facere; igitur ita obligat. Et, si censuram imponit, maxime pro illo casu eam imponere censenda est. Tunc ergo metus non excusabit a censura, sicut non excusat a culpa.

14. *Si lex Ecclesiastica prohibeat sub censura id, quod jure naturæ est prohibitum, potest metus excusare a censura, licet non a culpa.* — Oportet tamen advertere, aliquando per legem Ecclesiasticam sub censura prohiberi id, quod jure naturæ prohibitum est, ut, v. gr., incestum cum consanguinea; contingere ergo potest, ut metus excuset illum actum, ut prohibitum ab Ecclesia, etiamsi non excuset libidinosum accessum, quia intrinsece malus est; et tunc quamvis non omni culpa excusetur ratione metus, excusabitur censura, quia illa non contrahitur nisi ob violationem præcepti Ecclesiastici, ut sic. Quo modo excusari possunt a censura, si lata sit contra adjuvantes Turcas dimicantes contra Christianos, Christiani, qui metu mortis remigant, etiam quando Turcæ Christianos persequuntur. Quanquam forte non excusentur a peccato contra naturalem legem, quia cooperantur positive ad actionem intrinsece malam; quamvis hoc posterius minus certum sit, quod pertinet ad materiam de voluntario. Et hanc ob causam etiam dixi, voluntarium hujusmodi debere esse sufficiens ad contumaciam, quia censura propter contumaciam ponitur, et per illam incurritur. Unde si modus transgrediendi præceptum talis sit, ut ad peccandum sufficiat, non vero ad contumaciam, poterit a censura excusare, licet non excuset a culpa etiam gravi, et ita contingit in prædicto casu. Poterat autem inquiri, an ratione ignorantiæ etiam hæc duo sint separabilia, occurrebatque gravis quæstio de ignorantia juris vel facti, an excuset a censura, quando non excusat a culpa. Sed de hac re dicemus commodius infra, sect. 6.

15. *Quarta conclusio.* — *Probatur prior pars assertionis.* — Dico quarto : quando externum peccatum procedit ex animo ficto, ita ut eam ob causam actus exterior non sit simpliciter in specie completa moralis actus, cui est annexa censura ex vi et proprietate verborum legis, tale peccatum non est sufficiens materia talis censuræ; secus vero erit, si, non obstante simulatione, aut fictione, peccatum externum revera sit in sua specie consummatum. Prior pars est contra Cajet. 2. 2, quæst. 12, art. 1, circa ad 2, et quæst. 94, art. 1. Est tamen nostra sententia communis, quam tenet Navarr., in Sum., cap. 11, num. 25, et cap. 27, num. 56, ubi refert alios. Et ratio est, quæ tangitur in cap. Cum voluntate, de Sent. excom., quia *voluntas et intentio est, quæ distinguit maleficia;* et ideo, si illa desit, deest etiam delictum, pro quo censura imposita est. Exemplum vulgare est de ficto hæretico exteriori, qui simpliciter non est hæreticus, cum veram fidem retineat, sed apparet hæreticus, quia talem se fingit. Si ergo lex excommunicat ipso facto, vel

aliam censuram fert contra hæreticos, vel contra profitentes talem hæresim, ille non incurret talem censuram, quia perfecte ac simpliciter non agit contra talem legem. Illa enim verba in rigore non significant apparentiam, sed veritatem et proprietatem; et alioqui sunt restringenda, cum in materia odiosa versentur; loquimur autem semper juxta proprietatem verborum legis, quia, si lex ipsa extendat prohibitionem, et censuram, etiam ad eos qui ficto animo talia profitentur, vel aliquid simile operantur, non est dubium, quin incurratur censura, quia illa est materia sufficiens, cum sit grave peccatum externum. Secus vero est, quando lex simpliciter loquitur de tali peccato.

16. Neque obstat, quod exterius discerni non possit, an illa actio exterior procedat ex interna credulitate, necne; hoc enim pertinebit ad externum forum, ut possit ille puniri tanquam hæreticus, quamvis cum illo mitius agendum sit, tum propter catholicum animum, quem nunc præ se fert, tum propter probabiles conjecturas, quæ moraliter deesse non possunt, quia talis ficta professio erroris nunquam fit sine aliqua magna occasione timoris vel amoris humani. At quoad forum conscientiæ, in quo censura contrahitur ex vi legis, satis est, quod vere in re peccatum tale non fuerit, quale per legem prohibitum est. Nam, ut supra dixi, interdum actus exterior requirit aliquem interiorem, ut vere ac substantialiter sit in illa specie virtutis vel vitii, quam lex præcipit, vel prohibet, qui proinde simul præcipitur aut prohibetur, cum actu exteriori, etiamsi fortasse de illo exterius constare non possit.

17. *Exemplo dilucidatur posterior assertionis pars. — Objectio. — Solvitur.* — Secus vero erit, si e contrario (quod in ultima parte assertionis tangitur) simulatio et fictio solum sit ad occultandum delictum, non vero ad illud, seu animum ejus minuendum, vel tollendum; tunc enim, quamvis delictum occultetur, nihilominus incurretur censura, quia delictum revera opere consummatur et animo; quod vero occultetur, accidentarium est. Ut si quis animo hæretico verbis profiteatur errorem suum, ita tamen verba componat, vel amphibologice eis utatur, ut possit subterfugere, et in alio sensu explicare, nihilominus excommunicationem incurret contra hæreticos latam, quia est verus hæreticus interior et exterior; et illa fictio non minuit culpam, sed per accidens occultat. Quod si dicas, illum actum videri imperfectum, quia non satis exprimit interiorem animum, nec omnino est illi conformis, quia minus exterius apparet, quam interius sit. Respondetur, hunc defectum non minuere culpam, sed potius augere, si fieri potest, quia illa actio exterior ex se satis exprimit interiorem animum. Quod autem ab aliis non ita percipiatur, provenit non ex defectu ipsius actus, sed ex conjunctione alterius significationis, vel sensus, per quam non minuitur prior malitia, sed additur nova simulati animi seu hypocrisi affecti.

18. *An qui exterius facit actum sub censura præceptum sine interiori attentione, censuram evitet. — Henr., lib.* 13 *de Excommun., c.* 21, § 1, *in fine.* — Sed quæres, an eodem modo sentiendum sit quando aliquis e converso exterius tantum servat præceptum Ecclesiæ, ficto tamen animo, aut sine sufficiente actu interiori, an (inquam) id satis sit ad evitandam censuram impositam contra transgressorem talis præcepti; ut, v. gr., si excommunicetur, qui Missam omittit die festo, vel non recitat horas, cum tenetur, an, qui est præsens, vel profert verba, voluntarie omnino distractus, vel nolens actum religionis exercere, sed tantum apparenter, incurrat nihilominus censuram. Quidam absolute negant in eo casu incurri censuram, quia jam impletur præceptum Ecclesiæ quoad substantiam actus exterioris, quod satis est ad evitandam censuram, quia illa transgressio præcepti non est perfecta et completa. Afferuntque exemplum de eo, qui confitetur tempore præscripto ab Ecclesia, ficte tamen, aut non integre; nam id satis est ad non incurrendam censuram Ecclesiæ, licet non sit satis ad non peccandum. Simileque adduci posset de communicante in Paschate in peccato mortali.

19. *Dubii resolutio.* — Sed hoc absolute, et in universum mihi non probatur. Considerandum ergo censeo, an ille defectus interior, sive sit intentionis, quod proprie spectat ad fictionem, sive attentionis, qui solum est distractio quædam, an (inquam) talis defectus sit contra substantiam actus præcepti, ut præceptum est; nam, si non sit contra substantiam, excusabit censuram, imo etiam excusabit culpam contra præceptum Ecclesiæ, licet non excuset culpam contra aliud jus divinum vel naturale. Exemplum est in illo casu de communicante in Paschate in peccato mortali. Idemque erit de confitente valide,

non tamen fructuose (si supponamus dari sacramentum confessionis validum et informe). At vero si defectus ille sit contra substantiam actus præcepti, ut præceptum est, etiamsi exterius quasi materialiter fiat, quod præceptum est, non satis erit ad excusandam censuram absolute impositam contra transgressores talis præcepti, quia ille vere transgreditur illud præceptum, et nulla ex parte illud implet. Talisque, ut opinor, esset ille, qui in Paschate communicaret, non solum in peccato mortali, sed etiam sine vera fide, animo irridendi, vel occultandi suum errorem, quia nimis est directe contra substantiam talis præcepti. Idem censeo de illo, qui exterius confitetur, etiam integre, tamen sine dolore, vel proposito sufficiente ad substantiam sacramenti, ut supra suo loco dixi, quia ille defectus est etiam contra substantiam actus præcepti.

20. *Efficiens actum sub censura præceptum integre quoad substantiam, licet ex alio capite peccet, censuram non incurrit.* — Unde oportet attente considerare, aliud esse implere præceptum quoad substantiam, aliud vero materialiter efficere exteriorem actum, quem lex præcipit. Nam de primo est vera et communis sententia, id sufficere ad vitandam censuram positam in transgressorem talis præcepti, quia ille revera non esset transgressor illius præcepti, etiamsi fortasse alio titulo peccet. Hoc autem sensu distinguitur substantia præcepti a modo extrinseco, ut, v. gr., quod fiat propter Deum, vel meritorie, aut fructuose, vel in statu gratiæ. Quo etiam sensu habet locum recepta doctrina D. Thom. et omnium, præceptum per se obligare ad substantiam actus, non ad modum. In hac vero substantia actus præcepti, ut præceptus est, includitur voluntas, intentio aut attentio necessaria, ut talis actus sit humanus, et illius moralis rationis, secundum quam præcipitur. Unde, si hoc desit, quamvis exterius videatur exerceri actio præcepta, illud est omnino materialiter, et non secundum substantiam præcepti. Quod in his rebus moralibus valde advertendum est, quia præcepta etiam Ecclesiastica dantur de actibus humanis, ut humani sunt. Et juxta hæc judicandum est etiam in alio casu de audiente Missam, vel recitante sine ulla attentione; nam juxta veriorem doctrinam attentio aliqua est de substantia talis actus, ut cadit sub præceptum; et ideo qui nullam habet, vere omittit interius, et exterius, formaliter loquendo de actu præcepti, etiamsi materialiter videatur idem externum opus facere; ideoque incurret censuram, si absolute contra omittentes posita sit. Quod semper addo, quia, si in lege sit aliquod verbum magis limitans, seu coarctans censuram, juxta proprietatem ejus judicandum erit, quia censura non extenditur ultra voluntatem legislatoris, prout expressam in lege.

SECTIO IV.

Utrum censura ferri possit propter solum peccatum mortale, vel etiam propter veniale.

1. *Culpam debere esse proportionatam censuræ.* — Ex dictis in præcedentibus sectionibus possumus hic statuere generale principium certum, nempe culpam, pro qua imponenda censura est, debere esse proportionatam tali censuræ. Probatur naturali ratione, quia pœna debet esse commensurata culpæ, et e contrario; nam contra justitiam commutativam est, gravem pœnam pro levi culpa imponere; sed censura habet rationem pœnæ, et ob hanc rationem culpam supponit; ergo ratio justitiæ postulat, ut talis culpa sit commensurata gravitati talis pœnæ.

2. *Censuram gravem supponere mortale peccatum, ut juste feratur, ad leviorem vero veniale sufficere.* — Et ex hoc principio inferuntur duæ conclusiones, quæ generatim sumptæ eamdem videntur habere certitudinem. Prior est, censuram gravem, id est, quæ privat bonis majoris momenti, et ex se magnum infert nocumentum, et ideo posset non incongrue *censura major* appellari, ad minimum supponere peccatum mortale, ut juste ferri possit. Posterior est, minorem seu leviorem censuram pro veniali etiam peccato imponi posse. Ratio utriusque ex proposito principio per se statim patet, quia esset contra æquitatem justitiæ pro levi culpa gravissimam pœnam imponere; sed quælibet major censura gravissima pœna est; venialis autem culpa est levis; ergo non potest esse illa pœna commensurata huic culpæ. Secus vero est de minori censura; illa enim levis est pœna; et ideo etiam propter leve peccatum imponitur. Nec refert, si quis dicat, culpam venialem esse majus malum quacumque censura, etiam gravisssima, ut propterea ob illam solam imponi possit; nam pœna non est commensuranda culpæ secundum æqualitatem; sic enim nunquam poterunt adæquari, cum sint ordinum diversorum, propter

quod non recte hoc modo comparantur; sed secundum proportionem, ut scilicet illi culpæ, quæ in suo ordine gravis est, pœna respondeat in suo etiam ordine gravis. Quod cum in omni pœna necessarium sit, maxime tamen in medicinali, qualis est censura, ut de excommunicatione dicitur in cap. Multis 2, quæst. 1, et in cap. 1, de Sent. excomm., in 6, in princip., et ad suspensionem et interdictum idem extenditur; et inferius agendo de censuris in particulari, et præsertim de excommunicatione, utraque pars evidentius probabitur. Intelligenda autem hæc sunt, juxta dicta sectione præcedente, de actu, qui in ipso opere externo sit sufficiens ad peccatum mortale; nam si quis ex voluntate, quæ sit peccatum mortale, levem actum exteriorem faciat (ut, v. gr., leviter percutiat clericum, vel quid simile), non incurret majorem excommunicationem, juxta principia posita in dicta sectione.

3. *Non omne pecccatum mortale esse dignum censura gravi.* — Ex quo ulterius intelligitur, quamvis censura major ferri non possit, nisi pro peccato mortali, non tamen e converso quodlibet peccatum mortale, etiam externum (jam enim de hoc semper loquimur) esse dignum tali censura. Sicut etiam in minori censura respectu venialium id notissimum est; quis enim dicat, pro quolibet levi mendacio posse hominem excommunicari minori excommunicatione? Idem ergo cum proportione intelligendum est de majori respectu mortalis peccati. Et ideo dixi in priori assertione, ad minimum requiri peccatum mortale, ut indicarem, non quodlibet sufficere, sed specialem quamdam gravitatem postulari, aut quod scandalum generet in Ecclesia, aut pacem perturbet, aut aliquod grave nocumentum afferat, quod alia via non possit commode impediri. Hæc autem peccatorum discretio, vel mortalium inter se, vel venialium inter se, ut pro his possit proportionata ferri censura, et non pro illis, non potest una generali regula præscribi; nulla enim sufficiens excogitari potest, sed necessario id committendum est prudentiæ legislatoris, et judicis, ut considerato fine principali imponendi censuram, et qualitate delicti, et necessitate, vel magna utilitate urgente, eam imponat. Et ideo Augustin., lib. de Correp. et grat., cap. 15, et refertur in cap. Corripiantur, 24, quæst. 3, de excommunicatione agens, ait, *ex pastorali necessitate,* et non aliter ferendam esse. Et in Concil. Aurel. V, cap. 2, præcipitur, ut pro parvis et levibus culpis nemo excommunicetur, *nec præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres arceri ab Ecclesia jusserunt committentes.* Et habetur in cap. Nullus, 11, quæst. 3, ubi sunt plura alia decreta de hac re.

4. *Quanta cum moderatione debeat judex uti censuris.* — Atque hinc fit, ut si aliis pœnis possit curari, aut impediri peccatum, aut contumacia corrigi, eis prius utendum sit, ut statuit Concil. Trident., sess. 25, c. 3 de Reformat., quod decretum valde est notandum in confirmationem hujus doctrinæ. Et in Concil. Meldensi, cap. 56, quod refertur in c. Nemo Episcoporum, 11, quæst. 3, valde notanda sunt verba illa : *Et illi qui aliter non potuerit corrigi;* agit enim de excommunicatione majori, quam negat debere imponi, nisi pro crimine mortali, et cum dicta limitatione, scilicet, quando necessaria censetur ad correctionem. Ex quo etiam valde consentaneum rationi est, et intentioni prædictorum canonum, ut, cum inter censuras specie diversas una sit minus gravis, quam alia, et omnes ad hunc finem tendant, corripiendi contumaciam, et reprimendi peccata, quando ille potest obtineri per censuram minus gravem, illa tantum imponenda sit, et non statim esse inchoandum a suprema censura, ut est excommunicatio major, qua pœna nulla in Ecclesia major est, ut dicitur in cap. Corripiantur, 24, quæst. 3.

5. *Judices debere incipere correctionem a levioribus censuris.* — Atque hanc fuisse antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, et hunc, vel similem ordinem in his pœnis imponendis juxta sacros canones servari debere, satis colligitur ex cap. Præsenti, 5, quæst. 2, et ex cap. Veritatis, de Dolo et contumac., et ex cap. 2 de Testibus cogendis, et hoc etiam notavit Gloss., in cap. Cum tu, verb. *Per pœnam,* de Usuris; et Gloss. in cap. Honoratus, verb. *Adhuc,* 74 dist. Notantque suspensionem debere antecedere excommunicationem, scilicet in sacerdotibus, qui suspendi possunt. In laicis vero antecedet interdictum, ut notant Doctores in citatis juribus; et Abbas in cap. ultim. de Cohab. Cleric. et mulier. Non quod hic ordo semper necessarius sit, sed quod ad prudentiam judicis pertineat illum servare, nisi negotii gravitas aliud requirat, aut nisi probabiliter judicet nullam esse spem fructus in præmittenda censura minori; tunc enim inutile esset illam ferre. Sicut etiam inutile esset ferre maximam cen-

suram, si nullus ex ea fructus speraretur, ut ex communi sententia Juristarum docuit Felinus in cap. Apostolicæ, de Excep., circa init., et Jacob. de Graff., lib. 4 suar. decis., cap. 1, num. 18. Quod tamen intelligendum est de fructu non tantum privatæ personæ, sed etiam totius Ecclesiæ, quia non solum ad salutem ejus, in quem fertur, sed etiam ad aliorum exemplum et disciplinam ordinatur censura.

Ad singulas censuræ species in particulari applicatur supra posita doctrina.

6. *De excommunicatione.* — Ut vero hæc, quæ in communi, et indistincte diximus, intelligantur magis, et probentur, oportebit ea ad singulas censurarum species breviter applicare. Et primum in excommunicatione distinguunt Theologi duplicem excommunicationem, scilicet, majorem et minorem, quarum distinctio non est nunc a nobis ex professo explicanda; sed satis est supponere distingui in effectibus, et consequenter in gravitate pœnæ. De excommunicatione igitur majori certum est, solum posse imponi propter mortale peccatum; id enim expresse habetur in juribus citatis, præsertim 11, quæst. 3, cap. Nemo Episcoporum, et docet Leo Pap., epist. 89, et suo loco dicemus latius. Excommunicatio autem minor etiam pro peccato veniali ferri potest, ut de facto incurritur propter communicationem in rebus humanis cum excommunicato, ut constat ex Concil. Carthag. IV, cap. 4, et dicemus inferius. Quo fit, ut possit etiam talis excommunicatio minor pro aliquo peccato mortali ferri; id enim a fortiori sequitur, quia mortale gravius est quam veniale, et interdum non sufficit, ut ratione illius major excommunicatio feratur, ut dictum est; aliquando ergo poterit expedire, ut saltem feratur minor, ut infra etiam dicetur.

7. *De suspensione et interdicto.* — *Vide Summ. Confess., lib.* 3, *tract.* 33, *quæst.* 227. — At vero de suspensione et interdicto aliqui simpliciter asserunt posse imponi pro mortali, et pro veniali peccato; et in hoc constituunt differentiam inter illas censuras et excommunicationem. Ita loquitur Cajetan., in Summ., verb. *Præceptum,* et Navarr., in Summ., cap. 27, num. 165, et alii. Sed non video, cur non sit eadem proportione loquendum, et distinguendum de suspensione gravi et levi, quæ major et minor appellatur ab aliquibus, sed non est in usu. Quidquid vero sit de nominibus, pro mortali peccato gravis suspensio imponitur, quæ quidem non poterit imponi pro veniali; esset enim magna improportio, et inæqualitas. Si ergo aliqua suspensio propter veniale potest imponi, erit illa levis, et quoad rem servans proportionem cum excommunicatione minori, quidquid sit de usu vocum. Idemque est proportione servata de interdicto; nam licet illi hoc proprium sit, ut pro peccato alieno imponi possit, tamen, cum ferri non possit nisi propter peccatum, vel proprium, vel alienum, ut supra dictum est, et docet etiam Navarr., cap. 27, num. 168, cum illo peccato, propter quod fertur, comparandum est. Atque hoc modo certe non potest ferri interdictum grave, et quod alicujus momenti censeatur, nisi propter gravem et mortalem culpam, propter rationem superius factam. Si ergo propter veniale peccatum nonnunquam fertur aliquod interdictum, illud esse non poterit, nisi valde leve, puta singularis personæ, ad aliquem particularem actum, et per breve tempus, quod proinde leve dici poterit. Et hac ratione superius insinuavi, sicut dividitur excommunicatio in majorem et minorem, ita posse divisionem eamdem censuræ in communi accommodari, et generatim definiri, censuram majorem non posse imponi, nisi propter peccatum mortale, et proportionatum; censuram autem minorem posse pro aliquo peccato veniali ferri. Sed hæc explicabuntur melius, disputando de singulis censuris in particulari.

SECTIO V.

Utrum ad ferendam censuram requiratur contumacia, vel sufficiat peccatum commissum, et præteritum.

1. Duplex est modus ferendi censuram, ut ex superioribus constat, scilicet per legem, aut quodlibet præceptum superioris prohibentis, vel præcipientis aliquid sub censura ipso facto incurrenda; vel per sententiam judicis condemnantis reum ad talem pœnam ob commissum delictum. Circa priorem modum fere non habet locum quæstio præsens, quia talis censura ex vi ipsius præcepti, et modi, quo fertur, includit conditionem requirentem contumaciam, et inobedientiam ad Ecclesiam, ut incurratur. Unde ut supra etiam dicebamus, talis lex includit monitionem sufficientem, ut illius transgressor sit inobediens, et contumax ad contrahendam censuram. Solum

ergo potest circa hoc relinqui quæstio, an et quo modo possit hæc censura per ignorantiam impediri, vel (quod idem est) quando ignorantia impediat contumaciam, et consequenter censuram, Sed de hac re, quia specialem difficultatem habet, sect. 7 instituemus.

2. Superest ergo difficultas de censura, quæ in particulari fertur per sententiam a judice, an scilicet possit ferri propter peccatum præteritum absque alia contumacia præter eam, quæ est in transgressione præcepti, quæ saltem est materialis inobedientia, ut videre licet apud D. Thom., 2. 2, quæst. 104, art. 2, et quæst. 105, art. 1. Dixerunt ergo aliqui posse censuram, etiam excommunicationem, ferri pro peccato commisso, etiamsi tantum contra jus divinum, vel naturale sit. Ita sentit Cajetan., 2. 2, quæst. 69, art. 2; Almain., de Potest. Eccles., cap. 10; Corduba, in lib. 1, quæst. 27, § Sed ad exaltationem, qui refert Glossam expresse hanc sententiam tenentem in cap. Romana, de Sent. excom., in 6, et Covarruv. eam insinuantem in cap. Alma mater, part. 1, § 10, n. 5; et Sylvest., verb. *Excommunicatio* 1, notab. 3 et 4, verb. *Excommunicatio* 2, notab. 2 et 4, et quæst. 11. Sed hi auctores non favent huic sententiæ, licet in modo loquendi interdum dicant excommunicationes ferri pro præteritis culpis, et sub ea forma nonnulla exempla proponant; tamen hoc modo posset pro hac sententia citari dictum cap. Romana; nam in eodem fit mentio de censura, quæ fertur pro præterita culpa.

3. *Quo sensu dicatur censuram ferri pro præterita culpa.* — Oportet ergo advertere, in jure, et apud auctores distingui censuram pro præterita, vel futura culpa, quia ea, quæ est pro culpa futura, nullam culpam supponit, sed solum præceptum cavendi culpam. Censura vero, quæ supponit culpam commissam, dicitur ferri pro præterita culpa, non tamen quia in ea, ut jam præterita, absolute sistatur; semper enim includitur conditio, *nisi a tali peccato desistatur,* aut *pro illo satisfiat,* ut recte notavit Navarr., in cap. Cum contingat, de Rescriptis, in 5 nullitatis causa. Et sumitur ex cap. Ex parte 1, de Verbor. significat., ubi duplex distinguitur censura. Una pro contumacia tantum, quia, *scilicet citatus stare noluit juri;* altera pro offensa, *quia videlicet jussus noluit maleficium emendare.* Prior pertinet ad censuram pro peccato futuro; posterior ad censuram pro præterito, et aperte exponitur modo jam dicto. Igitur neque ex dictis Doctoribus, neque in universum ex Juribus vel Doctoribus loquentibus de censuris pro præteritis culpis, potest in præsenti efficax argumentum sumi.

4. *Adducuntur jura pro prima opinione.* — Nihilominus ad confirmandam hanc sententiam afferuntur multa jura, in quibus videtur dicto modo ferri censura. Primum est cap. Quidam, 5, quæst. 1, ubi Gregorius excommunicat quemdam, qui occulte libellum contra alium posuerat, *nisi se proderet,* etc. Nec dici potest (ait Cajetan.) illum fuisse excommunicatum eo quod non impleverit præceptum, ut se proderet, quia hoc præcepto non poterat obligari, neque novum delictum committebat non se prodendo, cum contra jus naturæ sit aliquem obligari, ut se prodat vel accuset in delictis omnino occultis. Excommunicatio ergo illa pro delicto commisso pure lata est; at illa conditio fuit addita ex Pontificis benignitate, ut si ille vellet se prodere, posset excommunicationem vitare. Secundo affertur textus ejusdem Gregor., in cap. Inter querelas, 23, quæst. 4, ubi reprehendens quemdam Episcopum, eo quod alium excommunicaverat propter injuriam sibi factam, non corripit illum, eo quod censuram tulerit pro peccato commisso, imo supponit talem censuram validam fuisse, sed reprehendit, quia pro vindicta propriæ injuriæ maledictionem anathematis invexerit. Tertio in eadem causa et quæst., in cap. Guillisarius, refert Silverius Papa se anathematizasse eos, qui dolo, et vi ipsum comprehenderant, et in exilium miserant. Quarto in cap. In primis 2, quæst. 1, similiter excommunicantur, qui legitimum quemdam Episcopum deposuerant, et alium in ejus locum contra jus substituerant. Quinto sæpe in jure imponitur censura pro raptu vel alio crimine, seu injuria jam facta, ut patet in cap. Raptores, et cap. Eos qui rapiunt, 36, quæst. 2, et cap. Si quis Episcopus, 27, quæst. 1, et in cap. Tanta, 86 dist., et in cap. Duo sunt, 96 dist., ubi referuntur facta Innocentii excommunicantis Arcadium Imperatorem, et Ambrosii excommunicantis Theodosium pro culpis præteritis. Et similis casus habetur in cap. 1 de Judiciis. Et difficilior in cap. finali, 2, quæst. 1. Item in cap. In loco, 5, quæst. 4. Nec refert, ait Corduba, si dicatur, has censuras ferri pro præterito sub ea conditione, *Si non satisfecerit,* vel simili, quia censura non infligitur propter omissam satisfactionem, sed propter ipsum delictum præteritum, ut constat ex ipsis juribus, in quibus

potius additur illa conditio, ut ante exhibitam satisfactionem non detur absolutio, quam ut sub ea conditione imponatur censura. Et ad hoc confirmandum sexto affert factum Pauli, 1 ad Cor. 5, ubi excommunicavit quemdam propter commissam fornicationem. Sed de hoc jam satis supra dictum est.

5. *Ratio pro eadem opinione.* — Ultimo additur ratio, quia Ecclesia potest punire delictum commissum contra jus divinum et naturale, ut furtum vel homicidium, aliis pœnis; ergo et censuris, quæ sunt etiam quædam pœnæ, et possunt habere proportionem cum illis culpis non minus quam aliæ pœnæ, vel non minorem, quam habeant cum culpa contumaciæ, vel inobedientiæ Ecclesiæ. Simile argumentum est, quia ut censura feratur, non requiritur formalis inobedientia, vel contemptus Ecclesiastici præcepti, sed sufficit materialiter non obedire, seu reipsa transgredi Ecclesiæ præceptum; alias rarissime incurreretur censura ; ergo potest Ecclesia censuram ferre propter delictum commissum contra præceptum ejusdem Ecclesiæ, etiamsi nulla comminatio talis censuræ præcesserit, ut, v. gr., excommunicando eum, qui in Quadragesima non jejunavit; nam ille fuit satis inobediens Ecclesiæ; ergo eadem ratione poterit Ecclesia censuram ferre propter delictum commissum contra jus divinum; nam ibi intervenit inobedientia ad Deum, quæ per se major est, et graviori pœna digna. Tandem, saltem suspensio, et interdictum ferri possunt pro delicto præterito, ut in superioribus tactum est; ergo non est de ratione censuræ, ut sic, quod non feratur pure et absolute propter delictum commissum; ergo neque etiam est de ratione alicujus censuræ, quatenus talis est, quia nulla specialis ratio in aliqua censura, etiam in excommunicatione, assignari poterit.

Secunda opinio.

6. Contrariam sententiam docent communiter Doctores, de excommunicatione disputantes; nam in communi de censura pauca dicunt. Eorum vero sententiam nos ad omnes censuras, prout in illis habuerit locum, accommodabimus. Itaque docent, censuram non ferri pure et absolute pro peccato commisso, nisi intercedat prius contumacia in tali peccato contra Ecclesiæ præceptum, nec posse censuram validam esse, si aliter feratur. Hæc est sententia D. Thomæ in 4, d. 18, q. 2, art. 1, quæstiunc. 3, et habetur in Addit, q. 21, art. 3; Gerson., 3 part., tract. de Vita spirituali, lect. 4, corol. 7; Soto (qui Cajetani opinionem inauditam esse dicit) in 4, dist. 22, q. 1, art. 2, et lib. 5 de Justit., quæst. 6, art. 2, et in Relect. de Tegendo secreto, memb. 2, q. 8, ad 2 principale. Idem tenet Victoria, in Sum., tractat. de Excomm., num. 6; et Petrus Soto, lect. 3 de Excom.; et Castro, lib. 2 de Leg. pœn., c. ult., conclus. 4. Et ita etiam sentiunt reliqui Scholastici in 4, dist. 18, et Canonistæ, ut patet ex Abbate in cap. P. et G., n. 7, de Officio Deleg.; et Navarr., in dict. c. Cum contingat, de Rescript., caus. nullit. 5, et in Summ., cap. 27, num. 9, et 11; Covarruvias, in cap. Alma mater, part. 1, § 9, num. 4, et sequent., et § 10, a num. 1 usque ad 5; et Ugolinus, de Censibus, tab. 1, cap. 9, § 5.

7. *Suadetur secundo.* — Hæc sententia fundari potest primo in divino jure, Matt. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Hæc enim verba intelliguntur de potestate excommunicandi data Ecclesiæ, ut supra vidimus, et tamen ea potestas non datur, nisi ad coercendos inobedientes, et contumaces Ecclesiæ post ejus monitionem seu præceptum. Secundo ad hoc confirmandum afferuntur omnia decreta, in quibus dicitur, ante censuram præmittendam esse monitionem, quæ supra late adduximus disput. præced., sect. 4. Ratio enim præmittendæ admonitionis non est, nisi quia ante illam nondum peccator est contumax; ergo supponunt jura contumaciam necessariam esse, prius quam censura incurratur.

8. *Evasio.* — Ad hæc vero responderi potest monitionem esse necessariam ad debitum ordinem, et ut censura juste feratur, non tamen esse de substantia actus, ideoque de absoluta potestate loquendo, posse censuram valide ferri absque ulla monitione, et consequenter posse pure et absolute ferri pro culpa præterita. Ita enim declarant necessitatem præviæ admonitionis fere omnes juris interpretes, ut supra visum est. Neque in hoc distinguunt inter monitionem trinam, et monitionem simpliciter.

9. *Eluditur.* — Sed contra hoc obstat, quia illa verba Christi non solum videntur continere necessarium ordinem ad juste excommunicandum, sed etiam ad valide excommunicandum; nam conditionalis illa, *Si Ecclesiam non audierit*, indicat adæquatam causam talis pœnæ, seu censuræ, ita ut recte possimus ex illa inferre, nunquam nos posse obligari ad

habendum aliquem tanquam ethnicum et publicanum, donec Ecclesiam non audierit, quia Christus solum sub ea conditione id præcepit seu permisit. Est ergo illa essentialis conditio saltem quoad communem rationem Ecclesiasticæ contumaciæ, quamvis quoad ordinem triplicis monitionis non sit tanta necessitas. Cujus etiam argumentum est, quia nunquam Ecclesia aliter exercuit hanc potestatem, ut constat ex juribus in dicta sectione 4 allatis, et constabit amplius respondendo ad ea, quæ in contrarium adducta sunt.

10. *Probatur tertio. — Solutio. — Improbatur. — Propter peccata quæ moralem continuationem non habent, Ecclesia non fert censuram.* — Tertio argumentor pro hac sententia, quia excommunicatio est medicinalis pœna, cap. 1 de Sent. excom., in 6, ubi statim idem dicitur de suspensione, et interdicto; at si pro delicto præterito pure ferretur, non esset medicina, sed pura vindicta. Respondet Corduba, etiamsi pro præterito peccato pure feratur, esse medicinam, vel respectu aliorum per exemplum, vel respectu ipsiusmet peccatoris, ut timeat similia committere. Sed hoc modo esse medicinam commune est omni pœnæ; at jura aliquid singulare intendunt attribuere censuræ, nimirum, quod aliæ pœnæ ita sunt medicinæ ad præcavenda futura peccata, vel ejusdem hominis, vel aliorum, ut tamen per se non intendant educere hominem peccatorem ab statu peccati, in quo permanet, ex quo peccavit. Neque etiam in eis consideratur præsens status, seu voluntas peccatoris, ut infligatur pœna, sed solum quod peccaverit; hæc enim est ratio sufficiens pœnæ, etiamsi peccator ex parte suæ voluntatis correctus vel emendatus sit. At vero censura longe alio modo est medicinalis pœna; nam per se intendit non solum præcavere futura peccata, sed potius per se primo curare peccatorem a peccato commisso, et liberare illum ab statu, in quo permanet ratione talis peccati. Cujus signum est, quia, si peccatum semel commissum tale est, ut omnino transeat, nec relinquat vel obligationem aliquam satisfaciendi, vel quasi continuationem moralem ipsius peccati (qualis est in concubinatu, vel furto non restituto, etc.), nunquam Ecclesia ratione illius fert censuram, quia peccatum illud per solam pœnitentiam curatur, quam Ecclesia non aliter exigit per censuras, nisi præcipiendo suo tempore debitam confessionem peccatorum. Et huc etiam spectat, quod in peccatis, quorum obligatio vel moralis continuatio durare potest, si ex parte peccatoris jam est facta sufficiens satisfactio, vel ablata continuitas, seu statu peccati, Ecclesia non consuevit hujusmodi peccatorem propria censura ligare, præsertim excommunicatione; signum est ergo nunquam ferri censuram in puram vindictam peccati commissi.

11. *Suadetur quarto. — Objectio. — Solutio.* — Et hoc etiam confirmat ratio facta disputatione præcedente, quia postquam Ecclesia aliquem excommunicavit pro peccato commisso, si ille resipiscat, et exhibeat satisfactionem vel emendationem, quam Ecclesia ab illo exigit, statim ac necessario est ab Ecclesia recipiendus et absolvendus; ergo si a principio talem satisfactionem, vel emendationem peccati commissi exhibuisset, non posset propter peccatum commissum, ut sic, censura ligari. Antecedens constat ex cap. Qua fronte, de Appell., et tractabitur latius infra, disputatione 8. Consequentia vero probatur a paritate rationis. Dices, hinc solum colligi, in eo casu non posse juste censuram ferri, non vero quod lata non teneat; sicut in casu simili, qui adducitur, non potest juste negari absolutio; tamen si negetur, censura semper manebit. Respondetur, immediate concludi argumento facto, post exhibitam satisfactionem vel emendationem peccatoris debitam, jam non relinqui materiam censuræ, et consequenter peccatum commissum, ex eo præcise quod commissum sit, non esse sufficientem materiam censuræ. Infra vero probabimus, censuram injustam ex totali defectu causæ, seu materiæ circa quam, esse etiam nullam. Unde etiam in alio casu denegatio absolutionis prorsus injusta est, et nihil per se operari potest; tamen quia reipsa non datur absolutio, et alioqui censura semel illata non tollitur quasi sua sponte, seu ipso jure, per ablationem materiæ, ideo quoad hoc non potest esse omnimoda similitudo in exemplo adducto. Cur autem censura non cesset cessante causa, nisi per absolutionem tollatur, infra dicemus.

12. *Suadetur quinto. — Posterior sententia præfertur.* — Atque hæc ratio est sane satis urgens, quantum in materia morali esse potest considerato fine instituendi censuras, et usu illarum, qui est in Ecclesia. Et potest amplius explicari ex quadam proprietate necessaria ad veritatem censuræ, nimirum, ut non sit perpetua, neque auferat spem obtinendi absolutionem illius; nam hoc ipso, quod

aliqua pœna infertur ab Ecclesia ut perpetua, et sine spe remissionis, non potest esse censura. Et hac ratione degradatio et depositio non sunt censuræ, ut supra dicebam, tradendo definitionem censuræ, et est communis sententia Doctorum in hac materia; ergo signum est, censuram non imponi præcise propter delictum commissum, ut sic, quia sub hoc respectu nihil vetat, quominus possit perpetuo imponi, si delicti gravitas hoc admittat, quod etiam non repugnat. Neque etiam esset ulla ratio, ob quam de ratione censuræ sit, ut relinquat spem absolutionis, si homo ipse non ponat obicem. Ratio enim hujus spei tota est, quia censura semper respicit, et procurat emendationem, vel satisfactionem hominis; et ideo oportet, ut relinquat illam spem, quod exhibita emendatione tolletur. At vero si pro peccato commisso pure ferretur, nulla esset ratio, vel necessitas talis spei; nam tunc, si homo peccavit, quidquid faciat, poterit censura ligari; et eadem ratione posset semper ligatus permanere, quantumvis emendaretur. Hæc posterior sententia in rigore et proprietate loquendo de Ecclesiastica censura, ut talis est, et præsertim de excommunicatione, mihi vera videtur, magisque declarabitur, et confirmabitur satisfaciendo fundamentis contrariæ sententiæ; et simul etiam constabit, quibus in casibus, vel quibus modis possit locum habere prima sententia, saltem ex parte; non est enim dubium, quin aliquid illi concedere necesse sit, ut patebit.

Satisfit fundamentis prioris sententiæ.

13. *Exponitur caput Quidam, 5, quæst. 2.* — Igitur ad cap. Quidam, primum non existimo sustineri posse interpretationem Cajetani, nimirum, quod excommunicatio feratur pro peccato præterito sub conditione de futuro, etiam si talis conditio non contineat actum, qui sit in præcepto, sed tantum in consilio; alioqui posset quis sub hac forma excommunicari : *Qui hoc fecit,* v. gr., infamavit Petrum, *aut Religionem ingrediatur, aut excommunicatus maneat,* vel alio simili modo, quod tamen inusitatum est in Ecclesia. Item posset excommunicari sub conditione impossibili, vel simpliciter, vel ipsi peccatori, ut si excommunicetur homicida, nisi restituat vitam, vel qui incendit civitatem, nisi damnum integre reparet. Patet sequela, quia si non oportet conditionem esse talem, ut peccator, illam non implendo, de novo peccet, neque etiam oportebit conditionem illam esse de re illi possibili. At vero illa forma excommunicandi absurdissima esset, et manifestum censeretur continere errorem, ut constat ex dictis disputationis præcedentis.

14. Præterea in dicto capite non statim fertur excommunicatio in auctorem libelli sub ea conditione, *nisi se prodat;* sed ei præcipitur, ut a communione corporis et sanguinis Domini abstineat; quod si non abstinuerit, ipso facto excommunicatur, atque ita excommunicatio illa revera non est lata pro peccato præterito, sed pro futuro. Præceptum autem illud abstinendi a communione corporis et sanguinis (ut mihi quidem videtur) aliquando potest imponi a superiori pro delicto jam commisso, pure et absolute, etiam absque ulla conditione in futurum, quia illa est justa quædam pœna, et non est excommunicatio, neque aliqua censura proprie dicta. Unde etiam confessarius interdum potest hoc præcipere. Quare, si nomen excommunicationis extendatur ad quamcumque privationem communionis sacramentalis, ego facile hoc darem primæ sententiæ, quod nimirum possit per modum pœnæ propter peccatum commissum imponi, sicut etiam de aliis privationibus humanæ vel spiritualis communicationis infra dicam. Quæ tamen non habeant veram rationem censuræ. Quoniam vero in dicto capite illud præceptum non imponitur pro tempore definito, sed simpliciter et indefinite, ideo intelligi non potest, quod fuerit impositum in pœnam delicti commissi pure et nude sumpti, quia propter nullum delictum potest homo in hac vita perpetuo privari sacra communione, ut constat ex dictis in tertio tomo, disputando de usu Eucharistiæ; ergo quando ita indefinite privatur, est ratione mali status, in quo permanet post commissum peccatum; et consequenter sub expressa, vel subintellecta conditione, *si ab illo statu non recesserit,* satisfaciendo, prout debet, vel ex natura rei, vel ex aliquo Ecclesiastico præcepto.

15. Atque ita dicendum tandem est factum esse a B. Gregorio in illo casu. Censuit enim eos, qui libellum illum publice posuerant, non potuisse debitam satisfactionem facere, nisi se prodendo, et aut, quod objecerant, probando, aut falsitatem, vel deceptionem suam confitendo; et ideo donec illud implerent, eos teneri ad abstinendum a communione declaravit, atque etiam præcepit, quia erant in statu peccati. Quamvis enim nemo

teneatur prodere delictum suum occultum, aut se infamare, per se loquendo, tamen quando id est necessarium ad tollendam gravissimam infamiam, vel aliud grave nocumentum, quod alteri imminet ex injuria occulte in illum facta, obligari potest homo ad illo modo satisfaciendum, vel vitandum alterius nocumentum, ut nunc supponimus ex propria materia, et late tractat Adrianus, Quodlibet. 11. Ita vero accidisse in casu illius capituli, recte declarat Soto, in dicta Relect. de Tegend. secret., membr. 2, quæstion. 8, in fine.

16. Qui consequenter addit, quamvis Pontifex illud præceptum posuerit, si tamen in re ipsa infamatio illa impediri vel restitui potuit sine tali proditione vel confessione proprii delicti occulti, eos, qui sic deliquerunt, aliter satisfaciendo, mansisse liberos ab obligatione illius præcepti, et potuisse sine timore ulterioris censuræ communicare. Nam illud præceptum positum fuit ex præsumptione, vel suppositione, quod illud esset medium necessarium ad satisfaciendum; neque in alio sensu posset esse justum; et ideo, si quacumque ratione in re ipsa factum est, ut illud non fuerit medium necessarium, sed quod alia via satisfieri potuerit, cessat quasi materialis obligatio illius legis, impletur autem (ut ita dicam) formalis, scilicet, ut alterius infamia tollatur. Et fortasse ideo Gregorius præceptum illud in specie quidem rigorosum sub ea forma tulit, ut, quo facilior proponebatur via ad veritatem probandam, si verum erat delictum, eo etiam facilius alter liberaretur infamia, si delictum erat falsum. Et ob hanc causam in fine illius capitis additur, ut si auctor libelli, *egressus in publicum potuerit docere quod dixit, vel certe sciens se non posse ostendere quod scripsit, errorem suum fuerit aperte confessus, nec communione privetur, nec extra Ecclesiam fiat.* Ubi nullam vult imponi pœnam pro priori delicto, dummodo alterius famæ satisfiat, ut hoc modo alter posset facilius obligari ad satisfaciendum se prodendo, cum inde nullum ei damnum, vel periculum immineret; vel, si hoc non obstante, adhuc se prodere recusaret, hoc ipso fere evidenter constaret falsam fuisse calumniam.

17. *Cap. Inter querelas, 2, quæst. 4, explicatur.* — Brevius respondere possumus ad cap. Inter querelas; cum enim ibi dicitur, excommunicationem latam esse propter injuriam factam, non est intelligendum, nisi secundum ordinarium Ecclesiæ usum; sicut solet ferri excommunicatio pro furto commisso, non quidem præcise, quia commissum fuit, sed quia semper durat, et non est restitutum, quod per furtum fuit ablatum; et ad hoc tendit excommunicatio, ut tale peccatum, quod tractu temporis suo modo durat, auferatur. In quo eadem ratio est de quacumque injuria facta, quæ per restitutionem vel satisfactionem resarcienda est; et quamdiu non reparatur, moraliter durare censetur. Quotiescumque ergo in jure legimus censuram latam ob injuriam factam, recte intelligimus latam esse ob injuriam ita factam, ut non sit per satisfactionem resarcita, atque adeo non omnino transactam, sed perseverantem. Et similiter intelligimus, latam esse convenienti modo, id est, præmissa sufficiente monitione, vel sub ea conditione, *nisi satisfeceris.* Nam, dum oppositum expresse non constat ex verbis, præsumendum est sententiam rite fuisse latam. Neque obstat replica Cordubæ, scilicet, tunc non ferri censuram propter omissam satisfactionem, sed propter delictum præteritum. Respondemus enim, esse quidem propter delictum commissum, non utcumque, sed ut habens adjunctam contumaciam in non satisfaciendo vel resipiscendo; quæ contumacia quasi formaliter consumat causamm censuræ. Hic enim non negamus, censuram ferri propter peccatum commissum, sed pure ferri propter illud sine ordine ad resipiscentiam, qua existente et deficiente contumacia, non ferretur excommunicatio. Ita ergo fieri potuit in casu illius capituli.

18. Dices : cur ergo Gregorius reprehendit illum Episcopum, si debitum modum in excommunicando servavit? nam, quod id fecerit ad sui defensionem, vel ad extorquendam debitam satisfactionem pro injuria sibi facta, non videtur per se malum. Respondetur, jure reprehendi, quia in propria causa judicium usurpavit, quod est contra rationem justitiæ. Et ideo diximus supra, hoc non licere, quoties censura fertur per modum sententiæ aut judicii, quanquam per modum defensionis interdum permittatur. Et ut intelligeretur non ita factum esse in eo casu, expresse dixit Gregorius : *Pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris canonibus prohibetur, maledictionem anathematis inflixisti.*

19. *Respondetur ad cap. Guillisarius, 23, quæst. 4.* — Ad tertium ex cap. Guillisarius, eadem responsio est. Merito enim excommunicantur illi, qui Pontificem comprehenderant, et in exilium miserant, et in suo peccato

perseverabant, quod manifeste constat ex illis verbis : *Me in exilium miserunt, in quo sustentor pane tribulationis, et aqua angustiæ.* Et infra : *Habeto ergo cum iis, qui tibi consentiunt, plenæ damnationis sententiam,* etc. Non erat ergo illud peccatum præteritum omnino, sed moraliter continuabatur. Addi etiam potest illam non tam fuisse novæ excommunicationis sententiam, quam declarationem censuræ ipso facto contractæ ab iis, qui violentas manus in Pontificem injecerant.

20. Et fere eadem responsio applicari potest ad omnia jura, quæ in quarto argumento afferuntur. Nam in primis, nunquam reperietur in jure lata excommunicatio pro peccato commisso ita præterito omnino, ut in futurum non pendeat, vel quoad restitutionem, vel quoad satisfactionem, vel quoad tollendum scandalum, vel occasionem peccati, vel aliquid simile. Deinde in illis capitulis, Raptores, et Eos qui rapiunt, et in cap. Si quis Episcopus, non fertur excommunicatio propter commissa delicta, sed ferri præcipitur in eos, qui deliquerint; atque ita magis fertur pro peccato futuro, ut constat ex ipsis textibus; imo non fertur ipso facto incurrenda, sed inferenda; quod facillimum est.

21. *Cap. Tanta,* 86 *dist., exponitur.* — Difficilior est casus dict. cap. Tanta, ubi Gregorius excommunicat eos, qui pravum quoddam consilium dederunt; et dubitari non potest, quin illa pœna lata sit pure et absolute, propter peccatum præteritum, sine respectu ad futurum. Cujus signum manifestum est, tum quia absolute ibi fertur excommunicatio duorum mensium; tum etiam quia solum additur limitatio, ut si intra illud tempus articulus mortis acciderit, non priventur communione. Quæ exceptio declarat in nullo alio casu admittendos fuisse, etiamsi resipiscerent vel pœnitentiam agerent. Propter hæc ergo non videtur posse negari, quin illa pœna lata fuerit pure propter peccatum commissum. Sed nihilominus eisdem indiciis colligo illam non fuisse propriam censuram excommunicationis, sed solum privationem quamdam seu separationem ab altari, et a communione corporis et sanguinis Domini. De qua jam supra diximus, posse interdum præcipi propter delictum præteritum, præsertim pro definito tempore, prout ibi fit. Et inde sumitur conjectura, illam non fuisse plenam excommunicationis censuram, quia hæc nunquam solet imponi pro tempore definito, sed simpliciter, usque ad resipiscentiam. Item, ut tolleretur illa excommunicatio duorum mensium, non erat necessaria absolutio, sed solum illius temporis transactio; ergo non erat vera censura, nam hæc non tollitur, nisi per absolutionem. Denique simile argumentum est, quod instante mortis periculo, poterat Eucharistia dari non obstante tali excommunicatione, absque alia illius absolutione; ergo signum est illam non fuisse veram censuram, sed solum prohibitionem quamdam communicandi, quæ pro illo articulo non obligabat.

22. *Explicatur caput Duo sunt,* 96 *d.* — Ad facta Innocentii et Ambrosii, quæ referuntur in cap. Duo sunt, respondetur, illa peccata commissa talia fuisse, ut per aliquam publicam satisfactionem damnum vel scandalum, ex illis generatum, auferri oporteret. Et ideo illæ censuræ vel excommunicationes non fuerunt latæ propter solum peccatum commissum, in pœnam ejus, sed ad extorquendam condignam pœnitentiam vel satisfactionem pro tali delicto. Unde in facto Theodosii, cum ipse allegaret, etiam Davidem Regem peccasse et obtinuisse veniam, legimus respondisse Ambrosium : *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem;* et ita peracta condigna pœnitentia, statim eum absolvit. In facto autem Innocentii clarius est, potuisse Arcadium excommunicari, donec factum de exilio, seu expulsione Chrysostomi retractaret.

23. Ad cap. 1 de Judiciis, eadem est responsio, imo ex verbis illius textus sumi potest sensus aliorum similium. Sic enim habent : *Placuit ut nullus eidem communicet, donec, satisfactione præmissa, fuerit absolutus.*

24. *Cap. final.,* 2, *quæst.* 1. — In cap. autem finali, 2, quæst. 1, non habet locum hæc interpretatio; nam ibi aperte imponitur pœna, non ad extorquendam satisfactionem aliquam, sed pure ad punitionem delicti commissi. Unde dicendum est, illam pœnam non fuisse censuram. Quamvis enim in ea ferenda utatur Pontifex verbo excommunicandi, non tamen fuit propria excommunicatio, sed depositio, et perpetua privatio sacerdotalis muneris. Sicut enim habent verba illius sententiæ : *Igitur decernente nobiscum sancta Synodo in præsentia depositi et ab officio sacerdotali excommunicati, atque a regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt.* Ubi vox illa, *depositi,* perpetuitatem pœnæ indicat. Cum vero non dicuntur simpliciter

excommunicati, sed excommunicati ab officio sacerdotali, aperte indicatur non esse sermonem de propria censura excommunicationis, sed de perpetua suspensione a sacerdotali munere; quæ vel est idem quod depositio, vel in illa includitur, et non est proprie censura, ut supra tactum est, et infra etiam videbimus.

25. *Cap. In loco,* 5, *quæst.* 4. —Ad cap. In loco, quantum ad rem præsentem spectat, facilis est responsio; nam in eo censura fertur pro peccatis futuris, per generalem legem, contra eos qui eam violaverint. Tamen, quia ibi dicitur, ut *violator illius legis trium dierum excommunicationis sententiam perferat,* recte ex illo textu colligitur, illum excommunicationis modum fuisse pœnam pure latam in punitionem peccati commissi, ita ut pro tempore illorum trium dierum omnino sustinenda esset, quantumvis delinquens resipisceret. Ex quo (ut opinor) optimum argumentum sumetur, similem pœnam potuisse imponi a superiori pro delicto commisso, etiamsi admonitio illius legis non præcessisset; est enim eadem ratio, ut ex dictis patet. Quocirca illa excommunicatio trium dierum non erat vere censura, imo neque erat privatio a participatione sacramentorum, sed solum a consortio, seu communicatione fratrum, ut ibi indicat Glossa, et significatur in illis verbis textus : *Cum omni dedecore de consessione abstractus, a communi cœtu secedat, et trium dierum excommunicationem sustineat.* Et magis explicat Archidiaconus, tum ibi, tum etiam in cap. Præsenti, 5, quæst. 2. Ex quo textu etiam constat, antiquitus interdum solitos fuisse fideles peccatores separari a communione seu communicatione fidelium, absque anathemate, id est, absque perfecta censura majoris excommunicationis. Et hic etiam habet locum argumentum supra factum, quod transacto illo triduo, cessabat illa excommunicatio, absque alia absolutione, quod est signum non fuisse veram censuram. Unde, loquendo de excommunicatione pro quacumque privatione communionis vel communicationis cum aliis fidelibus, non dubito, quin possit ferri pro peccato commisso. Cum enim possit fidelis privari propter peccatum commissum cibo et potu, vel in tali qualitate, vel in tanta quantitate, et privari patria per exilium, cur non poterit etiam privari communicatione humana aliorum fidelium ad certum tempus, juxta qualitatem delicti? Nulla certe ratio reddi potest, quia in illa pœna nulla est improportio, nihilve intrinsece repugnans rectæ rationi, aut excedens legitimam puniendi facultatem. Estque optimum exemplum in cap. Neminem, dist. 45, ubi dicitur, clericum non esse cædendum, sed, si ita exigit ejus culpa, triduo esse privandum honore; quod est genus quoddam suspensionis, ut ibi notat Glossa, æquiparans illi aliam excommunicationem, de qua sermo est in dicto cap. In loco. Et in Religionibus fuerunt olim usitatæ hujusmodi excommunicationes, ut ex regula Sancti Benedicti intelligi potest. Neque est eadem ratio de excommunicatione, quæ est censura, tum quia alia est ratio, et finis institutionis ejus, tum etiam quia est longe acerbior pœna, ut magis statim declarabimus.

26. *Satisfit ultimæ rationi.* — Ad ultimam rationem et omnes conjecturas, quæ in illa fiunt, responderi potest concedendo, posse Ecclesiam punire peccata commissa contra legem divinam naturalem vel positivam, vel contra ejusdem Ecclesiæ præceptum, etiamsi comminatio censuræ non præcesserit, quando punitio talium delictorum ad bonum Ecclesiæ regimen expedit, et prout expedit; negamus tamen posse uti, ad hunc finem puniendi tantum, propria censura, ut censura est, quia specialiter repugnat rationi et institutioni ejus, quæ est, ut sit pœna medicinalis, ex primario fine suo instituta ad comprimendam contumaciam, et extorquendam, ut sic dicam, ab homine obedientiam Ecclesiæ debitam, et mediante illa resipiscentiam a peccato commisso seu satisfactionem, aut aliquid simile; hunc enim esse censurarum finem, constat fere ex toto titulo de Sententia excommunicationis, in lib. 5 et 6 Decretalium. Unde in præsenti orta est distinctio supra tacta, de censura, ut censura est, vel ut quædam pœna est; et censura, ut censura, dicitur non posse imponi pro peccato præterito in puram vindictam et pœnam ejus; illa vero eadem privatio, quæ alias habet rationem censuræ, posse imponi sub ratione pœnæ pro tali delicto. Quæ distinctio amplius explicanda est, ne cum priori sententia de verbis contendere videamur.

27. *Censuram, ut privat bonis spiritualibus, nunquam ferri in puram vindictam.* — Advertendum ergo est, in his censuris quædam esse, quæ per se sumpta afferunt spirituale detrimentum, quod maxime videre licet in excommunicatione, quatenus privat suffragiis, et communibus Ecclesiæ orationibus, et omni usu communi sacrarum rerum vel offi-

ciorum; et in interdicto videtur esse ejusdem rationis prohibitio dicendi, vel audiendi rem sacram, aut divina officia. Alia vero sunt, quæ pertinent ad privationem temporalium commodorum, ut est privatio honoris alicujus, vel suspensio ab officio aut beneficio, quatenus affert temporale commodum vel honorem. Item huc spectat privatio humanæ communicationis, et similia, quæ certe ex suo genere non afferunt incommodum animæ, sed sunt homini molesta. Dico igitur, censuram, quatenus infert prius nocumentum, nunquam ferri in puram pœnam delicti commissi, sed semper cum ordine et respectu ad resipiscentiam, juxta illud Pauli, 1 ad Corinth. 5: *Ut spiritus ejus salvus fiat in die Domini.* Et ideo, secluso hoc fine et respectu, non potest censura integra, et quoad totum hunc effectum ferri in puram pœnam delicti commissi; esset enim irrationabilis pœna, quæ imponeretur cum detrimento spiritualium bonorum homini non indigenti tali pœna ad resipiscendum et vitandum majus incommodum. Et hanc censeo esse rationem, ob quam excommunicatio simpliciter dicta non potest pure ferri in pœnam prioris delicti; includit enim magnum spirituale nocumentum, quod, per se loquendo, non esset homini imponendum in pœnam, nisi simul esset remedium ad liberandum hominem a contumacia et majori spirituali periculo.

28. *Objectio. — Solvitur.* — Dices : si hæc ratio esset efficax, probaret, etiam post trinam monitionem non posse excommunicationem absolute ferri in pœnam contumaciæ, sed semper cum habitudine ad futuram resipiscentiam. Respondeo, verum esse semper excommunicationem includere tacite hunc respectum. Cujus signum est, quia si homo resipiscat et integre obediat Ecclesiæ, statim absolvendus est ab excommunicatione, etiam si aliis pœnis afficiendus sit propter delictum commissum. Est tamen discrimen, nam quando præcessit purum delictum absque ulla contumacia, non videtur esse satis constans Ecclesiæ, an peccator sit in eo statu, in quo indigeat ad resipiscendum tam acerbo remedio. Et ideo absolute excommunicari non potest, sed ad summum sub ea conditione, *nisi resipiscat,* vel *satisfaciat.* At vero postquam monitio jam sufficienter facta est et peccator non resipuit, sed contumax permanet, jam merito judicatur indigens tali remedio et dignus tali pœna; et ideo absolute excommunicari potest, non tamen pro certo et definito tempore, sed solum quoadusque resipiscat.

29. Atque eadem fere ratio esse videtur de interdicto, præsertim, ut redundat in communitatem, sive directe feratur in locum, sive in personas; est enim magnum spirituale gravamen, quod interdum etiam innocentibus imponitur propter alienum peccatum, et occasio esse potest spiritualis nocumenti, vel saltem impedire spiritualem profectum; et ideo sine magna occasione et necessitate spirituali ferri non potest. Quæ necessitas non intervenit, quando delictum jam commissum solum puniendum est, cum aliæ pœnæ sufficientes et proportionatæ non desint, absque hujusmodi Ecclesiæ incommodis. Igitur sub ea tantum ratione imponendum non est, sed solum ad comprimendam contumaciam seu ad defendendum innocentem vel tuendam Ecclesiasticam dignitatem contra inobedientem et rebellem judicem, vel in similibus casibus, ut etiam usus Ecclesiæ declarat. Denique idem est de suspensione, proportione servata, quatenus interdum etiam privat his bonis, quæ ad bonum animæ conferunt. Est enim tunc eadem ratio, et ita quoad hoc æquiparantur hæ censuræ in cap. Reprehensibilis, de Appellat., et cap. 1 de Sententia excom., in 6, et sæpe alias.

30. *Censura, ut affert privationem, quæ non inducit spirituale detrimentum, potest ferri in puram vindictam.* — At vero quantum ad privationem temporalium commodorum vel etiam quantum ad aliquam spiritualem privationem, quæ per se non afferat spirituale detrimentum vel obstaculum, ferri possunt hujusmodi pœnæ in puram vindictam commissi delicti, non spectata quacumque resipiscentia vel satisfactione pro peccatis. Et hoc probant, tum illa ratio ultima, ad quam respondemus, tum etiam multa jura, quæ paulo antea interpretati sumus, tum etiam nonnulla alia, quibus disputatione præcedenti probavimus suspensionem interdum ferri in puram pœnam delicti commissi, tum denique usus Ecclesiæ. Sæpe enim videmus clericos, qui deliquerunt, quantumvis resipiscant vel pœnitentiam agant, suspendi ab officio vel beneficio pro aliquo tempore, quia illa privatio solum censetur esse cujusdam temporalis commodi vel honoris; et quamvis ex ea parte, qua privat spirituali ministerio, præsertim sacrificii Missæ, videatur impedire aliquem spiritualem fructum, tamen et id est per accidens, quia non sub ea ratione fertur, et non

est necessarium; nam ille fructus potest aliunde suppleri, tum per obedientiam et humilitatem sustinendi illam pœnam, tum etiam per alios spirituales actus, qui interim exerceri possunt.

31. Sicut etiam in exemplo supra posito, quo aliquis in pœnam delicti arcetur ab usu Eucharistiæ pro aliquo tempore, talis pœna non censetur afferre secum spirituale detrimentum, quia illamet abstinentia divini alimenti, cum reverentia et humilitate suscepta, solet esse valde utilis peccatori, præsertim ad breve tempus, quale semper est illud, quod canon vel superior præscribit, quando absolute fert hanc pœnam pro delicto commisso. Atque ad hunc modum judicandum est de aliis privationibus seu incommodis, quasi partialibus, quæ in censuris includuntur. Et quando hoc modo, seu quasi ex parte tantum imponuntur, non habent propriam et absolutam rationem censuræ; et ideo absolute negamus censuras ferri in puram pœnam delicti commissi, quamvis non negemus aliquid censuræ seu quod alioqui ferri posset per modum censuræ, illo modo imponi posse. Et quoad hoc, priorem sententiam probamus, limitando seu explicando posteriorem.

SECTIO VI.

Utrum censura per legem, vel sententiam generalem lata, ob defectum justæ causæ nulla sit, vel tantum injusta, et quo modo inter se hæc differant.

1. Quod, deficiente causa justa, censura quoque injusta sit, per se notum videtur, quia injustum est, quemquam sine causa damnare; ergo et sine causa justa ac sufficiente, cum ratio justitiæ in æquitate posita sit. Difficultas vero est, an hujusmodi censura, lata per injustam sententiam vel legem, valida sit aliquo modo, ita ut ad aliquid in conscientia obliget. In qua re communiter existimantur Canonistæ et Theologi omnino contrarias habere sententias, Canonistis asserentibus talem censuram esse validam, ideoque timendam et observandam, donec per absolutionem tollatur; Theologis vero contra asserentibus, talem censuram nullam esse; ideoque, per se loquendo, in conscientia ad nihil obligare, sed solum ex accidente, quantum ad vitandum scandalum necessarium fuerit. Verumtamen, si recte omnia distinguantur, et auctorum dicta expendantur diligenter, non opinor esse inter eos magnam diversitatem opinionum. Ut ergo rem explicemus, dicamus prius de censura lata per legem, sive statutum, aut præceptum superioris tam generale quam speciale; de his enim omnibus eadem est ratio; postea vero dicemus de censura lata per sententiam seu condemnationem judicis. Et, quamvis hoc loco præcipue agamus de justitia vel nullitate censuræ ex parte causæ, propter quam fertur, consequenter vero explicabimus omnes causas nullitatis et omnes modos injustitiæ, qui in præsenti intervenire possunt; nam hæc connexa sunt, neque unum sine aliis exacte potest explicari.

Regula generalis pro obligatione censuræ.

2. Quod ergo attinet ad censuram latam per legem, sit hæc prima regula certa et indubitata. Quotiescumque lex vel propter iniquitatem nulla est, vel propter aliam causam actu non obligat, censura per talem legem lata nulla est seu de facto non incurritur. In hac regula formaliter sumpta, nulla est diversitas opinionum, licet fortasse in explicandis causis nullitatis legis esse possit. Sed hoc posterius non proprie ad hunc locum, sed ad materiam de Legibus spectat. Probatur ergo assertio posita, tum quia accessorium sequitur naturam principalis; hæc autem censura est quid accessorium et secundarium in tali lege; ergo, si lex quoad suum principalem actum præcipiendi vel prohibendi nulla est, multo magis quoad secundarium, quod est censura. Tum etiam quia ubi non est vis directiva, non potest esse coerciva, respectu ejusdem actus, quia finis adæquatus virtutis coercivæ et actus ejus, est executio seu actus virtutis directivæ. Sed præceptum, quod est nullum, non habet vim directivam, vel si non obligat, non exercet illam; ergo nec exercere potest vim coercivam, ad quam pertinet censuram inferre. Denique, quia si lex nulla est vel non obligat, prorsus aufertur materia censuræ et omnis coactionis, quia si lex non obligat, nec contumacia, nec inobedientia, vel peccatum in ejus transgressione intervenire potest; ablata autem materia censuræ, nulla potest esse censura, sicut ablata causa adæquata, non potest manere effectus, et ablato objecto, non potest manere actus; ergo censura per talem legem lata nullius momenti est.

3. *Objectioni occurritur.*—Dices, interdum posse esse pure pœnalem legem, quæ habet vim coactivam, non tamen proprie directivam, cum in conscientia non obliget. Respondetur primo, fortasse nullam esse hujusmodi

legem. Nam si quæ sunt alicubi statuta vel constitutiones, quæ solam pœnam inducant, non sunt proprie leges, sed veluti pacta quædam vel conventiones, ut qui hoc fecerit, talem pœnam subeat. Vel certe, si illæ sunt appellandæ leges, aut seipsis et ipso jure obligant ad pœnam solvendam, et illæ jam habent vim directivam, quæ obligant in conscientia, non quidem definite et absolute ad unum actum, sed vel ad hoc disjunctum : *Aut hoc non facias, aut solve hoc;* vel (quod idem est) ad conditionatum actum : *Si hoc feceris, solves illud.* Aut certe, si talis lex non obligat ad pœnam ipso jure, magis obligat judicem ad inferendam talem pœnam, quam alium subditum obliget ad sui observationem, vel ad summum obligat illum ad sustinendam et exequendam talem pœnam, postquam illi injuncta fuerit. Et, quoad hoc tantum habebit rationem legis respectu illius; quæ ideo justa esse potest, quia non imponit illam pœnam proprie, ut pœnam, cum pœna in rigore culpæ respondeat, sed vel ut satisfactionem, aut restitutionem alicujus damni, vel ut moralem quamdam coactionem ad aliquid agendum vel non agendum; aliquando enim potest superior propter bonum commune cogere ad actum, cujus omissio per se sumpta peccatum non esset. Sed de hoc alias.

4. Quod ergo ad præsens attinet, manifestum est, legem præcipientem vel prohibentem sub censura, non posse esse pure pœnalem, quia hæc pœna spiritualis est et gravissima, quæ necessario supponit culpam, et non quamcumque, sed mortalem et cum aliqua contumacia; in transgressione autem legis pure pœnalis, per se non est culpa, nec contumacia, dum quis paratus est sustinere et solvere pœnam; imo neque est ibi proprie et rigorose inobedientia, cum non intercedat voluntas superioris absolute obligans. Dico autem, *proprie et rigorose,* quia interdum lex talis vel constitutio habet vim directivam per modum consilii tantum; et tunc intervenit in ejus transgressione quidam inobedientiæ modus, non ut dicit culpam, sed ut dicit carentiam cujusdam perfectionis obedientiæ, quæ tamen ad propriam censuram non sufficit, ut per se notum est et ex superioribus constat. Est ergo certa et constans dicta regula, quod, si lex nulla est vel actu non obligat, censuram validam non inducit; neque in hoc occurrit difficultas alicujus momenti.

Quibus ex capitibus lex possit esse nulla.

5. *Lex aut est nulla ex defectu jurisdictionis.— Aut ex iniquitate rei præceptæ.*—Tota vero difficultas est in explicando, quando lex adeo sit iniqua, ut sit nulla; vel, si iniqua non sit, unde fieri possit ut non obliget; sed quia hoc, ut dixi, per se spectat ad materiam de legibus, breviter dicendum est, ex duplici capite principali posse legem esse nullam. Primo ex defectu jurisdictionis seu potestatis: nam lex est actus superioris; non est autem superior, qui potestatem aut jurisdictionem ad præcipiendum non habet; actus autem sine potentia esse non potest. Et hæc etiam lex dici potest iniqua, etiamsi in materia æquissima appareat, ratione abusus potestatis, vel potius ratione usurpatæ potestatis. Aliud caput est ex parte rei præceptæ, si vel turpis sit, vel communi bono contraria, vel certe prorsus inutilis; tunc enim obligare non potest in conscientia et maxime sub censura.

6. *Quæ injustitia requiratur ad legis nullitatem.* — Solum oportet observare, quando prior defectus non intervenit, quia constat eum qui præcipit, superiorem esse et jurisdictionem habere, ut propter posteriorem defectum lex et censura nulla existimetur, oportere errorem et iniquitatem ejus esse indubitatam ac moraliter certam, ita ut res dubia non sit; nam in dubiis parendum est superiori, qui jus præcipiendi habet ac possidet, et ideo conditio ejus melior est, et præterea, quia ad commune bonum hoc omnino expedit. Propter quod idem ego censeo, licet de legis injustitia probabilis sit opinio, aut verisimile judicium sine temeritate formari possit, quia dummodo justitia legis probabilioribus rationibus vel certe æque probabilibus nitatur, id mihi satis esse videtur, ut valida sit; et consequenter, ut obliget et censuram inducat; alioqui cogendi essent superiores ad nunquam præcipiendum, nisi ex certa et evidente cognitione, quod est supra humanam facultatem. Si enim subditis licet ex probabilibus rationibus formare judicium prudens et practicum certum ad operandum, cur non etiam hoc licebit superiori ad ferendam legem et præceptum? Sicut enim cæteri homines non possunt semper habere evidentiam speculativam, et ideo, ne perplexi sint, et humano modo operari valeant, licite applicant ad opus judicium probabile, cum certitudine practica, ita idem modus operandi necessarius est su-

periori, qui homo etiam est; alioqui sæpe esset perplexus et multa incommoda communi bono ex ejus regimine sequerentur. Quod si ipse juste et recte ita præcipit, alii certe obedire tenentur; alioqui esset bellum justum ex utraque parte, et respublica gubernari non posset.

7. *Objectioni satisfit.* — Quod si quis objiciat commune dogma Theologorum, unumquemque operari posse juxta suam opinionem probabilem. Dicendum est, illud esse intelligendum de opinione practice probabili, id est, in ordine ad opus, et non in sola speculatione; in præsenti autem, licet possit esse utrinque controversia probabilis, an hoc, quod præcipitur, justum sit, necne, tamen posita lege, jam non est probabile, quin oppositum malum sit, quia non est probabile, quin hæc lex sic lata valida sit et justa. Vel certe dici etiam potest, illud axioma intelligi in causa pari; hic autem in hoc est imparitas, quod jus et potestas superioris præeminet, semperque præferri debet. Dixi autem : *Dummodo justitia legis saltem æque probabilibus rationibus nitatur;* nam, si oppositum sit manifeste probabilius, etiam est valde probabile subditos posse se excusare ab observantia talis legis. Sed non possumus hic latius hoc prosequi; satis ergo nunc sit definire, ita esse de valore censuræ, sicut de valore legis judicandum.

8. *Quibus ex capitibus lex justa possit non obligare.* — Supposita tamen justitia legis ex dictis duobus capitibus, ex duobus aliis potest contingere, quod lex non obliget, scilicet, quia non est sufficienter promulgata, vel quia non est acceptata, seu usu recepta, seu (quod perinde est) quia jam est abrogata, tacite vel expresse superiore consentiente, quæ omnia longam postulant explicationem, scilicet qualis promulgatio necessaria sit, quæ item acceptatio sufficiat, vel requiratur, vel quæ resistentia aut consuetudo contraria sufficiat ad impediendam vel tollendam obligationem legis; hæc autem omnia in propriam materiam remittere necessarium est, ne ordinem pervertendo, omnia confundamus et in infinitum abeamus.

9. *Quæ ignorantia aut impedimentum excuset a censura.* — Statim vero insurgebat difficultas; nam concurrentibus his omnibus conditionibus generalibus, necessariis ad valorem et obligationem legis, fieri potest, ut in particulari ignoretur, et tunc lex nihilominus obligabit, et tamen censura non incurretur. Sed, quia de ignorantia dicturi sumus sectione sequenti, nunc breviter dicitur, si ignorantia sit invincibilis totius legis, tunc ita reputari ac si respectu talis hominis non fuisset promulgata, quantum ad hunc effectum impediendi censuram, quia omnino excusat a culpa, sive in rigore dicatur non obligari, sive tantum excusari; quod parum nunc refert. Idemque dicendum est de quocumque alio justo impedimento, quod excuset hominem ab obligatione talis præcepti; nam quoties excusat a culpa, excusat etiam a censura legis. In quo etiam non potest esse controversia, præsertim quamdiu sententia judicis, etiam declaratoria, non intercessit, quia tunc neque in interno foro quispiam subjacet censuræ, cum revera culpam non commiserit, neque quoad Deum ligatus sit, neque in foro exteriori, cum etiam in eo non sit condemnatus. Unde neque quoad se, neque quoad alios abstinere tenetur, quamvis scandalum semper vitandum sit. At, si ignorantia sit culpabilis, vel non de tota lege, sed tantum de censura, insurgunt aliæ difficultates inferius tractandæ.

Ut censura valida sit, debere legem esse justam, quoad proportionem censuræ cum legis materia.

10. Secundo dicendum est, ut censura lata per legem valida sit, non satis esse legem esse honestam et justam quoad id quod præcipit vel prohibet, sed etiam quoad proportionem censuræ cum materia talis præcepti. Declaratur et probatur primo ratione generali, quia hujusmodi lex, et in universum lex omnis, quæ præcipit, et imponit pœnam transgressori, duo facit; ergo, ut sit simpliciter justa, in utroque debet servare æquitatem, nam bonum ex integra causa; ergo non tantum debet servare æquitatem in eo quod præcipit, sed etiam in pœna quam imponit, scilicet, ut sit proportionata delicto; nam si pro re levi gravem pœnam imponat, quoad eam partem injusta erit, etiamsi quoad alteram, rem justam præcipiat. Atque ita in præsenti, si materia præcepti levis sit, ita ut ejus transgressio non excedat culpam venialem, et illi adjungatur censura major seu gravis, valida non erit, quia non habet materiam sufficientem, in qua fundetur. Et ideo dicunt communiter Doctores, si aliquando adjungantur hujusmodi censuræ his levioribus præceptis, illas non esse veras, sed comminatorias, et ad terrorem. Et in superioribus diximus earum usum nobis non probari, quia sinceram non

continent veritatem, et possunt occasionem præbere indoctis ad peccandum graviter ex conscientia erronea.

11. *Lex ob hanc improportionem injusta non obligat ad minorem et proportionatam censuram.* — Dices : esto in eo casu talis pœna non teneat in totum, tenebit saltem ex parte proportionata culpæ; vel si culpa non est sufficiens ad excommunicationem majorem, incurretur saltem minor. Respondetur, per se loquendo, hanc pœnam censuræ imponi per modum unius et quasi indivisibilis juxta intentionem ferentis; et ideo vel tota est valida, vel nihil, nisi forte per accidens, et propter aliquas extrinsecas rationes, quoad aliquam partem interdum servanda sit, sicut infra dicemus de censura per sententiam illata. Eo vel maxime, quod cum talis lex quoad hanc partem nulla sit, nemo ratione illius ad aliquid obligatur, sed ita se habet ac si non esset condita. Et ideo non habet locum illa commutatio excommunicationis majoris in minorem, quia hæ sunt censuræ specie differentes, et tam verba legis quam intentio legislatoris in altera tantum terminata est, ut supponimus. De qua re plura inferius, agendo de censura per sententiam lata.

12. *Materia ex se indifferens, relata ad commune bonum potest esse gravis.* — Observare autem oportet, in hujusmodi humanis præceptis sæpe materiam eorum esse ex se indifferentem aut levem videri, et tamen relatam ad aliquod commune bonum, quod respicit præceptum humanum, esse gravem, et ideo, si præcipiatur sub censura, validam esse talem censuram, ut quando judex præcipit sub excommunicatione aliquem comparere in judicio, aut cum Inquisitores vocant ad edictum audiendum, vel aliquid simile. Et ideo non facile sunt contemnendæ hujusmodi censuræ, vel putandum comminatorias esse, aut solum ad terrorem. Quia sæpe ignoratur gravis ratio, vel necessitas talis præcepti, quod materialiter (ut ita dicam) consideratum apparet leve, formaliter autem et in ordine ad talem finem est satis grave; et ideo oportet (sicut dicebam in superiori assertione) satis certo et indubitanter constare levem esse culpam, et improportionatam esse censuram.

13. *Exemplo res declaratur.* — *Vide Sot. lib. 4 de Just., quæst. 7, art. 1; Covarr., lib. 3 Variar., c. 3, n. 10; Med., C. de Restit., quæst. 8 et 10; Henric., in Sum., lib. 13, c. 17, n. 4, lit. F, G.* — Accommodatum exemplum esse potest de his excommunicationibus, quæ communiter feruntur, ut restituantur ea, quæ per furtum ablata sunt; nam si res furto sublata sit levis, ita ut furtum peccatum mortale non fuerit, omnes docent, talem censuram non esse validam, sed comminatorie interpretandam esse, ut in specie docuit Victoria, in Summa, tract. de Excom., n. 5; Covarruvias, in c. Alma, part. 1, § 9, num. 2 et 3; Castro, lib. 1 de Lege pœnali, c. 6, sub finem; qui graviter reprehendunt abusum eorum Episcoporum, qui pro levibus furtis censuram excommunicationis ferunt. Additque Victoria : *Ego credo, quod istæ excommunicationes non obligant, nisi præsumatur esse mortale id, de quo feruntur; non enim de hoc dubito.* Nihilominus tamen quando res tota, per furtum sublata, est gravis, et ad peccatum mortale sufficiens, quamvis contingat a multis esse per leves partes sublatam (quod contingere potest absque peccato mortali alicujus), si feratur excommunicatio, (ut ferri solet) ut restituatur tale damnum, vel talis res, censetur valida excommunicatio, et obligans singulos damnificatores ad suam partem restituendam. Quia, licet in se appareat levis, tamen in ordine ad reparandum grave damnum est gravis; et ideo, licet ablatio fortasse fuerit veniale peccatum, quia grave damnum non fuit prævisum, neque intentum, tamen obligatio ad restituendum, quando jam constat de gravi damno, et præsertim post præceptum Ecclesiasticum impositum, potest esse gravis; atque adeo transgressio ejus erit sufficiens materia censuræ. Quod notavit Soto in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 2, post med., versic. *Arguitur,* quanquam oppositum teneat Navarra, lib. 3 de Præstit., cap. 1, dub. 8, et eam tribuit Navarro, potestque ex illo colligi in Summa, cap. 17, num. 3 et 130, et cap. 27, num. 9, et in cap. Inter verba, 1 part., quæst. 3, num. 180. Sed hoc nunc exempli causa dictum sit; nam agentes de excommunicatione hoc plenius examinabimus.

Num pro qualibet culpa mortali possit censura gravis ferri.

14. *Ratio dubitandi.* — Igitur quoties constiterit gravem censuram ferri pro veniali culpa, pro constanti habendum est illam invalidam esse. Dubitari autem potest, an e converso sit etiam generalis regula, quoties constiterit culpam esse mortalem, validam esse censuram. Et ratio dubitandi esse potest, quia sæpe talis censura est immoderata

pœna, etiam respectu culpæ mortalis, quia, ut supra diximus, non pro quocumque mortali potest tam gravis pœna ferri. Neque etiam videtur sufficere quælibet contumacia, quia inter contumacias est magna varietas, ut notant Gerson, Castro et Covarruvias, locis citatis; et licet illa, quæ pervenit ad malitiam mortalem, sub ea ratione gravis sit, in ordine tamen ad talem censuram potest esse levis; nec potest Ecclesia tam acerbo remedio uti ad exigendam obedientiam in quacumque materia, etiamsi alioqui ad mortale peccatum sufficiat. Unde Concil. Trident., sess. 25, cap. 3, prohibet ferri excommunicationes, nisi pro causis gravissimis; et auctores communiter reprehendunt Ecclesiæ ministros, qui propter leve aliquod furtum, etiamsi mortale peccatum sit, ejusmodi censuras ferunt.

15. *Conclusio.* — Sed nihilominus de nulla censura, vel excommunicatione lata per legem, aut præceptum obligans sub mortali peccato, auderem dicere nullam esse. Quia quamvis ad prudentiam judicis pertineat non ferre hujusmodi censuram pro quovis peccato mortali, tamen ubicumque intervenit peccatum mortale cum contumacia, est proportio sufficiens saltem ut censura valida sit, quia cum omne peccatum mortale tollat vitam animæ, utendo rigore non prorsus injusto potest Ecclesiasticus judex per censuras coercere subditum, ut pareat in quacumque re sub mortali culpa obligante. Unde Victoria supra dicens censuram esse invalidam, quæ pro furto levi fertur, statim addit : *Nisi tale sit, ut præsumatur esse peccatum mortale.* Et ad eumdem modum loquuntur reliqui auctores. Ac denique quamvis interdum esset res dubia, semper est pro valore legis præsumendum, juxta ea, quæ diximus.

16. *Duplex potest esse injustitia in hujusmodi lege.* — Quocirca duplicem injustitiam in hujusmodi lege distinguere possumus, unam legalem, alteram quasi commutativam; hæc posterior intervenit, quando lex imponit pœnam, quam revera non meretur ejus transgressor, quia est omnino improportionata; prior autem erit, quando licet respectu transgressoris pœna non sit omnino indebita aut excedens, tamen respectu boni communis, quod respicit justitia legalis, est inordinatum medium, et fortasse etiam nocivum, cogere per talem censuram ad observationem talis legis. Quando ergo censura est posteriori modo injusta, et inæqualis culpæ, merito censetur nulla, quia non tam est pœna quam injuria; actio autem injuriosa, quatenus talis est, non potest habere vim obligandi. At vero quando censura solum est injusta priori ratione communi, et legali, id non satis est ut sit nulla, quia respectu ejus, cui imponitur, non continet injustitiam propriam, aut inæqualitatem simpliciter; solus autem defectus contra justitiam legalem per se non sufficit ad invalidum reddendum actum, nisi intercedat jus aliquod positivum irritans illum, ut in sequenti puncto iterum dicemus. Sicut etiam injustitia legalis per se sumpta non obligat ad restitutionem, nisi admisceatur injuria contra commutativam, ut nunc suppono.

17. *Quorumdam limitatio.* — Quidam tamen limitant hanc posteriorem partem, dicentes, si Prælatus ita abutatur potestate, ut passim præcepta obligantia ipso facto sub censura seu excommunicatione multiplicet, idque cedat in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, tunc censuram invalidam esse, quia repugnat præcipuo fini suo, qui est, ut Ecclesiæ auctoritas et obedientia conservetur. Verumtamen quantumvis hæc præcepta multiplicentur, si in nullo illorum in particulari reperitur prædicta injustitia quasi commutativa, sed in quolibet per se sumpto est sufficiens causa saltem mortalis inobedientiæ, et contumaciæ, dici non potest tales censuras esse nullas, quia nec de omnibus id affirmari potest, tum quia multum derogaret Ecclesiasticæ disciplinæ et potestati, tum etiam quia plures illarum possunt esse non solum justæ, sed etiam convenientes; neque etiam id potest de quibusdam affirmari et non de aliis, quia nulla est disparitatis ratio. Nisi quis fortasse dicat, priores esse validas; postquam autem nimium multiplicari incipiunt, illas posteriores invalidas esse. Quod sane esset improbabile, quia nullus hominum discernere potest, quando incipiat ille numerus excommunicationum esse tantus, ut censuras invalidet; nisi forte, quando jam præceptum censeatur esse de re impossibili, seu repugnans superioribus præceptis, aut quod simul cum illis impleri non possit; tunc autem defectus non solum erit contra justitiam legalem, sed etiam contra commutativam, quia præcipit res incompossibiles; tunc autem ita erit invalida censura, sicut et præceptum ipsum. Non est autem, cur in eo casu præceptum posterius datum magis dicatur esse nullum, quam prius; imo potius si illa

incompossibilia sunt, judicandum est posterius revocare illud, quod prius fuit datum; quanquam interrogandus, et consulendus sit ipse Prælatus, ne forte per inadvertentiam id fecerit. Quod si sciens velit omnia illa præcepta, et censuras simul imponere, tunc subditus satisfaciet, si id, quod moraliter sibi possibile est, fecerit; eritque in arbitrio ejus inter ea mandata eligere quod sibi placuerit, sive prius, sive posterius datum sit; tunc enim ordo temporis nihil præstat, cum potestas et voluntas præcipientis eadem sit.

SECTIO VII.

Utrum censura lata ab homine per specialem sententiam nulla sit ex defectu causæ, vel tantum injusta.

1. *Censura lata per sententiam nullam ex defectu jurisdictionis est nulla.* — Superest dicendum de censura lata ab homine per propriam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. Et primum suppono, quotiescumque sententia est injusta ex defectu jurisdictionis, censuram non solum injustam esse, sed etiam nullam, quia etiam ipsa sententia nulla est. Et quoad hoc eadem est ratio de sententia, quæ de lege, quia sententia est etiam actus jurisdictionis; et ita in hoc omnes conveniunt. Et hac ratione censura, lata p st jure interpositam appellationem, est nulla, ut infinita fere jura disponunt, quia per appellationem interpositam videtur jurisdictio judicis dormitare, ut dicitur in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Item ex eadem radice censura lata ab excommunicato nulla est, quia per excommunicationem tollitur, vel suspenditur jurisdictio. Et sic de aliis.

De sententia injusta contra justitiam legalem.

2. *Censura lata per sententiam habentem defectum substantialem legalem est nulla.* — Secundo suppono, duobus modis (sicut de lege dixi) sententiam posse esse injustam, primo contra solam justitiam legalem, ut puta quia in ea ferenda servatus non fuit debitus ordo juris, absque alia injustitia. De quo ordine juris ulterius subdistinguendum est; nam quidam est accidentalis tantum, ut est in præsenti, quod sententia scripto feratur, quod præcedat canonica monitio, etc. Alius est substantialis, utpote necessarius, ut sententia valida sit, ut erit in præsenti, quod legitima citatio partis præcedat, quod causa censuræ legitime et juridice probata sit; ac denique hujusmodi est omnis illa conditio, quæ vel jure naturæ, vel ex speciali jure positivo ita præscripta est. Quando ergo in sententia est defectus substantialis ordinis juris, certum est censuram non solum esse utcumque injustam, sed prorsus invalidam, quia sententia ipsa nulla est, et sententia nulla nullum potest inducere effectum, juxta l. 4, § Condemnatum, ff. de Re judicata. Et de hujusmodi defectu loquuntur multa jura, quando aiunt, sententiam esse nullam contra leges aut canones prolatam, ut in cap. 1, et cap. Cum inter, de Re judicata, et in leg. *Præses*, et leg. *Cum prolatis*, ff., eodem titulo, et in leg. 1, ff. Quæ sententia sin. appellat. rescindenda, et in leg. 2, Codic. Quando provoc. non est neces., et optime in leg. *Prolatam*, C. de Sent. et inter. Et hujusmodi sententia dici solet in jure esse contra jus constitutionis, quod censetur esse aliud ac esse contra jus litigatoris, ut patet ex dicto cap. Cum inter, de Re jud., et c. Venerabilibus, § Sane, de Sent. excom., num. 6. Quod tamen intelligo, quasi directe, et immediate, nam ex consequenti, et quasi remote, etiam prior redundat in injuriam litigatoris. Nam si quis recte consideret, talis sententia non solum est contra justitiam legalem, sed etiam contra commutativam; ut in exemplis positis, si quis damnetur non citatus, ei fit manifesta injuria; idemque est si damnetur non legitime et juridice convictus; et in universum, si per sententiam nullam condemnetur, ex quocumque capite nulla sit; quare mirum non est, quod talis censura sit prorsus nulla.

3. *Si autem defectus accidentalis sit, est valida.* — Quando vero in sententia solum deest ordo juridicus accidentalis, tunc dici potest aliquo modo injusta respectu justitiæ legalis, non tamen respectu commutativæ; estque sententia valida, et consequenter etiam censura, per illam lata, valida est, licet secundum eamdem rationem injusta sit, quia hæc injustitia non est proprie respectu ejus, in quem fertur censura, sed solum respectu juris, et boni communis. Unde in jure interdum talis sententia absolute justa appellari solet, ut patet ex c. Sacro, de Sentent. excom. Quod etiam in superioribus annotavimus, cum de forma ferendi censuras ageremus. Atque in hoc etiam nullum discrimen invenio inter Jurisperitos et Theologos. Estque distinctio data conformis doctrinæ D. Thomæ, 2. 2, quæst. 65, art. 5, ad 3.

De sententia injusta contra justitiam commutativam.

4. *Censura sententia lata ex causa quæ vere existit, non tamen in judicio probata, est nulla.* — Alio ergo modo potest esse injusta sententia contra justitiam commutativam ex defectu legitimæ causæ, quod nunc præcipue agimus. Potest autem hoc etiam variis modis accidere; duo tamen sunt præcipui. Unus quando censura fertur sub titulo sufficientis causæ, non tamen veræ, sed tantum præsumptæ. Alter est, quando fertur etiam sine titulo causæ sufficientis, sed absolute ex causa iniqua, seu levi, et improportionata. Rursus in priori membro possunt varii modi distingui, scilicet, quod sufficiens causa excommunicandi neque in re ipsa existat, neque satis probata sit in judicio; vel solum quod causa revera non existit, in judicio vero probata sit, ita ut judex secundum allegata, et probata legitime pronunciaverit : quæ sententia in exteriori foro et in interiori, quantum spectat ad conscientiam judicis, justa est; juste enim facit sic pronunciando; comparatione autem facta ad eum, qui condemnatur, non habet æqualitatem rei ad rem; et hoc modo dici potest in re ipsa injusta, cum per illam condemnetur innocens; ergo in re non habet medium justitiæ, quod est per æqualitatem rei ad rem. Tertius item modus addi posset, quando justa causa in re vere subest, tamen in judicio non est legitime probata. De hoc tamen ultimo modo jam dixi, hanc sententiam esse nullam ex defectu substantialis ordinis judiciarii; nec enim satis est, quod causa in re subsit, si sit occulta, quia judex humanus non potest de sibi occultis judicare. Est autem occulta quoad effectum ferendi sententiam, quamdiu juridice probata non est, etiam si alioqui privatim nota sit illi homini, qui judex est, ut colligitur ex c. 1, cum aliis, 6, quæst. 2. Et sumitur ex Glossa, Innocent., Abbate, et aliis in cap. Sacro, de Sent. excom. Et multa ad hoc confirmandum sumi possunt ex Navar., in c. Cum contingat, de Rescriptis, in causis nullitatis, præsertim in octava; et in Sum., c. 27, num. 11; unde, sicut de naturalibus causis dicunt philosophi, non satis esse ad actu causandum, quod habeant virtutem, nisi etiam sufficienter sint applicatæ juxta modum suum, ita in præsenti dicere possumus, delictum in re ipsa commissum, etiamsi ex se sufficientem præbere possit causam censuræ, tamen, nisi sit convenienter applicatum in judicio per sufficientem probationem, non posse illam causare, ideoque talem censuram invalidam esse.

5. *C. Nemo, 2, quæst. 1, et c. Audivimus, 24, quæst. 1, objiciuntur et exponuntur.* — Sed objici potest c. Nemo, 2, quæst. 1, et c. De illicita, 24, quæst. 3, ubi prohibetur ferri censura, antequam causa probetur. Et tamen, si ita ferri contingat, ait ibidem : *Qui sic excommunicatus est, majoris sacerdotis auctoritate ad gratiam sanctæ communionis redeat.* Respondetur primum, illa verba non semper indicare priorem sententiam fuisse validam, ut patet ex c. Audivimus, 24, quæst. 1, ibi : *Quia excommunicatus te excommunicare non potuit, Apostolica auctoritate te, tuosque absolvendo, mandamus exinde nunquam curare.* Quæ verba duriora sunt, quia interponunt verbum *absolvendi,* quod in alio textu non habetur; et tamen constat illam excommunicationem fuisse nullam. Unde Glossa ibi declarat, *Absolvendo, id est, non ligatos esse declarando.* Affertque similia jura, in c. Excellentissimus, 11, quæst. 3, et c. Auctoritatem, 16, quæst. 6. Quæ expositio nobis non est necessaria, quia, ut dixi, in dictis decretis non interponitur verbum absolvendi. Addit vero Glossa aliam expositionem, scilicet, absolvendo de facto, id est, faciendo, ut ad communionem redeant, qui de facto ab illa separati fuerant; sicut e converso, hæretici quidam, qui vere sacerdotes non erant, deponi dicuntur in cap. S quis confugerit, 1, quæst. 1, id est, depelli ab eo munere, quod de facto exercebant. Quæ expositio optime quadrat ad superiora jura, in quibus solum dicitur : *Ut ad gratiam sanctæ communionis redeant,* qua erant de facto privati. Volunt autem jura hoc fieri auctoritate superioris, quia ipsa disponunt, ut omnia ordinate et juridice fiant, et eo modo quo publice, et coram tota Ecclesia fieri oportet. Et ideo ex illis decretis non potest colligi, talem sententiam fuisse validam, sed potius oppositum insinuatur, dum nulla mentio fit absolutionis, quæ necessaria sit.

6. *Si causa in re, et in probatione deficiat, sententia et censura sunt nullæ.* — Atque hinc a fortiori sequitur, quando sententia est priori modo injusta, scilicet, quia causa neque in re existit, neque est sufficienter probata, talem sententiam et consequenter censuram omnino invalidam esse, quia si defectus probationis sufficit ad nullitatem, etiam existente

re, multo magis si res non existat. Atque de sententia sic injusta videtur potissime loqui S. Nicon., in epist. ad Enclistium, cujus fragmentum refertur, 1 tomo Biblioth. Sanct., ubi sic ait : *Scias, Pater, quod divinæ Scripturæ cum divinis canonibus definiunt, quod injustæ quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligant, etiamsi Pontifex eas imposuerit; quanto magis si inferior, ut dicit sanctus Dionysius? Qui itaque inconsiderata sententia, et intemperante animo aliquem a fidelibus separavit, non solum eum non attingit, sed in ejus etiam caput recurrit, sicut sanctæ quoque Synodi pronunciant.* Et inferius refert B. Petrum dicentem ad Clementem : *Tu quidem ea ligabis, oportet, et solves quæ solvenda sunt.* Et S. Nicolaum dicentem : *Si antistes præter Dei scopum punierit, Deus eum non sequitur, et ecce invenitur pœna, quæ ab eo infligitur, injusta, et propterea invalida.* Hæc enim omnia maxime locum habent in hac sententia, undique, ut ita dicam, injusta, id est, ex re ipsa, et ex defectu probationis. Quanquam extendi etiam possint ad omnem sententiam injustam substantialiter, ut sic dicam, seu contra justitiam commutativam; quæ sententia in eadem epistola merito dicitur lata non secundum sacros canones, sed secundum propriam voluntatem.

7. *Omnem censuram absque prævia monitione nullam esse.* — Ex quo etiam obiter constat, verum esse, quod in superioribus dicebamus, omnem censuram latam absque omni prævia monitione nullam esse; nam talis modus solum habere potest locum in censura lata per hujusmodi sententiam, nam ea, quæ fertur per legem, vel præceptum, repugnantiam involvit quod feratur sine monitione prævia, quia ipsum præceptum monitionem includit. Sententia autem, qua censura fertur, aut est tantum declaratoria criminis, aut illativa censuræ; prior non imponit censuram, sed solum declarat contractam ex transgressione legis imponentis illam, et consequenter etiam declarat præcessisse monitionem sufficientem per ipsam legem. Ex quo etiam fit (ut hoc obiter notemus) justitiam vel injustitiam talis sententiæ nihil referre ad valorem ipsius censuræ in se, quia hæc solum pendet ex lege, et ex vera et sufficiente transgressione ejus; refert tamen ad valorem ipsius declarationis, et ad effectus, qui ab illa pendent, ut postea videbimus; et quoad hoc proportionaliter locum habent in hujusmodi sententia omnia quæ diximus de sententia, per quam fertur censura. Quando vero sententia est condemnativa, et illativa censuræ, si nulla monitio præmissa sit, nec contumacia præcedere potest, et consequenter neque vera ac sufficiens causa censuræ, juxta dicta in sectione præcedente; et ideo talis censura semper est nulla ex defectu causæ tam in re ipsa existentis, quam in judicio probatæ. Quia, cum monitio esse debeat actus ipsiusmet judicis, si in re non præcessit, non potest juridice præsumi seu probari. Quanquam accidere potest, ut ex parte judicis præcedat, nimirum, quia ipse fieri mandaverit; et tamen quod in re ipsa facta non sit; et nihilominus in judicio sufficienter, quamvis falso, probetur factam esse; et tunc eadem erit ratio de tali causa, et de omni alia, quæ cum in re non existat, in judicio probatur.

Num censura lata ex causa in re falsa, juridice tamen probata, valida sit.

8. *Rationes dubitandi pro utraque parte.* — Tota ergo difficultas et controversia, si qua est, revocatur ad eam censuram, quæ fertur ex causa in re ipsa falsa et nulla, vel insufficiente, tamen juridice probata, et consequenter per sententiam legitimam imposita. Hinc enim apparet talem censuram validam esse debere, primo, quia sententia est valida; ergo habet suum effectum. Secundo, quia judex juste per illam præcipit; ergo alter tenetur etiam in conscientia obedire. Tertio, quia si quis innocens secundum allegata et probata condemnetur ad mortem, tenetur obedire et sustinere illam, nec potest licite per vim resistere, etiamsi valeat; ergo similiter in præsenti, etc. In contrarium vero est, quia ille cum in re sit innocens, apud Deum non est ligatus; ergo neque ab Ecclesia ligari potest per talem sententiam. Secundo, quia quotiescumque pœna imponitur ex sola præsumptione absque veritate, quæ in re ipsa sit, potest licite qui sic condemnatus est effugere talem pœnam, quantum in ipso est, nisi per vim compellatur; ergo idem dicendum est de hac pœna, quæ maxima est. Tertio, quia si censura est per legem imposita, et quis revera non est transgressus legem, non incurrit censuram, quantumvis ab aliis existimetur transgressor legis, imo quamvis per sententiam declaratoriam in exteriori foro justam sit declaratus; ergo idem erit de censura lata per sententiam condemnatoriam, ex sola externa probatione, sine veritate in re,

9. *Prima opinio.* — In hac igitur re videtur esse diversitas opinionum; nam quidam censent illam censuram validam esse. Ita videtur docere D. Thom. in 4, d. 18, q. 2, art. 1, quæst. 4, ubi primum generaliter ait, omnem sententiam, quæ nulla non est, habere suum effectum et obligare excommunicatum, ut ei obediat; hæc autem sententia, de qua nunc agimus, non est nulla, cum in suo foro justa et legitima sit. Unde inferius de hac in specie loquens, vocat eam censuram ex debita causa ex parte censuræ, non vero ex parte ejus cui imponitur. *Sicut* (inquit) *cum aliquis pro falso crimine in judicio probato excommunicatur. Et tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.* Et in solutionibus argumentorum ait, non esse inconveniens, ut innocens, et invitus aliquando privetur per modum pœnæ auxiliis externis, quibus per Ecclesiam juvari potest ad salutem. Sequuntur eamdem sententiam Rich. ibi, art. 3, quæst. 5; Palud., q. 1, qui apertius declarat, talem censuram obligare in conscientia; Durand., quæst. 4, num. 6, in fine; D. Antoninus, 3 part., tit. 24, cap. 73; Guillelm. Parisiens., in 2 part., tit. de Sacrament. ordin., § Post hæc autem prosequimur; Cordub., lib. 1 Quæstionarii, quæst. 43; et Gloss., in cap. 1 de Sentent. excomm., in 6, verb. *Propter quam*, ubi ait, sententiam excommunicationis ex falsa causa latam, esse validam, quam opinionem communem esse, et veram existimavit Covarruvias, dict. cap. Alma, 1 part., § 11, n. 14; et Corduba supra plures Canonistas et Summistas pro eadem sententia refert, et late illam probat. Summa vero rationum omnium est, quam in principio tetigimus. Et potest revocari ad hoc principium, quod actus clavium validus est, quotiescumque clavis non errat; sed in casu, quem tractamus, clavis non errat; ergo ejus actus, qui est censura, validus est.

10. Dices : principium illud est verum de clave non errante in re ipsa, secus vero est de clave non errante solum secundum existimationem hominum, ut in prædicto casu contingit; nam probatio exterior solum est hominum existimatio. Sed contra, quia clavis per metaphoram significat potestatem; ergo tunc vere dicitur non errare, quando operatur secundum scientiam sibi proportionatam. Unde, cum hæc potestas quoad hanc partem data sit ad punienda delicta, debuit esse efficax ad operandum valide, ita ut sortiatur effectum, quotiescumque legitime in suo ordine et secundum scientiam sibi accommodatam operatur. Ut, v. gr, si superior ex sufficiente probatione præciperet alicui in pœnam, ut jejunaret, obligaret illum, etiamsi in re non deliquisset, quia præceptum est justum. Item, si confessor absolvat a peccato, quod secundum informationem pœnitentis recte judicat esse veniale, absolutio est valida, etiamsi in re ipsa mortale fuerit. Et e contrario, si judicavit esse mortale, quod erat veniale, et ideo gravem pœnitentiam imposuit, tenetur pœnitens illam exequi. Similiter, indulgentia concessa ex causa legitima secundum prudentem existimationem concedentis, est valida, quamvis in re causa non subsit. Ac denique, si quis privetur beneficio per sententiam justam solum secundum allegata et probata, revera manet illo privatus; ergo illud principium universale est, etiam in illo sensu; ergo in proposito etiam verum habet.

11. *Secunda opinio.* — Aliorum vero sententia est talem censuram in foro conscientiæ ad nihil obligare, quod est dicere in re ipsa non esse validam, in foro tamen exteriori servandam esse ratione scandali, quia saltem in illo foro sententia illa rite prolata est. Ita sentit Alex. Alens. (quanquam soleat in contrarium citari), 4 part., quæst. 22, membr. 2, art. 1 et 2, si inter se attente conferantur, quamvis generatim et confuse de excommunicatione injusta loquatur; quo modo etiam loquuntur, et in eamdem sententiam inclinant Major in 4, dist. 18, q. 2, conclus. 3, corol. 4; Gab., q. 2, conclus. 8; expressius Adrian., Quodlib. 6, q. 1; Cajet. late, 2. 2, q. 70, art. 4, ad 2, et tom. 1 Opusc., tract. 19, ad 2; Soto in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 3, corol. 3, et Relect. de Tegend. secr., quæst. 1, membr. 3, conclus. 4. Et in re idem videntur sentire Covar., c. Alma mater, part. 1, § 7, num. 5, ubi alios refert; et Navarr., in Summ., cap. 9, num. 4, et cap. 27, num. 3. Quamvis in modo loquendi aliquantulum differat, dicens hujusmodi sententiam aliquo modo obligare in conscientia, de quo postea videbimus. Et huic etiam sententiæ favent auctores omnes, qui tenent censuram ex falsa causa latam nullam esse, nam hujusmodi est hæc, de qua nunc agimus. Tenent autem id Cardinalis, Panormitanus, et Felinus, quos refert Covarr., dict. § 11, num. 4.

12. Fundamentum hujus sententiæ est, quia sententia in tantum est vera et valida, in quantum est justa; nam intrinsece est ac-

tus justitiæ, et est quædam lex particularis; de ratione autem omnis legis est æquitas. Item est conclusio judicii; judicium autem, si non sit justum, non est judicium, ut dixit D. Thom., et late explicuit, et confirmavit Cajetanus in citato loco 2. 2, et sumitur ex Isidoro, 18 Etymolog., cap. 15, et refertur in cap. 1, 23, quæst. 2; ergo valor, et efficacitas sententiæ, debent commensurari justitiæ ejus; at vero sententia, de qua agimus, secundum veritatem et conformitatem rei ad rem est plane iniqua et injusta; secundum forum autem externum, et per conformitatem ad scientiam et probationem publicam habet æquitatem; ergo eadem proportione, in re ipsa et in veritate non habebit effectum, sed solum quantum ad exteriorem observantiam. Et confirmatur, nam efficacia sententiæ non excedit justam intentionem ferentis; sed verisimile non est Ecclesiam velle in conscientia, et coram Deo innocentem ligare, imo nec talis intentio esset justa, cum sit contra æquitatem rei, quam unusquisque debet intendere, quantum potest. Et præterea, quia alias excederet Ecclesia limites potestatis ligandi, quam solum accepit ad coercendos inobedientes, non ad ligandum innocentes. Unde confirmatur tandem, quia si aliter ferretur illa sententia, erraret clavis; at vero dum clavis errat, non operatur, quia non est data in destructionem, sed in ædificationem, ut dicitur, 1 ad Cor. 10, et ideo *æterni tribunal judicis illum reum non habet, quem injuste judex condemnat,* ut dicitur in cap. 1 de Sentent. et re jud., in 6, et sumitur ex cap. A nobis, 2, de Sent. excomm. Quod si apud Deum, et in cœlo talis sententia non obligat, nec in terris in conscientia obligabit, juxta multa decreta, 11, q. 3, et 24, q. 1 et 4.

Quæstio resolvitur, et inter relatas sententias judicium fertur.

13. *Sic ligatus non privatur communione Ecclesiæ in suffragiis, et orationibus, etc.* — Inter has opiniones media via incedendum censeo, et aliquid utrique concedendum. Primum enim certum existimo, hujusmodi censuram non esse validam quoad omnes effectus censuræ, seu quoad omnia detrimenta et damna, quæ infert. Et in hoc habet verum secunda sententia; satisque convincitur, ut opinor, fundamento ejus, constabitque evidentius, si in particulari explicetur. Damna enim, quæ censura infert, duplicia sunt; quædam dici possunt spiritualia, alia temporalia, seu divina, et humana. Rursus, spiritualia damna dupliciter inferuntur ab Ecclesia per censuram : quædam potestative (ut sic dicam), id est, per immediatam efficaciam Ecclesiasticæ potestatis; quo modo privatur excommunicatus participatione communium suffragiorum et orationum; et quoad hoc ab Ecclesia præscinditur efficaciter per ipsammet censuram. Quoad hunc ergo effectum incredibile est esse validam et efficacem prædictam censuram. Neque id aperte affirmat ullus auctorum, qui pro opinione prima citantur, quia neque est verisimile, Deum dedisse hanc potestatem Ecclesiæ, cum esse non possit in ædificationem, sed solum in destructionem. Neque etiam est credibile, Ecclesiam intendere uti sua potestate, vel censuram ferre in dicto sensu, tum propter rationem superius factam, tum etiam quia cum Deus non excludat justum a consortio, et participatione justorum, etiamsi ab hominibus injustus habeatur, non est verisimile velle Ecclesiam in hoc discrepare a divino judicio, cum neque ad bonum commune, neque ad bonum illius, qui sic condemnatur, utile sit.

14. *Alia spiritualia nocumenta quæ præceptive infert censura, per se non obligant sic ligatum.* — Alio præterea modo infert censura spirituale nocumentum præceptive, ut sic dicam, quia nimirum prohibet, ne quis sacra audiat, vel recipiat, vel efficiat, et similia, quæ ex vi solius censuræ non statim auferuntur quantum ad executionem; potest enim excommunicatus non obstante censura re ipsa Eucharistiam accipere, etc.; sed prohibentur per censuram, et ideo dico præceptive auferri, quia sub præcepto prohibetur harum rerum spiritualium usus. Et de his etiam detrimentis existimo, per se loquendo, non inferri per hujusmodi censuram, sed solum quantum necesse fuerit ad obediendum Ecclesiæ præcepto in publico seu in exteriori foro. Itaque, licet aliquis hoc modo interdictus sit, potest audire Missam in conscientia, vel secreto, vel ubi ignoratur ejus interdictio. Et sacerdos sic suspensus poterit sacrum facere cum eadem circumspectione; et simili modo excommunicatus, Eucharistiam sumere, etc. Hoc etiam omnes docent, et rationes, quibus probavimus præcedens membrum, hoc etiam demonstrant, quantum ad eam partem, quæ hujusmodi excommunicato, vel suspenso secretum usum talium rerum concedit. Quantum ad aliam vero partem de ab-

stinendo in publico, ratio est, quia oppositum cederet in contemptum clavium Ecclesiæ, cum in publico ejus præceptum sit justum, et excusatio sit occulta. Unde etiam manifestum est oriri in conscientia obligationem ad servandam censuram hoc modo, et quoad hanc partem, quia sic excommunicatus, v. gr., peccaret, si publice Missam audiret, aut Eucharistiam sumeret, ut omnes docent, et statim ratione explicabitur; ergo lata tali excommunicatione, orta est obligatio in conscientia ad servandam illam, saltem quoad hanc partem.

Unde proveniat sic ligato obligatio abstinendi in publico ab actionibus censura prohibitis.

15. *Prima sententia.* — Dubitari tamen potest, qualis sit hæc obligatio, an solum per accidens ratione scandali vitandi, an etiam per se ratione justi præcepti. Nam Doctores valde confuse loquuntur; interdum enim dicunt hujusmodi sententiam ligare quoad publicas actiones, quia est valida saltem in foro exteriori, ut Cajetanus et alii loquuntur, vel etiam quia simpliciter est vera censura, ut contendit Navar. cum aliis quos refert; ergo non tantum obligat ratione scandali, sed per se ratione suæ virtutis. Et confirmatur, quia alias nulla esset differentia inter hanc censuram, et illam quæ absolute est invalida; nam hæc etiam obligare potest ad sui observationem ratione scandali vitandi; ut si alii ignorarent illam esse nullam, et solum scirent esse latam; solumque posset esse discrimen, quod rarius accidet hæc occasio scandali in sententia omnino nulla, quam in ea, quæ in exteriori foro justa et valida est.

16. *Secunda sententia.* — In contrarium vero est, quia iidem auctores explicant hanc obligationem solum per ordinem ad scandalum vitandum, adeo ut Navarrus, qui apertius contendit hanc censuram esse simpliciter censuram et obligare, dicat, valere *parum plus nihilo, nisi in foro exteriori, propter scandalum, post declarationem.* Et ratione probatur, quia si scandalum quacumque ratione cesset, et innotescat aliis qualitas sententiæ, et hominis innocentia, cessabit obligatio; ergo signum est totam hanc obligationem esse ratione scandali vitandi. Item, si duo vel tres sciant rei veritatem, coram illis licebit communicare, aut rem sacram facere, ut omnes docent; nam illam actionem censent esse satis secretam; neque enim necesse est, ut solus omnino sit, qui illam exercet; ergo tota ratio est, quia respectu illorum paucorum cessat scandalum; ergo respective idem esset, si cessaret respectu plurium. Sicut etiam, si sic excommunicatus publice sacra faceret in eo loco, ubi ignoratur eum esse excommunicatum, nihil peccaret, solum quia nullum est scandalum, nec scandali periculum, ut in casu supponimus : ergo, etc.

17. *Resolutio. — Prima differentia inter hanc censuram, et omnino nullam.*—Dicendum ergo videtur, obligationem hanc proxime esse propter scandalum vitandum, nomen scandali ampliando, ut non solum sumatur, quatenus est contra charitatem, et ut ex illius obligatione vitandum est, sed ut est contra obedientiam Ecclesiæ, cui multum derogaretur, si talis censura publice contemneretur. Et ideo verum est etiam hanc obligationem vitandi hoc scandalum oriri ex vi præcepti inclusi in tali sententia justa in foro exteriori, quod etiam habet vim obligandi in interiori foro, quamvis eam vim habeat in ordine ad vitandum tale scandalum, dicto modo declaratum; propter quod auctores hæc duo simul conjungunt. Atque hæc est differentia inter hanc sententiam, et omnino nullam, quod ex sententia omnino nulla per se nulla, nascitur obligatio, etiam in exteriori foro, et in ordine ad publicas actiones; quod si interdum oriatur, est valde per accidens, et ex generali obligatione charitatis; secus vero est in præsenti, ut dixi.

18. *Secunda differentia.* — Et hinc nascitur aliud discrimen, quod superior non potest juste punire transgressorem censuræ, quæ nulla fuit, quia illa simpliciter nullam vim habet, nisi per accidens, scilicet, quia de nullitate juridice non constat, vel quia antequam constaret, contemptui habita est, vel si cum scandalo id fiat, quatenus superior auctoritatem habet ad puniendum eum, qui alios scandalizat. At vero per se, et ex sua potestate directa potest judex punire illum, qui censuram in foro exteriori justam transgreditur; adeo ut quamvis occulte, et licite in foro conscientiæ illam transgressus sit, si de hoc ipso actu denuncietur, et juridice convincatur, nihilominus juste possit a judice puniri. Et hoc est proprie illam sententiam esse validam in foro exteriori; nam, cum in illo talis sententia sit justa, jus habet superior cogendi ad illius observationem in eodem foro, et ad puniendum quemlibet transgressorem in eodem foro; hujusmodi autem est

omnis ille, qui in eodem foro convincitur egisse contra tenorem censuræ; tenor autem censuræ non fuit tantum prohibere actum publicum, vel cum scandalo, sed simpliciter actum illum. Quamvis enim absolute non potuerit obligare in conscientia ad non exercendum illum actum, etiam occulte, et sine scandalo, nihilominus tamen respectu fori exterioris jus confert, ut si talis actus in judicio probetur, ut delictum habeatur et puniatur. Et ita videtur quodammodo esse bellum justum ex utraque parte; cum vero id fit interveniente ignorantia, non est inconveniens; præsertim, quia non est proprie ex utraque parte bellum, cum subditus semper teneatur parere in exteriori foro, licet in interiori nihil peccaverit.

An publice, et cum scandalo hujusmodi censuram violans incurrat pœnas jure impositas contra violantes censuram.

19. Hinc vero nascitur in hoc eodem puncto dubium aliud, quod non est parvi momenti, scilicet, an transgressor hujus censuræ justæ in foro exteriori, et in se injustæ, si publice, et cum scandalo illam contemnat, incurrat pœnas in jure impositas contra violantes talem censuram; ut, v. gr., si illa censura erat excommunicatio, an ille celebrans in publico, maneat irregularis. Vel etiam dubitari potest, an illa excommunicatio, quæ solum erat valida in foro exteriori, fiat valida etiam in interiori, ratione subsequentis contemptus. In priori puncto nihil invenio expresse dictum ab auctoribus. Cajetanus vero, qui contendit illam non esse censuram, magis quam homo pictus sit homo, plane negaret incurri illam pœnam, quia ille non est transgressor censuræ. Navarrus vero, qui contendit illam esse veram censuram, fortasse diceret oppositum.

20. *Conclusio.* — Mihi tamen videtur dicendum, illum absolute, et in re non manere irregularem; et sic de aliis pœnis. Probo, quia ille vere, et in re non est excommunicatus, vel certe (ne hæreamus in modo loquendi) illa excommunicatio est valde diminuta et imperfecta; et ideo illius transgressio est etiam imperfecta, et diminuta violatio censuræ. Diximus autem supra, pœnam ipso jure impositam non incurri per actum imperfectum; ergo in præsenti illa imperfecta transgressio non satis est ad incurrendam irregularitatem, vel alias pœnas ipso jure latas. Dico autem, *vere, et in re,* quia in foro exteriori seu existimatione ille habebitur irregularis in eo casu, et ut talis in judicio condemnabitur; ideoque simili proportione tenebitur propter vitandum scandalum publice se gerere ut irregularem, et consequenter ad hoc vitandum dispensationem procurare; tamen in re vere non est irregularis. Neque etiam per illam sententiam fiet irregularis in re ipsa, quia illa sententia non est illativa irregularitatis, sed declarativa; et ideo non potest facere, ut sit irregularis, qui non erat, sed ut existimetur.

21. *An censura nulla, fiat valida, ratione contemptus.* — Contra hanc sententiam videtur tenere Covarruvias supra, dicto § 7, num. 7, concl. 4, ubi generaliter docet, eum, qui non servat censuram injustam, incurrere omnes pœnas jure latas contra violantes censuram. Affertque in eam sententiam plures alios, inter quos Paludanus expressius in illa generalitate loquitur. Ipse vero Covarruvias etiam in particulari loquitur de irregularitate, quam dicit incurri. Verumtamen confuse admodum loqui videtur Covarruvias ibi; nam in conclusione prima dixerat, excommunicationem injustam non obligare in conscientia; et in secunda, non privare suffragiis Ecclesiæ; quæ duo non sunt vera de excommunicatione ita injusta, ut tamen sit valida; sed tantum de ea, quæ est nulla; nam illa prior simpliciter obligat in conscientia, et privat suffragiis. In tertia vero, et quarta conclusione subdit, sententiam injustam nihilominus timendam esse, et ita servandam, ut si violetur, incurratur pœna. Hoc autem ultimum non est verum de sententia injusta, quæ est nulla, ut ipse ibidem fatetur. Confuse ergo, et æquivoce loquitur. Unde in rigore nobis non contradicit; neque omnia, quæ adducit, nobis obstant, quia procedunt de injusta sententia simpliciter valida; hæc autem, de qua nos loquimur, est in re nulla, et solum secundum quid valida.

22. In alio autem puncto Navarrus indicat hujusmodi censuram quasi firmari, et omnino veram effici per contemptum. Cum enim dixisset, illam censuram, seu excommunicationem injustam non adimere interiorem communionem, neque suffragia generalia, addit, *nisi aliqua negligentia, vel contumacia mortali roboretur;* citatque Felinum et Cajetanum. Et alii auctores eodem fere modo loquuntur. D. Thomas autem solum dicit : *Si contemneret, eo ipso mortaliter peccaret;* quod quidem verum est. Quia vero propter

hoc peccatum mortale non est lata in jure aliqua censura, neque etiam illa prior, quæ per sententiam lata fuit, cadit in culpam, quæ in ejus transgressione committitur, ideo verissimum censeo, ex vi illius culpæ non roborari, neque augeri priorem censuram, neque novum effectum habere; quod sensit Covarruvias, in dicto § 7, num. 5, in fine, et num. 7, in fine. Quamvis possit Prælatus sub nova censura prohibere, ne illa prior contemnatur, et tunc qui illam contemneret, cum veram et gravem culpam committat, novam illam incurret censuram, jam non in sola præsumptione fundatam, sed in vera præcepti transgressione, novaque contumacia.

Num censura justa solum in exteriori foro privet jurisdictione.

23. *Ratio dubii.* — Ultimo dubitari potest circa hanc partem, an hujusmodi censura, justa in solo exteriori foro, sit valida quoad effectum privandi jurisdictione spirituali. Nam hunc effectum habent censuræ, et est ex iis, quos per seipsas immediate, et (ut dicebam) potestative operantur, et non tantum præcipiendo. Aliunde vero hæc jurisdictio non videtur numeranda inter bona spiritualia, quæ pertinent ad bonum animæ, quia per se non ordinatur ad bonum habentis, sed aliorum, ad modum gratiæ gratis datæ, vel potius tanquam ministerium quoddam Ecclesiasticum. Et ex hoc capite videtur non esse inconveniens, ut hæc jurisdictio auferatur per hanc censuram. Nec refert, quod talis jurisdictio possit esse fructuosa habenti, in ordine ad bonum animæ, si bene illa utatur; nam hoc etiam de quibuscumque bonis temporalibus dici potest.

24. *Resolutio.* — Dicendum nihilominus censeo, hanc jurisdictionem non auferri, sed suspendi ex vi talis censuræ, quantum ad forum internum, seu in re ipsa. Itaque absolutio sacramentalis data ab hujusmodi excommunicato vel suspenso, est valida, quantum est ex hoc capite; et idem est de absolutione a censura, et de dispensatione in voto, et similibus. Ratio est eadem fere, quæ in præcedentibus facta est; quia, licet hujusmodi jurisdictio non sit absolute ex bonis spiritualibus animæ, tamen simpliciter est res magnæ æstimationis apud ipsum habentem, et respectu Ecclesiæ pertinet ad commune bonum ejus; ergo non est cur Ecclesia absoluta potestate velit efficaciter illam auferre ab homine innocente. Et explico a simili; nam cum judex secundum allegata et probata condemnat innocentem ad mortem, si in potestate ejus esset non exequi sententiam, servando alioqui in exterioribus totum ordinem juris, suumque munus implendo, illam sine dubio suspenderet ex charitate, et ex justitiæ æquitate; ergo similiter, cum sententia censuræ non habeat executorem distinctum, sed secum afferat executionem, ut jura aiunt, judex, in cujus potestate est ferre sententiam, et nolle executionem, nisi quantum vel ordo juris, vel causa vera, et in re existens postulat, debet secundum justitiæ æquitatem hoc modo intendere talem censuram; ergo non operabitur ultra hanc intentionem. Imo addo, quod licet judex privatus plus intenderet, non haberet effectum, tum quia talis intentio est contra intentionem Ecclesiæ et Christi dantis hanc potestatem; unde excedit limites potestatis. Tum etiam quia illa actio ut sic esset contra justitiam commutativam; et ideo quantum est ex vi sententiæ, est nulla quoad hunc effectum. Quod maxime verum censeo de jurisdictione interna in foro pœnitentiæ, quia ejus actus et magis spectat ad salutem animæ, et magis occulte, ac spiritualiter exercetur. Idem tamen opinor de jurisdictione in foro exteriori, quantum attinet ad permanentiam ejus, et ad eum usum, qui sine strepitu judicii, vel sine scandalo, et publicitate exerceri potest; nam quoad reliquos usus publicos servanda est moderatio superius posita, abstinendumque est ab hujusmodi actibus, propter eamdem rationem.

25. *Num privet humana communicatione.* — Hinc vero consequenter oritur dubitatio de altera parte superius posita, scilicet, de nocumentis temporalibus seu humanis quæ censura infert, an revera inferantur per hujusmodi censuram. Possumusque etiam in eis distinguere duos modos supra positos inferendi illos, scilicet efficaciter, vel tantum præceptive; nam priori modo censura per seipsam reddit, v. gr., inhabilem hominem ad dignitatem, aut beneficium, vel aliquid simile, seu irritat collationem ejus. Posteriori autem modo tollit communicationem humanam, quam potius vetat, quam tollat. Unde in hoc posteriori modo operandi circa hæc humana commoda, etiam servandam censeo regulam superius positam, nimirum, talem censuram non obligare in conscientia, vel ipsum excommunicatum, v. gr., ut se privet

his bonis, quando illis uti potest secreto, et sine scandalo; vel etiam alios, ut sese abstineant, quando illis certo constat de alterius innocentia, et consequenter de tali injustitia sententiæ. At vero in publico, et ubi potest oriri scandalum, utrique tenentur abstinere, propter obedientiam justi et publici præcepti inclusi in illa sententia, et propter observantiam debitam Ecclesiasticæ potestati. Et hæc est tota ratio hujus posterioris partis. Prior vero eodem modo probanda est, quo cætera, quæ diximus. Nam, licet hæc bona sint minoris momenti, quam præcedentia, sunt tamen alicujus; et opposita privatio moraliter existimatur grave onus, et ideo non est cur innocens ad illud sustinendum obligetur, quando sine ullo detrimento communis boni illud vitare potest.

An censura justa solum in exteriori foro reddat inhabilem ad beneficia, dignitates, et reliquos Ecclesiasticos honores.

26. Circa alios vero effectus, quos censura potest seipsa efficere, et exequi, est nonnulla major difficultas, quia in eis non ita commode videtur posse applicari distinctio data de actu publico vel secreto. Nam collatio, v. gr., beneficii facta hujusmodi excommunicato, aut erit semper irrita, aut semper valida, sive fiat publice, sive secreto; nam, si secreto facta irrita est, a fortiori si sit publica; si vero, secreto facta, est valida, etiam erit, licet publice fiat; nam hæc circumstantia, licet reddat actum culpabilem et peccaminosum, tamen jam supra dixi, propter hanc culpam non incurri novam censuram, nec roborari aut augeri priorem; ergo ratione illius non habebit hunc novum effectum irritandi talem actum. Accedit, quod talis actus ex se est satis publicus, cum fiat publica et superioris potestate, et de illo constare debeat publico instrumento. Solum potest in præsenti dici secreto fieri, quando superior, qui beneficium confert, ignorat talem censuram. Quæ circumstantia videtur valde accidentaria ad irritandum, vel non irritandum actum; atque ita videtur hujusmodi censura semper invalidare hunc actum, quia, sicut in aliis effectibus publicis operatur quantum potest, scilicet prohibendo, ita in hoc operabitur quantum potest, scilicet irritando. Et confirmatur; nam in his actibus videtur omnino necessarium ad commune bonum Ecclesiæ, ut talis sententia suum effectum consequatur inhabilitando personam, seu irritando actum, quia hæc bona, v. gr., beneficium Ecclesiasticum, et similia, ordinantur ad publicum usum Ecclesiæ, per se loquendo; et ideo est valde conveniens, ut publice constare possit, an talis actio, vel collatio beneficii valida sit, necne. At vero si collatio facta hujusmodi excommunicato esset valida, non posset id Ecclesiæ constare publica scientia, cum excommunicatio sit publica, et innocentia occulta. Igitur ne confusio oriatur, et incertitudo in aliis actibus vel effectibus, qui ex valore illius prioris pendere possunt, necessarium videtur, ut hæc sententia quoad hunc effectum efficaciter operetur, etiam circa innocentem, quia bonum commune præferendum est privato commodo ejus, quæ ratio boni communis non ita intervenit in aliis effectibus, et ideo ab eis non licet argumentum sumere.

27. *Enodatio.* — Sed non obstantibus his apparentibus conjecturis, distinctione hic etiam utendum censeo. Nam absolute, et in re ipsa non opinor hujusmodi personam manere inhabilem ad hæc bona ex vi talis censuræ, neque talem actionem, seu collationem beneficii ex se, atque in re ipsa invalidam esse; sed cum limitatione sæpe posita, personam esse inhabilem in foro exteriori, et in eodem posse actionem declarari irritam, vel efficaciter irritari. Fundamentum totius assertionis idem est, quod ad reliquas probandas adduximus; nam in omnibus cum eadem proportione loquimur. Quia hæc bona, quamvis non omnia sint æqualia, tamen omnia existimamus gravia, et non efficacius auferenda, quam vel causa, vel ratio communis boni exigere videatur; hic autem nec causa inest, ut supponimus, nec ratio communis boni plus requirit, ut rem ipsam declarando constabit. Itaque non censeo talem personam manere inhabilem, quia revera non est digna tali pœna. Et quia nullum est communis boni detrimentum, quod, si, antequam absolvi possit, beneficium obtineat, collatio valeat, nam tunc jam habet publicum titulum beneficii; et alioqui potest illud apparens impedimentum, quod ex illa censura oriri poterat, ita esse occultum, ut nihil obstet, quominus illa beneficii collatio etiam in communi et publica scientia valida sit; sic enim sunt validæ infinitæ aliæ actiones, quæ habent impedimenta secreta, de quibus si in judicio constaret, irritæ redderentur. Dixi autem, *antequam absolutionem obtinere potuerit;*

nam si posset prius absolutionem petere, teneretur sine dubio illam procurare ad tollenda dubia et pericula in re tam gravi. Si tamen non posset vel non adverteret, probabilissimam, esse censeo sententiam positam et satis securam.

28. Imo addo, quod, licet ex gravi culpa negligentiæ, aut contemptus, prætermissa absolutione acciperet beneficium, non propterea actio esset omnino irrita. Quod mihi satis probat ratio superius facta, scilicet quod hæc censura non reflectitur (ut sic dicam) in culpam contra ipsam commissam; si ergo absque tali culpa collatio non est irrita, neque propter illam erit. Talis vero actio, ut, v. gr., collatio beneficii, si in judicium externum adduceretur, et homini sic excommunicato facta probaretur, irrita sine dubio declararetur; et quidem juste, quia in illo foro talis homo excommunicatus est, unde in eodem etiam est incapax talis collationis.

29. *Si collatio beneficii sic ligati irrita declaretur, sententia sine dubio tenet.* — Addo vero, hujusmodi sententiam declaratoriam, quamvis in sola præsumptione, vel potius exteriori probatione fundetur, et revera non supponat, illud factum, quod declarat, tale esse, quale per ipsam declaratur, nihilominus vere efficere quod declarat, irritando scilicet illud factum, seu collationem, non jam solum in præsumptione, seu exteriori foro, sed absolute, et in re. Ratio est, quia hoc saltem expedit communi bono, ne res illa seu actio, et aliæ, quæ ex illa pendent, vel subsequuntur, semper fundentur in sola opinione absque rei subsistentia; nam statim beneficium illud conferetur alteri; vel ergo hæc collatio valida est, vel non; si est valida, oportet, ut prior jam sit irrita, quia beneficium non potest esse duorum; si vero illa in re non est valida, et in opinione tenet, sequitur illud incommodum, quod certe, quantum fieri possit, vitandum est. Unde non est dubium, quin potestas superioris ad hoc extendatur, quodque merito et rationabiliter in hoc sensu illam sententiam proferat, ac simul efficiat, ut in re ipsa erum sit id, quod per illam declaratur.

30. *Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ in principio hujus puncti positis.* — Et hoc etiam confirmant conjecturæ priori loco positæ, et amplius non probant. Imo hinc etiam magna ex parte satisfit fundamentis primæ opinionis recitatæ, asserentis hanc censuram esse validam. Est enim efficax quantum ad omnes effectus, qui ad commune bonum, et convenientem usum potestatis ligandi, ac solvendi, videri possunt necessarii, non tamen quoad omnes simpliciter. Denique declarari potest ex alia communi doctrina, quod actus facti ex jurisdictione non vera, sed communiter existimata, sunt validi, juxta legem *Barbarius*, ff. de Officio Prætoris. Nam reipublicæ, vel superioris auctoritas confert illis valorem, vel potius confert jurisdictionem quoad hunc effectum propter commune bonum; ita ergo e contrario in præsenti, publica auctoritas aufert beneficium, vel simile jus propter publicam existimationem, contra rei veritatem, ratione communis boni, quod præferendum est privatæ personæ detrimento.

De sententia censuræ injusta, et ex defectu causæ, et probationis.

31. Ultimo loco dicendum superest de sententia injusta, tum ex defectu justæ causæ, tum in re ipsa, tum etiam in titulo et ratione ferendi sententiam, scilicet, quia judex non solum non habet, verum etiam neque prætendit aut causatur legitimam rationem ferendi censuram, sed solum quasi ex absoluta potestate, et libera voluntate illam fert. Et hujusmodi sententia videtur mihi propriissime esse illa, quam jura dicunt continere intolerabilem errorem, ac propterea nullam esse; de quo sunt innumeri textus in titulis de Sententia excommunic., et in decret., 11, quæst. 3, quod etiam notavit Angelus, Excommunicatio, 3, num. 13. Et omnes, qui de hac materia scribunt, hoc constituunt tanquam primum principium, ut patet in auctoribus citatis superiori puncto, qui alios citant, præsertim Covarruvias et Cordubensis.

32. *Quomodo debeat constare de errore hujus censuræ, ut sit nulla.* — Addunt vero fere omnes Doctores, ut hæc sententia nulla sit, oportere hunc intolerabilem errorem in ipsa sententia contineri. Duobus enim modis potest judex proferre hujusmodi sententiam. Primo, excommunicando, v. gr., Petrum, explicando in ipsa sententia causam, vel prorsus iniquam et irrationabilem, ut si excommunicet illum, quia Missam non audit quotidie; vel saltem insufficientem manifeste, ut si excommunicet, quia non audit concionem omnibus diebus festis. Et tunc dicitur error intolerabilis in ipsa sententia contineri; idemque erit, si solum exprimat judex in sen-

gentia se suspendere, v. gr., Petrum absque ulla causa, sed tantum voluntate sua; scilicet, quia sibi non est gratus, vel quia eum odio habet. Et in his omnibus et similibus casibus est res indubitata, talem sententiam esse nullam, tam in interiori foro, ut per se clarum est, quam in exteriori, quia jus ipsum ita disponit, ut in sequentibus videbimus. Et merito, quia injustitia talis sententiæ satis publice et juridice constat, cum in ipsamet sententia contineatur; atque ita fit, ut talis sententia nullum omnino habeat effectum.

33. *Absque causa potest quis privari privilegio, jurisdictione, etc.* — Solum est observandum tam hic, quam in omnibus supra dictis, præsertim propter censuram suspensionis, hic esse sermonem de propria pœna et censura; nam secus erit de revocatione privilegii, facultatis vel jurisdictionis, quæ suo modo potest suspensio appellari, et valida erit ex sola voluntate concedentis, etiamsi ipse ex solo odio, vel ex alia iniqua causa, vel insufficiente moveatur. Quia illa, per se loquendo, non est pœna, sed est cessatio cujusdam gratiæ, et liberalitatis, aut delegationis, dependentis a voluntate donantis; et ideo mutatio ejusdem voluntatis sufficit, ut auferatur, etiamsi nulla causa vel culpa ex parte alterius interveniat. Quod secus est de propria censura suspensionis, quæ intrinsece pœna est. Et ita etiam facile cessat objectio de absolutione a censura, quæ valida est, etiamsi sola voluntate fiat ab habente potestatem absque rationabili causa. Et de indulgentia etiam, quæ potest esse valida, saltem ex parte, absque proportionata causa. Et quod dispensatio, in lege saltem positiva sine causa lata, est valida. Nam, quidquid nunc sit de veritate exemplorum, in eis est diversa ratio, eo quod sint gratiæ, quæ licet interdum fiant indebito modo respectu justitiæ legalis, seu communis boni, non continent actionem injuriosam simpliciter respectu ejus, cui conceduntur; et ideo validæ esse possunt ad aliquid operandum in illo; nam in hoc etiam fundatur, quod gratiæ ampliandæ sunt, et odia restringenda.

34. *Quid si in sententia causa non exprimitur.* — Alio modo contingit, judicem proferentem sententiam non exprimere in illa positive hunc defectum, sed quasi præcisive se habere, proferendo censuram, et nullam declarando causam ejus, neque illam excludendo. Qui defectus, licet contra jus sit, per se tamen non sufficit, ut sententia nulla sit, scilicet, ex eo solum, quod in illa scripta non fuit causa censuræ, ut supra dictum est ex c. 1 de Sententia excommunicat., in 6. Et ideo talis sententia ex hoc solo capite dici non potest continere intolerabilem errorem. Ac propterea censura per illam lata non videtur esse nulla, quandoquidem non est lata per sententiam nullam. Atque ita sentiunt auctores communiter, quia jura solum appellant hanc sententiam nullam, quando continet intolerabilem errorem, cap. 2, et cap. Venerabilibus, § Potest, de Sententia excommunicat., in 6. Non dicitur autem sententia continere, nisi quod in ea scriptum est. Imo in cap. Per tuas, de Sententia excommunicat., necessarium dicitur, ut in forma excommunicationis intolerabilis error sit *patenter expressus;* et in cap. Solet, eodem titulo, in 6, apertius dicitur, *intolerabilem errorem in sententia fuisse patenter expressum.*

35. Quamvis autem verum sit, talem sententiam ex vi suæ formæ non esse nullam, et ideo in exteriori foro per seipsam non posse talem judicari, tamen, si in re desit, et probata etiam non sit vera et sufficiens causa censuræ, et propterea in sententia taceatur, etiam in re erit talis sententia nulla. Unde si ab illa appelletur, et coram superiori judice talis defectus probetur, sine dubio declarabitur nulla; et is, in quem lata est, non indigebit absolutione; ergo signum est a principio fuisse nullam. Item hoc probat textus Gelasii Papæ, in c. Cui est, 11, quæst. 3, in quo ponderanda sunt illa verba : *Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.* Et ibidem in cap. Irritam, ex Concilio Carthaginensi quarto dicitur, *irritam esse injustam Episcoporum damnationem, et idcirco a Synodo retractandam.* Et similia habentur ex variis locis Augustini, in c. Cœpisti, c. Quid obest, c. Non debet, et c. Illud plane, eadem causa, et quæstione. Et ex Origene in cap. Si quis non recte, 24, quæst. 3. In quibus juribus dicitur talis sententia injusta, irrita, et nullam obligationem inducens; et in illis nulla mentio fit, quod oporteat hunc errorem esse in sententia expressum; igitur, quamvis in illa expressus non sit, erit sententia nulla in se.

36. Præterea hoc confirmant illa jura, quæ simpliciter aiunt sententiam latam contra leges, vel canones, ipso jure non subsistere, ut dicunt in cap. 1 de Re judic., et in aliis supra citatis; et non requirunt, ut talis defectus in ipsa sententia exprimatur, seu quod

ex ea formaliter constet, esse contra leges vel canones; ergo id necesse non est, ut sententia sit nulla. Etenim contractus a privatis personis facti contra leges statuentes substantiales conditiones eorum, nulli sunt, etiam si defectus in ipsis contractibus non exprimantur, juxta regulam juris 64, in 6 : *Quæ contra jus fiunt, debent pro infectis haberi;* ubi non requiritur, ut hoc exprimatur. Imo, licet occultetur, et verbis apparentibus dissimuletur, non propterea validior erit contractus, ut expresse dicitur in l. Non dubium, C. de Legib.; ergo multo magis sententia lata contra jura, erit per se nulla, etiam si in ipsa defectus non exprimatur, quia judex multo magis tenetur juxta leges operari, quam privata persona; est enim custos, et executor legis.

37. *Objectio. — Solutio.* — Dicetur fortasse, hoc verum esse de sententia, quæ est nulla, quia est contra jus constitutionis; non vero de illa, quæ est contra jus litigatoris; plus enim requiritur, ut hæc posterior sit nulla, quam prior, ut sumitur ex c. Venerabilibus, § Sane, de Sent. excom., in 6, et ex c. Cum inter, de Re judic. Et ideo, quando sententia est nulla ex defectu jurisdictionis, citationis, aut alterius rei similis, pertinentis secundum jura ad substantialem solemnitatem sententiæ, tunc verum est sententiam esse nullam, etiam si talis defectus in ipsa non exprimatur. At vero quando sententia est injusta tantum ex defectu causæ, tunc proprie dicitur esse contra jus litigatoris; ac proinde necessarium erit, ut talis error in ipsa sententia exprimatur, ut insinuatur in juribus supra citatis. Verumtamen contra hoc instari potest, quia etiam ipsa sententia censuræ, quæ absque ulla causa legitima fertur, dici merito potest contra canones et jura; nam hæc etiam prohibent, ne in aliquem feratur censura sine causa legitima, ut constat ex supra citatis, et multis, quæ habentur, 11, quæst. 3. Extatque optima epistola Leonis Papæ ad Episcopos Viennenses, estque 89, c. 6, ubi graviter reprehendit Prælatos, qui ob leves causas hujusmodi sententias proferunt. Hæc autem prohibitio videtur esse de re maxime substantiali, ad validitatem sententiæ pertinente; ergo hujusmodi error sententiæ reddet illam nullam, etiam si in ipsa non exprimatur. Quod saltem verum existimo, stando in interiori foro, quidquid sit de exteriori. Quapropter, si de tali defectu satis constet ei, contra quem lata est, in conscientia non tenetur ei parere, juxta superius tradita ex communi sententia; sed solum tenebitur vitare scandalum, ac propterea in publico parere sententiæ, donec illam fuisse nullam publice etiam constet. Præter hanc vero obligationem nullum alium effectum habet illa sententia, ut ex dictis in superiori puncto constat a fortiori.

Corollaria ex superiori doctrina.

38. *Quot modis possit censura esse nulla.* — Atque ex his omnibus, quæ in hac dubitatione diximus, colligitur primo, quot modis possit sententia censuræ nulla esse; plures namque et sine methodo numerant Summistæ, ut videre licet in Angelo, Excommunicatio, 3, et Sylvestro, Excommunicatio, 2, et Antonino, 3 part., tit. 24, c. 73, § 1, ubi novem numerat causas nullitatis. Paludanus in 4, d. 18, quæst. 1, art. 4, quinque numerat; plures etiam sumi possunt ex Navarro, in c. Cum contingat, de Rescript. Alii autem communiter ad tres revocant, scilicet ad defectum jurisdictionis, vel quod appellatio fuerit ante sententiam interposita, vel quod sententia continet intolerabilem errorem. Sed ex his defectibus secundus sub primo continetur, ut supra declaratum est, unde vel distinguendi non sunt, vel distinguendi essent plures alii, ut quod censura fuerit lata ab excommunicato, vel suspenso, vel quando est lata ab intruso, vel non rite electo, vel secundum alios modos usurpandi jurisdictionem, quam quis non habet. Quod notavit D. Antoninus supra, reducens quatuor modos ultimos, quos ibi numerat, ad illum primum. Quod eadem proportione facere posset in secundo. Et eadem ratione posset quintum revocare ad tertium; nam tertius est de intolerabili errore, et in quinto specificat quemdam errorem, scilicet, si quis excommunicetur, eo quod suo superiori declaret statutum communitatis ad illum pertinentis, ex c. Quia plerique, de Offic. ordin., in 6. Quartus item casus, quem ibi ponit, diminutus est, ut statim declarabo. Et similiter in alia divisione trimembri tertium membrum generalius est, quam illis verbis significetur, et aliud membrum deesse videtur, ut jam dicam.

39. Et ideo possumus aliter hos defectus colligere sub triplici etiam capite. Primum est, defectus jurisdictionis, sub quo varii modi continentur, ut declaratum est. Secundum est, defectus ordinis juridici substan-

tialis, ut supra etiam declaratum est. Et huc spectat, quod ex jure positivo excommunicatio major lata contra participantes absque trina monitione nulla est, ex cap. Statutum, de Sententia excommunicat., et cap. Constitutionem, eodem titulo, in 6, qui est quartus casus positus ab Antonino, et aliis; tamen manifeste continetur sub hoc membro, quia ille ordo positus est, ut substantialis in tali sententia. Tertium membrum est, ex defectu causæ legitimæ, ut satis declaratum est. Posset tamen secundum membrum ad tertium revocari, quia cum deficit substantialis ordo, etiam deficit vera causa, id est, vera, et sufficiens contumacia ad talem censuram requisita. Deficit (inquam) vel in re, vel saltem in judicio, quia nimirum in illo probata non est, ut in superioribus dixi. Atque ita generatim loquendo, omnis censura erit nulla, aut ex defectu jurisdictionis, aut ex defectu causæ legitimæ. Utraque vero subdistingui potest; nam aliquando est nulla tam in re, quam in publica scientia, et existimatione aliorum; aliquando vero est nulla tantum in re, non tamen in aliorum existimatione, quod variis modis accidit, ut ex superioribus patet. E contrario vero non videtur dari sententia censuræ, quæ in se valida sit, et in existimatione, seu scientia publica habeatur nulla; nam licet contingere possit talem sententiam apud multos errantes, aut prave affectos non haberi validam, cum tamen juridice lata esse debeat, ex se, ac per se loquendo, secum affert sufficientem scientiam publicam sui valoris et efficacitatis.

40. *Quot modis posset sententia valida esse injusta.* — Secundo colligitur ex dictis, quot modis esse possit sententia injusta, quamvis nulla non sit; suppono enim id, quod certum, et clarum est, omnem sententiam censuræ nullam, esse etiam injustam; sed ab hac distingui solet sententia pure injusta, id est, non nulla, et solent etiam distingui varii modi ejus; ego tamen vix invenio nisi unum. Primus enim modus assignari solet de sententia lata a judice iniqua intentione ex odio, vel alia simili causa. Verumtamen, si ex illa intentione non oriatur alia injuria, talis sententia non erit proprie injusta, prout nunc loquimur, sed solum prout justitia generaliter dicitur de omni virtute, et injusta dicitur omnis actio, quæ moraliter bona non est, quod quidem ad rem præsentem parum refert, ut per se constat. Secundus modus est, quando sententia est lata non servato accidentali ordine juris; et hic est proprius, et fere unicus modus talis sententiæ injustæ, quæ sic vocabitur, quatenus justitiæ legali opponitur, non propter injuriam contra commutativam, ut supra declaratum est. Et hæc est ratio a priori, ob quam talis sententia neque ex natura rei invalida est, neque etiam ex jure positivo, quia in illo non petitur talis conditio, ut substantialis. Tertius modus hujus sententiæ addi potest, quando in re quidem continet inæqualitatem et injuriam, tamen secundum allegata et probata justa est; sed illa sententia, ut dixi, non est simpliciter valida, sed tantum secundum quid. Unde videtur esse tanquam medium quoddam inter sententiam simpliciter validam, vel simpliciter nullam. Et merito, quia etiam est quodammodo media inter simpliciter justam, et simpliciter injustam, etiam respectu commutativæ justitiæ; utrumque enim participat secundum habitudinem ad diversum forum. Et dicere possumus, esse justam ex parte actionis, injustam vero ex parte rei.

41. *Quomodo intelligendum sit Gregorii axioma :* Sen entia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est. — *Quomodo locum habeat in sententia injusta et valida.* — Tertio intelligitur ex dictis, quo sensu accipienda sit celebris illa sententia Gregorii, homil. 26 in Evangel., quæ refertur a Gratiano, 11, quæst. 3, c. 1 : *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est;* in qua fundantur, qui absolute, et sine distinctione affirmant, quamcumque censuram, quantumvis injustam, validam esse. Hanc vero propositionem ita absolute prolatam, ut erroneam damnat Gerson, 1 tomo, Opusc. peculiari de hac re. Et merito, quia ex aliis multis juribus, et ratione naturali est evidens, non omnem sententiam injustam posse esse validam. Estque textus expressus in c. Cum contingat, de Offic. deleg. Unde nullus Doctorum oppositum affirmavit, sed solum indefinite, non omnem sententiam injustam, invalidam esse. Et hoc ad summum colligitur ex illa sententia Gregorii. Quocirca, primum omnium verum habet in sententia injusta, quæ valida est. Ita ut sensus sit, etiamsi superior inique ferat sententiam, vel ex prava intentione, vel ex temerario ordine procedendi, nihilominus ejus sententiam, si vera sententia sit, timendam esse; et sic est clarissima veritas, quia talis sententia vere ligat. Juxta quam interpretationem non oportebit dictum illud extendere ad sententiam sic injustam, ut sit etiam nulla,

quia illa non est sententia. Sicut D. Thom. dixit, judicium injustum non esse judicium. Et ideo de eadem sententia recte intelligitur, quod dixit Urbanus P., in sua epist. decret., c. 5 : *Valde timenda est sententia Episcopi, licet injuste liget aliquem.* Recte enim exponitur de sententia, quæ non obstante injustitia, retinet veritatem sententiæ, et consequenter vim ligandi.

42. *Quomodo habeat locum in sententia nulla occulte.* — Addo vero ulterius, dictum illud etiam habere locum in sententia ita injusta, ut in re sit nulla, quando certo non constat de ejus nullitate; nam in dubiis obediendum est superiori, ut supra dicebamus de lege dubia. Quamvis nonnulla differentia intercedere videatur inter legem præcipientem et sententiam punientem; nam lex, per se loquendo, dirigit ad bonum; unde fit, ut, quando non constat, id, quod præcipit, esse malum, præsumatur bonum, eique obediatur, cum etiam in hoc nullum morale periculum aut nocumentum subdito immineat. At vero sententia puniens, si executioni mandetur, infert malum; et ideo videtur subditus quoad hoc habere majus jus, ut in dubio se indemnem tueatur. Sed nihilominus verum est, sententiam sic dubiam timendam esse et servandam, quia jus commune præferendum est privato; hoc autem ad commune bonum et conveniens regimen Ecclesiæ necessarium est.

43. *Qua ratione comprehendat sententiam evidenter nullam.* — Denique addo, etiamsi sententia sit injusta et nulla, idque evidenter constet subdito, adhuc timendam esse, vel ut eam non contemnat in exteriori foro, si forte in illo sit valida, vel ut non cum aliorum scandalo, si forte alii ignorent illius defectum, vel certe, ut licet omnia publica sint et nota, non propterea ita sententiam, vel præceptum superioris despiciat, ut ipsum etiam superiorem et potestatem ejus contemnere videatur, sed cum debito moderamine ac reverentia quadam jure suo utatur. Atque ita in omni sententia injusta Pastoris verum habebit, quod sit timenda; non tamen in omnibus æqualiter, sed accommodate in singulis.

SECTIO VIII.

Utrum ignorantia invincibilis præcepti impediat censuram per illud impositam.

1. Hanc quæstionem supra remisimus in hunc locum, quoniam necessaria est ad complementum hujus disputationis et cognitionis causæ, quæ ad censuram sufficit, vel excusationis ejus, quæ frequenter intervenire potest. Ubi advertendum est, aliud esse agere de ignorantia, quæ antecedit censuram; aliud vero de ignorantia, quæ subsequitur et excusare potest violationem ipsius censuræ. De hac dicturi sumus infra, disputat. 7; hic vero agendum est de priori; et simul obiter explicabimus, an vis, metus aut aliquid aliud hujusmodi possit similem excusationem afferre; in illis enim vere nulla est difficultas; et ideo necesse non est proprias de illis quæstiones instituere; nam ex similitudine rationis facile possunt cursim expediri.

2. Igitur distinguere in primis oportet inter censuram latam ipso facto, sive a jure, sive sub conditione de observando quocumque præcepto (nam in his omnibus eadem est ratio, ut sæpe in superioribus dixi, et in præsenti etiam ex dicendis erit evidens), et inter censuram absolute latam per sententiam judicis; nam de hac est specialis ratio, ac propterea de illa in fine dicemus. Rursus advertendum est, præceptum, cui conjungitur censura, aliquando esse pure humanum, ut, v. gr., si detur præceptum jejunandi sub excommunicatione; aliquando vero esse etiam divinum seu naturale, ut cum percussio clerici, vel simonia, aut usura sub censura prohibetur; inter quæ hoc differt, quod in priori ignorantia invincibilis Ecclesiastici præcepti omnino excusat culpam, in posteriori vero minime, quia, licet ignoretur specialis prohibitio Ecclesiæ, relinquitur culpa contra jus naturale vel divinum.

Divisiones ignorantiæ.

3. *Ignorantia alia juris, alia facti.* — Præterea præmittendæ sunt distinctiones de ignorantia. Una est ex parte objecti seu materiæ, quomodo distingui solet ignorantia facti et juris. Facti appellatur, quando ex actione hominis aliquod factum sequitur, quod nec prævisum, nec cogitatum fuit, ut cum quis occidit hominem, putans se occidere feram. Ignorantia juris appellatur, quando lex vel prohibitio ad hominis notitiam non pervenit. Et hæc rursus subdistingui potest in præsenti, nam aliquando potest ignorari totum præceptum quoad prohibitionem seu obligationem actus, et quoad censuram; aliquando vero cognito præcepto, potest ignorari, quod sub censura latum sit.

4. *De divisione ignorantiæ in vincibilem et invincibilem.* — Alia distinctio est ex parte

ipsius ignorantiæ; nam quædam est inculpabilis, quæ invincibilis et probabilis etiam dicitur, quæ omnino est involuntaria; et propterea neque ipsa potest esse culpa, nec causa culpæ, quia moraliter vinci seu expelli non potest. Alia vero est vincibilis seu culpabilis, quæ voluntaria est, quia per hominem stat, quominus expositam scientiam habeat. Et hæc ulterius subdistingui solet; nam alia est affectata, et est illa, quæ directe est voluntaria; alia vero est voluntaria tantum indirecte, et generali vocabulo dici potest negligens. In ea vero etiam sunt gradus; duo vero sunt præcipui. Unus est, quando est negligentia gravis, et quæ ad mortale peccatum sufficiat, et hæc generali nomine vocatur ignorantia vincibilis, quæ distinguitur in crassam, et supinam, magis propter metaphoram vocum, quam propter distinctionem in substantia rei, ut infra videbimus; et non examinabimus, an in hoc ordine aliud membrum ignorantiæ vincibilis addendum sit. Alius vero gradus hujus ignorantiæ est, quando aliquo modo negligens et voluntaria existit, tamen ita levis, ut solum ad venialem culpam sufficiat, quæ, quoad præsens attinet, quasi inculpabilis reputatur respectu graviorum censurarum, quia non incurruntur nisi per culpam mortalem, ut dictum est. Et generaliter talis ignorantia constituit actum non plene humanum, sed quasi indeliberatum, pro quo nulla censura, etiam minor, ferri solet.

5. *Ignorantia alia antecedens alia, concomitans, alia subsequens. — Ignorantia alia habitualis, alia actualis.* — Distinguunt præterea Theologi ignorantiam in antecedentem, concomitantem et consequentem. Antecedens appellatur illa, quæ invincibilis, et ita est causa, quod si illa non adesset, actus non fieret; consequens vocatur omnis illa, quæ est voluntaria quovis modo; concomitans autem appellatur illa, quæ ita est conjuncta cum actu, quod non minus fieret actus, si illa non adesset, ut quando aliquis casu et ignorans occidit inimicum, quem tamen melius occideret, si novisset. Denique potest distingui ignorantia in habitualem et actualem; illa est, quando quis omnino nihil audivit de præcepto; hæc vero, quando quis jam novit præceptum et ejus memoriam habitu retinet, tamen hic et nunc ad illud non advertit, quæ proprie dicitur inconsideratio seu actualis oblivio, de qua dari possunt fere omnes superiores divisiones; nam et potest esse involuntaria, et voluntaria, saltem indirecte, et potest esse antecedens et concomitans, de quibus omnibus latius tractant Theologi, 1. 2, q. 6, art. 8, et quæst. 76. Hic vero solum rationes nominum notavimus, quoniam ex eis plura dubia oriuntur, in quorum resolutione integra sectionis præsentis resolutio posita est.

Num ignorantia inculpabilis præcepti, quo lata est censura, ab illa excuset.

6. Primum ergo dubium est, an ignorantia inculpabilis Ecclesiastici præcepti, cui est annexa censura, excuset, ne censura contrahatur. In quo certa est et communis resolutio, affirmans talem ignorantiam excusare censuram. Ita docent omnes, qui de hac materia scribunt, quos infra referemus; hic enim necessarii non sunt in re clara, et in jure expressa, ut in cap. 2 de Constit., in 6, ubi declaratur, statuta Episcoporum non ligare ignorantes, quorum ignorantia crassa non est, nec supina, et in cap. Si vero, 2, de Sent. excomm., et in c. Excellentissimus, 11, q. 3. Ratio item est manifesta, quia talis ignorantia excusat culpam; ergo et censuram. Antecedens est certissimum in Theologia, quia talis ignorantia tollit omnino voluntarium, sine quo non est peccatum. Consequentia vero probatur, quia censura solum potest ferri propter culpam, ut supra ostensum est; et ideo hic optime quadrat, quod in cap. 2 de Constitutionibus, dicitur : *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit.* Quod paulo inferius applicatur ad rem, quæ ob ignorantiam culpa caret. Et maxime illud locum habet in damno, quod est proprie pœna, ut semper est censura; quod ideo addo, quia aliquod damnum, quod non est pœna, aliquando sentitur absque culpa, ut irregularitas aliqua.

7. Hanc vero generalem assertionem aliqui limitare volunt ad ignorantiam antecedentem; nam ignorantia concomitans (inquiunt) non potest excusare censuram, quia talis ignorantia non excludit voluntatem faciendi contra præceptum; nam qui illam habet, ita est dispositus, ut æque faceret actum, licet non ignoraret; ergo, si cum tali voluntate conjungatur etiam operatio contraria præcepto, non excusabitur censura. Ita Covar., § 10, n. 15, illat. 10, ubi id tribuit D. Thomæ, sed immerito. Idem tenet Jacobus de Graffis, lib. 4 suarum decis., cap. 9, num. 42, et sequitur Ugolin., tab. 1 de Cens., c. 9, § 8, n. 8.

8. *Limitatio superioris resolutionis.* — Sed

hæc limitatio immerito adhibetur; imo potius amplianda est assertio posita, ut verum habeat in omni ignorantia invincibili, sive antecedens, sive concomitans dicatur. Hæc enim distinctio ad præsens impertinens est, et ideo jura absolute et indistincte sunt locuta, et ita sunt intelligenda. Ratio est, quia, si ignorantia invincibilis est, semper excusat a culpa actionem illam, quæ ex ignorantia fieri dicitur, etiamsi alioqui talis ignorantia concomitans dicatur; ergo etiam excusat a censura. Consequentia patet ex dictis, et antecedens probatur, quia etiam illa actio involuntaria est, cum ex ignorantia involuntaria nascatur. Quocirca talis ignorantia (quod dicti auctores non advertunt) formaliter considerata respectu talis actionis et respectu voluntatis semper est antecedens; et ideo semper excusat illam actionem a culpa, etiamsi alio respectu dicatur concomitans, quæ denominatio vel respectus est impertinens ad contrahendam vel excusandam censuram. Declaro singula; nam ignorantia illa, quatenus voluntaria non est, recte dicitur antecedere illam voluntatem, quia prævenit et quasi occupat hominem ante consensum ejus directe vel indirecte. Respectu autem ipsius actionis est etiam antecedens, quia hic et nunc est causa talis actionis; causa autem antecedit effectum. Quod autem eadem vel similis actio futura esset, etiamsi ignorantia non esset, non obstat quominus hic et nunc illa ignorantia sit causa illius actionis, quia conditionalis nihil ponit in esse. Unde posita illa conditione, actio illa haberet aliam causam, scilicet voluntatem; nunc tamen eam non habet, sed aliam, scilicet ignorantiam; idem enim effectus potest a diversis causis procedere; et ideo optime potest nunc ab una earum emanare, etiamsi hac deficiente, futura esset alia, a qua fieret.

9. *Ignorantia concomitans, nihil ad censuram refert.*—At vero concomitans appellatur illa ignorantia, quia supponitur voluntas ita disposita, quod esset volitura illum effectum, etiamsi nulla esset ignorantia. Hæc autem dispositio voluntatis duplex cogitari potest: una est habitualis tantum, vel in causa seu radice, ut in exemplo supra posito de odio inimici, quod in animo et voluntate est radicatum, actu tamen non exercetur; idemque erit, si quis ex vehementi concupiscentia vel affectu accedat ad non suam, quam existimat esse suam, vel comedat carnes die prohibito, id ignorans. Et hujusmodi concomitantia nihil facit ad culpam, quia per habitualem dispositionem non peccamus formaliter, donec in actum prodeamus. Imo in hoc sensu illa conditionalis soli Deo nota est; et fortasse ipse novit esse falsam; tamen licet cognoscat esse veram, non imputat ad culpam id, quod fieret, posita tali conditione, si de facto conditio non ponitur, ut habet certa doctrina, de qua alias. Alio modo potest illa dispositio voluntatis esse actualis, ut si quis in venatione post sufficientem diligentiam casu occidat clericum inimicum, actu tamen de illo cogitans et habens in voluntate hunc actum : *Utinam possim configere clericum.* Et tunc quidem ille actus voluntatis peccatum mortale est, tamen mere internum, et nihil influens in illam actionem exteriorem, et ideo neque illam reddit peccaminosam, neque confert aliquid ad censuram contrahendam, cum hæc non propter actum mere internum, sed per externum incurratur. Ergo nullo modo potest ignorantia concomitans esse causa censuræ, si alioqui invincibilis sit. At, si sit vincibilis, poterit quidem esse causa censuræ, non tamen quia concomitans est, sed quia est voluntaria, et ita consequens respectu voluntatis, et simul antecedens respectu actionis, quatenus est causa ejus; nam inde habet illa actio, quod peccaminosa sit, quia est voluntaria in tali causa; quod autem sit concomitans, semper est impertinens ad hos effectus morales, propter rationem factam.

10. Nisi quis fortasse fingat alium tertium concomitantiæ modum, nimirum, ut quis simul cum ignorantia habeat actualem voluntatem actualiter influentem in actionem externam, veluti sub conditione propositam, ut si quis in dicto exemplo haberet hunc actum : *Volo emittere sagittam, si forte interficiam inimicum.* Et hoc in primis est moraliter impossibile, si ignorantia erat invincibilis, quia hæc requirit practicum et prudens judicium moraliter certum, nullum esse hic et nunc periculum occidendi hominem; quo modo ergo cum hoc judicio potest esse illa voluntas, quæ aperte supponit dubium et moralem contingentiam talis effectus? Deinde, admisso per impossibile illo casu, concedo talem hominem occidentem inimicum, incidere in excommunicationem, non tamen ob ignorantiam, sed ob actionem procedentem ex tali voluntate; quæ ut sic non processit ex ignorantia, sed ex hac generali scientia, quod ea, quæ humano modo videntur certa, interdum deficiunt; et, quæ videntur impossibilia, aliquando eveniunt. Atque ita illa censura non est ex his,

quæ propter ignorantiam incurruntur. Ignorantia ergo concomitans omittenda prorsus est in præsenti materia, quia nihil omnino refert ad excusandam vel incurrendam culpam aut censuram, quia per se, nec voluntariam, nec involuntariam reddit actionem. Ignorantia ergo invincibilis semper censuram excusat.

Naturalem inconsiderationem excusare a censura.

11. Ex quo infertur primo non solum de ignorantia proprie dicta, sed etiam de inconsideratione hoc verum habere; nam, si illa sit mere naturalis oblivio absque gravi negligentia, excusat a culpa; ergo etiam a censura. Consequentia patet ex dictis, et antecedens probatur, quia reddit actionem involuntariam, tam directe quam indirecte. Directe quidem, quia voluntas nihil potest actu directo velle, nisi quod intellectus actu cogitat; inconsideratio autem tollit actualem cogitationem, et ideo tollit directum voluntarium. Indirecte autem, quia ibi nullum potest esse voluntarium indirectum, nisi ratione causæ, quæ est ipsamet inconsideratio. Sed ipsamet inconsideratio involuntaria est, ut supponitur; ergo non potest ratione illius actio esse indirecte voluntaria, seu in causa. Loquor autem de actione, vel secundum se, vel quatenus est mala, seu contraria præcepto; quia etiam et naturalis oblivio Ecclesiasticæ legis (quæ sæpe intervenire potest, cum non sit intrinseca actioni) excusat a transgressione talis legis; sicut etiam naturalis oblivio legis ferentis censuram excusat a culpa actionem alioqui prohibitam ex vi talis censuræ, ut recte notavit Jacobus de Graff., lib. 4 Decision., cap. 9, num. 29. Itaque, quod ad rem attinet, æquiparantur in hoc inconsideratio et ignorantia, quamvis in ordine ad forum externum facilius possit ignorantia quam inconsideratio probari.

Tam ignorantiam invincibilem juris quam facti excusare a censura.

12. Tertio addimus, positam regulam procedere tam in ignorantia facti quam juris, si utraque invincibilis sit, quia utraque excusat a culpa; nam ignorantia facti reddit actum involuntarium; ignorantia vero juris reddit involuntarium actum, ut malum, seu ut prohibitum; atque ita t llit inobedientiam et contumaciam, quæ est fundamentum censuræ. Unde ex juribus supra adductis, c. Si vero, loquitur de ignorantia facti; capitulum autem 2, de Constit., in 6, loquitur de ignorantia juris. Et quidem de ignorantia facti nulli dubium est, quin possit esse invincibilis. Quando autem hujusmodi existimanda sit, non potest alia generali regula definiri, nisi quod juxta negotii qualitatem et occurrentes circumstantias adhibenda est sufficiens diligentia seu prudens operandi modus; et si quid postea præter intentionem et cognitionem succedit, censetur invincibiliter ignoratum et consequenter inculpabiliter factum. Unde fit, ut hæc ignorantia tantum excuset, quantum de ipso effectu ignoratum est prædicto modo. Aliquando enim ignorari potest isto modo circumstantia actus, non vero substantia, ut si quis peccet cum consanguinea, ignorans esse consanguineam, non tamen ignorans esse alienam seu non suam uxorem; et tunc si esset censura lata contra incestuosos, talis ignorantia excusaret illum; si vero esset lata contra fornicarios, non excusaret, quia in illo actu invenitur malitia fornicationis. Aliquando vero potest ignorari utrumque, scilicet, actus et circumstantia; et respectu unius esse vincibilis, respectu vero alterius esse invincibilis ignorantia; et tunc excusabit a censura, si lata sit propter circumstantiam invincibiliter ignoratam; an vero excuset amplius, expendendum erit juxta regulas infra tradendas de ignorantia vincibili. Ut, si quis jacturus sagittam, sufficientem diligentiam adhibeat, ne ibi lateat Petrus, qui est sacerdos, non vero ne ibi lateat quivis homo, etiamsi casu Petrum interficiat, non incurret in canonem : *Si quis suadente,* quia excusatur a malitia sacrilegii, licet non excusaretur a malitia homicidii.

13. *Distinctio de dante operam rei licitæ vel illicitæ non habet locum in hac ignorantia facti.*—Ex quo obiter intelligitur non habere hic locum distinctionem illam de dante operam rei licitæ, vel illicitæ, quæ in materia de irregularitate tractari solet. Quidquid enim sit, an ibi locum habeat, quod infra videbimus, hic certe nullum habet. Nam, si ignorantia invincibilis sit respectu illius culpæ seu malitiæ, in quam fertur censura, licet alioqui actus sit peccaminosus, non incurritur; ergo dare operam rei illicitæ nihil in præsenti obest. Et hic est casus expressus in dicto c. Si vero. Et faciunt etiam tres ultimi text., 34, quæst. 2, notantque auctores supra

citati, præsertim Victoria, et latius Covarr., n. 16. Qui addit distinctionem illam posse habere locum in ignorantia vincibili, de quo infra dicam. Addit etiam ibid. Covarr., illat. 12, si quis ex ignorantia personæ occidat laicum, existimans, et desiderans occidere clericum, non propterea incurrere censuram, contra quosdam Canonistas, qui oppositum opinati sunt. Sed res est clara ex supra dictis, quia interior affectus sine effectu subsecuto non sufficit ad censuram; et ideo illa ignorantia non est efficax ad accusandum, sicut ad excusandum. Et hæc sufficiunt de ignorantia facti pro hujus loci necessitate.

14. *Quorumdam regula ad judicandum, quando ignorantia juris sit invincibilis.* — De ignorantia vero juris, ad discernendum quando invincibilis sit, solet a multis hæc regula tradi. Quando præceptum, quod ignoratur, non spectat ad proprium alicujus officium vel ministerium, tunc ignorantia illius est invincibilis, et excusat a censura; quando vero pertinet ad proprium officium, non est invincibilis, nec excusat, quia ignorantia ejus, quod quis scire debet, inculpabilis non est; non enim potest non esse voluntaria saltem indirecte. Tunc enim omissio dicitur indirecte voluntaria, quando homo potest, et debet facere, et non facit; ergo simili modo est voluntaria omissio scientiæ, quæ est ignorantia; at in illo casu concurrunt illa duo; nam ille, qui sic ignorat, tenebatur ex officio scire, ut supponimus; ergo etiam poterat, quia nemo tenetur nisi ad id quod potest; ergo talis ignorantia semper est voluntaria saltem indirecte. Unde in cap. Si culpa, de Injuriis, absolute dicitur, *Nec ignorantia te excusat, si scire debuisti;* et in jure civil., Institut. De lege Aquilia, § Præterea, dicitur imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare. Ugolin., cap. 9, § 8, num. 6, cum Angelo, verb. *Excommunicatio* 7, casu ult., n. 3; et Jacobo de Graf., lib. 4 Decision., cap. 9, num. 31; et Navarr., in Sum., cap. 23, num. 47, et prælud. 1, n. 17, ex prælud. 6, n. 8.

15. *Non recte sumi regulam ignorantiæ juris ex obligatione sciendi ex officio præceptum.* — Verumtamen hæc regula magna explicatione indiget; nam in ea generalitate sumpta, est valde incerta, et videri potest quandam repugnantiam involvere. Nam cum loquitur de ignorantia juris, necesse est respective, seu accommodate id intelligi, id est, de ignorantia illius præcepti, quo aliquis obligatur; nam si eum non obligaret, impertinens esset illius scientia vel ignorantia ad excusandum peccatum. Igitur juris vel præcepti ex se obligantis aliquem potest habere quis ignorantiam invincibilem, alias nunquam ignorantia juris excusabit a culpa. Quilibet autem homo scire tenetur illa præcepta, quibus obligatur, sive illa obligatio nascatur ex generali conditione hominis Christiani, aut religiosi, sive ex peculiari officio, quod profitetur, ut medici, parochi, etc., sive ex quocumque alio capite, quia nullus potest suas obligationes implere, nisi ipsas agnoscat; unde, in debito faciendi intrinsece includitur debitum sciendi; ergo præcepti, quod quis scire tenetur, et absolute potest, aliquando habere potest ignorantiam invincibilem; ergo non est in universum verum, hanc ignorantiam esse indirecte voluntariam. Ergo neque etiam est hoc semper verum in ignoratione præcepti ad proprium officium pertinentis, tum quia parum refert, quod obligatio ex hoc vel illo capite nascatur, si ad eamdem scientiam, et (quod caput est) ad eamdem diligentiam obligat; tum etiam quia sicut in aliis rebus, vel præceptis manere potest ignorantia aliqua post sufficientem diligentiam, ita in his, quæ ad proprium officium pertinent; nam etiam illa modo humano, vel fallibili, et imperfecto, cognoscuntur.

16. *Sed ex diligentia adhibita ad illud sciendum.* — Certa ergo, et moralis regula in hoc negotio sumenda est diligentia adhibita, vel omissa, ad cognoscendum præceptum, et jus ad unumquemque pertinens. Nam si juxta præcepti, officii, et personæ qualitatem, quis adhibeat sufficientem diligentiam, ut sciat leges ad se, suumque officium pertinentes, accidere potest, ut aliquam invincibiliter ignoret, et consequenter, ut excusetur a censura per eam lata. Si autem negligens sit in sciendis suis obligationibus, ignorantia erit vincibilis, sive obligatio nascatur ex officio, sive aliunde, dummodo negligentia proportionalis sit. Et hæc regula sumitur ex dicto cap. Si culpa, ibi : *Et, quam debueras, non curasti diligentiam adhibere;* quamvis in illo textu potius sit sermo de ignorantia facti quam juris. Et de eadem loquitur § Præterea; nam quod medicus ignoret (de hoc ibi sermo est) talem medicinam posse graviter nocere, non est ignorantia juris, sed facti; nam jus, quod ibi obligat, tam clarum naturale est, ut a nemine ignoretur, scilicet, ut nemo artis medicinæ imperitus temere tale munus exerceat, et sese manifesto periculo exponat. Unde illa

imperitia, quæ in jure dicitur non excusare, non est proprie ignorantia juris, sed ignorantia artis, vel modi efficiendi actionem, quam quis exercendam suscipit; nam est contra manifestum et naturale jus cum tali imperitia artem exercere. Aliquando vero illa imperitia erit ignorantia alicujus juris, si talis actio, vel ministerium per illud jus regulanda sunt, ut patet in advocato, judice, et suo modo in parocho, Episcopo, et similibus.

17. Hinc vero concludimus, quod sicut ignorantia facti potest esse invincibilis, etiam in rebus ad proprium officium pertinentibus, quia peritia hominis curta est, et diligentia limitata, et ars fallax, ac providentia incerta, ita pari ratione potest ignorantia juris esse invincibilis, etiam si sit de aliquo præcepto ad proprium officium pertinente. Ac tandem, sicut in ignorantia facti regula sumenda est ex diligentia adhibita, tali facto proportionata, ita in ignorantia juris eadem regula cum proportione utendum est. Et confirmatur, quia ignorantia actualis per inconsiderationem aliquando est invincibilis, etiamsi sit juris, et præcepti, quod ex obligatione officii scire, et considerare teneor, ut est certissimum apud omnes; nam ego ex officio teneor hodie recitare horas canonicas, aut facere, vel audire sacrum, et tamen contingere potest, ut ex naturali oblivione sine culpa omittam; ergo pari ratione idem contingere poterit in ignorantia propria et habituali. Et regula utriusque erit diligentia sufficiens. De qua diligentia, ut dixi, vix aliquid potest generaliter dici, sed prudenti arbitrio relinquenda est, pensatis omnibus, quæ ad tale præceptum, vel ministerium pertinent.

18. *Primum documentum ad dijudicandum an diligentia adhibita fuerit sufficiens.—Solvitur ratio contraria.* — Ad hoc autem judicium ferendum duo sunt præcipue præ oculis habenda. Primum est considerare, an aliquando venerit in mentem tale præceptum, vel dubitatio aliqua de hujusmodi obligatione, vel aliquid aliud simile, quo posset homo excitari ad inquirendam scientiam talis præcepti; nam si nihil ejusmodi aliquando menti occurrit, signum sufficiens est invincibilis ignorantiæ. Hoc enim signo etiam intelligimus, oblivionem seu inconsiderationem aliquam naturalem esse et inculpabilem. Ratio autem naturalis est, quia non potest homo sese applicare ad aliquid considerandum, vel addiscendum nisi præcedat cogitatio aliqua, qua possit voluntas moveri, quia homo non se applicat nisi per voluntatem; et voluntas non potest se movere nisi prævia cogitatione. Propter quod ante primam voluntatem præcedere debet cogitatio, quæ propterea non poterit esse voluntaria, sed naturalis, seu ab extrinseco proveniens; ergo quando nulla talis cogitatio in mentem subiit, qua possit voluntas excitari ad appetendam, vel quærendam scientiam, vel considerationem, non est in potestate hominis, se ad illam movere, et consequenter non potest talis ignorantia homini imputari, sed est involuntaria, ac propterea inculpabilis et invincibilis. Atque ita, quoad hanc partem facile solvitur ratio in contrarium, scilicet talem ignorantiam esse indirecte voluntariam, quia homo potest, et tenetur illam vitare. Negamus enim posse potentia proxima, quæ requirit consensum omnium, quæ ad volendum prærequiruntur. Cum vero instatur, quia, si tenetur, potest, cum obligatio supponat potentiam. Respondetur, per se quidem teneri, seu obligari talem hominem ad talem scientiam; ad quod satis est, quod per se loquendo, sit in homine potestas, et quod tale munus secum afferat talem obligationem. Nihilominus tamen hic et nunc illam obligationem dicimus suspendi, vel potius hominem ab illa excusari, propter impotentiam proximam ac moralem, quæ ex naturali, ac necessaria oblivione, vel inconsideratione orta est.

19. *Secundum documentum.* — Secundum documentum est, ut consideretur, an is, qui scire aliquid tenetur, habuitque sufficiens principium cogitandi, vel dubitandi de tali obligatione, fecerit moralem diligentiam, juxta qualitatem operis, vel ministerii accommodatam, et probabili judicio sufficientem, ut talem cognitionem acquireret; nam, si hoc fecit, ignorantia, quæ postea relinquitur, inculpabilis est. Ut, v. gr., si homo sit indoctus, consuluit doctos viros, vel peritos in tali arte, et carentes morali suspicione, quod ex malitia, aut etiam ex sua negligentia possint decipere; si vero sit homo doctus, aut per se sufficiens ad talem cognitionem obtinendam, an doctores aliquos evolverit, aut leges ipsas vel statuta mediocri diligentia vel labore inquisierit; nam, si ita se gessit, si quæ manserit ignorantia, merito inculpabilis existimabitur. Quæ omnia sunt nobis certa in foro conscientiæ; in foro autem exteriori sæpe præsumetur ignorantia culpabilis, quæ non est; nam prior excusatio non admittetur in exteriori foro, quia tota posita est in interiori

actu, vel inadvertentia naturali, quæ probari non potest, nisi probando vel juste fuisse absentem, quando lex promulgata est, vel juste fuisse impeditum, aut non habuisse a quo interrogaret, vel quid simile. Et fortasse auctores citati, qui priorem regulam constituebant, magis in exteriore, quam in interiori foro locuti sunt; nam in illo foro vix unquam admittetur excusatio censuræ, propter ignorantiam juris, in legibus pertinentibus ad proprium munus vel officium; nisi fortasse aliquis occasionem satis probabilem ostendat ob quam, post adhibitam diligentiam suo muneri convenientem, talem legem potuit involuntarie ignorare. De hac re plura videri possunt in Cordub., lib. 2 Quæst., quæst. 2, et 4.

Qui Ecclesisasticum præceptum invincibiliter ignorat, etiamsi contra jus divinum aut naturale agat, non incurrere censuram.

20. Quarto principaliter addendum est in hoc dubio, ignorantiam invincibilem Ecclesiastici præcepti ita excusare a censura, ut quamvis actus sit contra jus divinum et naturale, et homo contra illud peccet, nihilominus censuram non incurrat. Ut, v. gr., si ignoret aliquis invincibiliter prohibitum esse ab Ecclesia sub excommunicatione, ne quis clericum violenter lædat, non incurret excommunicationem, etiamsi contra jus naturale et divinum injuriam intulerit clerico. Ratio est, quia ille non est contumax præcepto Ecclesiæ; cum enim illud invincibiliter ignoret, non potest contra illud peccare; cessante autem contumacia respectu Ecclesiæ, cessat etiam censura, quia est veluti fundamentum, et in eo genere adæquata causa ejus, juxta illud, *Si Ecclesiam non audierit*, etc., ut supra late declaratum est. Propter quod etiam diximus, aliquam monitionem præviam ab Ecclesia factam, esse de substantia, seu essentia censuræ.

21. At vero in hoc casu, de quo agimus, nulla monitio Ecclesiæ in tali homine præcessit, quia solum per præceptum admoneri potuit; præceptum autem sine culpa ejus ad ipsius aures non pervenit, ut supponimus; et ita non potuit illud admonere. Atque hæc sententia, a nobis breviter exposita, latius tractatur a Covarr., cap. Alma, part. 1, § 10, num. 8, et seq., ubi ipse contrariam defendit sententiam, quamvis fateatur hanc esse communem Canonistarum, Abbatis, Felini, Antonini, in cap. A nobis, 1, de Sent. excom., Joannis Andr., et Dominici, in c. 2 de Constit., in 6. Quam magis etiam probant Angel., verb. *Excommun.* 7, casu ult.; Sylvest., verb. *Ignorantia,* § 8, et in verb. *Excommunic.* 2, num. 6. Idem tenet Navarr., in Sum., cap. 27, num. 16, et num. 274; et Jacob. de Graffis, lib. 4 Decision., cap. 9, num. 13.

22. *Covarruviæ ratio in contrarium solvitur.* — Nec Covarruvias aliquod affert fundamentum in contrarium, nisi ignorantia solius pœnæ non excusat a pœna, cum a culpa non excuset. Quod ibi late ipse prosequitur. Sed immerito confudit has quæstiones, nam, esto illud verum sit, quod statim examinabimus, nihilominus vera est assertio posita, quia hic non tantum intervenit ignorantia pœnæ, sed ignorantia totius Ecclesiastici præcepti, ut supponimus. Hæc autem ignorantia, licet non excuset culpam, ut contrariam juri divino, vel naturali, excusat tamen illam, ut contrariam legi Ecclesiasticæ. Quando enim Ecclesiastica lex prohibet sub censura actionem alioqui intrinsece malam, non tantum pœnam, sed etiam novam prohibitionem adjungit; et ita ex illo capite, seclusa ignorantia, augetur illud delictum, et inobedientia, in qua consummatur causa censuræ; ideoque illa ignorantia non tantum occultat pœnam, sed etiam excusat culpam, quatenus ex illo capite nascitur; impedit etiam præmonitionem necessariam ante censuram, et ideo censuram etiam excusat. Unde, in cap. 2 de Constitutionib., in 6, generaliter et sine limitatione dicitur, statuta Ordinariorum non ligare ignorantes; constat autem hujusmodi statuta sæpius ferri de rebus jure naturæ prohibitis, ut est furtum, de quo est sermo statim in eodem cap., et in cap. A nobis, de Sent. excomm., et similibus. Ex hoc vero textu aliqui putant esse in hoc distinguendum inter statuta Ordinariorum vel Summi Pontificis; immerito tamen, ut opinor, quod ostendam commodius in dubio sequenti.

23. Ultimo ex dictis in hoc dubio infero, non tantum ignorantiam, sed omnem etiam aliam causam, vel rationem excusantem a culpa mortali transgressionem legis Ecclesiasticæ, cui est annexa censura gravis, excusare etiam a censura, ex illo principio, quod censura nunquam incurritur sine proportionata culpa. Itaque etiam vis, et metus, si talis, et tam gravis sit, ut rationabiliter excuset ab observatione legis humanæ, excusare poterit, etiamsi illi legi censura annexa sit, ut in superioribus dixi. Idemque est in quacum-

que alia simili necessitate, quod etiam sumitur ex dict. cap. Excellentissimus, 11, q. 3, ibi, *Qui ex necessitate vel ignorantia delinquunt, auctoritate nostra per te absolvantur,* id est, absoluti judicentur, quia non incurrerunt, ut recte Glossa exponit.

SECTIO IX.

An ignorantia ipsius censuræ eam excuset.

1. *Dubium proponitur.* — Jam vero occurrit secunda et major dubitatio, an ignorantia invincibilis, non Ecclesiastici præcepti, sed solius excommunicationis excuset, ne incurratur censura. Ut, v. gr., præcepit Episcopus sub censura, ut omnes tali die Missam audiant, scitque aliquis subditorum, Prælatum imposuisse præceptum audiendi Missam, ignorat autem invincibiliter, vel etiam errore inculpabili existimat nullam censuram impositam esse transgressoribus talis præcepti, ideoque audet illius observationem omittere: dubium est, an ille tunc incurrat censuram. De qua re variæ sunt, vel esse possunt, opiniones.

2. *Prima opinio.* — Prima absolute affirmat hujusmodi ignorantiam sufficere ad excusandam censuram. Hanc esse communem Canonistarum testatur Covar., in cap. Alma, 1 part. § 10, n. 9, et refert eos, quos in præcedenti dubio insinuavi. Potestque fundari in hoc, quod censura est talis pœna, quæ peculiarem modum contumaciæ et inobedientiæ requirit, qui non invenitur in eo, qui ignoravit censuram, quamvis legem noverit. Quod ita declaro, nam ad censuram incurrendam, necessarium est, ut præcedat monitio, non qualiscumque, sed sub comminatione censuræ, ut in superioribus declaratum est; ille autem, qui sola lege admonetur, si invincibiliter ignoret, censuram legi annexam esse, reipsa non admonetur sub comminatione censuræ; ergo non satis admonetur, ut possit censuram incurrere. Et hoc videtur esse sufficiens signum majoris seu specialis contumaciæ inventæ in illo, qui rebellis est etiam post comminationem censuræ, quæ non invenitur in eo, qui sine tali comminatione admonitionem vel præceptum suscipit; et ideo non videtur ita contumax, ut possit, et debeat censuram incurrere. Quod tandem declaratur, quia ob hanc causam ferri non potest censura pure propter peccatum præteritum, licet commissum fuerit contra Ecclesiasticam legem, et consequenter habuerit rationem generalem inobedientiæ respectu Ecclesiæ, quia non habuit illam specialem, quæ invenitur post admonitionem et jussionem sub comminatione censuræ; sed, qui peccat ignorans invincibiliter pœnam censuræ, ita se gerit, ac si illa lex non esset censura munita; ergo non magis potest propter eam causam excommunicari, quam propter simplex peccatum commissum contra obedientiam Ecclesiæ, cui non erat annexa censura.

3. *Suadetur hæc opinio ex cap. 2 de Constit., in 6.* — Tandem confirmari hoc potest ex cap. 2 de Constit., in 6. Ubi Papa dicit, se nolle, ut statutis Ordinariorum ligentur, qui ea invincibiliter ignorarunt; ergo illa lex extendi debet etiam ad eos, qui ignorant tantum statuta quoad censuras in eis positas. Hanc consequentiam probo primo ex generali regula, quod favores ampliandi sunt, quantum vis verborum patitur; hanc autem interpretationem admittunt verba illa optime, et sine ulla violentia; imo rigor verborum videtur illam exigere; nam qui ignorat censuram latam per statutum, ignorat statutum, quoad præcipuam gravitatem, et rigorem ejus; ergo comprehenditur sub illa lege. Secundo, quia lex illa formaliter loquitur de statuto ut vim habet ligandi, et illius efficaciam limitare intendit, propter vitandum animarum periculum; ergo etiam loquitur de ignorante statutum sub eadem ratione, scilicet, quatenus habet vim ligandi. Tertio, quia illa lex aliquid novum disponit, peculiari voluntate Pontificis introductum, ut patet ex illo exordio, *Ut animarum periculis obvietur, nolumus,* etc.; at vero si tantum statueret, ut ignorantes invincibiliter totum statutum, quoad præceptum, et censuram, eam non incurrerent, nihil novi afferret, quia illud non est jus positivum, sed divinum et naturale; unde in nulla re subveniret animarum periculis; nam in eo jam satis subventum erat jure naturæ; ergo intentio Pontificis fuit, ut qui ignoraverit statutum etiam quoad solam censuram, illam non incurrat. Nec vero existimandum est, illam legem non esse generalem, aut non comprehendere statuta Papæ, eo quod dicat, *statuta Ordinariorum,* nam (ut ad hoc propositum notavit Sylvest., verb. *Excommunicatio* 2, § 3, et verb. *Excommunicatio* ult., § 3) etiam ipse Papa est quidam Ordinarius, non tantum in sua particulari diœcesi, quod clarum est, sed etiam in tota Ecclesia, quia in ea habet jurisdictionem, non delegatam, sed ordinariam.

4. *Secunda opinio.* — Secunda opinio est omnino contraria, scilicet, ignorantiam invincibilem solius censuræ non esse satis, ut excuset hominem quominus censuram incurrat. Ita tenet Covarruvias supra, et contrariam sententiam dicit esse *maximam vel putandam oscitantiam;* et hoc modo exponit opinionem Glossæ, in cap. A nobis, 2, de Sent. excommunic., dicitque, esse sententiam Bartoli, Baldi, et aliorum Doctorum, qui vel generaliter, vel in communi loquuntur de pœna, dicentes ignorantiam pœnæ non impedire, quominus transgressor legis pœna ejusdem legis puniatur; alii vero in specie loquuntur etiam de pœnis canonicis, quales sunt censuræ, ut Ancharran., Alericus, et alii.

5. Nullum autem pro hac sententia affertur fundamentum, nisi hoc generale, quod ad incurrendam pœnam non est necessaria scientia pœnæ; sed tanquam certum supponitur, nullam posse assignari in censuris specialem rationem, ob quam ab hac generali regula excipiendæ sint. Illud autem principium probatur a Covarruvia, primo inductione, nam blasphemus, homicida, fur, et omnes similes, incurrunt, et de facto puniuntur legalibus pœnis talium delictorum, sive eas ignoraverint, sive non.

6. Secundo ratione, quia vel scientia pœnæ esset necessaria ad peccandum contra legem, vel ad consentiendum in pœna. Primum dici non potest, quia sicut præceptum superioris obligat ad culpam, etiamsi pœna non sit sancitum, ita ad delinquendum contra legem satis est nosse legem, et illam transgredi, etiamsi pœna ignoretur. Secundum autem non est necessarium, ut quis juste puniatur pro delicto, quia de ratione pœnæ non est, quod reus illam acceptet, vel in illam consentiat; nam potius de ratione pœnæ est, quod sit involuntaria, ut Theologi docent; vel saltem non est de ratione ejus, ut sit voluntaria, nisi solum in foro pœnitentiæ; vel satis est, ut radicaliter, et remote dicatur voluntaria in ipso delicto; nam, qui vult delinquere, velit, nolit, virtute vult puniri, vel potius vult se constituere reum, et dignum pœna, quam voluntatem habet, qui transgreditur legem, etiam si ignoret pœnam, per talem legem impositam. Præter hanc autem nulla alia voluntas requiritur, ut transgressor legis juste pœna legis puniatur; ergo neque ad incurrendas censuras major scientia, vel voluntas necessaria est.

7. Tertio addere possumus, quod irregularitas jure annexa alicui delicto incurritur, non obstante ignorantia talis pœnæ, ut colligitur ex cap. Cum illorum, de Sent. excomm. Imo ex hoc textu colligunt alii, etiam incurri excommunicationem jure latam, quamvis ignoretur. Nam illa verba textus, *Juris ignari nesciunt exinde se teneri,* videntur posse referri ad ignorantiam excommunicationis jure impositæ in violentum clerici percussorem. Addi potest pro hac sententia text. in cap. 1, et ult., de Sent. excomm., in quibus supponitur, impuberes incidere in canonem, *Si quis suadente,* cum tamen verisimile sit, eos ignorare pœnam talis canonis ob defectum ætatis; ita enim solent jura præsumere de tali ætate, ut patet ex lege 1, § Impuberes, Cod. de Falsa moneta.

8. *Tertia opinio.* — Tertia sententia est distinctione utens inter leges; nam quædam sunt statuta Episcoporum seu Ordinariorum, sub quibus comprehenduntur omnia statuta particularia provinciarum, diœcesum, religionum, et quælibet alia particularia, et consequenter etiam statuta ipsius Pontificis pro solo Romano Episcopatu lata; nam secundum illum respectum optime comprehenditur Papa sub nomine *Ordinarii.* Aliæ vero sunt leges latæ a Papa, ut est Pastor universalis Ecclesiæ; sub quibus comprehenduntur leges Concilii Generalis, quas oportet esse a Papa confirmatas, ut vim habeant obligandi. Ait ergo hæc sententia, ignorantiam censuræ in prioribus legibus excusare, ne incurratur censura, in posterioribus vero minime excusare. Hæc distinctio videtur placere Abbati, et aliis, in dict. cap. A nobis, de Sentent. excommunic.; et pro ea citantur Scot. in 4, dist. 6, quæst. 9; Adrian. in 4, quæst. 3 de Clavib.; et Major, in 4, dist. 18, quæst. 4, vers. *Præterea nullus;* et Antonin., 3 part. Sum., tit. 24, cap. 75, § 2. Et Thom. de Chaves, in Sum. Victoriæ, de Sacram., tract. de Sacram., num. 8, refert, Victoriam in neutram partem inclinasse, licet hanc distinctionem crediderit tutiorem, quam ipse probat.

9. *Fundamentum.* — Fundamentum hujus sententiæ esse debet, quia hæc excusatio non est ex sola rei natura, id est, quia injustum sit ita ferre censuram per legem, ut, non obstante ignorantia, incurratur; nam hoc videntur probare efficaciter fundamenta secundæ sententiæ; jure tamen positivo et humano potuit hæc indulgentia fieri, propter periculum animarum, quod imminet in ene-

suris, si incurrantur. Habemus autem in jure positivo hanc moderationem adhibitam in statutis Ordinariorum, in dict. cap. 2 de Constit., in 6, quæ ex vi illius textus non extenditur (quidquid Sylvest. dicat) ad leges Pontificias, tum quia juxta usum juris nomine *Ordinarii* non comprehenditur Summus Pontifex, ut est universalis Pastor, ut constat ex toto titulo de Offic. Ordinar., et ex aliis juribus passim, et præcipue ex variis locis Tridentini. Tum etiam quia superflue addita fuisset in illo textu illa particula, *Ordinariorum*, quandoquidem decisio illius textus in omne statutum absolute cadere dicitur. Addita est ergo illa particula ut restrictiva; et re vera hic est frequens, proprius usus illius vocis; pastor enim particularis et proximus respective vocatur ordinarius, ut parochus in sua parochia, et Episcopus in sua diœcesi; et juxta qualitatem materiæ, de qua agitur, accipi solet; semper tamen additur ad distinguendum eum ab universali pastore. Unde, quia condere statuta non pertinet ad parochos, sed ad Episcopos, vel alios Prælatos, qui jurisdictionem Episcopalem aliquo modo participant, ideo recte intelligimus, in illo cap. 2, nomen Ordinariorum additum esse ad restringendam illam legem ad statuta Episcoporum, et excludendas leges Pontificis. Et ideo (quod etiam confirmat hanc sententiam) in jure communi, quod Pontificium est, interdum legimus ignorantes censuram canonis, illam nihilominus incurrere.

Quædam prænotanda pro quæstionis decisione.

10. Hæ sunt opiniones, quæ in hoc puncto occurrunt, et non sine probabilitatis specie. Antequam vero judicium meum proferam, adverto, fere omnes auctores citatos, et plures alios de hac materia scribentes (quos sæpe omitto, ne lectorem confundam, et distineam, præsertim quando ad indagandam, vel confirmandam veritatem nihil novi conferunt) illos (inquam) indistincte loqui de ignorantia statuti Ecclesiastici censuram ferentis, et de ignorantia solius censuræ, cum tamen, et re ipsa distinguantur, et effectus morales longe diversos habere possint. Nam ignorantia statuti (de invincibili semper agimus) excusat culpam et inobedientiam Ecclesiæ; ignorantia autem solius censuræ non excusat culpam, ut evidenter probatum est inter confirmandam secundam sententiam. Nisi fortasse contingat, ex ignoratione censuræ oriri probabilem existimationem, quod talis prohibitio Ecclesiæ non obliget sub mortali, sed sub veniali tantum, ut de lege Pontificia prohibente clericos adesse taurorum agitationibus, superioribus annis multi Theologi in Hispania opinati sunt: tunc enim ignorantia censuræ jam redundat in ignorationem ipsius legis, id est, ut simpliciter et absolute meretur nomen legis; excusatque a culpa mortali, et consequenter tollit materiam censuræ; nos autem loquimur de præcisa ignorantia censuræ, quæ simul sit cum scientia præcepti Ecclesiastici obligantis sub mortali.

11. *Distinctio tertiæ opinionis rejicitur.* — Ex quo infero primo, distinctionem illam, qua utitur tertia opinio, intellectam de ignorantia totius statuti Ecclesiastici, ut plane ab illis auctoribus intelligitur, non recte constitui. Quod autem hic sit eorum sensus, licet interdum vocent ignorantiam censuræ, interdum statuti, ex eo patet, quod propter hanc causam restringunt distinctionem ad illa statuta, quæ prohibent actiones, alias per se malas, et jure naturæ vel divino prohibitas; nam si statutum sit de re alioqui non mala, sive illud sit Ordinarii, sive Summi Pontificis, certissimum et indubitatum est impedire censuram, quia excusat omnem culpam; et ita de hoc nulla est opinionum diversitas, ut patet ex Covarr. supra, et Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14, et aliis. Quando vero statutum prohibet actionem, alias per se malam, non obstante ignorantia statuti, adhuc manet ratio culpæ; et ideo in illo major fuit ratio dubitandi, et opinandi sub illa distinctione; indistincte autem loquuntur, quia respectu talis actionis pro eodem reputant ignorare censuram, et ignorare prohibitionem Ecclesiæ.

12. In quo nobis eorum sententia non probatur; nam, sicut in aliis statutis circa res non per se malas distinguitur plane ignorantia solius censuræ ab ignorantia totius statuti, ut probatum est, ita in statutis de actionibus per se malis similiter distingui potest. Est enim eadem ratio, quia ex parte objectorum re ipsa distinguuntur, et habent etiam effectus morales longe diversos; nam ignorantia statuti tollit inobedientiam respectu Ecclesiæ; ignorantia vero solius censuræ non omnino illam tollit. Et propter hanc eamdem causam, improbandam censeo illam distinctionem in hoc sensu intellectam, quia quod tunc non incurratur censura propter talem ignorantiam, non oritur ex

speciali jure positivo id disponente in statutis Ordinariorum, sed oritur ex ipsa rei natura, seu ex ipsa institutione, et conditione censuræ, ut explicatum est in præcedente sectione, scilicet, quia per talem ignorantiam tollitur contumacia, et inobedientia Ecclesiæ, quæ est proxima ratio censuræ. Respondent aliqui, quod, licet ad censuram latam ab homine requiratur contumacia, non vero ad latam a jure. Hanc enim distinctionem probavit Glossa, cap. Episcopi, verb. *Minimis*, 11, quæst. 3. Sed gratis conficta est, et contra rationem, et primariam institutionem censuræ, quæ non est alterius rationis, dum fertur a jure, quam dum ab homine fertur. Si enim jus potest per censuram punire delictum simpliciter, et sine contumacia commissum, cur non idem poterit homo per sententiam? Denique supra ostendimus, ideo censuram jure ferri, quia jus ipsum monitionem includit, sine qua censura ferri non potest. Hæc igitur ratio æque procedit in legibus Pontificiis, ut manifestum est.

13. Atque ita cessat quoad hoc punctum totum fundamentum tertiæ sententiæ. Cessant etiam rationes secundæ sententiæ, quia in hoc casu, de quo agimus, non ignoratur sola pœna, sed tota lex, ut explicui in superiori sectione. Jura vero, quæ in confirmationem secundæ et tertiæ sententiæ afferuntur, efficacia non sunt, ut statim ostendam. Igitur quando absolute intervenit ignorantia invincibilis statuti, vel legis Ecclesiasticæ præcipientis aliquid sub censura, sive sit lex Pontificis, sive aliorum inferiorum, sive de materia jure naturæ prohibita, sive de quacumque alia re, excusat a censura. Solum poterit assignari discrimen, quod in jure communi et Pontificio difficilius admittetur ignorantia invincibilis, quam in aliis; illa vero proposita, nulla est differentia. Atque ita indistincte tenuit Soto in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 2, versus finem; Navarr., cap. 25, num. 274, et in Comment., cap. Fraternitas, 12, quæst. 2. Ubi id confirmat ex cap. Si vero, 2, de Sent. excomm. Sed ille textus non est urgens, quia ibi est sermo de ignorantia facti, quamvis a paritate rationis possit inde argumentum sumi. Et ita sentit ibidem Innocentius, et eamdem opinionem tenet Sylvest., Angelus, et alii Summistæ.

Assertio 1.

14. *Nihil circa hoc ex jure definiri potest. — Ex cap. 2 de Constit., nihil probari ostenditur.* — Superest, ut dicamus, quod proprie ad hoc dubium spectat, de ignorantia solius censuræ. De qua quæstione in primis opinor, nihil esse jure positivo expresse statutum, sed sola ratione definiendam esse. Hoc probo, quia nullus textus ex iis quæ afferuntur, de hac ignorantia loquuntur. Probatur primo ex illo cap. de Constitut., in quo absolute dicitur, *ligari nolumus ignorantes.* Quæ verba licet extendi possint ad eos, qui ignorant solam censuram, ut probabiliter suadendo primam opinionem argumentabamur, tamen simpliciter et in proprietate sumpta id non significant; non enim dicitur aliquis simpliciter ignorare legem, eo quod tantum ignoret pœnam ejus, si præceptum ipsum, vel prohibitionem non ignoret. At vero textus ille loquitur absolute de ignorantibus legem; ergo ibi nihil disponit de iis qui solam censuram ignorant. Unde fit, ut ex illo textu colligi non possit aliquid speciale concessum in hoc esse circa statuta Ordinariorum; an vero aliquid aliud speciale ibi sit concessum de eisdem statutis, infra dicemus.

15. *Cap. Cum illorum, de Sent. excomm., nihil probare.* — Rursus alia jura, quæ afferuntur ad ostendendum in legibus Pontificiis hanc ignorantiam non excusare, nihil probant. Nam in cap. Cum illorum, de Sent. excomm., non est sermo de ignorantia censuræ, sed de ignorantia irregularitatis, seu præcepti prohibentis sub irregularitate, ne quis excommunicatus Ecclesiasticos Ordines suscipiat, aut in eis ministret. Quod patet ex illis verbis : *Vel factum quidem scientes, juris ignari nesciunt exinde se teneri;* id est, nesciunt exinde se teneri ad non suscipiendos Ordines, quod quidem esse potest, vel absolute ignorando excommunicationem, vel ignorando hunc particularem effectum, seu obligationem non suscipiendi Ordines. Et licet verba possint ad utrumque sensum referri, tamen satis commode possunt posteriori modo exponi; præsertim, quia facilior est ignorantia hujus particularis effectus, et prohibitionis, præcipue sub pœna irregularitatis, quam ignorantia totius censuræ. Si ergo verum est ibi esse sermonem de sola irregularitate contracta non obstante ignorantia, non sumitur inde efficax argumentum ad censuram, quia irregularitas non semper requirit eam contumaciam, quam requirit censura, et potest imponi pro peccato præterito, imo interdum contrahitur absque peccato.

16. Secundo vero dicitur, in illo textu non

esse sermonem de ignorantia invincibili, sed de culpabili, quod patet, quia Pontifex ibi, eodem modo loquitur de ignorante factum per oblivionem, et de ignorante jus, quo ex tali facto ligatur; et de utroque supponit contraxisse irregularitatem suscipiendo Ordines, ideoque indigere dispensatione; ergo supponit talem ignorantiam invincibilem non fuisse. Nam, si ignorantia facti fuisset invincibilis, sine dubio excusasset omne peccatum in Ordinibus suscipiendis; ergo excusasset irregularitatem; nam licet aliæ irregularitates contrahantur sine culpa, non tamen hæc, quæ specialiter in pœnam imposita est; ergo idem fuisset de ignorantia juris, si illa fuisset invincibilis. Loquitur ergo Pontifex de ignorantia, quam jus non præsumit inculpabilem, cum sit vel de proprio facto, vel de jure notissimo.

17. Neque obstant verba, quæ inferius habentur in § Si autem : *Nisi is, qui fecit, adultus fuerit, et discretus, ut violenter contra oblivionem et ignorantiam præsumatur.* Neque item obstat, quod propter hanc talem ignorantiam ibi conceditur aliqua indulgentia, seu facilior dispensatio. Respondetur enim ad hoc secundum, ignorantiam illam, quamvis vincibilem, aliquo modo minuere culpam, dum minuit contemptum; et hoc satis est, ut facilius dispensatio concedatur. Unde, quod prius dicitur, violenter præsumi contra ignorantiam vel oblivionem hominis discreti, non est sensus præsumi illam fuisse culpabilem; sed potius est sensus præsumi nullam fuisse, id est, talem hominem non peccasse ex ignorantia, sed scientem vel videntem. Et revera hoc in rigore significat præsumptio contra ignorantiam. Ex illo ergo textu nullum argumentum efficax sumi potest.

18. *Cap. 1 et ultim. de Sent. excom. expenduntur. — Henric., lib. 13, c. 17, num. 6, lit. N.* — Minus autem probant c. 1, et ultim., de Sent. excom.; nam in primo non supponitur, illos pueros impuberes indigere absolutione; sed solum dicitur, non esse mittendos ad sedem Apostolicam, quia eos ætas excusat; quod optime potest intelligi, excusari a culpa, et consequenter ideo non esse mittendos ad sedem Apostolicam, quia absolutione non indigent. Sicut statim in eodem textu ponuntur alii casus, in quibus non est necessarius aditus ad sedem Apostolicam, quia in eis illa excommunicatio non contrahitur. Imo multi putant illam rixam inter clericos impuberes non sufficere ad peccatum mortale. Quod tamen absolute dici non potest, de quo infra suo loco. At vero in c. ult. ejusdem tituli non est sermo de impuberibus, sed *de pueris, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem, postulantque se absolvi.* Ex quibus verbis non potest præsumi, sermonem esse de pueris, qui habent ignorantiam censuræ; nihil ergo textus illi ad rem præsentem faciunt.

Assertio 2.

19. *Præcisam ignorantiam censuræ ab illa incurrenda excusare.* — Atque hinc satis improbata manet tertia sententia, quæ prædictam distinctionem solum in positivo jure fundabat, cum ostensum sit positivum jus nihil expresse circa hoc disponere. Quo fit, ut absolute illa distinctio locum non habeat, quia, secluso positivo jure, ex natura rei nulla est major ratio quoad hoc de legibus Pontificiis, quam de statutis Ordinariorum, aut e converso. De omnibus autem universe loquendo, mihi magis absolute probatur prima opinio. Et ita in universum assero, ignorantiam invincibilem censuræ solius sufficere, ut aliquis ab incurrenda censura excusetur, etiam si alias simplicem Ecclesiæ prohibitionem non ignoret. Quam sententiam tenent Sylvest., Navarr., Soto, et omnes alii, qui indifferenter loquuntur de ignorantia censuræ, et de ignorantia statuti. Verum est, eos loqui specialiter de excommunicatione; tamen ego suppono ex superius dictis, commune esse omni censuræ, quatenus censura est, ut requirat præviam monitionem sub comminatione ejusdem censuræ. Et ideo extendendam censeo hanc doctrinam ad censuram, quatenus talis est; quanquam non negaverim in excommunicatione rem esse magis certam, sicut etiam in eadem magis est necessaria.

20. *Solvuntur fundamenta secundæ opinionis.* — Nec fundamenta secundæ opinionis difficilem habent solutionem. Nam ad decreta, quæ ex jure canonico afferuntur, jam responsum est. Ad rationem autem, et inductionem, quam Covarruv. facit, concedo non esse fundandam hanc doctrinam in illo generali principio, ut nemo incurrat pœnam legis, si ignoret pœnam, cum delinquit contra legem (licet nonnulli Canonistæ illud principium admittant); existimo enim satis improbari prædictis rationibus. Fundatur ergo hæc nostra sententia in peculiari natura et conditione

hujus pœnæ, quæ est censura, quia requirit peculiarem modum contumaciæ et inobedientiæ, eo quod non ordinetur per se primo ad puniendum delictum commissum, eo tantum quod commissum est, sed ad emendationem ejus, vel ad cogendum peculiari modo ne committatur, scilicet, sub illo peculiari et rigoroso modo præcipiendi sub comminatione censuræ.

21. *Ratio Navarri ad secundam assertionem positam suadendam.* — Addit Navarrus, quoties pœna est exorbitans et extraordinaria, cujuscumque generis sit, si illa ignoretur, etiamsi delictum committatur, non incurri talem pœnam, seu reatum ejus; secus vero esse in mediocri pœna ordinaria, et secundum prudentem rationem accommodata delicto. Excommunicatio autem (et idem est de quacumque majori censura) est gravissima pœna; et ideo si probabiliter ignoretur, non incurritur. Reddit autem apparentem rationem; nam licet pœna, ut sic, non postulet, ut sit voluntaria, et ideò non requirat consensum delinquentis in ipsam, requirit tamen, ut sit debita ex voluntate delinquentis; et ideo saltem requirit consensum in causam ejus. Ut autem aliquis dicatur consentire in causam, non satis est, ut consentiat in rem, quæ est causa; nam si ignoret invincibiliter ex tali re sequi talem effectum, revera non vult talem effectum in tali causa, quia non consentit in causam, ut causa est. Sic ergo in præsenti, ut aliquis incurrat pœnam, debet consentire in culpam, ut est causa talis pœnæ; hoc autem ipso, quod quis consentit in culpam, moraliter consentit in illam etiam ut est causa pœnæ proportionatæ et ordinariæ, seu quasi connaturalis, etiamsi in particulari nihil sciat de modo talis pœnæ; nam quoad hoc satis est in generali scire, omnem culpam esse dignam hujusmodi pœna, quod nemo potest ignorare; ad consentiendum autem in culpam, ut est causa extraordinariæ et gravioris pœnæ, non satis est illa generalis cognitio; et ideo si in particulari omnino ignoretur, non potest dici delinquens consentire in culpam, ut est causa ejus; et ideo merito excusabitur, ne illam, vel reatum ejus incurrat.

22. *Navarri discursus enucleatur.* — Qui discursus est quidem probabilis, præsertim in judicio humano et humanis pœnis; nam in divino, et in pœnis, quæ nostris peccatis apud Deum debentur, habet difficultatem; nam oportebit dicere, omnes, qui invincibiliter ignorant æternitatem pœnæ, ejus reatum peccando non contrahere. Imo etiam in judicio humano non facile admittetur hujusmodi excusatio. Neque illa propositio, quod ad justam pœnam requiritur consensus in culpam formaliter, ut est causa talis pœnæ, id est, ut pœna prævisa fuerit expresse, vel implicite, vel saltem quod potuerit, et debuerit prævideri, hoc (inquam) principium, nec per se notum est, neque ulla sufficiente ratione demonstratur; satis enim probabiliter dici poterit, sufficere consensum in culpam; nam ex vi culpæ, ita homo subjicitur potestati judicis, ut possit ab illo puniri justa pœna, vel juxta leges, si in illis contineatur, vel ejus arbitrio, si ei sit commissum; sive pœna sit hujus generis, sive alterius, et sive sit moderata, sive rigorosa, dummodo non excedat proportionem delicti; hoc enim solum requirit æquitas justitiæ ex parte delinquentis; optio autem pœnæ, legislatoris judicio commissa est. Quocirca principium illud ita in universali sumptum semper mihi suspectum est. Tunc autem illud existimo esse verum, quando ob intervenientem ignorantiam pœnæ, moraliter ita mutatur qualitas delicti, ut jam censeatur pœna excedens modum et proportionem delicti; et hujusmodi existimo esse censuram, comparatam ad transgressionem legis commissam cum invincibili ignorantia ejusdem censuræ.

SECTIO X.

An vincibilis ignorantia excuset, ne censura incurratur.

1. *Ratio dubitandi pro utraque parte.* — Quæstio procedit tam de ignorantia juris, quam facti; nam quoad hoc eadem videtur utriusque ratio. Videri autem potest ex dictis sequi, etiam hanc ignorantiam debere censuram, seu excommunicationem impedire; nam tollit propriam rationem contumaciæ. Qui enim ex ignorantia peccat, non potest proprie contumax dici; sicut qui ex ignorantia vincibili errat in fide, non est vere hæreticus, quia non est pertinax; videtur autem esse eadem proportio. Item, qui ignorat legem, vel factum, etiamsi culpabiliter id ignoret, tamen re ipsa non admonetur per legem, ne hoc factum committat; ergo deest illi aliquid essentiale ad censuram incurrendam. In contrarium vero est, quia ignorantia vincibilis non excusat culpam, etiam quatenus est contra obedientiam Ecclesiæ sub tali

modo et comminatione propositam, quia licet hæc ignorantia interdum minuat culpam ex parte voluntarii, non tamen ex parte objecti, vel legis, quæ per talem culpam violatur.

2. *De quibus legibus procedat dubium.* — Hoc dubium procedit solum in legibus simpliciter et absolute præcipientibus, vel punientibus aliquid sub censura; nam si lex adhibeat aliquam particulam, quæ ex proprietate suæ significationis requirat scientiam, tunc, etiamsi ex ignorantia vincibili id fiat, non incurretur censura; non quia hoc sit generale omnibus censuris, sed quia talis lex noluit censuram ferre, nisi contra sic peccantes. Quæ autem sint particulæ habentes hanc vim, cum his legibus adjunguntur, jam supra tactum est, et ex proprietate Latini sermonis, et significationis pendet; communiter autem esse solent hæ, *scienter, consulto, qui præsumpserit, qui contempserit, qui temere,* vel *qui temerarius violator extiterit.*

3. *Ignorantiam affectatam non excusare censuram in temere aut ex præsumptione agentes latam.* — Quamvis in his, et præsertim in ultima, dubitari possit, an qui ex ignorantia affectata talem legem transgreditur, censuram incurrat; nam revera videtur satis temerarius violator legis, et ideo probabiliter potest timere censuram. Aliunde tamen non videtur eam incurrere; nam licet sic operari quædam temeritas sit, non est tamen directa temeritas contra legem, de qua ipsa loquitur. Nihilominus tamen prior pars videtur securior; imo ut aliquis dicatur non temere transgredi legem, necesse est ut, si suspicionem vel dubitationem habet talis legis, aliqualem diligentiam adhibeat, ut sciat, an sit talis lex; alioqui temere se exponet periculo transgrediendi illam. Et si in re illam violare contingat, merito dicetur temerarius violator illius. Qui autem habet affectatam ignorantiam legis, necessario supponitur habuisse cogitationem aliquam, et suspicionem legis, et noluisse veritatem agnoscere; merito igitur dicetur temerarius transgressor. Propter quod etiam existimo hujusmodi hominem non excusari, etiamsi lex utatur verbo, *præsumpserit,* quia satis propria, et magna præsumptio est, ex directa voluntate sic operari cum morali periculo agendi contra legem, per quam censura infertur. Et ideo, si cum tali voluntate in re ipsa committatur actus contrarius legi, merito dicetur ille ex præsumptione egisse contra legem et incurrisse censuram. Quod secus est in ignorantia tantum indirecte voluntaria, etiamsi crassa sit, vel supina; nam illud peccatum semper est ex negligentia potius, quam ex præsumptione vel malitia. Et per hæc judicandum est de similibus verbis legum, ut distinctius infra dicemus, agentes in particulari, et in individuo de singulis censuris.

Ignorantiam crassam, et supinam, non excusare censuram etiam Pontificiam.

4. Deinde, ut certum, statuendum est, posse censuram incurri cum aliqua ignorantia culpabili legis absolute prohibentis actum sub tali censura. Hoc primo certissimum est de ignorantia affectata, quia hæc fere æquivalet scientiæ, et vel nihil, vel parum minuit culpam, et contemptum. Item diximus, hanc ignorantiam non excusare etiam in illis legibus, quæ habent particulas exaggerantes culpam, aut modum peccandi; ergo multo minus excusabit in legibus absolute prohibentibus. Deinde, hoc etiam constat de ignorantia crassa et supina (quæ minus voluntaria est) ex dicto c. 2 de Constitutionibus, ubi dicitur, statutis Ordinariorum excusari ignorantes, nisi eorum ignorantia fuerit crassa et supina; ubi, licet non loquatur in particulari de censuris, sed de pœnis in genere (ut ex verbis constat, et communi interpretatione), non tamen est dubium, quin censuras comprehendat in regula generali, ut diximus; ergo et in exceptione. Et hæc est etiam communis expositio.

5. *Solvitur prior ratio dubitandi quoad hanc ignorantiam.* — Ex qua a fortiori sequitur, etiam in legibus Pontificiis non excusari hanc ignorantiam crassam, quominus incurratur censura, quia non minus, sed plus ex suo genere obligant Pontificiæ leges, quam statuta Ordinariorum. Imo, si quis recte consideret, in illo c. 2, quoad illam exceptionem, non conditur novum jus, sed relinquitur antiquum intactum (ut sic dicam) a novo jure ibi condito. Ex qua interpretatione colligitur, communi et ordinario jure ferendi censuram, illa ligari ignorantes crassa vel supina ignorantia; hocque commune esse omnibus statutis, et legibus Ecclesiasticis. Unde quoad hanc partem necesse est solvere rationem dubitandi in principio positam. Negandum est ergo, in actu ex tali ignorantia facto deesse contumaciam, et inobedientiam sufficientem ad contrahendam censuram; nam, licet non tam expresse et directe, virtute tamen et indirecte idem genus inobedientiæ est, ita ne-

gligere legem alias satis publicam, et omnibus notam, ut tam crassa ignorantia illius habeatur. Ac propterea satis etiam est, quod lex, quantum est ex se, illum admoneat, quamvis admonitio ad ejus aures non perveniat, ex supina ejus negligentia.

Num vincibilis ignorantia, quæ affectata, crassa aut supina non sit, censuram excuset.

6. *Prima opinio.* — Solum ergo relinquitur quæstio de ignorantia vincibili, quæ nec directe volita sit, neque tam crassa et supina, ut illi fere æquivaleat, ita ut dolus in ea esse præsumatur, ut jura dicunt, l. 2, § Et generaliter, ff. de Dol. excep., sed quadam communi et ordinaria negligentia humana culpabilis sit. Nam de hac etiam esse possunt eædem opiniones supra recitatæ. Prima est generaliter affirmans, hanc etiam ignorantiam impedire censuram tam in legibus Pontificiis, quam in omnibus aliis statutis. Ita tenent aliqui moderni, tribuuntque Sylvestro, qui hoc indicat, licet obscure, verbo *Excommunicatio* 2, et ult., § 3, et verbo *Ignorantia*, § 8. Et potest hoc fundari in dicto c. 2 de Constitut., in 6, applicando quamdam rationem superius factam, quia textus ille aliquid novum, et jure positivo introductum concedit; si autem, cum ait non ligari ignorantes, intelligeret tantum invincibiliter ignorantes, nihil novum afferret, quo periculis animarum peculiariter subveniret; nam jam erat ex natura rei introductum, ut dictum a nobis est; loquitur ergo de ignorantibus etiam vincibiliter. Et confirmatur; nam exceptio firmat regulam in contrarium; ibi autem solum excipit peccantes ex ignorantia crassa, vel supina; ergo omnes alii, qui ex ignorantia minus culpabili peccant, non ligantur. Quod vero illa lex extendatur etiam ad jus Pontificium, et censuras ejus, conatur defendere Sylvester; tamen, ut supra dixi, id non potest esse verum ex vi verborum illius statuti, nisi aliunde probetur, illud, quod ibi statuitur, ex ipsa rei natura esse necessarium, et in illa fundari, cujus oppositum sumitur ex inductione facta ejusdem textus. Affert tamen Sylvester D. Thomam, Quodlibet. 1, art. 19, dicentem, tunc aliquem per ignorantiam non excusari transgrediendo legem Papæ, quando ex negligentia eam ignorat. Sed hoc dictum nihil etiam ad rem præsentem facit; nam idem dici potest de quacumque lege.

7. *Secunda opinio.* — Propter hoc ergo est sententia secunda, quæ hic applicat distinctionem superius positam, et in statutis inferiorum Papa admittit priorem sententiam, nimirum, talem ignorantiam excusare, propter textum illum, ut a nobis inductus est; at vero de legibus Pontificiis id negat, propter contrariam rationem, scilicet, quia hæc excusatio illo tantum jure introducta est, et illud non extenditur ad Pontificias leges. Quam opinionem attingit Soto in 4, dist. 28, quæst. 1, art. 2, ubi ait, quod licet ignorantia vincibilis a censura juris communis, et Summi Pontificis non excusat, *forsan tamen excusat, ut nobiles auctores docent, a censuris particularium Prælatorum, dum tamen ignorantia crassa non fuerit, et supina.* Non tamen refert, qui sint illi auctores; imo, dist. 22, quæst. 1, art. 2, ubi ex professo tractat materiam, nullam mentionem facit hujus opinionis; nec quidquam distinguit inter ignorantiam crassam, et culpabilem; nec ego reperio alios auctores, qui priorem partem hujus opinionis affirment.

8. *Tertia opinio.* — *Explicatur.* — Est ergo tertia sententia generaliter docens, ignorantiam facti, vel juris nunquam excusare a censura, nisi excuset etiam a culpa mortali. Id plane supponunt omnes auctores supra citati, ut videre licet in Navarro, Covarruvia, Ugolino, et aliis, quos ipsi citant; imo et Sylvester, qui in contrarium adducitur; quoniam dicit ignorantiam, quæ non est crassa vel supina, licet sit ex negligentia, excusare, et probationem affert, quod excommunicatio juris non incurritur, nisi peccando mortaliter; ergo signum est loqui de tali ignorantia, quæ ad excusandum peccatum mortale sufficiat, et potius supponere, aliam, quæ non excusat a culpa, neque excusare a censura. Intelligitur autem hæc sententia respective, seu comparatione facta ad ipsam legem, juxta superius dicta. Potest enim ignorantia non excusare actum ab omni culpa mortali, et nihilominus excusare a censura, si comparatione talis legis excuset mortalem culpam. Ut, v. gr., si per aliquam ignorantiam objecti, aut circumstantiarum ejus excuset factum ab illa malitia, propter quam imponitur censura, ut in casu c. Si vero, de Sententia excom., de percutiente clericum, ignorando illum esse clericum; qui, licet non excusetur a culpa homicidii, excusatur a censura, quia excusatur a culpa sacrilegii. Et similes casus sunt in c. Si quis cum duabus, et c. Si quis

cum matre, et c. Quidam, 34, quæst. 2. Idem proportionaliter est de ignorantia juris; nam fieri potest, ut actus simpliciter non excusetur a culpa, propter aliam legem naturalem aut divinam, excusetur tamen respectu legis Ecclesiasticæ, et tunc etiam sufficit talis ignorantia ad excusandam censuram, juxta superius dicta. Si tamen neque ex parte facti, neque ex parte juris Ecclesiastici, ut prohibentis aliquid sub censura, ignorantia sufficiat ad impediendam culpam mortalem, sic non erit sufficiens ad impediendam censuram.

9. Dixi autem: *Ex parte juris Ecclesiastici, ut prohibentis aliquid sub censura,* quia si contingeret (quod moraliter vix potest) præceptum vincibiliter ignorari, adjectionem vero censuræ invincibiliter, talis ignorantia non excusaret culpam mortalem contrariam Ecclesiastico præcepto; excusaret tamen censuram, juxta superius dicta. Nam etiamsi quis sciret præceptum, non incurreret censuram, ut in præcedente dubio dictum est; ergo multo minus incurret, si ex ignorantia vincibili peccet. Illud tamen peccatum non est contra illud præceptum, ut comminans censuram, sed ut simpliciter prohibens; et ideo non satis est ad incurrendam censuram. Imo, si quis recte consideret, quæ ibi excusat censuram, non est ignorantia vincibilis præcepti, sed invincibilis censuræ; illa vero prior de se, neque excusat, neque sufficienter accusat ad censuram contrahendam, nisi juxta modum et qualitatem ignorantiæ ipsius censuræ.

Tertia opinio præfertur, et roboratur.

10. Hanc ergo opinionem sic expositam omnino veram existimo, neque auderem dicere, oppositam esse practice, aut moraliter probabilem. Quia nullum habet auctorem, præter unum, vel alium recentiorem, qui non ex gravi, aut urgente fundamento movetur, sed quadam pietate, ad evitanda animarum pericula, quæ fuit ratio Pontificis in illo c. 2 de Constit.; tamen ipsemet Pontifex noluit ita subvenire animarum periculis, ut disciplinam Ecclesiasticam relaxaret. Ratio autem, quæ me potissimum movet, est, quia in jure non invenio ignorantiam vincibilem, quæ ad mortalem culpam sufficiat, quæ non comprehendatur sub illis duobus membris, crassa vel supina, nisi sit major illis, ut est affectata; quæ fortasse in jure potius censetur apertus dolus, et malitia, quam ignorantia. Illa ergo omissa, omnis alia ignorantia, quæ indirecte voluntaria est, ex duplici capite nascitur, scilicet, vel ex pura negligentia, et desidia, vel ex nimia sollicitudine, et affectione ad res alias vel alia negotia, quæ impediunt debitam curam addiscendi, et sciendi ea, quæ quis scire tenetur. Et quando nascitur ex priori capite, vocatur crassa; quando ex posteriore, dicitur supina, ut recte notavit Cordubensis, lib. 2, quæst. 1, non admittens aliam ignorantiam vincibilem et indirecte voluntariam, præter has duas, quia revera nulla alia excogitari potest, quæ ab his differat formaliter, ut sic dicam, seu in principio et radice ipsius ignorantiæ.

11. *In vincibili ignorantia varii gradus distinguuntur.* — In his autem dubium non est, quin possint gradus considerari secundum magis et minus; secundum quos optime distinguetur ignorantia ex levissima negligentia, vel ita levi, ut ad perfectum voluntarium, quod est ad peccatum mortale necessarium, non sufficiat; et illa, quæ gravis est, et ad mortalem, quam alii vocant latam culpam, est satis. Et in hoc sensu vere diceretur, ignorantiam culpabilem, si levis sit, et ideo non crassa, neque supina, excusare a censura, quia tantum est causa venialis culpæ. Tamen illi nobiles auctores, quos Soto commemorat, non potuerunt in hoc sensu loqui; alias immerito distinxisset inter leges inferiorum, et Pontificis; cum in omnibus verum sit, ignorantiam excusantem a culpa mortali, licet non excuset a veniali, excusare a censura. Unde neque ipse Soto audet illam sententiam affirmare, sed addit particulam, *forsan,* quod est signum, ipsum non loqui de culpa veniali, sed de mortali; quanquam solum obiter id attingat, et magis recitando, quam asserendo. Melius possent auctores primæ sententiæ in hoc sensu opinionem suam interpretari; et non essent nobis contrarii. Et quidem, ut ex verbis ejus ponderavi, Sylvester in eo sensu locutus est. Et explicando locum D. Thomæ, eam vocavit latam negligentiam, quæ ad peccatum mortale sufficit; nam D. Thomas absolute dixit, leges Pontificis ligare ignorantes, si ex negligentia ignorent; satis autem magna negligentia est, quæ ad peccatum mortale sufficit.

12. Alii vero moderni auctores non videntur locuti in hoc sensu; nam referendo sententiam Soti, approbant priorem partem ejus, et illam extendunt ad omnes leges Ecclesiasticas; et ideo in ipsamet ignorantia, quæ ad

mortale peccatum sufficit, videntur distinguere gradus, ut infra certum gradum non sit crassa, nec supina, sed vincibilis tantum, licet mortalis, et ideo excuset; ultra illum autem gradum jam sit crassa, vel supina, et non excuset. At certe talium graduum distinctio, et nullo jure fundata est, et nulla ratione explicari potest. Quis enim dicat, negligentiam ad mortaliter peccandum sufficientem, in tali gradu esse crassam, non vero in tali, aut qua ratione poterunt discerni hi gradus? Hoc ergo modo magis implicantur conscientiæ, et leges, quam explicentur. Item in ordine ad restitutionem vel ad alias similes obligationes in conscientia, illa ignorantia, quæ est ita negligens, ut sufficiat ad peccatum mortale injustitiæ, censetur crassa, et supina, ut colligitur ex leg. 15, § ult., ff. de Contrahenda emptio., et in leg. 6, ff. de Jur. et fact. ignorant.; ergo etiam in præsenti materia, omnis ignorantia, quæ ad mortalem transgressionem vel inobedientiam sufficit, crassa vel supina dicenda est.

Ignorantiam facti, quæ non excusat a mortali, non excusare censuram. Assertio 1.

13. *Limitatio et distinctio. — Rejicitur.* — Dicendum ergo imprimis est, ignorantiam facti, quæ illud non excusat a culpa mortali, non excusare censuram, quæ propter talem culpam formaliter lata est, sive per Pontificiam legem, sive per quamcumque aliam. Probatur ex omnibus dictis; nec in hac parte invenio gravem aliquem auctorem dissentientem. Covarruv. vero, dict. § 10, licet formaliter idem sentiat, quamdam tamen adhibet distinctionem, qua in re hanc generalem assertionem limitat. Nam si hujusmodi ignorans vincibiliter det operam rei illicitæ, ait generaliter procedere conclusionem positam. Si vero dabat operam rei licitæ, dicit excusari a censura, quia excusatur a culpa, pro qua lata est censura, quia licet peccet mortaliter ita incaute operando, non tamen secundum illam speciem peccati, in qua fuisset, si ex scientia fieret. Quia malum illud (inquit) non est per se voluntarium, sed tantum per accidens, cum malum nunquam ex natura sua oriatur a bono, sed per accidens. Quæ doctrina formaliter non est contraria assertioni positæ, ut constat. Nihilominus tamen nova mihi visa est, quanquam eam teneat Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14. Auctores vero, quos Covarr. adducit ad probandam priorem partem, ex illo principio morali, quod actus peccaminosus factus ex ignorantia vincibili reducitur ad eam speciem, in qua esset, si ex scientia fieret, generaliter id asserunt, nihil distinguentes inter eum, qui dabat operam rei licitæ vel illicitæ, ut patet ex D. Thom., 1. 2, quæst. 6, art. 6, et quæst. 76, art. 4; Adriano, Quodlib. 4, art. 1; Almaino, tract. 1 Moral., cap. 4, et aliis Theologis in 2, dist. 22; et Summistis, verb. *Ignorantia,* et Cordubensi, lib. 2, quæst. 21. Potestque evidenti ratione (ut opinor) illa distinctio refelli, quia qui ex ignorantia vincibili transgreditur legem, etiamsi alias det operam rei licitæ, voluntarie transgreditur illam legem; ergo peccat eadem specie peccati, ac si directa voluntate peccaret. Patet consequentia, quia voluntarium directum vel indirectum non mutat speciem peccati. Alias etiamsi quis daret operam rei illicitæ, mutaretur species peccati, quia etiam tunc est actus indirecte voluntarius. Declaratur exemplo; nam si quis animo accedendi ad suam uxorem, accedat ad non suam ex ignorantia vincibili, peccat, et non alia malitia, nisi fornicationis; si ergo ex eadem ignorantia accederet ad uxorem alterius, vel ad consanguineam, contraheret malitiam adulterii vel incestus, quia eodem modo esset ibi voluntarium. Idemque esset, si ex intentione simplicis fornicationis, et ignorantia culpabili accederet ad alienam uxorem, quia idem modus voluntarii in utroque reperitur; neque intentio alterius objecti pravi aut boni quidquam refert ad talem speciem peccati, quia non inde sumitur, sed ex alia materia, seu actu indirecte voluntario, in quo paria sunt illa peccata.

14. *Replicatio.* — Neque vero in eo, qui dat operam rei licitæ, et nihilominus ex ignorantia peccat, actus bonus, quatenus talis est, est causa illius peccati, sed imprudens modus operandi talem actum. Unde qui ex tali ignorantia vincibili operatur, licet videatur bonum operari, aut bona intentione, non tamen bene, neque prudenter; et ideo non excusatur a malitia transgressionis talis præcepti, quæ ex ignorantia vincibili subsecuta est; quapropter neque a censura excusari potest. Alias, si quis laicus in venatione sibi licita interficeret hominem ex incauta jaculatione, et ignorantia vincibili facti, non incurreret censuram, si lata contra homicidam esset; sacerdos vero similem venationem exercens sibi prohibitam, et cum simili ignorantia, illam incurreret. Quod con-

tra rationem est; nam illa culpa venationis valde extrinseca est ad talem censuram. Unde nihil refert differentia quam dicti auctores considerant, scilicet, quod qui dat operam rei illicitæ, directe vult malum; quia non vult directe illud malum, pro quo est censura lata. Et hoc est, quod pertinet ad præsentem causam; sed aiunt, unum malum esse per se conjunctum cum alio, et ideo satis esse unum esse in se volitum, ut et aliud censeatur; malum autem non ita esse conjunctum cum bono. Sed hæc etiam differentia neque universalis, neque formalis est, quia non quodlibet malum est per se conjunctum cum alio malo, nec homicidium casuale magis sequitur ex venatione illicita, quam licita, ob differentiam personarum, si cætera sint paria. Item, licet ex bono morali ut sic non sequatur morale malum per se, tamen cum actione bona potest esse conjunctum periculum alicujus detrimenti vel alterius mali, quod nisi prudenter caveatur, reddet totam actionem malam ex ignorantia vincibili. Denique quod effectus, aut malum, per se aut per accidens sequatur ex actione, potest conferre ad hoc, ut ignorantia sit magis, et minus culpabilis, et ita debet considerari illa diversitas in dante operam rei illicitæ, sicut licitæ. Igitur illa differentia non potest esse formalis. Neque etiam variat speciem peccati, quod per se vel per accidens sequatur ex actione, si alioqui supponatur, in utroque casu culpabiliter sequi, et ex ignorantia vincibili. Nec potest fingi alia species, in qua talis culpa sit, ut patet in exemplis supra adductis. Quanquam non nego, unum peccatum esse gravius alio, et secundum illam gravitatem magis interdum puniri in jure; tamen quod ad censuram contrahendam pertinet, nihil puto referre illud discrimen, si culpa mortalis maneat contra eamdem legem simpliciter prohibentem.

Ignorantiam juris, quæ non excusat a mortali, non excusare censuram. Assertio 2.

15. Ultimo idem censeo dicendum de ignorantia vincibili juris sine distinctione ulla; nam hoc procedit de statutis inferiorum; ergo multo magis de toto jure communi, et Pontificio. Antecedens patet, quia Pontifex in illo cap. 2 de Constit., in 6, excipit omnem ignorantiam crassam vel supinam; ergo ex mente ejus nulla ignorantia statuti excusat a censura, quæ non excusat a mortali culpa; quia omnis illa crassa est vel supina, ut declaratum est. Ad argumentum autem sæpe factum, quia juxta hanc doctrinam nihil novum, aut peculiare statuitur in illo textu, Soto, d. 22, quæst. 1, art. 2, respondet, concedendo Pontificem ibi nullum privilegium, seu indulgentiam dedisse ignorantibus; sed declarasse tantum id, quod ex natura rei justum erat, et communi jure necessarium. Et licet verum sit, id, quod de statutis Ordinariorum ibi dicitur, æque habere locum in legibus Pontificiis, et in jure communi, specialiter vero hoc fuisse ibi declaratum de statutis Ordinariorum, quia fortasse majorem aliquam coactionem suis subditis inferebant, et in suis statutis ignorantiæ excusationem admittere nolebant.

16. Addo etiam, in illo textu non esse sermonem de solis censuris, sed absolute de quibuscumque pœnis, et obligationibus per statuta Ordinariorum impositis; non est autem ex sola rei natura necessarium, ut subditus excusetur ab omni pœna legis humanæ propter ignorantiam etiam invincibilem talis legis, si actus alioqui per se malus est et prohibitus. Voluit autem Pontifex in eo textu, ut in universum omnes, ignorantes statutas Ordinariorum invincibiliter, vel tantum ex levi seu veniali negligentia, excusarentur ab omni pœna illorum. Atque ita, quoad hanc generalem concessionem aliquid novum statuit Pontifex, et quoad eam aliquid etiam speciale admitti potest in statutis Ordinariorum, quod non est commune omnibus decretis juris communis, quamvis in excommunicatione seu censura proprie sumpta, propter peculiarem rationem, et conditionem ejus, necessarium non esset illud speciale jus tanquam aliquid novum decernens, sed solum, ut declarans id quod de se necessarium erat.

SECTIO XI.

Utrum ignorantia excuset censuram ab homine latam.

1. *Censuram ab homine posse ferri in absentem et ignorantem.* — Ultimo loco dicendum superest de censura ab homine lata, an si feratur in ignorantem, illum comprehendat. Ad quam dubitationem respondent Doctores omnes, hujusmodi censuram ferri posse in absentem et ignorantem, ut late tractat Glossa, in cap. Apostolicæ, verb. *Probabili,* de Clerico excommunic. ministrante, quam omnes sequuntur, ut videre licet in Covarr., in cap. Alma, 1 part., § 20, num. 7,

et Ugolin., dict. c. 9, § 8, et aliis, quos ipsi citant. Sumique potest ex verbis Pauli, 1 ad Corinth. 5 : *Ego præsens spiritu, absens autem corpore jam judicavi,* etc. Ubi significat se excommunicasse absentem, ut ibi notavit Ambrosius, et ex illo Stephanus Papa, in cap. De manifesta, 2, quæst. 1. Et idem habetur in cap. cum sit Romana, § Præterea, de Appellat., ubi additur, Paulum excommunicasse absentem et *irrequisitum*, id est non judicialiter citatum, jam vero paternaliter admonitum, ut in superioribus diximus, et ibi notat Glossa.

2. *Non satis colligitur ex Paulo censuram ferri in ignorantem.* — Non vero constat satis ex illo facto Apostoli, eum excommunicasse ignorantem; potuit enim ita excommunicare absentem, ut noluerit illum ligari, donec illi intimaretur censura; imo verisimilius apparet ita factum esse, quia in hunc finem illum excommunicabat, *ut spiritus ejus salvus fieret.* Quamdiu autem ab illo excommunicatio ignoraretur, non poterat illi esse fructuosa; ergo non est verisimile, ita voluisse Paulum ligare absentem, ut statim, antequam ad ejus notitiam censura perveniret, ligatus maneret. Item eo tempore nullum moralem effectum potuisset habere talis excommunicatio, quia neque ipse excommunicatus obligaretur ad vitandum alios, neque alii ad vitandum ipsum; utrosque enim ignorantia excusaret; ut quid ergo Paulus sic absentem excommunicaret? Unde neque ex facto Pauli, neque ex juribus citatis (quæ nihil de ignorante, sed de absente tantum loquuntur) prædicta sententia satis probari videtur.

3. *Suadetur ratione conclusio.* — Potest tamen ex illo principio ita compleri ratio : nam sententia excommunicationis legitimæ profertur in absentem, ut ex dictis testimoniis constat, eademque ratio est de qualibet censura, ut per se notum est; sed sententia censuræ secum affert executionem, ut dicitur in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat; ergo statim habet effectum; ergo etiam ignorantem ligat, cum non possit ad ejus notitiam statim pervenire.

4. Sed neque hæc ratio videtur omnino convincere, quia censura affert secum executionem juxta legitimam intentionem ferentis; quamvis ergo judex ferat sententiam in absentem, intendere potest eum non obligare, donec illi intimetur, sicut de Paulo dicebamus; et tunc certum est sententiam non afferre executionem usque ad tempus ex intentione judicis præfinitum. Videtur autem necessarium esse, ut talis sit intentio judicis, quia de ratione sententiæ est, ut non obliget donec sciatur, ut sumitur ex cap. Biduum, vers. *Si adversus absentem,* 2, quæst. 6; ergo justa intentio ferentis sententiam censuræ esse debet ut non liget, donec intimetur.

5. Sed nihilominus dicendum est, quamvis sententia censuræ possit hoc modo ferri, idque ad benignitatem judicis pertinere possit, simpliciter tamen, id non esse de substantia, imo nec de justitia talis sententiæ. Omnis enim sententia, ex quo juridice pronunciatur, valida est, statimque suum robur, suamque efficaciam habere incipit, etiamsi nondum sit reo intimata; quamvis quoad illas actiones, quæ requirunt ejus scientiam, non obliget, vel non operetur, donec intimata sit. Unde, si talis sit sententia, ut per interpositam appellationem possit suspendi ejus effectus, tunc si sententia sit lata in absentem, tempus ad appellandum concessum, non incipit computari, donec ad ejus notitiam sententia pervenerit, quia illa actio omnino pendet ex tali notitia, et hoc est, quod statuitur in dict. c. Biduum. At vero hoc non habet locum in sententia excommunicationis, quæ non suspenditur per subsequentem appellationem; et ideo ita ferri potest, ut statim operetur, quantum valet, etiam contra ignorantem, saltem quoad illos effectus, qui ejus notitiam non requirunt. Non est ergo hoc contra substantiam talis sententiæ. Quod vero fieri etiam possit, ut non sit contra justitiam, patet, quia tanta potest esse iniquitas, et contumacia delinquentis, ut hoc genus pœnæ, et condemnationis juste mereatur. Quod magis patebit explicando amplius hanc communem sententiam; quæ vera quidem est. oportet tamen circa illam nonnulla observare.

Quædam notanda pro conclusionis explicatione.

6. *Ut censura in ignorantem feratur, debet præcessisse admonitio.* — Primum est, ut hæc sententia feratur in ignorantem, supponi debere illum fuisse sufficienter admonitum, ut expresse advertit Covarruv. supra, et constat ex dictis superius de modo ferendi hanc sententiam. Unde intelligitur ratio a priori, ob quam ignorantia non impedit censuram sic latam, scilicet, quia talis ignorantia non tollit contumaciam, sed potius illam supponit; et ideo ex parte delinquentis supponit sufficientem causam censuræ; ex parte vero judicis

est sufficiens potestas ad ligandum, quæ, ut operetur, non requirit præsentiam vel scientiam alterius, sed causam, et subordinationem, id est, quod sit illi subjectus; ergo hæc ignorantia impedire non potest censuram.

7. *An si tempore quo censura fertur reus jam resipuit, illa ligetur.* — *Ratio pro parte negativa.* — Solum posset quis dubitare, si contingeret, eo tempore, quo fertur censura, alium jam resipuisse, et satisfecisse, seu paruisse Ecclesiæ, ita tamen, ut ad notitiam judicis pervenire non potuerit, an censura in eum lata valida sit, vel impediatur. Videtur enim impediri, quia jam non subest vera causa ejus, et ablata causa necessaria, impeditur effectus. Item, si alterius obedientia et satisfactio ad notitiam judicis pervenisset, non posset in illum ferre talem sententiam; fuisset enim injusta, et nulla, utpote ex falsa causa; quod autem judex ignoret statum alterius absentis, extrinsecum valde est, et accidentarium; non ergo debet alteri nocere, sed in tali sententia subintelligi debet saltem tacita conditio, *si in sua contumacia perseveret*, sicut etiam subintelligitur alia conditio, *donec resipiscat*. Etenim si juxta intentionem Ecclesiæ censura permanere non debet in eo, qui jam est Ecclesiæ obediens, nam statim absolvendus est, multo magis inferri non debet ei, qui jam est obediens; si ergo per errorem, vel falsam præsumptionem feratur, non valebit.

8. *Ratio pro parte affirmativa.* — *Resolutio.* — In contrarium vero est, quia illa censura non fertur propter perseverantiam in contumacia usque ad illud tempus, in quo sententia fertur, sed pro contumacia consummata in tempore per admonitionem præscripto; quæ contumacia vera fuit, et in re; ergo talis sententia fundatur in vera, et et legitima causa. Nam talis censura, quæ per sententiam fertur post sufficientem monitionem, jam non fertur sub conditione in futurum, sed pure et absolute in pœnam contumaciæ; ergo ex parte causæ, et ex modo, quo fertur, talis sententia valida est, nec potest impediri ob mutationem, vel resipiscentiam peccatoris, quia non est lata sub opposita conditione, nec dependenter ab illa. Adde, quod, licet ille peccator resipiscat apud Deum, tamen coram Ecclesia non obedit, donec se superiori præsentet, et priorem contumaciam corrigat, ac paratum se ad satisfaciendum ostendat; ergo si prius quam hoc faciat, a superiori ligetur, ligatus manebit donec absolvatur, etiam si occulte resipuerit. Atque ita scientia superioris de resipiscentia alterius non concurrit omnino per accidens, sed per se; pertinet enim, moraliter loquendo, ad ipsam causam censuræ. Et ita facile solvuntur priores rationes dubitandi. Unde hæc posterior pars sequenda est in praxi, quamvis speculative res dubia esse videatur.

9. *Quamdiu ligatus censuram ignoret, excusari ab ejus transgressione.* — *Quid si probabiliter timeat censuram jam esse latam.* — Secundo observandum est, quamdiu is, contra quem fertur censura, illam ignorat, excusari a transgressione ejus, etiamsi efficiat actus per illam prohibitos, quia respectu illorum censura habet vim cujusdam præcepti. Et ideo, sicut ignorantia præcepti excusat a culpa, ita etiam ignorantia censuræ. Quo fit, ut oporteat talem ignorantiam invincibilem esse, quia alia non excusat. Unde interrogare aliquis potest, quando peccator jam sufficienter fuit admonitus, et vehementer suspicatur fuisse in illum sententiam excommunicationis latam, quia scit sufficiens tempus jam elapsum esse, et superiori de sua contumacia constitisse, an tunc teneatur abstinere, eo quod jam ejus ignorantia non videatur invincibilis, sed constituens illum in dubio probabili. Respondeo primum : si hujusmodi peccator loco distet a superiori cujus censuram expectat vel potius timet, quamvis fuerit elapsum sufficiens tempus, ut potuerit ligari, si tamen non fuit sufficiens tempus elapsum, ut etiam potuerit illi intimari sententia, non tenetur ob prædictam suspicionem abstinere, tum quia præceptum non obligat, donec possit a subdito sciri, vel saltem non ita obligat, quin ejus ignorantia sufficienter excuset; tum etiam quia illa suspicio non est sufficiens ad obligandum, quia fieri potuit, ut superior mutaverit voluntatem, vel distulerit executionem, propter rationes, vel impedimenta, quæ frequenter occurrunt.

10. At vero, si tantum temporis elapsum est, ut potuerit non solum sententia ferri, sed ad notitiam ejus deferri, ulterius subdistinguendum videtur; nam, aut ille consulto sese occultat, aut fugit, ut notitia sententiæ ad illum non perveniat. Et tunc non excusatur, quia illa ignorantia non solum invincibilis non est, verum potius videtur affectata. Quod etiam confirmari potest a simili ex supra dictis de illo, qui per vim, vel fraudem im-

pedit, ne admoneatur; est enim hic eadem, vel major ratio. At vero, si ille nullo modo se occultavit, sed bona fide se gessit, et nihilominus nullam notitiam latæ sententiæ habet, non tenetur illam præsumere, neque illam ita formidare, ut abstinere cogatur. Tum propter dicta, quia illa suspicio est insufficiens, cum multis de causis potuerit pronunciatio sententiæ suspendi; tum etiam quia illamet temporis dilatio infert jam contrariam suspicionem, nimirum, sententiam prolatam non esse; nam si fuisset, vel per judicis diligentiam, vel per famam, quæ in his rebus facile diffunditur, ad notitiam partis pervenisset. Oportet ergo, ut vel per judicem notificetur, vel saltem ut probabilibus et fide dignis testimoniis constet sententiam fuisse latam. Non enim opinor necessarium esse, ut semper hæc notitia per notificationem juridicam habeatur, distinctam a sententiæ promulgatione, sed satis esse, ut sententia sufficienter promulgata quacumque via in sufficientem notitiam deveniat; sicut in promulgatione legis vel statuti manifestum est. An vero teneatur hujusmodi reus inquirere, et diligentiam facere ad hanc notitiam habendam, respondeo, per se loquendo, non teneri, quia in his, quæ pœnalia sunt, et coactiva, satis est passive se habere ad inflictionem pœnæ; hæc autem notificatio censuræ est veluti pars executionis ejus; et ideo ad judicis munus spectat illam procurare, non ad ipsum reum. Solum ergo tenetur per vim, vel fraudem illam non impedire.

11. *Num sufficiat censura per famam, ut quis abstinere teneatur.* — Rursus inquiri hic potest, an sufficiat notitia censuræ per solam famam, ut aliquis abstinere, seu censuram servare teneatur. Nonnulli enim Canonistæ ita simpliciter affirmant; quia talis fama, vel confert sufficientem notitiam censuræ, vel constituit hominem in eo statu, ut merito dubitare possit; qui autem dubitat de censura, ut tutiorem partem sequatur, abstinere debet, juxta cap. Illud, de Cleric. excommunicato ministrante; ubi Abbas id notat, et in cap. Apostolicæ, eod. tit., cum Glossa, ibi. Idemque colligitur ex cap. Cum desideres, de Sentent. excomm., ubi dicitur, *si publica fama est*, quemquam verberasse aliquem clericum, non esse cum illo communicandum. Quod procedebat juxta antiquum jus; nunc enim juxta Extravag. *Ad evitanda,* solum tenemur evitare hunc percussorem, quando est ita manifestus, ut nulla tergiversatione possit celari. Illud vero jus antiquum multo magis obligabat ipsum excommunicatum, quandocumque illi per famam de sua excommunicatione constabat; hoc autem jus respectu ipsius excommunicati integrum manet. Atque hæc sententia præsertim propter hæc jura positiva vera videtur, dummodo fama sit talis, ut prudenter considerata cum aliis circumstantiis probabilem saltem fidem facere possit. Præsertim, cum facile sit, remedium absolutionis ad cautelam adhibere. Quod si hoc locum non habeat, saltem est diligentia adhibenda ad veritatem indagandam, ut vel certitudo de re ipsa habeatur, vel certe, si dubium adhuc maneat, speculativum tantum, et non practicum sit, ut eo non obstante possit quis suo jure, et libertate uti, juxta regulas conscientiæ.

12. *An censura ignorata causet effectus, qui ex notitia rei pendent.* — Tertio observandum est, quod supra diximus, censuram duplices habere effectus : quosdam præcipiendo tantum, de quibus procedunt, quæ in proxima animadversione notavimus; alios per se ipsam efficiendo, et exequendo, qui non pendent ex notitia, vel ignorantia ejus, qui per sententiam ligatur, ut quod reddatur incapax beneficii, vel aliquid simile. Et de his est nonnulla dubitatio, an talis sententia statim habeat hos effectus circa ignorantem. Quam tractat Glossa, in dicto cap. Apostolicæ, verb. *Probabili*, de Cleric. excommun. minist., et licet in utramque partem dubia proponat, tandem definit, quoad hos effectus non pendere executionem sententiæ ex scientia, vel ignorantia ejus, in quem fertur. Quæ est vera, et recepta sententia, ut patet ex Covarruv. sup., et § 7, num. 2; et Ugolino, dict. § 8, num. 5. Et ratio est, quia quoad hunc effectum non pendet sententia ex actione, vel obligatione rei, sed in illum efficaciter operatur, ipso etiam non consentiente; ergo neque etiam pendet ex ignorantia vel scientia ejus. Patet consequentia, quia ignorantia in aliis effectibus solum excusabat propter obligationem vel consensum necessarium ex parte alterius. Et explicatur a simili ex communi doctrina de legibus positivis, quæ etiam proportionaliter habere possunt illos duos effectus obligandi et irritandi; et, licet prior excusetur per ignorantiam, non tamen posterior, per se loquendo, quia ille fit ab ipsa lege, et non expectat consensum, vel operationem alterius.

13. *Quid si excommunicatus occultus absolvat.* — Et hinc colligitur, si talis censura excommunicatio sit, irritam reddere collationem beneficii, et jurisdictionem tollere, et similia, de quibus infra, tractando de censuris in particulari, dicemus. Statim vero occurrebat inconveniens, quia sequitur absolutionem datam ab hujusmodi excommunicato etiam in foro conscientiæ esse nullam, quia privatus est jurisdictione; quod tamen cederet in periculum animarum, cum illa excommunicatio tunc invincibiliter etiam ignorari possit. Sed ad hoc jam supra significatum est, et infra latius dicetur, eum, qui communi existimatione toleratus est, non privari jurisdictione quoad hos actus; non quia sententia ad hoc etiam non esset efficax, *de se ac per se* (hanc enim particulam propterea superius addidi), sed quia propter commune bonum Ecclesia ex benigna providentia talem jurisdictionem concedit. Unde etiam si ipse reus non ignoraret suam censuram, si in communi Ecclesiæ existimatione ignoraretur et reputaretur minister idoneus, idem dicendum esset. Non ergo id provenit ex ignorantia, sed ex alio capite.

DISPUTATIO V.

DE IIS IN QUOS POTEST FERRI CENSURA.

Hæc est ultima causa censuræ, quæ rationem materialis participat; et magna ex parte in superioribus explicata est, tum quia is, in quem fertur censura, delinquens, et peccator esse debet; tum etiam quia oportet, ut sit subditus ejus, qui fert censuram; et ideo ex iis, quæ diximus de causa censuræ, et de jurisdictione ad illam ferendam necessaria, facile possunt intelligi conditiones requisitæ in subjecto censuræ; pauca vero addenda sunt ad materiæ complementum.

SECTIO I.

Quæ conditiones in aliquo requirantur, ut capax sit censuræ.

1. *Solus homo viator ligari potest censura.* — Primum suppono, hominem tantum viatorem, et consequenter viventem in hac vita mortali, posse censura ligari proprie et in rigore loquendo. Ita supponunt omnes, qui de hac materia scribunt. Et patet facile ex dictis; nam solus homo viator est capax delicti, et emendationis ejus; utrumque autem requiritur in subjecto capaci censuræ; nam fertur propter delictum, et contumaciam, ut dictum est ex Matth. 18, et fertur ob emendationem ejus, et salutem animæ, ut dictum etiam est ex 1 ad Corinth. 5. Bruta ergo animantia excluduntur, quia non sunt capacia delicti; et eadem ratione beati omnes excludi possunt; damnati vero, quia jam non possunt emendare delictum; præterquam quod omnes illi sunt extra forum Ecclesiæ, vel natura sua, ut Angeli, vel ratione status, ut animæ separatæ. Adde, effectus censurarum, quales sunt privatio communicationis civilis aut sacræ, usus sacramentorum, vel sacrificii, etc., non habere locum in his omnibus, sed in solo homine viatore, quia nemo privatur nisi iis, quæ habet, vel habere potest.

2. *Objectio.* — *Quo sensu anathematizantur res insensibiles ac dæmones.* — Hic vero objici potest, quia interdum quædam animantia bruta, ut locustæ, et similia, quæ fructus terræ devastant, excommunicari dicuntur. Item quod Paulus anathema dicit in eum, qui contra Evangelium docet, etiam Angelus sit, ad Galat. 1. Et inter exorcizandum, dæmones excommunicari, et anathematizari dicuntur. Item, quia interdum mortui etiam excommunicari possunt, cum possint absolvi, ut sumitur ex multis decretis, 24, quæst. 3. Sed hæc facile expediuntur, si advertamus in primis, verbum anathematizandi, et excommunicandi, interdum accipi pro verbo execrandi, et detestandi et separandi a nobis aliquid tanquam noxium et execrabile. Et hoc sensu non tantum personæ, sed interdum etiam res aliæ, verba seu sententiæ aut hæreses anathematizari dicuntur. Sic enim hæretici, cum abjurant errores, eos anathematizant, cum tamen nec ipsi censuras ferre possint, neque ipsæ hæreses capaces sint censuræ; significant ergo se execrare et a se omnino separare tales errores. Atque hic est usus antiquissimus a Conciliis, et summis Pontificibus observatus, ut patet ex cap. Ego Berengarius, de Consecr., dist. 2, et cap. Donatum, cum aliis, 1, quæst. 7, ex Leone Papa, epist. 5 et 87. Imo et Josue, 6 et 7, hoc sensu dicitur : *Sit civitas hæc* (scilicet Hiericho) *anathema, et omnia, quæ in ea sunt, Domino;* id est execrabilis, et prorsus destruenda, ac succendenda. Unde additur : *Sola Rahab meretrix vivat.* Et frequens est illa significatio. Cum ergo exorcizantur animalia bruta, et similia, verba quæ in illa dicuntur, solum sunt imprecationes quædam, quibus Christia-

nus populus a Deo postulat, ut illa avertat ac destruat. Dicere autem similia verba intentione ferendi censuram superstitiosum esset, ut recte dixit Navarr., in Summ., cap. 27, num. 13. Atque in eodem sensu dicit Paulus anathema in eum, qui aliud evangelizaverit, quam quod ipse evangelizaverat, etiamsi esset Angelus, quod per exaggerationem dixit Paulus, ad ostendendam firmitatem fidei, et quam sit execrabilis, et fide indignus, qui contrarium prædicat. Unde Basilius, in regulis brevius disput., in 114, ita fere exponit : *Talis fugiendus est, atque execrationi habendus.* Et eodem sensu accipienda sunt similia verba, quoties in dæmones dicuntur.

Quomodo mortui excommunicari dicantur.

3. *Non potest mortuus directe censura ligari. — Anima separata est incapax censuræ. — Corpus exanime non est censura ligabile.* — De ultima vero parte objectionis nonnulla major controversia est; nam quidam contendunt hominem mortuum posse censura ligari, quia interdum jura hoc modo loqui videntur. Tamen res est facilis, si recte attendatur. Nam directe, ac (ut ita dicam) in se ipso, non potest homo mortuus censura ligari, et consequenter, nec in eum potest directe censura ferri. Ita docet Joan. de Lignano, in tit. de Censuris, § 9, num. 2 et 3; Navarr., in Sum., cap. 27, num. 13; Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 11, num. 8; Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., cap. 19 et 20. Et potest facile probari rationibus, quibus supra ostendimus, solum hominem viatorem censura ligari posse; nam homo jam mortuus, nec simpliciter homo, neque viator est. Et explicatur in hunc modum : nam vel censura talis ferretur in animam separatam, vel in corpus mortuum; non in animam, tum quia jam est extra forum Ecclesiæ militantis; nemo autem ligatur a non suo judice, ut ad rem præsentem dicitur in cap. Quod autem, de Pœnit. et remiss. Tum etiam quia, si est in inferno, jam habet ultimam pœnam, et est incapax omnis spiritualis beneficii, et est extra omne consortium hominum mortalium, unde nullis bonis privari potest per Ecclesiam. Si autem est in purgatorio (nam de beatis nulla est dubitandi ratio) jam non est neque esse potest digna tali pœna; propter quod, licet Ecclesia haberet directam potestatem in animam in eo statu existentem, non haberet illam quoad hunc actum ferendi censuram. Unde, ut statim dicam, neque indirecte potest illam exercere respectu animarum purgatorii. Neque etiam corpus exanime per se et directe est capax censuræ, cum nec rationis usum habeat, neque obligari per censuras possit, ut emendetur; qui est proprius censuræ finis, ut in superioribus dictum est.

4. *Objectio.* — Ex quo sumitur nova ratio; nam censura vel fertur a jure, vel ab homine; illa prior, vel in hac vita contracta est; et sic, quamvis fortasse fuerit occulta, et post mortem declaretur, non tunc censura fertur in mortuum, sed publicatur censura, quam vivus occulte incurrerat. Si autem ante mortem non fuit contracta, neque postea potest. Quia jam tunc non alligatur homo Ecclesiasticis juribus, neque illa transgredi potest. At vero censura, cum ab homine fertur, requirit præviam monitionem, quæ mortuo fieri non potest. Dices : contingere potest, ut admonitio tempore vitæ facta sit, et ille moriatur, priusquam sententia feratur; ergo poterit in illum ferri, postquam mortuus est. Respondetur, si tantum esset sententia declaratoria, esset quidem id verum; in condemnatoria autem non potest habere locum. Et est aperta differentia, quia illa prior respicit tempus præteritum, et solum declarat delictum commissum, et pœnam jure ipso illatam, quam propterea exequi potest judex, etiam post mortem delinquentis juxta capacitatem illius. At vero posterior sententia condemnatoria in præsenti et de novo pœnam imponit; et ideo requirit tunc actualem jurisdictionem in ipsum, quam habere non potest in hominem jam mortuum. Et præterea, cum hæc pœna medicinalis sit, semper requirit, ut is, in quem de novo fertur, sit in statu, in quo possit salus, vel fructus aliquis sperari.

5. *Aliqua jura contra resolutionem datam objiciuntur.* — Atque hinc facile intelliguntur aliqua jura, propter quæ nonnulli Doctores aliter loquuntur absolute dicentes hominem mortuum posse excommunicari, vel alia censura affici. Ita Richar. in 4, d. 18, art. 5, quæst. 4; et Gabr. ibi, quæst. 2, art. 2, corollar. 4, post concl. 2; et aliqui etiam Canonistæ ita sentiunt; quoniam in cap. Sane, 24, quæst. 2, de hæreticis dicitur, post mortem esse anathematizandos et condemnandos; ubi ex Conciliis, et ex D. August. multa referuntur; Cyprian. etiam, lib. 1, ep. 9, propter speciale crimen quemdam mortuum excom-

municavit, ut refertur in c. Neque, 88 dist.; et in cap. Si quis Episcopus, de Hæreticis, præcipitur, ut propter quædam delicta Episcopi, *saltem post mortem ei anathema dicatur; atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.* Ubi Glossa dicit hoc esse speciale in crimine hæreseos; tamen male exponit textum: nam aperte extendit illam pœnam ad alia crimina. Et patet etiam ex Conc. Africano sub Bonifacio, cap. 48. Accedit, quod post mortem durat excommunicatio, si quis fuit in vita ligatus, et ante mortem non fuit absolutus; et ideo etiam post mortem interdum datur, et necessaria est absolutio, ut constat ex cap. A nobis 2, et cap. Sacris, de Sentent. excomm. Ergo etiam potest de novo censura post mortem inferri; patet consequentia, tum quia ejusdem rationis est ligatum teneri vel de novo ligari; tum etiam quia eadem ratio est potestatis ligandi, atque solvendi, quia utraque jurisdictionem requirit. Quod sumitur etiam ex cap. Verbum, de Pœnitent., d. 1; imo in dicto cap. A nobis, dicitur, in certis casibus a canonibus denotatis, legi, Ecclesiam ligasse mortuos et solvisse.

6. *Objecta jura exponuntur. — In mortuum potest ferri sententia declaratoria.* — Sed hæc, si recte expendantur, contraria non sunt; nam in primis fere in omnibus juribus priori loco adductis sermo est de sententia declaratoria; nam hæretici vel fautores hæreticorum, et similes, ipso jure excommunicati sunt; et ideo si post mortem de eorum delicto constet, merito anathematizantur, et suffragiis, ac Ecclesiastica sepultura privantur; tunc enim non fertur censura in mortuum, sed promulgatur, et observari mandatur illa, quæ jam lata fuerat in hominem, dum vivebat. Quanquam enim per mortem hominis excommunicati videatur destrui censuræ subjectum, et consequenter ipsa censura, juxta illud, *destructis nobis, destruuntur ea, quæ sunt in nobis,* nihilominus tamen, quia per censuras redundat obligatio in alios, præter eum, in quem directe fertur, et jus aliquod acquiritur ipsi Ecclesiæ, ut hæc serventur, quatenus post mortem alterius possunt, ideo Ecclesia merito præcipit, ut observentur, et ad hoc ordinatur sententia declaratoria criminis, et hæretici anathematizatio. Nam ex vi excommunicationis, quam in hac vita hæreticus incurrit, et durat usque ad mortem, habet jus Ecclesia privandi illum suffragiis et sepultura sacra; et hoc præcipit a fidelibus observari, quod non tam est censuram mortuo imponere, quam vivis imperare. Tunc autem illa promulgatio et executio prioris censuræ non ordinatur ad emendationem defuncti, imo ille supponitur jam omnino damnatus, sed ordinatur ad terrorem viventium, et ad condignam punitionem delicti propter commune bonum. Et quoad hoc deficit etiam, in illa pœna, propria et peculiaris ratio censuræ, et transit in rationem puræ et justæ vindictæ.

7. *Quare excommunicatus post mortem declaretur.* — Addo præterea, per hujusmodi sententiam juridice et humana fide proponi Ecclesiæ, illum hominem esse in statu damnationis; ex quo fit consequenter, ut ipso jure et anima ejus sit incapax suffragiorum, et corpus ejus indignum Ecclesiastica sepultura, non solum propter censuram, sed etiam propter statum. Unde omnis, qui publice in Ecclesia decedit in statu peccati mortalis, et cum sufficientibus signis impœnitentiæ finalis, etiamsi nulla censura affectus sit, Ecclesiastica sepultura privatur, ut constat ex cap. Placuit, 23, quæst. 5, et cap. Ex parte, 2, de Sepult., ubi Gloss., verb. *Communicabatur,* plura ad hoc refert. Nam corpus afficitur honore ratione animæ, et ideo si publice, et in foro Ecclesiæ anima creditur fuisse damnata, merito corpus ejus Ecclesiastico honore privatur.

8. *Potest Ecclesia mortuum privare suffragiis, licet non judicet esse damnatum, neque in vita incurrisse censuram.* — Præter hæc vero, quæ fieri possunt per sententiam tantum declaratoriam et executionem censuræ in vita contractæ, existimo posse Ecclesiam propter delicta in vita commissa, etiamsi non habuerint censuram annexam, post mortem privare suffragiis suis, et honore sepulturæ in loco sacro, etiamsi non judicet, nec declaret talem defunctum fuisse damnatum; nam, si hoc judicet, res est prorsus indubitata, ut patet ex paulo antea dictis, quia jam tunc adjungitur prioribus culpis peccatum finalis impœnitentiæ, quod dignum est illa pœna; et ratione illius fortasse dictum est 1 Joann. 5: *Qui viderit fratrem suum peccare peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut oret quis.* Quod vero, etiam sine illa circumstantia finalis impœnitentiæ cognita, interdum hoc possit juste facere Ecclesia, probatur, quia interdum potest respublica punire post mortem aliqua delicta in vita commissa, quando propter eorum atrocitatem ita expedit ad commune bonum; ergo etiam hoc potest Ecclesia per pœnas suæ potestati proportionatas, et quæ

conferre possunt ad exemplum et terrorem aliorum fidelium.

9. Sicque legimus de D. Gregorio privasse quemdam religiosum defunctum suffragiis et communi sepultura, propter inventam apud eum pecuniam, cum tamen non constaret illum fuisse damnatum. Et ad idem induci possunt textus in cap. 2 et 4 de Statu monachor. Et similiter intelligi potest factum Cypriani in dict. cap. Neque, ubi prohibet fieri oblationem et deprecationem in Ecclesia pro quodam Victore defuncto, eo quod in vita Ecclesiasticum quoddam decretum transgressus fuerat, cui tamen decreto nulla excommunicatio ipso facto erat annexa, quantum ex illo loco colligitur; sed ipse propter commune bonum illam pœnam imposuit, ut satis indicant illa ultima verba textus, *ut decretum sacerdotum religiose et necessarie actum, servetur a nobis*. Et eodem modo intelligo textum in dicto cap. Si quis Episcopus; non enim videtur ibi imposita excommunicatio, quæ ipso jure in vita incurratur, et nihilominus dicitur, ut *saltem post mortem dicatur ei anathema, et nomen ejus inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur*. Quanquam etiam dici possit illam censuram ipso jure imponi, ita tamen, ut non incurratur, vel saltem non promulgetur publice, donec peccatum, de quo ibi est sermo, plene consummetur. Est autem talis generis illud peccatum, ut non consummetur, nisi in morte, ad similitudinem finalis impœnitentiæ; nam illud erat peccatum instituendi hæreticos vel alios similes in hæredes; quæ institutio fit per testamentum, quod tantum per mortem firmatur juxta l. 4, et similes, ff. de Adimen. legat. Et ita peccatum illud tunc plene consummatur. Qui sensus probabilis est. Tamen, quia ibi nullum est verbum, quo indicetur, talem censuram ipso facto incurri, addo, posse Ecclesiam talem pœnam post mortem imponere, ut declaratum est.

10. *Tunc autem non fertur censura in mortuos, sed imponitur præceptum vivis. — Cur mortui propter vindictam suffragiis priventur, non autem vivi.* — Neque hoc repugnat superius dictis, quia tunc non ligatur mortuus directe et in se ipso, sed præcipitur vivis, ne hoc vel illud faciant circa ipsum. Et præterea illa pœna non habet propriam rationem censuræ, quia medicinalis non est, sed tantum ad aliorum terrorem ordinatur. Dices : viventes nunquam privantur suffragiis propter solam vindictam delicti, nisi in ordine ad emendationem; cur ergo privantur mortui? Respondeo : propter diversitatem status et periculi. Nam, si mortuus extra gratiam decessit, nihil illi amplius nocebit suffragiorum carentia; si vero decessit in gratia, nullum ruinæ periculum potest illi imminere ob defectum suffragiorum, sed solum potest inde fieri, ut ejus pœna in purgatorio diuturnior sit. Et hoc non reputatur ab Ecclesia inconveniens, sed justa pœna delicti, et necessaria ad observationem Ecclesiasticæ disciplinæ. At vero, quamdiu homo in hac vita vivit, semper imminet periculum majoris ruinæ, quoad culpam et condemnationem. Et ideo Ecclesia nullum privat suo subsidio, valde utili ad cavendum hoc periculum, in solam culpæ vindictam, sed in ordine ad emendationem et cum aliqua illius spe.

11. *Quid dicendum de absolutione a censura post mortem.* — Tandem hinc constat quid dicendum sit ad ultimam difficultatem de perseverantia censuræ et necessitate absolutionis post mortem; eadem enim proportione videtur loquendum. Quod significavit Paludan. in 4, dist. 18, quæst. 1, num. 7, dicens : *Si excommunicati sunt mortui, licet non sit pro eis orandum publice propter scandalum, si non fuerint absoluti, ab illo tamen, qui credit quod sunt mortui in charitate, potest intendi, quod sint participes suorum bonorum, quia jam non sunt ligati.* Sentit ergo censuram per mortem re ipsa tolli et dissolvi; in foro autem Ecclesiæ aliquo modo manere; et ea ratione esse necessariam absolutionem. Et Covarruv., dict. § 11, n. 8, eadem proportione loquendum censet de censura et absolutione; et decisionem cap. A nobis, ita intelligendam putat, *ut constet Ecclesiam militantem, nec ligare, nec solvere mortuos, sed potius declarare eos decessisse ligatos vel absolutos;* vel certe (ut statim addit) ut intelligamus Ecclesiam solvere mortuos vel ligare, non quoad ipsos, sed quoad actus vel effectus per vivos erga mortuos agendos. Solum est advertendum discrimen; nam, quando censura lata est vivente peccatore, licet directe in eum feratur, ex ea tamen redundat in alios quædam obligatio, quæ permanet mortuo excommunicato sine absolutione a censura, etiamsi contritus et in gratia discedat; et quoad hanc partem non tantum durat obligatio in foro exteriori, seu in æstimatione, sed vere permanet in re et in conscientia, quia Ecclesia ita declaravit vim hujus præcepti. Fuitque ita conveniens, ut censura in majori esset timore ac reverentia, et ut fideles magis essent solliciti de obtinenda

absolutione propter periculum mortis. At vero postquam jam homo defunctus est sine censura, non potest in eum directe ferri, ut inde in alios redundet, sed solum potest declarari, si contracta fuit, vel ad summum potest aliqua prohibitio similis viventibus fieri circa actus exercendos erga defunctum, quod certe raro fit, si censura non præcessit in vita; et omnino nunquam fiet, si defunctus, quantumvis peccator, ante mortem exhibuit sufficientia signa fidei, et pœnitentiæ, ac obedientiæ ad Ecclesiam.

12. *Si homo moriatur ante censuram contractam sub conditione impositam, post mortem non potest illam contrahere.* — Ex quo obiter intelligitur, quotiescumque homo moritur, antequam censuram contrahat sub conditione impositam, postea non posse illam incurrere, neque indigere absolutione, vel quoad se, vel quoad alios. Probatur ex fundamento posito, quia ille jam in se est incapax censuræ. Et obligatio respectu aliorum non redundat, nisi supposito valore censuræ respectu ejus, in quem directe fertur. Declaraturque exemplis; nam, si alicui præceptum sit, ut restituat, vel satisfaciat intra mensem sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et ante expletum mensem moriatur, ille in censuram non incidit vivens, quia neque fuit in mora, nec contumax, nec impleta fuit conditio. Quando autem illa impletur, jam ille non est capax censuræ, neque obligationis provenientis ex præcepto Ecclesiastico, maxime cum illam jam implere non possit. Dices, debuisse prævenire tempus solutionis, seu observationis talis præcepti, si potuit et periculum mortis prævidit. Respondetur fortasse debuisse ex justitia, aut ex alia naturali obligatione, ad quam ille actus pertinebat; tamen ex vi illius Ecclesiastici præcepti non fuisse ad id obligatum, quia lex non plus obligat, quam verbis exprimat; illa autem lex solum voluit obligare infra certum terminum, quem ipsa, quantum in ipsa erat, ut sic dicam, concessit ad differendam solutionem usque ad illum, et ante illum noluit per censuram obligare; nihilque excepit, ut supponimus, de articulo mortis; ergo ex vi illius legis non tenetur ad illam anticipationem. Quare licet daremus illum peccasse mortaliter, non solvendo ante mortem, nihilominus non incurrit illam censuram. Fieri autem potest, ut neque alia ratione peccet.

An qui præcepit clericum interfici, et ante executionem moritur, postea sequuta morte ligetur censura.

13. *Ugolini ratio.* — Hinc etiam sumenda est decisio alterius quæstionis, quam de eo, qui mandavit, dum viveret, interficere clericum, et mortuus est, antequam imperium fuerit executioni mandatum, postea vero subsequitur executio, an ille mandator incipiat tunc ligari excommunicatione lata in cap. Si quis suadente. Illam enim incurrit non tantum qui per se ipsum, sed etiam qui sua auctoritate, vel mandato violentas manus in clericum injicit, cap. Mulieres, § Illi vero, de Sent. excom.; non incurrit autem talem censuram statim ac mandatum dat, donec effectus sit subsecutus, quia, si non sequeretur effectus, nec censura contraheretur, ut in superioribus diximus; hac ergo ratione merito dubitatur, an, si tempore executionis effectus, sit mandator mortuus, incipiat censura ligari. Quam quæstionem late tractat Ugolin., tab. 1 de Cens., cap. 17, § 2, num. 5. Et quatuor refert opiniones; ipse vero tandem resolvit mandatorem illum non incurrere censuram, ex quodam fundamento legali, quod mandatum morte mandantis extinguitur; ergo quidquid postea mandatarius operatur, jam non facit auctoritate mandantis, sed sua voluntate; ergo jam non debet mandanti imputari, et consequenter ad eum jam non pertinebit censura, quæ in mandantem lata est.

14. *Impugnatur.* — Quæ ratio mihi quidem non satisfacit; nam quod leges disponunt mandatum solvi morte mandantis, § Recte, Instit. de Mandato, intelligitur quoad obligationem mandatarii de exequendo mandato; et consequenter, quantum ad valorem civilem actionis, prout pendebat ex auctoritate mandantis. Quæ duo in proposito locum non habent, quia illud mandatum de se tale erat, ut obligationem non induceret, ut per se constat; ergo quantum ad hoc non solvitur per mortem; nam semper solutum erat. Neque etiam quantum ad valorem actionis, quæ ex illo mandato fuit subsecuta; nam ita valuit, ut fuerit vera clerici percussio vel occisio, ut supponimus; ibi enim non spectatur aliquis valor civilis, sed realis et physica percussio. Denique mandatum illud per solam mortem non intelligitur retractatum: et ideo inter homines multum movet ad operandum, etiam post mortem mandantis. Unde obediens filius aut subditus retinet, et observat præceptum

patris vel principis, etiam mortui. Et iniquus famulus ex vi mandati domini defuncti, etiamsi injustum sit, pravam actionem exequitur. Nec leges civiles potuerunt hanc vim auferre mandato, cum dicunt per mortem extingui, sed solum civilem actionem, obligationem aut valorem. Ratio autem, ob quam mandans excommunicatur, non est propter civiles respectus, sed propter vim motivam, quæ est in mandato. Hac enim ratione is censetur committere, qui mandat, ut dicitur in dicto § Illi vero.

15. *Quæstionis resolutio et germana ejus ratio.* — Addo quæstionem hanc universaliorem esse, quam ut possit ex illo principio definiri. Quid enim si quispiam sacerdoti dedit venenum, quod ejus mortem non operetur usque ad certum diem, v. gr., trigesimum, ipse vero, qui dedit, moriatur ante illud tempus? Nonne de hoc eadem quæstio manet, an post mortem suam, quo tempore alius moritur, censuram incurrat? Et similes casus possunt facile excogitari. Quos omnes definiendos censeo ex illo principio, quod homo jam mortuus incapax est censuræ, quæ primo directe in ipsum feratur ; nam hinc fit, ut in eis casibus non incurratur censura. Quod in illo exemplo de mandante docuerunt Glossa, Innocent., Abbas et alii in dicto § Illi vero, quamvis non omnes nitantur dicto fundamento; illud tamen existimo esse solidum, et universale, quantum spectat ad proprietatem et rigorem censuræ. Ut enim incurratur censura, necesse est, ut subjectum sit habile et capax ejus, non solum in eo tempore, in quo dedit causam delicti, ob quod censura incurritur, sed maxime in eo, in quo effectus consummatur. Nam tunc censura quasi inhærere incipit; non tamen potest inhærere, nisi in subjecto apto; et ideo non potest tunc propria censura contrahi vel imponi; loquor autem semper de propria censura, quia, si ille mandator in morte nullum dedisset pœnitentiæ signum, nec retractasset mandatum, et postea Ecclesiæ constaret publice de illo delicto, posset illum privare sepultura et suffragiis, non propter priorem censuram, sed ut publicum et impœnitentem peccatorem.

Quando incurratur censura propter peccatum imposita, quod non nisi in morte consummatur.

16. Tandem potest aliquis curiose inquirere, quum quis censuram incurrit propter peccatum, quod non nisi in ipsa morte consummatur, quando incurrat illam ; non enim in instanti mortis, juxta dicta, quia tunc jam non est homo ; neque in aliquo instanti, quod signari possit ante mortem, quia in nullo signabili tale peccatum est consummatum; neque in tempore immediato ante instans mortis, quia in illo nihil incipere potest, ut philosophi docent. Respondeo tamen, ad rem moralem parum hoc referre. Et contendere quis posset, hujusmodi rem moralem posse incipere in tempore immediato ante instans mortis; vel etiam dici posset, posse signari instans aliquod ante mortem, in quo jam vita naturaliter est desperata, et in illo contrahi censuram, præsertim, quia signari potest instans, in quo jam homo non potest ratione uti, ut resipiscat, aut obediens sit Ecclesiæ, et ideo merito dici potest contumacia jam consummata in illo instanti; quid ergo mirum quod tunc incurratur censura? Sed licet hoc posterius speculative defendi possit, mihi tamen videtur hujusmodi pœnam infligi pro actu, quamdiu vita durat, sed in primo instanti mortis incipere vim suam et obligationem habere; atque adeo neque esse proprie censuram, sed meram pœnam, quæ ad publicam vindictam et terrorem aliorum ordinatur, neque directe ferri in ipsum delinquentem eum ligando, sed in alios ratione illius, prohibendo actiones, quibus illi succurrere possent. Quod facile constabit consideranti jura supra citata, quæ in hac specie loquuntur. Et ita clarius expeditur difficultas tacta; nam reliquæ evasiones non difficile impugnari possunt; sed res est levioris momenti.

Solum adultum et baptizatum viatorem qui superiorem habeat in terris, posse censura ligari.

17. *Perpetuo amentes non sunt censuræ capaces.* — Secundo dicendum est. Non omnis homo viator capax est censuræ, sed adultus tantum baptizatus, qui superiorem habeat in terris quoad spiritualem potestatem. Sententia est communis et clara. Nam in primis ante ætatem adultam nemo potest censura ligari, quia nec capax est delicti, quod sit proxima causa censuræ, neque etiam est capax alicujus obligationis vel effectus, qui per censuram inferatur. Primum patet, quia omnis obligatio requirit rationis usum. Secundum etiam constat, quia hujusmodi infan-

tes non sunt capaces proprio usu, vel communicatione spiritualium bonorum, ut facile per illa discurrendo constabit; imo nec civilis et humanæ communicationis sunt capaces, ut per se constat. Solum sacramentum confirmationis potest eis communicari, et olim dabatur eis Eucharistia. Sed priori sacramento non possunt privari per modum censuræ; esset enim injustus, et intolerabilis error. Posteriori vero sacramento privantur nunc, non per modum censuræ, sed propter reverentiam debitam tanto sacramento, quæ in tanta multitudine parvulorum, et amplitudine populi Christiani, moraliter loquendo, servari non posset. Ex quo fit idem judicium ferendum esse de omnibus perpetuo amentibus, quia, cum nunquam habuerint rationis usum, eædem rationes in illis procedunt. Et in hoc omnes Doctores conveniunt.

18. *Neque illi qui dum actum efficiunt, ratione carent.* — Hinc vero aliqui inferunt, quoties jus aliquid prohibet sub censura ipso facto incurrenda, non ligare hujusmodi carentes usu rationis, etiamsi factum illud prohibitum efficiant, ut si clericum percutiant, vel quid simile. Quanquam hoc illatum non solum verum habet in perpetuo amentibus, sed in omnibus, qui tunc carent usu rationis, cum tale factum efficiunt, etiamsi et antea habuerint, et postea ad illum redeant; imo licet sit solum quædam actualis ineptitudo, qualis est in dormiente, in ebrio, et similibus, dummodo talis actio non fuerit voluntaria in causa; tunc enim alia est ratio, ut dicemus. Præcise autem ex vi illius actionis in ea dispositione factæ, non potest incurri censura, quia cum non sit libera, non est contra legem. Et ideo universaliter dici potest, carentem usu rationis, quatenus sic affectus est, esse incapacem censuræ.

19. *Jura loquentia de censuris impuberum intelliguntur de rationis capacibus. — Censura a jure ferri potest in impuberes, non tamen ab homine. — Non est tamen conditio substantialis.* — Ex quo ulterius inferunt Doctores, quoties jura loquuntur de censuris impuberum, ut in c. 1, et ult. de Sentent. excomm., sermonem esse de impuberibus doli capacibus, id est, habentibus eum usum rationis, qui ad peccandum mortaliter sufficiat; nam, cum hujusmodi peccatum sit veluti proximum censuræ fundamentum, necessario supponit radicem ejus, id est usum rationis, et libertatem sufficientem ad illud committendum. Quin etiam addunt jurisperiti, licet ad incurrendam censuram ipso jure latam sufficiat ætas impuberis doli capacis, de quo sermo est in leg. *Pupillus*, 122, ff. de Reg. jur., et fere declaratur in sensu a nobis exposito, ut tamen ab homine inferatur, id non satis esse, sed necessariam esse puberem ætatem. Ita docet ex Abbate, Socino et aliis, Ugolin., dict. cap. 17, § 3, num. 5. Et ratio est, quia hujusmodi ætas non censetur sufficiens ad intelligendum ordinem judiciarium. Propter quod, nec de jure citari potest, nec ad agendum, vel defendendum se in judicio admitti, juxta c. ult. de Judiciis, in 6. Et quanquam in aliis causis possit per procuratorem vel tutorem agere, tamen in hujusmodi causa, quæ valde ad animam spectat, non potest ad hoc obligari. Quam quidem sententiam quoad hanc ultimam partem, ita accipiendam censeo, ut ad ferendam juste et secundum debitum ordinem censuram, illa circumstantia ætatis puberis requiratur; non tamen invenio jus, quo reddatur nulla sententia censuræ lata in impuberem; et ideo, si alioqui in re intercedat vera contumacia, et reliqua necessaria ad valorem censuræ, ex hac parte non censeo esse nullam; et ita illa ætas per se considerata non pertinet ad capacitatem censuræ, de qua nunc agimus. Quod maxime verum habet, et in praxi sæpe habet locum, etiam absque injustitia, vel indecentia, in censura interdicti; nam, si populus interdicitur, sine dubio comprehenduntur etiam impuberes, si jam sint doli capaces, quatenus jam possunt, vel etiam tenentur sacris interesse, vel ea percipere, humano et rationali modo illis rebus utendo.

Possitne censura ligari propter contumaciam præteritam, qui in insaniam incidit.

20. *Amens potest censuram jure latam contrahere.* — Hic vero potest obiter inquiri, an qui incidit in insaniam, possit in eo statu censura ligari, propter contumaciam prius habitam, cum rationis usum haberet. Potest autem duplex esse status insaniæ, unus perpetuus, et sine spe redeundi ad usum rationis; alter temporalis cum morali spe curationis vel remedii. Rursus censura potest aut lege, aut ab homine ferri. Et de censura quidem jure lata videtur certum, posse incurri tempore insaniæ. Primum de insania temporali est clarum, si esset censura lata per legem; ut, v. gr., si ipso facto excommunicetur, qui Missæ aut matutino officio non ad-

fuerit, et aliquis prævidens, vel culpabiliter non præcavens futuram omissionem, sese inebriet, aut somno circa illud tempus tradat, censuram incurret omittendo, quam tamen non contrahit eo tempore, quo se inebriat, vel somno tradit, quia tunc non est consummata transgressio, nec causa censuræ. Unde, si casu contingeret illum excitari, vel ad se reverti, et non omittere, non incurreret censuram, quamvis prius, quoad interiorem culpam, idem peccatum commisisset, ratione periculi, cui se exposuit. Contrahit ergo censuram eo tempore, quo reipsa omittit; tunc autem est ebrius, vel actu dormiens, ut in casu supponitur. Idemque erit in casu superius tractato, de mandante interficere clericum, si mandatarius id exequatur, quando mandans est ebrius; tunc enim censuram incurrit.

21. *Etiamsi amentia perpetua sit.* — Idemque fore existimo, etiamsi ille mandans in perpetuam amentiam incideret; quia tunc impletur conditio, sub qua lex censuram posuit, et consummatur ejus transgressio; ideoque tunc ex vi legis censura infertur; estque per accidens, quod persona illa eo tempore sana sit, vel amens. Quanquam nonnihil difficultatis habeat, quando amentia est perpetua, quia censura ordinatur ad emendationem, ut sæpe dictum est; ille autem, qui in perpetuam amentiam incidit, non est capax emendæ, sed reputari potest ut mortuus. de quo jam diximus non contrahere hujusmodi censuram. Nihilominus tamen verum censeo, etiam tunc contrahi, ita ut, si quovis casu, etiam per miraculum, usum rationis ille recuperet, indigeat absolutione. Quia lex generalis est, et sine exceptione, et licet in particulari cesset vel sperari non possit emendatio intenta per legem, est per accidens; et ideo non impedit efficaciam legis. Nec subjectum illud est ita incapax censuræ, sicut homo mortuus, quia simpliciter est ille homo viator; et est capax aliquorum sacramentorum. Unde ex benignitate Ecclesiæ absolvi deberet, non solum, si existimaretur ante amentiam egisse pœnitentiam sui delicti, quod est certum, sed etiamsi nulla signa pœnitentiæ dedisset. Et hoc ex parte persuadet ratio facta, quia tunc nullius utilitatis est, quod ille maneat censura ligatus; absolutus autem posset juvari suffragiis Ecclesiæ ad obtinendum a Deo pœnitentiæ locum, quia aliquo speciali auxilio, vel providentia Dei posset saltem brevi tempore usum rationis accipere et illuminari. Vel fortasse interius doluit, quamvis Ecclesiæ non constet; et tunc facilius juvari poterit ad majorem satisfactionem, et expiationem delicti.

22. *Perpetuo amens non debet ab homine censura ligari; factum tamen tenet.* — *Amens ad tempus bene potest censura ab homine ligari.* — Et hinc fit, hujusmodi amentem perpetuum nunquam esse ab homine censura ligandum, etiamsi contumacia præcesserit, quia tunc censura non fertur in generali, sed in particulari in hanc personam; et in illa est inutilis ac sine fructu; nam potius tollenda esset, si præcessisset, ut dixi. Non ergo recte faceret judex hujusmodi hominem ligando; si tamen faceret, factum teneret, quia persona non est absolute incapax, ut dixi, et sufficiens causa intercessit; et ideo nulla intervenit circumstantia, ob quam sententia nulla efficiatur. Imo in sententiis interdicti, vel suspensionis, quæ feruntur in universitatem aliquam, si in ea sint hujusmodi amentes, comprehenduntur, quia sicut lex, ita generalis sententia non potest has speciales exceptiones facere; et ideo absolute comprehendit omnes, si capaces sunt. Ex quo tandem constat, quando carentia usus rationis non est perpetua, non solum valide, sed etiam juste posse ab homine ferri censuram in eum, qui fuit contumax, etiam eo tempore, quo caret usu rationis, quia illa dispositio est valde extrinseca, et accidentalis, et non impedit effectum, vel fructum censuræ, et ideo nullo jure tenetur judex eam circumstantiam observare, neque de hoc invenio aliquam positivam legem; neque ex sola rerum natura talis obligatio nascitur.

Censuram non nisi in baptizatos ferri posse probatur.

23. Deinde necessarium esse diximus ad capacitatem censuræ, quod homo baptizatus sit, propterea quod censura est actus seu effectus spiritualis jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ exerceri proprie et directe non potest nisi in baptizatos; nam de his, quæ foris sunt, nihil ad nos, ut Paulus dixit, 1 ad Cor. 5. Et c. Gaudemus, de Divort. Dixi autem, proprie et directe, quia si ad salutem seu fidem, et bonos mores fidelium necessarium sit, potest Ecclesia cogere infideles non baptizatos, ut cum fidelibus familiariter non communicent, vel ut non cohabitent in eadem domo, aut quid simile. Et eadem ratione, ob

reverentiam sacrorum mysteriorum potest eos cogere, ne illis adsint. Hæ tamen non sunt pœnæ, nec censuræ, nec fiunt ex directa jurisdictione in illos infideles, sed est veluti defensio quædam innocentum, et religiosa observatio, et custodia rerum sacrarum, ad quam habet jus Ecclesia, et consequenter ad ea media, quæ in hunc finem necessaria sunt. Quod a simili confirmari potest ex cap. Post miserabilem, de Usur., et in c. In Archiepiscopatu, de Raptorib. At vero directe non habet Ecclesia jurisdictionem in non baptizatos, et ideo non potest illos censura ligare; præsertim, cum illi nondum sint capaces rerum spiritualium, aut earum usus. Quo fit, ut nulla censura, quæ ipso jure lata est, hujusmodi infideles comprehendat, etiamsi actum legi contrarium efficere videantur; ut si Judæus, v. gr., violentas manus in sacerdotem injiciat, non incidet in censuram canonis, *Si quis suadente,* quia ille non erat subjectus tali legi, neque proprie fuit contumax, aut inobediens Ecclesiæ, quod satis aperte colligitur ex c. Postulasti, de Judæis.

24. Ex quo etiam habetur, posse Ecclesiam censuram ferre in Christianos, ut se separent, aut non communicent aut commercia exerceant cum aliquo infideli, in vindictam alicujus injuriæ factæ Ecclesiæ, vel alicui membro ejus, quando alia via aut ratione delictum punire non potest; illud tamen non est ferre censuram in ipsum infidelem; quin potius ex ipso modo ferendi talem censuram colligitur non posse ferri directe in ipsum infidelem. Et e contrario colligitur, ex vi censuræ latæ ipso jure in violentum percussorem clerici, non obligari fideles ad vitandum infidelem violentum percussorem clerici; nam illa censura solum in ipsum percussorem directe lata est, et nisi illum prius comprehendat, non redundat obligatio in alios; et ideo in dict. cap. præcipitur, ut ab homine imponatur talis obligatio sub censura ipsis fidelibus. Quod in omnibus similibus canonibus observandum est, ut videre licet in c. Judæi 2, de Judæis, et in cap. Post miserabilem, et c. Quando, de Usuris.

25. *Catechumenus non potest censura affici.* — Et hoc sensu dicunt interdum auctores indirecte posse infideles excommunicari. Sed res jam constat, neque in ea occurrit difficultas alicujus momenti. Possuntque legi circa hanc conditionem Glossæ, et Doctores circa jura citata, et Summistæ, verb. *Excommunicatio;* Simancas in Catholicis instit., c. 31, n. 6; Covar., dict. c. Alma, p. 1, in princ.; Navar., in Manuali, c. 27, n. 3, et in c. In quorumdam, de Judæis, notab. 8, n. 7, et de Jubilæo, notab. 31, n. 48; et Joann. de Lignano, tract. de Cens. § 9. Ubi improprie dicit eum, qui excommunicatur, debere esse Catholicum; sed nomine Catholici baptizatum intelligit; nam certum est apostatas baptizatos, qui hæretici sunt, vel ad judaismum aut paganismum transeunt, posse censuris ligari; nam ratione characteris semper manent subditi Ecclesiæ; et tamen proprie Catholici dici non possunt, cum veram fidem non habeant, neque illam profiteantur. Et e converso catechumenus dici potest Catholicus, et tamen censuræ capax non est, quamvis Archidiacon., in c. Eos, de Consecr., d. 4, quem nonnulli alii imitantur, dixerit catechumenum posse excommunicari; sed sine fundamento, quia fides, vel sanctitas sine baptismo non confert jurisdictionem; de qua re diximus supra in tertio tomo agentes de baptismo.

26. *Solum qui superiorem habet est censuræ capax.* — Ultimo diximus necessarium esse, ut superiorem habeat in terris, qui censura ligandus est. Quod ex eodem principio nascitur; nam jurisdictio, et subjectio correlativa sunt; sicut ergo in ferente censuram requiritur jurisdictio, ita in eo, in quem fertur, necessaria est subjectio; oportet ergo, ut superiorem habeat in hujusmodi genere potestatis, seu jurisdictionis spiritualis.

27. *Papa non est censura ligabilis.* — Ex qua conditione colligitur primo, Pontificem Summum non comprehendi inter eos, qui possunt censura ligari, quia non habet superiorem in terris, neque alicui spiritualiter subjectus est, c. Cuncta per modum, 9, q. 3. Unde non solum ab homine (quod notum est), sed etiam a jure, censura ligari nequit, quia simpliciter neque ipsi juri humano subjectus est, quia æqualem habet potestatem. Quare licet, quoad vim directivam obligari possit aliquo modo jure communi, in eo modo quo princeps obligari potest legibus a se latis, tamen quoad vim coercivam, ad quam pertinet censura, ligari minime potest. Unde etiamsi contingeret in hæresim incidere, non esset ipso jure excommunicatus, de quo latius alibi. Lege Bellarmin., lib. 2 de Rom. Pont., c. 12, et seq., præsert. in 30; et Navar., in c. Novit, de Judiciis, notab. 3, num. 78 et 142, et c. 27, n. 13; et Maiol., de Irregul., lib. 2, c. 4, n. 8,

28. *Solus Papa est censuræ incapax.* — Deinde colligitur solum Summum Pontificem hac ratione excludi, ne ligari possit; omnes enim alii baptizati homines, et adulti, cujuscumque ordinis, sexus, aut dignitatis existant, capaces sunt censuræ, capacitate scilicet remota, ut ita loquar, de qua nunc agimus. Capacitas enim proxima per delictum vel contumaciam consummatur (de qua jam diximus); capacitas autem remota existit in omni homine, qui ita est subjectus alteri, ut si in delictum proportionatum censuræ incidat, possit ab aliquo alio censura ligari. Et hoc modo constat omnem hominem, præter Pontificem Summum, esse capacem censuræ, quia quicumque ille sit, habet superiorem in spiritualibus, et habentem in eum jurisdictionem ad hunc actum, saltem ipsum Summum Pontificem. Quod satis constat ex dictis supra de habentibus hanc potestatem; nam hæc duo correlativa sunt. Constat etiam ex usu Ecclesiæ et Pontificiis decretis, omnium ordinum fideles, etiam Imperatores, Episcopos, et Cardinales, etc., subjici his censuris.

29. *Non omnes homines omnium censurarum sunt capaces. — Concilium generale est censuræ obnoxium, si Papam non includat.* — Solum est observandum, quoniam supra diximus agentes de homine, qui potest censuram ferre, sub homine comprehendi hominum congregationem, eadem proportione intelligi hic posse, cum dicimus omnem hominem alium a Papa ligari censura posse, non solum singulares personas, sed etiam quamcumque congregationem comprehendi; idque generaliter absque ulla limitatione, quia nulla est, quæ superiorem non habeat, etiamsi Concilium generale sit, dummodo ipsummet Summum Pontificem non includat. Addenda vero est illa juris moderatio, quod congregatio non est capax omnis censuræ, sed suspensionis tantum, et interdicti; nam excommunicatio in communitatem ferri non potest, ut suo loco dicemus. Quæ moderatio etiam ad singulos homines suo modo extendi potest. Nam licet absolute quilibet homo sit capax censuræ alicujus, non tamen omnes omnium; nam suspensio propria est clericorum, quia supponit potestatem aliquam spiritualem; aliæ vero communes omnibus sunt. Item, licet omnes sint capaces censuræ, non tamen omnes æqualiter secundum hunc subjectionis respectum; nam unus pluribus subjicitur, quam alius, et ita a pluribus ligari potest, et hac ratione secundum hunc respectum habere ampliorem capacitatem censuræ.

30. Omnes tamen in hoc conveniunt, quod tam a jure, quam ab homine censura ligari possunt. A jure quidem, si de illis in particulari loquatur, vel etiam si generalis sit constitutio, et in eodem jure non contineatur exceptio, qualis est illa, quæ continetur in c. Quia periculosum, de Sentent. excom., in 6, ubi declarat Pontifex Episcopos ex vi generalis constitutionis, aut sententiæ, vel mandati, ipso jure non ligari, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Ex qua exceptione constat, omnes alios, quibus hoc privilegium concessum non est, ligari. An vero sub illa comprehendantur Cardinales non Episcopi, alterius considerationis est. Vide Navarrum, de Datis et promissis, n. 10, et Ugolinuum, late, dict. cap. 17, § 5. Ab homine autem unusquisque potest ligari respective, ut sic dicam, id est quilibet a suis superioribus talem jurisdictionem habentibus. Qui autem sint hoc vel illo modo subjecti aliis, vel quot, et quibus modis possit hæc subjectio introduci vel auferri, in superioribus, agendo de jurisdictione necessaria, sufficienter tactum est; et in sect. 2, pauca addemus.

31. *Non potest idem in seipsum censuram ferre.* — Tandem ex dicta assertione, et conditione constat, eum, qui censura affici potest, debere esse distinctum ab alio, a quo possit ligari, quia sibi ipsi non potest esse subjectus. Qua proportionali ratione diximus supra eum, qui fert censuram, debere esse distinctum ab eo, in quem illam fert, quod in idem redit, quia hæc correlativa sunt; et ideo de hoc puncto sufficiunt superius dicta.

SECTIO II.

An is, qui censura ligatur, debeat esse persona certa, et nondum per censuram ligata : ubi de iteratione et multiplicatione censuræ in eadem persona.

1. *Censuram debere ferri in certam personam.* — Quæ diximus in sectione præcedente, pertinent ad capacitatem censuræ quasi remotam; hic de duabus aliis conditionibus, ut actus censuræ valide feratur necessariis, dicendum est. De quibus communiter tractant Doctores, et obiter petunt nonnulla puncta moralia. Prima conditio est certitudo personæ, in quam fertur censura. Secunda fingi posset, quod non sit censura ligata.

2. Circa primam dicendum est, ut censura actu liget, præter hactenus dicta requiri ex

parte ejus, in quem fertur, quod in eum certa ac definita intentione dirigatur. Ratio est, quia actio non habet effectum nisi in determinato subjecto; hæc autem actio, cum naturalis non sit, sed humana, non determinat subjectum nisi ex intentione operantis; et ideo, sicut supra dicebamus, ad valorem censuræ necessariam esse ex parte ferentis intentionem ligandi, ita hic dicendum est necessariam esse intentionem ligandi hunc in particulari.

3. *Non est necesse censuram ferri in cognitam aut distincte significatam personam.* — Dices : interdum ignoratur persona, in quam fertur censura, et consequenter non potest in illam definite ferri. Respondetur in primis, cum hanc conditionem requirimus, non esse sensum, censuram debere ferri in unam tantum singularem personam; potest enim simul ferri in plures, in omnes tamen definite, ita ut singulis, philosophico more loquendo, singulæ censuræ multiplicentur. Neque etiam necesse est, ut feratur in personam, vel personas distincte designatas; sed satis est, quod confuse, sub aliquo tamen certo respectu, indicentur; ut, cum fertur censura in eos, qui tale furtum commiserunt; quo sensu potest hæc conditio extendi ad eam censuram, quæ jure vel statuto fertur, ut per se constat. Nam, licet dum hæ leges feruntur, nullam certam personam designent, tamen non vage, sed determinate, et distributive omnes obligant; et similiter censura ad omnes fertur sub conditione, quæ conditio, cum impletur, in certa aliqua ac determinata persona impletur, et ita in illam operatur lex talem censuram, et non in aliam. Hoc ergo modo semper fertur efficaciter ad personam in se determinatam, esto nobis ignota sit.

4. *Sententia vage lata est nulla.* — Tunc autem diceretur censuræ sententia vage ferri, quando judex sententiam proferret, excommunicando unum ex patratoribus delicti, supponendo eos esse plures, et nullum in particulari designando; tunc enim esset inepta sententia, et prorsus nulla, utpote continens intolerabilem errorem, et aut procedens ex insufficiente intentione ad habendum effectum, vel certe insufficienter illam pronuncians, et declarans, cum tamen hoc etiam necessarium sit ad talem effectum, ut in superioribus dictum est. Quod etiam confirmari potest ex simili doctrina de sacramentis; nam si intentio non sit satis determinata, et per formam explicatur cum sufficienti determinatione subjecti seu materiæ, circa quam forma vel sacramentum versatur, nihil fiet, ut in superiori tomo, disp. 13, sect. 3, concl. 4, et explicando formas baptismi, confirmationis et Eucharistiæ dictum est; eadem autem ratio est in præsenti, quantum spectat ad necessitatem determinati subjecti, ut moralis effectio sequi possit.

Possitne quis duplici censura affici.

5. *Plures censuræ diversæ rationis ferri possunt in eamdem personam.* — Solum potest interrogari circa hoc subjectum censuræ, an necesse sit eum non esse censura ligatum, ut denuo ligetur. Quod quidem nullam rationem dubitandi habet, quando censuræ sunt diversarum rationum. Potest enim excommunicatus suspendi, vel interdici, et e converso, quia, cum hæ pœnæ sint diversarum rationum, nihil impedit, quominus in eodem subjecto suo modo insint, seu quod eidem personæ imponantur, non solum propter diversas causas seu delicta, ut facillime accidere potest, sed etiam propter idem delictum, si ejus gravitas tanta sit, aut ad eum statum contumaciæ perveniat, ut omnem hanc pœnam mereatur. Et hoc modo est frequens in usu Ecclesiæ aggravare seu multiplicare censuras crescente contumacia, et interdum simul ferri possent ob atrocitatem delicti, sicut in jure ferri videntur in extravag. 3 de Privilegiis.

6. *Plures censuræ ejusdem rationis possunt ferri in eamdem personam propter diversas causas.* — *Objectio.* — Rursus in censuris ejusdem rationis non est dubium, quin propter diversas causas possint in eamdem personam ferri; si quis enim propter unam inobedientiam excommunicatus est, si in alia re sit etiam inobediens et contumax, poterit iterum excommunicari, nam potestas et jurisdictio non est extincta per unum actum, sed integra mansit, et causa est sufficiens, et ex parte subjecti nulla est repugnantia; quæ enim assignari potest? Dices, quod is, qui privatus est omnibus bonis, quibus per Ecclesiam privari potest, non potest iterum eisdem privari. Vel, si physice loquamur, quia duo accidentia ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem subjecto; et præsertim duæ privationes ejusdem numero formæ. Sed hæc nihil obstant, primo quidem, quia moraliter hæc considerando, censura non se habet ut pura privatio, sed veluti quædam positiva

causa, et vinculum inducens, et cogens ad hanc privationem; sic enim jura loquuntur de censuris, ut de quibusdam vinculis, quibus homines ligantur, ut patet in c. A nobis, 2, et aliis, de Sent. excomm. Nihil autem vetat, quominus plures causæ et vincula adjici possint ad eamdem privationem inducendam, sicut homo potest pluribus præceptis obligari ad abstinendum ab eodem actu; quæ si pertineant ad diversas causas, seu virtutes, propriissime efficient diversa vincula, ut, v. gr., præceptum Ecclesiæ, vel præceptum de voto servando. Item potest quis ad mortem condemnari diversis sententiis, propter diversa delicta. Item est optimum exemplum de pluribus peccatis mortalibus; nam licet primum omnino privet gratia Dei, nihilominus secundum, quantum est ex se, illa privat, et vel propriam maculam inducit, vel ita priorem auget, ut duobus æquivaleat per duplicem respectum ad duo peccata. Denique etiam Philosophi dicere solent privationem totalem per respectum ad causam posse esse majorem vel minorem; ergo multo magis secundum æstimationem moralem poterit multiplex reputari, per habitudines ad diversas causas, seu sententias. Quod vero objiciebatur de accidentibus solo numero diversis in eodem subjecto, neque physice est in universum verum, quando accidentia ordinantur ad effectum aliquo modo dissimilem, ut alibi diximus; neque in his moralibus affectionibus aut denominationibus illud principium procedit, quia cum sint solum respectus, vel denominationes relictæ ex actibus intrinsecis, sicut illæ actiones possunt multiplicari, ita et hujusmodi veluti accidentia moralia. Sicut potest quis esse bis doctor in eadem facultate.

7. Itaque dubium non est, quin affectus semel una censura, alia simili propter aliam causam interdum ligetur. In quo etiam concordant Theologi, et Canonistæ, ut videre licet in Bonav. in 4, dist. 18, 2 part. distinctionis, quæst. 4; Gabr. ib., quæst. 2, art. 2, concl. 5; Richard. ibid., art. 5, q. 2; Alens., 4 part., q. 22, memb. 1, art. 5; Soto, d. 22, quæst. 2, art. 2, conclus. 3. Item tenent Glossæ, et Doctores, in cap. Ita quorumdam, de Judæis, ubi specialiter videndus est Abbas, et Navarr. circa Glossam ultimam, notab. 11. Item in cap. Quicumque, verb. *Incurrant*, eod. tit., in 6, et in cap. Engeltrudam, 3, q. 4. Quo ad hoc confirmandum utuntur Alensis, et alii. Sed inde non sumitur efficax argumentum, quia illa crebra anathematizatio potuit esse, vel iterata denunciatio ejusdem censuræ, ut paulo infra dicemus, vel quia successive sæpius illa mulier excommunicata fuerat, non permanentibus simul pluribus censuris, sed iterum incidendo in contumaciam post absolutionem priorem. Qui modus loquendi frequentius in hoc sensu accipitur, cum dicimus aliquem sæpius fuisse excommunicatum. Alia sunt clariora jura, de quibus statim.

8. *Possitne quisquam pluribus censuris ejusdem rationis propter eamdem causam ligari.* — Difficultas vero superest, an in eadem causa possit eadem censura in specie iterari, ita ut vere multiplicentur. Item an ab eodem judice, vel solum a diversis. Nam ex dictis auctoribus quidam indefinite loquuntur et indistincte. Unde, cum doctrinam tradant, videntur universaliter loqui. Alii distincte explicant, posse multiplicari censuras propter diversas causas, et tacite videntur alium modum excludere. Unde Alensis : *Tot* (inquit) *possunt inferri excommunicationes, quot emergunt causæ, propter quas debet inferri excommunicatio.* Et Bonav. distinguit inter iterationem ejusdem censuræ, et adjectionem novæ; et primum dicit fieri in eadem causa ad majorem confusionem; hoc autem propter novam, et distinctam causam. Unde concludit idem quod Alensis. Et idem sentit Rich., præsertim in argumento Sed contra, citatque cap. Cum pro causa, de Sentent. excom.; Gabr. vero distinctius loquitur dicens, ab eodem judice posse multiplicari censuras in diversis causis; tamen a diversis judicibus, aut juribus, tam in eadem, quam in diversis causis; indicans ab eodem judice non posse multiplicari censuram stante eadem causa. De jure autem non fecit mentionem in priori membro, quia per se notum est, ex vi ejusdem juris non multiplicari censuras, in eadem numero causa, quia lex non repetit suam actionem. An vero in eadem causa secundum speciem, multiplicata secundum individuum, ex vi juris multiplicetur censura, habet difficultatem statim tractandam. Denique Soto ultra prædictos addere videtur, etiam in eadem causa et ab eodem judice circa eamdem personam multiplicari censuras ejusdem rationis, propter perseverantiam in eadem contumacia. Sic enim ait : *Excommunicatus potest iterum excommunicari, non solum propter novum crimen, verum et propter idem aggravatis censuris ad majorem terrorem et confusionem*, etc. Ubi, licet non exprimat

aperte *ab eodem judice*, sine dubio tamen hic est ejus sensus, nam in similibus casibus ab eodem judice solent censuræ aggravari.

9. *Non satis esse multiplicem denunciationem ut multiplex censura incurratur. — Multiplex censura ejusdem rationis non fertur propter eamdem causam.* — Verumtamen animadvertendum est, ad multiplicationem censuræ non satis esse, quod pluries aliquis denuncietur, seu publice in Ecclesia anathematizetur, quia aliud est denunciari, aliud censura ligari; nam denunciatio non addit novum vinculum, ut dixit Pontifex in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellation. Et ideo, quamvis denunciatio multiplicetur, non sequitur censuram multiplicari. Quod bene notavit Navarr., in dict. cap. Ita quorumdam, ita exponens textum illum, et cap. Ad liberandum, de Judæis. Qui revera est proprius illorum sensus. Item optimum argumentum a posteriori est, nam qui pluries hoc modo denunciatur, non indiget pluribus absolutionibus; imo, si a superiore facultatem petat, ut absolvi possit, necesse non est, ut explicet illam multiplicem denunciationem, quæ accidentaria est; esset autem necessarium, si multiplex esset censura, eam declarare, ut statim dicetur. Item ob eamdem causam excommunicatus a jure, et denunciatus ab homine, non est bis excommunicatus, et ideo duplici absolutione non indiget. Atque hoc modo fieri existimo, quoties ab eodem judice, ob eamdem perseverantem contumaciam in eodem delicto, censura aggravari dicitur per multiplicem promulgationem, seu denunciationem anathematis; non enim tunc multiplicatur censura, neque ille indiget multis absolutionibus. Imo nec fieri potest, ut absolvatur ab illa censura, quatenus semel denunciata, ut sic dicam, et quod maneat secundum aliam rationem vel denunciationem; est ergo tunc una tantum censura. Quod satis constat ex usu Ecclesiæ. Quocirca, licet speculative rem considerando, non appareat clara repugnantia in hoc, quod ab eodem judice circa eamdem personam, in eadem causa, id est propter idem delictum, mutato solum statu causæ per augmentum contumaciæ, censuræ multiplicentur secundum eamdem speciem, tamen moraliter rem considerando (ut expedit), opinor id nunquam fieri juxta usum Ecclesiæ; ideoque posse dici absolute, non posse, vel saltem non debere fieri.

10. At vero e converso, quando diversi tituli concurrunt ad ferendam censuram, ita ut unusquisque per se sufficiat, et ex intentione judicis illam operetur, tunc non solum a diversis judicibus, sed etiam ab eodem, nec solum successive, sed etiam simul, imo non solum diversis sententiis, sed una et eadem utrumque delictum exprimente, possunt censuræ circa eamdem personam multiplicari. Hæc omnia ex jure probari possunt; nam in cap. Officii, de Sent. excom., supponitur quidam esse excommunicatus propter plures excessus a pluribus Prælatis in eum potestatem habentibus; et significatur, a nullo eorum posse absolvi, scilicet, integre et omnino, nisi alteri etiam satisfecerit, et ab eodem simul absolvatur. Et in c. Capitulum sanctæ crucis, de Rescript., refertur, excommunicationem, et suspensionem, bis latam esse in eosdem, a diversis judicibus, propter diversas causas. Et in Clem. 2 de Sent. excom., excommunicatio nova fertur in eos, qui contra priorem publicam excommunicationem, admonitionem, sacris intersunt; sicut enim sacerdos excommunicatus celebrans irregularis fit, ita excommunicatus, et publice denunciatus propter aliquod delictum, agens tali modo contra excommunicationem, nova excommunicatione ligatur, adeo diversa, ut hæc sit ad Papam reservata, quamvis prior non fuerit.

11. *Propter diversas causas multiplex censura ejusdem rationis ferri potest etiam ab eodem judice, in eamdem personam.* — Ex quo textu colligere licet, posse aliquem propter diversas causas excommunicari ab homine, atque etiam bis a solo jure; quod est manifestum, quando jura sunt diversa, et de rebus distinctis; nihilque obstabit, quod ab eodem legislatore lata sint, ut per se notum est. Et eadem ratione idem accidere potest in sententiis latis ab homine, ut sumi etiam potest ex unica Extravaganti, de Schismaticis, in illis verbis : *Plurium excommunicationum sententiis innodavit.* Et ratio omnium clara est, quia, ut censuræ multiplicentur, sufficit causarum multiplicatio, sive potentia agens sit una, sive multiplex; nam et a multis et ab una possunt plures effectus, et actiones prodire.

12. Quod vero per unam sententiam ab eodem in eumdem prolatam, si tituli sint diversi, plures etiam censuræ fiant, sumitur ex cap. Cum pro causa, de Sententia excommunicationis, ibi : *Si vobis constiterit archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum fuisse*, etc.; ibi enim dicitur, absolutum ab illa sententia secundum respectum ad

unam tantum causam, non esse absolutum a censura fundata in alia causa; signum ergo est censuras fuisse diversas, cum potuerit una auferri et alia manere. Verum est ibi non dici expresse priorem absolutionem fuisse validam, sed illum mansisse excommunicatum, donec pro alia causa satisfaceret; tamen, cum Pontifex non requirat nisi satisfactionem pro alia causa, supponere certe videtur aliud vinculum fuisse ablatum. Ratio vero est, quia licet illa sententia verbis videatur una, significatione tamen et efficacia est multiplex, et ideo potest plures effectus operari; sicut, cum quis unica forma plures baptizat, plura conficit sacramenta, et plures effectus confert. Similiter, si quis uno verbo absolvat a pluribus censuris, plura vincula tollit, unde passive possunt dici plures solutiones, quamvis active una absolutio videatur.

13. Oportet tamen, ut dixi, singulos titulos seu causas excommunicandi per se sufficientes esse; alioqui non erunt plures, sed partialiter componentes unam causam totalem, cui censura unica respondebit. Nec satis erit in se esse sufficientes, sed oportebit, ut tales assumi, ex intentione ferentis censuram, quia sententia non operatur ultra intentionem judicantis. Unde necessarium etiam est, ut talis intentio sufficienter in sententia exprimatur, quia alias odiosa sententia in mitiorem partem explicanda erit. Tunc autem maxime videtur hoc constare, quando sententia magis est denuntiativa seu declaratoria, quam illativa censuræ. Et talis videtur fuisse in casu dicti c. Cum pro causa, nam duæ causæ ibi numeratæ, scilicet, violenta manuum injectio in clericum, et violatio immunitatis Ecclesiæ, tales sunt, ut unaquæque habeat suam censuram ipso facto annexam; et ideo, qui in utroque criminosus declaratur, duplici censura innodatus pronunciatur, etiamsi unica sententia, seu denunciatione id fiat. In censuris vero ab homine illatis rarius id accidet. Quando vero circa singulas causas diversæ et sufficientes præcesserunt monitiones sub comminatione talis censuræ, et circa singulas præcessit sufficiens contumacia, tunc, licet per modum unius videatur ferri sententia de omnibus, re tamen vera accommodatur materiæ, et rei subjectæ, ac proinde plures censuras operatur. Si vero aliter fieri contingat, censura erit una respiciens plures illas causas per modum unius, quæ proinde auferri non poterit, neque in totum, neque ex parte, præcedente sola satisfactione pro una causa, nec per absolutionem in illa satisfactione fundatam, sed erit nulla absolutio, nisi adæquate omnes illas causas respiciat, ut sumitur ex Abbate, et aliis, in dict. cap. Cumpro causa.

14. *Pro eadem materiali causa possunt a diversis superioribus diversæ censuræ ferri.* — Præterea addendum est, a diversis judicibus seu superioribus posse in eumdem distinctas numero censuras ferri propter causam quodammodo eamdem, et quodammodo diversam; nam materialiter apparet eadem, formaliter autem diversa esse videtur. Hoc patet primo, quando una censura est a jure, et alia ab homine. Potest enim aliquis simul, et pro eodem delicto, a jure, et ab homine excommunicari, ut notavit Abbas in cap. Gravem, de Sent. excom., num. 5, quanquam jura, quæ affert, id non probent; tamen, cum jus non adimat homini potestatem, vel jurisdictionem, poterit ipse censuram ferre, non obstante censura juris, si ad terrorem vel exemplum aliorum ita expedire censuerit. Tunc autem, licet delictum unum esse videatur, contumacia formaliter est diversa; nam censuram a jure latam incurrit quis, hoc ipso quod jus transgreditur; ut vero postea ab homine ob idem delictum excommunicetur, necesse est, ut ab eo moneatur, eique sit contumax; est ergo ibi alia, et alia contumacia, proprie ac formaliter eas considerando. Idem pari ratione est in sententiis censuræ, latis a diversis superioribus habentibus propriam jurisdictionem in solidum, si tales sint, ut usus unius, vel præoccupatio non impediat usum alterius. Tunc enim unusquisque poterit uti jure suo, et ferre censuram non obstante censura lata ab alio; oportebit tamen, ut præcedat respectiva contumacia, ut sic dicam, præmissa propria uniuscujusque monitione. Idemque proportionaliter est in sententiis a jure latis, si jura, et præcepta sint formaliter diversa; qualia erunt, si unum sit jus commune, aliud, particulare statutum ordinarii, dummodo constet novum condere jus, et novam pœnam imponere.

SECTIO III.

An multiplicatis transgressionibus legis ipso jure censuram ferentis, multiplicentur censuræ.

1. *Quot sunt transgressiones numero distinctæ, tot incurrentur censuræ.* — Superest dicendum, an in censuris latis a jure multi-

plicentur censuræ multiplicatis transgressionibus ejusdem legis, ut, si quis bis percussit clericum morali interruptione, bis sit excommunicatus, et sic de aliis. In qua re generalis et recepta doctrina est, quoties novum peccatum contra hujusmodi legem committitur, novam censuram incurri; e contrario vero, si peccatum sit unum tantum, licet continuata mora, et per varias actiones fiat, unam tantum censuram incurri. Ita sentit Navarr., in Summa, cap. 6, num. 17 et 18, et late Ugolinus, tab. 1, cap. 16, § 3, num. 4, et sequent., ubi multa ad hoc adducit, quæ nec necessaria sunt, nec efficacia. Ratio enim tota consistit in unitate vel multitudine transgressionum; nam, si transgressio una est, non potest censura esse nisi una, quia lex imponit censuram propter transgressionem; ergo, si transgressio est una moraliter et formaliter, ut sic dicam, etiam censura una erit. Et propter oppositam rationem, si transgressiones plures fuerint, etiam censuræ multiplicabuntur; nam lex efficaciam habet contra singulas, sive aliæ præcesserint, sive non, ut patet manifeste, nam, si quis fuisset absolutus a censura contracta per primam transgressionem, et aliam iterum commisisset, sine dubio in novam censuram incidisset; ergo idem erit etiamsi prior censura ablata non fuerit, cum ob solam multitudinem in eodem subjecto non repugnent, ut jam ostensum est.

2. *Quando transgressiones sint numero distinctæ.* — Totum opus est in declarando, quando transgressiones sint numero distinctæ, necne; de hac enim transgressione nunc agimus; nam quando distinctio est specifica, sive sumatur ex totali diversitate objectorum et actuum, sive ex circumstantiis mutantibus speciem in eodem objecto et actu, tunc et res facilis est, et transgressiones non sunt contra idem formaliter præceptum, licet naturaliter unum esse dicatur, ut statim amplius explicabo. Itaque unitas vel pluralitas numerica transgressionis in hac materia eadem proportione explicanda est, qua illam supra declaravimus in ordine ad integritatem confessionis. Quod eo hic erit facilius, quo hæc transgressio præcipue consideranda est in actu exteriori, in quo causa censuræ consummatur.

3. *Primus modus cognoscendi unitatem vel multitudinem horum actuum.* — Duobus autem modis potest hæc unitas vel distinctio spectari. Primo ex interruptione vel continuatione actus; nam, quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eumdem effectum, transgressio unica est, ut si quis per aliquod tempus verberet clericum, ut patet ex cap. Cum pro causa, de Sent. excomm. Quando vero moraliter interrumpitur actio, et altera postea inchoatur, nova est transgressio. Quæ autem sit interruptio moralis, partim ex mora temporis, partim ex modo et circumstantiis, et ex actionibus interpositis, pensandum est, ut alibi latius dixi.

4. *Secundus hujus cognitionis modus.* — Secundo potest hæc unitas, vel distinctio considerari ex parte objecti seu materiæ, circa quam versatur peccatum seu transgressio. Et tunc difficilius est distinguere peccata, quia potest contingere, ut sine interruptione morali aliquis percutiat unum clericum, et statim incipiat percutere alium; ubi, si respiciamus ad imperium operantis, et continuationem actionis, videtur esse tantum una transgressio canonis *Si quis suadente*. Si autem respiciamus ad personas offensas, videntur esse diversæ injuriæ; idemque ob similem rationem erit, si uno ictu plures interficiat. Difficile autem est illas existimare diversas transgressiones, quibus distinctæ censuræ respondeant, tum quia illa distinctio est valde materialis respectu transgressoris; ipse enim moraliter unicam exercet actionem, sive personæ sint plures, sive una; et fortasse non plus peccat in una transgressione, quam in alia, si cætera sint paria; tum etiam quia alias, qui plura vasa argentea ex eadem Ecclesia subriperet, plures incurreret censuras, supponendo, tali sacrilegio ipso facto esse annexam censuram. Dici potest illam esse unam injuriam, quia supponimus, una actione physica, vel moraliter continuata fieri, et eidem personæ seu templo, vel collegio subeunti vicem unius personæ offensæ; nam unitas vel multiplicitas injuriæ ex persona cui fit, non ex rebus sublatis sumenda est. Sed contra, nam inde fit, ut is, qui actione continuata, v. gr., per totam noctem universa vasa, et res sacras ex uno templo subripit, unicam censuram incurrat; si vero res easdem ex duobus templis eodem tempore, et continuatione actionum furetur, distinctas incurrat censuras, quod non videtur verisimile. Sicut etiam non apparet credibile quod expilando idem ærarium eadem actione et voluntate, et in eadem quantitate, si totum illud sit unius domini, v. gr., unius Ecclesiæ,

sit unum sacrilegium, et causa unius censuræ; si vero ærarium sit plurium Ecclesiarum, non per modum unius, sed per modum plurium, quia unaquæque habet ibi partem suam quasi in depositum, vel custodiam, transgressiones sint plures, quia injuriæ plures sunt, cum sint plures personæ offensæ, et consequenter censuræ. Simili modo dicendum erit, eum, qui cum uno excommunicato per horam conversatur, unam excommunicationem incurrere; si vero ibi simul adsint duo excommunicati, et cum utroque simul per eamdem horam conversetur, incurrere duas, quod etiam non videtur verisimile, quia moraliter ibi est una transgressio.

5. Aliunde autem non videtur posse negari, quin ex variatione personarum, cum quibus, vel contra quas peccatur, multiplicentur aliquando transgressiones et censuræ, etiamsi alioqui actio videatur una, vel moraliter non interrupta. Ut, v. gr., si quis interfecit unum hominem, et statim eodem impetu, et continuata successione actionis interficit alium, sine dubio sunt distincta homicidia, et si censura sit imposita homicidæ, duas incurret. Sicut etiam Juristæ aiunt, contra eum, qui in eodem congressu alium vulneravit, et tandem occidit, non dari actionem vulnerantis et occidentis, sed occidentis tantum, in l. Illud, 5, 1 ff. Ad legem Aquil. At vero si unum occiderit, et alium vulneravit, utriusque actio in eum dabitur, ut per se notum est. Idem est in peccato adulterii, v. gr., si quis post consummatum peccatum cum una, statim sine interruptione morali ad alteram accedat. Imo in hoc genere peccati non solum respectu diversarum personarum, sed etiam respectu ejusdem hoc verum habet. Quocirca difficile est generalem regulam in his rebus moralibus assignare. Pendent enim ex circumstantiis, et ex modo actionis.

6. *Variæ regulæ ad discernendam unitatem, vel multiplicitatem actuum ex parte objecti.* — In primis tamen considerandum censeo, an actio, qua consummatur transgressio, propter quam incurritur censura, simul fiat, vel per partes sibi succedentes, vel moraliter continuas. Rursus, quando hoc posteriori modo fit, attendendum est, an actiones illæ moraliter componant unam, vel una non sit pars alterius, etiamsi continue sibi succedant; nam quando se habent priori modo, una transgressio consummatur per omnes, ut per se notum est; et ideo una incurritur censura. Quod vero duæ actiones alioqui ejusdem speciei in malitia, continuatione morali factæ non componant unam, nec partes inter se unitæ censeantur, ex duplici capite videtur posse oriri. Primo ex diversitate subjectorum circa quæ fiunt, seu terminorum ad quos tendunt, unde habent suam moralem rationem. Sicut enim Aristoteles in Physicis dixit, ad unitatem motus non sufficere unitatem temporis sine unitate subjecti, ita nos hic dicere possumus, ad unitatem transgressionis non satis esse immediatam successionem sine interruptione ex parte temporis, quia mutatio subjecti potest sufficere, ut moraliter censeatur inchoari nova actio et transgressio. Et hoc probat exemplum de homicidio, et de vulneratione unius, et occisione alterius, et idem credo esse de furto, et de quacumque actione injuriosa. Et fortasse extra materiam justitiæ hoc non reperitur; nam, si quis continuata actione nunc comedat carnes, deinde pisces, tempore prohibito, una est transgressio, licet subjecta seu materiæ circa quas versatur actio videantur distinctæ. Et ratio esse videtur, quia justitia, et injuria sunt magis ad alterum; et ideo dixi, ibi non ubicumque variari subjecta, sed etiam terminos, respectu quorum habent actiones malitiam suam, quod non ita est in materia temperantiæ, et in aliis virtutibus, quæ respiciunt medium in ordine ad ipsum operantem.

7. Aliud caput moralis interruptionis, absque mora temporis interposita, est posse, quando prior actus natura sua tendit ad definitum terminum, in quo consummatur; et ideo qui postea immediate succedit non est pars alterius, sed novus actus. Quæ ratio per se est efficax, et declaratur aperte exemplo duplicis adulterii vel fornicationis; nam licet fiat cum eadem persona, et sine interruptione temporis quantum fieri potest, nihilominus sunt duæ transgressiones sufficientes ad duas censuras, si lex sit lata. Idem opinor fore, si judex contra Ecclesiæ immunitatem per vim extrahat unum hominem, et statim sine interruptione ad eamdem Ecclesiam tendat, et extrahat alium; existimo enim esse duas transgressiones, et incurri duas censuras; si vero eodem genere continuationis, quis furaretur res Ecclesiæ, successivis et partialibus asportationibus, existimo esse unum sacrilegium et unam censuram, si lata sit. Et ratio est, quia primum genus peccati tale est, ut circa unam personam consummetur; et ideo vis uni facta non componit unam actionem cum vi facta alteri; at vero furtum non

habet materiam, vel terminum certum, in quo consummetur. Et per hæc videtur posse sufficienter ferri judicium de omnibus similibus transgressionibus, quæ successive, tamen immediate, seu proxime fiunt.

8. *Quid si una actio ad plures personas terminetur.* — Quando vero tota actio simul fit, terminatur vero ad plures personas, vel objecta, difficilius ibi distinguuntur plures transgressiones, quia, licet actio æquivaleat multis, re tamen vera est una, et unum peccatum gravius. Et ita mihi probabile est, judicem, v. gr., qui simul duos homines duabus manibus teneret, et ita extraheret ab Ecclesia, unicam censuram incurrere; et idem censeo de illo, qui eodem tempore simul conversatur cum duobus excommunicatis, quia revera illa distinctio personarum in tali materia parum confert ad multiplicanda peccata. De casu vero homicidii, quando uno ictu occidit quis plures clericos, res est magis dubia; videtur tamen etiam probabilis hæc pars, quia simpliciter unum est peccatum, et una transgressio, quæ in una actione consistit, quamvis ex ea resultent plures passiones, vel plura nocumenta, quæ potius sunt plures effectus unius peccati, quam plura peccata.

9. Objicies, quia, si illa homicidia separatim fierent, plures incurrerentur censuræ; ergo etiamsi simul fiant; alioqui concurrentia delictorum ad eorum impunitatem juvaret, quod est contra rationem, et contra legem *Nunquam plura,* ff. de Privatis delictis. Et confirmatur, quia si plures homines simul concurrant ad eamdem actionem, ut sacerdotem occidant, tot incurrunt censuras, quot sunt homines occidentes; ergo et e converso, si una actione plures occidantur, tot incurrentur censuræ, quot fuerint homines occisi. Respondetur : primum argumentum æque applicari posset ad plures percussiones simul, vel diversis temporibus eidem factas; et ad furtum plurium rerum unica acceptione, vel pluribus, et diversis temporibus factis. Negatur ergo consequentia, quia cum simul totum fit, est una transgressio; cum vero separatim, sunt plures. Non solum enim in actionibus moralibus, sed etiam in moribus physicis, et in suo modo in rebus permanentibus, conjunctio, vel separatio efficit rei unitatem vel multitudinem.

10. Neque illa lex, quæ adducitur, est ad rem, tum quia hic nullum delictum manet impunitum; totum enim illud homicidium, vel sacrilegium, punitur, v. gr., excommunicatione, non vero excommunicationibus, quia non sunt plura peccata; solum accidit, ut gravius delictum, et æquivalens multis, una tantum censura puniatur; cum tamen singula delicta leviora simili censura, et plura simul multis censuris puniantur. Sed hoc non est inconveniens, quia est per accidens, et in exemplis furti, vel vulnerationis constat idem accidere. Tum etiam quia illa lex intelligitur de pluribus delictis, quæ manent plura, et moraliter differunt specie, ut sunt furtum, et homicidium ejusdem servi, v. gr., nam de his et similibus illa lex expresse loquitur; hic autem non sunt plura delicta, sed unum æquivalens multis. Unde ad confirmationem negatur etiam similitudo, quia ubi sunt plures occidentes, sunt plures transgressiones; ubi vero occisi sunt plures uno ictu ab una persona facto, unica est transgressio.

11. Itaque hæc pars speculative sumpta videtur satis probabiliter defendi, quamvis oppositam teneat Navarr., in Sum., cap. 6, num. 18, citans Joannem Andream, nullam vero rationem adducens. Contra eum vero ad hominem argumentamur, quia paulo inferius ait, eum, qui uno actu imprecatur mortem alicui familiæ toti, licet in ea sint plures personæ, unum tantum peccatum committere, quia respicit omnes illas per modum unius collective. Ait etiam, qui uno verbo blasphemat de duodecim Apostolis, unum peccatum committere. Pari ergo ratione, si uno ictu plures occidat, unum peccatum committit, quia in omnes tendit per modum unius; et sicut nocumentum in hoc genere peccati derivatur ad singulos personaliter, et distributive, ut sic dicam, ita et in exemplis adductis. Eamdem tandem sententiam defendit Ugolin. supra, num. 8, non vero adducit rationes, præter supra insinuatas, quæ firmæ non sunt.

12. Nihilominus tamen, quia hæc pars securior est, ea videtur in praxi sequenda, quia illa simpliciter censentur plura homicidia, et hoc sufficit in ordine ad censuram, sive in rigore peccata sint plura, sive non, quia censura fertur ratione injuriæ factæ tali personæ, vel ratione homicidii, etc. Quod adeo verum est, ut licet peccatum fuerit commissum, si re ipsa non fuit illata injuria vel damnum prohibitum, censura non incurratur; ergo et e contrario, si injuriæ fuerunt numero diversæ ex distinctione personarum, quamvis ex eadem actione culpabili proce-

dant, satis erit ad incurrendas diversas censuras. Denique (quod ad praxim etiam pertinet) ut valida sit absolutio a tali censura, vel facultas impetrata ad absolutionem obtinendam, necessarium erit exprimere in causa censuræ numerum personarum, seu clericorum occisorum. Non est tamen hoc scrupulose extendendum ad omnia, in quibus plures personæ una actione injuria afficiuntur, quia in aliquibus videtur esse valde accidentarium, ut in exemplo furati depositi; in aliis est minor distinctio moralis, et plures quasi collective per modum unius concurrunt, ut in confabulatione cum pluribus simul.

Quid si aliquis violet legem uno actu habente plures circumstantias, quarum quælibet sub censura prohibetur?

13. Et ex his facile intelligetur, quid dicendum sit, quando aliquis violat legem uno actu habente plures circumstantias, quarum singulæ sub censura prohibentur, ut si esset lex prohibens sub censura comedere in die jejunii ante talem horam et talem cibum, etc. Et respondeo breviter, si illæ circumstantiæ tales sint, ut mutent speciem actus moralis, tot incurri censuras, quot circumstantiæ violantur, quia propter singulas per se sumptas incurreretur censura, ut supponitur; quando autem simul concurrunt, quamvis materialiter conjungantur, formaliter manent distincta peccata in specie; ergo plures transgressiones, et plures censuræ. Si vero illæ circumstantiæ non mutent speciem, sed aggravent intra eamdem speciem peccati, una incurretur censura, quia una est tantum transgressio. Unde, quando circumstantiæ sunt prioris rationis, accidentarium, seu quasi materiale est, quod diversis legibus, vel una lege prohibeantur; nam licet dicatur lex una quasi materialiter, quia uno contextu illa omnia prohibet, tamen æquivalet multis, et (ut ita dicam) in singulis propositionibus singulas leges tradit.

14. Exemplum optimum est in Clement. 1, de Sepult., ubi quatuor simul sub excommunicatione ipso facto incurrenda prohibentur, scilicet sepelire in loco sacro hominem publice excommunicatum, vel nominatum interdictum, vel tempore interdicti in casibus non concessis, vel publicum usurarium. Quæ prohibitiones, saltem quoad tria capita videntur diversarum rationum, quia sepelire usurarium non est violare censuram aliquam, sicut est sepelire excommunicatum vel interdictum. Et hæc duo inter se etiam videntur diversarum rationum, sicut ipsæ censuræ diversæ sunt; quapropter, si idem publicus usurarius esset excommunicatus et interdictus, sepelire ipsum in loco sacro esset triplex sacrilegium formaliter diversum, et consequenter sufficiens ad tres excommunicationes incurrendas. At vero eamdem personam interdictam tempore interdicti sepelire in loco sacro, non esset duplex peccatum, neque ex illo oriretur duplex censura, quia illæ circumstantiæ non variant speciem moralem, sed aggravant violationem ejusdem censuræ. Sicut etiam in exemplo supra posito de jejunio, si quis comederet cibum prohibitum, et tempore prohibito sub censura, non ideo incurreret duas censuras, sed unam, quia totus ille actus unius rationis est, et illæ circumstantiæ magis ac magis illum corrumpunt intra eamdem speciem.

15. Unde non refert, quod singulæ per se sufficerent ad inducendam censuram, quia inde solum colligitur, peccatum gravius, et minus grave posse sufficere ad hunc effectum, non vero quod quælibet major gravitas multiplicet censuram, si non multiplicat delictum. Idemque erit, si quis violenter percutiat sacerdotem, qui etiam est diaconus, subdiaconus, etc., qui Ordines per se singuli sufficiunt, ut percussor sit excommunicatus; et tamen non propterea in plures excommunicationes incidet, quia omnes illi Ordines concurrunt per modum unius, et solum aggravant delictum in eadem specie. Aliud vero dicendum videtur, si quis violenter percutiat eum, qui simul et clericus et monachus est; nam, sicut diversarum rationum sunt consecrationes, quæ in clerico et monacho considerantur, ita et prohibitiones illæ et transgressiones diversarum rationum videntur. Unde, licet in eodem c. Si quis suadente, contineantur, tamen ut distinctæ traduntur, scilicet, qui clericum, vel monachum, etc. Et hæc videntur sufficere de multiplicatione seu iteratione censuræ.

SECTIO IV.

Quinam ligentur censura per legem vel statutum lata.

1. *Qui sint subjecti quoad censuram ab homine per sententiam latam. — Censura ligari potest existens in alieno territorio.* — Hanc sectionem propono, ut explicem nonnullas difficultates occurrentes circa modum

seu titulum subjectionis requisitum ex parte ejus, qui ligari debet censura. In qua re fere nulla dubitatio occurrit circa censuram latam ab homine per sententiam particularem; nam, cum illa feratur ad singularem personam, propter speciale delictum et supposita sufficiente admonitione ad illam facta, constat illam solam personam ligari posse tali censura. Supponi autem debet ex parte illius sufficiens titulus subjectionis, qui titulus respectu Summi Pontificis universalissimus sufficit, scilicet esse membrum Ecclesiæ Catholicæ, cujus Pontifex est universalis Pastor. Respectu vero aliorum particularium Prælatorum erit habere domicilium in diœcesi alicujus, vel esse membrum talis congregationis, vel aliquid simile, juxta superius dicta de jurisdictione in foro pœnitentiæ, servata proportione respectu Prælati habentis potestatem ferendi censuram. Ac denique supponi debent aliæ conditiones supra positæ, ut talis sententia rite feratur. Quibus concurrentibus, nihil obstabit, quod is, in quem fertur talis censura, sit extra territorium ferentis, quia censura ferri potest in absentem, ut supra diximus; et censura ligari existentem in alieno territorio, non est proprie exercere jurisdictionem in aliena diœcesi, sed habere ibi effectum, et quoad hunc, illum attingere, ut sic dicam, per actionem in proprio territorio rite exercitam; hoc autem non est terminos jurisdictionis excedere; sicut potest superior præceptum imponere subdito in alieno territorio existenti. De qua re videri potest Abbas, in cap. ult. de Foro competenti, num. 32 et sequent., et ibi alii.

2. Solum sunt hic observanda quædam magis propria hujus subjectionis, quatenus respondet jurisdictioni in foro contentioso. Primum est, etiam ratione delicti commissi in propria diœcesi seu territorio, fieri aliquem subditum Prælato illius diœcesis, et ab eo censura ligari posse, quia hic titulus sufficit ad jurisdictionem in foro contentioso, ut nunc suppono. Et statim magis explicabitur. Secundum est, eum, qui violat censuram alicujus Episcopi, quamvis alioqui subditus ejus non sit, quoad hoc fieri subditum, ut per censuram ab eo compelli possit ad eam servandam. Ut, si quis communicet cum excommunicato ab aliquo Episcopo, etiam extra suum Episcopatum, potest ab illo excommunicari servata forma cap. Statuimus, et cap. Statutum., de Sent. excom., in 6. Ut enim nunc suppono, excommunicatus ab uno Episcopo particulari ita est pro universa Ecclesia excommunicatus, ut ubique locorum peccent et excommunicationem minorem incurrant omnes, qui cum illo communicaverint, quod postea ex professo tractandum est. Ratione ergo illius universalitatis, ut sic dicam, quam censura includit, habet hanc potestatem et jurisdictionem quilibet Episcopus, ut possit eos, qui dicto modo suas censuras violant, admonere et sub majori censura compellere ad eas servandas; id enim ad efficaciam talis potestatis et censuræ per eam latæ necessarium est. Et ita insinuatur in dictis cap. Statuimus, et cap. Statutum. Tertium observandum est, quod licet per mutationem domicilii mutetur subjectio et jurisdictio, tamen, si citatio præcessit, ex vi illius ita confirmatur quoad hunc effectum subjectio, ut licet postea domicilium mutet quis, possit per censuras compelli ad comparendum, et excommunicari, v. gr., si contumax sit, ut notavit Abbas, in cap. ultimo de Foro competenti, num. 6 et sequentibus. Ubi late disputat et declarat hoc punctum, et quod primo etiam loco notatum est; quæ omitto, quia magis pertinent ad forum externum.

Quos ligent censuræ latæ jure canonico.

3. *Episcopi non ligantur generali lege.* — Omissis ergo censuris, quæ feruntur per sententias judicum, circa illas, quæ feruntur per leges, nulla est difficultas de iis quæ feruntur jure canonico vel legibus Pontificiis, nam, quantum est ex parte subjectionis, obligant vel obligare possunt omnes baptizatos; quantum vero est ex parte territorii, universum mundum complecti possunt. In effectu vero seu in actu, tantum extenduntur, sive quoad personas, sive quoad provincias, quantum verba legis declarant. Et ita nihil aliud admonere oportet, nisi ut verba legis attente legantur, et stricte sumantur, quantum proprietas eorum permiserit. Circa quod etiam observari potest exceptio, quæ in jure habetur de Episcopis, quod generali sententia vel constitutione non ligentur, cap. Quia periculosum, de Sent. excomm., in 6, quod de suspensione et interdicto, et non de excommunicatione loquitur, ut suis locis videbimus. Addi etiam possunt, quæ Cajetanus notat, verb. *Excommunicatio*, in principio. Atque hoc ipsum servata proportione in statutis particularium Prælatorum observandum est; tamen, quatenus illa procedunt a jurisdictione

particulari ac definita ad certum locum, et certas personas, quædam specialia dubia circa illa occurrunt.

An statutum Episcopi sub censura comprehendat eos, qui extra ejus territorium delinquunt.

4. Primum dubium est, an subditus Episcopo, violans statutum ejus, cui est annexa censura, in alieno Episcopatu, an (inquam) illam incurrat; ut, v. gr., Episcopus Conimbricensis excommunicat ipso facto omnes raptores; aliquis ejus subditus committit illud delictum extra diœcesim; dubium est, an incurrat illam censuram. Et breviter dicendum est, illam non incurrere. Ita enim definitur in cap. 2, § Statuto Episcopi, de Constitut., in 6. Ubi ratio redditur. Quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. Statutum enim, per se et directe non fertur in personas absolute, sed in territorium vel diœcesim pertinentem ad jurisdictionem talis Prælati; nam pro illius pace et legitima gubernatione statutum fertur. Et confirmatur, nam, qui illud delictum committit in aliena diœcesi, subditur legibus illius diœcesis et censuris, si quæ sunt propter tale delictum latæ; ergo non debet puniri etiam legibus sui Episcopatus, quia non punitur idem bis in idipsum. Et ita in hac sententia omnes Doctores conveniunt, ut late eos referunt Covarruv., in cap. Alma, 1 part., § 10, num. 3; Jacobus de Graff., lib. 4 Decis., cap. 8, num. 37; et Ugolin., tab. 1, c. 9, § 3.

5. *Vera resolutio.* — Qui circa hoc dubitant, an, si quis delictum illud committat intra territorium, tamen in aliquo loco exempto illius, excusetur a censura ex vi prædicti textus. Videtur enim non excusari, quia textus ille solum excipit delinquentes extra territorium; ille autem absolute non delinquit extra territorium. In contrarium vero est, quia ille locus exemptus, quamvis dicatur esse intra territorium, quia intra terminos ejus quasi materialiter continetur, tamen formaliter est extra, quia est extra jurisdictionem talis Prælati; et ex ea parte intelligere possumus locum illum suis terminis claudi et esse extra terminos alterius. Unde in cap. Cum Episcopus, de Officio ordin., in 6, cum dictum esset, Episcopum in tota sua diœcesi habere jurisdictionem ordinariam, cum limitatione subditur, in omni loco ejus non exempto posse actus jurisdictionis exercere; quo significatur, licet locus exemptus materialiter sit in diœcesi, formaliter vero non pertinere ad diœcesim; et ideo non posse in eo actus jurisdictionis exercere. Ferre autem statutum obligans sub censura, est actus jurisdictionis; ergo non potest obligare tale statutum pro illo loco exempto; ergo nec comprehendet subditum in illo peccantem. Et confirmatur ex cap. 1 de Privileg., in 6, in verbis illis : *Dummodo sit in loco exempto commissum;* in quibus supponitur delictum commissum in tali loco esse extra jurisdictionem Episcopi ordinarii illius diœcesis, in qua talis locus existit. Præterea confirmatur, quia etiam ibi procedit ratio text. in dicto cap. 2 de Constitut., quod extra territorium jus dicenti non paretur. Procedit etiam altera ratio, quod in illo exempto obligant leges alterius Prælati, ad quem locus ille pertinet; et ibi peccans incurrit censuram ab ipso latam; ergo non incurret aliam. Et confirmatur ex Clem. ult. de Priv., ubi specialiter conceditur Archiepiscopis vel Episcopis ut in locis exemptis suarum diœcesum quosdam actus Pontificales exercere possint, ex qua speciali concessione satis aperte colligitur, alios non posse; sed expresse etiam statim declaratur, ut nullum alium actum jurisdictionis possint ibi exercere; ergo quoad alia omnia ita se habent respectu illius loci, ac si omnino extra terminos diœcesis existeret.

6. *Quis dicatur locus exemptus quoad hunc effectum.* — Atque hæc sententia videtur mihi sufficienter probari; et rationem dubitandi in contrarium positam ex dictis etiam solutam manere; ideoque illam veram esse censeo. Dummodo locus sit plene exemptus a jurisdictione Episcopali, ita ut non possit ordinarius in eo leges ferre, incolas illius loci obligantes. Intelligendum item censeo per locum exemptum, non Ecclesias aut monasteria religiosorum exemptorum, quæ non nisi ratione talium personarum exempta vocantur; et ideo si aliæ personæ subditæ Episcopis intra eos frangerent statuta Episcoporum, censuras eorum sine dubio incurrerent. Sed loca exempta proprie dicuntur parochiæ aliquæ aut oppida, quæ quoad ordinariam jurisdictionem Ecclesiasticam exempta sunt. Nec referre censeo, quod ille locus sit alteri Episcopo subjectus vel Summo Pontifici reservatus, quia utroque modo privatur jurisdictione in eum locum Prælatus, a cujus potestate locus eximitur, qualis est in hac Conimbricensi civitate parochia S. Crucis, quæ exempta est a juris-

dictione Ordinarii, et Priori illius conventus subjecta est, juxta c. Cum olim, 2, de Privileg. Atque hanc sententiam esse communem refert Ugolin., d. c. 9, § 3, ubi etiam alias opiniones tractat, sed nullam rationem earum adducit, quæ ex dictis soluta non sit, ipse vero fusius omnes dissolvit, et nostram opinionem tenet.

7. *Ugolini limitatio. — Exemplum.* — Addit vero in fine quamdam limitationem ad prædictum cap. 2 de Constit., in 6, scilicet, qui delinquit in alieno territorio non incurrere censuram per statutum latam a suo Episcopo, nisi peccatum inchoaverit in proprio territorio; nam tunc licet illud consummaverit in alieno, nihilominus in censuram incidet. Adhibetque exemplum, si Episcopus statutum faciat, ut si quis in sua Ecclesia per duos menses non resederit, excommunicatus sit; tunc enim, licet canonicus in alieno territorio degens per plures menses statutum frangat, in censuram incidit. Et ratio est (inquit) quia licet consummetur in alieno territorio contumacia, in proprio inchoata est.

8. *Exemplum ab Ugolino adductum non esse ad rem ostenditur.* — Sed imprimis exemplum non est ad rem, quia si attentius consideretur, peccatum illud, quantum attinet ad censuras et ad forum Ecclesiæ, non in alieno territorio, sed in proprio consummatur; nam, ut ex superioribus constat, in ordine ad censuras, et forum Ecclesiæ, peccatum consummatur ipso actu et effectu externo prohibito; in dicto autem exemplo, quod prohibetur, est omissio residentiæ; hæc autem omissio in illa Ecclesia consummatur, ubi residendum erat ex obligatione. Unde quod dicitur de contumacia inchoata in proprio territorio et consummata in alieno, non recte dictum est; nam si illa persona per duos menses integros in proprio territorio fuit et non resedit, ibi inchoavit et consummavit contumaciam et censuram incurrit; quod vero in alieno territorio diutius in ea perseverat, impertinens est. Si autem in proprio territorio existens, non fuit absens a sua Ecclesia per duos menses, non inchoavit ibi contumaciam, sed alibi, ubi terminum illum non residendo transegit; nam, quando lex præfigit terminum, non inchoatur contumacia, donec terminus præfixus compleatur. Et ideo in hujusmodi legibus simul est inchoari et consummari contumaciam; quamvis autem contumacia interior inchoetur et consummetur in alieno territorio, tamen, quia ipsa exterior transgressio in proprio consummatur, ideo in ordine ad censuram, potius censebitur delictum illud in proprio territorio committi.

9. *Ugolin. limitatio rejicitur.* — Atque hinc tandem videtur sine causa adhiberi limitatio illa, sed potius e contrario dicendum fore, ibi committi delictum in ordine ad censuram, ubi exterius consummatur, licet alibi inchoetur; unde si quis inchoet delictum in proprio territorio, consummet vero extra illud, non incurret censuram statuti proprii territorii; secus vero si e contrario extra inchoet, et intra consummet. Dico autem in ordine ad censuram, quia in ordine ad alias pœnas vel effectus, communis est doctrina Juristarum, quando delictum in uno loco inchoatur et in alio consummatur, delinquentem utrique loco fieri subjectum ratione delicti, juxta l. 1, C. Ubi de crimine agi oportet, in illis verbis, *ubi commissa vel inchoata sunt*, ubi Interpretes id docent, et Bartol., in l. *Dominum*, ff. de Furtis, et Abbas, in cap. Postulasti, de Foro compet., num. 25. Et ratio est clara, quia is in utroque loco vere deliquit; ergo ratione delicti fit illius fori, quantum ad pœnam vel judicium correspondens tali delicto, prout in singulis locis commisso. At vero in ordine ad censuram intercedit hæc peculiaris ratio, quod illa non contrahitur propter inchoationem delicti donec consummatum sit (supponimus enim ita esse latam), et ideo dicimus, præcipue esse attendendum territorium, in quo consummatur, etiamsi extra illud inchoatum sit. Quod primo probari posset eodem exemplo, prout a nobis declaratum est. Aliaque adhiberi possunt moralia et frequentia; nam si stuprum, v. gr., esset prohibitum in hoc Episcopatu, sub censura, et quis decipiens virginem eam traheret extra terminos diœcesis, quamvis per tactus et oscula inchoaret hic delictum, si tamen non consummaret, donec esset in altera diœcesi, non incurreret. Idem intelligi potest de homicidio et aliis similibus. Præterea, si quis occidat hominem in Ecclesia existentem, quamvis inchoet delictum extra Ecclesiam, inde projiciendo sagittam, incurret censuram latam contra homicidam in Ecclesia; secus vero esset, si in Ecclesia inchoaret delictum, inde projiciendo sagittam, et extra consummando delictum, ibi occidendo; ergo proportionate loquendum erit de peccato intra vel extra territorium consummato. Et ratio reddi potest ex superius dictis, quia censura non incurri-

tur nisi propter peccatum consummatum in ea specie, in qua sub censura prohibitum est; ergo ubi consummatur, ibi delinquitur in ordine ad censuram contrahendam vel non contrahendam.

10. *Quid dicendum de illo qui alium vulneravit in territorio, ubi pro homicidio censura est imposita, vulneratus autem extra illud moritur.* — Dices : ergo, si subditus lethaliter vulneravit alium in propria diœcesi, ubi est censura annexa homicidio, et vulneratus non ibi moriatur, sed in alia diœcesi, ad quam discessisset, alter non incurret censuram, quod videtur difficile creditu, cum delictum totum in proprio territorio fuerit commissum. Et tamen bona videtur illatio, quia ille non fuit homicida in eo loco, ubi illa lex sub tali censura obligabat. In eo casu dubia quidem res esse videtur; nihilominus tamen probabilius est in eo incurri censuram, quia, licet delictum quoad effectum ultimum consummetur extra territorium, tamen quoad actionem etiam externam, intra territorium consummatum fuit. Unde, licet ille non esset subditus, ratione delicti posset conveniri in illo territorio, ubi deliquit, non solum de vulnere inflicto, sed etiam de homicidio commisso; imo in alio territorio conveniri non poterit, quia ibi non deliquit; ergo a fortiori per ipsammet legem convenitur et punitur. Quocirca, licet, ut incurratur censura, expectetur effectus consummatus talis actionis, tamen, quod effectus sequatur in hoc, vel in illo loco, est valde accidentarium et extrinsecum, sed considerandum est, ubi revera delictum commissum sit.

11. *Quid si sub censur præcipiatur nè triticum extra territorium deferatur.* — Ex quo etiam facile solvitur, si quis objiciat de statuto Episcopi prohibentis sub censura, ne triticum, vel aliquid simile extra diœcesim feratur, quod delictum non videtur consummari, donec terminos diœcesis quis egrediatur. Quanquam enim moraliter potius, quam philosophice hæc pensanda sint, nihilominus etiam in toto rigore verum est, peccatum illud quoad actionem consummari in toto termino diœcesis, licet quoad terminum extrinsecum consummetur in alia.

12. Sed quid si Prælatus sub censura prohibeat subditos sacerdotes, ne in alia diœcesi Missam faciant, vel aliquid simile? quomodo poterunt illi censura ligari, cum facere non possunt contra statutum, nisi in aliena diœcesi? Respondeo, hoc solum posse prohiberi ab Episcopo imponendo aliquod genus censuræ, ut suspensionis ipso facto; quæ suspensio inhæret personæ, et ideo illam secum defert ubicumque sit, ut infra latius explicabimus.

SECTIO V.

Num agens in aliena diœcesi contra sententiam generalem sui Prælati, ejus censura ligetur.

1. Superest vero alia dubitatio, an subditus alicujus Episcopi agens in alia diœcesi contra sententiam generalem sui Prælati, per quam censura fertur in eos, qui hoc agunt, vel omittunt, talem censuram incurrat. Nam ex dictis videtur sequi non incurri, quia talis sententia perinde se habere videtur, ac statutum generale; sed statutum non obligat in alieno territorio; ergo nec hujusmodi sententia. Confirmatur ex ratione d. c. 2, quia extra territorium nemo dicere potest jus, nam hoc verum est tam de statuto quam de præcepto. In contrarium vero est, quia in cap. A nobis, 1, de Sent. excom., dicitur hujusmodi sententia : *Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit,* obligari subditos omnes, absque distinctione ulla; sed licet versentur in alieno territorio, adhuc sunt subditi; ergo ligantur.

2. *Prima sententia.* — In hoc Canonistæ aliter loquuntur de sententia, quam de statuto, nam per sententiam aiunt posse excommunicari existentem in alieno territorio, non vero per statutum, ut videre licet in Abbate, dict. c. ult. de Foro competenti, n. 42, et in Ugol., d. c. 9, § 2 et 3, et aliis, quos referunt. Non declarant autem, an loquantur de sententia generali, vel de particulari tantum; rationes vero quas afferunt, utrique communes sunt. Summa earum est, quod statutum respicit territorium, ut qui ibi adsunt, intelligant, quid ibi agendum sit vel cavendum; sententia vero respicit personas. Ex qua differentia videtur sequi (ex sententia horum auctorum) subditum transgredientem sententiam Prælati, etiam cum existit in alieno territorio, censuram incurrere.

3. *Non est idem ferri sententiam in absentem, et ferri propter delictum extra territorium commissum.* — Verumtamen ulterius advertendum est, aliud esse, censuram ferri in eum, qui extra territorium existit, aliud vero ferri in eum propter delictum extra territorium commissum. Cum enim in cap. Ut animarum, de Constitut., in 6, dicitur extra terri-

torium non incurri censuram statuti, non est propter absentiam personæ, ut sic dicam, sed quia actio ipsa, seu delictum extra territorium commissum est; ita ut, si fingatur casus, in quo post commissum delictum in alio territorio, antequam consummetur effectus ejus, in quo incurritur censura, delinquens jam existat in sua diœcesi, nihilominus non incurret censuram. Ut, v. gr., si lethaliter vulneravit alium extra diœcesim, et ad eam reversus est antequam ille moriatur, non incurreret censuram homicidii, ibi latam, quia delictum commissum fuit extra territorium, ubi statutum non obligat; et ideo quod persona sit in diœcesi propria, impertinens est. Sicut etiam e contrario si post delictum commissum in propria diœcesi, ad aliam transiret ante incursam censuram, nihilominus illam incurreret, ubicumque esset eo tempore, quo consummatur effectus.

4. *Tam sententia quam statutum comprehendit absentes qui in territorio deliquerunt.* — Unde quoad hoc nulla est propria differentia inter sententiam et statutum; in qua investiganda sine causa laborant citati Jurisperiti, dicentes per statutum non ferri sententiam in existentem extra territorium, sicut per sententiam, propter dictum c. Ut animarum; sed id falsum est, quando delictum contra statutum commissum est in propria diœcesi. Capitulum enim Ut animarum, non agit de absentia solius personæ, sed delicti, ut sic dicam. Quapropter non est etiam quoad hoc differentia inter sententiam specialem, vel generalem; utraque enim ferri post in absentem, extra territorium, si feratur propter delictum in territorio commissum, sicut de speciali sententia supra ostendimus, et de generali facile constat a paritate rationis; et quia, si per statutum id fieri potest, ut diximus, multo magis per sententiam generalem, quæ magis respicit personas. Denique usu, et exemplis res est manifesta, nam si Episcopus ferat hanc sententiam : *Omnis homicida excommunicatus sit*, subditus, qui intra illum Episcopatum lethaliter alium vulneravit, licet fugiat, et jam sit in alia diœcesi, cum incipit esse homicida, excommunicationem contrahet. Et idem intelligi potest in peccato simoniæ, et similibus. Communiter autem inter hæc non fit distinctio, quia regulariter, moraliter non accidit, ut qui delinquit in uno territorio, tempore contrahendi censuram jam sit in alio; re tamen vera sunt distincta, et nonnunquam separantur.

5. *An per generalem sententiam possit censura ferri in delinquentem extra territorium.* — *Sententia censuræ pro præterito delicto lata non potest ferri nisi pro delicto in propria diœcesi patrato.* — Difficultas vero est, an per sententiam, præsertim generalem, feratur censura non solum in personam extra territorium existentem, sed etiam propter delictum extra territorium commissum, et quod discrimen circa hoc sit inter sententiam, et statutum. Circa quod ulterius adverto, duobus modis posse hanc sententiam ferri, ut supra dictum est : uno modo pro peccatis præteritis cum ordine ad satisfactionem vel restitutionem, etc.; alio modo pro peccatis pure futuris. Quando priori modo fertur, quatenus illa censura supponit delictum commissum, necesse est, ut tale delictum vel sit in propria diœcesi commissum, vel quod alia ratione pertineat ad forum judicis ferentis censuram, ut quod a subditis sit commissum, et quod ab ipso pars læsa jus suum requirat; nam si hujusmodi jurisdictio in eo non supponatur, non habebit jurisdictionem ad vindicandum vel emendandum illud delictum. Supposita vero hac potestate, talis sententia obligabit subditos, etiamsi extra territorium sint, et ibi contumaces esse incipiant. Ut, v. gr., si Episcopus hic excommunicet eum, qui tale furtum fecit, nisi intra mensem restituat, quamvis reus in alia provincia versetur, et ibi post mensem incipiat esse contumax, sine dubio in excommunicationem incidet, quia illa non fertur per modum statuti, sed per modum sententiæ, quæ ferri potest in absentem. Neque in hoc est ulla ratio differentiæ inter sententiam generalem et specialem. Et, quamvis contumacia, quæ est proxima ratio censuræ, consummetur extra territorium, non obstat, tum quia præceptum illud non respicit territorium, sed personam; tum etiam quia illa persona ratione delicti seu conventionis coram legitimo judice præoccupata est, eamque ob rem parere tenetur, argumento c. Proposuisti, de For. comp., et ideo si sit contumax, in censuram incidet. Denique hic modus potestatis necessarius est ad bonum regimen Ecclesiæ, et ut censuræ debitam efficaciam habeant; nec propterea confunduntur jurisdictiones, aut perturbatur debitus ordo inter diversas diœceses, ut per se notum est. Unde nec dispositio c. Ut animarum, nec ratio ejus in hoc casu procedit, cum sit longe aliud de statuto, vel de hoc genere sententiæ, ut declaratum est.

6. At vero, quando sententia pure fertur in futurum ad præcavendum delictum, et non ad emendandum commissum, ut est illa c. A nobis : *Qui furtum fecerit, excommunicatus sit*, major est dubitandi ratio, quia vix potest constitui differentia inter hanc sententiam, et statutum, quantum spectat ad exercendum actum jurisdictionis extra territorium, quæ est ratio c. Ut animarum. Nihilominus tamen censeo esse constituendam differentiam, quam melius explicabimus, simul cum dubio seq.

7. *Num subditus unius diœcesis existens in altera, si agat contra præcepta illius diœcesis, illorum censuris ligetur.* — Dubitari enim potest, an subditus unius diœcesis, existens in altera diœcesi, et ibi agens contra præcepta Episcopi illius diœcesis, incurrat censuras ab illo latas. Videtur enim ex dict. c. A nobis, 1, colligi, non incurrere, quia, ut ibi dicitur, generalis clausula non extenditur ad eos, qui non sunt de jurisdictione ferentis. Ratio etiam id probare videtur, quia ille non est subditus ratione domicilii, ut supponimus; neque etiam ratione delicti, quia tale delictum supponit obligationem talis legis; agimus enim de delicto inobedientiæ, transgressionis mandati talis Prælati; obligatio autem supponit subjectionem; ergo ante delictum oportet, ut interveniat titulus subjectionis, qui in præsente nullus est. In contrarium vero est, quia qui degit aut versatur in aliquo territorio, tenetur sese conformare, seu parere legibus illius; ergo, si illas transgrediatur, incurret censuram ibidem tali legi annexam. Et confirmatur ex cap. 2 de Const., in 6, cum dictis hic in 1 dub.; nam, qui in alieno Episcopatu transgreditur statutum sui Episcopatus, non incurrit censuram ejus; ergo obligandus est ad servanda statuta alterius Episcopatus, in quo versatur, sub censuris eorum; alioqui ille fiet melioris conditionis, seu extra omne jugum, et legem, solum, quia in alieno territorio peregrinatur.

8. *Præceptum latum per modum sententiæ non ligat, nisi subditos ferentis.* — Quocirca necessario hic distinguendum est inter statutum et sententiam; nam quando præceptum Prælati fertur per modum sententiæ, non ligat nisi subditos ejus, non vero extraneos, etiamsi in ejus territorio delinquant. Ita enim aperte traditur in dicto c. A nobis, 1, de Sent. excom., et ita ibi intelligunt Glossa, Abbas, et alii Doctores; et Covarr., in dict. c. Alma, p. 1, § 10, n. 2. Qui reddit rationem, quia per talem sententiam tantum ligantur illi, qui sunt subditi eo tempore, quo sententia profertur; quales non sunt extranei. At vero Ugolin., dict. c. 9, § 2, n. 4, eamdem tenens sententiam, ex contrario principio reddit rationem, scilicet, quia sententia, statim ac lata est, operatur, ideoque ex tunc complectitur subditos, aut re, aut spe, id est, et eos qui nunc subditi sunt, et qui nascentur, eove domicilium transferent, non vero comprehendit extraneos, qui illuc postea profecti delinquunt, quia *infelix* (inquit) *casus non consideratur*, argumento legis *Inter stipulantem*, § Sacram., ff. de Verb. obligat.; *at statutum* (ait Ugolinus) *semper loquitur, et semper operatur.*

9. *Rationes Covarr. et Ugolin. improbantur.* — Sed hæ rationes non sunt efficaces; nam sententia hæc generalis, cum pro futuro tempore duret, sine dubio complectitur non tantum eos, qui sint subditi eo tempore, quo ipsa primum pronunciatur, sed omnes, qui toto illo tempore denuo incipiunt esse subditi, sive per mutationem domicilii, sive per generationem, vel novum usum rationis, quia sententia illa non solum habet vim et efficaciam cum primum fit, sed toto etiam tempore, quo durat; et quoad hoc similis est legi, vel statuto, et quod attinet ad hoc punctum, verum assumit posterior ratio; tamen, cur respectu talis sententiæ non fiant subditi extranei delinquentes in illo territorio, minime probatur ex illo axiomate, quod *infelix casus non consideratur*. Alioqui nec respectu statuti fierent subditi. Item, illa generalis propositio non est universaliter vera quoad omnes res morales; licet enim non consideretur quoad stipulationem, de qua loquitur illa lex, quæ affertur, tamen quoad prohibitionem, et punitionem maxime consideratur. Addo etiam, talem sententiam non solum non comprehendere extraneos venientes postea ad illam diœcesim, sed nec etiam illos, quos contingit in ea versari, tunc quando sententia profertur, quia in eis etiam procedit decisio cap. A nobis, 1.

10. *Propria ratio. — Existens in alieno Episcopatu si ejus statutum frangat, illius censura ligatur.* — Ratio ergo propria est, quia hujusmodi sententia licet generalis sit, directe fertur in personas, ut earum contumaciam coerceat et puniat; ideoque non extenditur ad extraneos, qui, licet versentur in alieno territorio, illic simpliciter non sunt subditi, neque intervenit aliquis titulus, quo fiant subditi, nam delictum non facit subdi-

tum quoad hujusmodi censuram, ut supra insinuavi, et statim iterum dicam. Secus vero est de statuto, nam (ex communi sententia) qui existens in alieno Episcopatu, frangit illius statutum, ejus censura ligatur, ut constat ex Abbate, in dict. c. A nobis, num. 7, et in c. ult. de For. comp., num. 39; Sylvest., verb. *Excomm.* 2, num. 5; Tabiena, Excommunicatio, 4, n. 2, et aliis, quos referunt, et sequuntur Covarr., et Ugolin., 5, et Jacob. de Graff., lib. 4 Decis., cap. 8, num. 39. Qui omnes rationem reddunt, quia ille fit subditus ratione delicti. Quæ ratio videtur supponere probandum, ut argumentum supra positum videtur demonstrare. Delictum enim solum potest facere subditum in ordine ad futurum judicium, et consequenter respectu omnium, quæ ad punitionem illius delicti ordinari possunt, non tamen potest facere subditum in ordine ad statutum, quod per tale delictum frangitur, quia hujusmodi delictum supponit obligationem statuti, et consequenter subjectionem.

11. *Ratio communis improbatur.* — Dices : statutum prohibet furtum, v. gr., vel aliquid simile, quod per se delictum est, quod censura afficit, et ita potest homo ratione illius delicti fieri subditus, ut in eum cadat censura. Sed hoc imprimis non est universale, quia doctrina data non tantum est vera de statutis prohibentibus res per se malas, sed etiam de facientibus, ut actiones malæ sint, quia prohibitæ. Tunc autem non potest actio ad delictum imputari, nisi persona supponatur subdita, et per tale præceptum obligata. Addo etiam in institutis prohibentibus res intrinsece malas necessario debere supponi subjectionem, ut delictum illud tale sit, quod sufficiat ad incurrendam censuram ipso facto, quia ad hoc non sufficit illud delictum præcise spectatum, ut est contra legem naturalem vel divinam, sed ut est contra Ecclesiasticam, et includit contumaciam, quæ supponit obligationem talis legis, et consequenter subjectionem ad illam. Quocirca, licet delictum in territorio commissum constituat hominem delinquentem talis fori, et supposito foro possit citari, et contumax fieri, tamen, si ante delictum commissum non est subjectus, fieri non potest, ut per delictum immediate ac simul fiat subjectus, et contumax et censuram incurrens.

12. Quod etiam videre licet in his, quæ de sententia diximus. Nam, si extraneus in alieno territorio delictum committat, etiam per illud delictum fit ita subjectus, ut contra illum ibi procedi possit, ubi deliquit, et nihilominus, licet in eo territorio per sententiam sit lata censura ob illud delictum, illam non incurrit, quamvis talis sententia omnes subditos comprehendat. Cujus ratio non est alia, nisi quia sententia generalis, quæ lata est ante delictum commissum, solum potest obligare eos, qui sunt subditi absque tali delicto, non vero eos, qui postea subjiciuntur ratione delicti. Quod si fortasse hoc tantum voluit Covarr., cum dixit, sententiam solum ferri in eos, qui jam sunt subditi, scilicet ante delictum, verum quidem dixit, sed non debuisset constituere in hoc discrimen inter sententiam et statutum, quia re vera non est, ut rationes factæ probant.

13. Denique cum in statuto, seu jurisdictione, duo possint considerari, scilicet, vi- directiva et coerciva, ratione delicti non potest homo fieri subditus primo et immediate in ordine ad vim directivam, sed in ordine ad vim coercivam seu punitivam; ideo enim dicitur fieri subditus, quia juste ibi puniri potest, ubi deliquit; consequenter vero obligari poterit secundum vim directivam ad ea omnia, ad quæ justus judex potest obligare reum, non vero ad alia, præcise ex vi illius subjectionis. Cum autem omne delictum supponat vim directivam, contra quam agitur per ipsum delictum, ut tale est, et vis directiva requirat subjectionem, non potest illa subjectio acquiri per delictum, sed supponenda est. Igitur, cum obligatio statuti pertineat ad vim directivam, subjectio ad illud non potest oriri ex delicto illi contrario, et consequenter prima ratio subjectionis necessaria ad talem censuram incurrendam non potest oriri a tali delicto.

14. *Vera conclusionis ratio.* — Vera ergo ratio ex eo petenda est, quod lex, vel, quod idem est, statutum, vel constitutio, de quo agimus, primo et per se datur pro ipso territorio, scilicet, ut in eo tali ordine ac modo homines operentur; quando autem statutum hujusmodi est, non solum obligat homines habentes domicilium in illo territorio, sed etiam homines peregrinantes, qui in illo versantur per aliquod tempus; nam pro illo tempore tenentur se conformare legibus illius territorii, quia ita expedit ad commune bonum et pacem, ut latius traditur in materia de Legibus. Atque ita prima subjectio ad illud statutum non oritur ex delicto, sed præcise ex actuali existentia, et conversatione in tali

provincia, et ex obligatione, quasi naturali, quæ inde nascitur, ut unusquisque sese conformet moribus ejus regionis, in qua degit, pro eo tempore, quo ibi versatur, præsertim in his rebus, quæ publico ritu, vel statuto ad omnes spectant, et ad rectitudinem vitæ ibi necessariæ existimantur, ut latius tradidit Augustin., in epist. 86 ad Casulanum; supposito ergo hoc titulo subjectionis, qui contra illud statutum agit, etiam si alioqui extraneus sit, revera est inobediens, et contumax, quia per ipsum statutum sufficienter admonetur, sicut alii subditi; et ideo merito censuram incurrit tali statuto annexam. Et confirmatur ac declaratur; nam, quamvis illi statuto non esset annexa censura, talis homo peccaret frangendo statutum, ut, v. gr., comedendo carnes die prohibito in aliquo Episcopatu ex peculiari statuto illius; ergo signum est obligare statutum antequam contra illud delinquat; ergo, si illi statuto esset annexa censura ipso facto incurrenda, obligaretur ex vi illius sub eadem comminatione, atque adeo sufficienter ad incurrendam censuram, si statutum violet.

15. *Differentia inter statutum et sententiam quoad hunc effectum traditur.* — Tota ergo differentia inter statutum, et sententiam generalem, in hoc posita est, quod statutum obligat omnes qui versantur in territorio, ratione territorii, sicut obligat etiam communis consuetudo, sic recepta; sententia vero solum obligat personas secundum se, in quas directe fertur. Et hinc nascitur altera differentia, quam in fine præcedentis dubii inquisieramus; nam statutum, cum territorium respiciat, non obligat subditos, dum extra illud versantur, seu respectu alterius territorii; et ideo ibi non incurrent censuram per tale statutum latam, juxta dispositionem cap. Ut animarum; at vero sententia fertur in personas secundum se, et ideo illas afficit ubicumque existant (seu afficere potest, quantum est ex se, ita enim loquimur) quia semper respicit illas, ut subditas, et in ordine ad actum, seu usum talis subjectionis, quia non pendet ex præsentia, seu existentia intra territorium.

16. *Regula generalis.* — Imo hinc colligo generalem regulam observandam. Quotiescumque superior habet jus, seu potestatem præcipiendi subdito extra territorium existenti, vel imponendi ei præceptum, cujus obligatio duret, etiamsi subditus extra territorium incedat, vel tale præceptum, quod extra territorium executioni mandandum sit, tunc, si tali præcepto legitime sit annexa censura, ubicumque subditus violet illud præceptum, etiam extra territorium, censuram incurrere. Ratio est clara, quia tota causa incurrendi hujusmodi censuram est contumacia et violatio talis præcepti; sed in eo casu subditus ubicumque existat est contumax, et violator præcepti, si id agat, quod præceptum vetat; ergo incurret censuram. Nam supposita contumacia, et tenore legis, sola absentia non potest impedire censuram, quia ut sæpe dictum est, in absentem ferri potest. Neque etiam diversitas territorii impedire potest executionem legis quoad hanc pœnam, quia talis executio per ipsammet legem fit, et sine externa, aut corporali vi, quæ possit pacem, vel ordinem jurisdictionum perturbare.

17. *Cap. Ut animarum objicitur.* — *Covarr. interpretatio.* — Contra hoc vero objici potest dictum caput Ut animarum, quod generatim, et sine restrictione declarat censuram non incurri agendo contra statutum extra territorium. Propter quod Bartolus, et alii decretum illud intelligendum putant, solum quando statutum simpliciter loquitur; secus vero esse, quando ipse legislator sufficienter declarat se velle obligare etiam extra territorium. Hanc vero interpretationem refellit Covarr., dict. num. 3; et Navar., in Summa, cap. 27, num. 273; Sylvest. supra; quia repugnat rationi ejusdem textus; nam Pontifex ibi non defectui voluntatis, sed defectui potestatis Prælati ferentis statutum, tribuit, quod ejus statutum extra territorium non liget; ergo quantumvis ipse Prælatus declaret se aliud velle, nihil operabitur, cum non habeat potestatem. Et ideo ipse Covarr. aliam declarationem indicat in fine illius numeri tertii, scilicet, tunc obligari subditum, per statutum territorii, extra illud existentem, quando statutum factum est in utilitatem ipsius diœcesis seu provinciæ, quia tunc licet alibi delinquat, non censetur simpliciter extra territorium delinquere, cum in injuriam ipsius territorii delinquat, et ita quodam modo in illo peccat, quandoquidem in illud peccat.

18. *Improbatur.* — *Vera expositio.* — Sed quamvis verum sit, ob hanc causam posse obligari subditum ad servandam legem extra municipium vel provinciam, et per talem legem puniri, si ibi delinquat, non tamen existimo per hanc rationem satisfieri difficultati, quia non solum propter illam, sed etiam propter alias justas causas pertinentes ad bo-

num ipsius subditi, vel aliorum, potest Prælatus, præsertim Ecclesiasticus, præcipere subdito, ita ut teneatur servare præceptum ubicumque sit. Idemque facere potest sub censura, si alioqui talis sit superior, ut potestatem habeat ferendi censuram. Quod exemplo supra posito declarari potest de Episcopo, qui potest præcipere alicui clerico, ne extra diœcesim sacrum faciat, aut aliquid simile; et in religionibus id facilius contingit; posset enim Provincialis sub excommunicatione præcipere subdito, ut jejunet semel in hebdomada, quod facere tenebitur, etiamsi extra provinciam versetur. Et in hoc clare distinguitur præceptum territorii, seu provinciæ, a præcepto personæ; nam licet in hac provincia esset consuetudo, aut præceptum jejunandi feria sexta, etiam sub censura, subditus qui extra illam versatur, non tenebitur illo præcepto, nec incurret censuram non jejunando, quod secus esset, si præceptum fuisset directe impositum personæ. Quod si hoc fieri potest per præceptum speciale, poterit etiam fieri per generalem sententiam, quæ solum est generale præceptum; ratio autem generalis et particularis non variat jurisdictionem, aut potestatem; et ideo in sententia generali veram censeo sententiam Bartoli, quod potestas non deest, si voluntas concurrat. Ad difficultatem ergo respondetur: cap. Ut animarum, loquitur de statuto territorii seu provinciæ, non de præcepto imposito personæ, cui nos dicimus æquiparari sententiam generalem, et ideo sub decisione illius textus non comprehendi. Nec in præceptis personalibus, sive specialibus, sive generalibus procedit ratio illius textus; nam hæc præcepta (ut dixi) et prolatio censuræ secundum se non respiciunt territorium, sed personas; et ideo qui sic præcepit, non dicit proprie jus extra territorium; sicut qui absolvit subditum in aliena diœcesi, non dicit jus extra territorium, sed ab illo abstrahit.

DISPUTATIO VI.

DE EFFECTIBUS CENSURÆ.

Hactenus institutionem, naturam, et causas censuræ declaravimus; solum superest, ut de effectibus ejus dicamus, ubi etiam si quidpiam desiderari potest, vel dicendum superest de fine, seu causa finali censuræ, simul explicabitur, quoniam finis, et effectus in eamdem rem sæpe coincidunt. De attributis vero, seu proprietatibus censuræ nihil dicere oportebit, quoniam quæ alicujus momenti esse possunt ad rem moralem, sufficienter tacta sunt explicando formam, et modum censuræ ferendæ, et explicando distinctionem censuræ in injustam et nullam; ibi enim indicavimus quæ sint substantialia, quæve accidentalia in censura, et præter hæc non habet alia attributa, nisi fortasse aliqua illi accommodentur in ordine ad effectum, ut, v. gr., quod vim habeat hunc vel illum effectum efficiendi, quæ attributa explicatis effectibus explicata remanebunt. Quanquam hæc vis, et habitudo ad effectus potius pertineat ad substantiam censuræ; nam tota ejus ratio in hoc consistit, ut sit vinculum inducens hos vel illos effectus afflictivos et pœnales ad comprimendam contumaciam. Atque ob causam pauca de his effectibus dicam; nam explicabuntur melius in singulis censuris, quoniam ex illis, seu per ordinem ad illos, propriæ rationes, seu differentiæ singularum censurarum a nobis explicandæ sunt. Duo igitur hic breviter trademus: primum, qui sint effectus communes omnibus censuris; secundum, quibus modis impediri sive excusari possint.

SECTIO I.

Qui sint, et quot effectus censuræ.

1. *Finis censuræ duplex.* — *Quid sit finis remotus censuræ.* — Quoniam finis, et effectus, ut dixi, in idem fere coincidunt, oportet in præsenti distinguere duplicem finem censuræ, scilicet remotum, et proximum, qui etiam dici possunt intrinsecus, et extrinsecus finis, vel etiam dici possunt finis operantis, seu ferentis censuram, et finis (aut quasi objectum) ipsiusmet censuræ. Finis remotus, qui etiam extrinsecus, et operantis dicitur, est fructus ille bonus, quem Prælatus ferens censuram intendit per hujusmodi censuram aut legem, qua censuram fert, qui etiam potest esse multiplex, scilicet, temporalis, vel spiritualis. Quando enim aliquis excommunicatur, v. gr., propter temporale damnum quod alteri intulit, ut sæpe fit, et recte fieri potest, si debitæ circumstantiæ serventur, ut docent Theologi in 4, dist. 18, et specialiter D. Thomas, quæst. 2. art. 1, quæstiunc. 3, tunc fructus temporalis per talem censuram intentus, est, ut temporale damnum alteri factum restituatur, vel aliquid simile. Quod si talis fructus obtineatur, ille dici potest effec-

tus censuræ, quamvis remotus. Nunquam tamen fructus temporalis est tantum, aut præcipue intentus per censuram; nam cum illa sit pœna spiritualis, et gravissima, nunquam esset imponenda propter temporalem fructum, nisi hic esset conjunctus cum aliquo spirituali majoris æstimationis, magisque intentus per ipsam censnram. Hujusmodi autem in primis est observantia obedientiæ Ecclesiasticæ; deinde reparatio spiritualis lapsus commissi ab eo qui censura ligatur, ut nunc a peccato resurgat, *et tandem spiritus ejus salvus fiat in die Domini,* ut dicitur, 1 ad Corinth. 5. Atque hi omnes dici possunt effectus censuræ, remoti tamen, et valde extrinseci. Imo considerata natura, et qualitate censuræ, respectu illius per accidens, et quasi per occasionem consequuntur, licet respectu intentionis ferentis sint per se; et ideo dixi hujusmodi magis esse finis ferentis censuram. Atque ita fere loquuntur de hoc fine et effectu passim canonica jura, ut videre est in c. de Sentent. excom., in 6, et in c. 1 de Exception., eodem libro, et in aliis, quæ, 11, quæst. 3, et 23, quæst. 6, et sub utroque titulo de Sententia excommun., continentur. De hoc ergo fine, et effectu remoto censuræ plura dicere non est necesse.

2. *Quis sit finis intrinsecus censuræ.* — Alius ergo est finis censuræ, qui est veluti objectum ejus intrinsecum, ad quod proxime ordinatur, quod est ligare hominem spiritualiter, privando illum his, vel illis spiritualibus bonis, et est proprius, ac per se effectus censuræ, tam ex parte ferentis illam, quam ex parte ipsiusmet censuræ. Ex parte quidem ferentis, quia hæc debet esse proxima intentio; imo supra diximus, hujusmodi intentionem esse simpliciter necessariam ad valorem censuræ. Ex parte autem censuræ, quia hoc solum est, quod ipsa potest per se efficere, sicut proprius effectus vinculorum est ligare, et corruptionis, seu privationis, auferre; quamvis inde possit sequi per accidens alius fructus, vel generatio.

3. *Privationem aliquorum spiritualium bonorum esse effectum communem omni censuræ.* — *Quibus spiritualibus rebus privet censura.* — De hoc ergo effectu loquendo, dicendum est privationem aliquorum spiritualium bonorum esse effectum communem omni censuræ; nulla enim est, quæ aliquid hujusmodi non efficiat, ut inductione facile probari potest ex multis juribus quæ habentur sub titul. de Sent. excomm., et de Cleric. excomm ministr., et ea nunc omitto, quia infra tractando de singulis censuris ex professo asserenda sunt et explicanda. Ad hoc vero etiam faciunt ea quibus supra probavimus censuram esse pœnam spiritualem, quia privat spiritualibus bonis. Et ibi etiam declaravimus, hunc effectum non ita esse adæquatum censuræ, ut non privet etiam aliquibus temporalibus bonis. Sed hoc illi specialiter attribuitur, tum quia hoc est præceptum, et quod propriam rationem talis pœnæ constituit; tum etiam quia hic effectus sine controversia est communis omni censuræ; privare autem temporalibus commodis, licet alicui conveniat, ut suspensioni, v. gr., fortasse tamen non omnibus, quod infra videbimus. Tum denique, quia etiam temporalia commoda non auferuntur per censuram nisi quatenus annexa sunt spiritualibus, ut, v. gr., suspensio privat fructibus beneficii, qui sunt annexi spirituali officio, et excommunicatio privat civili communicatione fidelium, qui, quatenus tales sunt, inter res spirituales merito computantur. Hic ergo est proximus, per se, et communis effectus censuræ, privare scilicet aliquibus spiritualibus bonis. Quæ autem sint hæc spiritualia bona, in singulis commodius explicabitur; nunc satis sit in genere dicere, esse res omnes sacras, quæ sunt in communi, et publico usu Ecclesiæ, ut sunt sacramenta, sacrificium, orationes publicæ, et quæ ad hæc ordinantur, ut templa, et alia hujusmodi, vel etiam ad quæ hæc ordinantur, ut sunt ipsimet fideles. Spiritualia autem bona interna, quæ in gratia, et virtutibus consistunt, non possunt per censuram auferri, quia hæc nemo perdit invitus, nec nisi per propriam culpam; censura autem extrinsecus imponitur invito, et culpa non est, licet culpam supponat. Per se ergo non aufert gratiam, aufert tamen usum earum rerum, per quas ministerio Ecclesiæ gratia conferri solet, ut sunt sacramenta. De quibus omnibus postea sigillatim dicendum est.

4. *Effectus intrinsecus censuræ duplex.* — Hic solum addenda sunt duo, quæ in superioribus insinuata sunt: unum est, hujusmodi effectum esse duplicem, seu dupliciter fieri a censura, scilicet vel immediate, per se exequendo, et efficiendo illum, vel mediate, obligando tantum, aut ipsummet, qui censura ligatur, ut sese abstineat, et privet talibus bonis, aut alios, ut ipsum privent, seu cum illo non communicent. Uterque ergo istorum dici potest proprius, et per se effectus censuræ,

sive in singulis censuris uterque effectus reperiatur, sive non, quod postea videbimus. In rigore tamen loquendo prior effectus in se ipso fit immediate a censura; posterior vero non in se, sed in obligatione, seu mediante illa. Unde, quando jura dicunt censuram per se ferre executionem, in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., ubi in particulari sermo est de excommunicatione, extenditur tamen ad suspensionem et interdictum, ut notant Doctores in cap. Is cui, de Sent. excom., in 6, hoc (inquam) dictum cum proportione est intelligendum, et accommodandum. Nam prior effectus statim oritur ex censura in eodem momento, in quo absolute fertur, vel in absolutam transit per conditionem expletam, quando sub conditione lata fuit; posterior autem effectus in eo puncto non fit, nisi quoad obligationem, quæ postea executioni mandatur per voluntatem ejus qui censura ligatur, vel aliorum, quatenus ad eos talis obligatio pertinet. Considerant autem Juristæ hunc effectum censuræ, quasi inhærentem illi, qui censura ligatur; non quia re vera in illo aliquid ponat aut auferat; sed quia illa obligatio moralis eo modo, quo inesse potest, semper inest, et comitatur talem personam quocumque tendat, sicut accidens subjectum. Ex quo nascitur, ut excommunicatus alicubi, quocumque incedat, semper excommunicatus sit, et consequenter, ut ubique vitandus sit, seu privandus illis bonis, quibus per censuram privatus est. Quod in singulis censuris, et præsertim agendo de excommunicatione, latius tractabitur.

5. *Effectus censuræ non est de se perpetuus.* — Alterum notandum erat, hunc effectum censuræ ex vi illius non esse perpetuum, sed talem, ut possit auferri jure ordinario, et ex vi ipsius sententiæ ea intentione ferri, ut aliquando auferatur, quod in principio hujus materiæ, in ipsa definitione censuræ annotavimus, ut aliquas pœnas Ecclesiasticas a ratione censuræ excluderemus. Quocirca quotiescumque similes effectus ex intentione Ecclesiæ inferuntur, ut perpetui, et immutabiles jure ordinario, signum sufficiens est illos non inferri a censura, sed alia via et ratione. At vero licet effectus censuræ perpetuus non sit, tamen non habet, neque habere potest (si proprie de censura loquamur) definitum tempus durationis, sed incertum et indefinitum, scilicet, donec, consequuto alio effectu per se intento a Prælato, censura tollatur, nam, cum censura feratur ad reprimendam contumaciam, sicut contumaciæ ablatio, vel duratio non habet definitum tempus, sed pendet ex libera voluntate peccatoris, ita effectus censuræ per se non habet temporis limitem, de qua re iterum in disput. seq. redibit sermo.

SECTIO II.

Quibus modis impediri possint effectus censuræ.

1. *Impedimentum censuræ duplex.* — Aliud est loqui de impedimentis censuræ, scilicet, ut injusta et invalida sit, aliud vero de impedimentis effectuum censuræ, supposito valore, et existentia (ut sic dicam) ipsius censuræ. De priori sensu dictum est disp. 5; hic de posteriori disputabimus; nam priori modo non impeditur proprie effectus, sed ipsa censura omnino nulla est, unde mirum non est, si nullum habeat effectum. Posteriori autem modo proprie impeditur effectus, supposita causa ex se sufficiente ad illum. Explicandum ergo est, an, et quomodo hoc contingere possit in censura.

2. *Effectus remoti censuræ per solam pravam voluntatem peccatoris impediri possunt.* — Ex qua declaratione intelligitur primo, quæstionem hanc non habere locum in effectibus remotis censuræ, quales sunt fructus omnes, qui per illam intendi aut sperari possunt, ut sectione præcedente declaratum est. Nam omnes illi impediri facile possunt, ne in re ipsa obtineantur, propter solam libertatem et duritiem peccatoris. Et ratio est, quia hi effectus non fiunt per se ab ipsa censura, sed solum quasi excitando mentem et voluntatem, cui excitationi voluntas resistere potest. Dico autem, hos effectus posse impediri, non tamen inculpabiliter impediri, quod in hac quæstione præcipue inquirimus, ut infra dicam; sed in hoc etiam resolutio est manifesta quoad hos effectus; nam si voluntarie et libere impediantur, id non potest fieri sine culpa, quia intrinsece malum est in contumacia voluntarie perseverare; aliquando vero possunt impediri ex impotentia sine voluntate, et tunc fiet sine nova culpa, quia saltem fiet sine contumacia. Unde quoad mere internos et spirituales effectus, qui sunt interna contritio et resipiscentia, et consequenter salus animæ et gloria Dei, quoad hoc (inquam) non contingit, nisi vel casu aliquo, in quo antequam homo advertat statum et periculum suum, et quid agere debeat, vita vel ratione privatur, et consequenter potestate resipiscendi, vel quia

propter ignorantiam censuræ homo ab illa non movetur, ut resipiscat. Potest enim censura ferri in ignorantem, ut supra diximus; quamdiu autem ignoratur, nihil operari potest quoad hos effectus, cum solum operetur excitando et movendo affectum, qui modus operandi est media cognitione. At vero, si homo habeat cognitionem censuræ, tempus resipiscendi, non potest sine nova culpa hunc censuræ effectum absolute et simpliciter impedire, cum contumaciam suam corrigere teneatur.

3. *Potest quis sine nova culpa hunc effectum impedire, ex brevitate temporis vel impotentia morali.* — Dico autem, *absolute et simpliciter*, id est, toto tempore vitæ aut diuturno; nam quamvis hic effectus voluntarie impediatur per brevem moram, fortasse non semper erit nova culpa, quia hæc obligatio non est ita urgens, ut statim sine ulla mora sub reatu novæ culpæ mortalis executioni mandata sit, quia hoc neque est humanum, neque in ipsa forma censuræ continetur, nec ratione aliqua efficaci convinci potest; quare, si quis post cognitam censuram sibi latam, non habet novam voluntatem manendi in contumacia (hæc enim semper novum peccatum erit), sed solum non habeat statim voluntatem obediendi, quod sibi præcipitur, sed circa alia occupetur, aut aliquid temporis sumat ad cogitandum et deliberandum, quid et quomodo sibi agendum sit, non propterea statim novum peccatum committet. Cavendum tamen est, ne nimia sit mora; nam hæc sine dubio est contraria fini et intentioni censuræ, ita ut, licet quod diximus verum sit, physice considerando moram temporis, nihilominus absolute dici possit, omnem moralem moram in hoc negotio esse peccaminosam, quia, cum censura jam supponat contumaciam, quidquid illi moraliter additur, rationem majoris contumaciæ habet; unde, si novo affectu fuerit voluntaria, novum peccatum erit. Quanta vero futura sit mora, ut nova et moralis censenda sit, prudentis judicio relinquendum est, considerata materia censuræ et occurrentibus circumstantiis.

4. Quoad externos vero effectus, rest tuendi, solvendi, aut similes, facilius potest hujusmodi impedimentum sine culpa intervenire, propter moralem impotentiam, ut per se manifestum est. De qua impotentia non possumus hic generalem regulam tradere, sed ex unaquaque materia petenda est ratio talis impotentiæ et quid ad illam requiratur. Advertendum est autem, hic non esse sermonem de impotentia, quæ antecedit censuram ferendam; nam hæc non solum impedit effectum, sed etiam ipsam censuram, ne valida sit, quia jam non fundatur in vera contumacia, juxta superius dicta; sed loquimur de impotentia, quæ post jam latam et contractam censuram consequuta est; illa enim, quamvis non statim censuram auferat, ut sequente disputatione dicemus, sufficit tamen, ut sine culpa impediat prædictos censuræ effectus, cum nemo peccet in eo quod propter impotentiam omittit.

5. *Effectus immediate a censura manantes nullo modo impediri possunt illa manente.* — Secundo sequitur ex declaratione tituli supra posita, effectus illos, qui immediate, et per se fiunt, et executioni mandantur per ipsam censuram, nullo modo impediri posse, neque sine culpa, neque cum culpa ejus qui censura ligatur, quod secus est in aliis effectibus, qui fiunt media obligatione ipsius peccatoris. Declaratur prior pars; nam hi effectus sunt per se et non tantum per accidens, ut ostendimus. Rursus censura ipsa ex se affert secum executionem, juxta cap. Pastoralis. Et alioqui hujusmodi effectus non pendet ex consensu, voluntate aut scientia ipsius peccatoris; ergo non est, unde tales effectus possint impediri; non enim ex parte subjecti, in quod censura operatur, ut ratio facta ostendit; neque etiam ex parte ferentis censuram, cum in eo sit voluntas et potestas, ut supponimus; neque ex parte alicujus medii, vel distantiæ, aut similis impedimenti, cum censura in absentem et quantumvis distantem, vel ignorantem operari possit, ut supra ostensum est, cumque modus operandi illius sit quasi incorporeus et invisibilis, eo quod pure moralis sit, in quo modo operandi hujusmodi impedimenta intervenire non possunt. Neque etiam hic fingi potest resistentia potentioris causæ, quæ hunc effectum impediat; nam neque talis causa ratione aliqua ostendi potest; neque in re, de qua agimus, intervenire potest; causa enim potentior impedire posset ipsam censuram tollendo jurisdictionem vel alio simili modo; tamen supposito valore censuræ, et, ut ita dicam, in sensu composito, nulla causa superior habet jurisdictionem ad impediendum hunc effectum, cum sit quasi de intrinseca ratione ipsius censuræ, nec potest intercedere sufficientia, quia etiamsi injusta sit, dummodo sit valida, habebit hunc effectum, ut ex superioribus constat.

6. *Exceptio a regula.* — Potest vero excipi ab hac generali regula casus supra tractatus de privatione jurisdictionis per censuram; nam hic effectus ex illis est, qui immediate et efficaciter fiunt per ipsam censuram, et nihilominus si excommunicatus, v. gr., sit ignoratus et occultatus, toleratus tamen publice, non ita privatur jurisdictione, quin acta ejus teneant ex providentia Ecclesiæ propter commune bonum, juxta leg. *Barbatius,* ff. de Offic. Prætoris. Dici vero potest, hanc non esse propriam exceptionem; nam ille in se, et (ut sic dicam) in habitu privatus est jurisdictione; in tali vero usu seu actu publico Ecclesia illam supplet, et quasi actualiter influit, non obstante censura, ut talis actus valorem habere possit, quia ita expedit communi bono, ut dictum est. De quo vide Castrum, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 15, circa secundam conclusionem finalem, et quæ ibi adducit.

De effectibus mediate a censura manantibus.

7. *Obligatio ad hos effectus, si non sit ignorantia, non potest impediri.* — Altera pars de alio genere effectuum probatur facile. Duo enim sunt in hujusmodi effectibus. Unum est obligatio ad aliquid agendum vel non agendum, ut ad non communicandum vel quid simile; aliud est executio talis obligationis, scilicet non communicare, etc. Quantum ad primum æquiparatur fere hic effectus cum aliis, de quibus in proximo puncto dictum est, quia censura per se ipsam inducit hanc obligationem, absque ministerio vel consensu ejus, qui censura ligatur; et ideo quoad hanc partem, etiam hic effectus impediri non potest. Solum quoad casum ignorantiæ potest constitui discrimen; nam licet hæc obligatio non requirat consensum, requirit tamen obligationem; et ideo si quis invincibiliter ignoret se esse censura ligatum, impedietur hæc obligatio, sive dicamus, eam pro tunc non oriri, sive excusare hominem, ne contra illam agat, quod parum refert; nam quod attinet ad rem moralem, eodem revolvitur.

8. *Effectus hi possunt per ligatum impediri. — Non tamen per se loquendo sine culpa. — Hæc autem culpa, et pœna, quæ aliquando pro illa fertur, non potest dici effectus censuræ.* — Quantum vero ad secundum, potest sine dubio hic effectus impediri per voluntatem ipsius, qui censura ligatus est, quia ex vi solius censuræ non cogitur quasi physice (ut sic dicam) ut hunc effectum exequatur, sed voluntarie, ut humano more illum exequi debet; ergo per eamdem voluntatem et libertatem potest illum non exequi, atque ita impedire hujusmodi effectum. Verumtamen hoc per se loquendo, et ex vi censuræ, non fit sine culpa et gravi, quandoquidem censura ex genere suo ad sui observationem graviter obligat; et ideo, nisi ex levitate materiæ culpa minuatur, ex genere suo hujusmodi transgressio gravis est et mortalis. Non debet autem nec potest hæc culpa inter effectus censuræ computari, quia hæc per se sequitur, neque intenditur, nec censura præbet moralem occasionem illius, sed alter ex malitia occasionem sumit; sicut lex non est causa culpæ, etiamsi per ejus transgressionem committatur; est enim lex justa et sancta, ut ait Paulus, licet, qui ea male utitur, pravus sit; ita ergo censura bona est; et ideo non est causa culpæ, licet per ejus violationem committatur.

9. Solet autem propter hanc culpam nova censura vel novum impedimentum Ecclesiasticum incurri, ut excommunicatus celebrans fit irregularis, et communicans cum excommunicato incurrit excommunicationem minorem, et hoc modo dici solet irregularitas interdum esse effectus censuræ, et una censura, alterius. Verumtamen neque hic proprie inter effectus numerandus est, tum quia est valde remotus, et nova lege aut sententia impositus, et non ex vi prioris censuræ; tum etiam quia culpa, quæ ibi interponitur, propter quam hæc nova pœna imponitur, non est effectus censuræ, ut dixi; ergo neque ipsa pœna, quæ magis remote comparatur ad priorem censuram et per novam voluntatem superioris fit, potest dici proprie effectus talis censuræ. Ac tandem, quidquid sit de hoc modo loquendi, hic non possumus commode de hujusmodi pœna dicere, quia nulla est certa, quæ ex violatione censuræ in communi nascatur, sed in singulis censuris, juxta varios modos violandi illas, oriuntur variæ pœnæ, et respectu alicujus specialis transgressionis fieri potest, ut nulla talis pœna sit ipso jure imposita, ac propterea hæc omnia commodius declarabuntur in singulis censuris, et explicando varios modos peccandi contra illas.

10. *Per accidens possunt hi effectus sine culpa impediri.* — Alio tandem modo potest impediri, seu non dari executioni hic effectus censuræ sine culpa ejus, qui censura ligatus est, et hoc solum est, quod hic indiget declaratione. In qua re hanc in primis statuo ge-

neralem regulam, scilicet, hoc nunquam posse accidere per se secundum moralem considerationem, sed solum per accidens, stante censura in sua vi. Illud voco per se fieri morali consideratione, quod ex certa scientia et libera voluntate fit; per accidens autem dicetur fieri, quod vel propter ignorantiam, vel propter impotentiam seu vim physicam aut moralem fit. Ex qua declaratione facile constat proposita regula; nam censura ex se obligationem inducit; ergo, si servari potest et sufficiens cognitio intervenerit, fieri non potest, ut absque culpa violetur. Dixi autem: *Stante censura in sua vi,* quia, si sit aliquo modo suspensa vel impedita, jam tunc ea ratione etiam ejus obligatio poterit esse suspensa, et consequenter tunc poterit sine culpa hic effectus impediri seu non mandari executioni. Quod etiam poterit per accidens contingere propter ignorantiam vel impotentiam, etiam dum censura in sua vi permanet, et quantum in se est, obligationem inducit. Igitur hæc tria explicanda supersunt, scilicet, quomodo contingat per ignorantiam, et quomodo per impotentiam, et quo item modo possit vis censuræ suspendi vel impediri.

Per ignorantiam posse hos effectus sine culpa impediri.

11. Circa primum punctum de ignorantia fere nihil novi dicendum occurrit, sed generales regulæ de ignorantia superius insinuatæ applicandæ sunt. Nam censura quoad hunc effectum solum habet vim cujusdam Ecclesiastici præcepti, ut in sequenti puncto amplius declarabo; et ideo, ita potest ignorantia excusare a culpa in ejus transgressione, sicut in aliis Ecclesiasticis præceptis. Ut ergo talis ignorantia excuset, oportet in primis, ut invincibilis sit; nam, si sit culpabilis, non excusabit, cum ipsa tunc voluntaria sit, et in ea consequenter sit voluntarius effectus subsequens. Quando vero sit judicanda invincibilis, quando vero culpabilis, juxta regulas superius positas disp. 5, sect. ult., judicandum est. Nam quæ ibi diximus circa transgressionem legis, cui est annexa censura, eadem proportione locum habent in transgressione ipsius censuræ; et omnes modi ignorantiæ ibi insinuati, possunt etiam hic intervenire.

12. *Varii modi ignorantiæ proponuntur.* — Nam primo potest interdum hoc esse ignorantia juris, ut si quis ignoret esse prohibitum ex vi interdicti audire Missam in die festo in loco interdicto; aut potest esse ignorantia facti, ut si quis ignoret hunc locum esse interdictum; et utraque excusat, si invincibilis sit, ut esse potest; et neutra, si vincibilis; quamvis facilius admittatur, ut præsumatur ignorantia invincibilis in facto, quam in jure, ut supra etiam dictum est. Rursus potest ignorantia hæc interdum esse quoad habitum et actum primum, ut in exemplis positis; interdum vero solum actualis inconsideratio, ut cum quis omnino oblitus quod excommunicatus sit, celebrat, quæ inconsideratio perinde efficax est ad excusandum a culpa ac totalis ignorantia, si æque involuntaria sit. Quod est valde advertendum ad judicandum de irregularitate, vel de alia nova censura incursa per violationem censuræ; nam quacumque ratione talis violatio excusetur a culpa, vel propter solam naturalem inconsiderationem, excusabitur nova censura, vel etiam illa irregularitas, quæ non nisi propter talem culpam imponitur, ut suo loco latius dicemus.

13. *Ignorantia excusans debet esse in ipso censura ligato.* — Ultimo circa hunc punctum de ignorantia advertendum est, aliud esse censuram vel effectum ejus ignorari ab ipso, qui ligatus est, aliud vero esse occultum vel incognitum aliis. Nam quæ diximus procedunt de propria ignorantia, quæ reddit actum ipsius operantis involuntarium; et ideo excusat. At vero, quod ignorantia sit occulta, aut ab aliis ignorata, non excusat ipsum ligatum, quominus censuram servare, et effectus ejus exequi debeat, per se loquendo. Quia, quod censura sit occulta, seu non sit denunciata aut publice promulgata, nihil minuit de valore et efficacia ejus; nam denunciatio, ut dicitur in cap. Pastoralis, § Verum, de Appell., non ligat de novo, unde nec per se auget obligationem ipsius ligati, nec tam fit propter ipsum, quam propter alios, ut et possint et debeant excommunicatum, v. gr., vitare, vel alio modo ad ipsos pertinente censuram servare, maxime post Extrav. *Ad evitanda scandala.* De qua infra in materia de Excom. late dicturi sumus, ubi etiam explicabimus, quo modo excommunicatus non denunciatus, seu occultus, teneatur ipse abstinere, cum alii non teneantur ipsum vitare, et quomodo hæc duo inter se cohæreant. Nunc ubi in genere agimus, satis sit generatim dicere, eum, qui occulte ligatus est, ex hoc solo capite, quod ejus censura est ignorata ab aliis, non excusari efficiendo actum per censuram prohibitum. An vero ex alio capite, scilicet propter

jus, vel commodum aliorum interdum non sit censendus prohibitus talis actus usque ad denunciationem, in citato loco dicendum est, et in discursu hujus sectionis aliquid attingemus.

Per quam impotentiam possent effectus censuræ impediri.

14. Circa secundum punctum de impotentia, si illa sit physica et totalis, ut sic dicam, nulla est difficultas, quia tunc actio prorsus est involuntaria, ut si excommunicatus per vim cogatur adesse sacrificio Missæ, vel aliud simile opus facere, quod etiam definitum est in cap. Sacris, de His quæ vi metusve causa fiunt. Difficultas ergo solum est de impotentia morali, quæ intercedere censetur in his, quæ sine magno incommodo et difficultate vitari non possunt. Quod primo accidere potest ex causa extrinseca inferente metum et comminante mortem, vel aliud simile nocumentum, nisi aliquid agatur, quod ex vi censuræ prohibetur. Deinde ex aliis circumstantiis vel occasione oriri potest morale periculum alicujus gravis nocumenti temporalis, ut infamiæ gravis vel alterius similis. Item aliquando potest timeri scandalum aliorum; et in omnibus his casibus est difficultas; quia vero res est gravis, melius sectione sequente expedietur.

SECTIO III.

Utrum metus impedire valeat effectum censuræ ita ut sine culpa omittatur.

1. Aliquorum opinio fuit propter metum nunquam licere agere quidpiam prohibitum per censuram, etiamsi malum, quod timetur, sit ipsa mors, et metus ipse tam gravis sit, ut in virum constantem cadere possit. Ita sentiunt multi auctores, qui tamen non in genere de omni censura, nec de omni effectu loquuntur, sed de communicatione cum excommunicato, quam putant esse ita intrinsece malam, ut propter nullum metum licere possit. Ita sentit Alexand. Alens., 4 part., quæst. 81, memb. 6, art. 2, alias quæst. 23, memb. 1, art. 6, § 2. Qui non tantum de communicatione in sacris, sed absolute de communicatione cum excommunicato loquitur, et non tam ex parte ipsius excommunicati, quam ex parte aliorum; tamen inde a fortiori colligitur idem dicendum esse de excommunicato, et ex similitudine rationis de quocumque ligato per censuram, ad proprios actus cum proportione comparatam. Adhibet vero limitationem, scilicet, si sufficiente deliberatione et consideratione id faciat; nam tunc, ait, non facit sine contemptu. Hæc tamen ratio infirma est; nam, qui ex solo metu facit, licet voluntarie, violenter facit, et ideo non contemnit, imo ipse metus, quantum est ex se, excludit contemptum, si aliunde non proveniat. Eamdem vero sententiam indicat D. Thom., Quodlibeto 11, art. 9, et in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 3, ad 1; et ibi Durandus, q. 5, ad 3; Gabr., quæst. 3, dubio 4; et inclinat Richardus, art. 6, quæst. 2, ad 1; et Cajet., 1. 2, quæst. 96, art. 4, et 2. 2, quæst. 125; et Petrus Soto, lect. 3 de Excomm. Ubi etiam de communicatione extra divina ait, non excusari a culpa veniali, licet propter metum mortis fiat, quia veniale peccatum, etiam propter vitandam mortem, faciendum non est. Hoc vero improbabile censeo, ut a fortiori constabit ex dicendis. Nec enim quisque dicit peccatum veniale posse fieri ad vitandam mortem, sed periculum mortis ita suspendere obligationem legis, ut quod alias esset peccatum veniale, jam tunc non sit; nam si peccatum veniale est, et non est de re intrinsece mala, signum est obligationem esse satis levem, ideoque non solum propter periculum mortis, sed etiam propter minorem causam posse suspendi seu cessare. Tandem prædictam communem sententiam tenet Adrianus, Quodlibet. primo, art. 3, et in 4, quæst. 3 de Clavibus, ubi refert alios Canonistas, præsertim Abbatem, dict. cap. Sacris, circa finem. Idem tandem tenet Covarr., dict. § 3, num. 9, referens aliquos, quamvis aliis locis infra citandis, vel hoc limitare, vel non satis consequenter loqui videatur.

2. Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex c. Sacris, de His quæ vi, ubi simul dicitur, communicationem factam cum excommunicato per vim, excusare a culpa, factam autem per metum, non excusare, quia prior est simpliciter involuntaria, posterior vero simpliciter voluntaria est, et ideo a mortali peccato non excusat. Ratio vero reddi potest, quia hæc prohibitio censuræ gravissima est; et ideo obligat, non obstante quocumque metu.

3. *Quædam notanda pro dubii resolutione.* — Sed hæc sententia magna moderatione indiget, quia præcise sistendo in his, quæ prohibentur per censuram, quatenus sic prohibita sunt, non videtur illa sententia

posse sustineri; distinguenda ergo est in præsenti duplex actio, quæ posita censura prohibita manet : una intelligi potest intrinsece mala supposita censura; alia non intrinsece, sed solum quia prohibita; ut, v. gr., sacerdotem excommunicatum, vel suspensum publice, audire sacramentum confessionis, et absolvere, aut excommunicare alium, intrinsece malum est, quia est intentare sacramentum, quod nullum futurum est ex defectu jurisdictionis; at vero eumdem sacerdotem facere sacrum, non est intrinsece malum, sed solum quia prohibitum, quantum est ex vi censuræ: quod ideo addo, quia si talis sacerdos sit in peccato mortali, inde erit actio intrinsece mala, vel etiam, si sequatur scandalum; hæc tamen non sunt per se annexa censuræ, prout nunc loquimur.

4. Rursus distinguendum est de metu, si incutiatur in odium religionis, potestatis, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut in ejus contemptum, vel, si solum incutitur propter alias causas aut rationes humanas. Neque enim necesse est, ut hoc ipso quod metus incutitur ad agendum aliquid contra prohibitionem censuræ Ecclesiasticæ, sit in odium, aut contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, sed aliquando potest esse propter delectationem, ut, si quis per metum cogat excommunicatum, ut secum confabuletur vel ludat, et perinde est, si e converso ipse excommunicatus alios cogat ad secum communicandum. Interdum etiam potest hoc fieri propter avaritiam, vel temporale lucrum, ut si quis metu mortis cogat sacerdotem tempore interdicti facere sacrum propter aliquod temporale lucrum, vel ut excuset aliquas expensas. Et multa alia similia motiva possunt facile excogitari in inferendo hoc metu, quæ per se non cedant in contemptum Ecclesiæ.

5. *Quando ex censura resultat in actione circumstantia intrinsece mala, propter nullum metum fieri potest.* — Quando ergo ex suppositione censuræ resultat in actione aliqua circumstantia, ratione cujus est intrinsece mala, tunc manifestum est, ob nullum metum fieri posse, quia non obstante metu actio manet ejusdem naturæ et cum iisdem circumstantiis; nam metus non confert jurisdictionem, si censura illam abstulit; et idem est in similibus; ergo non obstante metu, actio manet intrinsece mala; ergo non potest licite fieri etiam propter vitandam mortem. Quod non solum verum est de malitia gravi, quæ peccatum mortale constituat; sed etiam de veniali, quia etiam leve mendacium propter ullum malum vitandum dici non potest. Hoc enim modo est universalis illa regula Apostoli : *Non sunt facienda mala, ut veniant bona;* esset enim aperta repugnantia in terminis; nam si essent facienda, scilicet, licite, et secundum rectam rationem, jam non essent mala.

6. *Si metus in odium, vel contemptum Ecclesiæ inferatur, tunc ob illud nunquam licet facere rem censura prohibitam.* — Deinde quando metus infertur in odium, vel contemptum Ecclesiæ, tunc nunquam licet ob metum agere quod per censuram prohibitum est. Hoc etiam est per se notum, quia nullam legem Ecclesiasticam licitum est transgredi ob hujusmodi metum, quia esset, vel virtualiter negare fidem exterius, vel virtute contemnere, et contemptori cooperari. Atque ita intelligunt multi factum Hermenigildi, qui potius mori voluit, quam Eucharistiam ab hæretico sumere, c. Superveniente, 1, quæst. 1, et c. ult., 24, quæst. 1, ex Gregorio, lib. 3 Dialogorum, c. 31. Atque ita tandem limitare videtur priorem sententiam Adrianus, Quodlibet. 6, art. 2, ad secundam rationem. Verumtamen in his duabus propositionibus nihil speciale censuræ attribuitur; nam in omni genere actionis verum est, quod si ex aliqua mutatione objecti vel circumstantiarum reddatur intrinsece mala, fieri non posset propter cavendum quodcumque damnum temporale. Ut in actionibus etiam forensibus, si quis privetur jurisdictione, quam antea habebat, jam non licebit illi ob vitandum temporale incommodum, aut quacumque alia ratione actionem ejus exercere. Simili modo, in quacumque re prohibita per legem, præsertim Ecclesiasticam, verum est, si in contemptum ejus inferatur metus, non licere ea de causa transgredi legem, ut supra tactum est, et in materia de Legibus latius est dicendum. Hæc igitur duo non ex propria ratione censuræ, sed ex generalibus principiis rerum moralium oriuntur.

7. *Ob vitandum grave detrimentum fieri potest licite quod sub censura prohibetur.* — Tertio igitur dicendum est : ob vitandum grave detrimentum, quod moraliter timetur per externam coactionem, seu comminationem, fieri potest absque peccato id, quod per censuram prohibitum erat. Hæc assertio intelligitur per se loquendo, id est, secluso scandalo, injuria religionis, et similibus. Eam tenet Soto in 4, d. 22, 1, art. 4, et sumitur etiam ex

Palud., d. 18, quæst. 6, art. 2, et ex parte idem sentit Major ibi, quæst. 4, scilicet, quantum ad illos actus, qui prohibentur per censuram de jure humano, et non de jure divino; putat autem ipse aliquos esse prohibitos jure divino; et ideo in illis negat hanc assertionem. Sed, et fundamentum illud falsum est, per se loquendo de actu non per se et intrinsece malo, sed solum, quia prohibito, de quo nunc loquimur; nam de priori jam in prima propositione dictum est. In hoc igitur sensu loquendo, nullus actus prohibetur jure divino ex vi censuræ, sed tantum jure Ecclesiastico, ut statim ostendam ex principiis positis in initio hujus materiæ. Et præterea, etiamsi hic interveniret jus divinum positivum, et non naturale, non inde fieret obligare semper cum tanto detrimento, ut periculo mortis, v. gr., vel simili; nam etiam jus divinum positivum potest in hoc moderationem habere, et non semper cum tanto rigore obligare, de quo alias. Unde eamdem sententiam absolute, et sine restrictione tenet Sylv., verb. *Excommunicatio* 5, quæst. 14, et Angelus, *Excommunicatio* 6, num. 17; Navarr., in c. Inter verba, prælud. 3, n. 4, qui omnes in specie loquuntur de communicantibus cum excommunicato, etiam in sacris; tamen ratio procedit de excommunicato, et consequenter de omni censura, et de omni actu ejus, qui solum sit malus, quia prohibitus.

8. *Ratio conclusionis.* — Est autem ratio, quia lex positiva, præsertim humana, non obligat cum tanto rigore, ut cum gravissimo detrimento, vel periculo servanda sit; sed tota hæc prohibitio, qua homo censura ligatus prohibetur hos vel illos actus facere, est mere positiva et Ecclesiastica; ergo in casu prædicti metus et periculi cessat. Major est veluti axioma quoddam receptum in materia de legibus; jam enim exclusimus peculiarem casum, quando violatio legis cederet in contemptum ejus, vel Ecclesiasticæ potestatis, sub quo comprehendimus omnem causam, seu rationem publicam boni communis, propter quod, si moralis occasio id postulaverit, potest lex humana obligare etiam cum periculo mortis. Tamen extra hunc specialem eventum lex humana, per se loquendo, et regulariter, non ita obligat, etiamsi Ecclesiastica sit, quia, vel in Ecclesia non est tanta potestas ad obligandum cum eo rigore, vel quia, etiamsi sit, ex suavi et prudenti providentia non utitur illa, absque urgente necessitate, quia neque ad commune bonum necessarium est, neque expedit; et ideo omnes sapientes ita interpretantur hujusmodi leges. Minor autem probata est in principio hujus materiæ, ubi ostendimus, omnes effectus censuræ immediate et per se pertinere ad jus humanum, et non ad divinum. Et probatur facile, quia vel hoc jus divinum est positivum, et oportet illud ostendere, nullibi enim extat; aut est naturale intrinsece ortum ex aliqua circumstantia, vel indecentia, quam censura secum afferat, et hoc etiam dici non potest; quid enim est, cur ex natura rei malum sit, quod excommunicatus Missam audiat, nisi Ecclesia hoc illi prohiberet?

9. *Evasioni occurritur.* — Dices, in ipsa censura intrinsece includi hanc prohibitionem, et ideo illud jus divinum, quod præcipit Ecclesiæ obedire, ad hoc etiam obligare. Respondetur : illud est remote, quo modo jus divinum et naturale obligat ad servandas omnes leges humanas; tamen proxime Ecclesiastica prohibitio est quæ obligat, quæ prohibitio in ipsa censura intrinsece includitur; nihil enim aliud est censura, quam morale quoddam vinculum ex quibusdam privationibus, et prohibitionibus moralibus ab Ecclesia confectum, ut in medicinalem pœnam pro contumacia infligatur; est ergo tota hæc prohibitio positiva et Ecclesiastica. Et confirmatur; nam communicatio cum excommunicato etiam in sacris est prohibita jure humano; ergo et aliæ actiones, quæ non includunt intrinsece crimen, aut malitiam, quæ ex vi censuræ prohibentur, vel ipsi ligato, vel aliis, erunt prohibitæ jure humano. Consequentia ab omnibus admittitur; antecedens vero patet, quia illa communicatio non est intrinsece mala; aliquando enim est licita, etiam jure antiquo, ut patet ex c. Cum non ab homine, de Sent. excom.; et ex novo jure Extrav. Ad evitanda, licita est quamdiu excommunicatus non est denunciatus, quod etiam est signum, eam non esse de jure divino positivo, cum Ecclesia eam limitet, vel ampliet, prout expedire censet.

10. *Cap. Sacris, quod erat fundamentum contrariæ sententiæ, satisfit.* — Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quod præcipue sumitur ex c. Sacris, respondetur, Pontificem in eo textu non constituere universalem regulam negativam, scilicet metum nunquam in hac materia excusare a peccato mortali et nova censura, sed de absoluta vi regulam generalem affirmativam constituere, semper

excusare a culpa, et consequenter a censura. Quod ergo subdit, metum non excusare, proportionate intelligendum est per solam contradictionem, non per contrarietatem, id est, non semper excusare; non vero, quod nunquam excuset. Mens ergo Pontificis fuit docere, metum ex se non habere illam efficaciam, quam habet vis ad impediendam censuram, quia non semper excusat a culpa mortali, sicut illa, simulque docere voluit, quoties metus non excusat a culpa mortali contra Ecclesiæ prohibitionem de non communicando cum excommunicato, non excusare a censura.

11. Quando autem talis metus non excusat a peccato mortali non declarat Pontifex, sed id explicandum relinquit interpretibus. Intelligi ergo potest, tunc non excusare, quando communicatio intrinsece includit malitiam, ut est communicatio cum injuria fidei, vel contemptu censuræ, vel communicatio in crimine, propter quod censura lata est, seu in contumacia; et in universum communicatio, quæ est cum cooperatione ad actum malum, et censuræ contrarium; nam talis cooperatio semper est intrinsece mala, qualis esset dare Eucharistiam excommunicato denunciato petenti cum comminatione mortis; id enim nunquam liceret, quia aliunde jam habet intrinsecam malitiam; et ideo pertinet ad primum membrum in prima propositione positum. Quod maxime certum est, quando peccatum, non obstante metu, directe est contra ipsam censuram, vel Ecclesiasticam potestatem, unde manat; nam tunc non obstante metu, ipsum Ecclesiasticum præceptum obligat, cui annexa est censura. At vero quando peccatum non est contra censuram, sed aliunde, scilicet, contra dignitatem sacramenti, vel aliquid hujusmodi, tunc probabiliter dici potest specialem prohibitionem Ecclesiasticam cessare, et consequenter censuram illi annexam excusari, ut latius explicabimus agentes in particulari de excommunicatione, et aliis censuris. Alia interpretatio illius textus est, loqui Pontificem in illa secunda parte de metu levi, qui ad excusandum non sufficit, ita ut in priori parte illius textus nomine coactionis intelligatur non tantum absoluta vis, sed etiam moralis coactio per metum cadentem in constantem virum; in posteriori vero parte sermo sit de quolibet inferiori metu; ita enim nomen coactionis interdum in jure sumi constat ex c. De Judæis, 45 d. Sed prior expositio mihi magis probatur.

12. *Respondetur ad rationem contrariæ sententiæ.* — Ad rationem illius sententiæ respondetur, etiam si prohibitio censuræ gravis sit, non tamen semper esse talem, ut in singulis actibus ejus executio et inviolata observantia ad commune bonum necessaria sit, aut ex opposito actu sequatur gravis offensio, aut injuria Ecclesiæ, vel aliquid hujusmodi, propter quod debuerint obligare fideles ad eam servandum, non obstante probabili metu mortis. Imo hinc potius fit, non solum propter metum mortis, sed etiam propter metum gravis infamiæ, et jacturæ temporalium bonorum magni momenti, posse excusari hominem ab hac obligatione, ex eodem principio, quod leges positivæ non obligant cum tanto rigore extra casus speciales supra positos, quod ex sequenti puncto magis constabit.

13. *Licitum esse exercere actionem sub censura prohibitam, ad vitandum grave detrimentum, licet non oriatur ex metu.* — Ex dictis itaque in præcedenti puncto de periculo proveniente ex metu, a fortiori colligitur, quando non ex metu extrinsecus illato, sed ex aliis circumstantiis, vel occasionibus oritur simile detrimentum, licitum esse propter illud vitandum exercere actionem per censuram prohibitam. Ita docent citati auctores, et alii, quos in sequenti puncto referam; est enim utriusque fere eadem ratio. Exempla sunt, si quis sit excommunicatus omnino occultus, et non possit hodie statim absolutionem obtinere, neque etiam possit sacrum omittere sine infamia et nota totius populi; tunc licitum est ei sacrum audire, ne se prodat, et idem est in similibus casibus. In quibus prudentia opus est ad ponderandam, et periculi, et nocumenti gravitatem ex una parte, et ex alia qualitatem actionis prohibitæ, et circumstantias ejus, ut ita rationabiliter judicari possit, an in tali eventu obligatio censuræ, et prohibitio cessent; in communi tamen loquendo, non videtur dubium, quin in hoc capite possit cessare. Sequiturque hoc a fortiori ex dictis; nam magis excusat periculum gravis nocumenti, quasi ab intrinseco ortum ex ipso humanarum rerum statu, quam extrinsecus illatum, quia extrinseca coactio, cum ex directa intentione inducat ad transgressionem legis, natura sua majorem vim infert ipsi legi, et quasi injuriam quamdam; altera vero necessitas, quæ ex ipsis rebus oritur, non ita directe infertur propter transgressionem legis; solum illa existente, actus, qui videbatur censura prohi-

bitus, fit medium necessarium ad vitandum illud periculum; ergo si prior necessitas ex metu proveniens excusat, multo magis hæc altera. Et confirmatur, nam propter similem occasionem licet interdum dimittere quod jure divino præceptum erat; ut, si non possum confiteri unum peccatum sine gravi infamatione, vel sine periculo mortis, possum illud tacere, et alia confiteri; et sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, et inopiam confessoris, si non potest absque gravi infamia omittere sacrum, potest illud facere, præmissa contritione, et absque confessione; ergo idem erit in præsenti. Neque in hoc est specialis difficultas, præter superius tractata, cum his, quæ in sequenti puncto addemus.

14. *Propter vitandum grave scandalum licitum esse agere aliquid præter obligationem censuræ.* — Ulterius ex dictis sequitur, etiam propter vitandum grave scandalum aliorum, licitum esse prætermittere, vel agere aliquid præter obligationem censuræ, ut, v. gr., audire sacrum, vel aliquid simile, ex cujus omissione grave aliquod scandalum timetur. Ita tenere multos dixit Nav., in c. 1, § Labore, in fin., de Pœnit., d. 6; se vero ait in præsentia nihil pronunciare; id tamen expresse affirmat in Summa, c. 27, n. 239, ubi ait de casu infamiæ supra posito, sed a fortiori idem est de casu scandali; et ita utrumque conjunxit Castro, lib. 2 de Leg. pœnal., c. 15, circa 2 concl.; et idem docet Soto in 4, d. 18, quæst. 2, art. 5, ubi ait, gravissimum debere esse scandalum, ut ejus evitandi causa hoc liceat; loquitur tamen in specie de sumptione Eucharistiæ, unde videtur ibi corrigere vel limitare quod d. 12, quæst. 1, art. 4, in fin., dixerat, excommunicato etiam occulto non licere propter scandalum ad sacramentum accedere. Ac tandem videtur hæc expressa sententia D. Thomæ, 3 part., quæst. 83, art. 6, ad 2, in verbis illis: *Nisi grave scandalum timeretur,* propter quod evitandum fatetur posse aliquando sacerdotem excommunicatum sacrificium perficere, quod secluso scandalo teneretur omittere. Ratio denique est sæpe tacta, quod leges humanæ ac positivæ non obligant cum scandalo proximorum. Item quia majus malum est aliorum scandalum, quam infamia propria; ergo, si hoc licet ob vitandam propriam infamiam, multo magis propter vitandum grave scandalum, ad quod ex præcepto charitatis, quod gravius est, et magis obligat, tenemur. Unde hac ratione licet dare Eucharistiam occulto peccatori publice petenti : ergo, etc.

15. *Covarr. sent. et limitatio.* — Contrariam nihilominus sententiam tenet Sylv., ut Covarr. refert in cap. Alma, 1 part., § 2, num. 11, qui illud insinuat, verb. *Excomm.* 3, num. 1, § Quinto excluditur, licet oppositum sentiat in verb. *Eucharistia* 2, num. 10, cum Angelo, eod. verb., num. 6; ipse vero Covar. ex parte idem sequitur, dicens, quoad alios actus esse veram nostram sententiam, non vero quoad usum sacramentorum; nam quando aliquis per censuram privatus est receptione sacramentorum, etiamsi censura occulta sit, non potest propter vitandum scandalum illa recipere, vel Missarum solemnia celebrare, quia ipsa censura efficit hominem indignum usu sacramentorum, præsertim excommunicatio major, quæ ab unione fidelium hominem separat, et ideo talis actus est contra jus naturale et divinum; nunquam ergo licet, etiam propter vitandum scandalum. Et quoad hoc constituit differentiam inter ipsum excommunicatum, et alios, qui cum ipso communicant, quia censura magis separat excommunicatum a communione et usu sacramentorum, quam alios a communicando cum illo, ut docuit Gloss. in cap. Quoniam, 11, quæst. 3, et sumitur ex cap. Illud, de Cler. excom. minist., et nos suo loco inferius dicemus. Sic igitur, etsi propter vitandum scandalum licitum sit sacramentum ab excommunicato accipere, non tamen licet ipsi excommunicato recipere. Unde etiam infert cum Adrian., quæst. 3 de Clav., nunquam licere dare sacramentum excommunicato occulto, propter vitandum scandalum, quia esset cooperatio ad rem intrinsece malam. Et idem tenet Jacobus de Graff., lib. 1 Decis. cas. conscient., cap. 12, num. 12, et sequentibus.

16. Citatur etiam pro hac sententia Canus, Relect. de Pœnit., part. 3, qui specialiter loquitur de absolutione sacramentali, in qua id poterit habere verum, quando ex defectu jurisdictionis absolutio nulla futura est; nam tunc intrinsece malum est talem actum efficere; et ideo nunquam erit licitum propter vitandum scandalum, juxta generalem regulam supra positam. Vix tamen potest hæc actio esse necessaria ad vitandum scandalum, cum secretissime fiat cum solo pœnitente, vel, si publice audiendæ sint confessiones, potest quis alias occasiones quærere, ne tunc illo munere fungatur. Vel certe, si tandem non

possit, et alioqui censura sit occultissima, juxta aliam regulam supra positam Ecclesia jurisdictionem confert ministro sic tolerato, quando talem actionem exercet; et ideo, jam tunc actio non erit intrinsece mala, sed eadem ratio erit de illa, quæ de aliis. An vero idem sit dicendum, quando talis excommunicatio ministri publica est aliis, quamvis pœnitenti sit occulta, attingemus infra agentes de excommunicatione; prius enim oportet exponere novum jus statutum circa excommunicatos in Extravag. *Ad evitanda,* Concil. Constan., quo supposito, vix potest talis casus accidere.

17. *Limitatio Covarr. improbatur.* — Opinio autem seu limitatio Covarr. nulla sufficienti ratione fundata est; nam censura, per se præcise considerata, non ponit in homine peculiarem qualitatem aut conditionem ab Ecclesiastica prohibitione distinctam, propter quam receptio sacramenti injuriosa illi sit, seu indigne facta, etiamsi Ecclesiastica prohibitio aliunde cesset; sed ostensum est, periculum scandali gravis sufficientem causam esse, ut cesset prohibitio Ecclesiastica : ergo. Major patet tum ex dictis in principio hujus materiæ de natura, et institutione censuræ, tum etiam ex dictis de operatione ex metu cadente in constantem virum; tum etiam quia is, qui ligatus est censura, potest coram Deo justificari per contritionem, vel etiam per confessionem bona fide et dispositione factam; ergo cum sit sanctus, poterit sancta sancte tractare. Aliunde vero, supponitur censura esse occulta, etiam coram hominibus, et secundum publicam existimationem habet jus saltem præsumptum ad usum sacramentorum; et alioqui suspendatur Ecclesiastica prohibitio ob urgentem occasionem gravis scandali, ut supponimus; ergo nihil fingi potest, ob quod illa actio sit intrinsece mala, et quicquid dicitur de indignitate, vel morali deformitate, quam secum affert censura, nihil est præter prohibitionem, nec moraliter explicari potest, quid aliud sit, cum censura non sit moralis malitia, et consequenter nec deformitas propria, sed pœna quædam, quæ nec ex suo genere constituit hominem simpliciter malum aut indignum; neque ex tali specie pœnæ, nisi prout includit prohibitionem, quæ in prædicto casu non obligat, ut ostensum est. Quanquam enim usus sacramentorum, et oblatio sacrificii sint actiones gravissimæ inter eas, quæ per censuram prohibentur, nihilominus cum prohibitio semper humana sit, non obligat cum tanto dispendio gravis scandali.

18. Nec refert, quod excommunicatus dicitur segregatus a communicatione fidelium, quia substantialiter potest non esse segregatus, nam et habet sacramentum, seu capacitatem baptismi, et potest esse unitus per fidem vivam; altera vero segregatio, quæ est in foro Ecclesiæ, revera nihil est, nisi prohibitio, quæ in præsenti casu cessat, quoad aliorum existimationem, propterea quod censura occulta sit; quoad propriam vero, et personalem obligationem, propter urgentem necessitatem vitandi scandalum grave. Quocirca in hujusmodi eventu non solum licet aliis communicare cum excommunicato, sed etiam ipsi excommunicato communicare cum aliis, etiam in rebus divinis, cum propositis circumstantiis; nam licet verum sit censuram magis obligare ipsum ligatum, quam alios, quia in eo est causa censuræ, et in eum directe fertur, tamen tota illa major obligatio positiva est, et humana, et vinci potest, ut sic dicam, a necessitate vitandi scandalum grave. Et eadem, vel fortiori ratione, licitum mihi erit tali excommunicato dare sacramentum, si alioquin mihi constet, illum ob talem urgentem necessitatem et alioqui digne dispositum, illud postulare. Eo vel maxime quod, si res sit occulta, ut supponimus, non potest publice petenti communio denegari; si autem non publice, sed occulte petat, jam cessabit necessitas vitandi scandalum, et consequenter, neque digne petet, neque erit casus, in quo nunc versamur.

19. *Propter quod scandalum vitandum licet actionem prohibitam per censuram exercere.* — Advertunt tamen Doctores, quoties de necessitate vitandi scandali agitur, proprie, et in rigore Theologico esse accipiendnm pro occasione, quæ aliis datur committendi aliquod peccatum, sive illud sit in actione simili, quale esset in præsenti, si alii inducerentur ad adulterium, dum intelligunt personam Ecclesiasticam aut religiosam propter tale crimen esse censura ligatam, et ideo non sacrificare; sive peccatum sit in actione dissimili, ut si inducatur populus ea occasione ad murmurandum graviter, vel ad temere judicandum, non solum in ea occasione, sed etiam postea in aliis, vel ad aliquid simile. Parum enim refert, quod peccata sint hujus vel illius speciei, præsertim si mortalia sint; nam per omnia graviter læ-

ditur charitas; et ideo quodlibet scandalum hujusmodi, præsertim publicum, est gravissimum damnum. Secus vero erit si scandalum non in eo rigore sumatur, sed vulgari more, pro quadam admiratione, quæ solet ex aliqua occasione hujusmodi (quando nova est, et extraordinaria) in plebe excitari, cum frequenti sermocinatione circa talem effectum, et causas ejus, quæ omnia, per se loquendo, possunt contingere sine peccato; et ideo illud non est proprie scandalum; et necessitas vitandi illum rumorem non esset per se sufficiens ex hoc capite ad excusandum, nisi inde oriatur alia excusatio de vitanda gravi infamia, quæ ex hujusmodi rumore, et frequenti dictitatione facile creari solet.

20. *Possitne ob publicam necessitatem populi exerceri actio per censuram prohibita.* — *Resolutio.* — Solet autem hic ulterius quæri, an, cessante scandalo gravi, ob aliquam publicam necessitatem populi, liceat interdum facere sacrum, per censuram prohibitum. Estque communis casus de sacerdote occulte excommunicato, quem in die festo populus expectat ad audiendum sacrum, neque habet alium a quo illud audiat, an possit talis sacerdos licite illud dicere, etiamsi alias possit omittere sine scandalo, sub aliqua specie ægritudinis, vel absentiæ, vel certe aperte pronunciando se esse excommunicatum, quando causa excommunicationis talis est, ut nec inferat infamiam, nec aliquam notam, vel scandalum, ut, v. gr., si esset propter moram in solutione debiti, vel aliquid simile. Quam dubitationem late tractat Ugol., tab. 1, cap. 13, § 4. Breviter tamen respondeo, secluso scandalo, et infamia, vel alio simili nocumento gravi, illam non esse causam sufficientem ad peragendum tale ministerium in statu censuræ, ut senserunt Sylv. et Ang., verb. *Eucharistia* 2, quos citatus auctor merito sequitur. Et ratio est, quia in eo casu nullum verum incommodum sequitur ex omissione sacrificii; nam populus excusatur a peccato ob inopiam ministri; ipse vero minister, ob impotentiam legalem, seu prohibitionem; ergo spirituale incommodum nullum sequitur, quod in præsenti considerari posset; nam illud, quod existimare quis posset, de ipsa carentia sacrificii, et fructus ejus, non potest in considerationem venire, tum quia grave non est; tum etiam quia ex parte excommunicati per se et intrinsece conjunctum est cum censura; ex parte vero aliorum suppletur per voluntatem audiendi Missam; et alioqui etiam supponitur scandalum ablatum; neque etiam sequitur damnum temporale, ut supponitur; ergo nulla ibi intervenit causa sufficiens, quæ excuset. Observantia vero Ecclesiastici præcepti de audienda Missa die festo, cum sit veluti materialis respectu præcepti (nam posset tunc omitti sine culpa), non est tanti momenti, quanti est observantia ipsius censuræ, quæ formaliter, ac per se obligat ipsum sacerdotem; quæ obligatio in Ecclesia gravior censetur. Cujus argumentum est, quia longe gravior pœna propter illius transgressionem posita est, scilicet irregularitatis. Item, quia hæc obligatio directe cadit super ipsum sacerdotem; alia vero, scilicet, quod populus Missam audiat in die festo, vel ad illud non pertinet, vel non nisi indirecte.

21. Quanquam vero hæc resolutio in hoc particulari casu vera sit, et in omnibus similibus, in quibus non intervenerit aliqua gravis necessitas proximi, tamen, ubi hæc intervenerit, aliud sentiendum est, quia etiam tenemur diligere proximos sicut nos ipsos, præsertim in spiritualibus. Et rationes superius factæ etiam hic habent locum servata proportione. Exempla autem moralia sunt, si proximus sit in extrema necessitate baptismi, pœnitentiæ, aut Eucharistiæ in articulo mortis, de quibus in propriis locis dictum est in superioribus, et infra etiam occurret sermo tractando de excommunicatione.

SECTIO IV.

Quomodo suspendatur effectus censuræ.

1. Superest dicendum de ultimo puncto superius proposito, scilicet quomodo possit hic effectus censuræ impediri per suspensionem aliquam seu ablationem efficaciæ ipsius censuræ. Duo autem tantum videntur posse cogitari modi, quibus hæc suspensio fiat, scilicet, vel per appellationem, vel per dispensationem; nam tertius modus, quo solet dici excommunicatio, verbi gratia, suspendi ad consensum partis, non est propria suspensio censuræ quoad effectum ejus, sed est ablatio ipsius censuræ pro tali tempore, vel sub tali conditione infra tale tempus implenda, per absolutionem ad reincidentiam, ut vocant, de qua infra suo loco dicemus.

2. *Per appellationem non impediri censuræ effectum.* — Prior igitur modus suspensionis non habet locum in censura, quia jure ca-

nonico statutum est, ut censura per appellationem non suspendatur, ut constat ex cap. Pastoralis, § Verum, et cap. Ad hoc, de Appelat., et cap. Ad reprimendam, de Offic. Ord., et cap. Is cui, § ult. de Sent. excomm., in 6, ubi Glossæ, et Doctores in hoc conveniunt. Et ratio est clara ex dict. cap. Pastoralis, quia censura secum trahit executionem. Nam, licet Abb. in dict. cap. Ad reprimendam, putet, rationem hanc non esse in proposito sufficientem, tamen recte intellecta efficax est, quia si censura semel illata est per sententiam validam, cum appellatio interposita non tollat censuram, merito non habet vim suspendendi ejus effectum; quod quamvis ex prædicta ratione ortum habeat, proxime tamen et proprie fundatur in ipso positivo jure; et ideo, quantum ad nos pertinet, hic nulla superest difficultas. An vero illa appellatio possit habere alios effectus, et quomodo, ac quando fieri debeat, consulantur Canonistæ citatis locis, præsertim Gloss. in verb. *Suspendatur,* dict. cap. Ad reprimendam, et ibi Abb., num. 6, et Navarr., in cap. Cum contingat. de Rescrip., caus. null. 6, 14 et 15, et Sylvest. Excomm. 10, et verb. *Appellatio.*

3. *An per dispensationem, manente censura, ejus effectus impediri possit.—Prima opinio.* — Circa aliud membrum est gravior difficultas, an per dispensationem fieri possit, ut, manente censura, effectus alioqui per illam prohibitus licite fieri possit. Quidam enim censent non posse in hoc cadere humanam dispensationem; de hac enim loquimur; nam de divina dispensatione nec dubium esse potest, neque ejus speculatio nunc esset alicujus utilitatis. Quod ergo Ecclesia in hoc dispensare non possit, saltem in aliquibus effectibus censuræ, v. gr., in communicatione in divinis cum excommunicato, vel ut ipse excommunicatus illis communicet, tenet Cov., cap. Alma, part. 1, § 1. Fundamentum ejus est, quia hæc prohibitio non est de jure humano, sed divino; imo inferius, § 2 et 3, sentit esse, non de jure divino positivo, sed naturali; quod si verum est, non solum Ecclesia, sed nec Deus ipse posset in hoc dispensare; citatque in eam sententiam alios auctores, præsertim Majorem in 4, dist. 18, quæst. 4, et Jacob. Latom., art. 7 cont. Luther. Ex quo infert, non posse Summum Pontificem absque peccato audire Missam ab homine excommunicato, etiamsi ipse dederit ei facultatem dicendi, quia non potuit dare, et ita contra jus divinum agit, et ideo peccat, quamvis ipse excommunicationem non incurrat propter illud delictum, quia hæc pœna tantum est de jure positivo. Denique hinc putat oriri, ut non subditi alicui Episcopo, et etiam ipse Summus Pontifex, teneantur vitare excommunicatum a tali Episcopo, quia non tenentur ex præcepto Episcopi, sed ex divino jure, quo cautum est, ut excommunicatus ab aliis vitetur, quamvis ab homine tantum excommunicatus sit.

4. *Per dispensationem posse licite fieri, ut exerceatur actio per censuram prohibita, ipsa manente.* — Sed hæc sententia falsum habet fundamentum, ut ex dictis in superioribus constat. Quapropter dicendum censeo, per dispensationem legitimam fieri posse, ut quis sine peccato exerceat actum censura prohibitum, etiamsi a censura non absolvatur. Probatur, quia hæc prohibitio est tantum de jure humano, ut supra ostensum est; ergo potest dispensari per potestatem humanam; hæc enim regula generalis est; neque est ulla ratio constituendi in hac materia peculiarem exceptionem. Item inductione in variis effectibus censuræ declarari potest; nam per excommunicationem fit aliquis incapax beneficii, ita ut collatio non teneat, tamen extra controversiam est posse in hoc dispensari. Unde ex omnium sententia, si Summus Pontifex alicui conferat beneficium, sciens ipsum esse excommunicatum, collatio facta tenet, quia censetur cum illo dispensare, ut tradit ipse Covarr., cap. Alma, part. 1, § 7, num. 2; et in cap. Postulastis, de Cleric. excomm. min., dicitur, excommunicatos non posse retinere beneficia sibi collata nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum; ergo eadem ratione potuisset a principio dispensari, ut collatio facta esset valida. Præterea, de privatione civilis seu humanæ communicationis certissimum est, jure Ecclesiastico esse introductam, et ita etiam posse in ea dispensari, quod nec Covarr. videtur negare, sed solum de communicatione in sacris, quia hanc putat esse contra jus divinum, aliam vero solum contra humanum; cum ergo ostensum sit, hoc discrimen falso assignari, quia utraque communicatio est solum contra jus humanum, fit, ut prior etiam differentia nulla sit. Denique jam ex parte dispensatum est per Extravagantem Ad evitanda, cum aliis ut possint communicare etiam in sacris cum excommunicato non denunciato; ergo e contrario si expediret, præsertim in particu-

lari aliquo casu, posset dispensari cum aliquo excommunicato, ut sacra contingeret, seclusa alioqui omni irreverentia, vel circumstantia, quæ posset actum pravum reddere, quod facile fieri posse ex superioribus constat.

5. *Papam posse hanc dispensationem concedere.* — Ex quo fit, hanc dispensationem maxime posse concedi a Summo Pontifice, in quo est suprema Ecclesiæ potestas; et eodem modo, quo dari potest in aliis legibus Ecclesiasticis; nam, ut juste detur, causa legitima intercedere debet; si autem sine illa illicite concedatur, nihilominus valida erit; hæc enim est generalis regula similium dispensationum. Unde, quo hæc gravior esse videtur ex suo genere, eo majorem causam requirit; et similiter, quo actus, in quo dispensandum est, fuerit gravior, qualis est receptio sacramenti, aut ministerium Missæ, eo major etiam causa necessaria erit.

6. Quo fit, non esse in universum verum, Papam peccare communicando in sacris cum excommunicato, sed solum quando id faceret sine causa legitima; hac vero intercedente, sicut potest dispensare cum aliis, ita et secum, vel cum excommunicato in ordine ad ipsum Papam. Communiter autem non videtur esse in usu hujusmodi dispensatio, vel quia raro occurrit hujusmodi causa, vel quia aliud remedium inventum est magis absolutum, et præsentaneum, scilicet absolvere pro tunc excommunicatum solum ad talem effectum, prout communiter fieri solet in collatione beneficiorum. Si tamen expediret aliquando non absolvere simpliciter, sed tantum dare licentiam ad illum actum per modum dispensationis, nihil obstat quominus possit fieri. Nisi fortasse quis contendat, illam non fore dispensationem, sed absolutionem quasi partialem censuræ. Sed erit contentio hæc de modo loquendi, cum res jam constet; et modus loquendi usitatus non est, nec in rigore verus, quia nec a censura per partes quis absolvitur, ut colligi potest, si recte ponderetur, ex Clem. ult.; de Sent. excomm., in priore ejus parte; neque necesse est uti verbis, aut forma, quæ absolutionem indicent; et quia revocata dispensatione, actus maneret prohibitus sine nova censura; ergo non præcesserat absolutio, sed dispensatio.

7. *An inferiores Prælati possint in hoc dispensare.* — Sed quæres, an etiam inferiores Prælati possint in hoc dispensare. In quo unum est certum, scilicet, Prælatum, qui non habet jurisdictionem absolvendi a tali censura, non habere ad dispensandum in illa, quia, ut minimum, tanta jurisdictio necessaria erit. An vero Episcopus possit dispensare hoc modo in censura, quam ipse tulit, dubitari potest, quia, ut multi Canonistæ dicunt, Episcopus potest dispensare in omnibus, in quibus Papa, nisi sit illi prohibitum; sed nullibi legimus hanc dispensationem esse reservatam Papæ: ergo. Quæ ratio non procedit in Prælatis inferioribus Episcopo, quia non habent tam perfectam jurisdictionem sicut ille, neque dispensare possunt in communi, nisi quatenus eis conceditur speciali privilegio; prohibitio autem hæc censurarum ad jus commune pertinet, ut statim dicam, et nunquam potestas hæc dispensandi in censuris conceditur, sed absolvendi tantum.

8. *Episcopi non habent hanc potestatem.* — Sed et de Episcopis probabilius censeo (generatim loquendo) non habere hanc potestatem. Quod uno verbo attigit et affirmavit Ugol., tab. 1, cap. 10, § 6, num. 4, citans Socinum Sen., in c. Officii, de Sent. excom., num. 171. Qui, dum peculiariter negant Episcopum dispensare posse, ut excommunicatus actus ei prohibitos sine absolutione exerceat, tacite insinuant Pontificem Summum id posse, ut asseruimus. Cur autem Episcopus hoc non possit, nullam rationem afferunt. Ego vero existimo rationem esse, quia in rebus jure communi, et universa Ecclesia prohibitis, dispensare non possunt, nisi ubi, vel ipso communi jure eis conceditur, vel aliqua recepta consuetudine et traditione. Ita enim censeo limitandam esse illam propositionem aliquorum Canonistarum, nam contraria sententia et verior est, et hoc tempore communior, et fere aperte colligitur ex c. Dilectus, de Tempore ordinationis, et fundari etiam potest in cap. At si clerici, § De adulteriis, de Judiciis, ubi hæc res communiter disputatur; et in Theologia in materia de leg., et statibus, et potestate Papæ, et Episcoporum, tanquam in propriis locis tractatur. Hæc autem potestas, de qua loquimur, nec jure communi illis conceditur, nec consuetudine recepta est, nisi fortasse in aliqua re minima, ut dandi licentiam ad loquendum cum aliquo; quæ proprie non potest dici dispensatio, sed declaratio justæ causæ, ex qua ipsum jus commune id facere permittit; alioqui neque illud licite fieri posset.

9. *Num possit Episc. dispensare, ut collatio beneficii excommunicato facta valida sit.* — Atque hinc dicit Glossa in c. Postulastis

de Cleric. excom. ministrant., verb. *Dispensatum,* posse Episcopum dispensare in hoc particulari effectu, quod collatio beneficii excommunicato facta valeat, quam ibi Abbas, n. 8, et alii sequuntur fundati in illo textu, in quo talis dispensatio permittitur absolute, et sine restrictione; quandocumque autem dispensatio aliqua in jure permittitur, signum est, etiam Episcopis concedi, ut est etiam communis sententia Canonistarum, argum. cap. Nuper, de Sent. excomm. Verumtamen, si recte attendatur ad cap. illud Postulastis, in eo non dicitur posse dispensari cum excommunicato, ut collatio ei facta valeat, sed posse dispensari cum eo, qui beneficium excommunicatus obtinuit, ut illud retineat, scilicet postea absolutus; ita enim intelligendum id est; neque enim Pontifex daret facultatem dispensandi cum excommunicato perseverante in sua contumacia, ut beneficium male partum retineat. Est autem longe diversum dispensare, ut collatio beneficii, facta excommunicato, a principio sit valida, vel dispensare, ut collatio, quæ prius nulla fuit, valere incipiat, ut per se notum est; nam prior dispensatio formaliter et directe est ad impediendum effectum excommunicationis, et cedit in favorem ipsius excommunicati, dum excommunicatus est, imo dum excommunicatur; posterior vero non est dispensatio excommunicationis, nec impedit effectum ejus, sed supponit potius censuram habuisse suum effectum, et postea remedium illi adhibet post ablatam censuram. Neque enim de ratione censuræ est, ut malum illud remedio careat; unde non est favor concessus excommunicato, sed jam absoluto, et ideo in nulla re obstat censuræ. Non ergo potest sumi argumentum ab una dispensatione ad aliam; nam, quod textus ille de posteriori tantum dispensatione loquatur, manifestum est, tum quia post illa verba, *Nec illi valent ea licite retinere,* immediate subjungitur, *Nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum;* tum etiam quia in proxime sequentibus concluditur talis ratio, *Cum ea non fuerint canonice consecuti;* solum ergo fit sermo de dispensatione, per quam collatio, quæ nulla fuit, ratificatur.

10. Unde non censeo posse Episcopum in hoc dispensare, ut collatio beneficii, facta excommunicato, in principio rata sit. Quod inde confirmari potest, quia alias Episcopus scienter dans beneficium excommunicato, quocum dispensare posset, censendus esset dispensare et ratam facere collationem, sicut de Pontifice maximo diximus; at vero oppositum constat ex illo textu, in quo statim pœna imponitur Episcopis hoc scienter facientibus, et supponitur, factum non tenere, si ipsi facere præsumant. Ac denique hanc sententiam aperte tenet Covarruvias, cap. Alma, 1 part., § 7, num. 8.

11. *Cur excommunicatus ab uno Episcopo pro tota Ecclesia vitandus sit.* — Ad fundamenta contrariæ sententiæ jam responsum est. Ad illud vero postremum de excommunicato a particulari Episcopo, an vitandus sit in tota Ecclesia, Scotus, in 4, dist. 19, q. 1, art. 5, ex opposito fundamento dixit non esse ubique vitandum, propter limitatam excommunicantis jurisdictionem. Sed alienum hoc est ab usu Ecclesiæ, et canonum præceptis; et ideo non oportet ad aliquod extremum declinare. Fatendum est enim, excommunicatum esse ubique vitandum, non quia jure divino ita cautum sit; alias etiam de externa, et civili communicatione idem dicendum esset, quod Covar. non concedit; nec propter solam jurisdictionem particularis Episcopi; sed propter institutionem talis censuræ, quæ auctoritate totius Ecclesiæ ita facta est, ut, a quocumque applicata fuerit, hanc universalem vim habeat, ut in Concilio Nicen., cap. 5, aperte dicitur; et in cap. Sicut Apostoli, cum duobus sequentibus insinuatur, 11, quæst. 3, et est fere aperta declaratio Innocent. III, in cap. Ad reprimendam, de Offic. Ordinarii, et latius infra suo loco dicetur; et videri etiam potest Soto, dist. 22, quæst. 2, art. 1.

DISPUTATIO VII.

DE ABSOLUTIONE, ET MODIS, QUIBUS CENSURA TOLLI POTEST.

Diximus in principio hujus materiæ, censuram talem esse pœnam, quæ perpetua non sit ex vi suæ institutionis, sed auferri possit. Imo addidimus postea talem esse, ut auferenda sit, quoties causa cessaverit, et correcta fuerit contumacia; superest ergo, ut, postquam de vinculo censuræ omnia tractavimus, quæ in communi desiderari possunt, de illius etiam solutione pauca dicamus. In qua re explicanda, brevius quidem agemus, eumdem tamen ordinem observabimus, prius de potestate, deinde de actu ejus, et de modo quo debet rite seu recte fieri, disserentes.

SECTIO I.

An censura per solam absolutionem tolli possit.

1. *Quod censura tribus modis auferri possit. — Ratio dubitandi.* — Cum censura per modum cujusdam accidentis sit in eo, qui ipsa ligatus est, ut supra declaravimus, ad modum etiam aliorum accidentium destrui seu tolli posse intelligendum est. Assignant autem philosophi varios modos, quibus accidentia corrumpi possunt, qui ad tres reducuntur, scilicet, ad destructionem subjecti, et ex absentia termini vel causæ a qua accidens pendebat, vel per actionem contrarii. Videtur ergo eisdem modis posse auferri censura. Primo per mortem ejus, qui ligatus erat; nam destructo subjecto, tollitur capacitas censuræ; ergo et censura ipsa; neque enim in cadavere manere potest, cum non sit capax obligationis aut cognitionis. Nec in anima separata, cum jam sit extra Ecclesiæ forum. Secundo videtur per sese tolli ablata omnino causa censuræ, id est, facta condigna satisfactione, quam Ecclesiæ obedientia postulabat; nam destructo necessario fundamento, sua sponte corruit quidquid ædificatum erat. Quod maxime videtur habere locum quando censura ipsa ad certum terminum erat imposita, ut interdum fieri solet, ut constat ex cap. In loco, 5, quæst. 4, nam quod usque ad certum terminum impositum seu præceptum est, finito termino non obligat, cum voluntas ferentis censuram ultra præfixum a se terminum non operetur. Et eadem ratione videri potest censura lata ab homine tolli per mortem ejus, qui illam tulit, tum quia censura videtur similis cuidam præcepto prohibenti, tali personæ ab homine imposito; sed præceptum hujusmodi cessat per mortem præcipientis, quia pendet ab ejus potestate, et hæc cum vita tollitur. Propter quod superius dicebamus, si censura sit sub conditione lata ab homine, illo mortuo, non incurri, etiamsi impleatur conditio, quia per mortem ejus cessavit præcepti obligatio; ergo eadem ratione cessabit efficacia et obligatio censuræ, mortuo ferente. Tertio poterit censura tolli per absolutionem tamquam per actionem contrariam, quanquam si veri sint alii modi in argumentis propositi, hic ultimus solum habebit locum, quando absolutio data fuerit, antequam omnino tollatur causa censuræ, quia alias jam esset ablata censura, et sic nihil operaretur absolutio.

2. *Censuram tolli posse per absolutionem ostenditur.* — Nihilominus dicendum est, censuram proprie et perfecte solum tolli per absolutionem. Assertio hæc duas habet partes: prior est affirmativa; quæ est certissima et de fide, scilicet censuram posse tolli per absolutionem; constat enim primo ex illis verbis : *Quæcumque ligaveritis vel solveritis;* si enim ex illis recte colligimus potestatem ligandi per censuras, multo magis solvendi ab illis; nam quoad formam verborum est æqualitas; quoad materiam vero, solutio est per se, ac proprie intenta; ligatio vero quasi coacte, ob contumaciam ipsius hominis, et ad illam comprimendam. Si autem in Ecclesia est hæc potestas, erit etiam efficacitas in ipso actu, alioqui impertinens et insufficiens, vel potius nulla esset potestas. Potest ergo censura per absolutionem tolli. Et hoc confirmat usus Ecclesiæ, et innumera decreta, quæ nunc superfluum est referre; ea enim necessario in sequentibus attingemus. Ratio vero est, quia absolutio hæc actus est jurisdictionis, ut sumitur ex cap. unico de Major. et obedient., in 6, et cap. Venerabilibus, § Porro, et fere in omnibus aliis, de Sent. excomm., in 6. Et per se videtur manifestum, cum sit vel sententia quædam, vel revocatio pœnæ, et obligationis impositæ ab habente jurisdictionem, quæ sine æquali vel superiori jurisdictione fieri non potest; jurisdictio autem, ut perfecta sit, non debet esse ad ligandum tantum, sed etiam ad solvendum, alioqui non esset in ædificationem, sed potius in destructionem. Quod maxime verum est in præsente materia, cum censura per se considerata nocumentum inferat, etiam spirituale. De hac igitur parte nulla est difficultas.

Censuram nonnisi per absolutionem tolli.

3. *Censuram non tolli per mortem illa ligati.* — Altera pars negativa seu exclusiva probanda est, discurrendo breviter per alios modos insinuatos, quibus censura tolli posse videbatur. Primus erat de morte ipsius subjecti affecti censura; in quo Palud. in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 1, n. 8, absolute dicit mortuum jam non esse ligatum, si in charitate decessit, etiamsi ante absolutionem a censura mortuus fuerit. Videtur autem intelligere, non esse ligatum censura; nam de culpa per se notum erat; et quia inde infert, posse fieri participem orationum, et suffragiorum, secluso scandalo. Jura tamen canonica docent

illum indigere absolutione, ut patet ex cap. A nobis 2, et c. Sacris, de Sent. excom., et in cap. Is cui, eodem tit., in 6. Et similem canonem refert ex Concilio Epaunensi Burchardus, lib. 11 sui Decr., c. 15. Sed longe diversum est, quod in illo Concilio traditur, cap. 28, ut postea videbimus. Cætera vero jura citata videntur supponere hominem hujusmodi post mortem manere ligatum censura; nam absolutio non habet locum, nisi ubi vinculum durat.

4. *Mortuus proprie non absolvitur a censura, sed declaratur decessisse absolutus coram Deo.* — Nihilominus Navarr. in Summ., cap. 27, num. 271, ait mortuum non proprie absolvi, sed denunciari, et declarari Ecclesiæ decessisse absolutum coram Deo, ut pro eo orari possit; et dicit esse sententiam Abbatis, et communem in dict. cap. A nobis; et idem sentit Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., in fine; et Covarr., c. Alma, 1 part., § 11, n. 8. Nihilominus tamen addit ibidem Covarruvias, Ecclesiam solvere mortuos, non quoad ipsos, sed quoad actus, et effectus per vivos agendos erga mortuos. Et Navarr., cap. 26, num. 32, citans Summam Rosellam, verb. *Absolutio* 1, § 31, dicit simpliciter, hujusmodi mortuum posse, et debere absolvi. Et, cum jura ita loquantur, merito possumus ita loqui. Nam, licet censura non feratur proprie in hominem jam mortuum, tamen, quæ lata fuit, manere aliquo modo in eo potest, vel potius respectu illius, quatenus ratione talis censuræ excommunicationis, v. gr., et corpus ejus adhuc est inhabile ad sepulturam Ecclesiasticam, et anima, ut sit particeps communium orationum, et suffragiorum Ecclesiæ, quæ inhabilitas solum permanet in prohibitione, quæ respectu vivorum durat; et ideo dicitur talis absolutio fieri quoad actus vivorum. Quoad hoc tamen non est tantum declaratio seu denunciatio vinculi ablati, sed est vera ablatio, et relaxatio talis vinculi prout aliquo modo durat, quia non solum propter scandalum, sed etiam propter Ecclesiæ prohibitionem, non licet hujusmodi excommunicatum ante absolutionem sepelire in loco sacro, vel participem facere communium suffragiorum. Sic igitur verum est, etiam hujusmodi censuram tolli per absolutionem, et non per solam mortem.

5. *Absolutus a censura in articulo mortis etiam a simplici sacerdote, non indiget alia absolutione.* — Advertendum est tamen cum prædictis Doctoribus (ne ad hanc absolutionem iterum nobis redire necesse sit) quacumque ratione homo sit absolutus a censura in articulo mortis etiamsi non a proprio judice, vel parocho, vel alio habente jurisdictionem extra illum articulum, sed a simplice sacerdote absolutus sit, postea non indigere nova absolutione. Quod notavit Glossa, in dict. cap. A nobis, verb. *Non potuerit.* Et merito, quia illa absolutio vera fuit, et ex jurisdictione veluti delegata ipso jure omnibus sacerdotibus pro illo articulo, ut colligitur ex cap. Ea noscitur, et cap. Non dubium, cum aliis, de Sent. excom. et significatur in Concil. Trident., sess. 14, cap. 7, et superius tractando de casuum reservatione, dictum a nobis est. Quod Glossa prædicta, quam aliqui Canonistæ sequuntur, extendit ad absolutionem censuræ a laico datam. Sed immerito, ut infra ostendam; nam absolutio data a laico nulla est; data vero a sacerdote est valida, et ideo non est cur iteretur, ut sumitur ex cap. ult. de Sepult., et cap. In litteris, de Raptoribus.

6. *Hæredes tamen tenentur implere satisfactionem realem, quam defunctus promisit.* — Tenebuntur autem hæredes ad implendam satisfactionem, quam defunctus promisit, et debebat, quantum per usum externarum facultatum impleri potuerit; nam ad alias actiones, seu obligationes personales non tenentur, ut constat. Et ita intelligendum est dictum cap. A nobis 2, vers. *Hæredes,* et sumitur ex cap. ult. de Sepultur. Si vero ipsi etiam sint in mora, poterunt per alias censuras compelli; illa vero, quæ in defuncto fuit, in eos redundare non potest.

7. *Defunctus ante mortem non absolutus a quo possit post mortem absolvi.* — Verumtamen, si defunctus non fuit absolutus ante mortem, ut postea absolvi possit necesse est in primis, ut ante mortem saltem præbuerit signa contritionis, quibus ostenderit se a contumacia recessisse, et ad obedientiam Ecclesiæ rediisse; alioqui et ipse indignus erit absolutione, et hæc sine fructu illi concederetur; et ita supponitur in dicto cap. A nobis. Deinde etiam tunc non poteri absolvi a quovis sacerdote, sed ab illo tantum, a quo vivens absolvi potuisset, ut recte Navarrus notat, quia jam cessavit necessitas articuli mortis, in quo datur facultas cuilibet sacerdoti, ut possit absolvere a peccatis, et consequenter, ut possit absolvere a censura, quia hæc absolutio necessario præcedere debet. Cum ergo post mortem jam non possit absolvi a peccatis, jam etiam non instat necessitas absolvendi

eum a censuris; et ideo ab habente ordinariam potestatem, vel delegatam, procuranda est illa absolutio, ut in eodem cap. A nobis, traditur. Ubi etiam insinuatur, ad eam procurandam hæredem teneri, vel eum, qui curam gerit animæ defuncti, ad cujus spirituale commodum, atque etiam ad decentem honorem conferri potest hujusmodi absolutio. Addit vero Navar., si censura occulta sit, ideoque defunctus jam sit in loco sacro sepultus, dissimulandum potius esse, quam absolutionem procurandam, quia jam fere nullius est utilitatis, nam, si non decessit in gratia, nihil proderit absolutio a censura; si vero in gratia decessit, apud Deum est absolutus, et coram Ecclesia habetur ut absolutus, quia non judicat de occultis. Et maxime, quia post extrav. Ad evitanda, hujusmodi excommunicatus occultus, cum denunciatus non sit, non est exclusus ab communicatione fidelium ex parte ipsorum. Alioqui vero manifestare illam rem occultam, posset generare aliquam infamiam vel scandalum; et ideo tacendum potius est. Quæ opinio Navarri satis probabilis mihi videtur. Neque existimo eum, qui bona fide et sine culpa excommunicatus moritur occulta censura, si alioqui decedit in gratia, privari fructu communium suffragiorum Ecclesiæ, ex intentione ejusdem Ecclesiæ. Nihilominus tamen si occulte etiam posset absolvi, et absque ulla infamia alicujus periculi seu nocumenti, optimum esset illam absolutionem procurare, et aliquid utilitatis afferre posset, si fortasse verius est, absque absolutione non frui Ecclesiæ suffragiis, de quo postea suo loco disseremus.

8. *Censuram non tolli per solam emendationem seu resipiscentiam ligati.* — In secunda difficultate tria puncta tanguntur, ex quibus primum nullam habet difficultatem. Nam certum est, censuram semel contractam non tolli ipso facto propter emendationem solam, vel quamcumque satisfactionem peccatoris; quamvis enim contumacia præcedere necessario debeat ad censuram ferendam, non tamen necessario durare debet, ut censura duret. Quia illa causa non est ita fundamentum censuræ, ut in illa quasi nitatur, ut relatio in suo fundamento, neque ita ut sit causa, a qua ille effectus pendeat in conservari, sed in fieri tantum; sicut culpa est causa pœnæ, et tamen sæpe durat pœna post transactam, imo et post remissam culpam. Itaque, licet post exhibitam condignam satisfactionem absolutio a censura tribuenda sit, ex c. Qua fronte, de Appell., tamen hoc ipsum ostendit censuram nec esse ablatam, donec per absolutionem tollatur, quod plane colligitur ex c. Cum consideres, de Sentent. excommun. Quod ita fieri merito institutum est, tum ut quod juridica et publica potestate ligatum erat, eadem dissolvatur; tum etiam quia licet, quoad tollendam contumaciam, et obediendum Ecclesiæ, satisfactum sit, non tamen est sufficiens pœnitentia acta pro culpa commissa. Et hæc sæpe imponenda est, cum absolutio conceditur, ut inferius dicemus. Ab hac vero generali regula aliqui excipiendam putant illam censuram, quæ fertur sub hac conditione et forma, *Donec satisfeceris.* Sed non opinor limitationem esse necessariam, de quo statim dicam.

9. *Sicut censura pro definito tempore ferri non potest, ita neque ad certum tempus differri ejus absolutio.* — Altera pars illius difficultatis erat de censura, quæ fertur pro definito tempore. Ad quam breviter dicitur, supponere falsum, loquendo proprie de censura, quatenus veram rationem censuræ habet; nam proprius ejus terminus solum esse debet, quantum contumacia duraverit; nec fieri potest, ut censura usque ad præfixum terminum ita ponatur, ut, eo elapso, cesset, etiam si contumacia duret. Esset enim hoc contra finem censuræ, qui est comprimere contumaciam; et contra rectitudinem justitiæ; nam daretur occasio peccatori permanendi in sua contumacia, dum scit, elapso tali tempore, cessaturam censuram, et prius non esse tollendam, etiam si resipiscat. Quod etiam est contra omnia jura, quæ dicunt, exhibita satisfactione, concedendam esse absolutionem, ut in dicto c. Qua fronte, et in c. Ex litteris, de Constit., et c. Cum contingat, de Officio deleg., et aliis, quæ ibi a Doctoribus citantur, qui in hac doctrina consentiunt. Cum ergo resipiscentia peccatoris non habeat terminum definitum, repugnat plane fini, et naturæ censuræ, ut pro definito tempore imponatur; ideoque per solum lapsum temporis nunquam tolletur. Quapropter etiam in superioribus annotavimus, quotiescumque privatio aliqua communionis Eucharistiæ, vel alia similis suspensio, pro certo tempore absolute, et sine ulla conditione ponitur, illam non esse censuram, sed pœnam quandam alterius rationis, quæ non pro contumacia reprimenda, sed ut pœna pro delicto commisso pure imponitur.

An censura sub conditione lata, Donec satisfeceris, satisfactione exhibita, ipso facto tollatur.

10. Sed hic insurgit difficultas; nam, licet censura non imponatur ad tempus præfixum, potest tamen indefinite poni sub illa conditione, *Donec satisfeceris;* ergo potest hoc sensu ferri, ut duret usque ad illud tempus, in quo exhibita fuerit satisfactio, quodcumque illud fuerit, et non amplius; tunc ergo ipso facto absque alia absolutione tolletur censura; est autem usitatus hic modus censuram ferendi; ergo ex hoc capite non procedet generaliter conclusio posita, sed tantum in censura, quæ absolute et sine tali conditione fertur.

11. *Prima opinio.* — *Fundamentum.* — *Evasio.* — *Replicatio.* — Circa hoc punctum controversia est inter Doctores, et magna diversitas opinionum, quam late tractat Covarruvias, in c. Alma, 1 part., § 11, num. 5, et seq. Multi enim asserunt, non obstante illa conditione, necessariam esse novam absolutionem a censura; et consequenter conditionem illam nihil operari, sed explicare causam, et rationem censuræ. Ita Gloss. in Clem. 1 de Decimis, verb. *Donec,* et Abbas, in c. 1 de Judic., notab. 6, cum aliis multis, qui hoc non de omni censura, sed de excommunicatione affirmant; nam de suspensione oppositum docent, qui idem censent de interdicto, uno, vel altero excepto; quæ omnia refert ibi Covarruvias; quam vero constanter loquantur, statim dicemus. Fundamentum hujus sententiæ est generale principium positum, quod vera censura, non nisi per absolutionem tollitur, quod in jure canonico et ratione fundatum est, ut vidimus. Responderi potest, tum etiam non tolli censuram absque absolutione, sed absolutionem simul dari cum ipsa censura, tamen sub conditione de futuro, et ideo a principio, cum censura infertur, non operari absolutionem, quia non est posita conditio; posita vero conditione, scilicet satisfactione sufficiente, statim operari. Atque ita sine nova absolutione tollitur censura, non tamen omnino sine absolutione, nec ex vi solius satisfactionis, sed ex vi absolutionis conditionatæ prius concessæ, quæ, posita conditione, transit in absolutam. Contra hanc vero responsionem objiciunt prædicti auctores, quia absolutio non potest esse conditionata, quia, ut de Reg. jur., in 6, dicitur, *actus legitimi conditionem non recipiunt;* absolutio autem actus legitimus est; et alia, quæ sectione 3 tractabimus.

12. *Secunda opinio.* — Nihilominus alii censent, quando fertur censura illo modo, non esse necessariam novam absolutionem, post exhibitam satisfactionem. Ita tenet Covarruvias, citato loco, retractans quod dixerat in epitome 4 lib. Decretal., 2 p., cap. 6, num. 16, et sequens Alciatum, qui in hoc recessit a communi opinione Canonistarum, quantum ad excommunicationem pertinet; nam de suspensione et interdicto idem alii sentiunt. De suspensione etiam Glossa in dicta Clement. 1 de Decim., verb. *Donec,* quam Abbas, et alii sequuntur. De interdicto vero Gloss. in c. Non est vobis, verb. *Donec,* de Sponsalibus, quam alii etiam sequuntur. Hinc vero sumit Alciatus argumentum; nam si in suspensione, et interdicto hoc habet locum, ergo non repugnat censuræ, ut sic, tolli absque nova absolutione, impleta satisfactione; ergo neque etiam est contra rationem excommunicationis, ut sic; nam sub eadem forma ferri solet, et nihil habet vel in jure, vel ex aliqua alia ratione, ob quod ei specialiter hoc repugnet. Dicetur fortasse, suspensionem et interdictum aliquando ferri per modum pœnæ tantum, et non per modum censuræ; excommunicationem vero non ita ferri, et hinc posse oriri differentiam illam. Sed, quidquid sit de antecedente, non recte hic applicatur; nam, quando interdictum, v. gr., infertur donec fiat satisfactio, illa pœna medicinalis est, et ad comprimendam contumaciam directe inflicta; ergo imponitur sub propria ratione censuræ; quid enim aliud desiderari potest ad rationem censuræ? Præterea fundamentum prioris sententiæ non videtur solidum, quia non repugnat absolutionem sub conditione ferri, ut ex opinione Navarri et aliorum videbimus sect. 4; ergo recte intelligimus in illa forma ferendi censuram includi absolutionem conditionatam in futurum, et ex vi illius postea tolli censuram expleta conditione.

13. *Dubii resolutio.* — Cum igitur hæc controversia ex hoc fundamento pendeat, non potest plene definiri, donec illud examinemus, quod in quartam sectionem differimus, ne ordinem pervertamus. Nunc solum duo dicimus : unum est, quidquid in illa controversia dicatur, non recedi a generali regula a nobis posita, quia etiamsi sentiamus in eo casu non requiri novam absolutionem, nihilominus non tollitur censura sine absolutione,

quia antiqua absolutio, sub conditione lata, postea operatur, expleta conditione. Secundum est, aliud esse loqui de potestate ferendi censuram vel excommunicationem sub ea forma et sensu. De qua potestate maxime videntur disputare Doctores prædicti. Aliud vero esse disputare de ipso actu supposita potestate. Et in hoc est valde considerandum, an verba legis, aut sententiæ in eo sensu proferantur; nam, quandocumque feruntur negative sub hac forma : *A qua non liberentur, aut absolvantur, donec satisfaciant*, sine dubio non conceditur absolutio in futurum, sed prohibetur judicibus, ne antea censuras relaxent. Exemplum optimum est in c. Quanquam, de Censib., in 6, ibi : ***Nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineant, donec***, etc. Ubi obiter advertenda est diversitas illorum verborum, *absolutio*, et *relaxatio;* nam significari ibi videtur, interdictum non tolli absolutione, sed relaxatione, quod etiam repugnaret conclusioni positæ. Sed ideo Pontifex ita distinxit, quia loquebatur de interdicto locali; absolutio autem in rigore sumpta videtur referri ad personas; et ideo, quando tollitur interdictum a loco, relaxari potius dicitur, quam absolvi; nos vero maxime locuti sumus de absolutione in ordine ad personas, et, latius loquendo, sub illa etiam relaxationem comprehendimus. Idem censeo, quoties lex, vel sententia verbis utitur quasi promissoriis, vel imperativis, ut : *Si satisfecerit, absolvatur*, vel *absolvetur*, et similibus, quia hæc non continent absolutionem ipso facto; sicut in simili superius dicebamus, quando lex dicit, *excommunicetur*, vel *excommunicabitur*, non continere censuram ipso facto. Oportebit ergo, ut lex vel sententia dicat : *Ex quo satisfecerit, absolutus sit*, vel aliquid æquivalens, ut a paritate rationis facile probari potest ex iis, quæ diximus de censura, quando ipsa lege, vel sententia generali fertur pro futuris culpis ipso facto incurrenda; ita enim hæc absolutio dicitur ferri ipso facto obtinenda posita satisfactione. An vero ita ferri possit, vel interdum feratur, dicto loco examinabimus.

14. *Censuram non extingui per mortem ferentis.* — In ultimo puncto superius tacto nulla est difficultas, nam certum est, censuram non extingui propter mortem ferentis, sive a lege, sive ab homine lata sit, ut aperte probatur in cap. Si Episcopus ante, 11, q. 3, ex Concilio Epaunensi, c. 28, ubi statuitur, mortuo excommunicante, absolutionem ad successorem pertinere; supponitur ergo excommunicationem durare. Idem habetur ex c. Pastoralis, § Præterea, de Offic. ord. Et ratio est, quia pœna jure imposita non cessat per mortem imponentis; transit enim in rem judicatam. Item, quia censuræ ab institutione potius, quam ab executore, vel judice illas applicante, habent suam naturam permanentem et stabilem; ita vero institutæ sunt, ut non pendeant in conservari a vita, vel jurisdictione ferentis, sed tantum in fieri, ut etiam probat usus Ecclesiæ. Neque in hoc alia occurrit difficultas, præter nonnullas, quæ ad singulas censuras in particulari pertinent.

SECTIO II.

Quis possit a censuris ab homine latis absolvere.

1. Prætermittenda hoc loco sunt generalia fundamenta, et communia fere ad totam jurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi; et supponendum hanc potestatem absolvendi a censura ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinere; ac proinde illam esse in pastoribus, primo in Pontifice, deinde in Episcopis vel Episcopalem jurisdictionem participantibus. Rursus posse interdum esse ordinariam, aliquando vero delegatam. Præterea, ut persona sit capax hujus potestatis, supponendæ sunt communes conditiones, ut quod sit membrum Ecclesiæ militantis, et similes, de quibus supra diximus circa potestatem ferendi censuram; est enim eadem ratio fere in omnibus, una vel altera excepta, ut in sequentibus videbimus. His ergo omissis, speciatim dicendum est, quinam possint absolvere a censuris, assignando regulas seu principia, quæ facile possint ad singulas censuras in particulari applicari. Loquor autem de absolutione absolute et simpliciter, ut excludam eam, quæ ad particularem actum fieri solet, quæ solum est secundum quid, de qua dicam melius inferius. Distinguendum item in primis est inter censuram latam ab homine et a lege; sub priori comprehendendo omnem censuram latam per sententiam, tam generalem quam specialem; sub posteriori vero omnem illam, quæ fertur per legem, sive sit jus commune, sive statutum particulare. Quæ rursus interdum fertur cum reservatione; sæpius vero sine illa.

2. *Censuram ab homine ab eodem esse tollendam, a qua fuit lata, conclusio.* — Dico primo:

censura ab homine lata jure communi et ordinario ab eo per absolutionem tollenda est, a quo lata fuit. Hæc regula supponitur ab omnibus; sumiturque ex cap. Inferior, dist. 21, ubi Glossa, et cap. Verbum, de Pœnit., d. 1, et cap. Prudentiam, § Sexta, de Offic. deleg., c. Ad reprimendam, et cap. Pastoralis, § Præterea, de Offic. ordin. Ratio vero est, quia non minor requiritur jurisdictio ad absolvendum quam ad ligandum; cum ergo censura ab homine lata jurisdictionem illius requirat, eamdem postulabit absolutio; ergo ab illo, et non ab alio præstanda est. Duo itaque in hac assertione continentur. Primum est affirmativum, scilicet censuram posse tolli ab eo, qui illam tulit. Secundum est negativum, scilicet non posse tolli ab alio.

3. *Quid per eumdem ferentem censuram intelligitur.* — Et primum quidem vix ulla indiget declaratione; solum oportet in eo supponere jurisdictionem eamdem durare in eo, qui censuram tulit, nam si quacumque ex causa cessaverit, aut ablata, vel mutata sit, jam non poterit absolvere, cum non possit actum jurisdictionis exercere; unde formalius loquemur, si dixerimus, non eamdem personam, sed eumdem in munere et officio posse auferre censuram, quam tulit, id est, si Episcopus Conimbricensis excommunicavit alium, ipse absolvat; Episcopus enim nunquam moritur, licet persona Episcopi moriatur. Et ideo si persona decessit, vel si habet suspensam jurisdictionem per excommunicationem, vel aliam similem censuram, ad superiorem recurrendum est, vel ad successorem; nam illud in delegatis judicibus locum habet, c. Si is cui, de Offic. deleg., in 6; hoc vero in ordinariis; nam, ut dicitur in c. Si Episcopus ante, 11, quæst. 3, successor potest absolvere eum, quem mortuus Episcopus ligavit, et quod de mortuo dicitur, intelligendum est de deposito, aut translato, aut quacumque alia ratione privato Episcopatu; nam ratio eadem est, et alia diversitas est valde materialis, ut per se notum est, et ex dicendis constabit.

4. Quod autem dicitur de Episcopo succedente, intelligendum est etiam de Capitulo, quod, dum sedes vacat, in Episcopali jurisdictione succedit, cap. 1 de Major. et obed., in 6, ubi non dicitur : Episcopo mortuo, sed : *Sede vacante*, ut omnes modi, quibus vacare potest, comprehendantur, inter quos reputatur captivitas, vel aliud simile impedimentum totale, ac diuturnum, ut constat ex c. Si Episcopus, de Suppl. neglig. Prælat., in 6. Et ideo in priori textu non solum dicitur succedere in prædicta jurisdictione absolvendi, sed additur : *Seu is ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere*, quia scilicet sæpe contingit gubernatorem providere loco Episcopi, auctoritate Pontificis, ut insinuatur in dicto c. Si Episcopus. Et nunc etiam per vicarium ea jurisdictio exercetur, juxta Concil. Trident., sess. 24, c. 16 de Reform., de quo eadem erit ratio, ut ex prædicto textu constat. Quæ omnia, præterquam quod ex positivo jure maxime pendent, per se sunt valde consentanea rationi, quia, cum hic actus non sit personæ, sed muneris, licet personæ mutentur, idem semper esse censetur, qui illum exercet, si in munere sibi succedant. Aliunde vero non expedit, ut aliquo tempore Ecclesia aliqua maneat sine proprio pastore, vel qui ejus vices subeat; et ideo non tantum qui absolute succedit in munere, sed etiam qui ad tempus substituitur, dum provisio fit, hanc suscipit potestatem.

5. *Non solum successores Episcoporum sed etiam aliorum Prælatorum, et qui eorum loco substituuntur, eamdem cum illis potestatem habere censentur.* — Ex quo ulterius intelligi potest, quod in prædicto c. Si Episcopus ante, dicitur de Episcopo, cui succeditur, æque procedere de quocumque Prælato Ecclesiæ, tam superiori quam inferiori, qui hanc potestatem ferendi Ecclesiasticam censuram participat. Nam Summo Pontifice mortuo, qui illi succedit, et Abbate mortuo similiter ejus successor idem poterit, et sic de aliis; procedit enim eadem ratio, et diversitas est solum materialis. Quapropter idem erit, servata proportione, de illo, qui ad tempus succedit, seu loco Ordinarii substituitur, quoad ea in quibus vicem illius gerit, ut, mortuo Pontifice, Summus Pœnitentiarius, quatenus eamdem retinet potestatem, quam vivente Pontifice habebat, juxta Clem. *Ne Romani*, § Eo tamen, de Elect. Collegium autem Cardinalium tunc non potest Pontificiam jurisdictionem exercere, nisi in certis casibus, et magna ex causa; unde non nisi ex eadem potest hunc actum absolutionis exhibere, sicut non potest etiam excommunicare nisi in raro, et extraordinario casu, qualis proponitur in c. Si quis pecunia, dist. 79, ut notavit Hieronym. Alban., lib. de Card., quæst. 40. Secus est in Abbate, verbi gratia, nam Capitulum in ejus potestate succedit,

sicut Episcopo, ut videre licet in Abbate, c. His quæ, de Major. et obed., et Jacob. de Graff., lib. 4 Decis., c. 15, num. 15.

6. *In delegatis etiam habere locum regulam datam.* — Adde etiam non solum in ordinariis pastoribus, sed etiam in delegatis judicibus eamdem regulam observari, ut successor absolvere possit ligatos a prædecessore, ut expresse traditur in c. Pastoralis, § Præterea, de Offic. ord., et in c. Si Episcopus ante, 11, quæst. 3. Quod locum habet, quando vel uno delegato mortuo alter loco illius super eadem causa, et cum eadem potestate mittitur, vel certe quando delegatio non erat facta personæ, sed dignitati, v. gr., Episcopo Conimbricensi, et durante causa contingit personas variari. Solum est notanda differentia inter ordinarium judicem et delegatum, quod ordinaria jurisdictio semper durat in eadem, vel sibi succedentibus personis (sub personis Capitula seu Collegia comprehendentes), ut jam supra notavimus; jurisdictio autem delegata, solum durat juxta voluntatem delegantis; et, per se loquendo, necesse non est, ut delegatus habeat successorem. Unde fieri potest, ut excommunicatus a judice delegato, neque ab illo, propter lapsum temporis, neque a successore, quia fortasse illum non habet, absolvi possit, sed recurrendum erit ad delegantem, cujus auctoritate, et jurisdictione delegatus usus est.

7. *Delegatum posse intra annum, a quo munere functus est, a se excommunicatum absolvere.* — Tempus autem, infra quod delegatus potest absolvere, in primis est illud, quod ad finiendam causam a delegante præfixum est; nam toto illo tempore durat ejus jurisdictio. Additur vero in cap. Quærentis, de Officio deleg., quod etiam postquam suo munere functus fuit, sententiam proferendo, poterit intra annum absolvere eum, quem excommunicatum reliquit, si velit sententiæ parere, non vero post transactum annum. Cujus ratio non est alia, nisi voluntas Pontificis delegantis, qui hoc jus commune servari voluit in suis delegatis. Quia vero ille annus jurisdictionis conceditur delegato ad exequendam sententiam, ut in illo textu dicitur, recte inde Doctores colligunt, quando delegatus non absolvit causam, nec sententiam tulit, tunc elapso tempore delegationis sibi concessæ, jam non posse absolvere a censuris, quas tulit, quia jam neque absolutam jurisdictionem habet, neque in ordine ad executionem sententiæ, cum sententia nulla interfuerit.

8. *Qui potestatem habet delegabilem non solum per se, sed etiam per alium, posse a censura a se lata absolvere.* — Atque hinc ulterius colligitur, eum, qui censuram tulit, non solum per se ipsum, sed etiam per alium posse absolutionem conferre, si tamen ita jurisdictionem habeat, ut possit eam delegare. Prior pars manifesta est, quia hæc jurisdictio delegabilis est, ut et ex dictis constat, et per se est satis clarum. Ut autem delegetur, non est necesse, ut simul cum potestate ferendi censuram committatur; neque etiam necesse est, ut solum detur ad solvendum a solis censuris latis seu ferendis ab ipsomet delegato, quia nec ex se habent hæc necessariam connexionem aut ordinem, neque ex positivo jure habetur; ergo potest delegari sola potestas absolvendi a censura ab ordinario lata, vel ab altero delegato. Nam, cum omnes eumdem repræsentent, et eadem jurisdictione principali, seu radicali utantur, idem moraliter censetur esse, qui ligat et qui absolvit. Sicut e contrario, etiam potest aliquando committi alicui potestas excommunicandi, vel ferendi censuram, absque potestate absolvendi, ut in simplici executore contingit. In quo propterea videtur deficere dicta regula; nam ille executor, licet excommunicaverit, non potest absolvere. Tamen, proprie ac formaliter loquendo, non deficit. Tum quia jam diximus subintelligendam esse conditionem, dummodo jurisdictio in eo duret; in illo autem non durat, quia, cum ad solum unum actum fuerit concessa, eo peracto extinguitur. Tum etiam quia ille executor, idem esse censetur cum ipso judice, sicut instrumentum cum principali agente; imo ille executor non tam videtur excommunicator, quam denunciator excommunicationis ab alio latæ. De quo videri possunt plura in Ugolino supra, num. 13.

9. Posterior vero pars addita est, quia non omnes, qui habent jurisdictionem, possunt illam delegare, sed qui habent illam ordinariam, vel cum potestate subdelegandi. In quo servanda sunt, et applicanda principia supra posita de potestate ferendi censuram; nam eadem procedunt de potestate absolvendi, nec aliquid speciale advertendum occurrit.

Qua ratione verum habeat, neminem posse a censura absolvere, nisi qui illam tulit.

10. Superest dicendum de alia parte negativa seu exclusiva in proposita regula in-

clusa, scilicet nullum alium a censura ab homine lata posse absolvere, nisi qui illam tulit; nonnullis enim indiget declarationibus, ut verum sensum reddat, qui ad hunc tandem reducendus est, ut nullus carens jurisdictione ordinaria, vel specialiter delegata ad hunc effectum, seu ad talem causam, possit absolvere.

11. *Per hanc regulam non excluditur quilibet sacerdos in articulo mortis. — Neque delegatus, aut subdelegatus.* — Itaque in primis supponendum est sermonem esse per se, et de ordinaria absolutione, quæ extra casum extremæ necessitatis, seu articuli mortis conceditur; nam in illo, si non sit copia recurrendi ad proprium judicem, alius sacerdos absolvere poterit, sub necessaria, aut debita cautione, juxta superius dicta de ministro confessionis, et casibus reservatis. Tunc autem quilibet sacerdos est quasi delegatus judex. Deinde non excluditur per illam particulam quilibet alius, cui proprior judex suam jurisdictionem delegaverit, vel subdelegaverit, quando potest, ut est frequens in jure, cap. Prudentiam, § ult., de Offic. delegati, cap. Pastoralis, § Præterea, de Offic. ord., cap. Sacro, § Caveat, de Sententia excommunicationis, et in cap. Si quis a proprio, 11, quæst. 3. Est ratio clara, quia ille vix censetur esse alius, ut paulo antea dicebamus. Quando vero possit hæc delegatio, vel subdelegatio fieri, videantur dicta supra in simili de censura ferenda.

12. *Neque superior Prælatus. — De quo superiore sit sermo.* — Deinde non excluditur Prælatus superior, ut notant D. Thomas in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 5; et ibi Paludanus, quæst. 5; et Soto, dist. 22, in fine; Ang., verb. *Excommunicatio* 4, num. 1; Tabiena, num. 8; Armilla, verb. *Suspensio*, num. 22; Navarr., cap. 27, num. 40; Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 12, num. 2; qui etiam tractant, quo modo hoc loco superior sumendus sit. Breviter tamen dico, intelligi in primis superiorem non dignitate, sed jurisdictione, quod per se notum apparet, quia ad hunc actum per se requiritur jurisdictio; major autem, vel minor dignitas accidentaria est. Deinde necesse esse, ut sit superior jurisdictione, non quomodocumque, sed respectu talis personæ, ut in tali causa versatur, ita ut uterque habeat jurisdictionem in illam, inferiorem tamen et superiorem. Qui duo respectus in præsenti materia intelligi non possunt, nisi per subordinationem, vel dependentiam aliquam jurisdictionis unius a jurisdictione alterius. Nam, cum absolutio sit actus jurisdictionis, necessarium in primis est, ut qui superior dicitur ad absolvendum, jurisdictionem habeat in ea causa, et in personam, ut tali causæ subest, alioqui nullo modo poterit absolutionem, quæ actus jurisdictionis est, exercere.

13. *Ut superior possit ligatum censura ab inferiori absolvere, debent habere inter se subordinationem.* — Imo necesse est, ut talem jurisdictionem habeat, etiam postquam coram alio talis causa tractari cœpta est. Nam contingit aliquando duos habere jurisdictionem, ita ut anticipationi detur locus; postquam vero cœpit causa tractari coram uno, alius non possit, aut causam ad se vocare, aut se circa eam intromittere, etiamsi alioqui, vel dignitate, vel officio sit superior, ut Episcopus, et alius judex inferior, in aliquibus causis, vel Legatus a latere, et Prælatus ordinarius. Cum ergo uterque, scilicet, qui censuram fert, et absolvit, debeant habere jurisdictionem, si simul illam habent, et alter operari potest etiam renuente alio, necesse est, ut inter se habeant subordinationem, alioqui esset magna confusio, et posset esse bellum justum ex utraque parte; nam, si neuter subjacet alteri in ordine ad illud negotium, posset unus excommunicare quem alius absolvit, et e converso; et utriusque actio esset valida, quia neuter potest alterum impedire, et quia non est major ratio de actione unius, quam alterius; et neutra esset valida, quia sunt oppositæ.

14. *Primus modus subordinationis inter superiorem et inferiorem. — Superior ex certa scientia confirmans censuram ab inferiore latam, illam sibi reservat.* — Quotiescumque ergo duæ jurisdictiones simul ita concurrunt, necesse est, ut habeant inter se subordinationem, quæ non potest consistere nisi in aliqua dependentia. Quæ dupliciter haberi potest, primo, quia tota jurisdictio unius est quasi pendens in fieri et conservari ab alio, et hoc modo comparatur delegatus ad delegantem, ex cap. Pastoralis, § Præterea, de Officio ordinar., et vicarius ad Episcopum suum; et universim quilibet Prælatus particularis, aut Concilium, ad Summum Pontificem. Et hinc etiam fit, ut hujusmodi superior non solum possit censuram ab inferiori latam tollere, sed etiam e contrario possit eam sibi, vel alteri reservare, ut fit in cap. Grave nimis, de Præbend., et in cap.

Tua nos, de Sententia excommunicat., et universaliter quoties superior ex certa scientia confirmat censuram latam ab inferiore, censetur ejus absolutionem sibi reservare, ut Abbas cum Glossa et aliis notat in cap. Ex frequentibus, de Institutionibus; Navarr., in Sum., cap. 27, num. 40.

15. Cui tamen sententiæ videtur obstare textus ille; nam ibi Papa confirmat excommunicationem ab Archiepiscopo latam, et nihilominus supponit illum habere facultatem absolvendi; et mandat, ut non absolvat, nisi alius congrue satisfecerit. Respondent prædicti auctores, potius ex illo textu colligi contrarium; nam Pontifex confirmando sententiam Archiepiscopi, abstulerat illi potestatem absolvendi, voluit tamen eam concedere, non simpliciter, sed sub tali conditione. Sed de hoc textu plura inferius. Ratio vero est, quia superior confirmans sententiam inferioris facit illam suam æque ac si a principio eam tulisset; quia confirmare, non utcumque est approbare, sed auctoritate sua ratam facere, ut colligitur ex cap. Si Apostolicæ, de Præbendis, in 6, et notat Abbas, in cap. 1 de Confir. utili vel inutili, num. 6; et ideo nullus inferior potest eam auferre, sicut nemo inferior potest statutum, vel constitutionem auferre, auctoritate superioris confirmatam. Sic ergo hujusmodi superior, et potest sibi reservare censuram inferioris, et eam etiam tollere absque illius consensu, vel ipso etiam contradicente.

16. *Secundus subordinationis modus inter inferiorem et superiorem.* — Alio modo potest hæc subordinatio in hoc consistere, quod superior potest causam ab altero inchoatam ad se avocare, vel in ea jus dicere. Quod dupliciter etiam contingit : primo media legitima appellatione seu provocatione. Et hoc modo potest Archiepiscopus absolvere a censura per suffraganeum Episcopum lata, ut colligitur ex cap. Per tuas, de Sent. excomm., et ex cap. Venerabilibus, eod. titul., in 6, et non alio modo, nisi forte in aliquo casu speciali, in quo habeat directam jurisdictionem, ut notant Canonistæ eisdem locis, et præsertim Abbas, ac Decius, in cap. In litteris, de Officio delegati. Imo quando per appellationem defertur censura ad Archiepiscopum, priusquam ipse absolvat, servare debet formam et modum præscriptum in cap. Ad reprimendam, de Offic. ordin., quæ etiam supponitur in cap. Prudentiam, § Sexta, de Offic. deleg., et in cap. Sacro, § Caveant, de Sent. excomm., et cap. Venerabilibus, § Sane, et § Porro, eodem titulo, in 6. Quæ omnia jura attente legenda sunt, et ad hujus puncti resolutionem applicanda; in eorum enim explicatione nunc diutius immorari necessarium nobis non est.

17. Secundo contingit hæc avocatio sine appellatione media, per solam voluntatem habentis in hoc superiorem jurisdictionem, ut censetur habere Episcopus respectu alicujus Prælati ordinarii inferioris, et sibi subjecti, qui non habet jurisdictionem ab ipso Episcopo, sed ex vi sui beneficii, ut sunt aliqui Abbates, Archidiaconi vel Archipresbyteri, qui generali nomine Plebani dicuntur in cap. Cum ab Ecclesiarum, de Offic. ord. Ex quo textu hoc colligitur; nam supponitur, posse Episcopum hujusmodi sententiam ab inferiori latam relaxare; præcipitur autem ei, ut non faciat sine præmissa satisfactione, et sine conscientia Plebani. Advertit autem ibidem Glossa, si absque his circumstantiis Episcopus absolvat, peccaturum quidem contra legem, et contra debitum ordinem operandi. Nihilominus tamen validam fore absolutionem, quia in illo textu nullum est verbum irritans talem actum. Quæ sententia vera mihi videtur, et eam esse communem testatur, ac sequitur Sylvest., verb. *Absolutio* 2, in princip. De illa vero dubitat Covarr., cap. Alma, 1 part., § 12, num. 3. Ubi consequenter tractat, quando Prælatus inferior Episcopo habeat jurisdictionem hoc modo independentem ab Episcopo, seu majorem, vel magis exemptam; sed hoc ad nos non spectat; supponimus autem aliquando posse inferiorem Prælatum esse hoc modo subordinatum Episcopo; id enim in prædicto textu supponi videtur, et non repugnat.

18. Objicit tamen Covarr. ex Paludano, in 4, dist. 18, quæst. 5, art. 2, quia, licet Prælatus sit inferior, tamen per causæ præventionem ita fecit illam sibi propriam, ut jam non habeat Episcopus ullam jurisdictionem circa illam. Qua ratione absolute concludit Paludanus, non posse Episcopum absolvere a censuris Abbatum, Archidiaconorum, etc., sibi subditorum, nisi per viam appellationis, et querelæ, quando ad ipsum legitime defertur. Sed, licet hoc verum sit, ut supra diximus, quando illæ jurisdictiones habent inter se quamdam æqualitatem in potestate præveniendi, et non habent aliam subordinationem, tamen, si non obstante præventionis jure, simul cum eo intercedit

subordinatio, ita ut inferior possit quidem incipere, et nihilominus superior possit ad se causam avocare, quando expedire censuerit, etiamsi ad se non fuerit provocatum, tunc etiam poterit absolvere absque interposita appellatione, est enim eadem ratio. Quod autem hic modus subordinationis inveniri possit, nullam ego repugnantiam video. An vero in particulari talis sit, ex privilegiis, seu concessionibus Pontificum, vel ex consuetudine sufficienter præscripta colligendum erit. Et, quidquid sit de secularibus Prælatis, certe in regularibus videtur frequens hic jurisdictionis modus; nam potest Provincialis absolvere quem inferior Prælatus excommunicaverat, sicut etiam potest ad se avocare causam coram inferiori Prælato inchoatam; nam hoc modo habent jurisdictionem inter se subordinatam. Adde, ad hanc partem hujus regulæ pertinere privilegia, quæ a superiori, et maxime a Summo Pontifice conceduntur ad absolvendum a censuris, etiam ab homine latis, ut sunt aliqua concessa Mendicantibus, et nostræ Societati, et per Bullam Cruciatæ fit similis concessio; de quorum privilegiorum interpretatione non est hic dicendi locus; fortasse inferius in singulis censuris nonnulla addemus, quæ ad moralem praxim necessaria videbuntur.

Dubia nonnulla circa datam doctrinam.

19. *Primum. — Secundum. — Tertium. — Quartum. — Quintum. — Sextum.* — Sed adhuc supersunt nonnulla dubia circa hanc regulam explicanda. Primum est, an, qui excommunicatus a suo Episcopo domicilium transtulit in aliam diœcesim, debeat absolvi a priori Episcopo, qui illum excommunicavit, vel a posteriori, cujus jam subditus est. Videtur enim ex dictis sequi hoc posterius; nam quando prior Prælatus amittit jurisdictionem, successor ejus debet absolvere; ergo idem dicendum erit, etiamsi talis mutatio fiat ex parte subditi, quia respectu talis personæ posterior Episcopus dici potest succedere priori in simili jurisdictione. Simile dubium est de illo, qui dum versaretur in alieno Episcopatu, censuram contraxit ab Episcopo illius loci latam, an postea rediens ad proprium Episcopatum possit a suo Episcopo absolvi. Et ratio dubitandi est eadem, quia etiam ibi videtur unus Episcopus succedere in jurisdictione alterius propter ipsius subditi mutationem. Unde est tertium dubium de illo excommunicato ab homine, qui ingreditur religionem, an possit absolvi a Prælato religionis, qui videtur succedere in jurisdictione in illum. Quarto itidem dubitari potest, an post factam et admissam appellationem, possit judex, a quo appellatum est, absolvere a censuris a se latis; videtur enim non posse, quia per appellationem translata est jurisdictio in alium. Unde certum est, eum, ad quem appellatum est, posse absolvere, juxta supra dicta; alius ergo non poterit. Quinto dubitatur, an saltem ex partium conventione possit quispiam, qui ad petitionem alterius excommunicatus fuerat ab uno judice, ex ejusdem partis consensu ab altero vel a quocumque sacerdote absolvi. Sextum ac præcipuum dubium est, an regula proposita locum habeat non solum in censuris latis ab homine per specialem sententiam, sed etiam per generalem. Et, quoniam ex resolutione hujus postremi dubii multa ex aliis pendent, ab illius resolutione incipiemus.

An censura per generalem sententiam lata, solum a ferente auferri possit.

20. *De censura pro præterito delicto lata.* — De priori ergo parte affirmativa regulæ propositæ nulla est difficultas; nam, sive per generalem sententiam, sive per specialem censura lata sit, qui eam tulit, potest eam tollere, propter rationes, et testimonia supra adducta, quæ de utraque sententia æque procedunt. Rursus altera pars negativa, quoad censuram latam per sententiam pro peccato commisso, difficultatem non habet; nam de ea procedunt, quæ hactenus diximus, sive illa sententia sit particularis quoad personam, in quam determinate fertur, sive solum quoad delictum, et solum confuse feratur in eum, vel eos, qui illud commiserunt, quia quod persona confuse, vel in particulari exprimatur, vel quod delinquens sit unus, aut plures, non variat modum ferendi censuram ab homine per particularem sententiam; quæ multis æquivalet, quando multi sunt delinquentes.

21. *De censura per generalem sententiam pro futuris delictis lata.* — Difficultas ergo solum est de censura, quæ fertur per generalem sententiam pro peccatis futuris, et de hac sunt diversæ opiniones. Prima affirmat de hac censura judicandum esse eodem modo, quo de censura lata a jure; et ideo non tan-

tum a ferente, vel ejus superiori, sed etiam ab aliis tolli per absolutionem posse, juxta ea, quæ in secunda assertione dicemus. Ita tenent Navarr., in cap. Ita quorumdam, de Judæis, num. 25, cum Felino, Imola, et aliis; idem Navarr., in Summa, cap. 27, num. 44; Covarr., cap. Alma, part. 1, § 12, num. 4, et Villadiego, in tractatu de Irregularitate, quæst. 12, qui alios antiquiores referunt. Fundantur præcipue in dicto cap. Ex frequentibus, de Institut. Ubi sermo est de quadam excommunicatione lata per generalem sententiam Archiepiscopi, supponiturque ab Episcopis suffraganeis tolli posse. Ratio vero solum est, quia hæc sententia, cum generalis sit, in pluribus æquipollet canoni et statuto, ut Covarr. ait, afferens cap. A nobis, de Sent. excomm. Ex quo potius sumitur magnum discrimen inter sententiam hanc et statutum, scilicet, quod non comprehendit eos, qui non sunt de jurisdictione, etiamsi intra territorium peccent, ut supra vidimus.

22. *Secunda opinio.* — Secunda sententia est, eamdem esse rationem quoad absolutionem de hac censura lata per generalem sententiam, ac de aliis censuris ab homine. Ita sentit Glossa in dicto cap. Ex frequentibus, quatenus dicit, sententiam generalem (de qua in illo textu est sermo) a Summo Pontifice confirmatam, non posse ab inferioribus Episcopis tolli sine speciali concessione Pontificis. Et hanc sententiam sequuntur Abbas, et alii, quos refert, et sequitur Ugolinus, tab. 1, cap. 4, num. 3. Eamdem secutus est Cajet., in Summ., verb. *Absolutio ab excomm.;* et Summ. Confess., lib. 3, tit. 33, quæst. 86. Fundamentum hujus sententiæ esse debet, quia talis censura est simpliciter ab homine, et non a jure; ergo generalis regula in jure fundata, quod censura ab homine a solo ferente, vel superiori tollatur, in illa etiam locum habet. Et si quid speciale in jure statutum est de censuris latis a jure, non est ad hujusmodi generalem sententiam extendendum. Quin potius per argumentum ab exceptione speciali colligemus id non habere locum in tali censura. Cum ergo, in cap. Nuper, de Sententia excommunicationis, expresse fiat distinctio inter excommunicationem a judice vel a canone, et hujus tantum absolutio ad Episcopum vel parochum, illius vero ad eum, qui illam tulit, pertinere dicatur, non potest illa concessio ad censuram per sententiam generalem latam extendi. Nec sufficit, quod generalis sententia sit in multis similis statuto, ut Covarruvias voluit; nam etiam in multis sunt dissimiles, ut ipsemet docuit, § 10, num. 2, et in rigore sententia non est statutum; ergo cum standum sit proprietati verborum canonis, non potest illa extensio admitti propter solam similitudinem.

23. *Inter has sententias judicium fertur.* — Atque hæc ratio apud me est valde urgens; propter quam censeo hanc sententiam esse in rigore juris veram, et in praxi tutiorem, licet prior favorabilior sit, et benignior, et probabilis propter auctoritatem tantorum Doctorum; et quia probabiliter responderi posset, sententiam generalem pro futuris culpis non esse proprie sententiam, sed potius præceptum; et ideo non manare a ferente, ut a judice, sed ut a præcipiente, qui propterea cum auctore juris, seu canonis æquiparari potest. Atque ita, cum in cap. Nuper, solum distinguantur sententia judicis, et sententia juris, et hæc generalis non sit proprie et in rigore sententia judicis, probabiliter sub sententia juris comprehendetur, maxime cum favores ampliandi sint. Dices : ergo, etiamsi censura feratur pro delicto commisso, sub conditione satisfaciendi, si in generali fertur, poterit ad illam extendi illa concessio dicti cap. Nuper. Patet consequentia, quia etiam illud est quoddam præceptum, potius quam sententia judicis. Respondeo, negando sequelam, quidquid alii sentiant; nam, quando censura fertur pro delicto commisso, proprius est a superiore, ut a judice puniente delictum, et in rigore est particularis sententia, ut supra dicebam; nam, quod persona sit cognita vel occulta non impedit, quominus in eam in particulari feratur sententia. Quapropter, qui voluerit in praxi sequi hanc opinionem, potest sine scrupulo; prior vero in rigore juris, ut dixi, mihi magis placet.

24. *Cap. Ex frequentibus, priori sententia adducto, satisfit.* — *Evasio.* — Ad capitulum autem Ex frequentibus, respondet Ugolinus supra, ibi non esse sermonem de excommunicatione per sententiam generalem, sed per statutum, quæ est a jure; et quoniam verba textus non favent, utitur solum quibusdam conjecturis, et verba exponit secundum generalem significationem *sententiæ,* quæ aliquando extenditur ad censuras jure latas, ut ex dicto cap. Nuper, manifeste patet. Sed huic expositioni obstare videtur, quia illa sententia lata est, ut ibi dicitur, *tam in illos, qui Ecclesiastica beneficia taliter occupata scien-*

ter detinent, quam in eos, qui de cætero occupare præsumpserint; ergo illa fuit pure sententia et non statutum; nam una ex differentiis inter statutum et sententiam est, quod sententia respicit etiam præterita, statutum vero futura, ut notavit Palud. in 4, d. 18, quæst. 5, art. 2. Quod vero Ugolin. ait, Archiepiscopum illum Cantuariensem tulisse illam sententiam pro tota provincia comprehendente suffraganeos, quod facere non potuisset per modum sententiæ, sed per modum statuti, ex cap. Romana, de Sent. excom., in 6, non obstat; nam eadem difficultas illi manet, quo modo potuerit Archiepiscopus pro præteritis culpis tam generalem sententiam ferre. Et fortasse ideo Archiepiscopus ille confirmationem petiit a Romano Pontifice, quia ita respondet: *Nos eamdem sententiam ratam habentes,* etc. Aliis vero modis respondent ibi Innocent., Abbas, et alii, defendentes ob alios titulos potuisse, et posse Archiepiscopum in tota provincia ferre similem sententiam, vel ob delicti notorietatem, vel ob suffraganeorum negligentiam, vel quia generaliter pertinebat ad totam provinciam. Non est ergo illud sufficiens signum quod illud fuerit statutum, et non sententia, ut verba sonant. Quod si hoc verum est, potius inde sumi potest argumentum in contrarium.

25. *Evasioni occurritur.* — Verumtamen nec objectio facta convincit, quia non repugnat, constitutionem, vel statutum respicere etiam præterita, non quatenus jam commissa sunt, ut ea puniat, sed quatenus in eorum duratione aliquid inordinatum est, quod tollere, vel emendare expedit. Quod ibidem Glossa notavit in propositione casus; et constat ex usu; nam in Concilio Trident. habentur multa similia statuta, quæ ita provident in futurum, ut præcipiant statim remedium adhiberi iis, quæ prius male acta fuerant, ut sess. 24, cap. 17, circa pluralitatem beneficiorum. Quocirca non satis constare potest, quale fuerit illud præceptum sub censura ipso facto incurrenda; quodcumque tamen fuerit, non potest ex illo textu sufficiens argumentum sumi. Et in utroque sensu habet aliquam difficultatem. Nam, si fuit statutum, etiamsi esset a Papa confirmatum, possent Episcopi ab illo absolvere per cap. Nuper; non ergo indigebant illa concessione Pontificis, quam Glossa ibi tacite factam esse interpretatur; et ideo supposito eo sensu, magis consequenter dicetur, ibi Pontificem non concessisse potestatem absolvendi Archiepiscopo vel Episcopis, sed eam supposuisse, et mandasse, ne illa uterentur nisi post congruam satisfactionem. Unde idem respondebunt, qui æquiparant quoad absolutionem sententiam generalem cum statuto, etiam si admittant ibi esse sermonem de generali sententia. At vero juxta alteram opinionem dicendum erit, illos Episcopos non fuisse habituros potestatem ad absolvendum ab illa sententia generali (ita textum illum intelligendo) post confirmationem Pontificis, nisi ipsemet Pontifex facultatem dedisset. Ex illo ergo textu pro neutra opinione argumentum sumitur.

26. *A quo absolvi debeat qui in uno territorio excommunicatus fuit et alio domicilium transtulit.* — Jam ad cætera dubia breviter respondendum est. Ad primum distinguendum est de excommunicato a suo Episcopo, vel per generalem sententiam, vel per specialem; nam si sit priori modo, poterit absolvi ab alio Episcopo, ad cujus diœcesim domicilium transtulit, juxta probabilem opinionem modo tractatam, quam diximus esse in praxi securam. At vero si fuerit excommunicatus per particularem sententiam, non potest absolvi ab alio judice, etiamsi alio domicilium transtulerit, quia jam causa cœpta fuit coram alio judice, qui proinde quasi permanentem jurisdictionem acquisivit in tali causa, et in iis, quæ ad illam spectant, inter quæ sunt censura, et absolutio ab illa. Jurisdictio autem sic confirmata non aufertur propter translationem domicilii, ut constat ex cap. Proposuisti, de Foro comp., ubi Glossa ult. refert plura jura. Et ex illo textu potest colligi quædam differentia inter sententiam particularem, et generalem, nam illa fertur ad petitionem partis coram proprio judice, et ita procedit propria citatio rei vel in particulari vel confuse per monitionem, ut intra certum terminum satisfaciat; et ideo necesse est, ut talis causa inchoata sub uno judice coram illo terminetur, ne detur occasio fraudibus, et tergiversationibus, quæ omnia in sententia generali non eodem modo procedunt, ut per se constat.

27. *An qui censuram ab Episcopo alieno contraxit, a proprio possit absolvi.* — In secundo dubio minor est ratio dubitandi, nam qui versatur in extraneo Episcopatu, non incurrit censuram ab Episcopo illius loci latam per generalem sententiam, ut supra visum est, et ita in eo non habet locum quæstio quoad absolutionem ab hac censura. Oportet ergo, ut sit lata per statutum, si pro futuris

culpis lata est, et ab homine peregrino incurri supponitur; et tunc de absolutione illius judicandum est, sicut de censura lata a jure, et non ab homine, quare non est dubium, quin a proprio etiam Episcopo possit absolvi, nisi fuisset reservata, juxta infra dicenda. Ut autem hujusmodi hospes per sententiam particularem ab homine latam ligari possit ab Episcopo alterius diœcesis, necesse est, ut in eo supponatur legitima jurisdictio, sive ratione delicti ibi commissi, sive alio titulo acquisita fuerit; et tunc dicendum est, non posse absolvi a proprio Episcopo, sed servandam in eo esse regulam superius positam, ut ab eo absolvatur, a quo excommunicatus est, quia in tali causa ille solus est ejus judex. Et his consentanea sunt, quæ tradit Abbas, in cap. Grave nimis, de Præbend., num. 14.

28. *An excommunicatus religionem ingrediens a religioso Prælato absolvi possit.* — Ad tertium dubium, Ugol. supra, num. 10, refert Lapam, alleg. 47, n. 6, absolute asserentem, propter ingressum religionis posse quemcumque absolvi a superiore talis religionis, a censura lata per Episcopum, vel alium judicem, ne detur religioso occasio vagandi. Quæ ratio est bona congruentia, ut detur jurisdictio, oportet tamen ostendere ubi data sit. Et ideo Ugolinus contrarium simpliciter affirmat, qui solum id probat, quia per mortem naturalem non fit, ut possit quis absolvi ab alio, quam ab excommunicatore, ut supra dictum est; ergo neque per mortem civilem id fiet. Quæ ratio mihi non placet, quia per mortem naturalem non transfertur homo in alium statum Ecclesiæ militantis, neque sub novo judice et jurisdictione constituitur, quod secus fit per mortem civilem, quæ evenire censetur in ingressu religionis.

29. Quocirca in primis est attendum distinctione data de sententia generali vel speciali; nam, si censura per priorem inducta est, poterit ab illa absolvi, qui ingressus est religionem, a suo superiore, juxta supra dictam opinionem, quia ille tunc est ordinarius ejus; et idem a fortiori est, si censura lata fuit per statutum; nam illa non est ab homine, sed a jure; si vero censura fuit lata per sententiam propriam, et specialem, tunc juxta commune jus servanda erit regula proposita, tum quia ratione litis, seu causæ inchoatæ jurisdictio permanet apud priorem judicem; tum etiam quia nulla sufficienti ratione, aut jure constat talem jurisdictionem translatam esse in alium Prælatum.

30. Nihilominus tamen consulenda sunt specialia privilegia singularum religionum, et secundum illa erit plenum judicium ferendum de potestate absolvendi a tali censura. Nam Mendicantium superiores ordinarii privilegium habent ad absolvendum ab omni censura ab homine lata, et contracta ante ingressum religionis, dummodo talis censura generaliter lata sit. Quod privilegium a Clemente IV datum est Minoribus, et postea ab aliis Pontificibus confirmatum, vel de novo aliis religionibus concessum. Et Martinus V, in gratiam ordinis S. Benedicti provinciæ Castellæ, privilegium concessit Abbati Vallisoletano, qui est Generalis in illo regno, ut possit absolvere subditos ab omni sententia excommunicationis, quantumvis reservata, quo privilegio per viam communicationis multæ aliæ religiones utuntur; et intelligendum censeo de sententia generali; nam illa, quæ in particulari fertur, præsertim nominatim, in causa ad forum contentiosum deducta, nunquam comprehenditur sub his privilegiis, quæ semper loquuntur, vel in generalibus sententiis, vel in casibus occultis.

31. At vero si sententia esset lata pro particulari delicto, occulto tamen quoad personas in quas confuse tantum et sub ratione delinquentium lata sit, talis censura tolli poterit per prædicta privilegia post satisfactionem exhibitam parti, prout possit, quia verba privilegii sunt generalia de censura, a jure, et ab homine generatim lata; et illa censura, licet aliqua ex parte specialis sit, tamen aliunde est generalis, et interdum ita vocatur propter modum et formam sub qua fertur; et privilegia amplianda sunt; præsertim cum hoc sit consentaneum fini privilegii, qui est favor, honor, et clausura religionis. Propter quod, per hujusmodi privilegium non solum post professionem, sed etiam antea absolvi poterunt, ut iidem Pontifices declararunt, et infra iterum attingemus.

32. *Num post appellationem, judex qui censuram tulit possit ab illa absolvere.* — Ad quartum dubium dicendum in primis est, post appellationem, eum judicem, ad quem appellatum est, posse absolvere a censura lata ab inferiori, ut patet ex cap. Per tuas, de Sent. excomm., et in cap. Venerabilibus, § Porro, eodem, in 6. Hanc enim jurisdictionem per appellationem acquisivit, cum jam causa in eum translata sit, et accessorium sequatur principale. Dico autem posse, quia jurisdictionem habet, qua si utatur, factum tenebit,

juxta dictum cap. Venerabilibus, § Sane. Ut autem ea potestate legitime utatur, servare debet modum a jure præscriptum, qui colligi potest ex dictis juribus, et ex cap. Ad reprimendam, de Officio ordinarii. Et summa ejus est ut non absolvat, nisi prius constiterit priorem censuram fuisse inique datam; alioqui remittere potius debeat absolutionem ad judicem, qui illam tulit, nisi vel sit periculum in mora, vel ille nolit absolutionem impendere, ut latius Canonistæ citatis locis, et Abbas in cap. Cum ab excommunicato, de Rescrip., num. 14.

33. Ex quo intelligitur, in eo casu etiam posse judicem, a quo appellatum est, absolutionem censuræ præstare, quia, quamvis per appellationem sit in alium causa translata, ut sumitur ex multis juribus, titulo de Appellationibus, nihilominus ille, a quo appellatum est, non omnino amisit jurisdictionem ordinariam, quam habebat; sed solum habet illam quasi impeditam post admissam appellationem, ne quippiam agere possit, quod effectum vel fructum appellationis possit impedire. Conferre autem absolutionem non impedit effectum appellationis, sed potius est id, quod per eam intenditur, vel quod juvare potest ad illam melius prosequendam: ergo, etc. Estque hæc sententia conformis textui in cap. Cum cessante, et cap. Cum teneamur, de Appellat., et clarius in cap. Si a judice, eod. tit., in 6. Quibus locis videri possunt Doctores, et præsertim Abbas, in cap. Quæstioni, num. 7, de Appell. Qui excipit judicem delegatum, quia per appellationem admissam privatus manet jurisdictione, et eam transfert in superiorem, ex cap. Cum appellationibus, de Appellat., in 6. Ipsemet tamen dicit, Doctores alios hoc extendere etiam ad judicem delegatum in favorem censuræ in c. Qua fronte, de Appell. Et mihi certe eorum sententia magis placet, propter rationem supra adductam, et superiora jura, et quia in dicto cap. Cum appellationibus, non video sermonem esse specialiter de judice delegato, sed absolute de quolibet judice inferiori, a quo appellatum est. Unde si ille textus quidpiam probaret, de omnibus concluderet. Cum ergo ibi dicitur, quod *judex appellationi deferens, a se jurisdictionem abdicavit*, intelligendum opinor, juxta alia verba cap. Si a judice, infra, eodem titulo, et lib., scilicet, *Cum per appellationem sit suspensa ipsius jurisdictio*. Quod statim restringitur, *Nisi ad revocandum gravamen*, quod perinde procedit in absolutione, ut dictum est.

34. *An ex consensu partis possit quis a quolibet sacerdote absolvi.* — Quinti dubii resolutio facillima est; consensus enim partium in hoc nihil potest operari, nisi superiorem adeant, quia ipsæ non possunt jurisdictionem conferre. Id quod et per se notum est, et colligitur etiam ex cap. De causis, de Officio delegat., et plura de hoc dicemus infra agendo de absolutione ad cautelam. Hactenus de absolventibus a censuris ab homine latis.

SECTIO III.

Quis possit a censura juris absolvere.

1. Quoniam de ipsamet persona legislatoris eadem ratio quoad hoc est, quæ de judice ferente censuram, ideo de potestate illius nihil dicere oportet, quia certum est ipsum legislatorem posse absolvere, sicut excommunicare potuit, si eadem jurisdictio in eo perseveret; alioqui ejus successor vel ejus superior idem poterit eodem prorsus modo, quo de judice diximus, et eisdem rationibus, ac fundamentis. Quod adeo verum est, ut, etiamsi extraneus censuram incurrat propter transgressionem juris huic Episcopatui proprii, absolvi possit ab hoc Episcopo, etiam in absentia seu postquam ad proprium domicilium rediit, quia semper absolutio illa directe et per se pertinet ad legislatorem; imo, si reservata fuerit, ad illum solum pertinebit, cum limitationibus infra ferendis. Solum ergo explicandum est, quando possit censura a jure lata tolli ab alio vel inferiori vel saltem non superiori, nec successore ipsius legislatoris, sed alioqui habente condistinctam jurisdictionem. Potest autem hoc jus, quo lata est talis censura, esse vel commune, sub quo comprehendimus omnia Pontificum decreta, et Conciliorum generalium, et omnia alia, quæ Pontificis auctoritate confirmata sint; vel potest esse jus particularo alicujus provinciæ, vel Episcopatus, vel quid simile. Et quoniam de hoc posteriori judicandum est ad instar prioris, ideo de illo primum agemus.

2. *A censuris jure communi latis, si reservatæ non sint, potest Episcopus vel parochus absolvere.* — Sit ergo in hac materia generalis regula. A censuris latis a jure, si Pontifex earum absolutionem expresse sibi non reservavit, ex vi ejusdem communis juris, seu concessionis in eo declaratæ, absolvi unusquisque potest a proprio Episcopo, seu Episcopalem jurisdictionem habente, imo

etiam a proprio parocho, vel qui ejus vices gerit. Hanc regulam elicio ex c. Nuper, de Sent. excom., cujus hæc sunt verba : *In secundo vero casu, a suo Episcopo, vel a proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere; quamvis enim et tunc, non judicis, sed juris sententia, excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.* In quo textu primum est observandum, sermonem esse in particulari de excommunicatione; et ita de illa principaliter est intelligenda regula posita; tamen ratio textus communis est cæteris censuris; et ideo ad illas etiam regulariter extenditur, nisi ubi aliqua alia specialis ratio occurrerit, quod infra in particulari de illis tractando admonebimus. Tamen, ut dixi, et observari facile potest ex multis juribus sub titulo de Sententia excommunicationis, omnes censuræ regulariter in his rebus æquiparantur, licet præcipue in excommunicatione locum habeant, quod fere in tota hac materia præ oculis habendum est.

3. Secundo observandum est, in illo textu sermonem esse de censura lata per jus commune, nam est sermo de illa censura, quam quis contrahit communicando cum excommunicato; et constituitur differentia inter censuram contractam per communicationem cum excommunicato in crimine criminoso, et contractam per aliam communicationem in sacris, vel in alia re. Et licet utraque videatur esse a jure, tamen prior absolvenda ibi dicitur a judice, qui alterum excommunicavit; nam, quia illa communicatio in delicto est quædam participatio in contumacia, et in ipsius judicis Ecclesiastici offensionem specialiter cedit, voluit Pontifex, ut illa censura, quasi per extensionem, censeatur ab eodem homine lata, qui alterum excommunicavit. Posterior vero, quia est a jure, et non reservata, censetur commissa aliis quoad absolutionem, ut ibidem dicitur. Et quamvis de illa censura in particulari sit ibi sermo, tamen, quia ibi non conditur speciale jus, aut conceditur privilegium peculiare, et quia ratio Pontificis generalis est, ideo inde colligitur ab omnibus Doctoribus regula generalis pro omnibus censuris latis a jure communi, et non reservatis, scilicet, non tantum a legislatore, sed etiam ab aliis dissolvi posse.

4. Tertio observandum est, cum ibi dicitur talem censuram per Episcopum tolli posse, respective intelligi de Episcopo uniuscujusque, qui in suo ordine est pastor ordinarius ejus; hanc enim vim habet illud relativum *suo.* Unde, cum inferius dicitur, cum legislator non reservat, eo ipso concedere *aliis* facultatem relaxandi, non intelligitur de quibuscumque aliis; non enim quilibet sacerdos potest de tali censura absolvere, ut dicemus; sed de aliis pastoribus, vel habentibus potestatem ligandi et solvendi circa talem personam, seu, quod idem est, de aliis judicibus, qui alias circa talem personam judicium ferre possunt. Quod, et per se clarum apparet, quia lex illa non præbet novam jurisdictionem non habenti, sed declarat, dum per reservationem non aufertur, eam, quæ antea erat, extendi ad censuras ipso jure latas; tum etiam quia illa particula, *aliis*, respondet præcedentibus, scilicet, *a suo Episcopo, vel proprio sacerdote,* et per illas limitatur. Denique, quia (ut Juristæ dicunt) illa dictio, *aliis,* similitudinis est nota, ex Gloss. in l. *Si fugitivi,* C. de Serv. fugit.; quam vero similitudinem ibi dicat, infra videbimus; nunc satis est, ut minimum, debere dicere similitudinem in potestate ligandi et absolvendi, proportionata ad talem actum, respectu talis personæ; nam hæc est per se necessaria ad actum absolvendi, de quo sermo est.

5. *Quis sit uniuscujusque proprius Episcopus. — A proprio Episcopo potest quis absolvi a censura a jure, etiamsi in alio Episcopatu deliquerit.* — Ex his ergo satis probata relinquitur prima pars assertionis, scilicet, unumquemque posse absolvi ab omnibus censuris jure communi latis, et non reservatis, a suo Episcopo. Quis autem sit uniuscujusque proprius Episcopus, quæstio est similis illi, quæ de proprio sacerdote tractata est supra, de ministro sacramenti pœnitentiæ disputando; et easdem habet dubitationes, quæ eodem proportionali modo finiendæ sunt. Generatim enim loquendo, Episcopus alicujus dicitur Episcopus illius diœcesis, in qua talis persona habet suum domicilium, quia domicilium est quasi fundamentum fori, seu jurisdictionis, ut est utriusque juris principium, lege ultim. ff. de Jurisdict. omn. jud., c. ult. de Constit., in 6, et c. A nobis, 1, de Sent. excomm., ubi Abbas, et latius in c. 1, de For. comp., num. 23, unde non est dubium, quin unusquisque absolvi possit a prædicta censura ab Episcopo illius diœcesis, in qua habet suum domicilium, non solum, si delictum in eadem diœcesi commisit, sed ubicum-

que deliquerit, et censuram contraxerit; nam, licet ratione delicti acquiratur forum in ordine ad accusationem, vel pœnam, quæ per hominis sententiam in alieno territorio ferri potest, tamen et hæc pœna, de qua nunc agimus, non imponitur ab alio particulari Episcopo, sed a Summo Pontifice, et proprius etiam Episcopus nunquam amittit jus suum, quominus ejus subditus possit coram illo conveniri, etiamsi alibi deliquerit. Et eadem ratione non amittit potestatem absolvendi illum. Ex quo ulterius fit, ut ille subditus possit absolvi a proprio Episcopo etiam dum in alieno Episcopatu peregrinatur, quia censura ferri potest in absentem, etiamsi existat in alieno Episcopatu, ut supra ostensum est; ergo multo magis absolutio, quia favorabilior est, et in reliquis est par ratio, nam etiam absolutio sine strepitu judicii ferri potest, et habet suum effectum, seu executionem, quasi spirituali, seu invisibili modo. Cum ergo absentia, seu existentia in alieno territorio non obstet, et alioqui sit potestas, poterit hic a suo Episcopo absolvi.

6. *Possitne alien. subditus absolvi a censura canonis ab Episcopo, in cujus diœcesi versatur.* — Quæri tamen potest, an ab illo solo possit absolvi, vel etiam ab illo Episcopo, in cujus diœcesi vagatur. Videtur enim ab illo non posse, quia ille revera non est suus Episcopus. Quod regulariter ita est, nimirum, quando existentia in illo loco est ad breve tempus, et quasi in via, seu peregrinatione, quia tunc convincit ratio facta. Et probat etiam c. Romana, § Nec etiam, de For. comp., in 6, et cap. Excommunicatis, de Officio leg., ubi dicitur, Legatum Pontificis non posse absolvere, etiam intra suam provinciam, eos qui in clericos manus violentas injecerunt, aliunde illuc accedentes, scilicet, quia non sunt subditi illius provinciæ; idem ergo erit in nostro casu. Sed intelligendum hoc est, ut ibi notat Abbas, num. 7, quando talis persona non commisit delictum, nec contraxit censuram in eo loco et diœcesi in qua versatur; nam si ibi deliquit, ratione delicti fit aliquo modo subditus in ordine ad illud, ita ut possit conveniri et puniri; ergo etiam ut possit absolvi quoad forum contentiosum, ad quod pertinet censura; nam de absolutione sacramentali quoad culpam alia est ratio. Neque censeo inconveniens, quod ille possit absolvi in eo casu a duobus Episcopis, quia diversis titulis potest utrique subjici, alteri simpliciter, alteri quoad unum effectum.

7. At vero quando mora in aliena diœcesi est diuturna, ita ut, licet non sit per translationem domicilii, sit per quamdam permanentem habitationem, tunc valde probabile est posse absolvi ab Episcopo loci, sive censuram in eo loco contraxerint, sive alibi, et licet commorentur ibi cum licentia sui Episcopi, sive non. Quod aliqui fundant in præsumpta voluntate et consensu alterius Episcopi proprii. Hoc tamen, ut in superioribus dixi, in materia jurisdictionis, et ad valorem actus, qui ab illa pendet, non sufficit, quia nisi adsit voluntas, ejus præsumptio non confert jurisdictionem. Dicendum ergo est, illam diuturnam inhabitationem, moraliter censeri, et consuetudinem receptam esse, per modum cujusdam domicilii pro eo tempore, quo durat, et ideo illum Episcopum reputari ut proprium quoad hunc actum absolvendi a censura, quidquid sit de aliis. De quibus videri potest Abbas, in dicto cap. Excommunicatis, de Officio legati, num. 7, et cap. Quod clericis, de For. comp., num. 4, et cap. Ex parte B., num. 8, eodem titulo.

8. Addendum est præterea, eos, qui semper vagantur, et nullibi habent fixum domicilium, posse sine dubio absolvi ab Episcopo loci, in quo actu versantur, etiamsi per breve tempus ibi sint commoraturi; quia illi non habent alium Episcopum, et non debent carere pastore, ut in simili latius dixi in materia de Confessione; est enim eadem ratio et proportio.

9. *Quid de religiosis.* — Solet etiam specialiter de religiosis dubitari, an possint absolvi ab Episcopo loci, in quo domicilium habent; sed res est facilis. Nam si religiosi considerentur solum ratione status, et non sint exempti ab Episcopis, clarum est posse ab eis absolvi, nam et ligari ab eis poterunt. Si enim exempti non sunt, sunt subditi, quia jure communi omnes habentes domicilium in tali diœcesi, subjecti sunt Episcopo illius; ergo potest Episcopus actus jurisdictionis in illos exercere. Unde in cap. Religioso, de Sent. excom., in 6, si religiosus incidat in excommunicationem canonis *Si quis suadente,* percutiendo clericum secularem, ejus absolutio Episcopo diœcesano committitur, et in c. Monachi, de Sent. excom., quando percussio est inter ipsos religiosos, absolutio committitur superiori, ex speciali concessione, non tamen omnino excluditur Episcopus; nam si major fuerit necessaria providentia, ad illum dicitur esse recurrendum; unde

supponitur, etiam illum esse superiorem, sistendo in communi jure. Unde similis absolutio in utroque casu respectu Monialium Episcopo committitur in c. De Monialibus, de Sent. excom. At vero religiosi exempti per privilegia Pontificia non possunt absolvi ab Episcopo, cum in eos non habeat jurisdictionem; neque ipsi possunt quoad hoc se illi subjicere, quia et hoc esset in detrimentum religionis, et ipsi non possunt Episcopo jurisdictionem conferre, quam non habet, de quo videri possunt plura in Ugolin., tab. 1, c. 10, § 1.

10. *Qui nomine Episcopi comprehendantur. — Vicarius Episcopi comprehenditur.* — Rursus vero dubitari potest, an nomine Episcopi intelligendus sit solus ille, qui proprie, et in rigore Episcopalem dignitatem habet, vel quilibet, qui jurisdictionem habeat Episcopalem. Circa quod videri potest simile dubium supra tractatum agendo de ministro confessionis, et de Episcopo, a quo debet exponi, juxta novum jus Concilii Tridentini. Et primo certum est vicarium Episcopi, cui ipse vices suas generaliter committit, posse absolvere ab hujusmodi censuris, quia quando hujusmodi casus Episcopis committuntur, et non exprimitur, ut per se ipsos tantum id facere possint, per vicarios suos id possunt præstare. Quod licet colligere inter alia jura ex cap. ult. de Officio ordin., ubi dicitur, eos, qui ex officio possunt absolvere in certis casibus, posse hujusmodi absolutionem aliis committere, cum viderint expedire; et sumitur etiam ex l. *More majorum,* ff. de Jurisdict. omn. jud. Dicitur autem ex officio hoc posse, qui cum ipso officio statim accipit hanc facultatem; cujusmodi est Episcopus; ergo per vicarium id facere potest, cui committit vices suas. Quod etiam recte confirmatur ex Concilio Tridentino, sess. 24, c. 6 de Reform., ubi cum committitur Episcopis potestas absolvendi a casibus reservatis Papæ, additur, *per se ipsos aut per vicarium ad id specialiter deputandum.* Et quoad peccatum hæresis occultæ statim excluditur vicarius. Ergo signum est, ubi concessio fit absolute Episcopo, non excludi vicarium, et similiter, quando jus non requirit vicarium specialiter deputandum, generalem sufficere. Denique vacante Sede Episcopali, Capitulum vicarium constituit, qui hoc ipso censetur habere jurisdictionem Episcopalem, et posse absolvere ab his censuris; ergo multo magis id dicendum est de vicario Episcopi, quoties ipsemet Episcopus aliquid specialiter sibi non reservat.

11. Dices : ergo quando absolutio a censura, quæ reservata erat Papæ, specialiter conceditur Episcopo, non poterit ille talem absolutionem alteri committere, sed tantum per se ipsum illam exercere; ut in casibus, v. gr., de quibus loquitur Concilium Trident., dicta sess. 24, c. 6 de Reformat. Consequens autem est falsum et contra omnes, imo contra illudmet decretum Concilii Tridentini, ut paulo ante expendebamus. Sequela probatur, quia tunc Episcopus non habet potestatem ordinariam, sed delegatam, seu speciali beneficio concessam; hujusmodi autem jurisdictio subdelegari non potest, ut constat ex cap. ult., § ult., de Offic. deleg., et ex l. 1, ff. de Eo cui mandata est jurisdictio. Nec satis est respondere hoc esse speciale in potestate absolvendi ab excommunicatione, quia conceditur in favorem animæ, ut respondet Covarruvias, lib. 3 Variar., c. 20, n. 5. Tum quia, § ult. de Offic. deleg., loquitur in specie de potestate absolvendi concessa in favorem animæ; tum etiam quia cap. ult. de Offic. ordin., aperte sentit absolutionem in his casibus convenire Episcopo ex officio, et ideo posse eam aliis committere. Ubi Abbas et alii idem sentiunt, licet rationem non satis declarent. Ea vero esse videtur, quia absolvere ab excommunicatione per se et ex officio convenit Episcopo juxta cap. Nuper, de Sent. excom.; per reservationem autem extrahitur censura reservata ab illa jurisdictione; et ideo ablata reservatione quasi in naturalem statum reducitur, atque ita manet sub ordinaria jurisdictione Episcopi, sicut fuisset, si a principio reservata non esset.

12. *Nomine Episcopi, comprehenditur Capitulum Sede vacante, et vicarius ab eo constitutus.* — Deinde in multis aliis manifestum est verbum illud, *Episcopus,* extendendum esse ad plures alios, qui Episcopalem dignitatem non habent, satisque esse quod habeant jurisdictionem Episcopalem. Ut Capitulum Cathedralis Ecclesiæ vacante Sede, ut constat ex juribus in præced. sect. adductis, nam, quoad hoc eadem ratio est de absolutione a censura lata ab homine aut a jure. Idemque est, ut dixi, de vicario constituto ab ipso Capitulo. Imo in hoc constituit Ugolin. supra, § 2, quamdam differentiam inter vicarium Episcopi, et Capituli, Sede vacante, quod vicarius Episcopi habet jurisdictionem dependentem ab illo in fieri et conservari; et ideo si Episcopus sit suspensus vel excommunicatus, ejus vicarius non potest absol-

vere; at vicarius Capituli, Sede vacante, non habet jurisdictionem ita pendentem a Capitulo, nam licet ipsum Capitulum suspensionis censuram incurrat, et ideo jurisdictionis usu privetur, nihilominus vicarius expeditam retinet jurisdictionem ad absolvendum, quia non auctoritate solius Capituli, sed Concilii Tridentini creatus est, ut patet ex sess. 24, c. 16, de Reformat.

13. *Vicarius a Capitulo electus ab illo habet jurisdictionem dependentem in fieri et conservari.* — Hæc vero differentia non satis fundata est; suppono enim ex antiquo jure, tempore Sedis vacantis, jurisdictionem Episcopi devolvi ad Capitulum, ut supra ostensum est ex c. unico de Major. et obed., in 6. Quam jurisdictionem Concilium Trident. nec mutavit, nec minuit, sed solum præcepit modum utendi illa jurisdictione, nimirum per vicarium ab eodem Capitulo electum, cui et jurisdictionem, et usum jurisdictionis committat Concilium ergo Trident. non dat jurisdictionem illi vicario, neque ad hoc interposuit auctoritatem suam, sed solum ad imponendum prædictum præceptum, quo non obstante ille vicarius vicem gerit Capituli et ejus jurisdictione utitur; ergo, si Capitulum habeat impeditum usum jurisdictionis, consequenter etiam vicarius habet idem impedimentum. Et confirmatur ac declaratur, nam ante illud decretum Concilii Trident., si Capitulum absque illo præcepto elegisset vicarium (ut verisimile est antea fieri solitum esse, quia non poterat aliter commode gubernare), tunc suspenso Capitulo esset suspensa vicarii jurisdictio; est enim omnino eadem ratio de illo vicario, et de vicario Episcopi; sed Concilium Trident., eo quod præceperit illam vicarii electionem, non firmavit ejus jurisdictionem, neque aliam, vel aliter dari voluit, quam per Capitulum dari posset, quia neque in illo decreto est ullum verbum, unde hoc colligi possit, neque ex solo illo præcepto colligitur. Sicut, si Concilium præcepisset Episcopis, ut haberent vicarios, non propterea tales vicarii aliter haberent hanc jurisdictionem, quam nunc habeant; nullum ergo fundamentum habet illa sententia in Concil. Trident. Unde, cum alioqui vicarius ex vi officii sui pendeat jurisdictione et usu ab eo, cujus vicarius est, juxta cap. 1 de Offic. vicarii, in 6, idem censeo quoad hoc dicendum de vicario Capituli, quod de vicario Episcopi.

14. *An si ob negligentiam Capituli Metropolitanus vicarium creet, det illi jurisdictionem a se dependentem in conservari.* — Sed quid dicendum erit, si ob negligentiam Capituli, Metropolitanus, aut vicinus Episcopus hujusmodi vicarium constituat? numquid suspenso Archiepiscopo erit suspensus vicarius ille? Videtur enim sequi, quia tunc jurisdictio apparet devoluta ad Archiepiscopum, atque ita ab illo pendere, et consequenter de tali vicario verum erit, quod, licet Capitulum suspendatur, ejus jurisdictio maneat expedita, quia non habet illam a Capitulo, sed ab Archiepiscopo. Nihilominus tamen oppositum censeo verum, quia verum non est jurisdictionem Capituli in eo casu devolvi ad Archiepiscopum; neque enim ipse posset ibi excommunicare aut absolvere auctoritate ordinaria; sed solum ei committitur deputatio seu electio talis personæ in vicarium; qua facta, ille vicarius habet jurisdictionem Capituli, independentem quidem a voluntate ejus, quam supplet auctoritas et efficacitas Concil. Trident., pendentem tamen nihilominus a potestate, et jurisdictione, quæ residet in ipso Capitulo, quia Concil. noluit novum modum jurisdictionis instituere, ut ostensum est, sed solum obligare, et cogere Capitulum, ut suam jurisdictionem vicario communicaret. Hoc ergo modo Capitulum, Sede vacante, et ejus vicarius, sub nomine Episcopi in illa regula comprehenduntur.

15 *Nomine Episcopi comprehenduntur Abbates exempti, et Capitulum ejus Ecclesiæ, et eorum vicarii.* — Præterea etiam Abbates, qui jurisdictionem habent Episcopalem, sub illa voce continentur, quia juxta subjectam materiam intelligenda est; cum autem ille actus absolvendi, de quo est sermo, ad jurisdictionem pertineat, quando Episcopus ibi nominatur, non tam propter dignitatem ordinis, quam propter jurisdictionem nominari merito intelligimus; ergo recte comprehendimus sub illa voce omnes qui similem jurisdictionem habent. Notanter autem dico *similem*, et non *æqualem*, quia sufficit, ut habeant jurisdictionem fori contentiosi ad ferendas et tollendas censuras, quia hæc est, quæ per se spectat ad hunc actum, etiamsi alioqui æqualis non sit. Et confirmatur, quia interdum hi Abbates sunt ita exempti, ut nullus Episcopus habeat immediatam jurisdictionem in eorum subditos, præter Romanum Pontificem; non debent autem illi subditi carere Episcopo, a quo possint absolvi; ergo nomine Episcopi comprehenditur hujusmodi Abbas. Et conse-

quenter etiam vicarius ejus, et Capitulum ejus Ecclesiæ, tempore, quo vacat; nam de his eadem ratione, et proportione loquendum est.

16. *Comprehenduntur etiam alioqui inferiores Prælati, qui superiorem habent Episcopum.* — Addo vero, quando hujusmodi inferiores Prælati non obstante dicta jurisdictione, habent ordinarium Episcopum sibi superiorem, ita ut vel possit causas ad se advocare, vel saltem cum eis habeat jus præventionis, tunc etiam Episcopum posse absolvere subditos inferioris Prælati a censuris jure communi latis, quia etiamsi intercedat inferior Prælatus, v. gr., Archipresbyter, nihilominus ejus Episcopus est proprius Episcopus omnium subditorum ejus. Item quia regula supra posita in universum vera est, *quidquid in hoc genere potest inferior, posse superiorem, si prædicto modo superior sit,* ut supra declaravimus. Et hac etiam ratione Legatus Pontificis in sua provincia sub nomine Episcopi quoad hunc actum comprehenditur, quia jurisdictionem habet Episcopalem, et immediatam, ad eum modum quo habet Pontifex, cujus vicem gerit, ut constat ex cap. 1, et aliis, de Offic. leg.; et in particulari hæc potestas aperte colligitur ex cap. In excommunicatis, et cap. Quod translationem, de Offic. leg., ubi videri potest Abbas, et Villadiego tract. de Irreg., quæst. 13; delegatus autem in hoc id poterit, quod ei fuerit commissum ab eo, qui ordinariam circa hunc actum jurisdictionem habet.

17. *Comprehenduntur etiam Prælati religionum respectu suorum subditorum.* — Ex his vero colligo ulterius, etiam Prælatos religionum ex vi hujus juris communis habere potestatem ad absolvendos suos subditos ab hujusmodi censuris juris communis. Dico autem *ex vi hujus juris,* nam quod ex vi suorum privilegiorum illam habeant, manifestum est. Quia vero in suos subditos jurisdictionem habent, quodam modo similem Episcopali, in quantum jurisdictionem habent fori contentiosi, et eos possunt excommunicare, ideo opinor etiam ex vi illius cap. Nuper, et ex vi particulæ *Episcopus,* sub proposita regula comprehendi.

18. *Objicitur Clem. 1, de Privileg. — Clem. exponitur.* — Objici vero potest Clem. 1, de Priv., ubi excommunicantur religiosi, qui absolvunt excommunicatos a canone, nisi in casibus a jure expressis. Ubi Glossa hoc intelligit de omni canone, et de omni censura, a qua posset Episcopus absolvere per cap. Nuper, et infra in verb. *Quanquam,* hoc extendit etiam ad religiosos ejusdem religionis, et sibi subditos; quam interpretationem sequitur Sylvest., verb. *Excommunicatio,* 7, num. 31; sed mihi videtur interpretatio falsa, præsertim quoad posteriorem partem. Primo quidem, quia ille textus ita incipit, *Religiosi, qui clericis, aut laicis sacramentum,* etc., et sub eodem contextu ait, *An qui excommunicatus a canone,* etc.; ergo non loquitur de absolutione eorum subditorum, sed extraneorum, qui ad illos non pertinent. Adde, cum subdat, *Nisi in casibus a jure expressis,* respectu subditorum, hunc casum, de quo agimus, satis esse in jure expressum in dict. cap. Nuper, non solum in dict. verb. *Episcopus,* ut nunc dicimus, sed clarius ex vi particulæ *Proprius sacerdos,* ut infra dicam. Unde cum postea concluditur in dicta Clem., *Absolvere quemquam præsumpserint,* particula *quemquam* plane referenda est ad initium textus, scilicet, *clericum vel laicum.*

19. Quanquam sub nomine clerici comprehendendos censeo etiam extraneos religiosos non sibi subditos, tum quia intentio illius canonis est punire religiosos usurpantes jurisdictionem, quam non habent in hujusmodi actibus, quod vitium tam circa alienos religiosos, quam circa alios committitur; tum etiam quia nomine clerici interdum comprehenditur quælibet Ecclesiastica persona. Quod si dicas juxta hunc sensum etiam subditum comprehendi, respondeo, quantum ad casus jure non expressos, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessos, verum id esse, ita ut Prælatus religionis absolvens subditum in casu reservato per canonem, et sibi non concesso per privilegium, illam pœnam incurrat; secus vero si absolvat in casu non reservato, quia hoc ipso est in jure concessus juxta dictum cap. Nuper. Habent ergo ex vi illius juris communis hanc potestatem, quamvis per privilegia habeant illam magis expressam, et quasi magis propriam et exemptam a jurisdictione Episcoporum. Et hæc videntur sufficere ad expositionem illius particulæ, *A suo Episcopo.*

Quis possit absolvere a censura per statutum alicujus provinciæ vel Episcopatus lata.

20. *Ratio dubitandi.* — Superest ut aliam particulam illius textus, scilicet, *Canonis seu*

juris, explicemus, videlicet, an solum commune jus, vel Pontificium intelligendum sit, an vero comprehendantur etiam statuta particularia quorumcumque Episcoporum, aut Conciliorum provincialium; hinc enim pendet resolutio alterius dubii, scilicet, an a censuris latis per hæc statuta possint absolvere omnes, qui jure communi absolvere possunt a censuris jure Pontificio latis. Ratio autem dubitandi est, quia in dict. cap. Nuper, ut vidimus, solum est sermo de censura juris communis; ergo non debet extendi ad alia statuta. Adde non esse eamdem rationem in cæteris, quia cum ipse Pontifex sit auctor juris communis, et ad ipsum per se pertineat tollere censuras in illo latas, potuit ipse ordinario jure vices suas quoad hoc aliis committere, et ita suam voluntatem interpretari, ut, quoties censuram sibi non reservaverit, censeatur concedere Episcopo potestatem absolvendi. At vero hæc ratio non habet locum in statutis particularibus, quia neque ab illius voluntate procedunt, neque ad eum pertinet, tanquam ad propriam causam, ab illis absolvere; nam licet absolute hoc possit tanquam universalis causa, regulariter tamen id non facit, sed relinquit proprios pastores suis jurisdictionibus uti.

21. Sed nihilominus dicendum est, verba illa generaliter esse intelligenda de omni censura a jure, prout condistinguitur a censura ab homine, atque ita in eis comprehendi quælibet statuta, vel constitutiones particulares, quibus censuræ feruntur, non reservatæ. Ita intelligunt communiter Doctores, Abbas, num. 5; Covarruv., cap. Alma, 1 part., § 12, num. 4; Sylvester, verb. *Absolutio*, 1, num. 7. Soletque ad confirmandum citari cap. Ex frequentibus, de Institut., in quo supponi videtur suffraganeos Archiepiscopi posse absolvere a censura lata per statutum Archiepiscopi. Qui textus non multum probat, quia illud statutum confirmatum erat a Pontifice, et ita poterat ut Pontificium reputari. Ratio ergo præcipua sumenda est ex verbis et ratione ejusdem textus. Nam absolute loquitur de sententia juris, quæ locutio in rigore omnia jura comprehendit. Deinde in ratione subdit, *Quia conditor canonis*, etc., ubi consulto videtur tam generali verbo usus, ut quemcumque canonem, a quocumque conditus sit, comprehendat. Quocirca licet casus illius textus sit de quadam particulari censura contra specialem canonem juris communis, tamen ex illo casu sumpsit occasionem Pontifex tradendi regulam generalem, quæ proinde sicut non limitatur ad solam illam censuram, ita neque ad solum commune jus.

22. *Satisfit rationi dubitandi.* — Et quamvis verum sit censuras (ut sic dicam) Episcopales proprio et particulari jure ad eos pertinere, ad Summum tamen Pontificem spectat præscribere modum, et formam servandam in censuris ferendis per quæcumque statuta; quæ propterea juxta commune jus semper interpretanda sunt, ut colligitur ex cap. Ex litteris, de Constitutionibus, et cap. Cum dilectus, de Consuetudine. Atque ita jure communi ordinatum est, ut in censura absque reservatione lata per quemcumque canonem, sive generalem, sive particularem, hoc ipso censeatur ejus absolutio aliis concessa. In quo nihil derogatur jurisdictioni Episcoporum, vel aliorum inferiorum Prælatorum, nam si volunt censuram sibi reservare, semper possunt in statuto id exprimere.

Num parochus a censura juris absolvere queat.

23. *Prima et vera sententia.* — Ultimo explicanda superest postrema pars regulæ propositæ, per quam illam extendimus ad parochos, quantum est ex vi ejusdem cap. Nuper; ibi enim expresse sub disjunctione dicitur, *In secundo casu ab Episcopo, vel a proprio sacerdote*, etc. Constat autem nomine proprii sacerdotis parochum solere in jure significari, cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. et remiss., et sumitur ex cap. Placuit, 9, quæst. 3, et de Pœnit., dist. 6. Atque ita intellexerunt textum illum communiter Theologi in 4, dist. 18; D. Thom., quæst. 1, art. 5; D. Bonav., part. 2, quæst. 6; Major, dist. 18, quæst. 2, dub. 3; Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 2; Sylvester, verb. *Absolutio*, 1, num. 4, et verb. *Casus*, primo, num. 3; Angel., verb. *Absolutio*, num. 2; Armill., eodem verb., num. 36, et verb. *Casus*, num. 5. Idem tenuit Innocent., dict. cap. Nuper; et Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 39; et Summ. Confessorum, lib. 3, tit. 36, quæst. 85, ut Covarruvias refert.

24. *Secunda sententia.* — Nihilominus Covarruvias, in cap. Alma, 1 part., § 10, num. 5, contrariam sententiam ut veriorem amplecti videtur, et eam dicit communi praxi receptam, licet opinio Theologorum in rigore disputationis defendi possit. Refertque plures juris Pontificii professores negantes, posse

parochos absolvere a censura, seu majori excommunicatione jure lata, et plures refert Ugolinus, in dicto cap. 10, § 5, et ex Theologis Cajetanum, verb. *Absolutio ab excomm.*, ubi tacite id innuit, et Tabien., verb. *Dispensatio*, num. 16, et verb. *Absolutio,* 2, num. 4, et idem tenuit quidam Viterren., in opere de Excomm. et interd., quem referunt et sequuntur Durand., dist. 18, quæst. 4; Palud., quæst. 5. Quamvis Paludanus hoc limitet ad censuras juris Pontificii, nam a censuris latis per statutum Episcopi concedit parochum posse absolvere, in quo non loquitur consequenter.

25. Citat Covarruvias in favorem hujus sententiæ textum optimum (ut ipse ait) in Clement. 1 de Privilegiis, in principio, et Extravag. 1, § Observent, eodem titulo, in communibus, ubi nulla fit mentio de parochis, sed de religiosis, qui prohibentur absolvere extraneos, ut supra vidimus, ex qua prohibitione non video, quod argumentum sumi possit ad parochos. Præsertim, cum ibi dicatur, *nisi in casibus a jure expressis,* et nos credamus hunc casum satis esse in jure expressum in dicto cap. Nuper, tam de parochis respectu suarum ovium, quam etiam proportionaliter de Prælatis localibus religionum respectu suorum subditorum, quorum ipsi sunt proprii sacerdotes. Quocirca in jure nihil invenio, quo possit hæc sententia probari; ratio tamen videtur urgere, quia absolutio a censura requirit jurisdictionem fori contentiosi; sed parochus non habet hujusmodi jurisdictionem; ergo non potest a censura absolvere. Et confirmatur, nam qui non potest ligare, non potest solvere; sed parochus non potest per censuras ligare; ergo nec a censuris solvere. Item argumentabatur Viterrensis, ut Paludanus refert, quia plus est excommunicatio, quam interdictum; sed nullus inferior Episcopo potest relaxare interdictum juris; ergo nec excommunicationem juris tollere.

26. *Objectio contra posteriorem sententiam.* — *Solutio.* — Dices : his argumentis probaretur, parochum non posse absolvere etiam a minori excommunicatione, quod nullus dicit. Sequela probatur, quia etiam absolutio ab hac censura, quantumvis minima videatur, requirit potestatem jurisdictionis fori contentiosi; sed hanc non habent parochi : ergo. Item ipsi non possunt ligare, etiam hac censura; ergo neque absolvere. Respondent, argumenta concludere, parochos non habere hanc potestatem ex vi sui ordinarii muneris, habere tamen illam veluti ipso jure delegatam per illud cap. Nuper. Cum enim ibi sub disjunctione dicitur, Episcopum, vel proprium sacerdotem posse absolvere, sermo est de minori excommunicatione, quæ contrahitur communicando cum excommunicato. Ex quo corroboratur fundamentum prædictæ sententiæ, nam parochus nihil ex proprio munere in hoc negotio potest, nisi quod jure illi conceditur; sed in dicto textu solum ei conceditur absolutio a minori censura : ergo.

27. *Resolutio.* — *Impugnatur opinio.* — Sed contra hoc objicio primo, quia, si hæc responsio vera esset, sequeretur etiam Episcopum non posse absolvere, nisi ab excommunicatione minori, non vero a majori lata jure Pontificio, vel ab alio Episcopo. Patet sequela, quia Episcopus jure ordinario suæ potestatis non potest mutare Pontificis præceptum; ergo nec solvere quod ipse ligavit; solum ergo id potest quod ei conceditur ipsomet jure; ergo, cum in eo textu quoad hoc æqualiter numerentur, et sub eadem disjunctione Episcopus, et parochus, si uni ex vi illius textus conceditur tantum potestas absolvendi a censura minori, etiam alteri ea sola concedetur. Unde quod Episcopus ex vi sui muneris habeat jurisdictionem in foro contentioso, se habet in proposito quasi materialiter, ideoque nihil refert ad discrimen constituendum, nam Episcopus quoad hoc non utitur sua propria et quasi intrinseca jurisdictione, sed sibi virtualiter concessa per auctorem juris, ut in prædicto c. Nuper, plane significatur; ergo quoad hoc eadem ratio est de parocho. Nam licet ex se non habeat jurisdictionem ordinariam in foro contentioso, habet tamen aptitudinem, ut ei committi possit, et ex vi illius textus æque illi committitur, respective id intelligendo per comparationem ad suos subditos.

28. *Secundo impugnatur.* — Secundo principaliter obstat ratio, quæ in illo capite subditur, scilicet : *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Quæ ratio non limitatur ad excommunicationem minorem, neque inde sumit causam prioris assertionis, sed ex forma ferendi censuram absque reservatione, quæ continet implicitam concessionem facultatis absolvendi; et in hoc solo fundantur omnia, quæ hactenus diximus de potestate Episcopi ad solvendum ab omni censura juris

non reservata; ergo idem dicendum est de proprio sacerdote. Nam, quod multi Canonistæ aiunt, illam particulam *aliis*, referre tantum alios Episcopos, seu alios conditores canonum, hoc (inquam) non habet fundamentum in illo textu, ut Panormitanus etiam notavit; imo repugnat textui; nam supra dixerat, Episcopum et sacerdotem proprium posse absolvere; si ergo particula, *aliis*, non referatur ad utrumque, ratio non erit adæquata assertioni; cur ergo proprius sacerdos poterit absolvere, si conditor canonis ei non concessit facultatem? Igitur necesse est rationem illam etiam ad sacerdotem proprium referre, et consequenter, sicut in Episcopis extenditur ad excommunicationem majorem, ita et in parochis, nam vis contextus et rationis id necessario concludit. Unde, ut supra dicebam, licet casus illius textus fuerit de peculiari censura et minori, tamen regula, quam per illam occasionem Pontifex tradit, generalis est de omni excommunicatione jure lata et non reservata; et proprium sacerdotem simul cum Episcopo sub disjunctione complectitur.

29. *Solvuntur rationes posterioris sententiæ.* — Ex quo facile solvuntur rationes contrariæ sententiæ; fatemur enim parochum ex proprio munere non habere jurisdictionem ad hanc solutionem præstandam, tamen ex concessione juris habere quasi delegatam; hoc enim non repugnat; et quod factum sit, constat ex illo capite; cur autem ita factum sit, statim explicabo. Et propter eamdem causam non repugnat habere potestatem ad absolvendum, et non ad excommunicandum, quia cum potestas delegata sit, potest committi ad unum actum, et non ad alium, et generalius committitur ad eum actum, qui favorabilior est. Quod vero Viterrensis attingebat de potestate relaxandi interdictum, infra tractabitur, nam in aliquibus est ibi specialis ratio propter alia jura specialia, quæ aliter circa illam censuram disponunt.

30. *Num cap. Nuper, abrogatum sit quoad parochos.* — Ultimo vero circa hanc partem advertendum est, quæ hactenus diximus, solum procedere quantum est ex vi dicti cap. Nuper. Quia vero jus in illo contentum humanum est, mutari potest et abrogari. Atque ita Ugolinus supra censet, concessionem illam per contrariam consuetudinem abrogatam esse, eo quod Covarr. dicit contrariam consuetudinem communi praxi esse receptam, et maxime, quia in Extravag. 1 de Privil., § Ut autem, dicitur religiosos in audiendis confessionibus et pœnitentiis injungendis non plus habere debere, *quam parochiales sacerdotes noscuntur habere; sicque* (additur) *de casibus, Episcopis, et superioribus, quos inferius annotamus, ac Sedi Apostolicæ reservatis, se nullatenus intromittant.* Et tamen statim in § sequenti, Observent ergo, etc., incipit Pontifex numerare prædictos casus, et inter alia inquit, *Modo eodem excommunicatos respuant*, id est, eos a peccatis non absolvant. Et rationem infra subdit, quia non possunt eos ab ea excommunicatione absolvere. Et declarat se maxime loqui de excommunicatione juris. Ergo, cum per æquiparationem religiosorum ad parochos, textus ille concludat religiosos non posse absolvere ab excommunicatione, pro comperto supponit parochos id non posse. Et quoad hoc ibi non condit novum jus, sed supponere videtur usum et consuetudinem Ecclesiæ, ut significant illa verba : *Quam parochiales sacerdotes noscuntur habere.*

31. *Resolutio.* — Respondeo tamen in primis ad consuetudinem, de illa mihi non satis constare. Imo video apud religiosos (quibus parochi tam in illa Extravaganti, quam in Clementina *Dudum*, æquiparantur) contrariam consuetudinem observari. Verum est, post illa jura plurimum aucta fuisse religiosorum privilegia, et ideo ex illis et consuetudine, quam nunc habent, non posse argumentum sumi ad parochorum consuetudinem eliciendam. Et ideo ipsi consulant consuetudinem in unoquoque Episcopatu receptam et illam observent; nam consuetudo sicut dare potest jurisdictionem, ita et auferre. Nec possum negare, quin in prædicta Extravaganti talis usus seu consuetudo insinuetur, quæ fortasse potuit esse recepta in Urbe, quamvis non esset in orbe.

32. Præter hæc vero responderi potest dupliciter. Primo textum illum esse accommodate intelligendum de excommunicationibus juris, a quibus parochi non possunt absolvere. Et hoc insinuavit Glossa ibi, solum afferens exemplum de excommunicatione reservata. Secundo responderi potest, licet Pontifex dicat se non intendere ut religiosi plus habeant in audiendis confessionis, quam parochi, non tamen dicere se velle, ut habeant omnia, quæ habent parochi. Et ita, licet religiosis potestatem illam non concesserit, non satis infertur parochos eam non habere. Est autem Extravagans illa revocata per Cle-

mentinam "*Dudum*, de Privilegiis. Itaque ubi de contraria consuetudine non constiterit, prædicto communi jure standum censeo.

SECTIO IV.

Cur censura juris non reservata possit ab inferioribus tolli.

1. *Ratio dubitandi.* — Ut prædictam doctrinam, ejusque rationem, et illud cap. Nuper, magis explicemus, libet expendere efficaciam illius rationis, quæ in illo textu redditur, scilicet, quia auctor canonis non reservans videtur facultatem concedere. Unde enim sequitur hæc consequentia? Neque enim est formalis, cum ex negatione prohibitionis non sequatur positiva concessio, maxime in materia jurisdictionis. Et ideo nec ratione materiæ tenere videtur; nam quando judex condemnat reum ad aliquam pœnam, licet possit ipse eam relaxare et sibi expresse non reservet, non propterea censetur committere alteri judici inferiori, ut eam possit relaxare; ergo idem erit, licet jus pœnam imponat. Præterea ex illa ratione sequitur, quoties lex fertur a Summo Pontifice absque expressa prohibitione, ne inferior Prælatus in ea dispenset, posse omnes Episcopos in ea dispensare, quod consequens admittit Glossa, ibi, in verb. *Non retinuit,* et citat textum in cap. Cum apud, de Sponsalibus, propter illa verba : *Ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur.* Quæ non sunt ad rem, quia ibi non est sermo de materia jurisdictionis, sed de libertate, quam unusquisque jure naturæ habet ad contrahendum matrimonium, si aliunde non prohibeatur. Sicut etiam in cap. Sunt nonnulli, 16, quæst. 1, quod citat, sermo est de religiosis sacerdotibus, qui ex se apti sunt ad sacerdotalia munera obeunda, nisi aliunde prohibeantur. Nihil ergo illa jura ad rem præsentem faciunt; nam aliud est posse uti potestate propria et quasi innata ex vi naturæ, vel consecrationis aut muneris; aliud vero novam potestatem recipere; nam de priori usu verum est, quod dum non prohibetur, conceditur vel potius permittitur; de posteriori autem potestate, vel usu illius non videtur posse universaliter concedi.

2. Quod specialiter probatur in exemplo adducto de potestate dispensandi; alias sequitur posse Episcopum dispensare in omnibus gradibus prohibitis, v. gr., hoc ipso quod non est eis expresse prohibita dispensatio. Item posset dispensare in temporibus ordinationum, *extra tempora,* quæ vocant, conferendo, aut extra præscripta tempora ordinando, quod est contra usum Ecclesiæ et contra plura capita tituli de Temporibus ordin., cap. Cum quidam, cap. Litteras, cap. Vel non est; et in cap. Dilectus, expresse dicitur, Archiepiscopum non potuisse cum Episcopo dispensare, ut eodem die tres sacros Ordines conferret. Et redditur ratio, quia *illi hujusmodi dispensatio a canone minime est permissa,* ubi Gloss. advertit, ex eo textu colligi, Episcopos non posse dispensare in communi jure nisi in casibus sibi permissis. Neque enim potest commode exponi, *minime permissa,* id est prohibita, quia sæpe nulla est positiva prohibitio; ut in casu illiusmet textus, ante illud Pontificis responsum non erat talis expressa prohibitio, et nihilominus respondet Pontifex, Archiepiscopum illum non potuisse dispensare; ergo non loquitur de prohibitione positiva, sed de non concessione; ergo, sicut ad concedendam potestatem dispensandi non satis est non prohiberi, nisi per positivum actum concedatur potestas, ita etiam neque ad potestatem absolvendi.

3. *In sola dispensatione a censura locum habere prædictam illationem.* — De hac difficultate multa disputant Doctores juris Pontificii in citatis locis, et in cap. At si clerici, de Judiciis, ubi Abbas, § De adulteriis, num. 4, varias refert opiniones, quas nunc examinare prolixum esset, et alienum a nostro instituto. Aliis ergo omissis, quoad propositam difficultatem et intelligentiam dicti cap. Nuper, concedendum est, quod ratio facta convincit, per se ac formaliter loquendo, in actibus ad jurisdictionem pertinentibus non recte inferri : *Talis actus non prohibetur specialiter; ergo facultas ad illum conceditur;* nam hæc duo sunt valde diversa, et posterius non continetur in priori, sed est aliquid majus. Quo fit, ut ratio illa cap. Nuper, non sit extendenda ad omnem actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut sunt dispensationes legum, irregularitatum, etc., quia tota illa ratio fundatur in illa consecutione. Si ergo illa non tenet ex proprietate ac formalitate verborum, non potest ex illa sumi argumentum ad omnes materias. Unde abutuntur plane illo textu Doctores, qui ex illo colligunt Episcopum cum suis subditis posse dispensare in toto jure Pontificio, nisi dispensatio expresse sit reservata Pontifici, tum propter rationem dictam, tum etiam quia est longe diversa ratio de absolutione censuræ et de dispensatione, ut

statim dicetur; tum denique, quia alias posset similiter inferri, parochum posse dispensare in jure Pontificio, quia textus ille et ratio ejus, quoad facultatem absolvendi, æque procedit de parocho; ergo si ex illa licet colligere facultatem dispensandi, tribuenda erit parocho.

4. *Etiam respectu Episcoporum.* — Addo, sententiam illam etiam quoad Episcopos non solum non colligi ex illo textu, sed etiam falsam esse, ut probant jura adducta, et quæ supra tetigimus disputatione præcedente, tractando de dispensatione in censuris, et præterea, quia ex natura rei inferior non potest dispensare in legibus superioris. Propterea enim Papa non potest, per se loquendo, dispensare in jure divino, neque parochus in lege Episcopi; ergo neque Episcopus in lege Papæ; neque enim minor est subordinatio inter eos, nec pejoris conditionis est Papa comparatione Episcopi, quam Episcopus comparatione parochi sibi subditi. Si ergo ex natura rei non est hæc potestas in inferiori, ut illam habeat, non satis est, ut non prohibeatur, sed necesse est, ut concedatur. Ut, si Papa potest dispensare in aliquo particulari jure divino positivo, necesse est, ut aliqua speciali ratione vel traditione constet, Christum specialiter dedisse talem potestatem. Et idem manifestum est in exemplo parochi respectu legis Episcopalis; ergo idem erit de Episcopo respectu juris Pontificii. Quod maxime procedit, si verum est, ut fortasse est, Episcopos habere totam suam jurisdictionem a Summo Pontifice; nam tunc clarum est non habere jurisdictionem ad dispensandum in ejus legibus, nisi ab ipso concedatur. Sed tamen idem dicendum censerem, etiamsi jure divino haberent suam potestatem; nam quæ a Deo sunt, ordinata sunt; cum ergo potestas Pontificis ipso jure divino superior sit, et suprema, etiamsi eodem jure sub illo instituti essent alii Pastores, haberent ex eo proportionatam potestatem, quæ talis non esset, si facultatem ex se haberent ad dispensandum in legibus sui superioris; hoc enim monstrosum esset.

5. *Axioma exponitur.* — Quapropter axioma illud, quod a multis Doctoribus admittitur : *Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi prohibeatur*, absolute loquendo, verum non est, quia nec ratione fundari potest, nec inductione probari. Quin potius exemplis adductis de dispensationibus falsum ostenditur. Addique possunt alia exempla de legibus irritantibus. Potuit enim Papa irritare clandestina matrimonia, quod sine dubio non potuisset Episcopus in suo Episcopatu. Potuit item Pontifex personas reddere inhabiles ad matrimonium, vel ratione talis voti, vel talis delicti, quod nullus concedet Episcopis in suis diœcesibus. Addi posset exemplum de institutione censurarum, quam supra diximus esse ita propriam Pontificis, ut ab Episcopis in suis diœcesibus propria auctoritate fieri non possit, non quia sit illis prohibitum (nullibi enim talis prohibitio invenitur), sed quia non est concessum. Ergo axioma illud vel admittendum non est, vel limitandum est, ut intelligatur de his solum, quæ ad ordinariam et communem animarum gubernationem pertinent, ac moraliter necessaria sunt; ad quem ordinem per se non spectant mutationes aut dispensationes legum, quæ a superioribus latæ sunt.

6. Necesse est igitur, ut omnis potestas dispensandi vel mutandi legem superioris ab ipso superiori manet; et quantum ad hoc idem credimus de potestate absolvendi a censura ob easdem rationes. Addimus vero necessarium non esse, ut hæc concessio specialiter fiat in unaquaque lege vel præcepto; potest enim generali concessione dari, ut per se constat, de qua concessione constare potest, aut per decretum aliquod universale, aut per receptam consuetudinem, seu traditionem explicantem aliquod munus, vel officium cum tali potestate esse institutum. Atque ita credimus contingere in potestate absolvendi a censuris, quod de potestate dispensandi ita ampla dici non potest, neque aliquo jure vel ratione ostendi; sed de hoc alias; illud vero nobis constat ex dicto cap. Nuper. Existimo autem hoc jus seu hanc facultatem non incepisse ab illo decreto, sed antea fuisse, et in illo fundatam esse illam rationem Pontificis : *Quia auctor canonis sibi absolutionem non retinuit, aliis concessit.* Nam sive jus illud antiquius scriptum esset, sive consuetudine et traditione receptum, semper tamen credimus pertinuisse ad munus Pastorum animarum, sive sint principales, ut Episcopi, sive proximi, ut parochi, posse ligatos solvere, præsertim a censura excommunicationis. Ex hacque suppositione recte colligitur, quoties absolutio eis specialiter non prohibetur, eorum potestati committi.

7. *Quare muneri Episcopi et parochi conjuncta sit potestas absolvendi a censura.* — Ratio autem, ob quam non solum munus

Episcopi, sed etiam parochi, cum hac potestate dari creditur, colligi potest primo ex natura ipsius censuræ, præsertim excommunicationis, quia talis est pœna, ut ex intentione Ecclesiæ auferenda sit, quoties reus fuerit dispositus et satisfactionem obtulerit, cap. Qua fronte, de Appellat., et sæpe alias. Et ideo facilius ac generalius conceditur potestas absolvendi, quam dispensandi, ut sumi etiam potest ex cap. Cum illorum, de Sent. excomm., ubi major censetur esse potestas dispensandi, quam absolvendi. Et præsertim, quia hæc potestas absolvendi præcipue respicit bonum eorum, qui absolvendi sunt, non auctoritatem vel dignitatem eorum, qui absolvere debent. Et quia bonum illud est internum et proxime pertinens ad bonum animæ, ideo potestas hæc fuit multo magis necessaria, quam generalis potestas dispensandi. Unde potest altera ratio sumi ex illis verbis Benedicti XI, in Extravag. de Priv., § Observent : *Inconveniens existimamus, ut a peccato absolvat, qui excommunicationem, quæ infligitur maxime a jure, removere non potest.* Quia ergo non solum Episcopus, sed etiam parochus ordinariam habet facultatem absolvendi a peccatis, ideo Ecclesia conveniens judicavit, ut is etiam haberet potestatem ad tollendas censuras jure latas, quoties reservatæ non sunt. Et hoc sensu accipienda est similis ratio, qua nonnulli Theologi utuntur, ex potestate parochorum absolvendi a peccatis colligendo potestatem absolvendi ab hac excommunicatione juris; non est enim ratio per se efficax, sed est congruentia declarans, cur Ecclesia talem potestatem parochis concesserit.

An omnes, qui a mortalibus possunt absolvere, possint etiam a censuris canonis.

8. Hinc vero statim emergit dubium, an hæc potestas extendenda sit ad omnes sacerdotes, qui ex privilegio vel peculiari delegatione nunc possunt subire vicem proprii sacerdotis in sacramento pœnitentiæ ministrando. Et est ratio dubii, quia in illis procedit ratio facta, et quia illi comprehenduntur nomine proprii sacerdotis in cap. Omnis utriusque sexus, ut supra visum est; ergo etiam in præsenti.

9. *Resolutio.* — Ad hoc dubium dicendum est, omnem sacerdotem, qui potestatem jurisdictionis habet, posse absolvere ab hujusmodi excommunicatione non reservata. Ita docent Soto et Navarrus supra; et hæc est mens antiquorum Theologorum. Et hoc probat etiam sufficienter ratio dubitandi proposita, quia appellatio proprii sacerdotis extenditur ad omnem illum, qui jurisdictionem habet absolvendi a peccatis mortalibus, quia quatenus illud munus exercet, subit vicem et modum sacerdotis proprii; ergo cum absolutio hæc ipso jure committatur sacerdoti proprio, recte intelligitur committi non solum illi sacerdoti, qui est proprius ordinarius ratione beneficii; sed etiam illi, qui per delegationem efficitur quasi proprius, quoad hoc munus absolvendi a peccatis, cum etiam absolutio sit actus delegabilis, et moraliter necessarius ad actum absolutionis sacramentalis.

10. *Prima objectio contra resolutionem. — Secunda. — Tertia.* — Dices primo : ergo quoties alicui committitur potestas absolvendi a peccatis mortalibus, conceditur facultas absolvendi ab omni excommunicatione juris; ergo eadem proportione, si alicui conceditur facultas absolvendi a peccatis reservatis, eadem ratione intelligitur concessa facultas absolvendi a censuris reservatis. Consequens autem est falsum; ergo et illud prius. Secundo, quia licet is, qui habet jurisdictionem ordinariam, possit illam delegare, tamen qui habet delegatam, regulariter loquendo, non potest subdelegare; sed proprius parochus solum habet hanc potestatem absolvendi a censuris ut delegatam; ergo quando committit alteri sacerdoti simplici, ut subditorum confessiones audiat, non potest illi hanc jurisdictionem subdelegare. Tertio, quia cum proportione argumentando, sequitur, quemlibet simplicem sacerdotem posse absolvere a censura seu excommunicatione minori, quia potest absolvere a peccatis venialibus, et servatur eadem proportio.

Satisfit objectionibus supra factis.

11. *Non omnis qui dat facultatem ad absolvendum a peccatis, dat etiam ad censuras sibi reservatas.* — Respondetur ad primum, negando in rigore primam sequelam; tamen quia consequens multa includit, ideo dicendum est, in casibus reservatis Pontifici verum esse illud consequens, non ex vi illius illationis, sed ex eo quod nullus casus est de facto reservatus Pontifici, nisi qui habet censuram reservatam annexam, ut supra dictum est tractando de sacramento pœnitentiæ; cum ergo a peccatis nemo absolvi possit, nisi prius

absolvatur a censura illis annexa, qui concedit potestatem absolvendi a peccatis reservatis, necesse est, ut potestatem concedat absolvendi a censuris illis annexis. Tum quia principali concesso, conceditur id, quod accessorium est ac necessario consequitur. Tum etiam quia alias inutilis esset talis concessio. Tum denique, quia cum Pontifex non reservet peccata, nisi reservando censuras, non aliter tollit reservationem peccatorum, quam tollendo reservationem censurarum; et ita in hac parte nulla est difficultas, nec controversia inter auctores.

12. At vero de censuris reservatis ab Episcopo non videtur eadem ratio, quia Episcopi habent casus reservatos absque censura annexa; et ideo, quamvis Episcopus concedat omnes casus reservatos, non ideo censetur potestatem absolvendi a censuris sic reservatis concedere, quia hæc duo distincta sunt apud ipsum. Atque ita tradidit Navarr., in Summ., cap. 27, n. 261, qui addit, etiamsi Episcopus concedat omnem suam facultatem et auctoritatem ad audiendam confessionem alicujus et absolvendum illum in confessione, non censeri dare facultatem ad absolvendum a censuris reservatis sibi. Qua supposita sententia, neganda est prior illatio; et ratio differentiæ est, quia potestas absolvendi a censuris non reservatis jure communi, ex vi ejusdem communis juris, comitatur potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, et non ex peculiari concessione aut voluntate illius, qui jurisdictionem absolvendi a peccatis concedit. Potestas autem absolvendi a censuris reservatis alicui manare debet ex propria concessione et voluntate ejus. Et quia hæc concessio et voluntas non satis exprimitur, concedendo casus reservatos, nisi exprimantur censuræ, cum hæc sint diversa et condistincta, ideo quoad hoc non est similis ratio.

13. Quæ responsio satisfacit (ut opinor) quantum ad vim illationis; nihilominus tamen de ipsa assertione plurimum dubito; nam si Episcopus absolute, et sine distinctione concedit omnes casus sibi reservatos, etiamsi inter illos quidam habeant censuram annexam, alii non habeant, non video cur non omnes sub illa generali clausula comprehendendi sint, cum concessio generaliter, et indistincte fiat, et favores ampliandi sint. Maxime cum recepto et usitato more loquendi, nomine casuum reservatorum etiam illi veniant intelligendi, qui censuram habent annexam. Quod si sub illa generalitate utrique casus comprehenduntur, etiam censuras illis annexas comprehendi necesse est, propter rationes prius factas, quod alias inutilis esset concessio, et quod principali concesso, censetur concedi accessorium, sine quo illud exerceri non potest. Et eadem ratione idem censeo, quando superior concedit totam suam auctoritatem et potestatem ad audiendum et absolvendum aliquos in confessione, quia nisi illa facultas se extendat ad omnes casus reservatos, absolute non est verum, quod concedat totam suam facultatem necessariam ad absolvendum. Item quia juxta communem usum illa concessio sub illis verbis non fit nisi propter casus reservatos. Vide Ugolinum, dict. cap. 10, § 4, num. 12.

14. Atque hæc quidem vera mihi videntur, quando omnes ipsi casus sunt reservati; si vero contingeret censuram esse reservatam Episcopo, et non peccatum propter quod imponitur, ut Navarrus supponit, tunc concessis casibus reservatis, non concederetur censura; procedit enim tunc ratio contrariæ sententiæ, scilicet, illa duo esse diversa, et tunc non esse inter se connexa. Non adducit autem Navarrus casum, in quo censura sit reservata et non peccatum; quanquam enim sæpe peccatum non reservetur, nisi prout substat censuræ reservatæ, ita ut ablata censura vel reservatione ejus, statim censeatur ablata reservatio culpæ, tamen moraliter nunquam fit, ut censura reservetur, et non culpa propter quam imponitur, præsertim loquendo de censura excommunicationis, de qua nunc maxime agimus. Nam suspensio interdum reservatur, non reservata culpa; tunc autem potius habet rationem puræ pœnæ, quam censuræ, ut infra suo loco dicemus.

15. *An, quando parochus jurisdictionem ad absolvendum a peccatis delegat, etiam facultatem absolvendi a censuris concedat.* — Ad secundam objectionem sumenda est responsio ex dictis in præcedenti; nam hæc jurisdictio ad absolvendum ab excommunicatione juris non delegatur a parocho, vel ab Episcopo, sed ab jure, seu ejus auctore. Et ideo quando parochus committit alicui jurisdictionem absolvendi a peccatis, ipso jure illam alius recipit facultatem absolvendi a censuris juris et non reservatis. In quo eadem est ratio de Episcopo; nam etiam ipse habet hanc potestatem, non ut propriam, sed ut delegatam, et commissam a Summo Pontifice, ut ostensum est; et ideo si ratio facta in pa-

rocho esset efficax, etiam probaret, Episcopum non posse committere hanc jurisdictionem, quod tamen est plane falsum et contra Ecclesiæ usum. Dicendum ergo est, connexionem illam, ut sic loquar, potestatis absolvendi a peccatis mortalibus, et a censuris juris communis, factam esse jure communi; et ideo delegata priori potestate a quolibet ordinario, ex vi ipsius juris statim delegari alteram facultatem. Dici etiam posset, licet potestas hæc sit in parocho, et etiam in Episcopo, ex commissione Pontificis, tamen quia jam communi jure illis commissa est, tanquam ordinariam reputari, ideoque ab eis delegari posse, et communi usu, et consuetudine ita receptam esse. Quam responsionem existimo etiam esse veram, et applicandam ad plures casus, qui cum ex se Pontificii sint, in jure vel antiquo, vel novo Concilii Tridentini Episcopis committuntur, quos tamen ipsi possunt, et solent, non tantum per se, sed etiam per alios expedire, quando in ipsa commissione non fit expressa restrictio, ut supra dictum est, et sumitur ex cap. ultim. de Officio ordinarii, ubi id notat Glossa, et Navarrus, in Summ., cap. 27, num. 45, et Joannes de Lignano, tract. de Censur. Eccles., § 26, num. 3. Reputatur enim illa jurisdictio ut ordinaria, quia ratione dignitatis, aut officii competit, seu (quod idem est) quia stabili lege jam est perpetuo conjuncta cum ordinaria jurisdictione.

16. *Num simplex sacerdos possit a minori excommunicatione absolvere.* — Ad tertiam objectionem Navarrus, in Summ., cap. 27, num. 25, et in cap. Placuit, de Pœnitentia, dist. 6, admittit illud consequens, docens contra Cajetanum, omnem sacerdotem simplicem posse absolvere ab excommunicatione minori, sicut potest absolvere a peccatis venialibus, quia etiam ad absolvendum a venialibus requiritur jurisdictio; ergo si omnes sacerdotes possunt a venialibus absolvere, omnes habent aliquam jurisdictionem; ergo pari ratione omnes poterunt absolvere ab excommunicatione minori. Favet huic sententiæ D. Thomas in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 5, quæstiunc. 1, dum ait : *A minori excommunicatione quilibet potest absolvere, qui potest absolvere a peccato participationis.* Nihilominus hæc sententia mihi non probatur; nam fundamentum ejus in æquivoco laborat; vel si loquamur dialectice, procedit ex puris particularibus. Concedimus ad absolvendum sacramentaliter a culpis venialibus necessariam esse jurisdictionem illius fori, in quo merito reprehenditur vel Cajetanus vel quicumque alius hoc negaverit, ut supra suo loco visum est. Hinc vero quomodo infertur, eosdem sacerdotes habere jurisdictionem ad absolvendum a censura minori? Nam hæ jurisdictiones sunt diversarum rationum : illa est fori sacramentalis, hæc fori contentiosi; illaque fortasse datur ex divino jure simul cum charactere sacerdotali, quantum ad venialia peccata; vel si non divino jure, perpetuo concessu Pastorum Ecclesiæ, immemoriali consuetudine, et traditione, explicato, concessa est; hæc vero neque divino jure datur, cum tota ipsa originem habeat ab institutione humana, neque etiam de concessione illius per Ecclesiam habemus jus aliquod, nec consuetudinem, nec traditionem, de qua constet.

17. *Vera resolutio.* — Quapropter probabilius censeo, solum Episcopum et sacerdotem proprium vel qui ejus vicem gerit, posse absolvere etiam ab excommunicatione minori, quod tenuit Cajetanus, tom. 1, Opusc. 7, ad 2, et in Summ., verbo *Absolutio ab excommunicatione.* Et in hanc sententiam magis inclinat Covarruvias, c. Alma, 1 part., § 12, num. 6. Et eam tenet Ugolinus referens alios, tab. 3, cap. 4, § 5, num. 2. Et præter rationem factam videtur aperte hæc sententia colligi ex dicto cap. Nuper, ubi particularis ille casus, de quo Pontifex fuerat interrogatus, erat de minori quadam excommunicatione, et tamen ipse respondet : *In secundo vero casu a suo Episcopo vel proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere;* ergo non indicavit Pontifex quemlibet sacerdotem idoneum ad absolvendum ab illa censura. Adde, quod licet excommunicatio minor possit propter solum veniale peccatum aliquando incurri, tamen aliquando etiam incurritur propter mortale, ut colligitur ex cap. Sacris, de Iis quæ vi, etc.; ergo concessa absolutione ad absolvendum a culpa veniali, non est consequens, ut concedatur facultas absolvendi ab hac minori censura.

18. *Satisfit tertiæ objectioni.* — Ad objectionem ergo negatur sequela, tum quia non est in omnibus similis proportio, tum maxime quia nullum est jus, ratione cujus hæc jurisdictio absolvendi a minori excommunicatione sit conjuncta et annexa jurisdictioni absolvendi a venialibus; est autem jus concedens aliam jurisdictionem, ut declaratum est. Et hujus etiam diversitatis potest congrua

ratio reddi, quia confessio venialium non est per se necessaria; possunt enim aliis modis remitti; confessio autem mortalium est per se necessaria ad eorum remissionem; quia ergo ad hanc absolutionem necessario præmitti debet absolutio a censura, ideo conveniens fuit, ut cui prior absolutio committitur, committatur etiam hæc posterior; respectu autem venialium id necessarium non fuit.

19. *An hæc facultas absolvendi a censuris juris detur in foro interno, an etiam in externo.* — Aliud dubium est, an absolutio data ex vi hujus decreti et potestatis intelligatur tantum in foro interiori vel etiam in exteriori. Et ratio dubitandi est, quia hæc potestas solum videtur concessa in ordine ad absolutionem a peccatis; sed hoc tantum pertinet ad forum internum; ergo tantum in illo valebit hujusmodi absolutio. Ad hanc dubitationem Navarrus sentit, hanc potestatem proprii sacerdotis ad absolvendum a censura communis juris solum esse concessam pro foro interiori, non tamen pro exteriori. Quod nulla ratione probat, sed solum ad conciliandas opiniones supra positas id dixisse videtur. Verumtamen cum Pontifex absolute loquatur, et favores sint potius ampliandi, quam restringendi, non est, cur hunc ita restringamus. Præsertim quia decreta juris Canonici præcipue respondere solent, quoad hujusmodi casus, in ordine ad forum judiciale. Adde, quod non est major ratio admittendi illam distinctionem in sacerdote proprio, quam in Episcopo, cum textus ille æque, et indistincte de utroque loquatur. Non est ergo necessaria illa distinctio; nam licet potestas hæc concessa sit præcipue propter forum internum, cum tamen non limitetur, ad utrumque extenditur quantum est ex vi illius juris. Quod bene notavit Ugolinus, dicto cap. 10, § 5.

SECTIO V.

Quis possit absolvere a censura per canonem reservata.

1. *Regula generalis.* — Ultima regula in hac materia sit : a censuris per canonem reservatis solus auctor canonis, vel ejus superior, vel qui ab eis potestatem habuerit delegatam, potest absolvere. Hæc est manifesta. Sumiturque ex dicto cap. Nuper, fere quoad omnes partes, quas includit. Una est negativa , scilicet, quod alii non possint. Et hæc patet, nam ut ibi dicitur, tunc concedere censetur auctor canonis facultatem, quando non reservat; ergo per reservationem tollit facultatem absolvendi. Quod etiam facile ostendi potest ex dictis supra de reservatione casuum in foro pœnitentiæ; est enim eadem proportionalis ratio; nam utraque absolutio est actus jurisdictionis, quam ordinarius judex seu pastor potest sibi reservare. Pars autem affirmativa quoad ipsum auctorem canonis, per se nota est, quia ejus est solvere, cujus fuit ligare. Atque eadem ratione manifestum idem est, quoad superiorem; debetque hæc particula eodem modo intelligi, quo eadem declaravimus in censuris ab homine latis; est enim in hujusmodi censuris a jure eadem ratio et proportio. Atque idem fere est de eadem parte, quoad potestatem delegatam; nam sicut in aliis casibus, ita et in his potestas hæc delegari potest, ut constat etiam ex usu Ecclesiæ, et ex communi ratione jurisdictionis, quæ delegabilis est. Nihil est autem in his casibus peculiare, quod hanc delegationem impediat. Item ex dicto cap. Nuper, in quo auctor canonis non reservans censuram, facultatem absolvendi aliis concedere censetur; ergo supponitur in ejus potestate et arbitrio esse dare hujusmodi facultatem, etiam in eis casibus, quos sibi reservat. Adde etiam ex superius dictis, potestatem delegandi hanc jurisdictionem esse in omnibus illis, qui ordinario jure, seu ex officio possunt ab aliis censuris absolvere, nam quoad hoc etiam eadem est ratio de iis casibus, et de aliis omnibus, proportione servata.

Quædam pro delegatione censuræ reservatæ notantur.

2. *Pro articulo mortis omnibus sacerdotibus delegatur potestas hæc communi jure.* — In hac ergo assertione, et in omnibus partibus ejus, quantum ad rem spectat, nulla nova difficultas occurrit. Solum circa modum, et verba, quibus hæc delegatio fieri solet, oportet nonnulla advertere, quæ ad practica dubia expedienda conferre poterunt. Potest ergo hæc delegatio fieri solum pro casu extremæ necessitatis seu articuli mortis; et hoc modo facta est, communi jure et perpetua consuetudine, omnibus sacerdotibus, et pro omnibus censuris reservatis, ratione cujuscumque culpæ, sine exceptione, neque ex parte sacerdotum, neque ex parte culparum, juxta doctrinam Concilii Tridentini, sess. 14, c. 7. De qua re multa possent dici, et dubi-

tari; tamen coincidunt cum illis, quæ in simili puncto diximus circa absolutionem peccatorum in foro sacramentali; et eamdem resolutionem hic habent; ibi ergo videri possunt. An vero hæc potestas, quoad absolutionem a censuris, extendatur ad non sacerdotes, pro illo articulo mortis, dicemus inferius.

3. Secundo delegatur hæc potestas communi jure in aliquibus casibus; ut in cap. Mulieres, de Sentent. excomm., committitur Episcopis, ut absolvant certas personas a sententia canonis *Si quis suadente*. Et similis concessio habetur in cap. De monialibus, et cap. ult., eodem titulo, et de Legatis Papæ, in in cap. Quod translationem, et cap. Excommunicatis, de Offic. Legati. Sic enim in Concilio Tridentino, sess. 24, c. 6, committitur Episcopo potestas absolvendi subditos ab omnibus casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis; de quo decreto multa dicta sunt loco supra citato de sacramento pœnitentiæ, quæ in absolutione a censuris eodem modo procedunt. De hac ergo concessione juris nihil dicendum occurrit; sed solum consideranda esse verba canonis, et juxta illa de hujusmodi facultate judicandum esse. Et quidem, si concessio sit particularis ad determinatam censuram, res erit facilior, quia verba etiam erunt determinata et particuliaria. Quando vero concessio est generalis, et per universalia verba, poterit esse in ejus interpretatione nonnulla major difficultas; ad ejus tamen intelligentiam conferre poterunt, quæ statim de aliis concessionibus annotabimus; nam quoad hoc est in omnibus eadem ratio.

4. *Variis modis delegatur hæc potestas.* — Alio ergo modo potest hæc delegatio, seu concessio fieri ab homine, ut ita dicam, et interdum fit solo verbo determinatæ personæ, vel in particulari casu, vel in generali. Aliquando vero fit per privilegia perpetua, ut sunt illa, quæ conceduntur religionibus; quomodo nostris confessoribus concessa est a Pontificibus facultas absolvendi ab omnibus censuris reservatis etiam Summo Pontifici, exceptis illis, quæ continentur in bulla Cœnæ Domini. Et aliæ religiones, præsertim Mendicantes, alia privilegia hujusmodi habent, ut videre licet in compendio privilegiorum, titulo, *Absolutio quoad seculares*. De quorum interpretatione non est nunc dicendum a nobis, nam sufficiunt supra dicta de casibus reservatis, præter alia communia, quæ statim addemus; cætera enim, consulendo et attente considerando ipsa privilegia, facile intelligentur.

5. *Variis modis indulgentia plenaria conceditur.* — Denique aliquando fit hæc concessio generalis, per jubilæum in ordine ad indulgentiam aliquam lucrandam, vel per alia diplomata Pontificia, quæ ad certum tempus conceduntur, ob aliquam publicam causam; qualis est concessio, quæ fit per bullam Cruciatæ, de cujus expositione multa in Hispania scripta sunt; et de jubilæo scripsit Navarr.; et quoties tales concessiones fiunt per bullas seu jubilæum, novæ oriuntur dubitationes practicæ, quæ vix possunt sub scientiam cadere; et ideo fere non est necesse aliam regulam hic constituere, nisi ut ab hominibus doctis proprietas verborum consideretur, et juxta principia juris, vel alia a Theologis recepta, verba explicentur.

6. Illud vero prætermitti hoc loco non potest, quod ad explicandas universales clausulas necessarium est. Interdum enim conceditur indulgentia plenaria per bullam, et nihil aliud additur, quod ad absolutionem censurarum pertineat; aliquando vero conceditur illa indulgentia sub hac forma, *per modum jubilæi*, et nihil aliud explicatur; nonnunquam additur clausula generalis, ut possit quis absolvi ab omnibus censuris vel ab omnibus censuris reservatis etiam Summo Pontifici; et nulla fit in particulari specificatio, neque etiam fit ulla exceptio. Sæpius vero additur exceptio censurarum bullæ Cœnæ, vel e contrario aliquando horum etiam fit specifica concessio, quæ interdum est absoluta sine declaratione, aliquando cum aliqua expressa additione vel exceptione. Denique interdum datur absoluta facultas absolvendi, interdum sub aliqua conditione, ut, v. gr., *satisfacta parte*, vel alia simili. De quibus formulis nonnulla notanda sunt, ex quibus poterunt facile alia intelligi; nam licet possint aliis modis variari, erunt potius materialiter, quam formaliter diversæ.

7. *Per solam concessionem indulgentiæ plenariæ non datur facultas, ut quis a censuris absolvatur.* — Prima igitur concessio solius indulgentiæ plenariæ ad rem præsentem est impertinens, quia certum est ex vi illius non concedi facultatem obtinendi absolutionem a censuris; nam hæc duo beneficia ac privilegia sunt valde diversa; et licet unum interdum concedi soleat in ordine ad aliud, tamen absolute, et secundum se considerata, unum in alio non continetur; sicut e contrario concessa facultate absolvendi a quibuscumque censuris vel peccatis, non propterea conceditur

indulgentia plenaria, ut per se notum est. Unde in bullis datis in favorem religionum sæpe conceditur, vel active facultas absolvendi a censuris reservatis, vel passive, ut ex eis absolvi possint, et nulla conceditur indulgentia. E contrario vero per grana benedicta sæpe conceditur indulgentia, et non facultas dandi vel obtinendi absolutionem a censura.

8. *Objectioni occurritur.—Vide Navarrum, de Jubilæo, notab.* 19.—Dices : per indulgentiam plenariam tollitur omnis pœna pro peccato debita; sed censura est quædam pœna peccati : ergo. Respondetur : si argumentum quidquam valeret, probaret, post concessam indulgentiam non esse necessariam absolutionem a censura, sed solum lucrari indulgentiam, ut per ipsam tollatur, quod est evidenter falsum, tum quia ad lucrandum indulgentiam necesse est, ut præcedat absolutio a censura, per se loquendo; et ideo sæpe conceditur hæc facultas propter fructum indulgentiæ; tum etiam quia per indulgentiam non tollitur omnis Ecclesiastica pœna; sed illa, quæ apud Deum manet propter peccata commissa, post remissionem eorum, quæ vel in alia vita luenda est, vel in hac per satisfactionem propriam expianda; et ideo ad summum tollitur per indulgentiam necessitas hujus satisfactionis, non vero absolutionis, vel dispensationis censurarum, vel irregularitatum, aut similium pœnarum.

9. *Num quando datur indulgentia per modum jubilæi, detur facultas absolvendi a censuris. — Graffis opinio. — Resolutio.* — At vero quando in concessione indulgentiæ additur, *per modum jubilæi,* quidam putant per illam particulam concedi facultatem absolvendi ab omnibus censuris. Quod indicat Jacobus de Graffis, in lib. 4 Casuum conscient., cap. 15, num. 29; nam illa particula, *per modum jubilæi,* aliquid addit supra indulgentiam; ipse autem putat jubilæum præter indulgentiam continere potestatem commutandi vota, et absolvendi a censuris, et casibus reservatis; et ideo cum indulgentia per modum jubilæi conceditur, facultatem etiam absolvendi a censuris concedi sentire videtur. Verumtamen id non est verisimile, quia explicatio illius vocis, *jubilæi,* et quod totam illam potestatem includat, nullo jure aut auctoritate ostenditur. Unde licet cum jubilæo sæpe soleat illa potestas vel facultas concedi, tamen jubilæus proprie eam non significat; sumpta est enim illa vox ex Scriptura, in qua *jubilæus* annum remissionis significabat; et inde translata est ad significandam plenam remissionem, quæ per indulgentiam conceditur. Deinde illa potestas commutandi vota vel absolvendi a censuris, non est definita et certa, sed interdum ampla est et interdum magis restricta; ergo in absoluta voce jubilæi non potest intelligi concessa aliqua potestas hujusmodi. Quanta enim illa erit? non amplissima, quia hæc non semper, sed raro conceditur; neque cum certa aliqua restrictione, quia hæc nulla est definita, sed arbitraria, ad voluntatem concedentis; non est ergo verisimile, tam gravem potestatem tam confuse concedi; et ideo quoties conceditur, speciatim exprimitur, etiamsi jubilæus concedatur, ut ex usu constat. Quando ergo indulgentia conceditur per modum jubilæi, nihil aliud significatur, nisi concedi indulgentiam plenariam, qualis concedi solet in jubilæis. Quod si simul dicatur concedi indulgentia plenaria ad instar jubilæi, est repetitio quædam ad majorem explicationem et commendationem indulgentiæ, non vero est nova concessio.

10. *An concessa facultate ad absolvendum ab omnibus censuris comprehendantur etiam reservatæ.* — Ut ergo potestas absolvendi a censuris concessa intelligatur, necesse est, ut apertis verbis exprimatur; tunc vero si verba sint universalia, *ab omnibus censuris*, dubitari potest, an in ea concessione comprehendantur censuræ reservatæ. Videntur enim comprehendi, tum quia verba universalia sunt; tum etiam quia alias nulla fieret specialis concessio, quoniam ad absolvendum a censuris non reservatis necessaria non est, cum ex jure communi conjuncta sit cum potestate absolvendi a mortalibus peccatis. Ego vero existimo in primis, vel nunquam, vel rarissime fieri concessionem sub illa præcisa forma verborum, quia esset valde confusa, et incerta, et aut nimia, aut fere nulla, ut rationes factæ declarant. Deinde dico, si talis concessio fiat, non esse extendendam ad casus reservatos, tum propter generalem regulam juris, quod *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus,* quæ est 81, in 6, et habetur etiam in cap. ultim. de Offic. vicar., in 6, et notavit Anton., 3 part., tit. 24, cap. 77, § 1, de qua plura statim; tum etiam quia quando casus reservati conceduntur, semper consueverunt exprimi in privilegio vel bulla; ergo quando non exprimuntur, signum est concessionem ad illa non extendi; tum etiam quia

illa verba sufficienter, et in toto rigore habent effectum, si detur facultas absolvendi a censuris; et licet dicatur, *ab omnibus,* illa distributio sufficienter intelligitur de omnibus speciebus censurarum; ergo ita est interpretanda illa concessio, ut salva verborum proprietate, vel communi juri, vel aliorum, minimum deroget.

11. *Concessa facultate ad absolvendum a casibus Papæ reservatis, non comprehenduntur contenti in Bulla Cœnæ. — Objectio solvitur.* — Ex quo cum proportione sequitur, quando conceditur generalis facultas absolvendi a casibus reservatis Summo Pontifici, sub ea concessione non comprehendi casus reservatos in Cœnæ bulla, etiamsi expresse non excipiantur. Ita Covarr. et Navar., quos refert et sequitur Jacobus de Graffis, lib. 4 Decis., cap. 18, n. 2, qui idem habet cap. 15, n. 76. Et ratio est eadem, quia illæ censuræ juxta usum et morem Ecclesiæ habent specialem rationem, et gravitatem, ac reservationem, ratione cujus non censentur comprehendi sub clausula generali; et ideo quando conceduntur, semper exprimuntur juxta stilum Romanæ curiæ. Dices : etiam quando non conceduntur, expresse excipiuntur; ergo si non excipiantur expresse, intelligentur concessæ. Respondetur negando consequentiam, quia ex negatione, scilicet expressionis, recte infertur negatio, scilicet concessionis; ex negatione autem expressæ exceptionis non recte infertur affirmatio seu positiva concessio. Præsertim quia plus requiritur, ut intelligatur jurisdictio concessa, quam sola omissio alicujus verbi seu exceptionis expressæ, quæ multis de causis potest contingere. Et alioqui semper relinquitur præsumptio in contrarium, propter specialitatem illorum casuum.

12. *An sub facultate absolvendi a censuris reservatis in bulla Cœnæ comprehendatur incursa propter hæresim. — Vide Filiarch., tom. 8 de Offic. sacer., lib. 5, cap. 15, in fine.* —Hinc ulterius eadem proportione et ratione inferunt scriptores, præsertim moderni, in concessione generali omnium censurarum Papalium, etiam contentarum in Bulla Cœnæ, non intelligi comprehensam excommunicationem propter peccatum hæresis. Ita docent Navar., c. 27, n. 275; et Covar., in c. Alma, part. 1, § 11, num. 15; et Jacobus de Graffis, dicto lib. 4, cap. 15, n. 25; et Ugolin., tab. 1, c. 3, § 4, n. 10. Ex eisdem fundamentis, quod specialis casus non comprehenditur sub generali clausula, et præsertim in mandatis et commissionibus, juxta cap. Qui ad agendum, de Procuratoribus, in 6; hic autem casus juxta usum et morem Ecclesiæ valde specialis censetur. Unde quando Papa illum concedere vult, eum exprimit, etiam post universalem concessionem casuum Bullæ Cœnæ, ut anno 1589 fecit Sixtus V, in quodam jubilæo. Et postea similem facultatem concessit Clemens VIII, in alio jubilæo anni 1594. Et a simili citari solet cap. Frater noster, 19, quæst. 1, ibi : *In causa fidei vel criminis.* Nihilominus tamen addit Graffis supra, aliter haberi in praxi de hæretico occulto incidente in excommunicationis censuram. Idem citatur ex Navarr., consil. 15 de Sentent. excomm., ubi nihil reperio. Fundari tamen potest illa praxis in vulgari regula, quod privilegium principis latissime est interpretandum, juxta c. Quamvis plenissima, de Præbend., in 6. Quæ regula maxime procedit in his beneficiis, quæ bonum continent animarum, qualis est facultas absolvendi a reservatis. Neque obstat, quod hæresis habeat specialem gravitatem, quia licet hoc sit verum in ratione culpæ, non tamen in ratione reservationis, quæ fit, v. gr., per bullam Cœnæ; nam eisdem verbis, et eodem modo reservantur reliqua crimina. Sicut inter percussiones clerici valde specialis est percussio sacerdotis, et nihilominus sub facultate generali absolvendi a percussionibus clericorum comprehenditur, quia quoad reservationem omnes inferiores Ordines æquiparantur. Sic ergo in præsenti. Atque hoc significant Pontifices, quando concedendo hanc facultatem generalem absolvendi a reservatis, excipiunt casum hæresis. Sed de praxi mihi non constat. Et cætera facile solvi possunt; nam favor fidei, favor est animarum; imo hic censetur major, quam privatum commodum unius vel alterius; et specialitas hæresis non constituitur in gravitate delicti, sed etiam in reservatione, juxta mentem Pontificum, usu, et verbis declaratam, licet interdum propter tollendas opiniones expresse addatur exceptio. Quapropter discedendum non censeo a priori sententia, quamvis non negem hanc posteriorem esse probabilem, et nulla ratione calumniari aut censura notari posse.

13. *An sub facultate absolvendi a censuris Papæ reservatis comprehendantur reservatæ Episcopis.* — Ulterius vero inquiri solet, an cum Pontifex concedit generali clausula censuras sibi reservatas, censendus sit concedere etiam censuras, quas inferiores Episcopi sibi specialiter reservant. Videri

enim potest non concedere, tum quia illa reservatio distincta est, tum etiam quia Pontifex id, quod ad se pertinet, specialiter concedens, non videtur in aliquo velle derogare proprio juri Episcoporum, sicut quando Pontifex fert legem generalem, non intelligitur derogare propriis consuetudinibus vel statutis particularium provinciarum, c. 1 de Constit., in 6; ergo similiter, etc. Propter hæc quidam censent in ea clausula generali non contineri censuras Episcopis reservatas. Cui sententiæ favet Navarr., in cap. Ita quorumdam, de Judæis, notab. 11, n. 71, et in Summa, c. 27, n. 261, quatenus dicit cum Hostiensi et aliis, si in idem peccatum concurrant simul reservatio Papæ et Episcopi, ablata reservatione Pontificia, non intelligi ablatam Episcopalem de rigore juris; nam concurrentibus duobus impedimentis, uno sublato non intelligitur alterum auferri, cap. Ex tuarum, de Auctor. et usu pallii. Atque ita etiam sensit in prædicta dubitatione Jacobus de Graffis, dicto lib. 4, cap. 15, n. 28, stando in rigore juris. Additque decretum Concil. Trident., sess. 25, cap. 18 de Reform., ubi statuit, ut Ecclesiæ canones indistincte serventur; ex quibus unus est, ut Episcopi possint suos casus reservare.

14. *Propter quemcumque finem hæc facultas concedatur, comprehendit censuras Episcopis reservatas.* — Addunt nihilominus hi auctores, usu receptum esse, ut per illam clausulam hæc etiam potestas concessa intelligatur. Et mihi videtur hæc intelligentia juridica et verissima. Primo quidem, quia consuetudo est optima legum vel privilegiorum interpres; unde cum ipsi Episcopi hunc usum videant et non reclament, signum est eos intelligere in prædicto sensu Pontificis concessionem. Secundo, in jubilæis est specialis ratio, quam consideravit Ugolinus supra, quia finis illius concessionis est, ut pœnitens possit disponi ad lucrandam indulgentiam media absolutione confessoris a se electi; sed ad illum finem necessaria est ablatio reservationis, non tantum Pontificalis, sed etiam Episcopalis; ergo ut concessio sit adæquata intentioni concedentis, extendenda est ad censuras etiam Episcopo reservatas. Quæ ratio est optima conjectura, ex qua ulterius colligendum est Pontificem intellexisse illam clausulam universalem fuisse sufficientem ad explicandam illam suam voluntatem et generalem concessionem. Unde ulterius nos colligere possumus, quandocumque fit concessio illis verbis, etiam si non sit propter illum finem, sed propter favorem, vel privilegium alicujus religionis, vel alium similem finem, semper esse cum eadem amplitudine declarandum, quia verba semper habent eamdem significationem, et præterea materia semper est favorabilis et amplianda.

15. Tandem magis ex propriis potest hoc ita explicari; nam sine dubio Pontifex potest absolvere a censuris reservatis Episcopis, tanquam illis superior. Neque enim potest inferior reservare censuram respectu sui superioris, sed solum respectu eorum, qui ab ipso pendent, ut constat ex dictis supra de casuum reservatione, et est per se notum ex ordine jurisdictionum. Potest ergo Papa etiam delegare hanc potestatem absolvendi a censuris Episcoporum, non obstante reservatione eorum; in quo etiam non est dubium, tum ex suprema potestate Pontificis; tum etiam quia delegatus Papæ, ut sic, non pendet in sua jurisdictione ab Episcopo; tunc ulterius Papa per prædicta verba concedit potestatem absolvendi ab omnibus censuris, a quibus ipse potest absolvere; ergo concedit potestatem absolvendi etiam a casibus Episcopo reservatis. Quocirca ibi proprie non interveniunt duo impedimenta, quia non sunt duæ censuræ vel duæ reservationes, quæ possint impedire jurisdictionem datam a superiore, quia reservatio ab Episcopo facta non potest limitare jurisdictionem a Papa concessam; de quo plura in superioribus dicta sunt.

Maneatne absolutus ab omnibus censuris, qui aliquam per oblivionem omittit, ita ut peccatum jam reservatum non maneat.

16. *Resolutio prioris partis.* — Occurrunt tamen nonnulla frequentia dubia, circa hujusmodi concessionem et usum ejus, explicanda. Primum est, an, si quis confiteatur habenti potestatem absolvendi ab omnibus censuris reservatis, animo obtinendi absolutionem ab omnibus, quibus se ligatum esse cognoscit, si ob oblivionem, aliquam fortasse omittat, ita ut in particulari ejus absolutionem non postulet, nihilominus ab omnibus maneat absolutus, et consequenter peccata illa oblita, quæ mediante censura reservata erant, jam reservata non maneant. Respondetur, si quis in eo casu solum petat absolutionem illius censuræ, quam in se agnoscit, et ab illa tantum in particulari absolvatur, alias, quarum non recordatur, non tolli, quia licet in absolvente sit potestas, tamen in eo casu illa non utitur

ad omnes censuras tollendas, sed ad unam tantum, quæ ipsi proponitur. At vero si non obstante particulari propositione seu declaratione unius censuræ judex generaliter absolvat ab omnibus censuris, omnes tollit, quæ sub ejus cadunt potestatem, ob rationem contrariam, quia potestatem habet de se efficacem, et ea utitur cum intentione conferendi effectum. Neque est aliquid, quod talem effectum possit impedire, quia ad absolvendum a censura, non est necessaria ex parte absolventis scientia talis censuræ in particulari; nam quotidie datur absolutio generalis absque hac particulari notitia; imo sæpe datur absolutio conditionata, *absolvo te, si indiges,* quæ nullam cognitionem supponit alicujus censuræ, quæ tali personæ insit, sed solum quod potest inesse. Unde multo minus requiritur scientia ex parte ejus, qui absolvitur, ut per se notum est. Præsertim quia, ut supra vidimus, potest quis censura ligari ignorans; ergo et absolvi. Patet consequentia, tum quia hi duo actus ligandi et absolvendi proportionem inter se servant; tum etiam quia alias qui ignorat vel oblitus est censuræ, quam incurrit, absque remedio absolutionis procurandæ relinqueretur.

17. *Differentia prima inter absolutionem a peccatis et a censuris.* — Imo in hoc est notanda differentia inter peccata oblita, et censuras, quod peccata oblita, et ideo non confessa, non tolluntur per se per absolutionem sacramentalem, sed tantum per accidens et concomitanter; propter quod semper manent obnoxia simili judicio, ita ut necesse sit eorum absolutionem petere, si in memoriam veniant; censuræ vero etiam oblitæ per se tolluntur per absolutionem generalem, ita ut necessaria non sit alia absolutio earum, etiamsi in memoriam redeant. Ratio differentiæ est, quia judicium sacramentale, in quo datur absolutio peccatorum, per se requirit integram causæ cognitionem, eo quod ad internam salutem, et curationem animæ, et ad satisfactionem divinæ offensionis ordinetur; et ideo per se est jure divino institutum, ut omnia peccata mortalia clavibus subjiciantur; non est autem tale præceptum Ecclesiasticum de censuris impositum, quia absolutio a censura per se non habet alium effectum, neque ad alium finem intrinsece ordinatur, nisi ad tollendum illud Ecclesiasticum impedimentum, et ideo quacumque ratione auferatur ab eo, qui sufficientem habet potestatem, non manet alia obligatio.

18. *Secunda differentia.* — Sicut etiam ex eadem radice est alia differentia inter absolutionem a culpa, vel a censura, quod absolutio a culpa non potest dari, nisi supposita accusatione seu confessione alicujus culpæ; unde qui nullo modo confessus est, non potest generaliter absolvi a peccatis, sub ea conditione tacita, vel expressa, *si indiges;* absolutio vero a censuris potest hoc modo dari, ut constat ex usu. Ratio vero est, quia absolutio sacramentalis supponit aliquam cognitionem vinculi absolvendi, et requirit materiam tanquam partem essentialem illius sacramenti et judicii; quæ materia posita est in actibus pœnitentis, præsertim in confessione, quæ aliquo modo contritionem indicet; at vero absolutio a censura neque habet illam peculiarem rationem, neque semper servat perfectam judicii formam; et ideo datur de censuris etiam omnino ignotis judici, solumque requirit, ut is, qui absolvitur, moraliter censeatur capax talis absolutionis, si illa indiget. Item est alia differentia, quod a culpa nemo absolvitur, nisi voluntarius, quia requirit sacramentalis absolutio voluntariam accusationem; a censura vero potest quis absolvi etiam invitus. Item illa tantum potest ferri in præsentem, hæc etiam in absentem; et aliæ possunt facile excogitari.

19. *Resolutio dubii quoad posteriorem partem.* — Hac ergo ratione, censuræ oblitæ, etiamsi reservatæ sint, per se ac directe tolluntur per absolutionem generalem censurarum, datam ab eo, qui potestatem habet, vel ex se, vel per privilegium, vel virtute jubilæi, et consequenter etiam tollitur culparum reservatio. Atque ita sentiunt communiter scriptores, ut refert et sequitur Covarr., in c. Alma, p. 1, § 11, n. 12, ubi citat Palud., Gabriel., Adrian., Angel., Sylvest., et Navarr. Idem Navarr., in Summ., c. 26, n. 23, ubi alios refert.

20. *Objectio.* — *Solvitur.* — Dices : ergo per se loquendo, et absque oblivione, posset quis petere absolutionem a censura, non declarando se illam habere in particulari, sed vel in generali, vel etiam hoc dissimulando, solumque petendo, ut absolvatur, si forte indiget. Respondetur : si absolvens sit ordinarius judex, et velit ita absolvere, erit sine dubio valida absolutio; tamen regulariter loquendo, non recte utetur sua potestate, quia ut prudenter operetur, necesse est, ut in particulari cognoscat causam censuræ, et an satisfactum sit Ecclesiæ, et an alia pœna im-

ponenda sit. Quando vero aliquis habet hanc potestatem tantum delegatam, si potest ea uti extra sacramentum confessionis, idem erit de illo dicendum, nisi in forma delegationis aliud expresse contineatur; si vero solum data sit potestas in ordine ad sacramentum confessionis, tunc per se loquendo, requiritur notitia causæ seu culpæ, ob quam censura incursa est; debet ergo in particulari peti absolutio a tali censura per talem culpam contracta, alioqui si ex instituto hoc taceatur, nihil fiet. Secus vero erit, si ex oblivione; tunc enim etiam per se et directe tollitur censura per absolutionem generalem, ut dictum est.

Num absolutio a censuris per privilegia, aut jubilæum data, habeat locum tantum in foro interiori, an etiam in exteriori.

21. Aliud dubium est, an hæc absolutio a censuris, quæ datur per hæc generalia privilegia, vel bullas jubilæorum, effectum habeat tantum in foro conscientiæ, vel etiam in foro exteriori. Quia vero hoc pendet ex forma privilegii, suppono primo, si privilegium nihil limitet nec explicite, nec implicite, seu ex circumstantiis, sed absolute concedat facultatem absolvendi a censuris, tunc in utroque foro dari, quia cum verba sint absoluta, et gratiam contineant, amplianda sunt potius, quam restringenda, nisi ex materia subjecta, vel aliis circumstantiis constet aliam fuisse mentem concedentis. Confirmatur, nam quod talis concessio valeat in foro interno, per se notum est; quod autem extendatur etiam ad externum, patet, quia non est hæc extensio adeo specialis et extraordinaria, ut non possit, ac debeat sub generali clausula comprehendi. Declaravit autem Pius V, in jubilæo concesso, anno 1568, tales concessiones, vel eo usque datas, vel in futurum dandas, non suffragari in foro exteriori, nisi satisfacta parte; cum hac autem conditione supponit etiam ad illud forum extendi. Quid autem importet illa conditio, infra in proprio dubio declarabitur. Ex quo a fortiori constat, si privilegium explicet clare facultatem dari pro utroque foro, validam esse concessionem, quia potestas non deest in Pontifice ad delegandam hoc modo hanc facultatem; ergo si accedat voluntas, illaque sufficienter explicetur, nihil amplius desiderari potest.

22. At vero quando privilegium datur cum restrictione illa, videlicet, in foro conscientiæ, clarum etiam est non amplius valere, quia Pontifex suo arbitrio potest non plus concedere; et ideo si privilegium restringat, non plus valet quam sonat. Quod non solum procedit, quando restrictio illa expresse additur, sed etiam quando ex materia subjecta, et ex modo concessionis, vel ex antecedentibus, et consequentibus sufficienter colligi potest hanc esse mentem concedentis, quia ex illa pendet tota facultas; unde quacumque ratione explicetur, satis est. Exemplum commune est, si facultas hæc concedatur solum in ordine ad sacramentalem confessionem; nam tunc est solum concedi in foro conscientiæ. Quæ doctrina communis est, ut intelligi potest ex Covarruv., lib. 2 Variar., c. 10, num. 3, et c. Alma, part. 1, § 11, n. 56; Navarro, in Sum., c. 27, n. 278; Gutierr., in Quæst. canon., lib. 1, c. 2; Ledes., 2 p. 4, quæst. 26, art. ult., circa fin.

23. *Quid sit absolutionem valere in foro interiori, et non in exteriori.* — Difficultas vero est, quid sit absolutionem dari et valere in foro interiori tantum. Et ratio difficultatis est, quia si facultas revera est ad absolvendum, absolutio per illam data est valida, ut si de illa sufficienter constet, in quocumque foro suum effectum habeat, quia illa absolutio absolute, et in re ipsa tollit censuram; ergo quacumque ratione Ecclesiæ constet sufficienter de tali absolutione, habere debet talem hominem, ut immunem a censura, in quocumque foro de illo judicet; ergo per se non potest dari absolutio in foro interiori, quæ non sit valida in exteriori; sed ad summum poterit per accidens non reputari seu judicari ut talis, quia de illa non constat publice seu in tali foro.

24. *Prima sententia.* — Propter hoc dixerunt aliqui, facultatem hanc ad absolvendum in foro conscientiæ tantum, non esse ad dandum absolutionem permanentem, ut sic dicam, et absolutam, sed solum ad absolvendum ad aliquem effectum, qui in foro conscientiæ teneat, et illo peracto, statim in censuram reincidatur, et sit necessaria nova absolutio ad licite exercendos actus, quibus censura privare solet. Ut, v. gr., si detur facultas absolvendi a censura reservata, in foro confessionis, solum est ad absolvendum a censura ad hunc effectum, ut possit quis valide absolvi sacramentaliter a peccatis; quo effectu consecuto, statim redit censura, quæ nova eget absolutione, quam solum po-

test dare is, cui reservata est. Sed hoc falsum est, et contra vim verborum, et communem intelligentiam, et consuetudinem, quæ est optima legum et privilegiorum interpres. Absolutio enim ad reincidentiam non est absolutio simpliciter, sed secundum quid, unde in jure non intelligitur, nisi exprimatur illa limitatio; imo in ipsamet absolutione exprimi solet, dicendo, ad hunc effectum duntaxat; at hæc privilegia nihil tale continent, sed absolute concedunt facultatem tollendi censuras; ergo non ad reincidentiam tantum, sed absolute tollunt.

25. *Vera sententia.* — Quocirca post talem absolutionem ab excommunicatione, v. gr., libere ac permanenter potest quis se gerere, ut non excommunicatus non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori, dummodo et in illo sufficienter de absolutione constet, et debitus ordo servetur. Unde si excommunicatio erat occulta, et non deducta ad forum contentiosum, ex vi illius absolutionis potest homo se gerere in omnibus actionibus sive occultis, sive publicis, ut omnino carens censura. Quod si post absolutionem contingat casum illum deduci ad forum contentiosum, et in eo constare illam censuram esse incursam, oportebit, ut in eodem foro constet de absolutione, tum ut ille audiatur in judicio tanquam jam absolutus, et non cogatur ad aliam absolutionem petendam; tum etiam ut excusetur ab aliis pœnis, quæ illi imputari possent propter illos actus, si eos post censuram contractam absque absolutione exercuisset.

26. *Quid necessarium sit, ut de hac absolutione constet in foro exteriori. — Prima opinio.* — Quid autem necessarium sit, ut talis absolutio nota sit in exteriori foro, sunt opiniones. Quidam existimant sufficere, ut is, qui absolvit, de ea re fidem faciat, ad quam fidem augendam, et personæ qualitas, ac conditio, et aliæ conjecturæ, et circumstantiæ conferre possunt; et si necesse sit, posset illius juramentum postulari; plura vero testimonia exigere alienum videtur ab omni ratione, cum talis actus natura sua ita sit occultus, ut coram testibus non fiat. Ut autem ipsemet absolvens possit hujusmodi fidem facere, necesse est, si absolutio data fuerit intra sacramentum pœnitentiæ, ut ex facultate ipsius personæ absolutæ, extra illud forum, ad hunc effectum extendatur. Et hanc sententiam tenet Navar., in Sum., c. 27, num. 42, quamvis prius significet necessarium esse, ut talis absolutio posset testibus probari. Addit vero idem Navarr., lib. 5 Consilior., in 26, de Sent. excom., quando confessor fidem hanc præbet per scriptum, debere tale scriptum dare pœnitenti coram testibus et tabellione, qui in altera scripturæ facie fidem faciat, illud scriptum esse talis sacerdotis, etc. Ex qua sententia Navarri constat, testimonium confessoris esse sufficiens, et alia testimonia solum requiri ab ipso, ut juridice constet illud esse testimonium talis confessoris. Quapropter si ipsemet confessor personaliter adsit, et coram judice id testificetur, multo magis sufficiet. Ac deinde quando solum in scriptis testimonium præbet, est quidem optima illa forma Navarri; non tamen videtur ita necessaria, quin si alia via sufficienter constet, illam esse confessoris subscriptionem, eamdem habeat auctoritatem.

27. *Secunda opinio.* — Nihilominus oppositum tenuit Penna in Directorio Inquisitor., 2 part., in scholiis ad Concil. Tarracon., comment. 25, ubi refert de hac re in duobus Conciliis fuisse dubitatum, prius in Tarraconensi, in quo statutum fuit in hujusmodi casu fidem esse dandam confessori; et in Narbonensi, quod in contrariam partem inclinavit, non est tamen ausum id definire, *sed Domini Papæ* (inquit) *responsio expectetur,* ut ille refert, hæc enim Concilia non habentur in tomis Conciliorum. Dictus tamen auctor securius esse existimat, asserere cum Concil. Narbonensi, *satis videri quod credi non debeat confessori.* Quam etiam sententiam amplexus est Salcedo, in Practica crimin. canon., c. 109.

28. *Prior opinio præfertur, posteriorisque fundamentum solvitur.* — Sed placet prior opinio; nec testimonium illud Concilii Narbon. movere nos debet, tum quia nihil determinat, sed sub dubitatione loquitur; tum etiam quia provinciale est; præterea nobis non constat quo sensu fuerit locutum. Nam fortasse sentit, testimonium confessoris non sufficere ad excusandum reum a pœna externa, vel ut credatur illi dicenti alium non deliquisse, aut jam satisfecisse; nam in ordine ad hos, aut similes effectus, qui pendent ex testimonio ipsiusmet delinquentis, et possunt aliis viis certius sciri, clarum est non sufficere testimonium confessoris; tamen quantum ad solum actum absolutionis datæ, oppositum censeo verius, ut dixi. Unde hoc satis erit, ut Prælatus credat aliquem non fuisse mor-

tuum impœnitentem aut excommunicatum, si tam accelerate mortuus est, ut non potuerit majorem satisfactionem Ecclesiæ exhibere. Ad quod confirmandum plura affert Penna supra satis probabilia.

29. *Quid autem si censura fuit publica.* — Atque eadem proportione loquendum est, quando censura fuit publica, si non fuerit juridice denunciata; nam tunc etiam absolutio omnino tollit illam; tamen ut posset quis publice absolutione uti, necesse est, ut de illa publice constet, non propter censuram veram, sed propter putatam, et propter scandalum. Ut autem publice constare censeatur, satis erit, quod publice constet illum fuisse confessum, vel tempore Jubilæi, vel habenti potestatem absolvendi ex privilegio aliquo, dummodo satisfactio, quæ necessaria fuerit, publice sit etiam exhibita; quamdiu enim hoc non fit, non potest Ecclesiæ constare hominem recessisse a sua contumacia, et ad obedientiam Ecclesiæ rediisse. Ac denique eadem, seu proportionali ratione, si jam facta fuerat juridica denunciatio censuræ, necessarium erit, ut coram judice absolutio etiam probetur, ut per eum absolutus declaretur, quia alias non poterit se gerere publice ut absolutus, sed tantum coram eis, quibus sufficienter de absolutione constat, ut Navarrus in citato loco notavit.

30. Cum ergo potestas absolvendi dari dicitur tantum in foro conscientiæ, illa limitatio hæc operatur. Primum, ut non obstante tali absolutione, et pœnitentia imposita in foro pœnitentiæ, possit Ecclesiasticus judex de delicto illo cognoscere, et satisfactionem accommodatam foro publico et contentioso imponere. Deinde quia necesse est, ut illa absolutio, licet non iteretur, saltem declaretur, et comprobetur in foro exteriori, juxta modum, et exigentiam censuræ, ut dictum est.

Quid dicendum de illo, qui virtute Jubilæi a censura reservata absolvitur, et postea indulgentiam non lucratur.

31. *Absolutio hujusmodi est valida. — Censura si sit ablata, non redit.* — Aliud practicum dubium potest hic tractari de absolutione a censuris reservatis data virtute Jubilæi postulantis varia opera, seu plures diligentias ad lucrandum indulgentiam Jubilæi, quando ante expleta illa opera quis absolvitur a censuris, et postea neque perficit hujusmodi opera, nec indulgentiam lucratur, an prior absolutio teneat. In quo certum esse videtur, absolutionem fuisse validam, quia non fuit conditionata, sed absoluta, ut constat tum ex potestate concessa, quæ licet ordinetur ad talem finem, v. gr., ad digne communicandum, et lucrandam indulgentiam, tamen datur, ut simpliciter fiat absolutio, et non sub conditione in futurum; tum etiam idem constat ex verbis et intentione absolventis; tum denique, quia contrarium repugnat, moraliter loquendo, tali concessioni; nam oporteret prius lucrari indulgentiam complendo omnia opera ad illam necessaria, quam absolutio illa conditionata transiret in absolutam, et consequenter prius quam tolleret censuram; unde cum unum ex illis operibus soleat esse communio, quæ intra tempus Jubilæi ultimo loco accipitur, priusquam in re ipsa ablata esset censura, accederet quis ad communionem nondum a censura absolutus, quod est contra finem talis indulgentiæ seu concessionis. Sit ergo certum, in eo casu, absolute, et non conditionate dari absolutionem, et consequenter per illam tolli censuram, si homo ille bona fide, et non ficto animo accedat, id est, cum vero proposito, et animo faciendi omnem diligentiam necessariam ad lucrandum Jubilæum; hoc enim ante omnia supponendum est, ut absolutio valida esse possit. Ex quo ulterius fit, censuram priorem non redire, etiamsi postea talis homo in re ipsa non exequatur omnia necessaria ad lucrandam indulgentiam, quia jam illa prior censura destructa fuit.

32. *An in illo casu similis censura incurratur. — Prima opinio. — Declaravit Clem. IV, ut habetur in compendio privilegiorum Minorum, verb.* Absolutio ordinaria quoad fratres, § 4. — Difficultas ergo solum esse potest, an in eo casu iterum incidatur in similem censuram, ita ut censeatur ille absolvi quasi ad reincidentiam, ad eum modum, quo virtute privilegiorum Mendicantium absolvuntur novitii a censuris reservatis; et tamen si ante professionem habitum deserant, in eas incidunt. In præsenti ergo ita posset aliquis opinari, nam videtur esse eadem seu proportionalis ratio. Item, quia cum hæc absolutio non concedatur, nisi in ordine ad illam indulgentiam, videtur hæc esse intentio concedentis. Item, quia in simili casu absolutio a peccatis reservatis, quamvis valida fuerit quoad effectum tollendi peccata, et ideo illa peccata redire non possunt, etiamsi quis in-

dulgentiam postea non lucretur, nihilominus reviviscit (ut sic dicam) obligatio comparendi coram superiore; ergo similiter redibit censura, quando reservatio in illa fundabatur. Et hanc opinionem tandem approbat Ugolin., dict. § 4, num. 4.

33. *Secunda opinio.* — Alius tamen modus dicendi esse potest, dictam sententiam procedere, quando aliquis voluntarie, vel ex aliqua negligentia culpabili, ea omittit, quæ ad indulgentiam consequendam necessaria erant; nam tunc maxime procedunt rationes factæ. Etenim cum ille voluntate sua se reddat ineptum ad indulgentiam obtinendam, et omittat ea, quæ præcepta sunt ad illum effectum, non est cur tanto privilegio ejusdem Jubilæi fruatur. Alioquin etiamsi a principio cum ea intentione confessus fuisset, scilicet, obtinendi absolutionem virtute Jubilæi, et nihil amplius præstandi, maneret simpliciter absolutus, quod sine dubio falsum est. Et sequela patet, quia in utroque casu voluntarie omittuntur opera necessaria ad Jubilæum; quod autem illa voluntas antecedat aut sequatur, non videtur tam substantialis differentia, ut propterea una absolutio sit invalida, altera vero rata et valida. Videtur ergo secunda proportio, ut, sicut quando voluntas antecedit, a principio absolutio est invalida, ita quando subsequitur, reddat illam inefficacem eo modo quo id fieri potest, scilicet, reincidendo in censuram. Secus autem erit, quando sine culpa accidit, ut talis persona aliquod hujusmodi opus omittat, nimirum naturali oblivione, vel ex aliquo impedimento naturali, aut moraliter necessario, ut ægritudine, vel alio simili, quia tunc cum ille fuerit simpliciter absolutus, et postea nec culpa, nec voluntate sua cætera omittat, non est rationi consentaneum, ut iterum incidat in censuram.

34. *Tertia opinio, et vera.* — Alii vero sine distinctione affirmant, in eo casu non reincidi in censuram. Ita tenet disputationis gratia (ut ipse ait) Ugolin., dict. §, num. 4, qui licet distinguat, an absolutio data sit simpliciter, vel tantum ad unum actum, tamen non est necessaria distinctio, quia quando posteriori tantum modo conceditur potestas absolvendi, scilicet, solum ad effectum lucrandi indulgentiam, tunc etiam si quis omnem diligentiam adhibeat, ac tandem indulgentiam obtineat, nihilominus iterum incidet in censuram, quia similis absolutio non habet majorem vim, ut infra declarabimus; ergo a fortiori, si indulgentiam non lucretur, etiam incidet; id tamen non erit solum propter omissionem operis necessarii indulgentiæ, sed propter modum absolutionis, et ideo nihil refert ad præsentem quæstionem; supponenda est ergo potestas ad præstandam absolutionem puram, et simpliciter, et tunc sine distinctione dicitur, non redire censuram per eam ablatam in prædicto casu. Quam sententiam tenet Corduba, in Summa, quæst. 21, et mihi videtur probabilior, et satis secura, non solum quando prædicta omissio casu, aut involuntarie accidit, quod indubitatum videtur, sed etiam si ex negligentia voluntaria contingat.

35. Ratio est, quia absolutio, quæ pure, et simpliciter datur, nunquam est explicanda ad reincidentiam, nisi vel facultas absolvendi ita expresse concessa sit, vel in casibus, et modo a jure expressis, in cap. Eos, de Sent. excomm., in 6. Sed hæc absolutio pure, et simpliciter data est, et in concessione nulla est facta mentio de hac reincidentia; ergo non est ita interpretanda. Item, quia licet illa facultas concessa sit in ordine ad consequendam illam indulgentiam, tamen usus et effectus ejus non pendet ex illo fine, ut executioni mandato, sed in intentione concepto. In quo est magna differentia inter eum, qui accedit absque intentione præstandi reliqua necessaria ad Jubilæum, et eum, qui accedit cum tali intentione, licet illam mutet; nam in eo deficit aliquid essentiale ad valorem absolutionis, quando illa datur; in hoc autem nihil deficit, et ideo effectum habet, qui non pendet ex futuro eventu; ac proinde jam non est unde censura pullulet, aut reviviscat, quia neque est de novo imposita, nec absolutio sub ea forma et declaratione lata est. Atque ita facile expediuntur rationes in contrarium.

Liceatne extra sacramentum confessionis uti licentia ad absolvendum a censuris, per Jubilæum concessa.

36. Tertio dubitari solet de hac facultate absolvendi a censuris reservatis, per hujusmodi Jubilæa, aut Bullas concessa, an liceat uti illa extra sacramentum confessionis. Respondetur tamen breviter, hoc pendere ex verbis, et forma ipsius concessionis; utroque enim modo potest Pontifex illam concedere, ut per se notum est; ergo ex voluntate ejus pendet; hæc autem voluntas ex verbis

concessionis colligenda est. Unde si potestas absolvendi a censura absolute concedatur, ita ut in foro interiori et exteriori valeat, signum est non dari dependenter a sacramento, vel confessione peccatorum, quia absolutio a censura non pendet ex absolutione a peccato; nam ab his, qui potestatem habent ordinariam, sine sacramento conceditur, ut latius Sylvest., verb. *Absolutio* 3; idem ergo poterit delegatus, si a delegante non limitetur. Regulariter autem loquendo, quando hæc concessio fit tantum in foro conscientiæ, et in ordine ad internam et bonam animæ dispositionem, solum datur potestas absolvendi a censura intra sacramentum pœnitentiæ. Atque ita censent multi viri docti de concessione, quæ fit per Bullam Cruciatæ, in qua habentur illa verba : *Auditis confessionibus eorum, possint eos a quibusvis peccatis et censuris absolvere.* Et Pius V, in Bulla Jubilæi 1568, declaravit, hujusmodi absolutiones dandas esse *in foro interiori et pœnitentiali.* Atque ita sentit Navarr., in Summ., cap. 26, num. 41, et Corduba, in Summ., quæst. 19. Unde fit, per hæc privilegia non posse aliquem absolvi a censura reservata, nisi simul a peccato absolvatur; nam licet absolute, et secundum se non repugnet absolvi aliquem a censura reservata, et non a culpa, imo frequenter ita fiat ad tollendam reservationem peccati, ut supra dictum est tractando de confessione, tamen quando concessio non fit ad absolvendum a censura, nisi in sacramento confessionis, non potest absolutio censuræ ab absolutione culpæ separari.

37. *Objectio.* — Dices : absolutio a censura necessario antecedere debet absolutionem a culpa; id autem, quod est prius, potest separari a posteriori. Responderi potest, hanc absolutionem a censura fieri eadem forma verborum, quæ sacramentalis est, scilicet, *Ego te absolvo,* quæ ex intentione proferentis simul ad culpam, et ad censuram extenduntur, debito tamen ordine, ita ut prius natura censuram, quam culpam tollat; et ideo nunquam posse in re separari unam ab alia. Sed licet non repugnet, absolutionem a censura fieri illo modo, non tamen est necessarium, etiam quando conceditur per privilegium; sed per distincta verba, et ordine temporis præmitti potest ante formam sacramentalem; imo communi usu Ecclesiæ ita fieri solet. Et merito, quia ita fieri expedit, tum ne eadem verba formæ sacramenti in duplici sensu, quasi æquivoco, proferantur; tum etiam quia illud est duplex judicium, et duplex sententia procedens ex jurisdictionibus distinctis; tum maxime quia decet, ut antequam incipiant proferri verba sacramentalia, homo sit absolutus, et liber a censura.

38. Antecedit ergo, non tantum natura, sed etiam tempore, absolutio a censura absolutionem a culpa. Nihilominus tamen sunt hæc inseparabilia moraliter in præsenti casu, tum quia talis minister non potest licite intentione sua illas separare, volens absolvere a censura, et non a culpa; tum etiam quia neque in effectu separare illas debet, quia non debet absolvere a censura, antequam habeat materiam (ut sic dicam) præparatam, seu sacramentalem causam auditam, atque ita dispositam, ut post absolutionem a censura possit etiam absolvere a culpa, quia non est aliter concessa potestas dandi absolutionem a censura, nisi per modum dispositionis proximæ absolutionis a culpa; quia vero hæc dispositio non est physica, sed moralis, nec fit naturali, sed humano modo, ideo simul etiam fit moraliter, non physice. Quocirca si casu aliquo contingeret, sacerdotem, qui rite, et recte cœpit absolvere, perficere formam absolutionis a censura, et non ultra progredi ad absolutionem peccatorum, vel quia repente mortuus est, aut loquelam amisit, aut (quod difficilius est) quia subito mutata voluntate noluit a peccatis absolvere, in hujusmodi casu existimo absolutionem censuræ ratam manere, et postea non esse aliam necessariam, et peccata illa jam non manere reservata, sed a quocumque habente communem jurisdictionem in foro pœnitentiæ posse absolvi; suppono enim non habuisse aliam reservationem, nisi mediante illa censura. Ratio est, quia illa absolutio a censura, licet concedatur, et fiat in ordine ad absolutionem a peccatis, non tamen est conditionata, sed absoluta, et pura, ut supra dicebam, et ideo statim habet suum effectum, qui ratus permanet, etiamsi alius effectus seu finis non obtineatur. Neque ibi habet locum reincidentia, quia non est sub ea conditione et forma data hæc potestas, ut supra dictum est; maxime, quia in eo casu absolutio illa data est post auditam confessionem, et in foro sacramentali saltem inchoate, cum intentione, et animo perficiendi illud; ergo habet omnia, quæ requiruntur ex vi talis privilegii seu concessionis; neque enim ibi petitur, ut judicium ipsum sacramentale

omnino consummatum esse debeat, antequam absolutio a censura effectum habeat, neque id poterat convenienter fieri, aut postulari, ut ex dictis satis patet.

Quomodo utendum sit hac facultate sub hac conditione concessa, satisfacta parte.

39. *Per se loquendo, conditio debet absolutionem præcedere.* — Ultimo quæri potest hoc loco, quomodo utendum sit hac facultate, quando conceditur sub ea limitatione, *satisfacta parte,* vel alia simili. Et difficultas est, an sit de necessitate talis absolutionis, ut illa conditio prius expleta sit. In qua re certum est apud omnes, per se loquendo, necessarium esse, ut talis conditio præexistat, quia hoc expresse requiritur per illa verba, *satisfacta parte,* quæ de præterito sunt; ergo ut quis legitime utatur potestate sibi concessa, necesse est, ut illam formam, seu conditionem servet. An vero tanta sit hæc necessitas, ut etiamsi pœnitens ob impotentiam satisfacere non possit in præsenti tempore, vel loco, nihilominus absolvi non possit a censura virtute talis Jubilæi, vel concessionis, quæri solet.

40. *Soti opinio.* — In quo dubio Soto, in 4, dist. 22, quæst. 2, art. 3, negative respondet nam licet ille, qui non est solvendo (inquit) quantum ad Deum absolutus sit, nihilominus ex vi talis privilegii non potest absolvi a censura, quia facultas non est amplior, quam verba sonant; verba autem simpliciter requirunt, ut pars jam sit satisfacta, et non committunt sacerdoti arbitrium, an pœnitens possit solvere, necne; sed hoc reservat Pontifex ordinario judici. Item quia si ille semel absolutus a censura postea esset solvendo, et non satisfaceret, licet quoad Deum reincideret in culpam, non tamen reincideret in censuram, quia hæc privilegia non dant potestatem absolvendi ad reincidentiam, sed simpliciter, ut supra diximus, et ibi docet Soto; hoc autem cederet in detrimentum partis læsæ; ergo non est verisimile, per hæc privilegia concedi talem potestatem. Quam opinionem sequutus est Guttier., in lib. 1 suarum quæstionum, cap. 5, num. 29.

41. *Qui solvendo non est, per illam concessionem posse absolvi verior opinio.* — Nihilominus probabilius censeo oppositum, nimirum juxta negotii qualitatem, et conditionem personæ, et alias occurrentes circumstantias considerandum esse, an pœnitens possit moraliter prius cum effectu satisfacere, quam absolvatur a censura, et tunc id præmittendum esse; si vero non possit, nec etiam absolutio differri possit, nisi per multum tempus, vel cum magno detrimento, tunc censeo posse absolvi, si satisfaciat eo modo, quo de præsenti potest, id est, præstando cautionem, vel pignorantiam, si potest, vel juratoriam, si majorem non potest, et exhibendo talia signa pœnitentiæ, et propositi, ut confessor probabiliter judicet, absolutionem et profuturam ipsi pœnitenti, et non impedituram, seu futuram occasionem, quominus comparata potestate postea satisfaciat. Ita tenet Jacob. de Graffis, lib. 4 suarum decisionum, cap. 16, num. 6, citans Navarr., in Summ., cap. 26, num. 7, ubi generatim loquitur de absolvente ab excommunicatione; et cap. 27, num. 37, agens de hac potestate delegata, ait, absolutionem factam ante satisfactionem, ab eo, qui habet facultatem absolvendi, post satisfactionem validam esse; intelligendus autem videtur hic locus juxta priorem. Et eamdem sententiam significat Armilla, verb. *Absolutio,* num. 48, juncto 51. Ratio autem hujus sententiæ est, quia cum Pontifex ait, *satisfacta parte,* intelligendus est, quantum pœnitens satisfacere potest, quia non est verisimile Pontificem postulare conditionem impossibilem. Item, quia sæpe in jure conceditur potestas absolvendi sub conditione simili, et tamen semper intelligitur illo modo, ut colligitur ex Clementina *Multorum,* et Clementina *Nolentes,* de Hæreticis, et notat Navarr., in Summ., cap. 27, num. 47 et 48, ubi in fine citat opinionem Soti, et de illa nihil dicit.

42. *Quid si pœnitens solvendo sit, et tamen ante solutionem absolvatur.* — *Ratio dubitandi.* — *Resolutio.* — Sed quid si pœnitens possit commode prius satisfacere, nihilominus sacerdos eum absolvat ante exhibitam satisfactionem, contentus ejus proposito, promissione, aut juramento? talisne absolutio valida erit? Quod enim ille sacerdos graviter peccet, dubium non est; nam et injuriam facit parti læsæ, et excedit modum et limitem facultatis sibi concessæ. Dubitatio ergo solum esse potest, an talis absolutio valida sit. Et ratio dubitandi est, quia potest esse absolutio injusta, et nihilominus valida, cap. Venerabilibus, § Ubi autem, de Sent. excom., in 6. Et in simili forma judex ordinarius, quamvis interdum injuste absolvat sine satisfactione partis læsæ, absolutio valida est, ut

ex citato cap. constat. Nihilominus dicendum est, in eo casu absolutionem irritam esse, quia sine potestate ad sic absolvendum data est, et in hoc omnes Doctores citati conveniunt. Quod optime declaravit Cajetan., in Summ., verb. *Absolutio,* et ex illo Armilla, eodem verbo, 48. Qui distinguunt de absolutione injusta solum quia contra jus personæ, vel contra jus constitutionis, id est, canonis, vel cujuscumque Bullæ, aut privilegii concedentis potestatem sub tali forma et conditione. Prior ergo absolutio, licet sit injusta, nihilominus valida est, quia in ea non intervenit defectus potestatis, sed abusus. Posterior vero et est injusta, et invalida, quia constitutio ipsa, seu concessio limitavit potestatem, et noluit illam dare nisi posita tali conditione.

43. *An in omnibus facultatibus per Bullas concessis includatur hæc conditio, ut essentialis.* — Quin potius addunt aliqui, quoties potestas hæc delegatur per hujusmodi Bullas seu privilegia, etiamsi non exprimatur illa conditio, semper subintelligi adjunctam, ita ut absolutio aliter data nulla sit. Quia Pontifex non vult per hujusmodi concessionem damnum aliquod inferre tertiæ personæ. Ita tenet Jacobus de Graffis, citans Navarr., lib. 5 Consil., et 8, et Consil. 11, num. 1. Sed in eis locis hoc non docet, et est nimis rigorosum; et ideo oppositum censeo probabilius, quia quando concessio est absoluta, et peculiarem non habet limitationem, interpretanda est secundum commune jus; sed communi jure, qui simpliciter habet hanc potestatem, facit actum validum, etiamsi injuste illa utatur; ergo idem erit in præsenti casu. Atque ita sentit Navarr., in Manuali, cap. 27, num. 37, ubi ait, quod licet in mandato, seu rescripto Papæ, in quo hæc facultas absolvendi conceditur, exprimatur, ut secundum formam juris detur, quamvis postea detur absolutio non servata debita juris forma, nihilominus absolutio tenet, quia intentio Pontificis non est inducere novam formam, sed solum admonere commissarium id, quod secundum jus facere debet; vel certe, quia ad ipsam juris formam pertinet, ut talis censura valida sit, etiamsi male concedatur; ergo a fortiori, quando in rescripto nihil exprimitur, sed absolute potestas conceditur, absolutio est valida, etiamsi injusta sit.

44. *Vide Angles, quæst. de Excomm.* — Quapropter merito advertit Cajetan., cit. loc., attente esse consideranda verba canonis, vel Bullæ, quibus hæc satisfactio partis postulatur, an talia sint, ut illam exigant tanquam necessariam conditionem, et limitent potestatem ad talem modum; nam, quando sunt hujusmodi, irritant absolutionem aliter factam; sunt autem hujusmodi, quando expresse negant potestatem, sive active, sive passive proferantur, ut cum dicitur : *Aliter non possit absolvi,* vel, *Aliter non possit absolvere,* vel, *Aliter absolutio non valeat.* Et quamvis non tam expresse dicatur, si concessio sit conditionata formaliter, vel æquipollenter, ut, *Absolvas eum, si satisfecerit,* vel, *Satisfacta parte absolvatur,* eamdem vim habet. Atque ita in his, et similibus casibus absolutio est irrita, si aliter fiat; secus vero erit quoties potestas conceditur absque hujusmodi verbis ita limitantibus illam.

45. *Si debitum dubium sit, non est necesse satisfactionem præmittere.* — Addit ulterius Navarr., dict. lib. 5 Consil., tit. de Sentent. excomm., Consil. 7, oportere, ut debitum satisfactionis non sit dubium, sed certum; nam, si dubium sit, tunc non est necessarium, ut satisfactio partis antecedat absolutionem, etiamsi in ipsa concessione expresse illa requiratur. Quia debet intelligi, quando debitum certum est, et indubitatum, argumento cap. Solet, de Sent. excomm., in 6, ibi : *Nisi eum excommunicatum pro manifesta dicat offensa*, et expressius id habetur in cap. Ex parte 1, de Verborum significat. Idem vero Navarr., in Summ., cap. 26, num. 7, declarat, distinctionem hanc de debito dubio, vel certo, habere locum in foro exteriori, non autem in interiori, in quo confessione ipsius pœnitentis standum est. Quia vero in hoc etiam foro contingere potest, ut pœnitens habeat conscientiam dubiam, vel certam, ideo etiam in illo non est omnino prætermittenda illa distinctio; nam, quando pœnitens in conscientia sua certus est talem offensionem, vel damnum commisisse, ac proinde ad satisfactionem teneri, tunc clarum est necessarium esse, ut prius satisfaciat, si potest, vel, si non potest, ut convenientem cautionem exhibeat. At vero si certus non sit, sed dubius, an ipse fuerit causa damni, necne, vel an sufficienter jam satisfecerit, vel an talis fuerit offensio, ut ad satisfactionem obliget, tunc servandæ sunt regulæ generales de conscientia; nam, si tale dubium fuerit speculativum, nihil refert per se consideratum, sed solum juxta practicum judicium, quod (illo non obstante) certum esse potest;

et quia hoc judicium practicum agendi, vel non agendi, semper potest esse certum, non obstante dubio speculativo, vel opinativo, ideo ad tale judicium attendendum est. Nam fieri potest, ut ex aliquo generali principio, v. gr., quod in dubio melior est conditio possidentis, vel quod in operando licet sequi opinionem probabilem, vel ex alio simili, adjuncto illo dubio speculativo, formet quis hoc judicium practice certum : *Hic, et nunc non teneor satisfacere*. Vel e contrario etiam fieri potest, ut ex alio principio cum illo dubio inferatur aliud judicium practicum, ut v. gr., quod in dubiis pars injuste læsa seu offensa melioris est conditionis, vel aliud simile. Atque ita ad certitudinem practicam de debito satisfactionis attendendum est; nec possumus hic aliam regulam in particulari tradere, sed ad scientiam, et conscientiam judicis, seu confessoris, pertinebit de obligatione judicare.

46. *Per hujusmodi Bullas potest dari absolutio a censuris, quæ non requirunt satisfactionem*. — Ex quo tandem fit, si excommunicatio talis sit, quæ nullam satisfactionem partis læsæ requirat, tunc posse per hujusmodi privilegia tolli absque alia satisfactione, quia hæc clausula non additur in Bulla, seu privilegio, ad limitandam potestatem absolvendi a solis illis delictis, quæ habent partem læsam; sed solum ut, quando necessaria est talis satisfactio, præmittatur; hæc est enim evidenter intentio Pontificis, et communis omnium interpretatio. Dices : semper est aliqua pars læsa, saltem Ecclesia, seu Prælatus, cui per contumaciam injuria est facta. Respondetur primum : huic injuriæ satisfit sufficienter per pœnitentiam, et adhibendo cautionem vel juramentum de parendo Ecclesiæ mandatis, si res pendeat in futurum, et non possit statim executioni mandari; nam, si possit, etiam debet prius fieri; ut, v. gr., si concubinarius excommunicetur ab Episcopo, donec cum effectu concubinam ejiciat, non est absolvendus; si tamen illam ejiciat cum proposito et promissione non amplius redeundi ad illam, non est ab illo exigenda alia satisfactio, nec tenetur, v. gr., solvere pœnam, quia istam non debet donec condemnetur. Et eadem ratione non est cogendus solvere expensas, v. gr., stipendium tabellionis, aut judicis, etc., etiamsi in foro exteriori ad hæc omnia sit compellendus, quia etiam hæc non debentur, nisi servato ordine illius fori, juxta cap. Venerabilibus, § Porro, de Sentent. excomm., in 6. Quod recte notavit Soto, et eum sequitur Guttierr., locis citatis.

47. *Quid per partem intelligatur.* — Qui propterea recte addunt, in illa clausula, *Satisfacta parte,* per partem non intelligi Prælatum præcipientem vel excommunicantem, sed aliquam aliam personam offensam; nam illa offensio judicis generalis est in omni censura, et similiter obedientia, seu cautio parendi Ecclesiæ generaliter requiritur in omni censura; ibi autem aliquid speciale proponitur pro absolutione ab his censuris, et delictis, quæ in alicujus injuriam vel offensionem facta fuerunt. Unde illa satisfactio in proposito idem est quod restitutio, sive honoris, sive famæ, sive aliorum bonorum. Cujus rei exemplum optimum est in Concil. Trident., sess. 25, cap. 12 de Reformat., ibi : *Nisi plena restitutione sequuta*. Ultimo tandem advertendum est, tanti ponderis esse hanc satisfactionem juxta Pontificis intentionem, ut Pius V, in Jubilæo anni 1568, declaraverit hujusmodi absolutionem, quæ fit satisfacta parte, etiam in foro exteriori suffragari, quod notavit Bartholomæus Medina, in sua instructione confessorum, cap. 12, quod intelligendum puto juxta superius dicta, et magis explicabitur infra tractando in particulari de excommunicatione, et ejus absolutione.

SECTIO VI.

Quæ conditiones requirantur ex parte absolventis, ut absolutio a censura recte feratur.

1. Hactenus explicuimus potestatem, quæ est velut fundamentum ad ferendam absolutionem, et consequenter declaravimus quisnam possit absolvere. Unde etiam constat (saltem in communi) circa quem possit hæc absolutio exerceri. Nam, cum absolvens debeat esse Prælatus, seu superior habens jurisdictionem, consequens est, ut is qui absolvitur, debeat esse subditus; nam hæc correlativa sunt. Et præterea necesse est, ut absolutione indigeat, id est, ut sit ligatus, quia solvi non potest, quod ligatum non est. His ergo positis, videndum superest, quæ aliæ conditiones ex parte utriusque extremi requirantur, ut hæc absolutio, et valide, et recte ferri possit.

2. *Absolvens a censura debet esse clericus.* — Et primum ex parte absolventis necessarium est, ut sit clericus. In quo fere eadem regula servanda est, quæ de ferente censu-

ram fuit data, quia potestas ligandi et solvendi quandam æqualitatem, seu proportionem servat; ille enim potest solvere, qui potuit ligare, per se loquendo; sicut ergo non ligat, nisi clericus, ita non absolvit, nisi clericus. Et e converso, sicut ad ligandum non est necessarius ordo sacerdotalis, sed inferior sufficit, imo et prima tonsura, ita etiam ad absolvendum, si jurisdictio non desit. Solum est advertendum, quando hæc potestas conceditur, seu delegatur per Jubilæa, aut similes Bullas vel privilegia, regulariter concedi solis sacerdotibus, quia vel solum vel præcipue conceditur in ordine ad pœnitentiam et absolutionem sacramentalem, quæ a solis sacerdotibus dari potest.

Possitne in articulo mortis absolutio a censura per laicum vel clericum non sacerdotem impendi.

3. Dubitari autem potest, an in aliquo casu possit laicus absolvere a censura, et præcipue quæri solet de articulo mortis, seu necessitatis extremæ. In quo certum est, quemlibet sacerdotem posse absolvere a quolibet casu reservato, et consequenter a qualibet censura, si desit proprius sacerdos, juxta doctrinam Concil. Trident., sess. 14, cap. 7, supra declaratam, cum de pœnitentia ageremus. Unde si adsit sacerdos, certum est nullum alium posse absolvere a censura, tum quia absolutio a censura in illo articulo præcipue conceditur propter absolutionem sacramentalem; tum maxime, quia hæc est intentio Ecclesiæ, ut constat ex usu et traditione, et ex juribus, quæ de hac materia loquuntur, quale est capit. ult. de Sepulturis, et 25, quæst. 6, per multa capita, in quibus generatim de pœnitentium reconciliatione sermo est.

4. *Ratio dubitandi pro parte affirmativa.* — Solum ergo est dubium, quando deest sacerdos, an quilibet etiam laicus possit absolvere. Et ratio dubitandi est : nam Ecclesia, saltem Summus Pontifex potest hanc potestatem laico concedere; ergo credendum est concessisse, et hanc esse ejus voluntatem. Patet consequentia, quia etiamsi ille non possit absolvere a peccatis, ipsa absolutio a censura per se est valde utilis, multumque potest conferre ad salutem animæ; ergo, cum Ecclesia omnibus modis hanc procuret fidelibus, et propterea in illo articulo det jurisdictionem ad absolvendum a peccatis, omnibus qui sunt capaces illius, eadem ratione credendum est dare illam ad absolvendum a censura, omnibus, qui sunt capaces talis jurisdictionis, cujusmodi sunt etiam laici. Et confirmatur : nam, licet contingat hominem existentem in articulo mortis non posse absolvi a peccatis, quia nullo modo confessus est, neque habet usum rationis, aut sensuum, ut confiteri possit, nihilominus a quolibet sacerdote simplici potest a sola censura absolvi; ergo signum est, hanc potestatem non dari solum seu præcise propter confessionem sacramentalem, sed etiam per se propter fructum talis absolutionis; ergo ob eamdem causam concedi debuit hæc potestas cuilibet capaci illius, eo vel maxime quod si de jure scripto agamus, nullum est expressum, in quo hæc facultas concedatur sacerdoti extra sacramentum pœnitentiæ, sed ex benignitate Ecclesiæ colligitur; ergo ex eodem principio extendi poterit ad laicos.

5. Et hanc sententiam sequuta est Gloss. in cap. A nobis, 2, c. Non potuerit, de Sent. excomm., et in cap. Pastoralis, § Præterea, vers. *Præterquam in morte,* de Offic. ord., et allegat textum in cap. Quem pœnitet, de Pœnit., dist. 1, ubi August. consulit, quod, si deest sacerdos, confiteatur quis proximo. Sed inde nihil probatur, quia illa confessio non est ad absolutionem, sed ad humilem correptionem, et ad aliquod juvamen. Citat etiam cap. Sanctum est, de Consecr., dist. 4, ubi ex Augustino refertur, quemdam pœnitentem reconciliatum esse a laico in vitæ periculo, et quamvis non constet illam reconciliationem fuisse absolutionem a censura, quia publici pœnitentes non semper erant excommunicati, tamen ex similitudine rationis sumitur probabile argumentum. Et licet idem Augustinus fateatur historiam illam esse incertam, tamen laudat factum, et pium animum, et credit, Domino placuisse illud consilium in tali periculo. Et hanc sententiam sequitur Sylvest., verb. *Absolutio,* 1, n. 8; Armilla, num. 39; Tabiena, verb. *Absolutio,* 2, num. 8; et idem sentit Panorm., dict. cap. A nobis, num. 20.

6. *Pars negativa verior.* — Contraria nihilominus sententia magis probata est a recentioribus, tam Theologis, quam Canonistis. Tenet eam Paludan. in 4, dist. 20, art. 2, ubi absolute loquitur de quolibet non sacerdote; eum sequitur Soto, dist. 18, q. 4, art. 4, ubi loquitur tantum de laico; tamen cum citet et sequatur Paludanum, videtur per laicum ibi

intelligere quemlibet non sacerdotem, maxime cum dicat, ab excommunicatione posse absolvere judicem etiam laicum, quod falsum esset, nisi in ea significatione nomine laici uteretur; eamdem opinionem de laico tenet Navarr., de Pœnitent., dist. 6, c. 1, in princ., num. 83, citans Glossam in cap. Præter, verb. *Duci,* dist. 32; sed ibi nihil aliud dicit, nisi prohibitum esse Prælatis Ecclesiasticis, ne hujusmodi spirituales jurisdictiones laicis committant, Summum vero Pontificem posse id facere; an vero id faciat in articulo necessitatis, nihil dicit. Idem dicit Navar., in Summ., c. 26, num. 26, et c. 27, num. 252; Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 11, num. 9; Jacob. de Graffis, lib. 4 Decisionum, cap. 15, n. 79; et Ugolin., tab. 1, cap. 4, § ult., num. 7.

7. *Prima conclusionis ratio.* — Rationes hujus sententiæ sunt. Primo, quia absolutio a censuris in eo articulo non conceditur, nisi ut præambula, et quasi dispositio quædam ad absolutionem a peccatis. Sed hoc fundamentum falsum est, quia absolutio a censuris per se conceditur, etiamsi absolutio a peccatis dari non possit, ut probant argumenta prius facta. Et Concil. Trident., sess. 14, cap. 7, absolute dicit, omnes sacerdotes habere in eo articulo potestatem absolvendi a peccatis, et censuris, non constituendo ordinem nec necessariam connexionem unius absolutionis cum alia, ut bene notavit Ugolin. sup., num. 4 et 5, ubi ait, non solum posse absolvi a quolibet sacerdote aliquem a censura in articulo mortis, etiamsi non absolvatur a peccatis, si contritionis signa exhibuit; sed etiam si illa non exhibuerit, validam futuram absolutionem, quamvis sacerdos peccet illam conferendo. Quod etiam sensit Navarr., cap. 27, num. 272. Itaque hæc ratio sumpta ex connexione utriusque absolutionis solida non est.

8. *Secunda ratio.* — *Rejicitur.* — Aliam afferunt Paludan. et Soto, quia absolutio a sola censura non est necessaria corpori ad sepulturam Ecclesiasticam, quia quoad hoc dari potest talis absolutio post mortem; nec etiam est necessaria animæ ad gratiam, quia ad hoc per se non prodest sine absolutione a peccatis. Sed hæc etiam ratio non omnino satisfacit. Nam, ut Panormitan. notavit, multum referre potest, quod illa absolutio in vita detur, ne cogatur hæres pro absolutione defuncti ad Papam recurrere, vel ad eum, a quo vivens fuerat absolvendus; nam post mortem jam non poterit a quolibet sacerdote absolvi, ut supra notavimus. Unde tam ad effectum sepeliendi corpus in loco sacro quam ad bonum animæ multum proderit illa absolutio; nam si expectetur absolutio post mortem, sæpe obtineri non poterit intra multum tempus, ac proinde necessarium erit corpus sepelire, seu reponere extra locum sacrum, ex quo aliquod scandalum, et aliquod genus infamiæ oriri solet. Anima etiam licet non privetur gratia gratum faciente, privatur tamen suffragiis communibus Ecclesiæ, eamque ob causam plus temporis in purgatorio detineri poterit, quod parvum detrimentum non est. Non est ergo dubium, quin illa absolutio in vita obtenta utilissima sit, quæ potest dici etiam moralis quædam necessitas, sufficiens, ut ea de causa Ecclesia providere potuerit, vel etiam debuerit, aliquem faciliorem modum ad obtinendam illam.

9. *Vera conclusionis ratio.* — Ratio ergo, quæ me maxime in hanc sententiam adducit, est, quia neque ex jure aliquo, neque ex usu habemus, quod Ecclesia hanc potestatem laico concesserit, etiam pro articulo mortis. Unde, cum alioqui per se sit odiosum, et a jure alienum, quod spiritualia per laicos ministrentur, ut constat ex cap. Decernimus, de Judiciis, et cap. Si vero, de Sent. excom., et cap. Bene quidem, 96 dist., non est propter solas congruentias, absque majori fundamento, hæc potestas ad laicos extendenda. Eo vel maxime, quod in re, quæ solum ad quandam utilitatem pertinet, et valde accidentariam, satis est ut, moraliter loquendo, vix possit accidere casus in quo non possit per simplicem sacerdotem huic incommodo provideri; nam et copia sacerdotis fere semper invenitur, et casus censuræ reservatæ in articulo mortis non est adeo frequens, ideoque raro accidere potest, ut ob defectum hujus potestatis laico concessæ detrimentum aliquod magni momenti fideles patiantur. Quod si interdum id contingat, minus incommodum reputatur, quam ut potestas laicis concedatur, qui facile abuterentur ea, vel nimium illam extenderent.

10. Qui discursus potissime procedit de laicis rigorose sumptis, ut a clericis in genere distinguuntur; verumtamen quatenus fundatur in usu, vel consuetudine, videtur etiam procedere de quolibet non sacerdote, quia jura, quæ de hac concessione pro articulo mortis loquuntur, semper nominant sacerdotem, ut patet ex Concil. Trident., sess. 14, cap. 7, et consuetudo solum videtur esse de sacerdotibus. Atque ita videntur loqui, et

sentire Navarr., Covarr., Soto, et alii, dum aiunt, illi tantum commissam esse in illo articulo absolutionem a censura, cui absolutio etiam a peccatis est commissa. Quod etiam sensit Paludan. in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 1, concl. 3, in fine, licet paulo inferius ad finem quæstionis, num. 27, oppositum dicere videatur; priorem vero sententiam iterum confirmat dist. 18, quæst. 5, art. 1, num. 10, et 20, quæst. 1, art. 2.

11. *Conclusio ad quoslibet clericos non sacerdotes extenditur.* — Nihilominus tamen Ugolin., sup., num. 6, ait, judicem Ecclesiasticum, qui potestatem habet excommunicandi et absolvendi, licet sacerdos non sit, posse in articulo mortis absolvere a censura quemlibet etiam non subditum, quem extra illum articulum absolvere non posset, quia est, v. gr., alterius territorii. Fundatur autem solum in quadam pia interpretatione voluntatis Ecclesiæ, et in quadam proportione, quia sicut jurisdictio absolvendi a peccatis, quam parochus ordinarie habet in suos subditos, extenditur ad alienos et ad quoscumque in articulo mortis, ita jurisdictio, quam judex Ecclesiasticus habet ad absolvendos subditos in sua diœcesi, extendi videtur, ex pia Ecclesiæ interpretatione, ad non subditos in necessitatis articulo. Cui opinioni favet Paludan., dict. dist. 18, quæst. 5, num. 10, quatenus ait, in articulo mortis posse aliquem absolvi ab excommunicatione a quolibet sacerdote, vel ab eo qui alias potest absolvere ab excommunicatione, licet non ab illa, significans illam jurisdictionem quasi extendi vel ampliari in illo casu ob necessitatem, etiamsi is, qui illam habet, sacerdos non sit. Sed, licet hoc probabili conjectura dictum sit, tamen in actibus, qui a jurisdictione pendent, mihi non videtur fundamentum sufficiens, ut eos validos esse asseramus, præsertim cum in his non habeat locum, nec sufficiat ratihabitio de futuro, ut supra dixi tractando de ministro confessionis, et notavit Paludan. in 4, dist. 17, q. 3, in fine. Quapropter probabilius censeo, ob necessitatem articuli mortis solis sacerdotibus concessam esse hanc facultatem.

12. Adde, quod diaconus, et a fortiori quilibet inferior non Prælatus, neque habens ordinariam jurisdictionem ad excommunicandum vel absolvendum, non censetur habere illam pro articulo mortis, juxta communem sententiam, quam Ugolinus admittit; ergo, quamvis jurisdictionem habeat circa alias personas vel circa alios casus, si tamen eam non habet in hanc personam vel in censuram ejus, respectu illius perinde se habet, ac si nullam haberet; ergo non magis illam habet ratione articuli mortis, quam alius; patet consequentia, quia illa jurisdictio quantum ad hunc effectum impertinenter se habet, et illa concessio revera est novæ jurisdictionis, quæ nullo jure habetur, et, si conjecturæ sufficerent, eædem fere habent locum in diacono vel alia persona Ecclesiastica, præsertim in dignitate constituta, nullam jurisdictionem habente. Sicut in exemplo illo, quod afferebatur de absolutione a peccatis; nam hæc, sicut conceditur parocho circa alienos subditos in articulo mortis, ita conceditur sacerdoti nullam jurisdictionem habenti circa peccata mortalia; si ergo in hoc non sumitur similitudo, cur accipitur ex alio membro? Itaque necessitas hujus absolutionis a censura in articulo mortis non tanta reputata est ab Ecclesia, ut eam ob causam aliis quam sacerdotibus deleganda visa fuerit. Et fortasse occasio fuit, quia præcipue ad absolutionem sacramentalem concessa est, quamvis, postquam semel data est illa potestas, possit sacerdos ea uti ad absolvendum a censura, quando ob circumstantias occurrentes sacramentaliter absolvere non potest. (Vide, circa hanc primam conditionem, Henricum, lib. 13 de Excomm., cap. 24, lit. C.)

Absolutionem a censura debere procedere ex libera voluntate, præcedente scientia proportionata.

13. Secunda conditio in absolvente requisita esse potest, ut ex certa scientia et libera voluntate absolutionem conferat. Prior enim conditio ad actum primum seu potestatem magis pertinere videtur; hæc vero potius ad usum et actionem ipsam, quæ, cum humana sit, requirit consensum et intentionem operantis, sicut supra dictum est de actu excommunicandi; est enim eadem vel major ratio. Unde cum liber consensus supponat cognitionem, necesse est, ut in hoc etiam actu sufficiens cognitio causæ præcedat, juxta rationem et modum absolvendi. Nam ut supra dicebam, non semper necesse est, ut absolvens in particulari cognoscat alium esse ligatum; potest enim, si vult, absolvere ratione dubii, seu periculi, sub ea conditione, *Si indiges*, ad quod sufficit illa generalis cognitio, quod potest quis esse ligatus, etiamsi ignoret, et quod accedat voluntas tollendi vinculum, si for-

tasse sit. At vero, quando sacerdos seu judex absolvit a censura determinate et in particulari, et non vult absolvere, nisi juxta merita causæ, tunc necesse est, ut præcedat cognitio proportionata. Ex quo fit, ut si intercedat fraus et dolus, seu error in re substantiali, ex eo capite possit absolutio reddi nulla. Ut si reus falsis testimoniis probet se satisfecisse parti læsæ, cum revera non satisfecerit, vel si in confessione dicat se non posse, cum tamen possit, vel si dicat se habere propositum parendi Ecclesiæ, cum non habeat, vel, si in foro exteriori apostata profiteatur fidem, et in corde ad Ecclesiam non redeat, absolutio a censura, etiam data per inquisitores, est nulla; ita ut, licet ille postea resipiscat interius (quod est valde notandum), nihilominus peccatum hæresis vel apostasiæ a fide prius commissum æque reservatum maneat, ac erat ante absolutionem, quia permanente eadem censura, perseverat eadem reservatio; manet autem eadem censura, quia absolutio est nulla, ut dictum est; est autem nulla ex defectu consensus voluntarii ipsius judicis; nam ignorantia illa, quæ ex deceptione procedit, involuntarium causat, ut constat ex 1. 2.

14. *Absolutionem per vim aut metum extortam ipso jure nullam esse. — Cap. unic. de Iis quæ vi, in* 6, *expenditur.* — Ex quo principio inferunt auctores absolutionem extortam per vim et metum nullam esse ex defectu voluntarii consensus, ut definitur in c. unico, de Iis quæ vi, in 6, ubi notanda sunt illa verba : *Omnino viribus vacuamus;* quibus significatur, talem absolutionem natura sua non esse nullam, quia metus non reddit actum absolute involuntarium, sed tantum secundum quid, de quo alias. Posset enim in controversiam hoc adduci, quæ generalis est, sed ad rem præsentem sufficit, talem absolutionem jure positivo nullam esse. Sunt autem notanda verba illius canonis, quæ valde generalia sunt. Primum ex parte censuræ; nam expresse extenditur ad omnem censuram, et ideo in omni genere et specie censuræ tam majori quam minori locum habet, ut Gloss. et Doctores exposuerunt, quia verba textus sunt generalia, et pertinent ad favorem, vel potius ad justam defensionem Ecclesiasticæ potestatis; et ideo omnes censuras comprehendunt. Secundum ex parte absolutionis fit expresse in illo textu extensio etiam ad revocationem censuræ. Dicitur autem revocari censura, quando sub tali conditione lata fuit, vel intra certum terminum, et postea, antequam contrahatur, mandatum vel censura revocatur; tunc etiam, si revocatio facta sit per vim, et metum, ex vi illius decreti revocatio est nulla, ita enim expresse distinguit et statuit. Quapropter non obstante illa revocatione censura contrahetur, si prius præceptum violetur.

15. *Qualis metus, et a quo inferendus sit, ut absolutio sit nulla.* — Tertio ex parte vis et metus etiam verba illius canonis absoluta et generalia sunt. A quocumque ergo inferatur, idem erit. Oportet tamen, ut vis vel metus gravis sit, ita ut in constantem virum cadat, ut omnes interpretantur, tum ex communi usu juris, tum etiam ex ratione, in qua hic usus fundatur, scilicet, quia solus hic metus causat involuntarium morale, quod sufficiat ad irritandum consensum, seu voluntatem. Necessarium etiam est, ut talis vis, vel metus illatus sit ab homine ad extorquendam absolutionem. Posset enim interdum inferri a Deo, vel Angelo; ut si Prælatus Ecclesiasticus male faceret non absolvendo, et divinitus induceretur speciali aliquo terrore, aut vi, vel nocumento illato, id nihil obstaret, quia jura humana nihil de his possunt disponere, sed de his, quæ fiunt humana vi vel metu. Imo necessarium videtur, ut talis vis, vel metus per injuriam inferatur; nam, si vis tantum consistat, vel in denegandis beneficiis gratuitis, vel in pura et justa defensione, illa non potest appellari vis, nec metus inde conceptus potest dici cadens in constantem virum.

16. Dubitari vero posset, si metus ille inferatur ab aliquo non subdito Ecclesiæ, ut, v. gr., ab homine, vel principe gentili, an etiam tunc decretum hoc locum habeat. Sine dubio tamen affirmandum est, tum quia hæc lex directe irritat actum absolventis, qui est Ecclesiæ subditus; tum etiam quia ille gentilis in hoc infert injuriam Ecclesiæ, quæ potest se defendere. Imo, licet ille alioqui esset non subditus, quantum ad hunc actum fit subditus, ita ut habeat jus Ecclesia non solum se defendendi, sed etiam puniendi, et vindicandi illam injuriam, si possit.

17. Et hæc sufficiunt de conditionibus requisitis ex parte absolventis. Nam de cæteris conditionibus idem sentiendum est de absolvente, quod de excommunicante. Unde quæ superius de hoc diximus, in præsenti applicari cum proportione possunt. Est autem in jure specialiter declaratum in c. Ad aures, de Simonia, hanc absolutionem debere gratis

conferri, alioqui simoniæ vitium committetur, ut ibidem significatur, per hoc autem non tollitur, quin propter contumaciam, et culpam possit is, qui censura ligatus fuit, pœna pecuniaria affici; sed de hoc alias.

SECTIO VII.

Quæ conditiones in eo requirantur, qui absolvendus est.

1. Quia hæc res fere constat ex dictis, brevissime eam expediemus. Advertendum est ergo, has conditiones esse posse, vel de substantia absolutionis, ut valida sit, vel solum ut recte et juste fiat; potest enim, ut supra dixi ex cap. Venerabilibus, de Sent. excom., in 6, absolutio valida esse, quamvis judex Ecclesiasticus male faciat illam præstando, vel in eo actu non debitum ordinem et modum servando. Priori modo fere nulla est conditio necessaria ex parte personæ absolvendæ, præter eam quæ jam tacta est, scilicet, quod sit subditus aliquo modo, in hac jurisdictione fori contentiosi, illi, qui absolutionem præstiturus est, quia, ut dicebam, hæc duo correlativa sunt, habere jurisdictionem in alterum, et hunc subdi jurisdictionem habenti. Quo fit, ut hæc subjectio proportionata sit jurisdictioni. Nam ei, qui jure ordinario superior est, vel gerenti vices ejus etiam in foro externo, inferior est subditus necessitate quadam, seu propria inferioris obligatione; ei vero, qui habet hanc potestatem solum delegatam in ordine ad forum conscientiæ, alter non subditur, nisi voluntate sua in ordine ad hunc effectum ei subjiciatur, quia forum illud, ad quod ordinatur illa potestas, voluntarium est.

Absolutus debet esse persona distincta ab absolvente.

2. Atque ex hac conditione, ejusque explicatione sequitur primo, necessarium esse, ut is, qui absolvitur, sit persona distincta ab absolvente, quia nemo est sibi subditus, neque habet jurisdictionem in se ipsum. Præsertim ad ferendam sententiam in judicio, ad quod hujusmodi absolutio pertinet. Item, quia potestas ligandi et absolvendi, per se loquendo, circa eosdem versatur; sed nemo potest excommunicare se ipsum; ergo neque absolvere. Quocirca omnia, quæ de potestate ferendi censuram quoad hanc conditionem diximus, ad hunc locum applicari possunt.

3. *Debeatne absolutus esse homo vivus.* — Dubitari vero potest circa hanc conditionem, an necessarium sit, ut is, qui absolvitur, sit persona vivens vitâ mortalium, quia hoc videtur necessarium, ut sit subditus, cum potestas humana non se extendat ultra hanc vitam, juxta illud : *Quodcumque ligaveris super terram*, etc.; sed hoc nihil est aliud quam quærere, an mortuus possit a censura absolvi. Quam rem satis tractavi in sect. 1 hujus disputationis, ubi dixi, aliquo modo absolvi, quanquam illa absolutio respectu defuncti potius sit declaratio quædam; nam, ut est solutio, potius refertur ad vivos, qui liberantur onere et obligatione vitandi alium, quantum ad illud genus communicationis vel actionis, quæ cum defuncto, vel ratione animæ, vel ratione corporis esse potest. Eo tamen modo, quo absolutio fertur in mortuum, requiritur etiam ut ille sit aliquo modo subditus, quia etiam tunc jurisdictio necessaria est. Dicitur autem subjectio durare post mortem quoad hunc effectum, vel secundum corpus, in quod Ecclesia et Prælatus ejus aliquod jus habet, vel secundum animam, quatenus actiones vivorum illi prodesse possunt.

4. *Sitne ad absolutionem necessaria præsentia localis.* — Rursus vero inquiri potest, an sit etiam necessaria præsentia localis ut quis absolvi possit. Et breviter respondeo, hanc conditionem non esse simpliciter de necessitate absolutionis. Quod imprimis manifeste patet ex dictis supra de ipsa censura. Nam, si ligari potest absens, ut ostendimus, multo magis absolvi, quia potestas absolvendi est magis ampla, et faciliorem usum habere debet, quam potestas ligandi. Item id constat ex usu Ecclesiæ; nihil enim frequentius est quam absentem absolvi, aut verbo, aut quod frequentius fit, scripto. Quod etiam colligitur ex c. Quando, 2, quæst. 5, ubi Greg. testatur cuidam Episcopo absenti communionem reddidisse, id est, eum ad communionem revocasse. Et per rescripta Pontificia quotidie fertur hujusmodi absolutio, præsertim ad certam causam, vel effectum. Quando vero talis absolutio incipiat esse valida, seu habere effectum, an quando profertur, an quando ad notitiam alterius pervenit, ex intentione ferentis pendet, quæ ex verbis ejus, et circumstantiis colligenda est; respectu vero aliorum tunc incipiet operari, quando ad eorum notitiam pervenerit.

Absolutio censuræ invito impendi potest.

5. Secundo colligitur ex dictis quomodo intelligenda sit communis sententia, quæ affirmat absolutionem censuræ posse ferri in invitum, et consequenter quoad hanc conditionem esse differentiam inter absolventem, et eum, qui absolvitur; nam in illo requiritur libera voluntas absolvendi, ut dictum est; in hoc autem non est necessaria, sed potest absolvi ignorans, et consequenter non consentiens, vel etiam sciens, et positive invitus. Quæ doctrina communis est, et vera, per se spectata natura et conditione censuræ; ita enim intelligenda est, et traditur a Theologis, in 4, d. 18; D. Thom., quæst. 2, art. 5; Richard., art. 10, quæst. 1; Palud., 5 quæst., art. 3; Carthus., quæst. 4; et consentiunt etiam Canonistæ, ut patet ex Panormitano in c. Ab excommunicato, de Rescriptis, n. 20. Ratio vero est, quia censura non est culpa, sed pœna, et ideo etiam in invitum fertur, et eadem ratione tolli potest invito eo, qui absolvitur. Quæ ratio fundatur in propria natura censuræ; et ideo dixi, hoc procedere, *per se spectata natura censuræ;* nam aliunde ex modo, seu limitatione potestatis potest requiri consensus personæ absolvendæ, sicut dicebamus paulo antea de absolutione censuræ, quæ datur per potestatem delegatam in ordine ad forum pœnitentiæ; nam per illam non potest quis absolvi a censura, nisi voluntarie se subdat in tali foro, et consequenter in eo velit absolvi. Quod secus est in habente jurisdictionem ordinariam, qua uti potest etiam in invitum.

6. *Limitatur et expenditur proxima regula.*— Aliqui vero hoc limitant, præterquam in casu hæresis, in qua, si aliquis pertinax perseveret, absolvi non poterit. Alii limitationem extendunt ad omnem excommunicationem juris, quæ fertur pro delicto quod semper durat, quamdiu durat contumacia, ut contingit in exemplo posito de hæresi, et simile erit si ipso jure feratur excommunicatio in eum, qui damnum intulit, et non restituit. Quod sentit Gabriel in 4, dist. 18, citans Leonem Papam, epist. 13, et habetur 24, quæst. 2, c. *Damnationis sententiam quicumque meretur accipere, si in suo sensu voluerit permanere, nullus relaxare poterit.* Et ratio est, quia cum illa censura ipso jure incurratur, quamdiu culpa durat, semper ipsum jus influit, ut ita dicam, ipsam censuram, et ideo durante illa voluntate tolli non potest.

7. Sed advertendum primo est, aliud esse loqui de voluntate perseverandi in delicto, aliud de voluntate petendi, vel obtinendi absolutionem; posset enim quis mutare voluntatem delicti, relinquendo errorem, si in illo versabatur, vel restituendo, etc., et nihilominus nolle absolvi, sed quia non vult subdi huic personæ, vel aliunde; et tunc poterit sine dubio absolvi invitus, etiamsi excommunicatio ipso jure indita fuerit, quia cum jam cessaverit delictum, cessat etiam ratio facta. Nec tale jus infert jam talem excommunicationem in futurum. Superior autem habet potestatem illam tollendi, quia non est alligata, aut pendens ex voluntate illius, qui eam contraxit. At vero quando voluntas perseverat in delicto, tunc etiam est distinguendum: nam, vel delictum est ex his, quæ habent tractum successivum (ut juristæ loquuntur), id est, quod pertinacia in eo semper est nova culpa, vel augmentum culpæ actualis, quoties pertinacia libera est, et moraliter voluntaria; vel est delictum, quod postquam semel commissum est, omnino transit quoad actum, et manet quoad reatum et obligationem pœnitentiam agendi. Quando delictum est hujus posterioris generis, etiamsi quis in eo sit impœnitens, nolitque satisfactionem exhibere, quæ jam non exigitur sub nova censura, ut suppono, et licet censura fuerit ipso jure imposita, potest ab illa absolvi invitus ab habente ordinariam potestatem, ita ut absolutio sic lata, rata sit et valida, propter rationem superius factam, quia ex parte absolventis est potestas sufficiens, ut supponimus, et illa actio per se non pendet ex voluntate, et dispositione alterius, neque etiam in eo casu jus ipsum infert continuo censuram, ut propterea tolli non possit.

8. *Quid de censura contracta ob delictum habens tractum successivum.* — At vero quando delictum est prioris generis, tunc repugnat censuram tolli perseverante eodem jure ex una parte, et contumacia ex alia, quia ratione talis contumaciæ semper est illa censura quasi in continua quadam conservatione, ex vi illius juris; et ideo nullus, qui non habeat jurisdictionem auferendi, aut suspendendi jus illud, potest talem censuram per absolutionem tollere. Et hac ratione non potest hæreticus absolvi a censura dum in sua pertinacia perseverat; nam illud delictum habet tractum successivum sufficientem ad contrahendam censuram; non est autem hoc proprium hæresis, sed commune omni

delicto habenti similem continuationem, ut est detentio rei alienæ, et similia. Dixi, *non habet potestatem auferendi, vel suspendendi jus illud,* nam qui hanc habuerit, poterit absolvere etiam invitum, et pertinacem; ut, v. gr., si Episcopus tulit contra aliquem censuram, donec restituat, et ille nolit restituere, potest Episcopus auferre suum particulare præceptum in futurum, et a contracta censura illum absolvere etiam invitum. Quia ablato præcepto in futurum, aufertur contumacia, et illa quasi continuatio, vel conservatio censuræ; quæ vero prius contracta fuit, tolli potest prædicto modo, sicut de aliis diximus. Et hoc etiam modo posset Pontifex absolvere aliquem pertinacem a censura hæresis jam contracta, impediendo, vel suspendendo censuram, quæ in posterum contraheretur ex vi juris communis propter talem contumaciam; procedit enim tunc eadem ratio.

9. *Possitne licite dari absolutio contumaci et invito. — Ugolini opinio.* — Sed quæret aliquis, esto in his casibus valida sit absolutio, an licite concedatur. Quidam Canonistæ censent id nunquam licere, ut late refert et defendit Ugolinus, tab. 1, cap. 19, § 2, num. 3. Primo, quia est contra institutionem, et usum Ecclesiæ, quæ præcipit, ut, si excommunicatus, vel alia censura ligatus in sua contumacia perseveret, aggraventur in eum censuræ, et aliæ pœnæ, donec resipiscat, ut constat ex variis decretis ab illo auctore relatis, in quibus ita fieri præcipitur in variis casibus. Secundo, quia, si aliter fiat, et aliis præbetur scandalum, et enervatur maxime vis censurarum Ecclesiasticarum, et delinquentibus præbetur occasio perseverandi in sua contumacia, scientes tandem fore absolvendos. Tertio, quia contra rationem videtur indignum absolvere; si enim juste ligatus est, quomodo potest juste absolvi? Et hanc partem videtur secutus Bonavent. in 4, d. 18, 2 part., quæst. 6, ubi absolute dicit, *de jure nullum excommunicatum absolvi, nisi cesset contumacia.*

10. *Secunda opinio.* — Nihilominus aliqua distinctione opus est, quam indicavit D. Thom. eadem dist. 18, quæst. 2, art. 5, quæst. 2, ad 2, dicens, *etiam manente contumacia, posse aliquem discrete excommunicationem juste latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata est,* et idem sentit Paludanus supra, addens, cavendum etiam esse ne scandalum sequatur.

11. *Censuram ab homine latam posse licite ab inferente relaxari, manente contumacia. — Quæ conditiones concurrere debent, ut hoc licite fiat.* — Itaque primum distinguendum censeo de censura lata ab homine, vel a jure; nam illa prior sine dubio potest interdum relaxari prudenter ab eo, qui illam tulit, etiamsi suum effectum consequutus non sit, sed subditus in sua contumacia permaneat. Probatur, quia hoc non est contra aliquod jus positivum, quod universaliter hoc prohibeat; nullum enim extat, vel citatur ab auctoribus prioris sententiæ. Neque etiam est contra rationem per se, et intrinsece, quia neque per se est contra justitiam, aut contra charitatem, aut aliam similem virtutem; et alioqui potest esse consentaneum charitati, si subditus saltem ob fragilitatem illo remedio indigeat; est etiam consentaneum fini censuræ, quæ pœna medicinalis est, et ideo si non prosit, sed potius detrimento sit, merito auferri potest. Tres autem conditiones observandæ sunt. Prima, ut talis absolutio non cedat in præjudicium tertii; nam ex hoc capite esse posset contra justitiam commutativam. Secunda, ut scandalum, vel contemptus censurarum caveatur; hinc enim absolutio esse posset contra charitatem, vel etiam contra justitiam legalem. Tertia, ut sufficienti experimento, et aliis signis et conjecturis constet, non sperari fructum ex tali censura, sed detrimentum potius sequi. Aliqui etiam addunt necessariam esse spem fructus et correctionis mediante absolutione. Satis vero est, quod non sit spes fructus mediante censura, ut possit judex prudenter periculum facere, et tentare aliam suaviorem viam.

12. *Censuram a jure posse auferri manente contumacia, nisi speciali jure cautum sit, ut pœnæ aggraventur.* — At vero quando censura est lata a jure, tunc in primis observare oportet, an a tali jure speciali præscriptus sit aliquis ordo progrediendi ab una censura ad aliam, et ad ulteriores pœnas, quando pertinacia durat. Tunc enim illud servandum est, quod jure est dispositum, quia et jus obligat, et declarat in eo casu non tam esse habendam rationem particularis commodi, vel correctionis privatæ personæ, quam publicæ punitionis talis delicti, et tantæ contumaciæ. Quod maxime verum habet in his Prælatis, qui inferiores sunt, et non possunt in jure dispensare. Nam Summus Pontifex, qui hanc habet potestatem, interdum poterit prudenter immutare illum ordi-

nem, si viderit vel communi bono expedire, vel saltem non repugnare, et aliunde sperari majorem fructum alicujus personæ. Inferior autem ordinarie hoc non potest, nisi alioqui habeat potestatem dispensandi in jure communi, vel id faciat per modum interpretationis, seu epicheiæ, quando et superior adiri non potest, et ex observatione talis juris majus commune detrimentum timetur. Quod si speciali jure nihil circa hoc præscriptum sit, sed solum sit censura pure lata, et in reliquis executio vel absolutio ad judicem spectet generali jure, tunc censeo dari locum prudenti arbitrio ipsius judicis, ut possit interdum licite absolvere invitum ab hujusmodi censura, sicut diximus in censura ab homine, et eisdem conditionibus servatis, quia hoc ipso quod jus non statuit oppositum, relinquit potestatem liberam, et expeditam, ut judex ea utatur in unoquoque particulari casu, prout judicaverit secundum occurrentes circumstantias magis expedire. Neque enim satis est, quod in aliquibus specialibus delictis aut censuris jura statuerint alium ordinem aggravandi pœnas, et cætera, ut id extendatur ad omnes censuras jure latas; nam hæc, quæ odiosa sunt, non sunt extendenda, sed restringenda. Et potius ex eo quod jura, quando id volunt, ita specialiter statuunt, nos colligimus id non esse universale in omnibus censuris jure ipso latis. Et hæc videntur sufficere de conditionibus his in genere sumptis; nam in speciali nonnulla postea addemus agentes de singulis censuris, et in sectione ultima hujus disputationis, indicando ordinem servandum in absolutione, quædam alia breviter attingemus.

SECTIO VIII.

Quotuplex sit absolutio a censura.

1. Quoniam et jure et consuetudine varii sunt modi absolvendi a censura, ut hæc materia plene intelligatur, eos omnes declarare oportet, propositis nonnullis divisionibus absolutionis, quibus et omnes illos modos explicabimus, et simul etiam significationes plurium nominum, quas cognoscere in hac materia maxime necessarium est.

2. *Prima divisio absolutionis in a jure, et ab homine.* — Primo ergo dividi posset absolutio in eam, quæ est a jure, vel ab homine, sicut in superioribus censuram diximus. Absolutio ab homine est illa, quæ hactenus a nobis explicata est, quæ fere sola est in usu; absolutio autem a jure erit, si sub hac forma feratur absolutio simul cum censura, *Si hoc fecerit, ex tunc sit absolutus,* de qua re diximus in sect. 1 hujus disput., et hic nonnulla addemus.

De secunda divisione absolutionis in absolutam et conditionatam.

3. Secundo ergo dividitur absolutio in absolute latam, et sub conditione. Prior per se manifesta est; est enim illa, quæ in verbis, et intentione absolventis nullam claudit conditionem; conditionata autem est, quæ sub conditione aliqua datur. Hæc autem conditio potest esse de præsenti, aut de præterito, vel de futuro. Si sit præsens, vel præterita, nullam habet difficultatem, quia non suspendit actum, vel effectum absolutionis, sed vel absolutio statim operatur, vel nulla redditur. Quia vel illa conditio ita fuit, seu est, sicut proponitur, et tunc transit sententia in absolutam, quia propositio conditionalis, conditione posita, æquivalet absolutæ; aut conditio non est posita in esse, et sic absolutio nulla redditur propter contrariam rationem. Non est ergo dubium, quin absolutio lata sub hac conditione valeat.

4. *An licite detur absolutio sub conditione de præsenti aut præterito.* — An vero licite vel illicite sic feratur, interrogare quis potest. Cui respondendum est, non semper esse illicitum sub tali conditione absolvere, sed interdum esse, vel necessarium, vel utile, ut quando de censura non constat, et ad majorem securitatem datur absolutio, prout frequenter fit a confessoribus ante absolutionem sacramentalem sub illa conditione generali, *Absolvo te, si indiges,* vel *quantum indiges.* Quam absolutionem prudenter peti et dari dixit Navarr., in Sum., cap. 26, num. 13. Conditio vero in illa adjecta adeo est intrinseca, ut implicite in qualibet absolutione contineatur, eo quod res ipsa necessaria sit, quia, nisi præcedat censura, non potest sequi absolutio, et si judex non habeat potestatem, nulla etiam erit absolutio. Quando vero de existentia talis conditionis dubitatur, merito additur illa conditio, ut declaretur rem esse dubiam, et ne videatur res temere intentari. Aliquando etiam potest prudenter addi illa conditio, *Si satisfecisti,* vel, *Si vere et ex corde a contumacia recessisti,* nam hæc etiam conditio implicite includitur in absolutione,

ut supra vidimus, et propter rationabilem causam ad incutiendum metum, vel tollendam ignorantiam, potest aliquando verbis declarari. At vero quando conditio est omnino impertinens, imprudenter additur, et non sine culpa, gravi quidem ex suo genere, quia est contra reverentiam rerum sacrarum, et abusus quidam Ecclesiasticæ potestatis; tamen in particulari ex gravitate materiæ potest esse levis.

An valida absolutio a censura sub conditione de futuro detur.

5. Majus vero dubium est de conditione de futuro, an sub illa tribui possit absolutio a censura, ita ut valida sit, vel etiam licite sic feratur. Et imprimis certum est, absolutionem sic datam, eo tempore, quo fertur, non habere effectum, et consequenter, neque simpliciter absolutionem esse; quia tunc conditio non est expleta; voluntas autem conditionata nihil operatur, donec conditio impleatur; ergo nec absolutio, quæ pendet ex voluntate absolventis, quæ conditionata fuit. Neque enim dici potest, quamvis nobis non constet, an conditio illa postea implenda sit, necne, tamen in re ipsa alteram partem determinate futuram esse; quod si ita futura sit, ut per conditionem exigitur, absolutionem statim ac profertur validam esse, et habere effectum; si vero conditio futura non sit, extunc esse prorsus invalidam, et nullam. Hoc (inquam) probabile non est, tum quia conditio non fuit de præsenti, scilicet, si hæc propositio de futuro est vera, sed fuit de futuro effectu, verbi gratia, *Si satisfeceris*, vel, *Si oraveris*, etc., et ideo licet demus cognovisse Deum illum effectum fuisse futurum, et consequenter propositionem de futuro fuisse veram eo tempore, quo adhibita fuit conditio, nihilominus non potuit absolutio extunc esse valida, quia non erat illa conditio apposita, sed alia quæ nondum erat impleta. Tum etiam quia, licet conditio fuisset posita in illo sensu de præsenti, scilicet : *Si nunc propositio de futuro contingenti vera est*, et Deus cognosceret veram esse, adhuc absolutio non esset valida, quia illa conditio excedit humanam cognitionem; et ideo respectu hominum reddit absolutionem illam omnino incertam, et inefficacem, ac propterea nullam. Non potest enim esse absolutio valida, nisi ex voluntate efficaci procedat, et per verba sufficienter significantia hominibus determinatum effectum exprimatur; neutrum autem habet absolutio sub illa conditione. Itaque certum est conditionem de futuro, ut minimum, suspendere absolutionem.

6. *Ratio dubitandi.* — Difficultas vero est, an etiam invalidet illam, et reddat nullam, ita ut etiam si postea expleatur conditio, nihil operetur. Et ratio dubitandi esse potest, quia absolutio sacramentalis data hoc modo sub conditione de futuro, nulla est, ut supra in proprio loco vidimus; ergo et absolutio a censura. Probatur consequentia a paritate rationis, quæ esse videtur, quia actus legitimus conditionem non recipit, ut Juristæ dicunt, ex l. Actus legitimi, ff. de Regulis juris, et Regul. 50, Eod., in 6. Propter quam rationem partem hanc secuti sunt Antoninus, 3 part., tit. 24, cap. 77, § 1; Sylvest., verb. *Absolutio* 3, in princ., et verb. *Excomm.* 2, num. 19; Angelus, Excommunicatio 2, num. 5, et verb. *Absolutio* 3; simpliciter enim dicunt, absolutionem sub hac conditione dari non posse.

7. *Vera sententia.* — Contrariam nihilominus sententiam tenet Navarr., de Pœnit., d. 1 cap., in princ., num. 64, et in Summa, cap. 26, num. 12, quem sequitur Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 11, num. 6. Fundamentum est, quia excommunicatio ferri potest sub conditione, ut nos supra probavimus; ergo et absolutio. Patet consequentia, quia majori favore digna est. Item quia nulla sufficiens ratio differentiæ assignari potest, quia etiam excommunicatio est actus legitimus. Item præceptum potest poni sub conditione, et dispensatio in præcepto potest etiam sub conditione fieri, et alii effectus, seu actus jurisdictionis; ergo etiam hic; nulla enim sufficiens ratio specialis assignari potest, cur magis hoc absolutioni repugnet, quam aliis actibus.

8. *Rationi dubitandi fit satis.* — Neque enim oportet, ut in hoc æquiparetur absolutio a censura absolutioni sacramentali, quia absolutio sacramentalis non potest suspendi, sed aut statim fit, quando forma profertur super debitam materiam, aut, si tunc non fit, semper manet nulla; quod si tunc fit, statim habet effectum, si in subjecto non est impedimentum; nec potest effectus suspendi per conditionem adjunctam ex intentione ministri, quia non inde pendet, sed ex Christi institutione, ut superiori tomo diximus. At vero absolutio a censura est quædam sententia humana introducta a jure positivo,

sicut ipsa censura; et ideo ejus effectus per se pendet ex voluntate ipsius absolventis, qui proinde potest adjecta conditione effectum suspendere, ut sequatur conditione posita; et tunc illa absolutio nec est omnino nulla a principio, nec statim efficax; sed est conditionata, et suspensa, donec tempus conditionis adveniat; hic enim modus proferendi sententiam in humano judicio, neque ex se, et ex sola rei natura nullus est, neque etiam ex jure positivo irritus factus est, in præsenti materia.

9. *Quid sit actum legitimum non respicere conditionem.* — *Circa hanc regulam vide Covarr. in 4, part. 2, cap. 3, num. 4.* — Neque illa regula, *Actus legitimi,* etc., quicquam obstat; nam ibi non statuitur pro generali regula, nullum actum legitimum posse fieri sub conditione, alioqui nec censura, nec dispensatio, nec præceptum posset sub conditione ferri, quia omnes hi sunt actus legitimi, id est, qui fiunt secundum legem, seu legalem justitiam, quod aperte falsum est. Regula ergo illa cum restrictione ponitur, scilicet, illos actus legitimos, qui non respiciunt diem vel conditionem, vitiari per temporis, vel conditionis adjectionem, inter quos actus non est absolutio, sicut nec excommunicatio, et juxta verba illius legis explicanda est similis regula, quæ in 6 Decretalium habetur, ut ibi Glossa insinuavit.

10. *Possitne hujusmodi absolutio licite dari.* — Sed quæres, esto possit esse valida absolutio sub conditione lata, an licite ita feratur. Navarrus absolute negat, sed peccare qui hoc modo absolvit, quia absolutio non debet esse in suspenso, argumento cap. Ad hæc quoniam, de Appellat. At vero Ugolin., tab. 1, cap. 22, § 1, num. 2, ad finem, ait, hunc modum absolvendi esse licitum, quia nulla ratione probatur malus, præsertim si conditio adjecta ad rem pertineat, ut, *Si satisfeceris,* etc. Neque etiam est speciali jure hoc prohibitum; nam licet in cap. Biduum, 2, quæst. 6, dicatur, sententiam non esse sub conditione ferendam, tamen in sententia censuræ, vel excommunicationis hoc locum non habet, ut supra dictum est; ergo eadem ratione non habebit locum in absolutione. Et possumus contra Navarrum retorquere argumentum ejus; nam censura potest sub conditione ferri valide et licite; ergo et absolutio, quia favorabilior est.

11. *Resolutio.* — Quocirca in rigore verum videtur, hunc modum absolvendi non esse per se malum, nec jure prohibitum; et ideo si prudenter observentur circumstantiæ necessariæ, et probabilis necessitas, vel utilitas occurrat, non erit peccatum id facere. Tamen regulariter loquendo, existimo esse illicitum, præsertim propter non usum Ecclesiæ, quia neque in jure est usitatus hic modus absolutionis, sicut est usitatus, modus ferendi censuram sub conditione, neque etiam in usu Prælatorum Ecclesiæ invenimus hunc absolvendi modum. Ratio autem esse videtur, nam vel is, qui absolvitur, eo tempore, quo absolvitur, dignus est absolutione, vel non; si est dignus, simpliciter absolvendus est, et immerito additur conditio suspendens absolutionis effectum; si vero non est dignus, non debet tunc absolvi sub conditione futuræ satisfactionis, vel dispositionis, tum quia ad officium judicis spectat hanc examinare et cognoscere; tum etiam quia inde potest ligatus facile sumere occasionem differendi satisfactionem, seu emendationem; ac denique quia semper est convenientius, ut exhibita satisfactione, vel correcta contumacia, peccator humiliter se præsentet Ecclesiæ ad obtinendam absolutionem. Propter hæc ergo regulariter non conceditur absolutio illo modo, neque invenio in jure absolutiones ita sub conditione concessas, sicut censuras, sed concedendas. Nam quia peccata occulte fiunt, et ab ipsis peccatoribus absconduntur, expedit aliquando ipso jure puniri, vel coerceri per censuras; quia vero satisfactio, vel resipiscentia, per se loquendo, non occultatur, et alioquin talis absolutio non coerceret, sed potius daret licentiam peccandi, ideo ipso jure non conceditur talis absolutio, nec concedi debet ab homine, nisi raro, et cum magna circumspectione, ut dixi.

De tertia divisione absolutionis in simplicem, et ad cautelam.

12. *Quid utraque sit.* — Tertio dividi potest absolutio in eam, quæ simpliciter, vel tantum ad cautelam conceditur; quæ substantialiter non differunt, sed tantum in modo conditionato, orto ex defectu cognitionis seu certitudinis ipsius censuræ. Quando enim certo constat hominem contraxisse censuram, et hoc fatetur ipse pœnitens, tunc fertur absolutio absolute et simpliciter. Contingit tamen aliquando censuram esse ignoratam, aut saltem dubiam, et tunc propter majorem certitudinem solet peti et dari absolutio; et

hæc vocatur ad cautelam, includitque illam conditionem, *Si indiges,* vel, *Si contraxisti.* De qua multa disputat Covarr., in cap. Alma, 1 part., § 12, num. 7, et Ugolinus, dicto § 1; omnia vero, quæ tractant, magis pertinent ad forum contentiosum, quam ad forum animæ, de quo nos præcipue agimus, et ideo circa hanc absolutionem pauca nobis advertenda sunt.

13. *Primus modus quo absolutio censuræ ad cautelam datur.* — Primum est duobus modis solere hanc absolutionem dari. Primo nulla præcedente cognitione, nec dubitatione censuræ, quæ non solum ad cautelam, sed etiam ad superabundantiam, et ad tollendum omne periculum dici potest; hoc autem modo non fertur sine aliqua occasione, vel causa; esset enim supervacaneum, alias passim repeti possent hujusmodi absolutiones. Maxime ergo fieri solet, aut ante absolutionem sacramenti pœnitentiæ, aut ante aliquem alium actum, cujus valor per censuram impediri posset, si fortasse adesset. Et quidem in sacramento pœnitentiæ maxime fit propter reverentiam ipsius sacramenti, et propter conjunctionem et subordinationem, quam per se postulat absolutio a censura, et a culpa, si utique fortasse necessaria sit. In susceptione autem aliorum sacramentorum non solet talis absolutio a censura præmitti, quia regulariter supponitur præmissa confessio; si tamen constaret, aliquem, v. gr., in articulo mortis non potuisse propter repentinum eventum confiteri, et dandum illi esset sacramentum extremæ unctionis, optimum consilium esset hujusmodi absolutionem a censura ad cautelam præmittere, et idem est dicendum in similibus casibus. In ministrando etiam sacramento Ordinis solent Episcopi hujusmodi absolutionem præmittere, propter speciale periculum incurrendi irregularitatem. In ordine vero ad alios actus, ut ad collationem beneficii, vel concessionem privilegii, etc., præmittitur talis absolutio propter vitandum omne periculum nullitatis, et humanam suspicionem, vel etiam omnem calumniam.

14. *Secundus modus absolutionis ad cautelam.* — Alio modo datur hæc absolutio ratione dubitationis censuræ; quæ dubitatio interdum oriri potest ex propria conscientia ipsius personæ, interdum esse potest in foro exteriori; et juxta modum dubitationis, ita erit talis absolutio conveniens vel necessaria in foro interiori, vel exteriori, poteritque concedi ab eo, qui a tali censura posset absolvere, si esset certa, et non ab alio. Primum patet, quia qui potest tollere certam, et a fortiori potest tollere dubiam; secundum autem probatur, quia hæc absolutio datur ad tollendam omnem dubitationem censuræ; ergo necesse est, ut qui sic absolvit, potestatem habeat tollendi censuram, si fortasse in re ipsa sit; alioqui semper idem dubium maneret; ergo hæc absolutio ab eo solum dari potest, qui absolute et simpliciter potest a censuris absolvere. Potest tamen contingere, ut censura sit reservata, quando de illa certo constat, non tamen si sit dubia, et tunc poterit quis ad cautelam de illa absolvi ab eo, a quo non posset, si alioquin de censura certo constaret; hoc autem provenit ex peculiari modo delegandi jurisdictionem, et reservandi talem censuram, qua reservatione seclusa, regula proposita generaliter procedit.

15. *Quale dubium requiritur, ut absolutio ad cautelam procuranda sit.* — Statim vero occurrit inquirendum, quale, et quantum esse oporteat dubium de censura, ut ratione illius vel necessarium sit vel expediat absolutionem ad cautelam procurare. Sed hæc quæstio ita generatim sumpta definienda est ex generalibus principiis de conscientia dubia, ubi tractatur, quomodo in dubiis securior pars sequenda sit. In particulari vero, quod ad hanc materiam spectat, explicabitur commodius in singulis censuris, et in materia de Irregularitate aliqua addemus. Nunc solum adverto dubium debere cadere in valorem vel nullitatem censuræ; nam si sit dubium de injustitia vel alio defectu qui non sit contra substantiam censuræ, tunc non habebit locum absolutio ad cautelam, sed simplex absolutio necessaria erit, quia non obstante illo dubio, constat censuram fuisse validam. Imo non solum in casu dubii, sed licet constet censuram fuisse inique latam, non tamen ex defectu contra substantiam, necessaria erit simplex absolutio, quia constat de vinculo re ipsa imposito, quamvis inique; ergo simpliciter necessarium est illud solvere.

De ultima divisione absolutionis censuræ in simpliciter, et ad reincidentiam.

16. *Quid sit absolutio ad reincidentiam.* — Ultimo dividi potest absolutio in eam, quæ dicitur ad reincidentiam, et simpliciter seu absque reincidentia. Explicato priori mem-

bro constabit posterius, de quo nihil ultra addere oportet, quia omnis absolutio, quæ non est ad reincidentiam, sub illo comprehenditur, et ita de illa procedunt, quæ hactenus dicta sunt. Igitur absolutio ad reincidentiam dicitur illa, per quam tollitur censura non in perpetuum, sed ita ut reditura sit post certum tempus, vel post talem effectum. Qui modus absolutionis valde frequens et usitatus est. Ratio vero illum introducendi fuisse videtur, quia censura non suspenditur (ut Juristæ aiunt cum Gloss., in cap. Præsenti, verb. *Declaravimus,* de Sent. excomm., in 6), id est, quamdiu permanet, operatur suos effectus, seu privat aliquibus actibus; interdum autem expedit vel necessarium est eum, qui censura ligatus est, reddere habilem ad aliquem actum vel effectum, aut eum absolvere pro aliquo tempore, et non omnino, sed cum conditione reincidendi, si hoc vel illud non faciat intra illud tempus.

17. *Absolutio ad reincidentiam duplex.* — Unde fit duobus modis hoc fieri posse, seu duplicem esse absolutionem ad reincidentiam. Una est, quæ ex intentione absolventis non conceditur ut perpetua, sed ad limitatum effectum vel tempus, et hæc non est proprie ad reincidentiam, sed absolutio ad actum, seu ad tempus, quæ frequentius datur ad cautelam, ut cum quis absolvitur (etiamsi de ejus censura non constet, nec dubitetur) ut possit testimonium ferre libere, cap. Veniens 2, in fine, de Testibus. Item, dum quis absolvitur ad solum hunc effectum, ut beneficii collatio valeat, ut est in communi praxi Ecclesiæ Romanæ, et colligitur ex cap. Apostolicæ, de Exceptionibus, et alia exempla superius posita sunt. Aliquando vero potest absolutio hoc modo dari non ad cautelam, sed ex certa scientia præexistentis censuræ, ut omnes Doctores docent, et colligitur ex his, quæ Covarr. tractat in cap. Alma mater, § 11, num. 6. Et ratio est clara, quia, sicut potest esse occasio, vel necessitas sic absolvendi ad cautelam, ita etiam esse potest absolvendi eodem modo a censura cognita, et in eo absolvendi modo nihil est contra rationem, si ex justa causa fiat.

18. *Objectio.* — Dices, quando censura ignoratur, merito aliquem ita absolvi, quia potest esse utile, et ipse præsumitur dispositus ad absolutionem; idemque est, quando res est dubia, præsertim, cum possit ita urgere necessitas, ut non detur locus inquirendi et expellendi dubium. At vero, quando de censura constat, nonnulla major videtur esse difficultas, quia vel ille est dispositus ad absolutionem, et recessit a contumacia, vel non: si primum, simpliciter absolvendus est, et non ad tempus vel ad actum; imo ablata semel censura, non iterum in eam incidet, quia jam non est contumax; si vero non est dispositus ad absolutionem, non est absolvendus etiam ad tempus vel ad specialem actum.

19. *Solutio.* — Respondeo, utroque modo accidere posse, ut rite et recte detur hæc absolutio. Primo quidem, quia contingere potest, ut, licet talis persona non sit ita disposita, ut absolutionem simpliciter mereatur, quia non omnino satisfecit, nec vere a contumacia discessit, nihilominus aliquis actus ejus necessarius sit Ecclesiæ propter bonum vel commune, vel alicujus tertiæ personæ, ut, v. gr., quod testimonium ferat in judicio, vel aliud simile; tunc ergo licite absolvi potest ad talem actum propter talem justam causam. Aliquando etiam ex benignitate Ecclesiæ vel pastorum ejus potest hoc fieri in commodum ipsius personæ, quæ sic absolvitur, ne grave aliquod damnum patiatur, si tali tempore sit excommunicatus vel incapax beneficii, etc. Nam hæc absolutio a censura non est aliquod sacramentum, ut propterea intrinsece malum sit, concedere homini in peccato permanenti; et ideo, si rationabili causa id faciat, licite fieri potest; quod etiam de absolutione totali supra ostendimus; multo ergo magis verum erit de hac absolutione ad tempus vel ad actum, quæ dici potest secundum quid.

20. *Duplici ex capite potest persona recte disposita ad reincidentiam absolvi.* — Deinde etiamsi persona sit disposita, et capax absolutionis simpliciter, fieri potest, ut, ex voluntate vel potestate absolventis, non simpliciter, sed solum ad talem actum absolvatur. Ex voluntate quidem, quia, licet fortasse plus posset, non tamen plus intendit, quia hæc potestas non operatur ultra intentionem, ut supra dictum est, sive illa limitatio intentionis ex malitia sit, sive quia major absolutio postulata non fuit, nec judex per se de illa agebat, sed solum tanquam de medio necessario ad talem actum. Ex defectu autem potestatis hoc potest provenire, quando absolvens alioquin non est judex talis censuræ, sed, solum ex potestate, quam habet ad aliam causam vel actionem, consequenter potest absolvere a censura, solum in ordine ad talem causam vel actionem; tunc enim non potest perfectio-

rem absolutionem tribuere, quantumvis persona digna sit, quia nihil interest ejus dispositio, si in alio non est potestas. Exemplum est, v. gr., in judice Ecclesiastico alicujus causæ, qui potest absolvere aliquem, ut in ea causa ferat testimonium, si aliud sufficiens haberi non possit, ut sumitur ex cap. Veniens, 2, de Testibus, ubi Abbas, num. 18, et alii, et tractat late Ugolin., tab. 1, cap. 4, § ult., n. 18. Dicitque esse hoc privilegium peculiari jure introductum, ut lites facilius expediantur, et ideo non esse extendendum ad collationem beneficii, vel alios similes actus. Quod etiam sensit Navarr., in cap. Ita quorumdam, de Judæis, notab. 11, num. 18 et 22. In eo igitur casu, quamvis absolutio ad talem effectum concedatur homini, quia ratione suæ dispositionis vel satisfactionis simpliciter absolvi posset, nihilominus a tali judice non potest absolvi, sed solum secundum quid, et ad talem actum, ex defectu potestatis.

21. *Quomodo possit homo, consummato actu, ad quem fuit absolutus, iterum in censuram incidere.* — Hinc vero nascitur difficultas, quomodo possit ille homo post consummatum actum, ad quem fuit absolutus, iterum in censuram incidere, cum jam non sit contumax, nec inobediens Ecclesiæ. Propter hanc difficultatem dixerunt aliqui Canonistæ, necessariam esse novam sententiam; Ugolin. vero cum communi ait, sine nova sententia priorem censuram iterum incurri. Et sine dubio non est necessaria nova sententia. Alias illa absolutio non esset limitata ad tempus vel actum, sed absoluta. Imo, si necessaria esset nova sententia in prædicto casu, non posset juste ferri, cum ille homo sit juste absolutus, et de novo non sit dignus censura. Ratio ergo, cur potest censura redire, est, quia redit ex vi prioris sententiæ, quæ justa fuit, et ita semper respicit illam contumaciam, in qua talis sententia fundata fuit. Cujus sententiæ effectus impeditus fuit ad tempus per prædictam absolutionem; semper autem sententia retinet suam vim, et moraliter permanet sicut lex quædam; et ideo transacto tempore absolutionis iterum operatur moraliter inducendo censuram. An vero dicenda sit illa censura eadem numero cum præcedenti, necne, res est parvi momenti; tamen moraliter tanquam eadem reputatur. Unde cum hæ res non habeant aliud esse nisi morale, eadem dicenda est, et ideó ad illam non est necessaria nova causa vel contumacia.

22. *Propriissime datur absolutio ad reincidentiam sub conditione de futuro.* — Alio modo datur hæc absolutio ad reincidentiam, ita ut ex intentione absolventis non detur solum ad definitum tempus vel actum, sed etiam ut simpliciter valeat, et perpetua sit, sub conditione tamen satisfaciendi vel aliquid faciendi intra certum tempus, quo transacto, et non impleta conditione, iterum incidatur in censuram; et hæc est propriissima absolutio ad reincidentiam. Continetque simpliciter duo. Unum est ablatio censuræ pro illo tempore, simpliciter, et absolute; aliud est ablatio censuræ pro reliquo tempore, tamen sub conditione; et ex hoc secundo capite habet, quod sit tantum ad reincidentiam, non impleta conditione. Atque in hoc differt a priori absolutione, quod illa præcise tollit censuram pro tali tempore vel actu, quo consummato, independenter ab omni conditione vel actione ipsius personæ sic absolutæ, iterum censuram incurrit; in hoc vero posteriori modo expectatur conditio vel actio ipsius personæ, cui absolutio data fuit, et ab ejus voluntate vel actione pendet, quod vel absolutio perpetuo duret, vel censura redeat; nam si conditionem impleverit, non redibit; si vero non impleverit conditionem, iterum redibit censura.

23. *Absolutio ad reincidentiam solum per judicem concedi potest.* — Ex quo intelligitur primo, hanc absolutionem veram, ac propriam esse, ideoque necessariam esse potestatem jurisdictionis ad illam concedendam, et non sufficere conventionem partium. Ut, v. gr., si quis excommunicatus sit ad instantiam alterius, donec illi solvat debitum, non satis est, ut ipsi inter se conveniant, et creditor consentiat, ut solutio debiti differatur usque ad certum tempus, non (inquam) hoc est satis ut debitor censeatur absolutus ad reincidentiam pro hoc tempore, sed erit satis ut a judice possit sic absolvi; nam censura semel contracta non potest aliter tolli. Unde in hoc est magnum discrimen inter præceptum satisfaciendi de futuro intra certum tempus sub pœna censuræ ipso facto incurrendæ, et censuram jam contractam; nam in priori casu, si pars, in cujus gratiam censura conceditur, consentiat, et differat tempus solutionis, id satis erit ut non incurratur censura, donec totum illud tempus transactum sit, etiamsi prior terminus a judice præfixus elapsus fuerit, ut in superioribus probavimus; quia cum illa censura nondum sit contracta, non est necessaria absolutio, per quam tollatur, ne-

que aliquis actus jurisdictionis, quo impediatur, sed satis est, quod materia præcepti, ex cujus transgressione pendet censura, ita mutetur, ut præceptum pro eo tempore non obliget; nam hoc ipso cessat contumacia; et ideo illo tempore non censetur pertransiri terminus a judice præfixus. At vero in posteriori, seu præsenti casu, quando jam censura contracta fuit, est omnino necessaria absolutio et jurisdictio ad tollendam illam etiam ad reincidentiam. Quapropter satis non est sola partium concordia.

24. *Quis possit ad reincidentiam absolvere in censuris ab homine. — Vide Ugol., t. 1, cap.* 10, § 4, *num.* 5. — Ex quo ulterius colligitur, hujusmodi absolutionem in censuris ab homine latis, per se loquendo, et ordinarie, solum posse dari ab eo, qui censuram tulit, vel ejus superiore, juxta declarationes superius datas, quia hæc absolutio eamdem jurisdictionem requirit, ac illa quæ simpliciter datur, et de se potest esse perpetua, si is, qui absolvitur, conditionem impleat. Dico autem, *per se et ordinarie,* quia per privilegium vel per Bullam Jubilæi interdum datur facultas absolvendi etiam ab hac censura ab homine lata; tamen illa concessio semper fit sub ea clausula et conditione, *Satisfacta parte,* qua clausula non servata, absolutio nulla redditur, ut supra etiam dixi. Quia tamen interdum contingit (ob impotentiam pœnitentis) satisfactionem re ipsa non præcedere, sed solam cautionem ejus, ideo tunc absolutio talis solum est ad reincidentiam, quia si persona sic absoluta, habita possibilitate, non satisfaciat, iterum incidet, ut declararunt Pius V, Gregorius XIII et Sixtus V, in variis Bullis Jubilæi, ut referunt moderni auctores, et est valde consentaneum juri communi, ut colligitur ex capitul. Eos qui, § Idem statuimus, de Sentent. excomm., in 6.

25. *Quis possit hoc modo a censuris a jure absolvere.* — Simili modo in censuris a jure, si non sint reservatæ, eadem potestas, quæ requiritur ad aliam absolutionem simplicem, sufficit vel necessaria est ad hanc de reincidentia, ut patet ex ratione superius facta, quæ hic eodem modo procedit, et applicari potest. A censuris autem reservatis Pontifici (et idem est proportionaliter in reliquis) quamvis ordinarie, et per se loquendo, solus ille possit ab eis absolvere, cui reservatæ sunt, tamen jure communi in quibusdam casibus, in quibus difficilis est ad superiorem recursus, conceditur aliis inferioribus potestas absolvendi, cum obligatione comparendi vel petendi absolutionem a superiore, cum primum commode adiri possit, et talis absolutio quoad hanc partem est ad reincidentiam. Nam, si nacta opportunitate, quis contemnat vel negligat superiorem adire, in eamdem censuram iterum incidet, ut notavit Covarruvias, dict. § 11, num. 6, in fine, ex cap. Eos, de Sentent. excomm., in sexto. Advertit tamen, idem esse dicendum in quibuscumque censuris, sive ab homine, sive a jure latis, quando ob imminentem mortem vel aliam similem causam, aliquis ab eis absolvitur ab aliquo inferiori, a quo per se, et extra illum casum non potest absolvi.

An ad reincidendum in censuram nova culpa requiratur.

26. Una vero superest difficultas circa hujusmodi absolutionem ad reincidentiam, scilicet, an necessaria sit nova culpa ad sic reincidendum. Pendet enim, ut diximus, hæc reincidentia ex actione aliqua vel omissione, quæ posita fuit ut conditio, sub qua reincidatur; contingere autem potest, ut ille, qui sic est absolutus, postea non expleat conditionem absque culpa, ut, v. gr., quia ob solam impotentiam non persolvit debitum intra præfixum terminum. Respondeo, dupliciter dari hanc absolutionem: primo absque certo præfixo termino, solum sub ea conditione, *Cum primum possit,* etc., ut in casu dicti cap. Eos qui, et tunc dubium non est, quin reincidentia non contingat absque nova culpa, quia necessaria est nova contumacia. Nam ita in tali absolutione virtute includitur præceptum comparendi vel satisfaciendi, etc., et donec illud violetur, nondum censetur impleta conditio necessaria ad reincidendum; sed hæc conditio non impletur quamdiu impotentia durat, ut ex ipsa forma juris constat: ergo.

27. Alio modo ponitur dicta conditio implenda intra certum terminum præfixum, nulla facta mentione de potestate vel impotentia, sed absolute de actione, ut de restituendo vel solvendo debito; et tunc est valde probabile, etiamsi non intercedat culpa, quacumque ex causa non impleatur conditio, in censuram reincidi, quia hæc non est nova censura, sed eadem moraliter, et ideo non requirit novam contumaciam, ut supra dicebamus in priori absolutione ad certum tempus vel actum. Et alioqui conditio posita talis est, ut sine culpa omitti possit, et in modo

vel verbis, quibus ponitur, non indicatur respectus ad novam culpam negligentiæ : ergo. Quocirca, licet ante censuram contractam nemo contrahat illam, si non solvat eo quod non possit, quantumvis præceptum solvendi sub censura latum sit, tamen post contractam censuram, licet ablata sit ad reincidentiam sub conditione solvendi intra præfixum terminum, potest quis in illam reincidere non solvendo etiam ob impotentiam. Sicut, si non fuisset absolutus, in illa permansisset, etiamsi factus esset impotens ad solvendum. Nam tunc perinde se habet post transactum præfixum terminum, ac si non fuisset absolutus, quia non fuit absolutus simpliciter, sed ad reincidentiam. Atque hoc videtur in rigore verum, nisi oppositum aliunde constet ex intentione absolventis, quæ regulariter non est alia, præsertim quando talis absolutio fit ex consensu partis, in cujus præjudicium vergere posset. In hujusmodi ergo eventu, ante lapsum terminum præfixum, recurrendum est ad ipsum judicem, et petenda absolutio simpliciter vel saltem dilatio termini, quam illi tenebitur concedere, si sufficienter probetur impotentia solvendi; si autem non concedat, recurrendum erit ad superiorem, quia alias non poterit evitari censura, sicut censura semel contracta non tollitur sine absolutione, etiamsi injuste negetur.

SECTIO IX.

Utrum in absolvendo a censura certa aliqua forma servanda sit.

1. Sicut censura jure Ecclesiastico introducta est, ita et ejus absolutio; nam oppositorum eadem est proportio. Unde ab eodem jure petenda est absolvendi forma, sicut et ferendi censuram. Duo autem possunt de hac forma inquiri, scilicet, quid pertineat ad substantiam ejus, et quid ad solemnitatem; et de utroque breviter dicendum est.

2. *Nulla esse in jure verba præscripta, quæ sint de substantia hujus formæ.* — Circa priorem partem omnes conveniunt, nullam esse in jure præscriptam formam verborum, quæ sit de substantia hujus formæ. Ita docent Theologi, in 4, dist. 18, et specialiter Richard., art. 10, quæst. 5; Sylvest., verb. *Absolutio* 3, num. 2; et Navarr., de Pœnit., dist. 6, cap. 1, in princip., num. 59, et in comment. de Jubilæo, not. 30, num. 8; et Covarr., cap. Alma, § 11, num. 6 et 7, et alii. Nihilominus tamen iidem auctores docent necessarium esse hanc absolutionem fieri aliquo verbo, aut signo sensibili, quo sufficienter significetur eum, qui censura ligatus erat, solvi, et liberari ab ea, qualia sunt hæc, *Absolvo te*, *Reconcilio te Ecclesiæ*, vel aliquid simile. Quia hæc actio fit inter homines, unde necesse est, ut sensibili modo fiat, sicut supra dictum est de forma ferendi censuram, nam quoad hæc eadem ratio erit de utraque, ut bene notavit Navarr., in Summ., cap. 27, num. 37. Unde in hujusmodi forma in primis necessarium videtur aliquod verbum, quo ille moralis effectus tollendi censuram indicetur, sive sit verbum *tollo*, aut, *aufero*, sive verbum *benedico*, aut *rebenedico*, ut aliqui dicunt. Deinde oportet aliquo modo exprimere personam, quæ absolvitur, quia non potest aliter significari, intentionem absolventis ad illum dirigi, et effectum per illa verba intentum esse tollere censuram, quæ huic, vel illi inerat, quod necessarium est ad ejus absolutionem, quia alioqui non sufficienter significaretur is, qui absolvitur, sicut proportionaliter de censura diximus.

3. *In forma absolutionis necessariam esse expressionem personæ absolventis.* — Unde consequenter etiam necessaria est expressio personæ absolventis; quia si ei, qui antea ligatus erat, vel etiam ipsi Ecclesiæ non significetur absolutionem illam fieri ab eo, qui potestatem habet, non significatur sufficienter ut vera absolutio. Hæc autem expressio personæ absolventis non oportet ut fiat per vocem distinctam ab ipso verbo, quo significatur actus absolvendi. Nam in ipso verbo implicite et virtute continetur, quod satis est ad significationem sensibilem. Etenim in forma baptizandi, et absolvendi sacramentaliter, hoc satis est, quantum pertinet ad substantiam formæ; ergo multo magis in præsenti. Quod maxime verum habet, quando hæc absolutio verbis fit; nam tunc ipsa expressio verbi absolvendi, vel æquivalentis, prolata a tali persona, in actu exercito significat, ipsam esse quæ absolvit. Quando vero absolutio hæc datur per solum scriptum, tunc necessaria est clarior expressio personæ absolventis nomine proprio aut æquivalenti, quia alias non significatur actio in particulari, et ut egrediens a tali persona habente potestatem, quod necessarium est ad valorem absolutionis.

Sitne in absolutionis forma necessaria determinatio censuræ, a qua absolutio datur.

4. *Resolutio.* — Inquiri vero hic potest, an necessarium sit in hac forma addere aliquam determinationem, qua significetur absolutionem esse a censura, vel a tali censura. Videtur enim hoc esse necessarium, quia alias valde suspensa, et quasi æquivoca relinquitur significatio. In contrarium vero est, quia sufficere videtur intentio absolventis ad determinandam significationem illius verbi; nam in sacramento confessionis id sufficit, neque est de substantia illius formæ, ut dicatur : *Ego te absolvo a peccatis tuis;* sed sufficit dicere : *Ego te absolvo;* ergo etiam in præsenti. Respondeo : quando ex forma judicii, seu ex his, quæ proxime antecedunt, constat de qua re sit sermo, tunc non erit necessaria illa determinatio, nisi tale sit verbum, ut ex propria significatione illam requirat; ut, v. gr., si reus petat absolvi ab excommunicatione, satis est, quod judex respondeat : *Ego te absolvo;* et hoc probat ratio posteriori loco facta. In absolutione etiam sacramentali semper præcedit peccatorum confessio, quæ est proxima materia illius judicii, a qua significatio talis formæ determinatur, ut absolutionem a peccatis significet. Sicut in forma Eucharistiæ, ex præsentia materiæ determinatur pronomen *Hoc,* ut designet et significet rem contentam sub speciebus panis. Multo ergo magis in absolutione a censura, si ex adjunctis fiat determinatio, satis erit. Et ratio a priori est, quia tunc illa est sufficiens significatio sensibilis, et voluntatis absolventis, et effectus. Dixi autem : *Nisi tale sit verbum, quod ex modo significandi, determinationem requirat;* quia oportet, ut verba reddant completum, et integrum sensum; potest autem tale esse verbum, ut absque adjuncta determinatione nullum completum sensum reddere possit, ut videtur esse verbum, *tollo,* aut, *aufero.* Nam si quis dicat : *Ego tollo,* aut, *aufero a te,* et nullam determinationem adjungat, nullum sensum perfectum reddit. Oportet ergo addere nomen censuræ, aut aliud æquivalens, vel certe pronomen aliquod eam designans ex adjunctis, seu concomitantibus, juxta superius dicta.

5. At vero quando nihil præcedit, ex quo possit talis determinatio moraliter fieri, tunc certe videtur necessarium addere talem determinationem, ut obiter indicavit Sylvester, verb. *Absolutio* 2, § Quantum est. Ut quando in confessione ante absolutionem sacramentalem præmittitur absolutio a censuris, ipso absolvendo nihil petente, nec cogitante de censuris, tunc si in forma non addatur determinatio, non videtur satis significari sensibiliter ille effectus, et voluntas judicis absolventis. Et idem est, quando aliquis absolvitur invitus, aut nihil petens; atque hoc etiam confirmat usus Ecclesiæ. Quapropter probabile est, tunc esse de substantia addere determinationem aliquam, non quidem per verba specifica, sed saltem per generalia; ita ut significetur sufficienter, illum esse usum potestatis ad tollendam censuram, vel censuras, quibus talis persona ligata est. Non est tamen hoc ita certum, quin oppositum sit probabile, quod sentit Ugolinus, tab. 1, cap. 13. Ut minimum tamen res est dubia; et ideo in hanc partem securiorem semper inclinandum est.

Num oporteat in absolutione explicare causam censuræ.

6. Quæri vero ulterius potest, an oporteat in absolutione explicare causam censuræ, dicendo, v. gr. : *Ego te absolvo ab excommunicatione, quam propter talem causam incurristi.* Respondeo breviter, hoc, per se loquendo, non esse necessarium, quia neque aliquid jure cautum est, neque ex natura rei oritur talis necessitas, cum voluntas, et intentio absolventis cum ipso effectu tollendi censuram satis explicetur, etiamsi causa censuræ non exprimatur. Aliquando vero oportet hanc causam exprimere, ut constet a qua censura pœnitens absolvatur. Contingit enim aliquem esse ligatum pluribus excommunicationibus propter diversas causas, qui potest absolvi ab una, quamvis non absolvatur ab aliis; et tunc ut tollatur ambiguitas, oportebit aliquando exprimere causam censuræ; sic enim facile intelligetur ab illa censura absolvi, et non ab aliis. Quanquam in eo casu non semper hoc necessarium sit, vel quia simul potest quis absolvi a multis censuris, licet plures habeat, vel fieri potest, ut absolvens habeat potestatem limitatam ad unam censuram, et non possit ab aliis absolvere; tunc enim etiamsi absolutio simpliciter, et sine expressione causæ proferatur, ex principio, a quo procedit, sufficienter intelligitur limitari ad talem effectum.

7. Itaque in eo casu, quo aliquis ligatus

est pluribus censuris, primum considerare oportet, an absolutio petatur ab eo, qui potest absolvere ab una tantum, vel a pluribus; si ab una tantum, quantumcumque absolutio simpliciter petatur, et concedatur, illa tantum censura tollitur, quæ sub absolventis potestatem cadit, quia ex parte censurarum non repugnat tolli unam sine aliis; quia non habent necessariam connexionem, ut recte notavit D. Thom., in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 5, quæst. 3, et ibi Paludanus, ac cæteri Theologi; ex parte vero potentiæ, limitata est, ut supponimus; et ideo non potest absolutio excedere absolventis facultatem.

8. *Absolutio simpliciter petita et concessa a judice, qui plures censuras tollere potest, omnes aufert.* — Si autem absolutio petatur a judice, qui potest a pluribus censuris absolvere, tunc vel petitio est absoluta absque determinatione vel limitatione determinatæ causæ, et absolutio similiter conceditur; vel petitio est limitata ad absolutionem censuræ, pro tali delicto contractæ, absolutio vero simpliciter et indefinite sine expressione talis causæ conceditur; vel e contrario petitio fit absoluta, concessio vero absolutionis est cum limitatione causæ, scilicet, a censura pro tali delicto, vel ob talem causam contracta. In primo casu absolutio censetur esse de omnibus censuris, quibus petens ligatus est, sive in forma absolvendi addatur signum distributivum, quod clarius erit, ut si dicat: *Absolvo te ab omni censura*, vel, *ab omni vinculo excommunicationis*, sive indefinite proferatur dicendo: *Ego te absolvo*, ut expresse notavit D. Thomas supra dicens, quando judex potest absolvere ab omnibus censuris, si absolute absolvat, ab omnibus absolvere, nisi contrarium exprimatur. Ratio vero est multiplex. Prima, quia favores ampliandi sunt. Secunda, quia responsio, vel concessio intelligitur esse proportionata interrogationi seu petitioni; qui autem absolute petit absolvi, etiamsi non exprimat a multis vel ab omnibus censuris, simpliciter petet liberari a vinculis, quibus ligatus est. Tertio, quia alias vel irrita, vel inepta esset talis absolvendi forma, quia non est ratio, cur de una censura intelligatur magis, quam de alia; et ideo ex vi et proprietate illius verbi, *Absolvo*, si nulla adjungatur limitatio, significatur totalis solutio ab omnibus vinculis.

9. *Nisi ad aliquam, suam intentionem determinet.* — Est autem observandum, quamvis hæc vera sint, quantum est ex vi talis formæ absolvendi, tamen quia efficacia talis formæ semper pendet ex intentione absolventis, ideo si ipse intendat illis verbis absolvere ab una excommunicatione, et non ab aliis, quamvis hanc limitationem in ipsis verbis non exprimat, unam tantum censuram auferet, non alias, quia operatio formæ non potest excedere intentionem ejus; male autem faciet, vel dividendo absolutionem sine causa, vel saltem non exprimendo quam censuram tollere intendat, vel decipiendo alium, vel perplexum relinquendo. Imo si talis judex intendat tantum confuse, et vage unam ex his censuris tollere per suam absolutionem, et non determinate hanc, vel illam designet, seu intendat, nihil faciet, quia actiones debent esse de singularibus determinate; et quia non est major ratio, cur in hoc casu tollatur una censura, quam alia; causa autem indeterminata, quæ per se libera non est, nihil operatur, nisi concurrat aliqua alia ad determinationem adjuvans.

10. *Absolutio petita ad determinatam censuram et simpliciter concessa, illam tantum tollit.* — At vero in secundo casu absolutio non est de omnibus censuris, quibus ligatus est petens; sed ab illa tantum, cujus causam ipse in petitione expressit, ut colligitur ex cap. Cum pro causa, et cap. Officii, de Sententia excommunicationis. Et ratio est supra tacta, quia concessio accommodatur petitioni; quia ergo petitio limitata est, licet absolutio videatur simpliciter concedi, ex petitione limitatur; et perinde se habet, ac si in ipsa exprimeretur causa censuræ, cujus absolutio conceditur. Nec satis erit, quod is, qui absolutionem petit, intendat absolutam liberationem, et absolutionem ab omnibus censuris consequi, etiamsi unam tantum causam censuræ in sua petitione exprimat; nam absolutio non respondet intentioni ejus, sed verbis. Et præterea talis petitio in illo sensu subreptitia esset, et deceptionem involvens; et ideo prodesse non potest absolutio sic subrepta, ut dicitur in dict. cap. Officii.

11. *Absolutio simpliciter petita, concessa autem pro determinata censura, illam tantum aufert.* — Demum in tertio casu manifestum est, absolutionem esse limitatam, et in eo maxime esse potest necessaria expressio causæ ipsius censuræ; quia licet petitio sit universalis, non cogitur judex totum concedere, quod postulatur; potest ergo pro libertate sua ab una censura absolvere, et non ab alia, quod maxime facit, quando in

ipsa absolutione declarat se absolvere a censura pro tali causa contracta; nam illa additio habet vim limitandi absolutionem ad illam solam censuram; unde dubium non est, quin de facto tunc ab una absolvat, et non ab aliis. An vero juste, et licite sic absolvat, ex circumstantiis, et rationibus occurrentibus judicandum est; id enim non est intrinsece malum, neque aliquo jure simpliciter prohibitum; pendet ergo ex circumstantiis, et ex causis, quæ judicem movent ad sic absolvendum. Regulariter enim loquendo, si potest absolvere ab omnibus, et ex parte petentis non est impedimentum, non est absolutio ita limitanda; si vero ex parte petentis est impedimentum et contumacia respectu unius censuræ, seu causæ ejus, non debet ab altera absolvi, donec integre satisfaciat, nisi fortassis aliqua rationabilis causa urgeat. Quod colligitur ex dicto cap. Officii. Et hæc doctrina tota communis est, ut colligitur ex Panormitano, et aliis, dictis cap. Cum pro causa, et Officii, et ex Navarro, in cap. Ita quorumdam, de Judæis, in Glossa ult., notab. 11, num. 12, et Covarruvias, in cap. Alma mater, parte 1, § 11, num. 12 et 13.

Sitne de substantia absolutionis, ut per verbum, vel per scripturam proferatur.

12. *Ratio dubitandi.* — Ultimo inquiri potest circa hanc partem, an sit de substantia absolutionis a censura, ut per verba proferatur; sub verbis autem scripturas comprehendimus; nam quoad hoc sunt ejusdem rationis, et sensibilem habent significationem ad placitum æque expressam. Unde certum est etiam per verba scripta posse hanc absolutionem dari, quod maxime observatur circa absentes, ut supra ostendimus. Difficultas ergo solum est de aliis signis, vel nutibus, vel actionibus; et videtur quidem nunquam hoc sufficere, quia nunquam satis expresse declarant effectum absolutionis, et intentionem absolventis. Et confirmatur, quia alias Episcopus communicando cum excommunicato illum censeretur ab excommunicatione absolvere, quia, exceptis verbis, nullum majus signum absolutionis potest erga illum exhibere; consequens autem est falsum, ut constat ex Clementina ult. de Sententia excommunicat., ubi etiam de Summo Pontifice dicitur, quod licet scienter participet excommunicato, per hoc ipsum absolvere non censetur, nisi aliter exprimat se velle id facere; ergo multo minus id dici poterit de inferioribus Episcopis. Quod etiam colligitur ex cap. Cum desideret, de Sententia excomm.

13. *Resolutio quoad inferiores Prælatos.* — Respondetur breviter, aliud esse loqui de ordinario jure, aut de Ecclesiæ statuto, aliud de necessitate simpliciter, seu de absoluta potentia Summi Pontificis. Priori modo dicendum est, hanc absolutionem non sufficienter concedi per actiones aliquas ab eo factas, qui alias potest absolvere, etiamsi alioqui tales actiones videantur repugnantes cum censura. Hoc plane convincunt decreta adducta, et cap. Si aliquando, de Sent. excomm. Et ratio est, quia illud signum est valde incertum, imo per se non est signum, sed aliud factum, vel opus; et ideo merito jure positivo declaratum est, ut ad absolvendum a censura non sufficiat. Quod adeo verum est in inferioribus Episcopis, vel Prælatis, ut quamvis declarent se velle tali facto, vel communicatione absolvere, nihil ef.icient, ut notavit Glossa in dicta Clementina ult., verbo *Velle,* et in dicto cap. Cum desideres, quia tenentur Episcopi, et omnes inferiores Prælati formam communis juris servare, nec potestatem habent immutandi illam.

14. *Quid de Pontifice Summo.* — Quod secus est in Romano Pontifice; et ideo de illo specialiter dicitur in dicta Clementina ultima, quod si declaret se velle suo facto, aut communicatione absolvere, factum tenet; habet enim supremam potestatem ad tollendam censuram independenter a jure positivo; et ideo si absolute velit ea potestate uti, non servata forma juris, effectum intentum operatur. Ex quo etiam fit, ut si solis nutibus, vel unico verbo Pontifex satis declaret se velle absolvere, factum tenet; ut, v. gr., si interrogatus, an velit me esse absolutum a censura, solo motu capitis annuat, pro absolutione valebit. Idemque est, si post oblatam petitionem absolutionis uno verbo respondeat, Fiat, vel, Contentus sum; dummodo petitio ex modo, quo proponitur, non respiciat futurum, sed contineat petitionem absolutionis statim obtinendæ; ita ut ex antecedentibus et consequentibus satis constet, illo nutu, aut verbo significari voluntatem Pontificis esse absolvendi ex tunc. Quod colligitur ex his, quæ tradit Rebuffus in Praxi beneficiali, verbo *Datum,* num. 26. Quæ tamen signa in inferioribus Prælatis vel sufficientia non sunt, vel certe valde dubia,

et ideo illis utendum non est; sed per expressa, ac formalia verba absolutio est tribuenda. Et hactenus de substantia hujus formæ.

SECTIO X.

Quæ solemnitas servanda sit in absolutione a censura.

1. Tria in hac forma absolvendi possumus distinguere, quæ superius in forma ferendi excommunicationem distinximus, scilicet ea, quæ antecedunt absolutionem, et quæ comitantur, et quæ subsequuntur; de quibus hic pauca dicemus, tum quia de hac re pauca sunt in jure instituta, tum etiam quia ea, quæ instituta sunt, magis pertinent ad singulas censuras in particulari, et ideo ibi latius ea exponemus.

2. *De solemnitate absolutionem antecedente.* — Absolutionem ergo antecedere in primis debet petitio absolutionis, non quia hoc sit de substantia, ut supra ostensum est, sed quia ad convenientem, debitumque modum absolvendi ita expedit. Sumiturque ex cap. Per suas, de Sent. excomm., in illis verbis : *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.* Et in cap. Significasti, de Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium, ibi : *Si petierit*, et similia verba sunt frequentia in jure. Ratio vero est, quia dum quis non petit absolutionem, non exhibet sufficiens signum obediendi, et recedendi a sua contumacia, quod tamen, per se loquendo, necessarium est, cum is sit finis censuræ. Dico autem, *per se loquendo,* quia ubi propter moram timetur aliquod periculum, vel alia ratio urgens occurrit, potest aliquando hæc absolutio dari, licet non præcesserit petitio, ut supra declaratum est. Item quando absolutio non datur simpliciter, sed tantum ad aliquem actum, ut ad collationem beneficii, vel ad testimonium ferendum, vel ad aliud simile, tunc facilius solet absolutio hæc dari sine petitione prævia, quia cum censura simpliciter non tollatur, sed statim redeat, cessat ratio adducta.

3. Quid autem servandum sit in hujusmodi petitione in ordine ad forum externum, quando in illo fit, ad nos non pertinet; sed videri potest Ugolin., tab. 1, c. 19, § 3, ubi quæstiones alias de hac re ad illud forum pertinentes tractat, et Covarruv., in c. Alma, 1 p., § 12. In foro autem interiori, seu pœnitentiæ, nulla specialis circumstantia requiritur, sed solum ut petens exhibeat sufficientia signa obedientiæ ad Ecclesiam. An vero necesse sit, ut petat in confessione, vel in ordine ad illam, jam supra tactum est; nam per se loquendo, et ex vi censuræ id necessarium non est, quia potest censura tolli, etiamsi non auferatur culpa. Ex parte vero absolventis, si potestas sit ei cum ea limitatione concessa, poterit esse necessarium; sufficit tamen, ut implicite petatur, postulando absolutionem a peccatis. Denique sæpe etiam necesse est, ut antecedat satisfactio partis læsæ, si fieri possit, vel cautio sufficiens, si non possit; hoc enim pertinet ad justitiam absolutionis, non vero ad substantiam ejus, per se loquendo, id est, nisi potestas absolutionis sit cum ea limitatione data, ut superius late declaratum est.

4. *De solemnitate comitante.* — De solemnitate, quæ comitatur, seu proxime ante absolutionem fit, nihil potest in commune dici, quia nullæ cæremoniæ circa hoc præceptæ sunt in jure, quæ communes sint omnibus censuris; quæ vero ad singulas pertineant, suis locis dicemus. Hic solum adnotare possumus, in hujusmodi absolutionis modo maxime servandam esse consuetudinem receptam, et probatam; nam multæ ex antiquis cæremoniis in dissuetudinem abierunt. Item etiam quando commode servari non potest aliqua cæremonia, sine peccato prætermittitur, ut notavit Navarr., in Summ., cap. 26, num. 9, agens de cæremoniis servandis in absolvendo ab excommunicatione, juxta c. A nobis, 2, de Sent. excom., de quibus infra suo loco. Denique, ut ibidem Navarr. advertit, quando hæc absolutio conceditur in foro pœnitentiæ per privilegia Mendicantibus concessa, et alia similia, tunc non oportet servare alias cæremonias præter eas, quæ ad sacramentum pœnitentiæ sufficiunt. Et ita habet usus.

5. *De solemnitate consequente.* — Denique post absolutionem solum potest esse necessaria illius denunciatio, seu publicatio proportionata censuræ, quia alias non poterit absolutio respectu aliorum habere effectum intentum, nisi æque de illa constet, ac de censura prius constitit; si ergo censura fuit publica, absolutio etiam esse debet publica; si vero fuit occulta, satis erit occulta absolutio. De qua re nihil addendum occurrit in ordine ad forum conscientiæ, præter ea, quæ in superioribus tacta sunt. Quædam vero,

quæ ad forum externum pertinent, videri possunt in Ugolino, tab. 1, c. 24, ubi specialiter tractat, quando hæc absolutio datur in foro confessionis, quanta fides adhibenda sit confessario affirmanti talem personam absolvisse. De qua re jam diximus in sect. 2, et ideo de censura in genere hæc sufficiunt; ad species singulas descendamus.

DISPUTATIO VIII.

QUÆ EST PRIMA DE EXCOMMUNICATIONE.

DE EXCOMMUNICATIONE SECUNDUM SE.

Postquam dictum est de censuris in genere, descendendum est ad singulas species censurarum, inter quas præcipua est excommunicatio, et usu frequentior, et in materia copiosior, ac difficilior: et ideo de illa primo loco dicendum est, servando eumdem ordinem, quem in superiori tractatu de censuris in communi tenuimus, quamvis multa capita, seu principia, quæ aut nihil speciale in excommunicatione habent, aut si quid habent, facile ex rationibus communibus intelligitur, aut omitti poterunt, aut facilius expediri. Et ob hanc causam nihil hic dicemus de potestate excommunicandi, nec de quæstione, an sit excommunicatio, vel quo jure introducta sit, divino vel humano; nam eadem proportione, qua de censura in communi, definiendæ sunt. Potestas enim, quam ostendimus esse in Ecclesia ad ferendas censuras, eadem est potestas excommunicandi; imo in hoc actu præcipue exercetur, ut ex Matth. 18, et 1 ad Cor. 5, et traditione Ecclesiæ colligitur. Unde etiam satis constat excommunicationem esse, ita tamen, ut licet potestas ad illam ferendam ex jure divino sit, illius vero institutio jure Ecclesiastico sit introducta. Solum ergo in præsenti disputatione est breviter explicandum, quid, et quotuplex sit excommunicatio, ut postea in effectibus ejus declarandis (quod in hac materia præcipuum est) diutius immoremur. Tractant autem de hac materia Theologi in 4, d. 18, et aliqui in 2. 2; Alensis, 4 p., quæst. 81, alias 22; Anton., 3 part., tit. 24 et 26; Summistæ, præsertim Cajetan., verbo *Excommunicatio;* et Navarr., c. 27; et Adrian., in 4, in materia de Clavib.; Cajetanus etiam, tom. 1 Opusc., tract. 19. Et juris Pontificii Doctores in titulis de Sent. excomm., et in decretis, 11, quæst. 3, et tota causa 24; et præsertim Covarr., in c. Alma mater. Multi etiam recentiores varios tractatus de his censuris scripserunt; præsertim Ugolin., justo et erudito volumine.

SECTIO I.

Quid sit excommunicatio.

1. *Excommunicationis definitio.* — Varie definitur ab auctoribus; tamen suppositis, quæ diximus de censura in communi, facile hoc modo describitur : *Excommunicatio est censura, qua quispiam separatur ab Ecclesiastica communione fidelium.* Quæ definitio in ipso nomine excommunicationis indicatur; nam *excommunicatus* perinde dictus est, atque extra communionem factus. Et fundamentum habet in verbis Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, et publicanus,* id est, ab Ecclesia segregatus. Et declaratur breviter, explicando singulas particulas; nam *censura* ponitur loco generis, sub quo per se notum est, excommunicationem contineri, ut constat ex c. Quærenti, de Verbor. signific., et ex communi sensu Ecclesiæ, et ex dictis supra de divisione censuræ in tres species, quarum potissima est excommunicatio.

2. Reliqua autem pars ponitur ad distinguendam hanc censuram a suspensione, et interdicto; nam ab irregularitate, et aliis Ecclesiasticis inhabilitatibus, aut pœnis, per ipsum genus censuræ separatur; ab illis vero per prædictam differentiam, quia nec suspensio, neque interdictum formaliter, ac per se privant communicatione, sed suspensio privat Ecclesiastico ministerio, interdictum vero solum divinis rebus, vel officiis, ut sic, ut in suis locis videbimus. Ubi autem nos dicimus; *qua quispiam,* etc., aliqui addunt, *Christianus, aut baptizatus.* Sed licet sit verum, solos baptizatos posse excommunicari, tamen non oportet id ponere in hac definitione, tum quia id pertinet ad genus censuræ; nulla enim censura ferri potest in non baptizatum; tum etiam quia excommunicatio etiam ferri potest tantum in subditos; imo ideo fertur tantum in baptizatos, quia illi soli directe subjiciuntur spirituali Ecclesiæ potestati; et tamen non propterea necesse est in definitione ponere, eum, qui excommunicatur, debere esse subditum, quia non omnes quæstiones sunt in definitione inculcandæ. Denique cum dicitur, aliquem separari per excommunicationem a communione fidelium,

supponitur, seclusa excommunicatione, eum esse, vel habere proximam aptitudinem, et jus ad communionem fidelium, et consequenter esse baptizatum; nam hæc potestas, seu jus communicationis, per baptismum, seu characterem baptismalem comparatur.

3. *Exponitur, et comprobatur definitio.* — Hinc vero inferunt aliqui, non fuisse dicendum in definitione, per excommunicationem privari hominem a *communione fidelium,* sed *usu communionis,* quia per excommunicationem non adimitur nobis habilitas, et potentia utendi communione Ecclesiæ, quia non tollitur character baptismalis, in quo illa habilitas consistit, propter quod sacramenta ab excommunicato suscepta valida sunt; ergo excommunicatio non simpliciter privat communione, sed usu communionis. Sed hoc nihil habet ponderis; nam cum excommunicatio dicitur privare communione, ex vi verborum non significatur privare habilitate, vel potentia radicali (ut sic dicam) ad hujusmodi communionem, sed solum actuali communicatione, ut ex proprietate ipsorum verborum constat; nam *communio* actum significat; et ideo nihil refert, communionem, vel usum communionis dicere. Addo vero ulterius (ut convenienter explicetur, et intelligatur definitio), excommunicationis censuram non privare solum actu, sed jure etiam communicandi, non quidem jure illo mere passivo, et quasi fundamentali, quod consistit in charactere baptismali, sed jure proximo, et morali quod fidelis habet ad hujusmodi communionem, ut licite, et honeste illa fruatur, quamdiu prohibitus non est; et ideo licet ex vi hujus censuræ non reddatur ita inhabilis ad sacramenta, ut ab eo suscepta nulla sint, loquendo præcise ex vi censuræ, tamen redditur moraliter inhabilis ad licitam, et decentem participationem sacramentorum. Hoc ergo sensu dicitur fidelis privari per hanc censuram communione Ecclesiastica, non tam facto, quam jure. Optime ergo per illam particulam vis hujus censuræ declaratur. Et eisdem fere verbis habetur apud Augustin., serm. 68 de Verb. Apostoli, c. Omnis Christianus, 11, quæst. 3. Ubi dicitur, Christianum per excommunicationem ab Ecclesiastica communione removeri. Et similibus verbis utuntur jura, cum hanc censuram imponunt, scilicet, *Communione privetur,* aut *privatus sit,* ut in canonibus Apostolorum sæpius legimus, in quibus verbum Græcum est, ἀφορίζω, id est, *separo,* seu *elimino,* quo verbo utitur Concilium Arausicanum in c. Canonica, 11, q. 3, dicens : *A gremio sanctæ matris Ecclesiæ, et consortio totius Christianitatis eliminamus.* Unde in Patribus sæpe legimus, per excommunicationem abscindi, vel segregari hominem ab Ecclesia, ut late refert Bellar., lib. 3 de Eccles. milit., c. 6. Quod quomodo intelligendum sit, non hoc loco, sed in materia de fide explicandum est. Nunc satis sit dicere, non ita ejici fidelem ab Ecclesia per excommunicationem, quin ille maneat subjectus ratione characteris, et unitus per fidem, si alioqui illam non amittit; sed solum, quia privatur dicto jure morali ad utendum Ecclesiastica communicatione et participatione.

Quomodo excommunicationi minori definitio conveniat.

4. Dicet aliquis, juxta hanc interpretationem, definitionem prædictam non convenire excommunicationi in genere, sed tantum excommunicationi majori, quia hæc solum est, quæ privat simpliciter communicatione Ecclesiastica. Consequens autem repugnat bonitati definitionis, quæ debet converti cum definito; hic autem generatim de excommunicatione tractamus. Propter hoc fortasse Soto, d. 22, quæst. 1, art. 1, non indefinite, sed addendo particulare signum, dixit, excommunicationem esse censuram, quæ privat *aliqua communione Ecclesiastica.* Quæ definitio videtur aliquibus in contrarium extremum declinare, et soli excommunicationi minori convenire, quia major non aliqua, sed omni communione privat. Verumtamen non ita est; nam quæ privat omni, privat etiam aliqua a fortiori; non est enim sensus limitans, seu excludens, quin possit excommunicatio privare omni Ecclesiastica communione, sed sensus est de ratione excommunicationis, ut sic, solum esse, ut privet aliqua, sive privet etiam omni, sive non; et ita in re eadem est definitio cum tradita a nobis; ad tollendam vero illam æquivocationem, abstulimus illud particulare signum, et indefinite locuti sumus. Et eadem ratione abstulimus signum distributivum, quod Hostiensis, Gofredus, et alii Summistæ frequenter addunt, dicentes, excommunicationem esse separationem *a qualibet* licita communicatione. Quam definitionem reprehendit Abbas in rubric. de Sentent. excom. Et merito, quia si illa distributio, *a qualibet,* intelligatur copulative, id est ab omni, hoc non est de ratione excom-

municationis, ut sic; si vero intelligatur disjunctive, id est, cujuslibet communicationis, sive hujus, sive alterius separationem sufficere ad rationem censuræ, sic quidem posset revocari ad legitimum sensum; verba tamen sunt valde ambigua. Et præterea, cum ibi non fiat mentio de genere censuræ, nec de Ecclesiastica communicatione, facile posset tota illa descriptio ad alias prohibitiones humanas, vel civiles, quæ excommunicationes non sunt, extendi.

5. *Panormitani definitio. — Rejicitur.* — Ipse vero Panormitanus, ut expressius declararet sub ea definitione comprehendi utramque excommunicationem, majorem, et minorem, addit, excommunicationem privare quandoque communicatione sacramentorum, et consortio hominum; nam illud primum commune est utrique excommunicationi; hoc autem secundum proprium est majoris; et ideo dixit, quandoque fieri, quia non per omnem, sed per aliquam excommunicationem id fit. Sed improprie satis addita est illa particula, præsertim copulative; nam ut definitio convertatur cum definito, necessarium erit, ut utraque pars illius copulative conveniat omni excommunicationi, quod non ita est; nam excommunicatio minor per se nunquam separat a communicatione hominum; excommunicatio autem major non quandoque separat, sed semper. Quod si dicatur illud *quandoque* non sumi in rigore pro adverbio temporis, nec referri ad speciem excommunicationis, sed ad genus ipsum, quod quandoque, id est, contractum ad aliquam speciem suam, privat illa communicatione hominum, sic in definitione generis ponitur id, quod est proprium alicujus speciei, et simul cum definitione indicatur divisio, quod necessarium non est. Sic etiam non oportet in definitione addere, *a jure, vel ab homine,* quod idem Panormitanus addit, quia hoc potius pertinet ad divisionem, et ad causas extrinsecas talis censuræ, quam ad communem rationem ejus. Item altera particula, quam ponit Abbas, scilicet *privare sacramentorum participatione,* licet de facto communis sit omni excommunicationi, tamen de se particularis est, quatenus dicit privationem particularis cujusdam communicationis. Unde simpliciter non repugnaret dari excommunicationem, quæ privaret aliqua alia communicatione Ecclesiastica, et non sacramentorum participatione, ut ex iis, quæ in sequente sectione dicemus, magis constabit.

6. *Sufficientia definitionis datæ ostenditur. — Communicatio Ecclesiastica quæ, et quotuplex.* — Sufficiens ergo est definitio data, et quamlibet excommunicationem sub se comprehendit; nam cum dicitur excommunicationis censura separare ab Ecclesiastica communicatione, abstracte id sumitur, sive illa excommunicatio, qua privat, magna sit, sive parva, sive totalis, sive partialis, dummodo hujusmodi communicatio Ecclesiastica sit, et talis, ut sub Ecclesiæ prohibitionem cadere possit. Quod ut magis declaretur, distinguenda est multiplex communicatio, quæ inter fideles inveniri potest. Una est pure civilis, et politica, quæ consistit in iis externis actionibus, quæ ad humanam societatem pertinent, ut est confabulatio, mutua salutatio, communis mensa, et hujusmodi. Alia est spiritualis, seu sacra communicatio, quæ ulterius subdistingui potest; nam una est exterior, alia mere interior, alia veluti mista, id est, fundata quidem in operibus exterioribus, habens tamen interiorem effectum, et in eo communicationem inter fideles. In primo ordine est participatio eorumdem sacramentorum, usus ejusdem sacrificii, et communicatio in aliis officiis, et rebus sacris, non considerando fructum internum, qui ex eis provenit, sed solam illam externam communicationem. In secundo ordine est communicatio in gratia, et charitate, et fide, per quam fideles inter se, et cum Christo mystice copulantur, ut sumitur ex Paulo, ad Ephes. 4, et 1 ad Cor. 12, ratione cujus unionis sibi invicem aliquo modo communicant merita, non quoad præmium essentiale, et de condigno, sed quoad impetrandum a Deo specialia beneficia, et peculiarem protectionem, ac providentiam. Quomodo dicitur Psal. 118 : *Particeps ego sum omnium timentium te,* juxta probabilem expositionem, de qua superius in materia de suffragiis. Et eodem modo Genes. 18, dicebat Dominus ad Abraham, propter decem justos, si in Sodomis invenirentur, non deleturum civitatem. Et ad hoc membrum spectat, quod unus justus potest communicare aliis suas satisfactiones proprias et privatas etiam mere internas. In tertio ordine constituo participationem communium Ecclesiæ suffragiorum, quorum effectus interior et spiritualis est, ut, v. gr., remissio alicujus pœnæ per applicationem communium Ecclesiæ satisfactionum, vel applicatio communium Ecclesiæ orationum ad impetrandum a Deo aliquod beneficium, vel spirituale, vel etiam

temporale. Dico autem hanc communicationem esse mistam ex interna, et externa, et hunc effectum, quantumvis internum, fundari in aliqua exteriori communicatione, quia cum Ecclesia visibilis sit, semper requirit aliquam actionem externam et sensibilem, ut est oratio, vel quælibet alia pia actio, quæ totius Ecclesiæ nomine fieri intelligatur. Et similiter applicatio communium satisfactionum Ecclesiæ, quæ maxime fit per indulgentias, semper requirit aliquam actionem, seu moralem influxum externum et sensibilem.

7. *Qua communicatione privet excommunicatio secundum se.* — Excommunicatio ergo per se non privat illa secunda communicatione mere interna, quæ spectat veluti ad substantiam et fundamentum spiritualis vitæ, quia Ecclesia neque vult, neque potest privare membra sua internis virtutibus spiritualibus, quæ non possunt a nolentibus perdi, ut ad hoc propositum notavit D. Thom. in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 5, quæst. 2, ad 1. Unde excommunicatio supponit quidem aliquando carentiam hujus communicationis ratione culpæ, propter quam fertur; ipsa tamen illam communicationem non aufert; imo neque etiam impedit, quominus is, qui excommunitione ligatus est, possit ad prædictam communicationem redire, etiam si ab excommunicatione non absolvatur, quia potest per contritionem ad gratiam redire. Et propter hanc causam aliqui addendum putant prædictæ definitioni, excommunicationem privare Ecclesiastica communicatione externa, ut hæc interna excludatur. Ego vero illam particulam omittendam censui, ne æquivocationem pareret, quia etiam communicatio in suffragiis Ecclesiæ, et in fructu eorum, interna dici potest. Et præterea non est illa particula necessaria, quia cum dicitur excommunicatio privare Ecclesiastica communicatione, necessario intelligendum est de communicatione, quæ ex voluntate Ecclesiæ pendet, et in quam ipsa possit jus vel potestatem habere, quæ propterea humana etiam communicatio, licet Ecclesiastica, dici potest; nam illa prior quodammodo divina est. Et ob hanc causam inter alias, peccatum mortale non potest dici excommunicatio, eo quod per se prædicta sola communicatione interna privet, etiamsi Gabr., dist. 18, quæst. 2, art. 1, et alii interdum ita loquantur. Adde, quod nec peccatum censura est Ecclesiastica, nec censura habet rationem culpæ, sed tantum pœnæ. Nomine ergo communicationis Ecclesiasticæ comprehenduntur alia duo membra, quæ sub aliis duobus contineri solent; nam hæc communicatio alia dicitur esse in sacris, quæ partim externa, partim interna est; alia dicitur civilis seu humana, quæ omnino est externa; et licet de se communis sit omnibus hominibus, quatenus tamen inter fideles, et Christianos versatur, et ad spiritualem finem ordinari potest, tam ipsa, quam ejus carentia sub Ecclesiastica communione comprehenditur. Sic ergo omnis excommunicatio privat hujusmodi communicatione Ecclesiastica, vel omnino, vel ex parte.

SECTIO II.

Utrum excommunicatio in majorem et minorem recte dividatur.

1. Explicandum jam est, quotuplex sit hæc censura. Supponimus autem hic habere locum divisiones fere omnes supra datas de censura in communi; quædam enim est excommunicatio a jure, alia ab homine, quæ interdum fertur per generalem sententiam, interdum per particularem, et sæpe justa est, aliquando vero injusta, quæ interdum valida est, et aliquando nulla. Quæ omnia sicut in censura in communi explicata sunt, ita sunt ad excommunicationem applicanda, quia eamdem proportionem servant; neque aliquid addendum occurrit, præter ea, quæ de effectibus dicemus. Solum ergo tractanda est in præsenti divisio proposita, quæ communis est Doctorum omnium, et fundamentum in jure habet. Nam in illo sæpe fit mentio excommunicationis, qua separatur homo a gremio Ecclesiæ, ut in cap. de Presbyt., 17, quæst. 4, et aliis infra citandis. Et hæc est excommunicatio major. At in cap. unico de Cleric. excomm. ministr., fit expressa mentio excommunicationis minoris, et consequenter indicatur etiam major, quia minor non dicitur, nisi comparatione majoris, quæ etiam ibidem nomine anathematis significatur, ut statim dicam. Utrumque autem membrum hujus divisionis definiri videtur in cap. penult. de Sentent. excomm.: *Excommunicatio major est* (dicitur ibi) *quæ a communione fidelium separat; minor, quæ a perceptione sacramentorum.* In utraque autem definitione subintelligitur excommunicatio loco generis proximi, ut per se notum est. In priori vero, cum loco differentiæ dicitur, *quæ a communione fidelium separat,* illa indefinita locutio non est abstracte sumenda, sicut in præce-

dente sectione dicebamus, sed distributive seu totaliter et omnino, juxta illud axioma, quod in materia doctrinali indefinita sæpe æquivalet universali, quod in illo loco necessarium est, quia in hoc consummatur tota ratio excommunicationis majoris, quod simpliciter privet omni Ecclesiastica communione, tam sacra quam civili seu humana, quatenus ab Ecclesiæ potestate et voluntate pendet, juxta explicationem datam in sectione præcedente. In altera vero definitione additur loco differentiæ constituentis excommunicationem minorem, quod non privet absolute tota communicatione fidelium, sed ex parte, scilicet quoad *passivum usum sacramentorum*.

Ratio majoris excommunicationis speciatim declaratur.

2. *Ratio dubitandi.* — Ut autem hæc divisio magis explicetur, nonnullæ difficultates, quæ ex dictis definitionibus oriuntur, tum circa singula membra, tum etiam circa totam divisionem proponendæ sunt. Prima difficultas est circa definitionem excommunicationis majoris; nam sequitur illam semper esse maximam, ita ut in ea non sint gradus, neque possit in Ecclesia esse aliqua excommunicatio maxima excedens illam, quæ communiter major dicitur; consequens est falsum : ergo. Sequela patet, quia illa est summa privatio vel separatio, quæ omni Ecclesiastica communicatione privat. Minor probatur; nam quantum ex canonibus Ecclesiasticis colligi potest, *anathema* est quædam censura excommunicationis maxima in eo genere, et excedens excommunicationem majorem. Quod patet primo ex cap. ult., 3, quæst. 4, ubi de Engeltruda dicitur non solum excommunicatione, quæ a fraterna societate separat, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore recidit, crebro percussam esse. Et similiter in cap. Nemo Episcoporum, 11, q. 3, distinguitur privatio communionis Ecclesiasticæ ab anathemate; et ideo, licet Episcopus possit privare communione Ecclesiastica ob sufficientem causam a se cognitam, *non tamen sub anathemate,* ut ibi dicitur, *sine conscientia Archiepiscopi, aut Coepiscoporum, quia anathema est æternæ mortis damnatio; et non nisi pro mortali debet imponi crimine; et illi, qui aliter non potuerit corrigi;* et clarius in cap. Cum non ab homine, de Judiciis. Nam de clerico homicida ait Cœlestin. Papa : *Deponendus est; qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri.* Ubi in secunda pœna aperte loquitur de excommunicatione majori, ut patet, tum ex absoluta appellatione, ut infra videbimus, tum ex gravitate causæ seu delicti, tum etiam quia subjungitur post depositionem, quæ gravissima pœna est; et tamen tertio loco additur anathema tanquam censura gravior. Idem potest colligi ex Concilio Trident., sess. 13. Ubi anathema fertur in eum, qui negaverit aliquam ex veritatibus fidei, ibi definitis ad mysterium Eucharistiæ pertinentibus; in canone vero 11, cum docuisset Concilium, post conscientiam peccati mortalis, non obstante contritione, præmittendam esse confessionem ante communionem, quia id non definiebat tanquam de fide, subdit : *Si quis autem contrarium docere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.* Ubi sine ulla dubitatione loquitur de excommunicatione majori, et tamen significat esse aliquid minus, quam anathema.

3. *Una tantum est species majoris excommunicationis.* — Nihilominus ad hanc difficultatem dicendum est recte definitam esse excommunicationem majorem, et ex ea definitione optime colligi substantialiter seu essentialiter unam tantum esse speciem hujus excommunicationis, quia in eo genere continet maximam privationem; et cum pervenitur ad maximum terminum, non potest in eo esse substantialis varietas, ut recte argumentum probat, sicut sub genere animalis maxima seu perfectissima species una tantum est.

4. *Quid sit anathema.* — Deinde concedendum est, nomine anathematis, Ecclesiæ usu significari censuram excommunicationis. Circa quam vocem advertendum est propriam esse Hebræorum, et ab eis fuisse derivatam, ut observat Hieron., ad Galat. 1. Videtur autem illa vox esse æquivoca, ut significarunt Augustin., lib. 4 Quæst. in Num., cap. 40 et 41; Chrysost., serm. de Anathem., tom. 5; et Justinus Martyr, quæst. 121, ubi sic ait : *Anathema dicitur id quod reconditum et secretum est Deo, nec jam ad communem usum sumitur; aut quod vitii, culpæque causa a Deo abalienatum est.* In priori significatione sumitur apud Septuaginta, Numer. 18, nam, ubi Vulgata legit, *omne quod ex voto reddiderint filii Israel, tuum erit,* ipsi legunt, *omne anathematismenon.* In posteriori vero videtur

sumi Numer. 21; nam ubi Vulgata habet, *delebo urbes ejus*, Septuaginta legunt, *anathematizabo ipsum, et civitates ejus*, id est, delebo illos tanquam abominabiles et execrabiles. Et in eadem significatione sumitur Josue 6 et 7, et Deuter. 7. Ubi prius dicitur : *Quia abominatio est Domini Dei tui*; et postea subditur : *Ne sis anathema, sicut et illud est; quasi spurcitiam detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominatione habebitis, quia anathema est*. Potuitque una significatio ex alia derivari; nam quia anathema dicebatur, quod specialiter Deo dicabatur vel consecrabatur ex voto, inde etiam quod in honorem Dei deletur, aut separatur, vel execratione habetur, anathema dici potuit. Quamvis verisimilius sit, aut verbum ipsum *anathematizo*, æquivocum esse, nam et *dedico*, et *detestor* significat; aut illam vocem *anathema* potuisse derivari, et a verbo *anathematizo*, quod est *execror*, aut verbo ἀναθεῖναι, quod est suspendere, quia ea, quæ ex voto offerebantur, in templis suspendebantur, sicut nunc etiam alicubi fieri videmus. Ex hac vero duplici significatione, illa, quæ indicat rem execrabilem et abominabilem, magis retenta est in novo Testamento, ut constat ex Marc. 12, ad Rom. 9, 1 ad Cor. 12 et 16, ad Galat. 1.

5. Atque hinc tandem in usu Ecclesiæ anathematizari quis dicitur, cum ab Ecclesia separatur, et sic separatus vocatur anathema, tanquam ab Ecclesia maledictus et aliis fidelibus execrabilis. Quod maxime usurpatur, quando talis censura fertur in hæreticos, ut passim in antiquis Conciliis generalibus, et novissime in Trident. Synodo fere in omnibus definitionibus fidei videre licet. Atque ita etiam constat, anathema in usu Ecclesiæ relatum ad personas, nihil aliud esse, quam censuram quamdam excommunicationis, per quam aliquis a consortio, et communicatione fidelium separatur. Cui consonat illud Matth. 18 : *Sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*. Per quæ verba omnes intelligunt significatam esse a Christo censuram excommunicationis. Dum autem quis anathematizatur, ita præscinditur ab Ecclesia, ut habeatur tanquam ethnicus et publicanus; ergo ipsum anathema nihil aliud est, quam excommunicatio quædam. Dico autem, relatum ad personas, quia solent etiam doctrinæ et errores anathematizari, quo respectu non potest significare censuram aliquam, ut per se notum est, nisi fortasse causaliter seu fundamentaliter, quia talis doctrinæ sectatores anathemati subjiciuntur. Vel certe doctrinam anathematizari, est hæreticam et execrabilem declarari.

6. *Anathema est quædam excommunicatio major*. — Rursus vero addimus, anathema substantialiter non differre ab excommunicatione majori, atque adeo omnem hujusmodi excommunicationem quoad essentiam esse quoddam anathema. Patet, quia per omnem excommunicationem majorem separatur quis a consortio fidelium, adeo ut dicat Augustin., lib. de Unit. Eccles., cap. ult., *tunc aliquem præcidi, cum visibiliter excommunicatur*; et lib. de Correct. et grat., cap. 15, nullam pœnam esse in Ecclesia majorem, et eam vocat *damnationem, quam facit Episcopale judicium separando ab ovibus sanis morbidam*; et multa similia habentur in decreto, 11, quæst. 3, et specialiter cap. 32, dicitur : *Omnis Christianus, qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur*, etc. In Concilio etiam Trident., sess. 25, c. 4 de Reform., pro eodem sumuntur *excommunicationis gladius et anathematis mucro, qui nervus Ecclesiasticæ disciplinæ* dicitur. Et in cap. Debent, 11, quæst. 3, eadem solemnitas excommunicandi, et ferendi anathema præscribitur; sunt ergo illa duo in substantia et essentia idem, ut notarunt etiam Sylvest., verb. *Excommunicatio* 1, in princ., et Soto, dist. 22, quæst. 1, art. 1.

7. *Anathema interdum accidentaliter ab excommunicatione differt. — Vox Maran Atha, exponitur*. — Propter decreta autem in contrarium adducta addendum est, illa duo interdum accipi ut diversa secundum aliquam accidentalem solemnitatem vel gravitatem, quia excommunicari quis dicitur, quoties talis censura in eum fertur; anathematizari autem (præsertim, cum fit ab homine), addere videtur publicam denunciationem cum quibusdam exterioribus signis ac cæremoniis, terrorem et damnationem majorem indicantibus. Quando vero in excommunicationibus a jure latis adjungitur verbum illud, indicatur major gravitas delicti, et præsertim indicari solet peccatum hæresis, aut schismatis, vel aliud æquivalens. Vox ergo anathematis solum additur ad exaggerandam gravitatem culpæ et talis pœnæ. Ad hoc etiam (quod observandum est) interdum adduntur illæ particulæ *Maran Atha*, ut patet ex Sylvest. Papa in cap. Guillisarius, 23, q. 4. Sumptæque sunt ex Paulo, 1 ad Cor. 16, dicente : *Si quis non amat Dominum Jesum Christum sit anathema, Maran Atha*. Quæ

voces exponuntur ab Athanasio in quæstionibus ad Antiochum, quæst. 136, et ab Augustino, epist. 178, et Hieron., epist. 147, et omnes conveniunt, voces esse Syriacas, idemque significare quod, *Dominus veniet*. Unde Hieronym. et Athanasius exponunt causaliter, *sit anathema, quia Dominus jam venit*. Ac si Apostolus diceret, *et ideo, qui illum non diligit, execrabilis est, et ab Ecclesia separandus;* quæ expositio communior est, ut patet etiam ex Chrys., hom. 44 in illam epistolam, et aliis expositoribus in eumdem locum. Augustin. vero exponit, *anathema sit usque ad adventum Domini*. Qui sensus melius accommodari videtur decretis Pontificum; subintelligenda autem est conditio, *nisi resipiscat*. Unde constat per talia verba non addi novam pœnam, sed exaggerare eamdem, vel causam et fundamentum ejus.

8. *Varia decreta exponuntur.* — Ad illa ergo decreta, in quibus innuebatur distinctio inter excommunicationem et anathema, juxta prædicta respondendum est, id procedere de distinctione accidentaria in gravitate delicti, et in cæremoniis, et acclamatione publica. Qua responsione fit quidem satis ad Concil. Trident., et ad c. Cum non ab homine, quamvis Gloss. ibi per *excommunicationem* intelligat suspensionem, per *anathema* vero excommunicationem majorem. Quod intentioni nostræ non repugnat; dubito tamen de illa interpretatione verbi *excommunicandi*, et ideo magis placet prior expositio, quam ibi confirmat Panormitan., n. 23, distinguens etiam anathema a communi excommunicatione in solemnitate accidentali, quæ describitur in c. Debent, 11, quæst. 3.

9. Major difficultas est in illo cap. Engeltrudam, et ideo Sylvest., supra, num. 3, insinuat excommunicationem ibi non significare propriam censuram, sed impedimentum illud, quod peccatum mortale natura sua affert ad suscipienda sacramenta. Sed hoc non potest textui accommodari, quia aperte loquitur de Ecclesiastica pœna, et ideo alii communiter explicant illum locum quoad priorem partem de excommunicatione minori, quoad posteriorem, scilicet anathematis, de majori. Ita sentit Glossa ibi, et in cap. Si inimicus, 11, quæst. 3. Obstant autem illa verba textus, *quæ a fraterna societate separat;* quæ dicuntur de illa excommunicatione, quæ ibi ab anathemate distinguitur; at vero excommunicatio minor non separat a fraterna societate; ergo illa non erat excommunicatio minor. Dici vero potest, per fraternam societatem ibi non intelligi omnem fidelium communicationem, sed solum eorumdem sacramentorum communionem. Vel certe, si hoc nimis videtur violentum, dici potest, olim fuisse in usu modum illum communicationis minoris, quem supra præcedente sectione dicebamus esse possibilem, scilicet separando peccatorem ab externo convictu et familiaritate fidelium, non vero præscindendo ab Ecclesia, et communibus suffragiis privando. Et eisdem modis possunt exponi cap. Nemo Episcoporum, et alia, quæ Richardus, et alii auctores afferunt. In quibus juribus (ut Richardus etiam notavit) multum extenditur nomen excommunicationis; et interdum non significat propriam et specialem censuram, sed quamcumque privationem usus communionis, vel aliam similem pœnam inflictam pro peccato commisso. De qua re latius diximus supra, disp. 4 de Censuris in communi, sect. 5.

Definitio minoris excommunicationis speciatim exponitur.

10. *Ratio difficultatis.* — Secunda difficultas est circa definitionem excommunicationis minoris, scilicet, esse excommunicationem, quæ a perceptione sacramentorum separat; nam illa definitio neque soli, neque omni excommunicationi minori videtur convenire. Prior pars constat, quia peccatum mortale privat etiam participatione sacramentorum. Altera probatur, quia, ut multi volunt, sunt aliquæ excommunicationes minores, quæ privant aliqua communicatione fidelium, et non participatione sacramentorum. Unde confirmatur; nam juxta illam definitionem, nec divisio illa erit adæquata, neque ulla ratio sufficientiæ ejus reddi poterit. Nam excommunicatio major, eo quod sit veluti privatio totalis, est unius rationis; at vero quælibet excommunicatio, quæ sit quasi partialis privatio, erit condistincta ab illo membro, et sub minori excommunicatione comprehendetur. Et hoc modo erit adæquata divisio; et per se patet sufficientia ejus, quia inter totalem et partialem privationem non est medium. At vero excommunicatio partialis, ut sic dicam, latius patet, quam separatio a sola participatione sacramentorum, quia posset esse alia separatio a sola communicatione fidelium, vel a solis suffragiis communibus, vel aliis hujusmodi; nam, ut supra tetigimus, non re-

pugnat dari hos modos excommunicationis seu pœnæ; ergo, ut sit adæquata divisio, debuisset excommunicatio minor generalioribus verbis definiri, nimirum, esse excommunicationem, quæ tantum privat parte aliqua Ecclesiasticæ communicationis.

11. *Peccatum mortale non comprehendi sub excommunicatione minori.* — Ad priorem partem respondetur primo, peccatum mortale excludi per genus illius definitionis, quia illud non est excommunicatio; secundo, quia diverso modo impedit receptionem sacramentorum. Tum quia non impedit, directe ac per se eam prohibendo, sicut censura; sed solum quia constituit personam indignam ad talem actionem. Unde respectu alicujus sacramenti, scilicet pœnitentiæ, non fit aliquis omnino incapax per peccatum, si saltem attritionem illius habeat; per excommunicationem autem minorem directe prohibetur quis suscipere sacramentum. Tum etiam quia peccatum ita impedit, ut, si per contritionem auferatur, per se loquendo, et ex vi ejus non sit necessaria alia Ecclesiastica absolutio, ut homo possit sacramenta suscipere. Nam, quod ad sumendam Eucharistiam sit necessaria confessio sacramentalis, speciale est ex proprio præcepto Christi. At vero excommunicatio minor ita impedit, ut Ecclesiastica absolutio, per se loquendo, necessaria sit ad tale impedimentum tollendum.

12. *Omnem excommunicationem minorem privare sola sacramentorum participatione.* — Ad alteram partem difficultatis infra in propria disputatione de excommunicatione minori ex professo videndum est, an dentur plures species minoris excommunicationis. Nunc supponimus ex decisione illius textus de facto non dari aliam, quæ propria censura sit, præter eam, quæ privat passiva participatione sacramentorum, jura autem non definiunt nisi illas censuras excommunicationis, quæ sunt in usu Ecclesiæ. Unde ad confirmationem dicitur, speculative, seu de possibili, ut sic dicam, recte procedere omnia, quæ in ea objiciuntur. Tamen sufficientia hujus divisionis, prout est in praxi Ecclesiæ, nobis quærenda non est ex sola ratione, sed ex jure positivo, quo hæ censuræ et excommunicationes introductæ sunt. Ac propterea ideo non sunt plures, quia ex jure canonico vel ex usu Ecclesiæ, saltem secundum præsentem praxim ejus, plures introductæ non sunt, et ideo non debet excommunicatio minor sub illis generalibus verbis definiri, sed sub propriis, et specialibus, quia descriptio illa est ad explicandam illam excommunicationem minorem, quæ de facto est in usu. Cur autem Ecclesia non introduxerit alios modos excommunicationis minoris seu partialis, non oportet sollicite inquirere, quia in iis quæ ex jure positivo pendent, satis est dicere hunc modum fuisse convenientem, et non oportuisse alios modos multiplicari.

SECTIO III.

Qualis sit divisio excommunicationis in majorem, et minorem.

1. *Ratio dubitandi.* — Superest tandem inquirendum, an prædicta divisio sit analoga vel univoca; ne autem interrogatio inutilis videatur, moraliter potius quam metaphysice sumenda est, id est, an secundum usum juris comparentur hæc duo membra, ut excommunicatio simpliciter dicta de majori intelligatur. Et ratio difficultatis est, nam in cap. penult., de Sent. excomm., sic Gregorius IX definit : *Si quem sub hac forma verborum, Illum excommunico, vel simili, a judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, sed etiam majori excommunicatione ligatum esse;* ergo verbum *Excommunico*, et pari ratione nomen *Excommunicatio*, simpliciter dictum, pro majori accipitur.

2. In contrarium autem esse videtur, quia multi sunt canones, in quibus nomen excommunicationis absolute prolatum non potest de majori intelligi, ut cap. Significavit, de Sentent. excomm.; dicitur enim ibi, *qui communicat excommunicato, eadem excommunicationis sententia involvi.* Ubi non solum absolute ponitur nomen excommunicationis, sed cum illo relativo *eadem*, et nihilominus intelligi debet de excommunicatione minori; et consequenter de eadem non secundum speciem, sed secundum genus, quia propter participationem cum excommunicato non incurritur major excommunicatio. Sed hic textus non urget, quia necessario exponi debet de excommunicatione majori illo speciali jure lata, et reservata Summ. Pontif., propter quandam participationem in divinis officiis, ut infra exponemus tractando de specialibus excommunicationibus jure latis. Nihilominus idem argumentum fieri potest ex cap. 18, 11, quæst. 3, ubi sic dicitur : *Cum excommunicato neque orare, neque loqui, neque vesci licet; si quis enim cum eo, aut pa-*

lam, aut abscondite locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam. Ubi manifeste est sermo de externa communicatione cum excommunicato, propter quam sola excommunicatio minor incurritur; et tamen ibi simpliciter vocatur *communis excommunicatio.* Præterea de Consec., dist. 1, c. 63, ex Concil. Carthag. IV, c. 24, sic dicitur : *Sacerdote verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de Ecclesia fuerit, excommunicetur.* Quod non potest de excommunicatione majori intelligi, sed vel de minori, vel fortasse de sola privatione alicujus communionis. Similia decreta invenientur in canonibus Apostolorum, ubi propter leves causas aliqui communione privantur; non ergo erat illa semper excommunicatio major. Præterea (quod magis urget) in c. 1 de Excep., in 6, dicitur, *si quis in judicio excommunicationem opponit, speciem illius declarare debere.* Ubi Glossa declarat indictum esse propter species excommunicationis majoris vel minoris, quarum prior sufficit ad exceptionem in judicio, non vero posterior, et ideo non satis est excipere per nomen generis, quod ambiguum est: ergo commune nomen excommunicationis, juxta intentionem illius textus, simpliciter dictum, non sumitur pro excommunicatione majori. Imo, si vox illa de se indifferens est, cum alioqui pœnam indicet, quoties a judice simpliciter profertur, in mitiorem partem erit interpretanda, juxta communes juris regulas.

3. *Resolutio.* — Nihilominus dicendum est, quamvis hoc nomen excommunicationis in antiquo usu Ecclesiæ latissimam habuerit significationem, ut recte probant jura citata, et quæ in prima difficultate præcedentis sectionis adduximus, jam vero in præsenti Ecclesiæ statu coarctatam esse illius vocis significationem ad illud duplex membrum majoris, et minoris excommunicationis, inter quæ minor excommunicatio existimatur solum secundum quid, major vero simpliciter; et ideo illa vox simpliciter prolata, præsertim in sententia ferenda vel a jure vel ab homine, majorem excommunicationem indicat. Hæc est communis sententia, ut late tractat Covarr., in cap. Alma, part. 2, § 8, num. 5. Ratio autem potissima est, quia ita declaratum est in jure, in prædicto cap. penult. de Sent. excomm. Quia licet ibi tantum loquatur Pontifex de sententia ab homine, tamen ob paritatem rationis extenditur illa decisio a Doctoribus, etiam ad jure latas, cum moderatione infra adhibenda. Congruentia vero esse potest : illa vox includit negationem seu privationem communicationis; negatio autem (ut aiunt dialectici) simpliciter addita totum destruit; et ideo excommunicatio absolute dicta dicit privationem omnis communicationis Ecclesiasticæ. Item, quia excommunicatio major et minor comparantur sicut totum et pars, nam se habent sicut includens, et inclusum, ut ex effectibus earum constat, et infra dicemus agentes de excommunicatione minori; et ideo excommunicationis vox simpliciter prolata totum potius quam partem significat. Denique alia ratio est, quia jam usus, et consuetudo ita obtinuit, et fortasse inde etiam talis consuetudo orta est, quia excommunicatio minor, quasi nihil existimatur, et parum timetur. Et ideo sola major simpliciter excommunicatio reputatur. Propterea ergo jus declaravit excommunicationem absolute dictam pro majori sumendam esse. Alias rationes afferunt Panorm., in d. c. penult.; et Navar., in tract. de Datis et promis., notab. 4; et Covar. supra, quas nunc expendere necessarium non est.

4. *Antiqua jura exponuntur.* — Ad jura ergo antiqua, quæ in contrarium afferebantur responsio patet ex dictis; nam illa procedunt juxta antiquam illius vocis latiorem significationem. Addo præterea generalem regulam traditam a Gregor. IX, intelligendam esse, quando ex materia vel ex adjunctis non satis constat sermonem esse de excommunicatione minori; nam quacumque ratione explicetur intentio ferentis sententiam, seu limitetur vocis significatio, id sufficit; nam hoc etiam in aliis vocibus analogis locum habet. Intelligendam vero aliqui existimant illam regulam in sententiis affirmativis, quibus quis vel excommunicatur vel excommunicatus profertur; nam in negativis facilius potest de utraque excommunicatione vox illa intelligi, ut cum dicitur aliquis non esse excommunicatus, propter illam rationem, quod negatio ex se omnia destruit. At si in rigore loquamur, termini eamdem significationem habent in negativa, et affirmativa propositione, si cætera sint paria; et ideo præcipue consideranda est circumstantia loci et ratio negationis, ut inde colligi possit, an ad utramque excommunicationem extendatur. Nam si dicamus excommunicatum non posse absolvere ab excommunicatione, in subjecto est sermo de excommunicatione majori, juxta regulam positam, quia, ut infra

constabit, excommunicatio minor non privat jurisdictione. At vero in prædicato, in quod cadit negatio, ad utramque excommunicationem extenditur, quia illa negatio fundatur in defectu jurisdictionis vel usus ejus; quæ ratio de utraque excommunicatione procedit, quia excommunicatus usu omnis jurisdictionis privatus est; et simili modo, cum dicitur in cap. unic., de Iis quæ vi, in 6, absolutionem ab excommunicatione metu extortam invalidam esse, de utraque excommunicatione merito intelligitur ab omnibus Doctoribus, non solum quia materia illa favorabilis est ob immunitatem, et libertatem Ecclesiasticæ potestatis, sed etiam quia ratio involuntarii consensus universalis est; unde et ad omnem censuram decisio illa extenditur, ut ex illo textu constat, et præced. disput., sect. 6 annotavimus.

5. Denique addunt aliqui, quoties in eadem dispositione conjunguntur illæ duæ voces, *excommunicationis*, et *anathematis*, excommunicationis verbum pro minori accipi, ne supervacanea verba sint. Sed non est universalis, neque vera regula, ut constat ex dictis circa primam difficultatem superioris sect., ubi longe aliter exposuimus cap. Cum non ab homine, et cap. Engeltrudam, quæ ad hoc citant. Neque erunt supervacanea verba, quæ ad majorem severitatem, et terrorem adduntur, et in accidentali solemnitate etiam differunt, ut ibi declaravimus. Et potest optime confirmari ex declaratione novissime edita a S. D. N. Clemente VIII, in causa ducatus Ferrariensis, ubi sæpe repetit, et conjungit hæc verba, *excommunicati, anathematizati, maledicti,* et tamen sine ulla dubitatione, et excommunicatio illa major est, et maledictio non est aliqua censura distincta ab excommunicatione et anathemate, sed major quædam expressio gravitatis ejus. Quin potius in ipso titulo totius sententiæ dicitur : *Declaratio et promulgatio majoris excommunicationis, anathematis et maledictionis.* Non sunt ergo supervacanea verba, etiamsi non sit sermo de excommunicatione minori.

6. *Cap. 1 de Except., in 6, exponitur.* — Ad cap. 1 de Except., in 6, communis interpretatio est, illum esse specialem casum in jure expressum propter vitandas fraudes, et dilationes in judiciis, ut patet ex Covarr., et aliis auctoribus, quos ipse citat. Tamen si attente verba textus considerentur, videtur certe alia fuisse mens Pontificis, cum dixit, debere eum, qui excommunicationem opponit, speciem illius exprimere; nam per speciem non videtur intelligere majorem vel minorem excommunicationem, sed excommunicationem majorem in particulari, id est, propter tale delictum, v. gr., percussionis clerici, sacrilegii, vel similium, contractam; unde etiam postulat, ut excommunicatoris nomen exprimatur. Et ex ratione, quam subdit, hic etiam sensus colligitur, scilicet, *quia talis exceptio probanda est apertissimis documentis;* et ideo oportet, ut in particulari, et non in confuso fiat. Quæ expositio non obscure confirmatur inferius in § Si vero, in illis verbis : *Si probationis copia succedente, de eadem excommunicatione, vel alia excipiatur iterum, et probetur,* etc. Non enim possumus exponere, *de eadem*, id est, majori, *vel alia* minori, quia exceptio de minori nihil unquam operatur; ergo necessario intelligendum est de eadem majori, de qua in specie fuerat exceptio posita, vel de alia etiam majori, sed in altera specie, id est, in alio casu vel pro alia culpa contracta. Igitur in prioribus verbis in eodem sensu sumitur excommunicatio in specie. Atque ita illa expressio non postulatur in illo textu propter ambiguitatem verbi excommunicationis respectu majoris vel minoris, sed propter claritatem et veritatem judicii, in quo res, et causæ in particulari sumptæ melius examinantur, et probantur. Quapropter nil refert, quod vox excommunicationis pœnam significet, ut pro minori accipienda sit, quia hic non habet locum illa regula, quod in dubiis omnia sunt in mitiorem partem interpretanda, cum ad tollendum hoc dubium, illius vocis sensus jure ipso explicatus sit. Ideoque juridica, ut sic dicam, et propria illius vocis significatio jam est ut simpliciter prolata pro majori sumatur; in omni autem dispositione etiam odiosa et pœnali, verba sunt proprie et secundum jus intelligenda.

7. *Quomodo excommunicatio major, et minor, inter se differant.* — Tandem ex his facile expeditur illa quæstio, an hæ duæ excommunicationes specie differant, quæ moraliter potius, quam metaphysice definienda etiam est. Dicentur ergo differre specie, quia comparantur per modum totius et partis, et in ratione privationis, quia pluribus bonis et specie diversis major privat, quam minor; et in ratione pœnæ in ordine ad culpam, quia major per se respicit culpam mortalem, ad minorem vero venialis sufficit. Ac denique in ratione vinculi, quia major plus ligat, et obli-

gat; unde et difficilius solvitur; quæ omnia ex discursu materiæ constabunt.

DISPUTATIO IX.

DE PRIMO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS MAJORIS, QUI EST PRIVATIO ORATIONUM ET SUFFRAGIORUM ECCLESIÆ.

Juxta ea, quæ paulo antea definivimus, prius prosequemur omnia, quæ ad excommunicationem majorem pertinent, cum illa sola simpliciter excommunicatio sit; postea vero de minori excommunicatione breviter dicemus. Visum est autem prius tractare de effectibus, quam de causis excommunicationis, tum quia tota ratio, et substantia hujus censuræ consistit in hujusmodi effectibus, quos quasi formaliter conferre videtur, quia nihil aliud est, quam vinculum quoddam morale, removens hominem a communicatione quorumdam Ecclesiasticorum bonorum; quam remotionem seu privationem vocamus effectum, scilicet per se et proximum hujus censuræ; tum etiam quia fere cætera omnia, quæ de causis inducentibus vel tollentibus hanc censuram desiderari possunt, ex dictis de censuris in communi possunt breviter expediri; quæ autem ad effectum pertinent, sunt maxime propria, et ideo accuratius sunt hoc loco pertractanda. Est autem advertendum, quod, licet effectus adæquatus hujus censuræ unus sit, scilicet, totalis privatio Ecclesiasticæ communicationis, tamen, quia in illa communicatione plura bona includuntur inter se valde diversa, per respectus ad illa distinguuntur plures effectus inadæquati, de quibus sigillatim et in particulari dicere oportet, ut clarior, et expeditior sit doctrina. Hic ergo dicemus de privatione suffragiorum communium, ad quam passive tantum, ut sic dicam, se habet excommunicatus; nam si quæ obligatio moralis ibi intervenit, in alios cadit, ne pro ipso orent, aut suffragia illi applicent; ipse vero solum fit quasi incapax vel indignus talium orationum, vel suffragiorum. Videndum ergo est, qualis sit hæc obligatio, et ad quos actus vel personas extendatur.

SECTIO I.

Utrum grave peccatum sit communes orationes vel suffragia Ecclesiæ offerre pro excommunicato.

1. Quid suffragia sint, superius in propria materia ostendimus, ubi diximus, esse quædam spiritualia subsidia, quibus quædam Ecclesiæ membra ab aliis juvantur, vel quoad satisfactionem pro pœna temporali, vel quoad meritum de congruo, aut impetrationem aliquorum bonorum, præsertim spiritualium vel quæ ad spiritualia conferant; quæ subsidia per sacrificia, orationes, et pia opera, Ecclesiæ membra sibi invicem præbent, interdum privatim, id est, singulæ personæ inter se, interdum vero publice, id est, auctoritate publica totius Ecclesiæ, et in persona ejus, vel ex publico, et communi thesauro ejus. Hic ergo solum agimus de suffragiis communibus; nam de privatis postea dicemus. Possunt autem illa ad tria capita revocari, scilicet, sacrificium Missæ, nam illud nomine totius Ecclesiæ offertur; orationes, et aliæ sacræ cæremoniæ, seu actiones, quæ a ministris Ecclesiæ, ut tales sunt, in persona totius Ecclesiæ fiunt. Item indulgentiæ, quæ vel a Summo Pontifice, vel ab aliis pastoribus juxta potestatem eis datam conceduntur.

Prima conclusio.

2. *Excommunicatio ut formidanda.*—Primo igitur certum est, excommunicatum majori excommunicatione ex intentione et voluntate ipsius Ecclesiæ his omnibus suffragiis privatum esse. In quo Doctores omnes conveniunt, Theologi in 4, dist. 18, ubi Magister, § Ligant quoque, et D. Thom., quæst. 2, art. 1; Bonav., Gabr., Palud., et alii; Sot., d. 22, quæst. 1, art. 1; Summistæ omnes, verb. *Excommunic.*; Navarr., c. 27, num. 17, et seq.; et Covar., qui alios refert, in c. Alma, p. 1, in initio, num. 3, et seq., et § 4, 5 et 6. Et sumitur ex Greg., lib. 2 Dialog., c. 23. Ratio vero est, quia in Ecclesia, et est potestas, et voluntas excludendi hominem contumacem et excommunicatum a participatione suffragiorum; ergo efficaciter id operatur. Consequentia est evidens, et antecedens quoad priorem partem constat, tum ex dictis supra de potestate ferendi censuras, tum ex proprio et peculiari jure, quod Ecclesia habet in hæc bona; cum enim sit eorum domina, aut saltem dispensatrix Christi nomine per Vicarium ejus, jure ac merito potest indignos ab horum bonorum participatione repellere. Quod autem velit et faciat, constat ex usu Ecclesiæ, et ex variis juribus, cap. A nobis, et c. Sacris, cum aliis, de Sent. excom., et 11, quæst. 3, per capita. In quibus etiam propter hanc causam cum aliis dicuntur excommunicati

expelli ab Ecclesia, quia expelluntur a communibus suffragiis, sicut ethnici, Matth. 18. Dicuntur etiam tradi Sathanæ in c. Omnis Christianus, juxta modum loquendi Pauli, 1 ad Timoth. 1, et 1 ad Cor. 5 : *Quia extra Ecclesiam diabolus est* (inquit Augustinus), *ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione removetur.* Item etiam, quia excommunicatus supponitur saltem in foro Ecclesiæ divina gratia sanctificante privatus, et in eo statu pertinax, nam ideo tali censura dignus habetur. Unde, cum ulterius privatur communibus Ecclesiæ auxiliis spiritualibus, quibus multum juvari posset ad obtinendam a Deo gratiam, vel motionem, qua a tali statu resurgeret, merito habetur quasi Sathanæ traditus. Propter quod jure optimo dixit Augustinus, nihil ita esse formidandum Christiano, sicut a Christi corpore separari. Unde multi censent, ad gravitatem hujus pœnæ indicandam, in primitiva Ecclesia permisisse Deum, ut per hujusmodi censuram peccatores traderentur potestati dæmonis, etiam corporaliter vexandi; sic intelligentes illud Pauli, 1 ad Cor. 5 : *Tradidi hunc hominem Sathanæ in interitum carnis.*

3. *Ecclesia excommunicando, quomodo pia. — Ecclesia quomodo sit domina, dispensatrix horum bonorum.* — Hic vero statim oriebatur difficultas, quomodo hæc pœna sit consentanea pietati Ecclesiæ, cum tam acerba sit. Quo modo etiam possit esse medicinalis, ut dicitur c. 1 de Sent. excom., in 6, cum directe videatur bonis animæ contraria, vel potius quasi radicitus ea tollere. Verumtamen de hac re satis diximus in principio disputationum de censuris in communi, et videri potest Covarr., d. 1 p., n. 9, in principio; licet enim hæc pœna directe consistat in privatione omnium spiritualium bonorum, nihilominus ex intentione Ecclesiæ ordinatur ad majus spirituale bonum, vel proprium ipsius excommunicati, ut ei vexatio det intellectum, vel commune aliorum, ut terrore in officio contineantur. De qua re extat optimum exemplum apud Gregor., lib. 4 Dialog., c. 55, et videri potest Ambr., lib. 2 Offic., c. 27, et alia, quæ referuntur 11, quæst. 3, c. Audi denique, et seq., et 24, quæst. 3, c. Resecandæ, et seq. Dico ergo Ecclesiam esse dominam, vel dispensatricem horum bonorum; nam quoad bona, quæ per indulgentias applicantur, est tantum dispensatrix, et potestas dispensandi est per se primo in capite, seu Christi Vicario, qui ea potestate et fideliter et juste uti debet; et ideo, sicut non concedit tales indulgentias sine justa causa, ita postquam illas juste concedit toti Ecclesiæ universali, vel alicui particulari, aut provinciæ, vel loco, respective neminem ex solo arbitrio, et absque causa legitima ab eorum participatione excludit; esset enim illa personarum acceptio; at vero ex causa legitima merito excludit excommunicatum ab hujusmodi bonorum participatione; nam ea bona solum dispensantur inter membra Ecclesiæ unita; imo cum effectu non applicantur nisi membris vivis, ut suo loco vidimus. At vero aliorum suffragiorum, quæ in communibus orationibus, et sacris operibus consistunt, in tantum est Ecclesia domina, in quantum liberum ei est per membra sua illa operari. Tamen considerando etiam fructum horum operum, dominium ejus est in tota Ecclesia; Prælati autem sunt dispensatores, seu ministri, ut possint ad participationem talium bonorum aliquos admittere, vel excludere, non voluntarie, ut domini, sed ex justa causa, ut judices.

Secunda conclusio.

4. Secundo hinc etiam certum est, prohibitum esse publice orare pro excommunicatis, seu communia suffragia Ecclesiæ illis applicare. In hoc conveniunt citati Doctores, et sumitur etiam ex Cypriano, epist. 66. Et de hac assertione videri potest Navarr., de Orat. et hor. canon., c. 19, n. 67; et Covar., dict. § 6, n. 4; et Gabr., lect. 26 in canon., lit. K, et seq. Ratio autem sumitur ex præcedente assertione, quia intentio Ecclesiæ est privare excommunicatum his suffragiis; non potest autem aliter hoc efficaciter operari, nisi prohibendo ministris Ecclesiæ ne pro excommunicatis hæc suffragia offerant, antequam absolvantur. Et ita etiam loquuntur jura in c. A nobis 2, et c. Sacris, cum aliis, de Sent. excom. Unde fit, hoc præceptum ex genere suo obligare sub mortali, quod docuit expresse D. Thom., Quodl. 11, art. 9, et ex illo notavit Navar., in Sum., cap. 27, n. 36. Et ratio est, tum quia materia illius præcepti gravis est; tum etiam quia hæc privatio communicationis in his spiritualibus, est directe intenta per Ecclesiam.

5. *Cur Ecclesia feria sexta Parasceves pro excommunicatis publice oret.* — Hic vero statim occurrit vulgaris objectio, quomodo Ecclesia in feria sexta Parasceves publice oret pro excommunicatis, si ipsamet prohibet

pro illis publice orare. Quod autem ipsa faciat, patet, quia orat pro hæreticis, et schismaticis, qui excommunicati sunt. In hac objectione expedienda, laborant Navarr., Covarr., et alii. Sed res est facillima, quia hæc prohibitio non est de jure divino, ut supra ostendi, tractando de censuris in communi; neque, quod tota Ecclesia oret pro excommunicato, est per se, et intrinsece malum, sicut statim dicemus non esse malum, ut privata persona pro illo oret; nam quoad hoc eadem est ratio, seclusa Ecclesiæ prohibitione. Igitur hoc solum est malum ex prohibitione Ecclesiæ, quæ potuisset ita excommunicationis censuram instituere, ut per eam privaret excommunicatum omni alia communicatione, et non hac, quæ consistit in suffragiorum oblatione. Ergo similiter, quamvis generatim prohibuerit hæc suffragia offerri, vel publice orari pro excommunicatis, potuit ab illa generali prohibitione excipere illum diem, et illum peculiarem modum publice orandi pro illis. Consulto autem utrumque conjungo, scilicet, et diem, et modum orandi, quia Navarr. supra, num. 71, ait, *Ecclesiam tunc orare pro exteris, et inimicis suis non orationibus institutis pro suis membris, sed aliis institutis pro iis, qui tales non sunt.* Ex quo infert, *quod licet nemo debeat orare nomine Ecclesiæ, et velut persona publica pro infidelibus, et excommunicatis, orationibus deputatis ad orandum pro suis membris, sed sic orationibus, quas habet compositas ad orandum pro infidelibus, et excommunicatis.* Quæ sententia, ut vera sit, intelligenda est cum moderamine illius diei, et officii pro eo die instituti; nam si quis sacerdos vellet in Missa aliis diebus publice dicere illam orationem pro hæreticis vel schismaticis, quam pro illo solo die et officio Ecclesia instituit, graviter peccaret participando in sacris cum excommunicatis, quia Ecclesia non instituit eam orationem tali intentione, nec copiam fecit ministris suis utendi illa suo nomine, nisi in tali officio, et die; secus vero esset si quis privatim, et propria devotione uteretur illa oratione ad orandum pro apostatis, ut privata persona; ita enim id facere potest illa oratione, sicut quibuscumque aliis verbis ab ipso compositis. Et fortasse hoc solum voluit docere Navar. sup. Cur autem Ecclesia illo die speciali hujusmodi dispensatione (ut sic dicam) usa fuerit, facile est congruentias reddere. Potissima esse videtur, quia eo die repræsentatur mors Christi, cujus meritum, et effectus quoad sufficientiam ad omnes homines sine ulla exceptione extenditur; et jure optimo voluit Ecclesia, quantum est de se, pro omnibus intercedere, ut in omnibus efficaciam habeat. Est ergo hoc peculiare privilegium illius diei, quod intelligendum est quantum ad directam orationem publicam pro iis excommunicatis; nam si oratio directe fiat, et in generali pro Ecclesiæ dilatatione, vel unione, seu augmento, quamvis indirecte possit talis oratio redundare in bonum hæreticorum, aut schismaticorum, quorum conversione, vel emendatione Ecclesia augetur, vel unitur, talis oratio publica non est prohibita, quia per se fit pro Ecclesia, ut latius declaravi superiori tom., disp. 78, sect. 2, ad fin.

SECTIO II.

An omnes excommunicati vel solum excepti jure novo Concilii Constantiensis privati sint communibus suffragiis Ecclesiæ.

1. Ad hunc effectum amplius declarandum, necesse est investigare, in quibus excommunicatis locum habeat. Et non inquiro de majori, aut de minori excommunicatione ligatis; jam enim dixi, sermonem nunc solum esse de majori excommunicatione. Hæc tamen varios habet status; interdum enim est occulta, utpote generatim lata, et per delictum occultum contracta; interdum vero est publica, vel sine juridica denunciatione in particulari et nomine proprio facta, vel cum illa. Certum ergo est, prædictum effectum habere locum in nominatim excommunicato, atque etiam in manifesto percussore clerici, quando tam publicus est, ut nulla tergiversatione possit celari. De aliis vero dubitatio est; oriturque dubitandi ratio, ex nova constitutione seu Extravag. *Ad evitanda scandala,* quæ a nobis hoc loco proponenda est, et quoad hunc effectum declaranda; quoad alios vero in discursu materiæ tractabitur.

2. *Extravag. Ad evitanda scandala, ex Concil. Basiliens. explicatur. — Concil. Basiliens. an constitutionem hanc valide tulerit. — Hæc Extravag. non ex illius Concil. et aliorum, sed ab usu Ecclesiæ comprobatur, et quo a Pontifice esse credatur.* — In Concilio ergo Basiliensi, sess. 20, ad fin., sic legitur : *Ad vitanda scandala, et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam quod nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione, vel*

receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel a jure generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, aut locum, certum, aut certam, a judice publicata, vel denunciata specialiter, et expresse, aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam constiterit incidisse quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari. Nam a communione illius abstineri vult, juxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. Circa quam Extravag. primo advertendum est, eamdem referri ex Concilio Constantiensi a D. Antonino, 3 p., tit. 25, c. 3, quem postea alii multi secuti sunt, quos infra referam. In actis autem, quæ nunc habemus ex Concil. Constantiensi, tale decretum non habetur, sed solum in Basiliensi; ex quo solo, ac per se considerato non potest illa constitutio habere vim legis obligantis universam Ecclesiam, et derogantis, seu limitantis antiquum jus; nam Concilium illud, quando illam edidit constitutionem, vel non erat legitimum, nec sub obedientia Summi Pontificis procedebat, vel saltem a Summo Pontifice nunquam confirmationem obtinuit, ut late prosequitur Turrecremata, in Sum. de Eccles., lib. 2, cap. 100. Et sumitur ex Concilio Lateranensi sub Leone X, circa finem; et ex Bulla retractationum Pii II. Neque satisfacit, quod significat Covar., in c. Alma, 1 p., § 2, num. 7, dicens, quæ in Synodo Basiliensi, vel Constantiensi acta fuerunt circa damnationem quorumdam articulorum hæreticorum, et causas beneficiales ac censuras, approbata fuisse Apostolica auctoritate, *sicut apparet* (inquit) *ex Bullis Martini V, et Nicolai V, Romanorum Pontificum, quæ quidem approbationes in ipso Conciliorum Codice continentur.* Hoc (inquam) non satisfacit; nam in Bulla Martini V, quæ habetur in fine Concilii Constantiensis, habetur quidem damnatio Joannis Wicleph, et Hus, et illorum hæresum. In Bulla autem Nicolai V, quæ habetur in fine Concilii Basiliensis, approbantur acta in eo Concilio quoad causas quasdam beneficiales; de censuris autem nihil video ab illis Pontificibus esse approbatum, quod ad jus pertineat, sed solum de illis, quæ ad ea negotia, vel facta, quæ confirmat, pertinere potuerunt. Addit vero Ugolin., tab. 1, c. 13, § 7, in principio, illam constitutionem, prout in Concilio Basiliensi continetur, et probatam fuisse a Nicolao Papa V, per Bullam super approbatione Actorum in Concilio Basiliensi. Verumtamen nec in tomis Conciliorum habetur, neque ab aliis auctoribus refertur alia Bulla Nicolai V approbationis Concilii Basiliensis, præter eam quæ in tomo 4 Conciliorum in fine ejusdem Concilii habetur, in qua non fit generalis approbatio, sed solum quoad promotiones, electiones, dispensationes, absolutiones, et alia similia ad factum, non ad jus concedendum pertinentia, ut evidenter ex tenore totius Bullæ constat. Itaque si in sola auctoritate illorum Conciliorum sisteremus, nullam vim illa Extravagans haberet; tamen quia ab universali Ecclesia recepta est, et usu probata, imo (ut creditur) a Summo Pontifice manavit, ideo non est dubium, quin obligatio vitandi excommunicatos juxta moderationem in illa factam observanda sit; in quo conveniunt omnes auctores citati, et citandi.

3. *Differentia in contextu Extravag. Ad evitanda.* — Secundo est observanda differentia quædam, quæ inter auctores est in littera hujus Extravagantis referenda, et consequenter in ejus dispositione restringenda vel amplianda. Duo enim casus in illa ponuntur, in quibus excommunicatus vitandus est. Primus, quando nominatim per particularem sententiam et denunciationem excommunicatio in aliquem lata est; quoad hanc partem nulla est differentia in littera referenda, quamvis in sensu, et explicatione sint nonnullæ discordiæ, ut infra dicam. Secundus casus est, quando excommunicatio est ita publica, ut nulla tergiversatione celari possit. Et in hoc est magnum discrimen in ipsa littera; nam prout habetur in Concilio Basiliensi, casus est generalis de omni sententia excommunicationis; imo Navarrus cum aliis illam extendit ad publicam suspensionem, et interdictum. At vero longe aliter refertur hic casus ab Anton. juxta Concilium Constantiense his verbis : *Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in clericum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denunciatus*

non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones. Juxta quam lectionem solum in illo speciali casu vitandus est publicus excommunicatus. Et inde potius firmatur regula, ut nullus alius excommunicatus, quantumvis publicus, vitandus sit, donec sit denunciatus.

4. *Dissensio in lect. prædictæ Extravag.* — Est autem inter Doctores magna dissensio in approbando alterutro ex his contextibus, ut in praxi tanquam lex servandus sit. Priorem ex Concilio Basiliensi approbant Abbas in Clement. 2 de Sent. excomm.; Felin. late in c. Rodulphus, de Rescript., num. 39; Navarr., in cap. 1, § Laboret, de Pœnit., dist. 6, num. 10 et seq., qui addit fuisse postea illam Extravagantem Basiliensium receptam in Concilio Bituricensi, et in statutis Ecclesiæ Gallicanæ, et Concordatis inter Leonem X, et Regem Galliæ Franciscum, quæ habentur etiam in Concilio Lateranensi sub Leone X, sess. 11, ubi prædicta constitutio eisdem verbis refertur, quibus habetur in Concilio Basiliensi, ut notat idem Navarrus, in Summa, c. 27, num. 35. Eamdem sententiam sequitur Covarruv., dicto § 7, num. 7, et Ugolinus, dicto § 7, num. 7, qui referunt Abbatem, et alios. Idem Sylvest., verbo *Excommunicatio* 5, num. 9. Fundamentum est, quia de forma et contextu Concilii Basiliensis constat nobis ex actis illius Concilii. De forma autem Concilii Constantiensis non constat nisi ex narratione quorumdam Doctorum. Et quamvis constaret, tamen constitutio Concilii Basiliensis posterior est, quæ priorem correxit ac limitavit. Et, quod magis urget, Leo X, cum Concilio Lateranensi, postea formam Concilii Basiliensis confirmavit. Quam proinde postea secutum est Concilium Moguntinum, cap. 104.

5. *Prohibitio hæc est limitanda ex forma Concil. Constantiensis.* — Nihilominus contraria sententia vera est, scilicet, nunc limitandam esse hanc prohibitionem juxta formam attributam Concilio Constantiensi, ut sentiunt plures, et graves Doctores, D. Antoninus, in dicto tit. 25, cap. 3, et in tractatu de Censuris, cap. 83, alias in tractatu de Excommunicat., cap. 76, num. 16, qui habetur in tomo 14 tract. diversor. Doctorum; Cajetanus, in Summa, verbo *Excommunicatio minor;* Victoria, in Summa, de Excomm., num. 10; Adrianus, in 4, materia de Euchar., quæst. penult., et materia de Confess., dub. 9, et de Clavib., quæst. 3; Major, in 4, dist. 18, quæst. 3, ubi (quod mirum est) idem refert ex pragmatica sanctione Gallicana, cap. de Excommunicatis non vitandis; Soto in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 4; et Joann. Gutierrez, lib. 1 Canonic. quæst., cap. 1, ubi copiose hoc disputat, et plures alios auctores refert. Et hanc partem sequuntur fere omnes Summistæ. Fundamentum est, quia illa constitutio, sub ea forma, edita creditur a Martino V, ut ex testimoniis fide dignis superius refert Antoninus, dicens Papam de hac re interrogatum respondisse: *Illa est una de Concordatis, et volo quod semper duret.* Neque illa omnia, quæ posterius facta dicuntur, eam formam derogare aut restringere potuerunt, tum quia Concilium Basiliense per se ad hoc potestatem non habuit, neque in hoc fuit a Nicolao V approbatum, ut dictum est; tum etiam, quia licet illud Concilium in sua constitutione verbum seu restrictionem ad percussionem clerici omiserit, non tamen expresse retractavit priorem constitutionem Martini V. Quod maxime dicendum est ad acta Concilii Lateranensis, quia ibi non agebatur de lege ferenda, aut observanda circa hoc pro universa Ecclesia, sed solum de Concordatis inter Gallos, et Pontificem, qui illa forma contenti fuerunt; non tamen propterea legem sanxerunt ab universa Ecclesia observandam; tum maxime quia usu totius Ecclesiæ ea forma jam est approbata et recepta, ut prædicti omnes auctores referunt; et constat ex usu Galliæ, Germaniæ, etc., ubi Catholici sine scrupulo communicant cum hæreticis publicis, et schismaticis; propter quam consuetudinem in hanc tandem partem inclinavit Navarrus supra, et lib. 1 Consilior, tit. de Constitut., consil. 1, quæst. 24, et idem servari videmus in aliis regionibus inter Catholicos. Denique constitutio illa, prout ex Concilio Constantiensi refertur, utilissima est ad finem in eadem constitutione expressum, scilicet ad vitanda scandala, et sedandas timoratas conscientias; ergo cum ob eam causam communi consuetudine probata et recepta sit, non est cur amplius restringatur.

6. *Objectio. — Solutio. — Cur in d. Extrav. sola excommunicatio ob clerici percussionem excipiatur.* — Sed objiciunt aliqui, quia non est major ratio de publico excommunicato ob clerici percussionem, quam ob aliam causam; ergo, si excipitur publice excommunicatus ob illam causam, excipiendus est etiam publice excommunicatus ob hæresim, quæ major causa est; et

consequenter omnis publicus excommunicatus excipiendus est, juxta dispositionem Concilii Basiliensis; nam, ubi est eadem ratio, esse debet eadem juris dispositio, l. Illud, ad leg. Aquiliam, et argumento cap. Cum dilecta, de Confirmat. utili vel inutili. Respondetur primo, solam paritatem rationis non esse sufficiens argumentum in iis quæ ex jure positivo pendent, nisi ipse legislator ex similitudine rationis moveatur ad similem legem, aut prohibitionem faciendam, aut extendendam, ut sæpe fit, et fieri expedit, quod solum probatur ex dictis juribus. At vero si de facto lex vel prohibitio solum lata est in uno facto, vel materia, sub certis terminis, etiamsi in aliis appareat rationis similitudo, non propterea prohibitio, aut concessio extendenda est, quia ratio non sufficit, nisi accedat voluntas legislatoris. Secundo dico, plures rationes speciales posse hoc loco assignari, cur publicus excommunicatus ob percussionem clerici potius exceptus sit, quam alii : tum in favorem, et majorem securitatem personarum Ecclesiasticarum; tum quia delictum illud maxime scandalosum est; tum quia in illo casu, et jus ipsum valde notum est, et factum semper in Ecclesia fuit valde odiosum, et ex se potest esse ita notorium, ut omnem dubitationem excludat, quod in aliis delictis raro accidit. Et ideo, licet peccatum hæresis gravius sit, de illo tamen non est facta exceptio, quia, ubi fides viget, et facile possunt vitari hujusmodi hæretici, rarissime accidit, ut aliquis sit ita publicus hæreticus; ubi autem fides non viget, et copiosus est numerus hæreticorum, vix possunt a Catholicis vitari; et ideo utrobique infinita orirentur dubia, si de hoc etiam crimine exceptio facta fuisset.

Quæ personæ vitari præcipiantur per Extravag. Ad evitanda, *quoad primam ejus partem.*

7. Tertio sic stabilito hoc jure, explicandus est sensus utriusque partis, solum quantum spectat ad conditiones personarum, quæ ibi excipiuntur, seu vitari præcipiuntur; nam de modo, et actibus, in quibus vitandæ sunt, in discursu totius materiæ, et per singulos effectus est dicendum. In priori ergo parte excipitur nominatim excommunicatus, vel alia censura ligatus. Itaque non satis est incurrisse censuram ipso jure latam, neque etiam ab homine per sententiam generalem, ut in ipso textu expresse continetur. Ex quo etiam constat hanc constitutionem quoad hanc partem ad omnes censuras extendi, ad quas cum proportione sunt applicanda illa verba, *Contra personam, collegium, universitatem*, *Ecclesiam, aut locum*, *certum*, *aut certam*, nam, quod ad nos nunc attinet, excommunicatio contra certam personam ferri debet; reliqua vero propter suspensionem, vel interdictum posita sunt; debet autem excommunicatio ferri contra certam personam specialiter, et expresse, ut ibidem dicitur, id est, nominatim, ut omnes exponunt.

8. *Num excommunicatus ab homine per sententiam specialem vitandus sit. — Denunciatio necessaria omnino est, ut quis vitetur. — In quo differat publicatio a denunciatione.* — Dubitant autem Navarrus, et alii, an sufficiat aliquem esse excommunicatum ab homine per sententiam specialem in eum latam, vel necesse sit eum post sententiam publice denunciari. Nam, quod primum sufficiat, docuit Adrianus, in dict. dub. 9, de Confess., et Medina, C. de Confess., quæst. de Confess. confessori excomm. scient. fact., et Petrus Soto, lect. 6 de Confess., et lect. ult. de Excomm., et Felinus, supra, quem Navarr. citat. Et videntur habere magnum fundamentum in textu, tum quia solum excipit excommunicatos a jure, vel ab homine per sententiam generaliter promulgatam; tum etiam quia posterius sub disjunctione dicit : *Nisi sententia fuerit a judice publicata, vel denunciata, specialiter et expresse;* ergo satis erit, quod sententia promulgata sit in speciali, quamvis non fuerit denunciata, quia ad veritatem disjunctivæ una pars sufficit. Nihilominus contraria sententia communis est, quam tenet Navarr., dict. cap. 27, num. 52, et dict. cap. 1, § Laboret, de Pœnit., dist. 6, num. 23, et Covarr., Ugolin., Gutierrez, et alii supra citati. Et est probabilior, et in praxi sequenda, quia consuetudo, quæ est optima legum interpres, ita legem illam acceptavit, et interpretata est. Et præterea, quia id est maxime consentaneum fini illius legis, scilicet, ad evitanda scandala, etc., ac non discordat a rigore et proprietate litteræ; nam, licet in principio solum excludere videatur censuram latam per jus, aut generalem sententiam, tamen, cum postea loquitur de speciali, non tantum requirit, ut lata sit, sed etiam, ut sit *publicata vel denunciata.* Quæ duo verba non ponuntur disjunctive tanquam diversa, sed tanquam æquipol-

lentia, nisi quod participium *publicata*, proprie refertur ad censuram, vel sententiam, *denunciata* vero ad personam; quamvis etiam possint (ut jam dicam) eadem verba alia ratione explicari. Et confirmatur, nam excommunicatus a jure, quantumvis publicus, non est vitandus, donec sit denunciatus, excepto casu percussionis clerici; neque etiam excommunicatus per sententiam generalem; ergo nec excommunicatus per specialem, donec per illam persona declaretur, et publicetur excommunicata. Videtur autem verbum *publicata*, generalius, quam *denunciata;* proprie enim excommunicationis sententia denunciari dicitur, quando ore profertur publice in Ecclesia, ut fieri solet; publicari autem dicitur vel illo modo, vel etiam quando in foro, aut in aliis publicis locis affigitur, vel quacumque alia ratione ita promulgatur, ut in communem omnium notitiam venire possit, quæ omnia sub illo verbo *publicata*, comprehenduntur. Est autem adeo necessaria publicatio, ut ipsemet parochus, etiamsi secum habeat sententiam declaratoriam factam contra talem personam, non teneatur illam vitare, donec publice tempore præscripto illam denunciet; nec male faciet illum admonendo, ut resipiscat, antequam publicetur talis sententia jam sibi ad denunciandum tradita, ut Navarrus, et alii citati indicarunt.

9. *Quanta esse debet hæc notitia, ut obliget ad excommunicatum vitandum.* — Quod, si quis interroget, quanta esse debeat hæc publica notitia denunciationis factæ, ut obliget ad vitandum excommunicatum, dicendum est, per se loquendo, et ex parte ipsius sententiæ, et judicis ferentis illam, sufficere, quod actione aliqua publica, et communi consuetudine usitata ad res juridice promulgandas, publicata sit, ut supra latius diximus, agentes de denunciatione censuræ in communi. Ex parte vero aliorum satis est, quod per testimonia fide digna, vel publicam formam, ad eorum notitiam deveniat eam publicationem esse factam. Quod notavit Navarr., lib. 5 Consil., tit. de Sent. excom., consil. 54, argum. cap. Illud, de Cleric. excomm. minist., ubi significatur sufficere publicam famam excommunicationis alicujus, ut vitandus sit; quod ergo jure antiquo sufficiebat respectu excommunicationis absolute, nunc sufficiet respectu excommunicationis denunciatæ. Quod tamen ita intelligendum puto, ut fama talis sit, quæ probabilem, et moraliter certam notitiam conferat; alioqui quando res fuerit dubia, non orietur talis obligatio, tum quia in dubiis melior est conditio possidentis, tum etiam quia intentio illius novi juris, quod explicamus, fuit tollere dubia, et tantum obligare in re certa.

10. *Non sufficit, ut quis vitetur, ut publicatus sit sub conditione de futuro.* — Addo præterea non satis esse, ut sententia excommunicationis contra certam personam lata solum de futuro et sub conditione, publicata etiam fuerit juridice, quia, cum illa sententia tantum conditionata sit respectu censuræ, publicatio ejus non est simpliciter publicatio aut denunciatio censuræ. Oportet ergo, ut post impletam conditionem feratur sententia absoluta contra talem personam in particulari, et publicetur seu denuncietur; et tunc dicitur proprie talis persona nominatim excommunicari, sive proprio notetur nomine, sive talibus circumstantiis et signis, quibus sufficienter, et in particulari designetur persona, contra quam talis sententia fertur, ut advertunt Major, dist. 18, quæst. 2 et 3, et Covarr., supra, § 2, num. 8, qui Doctores alios et jura adducit. Oportet tamen considerare non satis esse, quod sub generali clausula aliquis comprehendatur; ut si sententia dicat, *Excommunicamus Petrum, et sequaces,* Petrus erit nominatim excommunicatus, non vero alii. Denique advertunt Covarr., dict. § 2, num. 9, et Sot., dist. 1, quæst. 5, art. 6, dist. 13, art. 3, dist. 22, quæst. 1, art. 4, satis esse, ut aliquis censeatur nominatim excommunicatus, quod in eum lata et publicata sit sententia declaratoria criminis commissi, cui jure ipso annexa est excommunicatio, quando videlicet tale jus certum, atque indubitatum est; nam tunc perinde est declarare illum commisisse tale crimen, ac declarare incurrisse censuras illi crimini annexas; imo is videtur scopus talis sententiæ declaratoriæ.

Quis dicatur manifestus clerici percussor.

11. *Quot testes necessarii ad facti notorietatem sint.* — Circa alteram partem illius constitutionis dubitari potest, quid sit aliquem esse notorium percussorem clerici. Sed hoc satis videtur in ipsamet Extrav. declaratum; nam imprimis sermo in illa est de notorietate facti, non juris; nam hoc discrimen versatur inter priorem et posteriorem partem ejus; in priori enim regula generalis posita est, ut excommunicatus vitandus noto-

rius esse debeat notorietate juris, id est, per sententiam publicam, juxta cap. ult. de Cohab. cler. et mulier.; in posteriori autem parte, exceptio posita est, ut in illo particulari delicto percussionis clerici sufficiat excommunicatum esse notorium evidentia facti. Additur vero hanc evidentiam talem esse debere, ut nulla tergiversatione possit celari, aut aliquo modo juris suffragio excusari. Unde non satis est, quod delictum per sufficientes testes possit in jure probari, quia dum in eo statu existit, nondum est notorium, sed solum probabile. Item non satis est, quod de tali delicto sit publica infamia absque facti evidentia, quia sine hac nondum est delictum notorium, ut constat ex dict. cap. ult., et clarius ex cap. Tua nos, de Cohabit. cler. et mulier., ubi distinguitur delictum publicum ex evidentia, a publico ex fama, quod non tam notorium, quam famosum dicitur; illud vero prius ita notorium est, ut nulla tergiversatione celari possit; hujusmodi autem esse debet percussio clerici juxta tenorem illius Extravagantis. Unde in primis necessarium est, quod tale delictum factum sit coram multis testibus; et deinde, ut ex eorum testimonio ita factum sit publicum, ut nulla tergiversatione possit celari. Quantus autem testium numerus ad hujusmodi notorietatem facti requiratur, scrupulose inquiritur ab auctoribus; sed de ea re videri possunt, quæ 3 tom. dixi, disp. 67, sect. 5; nulla enim certior regula assignari potest, quam prudentis arbitrii; nullusque certus numerus testium designari potest, qui semper necessarius sit, sed juxta eorum qualitatem, et auctoritatem, et alias circumstantias, interdum major, interdum minor sufficere poterit. Idemque dicendum est de publica notitia talis facti ex hujusmodi testium relatione; non enim oportet, ut res ubique divulgata sit, aut in tota civitate, vel oppido, sed in magna ejus parte juxta prudentium arbitrium.

12. *An qui vident clerici percussionem teneantur percussorem vitare antequam magis notorium fiat.* — Sed inquiret aliquis, an illi, qui vident hujusmodi delictum, teneantur vitare hujusmodi percussorem antequam delictum magis publicum seu notorium fiat. Responderi potest primo, si taliter committatur delictum coram aliquibus, ut nihilominus moraliter censeatur secretum et occultum, quia nimirum, qui testes fuerunt, taciti creduntur, et sub secreto servaturi delictum, in eo casu non teneri ad vitandum hujusmodi delinquentem etiam eos, qui delictum viderunt, quia nondum delictum notorium est, quod Extravagans illa requirit. At vero si delictum ita fiat coram aliquibus, ut ex modo, ac circumstantiis, quibus fit, moraliter censeatur publice fieri, et statim ac sine ulla mora divulgandum esse, etiam potest statim censeri moraliter notorium, et consequenter sic delinquentem et excommunicatum statim esse vitandum ab iis, qui delictum viderunt, quia quod parum distat, moraliter jam adesse censetur. Quæ distinctio probabilis est. Primum tamen membrum dubitationem habet, et limitatione indiget, quia licet delictum illud non sit notorium simpliciter et respectu omnium, est tamen notorium iis qui viderunt; ergo id satis est, ut respectu illorum excommunicatus ille vitandus sit. Nam, si verba Extravagantis considerentur, non requirunt, ut delictum absolute sit notorium, sed ut notorie constet, delinquentem incidisse in sententiam canonis. Hæc enim sunt verba : *Aut, si aliquem ita notorie in sententiam canonis constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari.* Illis autem, qui viderunt, hoc modo notorie constat de tali excommunicatione, nec majorem certitudinem aut notitiam postea comparant, quando divulgatur delictum. Quapropter verisimilius certe videtur, respectu eorum, qui tale delictum viderunt, integrum manere jus antiquum; et consequenter utendum esse dict. cap. Cum non ab homine, de Sent. exc., scilicet, si non obstante illa notitia, adhuc crimen sit occultum, occulte tantum vitandum esse ab iis qui illud viderunt; si autem sit publicum, publice vitandum. Et tunc recte dicitur in alio membro, quando delictum publice committitur, non esse necessarium expectari majorem evulgationem, aut infamiam, quia a principio incipit esse in statu notorio et publico; et ideo, per se loquendo, et secluso alio scandalo, vel ratione alia per accidens occurrente, statim ille vitandus est, ac si jam esset denunciatus.

13. *Exponitur Extravagantis limitatio, Neque aliquo juris suffragio excusari.* — Additur vero in dicta Extrav. illa limitatio, *Neque aliquo juris suffragio excusari.* Quæ intelligenda est de probabili suffragio, et ita apparente, ut constituat rem dubiam. Erit autem hujusmodi suffragium, si quis alleget via tantum defensionis accidisse, ut alium perculeret; nam quamdiu oppositum non

constiterit, præsumendum id potius est quam oppositum. Idem erit, si constanter neget percussum esse clericum, et ex circumstantiis occurrentibus, et ex conditione personarum id fiat verisimile, vel saltem oppositum reddatur incertum. Ratio autem est, quia intentio illius constitutionis fuit tollere dubia; et ideo noluit hanc exceptionem facere, nisi pro casu certo, et indubitato; ergo, quacumque ratione excusatio probabilis sit, aut probabile ingerat dubium, sufficiens erit ut casus non sit ex iis, in quibus delinquens vitari præcipitur. Et eadem ratione ostendi potest, necessarium esse, talem excusationem esse probabilem aliquo ex dictis modis, quia, si sufficeret quælibet inepta et ficta excusatio, nullius momenti fuisset tota illa exceptio; hujusmodi enim excusatio nunquam deest sic delinquentibus. Item, quia illa excusatio non tollit certitudinem, nec prudenti homini dubitationem ingerit.

14. *Secundam ejus Extrav. partem, quæ de percussione clerici agit, solum in excommunicatione habere locum. — Etiam juxta formam Concil. Basiliensis.* — Atque ex dictis concluditur, hanc secundam partem illius constitutionis nullum habere locum in censuris suspensionis et interdicti. Ratio est, quia in ea solum fit exceptio particularis de censura annexa delicto percussionis clerici; illi autem non est annexa nisi quædam excommunicatio major. Atque ita cessat dubium, quod late tractant Navarr., Ugolin. et alii, citatis locis, scilicet, an publice suspensus, vel interdictus vitandus sit, antequam sit denunciatus; supponit enim hæc quæstio secundam partem illius constitutionis universaliter sumendam esse de omni excommunicato publico, et inquirit, an extendenda sit ad suspensum et interdictum. Et ex hac suppositione affirmant dicti auctores ita esse intelligendam dictam constitutionem. Estque eorum sententia probabilis propter varias rationes, quæ in eis legi possunt; nobis enim non sunt necessariæ, quia credimus suppositionem esse falsam. Qua sublata, et constituta illa exceptione de solo delicto percussionis clerici, illa extensio ad alias censuras nullum locum habet, ut ipsi etiam fatentur. Imo, etiamsi forma Concil. Basiliensis sustineretur, ego facillime, et valde probabiliter oppositam sententiam defenderem, quia in hujusmodi positivis legibus proprietati verborum standum est, et quatenus favorem continent, amplianda, et quatenus odium vel rigorem, restringenda est, quantum potest utrumque cadere sub verbi proprietate. Hæc autem lex solum loquitur de excommunicatis in illa secunda parte, quæ rigorosa est et odiosa, quatenus exceptionem illam continet; ergo rigorose, et stricte intelligenda est de excommunicatis, et non est ulterius extendenda ad suspensos et interdictos. Maxime, cum in priori parte ejusdem constitutionis (quamvis favorabilis sit, et ideo extendenda erat ad suspensionem et interdictum) illarum censurarum facta sit expressa mentio; ergo hoc ipso, quod in exceptione de illis tacetur, virtualiter ab illa excluduntur. Quæ rationes videntur esse majoris momenti, quam, quæ in contrarium fiunt, et solum ex similitudine, vel identitate rationis assumuntur, quod argumentandi genus infirmum est in hac materia, ut supra dicebam, tum quia hæc res magis pendet ex voluntate et verbis legislatoris, quam ex paritate rationis; tum etiam quia esset facile plures rationes excogitare, ob quas exceptio facta fuerit in una censura et non in aliis; sed id omitto, quia necesse nobis non est.

15. *Excommunicati occulti tenentur se abstinere a fidelium communicatione.* — Ultimo sunt maxime observanda postrema verba illius constitutionis, quæ in Concilio Basiliensi habentur, quæ licet ex Constantiensi ab Antonino non referantur, tamen ab omnibus acceptantur, et per se sunt valde consentanea rationi, scilicet : *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, neque eis aliquo modo suffragari.* Unde illi semper tenentur sese abstinere, quantum in ipsis est, eodem modo ac ante hoc jus tenebantur, quandoquidem per illud nullus ipsis favor concessus est. Ex quo multa inferri possunt, quæ in discursu materiæ melius declarabuntur; et ideo de hac constitutione, et sensu ejus hæc sufficiant; nunc in singulis effectibus excommunicationis explicandum erit, quomodo servanda, et ad praxim reducenda sit.

Num teneantur ministri Ecclesiæ excommunicatos non denunciatos in publicis suffragiis vitare.

16. *Prior sententia.* — In præsenti ergo videri potest ex dictis consequens nunc non teneri ministros Ecclesiæ ad vitandum in pu-

blicis suffragiis et orationibus excommunicatos, quantumvis publicos, nisi nominatim declarati sint, excepto casu percussionis clerici, quia per illam Extravagantem absolute concessum est, ut non teneamur vitare hujusmodi excommunicatos ; ergo concessum est, ut non teneamur eos excludere a communibus orationibus et suffragiis, quia hoc est unum genus communicationis, et lex illa sine limitatione aut exceptione loquitur. Et confirmatur; nam excommunicatus non denunciatus, nec manifestus percussor clerici, non privatur Ecclesiastica sepultura ratione prædictæ Extravagantis; ergo nec suffragiis Ecclesiæ. Patet consequentia, quia sepultura Ecclesiastica præcipue datur propter suffragia. Atque hanc partem docet Navarrus, in Summ., c. 27, n. 36, ad 2 dubium.

17. *Posterior et vera sententia.* — Contrariam nihilominus sententiam indicat Soto, dist. 22, quæst. 1, art. 4, post secundam conclusionem , dicens, Concilium Constantiense nihil eis in hac parte concessisse. In quo insinuat rationem hanc, quia Concilium nullum favorem voluit per statutum illud excommunicatis concedere; fuisset autem non modicus, si illos admitteret ad participationem communium suffragiorum. Imo consequenter destrueret præcipuam rationem excommunicationis majoris, quæ est ita præscindere peccatorem ab Ecclesia, ut jam non sit membrum ejus quoad participationem communium bonorum illius. Unde nec traderetur Satanæ , nec tractaretur tanquam ethnicus et publicanus, quæ sunt de intrinseca ratione illius censuræ. Ex quo videtur ulterius colligi, adeo repugnare hanc communicationem cum censura majoris excommunicationis, ut non possit Ecclesia constituere habilem et capacem hujus communicationis, et relinquere affectum et ligatum tali censura. Atque hæc sententia videtur vera, loquendo de facto, et ex vi illius Extravagantis, quidquid sit de absoluta potestate Ecclesiæ.

18. *Suadetur primo ex ipsis Extrav. verbis. — Evasio præcluditur.* — Potest autem dupliciter fundari. Primo in illis verbis ultimis, *per hæc autem,* etc. Ex quibus videtur colligi communia suffragia absolute oblata pro tota Ecclesia, nullum ejus membrum excludendo, aut nominando, sed juxta debitam intentionem Ecclesiæ illa offerendo, nihil prodesse excommunicatis, etiam non denunciatis, vel occultis. Probatur, quia ante illam constitutionem nihil illis prodesse poterant; ergo neque ex vi illius, quia nullus favor vel gratia illis fit ex vi illius. Dices, directe quidem non fieri, indirecte vero necessario redundare, quia ex favore aliis concesso fit, ut possint reis communicare. Sed contra ; nam in eo casu non pertinet ad favorem offerentis vel orantis dicto modo, ut excommunicatus participet ejus suffragiis, quia ipse non hoc specialiter intendit, sed simpliciter orat, aut offert ut minister Ecclesiæ. Neque etiam id spectat ad favorem aliorum fidelium, quia neque ipsi hoc intendunt, neque ullum fructum inde accipiunt; quin potius fortasse minorem partem fructus communis satisfactionis acciperent, si excommunicatis etiam communicaretur. Ex hoc ergo intelligitur intentionem Ecclesiæ etiam nunc esse, ut omnes excommunicati a participatione horum suffragiorum excludantur. Et inde ulterius fit, ut nunquam liceat pro eis specialiter illa offerre, quia intentio ministri offerentis non debet esse contraria intentioni principalis offerentis seu operantis, ut in præsenti est Ecclesia.

19. *Secundo suadetur ex aliis verbis ejusdem Extravag. — Objectio. — Solutio. — Idem ex fundamentali ratione illius Extrav. suadetur.* — Secundo fundari potest hæc sententia in prioribus verbis illius Extravag. : *Nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra,* etc. Ex quibus videtur colligi mentem illius constitutionis solum fuisse loqui de communicatione externa, tam in divinis officiis quam in negotiis humanis, eamque permittere cum excommunicato non denunciato, etc.; ergo non conceditur hæc interna communicatio per participationem suffragiorum. Dices, verba illa : *Aut aliis quibuscumque divinis,* adeo esse universalia, ut hanc etiam suffragiorum communicationem comprehendant. Respondetur, verba illa juxta planum contextum intelligi de communicatione in divinis officiis, ut in audienda Missa, et in horis canonicis publice recitandis; nam, ibi sermo est de hac communicatione externa. Quod præterea colligi potest et confirmari ex fundamentali ratione illius constitutionis, scilicet, ad evitanda scandala et pericula, et subveniendum timoratis conscientiis; nam ad hos fines neque necessarium, neque utile erat concedere hanc internam communicationem cum excommunicatis. Quia, quatenus interior est, invisibilis est, quatenus vero fit per

actiones exteriores, semper pendet ex interiori intentione et applicatione, quæ semper potest sine periculo et scandalo fieri pro membris Ecclesiæ ab ea non præcisis, et in particulari fieri potest pro quolibet, de quo non constat excommunicatum esse, vel, si dubium sit, subintelligi potest et debet conditio, *si ab Ecclesia non sit præcisus;* quod si certo constet illum esse excommunicatum, nihil periculi vel scandali esse potest in non applicandis illi suffragiis communibus per intentionem particularem. Nec pertinet, per se loquendo, ad favorem, vel utilitatem ministri offerentis, vel ad conscientiæ securitatem, ut id facere possit; ergo verisimile non est hoc fuisse in illa Extravagante concessum. Quod si in iis suffragiis communibus consideremus exteriorem applicationem, quæ in particulari fieri solet, orando nominatim pro aliquo per orationem communem Ecclesiæ in Missa vel officio publico, hoc etiam modo non pertinet ad vitanda scandala, ut id fieri possit pro quolibet excommunicato in ea Extravagante non excepto ; nam potius esset scandalum publice illo modo orare pro publico hæretico vel alio simili, etiamsi nominatim declaratus vel nominatus non sit per sententiam specialem. Si autem talis excommunicatus sit occultus, tunc etiam ex jure antiquo non erit publice evitandus illo modo; ergo per hoc novum jus quoad hunc effectum nihil est innovatum.

20. *Satisfit fundamento prioris sententiæ.* — Ad fundamentum ergo prioris sententiæ responderi potest primo, negando verba illius decreti esse ita universalia, ut concedant vel permittant communicationem quoad hunc effectum interiorem. Secundo responderi potest, hanc communicationem non tam prohiberi directe ipsis ministris ex parte ipsorum, quam indirecte, et ex parte ipsorum excommunicatorum, quia Ecclesia intendit quantum potest eos reddere incapaces horum bonorum, adeo ut factum etiam irritet, quantum potest, ut infra videbimus, neque in hoc voluit ipsis excommunicatis favorem ullum concedere; et ideo semper redundat prohibitio ad ministros, ne pro illis valeant offerre communia suffragia. Quid autem dicendum sit de Ecclesiastica sepultura, infra dicemus.

SECTIO III.

An liceat communia suffragia offerre pro excommunicatis jam contritis, et resipiscentibus, nondum vero absolutis a censura.

1. *Sententia affirmans.* — Multi et graves auctores affirmant non esse intentionem Ecclesiæ hujusmodi homines excludere a participatione suffragiorum communium, ideoque licitum esse prudenti modo, et secluso scandalo illos participes facere hujusmodi suffragiorum, dummodo per illos non stet, quominus excommunicationis absolutionem obtineant. Ita tenet Navarr., cap. 27, n. 18, ubi ait excommunicatum contritum et procurantem pro viribus absolutionem, frui tertia communione, id est, suffragiis generalibus Ecclesiæ, quod repetit n. 36, et limitat, dummodo non fiant expresse et publice pro illo. Et citat Hostiensem in c. Cum voluntate, de Sent. excomm.; citat etiam c. Dixi, et c. Magna, de Pœnit., dist. 1. Idem tenet in tract. de Oratione et horis canonicis, c. 19, n. 68; et Covarruv., in c. Alma, 1 part., § 6, n. 4, concl. 9, ubi refert Turrecrematam in c. Si quis Episcopus, 11, quæst. 3, dicentem, hujusmodi excommunicatum pœnitentem frui generalibus suffragiis Ecclesiæ; quod etiam affirmat Richard., in 4, dist. 18, art. 7, q. 2, quem refert et sequitur Anton., 3 part., titul. 24, c. 76. Fundamentum hujus sententiæ est, quia non est verisimile Ecclesiam velle suis suffragiis privare membrum vivum, fide et charitate sibi conjunctum et obedientem, per quem non stat quominus a censura absolvatur. Item quia excommunicatio alio modo vel intentione lata, quantum ad hunc effectum esset injusta, quia pertinet ad spirituale detrimentum, et ideo durare non debet, nisi quamdiu vera causa ex parte hominis durat. Maxime cum sine ulla externa communicatione, et consequenter sine ullo Ecclesiæ detrimento possit hic effectus suspendi seu cessare ratione contritionis. Nam propter similem causam in superioribus dicebamus, censuram in exteriori foro juste latam, ob causam præsumptam, et non veram, non habere valorem, saltem quoad hunc effectum privandi suffragiis, quia non est verisimile, Ecclesiam velle privare hominem innocentem tanto bono; ergo similiter in proposito.

2. *Secunda et vera sententia. — Fundamentum. — Evasio. — Solvitur.* — Nihilo-

minus censeo, communia Ecclesiæ suffragia directa intentione non esse offerenda pro quibuscumque excommunicatis majori excommunicatione, etiamsi contriti sint, nisi prius absolvantur. Ita tenet Adrianus, in Materia de clavib., quæst. 3, ad 1 et ult.; Soto, in 4, dist. 22, quæst. 1, dubio penult. Et idem sentit Alanus, lib. 2 de Sacrificio Missæ, c. 31. Fundamentum hujus sententiæ est, quia hæc censura non tollitur per solam interiorem pœnitentiam; sed censura manens semper habet suum effectum : ergo. Major certa est ex dictis supra de absolutione censuræ in communi; et quia alias necessaria non esset absolutio a censura post peractam pœnitentiam. Dicetur fortasse, non auferri censuram quoad alios effectus, quoad hunc tamen ex intentione Ecclesiæ aut tolli, aut suspendi, seu impediri. Sed contra, quia licet demus Ecclesiam potuisse hoc facere, nullo tamen canone ostendi potest id fecisse; imo ex multis colligi potest, sicut non tollitur censura sine absolutione, ita neque diminui; et absolutionem non minus propter hunc effectum, quam propter alios esse necessariam. Quod probatur ex c. A nobis 2, de Sententia excomm., ubi Innocentius III definit excommunicatum sine absolutione a censura mortuum, etiamsi in eo præcesserint manifesta signa pœnitentiæ, et per eum non steterit quominus reconciliaretur Ecclesiasticæ unitati, apud Ecclesiam absolutum non esse, sed indigere absolutione etiam post mortem; maxime autem potest illa indigere propter suffragia, ut expresse declaravit idem Pontifex in cap. Sacris, eodem titulo, dicens, pro hujusmodi excommunicato ante absolutionem impensam neque oblationes recipiendas esse, neque orationes Deo porrigendas; si ergo hoc statuit Pontifex pro homine jam defuncto, multo magis intelligit verum esse de homine vivo.

3. *Variis congruentiis eadem sententia suadetur.* — Nec deerunt congruentiæ, ob quas censura hoc modo lata, et perseverans, justa sit; videlicet, quia hæc censura non est culpa, sed pœna pertinens ad externum forum Ecclesiæ; talis autem pœna, quamvis propter culpam feratur, sæpe durat ablata culpa coram Deo, donec in judicio etiam Ecclesiæ auferatur. Rursus hæc pœna est publice et juridice lata; et ideo nec tolli, nec diminui debet per privatum judicium, donec per Ecclesiam ipsam juridice tollatur. Aliunde etiam multum refert ad reverentiam et timorem hujus censuræ, quod perseveret etiam quoad hunc effectum, quamdiu per absolutionem non tollitur, ut intelligant fideles in quanto periculo versantur, quamdiu hac censura ligati sunt, et majorem semper diligentiam adhibeant, donec absolvantur. Denique quia alias facile quis diceret, posse hujusmodi excommunicatum pœnitentem occulte recipere sacramenta, vel etiam celebrare, quia est justus et bene dispositus, et per illum non stat quominus absolvatur, ut supponimus; et majus detrimentum spirituale est privari usu sacramentorum et sacrificii, quam suffragiis communibus. Cur ergo Ecclesia volet hoc detrimentum potius inferre, quam illud? Absurdum autem esset id concedere; et, illo admisso, facile esset argumentum urgere in aliis effectibus. Ut ergo tota censura efficacior ac firmior esset, consultius fuit quoad omnem suum effectum manere, donec per absolutionem tolleretur.

4. *Fundamento prioris sententiæ fit satis.* — *Sententia variis modis injusta.* — Ex his satis responsum est ad fundamentum primæ sententiæ; illa enim interpretatio intentionis Ecclesiæ ob quamdam pietatis speciem, non est satis fundata, nec consonat ejus decretis, ut ostensum est. Neque argumentum sumptum ex sententia a principio injusta validum est. Aut enim sententia ita fuit injusta, ut fuerit omnino nulla; et tunc mirum non est, quod non excludat a participatione suffragiorum communium, quandoquidem nullam inducit censuram, neque ligat. Aut fuit ita injusta, ut fuerit valida, et in re ipsa habens veram et subsistentem causam; et talis sententia vere privat etiam participatione suffragiorum, quia absolute et simpliciter infert censuram, quam imponit, ut supra ostensum est. Aut talis censura ita est injusta in re ipsa, ut tamen juxta probationem et formam exterioris fori sit justa. Et hæc etiam in re, et in interiori foro nullam infert censuram, sed solum obligationem quandam abstinendi in foro exteriori, ut supra diximus; et ideo talis etiam sententia a principio non habet vim privandi communicatione suffragiorum, quia cum hoc interno et invisibili modo fiat, magis pertinet ad internum, quam ad externum forum, magisque in veritate rei, quam in præsumptione fundatur. Neque est simile de censura, quæ a principio fuit valida ex vera causa, quamvis postea causa cesset, et de illa, quæ a principio fuit nulla ex defectu causæ, quia censura pendet ex

causa in fieri, non in conservari; et ideo si a principio causam non habuit, facta non fuit, quare neque tunc, neque postea habet effectum; si vero causam habuit, imposita fuit; et licet postea causa tollatur, ipsa manet, et effectum habet, donec per absolutionem tollatur.

5. *Objectio.* — *Solvitur objectio, traditurque differentia inter communionem Sanctorum, et suffragiorum participationem.* — Dices : communio fidelium in bonis operibus in charitate fundata est, et ideo in Symbolo *communio Sanctorum* appellatur; ergo non potest Ecclesia aliquem in charitate existentem hac communione privare; sed hæc communio nihil aliud est, quam participatio communium suffragiorum; ergo hoc ipso, quod excommunicatus redit ad statum charitatis, restituitur etiam ad participationem communium suffragiorum. Respondetur negando minorem; alia est enim communio Sanctorum, quæ fundatur in charitate; alia vero est participatio in suffragiis, quæ Ecclesia per ministros suos offert pro suis membris, ut significavit D. Thom., in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 1, quæst. 1, ad 2, et bene declararunt Soto, et Alanus locis citatis. Nam illa Sanctorum communio non pendet ex aliqua intentione operantis, sed veluti ex natura rei seu charitatis consequitur ex solo consortio et societate bonorum; nam inde fit, ut quo singula membra meliora sunt, eo totum corpus gratius habeatur; et consequenter etiam fit, ut cæteris paribus, Deus majori quadam providentia, aut benevolentia unumquemque justum respiciat propter consortium aliorum. Ab hac ergo communione non excluditur excommunicatus ex vi censuræ, sed ratione culpæ; et ideo quamprimum culpa tollitur et ad gratiam restituitur, dicta communione Sanctorum frui incipit, etiamsi nondum a censura absolutus sit. At vero participatio suffragiorum in hoc consistit, ut sit unus ex iis, pro quibus Ecclesia directe orat, et cui applicat sua merita de congruo, vel satisfactiones communes, vel sacrificia, aut indulgentias. Et quoad hanc participationem fit exclusio per censuram, quæ non aufertur, quamdiu censura manet, etiamsi culpa tollatur.

6. *Replicatio.* — *Enodatur.* — Dices, illo priori modo etiam peccatores, qui sunt membra Ecclesiæ, esse participes communionis Sanctorum; nam ob bonorum consortium Deus peculiariter miseretur malorum, eosque ad pœnitentiam excitat, quod etiam de excommunicatis contumacibus verum habet, si tamen fidem retineant, quia per illam sunt aliquo modo membra hujus corporis, licet mortua, et quoad peculiarem influxum abscissa; tamen vel propter illam conjunctionem Deus illis benefacit propter bonos, ut Richardus, et Antoninus supra annotarunt; ergo ad nullam communionem Sanctorum restituitur excommunicatus propter solam pœnitentiam. Item excommunicatus potest frui illa communione Sanctorum; ergo possunt justi, et ministri etiam Ecclesiæ hoc bonum illis intendere propria et directa intentione, quia objectum illud bonum est; ergo possunt etiam pro illis offerre communia Ecclesiæ suffragia. Respondetur ad priorem partem, idem argumentum fieri posse de quocumque peccatore, cum ad gratiam restituitur. Dicendum ergo est, existentes in peccato mortali aliquid fructus saltem impetrationis participare ex consortio bonorum; viva autem membra multo magis communicare inter se spiritualibus bonis. Et quoad hunc specialem gradum restitui etiam excommunicatum ex vi contritionis, etiamsi a censura non sit absolutus. Ad alteram partem concedo, licitum esse directe intendere homini justo etiam excommunicato hoc bonum commune totius Ecclesiæ; nam talis intentio consentanea est charitati, et prohibita non est, nec prohiberi potest; nam cum effectus ille in re ipsa sequatur, et bonus sit, nulla ratio est, cur non possit honeste intendi. Negatur tamen ultima consequentia, quia hæc intentio non pertinet ad communicationem communium suffragiorum Ecclesiæ, ut ex objecto ejus manifestum est.

SECTIO IV.

Utrum communia suffragia pro excommunicatis oblata illis prosint, quamvis offerens peccet.

1. *Nonnulla pro quæstionis resolutione prænotantur.* — *Ratio dubitandi.* — Aliud est actionem aliquam non esse licitam, aliud ita esse invalidam, ut effectum non habeat; sæpe enim contingit illiud prius esse sine hoc posteriori. Et ideo licet ostensum sit, hæc communia suffragia non offerri licite pro excommunicatis, adhuc videndum superest, an talis oblatio, licet inique fiat, valide et cum fructu ipsius excommunicati fiat. Supponendum autem est, ex parte excommunicati non esse aliud impedimentum præter censuram;

nam ex alio capite, scilicet ex statu peccati mortalis, contingere potest, ut applicatio suffragiorum, vel indulgentiarum non sit efficax, saltem quantum ad fructum satisfactionis, et ex magna perversitate voluntatis impediri etiam potest quoad effectum impetrationis; hæc vero extrinseca sunt; nunc enim solum de impedimento censuræ agimus. Est autem dubitandi ratio, quia quando aliquis operatur ut minister alterius, propria malitia ministri non impedit effectum actionis; hac enim de causa mali sacramentorum ministri, quamvis peccent ministrando, effectum nihilominus conferunt; sed in præsenti qui applicant generalia suffragia Ecclesiæ, id faciunt, ut ministri ejus; ergo licet ipsi peccent, applicatio erit valida, quandoquidem in eo, pro quo offerunt, nullum est impedimentum ad effectum; censura enim non facit incapacem, vel indignam personam, sed supponit; et ideo prohibet ministris, ne offerant; ablata ergo indignitate personæ, tollitur incapacitas, et sola manet prohibitio. In contrarium vero est, quia minister, seu dispensator, si bona dispensat contra domini mandatum; vel voluntatem, non solum male facit, sed etiam nihil facit.

Num sacrificium Missæ pro excommunicato oblatum illi prosit.

2. *In sacrificio Missæ duo considerantur.* — Hæc quæstio specialem difficultatem habet in sacrificio Missæ; et ideo prius de illo dicam, et inde facile constabit, quid dicendum sit de aliis suffragiis. In illo autem sacrificio, prout nunc in Ecclesia fit, distinguere oportet substantialem oblationem sacrificii, ab orationibus, et aliis religiosis cæremoniis, quæ in illo fiunt in persona Ecclesiæ, et suum apud Deum habent spiritualem fructum. Rursus in ipso ministro duplicem rationem distinguere oportet : una est, quatenus immediate, ac per se gerit personam Christi ex vi suæ ordinationis, et nomine illius offert, et applicat talem effectum tanquam minister immediate ab ipso ad hoc munus deputatus. Alia ratio est, quatenus etiam gerit personam totius Ecclesiæ, quæ illum etiam deputavit, ut suo nomine sacrificium offerat, et communem effectum sibi ex opere operato correspondentem suis membris applicet, seu conferat. Quæ duæ rationes optime distinguentur in sacerdote ab Ecclesia præciso per censuram, qui, si offerat, jam non offeret ut minister Ecclesiæ, sed solum ex vi institutionis Christi, ut in superiori tomo dixi, disp. 77, sect. 2.

3. *Sacrificium, a ministro ut personam Christi gerente oblatum, prodest excommunicato.* — Dico ergo primo : si sacerdos in persona Christi, et ut minister ab ipso deputatus ad hoc sacrificium offerendum, et applicandum ejus fructum, sua propria intentione pro excommunicato alias justo illud offerat, licet male faciat, ejus tamen applicatio efficax erit etiam quoad fructum satisfactionis, si alter nullum aliud impedimentum habeat præter censuram. Probatur ex ratione dubitandi in principio posita, quæ quoad hanc partem videtur satis efficax. Deinde explicatur a simili de administratione sacramentorum; nam sacerdos prohibetur ab Ecclesia, ne sacramentum ministret excommunicato; unde male facit, illud administrando; nihilominus tamen si id faciat, sacramentum factum tenet, per se loquendo, imo et effectum habet in suscipiente, si contingat in eo nullum alium esse obicem præter censuram, ut inferius late dicemus. Sic ergo in præsenti prohibita est sacerdoti oblatio sacrificii pro excommunicato; et ideo male facit pro illo offerendo. Tamen per illam prohibitionem non est ablata illi potestas offerendi in persona Christi, et applicandi effectum sacrificii; et ideo et verum conficit ac offert sacrificium, ut certissimum est, et ex dictis in citato loco facile demonstratur; ergo efficaciter suum confert effectum, si in alio non sit obex; nam sicut sacramentum alicui collatum necessario in illo habet effectum, si non ponat obicem, neque potest Ecclesiæ prohibitio illum impedire ita sacrificium pro aliquo oblatum, necessario in illo habet effectum ex opere operato.

4. *Cur Ecclesia non possit irritare intentionem tali modo offerentis sacrificium, pro excommunicato.* — Dices : cur non poterit Ecclesia irritare illam intentionem, seu voluntatem ministri, qua vult huic applicare effectum sacrificii? Respondetur : qua ratione non potest irritare intentionem conferendi sacramentum, eadem non potest præsentem intentionem inefficacem reddere. Utriusque autem ratio est, quia in eo actu gerit personam Christi, et juxta institutionem ejus operatur ut ipsius minister; et ideo non habet Ecclesia potestatem ad invalidandum illum actum. Adde, Ecclesiam non habere directe potestatem in intentionem, seu actum internum voluntatis, quatenus talis est; actus autem externus sacrificii tam in se, quam quoad

effectum suum est supernaturalis, ex Christi institutione habens definitas conditiones, sine quibus validus, aut efficax esse non potest, et cum quibus non potest non esse et validus, et efficax; quia ergo illæ conditiones non mutantur propter solam Ecclesiæ prohibitionem seu censuram, ideo per illam solam, ac præcise sumptam, non potest impediri effectus sacrificii.

5. *Sacrificium pro excommunicato oblatum nihil illi prodesse ex parte intercessionis Ecclesiæ.* — Dico secundo : hujusmodi sacrificium oblatum pro excommunicato nihil illi prodest ex parte oblationis, seu intercessionis Ecclesiæ. Suppono enim, hoc sacrificium, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, habere peculiarem vim et efficaciam saltem per modum impetrationis, ut in citatis disputationibus de sacrificio Missæ latius declaravi. Quoad hanc ergo efficaciam non potest prodesse talis oblatio ipsi excommunicato, quia non potest extendi ultra intentionem principalis offerentis, ut ratio in principio proposita convincit. Et ideo sacerdos sic offerens non solum male facit, sed etiam quoad hoc nihil facit. Quod præterea sic declaratur, et confirmatur; nam si talis sacerdos ad Deum loquens dicat se nomine Ecclesiæ, et ut ministrum vel legatum ejus offerre hoc sacrificium pro Petro excommunicato, ut illi hæc, vel illa bona impetret, etc., revera falsum dicet; nam Ecclesia non solum non commisit illi vices suas, ut hanc deprecationem, vel oblationem faceret nomine suo, sed potius id prohibuit, et Petrum exclusit a numero eorum, pro quibus suo nomine offerri vult; ergo talis deprecatio respectu excommunicati nullius est momenti, et efficaciæ; nam petitio facta nomine alicujus ex fallacia et deceptione, nullam vim impetrandi habet.

6. *Sacerdotem non solum peccare si nomine Ecclesiæ pro excommunicato sacrificet, sed etiam si in persona Christi offerat.* — Sed hinc sumet aliquis occasionem dicendi, sacerdotem offerendo pro excommunicato, si intentionem habeat offerendi non ut legatum Ecclesiæ, sed precise ut ministrum Christi, non solum habere effectum, sed etiam nihil peccare, quia sacerdos, ut privata persona, non est prohibitus orare, vel offerre pro excommunicato, sed tantum ut minister Ecclesiæ; ergo quando non offert pro aliquo, ut minister Ecclesiæ, non solum effectum confert, sed etiam nihil peccat, quod est contra dicta in præcedente sectione. Respondeo negando consequentiam; est enim in sacerdote triplex ratio distinguenda, scilicet quatenus offert in persona Christi, vel in persona Ecclesiæ, vel in propria persona, ut particularis, seu privata est. De hoc ultimo modo verum est non esse prohibitum orare pro excommunicato, ut sectione sequenti dicemus; tamen duobus primis modis prohibitum est cum discrimine supra declarato, quod in primo modo prohibitio non impedit effectum, quia non potest Ecclesia tollere potestatem ordinis a Christo datam, licet efficiat, ut usus ejus non liceat; at vero in secundo modo et prohibet, et tollit potestatem, quam ipsa concesserat ad offerendum pro aliquo in persona sua. Ratio autem, ob quam Ecclesia prohibet sacerdotem sub duabus illis primis rationibus offerre pro excommunicato, est, quia sub utraque istarum rationum est minister publicus, et sub utraque dici potest minister Ecclesiæ, licet sub diverso respectu, id est, vel quia ab ipsa Ecclesia assumitur, et constituitur, ut in persona ipsius oret, vel offerat, etc., vel quia est datus a Christo ipsi Ecclesiæ, ut sacrificium pro illa offerat, et inter ipsam et Deum intercedat in persona Christi. Quomodo etiam sacerdos absolvens dici potest minister Ecclesiæ, id est, datus a Christo Ecclesiæ ad illud munus, quod ad communem utilitatem Ecclesiæ pertinet, quamvis in eo exercendo non gerat personam Ecclesiæ, sed Christi. At vero in officio offerendi magis habet locum duplex illa consideratio et respectus, quia oblatio sacrificii suo proportionata modo ad omnes pertinet, ut citato loco latius dictum est. Sicut ergo Ecclesia prohibet sacerdoti, ne absolvat excommunicatum, quamvis illud ministerium faciat in persona Christi, ita prohibet ne pro excommunicato offerat in persona Christi, quia totum hoc est ministerium publicum Ecclesiæ, ad quam pertinet disponere de omnibus, quæ spectant ad convenientem usum ejus. Et ita tenent Alan., sup., dict. lib. 2 de Eucharist., c. 31, et Bellarmin., lib. 2 de Missa, c. 6.

7. *Sacerdos nomine Ecclesiæ pro excommunicato orans, aut suffragia offerens, nihil efficit.* — Ultimo dicendum est, sacerdotem orantem, vel quæcumque alia offerentem suffragia pro excommunicato, ut ministrum Ecclesiæ, nihil efficere, quod ipsi excommunicato esse possit apud Deum alicujus fructus, vel utilitatis spiritualis. Probatur, quia talis actus non habet efficaciam ex privato

merito talis personæ, tum quia nunc non consideratur sub ea ratione, sed ut minister Ecclesiæ; tum etiam quia cum illa actio sit peccaminosa, non potest habere spiritualem fructum ex merito ipsius privati operantis. Nec etiam ex merito Ecclesiæ, quia Ecclesia non vult, ut pro tali excommunicato oretur in persona sua; unde ipsa non interponit suum meritum, vel intercessionem pro tali persona; et consequenter talis sacerdos, aut minister falsum dicit, quando asserit se orare, vel intercedere pro tali excommunicato, in persona Ecclesiæ; ergo nihil fructuosum facit, sicut dictum est in secunda assertione; eadem enim est ratio in præsenti.

8. *Num excommunicatus pro se offerens fructum inde capiat.* — *Duplex excusatio requiritur ut excommunicatus licite pro se offerat.* — Et hinc expeditur facile dubium, si quis interroget, an sacerdos excommunicatus offerens pro seipso, aliquem fructum inde accipiat, saltem ex opere operato. Dicendum est enim, illum, per se loquendo, peccare graviter, et ex hac parte ponere obicem, ne fructum ex sacrificio capere possit. At si ponamus casum, in quo talis sacerdos excommunicatus excusetur tam in offerendo, quam in offerendo pro se ut minister publicus, tunc ita illi proderit sacrificium, sicut posset prodesse alteri excommunicato non ponenti obicem, si pro illo offerretur; est enim eadem ratio, quia distinctio, vel identitas personæ hic nihil refert. Oportet autem ut duplex illa excusatio intercedat, quia duplex intercedit prohibitio: una, ne excommunicatus offerat, a qua excusari quis poterit propter urgentem necessitatem mortis, aut gravissimi scandali, aut infamiæ vitandæ, ut infra dicemus. Et tunc etiam necesse erit, ut saltem per contritionem procuret digne offerre. Altera prohibitio est, ne offerat sacerdos, ut publicus minister, pro excommunicato, et consequenter nec pro se ipso, si excommunicatus sit; a qua lege non excusat illa necessitas vitandi scandali; nam potest pro aliis offerre. Ut ergo ab hac etiam prohibitione excusetur, oportet, ut intercedat vel ignorantia invincibilis, qua potest facile aliquis existimare, quacumque ratione sit licitum sacrificium offerre, quamvis excommunicatus sit, consequenter licitum esse pro se offerre, seu applicare sibi quidquid potest in persona Christi. Imo potest alicui verisimile videri non esse intentionem Ecclesiæ cum tanto rigore prohibere non offerre pro excommunicato, ut prohibuerit etiam non offerre pro seipso, etiamsi alias licite offerat sacrificium. Præsertim quia in tantum est prohibitum offerre pro excommunicato, in quantum est prohibitum communicare cum illo; at nemo est prohibitus communicare secum, sed cum alio; ergo non est prohibitus offerre pro se specialiter, sed solum quatenus est prohibitus offerre; ergo si quis alia ratione excusetur ab illa prohibitione, potest vel ex ignorantia, vel certe ex probabili dictamine excusari etiam a culpa, in offerendo pro se. Quod maxime locum habebit, si urgens necessitas hoc etiam postulare videatur, ut si quis sit in urgente periculo mortis. Itaque quacumque ratione integra sit excusatio, capiet ille totum fructum non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, quamvis illum peculiarem fructum, qui est ex intercessione Ecclesiæ, non recipiat, sicut dictum est de aliis excommunicatis, si pro eis offerri contingat. Posset vero hic ulterius quæri, si quis excommunicatus pro se offerat peccando, esto, tunc non capiat fructum, an postea ablato obice tam culpæ, quam censuræ, reviviscat effectus talis sacrificii. Verumtamen hæc quæstio universalis est de sacrificio, quoties offertur pro aliquo habente obicem, an incipiat in illo habere effectum recedente fictione. Quam breviter tractavi, et partem negantem definivi in superiore tomo, disp. 76, sect. 10, circa fin.

SECTIO V.

Utrum licitum sit privatas orationes, et pia opera seu satisfactiones pro excommunicato offerre.

1. *Ratio dubitandi.* — *Prima sententia.* — Ratio dubitandi esse potest, quia Ecclesia simpliciter prohibet communicare cum excommunicato; at vero orare pro illo, vel satisfactiones offerre, quædam communicatio est major, quam loqui cum illo, vel salutare illum; ergo est prohibita. Et confirmatur, nam offerre, aut mittere aliquod donum excommunicato, prohibitum est ex vi excommunicationis; nam est dare illi magnum signum benevolentiæ et amicitiæ; ergo et offerre pro illo proprias satisfactiones aut orationes quantumvis privatas; quia est major benevolentia et amicitia. Quidam ergo Doctores Catholici ita sentire videntur, præsertim Latomus, art. 7 contra Lutherum, ubi sentit, nomine communium suffragiorum, quibus privari dicitur excommunicatus, non venire tantum ea, quæ publice a ministris Ecclesiæ

fiunt, sed etiam, ait, *pene omnia Christianorum suffragia, quantumvis occulta, vel secreta.* Et rationem indicans inquit: *Quia optimus quisque orationes suas dirigit ad manus Christi, et corporis ejus, quod est Ecclesia, ut sic gratæ sint, quæ fortasse privatæ displicerent.* Item quia optimus quisque maxime exuitur privatis, et attendit communibus.

2. *Rationes hujus sententiæ rejiciuntur.* — Quæ rationes, quidquid sit de assertione, non sunt magni momenti; si enim intelligat justos, et quantumvis perfectos, orantes ita dirigere orationes suas ad manus Christi vel Ecclesiæ, ut nihil in particulari intendant, sed solum confuse quod Christus vel Ecclesia intendit, in hoc sensu falsum est, quod sumitur, quia hoc neque ad honestatem, neque ad perfectionem orationis pertinet; sed optimus quisque orat pro privatis, seu determinatis personis, et cum illis communicat sua spiritualia bona, prout potest, et judicat expedire secundum ordinem charitatis. Si vero intelligat, justos dirigere suas orationes ad manus Christi, quia per ipsum et propter ipsum petunt, et illa, ac pro illis petunt, quæ judicant illi esse beneplacita, sic verum est, quod assumit; tamen hoc totum servari potest in oratione privata pro excommunicato, si alioqui prohibita non est, quia talis oratio potest esse profecta ex charitate, et habere omnes circumstantias necessarias, ut propter Christum fiat, et propter ejus merita acceptetur. Quod autem ad intentionem Ecclesiæ spectat, illa necessaria non est, ut privata oratio recte et licite fiat, quia neque de hac re datum est præceptum, neque talis oratio fundatur in communi merito, aut oblatione totius Ecclesiæ; satis ergo est, ut non sit prohibita per Ecclesiam. In hoc ergo insistendum est, an Ecclesiæ prohibitio ad hoc extendatur. Nam D. Thomas, in Quodlib. 11, art. 9, absolute, et sine limitatione dicit, orare pro excommunicato ita esse prohibitum, sicut audire Missam cum illo; at vero audire Missam non est ministerium publicum, sed opus privatæ personæ; ergo eadem ratione intelligere videtur, privatam orationem pro excommunicato esse prohibitam. Indicat, licet obscure, Hostiensis, in cap. Cum voluntate, de Sententia excommunicationis.

Quæstionis resolutio.

3. Nihilominus dicendum est, licitum esse privatim pro excommunicato orare, propriam et personalem satisfactionem pro illo offerendo eo modo, quo inter Ecclesiæ membra fieri potest. Hæc est communis sententia, quæ sumitur ex D. Thoma in 4, dist. 18, ubi sentit, excommunicatum solum excludi a communione fidelium, quantum ad suffragia Ecclesiæ communia, et quantum ad hoc ut non sit orandum cum illis; et in solut. 1, ait, bene posse orare pro illis, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ sunt. Idem tenet Durandus ibi, quæst. 3; Richardus, art. 7, quæst. 2; Paludanus, quæst. 1, art. 1; Gabriel, quæst. 2, dub. 1, et lect. 25 in canonem, et alii, quos statim referam. Rationem aliqui reddunt, quia Ecclesia non potest prohibere hujusmodi orationes, quia pertinent ad illam Sanctorum communionem, quæ in sola charitate fundatur. Sed hæc ratio non cogit, quia præter generalem illam communionem addit specialem communicationem propriarum orationum et suffragiorum per privatam intentionem et applicationem. Alii ergo eamdem impotentiam colligere conantur ex eo quod hæc applicatio potest fieri per actum mere internum, in quem Ecclesia non habet potestatem. Sed hæc ratio ad summum probat de orationibus et actibus omnino mentalibus, non tamen de externis etiam per accidens occultis; nam Ecclesia potest prohibere ne hi actus hac vel illa intentione fiant, ut ex materia de legibus nunc suppono; ergo ex hac parte nihil repugnaret prohibere, ne fiant intentione proficiendi excommunicatis, atque adeo ne pro illis offerantur. Et ideo quidquid sit de absoluta potestate Ecclesiæ, melius hoc probatur, quia de facto id non prohibuit, ut praxis etiam, et consuetudo id satis ostendunt. Estque id etiam consentaneum Ecclesiasticæ pietati; nam aliud esset nimis acerbum, multumque derogans fraternæ charitati. Item quia hoc modo licet orare pro ethnicis et publicanis, et quibuscumque infidelibus; ergo et pro excommunicatis.

4. *Licitum est sacerdoti in Missa orare pro excommunicato, ut persona privata est.* — Atque hinc infertur, licitum esse sacerdoti, ut privata persona est, orare in Missa pro excommunicato, scilicet in illis partibus Missæ, in quibus vel mentaliter orat, ut in Memento, vel occulte, et secrete. Ita tenet Sylvester, verbo *Excommunicatio* 1, § 2, et verbo *Missa* 1, quæst. 8, conclus. 4; et Angelus, verbo *Missa,* num. 51; qui citant Hostiensem; Armilla, verbo *Excommunicatio,* num. 4; Soto, in 4, distinctione 22, quæst. 1,

art. 1, circa finem; Covarruvias, in c. Alma, part. 1, § 6, num. 4; Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 26, et in Enchiridio de Orat., cap. 19, num. 67, et sequentibus. Ratio est, quia sacerdos, licet ministerium publicum exerceat, non desinit esse persona privata, nec tenetur toto illo tempore ita gerere munus publicum, ut non possit ut privata persona operari vel successivis morulis, vel simul diversa intentione; sicut ergo potest pro amicis vel aliis privatim orare, ita etiam pro excommunicatis, dummodo eos nominatim non exprimat in canone vel in aliis orationibus publicis; hoc enim prohibitum est, ut omnes citati auctores docent; et sumitur ex Leone P., epist. 40 ad Anatolium, et ex Cypriano, et aliis supra adductis. De alia vero oratione privata nulla est prohibitio, quin illo tempore fieri possit.

5. Dicunt aliqui, etiam in Memento, orare sacerdotem, ut ministrum publicum Ecclesiæ; et ideo ibi etiam prohiberi pro excommunicatis orare; unde in fine illius orationis subjungit sacerdos : *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis;* quæ verba referuntur ad omnes pro quibus in Memento oraverat. Sicut ergo non licet pro excommunicatis sacrificium offerre, ita nec in Memento pro illis orare. Respondetur, quantumvis sacerdos gerat personam publicam etiam in illo actu, nunquam ita exuere privatam, quin possit ex sua intentione sub hac ratione orare pro excommunicato, et non in persona Ecclesiæ, et postea cum subjungit illa verba : *Pro quibus,* etc. ex eadem intentione ad eos, qui sunt capaces illius oblationis vel pro quibus ipse in persona Ecclesiæ oraverit, se convertere. Non est ergo cur in hac re scrupulum faciamus; quanquam nonnulli moderni Theologi audeant simpliciter definire, non esse licitum, sine majori fundamento.

6. Quin potius addunt Sylvester, et Angelus, esse licitum sacerdoti, dum publice orat nomine totius Ecclesiæ, simul intentione privata, et in propria persona eamdem petitionem facere pro excommunicato, dummodo exterius illum specialiter non nominet, quia non repugnat, eamdem orationem duplici intentione, et quasi in duplici sensu exterius proferre. Quod magis declarans Navarrus ait licitum esse sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, et sacrificandi, et cantandi, vel orandi Horas Canonicas, quatenus est proprium opus talis privatæ personæ, per quod habet suum meritum, vel satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis, offerre privata intentione pro excommunicato, quia secundum illum respectum illa est privata oratio, vel satisfactio, cujus applicatio voluntaria est, et de illa nulla facta est prohibitio; et ideo quantum est ex vi censuræ, nihil repugnat, quin pro excommunicato offeratur. Dico autem, *quantum est ex vi censuræ,* quia aliunde ex prava dispositione excommunicati potest esse impedimentum, scilicet, si in peccato mortali sit, præsertim quoad fructum satisfactionis, si pro eo offeratur, quia quamdiu aliquis est in peccato mortali, nulla satisfactio potest ei applicari, nec pœna remitti. Impetratio vero habere potest aliquem effectum; nam per orationes impetrari potest bona dispositio, vel aliquod auxilium ad illam. Et idcirco oratio pro aliquo non semper supponit in illo bonam dispositionem, sicut propriæ satisfactionis communicatio.

7. *Ratio dubitandi solvitur.*—Ad rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur, hujusmodi orationem privatam pro excommunicato non esse communicationem prohibitam ex vi hujus censuræ, imo nec proprie esse communicationem cum illo, sed esse quoddam opus misericordiæ, seu spiritualis eleemosynæ, quæ ex bonis propriis et privatis prohibita non est, quod etiam suo modo in corporali eleemosyna locum habet, ut infra dicemus; et ideo etiam non est hoc signum specialis benevolentiæ, et amicitiæ, præsertim cum per actum internum vel occultum fiat, ita ut necesse non sit in alterius notitiam devenire, quanquam ad totum sit accidentarium, et ad vim excommunicationis non referat. Hic vero inquiri poterat, an possit quis offerre pro excommunicato propriam et particularem satisfactionem ex opere operato sibi provenientem ex sacrificio, vel etiam ex sacramento. Sed hæc quæstio locum non habet, quia, ut opinor, hic fructus non potest aliis communicari, ut in propriis locis superiori tomo tractavi. Si autem ille fructus communicabilis esset, ex parte censuræ id non repugnaret, ut constat ex generalibus principiis positis.

DISPUTATIO X.

DE SECUNDO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS, QUI EST PRIVATIO PASSIVÆ COMMUNICATIONIS SACRAMENTORUM.

Postquam dictum est de communicatione spirituali quodammodo interna, dicendum est de communicatione externa in rebus sacris, inter quas primum locum habent sacramenta, quorum duplex potest esse usus, scilicet activus et passivus, de quibus sigillatim dicendum est. Tria ergo in præsenti videnda sunt : primum, quid in hoc prohibitum sit ipsi excommunicato. Secundum, quid sit prohibitum ministris sacramentorum respectu illius. Tertium; qualia sint sacramenta, si fortasse excommunicato tribuantur.

SECTIO I.

Utrum graviter peccet excommunicatus, quodlibet suscipiendo sacramentum, et quam pœnam incurrat.

1. *Excommunicatus sacramenta suscipiens peccat mortaliter. — Ratio hujus prohibitionis Ecclesiæ.* — Generalis regula, ac certa est, per se loquendo, et ex genere suo mortaliter peccare excommunicatum, quodlibet suscipiendo sacramentum. Ita docent communiter Doctores in 4, dist. 18, D. Thom., D. Bonav., Rich., Palud., et alii; Argentina, dist. 19, art. 4; Soto, dist. 22, art. 1; et Summistæ ac Doctores omnes; specialiter videri possunt Navarr., cap. 27, num. 18; et Covarruv., in cap. Alma, 1 part., § 6, num. 5. Estque in jure expressum in cap. Cum illorum, et cap. Si quem, de Sentent. excomm., in cap. Illud, et cap. Si celebrat, de Cleric excomm. ministr. Et hæc est ratio a priori hujus culpæ, quia hoc non est malum, nisi quia per ipsam censuram prohibitum est. Ratio autem talis prohibitionis est eadem, quæ sufficiens fuit ad instituendam talem censuram per modum cujusdam medicinalis pœnæ. Item quia ille, qui est inobediens et contumax Ecclesiæ, merito repellitur tanquam indignus a participatione potissimorum Ecclesiæ bonorum, qualia sunt sacramenta. Adde excommunicationem minorem habere hunc effectum, ut infra suo loco dicemus, et ex eisdem juribus constat; ergo multo magis excommunicatio major illam habebit; nam includit totum, quod minor, et aliquid addit. Denique ob hunc præcipue effectum post præcedentem, de quo in superiori disputatione diximus, anathema dicitur esse omnium pœnarum Ecclesiasticarum maxima, et abscindere hominem ab Ecclesia, et eum tradere Satanæ; et *æternæ mortis damnatio* vocatur in c. Nemo Episcoporum, 11, quæst. 3, quia quodammodo clauduntur excommunicato omnes fontes gratiæ, qui pro cæteris omnibus in Ecclesia expositi sunt.

2. *Assertio suadetur.* — Atque hinc constat, hanc prohibitionem esse talem, ut ejus transgressio ex genere suo peccatum mortale sit, quia materia est gravis, et pertinens ad cultum sacramentorum. Item hoc est quoddam sacrilegium, ut recte dicunt citati auctores, et Cajetanus, in Summa, verb. *Absolutionis impedimentum*, et Navarr., in cap. Fratres, de Pœnit., dist. 5, num. 38, quia est contra reverentiam sacramento debitam; sacrilegium autem ex suo genere peccatum mortale est, et materia sacramentorum gravis est; ergo hoc peccatum non solum ex genere suo, sed etiam ex parte materiæ, per se loquendo, et seclusa inadvertentia vel alio simili impedimento, mortale peccatum est. Quod etiam satis aperte significatur in cap. Sacris, de Iis quæ vi metusve causa fiunt. Unde fit, quamvis unius sacramenti receptio cæteris paribus gravius peccatum sit in excommunicato, quam receptio alterius, juxta inæqualitatem sacramentorum in dignitate et excellentia, tamen hoc omnibus commune esse, ut cujuslibet receptio, etiam semel facta, durante excommunicatione, peccatum mortale sit. Ratio est, quia separatio excommunicati ab usu sacramentorum generalis est, ut constat ex citatis juribus, et communi omnium interpretatione et sententia; at vero quodlibet sacramentum est materia gravis respectu hujus præcepti; et digne ac sancte tractandum est; ergo quodlibet sacramentum recipere, sive illud sit matrimonium, sive quodlibet aliud gravius, dum suscipiens excommunicatione innodatus est, peccatum est mortale. Et ita sentiunt omnes citati auctores.

3. *Num assertio hæc in omni excommunicato etiam non denunciato locum habeat.* — Sed quæret aliquis primo, de quo excommunicato intelligendum hoc sit; an solum de nominatim denunciato, et manifesto percussore clerici, vel etiam de quolibet quantumvis occulto. Respondeo, nullam hic esse adhibendam limitationem ob extravag. *Ad evitanda*, sed quoad hanc partem integrum manere jus antiquum, quia per novum jus

illius Extravagantis nullus favor fit ipsi excommunicato, ut in eadem dicitur, et supra notavimus; ergo nullus excommunicatus, quantum est ex se, liberatur hoc onere separandi se ab usu sacramentorum; alioqui magnus favor, et gratia illi fieret. Item non erat aliud necessarium ad finem illius Extravagantis, neque erat expediens ad timorem et rigorem censuræ conservandum; nam qui scit se esse excommunicatum, etiamsi denunciatus, vel publicus non sit, facile potest abstinere a sacramentorum participatione. Neque inde sequitur periculum vel scandalum, per se loquendo; magisque timebitur censura, si statim ad hoc obliget ipsum excommunicatum, quam si specialis denunciatio expectanda sit. Imo vix posset dici excommunicatus, nisi solo nomine, ante denunciationem, nisi saltem ipse teneretur abstinere; nam qua ratione non teneretur quoad hunc effectum, etiam non teneretur quoad alios; quæ ergo esset talis excommunicatio? Itaque de hac re nulla est controversia. Dubitationes vero, quæ hinc oriri possunt, in sectione sequente dissolventur.

4. *Possitne in aliquo casu excommunicatus licite sacramenta recipere.* — Alia vero interrogatio ex hac resolutione nascitur, scilicet, an in aliquo casu possit excommunicatus, præsertim occultus, excusari a peccato. Hæc vero quæstio resoluta est supra tractando de censuris in communi. Dupliciter enim potest excusari ab hac culpa excommunicatus, primo per ignorantiam probabilem seu invincibilem, quæ excusatio generalis est omnibus delictis. Potest autem hæc ignorantia in præsenti esse vel facti, quæ frequentior, et excusabilior est, et ideo facilius in jure admittitur, ut patet ex cap. Si vero 2, de Sent. excomm.; vel etiam juris, quia, cum hoc jus positivum sit, et humanum, ut supra ostendimus, etiam potest interdum invincibiliter ignorari. Quo modo autem conjectari possit, an talis ignorantia invincibilis sit, et quid etiam in casu dubii agendum sit, ex dictis supra de censuris in communi sumendum est. Alter casus in quo potest quispiam excusari, est urgens necessitas, quæ potest esse vel ob vitandam gravem infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, etiam extrinsecus illatum, de quibus fuse dictum est loco citato. Potest etiam hæc necessitas interdum esse spiritualis propter imminentem mortis articulum, ut explicabimus commodius sect. seq.

5. *An excommunicatus sacramentum recipiens aliquam pœnam incurrat.* — Ultimo quæri potest, an excommunicatus recipiens aliquod sacramentum, pœnam aliquam, vel censuram, aut inhabilitatem Ecclesiasticam ipso jure incurrat. Ad quod breviter dicendum est, generatim nullam esse impositam, solo excepto Ordinis sacramento. Priorem partem tradit Innocentius, c. 1 de Sentent. excomm., in 6, et alii quos refert et sequitur Ugolin., tab. 1, cap. 14, num. 22. Et sufficienter probatur, quia nullum invenitur jus, quod hanc pœnam, censuram vel irregularitatem propter hoc delictum imponat. Quod clarius constabit ex his, quæ de censuris omnibus, et irregularitatibus in particulari dicemus. Quin potius non solum pœna ipso jure lata, sed nec ferenda per sententiam judicis invenitur taxata ac definita per aliquam canonicam legem; arbitrio ergo judicis erit puniendum, si sufficienter probetur. Dices : excommunicatus ministrans ex officio sacramentum habet pœnam ipso jure impositam, scilicet irregularitatem, ut suo loco videbimus; ergo et recipiens. Negatur consequentia, quia jus non posuit illam in utroque casu, et per similitudinem non fit extensio in pœnis, juxta veriorem legum interpretationem. Imo nec ultra proprietatem verborum extensio facienda est, et ideo licet imponat pœnam excommunicato celebranti, cap. Latorem, cap. ult. de Cleric. Excom. minist., non incurrit illam excommunicatus recipiens Eucharistiam more laicorum, quia recipere non est celebrare. Præterquam quod nec ratio est similis, tum quia celebrare, et simile, ex suo genere est altius ministerium; tum etiam quia ministri Ecclesiæ quatenus tales sunt, violando excommunicationem, gravissimam contumaciam committunt, propter quam suo ordine et ministerio indigni censentur. Exceptio autem de sacramento Ordinis addita est, quia excommunicatus Ordinem suscipiens, suspensus manet, ut nunc suppono ex infra dicendis in propria materia. Illud autem speciale est, quia de illo tantum sacramento hoc decernunt jura, nec sunt extendenda, ut dixi, præsertim quia in illo sacramento potuit considerari specialis deformitas, eo quod per illud sacramentum ministri Ecclesiæ constituuntur, quibus claves committendæ sunt, et ideo qui in contemptum illarum ordinantur, merito illa speciali pœna afficiuntur.

SECTIO II.

Utrum ministri Ecclesiæ peccent, dando sacramentum aliquod excommunicato, et quam pœnam incurrant.

1. Hæc quæstio specialem difficultatem habet post novum jus Concilii Constantiens. in Extravag. *Ad evitanda;* et ideo distinguendi sunt duo ordines excommunicatorum. Unus est eorum, qui nominatim declarati sunt vel sunt manifesti percussores clerici; alius cæteros omnes continet, et hic brevitatis causa priores appellabimus, *evitandos*, posteriores, *non evitandos*. Præterea distinguere oportet duplex principium, ob quod illicitum esse potest dare sacramentum excommunicato. Unum est ipsa censura, cui opponitur omnis communicatio cum excommunicato, præsertim in sacris, nam ministrare illis sacramentum quædam communicatio est. Aliud esse potest ipsummet sacramentum, et sanctitas ejus, ac officium dispensandi illud, quod obligat, ut sancte dispensetur, et consequenter non nisi dignis et dispositis conferatur.

Ministros Ecclesiæ teneri vitare excommunicatos denunciatos in administratione sacramentorum.

2. *Excommunicato sacramenta ministrare est mortale peccatum nulla interveniente excusatione.*—Dico ergo primo : ministri Ecclesiæ ex vi Ecclesiasticæ censuræ, tenentur vitare in administratione sacramentorum omnem excommunicatum vitandum juxta prædictam Extravag., et graviter peccant, quodcumque sacramentum illi dando. Hæc est certa et communis sententia. Et fundamentum est, quia quoad hos excommunicatos nihil innovatum est per illam Extrav. *Ad evitandum,* ut ex tenore illius constat; sed jure antiquo tenebantur ministri sacramentorum non præbere sacramenta excommunicatis, ut constat ex multis decretis, 11, quæst. 3, et c. Episcoporum, de Privil., in 6, et ex c. Significavit, et c. Cum desideres, de Sent. excomm., et aliis, quæ generatim communicationem prohibent cum excommunicato, et præcipue in rebus sacris. Unde manifestum est, hoc peccatum ex genere suo mortale esse; nec posse hujusmodi actum a culpa excusari, si ex parte ministrantis sacramentum voluntarie fiat, et ex parte recipientis nulla sit necessitas, vel gravis causa, quæ illum excuset; quia si hæc duo concurrant, prohibitio integra manet et urget, et materia in quolibet sacramento per se sumpto gravis est.

3. Ex illo autem duplici capite oriri potest excusatio hujus delicti. Ex priori quidem, quia nullum peccatum est, nisi sit voluntarium. Potest autem hic esse actus involuntarius, et ex ignorantia probabili, et ob vim, aut metum gravem cadentem in constantem virum, juxta superius dicta de censuris in communi. Sicut enim ibi diximus ex hoc duplici capite excusari posse aliquem, ne censuram incurrat, aut ne contra ipsam censuram culpabiliter agere videatur, ita hic dicendum est de hoc speciali actu administrandi sacramenta excommunicato; nam est eadem ratio, et eisdem regulis et modis explicanda est hæc excusatio. Quæ quidem quantum ad ignorantiam non habet difficultatem ullam præter eam, quæ posita est in examinando, quando talis ignorantia invincibilis sit. Quod vero spectat ad violentiam, ex eo potest difficultatem parere, quod dare sacramentum excommunicato, quando ille peccat recipiendo, intrinsece malum videtur. Dicendum vero est, nos nunc non agere de peccato, quod intervenire hic potest contra jus naturale et divinum, sed solum quatenus est contra Ecclesiasticam prohibitionem; quam cessare dicimus, ubi sufficiens violentia intercedit, quia quoad hoc eadem est ratio de hoc præcepto Ecclesiastico, et de aliis, in quorum transgressione non intervenit contemptus fidei, aut religionis, seu ipsius censuræ, vel potestatis Ecclesiasticæ. Quod enim cum illa positiva obligatione conjuncta sit illa naturalis ex dignitate seu natura ipsius sacramenti orta, non obstat, quominus positiva obligatio intra suos limites maneat, et cum tanto dispendio non obliget. Unde probabiliter colligo eum, qui gravi metu coactus Eucharistiam, v. gr., præbet excommunicato, non incurrere censuram, si quæ sunt illis impositæ, qui cum excommunicatis in sacris communicant, quia illæ sunt annexæ Ecclesiasticæ prohibitioni; ergo, qui contra illam non peccat, licet ex alio capite peccet, nec dici potest contumax Ecclesiæ, nec censuram incurrit. Quod aliis exemplis confirmari posset, sed ne inutiliter ea repetamus, explicando excommunicationes jure latas ea declarabimus. Solum potest objici c. Sacris, de Iis quæ vi; sed illud expositum est disp. 7, de Censuris in communi.

4. *Quoties excommunicatus excusatur a culpa recipiendo sacramentum, excusari mi-*

nistrum ministrando. — Rursus excusabitur a peccato ministrans sacramentum excommunicato, quoties ille excusatur recipiendo illud, quia hæc prohibitio magis directe cadit in excommunicatum, quam in alios; ergo, si ille excusatur in recipiendo, alii etiam excusabuntur in dando. Item, quia, si excommunicatus non peccat in tali casu recipiendo sacramentum, non peccabit petendo et inducendo alium, ut det; imo habet per se loquendo jus petendi; ergo alter non peccabit dando; imo poterit etiam teneri, vel ex officio, si sit pastor, vel ex charitate pro ratione necessitatis; potest autem, ut supra dixi, excusari recipiens, vel ob ignorantiam, vel ob necessitatem.

5. *Exponitur et limitatur data regula in excusatione ob ignorantiam.* — Et in utroque casu est nonnulla difficultas; de ignorantia quidem, quia, licet alter ignoret invincibiliter suam censuram, seu illius oblitus sit, alter, si novit censuram, non debet ei administrare sacramentum, sed admonere illum sui status, quia illa actio, et receptio, per se est mala et utrique prohibita, et ignorantia unius non reddit alterum ignorantem, ut eum excuset. Ad hoc vero in primis dicendum est, in casu, in quo nunc versamur, juxta Extravag. *Ad evitanda,* vix posse moraliter accidere hanc excusationem per ignorantiam ipsius excommunicati, quia si sit ignorantia juris, id est, quod quis ignoret se non teneri ad vitandam susceptionem sacramentorum, etiamsi excommunicatus sit, talis ignorantia non est præsumenda probabilis, neque debet quisquam contra jus sibi impositum operari propter talem ignorantiam alterius, sed potius debet admonere illum et docere, ut jus utrique impositum servetur. Ignorantia vero facti vix in hoc casu intervenire potest, cum tractemus de publice excommunicato seu denunciato, nam de cæteris excommunicatis non est obligatio vitandi illos; unde, si contingat eos suam censuram ignorare, nihil obstat, quominus licitum esse possit eis dare sacramenta, ut statim dicemus. Quia vero excogitari potest casus, in quo vel percussor clerici sui facti oblitus sit, juxta c. Cum illorum, de Sentent. excomm., vel putet se esse absolutum, cum non sit, aut etiam accidere potest, ut quispiam sit publice declaratus in Ecclesia, vel per rescriptum in plateis positum, et ipse nesciat, ideo addo in talibus etiam casibus nunquam esse præsumendam ignorantiam invincibilem, sed admonendum excommunicatum, ut majorem diligentiam adhibeat, aut rem ipsam ei proponendo, si de illa alteri constet. Addo præterea etiamsi ignorantia, oblivio, vel inconsideratio esset invincibilis, propter eam solam non statim licere sacramentum dare excommunicato ex tali ignorantia petenti, quia obligatio vitandi illum est per se, illa vero excusatio est valde extrinseca et per accidens; et (quod caput est) potest facile auferri, si is, qui ignorat, de rei veritate illuminetur. Quod in præsenti casu potius fieri debet, quam dari illi sacramentum, quia non tantum agitur de ejus obligatione, sed etiam de illa, quam ipse minister habet ad servandam Ecclesiasticam censuram. Atque in hunc modum explicanda vel limitanda est regula posita, ut scilicet intelligatur, quando excusatio ipsius excommunicati petentis sacramentum talis est, ut reddat licitam voluntariam susceptionem sacramenti in tali statu excommunicationis; vel aliter nisi sit talis excusatio, quæ alio remedio possit facile auferri.

6. *Explicatur regula in excusatione ob necessitatem.* — Unde circa aliam causam excusationis, quæ est necessitas, minor est difficultas, nam hæc causa quodammodo communis est ministranti, hoc ipso quod in recipiente, vel petente invenitur; eadem enim occasio, quæ excommunicatum constituit in tali necessitate petendi sacramentum, ut eum a culpa excuset, constituit etiam ministrum in sufficiente dandi necessitate, vel ut alteri reddat jus suum, si ex officio id debeat, vel ut subveniat proximo in tali necessitate constituto. Et nihilominus semper subintelligendum est, quando aliter subvenire non potest; nam si ipsemet minister possit prius tollere censuram, quam det sacramentum, id omnino facere debet, quia tunc licet sit necessitas recipiendi sacramentum, nulla tamen est recipiendi illud ante absolutionem. Et, quamvis fortasse recipiens ob necessitatem possit illud ita recipere, si alter nolit aliter dare, ipse tamen sic dans graviter peccat, quia sine necessitate id facit, et excusatio alterius solum ex malitia ministri proveniret.

7. *Possitne in mortis articulo quis prius a peccatis absolvi, quam a censura.* — *Medina.* — Ex quo cessat vulgare dubium, quod hic peti solet, si contingat excommunicatum tam esse morti vicinum, ut non possit prius ab excommunicatione absolvi, quam a peccato, an possit licite prius a peccato absolvi. In quo casu dixit Medina, tract. 2 de Confess.,

quæst. de Confess. ab excom. facta, in fine, absolvendum prius esse a peccatis, quia necessitas excusat. Quod esset quidem verum, si dari posset necessitas ita absolvendi, seu cum illo ordine; re tamen vera nulla esse potest necessitas sic absolvendi, quia quilibet sacerdos, sicut potest absolvere a peccatis in eo casu, ita potest absolvere ab omni vinculo excommunicationis, et utraque potestate eisdem verbis uti potest, ut supra dixi, dicendo, *Ego te absolvo;* cum intentione absolvendi a censura, et a peccatis; et tunc simul tempore utraque tollet, prius tamen natura ipsam censuram. Ob majorem vero certitudinem addere potest : *Ab omnibus censuris, et peccatis tuis,* quia certissimum est illa sola verba, *Ego te absolvo,* esse essentialia, et sufficientia ad absolutionem sacramentalem, quod non est ita certum de absolutione a censura; et ideo in illo modo absolvendi potest esse fructus, et nihil est periculi, quia, licet infirmus moriatur, antequam proferantur illa verba, *Et ab omnibus peccatis tuis,* absolutio sacramentalis erit valida, quod non ita erit certum de censura, si non aliquo modo exprimatur. Recte ergo illo modo fiet talis absolutio, quia absolutio censuræ semper præcedere debet, vel natura, vel tempore, quantum necessitas permiserit.

Incurratne aliquam pœnam aut censuram, qui sacramenta excommunicato ministrat.

8. *Prima conclusio.* — Ultimo inquiri potest circa hanc conclusionem, quas pœnas vel censuras ipso jure incurrat ministrans sacramenta excommunicato; sed non invenio specialem pœnam latam propter hunc modum communicationis, præter eam quæ generaliter lata est propter communicationem in sacris cum excommunicato, quæ solum est excommunicatio minor, de qua infra dicetur; et interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quod ipso jure imponitur eis, qui excommunicatos ad Ecclesiastica sacramenta admittunt, in c. Episcoporum, de Privil., in 6. In c. autem Excommunicamus, 1, de Hæreticis, § Credentes, præcipitur, ut clerici, qui sacramenta Ecclesiastica exhibent *hujusmodi pestilentibus* (id est fautoribus hæreticorum, qui excommunicati sunt), suo priventur officio, ad quod sine Apostolico indulto non restituantur. Illa tamen pœna nec jure ipso imponitur, sed imponenda mandatur, nec extendenda est ad omnes administrantes sacramenta excommunicatis, quia specialiter fertur in odium hæresis, et fautorum ejus. Neque etiam nunc procedit de omnibus fautoribus, sed de illis, qui nominatim sunt denunciati. Circa quam pœnam videri potest Bernar. Diaz, in Practica canon. crim., cap. 115.

9. *Cap. Significavit, de Sentent. excom., exponitur.* — Denique in c. Significavit, de Sent. excom., ait Pontifex, eos, qui participaverunt cum excommunicatis ab ipso, et ipsos in officiis receperunt, eamdem excommunicationem incurrisse. Quod non potest exponi de excommunicatione minori, quia ibidem Papa reservat sibi absolutionem illius censuræ. Unde interpretes ibi circa decisionem illius textus plurimum laborant, quia in jure non est lata excommunicatio major in eos, qui cum excommunicato communicant; ibi autem non conditur novum jus, sed juxta antiquum respondetur, quid de facto jam præterito sentiendum esset, ut ibi notant Panormitanus, in fine, et alii. Quod si quis respondeat cum Glossa ibi, et Navarro, in Manuali, c. 27, n. 30, excommunicationem, quæ lata fuerat a Pontifice, ut ibi refertur, non fuisse simplicem, sed quæ participantes etiam ligaret, gratis dictum videbitur, quia nec in textu fundamentum habet, nec verisimile videtur, quia, si ipsa excommunicatio ita lata fuisset, nullus esset relictus locus dubitationi, et consultationi. Verus ergo sensus illius textus est, quem Panormitanus sequitur, et dicit esse communem, scilicet, ut illa sit specialis pœna lata contra clericos scienter et sponte violantes excommunicationem, latam a Papa, participando cum excommunicatis in divinis officiis; ita ut ad illam pœnam incurrendam quinque conditiones requirantur, ut notavit etiam Glossa, in c. Statuimus, de Sent. excom., in 6, verb. *Constitutionibus.* Prima, quod excommunicatio sit Papalis; secunda, quod participatio sit recipiendo excommunicatum in officiis; tertia, quod participans sit clericus; quarta et quinta, quod scienter, et sponte id faciat; omnia enim hæc expresse continentur in textu, et cum materia sit odiosa, secundum omnes circumstantias restringenda est. Quod adeo verum esse credo, ut nimis rigorosam existimem illam legem, etiam sic expositam; nam ex ea sequitur clericum communicantem dicto modo cum quolibet excommunicato a Papa quovis modo esse excommunicatum excommunicatione Papæ reservata, quod inauditum videtur, et præter omnem usum. Unde restrin-

genda erit amplius illa lex ad excommunicationes Papales, vel ab homine, et specialiter latas, nam totum hoc in verbis habet fundamentum, aut saltem ad excommunicatos a Papa a jure, vel ab homine, nominatim tamen declaratos, aut denunciatos; ita interpretatur Cajet., in Sum., verb. *Excommunicatio,* c. 58, dicitque consuetudinem ita fuisse interpretatam jus illud, quod alias nimis rigorosum fuisset. Et addere possumus, hoc maxime confirmatum esse per Extravag. *Ad evitanda.* De qua re plura videri possunt apud Adrianum, Quodlib. 6; Antoninum, 3 part., tit. 24, c. 32; Sylvestrum, verbo *Excommunicatio,* septimo, casu sexto.

Secunda conclusio.

10. *Ministros sacramentorum non prohiberi ab Ecclesia ministrare occulte excommunicato.* — Dico secundo : ex vi censuræ excommunicationis non prohibentur nunc ministri sacramentorum ea tribuere excommunicatis occultis seu non vitandis; si tamen id faciant, sæpius peccabunt contra jus divinum ac naturale; interdum vero etiam ab hac culpa excusabuntur. Prima pars communis est, et constat ex dicta Extravag. *Ad vitandum,* ubi expressa mentio fit de sacramentorum administratione. Cum ergo illa solum esset prohibitio Ecclesiastica, et ipsa Ecclesia eam merito abstulerit, propter rationes quæ in eadem Extravagante attinguntur, cumque ostensum sit illam Extravagantem receptam esse, et ab Ecclesia servari, nulla in hoc relinquitur dubitandi ratio. Ex quo sequitur, sacerdotem dantem sacramentum excommunicato non vitando, etiamsi alioqui peccet, nullam incurrere pœnam sive censuram ab Ecclesia impositam iis, qui excommunicatis sacramenta ministrant, quia, sicut hæc prohibitio jam non comprehendit hujusmodi casum, ita nec pœna in illo imposita ad illum extenditur.

11. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices : Ecclesia non abstulit his excommunicatis obligationem abstinendi a sacramentorum susceptione; ergo nec potuit auferre ministris obligationem non dandi. Patet consequentia, quia illa duo correlativa sunt; ergo, si unum prohibetur, et alterum prohiberi necesse est, quia, sicut correlativa sunt simul in existentia, ita et quoad prohibitionem, cum unum fieri non possit, quin aliud consequenter fiat. Unde, si emptio alicujus rei alicui interdicta est, consequenter aliis interdicitur, ne illam eidem vendant, argumento Leg. prim., C. de Cupressis, l. 11, ubi Bartholus, et latius Additio ad illum. Respondetur, ex vi prohibitionis actionis formaliter ac præcise loquendo non prohiberi receptionem, neque e converso. Mihi enim religioso prohibitum est recipere aliquid absque licentia Prælati; alteri autem non est prohibitum dare. Et ratio est, quia cum personæ sint diversæ, potest uni prohibitio imponi, et non alteri, quod maxime verum est de prohibitione humana. Itaque ut prohibitio extendatur ad utrumque extremum, oportet, ut vel in ipsa lege formaliter exprimantur, sicut fit in dicta Leg. prima, de Cupressis, vel ut res ipsæ, seu actiones ita sint connexæ, ut non possint quoad honestatem, vel turpitudinem separari; tunc enim quasi per extensionem ex prohibitione unius inferri potest prohibitio alterius; quæ consecutio solum tenebit, quantum ad id, in quo fuerint connexa. In præsenti ergo non solum non fit in ipsa lege formalis extensio, verum potius fit expressa limitatio ad recipientem, et excluditur ministrans; connexio vero non est semper necessaria, et quando invenitur, provenit ex alia lege, ad quam pertinebit tunc ista prohibitio, quatenus in ministrantem cadit, ut jam explicabimus.

12. *Sæpe ministrum peccare sacramenta excommunicato occulto ministrando.* — *Interrogationi satisfit.* — Secunda ergo pars assertionis fundatur in illo principio juris divini connaturalis ipsis sacramentis, quod ministri sacramentorum tenentur illa non præbere indigne petentibus, de quo dictum est 3 tomo, disput. 18, sect. 2. Et illud amplius explicui disput. 72, sect. 3 et 4. Sed in præsenti casu excommunicatus non vitandus indigne petit sacramentum, quia peccat mortaliter, si illud suscipiat, ut supra ostensum est; ergo et sacerdotes ministrando peccabunt. Et juxta hanc declarationem intelligendi sunt auctores, qui dicunt, etiam nunc prohibitum esse ministris sacramentorum dare illa hujusmodi excommunicatis, ut tenet Adrianus, materia de Clavibus, quæst. 3, et Covarruvias, in cap. Alma, 1 part., § 2, num. 11, in fine, et alii. Dices : ergo nullus favor redundat ex illa concessione ad Ecclesiæ ministros, si in re manet semper eadem prohibitio, quamvis ex alio capite. Respondetur in primis, magnum fuisse favorem, quod ipsa Ecclesia suam prohibitionem abstulerit; naturalem enim auferre non poterat; neque etiam debuit ob eam causam excommunicato favere, ab illo prohibitionem

auferendo, tum quia hoc fuisset magnum detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ; tum etiam quia semper manet in ministro obligatio inspiciendi, an excommunicatus digne petat. Unde secundo dicitur, ablata ab ipsis ministris prohibitione directa ipsius Ecclesiæ, facilius posse sacramenta præbere excommunicato quam antea poterant, quia nunc facile possunt eis fidem adhibere, si dicant se esse absolutos; imo hoc ipso quod petunt, v. gr., Eucharistiam, possunt id præsumere, nisi oppositum evidenter constet, vel sequatur scandalum, vel aliquid simile obstet. Sicut enim, licet mihi evidenter constet aliquem heri peccasse mortaliter, et hodie videam illum ad celebrandum, vel communicandum accedere, debeo præsumere digne accedere, et jam esse a suo peccato absolutum, ita omnino est in excommunicato occulto, seu non vitando, quia solum teneor non dare illi sacramentum, in quantum indigne petit, et ideo facile possum præsumere, et credere causam indignitatis esse ablatam, quod secus est in aliis excommunicatis; nam oportet, ut de eorum absolutione aliquo modo constet, ut infra videbimus.

13. *Aliquando ministrum a culpa excusari ministrando occulto excommunicato sacramenta.* — Atque hinc facile patet tertia conclusionis pars, nam in primis, quoties excommunicatus, non obstante censura, non peccat petendo sacramentum, neque alter peccabit ministrando, quia tota ratio prohibitionis ejus oriebatur ex indigna petitione. Deinde, si ex negatione sacramenti sequatur scandalum, propter quod vitandum licitum esset dare sacramentum peccatori indigne petenti propter illud vitandum, licitum etiam erit dare hujusmodi excommunicato petenti, quia ex hujusmodi censura, nulla nova oritur obligatio, ut dictum est. Hic vero inquiri potest dubium, quod attigit Adrianus, quæst. 3 de Baptism., ad sextum, in fine, an propter vitandum scandalum ipsiusmet excommunicati liceat ei petenti dare sacramentum, videlicet, quia, si ei denegetur, deterior fiet, et magis contumax, vel etiam hæreticus. Quod dubium ipse indecisum reliquit, quia illa non videtur esse cooperatio, sed permissio minoris mali. Mihi tamen videtur id non esse licitum, quia illud non est scandalum activum, sed passivum tantum, et ex pura malitia. Hoc autem secus esset, si excommunicato occulto publice petenti sacramentum, illud denegarem; et ideo circa hoc servanda est generalis regula juris, ut publice petenti sacramenta denegentur, si publice excommunicatus sit, non vero si occulte tantum sit excommunicatus; nam tunc solum denegabuntur, si secreto petat, dummodo de ipsa censura satis constet, cap. Cum non ab homine, de Sent. excomm., et cap. Si sacerdos, de Officio ordinarii, et late dictum est in dicta disp. 72.

SECTIO III.

Utrum sacramenta ab excommunicato recepta, rata, et valida sint.

1. *Sacramenta omnia, recepta pœnitentia, excommunicato data, valida esse quoad substantiam.* — Quæstio hæc intelligi potest de valore sacramenti, aut quantum ad esse, seu substantiam ejus, aut quantum ad usum seu executionem, si aliquem actum aut munus conjunctum habeat. Rursus quæstio hæc specialem difficultatem habet in sacramento pœnitentiæ; in baptismo autem locum non habet, quia ante baptismum nullus potest esse excommunicatus; in cæteris vero eamdem omnino solutionem habet, et facillime expediri potest. Nam in primis certum est illa quinque sacramenta excommunicatis data valida esse quantum ad substantiam eorum. Et de Eucharistia quidem nulla est quæstio, quia est sacramentum permanens. De cæteris autem patet, quia si applicetur debita materia et forma uniuscujusque cum debita intentione ministri, et suscipientis, necessario perficitur sacramentum; neque potest Ecclesia per censuram illud impedire, quia censura non reddit personam incapacem, neque impedit aliquid quod ad substantiam sacramenti pertineat. Et ita hæc veritas supponitur in omnibus juribus, quæ de hac materia loquuntur, et est constans apud omnes Doctores sententia. Quanquam de extrema unctione aliquam limitationem nonnulli adhibeant, quam examinabo disputatione sequente, sect. 2.

2. *Ordo, et confirmatio, si ab excommunicato recipiantur, suum effectum habent imprimendi characterem.* — *Excommunicatus sacramentum cum justa excusatione recipiens gratiam etiam recipit.* — Ex quo fit, ut illa duo sacramenta, quæ ex prædictis quinque characterem imprimunt, scilicet, Ordo et confirmatio, necessario habeant hunc effectum in excommunicato, quomodocumque illa recipiat, id est, sive peccet, sive non,

illa recipiendo. Probatur, quia hic effectus non pendet ex dispositione recipientis, sed necessario conjunctus est cum valore, et substantia sacramenti. Ob hanc enim causam talia sacramenta iterari non possunt, quantumvis indigne a peccatore, aut excommunicato, vel præciso recipiantur, dummodo, quæ ad substantiam necessaria sunt, rite applicentur. Et in hoc etiam nulla est dissensio inter auctores. Quomodo autem intelligendi sint quidam textus, qui Ordinem sic receptum interdum irritum vocant, partim constat ex dictis sect. 1 hujus disputationis, partim dicetur in sequente, et videri etiam possunt, quæ de sacramento confirmationis in simili quæst. dixi in 3 tom., disp. 36, sect. 3. De effectu vero gratiæ regula generalis est, si excommunicatus recipiat sacramentum absque culpa, seu cum justa excusatione, recipere etiam effectum ejus, quia tunc non ponit obicem; sacramenta autem omnia infallibiliter conferunt gratiam non ponentibus obicem, nec potest Ecclesia per censuram hoc impedire, cum in divina promissione nitatur. At vero, si excommunicatus peccat mortaliter suscipiendo sacramentum, jam ponit obicem, et ideo effectum gratiæ non recipit. An vero, recedente fictione postea conferatur, quæstio generalis est de omnibus indigne suscipientibus, quæ nullam hic habet specialem rationem.

Excommunicatus sacramentum recipiens, non est suspensus ab usu ejus sub aliqua pœna Ecclesiastica, excepto Ordine.

3. *In matrimonio probatur.* — Denique ultimus punctus de usu, seu executione, non habet locum, nisi in sacramento Ordinis; nam sacramentum Eucharistiæ, vel confirmationis, aut extremæ unctionis non habent proprie aliquem subsequentem usum, nisi quis fortasse vocet usum confirmationis fortem fidei confessionem coram tyranno, vel extremæ unctionis, constanter resistere tentationibus dæmonis in articulo mortis, qui non tam est usus sacramenti, quam effectus auxilii vel gratiæ, quæ propter sacramentum datur. Unde ad hunc usum nullum speciale impedimentum ponitur per Ecclesiam ex vi censuræ, sed in tantum ab ipsomet suscipiente poni potest, in quantum per suam pravam dispositionem gratiam sacramenti potest impedire. In matrimonio vero post susceptum sacramentum, seu contractum vinculum, superest usus ipsius matrimonii; ille autem, si philosophice tantum, seu moraliter consideretur, potius est usus matrimonii, ut est quidam contractus, quam ut est sacramentum; si autem spectetur quatenus sub aliquo respectu, et rectitudine supernaturali fieri potest, sic dici potest effectus sacramenti, per auxilium gratiæ, quod propter dictam honestatem confert; et ideo non aliter impeditur, quam aliæ gratiæ sacramentales, scilicet per malitiam, vel indispositionem suscipientis, non vero ex peculiari censura, aut Ecclesiæ suspensione, supposita susceptione validi sacramenti. Absolute igitur loquendo, excommunicatus, qui matrimonium contraxit, non est suspensus ab usu matrimonii speciali aliqua pœna vel censura, quæ illi imposita sit ob delictum commissum in tali susceptione sacramenti.

4. *Excommunicatum non debere in Ecclesia solemnem benedictionem recipere.* — Duobus autem modis intelligi potest esse illi interdictus talis usus, ita ut licite non fiat. Unus est, quia ille, qui sic contraxit, non potest solemnem benedictionem in Ecclesia recipere, nisi prius absolvatur; nam, licet illud matrimonium sit validum, ut est certissimum, et aperte traditur in cap. Significasti, de Eo qui dux. in matr. quam pol. per adul., nihilominus tamen non debet quasi solemniter approbari ab Ecclesia per publicam benedictionem, quamdiu excommunicationis vinculum perseverat. Præsertim, cum illa benedictio communicatio quædam spiritualis sit, et veluti quoddam Ecclesiæ suffragium, quibus bonis privatus est excommunicatus. In quo etiam conveniunt Doctores in dicto cap. Significasti, et Summistæ, verb. *Excommunicatio;* Covarr., cap. Alma, part. 1, § 6; et Navarr., in cap. Consideret, § Cautus, de Pœnit., dict. 5. Quatenus ergo conjuges ante benedictionem solemnem in Ecclesia susceptam copulari non debent, eatenus per excommunicationem durantem impediri potest usus matrimonii. Non erit autem majus peccatum uti matrimonio sine absolutione a censura, quam sine solemni benedictione, quod, per se loquendo, ac secluso scandalo, mortale non est, quantum colligi potest ex Concilio Trident., sess. 24, cap. 1 de Reformat. matrimonii, et suo loco latius dicemus.

5. *Excommunicato non est prohibitus usus matrimonii tam quoad cohabitationem, neque quoad reddendum, aut petendum debitum.* —

Alter modus impediendi hunc usum intelligi posset, quatenus ille usus, quædam humana communicatio est, quæ generatim prohibita est per excommunicationem. Verumtamen hoc impedimentum si quod esset, ita induceretur per excommunicationem supervenientem matrimonio jam contracto, quam per antecedentem, seu existentem, quando contrahitur; et ideo inferius dicendum est de illo simul cum aliis. Veritas enim est excommunicationem non impedire hunc usum, neque quoad cohabitationem, neque quoad reddendum, vel petendum debitum, ut breviter attigit Antoninus, tractatu de Excom., cap. 76, num. 22, et infra latius dicetur.

6. *Excommunicatus est suspensus ab usu Ordinum.* — Superest ergo, ut in solo sacramento Ordinis hoc inveniatur, ut excommunicatus illud suscipiens, executionem ejus, vel usum non recipiat, ita ut licite illum præstet; sic enim intelligendum hoc est. Nam illud sacramentum proprium habet ministerium Ecclesiasticum, ad quod ordinatur; illud ergo per Ecclesiam ei prohibetur, qui excommunicatus Ordinem recipit, ut ex variis juribus probavimus in sect. 1. Quæ supponunt tale sacramentum validum esse, et declarant alia, quæ interdum significant talem ordinationem esse irritam, ut nimirum intelligantur quoad executionem, quantum ab Ecclesia impediri potest, non quantum ad substantiam et valorem sacramenti. Cujus etiam signum manifestum est, quia eadem jura disponunt, ut post peractam pœnitentiam, et obtentam ab Ecclesia dispensationem possint in susceptis Ordinibus ministrare, ut videre licet in juribus citatis sect. 1; ergo semper supponunt Ordinem esse validum, suspendi autem ab Ecclesia quoad executionem. In his autem sacramentis, de quibus nunc agimus, hæc suspensio executionis solum esse potest prohibens illam, ne licite fiat, non tamen irritans, de qua re in materia de suspensione latius dicemus.

Num sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato receptum cum vera excusatione validum sit.

7. *Mortale peccatum, in confessione commissum, est contra substantiam sacramenti pœnitentiæ.* — De sacramento vero pœnitentiæ est peculiaris difficultas, an susceptum ab excommunicato validum sit, vel irritetur ex vi ipsius censuræ. Ut autem ad punctum quæstionis deveniamus, suppono peccatum mortale commissum in ipsamet confessione, et susceptione talis sacramenti, esse contra substantiam ejus, illudque irritum reddere, quod est singulare in hoc sacramento, ut supra proprio loco ostensum est, ex eo quod materia essentialis hujus sacramenti est integra peccatorum confessio et contritio, quam impedit, ac destruit actuale peccatum mortale in ipsa confessione commissum. Igitur, si excommunicatus confitendo, et recipiendo absolutionem, actu peccet mortaliter, mihi certum est tunc non fieri sacramentum ex illo capite; quod commune est aliis peccatis mortalibus, quamvis in præsenti casu tale peccatum committatur occasione censuræ, qui est quidam concursus solum per accidens. Ut ergo per se, ac proprie quæstio procedat, supponendum est nullum intervenire peccatum mortale ex parte excommunicati suscipientis sacramentum pœnitentiæ ante absolutionem censuræ, sive excusatio proveniat ex ignorantia, sive ex alia necessitate recipiendi tale sacramentum, conjuncta cum impotentia, vel malitia ministri.

8. *Prima sententia negans.* — In illo ergo casu prima sententia affirmat talem confessionem irritam esse, et tenet Sylvest., verb. *Confessio* 1, quæst. 3, casu 5, et verb. *Confessor* 3, num. 12, ubi plures refert, et dicit communi consuetudine ita observari. Paludanus in 4, dist. 17, quæst. 6, art. 1, concl. 2, non solum de majori, sed etiam de minori excommunicatione id docet. Idem Major ibi, quæst. 6, in fine; Gabr., quæst. 1. art. 3, dub. 2; et Antonin., 3 part., tit. 14, cap. 9, § 4; Soto, dist. 22, quæst. 1, art. 1, in fine; indicat Adrianus, materia de Matrimonio, quæst. 1, art. 1 Ledesma, 2 part. 4, q. 23, art. 1, licet sibi non constet. Fundamentum esse potest, quia excommunicatus est præcisus ab Ecclesia; ergo, quamdiu talis est, non potest per Ecclesiam de suis peccatis judicari vel absolvi, nam, *De iis qui foris sunt, nihil ad nos.* Secundo, quia Ecclesia separat excommunicatum a susceptione sacramentorum, quantum potest; nam vult haberi tanquam ethnicum, et publicanum, et propterea excommunicatio maxima pœna censetur ab Augustino; sed Ecclesia potest ita separare excommunicatum a sacramentis, ut attentata susceptio sit irrita, sicut potuit irritare sacramentum matrimonii inter consanguineos; ergo ita fecit. Tertio, quia in excommunicatione minori id fecisse videtur; ergo multo magis in majori.

Antecedens patet ex cap. ult. de Cleric. excomm. ministr., ubi dicitur sacramenta collata ab excommunicato minori excommunicatione, *virtutis non carere effectu, quia non a collatione, sed a receptione sacramentorum est remotus;* ergo insinuatur, quod si attentet recipere, receptio est nulla. Quarto ibidem dicitur, electionem, seu collationem beneficii factam excommunicato esse irritam, quod clarius habetur in c. Postulastis, eodem titulo; ergo majori ratione sacramentum erit irritum. Quinto absolutio, ab excommunicato data, est irrita, sicut quælibet alia sententia; ergo et recepta, nam est eadem ratio.

9. *Secunda sententia affirmans vera.* — Nihilominus dicendum est, tale sacramentum validum esse, ita ut necesse non sit, confessionem iterari; imo etiam suum habet effectum. Hæc est communior sententia, quam vel non sibi constans, vel limitans præcedentem, tenuit Palud. in 4, dist. 18, part. 4, num. 5, ubi tantum in duobus casibus hoc affirmat. Prior est, quando excommunicatio est injusta; quod si intelligat de ita injusta, ut sit nulla, per se notum est, quia illa revera nullum effectum habet; si autem intelligat de injusta valida, nulla est ratio excipiendi illam, quia revera habet effectum; unde æque obligat ad non suscipiendum sacramentum, quamdiu durat, ut constat ex dictis supra de censuris in communi. Alter casus est, quando excommunicatio probabiliter ignoratur ab ipso pœnitente, quod est verum; tamen ut consequenter loquatur, idem dicere debet in omni casu, in quo pœnitens excusatur a culpa, quia sicut non debet Ecclesia ignorantiam invincibilem condemnare, aut innocentem punire, quod ipse ait, ita non debet urgentem, et inculpabilem necessitatem condemnare aut punire. Eamdem sententiam tenet Adrianus, cap. 3 de Clavibus, præsertim circa finem, et clarius, quæst. 2 de Confess., circa finem, ubi refert, et sequitur sententiam Paludani, paulo antea citatam. Idem tenet Medina, tract. 2 de Confess., quæst. de Confess. ab excomm. fact.; Petrus Soto, lect. 4 de Excomm.; Navarr., in cap. 1, § Cautus, num. 23, et cap. ult., num. 38 et 45 de Pœnit., dist. 5; Covar., in cap. Alma, part. 1, § 6, a num. 7. Et Cajetan., in Sum., verb. *Absolut. impedimenta,* et verb. *Excommunic. minor.* Excedit tamen Cajetanus, quia non tantum quando sine peccato, sed etiam quando pœnitens actu peccat sic suscipiendo sacramentum, illud esse validum affirmat; procedit tamen ex falso fundamento, scilicet, actuale peccatum mortale, in ipsa confessione commissum, non esse contra substantiam hujus sacramenti, quod aliqui saltem verum putant (et ita interpretantur sententiam Cajetani) quando tale peccatum non ex malitia, sed ex ignorantia culpabili committitur, quod videtur sequi Victoria, in Summ. 4, tit. de Excommun., num. 3. Sed hoc etiam falsum est, ut supra suo loco probavi; et ideo, omissa illa disputatione, solum probanda est assertio posita præcise ex parte censuræ, quod proprie locum habet, quando alia culpa, vel impedimentum aliud non intercedit.

10. *Suadetur prædicta sententia ex congruitate.* — *Suadetur a simili dicta sententia.* — Plures autem rationes possunt ad hoc suadendum afferri : primo ex congruitate, quia *res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet,* ut dicitur in c. 2 de Constitut. Item quia, cum materia hæc sit odiosa, restringenda est potius, quam amplianda. Jura vero, quæ excommunicatum excludunt a sacramentorum participatione, non habent verba irritantia, sed prohibentia tantum. Quod maxime confirmat exemplum de matrimonio, quod fortasse posset Ecclesia irritare per censuram, nam, sicut induxit alia impedimenta irritantia, potuisset hoc illis addere, quod tamen non fecit, sed potius declaravit prohibitionem censuræ non esse irritantem, c. Significavit, de Eo qui duxit, etc.; ergo non est, cur strictius interpretemur hanc prohibitionem in hoc sacramento. Secundo afferri possunt rationes a simili, quia excommunicatus celebrans inculpabiliter ex ignorantia, excusatur a nova censura, seu irregularitate. Item collatio beneficii facta excommunicato bona fide et absque culpa illud recipienti, valida est, ut probabiliter Navarrus supra opinatur, et infra a nobis disputabitur; ergo a fortiori, etc.

11. *Propria dictæ sententiæ ratio.* — Verumtamen propria ratio hujus sententiæ esse debet, quia per excommunicationem nihil tollitur, quod sit de substantia sacramenti; ergo, si ex parte suscipientis non intervenit aliud impedimentum, sola censura non potest irritare sacramentum. Consequentia patet ex dictis; et antecedens probatur, quia ibi non deest materia, neque forma, neque intentio. Et (quod ad rem spectat, et in quo est punctus difficultatis) non deest jurisdictio, nam per excommunicationem privatur quis jurisdictione activa in alios, non tamen subjec-

tione passiva ad alios sibi superiores, seu (quod idem est) alii non privantur jurisdictione in ipsum; alioqui non tam ipsorum excommunicatorum, quam ipsius confessoris esset talis pœna. Ad quod etiam per argumentum a simili vel a contrario nonnihil confert c. Olim, 3, de Restitut. Quod ergo Victoria et Ledesma aiunt, hoc ipso quod quis excommunicatur, fieri, quoad absolutionem a peccatis, extra jurisdictionem omnium, qui eum non possunt absolvere, vel non absolvitur ab excommunicatione, gratis dictum est. Primum, quia nullo jure ostendi potest hujusmodi privatio jurisdictionis. Quis enim dicat parochum amittere jurisdictionem in suarum ovium peccata, alioqui non reservata, solum, quia excommunicatione ligantur? idemque est de religiosis ex privilegio habentibus jurisdictionem. Quod præterea in hunc modum declaro : nam, si ipse Summus Pontifex immediate absolveret aliquem excommunicatum a peccatis nolens absolvere ab excommunicatione, sive ex malitia, sive ex ignorantia faciat, ipso tamen pœnitente nihil peccante, talis absolutio sacramentalis esset valida; ibi enim fingi non potest defectus jurisdictionis, quia nulla potestas humana, nec canonicum jus, et consequenter nec censura aliqua per illud introducta potest privare Pontificem aliqua jurisdictione; ergo in tali absolutione nullus substantialis defectus intervenit, qui possit reddere invalidum tale sacramentum. Ex hoc autem recte concluditur censuram intrinsece non pugnare cum valore absolutionis sacramentalis; ergo, cum aliunde non constet sacerdotem privari jurisdictione ob censuram alterius, fit, ut absolutio ab eo data nullo alio interveniente impedimento valida sit. Quod magis confirmabitur respondendo ad rationes in oppositum, nam in his rebus, quæ pertinent ad augendum rigorem pœnæ, sufficiens argumentum, ut non admittantur, est, si non satis probentur.

Rationibus contrariæ sententiæ satisfit.

12. *Ad primam. — Ad secundam.* — Prima ergo ratio, si quid probaret, etiam de Summo Pontifice procederet, quia etiam ipse directe judicare non potest de iis, qui foris sunt. Excommunicatus ergo non ita dicitur præcisus ab Ecclesia, ut Ecclesia jurisdictionem in ipsum amittat, neque externam, neque internam; sed quia communicatione bonorum, et membrorum Ecclesiæ privatus est ex ejusdem Ecclesiæ præscripto, quæ non propterea privatur a Deo ipso tali jurisdictione, ut per se notum est. Neque etiam ipsa se privat, imo fortasse nec privare potest, quia semper manet in alio character baptismalis, ratione cujus est Ecclesiæ subjectus. Manet ergo in Ecclesia utraque potestas jurisdictionis in ipsum, scilicet, in foro contentioso, et sacramentali, quæ interdum possunt esse simul in eadem persona, ut est per se clarum; interdum vero potest esse una sine alia, nam judex, præsertim delegatus, habere potest jurisdictionem ad absolvendum a censura, et non a culpa. E converso igitur potest etiam quis habere jurisdictionem absolvendi a culpa, et non a censura. Unde ad secundum negatur major, prout ibi simpliciter sumitur, nam Ecclesia separat quidem excommunicatum a sacramentis, prohibendo, non vero judicando; quia generaliter non potuit in omnibus, specialiter autem non expressit in aliquo; non ergo simpliciter quantum potest, separat. Rursus separat prohibendo, non vero tollendo jurisdictionem; et ideo hic locum habet regula juris : *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.*

13. *Ad tertiam.* — Ad tertium respondetur, si illud esset validum, etiam probaturum excommunicationem minorem irritare sacramentum, quod Soto ipse non admittit. Respondetur ergo, excommunicatum minori excommunicatione, de quo in illo textu sermo est, esse privatum passiva susceptione, non vero activa administratione sacramentorum, quia prior est ibi prohibita, non vero posterior; et ideo, per se loquendo, sacramenta ab illo administrata, virtutis non carent effectu, etiam ex parte dantis, quia in eo ministerio, per se loquendo, non peccat, ut infra ostendam. Sacramenta vero ab eodem excommunicato suscepta carebunt virtutis effectu, non tamen propterea nulla erunt, cum possint sacramenta subsistere quoad substantiam, sine effectu suæ virtutis; carebunt autem hoc effectu, quando, transgrediendo dictam prohibitionem et graviter peccando, suscipiuntur; si autem suscipiantur cum sufficienti excusatione a culpa, neque effectu carebunt, quia non ponitur obex ex parte recipientis, et respectu illius prohibitio nihil operatur, propter excusationem.

14. *Ad quartam. — Ad quintam.* — Ad quartum respondetur in primis in illo capite ultimo, non dici electionem excommunicati esse irritam, sed irritandam; est enim ibi

sermo de minori excommunicatione, de qua infra. Deinde, quamvis electio ligati majori excommunicatione sit irrita per se loquendo, interveniente tamen bona fide electi res est dubia, et licet admittamus etiam tunc electionem esse irritam, ut infra disputabitur, nulla est consecutio, quia, ut sæpe dixi, in his pœnis nullum est argumentum a simili; ibi enim inveniri potest lex irritans; hic vero non invenitur, neque est difficile diversitatis rationem assignare, quia non est ita necessaria electio ad salutem, sicut confessio. Et ob eamdem rationem negatur consequentia quinti argumenti, quæ etiam erat a simili, de quo est longe diversa ratio, quia quando minister est excommunicatus, directe privatur jurisdictione, et ideo absolutio ab ipso data nulla est, etiamsi pœnitens non peccet, et alias sit dispositus, ut infra dicemus; per excommunicationem autem pœnitentis alter non est privatus jurisdictione. Et ob similem fere rationem, licet propria Ecclesiæ suffragia applicata excommunicato sine culpa ejus non habeant effectum, non potest inde sumi argumentum ad hoc sacramentum, quia suffragia pendent ex voluntate Ecclesiæ, non tamen sacramenti valor, si cætera necessaria concurrant; sicut etiam de sacrificio supra declaravi; unde suffragia de facto non offeruntur pro excommunicato; absolutio vero illi datur, ideoque in illo operatur.

15. *An dicta sententia verum habeat etiam in censuris reservatis. — Dubii resolutio.* — Sed quæret aliquis, an hæc resolutio procedat, etiamsi censura reservata sit. Respondeo solius censuræ reservationem per se nihil referre, cum supponamus censuram non tolli; quia vero cum excommunicatione reservata simul reservatur culpa, ideo ex hac parte oriri potest difficultas, et coincidit cum illa quæstione, an cum quis bona fide ex parte sua absolvitur ab omnibus peccatis ab eo, qui non habebat jurisdictionem in omnia, sed in quædam tantum, maneat absolutus saltem ab illis, quæ erant sub jurisdictione absolventis, ac proinde sacramentum fuerit validum, ne teneatur quis illa iterum confiteri. De qua re in superioribus dixi talem confessionem validam esse, quia quantum ad id concurrunt omnia, quæ sunt de necessitate sacramenti, et integritas absolutionis materialis, ut aiunt, seu quoad effectum, non est de substantia sacramenti, ut ibidem ostensum est. Hac ergo ratione etiam in præsenti est validum tale sacramentum, quia hic solum adjungitur defectus jurisdictionis in censuram; cum autem censura ipsa per se non sufficiat ad irritandum sacramentum, neque defectus ille potest sufficere, si cætera necessaria concurrant.

16. *Angeli extensio. — Rejicitur. — Angeli evasio. — Eluditur.* — Addit vero Angelus, verb. *Confessio*, 5, num. 10, non solum talem absolutionem esse validam, sed etiam licite dari a sacerdote inferiori, etiam absque speciali causa, vel necessitate, ut indicat, sed jure ordinario, quia potest (inquit) eum absolvere a peccatis, et remittere ad superiorem pro absolutione a censura; in quo etiam indicat non esse necessarium, ut postea sacramentaliter absolvatur a superiori a tali peccato reservato, sed solum ab excommunicatione, refertque pro hac sententia Richardum, in 4, d. 18, art. 9, quæst. 4. Verumtamen nec Richardus ibi hoc docet, sed potius contrarium, neque illa sententia ita generatim intellecta probabilis est; alioqui excommunicatus ab homine semper posset a peccatis absolvi a quocumque ordinario confessore, et remitti ad judicem, ut a censura absolveretur, quod est omnino falsum, et contra usum Ecclesiæ, et contra vim hujus censuræ; alioqui quomodo verum est quod excommunicatus est privatus omnibus sacramentis? Diceret fortasse Angelus, excommunicatum privari sacramento pœnitentiæ, quando per illum stat, quominus a censura absolvatur; quando vero jam contritus est, et paratus Ecclesiæ obedire, et per eum non stat quominus a censura absolvatur, jam non esse a sacramentorum perceptione remotum. Sed hoc etiam fundamentum, ita absolute et simpliciter propositum, falsum est, ut melius docuit Sylvester, verb. *Confessor*, 3, quæst. 8, referens plures, et dicens esse communem sententiam Theologorum, et Juristarum. Idem Navar., in cap. Consideret, § Cautus, n. 24, de Pœnitent., dist. 5. Et ratio est eadem, quia excommunicatio major inducit hunc effectum, ut dictum est; quamdiu autem excommunicatio non tollitur, semper operatur suos effectus, per se loquendo, etiamsi persona coram Deo justificata sit, ut a simili patet ex dictis supra de effectu privationis suffragiorum in simili casu; est enim eadem ratio, et Doctores ibi citati hoc etiam affirmant.

DISPUTATIO XI.

DE TERTIO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS, QUI EST PRIVATIO ACTIVÆ ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM, ET SACRIFICII MISSÆ.

Circa hunc effectum supponendum in primis est jus antiquum, quo omnes ligati excommunicatione majori privabantur, et celebratione Missæ, et administratione activa sacramentorum, c. Si celebrat, de Cleric. excom. ministr., et aliis. Quod jus nunc manet integrum quoad excommunicatos vitandos, juxta superius dicta circa Extravag. *Ad evitanda*, et ideo in illis prius explicabitur, et postea quomodo locum habeat in excommunicatis non vitandis.

SECTIO I.

Utrum excommunicatus vitandus mortaliter peccet ministrando sacramentum, vel sacrificium offerendo.

1. *Regula generalis c. Si celebrat, de Cleric. excom. minist.* — Regula generalis est hoc esse peccatum mortale ex genere suo, c. Si celebrat, de Cleric. excom. minist., et in c. Latores, eod. tit. et patet a fortiori ex dictis præcedent. disput., sect. 4, nam ita prohibitum est huic excommunicato dare, sicut recipere sacramentum, et tam gravis materia est actio ministrandi, sicut receptio.

2. *Ob invincibilem ignorantiam excusatur excommunicatus celebrans a culpa.* — *Sensus quæstionis.* — Difficultas vero est, an possit interdum excommunicatus administrans sacramentum, vel celebrans, ab hac culpa excusari. In qua re non est dubium de excusatione proveniente ab ignorantia invincibili, vel naturali oblivione, seu inadvertentia, nam generalis est, intervenireque potest in omnibus actionibus humanis, ut in specie docetur in c. Apostolicæ, de Cleric. excom. ministr. Ex quo textu colligi potest talem excusationem habere locum, etiam in exteriori foro, si sufficienter in illo constare possit, talem ignorantiam inculpabilem fuisse; quomodo autem in foro interiori id examinandum sit, ex dictis supra de censuris in communi sumendum est. Quæstio ergo proposita procedit extra casum ignorantiæ, qui solum esse potest gravis necessitatis; nam ad hæc duo capita revocatur omnis excusatio in hac materia, ut supra dictum est.

3. *An necessitas ex parte ministrantis possit esse sufficiens causa ad licite sacramentum ministrandum.* — *De excusatione ob metum cadentem in constantem virum.* — *De excusatione proveniente ex imminente articulo mortis.* — Talis autem necessitas considerari potest, vel ex parte ministri excommunicati, vel ex parte ejus, cui ministratur sacramentum, vel ex parte alicujus tertiæ personæ, aut reipublicæ, seu boni communis. Rursus necessitas in ipso excommunicato esse potest, aut extrinsecus illata per vim, et metum cadentem in constantem virum, ad extorquendum ab ipso sacramenti administrationem, vel Missæ celebrationem. Et de hoc puncto nihil amplius dicam præter ea, quæ de censuris in communi dixi, nam tota illa resolutio præcipue in hac censura locum habet; potest ergo illa esse sufficiens excusatio, si revera metus gravis sit, et de malo gravi, et alioqui non sequatur scandalum, vel injuria religionis, ut ibi declaravi, et sacramentum possit alias valide ministrari, ut infra dicam. Præterea potest esse necessitas imminentis articuli, vel probabilis periculi mortis ipsiusmet sacerdotis; et tunc solum potest esse quæstio de sumptione Eucharistiæ, quia non potest eadem persona sibi ipsi aliud sacramentum ministrare; Eucharistiam autem potest, vel celebrando, vel ex præconsecratis, maxime in necessitate, et ubi non habet alium, a quo recipiat. In eo ergo necessitatis articulo non dubito, quin licite possit excommunicatus celebrare, aut sacramentum Eucharistiæ sumere (quanquam nonnulli dubitent, propterea quod sacramentum Eucharistiæ non est simpliciter necessarium ad salutem), quia satis est quod sit valde utile, et ex præcepto divino necessarium, et, si forte talis sacerdos contritus non sit, sed tantum attritus, possit esse unica, et efficax causa salutis ejus, quod a fortiori constabit ex dicendis de necessitate tertiæ personæ.

4. *De excusatione proveniente ex infamia, et similibus incommodis.* — Tandem accidere potest necessitas eidem sacerdoti excommunicato celebrandi aut ministrandi alteri sacramentum, ne sese infamet, aut occultum delictum suum publicum faciat, et consequenter ne scandalum generet, vel odium aut inimicitiam erga se in aliis efficiat, vel aliud simile incommodum incurrat. Sed resolutio hujus dubitationis petenda est ex disput. 7 de Censuris in communi, sect. 2; ibi enim declaravimus, quo modo propter vitandum hoc damnum impediri possit effectus censuræ; et

in particulari doctrinam extendimus ad hunc effectum, de quo nunc loquimur. Itaque quotiescumque receptio sacramenti licita est excommunicato propter vitanda similia incommoda, licita est etiam administratio, cæteris paribus, scilicet, si non possit absolutionem excommunicationis potius obtinere, et quod sancte, et cum debita reverentia, et contritione administret; nam positis his circumstantiis, eadem ratio hic habet locum, scilicet, quod actio sic facta non est intrinsece mala, sed jure humano prohibita, quod jus non obligat cum tanto rigore, aut dispendio, seu periculo. Solum oportet advertere hujusmodi casum posse accidere in excommunicatis non vitandis, juxta Extravagant. *Ad evitanda,* quia illi possunt esse occultissimi. At vero in reliquis, qui vitandi sunt, raro accidet moraliter, nam, cum sint nominatim ac publice excommunicati, vel manifesti percussores clericorum, vix potest eis creari infamia ex eo quod a sacramentorum receptione abstineant, neque inde provenire scandalum, sed potius ex opposito; nihilominus tamen excogitari possunt casus, in quibus delictum, quod in uno loco est publicum jure vel facto, in alio sit occultum, et similiter pro diversis temporibus potest idem contingere; aliquando etiam potest multum interesse, ut delictum, licet aliis sit publicum, alicui gravissimæ personæ occultetur, ita ut infamia circa talem personam prudenter reputetur grave damnum. Itaque non est casus impossibilis, quamvis multis circumstantiis indigeat, quæ rarissime occurrunt.

Num necessitas ex parte recipientis sacramentum possit esse sufficiens causa, ut ab excommunicato vitando ministretur.

5. *In extrema necessitate proximi potest et debet sacramentum baptismi ab excommunicato ministrari.* — Dicendum jam est de hac necessitate, quando oritur ex parte alterius, cui sacramentum ministratur. In qua re omnes Doctores conveniunt, aliquam suscipientis necessitatem posse sufficere, ut excommunicatus possit, et debeat sacramentum aliquod administrare, quia charitas proximi potest non solum talem actum honestare, sed interdum etiam ad illum obligare. Unde, si illa necessitas spiritualis sit, et extrema, qualis est in parvulo non baptizato animam agente, omnes concedunt posse tale sacramentum a quolibet excommunicato ministrari, ut in tertio tomo attigi, disput. 71, sect. 5, et sumitur ex D. Thom., 3 p., quæst. 64, art. 6, ad 3, et in 4, d. 5, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 5, ubi Richard., Sotus, et alii omnes; et ex August., lib. 1 de Baptism., cap. 2, et lib. 6, cap. 5.

6. *Liceatne hoc in aliis sacramentis. — Prima opinio.* — An vero extra illum casum liceat, controversum est. Multi enim negant licitum esse alia sacramenta dare, ut pœnitentiam, v. gr., aut Eucharistiam, homini existenti in articulo mortis, et non habenti alium ministrum præter excommunicatum. Ita docet de sacramento Eucharistiæ, Adrianus, quæst. 3 de Baptism. Et de sacramento pœnitentiæ Paludan., in 4, dist. 17, q. 3; Marsil., 4, quæst. 12, art. 4, membr. 3; et Navarr., de Pœnit., dist. 6, cap. 1, in princ., num. 8, et in Manuali, cap. 26, num. 26; Turrec., in cap. Verbum Dei, de Pœnit., dist. 1; Gloss., in cap. Præter, dist. 32, verb. *Per manus,* et alii quos refert et sequitur Ugol., dict. cap. 13, § 16; num. 9, commemorat etiam Covarr., cap. Alma mater, part. 1, § 6, et sequi videtur concl. 8, et D. Thom. tribuit; tenet item Medina, tract. 2 de Confess., quæst. de Confess. exc. fact. ignoranter. Quæ sententia fundari potest vel in speciali ratione sacramenti pœnitentiæ, scilicet, quod requirit jurisdictionem, quam non habet excommunicatus, vel in ratione generali, et communi aliis sacramentis, scilicet, quia alia sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut baptismus. Et hoc fundamentum insinuat D. Thomas sæpe, 3 part., quæst. 64, art. 6, ad 3, et quæst. 28, art. 7, ad 2, ubi particulariter de hæreticis ait, in nullo casu licite posse Eucharistiam consecrare vel alia sacramenta conficere. Item in 4, dist. 17, quæst. 3, quæstiunc. 1, ad 2, et dist. 19, quæst. 1, art. 2, quæst. 2, ad 3; idem sentit Abul., Matth. 16, quæst. 86.

7. *Vera sententia affirmans. — Probatur in sacramento pœnitentiæ.* — Nihilominus dicendum est, aliquando ob necessitatem alterius licere excommunicato aliquod aliud sacramentum ei conferre. Hæc conclusio melius probabitur in particulari attingendo aliquid de singulis sacramentis. Incipiendo ergo a pœnitentia, in illa certior est conclusio, quam tenet Sylvest., verb. *Confessor,* 1, § ult.; Angel., verb. *Confessio,* 3, n. 2; Durand., dist. 9, quæst. 2; et ibi Major., quæst 1. et Paludan., in 4, dist. 25, quæst. 1; Soto, dist. 18, q. 4, art. 4; Cano, relect. de Pœn., part. 5; Navar.,

in Summ., cap. 22, num. 4, et cap. 27, num. 272; Ledesm., 2 part. 4, quæst. 21, art. 6, et quæst. 21, art. 1; Ruard., art. 3 contra Luther.; Ugol., tab. 1 de Censur., cap. 14, § 16, num. 12, qui auctores alios referunt. Ratio vero est, quia in articulo mortis nec deest jurisdictio ad absolvendum, licet sacerdos excommunicatus sit; nec deest sufficiens necessitas, quæ tunc ab Ecclesiastica obligatione excuset; ergo licitum est sacerdoti excommunicato in eo articulo tale sacramentum ministrare.

8. Prior pars antecedentis est communis Theologorum in 4, dist. 20, ubi D. Thom., quæst. 1, art. 1, quæst. 2; et Palud., quæst. 1, art. 2; et Durand., dist. 19, quæst. 2; et quidam existimant hoc esse jus divinum, de quo supra dictum est disputando de ministro confessionis. Quidquid vero sit de illa disputatione, quod saltem ex Ecclesiæ concessione, et suavi providentia ita de facto sit, fueritque semper, docet Concil. Trident., sess. 14, cap. 7, dicens : *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Ubi notanda sunt tria illa signa distributiva, quæ non sine magna consideratione a Concilio simul, et sine ulla limitatione, et consequenter cum æquali latitudine adjecta sunt; igitur, sicut verbum illud, *quoslibet pœnitentes,* comprehendit quoslibet excommunicatos ob quævis gravissima crimina, et illud, *a quibusvis peccatis,* complectitur etiam omnia peccata, licet habeant annexam quamvis censuram, ut subsequens verbum, *et censuris,* satis declaravit, ita destributio illa, *omnes sacerdotes*, nullum excludit, quantumvis excommunicatum et præcisum. Et hinc sumitur ratio hujus partis, quia Ecclesia non abstulit jurisdictionem pro illo articulo, sed concessit potius, saltem verbis generalibus sine ulla exceptione; ergo sine fundamento, aut expressa determinatione ejusdem Ecclesiæ limitanda non est; nam favores ampliandi sunt, præsertim in re adeo necessaria, et pia; quanquam hæc revera non est ampliatio, sed propria et adæquata verborum intelligentia. Accedit, quod jura, quæ reservant casus, aut tollunt jurisdictionem, semper excipiunt mortis articulum, ut supra in proprio loco ostensum est. Dices : jura, quæ prohibent excommunicatum ministrare sacramenta, non addunt hanc exceptionem. Respondetur, exceptiones non semper esse addendas in singulis legibus; et deinde hanc exceptionem esse in favorem ejus, cui ministratur sacramentum, et ideo potius in aliis juribus id explicatur, quam in ipsa prohibitione, seu excommunicatione ministri. Imo inde conficitur ratio, quia si ex parte pœnitentium semper excipitur articulus mortis, etiam ex parte ministri intelligitur exceptus, quia in hoc non illius favori, sed pœnitentis necessitati succurritur, quæ ex utroque capite potest æque oriri, et pœnitentem in extremo periculo constituere.

9. Altera pars de necessitate probatur, quia sacramentum pœnitentiæ est per se medium necessarium ad salutem, et jure divino præceptum; ergo, per se loquendo, præferendum est Ecclesiasticæ prohibitioni, cum aliunde nulla major ratio, aut urgentior necessitas intercedat. Deinde est etiam, moraliter loquendo, peccatori necessaria realis susceptio talis sacramenti, ne fortasse ob defectum contritionis perfectæ, quam habere difficile est, pereat; et propterea plura Pontificum, et Patrum decreta admonent, ne morientibus denegetur reconciliatio sacerdotis, ne periculo æternæ damnationis exponantur. Præterea, si hæc necessitas in sacramento confessionis non esset sufficiens, neque in sacramento baptismi satis esset respectu adulti, quia etiam ille posset salvari per solam contritionem, quando per illum non stat quominus baptismum suscipiat; consequens autem est falsum, et contra omnium sententiam : ergo. Denique hoc ex dicendis de Eucharistia evidentius constabit.

10. *Propter vitandam propriam mortem cur excommunicato hoc sacramentum ministrare non liceat.* — Dices: hujusmodi excommunicatus non potest alium absolvere a peccatis propter vitandam propriam mortem, si forte gravis ejus metus incutiatur; ergo neque propter necessitatem alterius poterit illum absolvere. Respondetur negando consequentiam, tum quia secundum ordinem charitatis præferenda est necessitas spiritualis proximi propriæ necessitati corporali; tum etiam quia absolutio sic data ab excommunicato propter metum propriæ mortis non est valida, quia ob illam necessitatem non datur jurisdictio ad absolvendum, sed privilegium, ut absolvi possit. Unde quoad rationem necessitatis etiam posset sufficere illa necessitas ex parte ministri, ut supra dicebamus; ta-

men ex alio capite, quia deficit aliqua conditio ad valorem sacramenti necessaria, vel quia persona exigens tali modo sacramentum est indigna illo, fieri potest, ut non liceat illud dare etiam propter metum mortis. Quæ rationes cessant, quando est articulus necessitatis ex parte suscipientis; nam supponitur persona disposita, et indigens, et alioqui ostensum est omnes conditiones ad valorem sacramenti necessarias concurrere.

11. *Ut sufficiens sit necessitas, requiritur ut alius minister non excommunicatus non adsit, aut non velit sacramentum conferre. — Quid si excommunicatus, habilior minister sit non excommunicato.* — Ut autem talis articulus vere ac propriæ necessitatis sit, supponendum est nullum alium adesse sacerdotem non excommunicatum; nam tunc ministerium excommunicati non est necessarium, vel (quod idem est) pœnitens non est in necessitate suscipiendi sacramentum ab excommunicato, cum habeat alium, a quo possit recipere, de quo supponimus et posse, et velle ministrare; nam si nollet, perinde se haberet, ac si non adesset, quia tunc par esset necessitas ministerii alterius. Et confirmatur a simili, nam cæteris paribus, non est suscipiendum sacramentum a malo ministro, quando a bono suscipi potest, ut de baptismo pro necessitatis articulo significatur in cap. Ad hoc, dist. 32, et cap. Si quem forte, 24, quæst. 1. Et similiter, si baptismus potest suscipi a sacerdote, non est suscipiendus a laico, et semper inter ministros servandus est ordo, ut habilior præferatur, ut late tractavi 3 tom., disp. 31, sect. 4. Sed quid, si sacerdos excommunicatus in aliis conditionibus ad hoc munus necessariis sit longe habilior non excommunicato, ut si sit doctior, prudentior, etc.? an possit tunc præferri? Videtur enim tunc illa sufficiens causa, maxime cum in articulo mortis quærendus sit confessor optimus, quoad fieri possit. Respondeo: si sacerdos non excommunicatus, habeat ea, quæ sufficiunt ad digne ministrandum hoc sacramentum, et subveniendum conscientiæ pœnitentis, non est licitum excommunicato se ingerere, nec pœnitenti ab illo petere sacramentum, quia illa revera non est necessitas, sed major quædam commoditas, propter quam non conceditur excommunicato jurisdictio. Maxime cum in iis quæ ad consilium pertinent, et a scientia, seu industria personæ pendent, possit in eo articulo consuli sacerdos excommunicatus extra sacramentum; illa enim communicatio cum excommunicato non erit in illo articulo prohibita, cum sit moraliter necessaria, et ad salutem animæ pertinens. Major autem communicatio in sacris per sacramenti administrationem necessaria tunc non est, et ideo nec pœnitenti conceditur, nec ministro excommunicato datur jurisdictio.

12. *Quid si adsint et parochus excommunicatus, et simplex sacerdos non excommunicatus. — Ugolini opinio improbatur. — Resolutio.* — Ex quo etiam intelligi potest quid dicendum sit, si contingat adesse parochum excommunicatum, et alium sacerdotem simplicem non excommunicatum, an possit tunc excommunicatus absolvere. Quidam enim significant, et posse, et præferendum esse, quia ratione necessitatis omnes facti sunt habiles; supposita autem habilitate, parochus præferendus est in administratione sacramentorum; et ita sensit de baptismo Ugolinus, tab. 1, cap. 13, § 17, num. 10 pœnitentiæ. Errat autem, ut opinor, in fundamento, quia necessitas, quæ reddit personam habilem, non est solum periculum mortis pœnitentis per se consideratum; alioqui, quamvis esset copia sacerdotum, ordinariam vel delegatam habentium jurisdictionem, omnes alii haberent jurisdictionem ad absolvendum, eo ipso quod aliquis in articulo mortis constitutus est, quod non ita est. Igitur necessitas non oritur ex sola morte, sed ex morte cum penuria alterius ministri. In prædicto ergo casu parochus excommunicatus non redditur habilis ad absolvendum propter mortis periculum pœnitentis, cum non desit alius, a quo absolvi possit. Tunc enim parochus ita se habet, ac si non esset parochus, quia habet jurisdictionem suspensam per censuram, et prohibitus est administrare sacramenta; ergo in illo casu probabilius est hujusmodi parochum non posse absolvere. Et confirmari potest a simili, nam in necessitate baptismi potius est suscipiendus baptismus a laico non excommunicato, quam a sacerdote excommunicato; ergo similiter in proposito; est enim proportionalis ratio. Antecedens vero, licet non sit certum, sed inter Doctores controversum, mihi tamen probabilius videtur cum Sylvestro, verb. *Baptismus,* 3, num. 1; et Navarro, in Sum., cap. 22, num. 7. Et ratio est, quia sacerdos excommunicatus suspensus est munere etiam baptizandi. Et ideo non licet illi usurpare hoc ministerium, nisi quando ex inopia alterius

conferendis proximus est in necessitate; in illo autem articulo non est talis inopia, cum possit illud sacramentum a laico conferri.

13. *Objectio. — Vide Scotum in 4, dist. 5, quæst. 2; Victoriam, in Sum. 4, materia de Baptism., quæst.* 26. — Dices : sacerdos ex vi excommunicationis solum est separatus, ne ut minister ex officio baptizet; in illo autem necessitatis articulo non baptizat hoc modo; nec potest licite, quia non est necessarium ad salutem proximi, et solum quod necessarium est, illi conceditur, cum solum ad subveniendum necessitati hoc permittatur; ergo ex vi censuræ non est prohibitus hoc modo ministrare. Aliunde vero concurrente sacerdote et laico in eodem genere ministerii sacramentalis, semper est præferendus sacerdos; ergo in illo articulo licet sacerdos sit excommunicatus, præferendus est laico, et consequenter in nostro casu sacerdos parochus præferendus est non parocho. Respondetur, oppositum posse hoc argumento concludi, quia per excommunicationem arceutur omnes fideles ab activa administratione sacramentorum, quacumque ratione possit eis competere, quia simpliciter privantur usu activo, et passivo sacramentorum, argum. cap. ult. de Cler. excom. ministrante, et cap. penult., de Sent. excomm. Quo fit, ut graviter peccet excommunicatus laicus privatim baptizando parvulum agentem animam, quando adest alius non excommunicatus, qui possit et velit baptismum ministrare. Et eadem ratione existimo graviter peccare excommunicatos contrahentes sacramentum matrimonii, non solum quia recipiunt, sed etiam quia ipsi sunt proprii ministri illius sacramenti quoad substantiam ejus. Igitur sacerdos ex vi excommunicationis separatus est etiam a privata collatione baptismi, per se loquendo. Ac propterea non potest licite usurpare illud ministerium, nisi quando necessarium est; non est autem necessarium quandocumque alius adest. Quod vero sacerdos debeat præferri laico, verum est quando sacerdos alioqui non est impeditus, vel ipse potest licite tale ministerium usurpare, quod videre licet in pravo sacerdote non excommunicato; ille enim præferri debet laico justo, quia absolute non est prohibitus ministrare, vel quia potest sese disponere per contritionem, vel quia fortasse ad illum modum ministrandi non est tam necessaria illa dispositio, ut sentit D. Thom., 3 part., quæst. 64, art. 6, ad 3, et nos latius tom. 3, disp. 16, sect. 4. Secus vero est, quando ligatus est excommunicatione, quia tunc ipse non potest sese ingerere licite, non interveniente necessitate, et penuria alterius ministri sufficientis; et ideo tunc nec præferri debet nec potest.

Liceatne in extrema necessitate pœnitentiam ab hæretico recipere.

14. *Quorumdam sententia. — Solutio.* — Solet autem ab aliquibus assertio posita limitari, nisi excommunicatus hæreticus sit; tunc enim aiunt non licere in extrema necessitate ab eo recipere pœnitentiæ sacramentum; et a fortiori ei non esse licitum illud ministrare. Ita tenuit Glossa, in c. Præter hoc, § Ad hoc, verb. *Per manus*, dist. 32; et Abbas, in cap. Non est, de Sponsalib., num. 9. Quam sententiam esse communiter probatam a Jurisperitis, et veram quoad hunc articulum dixit Navarr., in Manuali, cap. 26, num. 26; Castr., lib. 2 de Just. hæretic. punit., cap. 23 et 24; Soto, et Cano supra, quoad hoc dubii sunt, et Soto videtur sentire, deesse tunc jurisdictionem, quia ejus fundamentum est fides. Nihilominus dicendum est, quantum attinet ad vim censuræ, limitationem non esse necessariam; nam ex vi excommunicationis, quamvis ob peccatum hæresis contracta sit, non prohibetur quis ministrare hoc sacramentum pœnitentiæ in illo articulo, ut manifeste convincunt verba Concilii Tridentini, quæ supra adduximus. At vero, quamvis ipse excommunicatus hæreticus ex vi censuræ non arceatur, ex vi tamen hæresis, quamdiu in illa permanet, prohibitus est ne ministret, quia est prave dispositus et indignus ad ministrandum. Et in hoc sensu intelligo dictum S. Thom., 3 part., quæst. 82, art. 7, ad 2, ait enim, *solum baptismum licite dari ab hæreticis in articulo necessitatis; non vero aliud sacramentum.* Est enim id verum de hæretico permanente in hæresi; et posset idem dici de quolibet excommunicato vel peccatore persistente in sua contumacia et peccato; nihilominus tamen, si is qui fuit ob hæresim excommunicatus, aut declaratus, interius convertatur ad fidem, et ad pœnitentiam, et antequam possit per absolutionem a censura Ecclesiæ reconciliari occurrat illi necessitas absolvendi aliquem sacramentaliter ex prædicto articulo, non peccabit eum absolvendo, quia est coram Deo dispositus ad sacramentum ministrandum, et per Ecclesiam non prohibetur per censuram in illo articulo, ut

ostensum est; neque ostendi potest aliqua alia prohibitio humana aut divina, per se loquendo; secludimus enim scandalum, et alia, quæ sunt per accidens; ergo tale ministerium licitum illi est in eo articulo.

15. *Constitutus in extrema necessitate licite petit absolutionem ab hæretico ministro.* — Ex quo fit, ut pœnitens constitutus in ea necessitate licite petat absolutionem a tali ministro hæretico, quia non tenetur illum vitare tunc, ut ostensum est; et alioqui petit ab illo actum, quem ille præstare potest, et valide, quia retinet jurisdictionem, et licite, si velit, quia potest ad fidem et pœnitentiam converti. Et hæc est communis sententia, quam tenet Paludan. in 4, dist. 25, quæst. 1, licet dist. 17, quæst. 3, videatur dubius. Durandus, dist. 19, quæst. 2; Major, quæst. 1; Capreolus, ad argum. contra 3 conclus.; Sylvest., verb. *Confessio,* 3, quæst. 2, *Confessor,* 1, quæst. 20, et *Confessor,* 3, quæst. 9; Armilla, verb. *Absolutio,* § 12; Victoria, in Summa 4, num. 328; Cano, Relect. de pœnit., part. 5; Ruardus, art. 3 contra Lutherum.; Navarr., c. 27, num. 272. Nec hæreticus propter hæresim, ut sic, amittit jurisdictionem; non enim fundatur in fide, alias propter hæresim mentalem amitteretur, quod est absurdum, de quo latius in materia de fide; neque propter excommunicationem, quia non habet in illo specialem effectum, neque jura de hoc aliquid speciale disponunt, ut patet ex Tridentino, supra, et ex omnibus decretis, in quibus fit illa exceptio de articulo mortis. Neque etiam obstabit, quod pœnitens timeat, vel moraliter certo sciat talem hæreticum non fore convertendum, nec digne administraturum sacramentum; satis enim illi est, quod rite administret, et quod digne possit administrare, si velit; nam quod id facturus non sit, ei non imputatur, qui rem petit de se honestam, ad quam petendam a quolibet jus habet ob articulum necessitatis; ideoque non inducit alterum ad malum, sed ejus malitiam permittit, eaque in bonum suum juste utitur. Neque oportet considerare, an ille hæreticus paratus sit ad sacramentum ministrandum, necne, prout distinxit Angel., *Confessio,* 1, n. 2, quia extrema necessitas dat jus petendi etiam a non parato id, quod per se licite facere potest. Imo non solum dat jus, sed etiam obligat, per se loquendo, propter articulum necessitatis divini præcepti, et æternæ salutis propriæ.

16. *Limitatur resolutio data.* — *Ambrosii locus exponitur.* — Solum caveri debet, ne consortium illud, vel communicatio cum hæretico, scandalum ipsi indigenti, vel aliis esse possit inductionis ad errorem; tunc enim non liceret ab illo suscipere sacramentum; illa tamen occasio extrinseca est et per accidens. Quæ omnia confirmantur a simili de baptismo; est enim certum, in necessitate licitum esse baptismum ab hæretico suscipere, quando non est alius, qui ministret, ut docet Augustin., lib. 1 de Baptism., cap. 2, et habetur in cap. Si quem forte, 24, quæst. 1; et ex Urbano II in epist. quadam idem refert Gratianus post cap. Præter, § Ad hoc, d. 32; quod intelligendum est per se, et secluso periculo inductionis in errorem; ergo idem merito dicitur de sacramento pœnitentiæ. Patet consequentia ex dictis, quia est æqualis necessitas, proportione servata seu respectu adultorum, ut supra declaratum est. Tandem declaratur, quia, si hæreticus non sit declaratus per sententiam, non tenemur illum vitare ratione censuræ, juxta Extravagant. *Ad evitanda,* neque ipse amittit jurisdictionem ratione solius hæresis, quia jurisdictio non fundatur in fide, neque illam ex necessitate prærequirit; ergo, per se loquendo, licitum ab illo absolutionem obtinere, sicut inferius dicemus de aliis excommunicatis non vitandis; ergo idem nunc est de hæretico etiam declarato; nam quoad crimen hæresis, vel periculum etiam inductionis, æqualis est; declaratio vero censuræ non obstat, quia in necessitatis articulo pia mater Ecclesia jurisdictionem non aufert, ut Concilium Tridentinum dixit, non introducens jus novum, ut Navarr. putavit in Summa, cap. 27, num. 272, sed declarans antiquum, ut verba ejus, quæ supra expendimus, manifeste declarant. Sicque potest intelligi quod Ambrosius ait, lib. 1 de Pœnit., cap. 2 et 3, et refertur in c. Verbum, et cap. Potest fieri, de Pœnit., d. 1, hæreticos non habere potestatem ligandi et solvendi; loquitur enim per se et extra articulum necessitatis. Posset etiam intelligi de hæretico, quatenus hæreticus est, nam extra Ecclesiam nulla est jurisdictio, et ideo hæreticus, qui extra Ecclesiam est, illam habere non potest, nisi quatenus a vera Ecclesia ei aliquando permittitur propter bonum fidelium.

In extrema necessitate licere excommunicato Eucharistiam ministrare, et indigenti recipere.

17. Addo vero ulterius, id quod difficilius

est, etiam posse hujusmodi excommunicatum ministrare sacramentum Eucharistiæ homini existenti in extrema necessitate, quando non est alius, qui ministret; hoc significat Navar., in Summ., cap. 22, num. 4. Sic enim ait : *Peccat qui suscipit aliquod sacramentum a sacerdote excommunicato interdicto, et ab ejus administratione suspenso, et denunciato pro tali, vel a notorio concubinario, excepto baptismo et communione tempore necessitatis;* quæ exceptio videtur cadere in totam assertionem præcedentem et singula ejus membra. Ratio autem est, quia etiam hoc sacramentum est suo modo sacramentum necessitatis juxta illud : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* etc. Propter quæ multi putant etiam hoc sacramentum esse necessarium necessitate medii, et ut minimum est certum esse necessarium necessitate præcepti divini juris, de quo probabilius est obligare semper pro articulo mortis; ergo urget tunc necessitas implendi divinum jus, quod, per se loquendo ac cæteris paribus, præferendum est humano. Dici vero potest hoc jus obligare eum, qui communicaturus est, ad recipiendum, non ministrum ad dandum; et ideo ipsum ministrum non excusari a præcepto Ecclesiastico, quo prohibitus est ministrare.

18. Propter hoc addo hanc necessitatem a nobis considerari, non ut per se sufficientem, sed ut adjuvantem; est enim etiam alia, nimirum, spiritualis indigentia hominis in eo articulo constituti; nam licet respectu hujus sacramenti illa necessitas non sit extrema, est tamen gravissima, tum propter fructum et juvamen illius sacramenti valde necessarium pro illo articulo; tum etiam quia interdum accidere potest, ut quis recipiat per illud sacramentum primam gratiam, quam antea non habebat; ergo non est verisimile Ecclesiæ prohibitionem cum tanto rigore obligare. Et confirmatur; nam, si proximus non solum extreme, sed etiam graviter indigeat corporali cibo, licitum est ab excommunicato illum accipere, et excommunicato licet illum dare. Et similiter, si indiget consilio, vel alio quocumque beneficio; ergo idem erit si indiget adeo graviter et extreme Eucharistiæ pane. Atque hanc sententiam tenui etiam in 3 tom.

19. *Opinio eorum qui contrarium tenent.* — Sed objicitur cap. ultim., 24, quæst. 1, quod continet factum Hermenigildi, qui mori potius voluit quam ab Ariano Episcopo Eucharistiam sumere. Additque Gregor. : *Sed vir Deo deditus, Ariano Episcopo venienti exprobravit, ut debuit.* Si ergo increpare debuit, male egisset de illius manu communicando. Deinde additur cap. Subdiaconus, § Sed illud Augustini, cum Gloss. ibi, 24, quæst. 1. Denique adducitur ratio, quia Ecclesia simpliciter prohibet excommunicatum ministrare sacramenta, et non excipit hunc casum; ergo neque nos excipere debemus, quia sacramenta, quæ Ecclesia excipi voluit, scilicet, baptismum et pœnitentiam, ipsa expressit.

20. *Prædicta opinio impugnatur, respondeturque ad factum Hermenigildi.* — Ad primum caput respondetur primo, non laudari Hermenigildum, eo quod cum excommunicato communicare noluerit, sed quia hæretico noluerit consentire, quod longe diversum est, quanquam in eadem persona hæresis et excommunicatio conjungantur. Unde, licet daremus ab hæretico nunquam licere Eucharistiam accipere, inde non liceret inferre in universum idem esse de excommunicato, sicut de sacramento pœnitentiæ multos sentire paulo antea dicebamus. Addo vero ulterius neque de hæretico posse id generatim colligi ex illo textu, quia Hermenigildus recusavit sumere Eucharistiam ab hæretico, non solum ne ex manu pessimi ministri sacramentum acciperet, verum etiam ne patri in Ariana hæresi consentire videretur; nam in signum hujus consensionis et reconciliationis illa communio ad illum mittebatur, ut patet ex illis verbis : *Perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut de ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur.* Erat autem extra gratiam patris solum quia cum illo non consentiebat in hæresi; ergo petebatur ille actus, ut signum consensionis in errorem paternum. Unde subdit Gregorius : *Sed vir Deo deditus, Ariano Episcopo exprobravit, ut debuit; ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit.* Conabatur ergo illum in suam perfidiam traducere. Addo præterea ibi non fuisse oblatam Hermenigildo Eucharistiam ab hæretico tanquam viaticum seu ut necessariam in articulo mortis, quia tunc non supponebatur Hermenigildus in illo articulo constitutus. Solum ergo fuit illi oblata Eucharistia, ut in Paschate communicaret; nos autem nunc non dicimus propter solam necessitatem communicandi in Paschate et implendi Ecclesiasticum præceptum, posse sumi Eucharistiam ab excommunicato, sed ob necessitatem articuli mortis. Igitur ex vi illius exempli nihil probatur. Regulariter autem

loquendo, verum est, in ministro hæretico majus esse periculum scandali et indecentiæ, et ideo magis esse cavendam communicationem cum illo, quam cum aliis excommunicatis, quod procedit, etiamsi talis hæreticus non sit denunciatus aut declaratus; nihilominus tamen hoc non est per se malum, si illa incommoda, quæ extrinseca sunt, vitentur.

21. *Secundo argumento ex Gratiano respondetur.* — Ad secundum testimonium, præterquam quod illa verba sunt tantum Gratiani, sunt ita generalia, ut etiam sacramentum pœnitentiæ comprehendant; et ideo aliquo modo exponi debent, quo pœnitentia excipiatur, et eodem poterit Eucharistia excipi. Intelligenda ergo sunt, quando sine sufficiente necessitate et ratione talia sacramenta ab excommunicato recipiuntur. Dices : ergo nulla est differentia inter hæc sacramenta et baptismum, cum tamen hæc ibi declaratur a Gratiano, ut ab Augustino tradita. Respondetur : ex parte ministrantis est differentia paulo antea constituta, explicando quemdam locum D. Thom., quod baptismus potest interdum ministrari privatim ab hæretico manente in hæresi, sine novo peccato, non vero alia sacramenta. Ex parte vero recipientis potest constitui hæc differentia, quod ad baptismum recipiendum ab infideli, vel hæretico, non oportet expectare extremam necessitatem, aut articulum mortis, sed propter solam penuriam dignioris ministri posset suscipi, præsertim si non esset proxima spes illius; in aliis autem sacramentis, præsertim non ita necessariis, non est extendenda hæc facultas extra necessitatem articuli vel periculi mortis; nam in præsenti inter hæc duo non distinguimus, juxta superius dicta in materia de Pœnitentia, et notat Navarrus, in Manuali, c. 27, num. 272, ex cap. Eos qui, de Sent. excom., in 6.

22. *Rationi dictæ sententiæ fit satis.* — Ad rationem respondetur primo, illam prohibitionem generalem ministrandi sacramenta non aliter contineri in excommunicatione, quam prohibitionem ministrandi in aliis rebus sacris vel prophanis, et tamen non obstante ea generalitate, ponuntur a Doctoribus illæ exceptiones generales contentæ in illo versiculo: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse,* et prima ac ultima ad nos pertinent; quanta vero debeat esse illa necessitas, prudentum et Doctorum arbitrio relictum est. Unde, si res attente consideretur, etiam exceptio de baptismo non est facta proprio jure, quo censura introducta est, sed ab Augustino primum facta est, de hæretico, non tam censuram, quam hæresim ejus considerando; inde vero a Doctoribus extensa et intellecta est de quolibet excommunicato. Exceptio etiam de pœnitentia in nullo jure proprie reperitur; nam Concilium Tridentin., ex quo fortius probatur, non condidit circa hoc novum jus, ut supra dicebam, sed explicavit antiquum, quod magis erat usu receptum, quam in ullo canone expressum. Neque Concilium constituit hanc exceptionem ex parte ipsius ministri, sed ex parte ipsius pœnitentis, qui in necessitate potest a quolibet absolvi. Est autem in jure constituta hæc regula, cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., in illo verbo : *Per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum pœnitentibus denegetur;* ubi Glossa, verbo *Concedimus,* advertit hæc tria sacramenta semper excipi in quolibet interdicto, scilicet, baptisma parvulorum, et pœnitentiam morientium, *in quo viaticum intelligitur, prout hic patet;* ergo idem dicendum est de qualibet censura, et de verbis Concilii Tridentini. Ac propterea etiam in cap. penultimo, de Sentent. excomm., dicitur, tempore interdicti non negari corpus Domini decedentibus in pœnitentia. Est ergo hæc sententia valde consentanea juri, et rationi, et saluti animarum magis favorabilis.

23. *Liceatne excommunicato in aliquo casu ob proximi necessitatem illi sacramenta alia ministrare.* — De aliis autem sacramentis facilior est resolutio, quantum ad hoc caput spectat, nam, per se loquendo, illa sacramenta non sunt ita necessaria, et ideo vix aut nunquam potest accidere casus, in quo ob necessitatem suscipientis licitum sit excommunicato vitando illa ministrare. Nam in primis extrema unctio neque est per se medium necessarium, neque constat esse jure divino præceptam, semperque supponit pœnitentiam et absolutionem a peccatis; et ideo, per se loquendo, non conceditur interveniente censura in articulo mortis. Unde in dicto c. Quod in te, de Pœnit. et remiss., dicitur, tempore interdicti generalis non esse dandam extremam unctionem; ergo nec dari potest, per se loquendo, a ministro excommunicato. Solum potest accidere casus, in quo infirmus sit incapax alterius sacramenti, ut si nullum dedit confessionis signum et omni sensu ac motu privatus est, ideoqûe neque absolvi, nec com-

municari potest, tuncque dubitari potest, an sacerdos excommunicatus possit tale sacramentum ministrare. Et quamvis Doctores frequenter hoc non tractent, tamen ex generalibus principiis positis videtur concludendum, in eo casu id licere, quia moraliter loquendo, et secundum ea, quæ frequentius accidunt, fieri potest, ut æterna salus illius hominis pendeat ex receptione illius sacramenti, quia fortasse erat tantum attritus, et per illud sacramentum fiet ex attrito contritus; ergo jam tunc revocatur ille casus ad articulum absolutæ necessitatis moralis. Imo reduci potest ad necessitatem pœnitentiæ, ut saltem perfecte habeatur in voto, cum non possit in re ipsa suscipi. Et quoad hæc omnia eadem ratio est de sacramento confirmationis.

24. Ordo vero et matrimonium vix possunt in quæstionem venire. Quanquam de matrimonio excogitari possit casus, in quo moraliter necessarium sit, vel ad spiritualem salutem hominis morientis, vel ad magnum commodum temporale filiorum, ut in articulo mortis uxorem ducat, quam usque ad illum in concubinam habuerat, et quod nullus alius adsit sacerdos nisi excommunicatus, qui interesse possit; in quo casu, quantum est ex parte censuræ, non dubito, quin licite possit hujusmodi sacerdos adesse tali matrimonio, tum quia necessitas est moraliter gravissima, et ita habet locum illa particula *necesse;* tum etiam quia ille sacerdos tunc revera non ministrat sacramentum, sed solum adest ut testis qualificatus jure Ecclesiastico necessarius ad valorem talis contractus, et consequenter ad substantiam sacramenti. Et ideo per se non videtur illa communicatio adeo gravis, quin propter talem necessitatem liceat.

An propter necessitatem tertiæ personæ aut boni communis possit excommunicatus sacramentum ministrare.

25. Ultimo ex principiis positis facile expediri potest aliud membrum supra positum, an propter necessitatem aliorum seu tertiæ personæ possit interdum excommunicatus ministrare sacramentum. Quæ dubitatio vix habere potest locum nisi in sacramento Ordinis vel matrimonii, quia hæc duo tantum ordinantur ad bonum commune et aliorum. Et de matrimonio jam satis dictum est; de Ordine vero accidere posset in aliqua provincia esse magnam necessitatem sacerdotum seu clericorum, et non esse nisi unum Episcopum excommunicatum. Qui casus et similes sunt rarissimi, et ideo in specie a Doctoribus non tractatur, et principia posita sufficiunt, ut juxta necessitatem occurrentem possit quis prudenter judicare, an sit talis, ut ad excusandum sufficiat. Non enim dubito, quin hujusmodi esse possit, cum bonum commune præferendum sit privato.

SECTIO II.

Utrum sacramenta illicite ab excommunicato ministrata valida sint et effectum habeant.

1. *Regula generalis.* — In hac quæstione fere nulla est difficultas nisi in sacramento pœnitentiæ, ut in simili diximus superius, quando excommunicatio est ex parte suscipientis effectum. Sit ergo hæc generalis regula : omnia sacramenta, præter pœnitentiam, ab excommunicato collata, servato Ecclesiastico ritu, ita ut nullus alius intercedat defectus nisi censura ipsius ministri, rata sunt, et valida, et per se loquendo conferunt totum effectum proprium, nisi aliunde intercedat obex ex parte recipientium. Hæc assertio est certa juxta principia fidei, quæ de sacramentis in genere, in 3 tomo tradidimus, disp. 14, sect. 4. Ratio vero est, quia nec sacramentum, nec effectus ejus potest, vel propter iniquitatem ministri, vel propter Ecclesiæ prohibitionem impediri, si applicatur debita materia et forma, cum debita intentione circa subjectum capax; illis enim tribus sacramentum perficitur ex institutione Christi, ut Concilium Florentinum dixit. Præterea declaratur breviter discurrendo per singula.

2. Et quidem de baptismo, confirmatione et Eucharistia, id est certum ex iis quæ adduximus 3 tomo, disputat. 23, sect. 1, et disput. 36, sect. 3, ac disput. 61, sect. 3, et disput. 77, sect. 2. Ex quibus etiam constat, idem dicendum esse de Missæ sacrificio oblato ab excommunicato; est enim verum ac validum, quia eadem est ratio de illo et de sacramento, quod jurisdictionem non requirit, sed ex sola potestate ordinis pendet; nam ita etiam se habet sacrificium, quatenus a sacerdote in Christi persona offertur, et ideo et validum est et de se efficax, quia malitia ministri non impedit effectum, quem opus ipsum habet ex institutione Christi. An vero impediat censura ministri peculiarem effectum, quem potest habere sacrificium quoad substantiam ejus, vel quoad orationes et cæremo-

nias, quæ in illo fiunt, quatenus in persona Ecclesiæ offeruntur, paulo inferius dicam. Præterea de sacramento matrimonii id supra ostendimus ex cap. Significasti, de Eo qui duxit, etc., nam ex illo habemus matrimonium inter excommunicatos validum esse, cum tamen ipsi sint quasi proprii ministri illius sacramenti quoad substantiam ejus; sacerdos autem ex institutione Christi non erat necessarius. Nunc autem ex institutione Concilii Trident. requiritur, non vero ut minister, sed ut testis specialis, seu quædam circumstantia vel solemnitas ad valorem contractus necessaria. De tali ergo sacerdote dubitari posset, an, si excommunicatus sit, censura annullet actum ejus quoad vim ferendi testimonium, et consequenter reddat nullum tale sacramentum. Mihi vero pro certo est, non annullare, quia ille non est actus jurisdictionis proprius, de quo plura inferius. Deinde de sacramento Ordinis et extremæ unctionis eadem omnino ratio est, quæ de sacramento confirmationis, et illa quæ superius adduximus pro sacramento Ordinis ab excommunicato suscepto, magis directe id probant de collato ab excommunicato, et de utroque id magis constabit ex solutione sequentium difficultatum.

An sacramentum extremæ unctionis ab excommunicato collatum validum sit.

3. *Quorumdam opinio. — Improbatur. — Vera resolutio.* — Tres enim occurrunt circa tria sacramenta. Prima est circa sacramentum extremæ unctionis. De quo nullus Catholicus negat esse validum datum ab excommunicato, si a recipiente digne suscipiatur, quia non requirit jurisdictionem in ministro, sed solum quod sit sacerdos; ille autem potest omnia substantialia, et necessaria applicare, etiamsi excommunicatus sit. Quia vero, per se loquendo, graviter peccat is, qui ab excommunicato tale sacramentum suscipit, ideo dicunt aliqui hoc sacramentum nullum esse, quoties a ministro excommunicato suscipitur, sine sufficiente excusatione ex parte suscipientis, qui consequenter idem dicunt de excommunicato suscipiente tale sacramentum absque excusatione. Ita tenet Ugolin., tab. 1 de Cens., cap. 13, § 16, num. 13. Cujus fundamentum est, quia, ut hoc sacramentum valeat, necesse est, ut qui illud suscipit, contritus et in gratia sit, quam dicit esse communem doctrinam Theologorum in 4, dist. 23. Sed deceptus est non distinguens inter valorem sacramenti et effectum ejus; Theologi enim, quos citat, loquuntur de effectu, non de valore sacramenti, neque in D. Thoma, Soto, aut aliis Thomistis aliud reperietur. Scotus autem, quem citat, quamvis in definitione illius sacramenti ponat, quod sit, *unctio hominis infirmi pœnitentis*, etc., tamen explicans illam ultimam particulam ait, *Additur pœnitentis, quia nullus est capax istius sacramenti digne, nisi sit in gratia;* ubi illa particula, *Digne,* satis declarat illum loqui de sacramento quoad effectum gratiæ. Itaque illud fundamentum falsum est; obex enim peccati ex parte suscipientis positus nunquam est contra substantiam sacramenti, nisi ubi dispositio pœnitentis per contritionem est pars ipsius sacramenti; quod est verum in sacramento pœnitentiæ, non vero extremæ unctionis, ut supra suo loco latius declaravi. Est ergo validum hoc sacramentum datum, et receptum ab excommunicato, sive recipiens peccet, sive non. Solum est differentia, quia si recipiens non peccat mortaliter, et alioqui est dispositus, recipit cum sacramento effectum; si vero peccat, licet sacramentum validum sit, non habet tunc effectum. Probabile autem est, ablato postea obice, effectum recuperari, ut in superioribus etiam diximus.

Exponuntur decreta, quæ probare videntur sacramentum Ordinis ab excommunicato collatum, esse irritum.

4. Circa sacramentum Ordinis nonnulla Pontificum decreta difficultatem faciunt, quæ sæpe ita loquuntur, ut ordinationes ab excommunicatis, seu hæreticis factas, irritas vocent, aut dicant non esse consecrationes. Sic Gregor., lib. 3, epist. 10, agens de ordinatione ab excommunicato facta : *Consecrationem,* inquit, *dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis est hominibus celebrata.* Et habetur in cap. 1, 9, quæst. 1, et in cap. 3, citatur Damasus Papa dicens, reiterandum esse, quod sic collatum est; et alia similia in illa quæstione continentur, et Glossæ ibi alia referunt. Verumtamen certa res est, Episcopum excommunicatum verum conficere sacramentum, si alioqui substantialem formam Ecclesiæ servet, propter rationem superius factam. Unde etiam est certum, per talem ordinationem imprimi characterem, quia hic effectus impediri non potest, si sacramentum rite administretur. Ex quo etiam

fit, ut tale sacramentum iterari non possit. Quæ omnia constant ex generali doctrina de sacramentis, et ex decretis statim citandis. Duo igitur modi sunt interpretandi illas locutiones canonum, et juxta exigentiam loci alter illorum accommodandus erit: prior est, ut sit sermo de ordinatione, vel consecratione illegitime facta, non solum ob censuram, vel excommunicationem ministri, sed etiam quia non servavit substantialem formam, eo quod esset hæreticus aut ignarus. Alter modus est ut tales ordinationes dicantur irritæ quoad executionem, seu usum Ordinis, vel (quod idem est) quoad acceptationem Ecclesiæ, quæ non admittit sic ordinatos in gradum; et ordinem ministrorum.

5. *Ugolini expositio ad Gregorii locum rejicitur. — Vera expositio.* — Priori modo exponit Ugolinus, dict. § 16, num. 5, verba Gregorii superius citata. Fundatur autem præcipue in illa particula, *Illicite celebrata;* adverbium tamen illud, *Illicite,* in quo præcipuam vim constituit, non est apud Gregorium in originali, neque apud Gratianum dict. cap. 1, in quo verba Gregorii re[illegible], sed habentur in cap. 2, quod est Paleæ, et coincidit cum sententia Damasi citata. Et præterea quamvis Gregorius loqueretur de ordinatione illicite ab excommunicato facta, non oporteret intelligi de illicita ex parte formæ, id est, illegitime, seu irrite facta, quia nec verbum *Illicite,* in rigore hoc significat, neque oportet intelligere adverbium illud addi ad distinguendam illam ordinationem ab alia, quæ licite ab excommunicato fit, sed solum ad explicandum ordinationem hoc ipso quod ab excommunicato fit, illicite fieri. Quanquam etiam potuisset verbum illud addi ad excludendum omnem prætextum ignorantiæ, vel aliam similem excusationem. Item non oporteret addere, *ab excommunicatis,* nam ordinatio illicita illo sensu, a quocumque detur, erit nulla. Sine dubio ergo Gregorius loquitur de ordinationibus rite factis, ut evidenter constabit legenti ipsam epistolam, quia non loquitur de ordinationibus factis ab hæreticis, aut in aliquibus locis remotis, ubi fingi possit ignorantia, sed in medio Catholicæ Ecclesiæ contra jussionem suam sub anathemate. Quapropter necessario sunt exponenda illa verba posteriori modo. Unde quod ait, *Nullo modo consecrationem dicere possumus,* non ideo dicit, quia persona non maneat in re ipsa ordinata, et consecrata, sed quia sic ordinatus, ab Ecclesia non admittitur ad gradum, et executionem Ordinum, juxta cap. 4 et 5, 9, quæst. 1, et alia, quæ referuntur, 1, quæst. 7, quæ præcedente disputatione adduximus, agendo de excommunicato suscipiente Ordines. Ubi etiam expendimus (quod in hujusmodi decretis considerare necesse est) hujusmodi sic ordinatos, quamvis in principio non admittantur, postea peracta pœnitentia, et sufficienter vita emendata, admitti ad usum suorum Ordinum, sine nova ordinatione. Et ex VII Synodo, act. 1, et refertur in cap. Convenientibus, 1, quæst. 7, constat aliquando recipi ab Ecclesia ordinatos ab hæreticis in Ordine suo ob aliquas justas causas; ergo supponit illam esse veram ordinationem, suspensionem autem, vel irregularitatem ab Ecclesia imponi, aliquando vero remitti, vel non imponi, propter justam causam.

6. *Exponitur locus Damasi.* — Quocirca in hujusmodi decretis etiam est attente considerandum, non dicere, hujusmodi sic ordinatos non habere Ordines, sed non habere Ordinis, vel clericatus honorem, ut patet ex Innocentio Papa, epist. 22, et habetur cap. Ventum est, 1, quæst. 1, ubi ponderanda sunt illa verba, *Neque ex iis aliquem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare;* nam, quod ille exaggerare voluit per illam particulam, *Neque exiguum,* explicuit alio loco Gregorius per illa verba, *Nos consecrationem dicere nullo modo possumus.* Atque hoc satis declarat factum Urbani II, quod refertur in cap. Daibertum, 1, quæst. 7, ubi diaconum a ministro præciso ordinatum, et prius non admissum, in suo Ordine postea admittit, dicens: *Utilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem, ex integra Ecclesiæ necessitate ingruente diaconum constituimus;* non quidem iterum ordinando, ut Glossa ibi intellexisse videtur; loquebatur enim ad absentem, quem ordinare non poterat; sed dispensando in suspensione prius contracta. Itaque illa expositio posterior necessario admittenda est; imo, ubicumque non constat, vel ex verbis ipsis, vel ex antecedentibus et consequentibus, sermonem esse de ordinatione aliunde habente substantialem defectum, ita sunt exponenda decreta. Aliquando vero necessaria est prior expositio, ut constat ex verbis Damasi Papæ adductis ex cap. 3, 9, quæst. 1, quod sumptum est ex epist. 4 Damasi Papæ, ubi non agit de ordinatis ab excommunicatis, et ideo textus ille nihil ad causam præsentem facit; sed agit de Chorepi-

scopis, et dicit ordinatos ab eis esse iterum ordinandos, quia illi Chorepiscopi tantum erant presbyteri coadjutores Episcoporum, qui propterea non poterant propria Episcopalia munera, ea præsertim, quæ ex potestate ordinis Episcopalis pendent, exercere; quod late in tota illa epistola Damasus prosequitur.

7. *Qui fuerint Chorepiscopi.* — Objici vero potest c. 10, Concil. Antioch., ubi dicitur Chorepiscopos, ut Episcopos consecrari solitos per manus impositionem Episcoporum. Unde in can. 8, et Chorepiscopi distinguuntur a presbyteris, et simul vocantur vicarii Episcoporum. Propter quæ loca Baronius, in tom. 3 Annalium, circa annum 357, satis post medium, ait Chorepiscopos, licet essent vicarii Episcoporum, fuisse Episcopos consecratos, potuisseque conferre Ordines sacros; Bellarminus autem, 1 tomo, lib. 1 de Cleric., cap. 17, duos ordines Chorepiscoporum distinguit, qui omnes erant vicarii Episcoporum; sed quidam erant presbyteri tantum, alii vero consecrati Episcopi, sicut nunc sunt annulares Episcopi, qui sæpe assumuntur a propriis Episcopis, ut coadjutores. Et de iis posterioribus ait loqui Concilium Antiochenum. Unde ibidem dicitur tales Chorepiscopos potuisse ordinare clericos usque ad subdiaconum, non vero diaconum, vel presbyterum, *præter civitatis Episcopum*. Alia vero translatio habet, *præter conscientiam Episcopi civitatis*, quo significatur de ipsius licentia potuisse etiam hos Ordines dare, et consequenter illos fuisse veros Episcopos. De prioribus autem videtur loqui Concilium Neocæsariense, cap. 13, ubi dicitur Chorepiscopos fuisse introductos loco septuaginta discipulorum, et eorum munus exercuisse; certum est autem septuaginta discipulos locum habuisse simplicium presbyterorum, et de iis etiam intelligitur Damasus Papa.

8. Sed difficultas adhuc superest, quoniam Damasus adducens eumdem canonem Concilii Antiocheni videtur ex professo probare illos non fuisse veros Episcopos, *quia nec locus*, ait, *cum ordinatione concordat, nec ordinatio cum loco; quia ad villas tantum instituebantur pro quibus Episcopi fieri non debent.* Unde etiam ordinationes ab illis collatas significat fuisse nullas et iterandas. Sed si attente considerentur verba Damasi, potius dicit illos Chorepiscopos, de quibus Concilium Antiochenum, fuisse vere consecratos Episcopos; et ad hoc etiam ponderat, quod non ab Episcopo, sed ab Episcopis dicuntur consecrati; subdit vero postea, id merito mutatum esse, quia non decebat dignitatem Episcopalem, ut pro villis et oppidis Episcopi consecrarentur. Unde cum ait, ordinationes illas esse iterandas, quæ ab illis Chorepiscopis dabantur, intelligit de illis, qui suo tempore durabant, qui jam revera non consecrabantur in Episcopos, quantum ex illa epistola licet colligere.

Num benedictiones seu consecrationes ab Ecclesia introductæ, ab excommunicato factæ, ratæ sint.

9. *Communis sententia.* — Tertia difficultas est circa matrimonium, non quidem quoad substantiam ejus, jam enim diximus huic nihil obstare quod parochus excommunicatus sit, sed quoad solemnem benedictionem, quæ in templo dari solet conjugatis, quod etiam quæri posset de solemni ritu baptismi, si ab excommunicato fiat. Et in universum de omnibus his sacramentalibus, seu consecrationibus et benedictionibus ab Ecclesia introductis, an factæ ab excommunicato ratæ sint, esto ipse excommunicatus peccet ea munera exercendo. In qua re generalis et communis sententia est, hæc omnia, quæ jurisdictionem non requirunt, sed solum sacerdotalem, vel Episcopalem Ordinem, valida esse, si minister talem Ordinem habeat, et in reliquis debitum ritum servet, etiamsi excommunicatus sit; ita Sylvester, verb. *Consecratio*, 2, in 6, et Angelus, eodem verb. et num., et Tabiena, num. 8. Et ratio est, quia excommunicatio nihil aufert, quod sit de necessitate hujusmodi effectuum, vel actionum, etiamsi illas prohibeat; quia non sunt actiones, quæ a jurisdictione pendeant, neque ex bonitate operantis, aut honestate suæ actionis; hac enim ratione supra ostendimus valida esse sacramenta collata ab excommunicato, quando jurisdictionem non requirunt. Propter quod sententia hæc communis est, ut statim referam.

10. Occurrit vero dubium, ex differentia inter hæc sacramentalia, et sacramenta, quod sacramenta sunt ex institutione Christi ex qua habent definitum ritum, et certum ministrum, qui non potest ab Ecclesia mutari, vel ita impediri, ut sacramentum factum non teneat, si cætera necessaria concurrant; sacramentalia vero sunt ex institutione Ecclesiæ, quæ determinat ministrum, et posset si

vellet, apponere hanc conditionem ut necessariam ad substantiam talis actus, quia hoc pendet ex institutione ejus. Respondeo, potuisse, tamen de facto non constare hoc fecisse, neque in decretis esse aliqua verba quibus significetur tales actus esse irritos. Et ideo vera est sententia communis. Nihilominus graviter peccat sacerdos excommunicatus exercendo hujusmodi actus; nam, licet illa in rigore non sit collatio sacramenti, est tamen communicatio quædam in divinis, et in quodam sacro ministerio solemni et publico; unde sine dubio est materia sufficiens gravis culpæ. An vero sacramentalia sic facta ab excommunicato indigeant aliqua reconciliatione, vel quasi dispensatione, dicam sequente disputatione.

11. Hic vero occurrit difficultas supra hoc remissa de excommunicato sacrum faciente, an vere offerat, et oret in persona Ecclesiæ, et sub ea ratione habeat effectum ministerium ejus quoad impetrationem in persona Ecclesiæ; nam ex dicta resolutione videtur sequi habere effectum, nam si in aliis consecrationibus vel sacramentalibus excommunicatus operatur ut minister Ecclesiæ, quamvis male faciat, ergo in orationibus etiam, et cæremoniis Missæ. Atque ita sentit Gabriel, lect. 27 in canonem, qui ait, sacerdotem ex vi suæ ordinationis esse ministrum Ecclesiæ, cui prohiberi quidem potest ne illud munus exequatur, non tamen ita potest ab illo separari, ut, si illud facere tentet, factum non teneat, quamvis male faciat. Nihilominus tamen oppositum censeo verius, quod tenet aperte D. Thom., 3 part., quæst. 82, art. 7, ad 3, et frequentius Doctores in 4, dist. 13; præsertim Palud., quæst. 1, art. 3; et Soto, quæst. 1, art. 8; et Scotus, quæst. 2, in principio, ubi etiam Magister idem sentit, et Guillelmus Paris., tract. de Sacram. Ordinis. Fundamentum est, quia quod aliquis oret in persona Ecclesiæ, ab Ecclesia pendet, et non comitatur immutabiliter ipsum characterem sacerdotalem; excommunicati autem sunt ab ipsa Ecclesia præcisi, et separati, ne nomine suo apud Deum intercedant; et ideo sub ea ratione ministerium eorum non habet valorem, nec efficaciam, ut latius dixi, 3 tom., disput. 77, sect. 2, et quæ diximus disputatione præced., sect. 4, hoc confirmant. Igitur sacramentalia ab excommunicato facta, dicuntur esse rata, quia iterari non debent juxta institutionem et usum Ecclesiæ; tamen orationes, et similia, quæ ab excommunicatis fiunt, non habent hanc habitudinem ad Ecclesiam, nimirum, ut nomine ejus, et quasi ab ea principaliter orante fundantur. Et hæc sint satis de cæteris sacramentis, et de sacrificio.

An sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato collatum validum sit.

12. *Dubium occurrens resolvitur. — Conclusio.* — De sacramento pœnitentiæ dicendum est, ab hujusmodi excommunicato collatum extra casum extremæ necessitatis ipsius pœnitentis, de quo supra dictum est, non esse validum. Est communis, et certa sententia, ut videre licet in iis, quæ citat Covarr., cap. Alma, 1 part., § 6, num. 6; et Navarr., in Manuali, cap. 9, num. 8; et Medina, tract. 2 de Confess., quæst. de Absolut. tributa a curato excomm. denunc., et quæst. de Absol. trib. ab excomm. manifest. percuss. clerici. Ratio est, quia minister sacramenti pœnitentiæ, si non habet jurisdictionem, non conficit sacramentum, ut constat ex cap. Omnis utriusque sexus, et ex decreto Concilii Florent., et ex Trident., sess. 14, cap. 7, et ex supra dictis in 4 tom. Sed hujusmodi excommunicatus privatus est omni jurisdictione, ut infra ex professo dicendum est, et sumitur ex cap. Ad probandum, de Sent. et re judicata, et cap. Romana, de Offic. vicar., in 6, et cap. Si is cui, de Offic. deleg., in 6, et cap. Audivimus, 24, quæst. 1, et aliis similibus, quæ licet loquantur in casibus pertinentibus ad jurisdictionem fori contentiosi, tamen non limitantur ad illam, sed supponunt excommunicatum privari simpliciter jurisdictione; nec est major ratio de una, quam de alia, et ita intelligunt ea jura auctores omnes, et in particulari de hac jurisdictione sacramentali hoc indicatur in cap. Si celebrat, de Cleric. excomm. ministrante.

13. *An pœnitens recipiens sacramentum ex ignorantia invincibili ab excommunicato sacramentum recipiat.* — Est autem hæc conclusio extra controversiam, quando pœnitens novit sacerdotem esse sic excommunicatum, et nihilominus sciens et prudens ei confitetur; imo tunc duplex concurrit causa nullitatis, altera ex defectu jurisdictionis, altera ex defectu materiæ essentialis, qualis est integra confessio cum sufficiente dolore; hanc enim habere non potest, qui actu, et voluntarie peccat mortaliter in ipsa confessione; quod verum esse censeo, etiam de illo, qui

ex ignorantia hoc facit, quæ a mortali culpa non excusat. Difficultas vero est, quando pœnitens hoc facit ex ignorantia invincibili censuræ ipsius sacerdotis; tunc enim jam non intervenit defectus materiæ, ut per se constat, neque etiam defectus jurisdictionis, nam licet excommunicatus alioqui, per se loquendo, illam non habeat, in illo tamen casu videtur Ecclesia illam supplere, tum quia supra agentes de censuris in communi hac ratione diximus effectus censuræ impediri interdum per ignorantiam, ut actus publici bona fide facti valeant, argumento L. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætor.; tum etiam quia in hujusmodi casibus, *reddit ignorantia probabilis excusatos,* ut dicitur in cap. Apostolicæ, de Cler. excomm. minist.

14. *Dubii resolutio.* — Respondetur distinctione hic opus esse : aut enim illa ignorantia procedit ex communi et publica existimatione, qualis contingere potest, si hujusmodi excommunicatus, denunciatus vel manifestus percussor clerici in uno loco, ad alium remotissimum recedat, et ibi recipiat beneficium, vel ad hoc ministerium exponatur publice. Et in hoc casu concedo absolutionem ab illo bona fide susceptam validam esse, et Ecclesiam propter commune bonum illi conferre jurisdictionem, ex illo generali principio adducto et supra satis tractato; et in specie hoc docuit Ugolin., tab. 1, cap. 13, § 16, num. 12. At vero quando ignorantia procedit ex solo privato et particulari errore, tunc licet ipse invincibilis sit et propterea excuset a culpa, nihilominus sacramentum invalidum est ex defectu jurisdictionis, estque confessio illa iteranda, quia reipsa non est subjecta clavibus, nec vero judici in illo foro, ut in particulari notarunt Medina, Covarruvias et Ugolinus, citatis locis. Et ratio est, quia ibi cessat ratio communis boni, seu publici officii secundum communem existimationem; et ideo Ecclesia non supplet illum defectum, quia leges morales non attendunt particularia incommoda, sed id, quod bono communi expedit.

15. Alia vero difficultas hic erat, esto non possit excommunicatus per se confessiones audire, possit tamen alteri vices suas committere. Aliqui enim auctores id affirmant, ut Paludanus, dist. 23, quæst. 2, art. 2, num. 17, quem sequuntur Sylvest., verb. *Unctio,* num. 4, et Armil., n. 5, etiam si (inquiunt) excommunicatus non possit jurisdictionem suam delegare, quia dare hanc licentiam (ait Palud.) non est jurisdictionis, sed ordinis actus. Sed ex hoc ipso fundamento constat hanc sententiam falsam esse, nam concedere facultatem audiendi confessiones, non est actus ordinis, sed jurisdictionis, tum quia etiam non sacerdos interdum dat illam facultatem; tum etiam quia illa potestas non est necessario conjuncta cum Ordine; tum denique quia actus manat a potestate proportionata ; sed per facultatem illam datur jurisdictio ; ergo manat a potestate jurisdictionis ; excommunicatus autem non potest licite aut valide exercere actum jurisdictionis, neque etiam potest conferre usum jurisdictionis quem non habet; ergo non potest facultatem illam dare. Imo etiam addo Episcopum excommunicatum non posse tunc aliquem in confessorem approbare seu exponere, etiamsi illi jurisdictionem non conferat, quia illamet approbatio est actus jurisdictionis, ac propterea nullus, juxta ea quæ inferius de hac re dicentur.

SECTIO III.

Quam pœnam incurrant excommunicati ministrantes sacramenta, vel qui ab illis recipiunt.

1. *Generalis regula.* — Regula generalis est, excommunicatum ministrantem ex officio quodlibet sacramentum, aut sacrificium Missæ celebrantem, ipso facto irregularem effici. Est enim hoc expressum in jure, ex c. Si quis, 4, 11, q. 3. Verba sunt : *Non liceat ei* (id est excommunicato sic ministranti) *nec in alio Concilio spem reconciliationis habere, neque ultra recolligi,* seu *reconciliari,* ut habet alia littera. Quæ verba non possunt intelligi de absolutione ab excommunicationis censura, cum hæc non possit esse perpetua, neque ejus absolutio denegetur ei, qui cum debita submissione et satisfactione ad Ecclesiam redit ; ergo pœna, quæ ibi ut irremissibilis judicatur, nihil aliud esse potest nisi irregularitas. Quod clarius colligitur ex c. Si quis, 3, ubi non negatur reconciliationis, sed restitutionis spes, nimirum in ministerium clericale. In cap. autem ultimo, de Clerico excommunic. ministr., dicitur, sacerdotem minori excommunicatione ligatum non fieri irregularem celebrando; ubi supponitur secus esse, si fuerit majori excommunicationi irretitus; et ita omnes Doctores ibi intelligunt. Et quamvis textus loquatur de sola celebratione , quæ proprie significat Missæ sacrificium , nihilominus Doctores intelligunt idem esse de omnium sacramentorum administratione, et de omni

celebratione divinorum officiorum, juxta modum loquendi aliorum textuum, in eodem titulo. Et ita id extendunt auctores ad omnem actum sacrum publicum, solemnem, et proprium alicujus Ordinis, etiam ex minoribus, ita ut lector, vel acolythus, etc., excommunicatus, in suo Ordine ministrans solemniter, irregularis fiat; et a fortiori subdiaconus, vel diaconus, solemni ritu Epistolam cantans vel Evangelium. Quæ sententia valde communis est, ut latissime refert Ugolin., tab. 1, c. 14, § 1, per totum, et attingit Navarrus, in Manuali, c. 27, n. 163, ubi de suspenso loquitur, et n. 244, de excommunicato; et dicit esse opinionem communem Juristarum. Eamdem docent communiter Theologi in 4, dist. 18; Richard., art. 7, quæst. 5; Gabriel, quæst. 2, art. 3, et alii. Item Summistæ, verb. *Irregularitas*, et verb. *Excomm.*, et Majolus, lib. 3 de Irregularitate, c. 21.

2. Qui generatim ad hoc citant totum titulum de Clerico excommunicat. minist. In quo nullum textum invenio satis urgentem præter ultimum. Nam in primo et secundo capite non est sermo de clerico excommunicato, sed deposito, et potius ille excommunicari præcipitur, si contumaciter se ingerat officiis divinis, a quorum ministerio depositus est. In capite autem tertio est sermo de excommunicato celebrante divina officia; non tamen dicitur fieri irregularis, imo neque aliqua pœna ei ipso jure imponitur; sic enim dicitur : *Nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam incurrant;* ergo, si admoniti redeant, non deponentur, neque ex vi illius textus aliquam irregularitatem incurrent. Similiter, in c. 4, nulla est mentio de irregularitate, neque alicujus pœnæ ipso jure impositæ, sed depositionis ab homine imponendæ, ut patet ex illis verbis : *Omnes in perpetuum ab officio sacerdotali deponas.* Et inferius additur, si numerus delinquentium quadragenarium numerum excedat, non omnes esse perpetuo deponendos, sed eos, qui magis causam delicti dederunt : *Alios vero* (ait) *ab officio ad tempus suspendas.* In capitulo autem quinto non fertur pœna, sed refertur a canone infligi propter hoc delictum, non tamen explicatur, an illa pœna sit irregularitas, neque an sit ipso jure lata vel ferenda. In capite autem sexto, solum est sermo de quadam alia pœna ab homine imponenda, ibi : *Rationabiliter poteris omnibus beneficiis Ecclesiasticis expoliare*, et similis pœna proponitur in c. 7, § Quæsivistis. In c. vero 8 et 9, non est sermo de hac re.

3. *Navarri extensio rejicitur.* — Melius id probatur ex c. 1, in fine, de Sent. et re judicata, in 6, et c. 1, et c. Is qui, § Is vero, et c. Is cui, de Sent. excomm., in 6, in quibus aperte traditur suspensum ministrantem in officio sui Ordinis fieri irregularem. Ex quo omnes Doctores argumentum sumunt idem esse dicendum de excommunicato, ut notat etiam Covarr., in c. Alma, p. 1, § 6, in fine. Quod argumentum, ut sit efficax, non debet sumi tantum a simili; nam hæc argumentandi ratio in hujusmodi materiis, firma non est, ut sæpe dixi; sed sumi debet veluti a parte ad totum; nam, licet suspensio sit censura distincta ab excommunicatione, quoad effectum vero suspendendi a ministerio Ordinum habet eamdem efficacitatem cum illa. Denique communi omnium Doctorum interpretatione ita intellectum est hoc jus, et communi usu Ecclesiæ ita est receptum, et ideo dubitandum non est de hujusmodi irregularitate, saltem quantum ad activum usum sacramentorum, de quo nunc principaliter agimus; an vero extendendum sit ad omnem actum Ordinis, et quo modo, dicemus disput. sequent.

4. Hic solum adverto, Navarr., in Summ., cap. 27, n. 244, in ultimis verbis extendere hanc irregularitatem ad eum, qui, licet ligatus censura non sit, facit ut alius ligatus censura celebret, præsertim coram se, seu ut ipse Missam audiat. Solumque citat Glossam in Clement. 2, de Privil., verb. *Celebrari*, quæ tamen non loquitur de hoc casu, sed de alio, in quo excommunicatus auctoritate sua facit, ut alius coram se celebret, de quo infra videbimus quale fundamentum in jure habeat. Hæc autem extensio Navarri in jure non habetur, neque a Doctoribus communiter asseritur, quod ego viderim; et ideo non amplector illam, quia pœnæ non sunt extendendæ, præsertim irregularitas, quæ in præsenti solum est imposita sacerdoti excommunicato celebranti, non vero alicui non excommunicato inducenti excommunicatum ad celebrandum; nam licet consulens, præcipiens aut inducens censeatur dignus æquali pœna, tamen donec imponatur a jure, præsertim loquendo de irregularitate, illam non incurrit, cum non sit in jure expressa.

Data regula limitatur, ex parte modi ministrandi sacramenta. Assertio 1.

5. *Ratione suadetur dicta limitatio.*—Circa propositam vero regulam inquiri potest, utrum aliquam exceptionem admittat; potest autem cogitari exceptio, vel ex parte modi ministrandi sacramentum, scilicet, ex ignorantia, vel ex scientia, seu ex eo, quod licite vel illicite fiat, vel ex parte ipsorum sacramentorum, ita ut alicujus administratio sine irregularitate fieri possit. Dicendum ergo in primis est, propositam regulam habere locum, quando administratio sacramenti ab excommunicato fit, peccando mortaliter; quoties vero fit cum excusatione sufficiente ad vitandum peccatum mortale, hanc irregularitatem non incurri. Hanc limitationem adhibent omnes Doctores specialiter quando excusatio provenit ab ignorantia inculpabili, quia expresse habetur in c. Apostolicæ, de Cler. excomm. minist. Ex illo autem textu et ex ratione ejus, scilicet, *quia vos reddit ignorantia probabilis excusatos*, colligitur idem dicendum esse, quoties quælibet alia causa intervenit, quæ hujusmodi ministrantem reddat excusatum. Ratio vero est, quia hæc irregularitas non imponitur propter significationem, sed in pœnam; pœna autem canonica non incurritur, quando non committitur culpa : ergo. Major ex prædicto textu sufficienter colligitur, et ex verbis, quibus alia jura utuntur, in quibus hæc irregularitas imponitur, quia sunt : *Si ausi fuerint*, in cap. Si quis 3, 11, quæst. 3; *si præsumpserint*, cap. Si quis, 4, eadem; *si deliquisse constiterit*, cap. Latores, de Clerico excomm. ministrante; *si damnabiliter se ingesserint*, cap. 1 de Sent. et re judicata, in 6; *si contra interdictum hujusmodi divinis se ingerat*, cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6. Semper ergo prærequiritur culpa ad hujusmodi irregularitatem incurrendam. Quocirca, si in conscientia alicui constet, solum ex naturali oblivione, aut inconsideratione, cum censura celebrasse, potest esse in conscientia certus non incurrisse in irregularitatem. Quod in simili notarunt Paludanus, in 4, dist. 18, quæst. 6; et Adrianus, in 4, quæst. 3 de Clavib., except. 7; et superius, tractando de Censuris in communi ostendimus hanc inconsiderationem æquiparari ignorantiæ, si æque involuntaria sit.

6. *Ignorantia aut occasio quæ non excusat a mortali excommunicatum ministrantem non excusat irregularitatem.* — At vero, quando vel ignorantia vel quæcumque alia occasio non excusat a culpa mortali, non impedit quominus hæc irregularitas contrahatur; nam licet nonnulla verba, quibus jura utuntur, ut, *Si ausus fuerit, præsumpserit*, etc., videantur exigere culpam ex certa scientia seu contemptu, alia tamen sunt magis generalia; et in dict. cap. Apostolicæ, clare supponitur, si ignorantia culpabilis sit, necessariam esse dispensationem. Oportebit autem, ut tanta sit negligentia, quæ ad peccatum mortale sufficiat, tum quia hæc pœna est valde gravis, et ita culpam gravem præsupponit; tum etiam quia in illo textu dicitur : *Si forte ignorantia crassa, supina, aut erronea fuerit*, quæ non conveniunt ei ignorantiæ, quæ ex sola levi negligentia aliquo modo, id est, venialiter, culpabilis est. Quando autem debeat ignorantia supina seu crassa reputari, supra de censuris in communi tractatum est.

7. *An dubius de sua excommunicatione ministrando irregularitatem incurrat.* — *Quorumdam opinio.* — Inquiri vero potest, quando aliquis est dubius de sua excommunicatione, an incurrat irregularitatem sacramentum ministrando. Respondeo : si postea constet non fuisse excommunicatum, certum est non incurrisse irregularitatem. Imo etiamsi quis ministraret sacramentum, putans se esse excommunicatum, ac proinde graviter peccando ex conscientia erronea, re ipsa non incurreret irregularitatem, quamvis ex eadem conscientia teneatur se gerere ut irregularis, quamdiu durat; cum primum vero illi constiterit non fuisse excommunicatum, non indigebit alia dispensatione, quia hujusmodi pœnæ non incurruntur per actum intentatum seu existimatum, sed reipsa perfectum, ut supra dixi de censuris in communi. At vero, si in prædicto casu dubii postea constet vere fuisse excommunicatum, tunc contractam fuisse irregularitatem affirmat Sylvester, v. *Irregularitas*, num. 15, vers. *Quintum*; idem Ugolinus, tab. 1, c. 14, n. 12, in fine, qui alios refert; et hi auctores nullum afferunt fundamentum. Favet autem responsio Innoc. III, in c. Illud, de Cler. excomm. minist., in illis verbis : *Quia tamen in dubiis via est tutior eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Tamen hic textus non omnino convincit, tum quia casus illius magis fuisse videtur temeritatis cujusdam, quam

dubitationis probabilis, quia per famam publicam notitia excommunicationis ad illam personam pervenerat; tum etiam quia etiam in illo casu non dicit Pontifex contractam fuisse irregularitatem, imo nec aperte ait commissum fuisse peccatum mortale, sed prius ait : *Licet in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse.* Quod vero postea ait : *Non debuerat,* etc., indicat quidem aliquam culpam, non tamen aperte mortalem, unde postea concludit : *Cum eo misericordiam facientes, pœnam quam canon infligit, ei non duximus infligendam.* Ubi generatim loqui videtur de omni pœna jure imposita pro tali delicto; et significat non incurrisse illam, neque esse imponendam.

8. *Resolutio.* — Quocirca nullum invenio textum, in quo illa sententia efficaciter fundetur; nam, licet in multis juribus legamus, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, quæ citat Glossa super textum prædictum, verb. *In dubiis,* tamen illa intelligenda sunt, quando altera pars non est practice tuta, ut constat ex 1. 2, quæst. 18 et 19, ubi de Conscientia disputatur. In hoc autem casu, de quo agimus, licet supponatur dubium speculativum circa ipsam excommunicationem, non videtur inde necessario inferri dubium practicum circa actionem ministrandi sacramentum cum tali dubio censuræ. Atque ex hoc principio definiendam censeo propositam difficultatem; nam in primis considerandum est, an qui sacramentum administrat cum tali dubio, peccet mortaliter contra ipsam censuram, necne; nam, si excusatur a peccato mortali, etiamsi postea constet reipsa habuisse censuram, ab irregularitate excusabitur, propter principium positum, quod hæc non incurritur sine culpa mortali contra censuram commissa; si vero mortaliter peccavit, in eo casu censeo procedere dictorum auctorum sententiam, quia revera existens excommunicatus celebravit, et peccando mortaliter; ergo ex nullo capite potest excusari ab irregularitate contrahenda.

9. *Quomodo judicandum sit an excommunicatus cum hoc dubio celebrans mortaliter peccet.* — Ad judicandum vero, an celebrans cum tali dubio speculativo, peccet mortaliter, necne, utendum est communibus regulis de conscientia, et videndum in primis, an ille fecerit quod in se est, ad tollendum tale dubium et veritatem cognoscendam; nam si id non fecit, regulariter loquendo, temere se ingerit sacris, propter periculum, cui se exponit incautus, et in eo casu procedit dictum capitulum Illud. Nec est admittenda excusatio, nisi forte ex aliqua urgente necessitate, quæ non concessit locum et tempus ad inquirendam veritatem; quanquam tunc etiam, si per seipsum faciat quod pro temporis opportunitate potest, merito dicetur fecisse quod poterat ad expellendam dubitationem, et non potuisse. Quando ergo quispiam hanc diligentiam adhibuit, et adhuc manet perplexus et dubius, rursus considerandum est, an possit moraliter prius absolvi, ad cautelam, quam sacramento ministrando se ingerat; nam, si id potest et non facit, revera imprudentissime facit; nec potest excusari a culpa gravi, nam sine causa exponit se tali periculo. Et hoc confirmat usus Ecclesiæ, quæ propterea consuevit hanc absolutionem ad cautelam facile præmittere, etiam absque occasione tam urgente.

10. At vero, si non habuit a quo hujusmodi absolutionem obtineret, et rationabilis occasio ac necessitas prudenti arbitrio ponderanda se offerat ad celebrandum, vel aliquid simile, non opinor peccaturum mortaliter, qui deposito dubio practico celebraverit, non obstante speculativo, tum quia moraliter loquendo, ille homo non se exponit periculo, cum fecerit diligentiam, et necessitate prematur; tum etiam quia sic operanti favet illa regula juris, quod in dubiis melior est conditio possidentis; nam ille homo tunc possidet libertatem in executione suorum Ordinum, et optima fide possidet, quandoquidem fecit quod in ipso est; ergo est melioris conditionis, ut eis licite uti possit, donec absolutionem ad cautelam obtinere valeat. Dubitari vero hic ulterius poterat, an in eo casu, quo aliquis peccat mortaliter cum hoc dubio celebrando vel ministrando sacramentum, teneatur statim se gerere ut irregularis, priusquam certo illi constet fuisse excommunicatum, cum celebravit; sed de hoc dicemus infra in materia de irregularitate, ubi explicabimus quomodo se gerere debeat is, qui dubius est de irregularitate; nam in illo casu statim ille incipit esse dubius de irregularitate contracta, et ideo ex illo principio prædicta dubitatio definienda est.

Excommunicatum ministrantem sacramentum mortaliter peccando, ad quod necessarius est ordo aliquis, fieri irregularem. Assert. 2.

11. Secundo dicendum est ex parte sacramentorum nullam esse adhibendam excep-

tionem vel limitationem; nam dummodo sacramentum ita conferatur, ut ad illud ministrandum necessarius sit aliquis Ordo, quodcumque sit tale sacramentum, sufficit ad hanc irregularitatem incurrendam. Quod præcipue propono propter Richard., in 4, d. 18, art. 7, quæst. 5, qui ab hac regula excipit sacramentum absolutionis, quia non est in jure expressum in particulari, quod hujusmodi absolvens contrahit irregularitatem, et alioqui hoc sacramentum non ministratur cum solemnitate; et ideo non videtur comprehendendum sub illa generali regula, per quam præcipue videtur prohibita seu punita solemnis executio Ordinis, stante excommunicatione seu suspensione talis Ordinis. Cui sententiæ favet, quod pœnæ legum interpretatione molliendæ sunt, potius quam exasperandæ, prout dicitur c. Pœnæ, 18, de Pœnit., d. 1, ex l. penult., ff. de Pœnis. Verumtamen assertionem positam certam esse censeo, in qua dixi : *Dummodo necessarius sit Ordo,* ut excluderem administrationem baptismi privatim factam; nam propter illam non incurritur hæc irregularitas, non solum quando in necessitate absque culpa fit, quod est per se notum, sed etiamsi absque necessitate et peccando fiat. Quæ est communis sententia, quia ille tunc non exercet munus sacerdotale, quamvis sacerdos sit, sed ut laicus sacramentum illud præbet, ut notarunt Richard. supra, Sylvest., *Excommunicatio,* 3, num. 1, in fine, et verb. *Irregularitas,* num. 15, et in materia de Baptism. plura similiter diximus. Extra hunc vero casum nulla est exceptio. Quod quidem de sacramento Ordinis, extremæ unctionis, confirmationis, et consecratione Eucharistiæ certum est, quia hæç nunquam fiunt sine solemni ritu, quod in particulari docet ibidem Richardus de extrema unctione, et in aliis tribus clarius est, quia sunt majora sacramenta, et semper cum majori solemnitate fiunt. Nam extrema unctio aliquando propter necessitatem confertur sine cæremoniis et accidentali ritu; id tamen non obstabit, quominus irregularitas contrahatur, quia semper illud sacramentum administratur publice, et cum aliqua solemnitate sacerdotali (ut sic dicam), id est, cum aliquibus vestibus sacris, et (quod ad rem maxime spectat) ille actus substantialiter sumptus est proprius Ordinis sacerdotalis.

12. *Conclusionem positam etiam absolutionem sacramentalem comprehendere.* — Unde addo, idem dicendum esse de absolutione sacramenti, et sine ullo fundamento fieri exceptionem, nam ille actus nude ac substantialiter sumptus est usus Ordinis sacerdotalis et gravissimus omnium post consecrationem corporis Domini; sed jura absolute prohibent usum Ordinum sub prædicta pœna; ergo maxime hunc comprehendunt. Nec refert quod hoc sacramentum secrete tradatur; id enim accidentarium est; nam etiam Missa potest secreto coram uno tantum celebrari, et absolutio sacramentalis potest publice atque aliis videntibus dari, quamvis confessio secrete fiat. Parum etiam refert, quod hoc sacramentum paucis cæremoniis accidentalibus ministretur, quia ipsa substantia sacramenti per se satis est, cum sit gravissimus actus Ordinis sacerdotalis; eo vel maxime quod etiam sacramentum illud habet suas cæremonias et accidentalem ritum, licet breviorem. Quod si quis eas velit omittere, non propterea irregularitatem vitabit. Sicut, si quis excommunicatus sacerdos iniquissime conficeret corpus et sanguinem Domini, sine vestibus sacris et sine ullo accidentali ritu Ecclesiastico, præter culpam sic conficiendi et pœnam illi correspondentem, non effugeret irregularitatem specialem propter talem usum Ordinis, durante excommunicatione; sufficit ergo substantialis usus potestatis ordinis, præsertim in administratione gravissimi sacramenti.

13. *Dubium de excommunicato sacramentum hoc pœnitentiæ ministrante.* — *Resolvitur.* — Major occasio dubitandi circa hoc esse poterat, quia hoc sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato ministratum est nullum, ut supra dictum est; ergo illa non est administratio vera sacramenti, sed dici potest attentata; ergo non satis est ad incurrendam irregularitatem; nam, ut supra agendo de censuris in communi diximus, hujusmodi pœnæ Ecclesiasticæ non incurruntur propter actus attentatos, sed propter perfectos et consummatos in suo ordine, nisi aliud in lege exprimatur, sicut non fit irregularis, qui intentat homicidium, nisi reipsa sequatur. Respondetur in primis, hoc sacramentum ab excommunicato datum non semper esse nullum, generatim comprehendendo excommunicatos etiam non vitandos, qui tamen etiam fiunt irregulares per illicitam administrationem sacramenti, ut in sequenti sectione attingemus. Deinde dupliciter potest se gerere excommunicatus in administratione hujus sacramenti : primo ut id faciat absque intentione conficiendi sacramentum, sed solum profe-

rendi illa exteriora verba et decipiendi. Secundo cum intentione absolvendi et perficiendi sacramentum, quam in hoc sacramento pœnitentiæ vix potest habere absque aliquo errore vel ignorantia.

14. *Excommunicatus exterius absolvens absque intentione absolvendi, non fit irregularis.* — Quando priori modo se gerit, probabilissimum censeo non incurrere irregularitatem, propter argumentum factum, quia actio illa, etiam ut procedit a tali operante ex intentione ejus, non est usus Ordinum, sed fictio ejus. Et confirmari potest a simili de hæretico pure exteriori, absque interiori infidelitate; nam ille non incurrit censuras vel alias pœnas ipso jure hæreticis impositas. Item est simile de illo, qui exterius rebaptizat sine intentione rebaptizandi. De quo dixi non incurrere irregularitatem, 3 tom., disput. 31, sect. 6. Hoc autem, si verum est, non est peculiare in sacramento pœnitentiæ, sed commune in omnibus; nam ratio facta universalis est, nisi aliunde admisceatur alia communicatio in divinis officiis, propter quam irregularitas contrahi possit, ut latius et generalius dicemus disputatione sequente. Ut, si quis faciat sacrum servando ritum Ecclesiasticum, solumque in consecratione sit fictus, non intendendo verum sacramentum conficere aut sacrificium offerre, nihilominus manebit irregularis, quia illius officii administratio cum excommunicatione sufficit ad irregularitatem contrahendam, etiam sine sacramento, ut statim dicemus de baptismo.

15. *Excommunicatus cum intentione absolvens etiamsi sacramentum sit nullum, fit irregularis.* — At vero, quando hic excommunicatus se gerit secundo modo, res est magis dubia; videtur autem probabilius in eo casu incurri irregularitatem, etiamsi aliunde contingat sacramentum esse nullum; ut in illo casu rebaptizandi, quantumcumque quis rebaptizare intendat, nullum conficit sacramentum, et nihilominus irregularitatem contrahit. Item quamvis contingat absolutionem esse nullam ex defectu contritionis confitentis, nihilominus sacerdos excommunicatus absolvens, irregularis manebit, quia quantum potest, fungitur sua potestate ordinis et jurisdictionis; et hoc est quod illi prohibetur sub prædicta irregularitate, et non solum prohibetur absolutio, quæ in re ipsa sit rata et valida. Sicut etiamsi absolvat ab excommunicatione, graviter peccabit et incurret pœnam, si quæ tali est peccato annexa, etiamsi talis absolutio nullius valoris vel effectus sit. Quocirca, quando hujusmodi pœna irregularitatis et similes a jure imponuntur propter actus, qui jam supponuntur defectuosi vel invalidi ab ipsomet jure, sicut est rebaptizatio et similes, inter quos etiam est absolutio data ab excommunicato, tunc ad incurrendam talem pœnam, non oportet ut actus in re ipsa sit validus vel habens effectum, sed satis est quod, quatenus fit ab operante, sit talis, nam ille est quem jus prohibet et punire intendit.

16. *Objectio.* — *Enodatur.* — Dices : si sacerdos excommunicatus ex errore, aut juris, aut facti, tentet consecrare in aqua, vel aceto, vel pane hordeaceo, vel si Episcopus excommunicatus ordinet fœminam, existimans se ordinare virum, neuter judicandus erit irregularis, cognito defectu, quia ille revera non fuit usus Ordinis, quod aliunde non provenit nisi ex nullitate sacramenti; ergo similiter in aliis. Videtur quidem hic casus magis dubius quam præcedentes, et intervenit nonnulla disparitatis ratio, quia hic casus magis extraordinarius et accidentalis est, et ideo jus non videtur loqui de actu ita defectuoso. Nihilominus tamen satis probabile est tunc etiam incurri irregularitatem, quia quantum est ex parte operantis, ille fuit usus activus potestatis ordinis, et hic est qui prohibetur sub dicta pœna, sive in re sequatur effectus, sive non.

An excommunicatus sacerdos ad sacramentum concurrens, etiamsi illud non efficiat, fiat irregularis.

17. Tandem vero dubitari hic potest, quando sacerdos non conficit ipsum sacramentum, concurrit vero aliquo modo ad illud, an id satis sit ad hanc irregularitatem incurrendam. Et in tribus sacramentis potest occurrere hoc dubium. Primum in matrimonio, de quo nihil diximus; deinde in Eucharistia, quando aliquis illam non conficit, sed distribuit; denique in baptismo, quando aliquis solemniter illum confert quoad cæremonias, non vero quoad substantiam, quia supponitur jam privatim data. Quantum ad primum punctum dicendum est, duplicem concursum posse nunc habere sacerdotem ad matrimonium : unus est, quem requirit Concil. Trident. ad substantiam matrimonii, cum postulat ut fiat coram parocho et testibus; et ex vi hujus concursus opinor illum non fieri irregularem, tum quia illa non est administratio sacra-

menti, neque alicujus cæremoniæ sacræ; tum etiam quia ex vi ordinationis Concilii ad illum actum non est necessarius aliquis actus Ordinis; nam si contingat parochum non esse sacerdotem (quod interdum accidere posse constat ex cap. Cum in cunctis, de Elect., et ex eodem Concil. Trident., sess. 7, cap. 3 de Reform.), et si coram eo, et testibus fiat sacramentum, validum erit, quia Concilium tantum requirit ut fiat coram parocho et testibus.

18. Neque obstat, quod addit : *Præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, vel Ordinarii licentia;* inde enim solum fit, quando ille non est Ordinarius, parochus, sed delegatus, debere esse sacerdotem ; quod verum censeo, non tamen de ipso parocho; nam de illo Concilium absolute, et prius, et in illa etiam eadem clausula loquitur. Neque obstat illud relativum, *alio,* quia non est necesse ut referat omnem conditionem seu qualitatem personæ, præsertim cum nomen sacerdotis non præcedat, sed sequatur. Unde idem velle videtur, ac si diceret : Vel aliquo sacerdote; de quo puncto in materia de matrimonio tanquam in loco magis proprio dicendum est. Nam, quod ad præsens attinet, ulterius addo, etiamsi sacerdotii conditio in parocho ipso requisita esset, sicut nunc est in eo, qui vices ejus subit, nihilominus tamen ex vi illius actus non manere irregularem hujusmodi sacerdotem excommunicatum matrimonio assistentem, quia quamvis illa conditio jure positivo requiratur in tali persona, nihilominus ibi revera non exercet actum Ordinis sacerdotalis, sed solum postulatur ut qualitas personæ ad majorem fidem faciendam.

19. *Si autem solemniter benedicat, irregularitatem incurrere.*—Alius concursus parochi circa matrimonium esse potest ad solemnem benedictionem conjugum, quæ non est administratio alicujus sacramenti, sed cujusdam cæremoniæ, seu sacramentalis, ad solemnem ritum matrimonii pertinentis; et de hoc actu communis sententia est sufficere ad irregularitatem contrahendam, quia illud ministerium est proprium sacerdotis ratione sui Ordinis; nam, licet illa actio Ecclesiastico jure instituta sit, tamen ex eadem institutione requirit, ut ministrum necessarium, sacerdotem, ut constat tum ex ritu præscripto ad illam benedictionem, tum ex communi usu Ecclesiæ, tum etiam ex cap. 1 et 3 de Secundis nuptiis, et nonnihil etiam favet Isidorus, in c. 1, d. 25, ubi ad sacerdotem ait inter alia munera pertinere, *benedicere dona Dei.* Supponit autem hæc sententia propter omnem usum Ordinis, præsertim sacri, etiamsi accidentalis et secundarius sit, incurri irregularitatem, dummodo tam gravis sit, ut ad peccatum mortale contra censuræ prohibitionem sufficiat. Atque ita sentit Majol., lib. 3 de Irregul., cap. 21, num. 5; et Ugolin., tab. 1 de Censur., c. 24, § 2, num. 5, qui alios referunt, et de illo principio generali plura dicemus disputatione sequenti. Nunc ad ejus fundamentum jura superius adducta sufficiant. Quod autem illa benedictio solemnis conjugum sit materia gravis et sufficiens ad peccatum mortale contra censuram, certissimum mihi videtur, quia est publicum et solemne ministerium sacerdotale plures continens orationes et benedictiones; ac denique est gravis communicatio in divinis cum activo usu seu ministerio proprii Ordinis sacerdotalis.

20. *Excommunicatum cæremonias baptismi sine ejus substantia conferentem, fieri irregularem.* — Atque ex his facile est expedire simile punctum de baptismo, scilicet, quando sacerdos confert solemnitatem baptismi sine substantia ejus, an id sufficiat ad irregularitatem contrahendam, quando minister est excommunicatus. Videri enim posset non sufficere, quia plus est substantiam baptismi sine cæremoniis dare, quam cæremonias sine substantia ; sed primum non sufficiet, ut diximus; ergo nec secundum sufficit. Nihilominus consequenter dicendum est, tunc contrahi irregularitatem, propter eamdem rationem, quia illud ministerium sacrum est, et cæremonia satis gravis in Ecclesia, solique sacerdoti ex officio commissa, et ad summum potest diacono in necessitate delegari, ut diximus 3 tom., disput. 23, sect. 2. Est ergo ille actus Ordinis in materia gravi, in quo differt a privata administratione baptismi secundum substantiam; nam illa non est actus Ordinis, etiamsi contingat ab homine ordinato fieri.

21. *Excommunicatum sacerdotem Eucharistiam distribuentem, irregularitatem incurrere. — Idem dicendum de diacono.* — Idem est in alio puncto de Eucharistia proposito. Existimo enim irregularem manere sacerdotem excommunicatum dispensando Eucharistiam, vel in Ecclesia communicantibus, vel deferendo eam ad infirmos; nam illud est gravissimum ministerium sacrum ac divinum, et proprium sacerdotis ratione sui Ordinis, licet possit diacono in necessitate committi, juxta ea, quæ tractavi in tertio tomo, disp. 72,

sect. 1. Adde, in decretis supra citatis non solum prohiberi sub hac pœna sacerdoti excommunicato ne sacramenta conficiat, sed absolute ne illa ministret, ut minister ex officio; sed hæc dispensatio Eucharistiæ est administratio sacramenti ex officio : ergo. Unde constat idem dicendum esse de diacono, si ex licentia sacerdotis tale ministerium excommunicatus obierit; eamdem enim sine dubio irregularitatem incurret, quia etiam ille actus, ut factus a diacono ex commissione, est actus Ordinis ejus; nam ratione proprii Ordinis et characteris est capax illius delegationis, quæ propterea nullo inferiori fieri potest.

22. *Quid si inferior clericus aut laicus Eucharistiam dispenset excommunicatus.* — Sed quid, si inferior aliquis clericus vel etiam laicus, usurpata vel male concessa licentia, tale sacramentum excommunicatus dispenset? Respondetur, non fieri irregularem ex hoc capite; est enim hæc generalis regula notanda, laicum excommunicatum, male usurpantem, vel fungentem rei divinæ celebratione, aut sacramenti alicujus collatione, inde non fieri irregularem, quia hæc irregularitas solis clericis imposita est, qui in suis officiis excommunicati ministrant, ut patet ex ipsa Rubrica de Clerico excom. ministrante. Unde in c. Si celebrat, licet non dicatur : *Si sacerdos vel clericus celebrat,* sed absolute : *Si celebrat,* etc., tamen et ex ipso titulo, sub quo caput illud continetur, ita intelligendum est, et ex proprietate verbi, *celebrat,* quod simpliciter dictum non fictam, sed veram celebrationem significat. Quapropter laicus excommunicatus, qui se fingit sacerdotem, et ita etiam exterius celebrat, non incurrit hanc irregularitatem. Atque idem est de clerico inferiori simili fictione usurpante ministerium superioris Ordinis, ut si diaconus Missam celebret, vel subdiaconus Evangelium solemniter cantet, quia hæc irregularitas cum imponitur clerico ministranti, respective, seu reciproce intelligenda est, scilicet ministranti in officio suo; ita enim expresse loquuntur textus supra citati, cap. Is cui, de Sentent. excom., in 6, et cap. Si quis Episcopus, 11, quæst. 3, ubi agitur de excommunicato ministrante in officio suo.

23. Et ratio est, quia quando usurpat superius ministerium, ad quod non est ordinatus, non operatur ut clericus ordinatus, sed ut iniquus homo usurpans quod non habet, vel ut laicus. Et confirmatur ac declaratur ultima pars, quia hæc irregularitas directe cadit in actum, a quo quispiam per censuram Ecclesiasticam suspensus est, ut ex supra dictis constat; laicus autem non est suspensus per censuram ab officio Ecclesiastico; nam hæc suspensio, cum sit privatio quædam, supponit potestatem. Et eadem ratione inferior clericus non est suspensus ab officio superioris Ordinis; ideoque infra ostendemus suspensionem ab officio esse censuram propriam clericorum, et unicuique accommodandam secundum Ordinem suum. Dixi autem, propter hujusmodi actum non incurri hanc irregularitatem, de qua agimus, quia non excludimus aliam impositam propter fictum ministerium quæ in titulo de Clerico non ordin. minist. continetur, et in materia de irregularitate explicanda est; ad præsens enim non refert, nam æque illam incurret non excommunicatus sic ministrans, ac excommunicatus. Atque hæc est communis sententia Doctorum et interpretum juris in citatis locis, et Innocentii, cap. ult., n. 2, de Excess. Prælator.; Navarr., in Summ., cap. 27, n. 242 et 244.

24. *Quid si diaconus excommunicatus Eucharistiam sine sacerdotis licentia dispenset.* — *Resolutio.* — Dices : ergo diaconus excommunicatus dispensans Eucharistiam sine licentia sacerdotis non manebit irregularis, quia tunc non operatur ut minister ex officio deputatus ratione sui Ordinis ad illud ministerium; consequens autem videtur falsum; mirum est enim quod si id faciat cum licentia sacerdotis, sit irregularis, non autem, si id faciat sua auctoritate; cum ibi uno tantum, hic autem duplici titulo peccet. Responderi potest hoc non esse inconveniens; nam gravius peccat laicus excommunicatus, ficte celebrans, quam sacerdos excommunicatus vere id faciens. Et subdiaconus excommunicatus gravius peccat, si solemniter cantet Evangelium, quam si cantet epistolam, et nihilominus non incurrit hanc irregularitatem, quia hæc irregularitas non est annexa cuilibet graviori delicto, sed tali in specie; illud vero gravius habebit alias pœnas sibi proprias. Considerandum ergo est, an illa dispensatio Eucharistiæ facta a diacono absque facultate presbyteri, sit actus Ordinis sui; nam si est, incurret hanc irregularitatem; alias minime. Videtur autem dicendum illum vere esse actum Ordinis, quamvis illegitime, et inordinate factum, nam defectus, qui ibi intervenit, magis pertinet ad defectum jurisdictionis quam Ordinis; diaconus enim ex vi suæ ordinationis recipit potestatem

ministrandi hoc sacramentum a presbytero confectum, ac proinde cum subordinatione ad ipsum, apud quem est propria potestas in corpus Christi verum et mysticum. Hæc autem subordinatio ad quemdam modum jurisdictionis pertinere videtur, nam, quod est Ordinis ex vi characteris habetur; et ideo diaconus dispensans Eucharistiam sine facultate presbyteri, exercet proprie actum sui Ordinis, neque id est separabile a tali actu, etiamsi absque competenti jurisdictione fiat. Hoc autem satis est ad incurrendam hanc irregularitatem, ut per se notum est. Et patet in Episcopo excommunicato conferente Ordines in alieno Episcopatu sine licentia diœcesani, nam sine dubio irregularis fiet. Et idem a fortiori est de simplici sacerdote ministrante Eucharistiam alienis ovibus sine licentia parochi aut superioris; nam licet peccet ex defectu jurisdictionis, nihilominus actum Ordinis exercet; et ideo si excommunicatus fuerit, irregularis fiet. Semper autem supponimus hujusmodi dispensationem fieri absque necessitate cum peccato; nam si occurreret casus, in quo licitum esset vel diacono sine licentia sacerdotis, vel simplici sacerdoti sine licentia proprii, dare Eucharistiam ob necessitatem extremam, tunc excusaretur minister a peccato, etiamsi excommunicatus esset, juxta principia superius posita; et ideo tunc non fieret irregularis.

25. *Quis in hac irregularitate dispensare possit.* — Ultimo potest circa hanc pœnam inquiri, quis possit in hac irregularitate dispensare. In quo breviter dicendum est, jure communi solum Papam posse dispensare, juxta communem sententiam Canonistarum, in cap. 1 de Sent. excomm., in 6, et in c. 1, de Sent. et re judicata, in 6, quam referunt Navarrus in Sum., num. 245, et Ugolinus, tab. 1, cap. 14, § 1, num. 27. Sumiturque ex eisdem juribus, ut notavit etiam Panormitanus in cap. Clerici, de Cleric. excomm. ministr., num. 2, ubi additio Alexandri plura notat, quæ nobis nunc non videntur necessaria. Solum oportet addere, hanc irregularitatem, sicut alias, si proveniat ex occulto delicto, posse per Episcopum tolli, ex Concilio Trident., sess. 24, cap. 6 de Reformat. Erit autem delictum occultum, si excommunicatio occulta sit, etiamsi celebratio sit publica, quia in ratione peccati occulta est, quod idem erit, si e contrario excommunicatio sit nota, celebratio autem occulta sit. Vide Navarrum, cap. 27, num. 194, 241 et 255. Plura circa hanc irregularitatem annotabimus in sequenti disput., sect. 2.

De recipientibus sacramentum ab excommunicato.

26. *Vide Navarr., de Horis canon., c. 21, v. 14.* — Secundo principaliter dicendum est, peccare graviter eum, qui sacramentum aliquod ab hujusmodi excommunicato suscipit, non vero propterea incurrere aliam Ecclesiasticam pœnam præter excommunicationem minorem, generaliter loquendo; nam specialiter de illo, qui Ordines suscipit, est specialis difficultas infra tractanda. Prima pars certa est, et communis apud Theologos in 4, dist. 18, ubi specialiter D. Thom., quæst. 2, art. 4. Et ratio est, quia per censuram excommunicationis non solum ipsi excommunicato prohibitum est communicare cum aliis, sed etiam aliis directe prohibitum est communicare cum ipso; ergo transgressio hujus prohibitionis in materia gravi mortale peccatum est; sed hæc materia, et communicatio in receptione sacramentorum valde gravis est; ergo illa transgressio peccatum mortale est. Major certissima est, et multis juribus continetur, cap. Cum non ab homine, de Sent. excomm., ibi, *Debes abstinere,* et in c. Illud, de Cleric. excommun. minist., dicitur excommunicatum magis teneri, ad vitandum alios quam teneantur alii ad vitandum ipsum; supponitur ergo utrumque teneri, licet magis excommunicatum ipsum. Idemque habetur in multis decretis, 11, quæst. 3. Ac denique in Extravag. *Ad evitanda,* supra citata, cum gratia nulla fiat excommunicato, ut in ea dicitur, aliis fit, ut non teneantur excommunicatum vitare, nisi in duobus casibus, de quibus nunc agimus; ergo hæc prohibitio directe cadit non solum in talem excommunicatum, sed etiam in alios.

27. *Generalis regula proponitur.* — An vero, et quando contingat excusatio ab hac culpa et obligatione, hæc regula statui potest, quoties ipse excommunicatus non excusatur, sed peccat ministrando sacramentum, alios etiam ab illo recipientes non excusari; agimus enim de excommunicato vitando; tunc autem maxime vitandus est, quando ipse censuram violat ministrando. Et quoniam hæc est causa adæquata, a qua pendet hæc prohibitio, fieri videtur, ut etiam e contrario, quoties hic excommunicatus ita excusatur, ut licite sacramentum ministret,

alii etiam excusentur ab illo recipiendo. Quod verum esse opinor, quoties causa excusationis est necessitas aliqua intrinseca, seu justa. Patet, quia si necessitas sit ipsius recipientis, illum primo excusat; si vero sit alterius vel ejusdemmet excommunicati, etiam inde redundabit excusatio ad recipientem. Nam si licet excommunicato dare sacramentum alteri propter necessitatem ejus, etiam licebit ab illo recipere propter ejus necessitatem, si ita interdum contingat, quod tamen raro eveniet. Loquor autem de necessitate intrinseca, et justa; nam si ipsemet excommunicatus vim inferat alteri, ut ministret, et propterea ille excusatur dando, alius non excusabitur recipiendo, ut per se notum est. Similiter quando excusatio est ex ignorantia vel naturali inadvertentia, non existimo eam sufficere ad excusandum alium in communicando cum illo, præsertim quoad perceptionem sacramentorum, quia hæc obligatio directe est non solius excommunicati, sed etiam aliorum. Unde non solum est propter vitandam participationem in peccato ejus, sed propter directam, ac propriam prohibitionem; sed ignorantia unius, licet eum excuset, non excusat alium respectu præcepti directe illi impositi : ergo. Et confirmatur, nam licet mihi constet hujusmodi excommunicatum esse oblitum suæ censuræ, vel non esse absolutum in re ipsa, quamvis ipse putet se esse absolutum, non possum pro illo offerre sacrificium, vel alia Ecclesiæ suffragia; nam hoc mihi directe prohibetur, quidquid sit de existimatione alterius; ergo idem est quoad receptionem sacramentorum a tali excommunicato. Quod intelligitur per se, et ex vi ignorantiæ; nam si inde oriatur occasio scandali vitandi vel alia similis necessitas, jam revolvimur ad aliud caput excusationis, quod est necessitas.

28. *Recipere sacramentum ab excommunicato, per se loquendo, mortale est.* — Jam vero quod materia hujus prohibitionis gravis sit, et ad mortale peccatum sufficiens, docet D. Thom., supra, quæst. 3, et in sol. ad 1, ita exponit cap. Sacris, de Iis quæ vi metusve causa, ibi : *Cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere;* nam est ibi sermo de peccato, quod committitur communicando cum excommunicato; quamvis intelligentia illius textus plura requirat, de quibus supra dictum est, tractando de censuris in communi. Rationem attingit D. Thom. ibid., ad 2, quia directa intentio Ecclesiæ in hac prohibitione præcipue est propter spiritualia. Unde ipse concludit omnem communicationem in divinis esse peccatum mortale. Est ergo hoc multo certius in hac administratione sacramentorum; nam inter ipsa spiritualia valde gravis materia est

29. *Propter hanc receptionem sacramentorum ab excommunicato solam minorem excommunicationem incurri.* — Secunda vero pars de pœna hujus delicti quoad excommunicationem minorem certa est; nam hæc censura propter omnem communicationem cum hujusmodi excommunicato incurritur, ut infra disputatione speciali de excommunicatione minori dicemus. Quoad alteram vero partem exclusivam probatur, quia nulla major censura, nec irregularitas ipso jure imposita est propter hujusmodi delictum, ut patet ex ipsis juribus et ex consensu omnium Doctorum. Verumtamen de majori censura excipiendi sunt casus, si qui sunt in jure expressi, ut videtur esse in cap. Significavit, de Sentent. excomm., de quo infra suo loco agemus. Et quando excommunicatio major fertur etiam in participantes, nam illa tunc maxime ligabit eos, qui in sacramentorum administratione participant; ut tamen hujusmodi excommunicatio nunc valida sit, servanda est forma præscripta in c. Statuimus, et cap. Constitutiones, et cap. Statutum, de Sentent. excomm., in 6. Hæ autem exceptiones confirmant regulam generalem positam, ut extra hos casus nulla censura major, quam excommunicatio minor, propter hoc delictum incurratur.

30. *Propter receptionem sacramentorum ab excommunicato non incurri irregularitatem.* — Præterea de irregularitate idem fere discursus fieri potest; nam omnia jura loquentia de irregularitate, quæ contrahitur propter violationem censuræ per usum sacramentorum, semper loquuntur de usu activo ex officio, ut patet in cap. 1, et cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6, et cap. Si quis Episcopus 4, 11, quæst. 3, et aliis supra citatis; ergo hæc pœna non est extendenda ex vi illorum jurium ad passivam receptionem sacramentorum ab excommunicato, tum ob generalem regulam, quod pœnæ sunt potius restringendæ, tum ob speciale jus quod habemus, irregularitatem non incurri, nisi in casibus a jure expressis. Induci etiam ad hoc potest cap. Si celebrat, de Cler. excomm. minist., eo modo, quem annotavimus præcedente disputatione, sect. 1, in fine. Accedit præterea,

quod ubi in receptione alicujus sacramenti ab excommunicato incurritur irregularitas, vel suspensio, id speciatim a jure exprimitur; ergo, ubi non exprimitur, non incurritur; exprimitur autem de solo sacramento Ordinis; est ergo illa veluti exceptio a generali regula negativa, quæ illam firmat pro omnibus aliis sacramentis, ut nimirum propter eorum susceptionem talis inhabilitas non incurratur.

31. *Suscipiens Ordines ab excommunicato fit irregularis.* — De susceptione autem Ordinis res est certa non suscipere sic ordinatum Ordinis executionem; an vero illa sit propria irregularitas vel suspensio, et an incurratur etiam sine culpa, in materia de Suspensione et de Irregularitate dicetur.

SECTIO IV.

Utrum excommunicatus non vitandus valide et licite possit sacramentum ministrare.

1. In jure antiquo non erat locus huic quæstioni; sed, quæ hactenus diximus, generalia erant omnibus excommunicatis; propter Extravagantem vero *Ad evitanda,* oportet exponere, quænam ex iis, quæ diximus, locum habeant in cæteris excommunicatis; quæ vero eis concedenda sint. Duo enim in prædicta Extravaganti sunt observanda. Unum est, aliis fidelibus concedi ut possint communicare cum his excommunicatis etiam in participatione sacramentorum; unde necesse est, ut talis administratio possit hujusmodi excommunicatis esse licita; alias inutilis esset aliorum favor. Aliud est, quod ipsis excommunicatis per eam legem nullus fit favor. Ex quo fit, ut, quantum est ex se, semper teneantur non se ingerere huic ministerio. Quomodo autem in praxi hoc veluti medium servandum sit, non est ad explicandum facile.

2. *Prima sententia. — Posterior sententia.* — Et ideo variæ sunt de hac re opiniones. Prima negat simpliciter his excommunicatis licere ministrare sacramenta. Insinuat Adrian., Quodlib. 3, art. 3, ad 3, 1 opin., quamvis ibi potius dicat non licere dare sacramenta his excommunicatis, quia indigni sunt, quam quod non liceat his excommunicatis, ea ministrare. Et præterea non loquitur ex vi censuræ, sed ex jure naturæ ob indispositionem accipientis vel dantis. Citatur etiam idem Adrian, quæst. 3 de Baptismo, ubi nihil clare dicit, sed in secundo argumento ad oppositum aliquid insinuat, sicut etiam Cajet., in Summ., verb. *Absolutionis impedimenta.* Dicunt enim hi Doctores licere quidem aliis fidelibus suscipere sacramenta ab hujusmodi excommunicatis, ipsis vero ministris non licere ea dare, sicut nobis licet accipere mutuum cum usuris, alteri vero non licet dare. Juxta quam sententiam nunquam licebit ab hujusmodi excommunicatis accipere sacramenta, nisi quando ipsi sunt expositi ad hujusmodi ministerium; sicut licet, v. gr., audire Missam ab hujusmodi excommunicato, non tamen licebit eum inducere, nec cooperari, aut ministrare illi. Aliorum vero sententia est, licitum esse interdum fidelibus petere sacramenta ab hujusmodi excommunicatis, et tunc etiam eis esse licitum illa ministrare. Ita tenet Soto, in 4, dist. 1, quæst. 5, art. 6, et dist. 22, quæst. 1, art. 4; et Covar., in cap. *Alma*, part. 1, § 2, et 6, num. 7; et Dried., lib. 1 de Libertate Christiana, cap. 8; et Victor., in Summ., materia de excomm., quæst. 3, et alii infra referendi. Et mihi magis probatur, si recte explicetur.

Prima assertio.

3. Dico ergo primo : ex vi hujus excommunicationis non est prohibitum aliis fidelibus, ne sacramenta recipiant ab hujusmodi excommunicatis. In hac videntur omnes convenire, nam aperte colligitur ex verbis Extrav. *Ad evitanda : Indulgemus, ut nemo deinceps a communione alicujus in sacramentorum administratione, prætextu alicujus censuræ,* etc. Et propterea hujusmodi excommunicatos simpliciter appellamus, *non vitandos;* ergo ex vi censuræ Ecclesiasticæ non tenentur fideles non recipere sacramenta ab his ministris; ergo nullo jure positivo prohibiti sunt, quia hic nullum aliud jus positivum intervenit, nisi quod in ipsa censura includitur.

4. *Non esse prohibitum petere sacramenta ab excommunicato non vitando, ex vi censuræ.* — *Objectio.* — Ex quo ulterius infero non solum recipere, sed etiam petere sacramentum ab his excommunicatis licitum esse, seu non prohibitum ex vi censuræ, aut juris positivi. Probatur, quia nulla communicatio cum his excommunicatis in administratione sacramentorum prohibita est; sed petere sacramentum est quædam communicatio, et solum sub ea ratione posset per censuram prohiberi, si prohibita esset; ergo, cum sub illa ratione prohibita non sit, simpliciter non est prohibita. Dices : ergo absolute licet fidelibus

petere ab his excommunicatis sacramenta, et inducere eos ad ministranda illa, æque ac quemcumque alium non excommunicatum, si in cæteris sit æqualitas, nimirum, in potestate, vel etiam in dispositione quoad probabilem carentiam peccati mortalis. Patet sequela, quia concessio Concilii Constantiensis absoluta est; ergo simpliciter tollit omne impedimentum, et concedit facultatem æque communicandi cum his excommunicatis, sicut cum non excommunicatis. Consequens autem videtur incredibile; nam, si ego possum sacramentum petere, vel audire Missam a sacerdote nullo modo excommunicato, non licebit mihi ab hujusmodi excommunicato hæc petere; cur enim Ecclesia tam amplam concederet licentiam, quæ et dignitati sacramentorum, et severitati censurarum multum derogat, et ad utilitatem fidelium necessaria non erat?

5. *Solutio.* — Respondeo nihilominus, concedendo sequelam, quantum est ex vi censuræ, et præcepti Ecclesiastici directe pertinentis ad ipsos fideles; hoc enim convincere videtur ratio adducta, fundata in verbis Extravagantis, quæ generalia sunt. Et illius ratio reddi potest, quia leges humanæ generatim traduntur, et non possunt ad singulos casus, et circumstantias eorum descendere; cum ergo fuerit conveniens concedere fidelibus communicationem cum his excommunicatis, fieri debuit absoluta et generali lege. Unde, licet in hoc vel illo particulari casu non sit tanta necessitas, vel utilitas talis communicationis, nihilominus etiam tunc non est prohibita ex vi censuræ, quia lex illa generatim lata est. Hoc vero non obstat, quominus fideles, utentes hoc privilegio, debeant servare modum, si aliunde naturalis ratio dictaverit esse necessarium ex aliis principiis, seu ex parte ipsius excommunicati, illum non inducere ad talem actum, ut ex dicendis amplius constabit.

Secunda assertio.

6. Dico ergo secundo: non est simpliciter prohibitum ex vi censuræ hujusmodi excommunicatis, ministrare sacramenta, eo modo quo aliis excommunicatis vitandis, prohibitum est. Probatur, quia hæc duo correlativa videntur; nam communicatio, cum inter duos necessario esse debeat, non potest esse unius cum alio, quin etiam sit hujus cum illo; ergo si alteri eorum concessa est communicatio cum altero, necesse est, ut alteri non sit simpliciter prohibita, quia repugnantia esse videtur, alicui licitum esse, quod sine alterius peccato facere non potest. Et hoc sensu aiunt Juristæ, prohibito uno correlativo prohiberi etiam aliud, concurrente eadem ratione. Quam regulam tradit Panormitan. in cap. Quia clerici, de Jure patro., num. 7, ubi dicit esse communem Theoricam Legistarum; et videri etiam potest Barth., in l. 1, C. de Cupressis, l. 10. Verum est hanc regulam non esse adeo generalem, quin stando in terminis juris positivi multas exceptiones patiatur, præsertim ubi diversitatis ratio intervenit, aut ipsum jus satis expresse declarat velle unum prohibere, et non aliud, quæ duo in præsenti casu reperiri videntur ex vi prædictæ Extravag. *Ad evitanda.* Nihilominus tamen, quatenus illud principium fundari potest in ratione naturali, scilicet, in necessaria connexione inter honestatem actus, et omnia, quæ sunt de necessitate ejus, quatenus honestus est, sic necesse est, ut cui aliquis actus conceditur ut licitus, eidem concedantur omnia, sine quibus talis actus licitus esse non potest. In præsenti ergo cum fidelibus concessum sit, ut licite possint sacramenta recipere et petere ab hujusmodi excommunicatis, cumque id non possint simpliciter facere licite, nisi illi possint licite ministrare, quia saltem propter cooperationem vel inductionem ad malum frequenter id esset malum, fit, ut ipsis etiam excommunicatis sic toleratis consequenter concessum sit ut licite possint sacramenta ministrare, non quidem in ipsorum favorem, sed aliorum.

7. *Evasio.* — *Præcluditur.* — *Non est idem non posse aliquid licite facere, et non esse licite facturum.* — Dices, quamvis nunquam liceat hujusmodi excommunicatis sacramenta ministrare, si tamen id faciant sua sponte, licitum esse aliis bene uti malitia eorum, illa ab eis recipiendo. Hoc tamen non sufficit ad intelligendam amplam facultatem, quæ in dicta Extravaganti fidelibus conceditur ad communicandum cum his excommunicatis in ministerio sacramentorum, quia, regulariter ac moraliter loquendo, nemo potest ab alio accipere licite quod alius non potest licite dare, et multo minus potest petere quod alius non potest licite efficere. Aliud est enim (quod in his rebus accurate distinguendum est) aliquem non posse aliquid licite facere, aliud non esse id facturum licite, quamvis possit. Nam, quando se habet hoc posteriori modo,

sæpe licet ab alio petere, vel accipere quod ipse illicite facit, vel facturus est, quia, cum defectus non sit potestatis, sed voluntatis, per accidens conjungitur actioni, quam alter petit, seu qua utitur; et ideo, per se loquendo, petenti non imputatur, nisi aliunde ex charitate, vel ex alia peculiari ratione teneatur non petere; et ita contingit in exemplo supra posito de petitione mutui ab eo, qui non est daturus sine usuris. At vero quando quis non potest licite aliquid facere, nulla ratione licet ab eo id petere, vel cum eo cooperari, quia petere ab aliquo id quod sine peccato præstare non potest, moraliter est petere peccatum ipsum, ut latius dixi in 3 tom., disp., 18, sect. 1. Ubi ex hoc principio conclusi, nunquam licere sacramentum recipere ab eo, qui non potest licite dare, etiamsi sæpe liceat recipere ab eo, qui non licite dat. Ergo, si his excommunicatis nunquam liceret ministrare sacramenta, neque fidelibus liceret ab eis illa recipere, quantumvis ipsi essent ad ministrandum expositi. Et præterea, quamvis daremus in aliquo raro casu hoc esse licitum, v. gr., quando talis sacerdos est actu ministrans in altari, tamen id non sufficit ad intentionem ipsius Extravagantis, nec ad verba ejus salvanda; nam intentio illius constitutionis fuit subvenire conscientiis timoratis, et tollere occasiones scandali, vel periculi; illo autem modo non vitantur pericula, sed augentur potius, et relinquuntur fideles valde perplexi circa hanc communicationem in administratione sacramentorum cum his excommunicatis. Verba etiam illius Extravagantis amplissima sunt; cur ergo debent tam stricte ad casum rarissimum limitari?

8. *Objectio alia. — Solutio.* — Potest vero aliquis tandem dicere, Ecclesiam in illa Extravaganti non concessisse fidelibus, ut possint licite recipere sacramenta ab his excommunicatis, sed solum abstulisse directam prohibitionem, respectu aliorum fidelium, integram relinquendo directam prohibitionem, quæ inest ipsis excommunicatis, et consequenter relinquendo in aliis indirectam prohibitionem, quæ divino et naturali jure in eos redundat. Sed hoc revera incredibile est, tum quia inutilis esset illa concessio; nam, si ex aliquo titulo semper est illicitum fidelibus communicare cum his excommunicatis in ministerio sacramentorum, quid interfuit eis tollere directam prohibitionem; certe ad summum poterat id esse utile ad vitandam specialem contumaciam, et consequenter etiam excommunicationem minorem; at Ecclesia plus intendit per eam concessionem, scilicet, pacare conscientias, et pericula peccandi absolute in hac communicatione tollere. Tum etiam, quia in illo sensu falsa essent illa verba: *Nemo prætextu alicujus censuræ*, etc., nam sive dicatur obligatio esse directa, sive indirecta, absolute verum est, prætextu censuræ, qua hujusmodi excommunicatus ligatus est, debere alios vitare illum in administratione sacramentorum; ergo repugnat hoc rationi, et verbis illius Extravagantis. Concludo igitur hujusmodi excommunicatos non esse ex vi suæ censuræ ita separatos ab activo ministerio sacramentorum, ut eis semper illicitum sit, sicut est vetitum aliis excommunicatis vitandis.

9. *Excommunicati sacerdotes non vitandi, non privantur jurisdictione, quam ad sacramenta ministranda habebant. — Suadetur corollarium in sacramento pœnitentiæ, de quo est majus dubium.* — Ex quo infero (quod etiam confirmat præcedentem assertionem), sacerdotes habentes jurisdictionem ad sacramenta ministranda, non privari illa simpliciter et absolute ob hujusmodi excommunicationem nondum denuntiatam, etc. Probatur generatim in omnibus sacramentis, quia a nemine licite ministrantur (extra extremam necessitatem) nisi jus habeat ministrandi, per jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, tali sacramento accommodatam, ut ostendi in 3 tom., disp. 16, sect. 1; sed ostensum est his excommunicatis licitam esse hanc administrationem sacramentorum; ergo necesse est ut retineant jurisdictionem necessariam ad hujusmodi actum licitum. Præterea in particulari id constat de sacramento pœnitentiæ, in quo magis necessaria est jurisdictio; at vero sacramentum hoc collatum ab hujusmodi excommunicato validum est, per se loquendo, id est, nisi aliunde habeat defectum essentialem in materia, vel forma, aut intentione ministri; ergo signum est per hanc excommunicationem non privari jurisdictione spirituali, qui illam habeat. Minor est communis sententia, ut videre licet in Covarr., dict. cap. Alma, p. 1, § 6, num. 7, concl. 5, ubi Adrian., Cajet., Med. et Navarr. in eamdem sententiam refert; quam tenet etiam Driedo, lib. 3 de Libert. Christ., c. 7; Vict., in Sum. 4, materia de excom., quæst. 10, ubi dicit ita esse determinatum in Concil. Constant., in dicta Extravag. *Ad evitanda.* Ex quo loco omnes dicti auctores hoc colli-

gunt, quia, cum Ecclesia concedat fidelibus, ut non teneantur vitare hujusmodi excommunicatos in usu sacramentorum, consequens est, ut relinquat ipsis excommunicatis potestatem necessariam ad sacramenta conficienda; sed jurisdictio est necessaria ad conficiendum hoc sacramentum; ergo illam relinquit, quia non minus conceditur usus hujus sacramenti, quam reliquorum; nam, cum verba sint generalia, et favorem contineant, non est cur pœnitentiæ sacramentum excipiatur, præsertim cum usus ejus frequentior sit et magis necessarius.

10. *Qua ratione excommunicatis non vitandis concessa sit licentia ministrandi sacramenta. — His excommunicatis non licet se invitare ad sacramenta ministranda.* — Superest vero ultimo loco explicandum, an hæc licentia ministrandi sacramentum tam absolute concedenda sit his excommunicatis, ac si excommunicati non essent, vel quæ limitatio adhibenda sit. In qua re primo videtur certum non licere hujusmodi excommunicatis sese ingerere et quasi invitare ad sacramenta ministranda. Hæc est communis sententia, et patet, quia nullus favor eis concessus est; ergo non est eis data facultas communicandi cum aliis, sed solum est aliis data facultas communicandi cum ipsis. Unde etiam in aliis generibus communicationis non licet his excommunicatis communicare cum aliis, licet possint admittere alios, ut secum communicent, si velint, quia ipsis excommunicatis non est datum ut non teneantur alios vitare, sed solum ut possint non vitari ab aliis; ubi optime quadrat, quod dicitur in c. Illud, de Cleric. excomm. ministr. : *Excommunicato non vitare multo magis, quam non vitari, periculosum existit; non vitare siquidem, cum in eo sit, excommunicatus sine delicto non potest; sed, cum ex aliis pendeat, sine suo delicto poterit non vitari.*

11. *Licet tamen, si ab aliis ad eorum utilitatem, vel necessitatem invitentur. — Explicatur in eo qui ex officio sacramentum ministrare tenetur.* — Deinde, quando ipse non se ingerit, sed alius ab eo petit sacramentum, hæc videtur generalis regula servanda, ut, si ad favorem petentis pertineat, seu moraliter sit necessarium, aut valde utile, ut excommunicatus ei conferat sacramentum, id possit facere sine peccato; si vero non ita pertineat ad favorem petentis, non possit. Hæc regula fundata est in verbis Extravagantis, quibus declaratur, ibi non fieri favorem excommunicatis, sed aliis fidelibus. Explicatur autem in particulari variis modis, seu propositionibus; nam in primis, si sacerdos sit parochus, ideoque ex officio teneatur ministrare sacramentum, et ille, qui petit, habet jus petendi, et non vult alteri confiteri, tunc parochus, licet dicto modo excommunicatus sit, potest petenti licite sacramentum dare, quia petit jus suum, et ideo ad favorem ejus pertinet, ut ei tribuatur. Supponimus autem hujusmodi sacerdotem excommunicatum non posse hic et nunc prius absolutionem censuræ petere; nam, si possit facile, sine dubio ad id tenetur, quia per se illi prohibitum est sacramentum cum censura ministrare; et tunc jam nulla imminet necessitas, cum possit prius censuram a se expellere. Dixi autem, *hic et nunc,* quia non obstabit, quod antea potuerit, et fuerit in mora; sed attendenda est præsens opportunitas. Deinde supponimus hujusmodi parochum non posse per alium non excommunicatum satisfacere petenti; nam, si hoc possit, teneretur ipse abstinere, quia jam nihil refert ad favorem petentis, quod ipsemet potius, quam alius loco ejus, sacramentum ministret.

12. *Qui ad hoc ex officio non tenetur, aliquando potest sacramentum ministrare.* — Præterea, quando sacerdos ex officio non tenetur ministrare sacramenta, qui autem petit, cum aliqua necessitate ab illo petit, tunc etiam licitum est ei dare. Hæc non est tam certa, sicut præcedens, quia auctores citati solum de parocho videntur loqui. Unde quidam moderni addunt exclusivam, ut patet in Ugol., tab. 2, c. 7, § 4, num. 4. Nihilominus tamen censeo esse veram. Et illam insinuat Nav., in Sum., c. 9, num. 10, dum ait generaliter confessionem factam hujusmodi excommunicato validam esse, quoties pœnitens non peccat inducendo hunc confessarium excommunicatum ad suam confessionem audiendam. Quod est evidens, quia ille excommunicatus non est privatus jurisdictione, ut dictum est; ergo, si aliunde pœnitens non ponit obicem sacramento, validum erit. Subdit vero deinde, hujusmodi inductionem tunc esse peccatum mortale, quando fit absque ulla necessitate, vel debito, quo alius tenetur. Probatur deinde, quia tunc nullus fit favor danti, sed recipienti. Extravag. autem concedit fidelibus omnem communicationem eis favorabilem, et rectæ rationi consentaneam. Nec vero intelligendum hoc est de extrema aliqua necessitate (in qua etiam nominatim

excommunicatus posset id facere), sed sufficit communis aliqua necessitas, quæ ante Extravag. illam non sufficeret. Ex quo fit ut, si fidelis possit sacramentum obtinere ab alio sacerdote non excommunicato, non possit hujusmodi excommunicatus illud dare, quia tunc nulla est necessitas, nec sufficiens ratio, aut causa, et consequenter jam ille non esset favor recipientis, sed dantis. Quapropter in hujusmodi casu male faceret fidelis petens sacramentum ab hujusmodi excommunicato, cum possit illud a non excommunicato obtinere, quia licet hoc non sit ei directe prohibitum propter dictam Extrav. *Ad evitanda*, tamen ex natura rei sequitur, supposito gravamine, quod ipsis excommunicatis relictum est abstinendi quantum moraliter possunt ab hujusmodi ministerio. Atque hoc modo videtur sufficienter exponi dicta Extravagans, et satisfieri intentioni ejus, quia tolluntur scandala et pericula, subveniturque sufficienter necessitatibus fidelium, et alioqui servatur rigor censuræ, quantum necesse est, et in eadem Extravaganti significatur.

13. *Liceatne hunc excommunicatum, ob aliorum necessitatem, sacrum facere. — Dubii rationes.* — Sed quæres, an quod dictum est de ministerio sacramentorum, locum habeat etiam in celebratione Missæ. Et est casus moralis, si parochus sit dicto modo excommunicatus, et nullus sit alius sacerdos, a quo populus possit Missam audire in die festo, an possit licite id facere ob eam solam causam, et secluso scandalo, et consequenter an parochiani possint licite petere et instare, ut sibi sacrum faciat. Et ratio dubii est, nam in dict. Extrav., licet fiat expressa mentio de sacramentorum administratione, et receptione, non tamen de Missæ celebratione; neque videtur hoc extendendum propter similitudinem rationis, tum quia Missæ celebratio habet singularem excellentiam, ac dignitatem; tum etiam quia illud ministerium non est ita necessarium fidelibus, sicut est sacramentorum collatio. Et ita Doctores loquuntur solum de receptione sacramentorum. In contrarium vero est, quia in illa Extravaganti statim additur clausula generalis, *Aut aliis quibuscumque divinis;* sub qua clausula maxime continetur divinum sacrificium; ergo non tenentur fideles vitare hujusmodi excommunicatum in Missæ sacrificio, et ita sine dubio possunt Missam ejus audire, si illam sua sponte dicat, sive in eo peccet, sive non; ergo etiam possunt illum inducere, ut eam dicat, quando moraliter indigent illo sacrificio, vel propter obligationem festi occurrentis, vel propter moralem aliquam necessitatem communicandi, etc. Ergo et ipse non peccabit tunc sacrificando in bonum aliorum; tunc enim ipse non se ingerit aliorum communicationi, sed solum admittit eos ad sui communicationem, quæ illis prohibita non est.

14. *Prior opinio. — Vide Ugol., tab.* 1, *c.* 13, § 4, *num.* 2. — *Impugnatur.* — In hac re aliqui censent hoc non licere hujusmodi sacerdoti, nisi forte quando censura est omnino occulta, et sequetur scandalum, et infamia, nisi sacrificet; quin potius aiunt aliqui, si possit suam excommunicationem sine scandalo manifestare, utpote quia causa ejus, nec infamis, nec scandalosa est, debere potius suam excommunicationem publicam facere, ut se excuset, quam celebrare. Sed hæc doctrina habet quidem locum in excommunicato vitando, et hoc sensu satis in superioribus tractata est. At vero in hoc excommunicato, qui ex novo jure vitandus non est, non ita procedit, quia de illo non quærimus, an per accidens, et ratione damni vitandi possit hoc licite facere, sed per se ob facultatem concessam in prædicta Extravaganti in favorem fidelium. Unde in hujusmodi casu non supponimus excommunicationem esse occultam aliis, sed notam; et ideo, etiam supponimus non futurum scandalum, vel novam infamiam ex eo quod talis excommunicatus abstineat a celebratione, quandoquidem habet impedimentum aliis notum, in quibus potius poterit scandalum timeri, si eum viderint celebrare. Quamvis in hoc etiam supponendum sit, tale scandalum vitari posse, et debere; quod fiet, si alii instruantur, et sufficienter intelligant hujusmodi excommunicatum non peccare celebrando in tali opportunitate, et propter talem causam; secluso ergo omni scandalo, et infamia, vel metu extrinseco, per se consideranda, et tractanda res est.

15. *Vera resolutio. — Quid de parocho.* — Et videtur quidem ut minimum hic esse illa distinctione utendum, qua omnes Doctores utuntur in administratione sacramentorum, scilicet, quod aut hic excommunicatus parochus est, seu alioqui ex justitia obligatus ad sacrum faciendum, aut est simplex sacerdos carens tali obligatione. In priori casu dicendum videtur, idem judicium esse de celebratione Missæ, quod de administratione aliorum sacramentorum; nam parochiani tenentur Missam audire, et alioqui habent jus petendi

a parocho; ergo licite possunt ab eo exigere, et ipse etiam licite potest id facere. Responderi posset parochianos teneri ad audiendum sacrum, si sit qui legitime id faciat; in eo autem casu deesse, qui legitime faciat, quia parochus excommunicatus est. Sed in primis hoc ipsum est, quod inquirimus, an scilicet talis excommunicatus sit illegitimus minister pro tali casu. Et deinde vis rationis non omnino pendet ex eo quod hujusmodi homines teneantur ad audiendum sacrum, sed ex eo quod habent jus petendi ministerium illud a suo parocho, quod ille præcipue tenetur ex justitia exhibere illis diebus, in quibus ex præcepto Ecclesiæ, per se loquendo, tenentur fideles audire sacrum, ut dixi in tom. 3, disp. 86, sect. 1. Et quantum ad hoc multum confert ad honestandum hunc actum in illo casu obligatio, quam fideles habent, per se loquendo ad audiendum sacrum, quamvis argumentum posset procedere, quoties habent jus petendi ut fiat sacrum, etiamsi fortasse non teneantur audire; sicut etiam possunt petere sacramentum, quando habent jus petendi, etiamsi non teneantur recipere.

16. Unde augetur hæc ratio, quia sequitur alioqui perplexio quædam; nam, si ille tenetur ex justitia facere, alter recte facit exigendo jus suum; ergo alter peccabit, non reddendo; ergo si ea ratione sacrum faciat, non peccabit, alioqui perplexus esset; similis enim discursus fieri solet de administratione sacramentorum. Sed responderi potest, peti principium; nam idem discursus applicari potest ad excommunicatum denunciatum, qui alias ex officio teneatur; sicut ergo ille excusatur legitime, quando est sic excommunicatus, quia solum tenetur quis ad ministerium sui officii, quasi sub conditione, *quando a superiori prohibitus non est,* ita dicere quis potest de excommunicato non denunciato, et tollitur omnis perplexitas. Probandum ergo est, quod non obstante tali censura, adhuc maneat obligatio celebrandi absque legitima excusatione. Potest ergo in hunc modum hoc explicari, quia parochus ille, per se loquendo, tenetur ex justitia ad illud ministerium, et alioqui ipsi parochiani ex vi talis censuræ non prohibentur, quominus possint petere jus suum, ob privilegium illis concessum ab Extrav. *Ad evitanda*, et ideo licite petunt; nam ab excommunicato licite quis petit quod sibi debet, nisi alias specialiter prohibitum sit, ut sumitur ex c. Intelleximus, de Judiciis, et c. Si vere, de Sent. excom.; ergo neque ipse parochus ex vi talis censuræ excusari potest quominus petentibus reddat ministerium suum; non ergo peccabit illud faciendo. Et confirmatur a contrario, nam si parochiani sunt excommunicati non denunciati, et nihilominus petant, et velint audire Missam a suo parocho, ipse licite potest eam facere coram eis, quia non tenetur eos vitare, ratione prædictæ Extrav.; ergo et e contrario. Denique non est major ratio, ob quam possimus ab illo petere sacramentum, quam sacrificium; nam, licet ministerium sacrificii videatur gravius, tamen verba Extrav. generalia sunt, ut vidimus. Et licet sacramentum videatur utilius, aut interdum magis necessarium, propter gratiæ infusionem, aut peccati remissionem, tamen et hoc non refert, quia hoc non tam fundatur in utilitate, quam in jure petentis, supposita Ecclesiæ institutione in dicta Extrav. Et præterea illud, quod sumitur, incertum est; nam sacrificium etiam est utilissimum, præsertim communi bono, per modum satisfactionis, et impetrationis.

17. *Objectio. — Solutio.* — Potest vero objici, quia sequitur posse aliquem juste petere ab hujusmodi excommunicato, ut munus suum impleat, si alias ratione accepti stipendii vel capellaniæ tenetur Missam dicere, etiamsi alius auditurus non sit illam, quia etiam tunc procedit ratio facta, quod potest exigere debitum suum; consequens autem est plane falsum, et contra Ecclesiæ consuetudinem. Respondetur, negando sequelam, quia in dicta Extravag. *Ad evitanda,* solum conceditur facultas communicandi cum his excommunicatis; et ideo ex vi illius concessionis solum possumus petere hujusmodi ministeria per modum communicationis; quæ tunc solum intervenit quando sacramentum petitur, ut recipiatur, vel Missa, ut audiatur. Petere autem a sacerdote excommunicato, ut faciat sacrum, solum quia recipit stipendia, vel quia ex titulo capellaniæ ad id tenetur, fieri non potest, quia illud non esset communicare cum illo, sed absolute inducere ad ministerium ei prohibitum. In eo ergo casu cogi poterit excommunicatus, vel ut stipendium restituat, vel ut per alium suæ obligationi satisfaciat, non vero ut per se ipsum celebret.

18. *Quid de sacerdote non parocho.* — At vero, quando sacerdos non est parochus, et occurrit similis necessitas, quæ charitate saltem vel obligaret, vel certe plurimum induceret ad illud ministerium perficiendum

propter communem populi utilitatem, vel Ecclesiastici præcepti observantiam, seu executionem, majus dubium est, an tunc liceat ei sic excommunicato sacrificare, et aliis ab eo petere, ut id faciat. Tamen consequenter loquendo, videtur ita sentiendum de hoc ministerio, sicut de sacramentorum collatione; nam verba Extravagantis æqualia sunt, et alia ratio hic procedit, cum hic non intendatur favor ipsius excommunicati, sed fidelium, vel potius eorum necessitas. Et hoc etiam sensisse videtur Navarr., dict. cap. 9, num. 10, in fine, dum sub disjunctione loquitur eodem modo de inductione ad faciendum sacrum, vel administrandum aliquod sacramentum. Quamvis autem hoc videatur verum de rigore juris, nihilominus in praxi attendenda est consuetudo, quæ est optima legum interpres, et cavendum etiam est ne sequatur aliquod scandalum.

19. *Quid dicendum de his excommunicatis quantum ad irregularitatem ob celebrationem impositam.* — Ultimo intelligitur ex dictis, quid sentiendum sit de his excommunicatis quantum ad incurrendam irregularitatem vel alias pœnas, si celebrent, vel sacramenta ministrent. Attendendum est enim, an id licite faciant ex vi favoris aliis concessi per Extravag. *Ad evitanda,* necne. Nam quando priori modo operantur, nullam pœnam vel irregularitatem incurrunt, quia non violant censuram, neque illa irregularitas incurritur sine culpa, ut supra ostensum est. At vero, quando illicite se ingerunt, et favorem aliis datum sibi usurpant, irregulares fiunt, et easdem pœnas incurrunt, quas alii excommunicati denunciati, quia quoad eos sic ministrantes manet integrum jus antiquum; nihil enim ei derogatum est per Extravag. *Ad evitanda,* ut in ipsamet cavetur; illæ autem pœnæ jure antiquo inductæ sunt.

DISPUTATIO XII.

DE QUARTO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS, QUI EST PRIVATIO DIVINORUM OFFICIORUM ET ALIARUM RERUM SACRARUM.

Præter sacramenta et sacrificium sunt in Ecclesia alia divina officia et res divinæ seu sacræ, quarum participatione privatur etiam is, qui excommunicatione majori ligatus est; et ideo de iis in speciali est dicendum. Et primo de divinis officiis, sub quibus auditionem Missæ comprehendimus. Deinde de rebus sacris, ut sunt templa, et alia hujusmodi, ubi etiam in speciali dicendum erit de privatione sepulturæ sacræ.

SECTIO I.

Utrum excommunicatus privetur omni participatione externa sacrificii Missæ et sub qua pœna.

1. Supponimus tanquam certum, excommunicatum ex vi censuræ privatum esse omni communicatione Ecclesiastica in rebus divinis; id enim in jure expressum est, cap. Responsio, et c. Nuper, cum aliis, de Sentent. excomm., et c. Alma mater, eodem titulo, in 6. Inter has vero res divinas primum locum obtinet sacrificium Missæ; et ideo hoc præcipue hic explicandum proponimus; de cæteris vero divinis officiis dicemus sectione sequente. Tribus autem modis potest quis privari hoc sacrificio. Primo, ne illud per se ipsum offerat, quæ privatio pertinet ad solos sacerdotes. de qua dictum est disputatione præcedente, quia est ejusdem rationis cum privatione activæ administrationis sacramentorum. Secundo privari quis potest hoc sacrificio, ne pro ipso offeratur, et hoc pertinet ad privationem suffragiorum, de qua disputatione secunda dictum est. Tertio privari potest excommunicatus participatione seu communicatione hujus sacrificii, quantum ad externam communicationem, quæ est per assistentiam, ministrationem seu cooperationem ad tale sacrificium.

2. *Per excommunicationem privatur excommunicatus sacrificio Missæ interesse. — Casus in quo excommunicatus sacro interesse potest. — Propter hanc communicationem non est jure aliqua pœna imposita.* — Dico ergo primo: excommunicatus ex vi censuræ directe prohibetur ne sacro interesse aut inservire possit. Probatur, tum quia excommunicati generatim privantur omni communicatione fidelium, cap. pen. de Sentent. excomm., c. Nihil, c. Engeltrudam, cum aliis, 11, quæst. 3; nam una ex præcipuis communicationibus, et maxime in sacris inter fideles est in eo, quod ad hoc sacrificium peragendum conveniunt, tum etiam quia hac specie privantur in c. Illud, de Cleric. excomm. minist., et c. Is qui, c. ult., de Sent. excom., in 6, et c. Episcoporum, de Privil., in 6; hæc autem prohibitio primo ac per se cadit in eum, qui est censura ligatus; ergo ipse maxime est, qui tenetur se separare ab hujusmodi actu seu communicatione sacra.

Quo fit, ut ex sententia omnium transgressio hujus prohibitionis in ipso excommunicato sit peccatum mortale ex genere suo, quia materia est gravis et circa rem valde sacram. Fit etiam, ut hæc prohibitio nunc locum habeat in omni excommunicato non denunciato, quia, ut sæpe dictum est, per Extravag. *Ad evitanda,* nihil concessum est ipsi excommunicato; hic autem actus, de quo nunc agimus, ad illius tantum commodum spectat, nec propter alios concedi potest. Solum fingi potest casus, in quo sacerdoti non excommunicato necessarium sit celebrare, et non habeat ministrum aliquem nisi hujusmodi excommunicatum non vitandum; tunc enim licitum videtur sacerdoti induci alium, ut sibi ministret, quia non tenetur illum vitare, et alioqui habet sufficientem causam, ut ab eo petat tale ministerium. Ex quo fit consequenter, ut ipse excommunicatus in eo casu non peccet ministrando, quia non est favor illius, sed alterius; quod est probabile juxta doctrinam datam in sectione ultima præcedentis disputationis; nam hoc ministerium minus grave est, quam sacramenti administratio vel celebratio, unde ex minori etiam causa vel necessitate honestari poterit, quanquam rarius possit hujusmodi casus accidere. Præter eum autem nullus est, in quo excommunicatus possit excusari a culpa propter hujusmodi communicationem, exceptis illis duobus generalibus principiis, scilicet ignorantiæ seu necessitatis ac violentiæ, de quibus in superioribus dictum est. Propter hanc vero culpam nullam invenio specialem pœnam jure impositam; non enim incurritur nova censura, nam licet qui communicat cum excommunicato, incurrat censuram excommunicationis saltem minoris, ipse tamen excommunicatus aliis communicans, illam non incurrit, quia ei imposita non est. Et argumentum a simili vel a pari in hac materia efficax non est, ut sæpe dixi.

Incurratne irregularitatem excommunicatus Missam audiendo.

3. *Prior sententia. — Præcedens sententia impugnatur. — Evasio præcluditur. — Posterior sententia. — Resolutio.* — Neque etiam propter hoc delictum irregularitas incurritur, quia in jure lata non invenitur. Audire namque Missam non est actus Ordinis, pro quo solum irregularitas imposita est. Excipitur tamen juxta communem sententiam, quando ipse excommunicatus non solum audit Missam, sed etiam auctoritate sua in causa est, ut Missa coram ipso celebretur, ut notat Covarr., in c. Alma, p. 1, § 6, in fine, cum Gloss., in Clem. 2, verb. *Celebrare,* de Priv.; et Abb., in c. Illud, num. 8, de Cler. excom. ministrante; Hostien. ibi, n. 12, et c. ult. de Except. Præl., n. 2. Fundanturque in dicto c. Illud, quoniam ibi dicitur non excusari quemdam Episcopum excommunicatum, qui sub spe veniæ divina sibi fecerat celebrare, quominus pœnam, quam canon infligit, incurrat. Sed objici potest primo ex illo textu nihil efficaciter probari, quia ibi non explicatur, an illa pœna sit irregularitas, et si ponderentur illa ultima verba : *Ei non duximus infligendam,* ex eis videtur colligi non esse sermonem de aliqua pœna, quæ ipso facto incurratur, qualis esse solet irregularitas, sed de aliqua alia pœna per Ecclesiasticum judicem imponenda, qualis est depositio et alia similis. Unde alia lectio, quæ ibi in margine notatur, habet : *Pœna quam canones minantur,* etc. Secundo objicitur, quia de illo Episcopo tria referuntur in illo textu. Primum, in § Ipse vero, quod prætextu cujusdam excusationis divina officia solemniter celebravit. Secundum, in § Illud autem, quod sub spe veniæ divina sibi fecit celebrari. Tertium ibidem, quod communicationi fidelium se ingessit. Postea vero in fine ita subditur : *Cum eo misericordiam facientes, pœnam quam canon infligit his, qui post excommunicationem præsumpserint divina celebrare, vel se celebrationi ingesserint divinorum, ei non duximus infligendam.* In quibus ultimis verbis, non videtur puniri secundus excessus, quod sibi fecerit divina celebrari, vel sub illis verbis includitur, *celebrationi se ingesserit divinorum,* quæ communia sunt, sive simpliciter Missam audiat, sive eam jubeat coram se dici; ergo non intelligit propter illam causam incurrere irregularitatem; alias quocumque modo se ingerat, sive jubens, sive non, illam incurret; quia verba indifferentia sunt, et sine fundamento limitantur ad unum modum se ingerendi potius, quam ad alium; præsertim cum de utroque mentio præcessisset. Dicunt aliqui eum, qui auctor est, ut alius faciat, ita reputari, ac si ipse faceret; et ideo, qui auctor est, ut alius celebret coram se excommunicato, eamdem irregularitatem incurrere, quam ipse contraheret celebrando, quia jam celebrat per alium. Sed hujusmodi ratio in præsenti materia inefficax est, quia longe

gravius est delictum sacerdotis excommunicati celebrantis quam celebrantis coram excommunicato; et ideo qui inducit ad secundum, non censetur etiam moraliter committere primum; ergo, etiamsi daretur locus extensioni, non recte extenderetur pœna imposita priori delicto ad posterius. Quapropter Joan. Andreas, ut Panor. refert, negat in eo casu incurri hujusmodi irregularitatem, cujus sententia in rigore juris forte posset defendi, quia nullo jure satis probatur latam esse hujusmodi irregularitatem.

4. Nihilominus a priori sententia non censeo recedendum, quia communis opinio omnium etiam recentiorum eam amplectitur, quod etiam est signum usu et consuetudine esse receptam, ideoque in praxi censeo esse timendam hujusmodi irregularitatem. Quæ posset in illo textu fundari, si verba illa, *celebrationi se ingesserint divinorum,* ita interpretemur ut non dicatur se ingerere celebrationi is, qui simpliciter Missam audit, sed qui facit, et jubet ut coram se celebretur; nam hic proprie se ingerit celebrationi, ille autem solum auditioni. Supposita autem hac intelligentia videtur textus æquiparare (quoad pœnam) delictum se ingerendi celebrationi, cum delicto celebrandi; sicut ergo hujus pœna est irregularitas, ut in superioribus tractavimus, explicando præsentem textum, quoad hanc partem, ita et alterius pœna erit irregularitas.

5. *Objectio. — Fiatne irregularis excommunicatus coram alio excommunicato faciens celebrare.* — Dices, hinc sequi non solum eum, qui coram se, sed etiam coram alio excommunicato Missam facit celebrare, irregularem fore; dummodo ille, qui præcipit, excommunicatus etiam sit. Hoc enim supponendum est, quia si ille non sit excommunicatus, non magis fiet irregularis, quam ipse celebrans, de quo statim ostendemus non fieri irregularem; et quia textus solum loquitur de excommunicato, qui se ingerit celebrationi divinorum. Primum ergo fundamentum hujus irregularitatis est censura ejus qui auctor est, ut alius coram excommunicato celebret. Quod autem facit celebrare coram se vel coram alio excommunicato, non videtur variare rationem culpæ, ob quam pœna infertur; nam idem intervenit contemptus censuræ, idemque modus se ingerendi celebrationi divinorum, quantum ad activam celebrationem, quam per alium facere censetur; ergo eamdem irregularitatem in eo casu incurret. Quod si hoc admittatur, poterit ulterius inferri excommunicatum sacerdotem, qui alium facit celebrare, etiamsi non coram se neque coram alio excommunicato sed absolute, aut privatim, aut coram non excommunicatis, fieri irregularem, quia tunc etiam se ingerit activæ celebrationi divinorum, et per alium celebrare censetur, quod maxime urgebit, si pro se, etiamsi non coram se, faciat celebrari, quia tunc magis se ingerit et fit particeps celebrationis.

6. *Solutio.* — Respondetur, etiam si admittamus hanc irregularitatem propter communem sententiam, non esse extendendam ultra terminos ejus. At vero auctores illius solum dicunt excommunicatum audiendo Missam, cujus celebrationi auctoritatem præbet, irregularem fieri, ut patet ex Glossa, in Clement. 2 de Privil., v. *Celebrari,* in qua omnes fundati sunt; et ex dicto c. Illud, quod est præcipuum fundamentum; solum enim loquitur de eo, qui fecit celebrari coram se. Et ratio reddi potest, quia tunc solum se gerit virtualiter ac moraliter tanquam celebrans, quia de ratione celebrantis est, ut ipse intersit sacrificio, ut per se notum est; et ideo si non faciat coram se celebrari, nec se gerit virtute ut celebrans, nec se ingerit celebrationi, quantum necesse est ad hanc irregularitatem contrahendam, licet aliquem concursum ad celebrationem habere videatur. Et ideo dixi oportere, ut ipsemet, qui alium facit coram se celebrare, excommunicatus sit; nec satis erit quod inducat excommunicatum ad celebrandum coram se, ut supra contra Navarr. dixi, quia nemo contrahit irregularitatem ob celebrationem, nisi quia excommunicatus est.

7. *Resolutio data limitatur.* — Unde ulterius addo, hanc irregularitatem restringendam esse ad sacerdotes, ita ut non quivis, sed solus sacerdos excommunicatus faciens coram se celebrare, irregularis fiat. Quamvis Glossa, Panormitanus, Covarruvias, et alii simpliciter de excommunicato loquantur, et Navarrus, cap. 27, n. 244, expressius dicat: *Prælatum aut Dominum,* etc. Ratio autem, quæ me movet, est, quia si inspiciamus textum in illo c. Illud, solum loquitur de Episcopo excommunicato, qui coram se fecit celebrare; si vero consideremus rationem fundamentalem hujus irregularitatis, ea est, quod is, qui facit coram se celebrare, moraliter se gerit, ac si ipse celebraret; at vero solus sacerdos celebrans incurrit irregulari-

talem; ergo etiam solus sacerdos faciens coram se celebrare, illam incurret. Denique cum pœnæ ex suo genere restringendæ sint, multo magis hæc, quæ obscurissime ex jure colligitur.

Celebrans coram excommunicato vitando quomodo peccet quamve pœnam incurrat.

8. Secunda pars assertionis erat, prohibitionem hanc extendi ad ipsos sacerdotes non excommunicatos, ut coram excommunicato celebrare non possint, et graviter peccent, si contrarium faciant, quia communicatio in divinis cum excommunicato maxime prohibita est omnibus fidelibus, ut supra ostendimus; celebrare autem coram excommunicato, est communicare cum illo in divinis: ergo. Item quia in jure generatim statutum est, ne coram excommunicatis divina fiant, ut patet ex c. Is qui, de Sent. excom., ubi in particulari de celebratione est sermo. Idem colligitur ex Clementina 2 de Sent. excom. Hæc autem prohibitio nunc limitanda est ad excommunicatos nominatim, seu manifestos percussores clericorum, nam alios non tenemur vitare; et ita quamvis nobis constet eos esse præsentes, possumus celebrare; nam licet ipsi peccent assistendo, qui celebrat, non peccat, nec communicat peccato illorum, nisi illos fortasse inducat sine gravi causa aut necessitate, ut supra dictum est. Tunc autem peccabit, non proprie communicando cum tali excommunicato, nam hoc illi prohibitum non est, sed quia inducit illum ad malum.

9. Propter hanc autem communicationem incurretur excommunicatio minor, quod commune est, non vero irregularitas. Idem enim expresse cautum est in dicto cap. Is qui, de Sent. excom., in 6, et ratio in eodem textu non alia redditur, quam quod id non sit expressum in jure. Cur autem in jure non fuerit posita talis irregularitas, etiamsi fortassis pro aliis similibus delictis posita sit, cum pendeat ex arbitrio legislatoris, sufficiens ratio erit, ne tot multiplicentur irregularitates. Præterea quod qui celebrat coram excommunicato non violat directe censuram, et magis se habet ut patiens communicationem alterius excommunicati, seu non vitans illam, quam ut per se agens contra censuram. Quamvis autem in dict. c. Is qui, negetur incurri irregularitatem ob hanc culpam, tamen in cap. Episcoporum, de Privileg., in 6, censura interdicti ponitur in eos, qui publice excommunicatos ad divina officia, seu Ecclesiastica sacramenta admittunt; ubi Glossa advertit, hos esse vicinos irregularitati, quia si sic interdicti celebrent, irregulares fient. Verumtamen de hac censura interdicti, suo loco dicemus.

Quid faciendum, si excommunicatus vitandus, sacris interesse velit.

10. *Quid si expelli non possit.* — Circa hoc vero solet occurrere difficultas, quid debeat facere sacerdos, quando non potest expellere excommunicatum vitandum ab eo loco, in quo sacrificaturus est. In qua re dicendum est, si sacerdos tunc nondum inchoavit Missam, debere potius illam omittere, quam coram excommunicato celebrare. Ita docent omnes et a fortiori patebit ex dicendis. Si vero Missa jam est inchoata, et excommunicatus vitandus supervenit, et vult ei interesse, sistendum est, et excommunicatus monendus, ut recedat, ut colligitur ex Clementina 2 de Sentent. excomm., ibi : *Instantibus etiam celebrantibus exeant;* et infra : *A celebrantibus moniti ut exeant.* Et ibidem nova excommunicatio Pontifici reservata fertur in eos qui cum sint publice excommunicati, et ab ipsis celebrantibus in Ecclesiis ut exeant moniti, remanere præsumpserint. Quod si hæc admonitio et obligatio non sufficiat, adhiberi potest vis et coactio absque ulla injuria, quia illa potius est defensio Ecclesiasticæ immunitatis, adeo ut etiamsi excommunicatus, qui exire non vult, sit sacerdos, possit per vim expelli absque violatione canonis *Si quis suadente;* et ideo ad ostiarii munus pertinere dicitur ejicere excommunicatos. Et a simili optime confirmari potest ex c. Veniens, de Sentent. excomm. Et huc etiam spectat antiqua consuetudo, quod diaconus in Missa clamare solebat, ut qui non communicarent, exirent, quam etiam miraculo seu revelatione aliquando confirmatam esse refert Gregor., 2 Dialog., cap. 23. At vero si excommunicatus expelli non possit, distinguendum est; aut enim perventum est ad canonem, seu consecrationem, aut non. Si nondum perventum est, omittenda est potius Missæ perfectio, quam perficienda coram excommunicato. Quod etiam colligitur ex Clementina 2, ibi : *Ex quo frequenter contingit, quod non sine Dei offensione ac populi scandalo, ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta.*

11. At si sacerdos jam canonem inchoavit,

debet Missam absolvere usque ad specierum sumptionem, quia sacrificium nulla ratione debet imperfectum seu inchoatum relinqui, ut superiori tomo latius probatum est, disp. 85, sect. 1. Et in his conveniunt Doctores, ut videre licet apud Gabriel., in 4, d. 16, quæst. 3, art. 3, dub. 2; Sotum, dist. 22, quæst. 1, art. 4, post 2 conclus.; Antonium, tractat. de Excomm., cap. 79, num. 4; Horis Canonicis, cap. 16, num. 60; Glossam cum Doctoribus in dicta Clementina 2 de Sentent. excommun.; solum est quædam differentia notanda; nam Glossa, Antonius et alii, quos sequitur Navar., in Summ., cap. 72, num. 23, nihil amplius requirunt, nisi ut canon inceptus sit. At idem Navarr., cum Innocent., in cap. Nuper, de Sentent. excomm., et alii, dicunt, necessarium esse, ut consecratio inchoata sit, quia antea non est inchoatum substantiale sacrificium, sed omnes sunt cæremoniæ et orationes quasi præparatoriæ ad sacrificium; et ideo si consecratio inchoata non est, quamvis intermittatur officium et omittatur Missa, non relinqueretur imperfectum sacrificum, cum inchoatum non sit quoad substantiam; quoad accidentia vero a principio Missæ inchoatur, quare semper omitti poterit usque ad consecrationem exclusive. Quia illa differentia secundum magis, vel minus, seu secundum majorem distantiam, vel propinquitatem ad consecrationem, non refert, nec satis est, ut inducat obligationem inchoandi et perficiendi substantiam sacrificii, quia de hoc neque divinum præceptum extat, neque Ecclesiasticum tam grave, quam est præceptum de vitando excommunicato in divinis et maxime in Missæ sacrificio. Res est quidem dubia et ex utraque parte probabilis, quia nullum de hoc habemus jus expressum, et duo præcepta ibi concurrunt, unum de vitando excommunicato, aliud de perficiendo sacro officio inchoato; non est enim dubium, quin per se loquendo præceptum hoc sit etiam ante inchoatam consecrationem, quod proinde gravius obligat, quo propinquius ad consecrationem acceditur; et quia inchoato canone, jam propinquissime acceditur ad mysterium, ideo postquam ille inchoatus est, gravior reputatur obligatio perficiendi Missam, ut intelligi potest ex iis quæ de canone disseruimus præcedenti tomo, disput. 82, sect. 3. Unde cum utrinque etiam sint varia Doctorum judicia, liberum erit sacerdoti, quam voluerit partem, eligere.

12. *Dubium incidens, de sacerdote qui dum celebrat, recordatur se esse excommunicatum, expeditur.* — D. Thom. autem in simili casu tutius dicit esse Missam omittere, scilicet, quando ipsemet sacerdos recordatur se esse excommunicatum, ut patet 3 part., q. 83, art. 6, ad 2. Et hæc addenda sunt iis quæ ibi scripsi disput. 68, sect. 7, et disp. 85, sect 2. Major enim obligatio est in sacerdote non sacrificandi, quando est excommunicatus, quam non sacrificandi coram excommunicato. Si ergo ante inceptum canonem recordetur se esse excommunicatum, omittere debet Missam, si absque gravi scandalo aut infamia id facere possit, ut D. Thom. supra advertit, vel nisi facile possit inde absolutionem obtinere; si vero jam consecrationem inchoavit, perficere debet substantiam sacrificii, ut idem D. Thom. et cum eo omnes docent. De illo vero tempore intermedio a principio canonis: *Te igitur clementissime Pater,* usque ad consecrationem, res est utrinque dubia; tutius tamen videtur, etiam tunc Missæ sacrificium omittere, juxta D. Thomæ sententiam. Ad eumdem ergo modum opinabimur in præsenti casu; quanquam enim, ut dixi, non sit omnino eadem ratio, quia gravius est celebrare excommunicatum quam coram excommunicato, est tamen similitudo sufficiens, ut idem judicium ferendum censeamus.

13. Denique addunt Doctores in prædicto casu post sumptionem sacramenti, quod reliquum est Missæ, non esse coram excommunicato absolvendum; sumptio enim vel est de essentia sacrificii, vel multum pertinens ad substantiam ejus; et ideo saltem usque ad illam peragendum est sacrificium, c. Relatum, de Consecrat., dist. 2; et quia peragi debet decenti et convenienti modo, ideo nihil omitti debet eorum, quæ in tota illa actione usque ad sumptionem sacramenti fiunt; post peractam vero sumptionem, cum jam omnino, et indubitanter tota substantia sacrificii consummata sit, si adhuc excommunicatus recedere nolit, in sacristiam vel alium convenientem locum secedere debet sacerdos, et ibi cætera perficere. Quod quidem non invenio in aliquo jure specialiter præscriptum, sed ex illo principio generali colligitur ab auctoribus, quod coram excommunicato non sunt sacra officia peragenda; nam ab hac regula solum excipitur illud sacrum ministerium, quod necessarium est ad sacrificium inchoatum perficiendum; cum ergo id, quod post sumptionem sequitur, necessarium non sit ad perfectionem sacrificii, non erit coram excommunicato

dicendum, sed vel omittendum, vel alio convenienti loco perficiendum.

14. *Liceatne simul cum excommunicato vitando Missam audire. — Ratio dubii. — Prima sententia.* — Ultima pars propositæ assertionis erat, prohibitum esse ex vi censuræ, ne cum excommunicato in audienda Missa alii communicent, id est, ne simul cum eo eamdem Missam audiant. Quæ pars non est ita certa sicut præcedens, quia non est in jure expressa; sed colligitur solum ex illo generali principio, quod cum excommunicato communicandum non est, præsertim in divinis. Dubitari autem potest, an illa coauditio Missæ, ut sic dicam, sit communicatio in divinis; inter faciendum enim rem sacram et audiendum est quædam communicatio, quia et ille, qui audit, offert per sacerdotem, et sacerdos ejusmet oblationem principaliter offert. Item sacerdos veluti ministrat ei qui audit, et hic fruitur ministerio ejus. At vero inter audientes inter se nulla videtur esse communicatio, quando sunt pure audientes et nullo modo ministrantes; nam si aliquo modo ministrent et cooperentur sacerdoti, jam tunc saltem mediate communicabunt; quando tamen uterque est pure audiens, licet unusquisque cum sacerdote communicet, non tamen inter se, quia neque unus audit alium, nec loquitur cum alio, nec ministrat alteri. Nec sequitur, si ambo communicant cum tertio, communicare inter se; sicut non sequitur, si duo sunt amici uni tertio, esse etiam inter se; et multa possunt uniri in tertio, quæ non uniuntur inter se, nisi per accidens et quasi extrinseca denominatione. Unde Durand., in 4, dist. 18, quæst. 5, n. 7, sentit, hanc in rigore non esse communicationem, adhibetque alia exempla tam ex divina quam humana communicatione; nam si duo accedant ad communicandum, quorum unus sit excommunicatus, non alter, et sacerdos utrique det Eucharistiam, licet ipse sacerdos peccet et communicet cum excommunicato, alter vero, qui Eucharistiam sumit, non communicat cum illo. Et similiter, quamvis Joannes non excommunicatus simul salutet Petrum non excommunicatum et Paulum excommunicatum, etiamsi Petrus salutet Joannem, non propterea dicetur communicare cum Paulo excommunicato.

15. *Vera sententia.* — Nihilominus contraria sententia communiter recepta est; tenet eam Paludan., dist. 18, quæst. 6; Soto, d. 22, quæst. 1, art. 4; Cajetan., verb. *Excommunicatio major*, cap. ult., in fine; Sylvest., *Excommunicatio* 5; Navarr., in Sum., c. 27, num. 19, cum Innocent., in cap. Nuper, de Sentent. excom., et ipse Durand. non audet omnino ab hac sententia recedere: *Quia in talibus* (ait) *non sunt relaxandæ habenæ in elusionem interdictionis Ecclesiæ; ideo nemini consulerem, quod audiret divina, præsente excommunicato ad audiendum.* Ratio vero est, quia juxta communem usum et sensum Ecclesiæ, hæc conjunctio fidelium ad idem sacrificium suo modo offerendum, vel ad eamdem mensam spiritualem, est quædam exterior significatio mutuæ unionis et conjunctionis in eodem corpore, a quo præcisus est excommunicatus; et ideo illa est communicatio prohibita inter alias ex vi censuræ excommunicationis. Quo fit, ut si inchoata etiam consecratione Missæ excommunicatus adveniat, alii, qui audiunt, exire seu eam relinquere teneantur, relicto solo ministro, qui sacerdoti inservit, quia in eis non procedit ratio de perficiendo sacrificio; et ideo statim obligantur vitare communicationem cum excommunicato, quod sentiunt auctores citati. Oportet autem, ut omnes advertunt, ut excommunicatus adsit formaliter (ut sic dicam) ad audiendam eamdem Missam; nam licet ibi vel prope adsit aliud agens, non propterea communicabitur cum illo. Et idem est, si in eadem Ecclesia audiat aliam Missam, quia tunc cessat supradicta ratio, quod non solum procedit inter audientes, sed etiam inter sacerdotem dicentem et excommunicatum; nam licet excommunicatus in uno altari ejusdem Ecclesiæ Missam audiat, non propterea communicabit cum illo sacerdos, qui eodem tempore in alio loco ejusdem Ecclesiæ Missam dixerit. Hæc autem communicatio coaudientium eamdem Missam est minima omnium, quæ esse possunt respectu talis rei; et ideo non habet peculiarem pœnam impositam, præter excommunicationem minorem; et fortasse potest a mortali culpa excusari, si fiat sine ulla inductione vel cooperatione, et sine contemptu, aut scandalo, et præsertim, si aliqua necessitate, vel pietatis specie fiat.

SECTIO II.

Quæ sint alia divina officia, quibus excommunicatus privatus est, et sub qua pœna.

1. *Regula generalis.* — Secunda, et quasi fundamentalis regula in hac materia est, excommunicatum eodem modo privatum esse

participatione aut communicatione in aliis divinis et Ecclesiasticis officiis. Hæc assertio certa et communis omnium, habetque eadem fundamenta, quæ præcedens conclusio, et eodem modo, ac per eadem membra exponenda est. Est enim hic sermo de communicatione externa; nam de interna, scilicet quoad fructum impetrationis vel satisfactionis participandum, jam satis dictum est. Communicatio autem illa exterior, etiam hic intercedere potest quatuor modis supra tractatis, scilicet, vel quia ipse excommunicatus per se facit, aut ministrat, et cooperatur divino officio solemni et publico, vel quia illo assistit, vel e converso, quia non excommunicatus coram excommunicato divinum aliquod officium facit, vel denique quia cum excommunicato simul assistit divino officio. Et his omnibus modis procedit hæc prohibitio, sicut de officio Missæ dictum est. Et cum eadem proportione nunc est applicanda ad excommunicatos vitandos vel non vitandos; nec oportet eadem hic repetere. Nonnulla vero hic in particulari explicanda supersunt.

Quæ sint divina officia, quibus excommunicatus privatur.

2. Primo enim declarandum est, quid nomine divinorum officiorum intelligendum sit, et quod ministerium circa illa prohibitum sit ipsi excommunicato. Ad quod breviter respondetur (secluso officio Missæ, de quo jam dictum est), in primis sub eo nomine comprehendi canonicum officium septem horarum, quæ in Ecclesia publice recitantur. Deinde publica processio, ad quam populus fidelis concurrit. Omnis item publica oratio, aut benedictio, aut similis cæremonia Ecclesiastica, quæ ex ejus vel Christi institutione solemniter fit, et semper est annexa alicui Ordini clericali, ut est Evangelium vel Epistolam solemniter cantare, aut proprium munus cujusvis inferioris Ordinis solemniter et ex officio exercere. Item aquam, olivas aut candelas solemniter benedicere, et multo magis chrisma conficere, vel oleum sanctum benedicere, et similia. Quæ probantur partim ex consuetudine et communi sensu Ecclesiæ, partim ex communi interpretatione Doctorum, quia hæc omnia sub divinis officiis comprehendunt, cum de hac materia loquuntur; partim etiam ex juribus, quæ omnia illa officia divina, quæ sunt propria alicujus Ordinis clericalis, et ita instituta sunt, ut a ministro publico Ecclesiæ ad illud opus consecrato, fieri solemniter debeant, sub hac voce in præsenti materia comprehendunt, ut colligitur ex cap. Si quis Episcopus, 4, cum aliis, 11, quæst. 2, et cap. 1, et cap. Is cui, de Sentent. excom., in 6, et cap. 1 de Sentent. et re judic., in 6, et ex particularibus exemplis statim tractandis id magis constabit.

3. *Nomine divini officii non comprehendi sacram concionem. — Excommunicati vitandi prohibentur concionari.* — Non comprehenditur autem, proprie loquendo, sub hac voce sacra concio. Nam certum est posse excommunicatum sacræ concioni interesse, ut expresse statuitur in cap. Responsio, de Sent. excom., ubi concionari excommunicatis permittitur : *Dummodo eis nullum divinum officium celebretur.* Ex qua partitione in omni proprietate sermonis constat, concionem non esse divinum officium, neque partem ejus, et ex se generalem esse tam pro Ecclesiæ membris quam pro externis, etiam pro infidelibus. Unde in Concil. Carthag. IV, c. 84, sic statuitur : *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum,* quod est cap. 67 de Consecr., dist. 1; ergo non est cur excommunicati excludantur. Dices : omnis sermo vel communicatio cum excommunicato prohibetur. Respondeo : ut infra ostendemus, quando locutio est ad utilitatem et conversionem ipsius excommunicati, non prohibetur; concio autem ex se ad hunc finem tendit, et ideo neque ipse excommunicatus interesse, neque Ecclesiæ minister coram excommunicato concionari, neque alii fideles simul cum excommunicato concioni adesse prohibentur. At vero ipse excommunicatus merito censendus erit prohibitus concionari; nam ibi cessat ratio, propter quam ei conceditur, ut possit concionem audire; nam qui aliis concionatur, nn suam, sed aliorum utilitatem, per se loquendo, intendit. Non est autem concessum excommunicato communicare cum aliis propter eorum utilitatem, nisi forte in extrema vel gravi necessitate, præsertim quia excommunicatus pro eo statu non potest convenienter illud munus obire, et fortasse potius scandalum, quam fructum consequeretur, moraliter loquendo.

4. *Non autem non vitandi. — Navarri dictum improbatur.* — Addit vero Soto supra, hoc procedere de excommunicatis vitandis; nam alii non vitandi non omnino eamdem obligationem subeunt, quia neque ipsi pecca-

bunt mortaliter, si ex officio hoc munus obeant, neque alii, si eorum concionibus intersint. Et hoc quidem posterius absolute, et sine limitatione verum est, quia alii non tenentur vitare hujusmodi excommunicatum in ullo communicationis genere; illud vero prius juxta superius dicta moderandum est, scilicet, ut in aliorum favorem tantum, et ipsis exigentibus jus suum, vel morali eorum necessitate postulante, et non in suum favorem se ingerat; est enim hic eadem ratio, quæ in præcedentibus. Imo addit Navar., in Sum., c. 27, n. 163, versu *Octavo infertur*, excommunicatum concionantem, si solemniter et quasi ex officio ad modum sacerdotis prædicet, fieri irregularem, quia ille actus est soli sacerdotio institutione divina adjunctus, licet consuetudine jam sit diaconatui etiam deputatus; et ideo videtur esse actus Ordinis sacri. Sed non existimo verum, quia proprie potius est actus jurisdictionis quam Ordinis. Christus enim cum dixit : *Pasce oves meas*, aut : *Prædicate Evangelium*, non dedit potestatem Ordinis, sed jurisdictionis. Neque jure divino hic actus requirit Ordinem, se dauctoritatem pastoris juxta Paulum, 1 ad Cor. 10; et Innocent. III, in c. Excommunicatus, § Quia vero, de Hæret. Nec jure divino statutum est, ut solis sacerdotibus committatur hoc munus, sed id suo tempore statuit Leo I papa, epist. 63, cap. Adjicimus, 16, quæst. 1. Jam vero diaconibus generaliter, et aliis interdum specialiter conceditur. Et quamvis fere semper solis clericis concedatur, non tamen quia sit actus Ordinis, sed quia per illos et securius, et decentius fit, juxta cap. Sicut in uno, de Hæret. Unde in necessitate laico etiam committi potest.

5. *Num excommunicato interdicta sit lectio præsertim sacra.* — Sed an sit idem dicendum de lectione præsertim sacra, ut Theologiæ, vel divinæ Scripturæ? nam aliqui eodem modo loquuntur de lectione et concione. Et quidem quantum ad hoc, quod non contineatur sub officio Ecclesiastico, nec communicatio in illa sit communicatio in sacris, manifesta res est; quantum vero ad illam qualemcumque communicationem, quæ in illa intervenit, videtur esse nonnulla diversitatis ratio. Primo quidem, quia de concione habemus jus expressum, non vero de lectione. Deinde ex fundamento illius juris, quia concio per se ordinatur ad effectum, et conversionem hominis; lectio vero ad intellectum. Unde illa est medium per se conferens ad finem excommunicationis, non vero hæc; et ideo licet illa non prohibeatur ex vi excommunicationis, non recte idem infertur de hac. Quocirca de ipso excommunicato dicendum censeo, non posse sese intromittere huic muneri, neque dicendo, neque audiendo; nam excommunicato et communicare, et quantum in ipso est, communicari, prohibitum est, ex cap. Illud, de Clerico excommun. ministr.; hæc autem communicatio magna est inter humanas, etiamsi proprie divina non sit. Quod tamen, quoad excommunicatos non vitandos, cum moderatione sæpe posita intelligendum est; nam si ex officio teneatur docere, et non possit per alium satisfacere suo muneri, in gratiam boni communis, quod semper quasi exigit jus suum, posset suum munus exercere. Alii vero, qui non sunt excommunicati, non tenebuntur cessare, aut intermittere hoc officium propter præsentiam excommunicati, quia, nec magister, nec condiscipuli tenentur lectionem omittere, eo quod aliquis audientium excommunicatus sit, quia revera, neque humano modo loquendo, communicant cum illo; neque in hoc est æquiparanda hæc actio cum coassistentia in Missa, vel alio officio sacro, quia non ita uniuntur auditores per modum unius corporis politici ad cooperandum in una actione, sicut in alia. Imo addit Soto, posse Doctores respondere discipulo excommunicato interroganti super lectione, quod ego non facile concederem, nisi interrogatio esset talis, ut responsio posset ad utilitatem animæ, et conversionem ejus ordinari, quia illa est communicatio jam individua, particularis, ac mutua, quæ, ut infra videbimus, prohibita est, nisi in casibus a jure expressis.

6. *Hæ sacræ actiones prohibentur excommunicato sub gravi culpa.* — Omissis ergo his muneribus, quæ non sunt officia Ecclesiastica, circa hæc videndum sequitur, quod ministerium prohibitum sit excommunicato in his officiis. In quo breviter dicendum est, in primis prohiberi omnibus clericis, ne solemniter, et ex officio ministrent in aliquo munere sacro ad suum Ordinem pertinente, neque in aliqua parte ejus, quod est manifestum ex juribus supra citatis. Deinde prohibitum est omni excommunicato, ne laicorum more ad hujusmodi officia cooperetur, quia etiam est communicatio quædam in rebus divinis. Utroque autem modo peccatum mortale committit excommunicatus in his divinis officiis ministrando, ut communis

sententia Theologorum in 4, dist. 18, præsertim D. Thom., quæst. 2, art. 4, quæst. 3, ad 1, et Quodl. 11, art. 9: Durandi, quæst. 5; Gabrielis, quæst. 3, dub. 4; Cajet., 1. 2, quæst. 6, 96, art. 4, et in Summ., verb. *Excommunicatio major,* cap. penult. et ultim.; Adriani, quæst. 3, de Clavib., et Quodl. 1, art. 3; Soti, dist. 22, q. 1, art. 4; Covarruv., qui refert alios, cap. Alma, part. 1, § 2 et 3, et § 7, num. 5; Navarri in Manual., cap. 25, num. 23. Et sumitur a fortiori ex cap. Significavit, de Sent. excomm., et cap. Sacris, de Iis quæ vi, et aliis, quæ habentur 11, q. 3. Ratio vero est, quia actiones, quæ per se primo, et directe prohibentur excommunicatis, sunt hæ sacræ et publicæ. Est etiam hæc materia ex se gravis, et habens magnam deformitatem, quia excommunicatus est quasi membrum abscissum ab Ecclesia; et ideo absurdum est, quod ad sacras, et publicas functiones peragendas se ingerat. Hoc vero peccatum gravius est in clerico ministrante solemniter, quam in laico, vel in clerico, qui more laici privatim ministrat, et concurrit. Ita sentiunt citati Doctores, et colligitur ex citatis juribus, et ex iis, quæ in sequente illatione afferemus. Estque evidens, tum ex circumstantiis ipsius actionis, et ministerii, quod eo gravius est, et magis sacrum, quo fit a persona ut specialiter consecrata ad illud munus; tum etiam ex circumstantia ipsius personæ, quæ ratione sui muneris tenetur et magis Ecclesiæ obedire, et sanctius hujusmodi ministeria exercere.

Clericum excommunicatum publice exercentem ministerium sacrum sui Ordinis, fieri irregularem; non autem si laicorum more aliquid faciat.

7. Atque hinc factum est, ut quilibet clericus excommunicatus exercens solemniter ministerium sacrum suo Ordini annexum, habeat ipso jure impositam irregularitatis pœnam; si autem laicorum more aliquid hujusmodi faciat, nullam incurrat pœnam, præter excommunicationem minorem. Hoc posterius certum est, quia nulla alia pœna pro hoc excessu in jure invenitur. Prior autem pars communis est, et præcipue colligitur ex toto titulo de Clerico excomm. ministr., de quo multa diximus superius agentes de administratione sacramentorum; et ostendimus jura, quæ de hoc loquuntur, in eo sensu communiter interpretata esse, et usu recepta; ergo dubitandum non est de hac irregularitate; nam jura idem sentiunt de administratione solemni in aliis officiis divinis, ac in celebratione Missæ, vel aliorum sacramentorum, ut constat ex cap. Si quis Episcopus 4, 11, quæst. 3, ibi : *Sive Episcopus, aut presbyter, aut diaconus facere oblationem, aut matutinum, aut vespertinum sacrificium, quasi in officio suo agere sicut prius præsumpserit,* etc., et ex cap. 1 de Sent. et re judic., in 6, ibi : *Si suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet.* Quod magis explicatur in cap. 1 et c. Is cui, de Sent. excom., in 6, dum dicitur : *Si divinis se ingerat, in suo agens officio, sicut prius.* Nam illa verba generalia sunt, et ita omnia ministeria Ecclesiastica, quæ solemniter, et ex officio fiunt, comprehendunt, ut notavit Glossa, in dicto cap. 1 de Sent. excomm., in 6, verb. *Sicut prius,* et Innocent. ibi, num. 4; Abbas, cap. 2, num. 7, de Cleric. excomm. ministr., et fere per totum illum titulum; Navarr., c. 27, num. 163 et 244; et Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 8; Majol., lib. 3 de Irregular., cap. 21; et declaratur brevi discursu facto per omnes Ordines, et nonnullos actus earum.

8. *Nomine clericatus non comprehenditur hic prima tonsura.* — Et primum de minoribus, de quibus majus posset esse dubium, id affirmant Doctores citati, eo quod in dicto cap. 2 generaliter dicitur : *Si quis presbyter aut alius clericus;* nam appellatione cleric veniunt omnes in minoribus Ordinibus, vel aliquo eorum constituti, ut ibi notat Panormitanus, num. 10, et est per se manifestum. Majus dubium esse posset, quia in eo textu non fit mentio irregularitatis; tamen jam dixi pœnam, quæ in illo, et aliis textibus insinuatur, jam esse sufficienter declaratam irregularitatem. Dubitare tamen aliquis potest, quia nomine clerici etiam comprehenditur ille, qui solam primam tonsuram habet, cap. Cum contingat, de Ætate et qualitate. Dicendum vero est, primam tonsuram non esse Ordinem, neque habere aliquod officium Ecclesiasticum solemniter exercendum sibi annexum; et ideo ad hujusmodi clericum irregularitatem hanc non pertinere; nam distributio debet esse accommodata, et ita comprehendit omnes clericos habentes ministerium solemne suo Ordini annexum.

9. *Quando censendi sint minores clerici ministerium suum solemniter peragere, ut irregularitatem incurrant.* — *Ratio difficul-*

tatis. — Sed tunc difficile est explicare, quando censendi sunt bujusmodi clerici minores ita solemniter ministerium suum peragere, ut si excommunicati sint, irregularitatem incurrant. Et ratio difficultatis est, quia nihil ab eis fit quod tam in substantia, quam in modo, non possit fieri, et sæpe fiat absque culpa ab eo, qui talem Ordinem non habet. Solum autem dicitur clericus exercere Ecclesiasticum munus tanquam minister ex officio, quando ita illud exercet, ut a nemine non habente talem characterem possit tali modo licite exerceri; qua enim alia ratione discernere possumus ministerium clericale a non clericali, et ex officio seu solemne a privato? Antecedens declaratur; nam ad acolythum, v. gr., spectat accensos cereos ferre, et urceolos aquæ et vini ministrare, cap. Acolythus, 23 dist., et non habet aliam solemnitatem in suo ministerio, nisi quia in Missa solemni, et cum aliquibus vestibus sacris illud exhibet; totum autem hoc fit passim in Ecclesia per eos, qui nullum Ordinem habent, vel ad summum primam tonsuram, quod licite fieri juxta Ecclesiæ consuetudinem docuit D. Thom. in 4, dist. 24, quæst. 2, art. 2, ad 9, et nihil distinguit in ministeriis horum inferiorum Ordinum, quod fiant solemniter, vel non solemniter, sed quidquid ab his ordinariis ex officio fit, docet fieri posse per eos, qui non habent tale officium, vel talem Ordinem. Et idem sentit Antoninus, 3 part., tit. 28, cap. 1. Unde in § 1, refert quemdam Guilhelmum dicentem, constitutum in minoribus Ordinibus, et excommunicatum exercendo officium suum, etiam cum solemnitate, non fieri irregularem, quia jura de eo non loquuntur, et pœnæ sunt restringendæ. Quæ ratio parum probat, quia jura generalia sunt. Ipse vero Antoninus ab ipsa sententia non discedit.

10. *Resolutio dubii.* — Et quidem secundum Ecclesiæ præsentem usum probabilissimum mihi est, raro, vel nunquam incurri hanc irregularitatem, quia vix aliquid, aut aliquo modo faciunt clerici constituti in solis minoribus Ordinibus, quod laici non consueverint facere. Est autem generalis regula Doctorum, etiamsi sit clericus, qui ministrat, si tamen illud ipsum, et cum eadem solemnitate posset fieri a laico, non fieri irregularem, quia non censetur operari, ut minister ad id deputatus per characterem, quandoquidem sine charactere idem facere posset. Quamvis autem frequentius hoc ita sit, contingere possunt casus, seu eventus, in quibus hæc irregularitas contrahatur. In acolythis, v. gr., si in aliquo solemni officio, vel ob dignitatem personæ celebrantis, ut si sit Episcopus, vel etiam Summus Pontifex, vel ob loci amplitudinem, aut receptum usum, sint peculiares vestes sacræ determinatæ ad munus acolythi exercendum, quibus uti non possunt, neque in tali officio solemniter ministrare, nisi qui talem Ordinem susceperunt, tunc acolythus excommunicatus sic ministrans, irregularis fiet, quia tunc revera operatur, ut minister ex officio consecratus. Idem censerem de exorcista, si veste sacra indutus exorcismos Ecclesiæ super energumenos excommunicatus proferret; nam tunc plane uteretur potestate sibi in Ordine data; et sic de reliquis.

11. *Ob quam actionem excommunicatus subdiaconus, aut diaconus irregularitatem incurrat. — Ob quas actiones presbyter excommunicatus fiat irregularis.* — Ex quibus facile intelligitur, subdiaconum incurrere hanc irregularitatem, si vestibus sacris indutus in solemni Missa Epistolam cantet; nam tunc maxime exercet suum munus tanquam minister ad id ex officio deputatus; secus vero erit, si absque vestibus sacris aut Missæ inserviat, aut Epistolam in choro cantet. Nam hoc etiam laici facere consueverunt; unde non operatur ibi tanquam ministrans in officio suo, quod ad hanc irregularitatem jura requirunt. Et eodem modo, proportione servata, sentiendum est de diacono, cujus ministerium, quia sacratius est, fieri non solet in Ecclesia a laicis, nec sine vestibus sacris, saltem quoad Evangelium cantandum. Et hæc est communis sententia Doctorum, quos citavimus, præsertim Richardi, dist. 18, art. 7, quæst. 5; Innocentii, et Abbatis, in cap. ult. de Excessib. Prælat.; Sylvest., verb. *Irregularitas*, n. 15; Navarri de Horis Canonicis, cap. 7, num. 40. De presbytero autem, quod attinet ad munus sacrificandi, et ministrandi sacramenta, supra satis dictum est. Hic solum est addendum, quoties in Ecclesia, aliquod munus exercet proprium presbyterorum, vel cum ea solemnitate, quæ a solis presbyteris fieri potest et debet in Ecclesia, irregularem fieri, si excommunicatus id faciat. Exempla communia sunt, si aquam benedicat ritu ab Ecclesia præscripto, vel cereos, olivas, et alia hujusmodi, vel si vestibus sacris indutus, et præmissis orationibus ab Ecclesia institutis, aqua benedicta populum aspergat. Item si hebdoma-

darii munus in choro exerceat, inchoando officium, dicendo Capitulum et orationem, et similia; quia in his omnibus operatur, ut minister ex officio consecratus, cui ratione sui characteris talia munia reservata sunt.

12. *Quorumdam limitatio.* — *Rejicitur.* — At vero si sacerdos excommunicatus tantum in choro cantet cum aliis, licet peccet, non videtur hanc irregularitatem incurrere, quia illud munus præstare solent non clerici, etiam superpellicio ornati. Quidam autem hoc limitant, nisi clericus hoc faciat ex officio, quod ante excommunicationem exercebat, et postea exercet, sicut prius, ut si Canonicus excommunicatus, signo dato, eodem modo cum aliis ad chorum vadat, et publicas preces fundat, quia jura dicunt irregularem fieri clericum, qui in suo officio ministrat sicut prius. Sed non existimo veram esse hanc limitationem, quia ille Canonicus (et idem est de quolibet alio simili) tunc non ministrat in proprio officio presbyteri aut clerici, sicut prius, sed in officio Canonici, quod et habere, et exercere potest, qui nullum habet Ordinem, quantum est ex vi talis dignitatis; non est autem irregularis, qui in quolibet officio ministrat sicut prius, sed qui ministrat in officio, quod in substantia, vel in modo sit proprium ministerium alicujus Ordinis; cantare autem in choro non est tale ministerium, nisi aliqua alia circumstantia adhibeatur, quæ juxta Ecclesiæ institutionem, aut consuetudinem, Ordinem requirat. Et hæc est sententia communis Doctorum quos retuli; et præsertim Canonistarum cum Innocent. et Abbate, in dict. cap. ult. de Excessibus Prælatorum.

An clericus excommunicatus possit aut debeat Horas Canonicas recitare.

13. Hic vero dubium occurrit de Horis Canonicis, an clericus in sacris, vel religiosus professus excommunicatus eas possit, ac debeat recitare. Quia non potest divina officia obire; ergo neque hoc, quod in recitatione Horarum perficitur. Breviter tamen dicitur, has easdem Horas posse in Ecclesia dici vel solemniter, seu publice, vel privatim. Priori modo dici non possunt ab excommunicato; et sic procedunt omnia, quæ dicta sunt; posteriori autem modo dici ab eo possunt, quia non est prohibitus excommunicatus, quin privatim orare possit, et mente, et voce. Neque etiam illi vetitum est, quin possit uti orationibus ab Ecclesia institutis in sua privata oratione, dummodo in hoc ipso usu talium orationum non se gerat, ut minister publicus Ecclesiæ. Et ideo adnotant Doctores, quando excommunicatus Horas Canonicas recitat, debere omittere salutationem, *Dominus vobiscum,* et loco illius dicere, *Domine exaudi orationem meam;* adeo ut si sit sacerdos, aut diaconus, dicendo, *Dominus vobiscum*, irregularis fiat, ut advertit Navarrus cum communi sententia, dicto lib. de Orat., cap. 7, num. 16, quia juxta usum Ecclesiæ ille versiculus a solis sacerdotibus, vel diaconibus dici potest, et per se fert personam publicam. Hoc limitandum est, nisi intercedat excusatio a culpa; hæc enim irregularitas, quæ est pœna, non incurritur, nisi propter culpam, ut ratio pœnæ postulat, et significatur in cap. penult. de Sentent. excomm. Et quoniam illa pœna gravis est, censeo non incurri sine culpa mortali. In hoc ergo potest facile excusari culpa mortalis ex inadvertentia cum levi negligentia; item si fiat ex quadam verecundia sine contemptu, licet fiat advertendo, ex levitate materiæ potest esse venialis culpa, quia est actio valde privata, et nihil fere offendens Ecclesiam. In his ergo casibus non incurretur irregularitas.

14. *Excommunicatus, qui alias tenebatur officium recitare, ob excommunicationem non liberatur illo onere.* — Unde ulterius fit, si excommunicatus alias tenebatur recitare officium, non excusari propter excommunicationem, ut notavit Abbas, in cap. 2 de Clerico excomm. ministr., num. 8; et Navarr., dicto cap. 7, de Orat., num. 16, et in Summa, cap. 25, num. 102, ubi citat cap. 2, et cap. Illud, de Clerico excomm. ministr., ex quibus nihil video circa rem hanc elici posse. Id vero docuit Glossa ult. in cap. Presbyteros, dist. 28. Idem tenet Sylvestr., verbo *Horæ*, num. 4, ubi alia jura refert, quæ ad summum induci possunt a contrario sensu. Idem tenet Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 3, num. 8, et alii infra referendi. Ratio est, quia excommunicatus potest licite Horas recitare, ut ostensum est; ergo si alias habet obligationem, tenebitur; nam excommunicatio non tollit obligationem, neque aliqua alia probabili ratione excusat. Præterea hæc obligatio est onus quoddam; excommunicatio autem, cum sit pœna, non confert per se favorem aliquem, seu immunitatem, ut ait Jureconsultus in leg. *Relegatorum,* § Solet, ff. de Interdictis et relegatis. Alioqui excommunicatus

ex sua contumacia commodum reportaret, quod esse absurdum satis per se constat, et a simili colligitur ex cap. Etsi necesse, de Donation. inter virum et uxorem. Dices : hac ratione probaretur parochum excommunicatum nominatim, ac denunciatum, debere sacramenta ministrare, et similia opera facere, quæ sunt ejus onera; alioqui si ab his excusatur, etiam reportat commodum. Respondetur, negando sequelam; nam jura expresse privant excommunicatum ministerio, et usu sacramentorum, tum quia illud ministerium ex se est publicum, et fit a ministro, ut persona publica; tum etiam quia in hoc magis attenditur ad honorem et reverentiam ipsius sacramenti, quam ad onus ipsius excommunicati; tum denique quia licet videatur excommunicatus aliquo modo levari onere ministrandi, tamen per se, et ex intentione legis potius privatur honore vel commodo, et ipsamet privatio est majus onus, quam erat obligatio ministrandi; a qua etiam obligatione non omnino liberatur, cum saltem per alium, et expensis sui beneficii, suæ obligationi satisfacere teneatur.

15. *Teneaturne excommunicatus beneficiarius eo titulo officium recitare.* — Sed quamvis hæc solutio difficultatem nullam habeat, quando obligatio dicendi horas nascitur ex sacro Ordine, aut professione religionis, quia ille titulus nec tollitur, nec minuitur ex vi censuræ, tamen, quando oritur ex beneficio Ecclesiastico, videri potest nimis rigorosa, quia excommunicatus privatur fructibus sui beneficii, cap. Pastoralis, in fine, de Appellat., et ex eorum perceptione oritur obligatio recitandi officium; ergo consequenter debet hac obligatione carere. Ita quidem asseruerunt aliqui, ut refert Covarr., lib. 3 Variar., cap. 13, num. 8, circa finem. Contrarium autem verum est, quod ille ibidem docet cum Palud., in 4, dist. 15, quæst. 5, art. 1; quod etiam tenent Sylvest., Angel., et alii communiter. Et ratio est, quia ille retinet titulum beneficii, ac possessionem, et solum per eum stat, quominus faciat fructus suos, et ideo non est, cur liberetur onere, et obligatione dicendi officium. Ut enim dicitur in regula juris, in 6 : *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.* Imo hæc est pœna, quam excommunicatio inducit, scilicet, ut excommunicatus privetur commodo, non vero onere. Sicut etiam qui non residet, privatur fructibus, et nihilominus recitare tenetur.

16. *An possit excommunicatus cum socio officium recitare, et an ita tacite ut a nemine audiatur.* — *Prima sententia.* — Sed inquiri rursus potest an excommunicatus possit hujusmodi officium cum alio socio recitare, vel teneatur solus privatim dicere. Item an teneatur ita occulte dicere, ut ab aliis audiri non possit. Neutrum enim onus videtur imponendum excommunicato; nam in orationibus privatis non tenetur sese occultare, sed potest coram aliis eas fundere, et alii coram ipso; ut si simul concionem audiant, in initio simul recitare possunt salutationem angelicam. Idemque facere possunt audito signo, quod ad salutandam Virginem datur, quia, licet signum sit publicum, oratio tamen uniuscujusque privata est. Rursus, si excommunicatus velit, v. gr., Officium Beatæ Virginis recitare, non videtur illi prohibitum, cum alio socio illud dicere, quia illa est oratio privata, et non videtur prohibitum communicare cum excommunicato in oratione privata; ergo neque ipsi excommunicato prohibitum est in eadem oratione privata cum aliis communicare. Atque ita videtur sentire Navarr., cap. 27, num. 36, § ad 5. Quod inde confirmat, quia omnis sermo, vel salutatio, quæ fit ad excommunicatum per modum deprecationis, vel exhortationis pertinentis ad salutem animæ ejus, non est prohibita; sed hujusmodi consortium in oratione privata potest esse utile ad salutem excommunicati, et semper potest ad illum finem ordinari; ergo hac ratione non est prohibitum vel aliis cum excommunicato, vel excommunicato respectu aliorum. Tunc ulterius excommunicatus recitans officium canonicum, non orat, ut minister publicus, sed privata oratione; nam propterea non potest dicere, *Dominus vobiscum,* ut notavimus; ergo potest illud cum socio dicere. Et confirmatur, nam, si illud recitaret absque obligatione ex privata devotione, posset cum alio illud dicere; ergo etiamsi ex obligatione illud dicat, quia cum semper se gerat ut persona privata, obligatio non potest hoc novum impedimentum inducere.

17. *Vera resolutio.* — *Confirmationi Navarri fit satis.* — Nihilominus probabilius est, excommunicatum non posse hujusmodi canonicum officium cum alio dicere, ut expresse notavit idem Navarr., de Oration. et hor. canonic., cap. 7, num. 16; et Covarruv., cap. Alma, part. 1, § 3, num. 8, ex illo generali principio, quod excommunicato omnis

exterior communicatio cum aliis fidelibus interdicta est. Dicere autem preces simul cum alio est communicatio quædam; ergo etiam hæc prohibita est in cap. Excommunicatos, 11, q. 3, ibi : *Nec cum eis in oratione communicent;* et cap. seq. : *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur,* etc. In quibus juribus sine dubio est sermo de excommunicatione in oratione privata; nam conjungitur cum communicatione in cibo, et potu, et communi sermone. Et hæc est communis interpretatio usu etiam recepta. Unde non solum in Horis canonicis ex obligatione recitandis, verum etiam si ex privata devotione dicantur, licitum non est excommunicato uti alterius ministerio, seu juvamine, quod idem dicendum censeo de quocumque alio officio privato, ut Beatæ Virginis, aut defunctorum, etc., quia illa jura, et generalis ratio de privatione communicationis in his omnibus procedit. Evasio autem illa, quod talis oratio potest ad salutem excommunicati ordinari, eique prodesse, admittenda non est, tum quia est contra expressum jus prohibens communicationem in oratione; tum etiam quia solum videtur excogitata ad hoc jus eludendum; nam intentio sic orantium non est spiritualiter promovere ipsum excommunicatum, quod utilius fortasse facere possent, si per se, ac separatim uterque oraret; sed intentio eorum est ad invicem se juvare, et communi opera (ut sic dicam) illud ministerium perficere, quod plane est in eo communicare eo modo, qui vetitus est.

18. *Adjuvare excommunicatum in recitando officio per se non esse mortale. — Variis de causis posse hanc communicationem a culpa excusari.* — Addit vero Covarruv. supra, posse hujusmodi communicationem excusari a peccato mortali, quia non est illa communicatio in divinis, quæ per se primo per hanc censuram prohibetur; nec materia est adeo gravis, ut ad peccatum mortale sufficiat. Quæ sententia mihi valde probabilis videtur, et practice secura, et extendenda etiam ad casum, de quo agimus; nam licet sacerdos excommunicatus ex præcepto recitet officium, cum tamen privatim id faciat, quod illud cum alio recitet, non est peculiariter prohibitum ex speciali ratione, qua communicatio in sacris et divinis officiis publicis prohibita est; sed generatim, ut alia quælibet communicatio; et ideo per se, secluso contemptu, et scandalo, hæc non videtur esse materia peccati mortalis; nam licet actio recitandi gravis sit, tamen in ea juvari ab alio vel alium juvare privatim, in ratione communicationis leve esse videtur. Hinc verisimile mihi est (quod etiam notavit Ugolin., tab. 1, cap. 13, § 15, num. 1), excusari posse ab hac culpa eum, qui ratione muneris, seu servitii cum alio recitat hujusmodi officium; nam excommunicatus, si famulum habeat, non privatur communicatione ejus, quantum ad ea, in quibus sibi inservire tenetur, juxta cap. Inter alia, de Sentent. excomm., juncto cap. Quoniam multos, 11, quæst. 3, et ideo, si Canonicus, v. gr., capellanum, vel famulum habeat qui hoc ministerium antea illi exhibebat, etiam si excommunicatus sit, poterit illo uti; et e converso licet capellanus ipse excommunicatus sit, poterit patrono suo illud ministerium exhibere, quia hoc proprie ac per se non est ministerium Ecclesiasticum, et ex officio, sed privatum et quasi corporale.

19. *Sacerdotem, etsi peccet cum alio Horas recitando, non ideo fieri irregularem.* — Illud denique in hoc puncto certius est, quamvis contingat sacerdotem excommunicatum peccare recitando officium cum alio, prædicto modo, non propterea fieri irregularem, vel quia illud peccatum mortale non est, et hæc irregularitas non contrahitur sine gravi culpa, vel quia, licet interdum sit mortale ob contemptum, vel frequentiam nimiam, tamen illud ministerium, prout tunc fit, non est proprium officium alicujus Ordinis, sed fieri potest, etiam ex obligatione, absque ullo Ordine. Nec refert, quod interdum potest illa obligatio ex solo Ordine oriri, quia non propterea actus ipse est proprius, et ex officio alicujus Ordinis, et tamen propter hunc solum ab excommunicato factum irregularitas injuncta est. Et hactenus de ministerio sacerdotis, et inferiorum clericorum.

Quando Episcopus, vel Abbas benedictus exercendo actum sui ordinis, irregulares fiant.

20. Ex quibus facile erit in Episcopo, et eadem proportione in Abbate benedicto, declarare, quando irregularitatem incurrat exercendo actum sui Ordinis seu consecrationis, si excommunicatus sit. Posset enim existimare aliquis, hanc irregularitatem non habere locum in Episcopo præcise operante, ut Episcopus est, eo quod juxta multorum Theologorum sententiam Episcopatus non sit

Ordo, aut sacramentum, sed sacramentale quoddam; et ideo actus etiam solemnis, et ex officio illius consecrationis non sit actus alicujus Ordinis, ac proinde nec materia hujus irregularitatis. Verumtamen sine ulla dubitatione statuendum est irregularitatem incurri propter hujusmodi actus. Primo, quia ut suo loco dicam, probabilius est Episcopatum esse Ordinem et sacramentum. Secundo, quia (quidquid de hoc sit) jura expresse loquuntur de Episcopis et Prælatis Ecclesiæ in suo officio ministrantibus, ut patet ex cap. Si Episcopus 4, dist. 11, quæst. 3, et cap. 1, § Caveant, de Sentent. excomm., in 6; unde non dubito quin Abbas, qui ex privilegio potest minores Ordines conferre, aut Ecclesiasticas vestes benedicere, irregularis fiat, si hæc faciat, quando excommunicatus existit, quia in illa generali appellatione Prælatorum, etiam hic comprehenditur. In quo etiam considerandum censeo, quamvis benedictio Abbatis non sit sacramentum, actum tamen illum ordinandi non esse actum solius benedictionis, sed etiam characteris, quem essentialiter supponit talis actus, ut est a tali persona. Etenim, quantumvis esset benedictus, si non esset sacerdos, non potest ei committi talis actus. Unde idem est dicendum de presbytero ex privilegio Papæ ministrante sacramentum confirmationis, quia licet ille actus jure ordinario non pertineat ad characterem sacerdotalem, tamen, facta Pontificis concessione, fit quasi moralis quædam extensio, ita ut vere dicatur ille actus esse tunc talis characteris sacramentalis; cujus argumentum est, quia non posset Pontifex actum illum alicui non sacerdoti concedere. Item est a fortiori argumentum, quia benedictio aquæ est actus Ordinis sacerdotalis, ita ut sacerdos excommunicatus, qui illum fecerit, irregularis maneat, cum tamen et actus ipse, et determinatio ejus ad talem ministrum, sint ex institutione Ecclesiæ; sed actus confirmandi vel ordinandi minoribus Ordinibus, est multo magis sacer, et ex institutione Christi pertinens ad Episcopos positive, ut sic dicam, ad sacerdotes vero, quasi permissive media concessione Pontificis, ita ut non possit inferiori ministro concedi; ergo, postquam conceditur, censendus est actus illius Ordinis: ergo.

21. Atque idem censendum est de omnibus aliis actibus, qui jure ordinario pertinent ad Ordinem Episcopalem; nam, si tales sunt, ut Episcopus excommunicatus aliquem illorum faciens irregularis fiat, idem dicendum est de simplici sacerdote ex concessione, seu delegatione Pontificis similem actum exercente; eodem enim modo procedit in omnibus his discursus factus. Sunt autem hujusmodi actus, aræ, seu altaris, aut Ecclesiæ, aut calicis vel patenæ consecratio; mapparum, et vestimentorum sacrorum benedictio, Abbatum etiam vel virginum Deo dicatarum; solemnisque benedictio, quam Episcopi vel Abbates populo dare solent, præmisso versiculo *Sit nomen Domini benedictum;* jam ille actus Episcopalis tantum est jure ordinario, licet quibusdam Abbatibus cum certis conditionibus interdum concedatur, ut patet ex cap. Abbates, de Privileg., in 6, et in Clem. 2 de Privileg., et ideo actus ordinis, et ad irregularitatem incurrendam sufficiens ab omnibus censetur. Unde a fortiori constat idem dicendum esse de omnibus actibus propriis Ordinis Episcopalis, qui aliis non communicantur, ut sunt consecratio alterius Episcopi, confectio chrismatis, ordinatio sacerdotis, degradatio clerici; hi enim omnes sunt actus Ordinis Episcopalis. Secus est in actibus solius jurisdictionis, quia etsi ab his etiam per excommunicationem suspensus sit, ut infra dicemus, tamen propter illos non est illi imposita irregularitas; jura enim, quæ de hac irregularitate loquuntur, omnia requirunt actum Ordinis, ut patet ex supra citatis; irregularitas autem extendenda non est extra casus a jure expressos; et ita notavit Abbas, in cap. ult. de Excess. Prælat., num. 5, et alii communiter. Dico autem, *Si sit actus puræ jurisdictionis,* nam si sit simul actus Ordinis, clarum est ex eo capite ad irregularitatem sufficere, ut patet de actu absolutionis sacramentalis. Et idem existimatur communiter de absolutione a censura, si fiat cum illis precibus, et solemnitate, quæ vel Episcopalem vel sacerdotalem Ordinem requirit, et habetur in cap. Cum aliquis, 11, quæst. 3, et cap. A nobis 2, de Sentent. excom., et notant Innocent., Abbas et alii supra citati; illa enim est quasi solemnis quædam benedictio; at vero, si simpliciter detur, est purus actus jurisdictionis, sicut excommunicatio, et ideo non est causa hujus irregularitatis. Sic etiam dixit Ancharan., in cap. 1, § Caveant, de Sentent. excomm., in 6, n. 3, Episcopum excommunicatum, benedicendo populum, dum iter agit, non fieri irregularem. At vero licet hæc benedictio quasi materialiter considerata possit etiam a non Episcopo fieri, prout

tamen ab Episcopis dari solet, non videtur dubium, quin sit aliquo modo actus Ordinis Episcopalis; quandoquidem in cap. Abbates, de Privileg., declaratur, *Abbates, qui ex privilegio possunt post Missarum solemnia, ac vespertinum vel matutinum officium populum benedicere, non posse alibi, publice, aut per vias, civitates, castra, et villas populis, et plebibus benedictionem facere.* Supponitur ergo illud munus per se esse Episcopale; non quidem ratione solius jurisdictionis; nam licet Episcopus sit jam electus, et confirmatus, et jurisdictionem habeat, donec consecratus sit, non exercet illum actum; est ergo ille actus consecrationis; ergo illo titulo non potest in eo actu irregularitas excusari. Ex alio vero excusari potest, quia ille actus sine solemnitate fit, et non est res magni momenti, ideoque per se loquendo, levis materia videtur, et insufficiens ad peccatum mortale. Et consequenter ex hoc capite excusari potest a pœna irregularitatis; nisi fortasse tanta sit frequentia, ut ea ratione, et materia gravis censeatur, et quemdam virtualem contemptum censuræ indicare.

22. Duo vero observanda supersunt: unum est, licet aliquis ex conscientia erronea committat peccatum ejusdem rationis cum peccato clerici excommunicati in suo Ordine ex officio ministrantis, non propterea fieri irregularem, quia culpa magis consistit in affectu interno, quam in effectu, seu actu exteriori; hujusmodi autem pœnæ Ecclesiasticæ non incurruntur, nisi propter veros, et proprios actus externos peccaminosos, ut in superioribus dictum est. Potest autem hoc accidere tam ex ignorantia facti, quam juris; ut si sacerdos putet se esse excommunicatum, et celebret ex contemptu excommunicationis, si re vera non erat excommunicatus, non fit irregularis in re ipsa; quod addo, quia quamdiu sibi non constiterit, non fuisse excommunicatum, ex eadem conscientia erronea tenebitur se gerere, ut irregularem; re tamen vera irregularis non est. Et, cum primum intellexerit se non fuisse excommunicatum, certus etiam esse poterit, se non indigere dispensatione irregularitatis. Idemque est, si sacerdos excommunicatus actionem aliquam sacram exerceat, putans illam esse actum ordinis, et causam sufficientem irregularitatis; quia si in re talis non sit, non efficietur irregularis, ut si in choro cantet, aut mensam benedicat, aut litanias cantet vel alia similia cum prædicta conscientia faciat, quæ re vera actus Ordinis non sunt, et a laicis eodem fere modo fiunt, ut Paludan. et alii Theologi, dist. 18, notant; Panormitan. et alii in cap. ult. de Excessib. Prælator., et in aliis juribus supra citatis. Idem denique est, si contingat aliquem existimare se esse ordinatum, et non esse, vel esse in tali Ordine, et non esse, sed in inferiori; vel illum esse actum sui Ordinis, et non esse, sed superioris; nam, ut supra diximus, laicus ficte celebrans non incurrit hanc irregularitem; neque etiam inferior clericus ministrans in officio superioris. Quapropter, licet ex ignorantia juris aut facti oppositum aliquis putet, et ex conscientia erronea peculiari modo in hoc peccet, non propterea irregularis fiet. Et idem est de omnibus similibus, quæ ex principio posito inferri possunt. Quæ etiam confirmantur ex iis, quæ supra in simili diximus de censura in communi.

23. Secundo observandum est, ad incurrendam hanc irregularitatem non semper necessarium esse, ut actus Ordinis exerceatur cum omnibus circumstantiis, et solemnitatibus, cum quibus juxta ritum Ecclesiæ exerceri debet; ut si Episcopus excommunicatus chrisma conficiat sine vestibus sacris, non propterea irregularis non fiet; et idem est, si Ordines conferat, aut similem actum Ordinis faciat, qui in sua substantia sufficientem solemnitatem includit, neque aliter fieri potest, quam a ministro consecrato, ex officio ejus. Unde idem est in sacerdote excommunicato, si consecret sine vestibus sacris, et sine aliis cæremoniis, vel si ungat infirmum, vel aliquid simile faciat; secus vero est de diacono, et subdiacono, si absque vestibus sacris cantent Epistolam vel Evangelium. Ratio vero est, quia quidam actus per se, et ex sua substantia sunt solemnes, et ex officio sacerdotali vel Episcopali; alii vero non sunt hujusmodi, nisi cum talibus circumstantiis et modo fiant; illud ergo in singulis actibus attente considerandum est, ut intelligatur, quæ circumstantia actus in ordine ad talem effectum vel solemnitatem accidentalis sit, quæ vero substantialis.

24. Unum vero hic prætereundum non est, quod annotavit Glossa in c. Is cui, de Sententia excommunicationis, in 6, verb. *In ea;* ait enim, eum, qui est censura ligatus, non fieri irregularem divina officia celebrando extra Ecclesiam, sed solum in Ecclesia, quia textus ille ita limitat hanc pœnam per illam particulam, *in ea*. Verumtamen illud solum proce-

dere existimo in ea censura, de qua in illo textu specialiter sermo est, nimirum, de interdicto ab Ecclesiæ ingressu; nam ex vi illius censuræ non est aliquis simpliciter suspensus a celebratione divinorum officiorum, sed tantum ab eis celebrandis in Ecclesia, ut in eodem textu significatur, ibi, *in ipsa*. Et ratio est clara, quia per illam censuram non suspenditur quis directe, et quasi per se primo a munere celebrandi, sed solum consecutione quadam, quatenus ex interdictione Ecclesiæ illa suspensio consequitur. Ex eo autem, quod aliquis sit interdictus Ecclesiæ ingressu, optime sequitur, ut illi etiam interdictum sit in Ecclesia celebrare divina officia; non vero sequitur, quod etiam extra Ecclesiam prohibitus sit ea facere ex modo, quo vel ex privilegio, vel ex ratione talis actus potest extra Ecclesiam fieri, quia hæc prohibitio generalis non habet necessariam connexionem cum illo interdicto. Et hoc etiam significatur in illo textu, cum dicitur: *Cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, per consequens censetur in ipsa divinorum celebratio interdicta*. Ac proinde, qui sic interdictus, non in Ecclesia, sed alibi ministrat in officio suo, ut absolvendo, vel in privato loco, aut sub dio celebrando, etc., non fit irregularis, quia non agit contra suam censuram, cum ad illum actum non ingrediatur Ecclesiam, quod tamen necessarium erat ad incurrendam irregularitatem, ut in eodem textu significatur, ibi: *Si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerit*. Et in universum idem est in eo, qui non simpliciter, sed cum aliqua limitatione suspensus est; nam si in iis ministret, quæ sub illa limitatione non continentur, non fit irregularis, quia non agit contra suam censuram; nec prohibitio extenditur ultra voluntatem prohibentis.

25. Non est autem ita in excommunicatione majori, de qua nunc agimus; nam illa includit simpliciter et absolute suspensionem ab actibus Ordinis; et ideo, sive in Ecclesia, sive extra fiant a clerico excommunicato, irregularitatem inducunt. Ut, v. gr., si sacerdos excommunicatus publica processione veste sacra, seu pluviali indutus præsideat, et collectas, seu orationes extra Ecclesiam publice dicat, sine dubio fit irregularis, quia illud etiam est officium Ecclesiasticum, et ministerium illud est annexum Ordini sacerdotali; et ideo contra suam censuram agit in eo ministrans, et irregularitatem incurrit juxta c. 1, de Sent. excom., in 6, ubi nulla in hoc limitatio adhibetur, sed simpliciter dicitur: *Si contingeret eos sic suspensos divina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient*. Et eodem modo loquuntur alia jura. Et ratio est, quia illa circumstantia loci seu Ecclesiæ non est necessaria ut tale ministerium sit solemne, et ex officio, respectu talis Ordinis, et alioqui suspensio, seu prohibitio sit sine limitatione ad talem circumstantiam; ergo ubicumque fiat tale ministerium, est sufficiens causa hujus irregularitatis.

26. Potest autem circa hujusmodi divina officia quæri quod supra de Missa, et aliis actibus tractatum est, an ab excommunicato facta teneant quoad aliquem effectum, valorem. Sed in hoc eadem resolutio adhibenda est; nam absolute tale ministerium nullius est valoris, per se loquendo, quoad meritum vel impetrationem, aut alium fructum spiritualem, nec respectu Ecclesiæ, quia excommunicatus non operatur in persona ejus, ut supra ostensum est, neque respectu ipsius excommunicati, quia in tali actu peccat, nisi fortasse per ignorantiam excusetur. Quamvis autem peccet, si tamen alioqui tenebatur similem actum efficere privatim, valebit illi ut præcepto satisfecisse censendus sit. Ut, v. gr., si excommunicatus in choro dicat officium divinum, non tenebitur iterum privatim dicere, quia ab illo ministerio publico non potest non esse actio hujus privatæ personæ, quæ actio in substantia est eadem, quæ præcepta erat; et ideo licet in modo fuerit peccaminosa, sufficit ad præceptum positivum implendum, juxta communem doctrinam Theologorum cum D. Thoma, 1. 2, quæst. 100, art. 9 et 10.

Quibus aliis modis divina officia excommunicato prohibeantur.

27. Ultimo ex iis facile est explicare in aliis tribus generibus communicationum, quomodo prohibita etiam sint ex vi communicationis circa hæc omnia officia divina. Nam ipse excommunicatus non solum prohibitus est hæc officia celebrare, sed etiam, eis interesse; quare multo minus efficere potest, ut se præsente fiant, juxta c. Illud, de Clerico excom. ministr., et c. Is qui, et c. Alma, de Sentent. excom., in 6, et c. Episcoporum, de Privil., in 6, et est omnium sententia, et communis Ecclesiæ sensus. Fundaturque in generali principio, quod omnis communicatio fidelium est excommunicato prohibita, et

præsertim in divinis, qualis est hæc. Unde omnes etiam concludunt, peccatum hoc ex genere suo mortale esse, quia est in gravi materia, et per se primo ac directe per censuram prohibita, quamvis interdum ex levitate materiæ possit fieri veniale. Prohibetur autem hæc communicatio non solum cooperando, vel adjuvando, sed etiam assistendo, sicut supra de Missa diximus, sive audiendo, aut videndo, sive etiam humanam, aut moralem præsentiam exhibendo, vel intra Ecclesiam, vel extra, ut in publica processione, vel in Missa, si contingat extra Ecclesiam fieri, aut si ipse excommunicatus extra Ecclesiam existens, Missæ, aut aliis divinis officiis, quæ intra Ecclesiam fiunt, assistat; nam omnis hæc participatio censetur esse Ecclesiastica communicatio in divinis, ac propterea tempore interdicti divina officia submissa voce, et clausis januis in Ecclesia fiunt, ut intelligatur, omnibus his modis excludi excommunicatos ne illorum participes fiant. Propter hanc autem transgressionem, pro ipso excommunicato, non est alia pœna in jure imposita, excepta irregularitate, quam censetur incurrere excommunicatus, qui auctor est, ut divina coram se celebrentur, de qua in superioribus tactum est; videri potest Navarr., c. 27, num. 244, et quæ dicemus in proprio loco.

28. Rursus non solum excommunicatus, sed etiam alii, qui excommunicati non sunt, prohibentur hæc divina celebrare coram excommunicato; nam quoad hoc eadem est ratio de aliis divinis officiis, quæ de sacrificio Missæ. Unde, quæ de illo supra diximus, hoc loco applicanda sunt, eo excepto, quod de perficienda Missa diximus, si post canonem inchoatum excommunicatus adveniat; nam in aliis divinis officiis non est ea necessitas illa perficiendi, quæ est in Missa; et ideo semper intermittenda sunt, si excommunicatus excludi non possit, ut eisdem juribus probatur, Clem. 2, cum Glossa, verb. *Inexpleta,* de Sent. excom., et in c. Is qui, et c. Is cui, de Sent. exc., in 6. Curandum vero est, ut divina officia inchoata, alibi perficiantur; quod, si solemniter et publice fieri non possit, privatim saltem, seu submissa voce fieri debet.

29. Deinde eadem ratio est de alio genere communicationis coassistendi simul cum alio ad idem officium divinum. Nam, sicut in Missa est hoc prohibitum aliis non excommunicatis respectu excommunicati, ita in cæteris divinis officiis, ex communi sententia eorumdem Doctorum, fundata in generalibus locutionibus jurium; non enim solum de Missa, sed simpliciter de divinis officiis loquuntur. Intelligenda autem sunt de Ecclesiasticis officiis, quæ publico, et solemni ritu, et nomine totius populi Christiani fiunt; hæc enim sunt propria divina officia, et Ecclesiastica, de quibus jura loquuntur. Unde in privatis orationibus non prohibemur eas fundere, ubi excommunicatus adest, ut notavit Cajetanus, in Sum., verb. *Excommunicatio,* quia tunc nulla intervenit communicatio; ex illa enim præsentia non conjunguntur per modum unius ad unam communem orationem, et ideo secus esset, si easdem orationes licet privatas simul cum excommunicato quispiam diceret; nam illa jam esset aliqua communicatio prohibita, licet minus gravis, ut in superioribus dictum est. Est etiam observanda differentia inter hanc obligationem, ut se tenet ex parte excommunicati, vel aliorum, quod respectu excommunicati universalis est, respectu vero aliorum solum in ordine ad excommunicatos vitandos, juxta interpretationem Extravagantis *Ad evitanda,* superius datam, quæ hic applicanda est. Denique propter hæc duo ultima communicandi genera nulla est in jure imposita pœna præter excommunicationem minorem, vel majorem, quando specialiter lata est contra participantes, de qua infra suo loco dicemus. Intelligitur autem hoc generaliter, et ex vi solius communis participationis; nam in eos, qui specialiter concurrunt ad illam, admittendo excommunicatos ad hujusmodi usum divinorum, specialis pœna interdicti imposita est in c. Episcoporum, de Privil., in 6, et sæpe in superioribus tactum est, et infra in materia de interdicto declarabitur. Aliqui etiam addunt, sacerdotem celebrantem coram excommunicato fieri irregularem, quando talis est nominatim excommunicatus a Papa. Ita tenet Maiolus, lib. 3, de Irregul., cap. 24, num. 4, citans Speculatorem in tit. de Dispensatione. Sed debuisset textum aliquem citare; nam sine illo nullam irregularitatem admittimus, juxta generalem regulam in c. Is qui, de Sent. excom., in 6. Addo etiam nec Panormitanum citato loco in ea fuisse sententia, quia non de irregularitate, sed de speciali excommunicatione loquitur, quæ in eo textu specialiter fertur contra clericos participantes in divinis officiis cum excommunicatis a Papa, quam infra suo loco declarabimus.

SECTIO III.

Utrum excommunicatus omni usu Ecclesiæ, et sacramentalium omnium privatus sit.

1. *Ratio dubitandi.* — Postquam de communicatione in divinis actionibus, vel officiis dictum est, de usu rerum sacrarum, quæ sacramenta non sunt, sed sacræ communiter dicuntur, et inter sacramentalia numerari possunt, nonnulla notanda sunt. Est enim in usu harum rerum peculiaris ratio, quia in eo non intervenit communicatio cum alia persona, sed solus ipse excommunicatus uti potest, vel Ecclesia, orando in illa, vel imagine, aut reliquia sacra, eam retinendo ob suam devotionem, vel aqua benedicta, aut aliis rebus similibus. Unde fit, ut ex vi illius generalis prohibitionis, qua excommunicatus excluditur ab omni communicatione in divinis, non sit illi prohibitus hujusmodi usus sacrarum rerum, quia ibi solum prohibetur usus, qui requirit consortium alterius personæ, eo quod debet esse ab alio, vel circa alium; at ille usus non est communicatio cum fidelibus; ergo non continetur sub illa generali prohibitione. Videndum est ergo, an alia ratione omnis hujusmodi usus sit interdictus excommunicato. Et videtur quidem esse, quia excommunicatus ab Ecclesia præcisus est, c. Qui merito, cum aliis, 11, quæst. 3, c. 2 de Foro comp., et aliis passim; ergo prohibetur ne rebus sacris ab Ecclesia peculiariter institutis in usum fidelium utatur. Adde, hanc esse virtualem communicationem cum tota Ecclesia; nam per hujusmodi usum se gerit tanquam membrum illi conjunctum.

2. *Dupliciter potest excommunicatus uti rebus sacris.* — Nihilominus distinctione utendum censeo. Duobus enim modis potest excommunicatus uti hujusmodi rebus sacris. Primo quatenus possint esse circumstantiæ pertinentes ad privatum cultum Dei, vel ad exercendum aliquem actum pium, quem unusquisque fidelis ut privata persona operari potest. Secundo potest quis uti his rebus, ut inde aliquod spirituale commodum lucretur præter suum privatum meritum, vel satisfactionem, ex speciali concessione, vel intercessione Ecclesiæ.

3. *Potest excommunicatus uti rebus sacris, ut serviunt ad privatam devotionem.* — *Conclusio prima.* — Dico ergo primo : excommunicatus non obstante censura potest licite uti hujusmodi rebus sacris, quatenus privatæ devotioni, vel religioni deserviunt. Probatur, quia excommunicatus non privatur, quin proprias orationes fundere, et alios actus religionis, ac virtutis exercere possit; ergo non prohibetur, quominus quacumque re sacra privatim uti possit in hunc finem, illo privato, seu particulari usu, qui aliis fidelibus concessus est. Hoc etiam suadet ratio facta, quia hujusmodi usus non est aliqua speciali lege prohibitus, nulla enim talis lex ostendi potest. Neque etiam continetur in illa generali prohibitione Ecclesiasticæ communicationis : ergo. Denique id patet variis exemplis, nam excommunicatus uti potest omnibus divinis officiis ab Ecclesia institutis, et psalmis Davidicis ad laudandum Deum. Potest etiam uti sacris imaginibus, ut eis ad devotionem excitetur; potest item uti signo crucis, etc.

4. *An possit in templo orare.* — *Opinio negans.* — Peculiaris autem difficultas esse solet de usu templorum, an excommunicatus ingredi ea possit, saltem quando Ecclesiastica officia non celebrantur, et ibi suas privatas orationes fundere; Glossa enim in c. 1, d. 21, et in cap. 1, § Ad ostiarium, d. 15, negat hunc usum Ecclesiæ esse licitum excommunicato. Quod sequitur Abbas, in c. Responsio, de Sent. excom., num. 2, et putat esse specialem concessionem, et quasi exceptionem a generali prohibitione, quod in eo capite conceditur excommunicato, ut ad audiendam concionem in Ecclesia esse possit. Sed revera illa non est exceptio loci (ut sic dicam), sed officii, seu communicationis; ibi enim non agebatur, an liceat excommunicato ingredi Ecclesiam, aut sacerdotibus eum ibi esse permittere, sed an liceret coram eo concionari, quia hæc videbatur esse quædam communicatio, et pars officii sacri.

5. *Opinio affirm. præfertur.* — Dico ergo, licitum esse excommunicato ingredi templa, et in eis privatim orare. Ita D. Thom. docuit, in 4, d. 18, quæst. 6, art. 1, et cæteri Theologi ibidem; et Gloss., c. Qui studet, 1, q. 1, in fine; et Innocent., in c. Responsio, de Sent. excommunicat.; et Abbas, in c. 1, de Vita et honestate Cler., num. 11; Navarr., in Sum., c. 27, num. 17; Covar., cap. Alma, 1 p., § 3, num. 7. Ratio est, quia nulla de hoc facta est specialis prohibitio; neque enim in ullo decreto continetur, neque in generali prohibitione Ecclesiasticæ communicationis, ut supra deductum est. Accedit, quod specialiter præceptum est, ut ostiarii ab Ecclesia

ejiciant excommunicatos tempore quo divina celebrantur, et maxime post Missam catechumenorum, quando Missa fidelium inchoatur, ut patet ex c. 1, d. 21 et 25, et expressius, ex c. Episcopus, de Consecr., d. 1; ergo signum est aliis temporibus licitum esse excommunicato in Ecclesia esse, et orare; hic enim melius applicatur illa vulgaris regula, quod exceptio firmat regulam in contrarium, l. Nam quod liquide, § ult., ff. de Legatis. Unde male Glossa, et Abbas citati in priori sententia, ex munere ostiarii, quod est ejicere ab Ecclesia excommunicatos, colligunt excommunicatum, non posse ingredi Ecclesiam; cum munus ostiarii non sit semper custodire Ecclesiam, ne excommunicati ingrediantur, sed solum certis temporibus, nimirum, quamdiu in ea divina officia celebrantur. Neque etiam obstat ratio dubitandi in principio posita; cum enim excommunicatus extra Ecclesiam fieri dicitur, non *Ecclesia* pro templo sumitur, sed pro Ecclesiæ mystico corpore, a quo excommunicatus separari dicitur, quia ejus communione privatur; nam corpus mysticum ex quadam membrorum inter se communione sub uno capite tanquam ex morali unione coalescit. De qua re latius alibi.

Excommunicatus privatur usu rerum sacrarum quatenus ad specialem aliquem fructum spiritualem ex applicatione Ecclesiæ illi inserviunt. Conclusio secunda.

6. Secundo dicendum est, excommunicatum esse privatum usu rerum sacrarum, seu sacramentalium, quatenus ad specialem aliquem fructum spiritualem ex merito vel applicatione Ecclesiæ percipiendum ordinatur. Probatur, quia ex intentione Ecclesiæ excommunicatus privatus est omnibus communibus Ecclesiæ suffragiis, et orationibus, et indulgentiis, ut supra probatum est; ergo etiam privatur fructu rerum sacrarum, quatenus ob Ecclesiæ meritum, vel applicationem specialiter provenire potest. Patet consequentia, quia hoc est veluti quoddam Ecclesiæ suffragium, et communicatio cum illa in communibus ejus bonis spiritualibus. Explicatur exemplis; nam probabile est orationem factam in Ecclesia consecrata aut benedicta habere majorem quamdam vim impetrandi, ob Ecclesiæ meritum, et communem orationem factam pro his, qui orant in illo loco; oratio ergo excommunicati facta in Ecclesia non participabit hoc spirituale commodum, quia illud commune suffragium Ecclesiæ non communicatur illi, quia illa oratio, quæ in benedictione, vel consecratione Ecclesiæ fit, non pro excommunicatis, sed pro solis membris ab Ecclesia non præcisis facta est, juxta intentionem Ecclesiæ præcipientis, ut hæ communes orationes pro excommunicatis non fiant.

7. *Excommunicatus non fruitur indulgentiis.* — Similiter, si ex concessione Pontificis per orationem coram tali imagine factam applicantur ultra omne opus operantis tot gradus satisfactionis, seu tot anni indulgentiæ, excommunicatus non fruetur hac gratia, etiam si coram illa imagine oret, non solum quia in peccato mortali est, nam hæc ratio ex alio capite sumitur, et potest non verificari in excommunicato, cum interdum possit esse contritus, sed præcise ob censuram excommunicationis, ut recte notavit Adrianus, in 4, quæst. 3 de Clavib., in fine, ad argumenta. Et ratio est, quia illa concessio Pontificis ex justa ejus intentione juri communi consentanea non extenditur ad excommunicatos, quia sicut ipse prohibet publicas orationes facere pro excommunicato, ita neque ipse eas facit, nec facere potest, nisi fortasse per modum justæ dispensationis, quæ fingenda non est, nisi aliunde de tali mente, et actu ejus constet; ergo multo minus communicat Pontifex excommunicatis thesaurum Ecclesiæ, quando talem concessionem facit orantibus coram tali imagine; ergo excommunicatus sic orans illo beneficio non fruitur. Atque idem est in omnibus aliis rebus sacris, quæ habere possunt hunc usum; nam omnis ejus fructus reducitur ad illa duo capita, vel alicujus impetrationis ex deprecatione nomine totius Ecclesiæ facta, vel applicationis alicujus satisfactionis ex thesauro Ecclesiæ; de quibus procedunt rationes factæ, ad quascumque res, et earum usum applicentur.

8. *Corollarium.* — Atque hinc inferunt aliqui, quando res sacra non habet alium usum nisi ad lucrandam indulgentiam, vel Ecclesiæ deprecationem sibi applicandam, tunc non posse excommunicatum licite uti hujusmodi re, quia se immiscet Ecclesiasticæ communioni, et vult esse particeps suffragiorum Ecclesiæ, quibus est privatus, cum in ea re nullus alius usus inveniatur. Hujusmodi videtur esse usus aquæ benedictæ; nam in eo nulla alia religio, aut cultus fingi potest. Quod quidem verum censeo, si actum illum sub hac

propria ratione et intentione consideremus. Verumtamen hoc etiam pendere potest ex personali intentione operantis, qui, supposito usu illius aquæ, potest illa uti tanquam memoriali quodam, quo ad actum pœnitentiæ excitetur; et quia illam jam apprehendit, ut rem quamdam sacram, potest in quemdam Dei cultum se illa aspergere. Et ad hunc modum nulla erit res sacra, quæ non possit habere aliquem studiosum usum quasi personalem, ut sic dicam, qui excommunicato licitus sit, quamvis principalis usus ejus, propter quem primario est instituta, sit alius, pendens ex participatione communium bonorum spiritualium Ecclesiæ, quibus excommunicatus privatus est.

SECTIO IV.

Utrum excommunicatus, etiam post mortem, quantum ad corpus suum, privetur sepultura Ecclesiastica, et omni alio Ecclesiastico honore.

1. *Ratio dubitandi.* — Hactenus diximus de privatione harum rerum sacrarum, quatenus ad excommunicatum in hac vita durantem pertinere potest; declarare igitur oportet, quo modo etiam post mortem extendatur; et, quoniam de suffragiorum privatione quoad animam in secunda disputatione hujus materiæ jam diximus, hic solum reliquum est, ut de corpore dicamus, quod in se non est capax aliorum suffragiorum, vel spiritualium bonorum, sed solum aut honorifico, vel sacrato loco, aut illo cultu, et honore, qui in pompa funeris exhiberi solet, quem nunc Ecclesiasticum honorem appellamus, qui licet intuitu animæ fiat, proxime tamen circa corpus ipsum versatur, eique exhibetur; quæ duo breviter hic expedienda sunt. Est autem in his ratio dubitandi, quia destructis nobis destruuntur ea, quæ sunt in nobis; extincta ergo persona per censuram ligata, extinguitur censura; ergo jam non potest quidquam circa defectum operari, et maxime circa corpus ejus, quod non est capax pœnæ spiritualis. Accedit etiam, quod corpus excommunicati vivi non prohibetur esse in Ecclesia, quia illa per se non est communicatio cum fidelibus, nisi aliunde misceatur; ergo nec corpus defuncti reponi prohibendum est, quia neque illa præsentia per se sumpta est communicatio, neque jam illud est alterius communicationis capax.

2. *Excommunicatus privatur Ecclesiastica sepultura.* — *Conclusio prima.* — Nihilominus dicendum in primis est, si excommunicatus ante absolutionem a censura moriatur, non posse licite corpus ejus Ecclesiasticæ sepulturæ tradi. Ratio est, quia hoc est in jure prohibitum, ut patet in c. Sacris, de Sepulturis, ubi non dicitur statui jus novum, sed *sacris esse canonibus institutum, ut Ecclesiastica careant sepultura, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, et ante mortem Ecclesiæ non reconciliantur*. Et ratio insinuatur, *quia quibus non communicamus vivis, non debemus etiam communicare defunctis.* Idem habetur in Clem. 1, eodem titulo, et specialiter de hæreticis et fautoribus eorum idem declaratur in cap. 2, de Hæret., in 6, et idem probatur in c. Consuevisti, de Consec. Eccles. vel altar. Ratio seu congruentia hujus prohibitionis est insinuata in dicto capite. Ex qua colligitur, illam esse communicationem quamdam in divinis, et consequenter hanc prohibitionem contineri in illa generali, quæ hactenus declarata est. Et fortasse non aliter continetur hæc prohibitio in sacris canonibus antiquioribus, prout dicitur in dicto c. Sacris, quia nulli priores inveniuntur, qui hoc in specie prohibeant. Est autem hæc communicatio spiritualis, quia sepultura sacra quid spirituale censetur, et ad illam solum habent jus filii Ecclesiæ obedientes illi, et ideo satis censeretur cum eis communicari, qui ad eumdem locum sepulturæ sacræ cum eis admitteretur. Nam, licet corpus mortuum per se non videatur capax spiritualis communicationis, tamen quatenus eamdem personam semper repræsentat, et quatenus ad eamdem animam refertur, aliquo modo est capax illius, et præterea supponit in vivente jus ad tale genus sepulturæ, et consequenter ad communicationem aliquam cum fidelibus; cum ergo illud non habuerit vivens, nec circa corpus ejus post mortem servandum est; et ita revolvimur in illud principium, quo utuntur jura, ut *cui non communicavimus vivo, non communicemus defuncto;* quod sumptum est ex Leone Papa, epist. 90, vel 92 ad Rusticum, c. 6, vel 7, et habetur in cap. 1, 24, quæst. 2, et ex Gelasio, in c. Quicumque, 11, quæst. 3. Accedit etiam bona congruentia, quoniam is, pro quo orare non licet, indignus est, ut corpus ejus in loco sacro sepeliatur; nam ob hanc præcipue causam fideles in locis sacris sepeliuntur, ut participes fiant suffragiorum, et orationum fidelium, quæ in illis locis fiunt.

3. Atque hinc infertur, licet contingat

excommunicatum mori cum maximis contritionis signis, si absque absolutione a censura decessit, sepeliri non posse, donec ab Ecclesia absolutionem obtineat juxta c. A nobis, 2, de Sent. excom., quod loquitur de aliis generibus communicationum per suffragia, etc. Est autem eadem ratio in præsenti. Addendum vero est quacumque ratione ab excommunicatione quispiam absolvatur ante mortem, etiamsi a quolibet sacerdote in ipso articulo mortis ob necessitatem absolvatur, id satis esse, ut ejus corpus hac pœna, seu ignominia non afficiatur, ita enim expresse cautum in c. ultimo de Sepulturis. Quod eodem modo declarandum est, sicut supra diximus de communicatione suffragiorum, quæ cum excommunicato defuncto fieri potest, si vel hoc modo absolutus sit; hæc enim duo quoad hoc in illo textu æquiparantur, fortasse ob rationem proxime factam. Unde, sicut excommunicatus, si sufficientia signa contritionis exhibuit, potest post mortem absolvi, ut suffragiis Ecclesiæ fruatur, ita etiam ut in loco sacro sepeliatur, ut ex eisdem juribus sumitur. Quod si casu accidat, ut ante absolutionem jam ibi sepultus sit, erit quam primum absolvendus, ne ipsum exhumari, et ab illo loco extrahi necesse sit. Imo et locus ipse reconciliandus erit juxta ea, quæ statim dicemus.

4. *Quid si excommunicati corpus in loco sacro humetur.* — Additur itaque in dicto c. Sacris, si contingat excommunicati corpus loco sacro tumulari, exhumandum esse, et procul ab Ecclesiastica sepultura jactandum, dummodo a corporibus aliorum fidelium discerni possit; alioqui recte admonet Pontifex toleranda esse zizania, ne comburatur simul triticum. Nec solum ex tali loco sacro corpus excommunicati ejiciendum est, sed etiam locum ipsum expurgandum seu reconciliandum aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut fit in Ecclesiæ dedicatione, ut dicitur in c. Consuluisti, de Consecr. Eccles. vel altar. Unde supponitur per hujusmodi corpus excommunicati pollui seu violari locum sacrum. Quo fit, ut quamdiu excommunicati corpus ibi jacuerit, aut templum illud reconciliatum non fuerit, non possint ibi fideles sepeliri, ut in simili probat textus in capit. unico de Consecr. Eccles. vel altar., in 6, qui loquitur de Ecclesia violata per effusionem sanguinis aut seminis; est autem eadem ratio de quacumque alia violationis causa. Fit etiam consequenter, ut in tali loco, antequam reconcilietur, non possint licite divina officia celebrari, de qua re dixi ex professo in 3 tom., disp. 81, sect. 4. Dices : quid si corpus excommunicati exhumari non possit juxta c. Sacris? debetne locus ille perpetuo inhabilis ad divina officia, vel sepulturam aliorum fidelium remanere? Respondetur, minime; illud enim esset maximum incommodum, et alienum a mente canonum, et ab omni usu. Existimo tamen locum reconciliandum esse, tum quia c. Consuluisti, indistincte loquitur de locis, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit; tum etiam quia violatio fit per ipsam primam sepelitionem, quæ proinde tollenda est. Postea vero quando corpus illud ita est confusum cum aliis, ut discerni non possit, quasi nihil reputatur, vel tanquam occultissimus quidam defectus, cujus permanentia non potest reconciliationem impedire, aut violationem iterare.

5. *De quibus excommunicatis procedat assertio posita. — An secundum jus antiquum excommunicatus a jure esset privandus sepultura Ecclesiastica ante sententiam declaratoriam.* — Sed quæret aliquis primo, an hæc assertio procedat universim de omnibus excommunicatis, vel solum in vitandis. Respondeo, secundum antiqua jura de omnibus procedere, quia indifferenter de omnibus loquuntur; nunc vero post Extravag. *Ad evitanda,* solum habere locum in excommunicatis vitandis, quia prohibitio non cadit proprie in ipsos excommunicatos, quia ipsi non possunt se sepelire, sed cadit in alios fideles ne corpora ipsorum sepeliant, quod non aliter eis prohibetur, quam omnis alia communicatio cum excommunicato, ut patet ex c. Ut privilegia, de Privil., c. Episcoporum, eodem tit., in 6. Jam vero post dictam Extravagantem non tenentur fideles vitare communicationem aliorum excommunicatorum, præter illa duo genera; quæ concessio generalis est saltem de omni communicatione externa, etiam in rebus sacris et divinis; ergo hæc etiam communicatio in concedenda illis excommunicatis non vitandis sepultura sacra non est prohibita fidelibus. Ex quo intuli in dicta sect. 4, jam nunc non pollui Ecclesiam per sepulturam cujuscumque excommunicati, sed illius tantum, qui vitandus est. Quod etiam significavit Victoria in Sum. 4, mater. de Euch., quæst. 90, dicens : *Si in Ecclesia sepeliatur excommunicatus denunciatus,* sub denunciato brevitatis causa comprehendens manifestum percussorem clerici. Et ratio est, quia hæc

violatio Ecclesiæ fundatur in priori prohibitione; limitata ergo prohibitione, limitatur violatio; nam cæteri excommunicati quoad communicationem eorum vitandam ita reputantur, ac si non essent, vel ac si essent omnino occulti. Imo addunt aliqui, si quis sit tantum excommunicatus a jure, vel per sententiam generalem, etiam secundum jus antiquum non posse Ecclesiastica sepultura privari, donec in particulari per sententiam saltem declaratoriam criminis condemnatus sit. Sed non potest hoc in universum defendi; nam etiam nunc manifestus percussor clerici vitandus est, et sepultura Ecclesiastica privandus, etiamsi per sententiam condemnatus non sit, juxta Extravagantem *Ad evitanda;* ergo juxta antiquum jus idem erat dicendum de quocumque excommunicato notorio et publico; secus vero esset, si fuisset occultus, quia cum privatio sepulturæ sit publica evitatio, publicam etiam excommunicationem postulat, c. Cum non ab homine, de Sent. excom. Nunc vero etiam illa non satis est, nisi intercedat sententia saltem declaratoria criminis, et publica denunciatio nominatim facta, excepto crimine percussionis clerici, ut supra dictum est.

6. *Quid per locum sacrum in assertione posita intelligatur.* — Rursus quæri potest, quid hic intelligendum sit per locum sacrum. Respondetur, primo ac præcipue sub hac appellatione comprehendi templum consecratum, aut benedictum, ut per se notum est. Deinde cœmeterium ejus, quod etiam solet esse benedictum, et regulariter est ad sepeliendos fideles deputatum, et ita jura citata fere de cœmeterio loquuntur. Potest autem hoc cœmeterium interdum esse contiguum, interdum disjunctum a templo, ut colligitur ex capitulo unico de Consecratione Ecclesiæ vel alt., in sexto, et quod ad præsentem rem attinet, eadem ratio de utroque est. Rursus, si in aliquo loco consuevit Missam dici, quamvis aliter consecratus, aut benedictus non sit, non potest in eo excommunicatus sepeliri, quia ipsa Missæ celebratione quasi sacratur locus ille, ut dicitur in c. Ecclesiæ, de Immunit. Eccles. Et sumitur ex c. ult. de Consecr. Ecclesiæ vel altar., ubi id notat Glossa. Ex qua ulterius colligi potest, locum deputatum auctoritate Episcopi, vel ut in eo divina officia peragantur, vel ad hoc tantum ut in eo sepeliantur corpora fidelium, etiamsi alia benedictione consecratus non sit, censeri sacrum quoad præsentem effectum, ut in eo non possit excommunicatus sepeliri. Primo, quia per dedicationem ad divinum cultum, si sufficienti auctoritate fiat, res efficitur sacra, et veneratione digna, ita ut ad profanos usus converti non debeat. Deinde, et maxime, quia jura absolute prohibent excommunicato Ecclesiasticam sepulturam. Non est autem de ratione Ecclesiasticæ sepulturæ, ut locus, in quo fit, speciali benedictione sit consecratus, sed sufficit, ut Ecclesiæ, seu pastorum ejus auctoritate ad illud munus destinatus sit. Unde ulterius existimo idem fore dicendum si recepta consuetudine locus aliquis ad hoc munus sepeliendi fideles destinatus sit, etiamsi de speciali Episcopi auctoritate, seu approbatione non constet, tum quia consuetudo vim habet legis; tum etiam quia ibi intervenit saltem tacita approbatio Prælatorum Ecclesiæ; tum denique quia ipso usu talis functionis, quæ merito sacra habetur, et propter reliquias fidelium, quæ ibi repositæ sunt, et propter funerale officium, quod ibi perficitur, locus ille aliquo modo sacratur.

7. *Quam longe a loco sacro debeat sepeliri excommunicati corpus.* — *Resolutio.* — Addunt præterea nonnulli Doctores, non solum hæc loca, sed etiam illa, quæ sunt vicina templis, et cœmeteriis, in quibus divina officia celebrantur, reduci aliquo modo ad loca sacra, ita ut in eis excommunicati corpus sepeliri non possit. Ita Abbas in dict. c. Sacris, num. 3, et colligit ex illo textu, quatenus ait, si contingat corpus excommunicati in loco sacro esse sepultum, exhumandum esse, et procul ab Ecclesiastica sepultura jactandum. Quod si interroges quanta futura sit distantia, respondet, quanta sufficiat, ut sacerdotes in templo cantantes, aut sacrificantes, nec videri possint, nec audiri, arg. c. Quod in te, de Pœn. et remis. Sed inde nihil probatur; nam ibi solum est sermo de excommunicato vivente, qui prohibetur divinis interesse etiam extra Ecclesiam e vicino loco, unde illa videre possit, vel audire, quod in corporibus defunctorum locum non habet. Non existimo etiam in eo rigore esse accipiendam particulam *procul,* sed ut idem significat quod extra illum locum; est enim illa phrasis latina, quæ etiam indicat severitatem et rigorem juris, id præcipientis. Quapropter si locus quantumvis vicinus, et contiguus Ecclesiæ vel cœmeterio ejus, communi existimatione profanus et communis habeatur, v. gr., via publica, aut domus aliqua, non erit contra censuram, si in eo excommunica-

tus sepeliatur, quod expresse notavit Gloss., in Clem. 1, verb. *Cœmeteriis,* de Sepult. Atque ob eam causam, si cœmeterium prius benedictum, ex pietate et privata auctoritate fidelium aut clericorum amplificetur, illa pars terræ, quæ sine ulla benedictione, vel Episcopi deputatione additur, non censebitur sacra, etiam ad hunc effectum, de quo agimus; est enim de illa eadem ratio, quæ de quolibet alio vulgari loco conjuncto, nisi fortasse jam esset communi consuetudine illa pars recepta, et sacris usibus, aut sepulturæ fidelium applicata, ut totum illud per modum unius censeretur; tunc enim a toto illo loco excludendum esset excommunicati corpus, juxta superius dicta.

Quam pœnam incurrat sepeliens excommunicatum in loco sacro.

8. Tandem inquiri hic potest, quam pœnam incurrant, qui excommunicatum vitandum Ecclesiasticæ tradunt sepulturæ. Nam quod graviter peccent clarum est; nam, ut dixi, prohibitio illos respicit, et est de re gravi, et severe obligans, alias parvi momenti esset lex imponens hanc pœnam. Primo ergo jure communi incurritur propter hanc transgressionem excommunicatio minor, ut notavit Abbas, in cap. Sacris, de Sepult., id colligens ex illis verbis : *Non communicamus defunctis;* inde enim constat hanc esse communicationem quamdam, et consequenter illi respondere generalem pœnam impositam communicantibus cum excommunicato. Secundo pœna aucta est in Clement. 1 de Sepult. Ubi ipso jure excommunicantur excommunicatione majori illi qui excommunicatos in cœmeteriis, vel locis sacris sepeliunt, et cum eo gravamine, ut *nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium diœcesani Episcopi, eis, quibus per id fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.* Quo fit, ut absolutio aliter data, nulla sit, nam hanc vim habet illa particula, *Nullatenus absolvantur,* ut notavit Navarrus ex Glossa in Clement. de Sequest. possess., verb. *Nullatenus absolvantur.*

9. Sunt autem circa modum et limitationem, qua hæc pœna in dicto textu imponitur, nonnulla advertenda; hæc enim sunt verba illius textus : *Qui propriæ temeritatis audacia in cœmeteriis excommunicatos publice aut nominatim, scienter sepelire præsumunt,* etc. Omnium enim horum verborum proprietas tenenda est, et ad illam est hæc pœna coarctanda, ut notavit Cajetan., in Summ., verb. *Excom.*, c. 36; et Navarr., in Summ., c. 27, num. 137. Itaque, juxta regulas superius traditas de censuris in communi, hanc excommunicationem non incurrunt, qui ex ignorantia etiam culpabili hoc præstant, propter particulam illam, *scienter præsumunt;* neque etiam qui gravi metu coacti id efficiunt, propter verbum illud : *Qui propriæ temeritatis audacia.* Rursus solum excommunicantur qui *in cœmeteriis*, etc. Unde videtur colligi, si in aliis locis etiam deputatis ad sepulchra fidelium hoc fiat, non incurri hanc excommunicationem. Sed id non existimo verum; nam in primis non est dubium, quin sub illa voce a fortiori comprehendatur Ecclesia, ut omnes exponunt; nam cœmeterium est tanquam accessorium, et minus principale, et immunitatem habet ratione Ecclesiæ. Deinde omnis locus, etiamsi ab Ecclesia separatus sit, si ab Episcopo sit ad hunc usum deputatus, hanc etiam immunitatem habet; et ideo nomine cœmeterii comprehenditur, ut Glossa ibi significavit, quamvis videatur requirere quod sit ab Episcopo benedictus. Existimo tamen satis esse, quod sit deputatus ad illum usum; nam hoc ipso, fit aliquo modo sacer, ut supra dixi. Denique jura, quæ de hac materia loquuntur, nomine cœmeterii comprehendunt omnem locum ad sepulturam Ecclesiasticam aptum; ergo ita est sumendum in illo loco absque alia limitatione; secus vero esset, si sepultura daretur in agro vel loco profano, ut Navarr. notat, et infra iterum attingemus.

10. *Qui in verbo sepeliendi in illo c. Sacris, comprehendantur.* — Rursus verbum sepeliendi in rigore significare videtur actionem immittendi cadaver in sepulchrum, atque ita solum videntur ibi excommunicari illi duo vel tres homines, qui propriis manibus illam postremam actionem funeris exequuntur. Quam interpretationem sequitur Cajet., quem Navarr. sequi videtur, ne in aliud inconveniens seu extremum incidat, concedendo, quam plures prosequentes funus excommunicatos manere. Vereor tamen illam tam rigorosam verbi acceptionem (etiamsi pœnæ restringendæ sint) nimiam esse et alienam a mente legislatoris. Nam si interpretamur hoc modo, vix unquam illa excommunicatio incurretur; qui enim actionem illam sepeliendi exequuntur, et semper sunt homines inferioris conditionis, et rudes, qui frequentius, vel ignorant factum, vel jus, vel certe, si reluctentur, facile metu compellentur ad id faciendum.

Propter quod merito Glossa ibi dixit, constitutionem illam ludibrio esse, si ita eam interpretemur. Et sane qui attente ponderaverit illa prima verba textus : *Eos, qui propriæ temeritatis audacia, non sine contemptu clavium Ecclesiæ,* etc., facile intelliget, non esse posita propter unum vel alium hominem, qui tanquam organum ab alio motum et fortasse coactum, cadaver terræ mandat, sed propter eos, qui sua auctoritate et imperio excommunicatum in cœmeterio sepelire faciunt; illi enim et in morali proprietate, et in rigore juris sepelire dicentur, juxta textum in cap. Mulieres, § Illi vero, de Sentent. excom. Nam, licet ibi sit sermo de alio delicto violenter percutiendi clericum, ratio tamen universalis est, scilicet : *Cum is committat vere, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* Non opinor tamen verbum illud extendendum, ultra mandantes et exequentes; hi enim comprehenduntur, si per alias particulas non excusentur; illi vero, qui solum comitantur funus, vel etiam qui cantant, et crucem, aut lumina deferunt, ibi non comprehenduntur, quia illi revera non sepeliunt cum proprietate, etiamsi aliquando vulgari et translata significatione ita loquamur.

11. Imo ulterius opinor non comprehendi cooperantes remote, cujusmodi censeri possunt fodientes sepulchrum, si postea sua opera cadaver in illud non inferant, nec terra operiant; item suis humeris deferentes cadaver usque ad Ecclesiam; item consulentes vel favorem aliquem dantes; non enim opinor hos omnes incurrere hanc excommunicationem, quia proprie dici non possunt sepelire, et non oportet pœnalem canonem extendere ad omnes fautores vel cooperatores, quando auctor ejus id non exprimit, neque ex verbis illius satis colligi potest. Unde multo minus extendenda est hæc pœna ad eos, qui positive non cooperantur, sed tantum non impediunt, etiamsi possint et debeant, licet nonnulli Canonistæ oppositum teneant ob cap. Quantæ, de Sentent. excom., ubi dicitur : *Eos delinquentibus favere interpretamur, qui, cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.* Sed, licet fateamur hujusmodi non impedientes aliquo modo favere, moraliter loquendo, negamus tamen omnes faventes hanc excommunicationem incurrere, nisi ita faveant, ut auctoritatem præbeant, et sint quasi auctores delicti. Neque obstat, quod in eodem cap. Quantæ, dicitur agentes et consentientes pari pœna plectendos esse, tum quia in pœnis humanis semper pendet ex voluntate legislatoris, quod actu ita extendatur pœna, quæ voluntas ex verbis legis colligenda est; quod autem feratur solum in agentes, non est sufficiens argumentum, ferri etiam in consentientes; et ideo in illo textu facta est illa extensio specialiter in delicto violentæ percussionis clerici; tum etiam quia ibi Glossa per consentientes intelligit eos, qui cooperantur præstando auctoritatem, quamvis illa expositio non videatur illi textui accommodata, quia omnes non impedientes, cum possint, consentientes ibi appellantur, cum tamen non semper cooperentur, neque auctoritatem præbeant; tamen ad rem, de qua agimus, esset illa interpretatio sufficiens.

12. *Objectio. — Confirmatio. — Objectionis solutio. — Confirmatio enodatur.* — Dices : omnes illi, qui cooperantur funeri, propriissime dici possunt sepelire cadaver, quia ut quis dicatur sepelire, non est necesse, ut totam actionem sepeliendi faciat, aut totaliter, sed satis est, quod vel partem ejus faciat, vel partialiter concurrat; nam si duo, v. gr., se mutuo juvantes accipiant corpus defuncti, et in sepulchrum immittant, et terra cooperiant, uterque sine dubio manet excommunicatus, et tamen neuter est causa totalis, sed partialis; ergo similiter, qui tumulum effodit, vel corpus defert, etc., excommunicati erunt; nam etiam hi habent concursum partialem; ergo etiam erunt excommunicati; nam actus sepeliendi revera videtur includere has omnes actiones, videlicet deferre corpus, aperire sepulchrum, etc.; ergo qui facit quamcumque partem hujus actus, partialiter sepelit, quod satis est, ut sepelire dicatur, et consequenter, ut excommunicationem incurrat. Et confirmatur; nam omnes hi participant in crimine cum eo, qui principaliter excommunicatur; sed omnes participantes in crimine eamdem excommunicationem incurrunt juxta cap. Nuper, de Sentent. excom.; ergo. Ad argumentum respondetur, revera id esse probabile saltem de illo duplici modo concurrendi, fodiendo sepulchrum et deferendo cadaver; nihilominus tamen respondeo, illas actiones, licet sint antecedentes et necessariæ ad actum sepeliendi, esse tamen valde remotas, et non includi in ipso actu proprie sumpto, ideoque satis etiam probabiliter excusari ab hac pœna, seu excludi a rigorosa significatione verbi sepeliendi, ad quam lex pœnalis limitanda est. Ad confirmationem respondetur, æquivocationem in ea committi, nam excom-

municatio in participantes, de qua est sermo in cap. Nuper, non incurritur, donec principalis delinquens excommunicationem incurrit; nam debet esse illa participatio cum excommunicato, et ideo necesse est, ut supponatur aliquis excommunicatus, cui alius postea in crimine communicans excommunicetur, ut aperte declaratur in cap. Si concubinæ, de Sentent. excom. At vero in nostro casu hi, qui participare dicuntur in crimine sepeliendi excommunicatum in loco sacro, cooperantur crimini ante excommunicationem contractam; hoc autem modo non omnes participantes in crimine cum principali delinquente incurrunt semper eamdem excommunicationis pœnam jure latam, nisi in ipso jure sufficienter declaretur, quod in præsenti non fit.

13. *Quorumdam dictum improbatur.* — Ultimo circa hanc excommunicationem advertendum est, eamdem in particulari esse latam in cap. 2 de Hæret., lib. 6, contra eos, qui hæreticos vel fautores eorum scienter præsumunt Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, quam eodem modo et cum eisdem limitationibus intelligendam censeo. Additur tamen ibi duplex gravamen in hæreseos detestationem: unum est, ut qui hæreticum sepelivit, absolutionis beneficium non mereatur, nisi propriis manibus publice extumulet et projiciat hujusmodi corpus damnatum. Per ultimum autem verbum videtur hoc limitandum ad eos, qui per publicam sententiam de hæresi damnati sunt; nam solum illi videntur in rigore dici damnati, et quando in illo textu illa limitatio non esset adhibita, ex vi Extravagant. *Ad evitanda*, nunc esset adjicienda. Et cum eadem intelligendum est aliud gravamen, quod *locus ille perpetuo careat sepultura*, ita ut amplius expiari aut reconciliari non possit, quod ego intelligo de loco proprio et adæquato, non de toto templo, quia pœnæ restringendæ sunt. Nonnulli vero extendunt illam excommunicationem ad eos, qui sepeliunt hæreticum etiam extra locum sacrum, si cum aliis solemnitatibus et cæremoniis Ecclesiasticis illum sepeliunt. Quod sentit Antonin., 3 part., tit. 24, cap. 5; Angelus, *Excommun.* 7, casu 28, et verb. *Hæreticus,* § 19; et Sylvest., *Excommunicatio* 9, n. 58, quamvis non satis clare. Oppositum tamen probabilius censeo, quia pœnæ restringendæ sunt, et illa simpliciter loquendo non est Ecclesiastica sepultura. Item, quia textus addens, quod locus ille perpetuo careat sepultura, supponit illum ad illud munus deputatum esse. Et ita sentit Ledesma, 2 part. 4, quæst. 26, art. 1, excom. 27. Addo denique, eos qui hanc excommunicationem majorem incurrunt, sepeliendo excommunicatum in loco sacro, non incurrere simul aliam excommunicationem minorem, quam diximus incurri jure ordinario propter hanc communicationem cum excommunicato, quia per hoc speciale jus commutata videtur excommunicatio minor in majorem, vel ita aucta, ut ex minore major sit effecta; non vero est multiplicata excommunicatio, quia nulla est necessitas ita interpretandi aut multiplicandi censuras, maxime cum locum etiam hic habeat vulgatum principium de restringendis odiis potius quam amplificandis.

Excommunicatus defunctus privatur omni honore Ecclesiastico, qui in tumulatione fieri solet. Secunda conclusio.

14. Secundo principaliter dicendum est, ratione excommunicationis privari defunctum omni honore Ecclesiastico proprio fidelium. Hæc assertio sequitur ex præcedente, tum quia hujusmodi honor totus ordinatur ad Ecclesiasticam sepulturam, tum etiam quia hæc est quædam moralis communicatio cum defuncto. Unde hic etiam locum habet illud principium, ut cui non communicavimus vivo, non communicemus defuncto. Et præterea sunt de hac re aliqua jura, ex quibus hoc in particulari sumi potest; dicitur enim in cap. Placuit, 23, quæst. 5, *pro iis qui voluntarie sibi mortem violentam inferunt, nullam esse in oblatione commemorationem faciendam, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducenda.* Ubi Glossa intelligit hujusmodi peccatorum corpora non esse donanda Ecclesiastica sepultura, *sed canina* (ut ipsa loquitur), et ideo etiam præcipitur, ut talia corpora sine Ecclesiastico honore ad talem sepulturam deferantur, quoniam hoc est veluti consequens ad illud. Contingit quidem interdum aliquem privari pompa funeris Ecclesiastica, licet non privetur Ecclesiastica sepultura, ut apparet ex cap. Super eo, de Raptoribus; e converso tamen nunquam aliquis privatur Ecclesiastica sepultura, quin prædicto etiam honore consequenter privetur; nam indecens valde est, ut ad locum profanum, et sepulturam quodammodo communem cum bestiis, cum pompa funebri corpus deferatur. Quod maxime verum habet, quando

illa privatio sepulturæ fit ex vi censuræ excommunicationis, propter generalem privationem communicationis, quam etiam respectu defunctorum talis censura includit.

15. *Clerici non possunt pro defunctis excommuncatis eleemosynas recipere aut oblationes offerre.*—Præterea prohibentur clerici ne oblationes seu eleemosynas pro excommunicatis accipiant, cap. Sacris, et cap. A nobis 2, de Sentent. excom., nimirum, quia nullum Ecclesiasticum obsequium eis impendendum est; si enim clerici possent corpus excommunicati comitari, possent etiam eleemosynam aliquam ob eam causam accipere. Addo præterea non solum sacerdotes non debere hujusmodi cultum seu honorem exhibere excommunicatis, verum etiam nec laicos; nam, licet curatio funeris et pompa exequiarum magis sint solatio vivorum, quam subsidia mortuorum, ut dicitur in cap. Animæ, 13, quæst. 2, nihilominus in pœnam excommunicati vult Ecclesia, ut hoc etiam solatio viventes priventur; quoniam id non fit sine aliquo honore, et ideo nec sine aliqua communicatione cum excommunicato. Est tamen discrimen; nam, si clerici exhiberent propriam funeralem curam juxta Ecclesiæ morem, esset illa communicatio in divinis cum excommunicato, atque adeo ex genere suo grave peccatum; honor vero alius exhibitus a laicis tantum esset civilis et humana communicatio, de cujus ratione et gravitate postea dicturi sumus.

16. *An clerici, hunc honorem excommunicatis impendentes, irregulares fiant.*—Hic vero dubitari posset, an clerici exhibentes excommunicato hunc honorem irregulares fiant, per cap. Super eo, de Raptor., ubi de presbyteris et clericis, qui sepulturæ raptoris, de quo ibi est sermo, interesse vel eleemosynas accipere attentaverint, dicitur : *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Respondetur breviter nullam propter hoc delictum latam esse irregularitatem, quia in aliis juribus non habetur, et ex illo non probatur, quia neque illa pœna videtur irregularitas, quæ ipso jure incurratur, sed depositio vel suspensio perpetua per Episcopum imponenda, ut ibi notat Abbas, num. 2, et illa pœna specialis est in eo casu de raptoribus, in odium illius delicti; et ideo non est ad alios casus extendenda.

DISPUTATIO XIII.

DE QUINTO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS, QUI EST PRIVATIO SEU INHABILITAS AD ECCLESIASTICA BENEFICIA PERCIPIENDA, VEL EORUM FRUCTUS.

Hactenus diximus de privatione spiritualium bonorum, quæ ad internum animæ commodum propinquius spectare videntur; nunc dicendum est de aliis bonis spiritualibus externis, et quæ aliquod temporale commodum habent annexum, qualia sunt beneficia Ecclesiastica, et fructus eorum, de quibus hic dicemus, prius de beneficiis, deinde de fructibus eorum.

SECTIO I.

Utrum per excommunicationem fiat aliquis incapax beneficii et dignitatis Ecclesiasticæ.

1. *Excommunicatus non privatur beneficiis jam obtentis. — Potest autem ob nimiam contumaciam illis privari.* — Quæstio hæc intelligi potest, vel de beneficiis obtentis ante excommunicationem, vel in futurum obtinendis. De prioribus, certum est, ligatum excommunicationis censura non privari ipso facto beneficiis, quæ antea possidebat, et consequenter nec fieri inhabilem ad retinendum beneficium antea legitime obtentum; nullo enim jure hujusmodi pœna excommunicato imposita est, imo in multis juribus oppositum supponitur. Primo in iis, quæ privant excommunicatum fructibus beneficii, quæ postea afferemus; illa enim supponunt adhuc manere dominum beneficii, ut notant Doctores, et colligitur ex textu in cap. Pastoralis, § Verum, de Appel. Item in illis, quæ ob nimiam contumaciam seu perseverantiam in excommunicatione jubent excommunicatum privari beneficiis, ad quod citatur cap. Rursus, 11, q. 3. Sed ibi solum dicitur : *Si intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.* Inde vero colligunt Doctores posse hujusmodi excommunicatum in eo casu privari omnibus beneficiis suis, saltem quando pro crimine excommunicatus est, ut patet ex Innocent. in c. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., et sumi potest ex Glossis ult. in c. Cum contumacia, de Hæret., in 6, et in cap. Contingit, de Dolo et contum., quas ad hoc citat Sylvest., verb. *Excommunicatio*, 3, num. 1, § 9, licet satis obscure lo-

quantur. Solet autem objici contra hoc c. Cum bonæ, de Ætat. et qualitat. Sed ibi non est sermo de excommunicatione, sed de suspensione, et ideo suo loco illud interpretabimur.

2. *Collatio beneficii excommunicato facta est invalida.* — Omissis ergo beneficiis prius obtentis, de iis quæ durante excommunicatione obtineri possent, prima et generalis regula est, excommunicationem ita reddere personam inhabilem ad Ecclesiastica beneficia, ut collatio ei facta durante excommunicatione omnino sit invalida. Hæc est communis, et satis expresse declarata in cap. Postulastis, de Cleric. excom. ministrant., ubi non solum dicitur excommunicatis non posse Ecclesiastica beneficia conferri, sed etiam eos non posse illa licite retinere, *quia ea non fuerunt canonice consecuti*. Quæ verba aperte significant eos non fecisse sua illa beneficia, et ideo diverso modo loquuntur jura de beneficiis ante excommunicationem obtentis; nam de illis solum dicunt non posse excommunicatum recipere aut retinere fructus eorum; hic autem de ipsismet beneficiis hoc asseritur. Ratio vero seu congruentia hujus pœnæ fuit, quia excommunicatus est suspensus ab omni officio Ecclesiastico, ut supra ostensum est; ergo merito fit inhabilis, ne tunc possit beneficium accipere, quod propter officium præcipue confertur, ut in simili argumentatur Pontifex in cap. Si celebrat, de Cleric. excom. ministr. Atque hæc est communis doctrina Theologorum in 4, dist. 18. Specialiter Richard., art. 7, quæst. 4; Palud., quæst. 4; Antonin., 3 part., tit. 24, cap. 76; Soto, dist. 22, quæst. 1, art. 4. Conveniunt jurisperiti in dicto cap. Postulastis, et in dicto § Verum, et aliis locis, quæ notat Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 7; et Navarr., cap. Si quando, de Rescript., except. 9, et in Summ., cap. 27, num. 21. Atque hinc colligunt omnes, etiam post absolutionem a censura, non posse aliquem obtentum beneficium licite retinere, nisi fiat nova collatio, vel legitima dispensatio, quæ illi æquivaleat, quia per solam absolutionem non potest convalescere collatio, quæ nulla fuit. Et consequenter fit, ut nec fructus talis beneficii retinere possit, si eos suscipit; idque duplici titulo, scilicet, et quia excommunicatus illos accepit, et quia beneficium non erat suum; quo titulo tenebitur restituere hos fructus, etiamsi post absolutionem a censura illos acceperit.

3. *Beneficii collatio excommunicato facta, etiamsi suam excommunicationem ignoret, est invalida.* — Quæ omnia locum habent licet excommunicatus bona fide beneficium acceperit, aut suam excommunicationem ignorans, aut probabiliter putans se esse ab illa absolutum, quia ignorantia, quamvis excuset a nova culpa, et consequenter a nova pœna et maxime a nova censura, juxta cap. Apostolicæ, de Cleric. excomm. ministrant., non tamen dat valorem actui, alias invalido, neque impedit effectum provenientem ex priori censura legitime imposita, qui est quasi pœna illius peccati, pro quo prior excommunicatio lata fuit, a quo proinde pœna excusare non potest ignorantia, quæ in beneficii collatione intervenit. Quæ sententia videtur mihi certa, et eam esse communem Doctorum affirmat Covarruvias, sup., num. 3, et Rebuffus, in dicto cap. Postulastis, num. 62. Abbas dicto cap. Pastoralis, § Verum, num. 15, contra Gloss. ibi cum alia Glossa in dict. cap. Apostolicæ. Existimo tamen aliter esse in hoc sentiendum, loquendo de ipso beneficio, aliter de fructibus perceptis et consumptis; nam beneficium omnino retineri non potest; circa fructus autem nonnulla distinctione utendum est. Nam in primis, si ratione beneficii aliquod officium, vel ministerium eadem bona fide exercuit, juste potest conveniens stipendium, seu congruam sustentationem pro ratione sui operis ex fructibus beneficii accipere, quia in re ipsa Ecclesiæ inserviit, ratione cujus operis dignus est congrua sustentatione, maxime cum bona fide id fecerit; et deinde, si præter congruum stipendium plures fructus accepit, et bona fide illos consumpsit, neque inde factus est ditior, non tenebitur aliquid restituere, quia neque ratione acceptionis, cum bona fide acceperit, et absque culpa, nec ratione rei acceptæ, cum jam illa non extet, neque in se, neque in illa, quæ loco illius permaneat. Extra hos vero casus manifestum est, ignorantiam seu bonam fidem acceptionis non excusare ab obligatione restituendi id, quod sine vero titulo acceptum est.

Nonnulla dubia pro præcedentis assertionis declaratione enucleantur.

4. *Primum quid nomine beneficii in assertione intelligatur.* — Supersunt vero nonnulla dubia necessaria, ut assertio proposita exacte explicetur. Primum est, quid nomine beneficii Ecclesiastici in præsenti intelligendum sit. Et præcipua difficultas de pensio-

nibus est; de cæteris enim nullum dubium, quia, licet hoc nomen, *beneficium,* et stricte et late in jure accipi soleat, juxta cap. penult. de Verb. signific., ubi id notat Abbas, num. 2, et alii, qui ibi in Addit. referuntur, et Glossa, in cap. 1 de Regulis juris, in 6, et ideo in materia odiosa, qualis hæc est, videatur ejus significatio, quantum fieri possit, restringenda, nihilominus certum est, regulam positam intelligendam esse de omni beneficio proprie dicto, sive curam habeat animarum annexam, sive non, sive sit ex minoribus, sive ex iis, quæ majora beneficia dicuntur, ut sunt Episcopatus, et Archiepiscopatus, etc. Ratio est, quia jura generaliter reddunt excommunicatum inhabilem ad omnia beneficia Ecclesiastica, ut constat ex dicto cap. Postulastis, ubi licet non addatur signum distributivum, *omnia,* sed simpliciter dicatur, *beneficia Ecclesiastica,* tamen illa absoluta, et indefinita locutio æquivalet universali, maxime, quia cum propositio illa sit negativa, satis continet illam distributionem, quia negatio omnia destruit. Ut in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., dicitur non posse suspensum, quod idem est de excommunicato, beneficia, quæ postea adeptus est, retinere; quod perinde valet ac si diceret : *Non potest aliqua*, atque adeo nulla beneficia retinere potest.

5. Propterea in jure dicitur, excommunicatum esse inhabilem ad beneficia Ecclesiastica, cap. Per inquisitionem, de Elect., et ex hac generali appellatione beneficii, ibi infertur, quemdam non fuisse capacem cujusdam Præposituræ, quia incapacitas beneficii includit negationem universalem cujuscumque dignitatis, vel præbendæ, quæ sub hac voce proprie comprehenditur, c. *Felicis,* vers. *Quod si quis,* de Pœnis, in 6, ubi Glossa advertit nomine beneficiorum, seu beneficiatorum, non comprehendi Episcopatum, vel Episcopum, nisi exprimatur, ut ibi fit. Verumtamen existimo id multum pendere ex subjecta materia; nam in cap. Inquisitores, de Hæret., et in cap. Quia periculosum, de Sentent. excomm., ut exciperentur Episcopi a generali sententia, vel jurisdictione, necessarium fuit ibi specialiter disponi. In cap. autem Dilectus, de Concess. præbend., ubi quædam constitutio Alexandri III de beneficiis Ecclesiasticis ita exponitur, ut Episcopatum non comprehendat, ideo ita fit, quia ex verbis, et circumstantiis ipsius constitutionis aperte constat hanc fuisse mentem Alexandri, et Concilii Lateran., ut patet ex ipso Concilio, part. 1, cap. 8. At vero in præsenti nulla est ratio hujus restrictionis, et alias prohibitio, seu incapacitas est universalis. Imo a fortiori sumitur argumentum efficax, nam si excommunicatus est incapax inferiorum beneficiorum, multo magis superiorum.

6. Addo vero ulterius, non solum hoc intelligi de beneficiis Ecclesiasticis in rigore sumptis, quæ requirunt, et titulum spiritalem de se perpetuum, et jus ad temporales fructus ratione officii percipiendos, verum etiam de quacumque dignitate, et officio Ecclesiastico, etiam si ad tempus concedatur, ut est munus vicarii, et administratoris vel gubernatoris Episcopatus, qui interdum ad tempus constituitur, cap. ult. de Supplend. negl. Prælat., et cap. Is cui, de Elect., in 6. Item munus Prælati in aliqua religione, quod et temporales fructus non habet, et sæpe ad tempus tantum durat. Item munus legati, aut delegati, aut inquisitoris, non est Ecclesiasticum beneficium; et tamen horum omnium est incapax excommunicatus, quia est incapax usus jurisdictionis, et Ordinis, et omnia hæc ad aliquem usum ex his ordinantur; et ideo qui illo privatus est, recipere non potest de novo munus vel officium ad illum usum ordinatum, sive illud sit proprium beneficium Ecclesiasticum, sive quælibet alia dignitas, argumento cap. ult. de Cleric. excomm. ministr. Ex quo Abbas ibi, num. 3, colligit, quod prohibito exercitio alicujus actus, prohibetur omne id, per quod pervenitur ad illum actum. Item est alia ratio, quia excommunicatus fit extra omnem Ecclesiasticam communionem; assumptio autem ad quamlibet Ecclesiasticam dignitatem est magna communicatio Ecclesiastica; et ideo est incapax illius. Qua ratione usus est Innocent. III, in cap. Postulastis, de Clerico excomm., dicens : *Consultationi vestræ respondemus, quod cum excommunicatis communicari non debeat, clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt.* Ubi, licet, proprietate verborum inspecta, conclusio tantum inferatur de beneficiis Ecclesiasticis, ex vi tamen antecedentis idem concluditur de omnibus dignitatibus et muneribus dictis. Excipienda vero est Summi Pontificis dignitas, a qua nemo repellitur propter excommunicationem, ut docuit Sylvest., verb. *Excommunicat.,* 9, num. 5, cum aliis, et infra, disputatione sequente, sect. 2, commodius ostendemus. An

vero sic electus ipso jure absolutus maneat, vel quo modo absolvi debeat, infra de absolutione tractando dicetur.

7. *Pensio perpetua, nomine beneficii comprehenditur. — Num temporalis nomine beneficii veniat. — Ratio dubii.* — Solum ergo superest difficultas circa pensiones. Duplex autem pensio distingui consuevit : quædam perpetua, quæ datur in titulum beneficii; alia temporalis, quæ absque spirituali titulo superioris auctoritate conceditur, propter diversas causas, ut constat ex usu. De priori nulla est difficultas, quia est proprie beneficium Ecclesiasticum, ut notant Abbas, et alii in cap. Conquerente, de Cleric. non residentibus; Rota, Decis. 39 de Rescript. in antiqu.; Covarr., in Pract. quæst., cap. 36, num. 10; nam talis pensio constituitur, quando ex pingui beneficio certa aliqua portio extrahitur, non in commodum alicujus, sed ut deinceps perpetuo conferatur tanquam Ecclesiasticum beneficium. De qua videri potest Gigas, quæst. 28 de Pensionib., in fine, et quæst. 54, num. 5; et Caccialupus, quæst. 12 de Pension.; qui docent hujusmodi pensionem venire appellatione Ecclesiastici beneficii. Et sane, quantum ex Abbate, et aliis auctoribus colligere possum, id est hæc pensio perpetua, quod nos præstimonium appellamus, de quo certum est esse beneficium Ecclesiasticum, ut late Soto, lib. 10 de Inst., quæst. 5, art. 3; Calder., in cap. In nostra, de Rescr.; Rebuffus in Praxi. tit. *Secularia beneficia*, num. 19; et colligitur ex cap. ult. de Concess. præbend., in 6, princ., ibi, *Præstimoniis,* et docuit Glossa, in Clem. ult., verb. *Quodcumque,* de Vit. et honest. cler.; et videri potest Decis. in Rubric. de Rescript., num. 3; et Abb., Consil. 47, num. 4, volum. 2. Unde consequenter etiam est certum collationem ejus excommunicato factam nullam esse. Estque communis resolutio Panormitani, et aliorum, in cap. Ad audientiam, de Rescript. De aliis vero pensionibus temporalibus major difficultas est, quia illæ non sunt Ecclesiasticum beneficium, ut prædicti auctores fatentur, et tradit Navarr. in Summ., cap. 23, n. 111, et constat inter alia, quia de ratione beneficii Ecclesiastici est, ut sit jus perpetuum, ut ex variis decretis notat Glossa in cap. unico, de Capell. Monach., in 6, verb. *Perpetui.* Item, quia hæ pensiones non dantur, quantum est ex se, ob titulum, vel officium Ecclesiasticum, quod etiam est de ratione Ecclesiastici beneficii. Denique id aperte colligitur ex cap. Quamvis, de Præbend., in 6, ubi dicitur in litteris Apostolicis de aliquo providendo in Ecclesiasticis beneficiis, non intelligi pensionem. Hinc ergo colligi videtur excommunicatum non esse incapacem pensionis, quia neque illa est beneficium Ecclesiasticum, neque datur propter aliquod munus, vel usum alicujus actus, a quo excommunicatus suspensus sit.

8. *Prima sententia. — Secunda sententia. — Tertia sententia.* — De his ergo pensionibus tres invenio sententias. Prima simpliciter negat excommunicatum esse incapacem harum pensionum propter fundamentum tactum, quod non sunt beneficia, nec dignitates, nec munera Ecclesiatica; addendo, quod odia et pœnæ restringenda sunt. Item solum sunt quædam veluti donationes temporales. Unde quantum est ex natura illarum, pecunia redimi possunt, quanquam ob decentiam, et ad vitandos abusus prohibitum sit, ne id fiat sine auctoritate Pontificis. Secunda sententia extreme opposita est, excommunicatum esse incapacem pensionis Hanc tenet Gigas, quæst. 14 de Pensionib.; inclinat Covarr., cap. Alma, part. 1, § 7, num. 2, qui fatetur, pensionem non esse beneficium Ecclesiasticum, et in illa non procedere rationem supra traditam, ex cap. Si celebrat, de Cler. excomm. minist., quia pensio non ordinatur ad aliquod ministerium prohibitum excommunicato : *Sed tamen* (inquit) *propter odium excommunicatorum, et quia pensiones redditus Ecclesiastici sunt, non admodum hanc opinionem improbamus.* Quibus verbis satis significat hic auctor, nec ratione satis firma, neque assensu satis definito huic adhærere sententiæ. Gigas vero addit, curiam Romanam amplecti hanc opinionem; et ideo introduxisse stilum, quoties expediuntur litteræ pensionis, præmittendi clausulam absolventem ab omnibus censuris dumtaxat ad talem effectum. Tertia sententia distinctione utitur; nam quædam sunt pensiones quasi mere temporales, quæ dantur ex causa humana, ut propter servitia parentum in militia, vel alia simili; et in his ait hæc opinio procedere priorem sententiam. Aliæ sunt quæ conferuntur proxime, et immediate propter munus aliquod spirituale, ut cum datur coadjutor Episcopo, vel administrator Episcopatus, et ex fructibus assignatur illi certa pensio in stipendium, et tunc ait procedere posteriorem opinionem.

9. Quod videtur indubitatum, quia tunc

pensio est quid accessorium ad munus spirituale, cujus collatio nulla est, ut supra dictum est; ergo et pensio ipsa est nulla. Aliæ vero sunt pensiones, quæ nec sunt pure ex titulo temporali, neque immediate dantur propter spirituale munus, remote tamen, et mediate oriuntur ex aliqua causa spirituali, ut quando ad dirimendam litem inter clericos super causa beneficiali, alteri datur beneficium, et alteri pensio assignatur, juxta cap. Si essent, de Præbend., vel cum aliquis renunciat beneficium reservata pensione, quæ remote saltem confertur ob titulum beneficii prius habiti, vel in sustentationem quodammodo debitam ob servitium, et ministerium spirituale, prius Ecclesiæ exhibitum, et de hoc tertio genere pensionum res videtur utrinque dubia, et probabilis.

10. *Nulla pensio licite dari excommunicato, vel ab ipso accipi potest.* — Dico primo, nunquam esse licitum dare pensionem Ecclesiasticam excommunicato, cujuscumque generis illa sit; et a fortiori neque illi esse licitum eam recipere. Hoc probatur ratione textus in dict. cap. Postulastis, quia scilicet cum excommunicatis communicari non debet; sed assignatio pensionis Ecclesiasticæ est quædam communicatio Ecclesiastica; imo spiritualis dici potest, nam, licet illi fructus secundum se temporales sint, per quamdam tamen relationem moralem sunt quid spirituale, quatenus sunt bona Ecclesiæ, et Deo dicata; ergo non est licita talis communicatio. Deinde censeo, excommunicatum, quamdiu est censura ligatus, non posse jure exigere pensionem, imo repelli posse si exceptio excommunicationis illi opponatur, juxta cap. Exceptionem, de Exception. Et ratio est, quia illa est quædam communicatio; ille autem omni communicatione privatus est. Adde, quod, ut infra dicemus, excommunicatus non facit suos Ecclesiasticos fructus; sed redditus pensionis sunt fructus Ecclesiastici; ergo excommunicatus, quamdiu ligatus est, illos non facit suos. Ex quo tandem probabiliorem censeo primam sententiam, quia plus est obtinere jus novum ad fructus; pensionis percipiendos, quam ipsos fructus, sed is, qui jam antea erat pensionarius constitutus, non potest fructus pensionis percipere; ergo multo minus potest jus ipsum pensionis excommunicatus acquirere. Atque hoc modo habet hic etiam locum regula, quæ sumitur ex dict. cap. Si celebrat, quod excommunicatus, dum fit inhabilis ad aliquem actum, fit etiam inhabilis ad recipiendum de novo id, quod est quasi principium talis actus; nam excommunicatus est inhabilis ad percipiendos fructus pensionis; principium autem veluti morale percipiendi illos est jus illud, quod acquiritur per assignationem, seu collationem pensionis; ergo est incapax, ut tale jus de novo acquirat. Et ideo etiam rescriptum, seu bulla ab excommunicato impetrata ad effectum obtinendi pensionem nulla est, nisi ad talem effectum absolutionem obtineret, arg. cap. Dilectus, de Rescript., et cap. 1, de Rescript., in 6, ubi id notant Doctores, et Abbas in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia. Ex quo textu in ultimis verbis non leve sumitur argumentum ad rem, de qua agimus, confirmandam. Dicitur enim ibi, omnem alienationem de rebus Ecclesiasticis, ab excommunicato factam, esse irritam; ergo a fortiori assignatio pensionis, vel ejus acceptio respectu excommunicati nulla existit. Denique in hac materia, collatio illicita est etiam nulla, juxta textum in dicto cap. Postulastis; sed ostensum est hanc collationem esse illicitam; ergo est nulla, quia re vera non est canonica eo modo, quo esse potest, et debet, quæ est etiam ratio illius cap. Postulastis. Quæ fundatur in regula prima de Regul. juris, in 6, quod beneficium Ecclesiasticum sine institutione canonica non potest licite retineri. Et, quamvis hæ rationes in secundo, et tertio genere pensionum manifestius procedant, tamen de primo etiam sufficienter probant, et rationes in contrarium non procedunt, quia proposita regula non tantum de beneficio Ecclesiastico propriissime sumpto procedit, sed etiam de quolibet jure percipiendi Ecclesiasticos fructus, ut ostensum est.

11. Secundo dubitari potest circa eamdem regulam, quid nomine collationis intelligendum sit, et an ad omnes modos collationis beneficii extendatur. In qua re primo dicendum est sub collatione comprehendi electionem, præsentationem, seu nominationem excommunicati ad beneficium Ecclesiasticum. Ita docent communiter Doctores supra citati, et distinctius declarat Covarr., num. 1 et 2, et fundamentum est, quia fere de iis omnibus in propriis terminis jura loquuntur, vel (si quid omittunt) eadem de illo ratio est. Et in primis de electione videtur textus satis expressus in c. Cum dilectus, de Consuetud. ubi sermo est de suspenso; item in c. Constitutis, 1, de Appellat.; sumitur etiam ex c. Si

celebrat, de Cler. excom. minist., ubi electio ejus, qui minori excommunicatione ligatus est, irritanda dicitur, vel ut multi interpretantur, irrita declaranda; ergo a fortiori erit irrita electio facta de illo, qui majori excommunicatione ligatus est. Atque hinc inferunt omnes etiam præsentationem, seu nominationem hujusmodi excommunicati non valere, quia hæc omnia proxime ordinantur ad beneficii collationem, seu obtentionem; et ideo æque nulla sunt, ac ipsa collatio, juxta principium traditum in dict. cap. Si celebrat. Item, quia qua ratione electio personæ inhabilis ad aliquod beneficium, vel officium nulla est ex natura rei ob personæ incapacitatem, eadem, præsentatio, vel nominatio personæ inhabilis nulla esse debet; persona autem excommunicati inhabilis est; et ideo jura quoad hanc rem hæc omnia parificant, ut in simili dixit Glossa penultima in cap. Si postquam, de Elect., ubi generaliter idem dicit de provisione beneficii, et de postulatione ad beneficium. Quod sumitur etiam ex cap. 1 de Postulat. Prælat., ubi postulatio ejus, qui interdictum violaverat, nulla reputatur; multo ergo magis postulatio excommunicati, ut ibidem notat Abbas cum Gloss. ult., num. 31.

12. *Resignationem beneficii in favorem excommunicati factam esse nullam.* — Atque hinc infertur primo, resignationem beneficii in favorem excommunicati factam, sive simplex sit, sive per modum permutationis, invalidam esse, ut Covarr. supra notat cum aliis, quos refert. Et ratio est clara, tum quia per resignationem vel permutationem validam novum jus ad beneficium acquiritur; excommunicatus autem incapax est acquirendi quacumque ratione Ecclesiasticum beneficium, vel jus in illud, seu ad illud; tum etiam quia, si ex aliis causis persona sit inhabilis, permutatio non tenet, ut significavit Gloss., in Clem. 1 de Pœnit., verb. *Obtinenda;* ergo idem erit in præsenti.

13. *Impetratio beneficii ab excommunicato obtenta, est ipso jure nulla.* — Secundo infertur ex dictis, omnem impetrationem beneficii ab excommunicato obtentam, esse ipso jure nullam, quod omnes colligunt ex c. 1 de Rescript., in 6. Ubi rescriptum ab excommunicato impetratum nullum esse dicitur. Dicet aliquis ibi tantum esse sermonem de rescripto ad litem impetrato; et ideo non esse extendendum ad alios casus, cum pœnalis, seu odiosa sit constitutio. Antecedens videtur ex frequente expositione Canonistarum haberi, ut supponunt Gigas, quæst. 14 de Pensionib., et Covar., dict. §, num. 9. Qui tacite respondet negando consequentiam; nam inde sumitur argumentum a fortiori, quod dicit colligi ex cap. Quamvis, de Præbend., in 6, et cap. Ad audientiam, 2, de Rescr. Non tamen video, quomodo ex illis juribus id probetur. Neque etiam video, cur decisio illius cap. 1 ad sola rescripta ad lites impetrata restringenda sit, cum verba sint universalia; et maxime cum per illa verba : *Super alio quam excommunicationis, vel appellationis articulo,* duplex exceptio adhibeatur, quæ firmat regulam generalem in omnibus aliis casibus, ut ibi notat Glossa, verb. *Alio.* Et videtur esse communis interpretatio, maxime quando rescriptum ad commodum proprium ipsius excommunicati obtinetur, ut notavit Abbas, in c. Veritatis, de Dolo et contum., n. 47, et latius Felinus, in cap. ult., col. 2, de Except. Posset etiam hoc confirmari, quia tacens aliquid quod difficiliorem redderet rescripti concessionem, facit illam subreptitiam, juxta cap. Super litteris, de Rescriptis; nam si constaret Pontifici de excommunicatione petentis rescriptum, illud non concederet; ergo. Tandem argumentor ex cap. Si celebrat, quia cum excommunicatus sit inhabilis ad beneficium, etiam est inhabilis ad impetrandum illud, vel litteras, quæ ad hoc possint conferre.

14. *Collatio beneficii facta a Pontifice motu proprio alicui excommunicato, est invalida.* — Tertio infertur, etiamsi Summus Pontifex absque petitione, vel impetratione alterius, motu proprio conferat beneficium alicui, qui excommunicatus est, collationem invalidam esse, quando Pontifex ignorabat, eum, cui beneficium confert, esse excommunicatum, quia tunc non censetur cum eo dispensare, nec eum absolvere; nam hæc voluntarie fieri debent, et juste ac prudenter; et ideo nisi prævia cognitione fieri non censetur. Atque ob rationem oppositam, si Pontifex sciens alterius excommunicationem, illi beneficium tribuat, censetur tacite illum absolvere, saltem quantum ad illum effectum, quod jam communi stilo expresse semper fit, ut latius Covarr., supra, num. 2.

15. *Commenda Ecclesiæ excommunicato facta, est irrita.* — Quarto infertur, etiam commendam, seu commendationem Ecclesiæ excommunicato factam irritam esse, quia illa etiam ordinatur ad officium, ad quod excommunicatus inhabilis est. Item, quia ob hanc causam in cap. Nemo, de Elect., in 6, com-

menda æquiparatur ipso beneficio parochiali, quoad hoc, ut non nisi una, et ei qui in ætate legitima, et sacerdotio constitutus sit, dari debeat, quia nimirum debet esse aptus, et expeditus ad curam animarum gerendam administrando sacramenta, etc.; ergo eadem ratione æquiparantur hic commenda, et beneficium, quod notavit Rebuff., dict. c. Postulastis, de Cler. excom. ministr., num. 213.

Num acceptatio beneficii ante excommunicationem collati, ab excommunicato facta, sit valida.

16. *Communis responsio. — Ratio dubitandi.* — Hic vero quæri solet, an idem sit dicendum de acceptatione beneficii facta ab excommunicato, quando provisio seu nominatio, et electio facta fuit antequam excommunicationem incurreret. Et responsio communis est, acceptationem illam validam esse, ut refert Covarr., dict. § 7, num. 4; et Navar., in cap. Si quando, de Rescrip., excep. 10, num. 13. Fundamentum est, quia acceptatio potius ad factum, quam ad jus pertinet, et ita non de beneficio acquirendo agitur, sed acceptatione jam acquisiti. Quæ ratio, et consequenter assertio, difficultate non caret; nam, ut dicitur in cap. Si tibi absenti, de Præbend., in 6, si Episcopus absenti beneficium conferat, ille jus in ipsum non acquirit, nec facit illud suum, donec consentiat, ratamque habeat hujusmodi collationem; ergo cum acceptat beneficium tunc acquirit jus; ergo si tunc est incapax ad acquirendum jus, acceptatio non poterit esse valida quoad hunc effectum; ergo, si fit ab excommunicato, est invalida. Et confirmatur; nam alias in Ecclesiis, in quibus est consuetudo optandi meliores præbendas, si excommunicatus canonicus optet, v. gr., dignitatem vel præbendam meliorem, illam acquiret; consequens est falsum: ergo. Sequelam admittit Covarr., supra, cum Rota, quam allegat. Et videtur posse probari, quia ubi est consuetudo optandi, per ipsam veluti confertur jus ad præbendam, solumque deest acceptatio, quæ ad factum solum pertinet. Minor vero probatur, quia in optione fit quasi permutatio beneficiorum, quam diximus ab excommunicato fieri non posse.

17. *Jus ad beneficium non potest augeri ob consensum ab excommunicato præstitum.* — Priorem difficultatem attingit Covarr., citato loco, et lib. 3 Variarum resol., cap. 16, n. 4. Et propter illam ait oppositam sententiam tenuisse Cardinalem, in c. Postulastis, et Alciatum, in cap. 1 de Judiciis, num. 12, et ipse etiam censet rem esse dubiam, eamque limitare videtur. Et mihi etiam videtur prior sententia, quamvis communis, moderanda. Non enim opinor posse jus quod aliquis habuit ad beneficium ante excommunicationem augeri vel solidius fieri propter consensum tempore excommunicationis præstitum; hoc enim efficaciter suadet ratio facta, et confirmat quædam communis doctrina Canonistarum, quam refert Navarrus, in c. Si quando, de Rescriptis, excep. 10, num. 13, eum, qui adhuc sperat vel petit aliquid juris spiritualis, si interim inhabilis fiat, repellendum esse, adeo ut, si quis electus, et confirmatus in Episcopum, ante consecrationem inhabilis fiat, repellendus sit; quod saltem verum esse quando sua culpa quispiam inhabilitatem incurrit, affirmat Panormitanus, in cap. Ex parte, de Clerico ægrot. Si ergo id verum est in illo, qui jam habet jus quæsitum in re, ut est confirmatus, juxta cap. Super his, de Accusat., et cap. Transmissam, de Election., propterea quod aliquid restat acquirendum, ergo a fortiori ille, qui nondum habet acquisitum jus in re, si interim inhabilis fiat, non potest durante inhabilitate illud acquirere; sed ille, cui oblatum est beneficium, antequam illud acceptet, non habet acquisitum jus in re, ut ostensum est, et per excommunicationem fit inhabilis ad collationem beneficii; ergo durante excommunicatione non potest illud jus acquirere.

18. *Excommunicatio post collationem beneficii, ante acceptationem, non impedit illius efficaciam. — Excommunicatus acceptans beneficium ante excommunicationem illi collatum non acquirit plus juris in illud.* — Dico ergo, excommunicationem post beneficii collationem, et ante acceptationem subsecutam, non tollere, nec minuere efficaciam præcedentis collationis seu illud qualecumque jus ad rem, quod potuit sola collatio ante acceptationem tribuere. Quod explicatur per effectum, qui habetur in dicto c. Si tibi absenti, scilicet, quia Episcopus, qui tale beneficium obtulit, non potest alteri illud conferre, etiam si prior postea excommunicatus sit, quia licet excommunicatio impediat acquisitionem novi juris, non tamen irritat prius factum. Item, quia licet excommunicatus durante censura non possit acceptationem (ut ita dicam) efficacem præstare, potest tamen absolvi, et postea acceptare; ergo per excommunicatio-

nem non statim privatur omnino illo jure. Addo vero ulterius, durante excommunicatione non acquirere plus juris, quam antea habebat, etiamsi in eo tempore, et statu acceptet, seu consentiat; hoc enim probant efficaciter rationes factæ. Estque hoc aliquando magni momenti, quia si contingat illum mori, antequam ab excommunicatione absolvatur, beneficium non censebitur vacare denuo per mortem ejus, quia illud nunquam acquisivit, quod multum referre potest ad intelligendum, ad quem pertineat nova collatio illius beneficii, juxta ea quæ notat Covarr., dict. lib. 3 Variar., cap. 16, num. 3.

19. *Corollarium.* — Quo etiam fit, ut si tempus ad acceptandum datum præfixum fuit, et sic provisus in beneficio, et ante acceptationem excommunicatus, in eadem excommunicatione perduret usque ad illud tempus elapsum, quantumvis interim suum consensum declaret acceptando, nihilominus posse collatorem illud libere alteri conferre, juxta decisionem dicti cap. Si tibi absenti. Quia acceptatio præstita durante excommunicatione fuit inefficax quoad effectum acquirendi beneficium; quando autem præscribitur terminus ad acceptandum, intelligitur de acceptatione valida et efficaci, ita ut jus in beneficio acquiratur. At vero, si durante excommunicatione quis statim acceptavit, et postea absolvatur a censura, probabile est statim ipso facto, et sine nova acceptatione, acquiri jus, et dominium beneficii, ut in hoc verum habeat prior communis opinio. Et hoc ad summum probat ratio ejus, quia causa efficax hujus juris non est consensus recipientis, sed tantum conditio vel quasi dispositio requisita ex parte subjecti, quæ de se sufficiens fuit, etiam si tempore excommunicationis fuerit præstita, quia ad nudum factum pertinet, id est, quia non est actus jurisdictionis, nec collatio juris, sed solum declaratio proprii consensus. Obstitit tamen excommunicatio, ne alterius collatio statim haberet effectum; quia vero illa valida fuit ex parte conferentis, et semper in eodem statu moraliter permanet, nec juridice revocata fuit, ut supponimus, ideo ablato obice ex parte recipientis, statim habet effectum, quia alia conditio necessaria ex parte acceptantis jam posita fuit, ut supponimus, et in eodem etiam statu moraliter perseverat. Hoc igitur modo limitanda videtur illa communis sententia.

20. *Quid de concessione beneficii vacaturi.* — Ex quo infertur, si prior collatio non fuit ex se efficax in præsenti, sed solum concessio in futurum facta de beneficio vacaturo, non posse conferre jus in tale beneficium per solam acceptationem tempore excommunicationis factam, etiamsi absolutio subsecuta sit; ut si is, qui habet litteras, seu privilegium hujusmodi concessionis, excommunicatus existat tempore quo beneficium vacat, ac illud acceptet, et postea absolvatur, non acquiret ipsum beneficium, donec post absolutionem nova ei collatio fiat. Quia litteræ ad beneficium vacaturum non conferunt illud sine nova collatione postea subsecuta, sed præcipiunt illam, seu conferunt jus ad illam; hæc autem fieri non potuit durante excommunicatione; ergo necesse est, ut postea fiat.

21. *Excommunicatus non potest aliam optare præbendam.* — Ex quo facile patet, quid dicendum sit in casu tacto in confirmatione de optione alterius præbendæ seu dignitatis, aut canonicatus. Existimo enim fieri non posse durante excommunicatione, quia necesse est, ut in illa interveniat acquisitio novi beneficii, cujus excommunicatus incapax est, ut etiam Covarr. citatis locis animadvertit, et ad Rotam contra eamdem decis. 5, de Concess. præb., in novis. Intelligendum autem hoc est de optione beneficii de novo obtinendi; nam, si quis jam possideret duo beneficia, et illi daretur optio, ut altero dimisso unum tantum, quod mallet, sibi retineret, in cap. Referente, de Præbend., tunc quamvis excommunicatus id faceret, factum teneret, quia nihil de novo acquirit, sed potius dimittit, in quo nullus ei favor conceditur, sed potius redundaret in ejus commodum, si propter excommunicationem alterius beneficii renunciatio esset differenda. Secus vero est, quando optio fit per mutationem unius beneficii, quod solum antea possidebatur, in aliud melius denuo obtinendum, quia non potest excommunicatus novum beneficium comparare, quia simpliciter est incapax novæ collationis, et quia id cederet in magnum favorem, et commodum ejus. Posset tamen tunc optionem acceptare differendo executionem, seu permutationem usque ad tempus obtentæ absolutionis, quæ procuranda, et obtinenda est intra terminum sibi concessum ad optionem faciendam, si forte aut consuetudine, aut speciali jure præscriptus sit; alioqui jus optandi ad alium transibit; neque enim potest ratione prioris acceptationis impediri, cum ex illa nec novum jus acquiri, neque antiquum roborari, aut ampliari potuerit, ut dictum est.

22. *Conferens beneficium jam excommunicato, et excommunicatus illud acceptans, peccat mortaliter. — Possunt tamen excusari per facti ignorantiam, maxime eligens.*—Sed quærendum hic superest, an hæc collatio vel acceptatio beneficii ab excommunicato facta, peccaminosa sit, ita ut peccet mortaliter, vel conferens dando, vel excommunicatus acceptando. In quo certum est in primis quoties electio, collatio, etc., fit supposita excommunicatione, et eligentem vel conferentem peccare mortaliter dando, et excommunicatum acceptando. Probatur facile, tum quia illa est communicatio quædam in divinis; beneficia enim Ecclesiastica res sacræ, et divinæ sunt, et quamvis in eo ordine non habeant primarium locum, sunt tamen res valde graves; ac proinde materia hujus prohibitionis gravissima est judicio ac sententia omnium Doctorum; ergo hoc titulo actio illa peccatum mortale est; tum etiam quia efficere in tali materia actionem irritam, et nullam, gravis inordinatio est, atque adeo mortale peccatum; tum quia est quædam electio, v. gr., personæ indignæ, et inhabilis; tum etiam quia est contra justitiam, et commune bonum, vel contra jus aliorum, ut recte notavit Cajet., in Sum., verb. *Excommunicatio,* punct. 2. Solum oportet advertere, hoc peccatum excusari sæpe posse per ignorantiam probabilem facti, quæ frequentius accidere potest ex parte eligentis, vel conferentis, quam accipientis; et tunc licet contingat eligentem non peccare, ratione ignorantiæ, nihilominus ipse excommunicatus peccat mortaliter suam electionem acceptando, vel accipiendo beneficium, etiam si id faciat animo supplendi postea defectum per superioris dispensationem, quia tunc facit actum simpliciter illi prohibitum, et in re gravi et secundum præsentem statum alii vel etiam Ecclesiæ injuriosum; et consentit in electionem vel collationem in re ipsa irritam, et nullam.

23. *Peccetne mortaliter excommunicatus beneficium acceptans ante excommunicationem sibi collatum. — Prima opinio.* — Hinc vero nascitur difficultas in eo casu ultimo, quem tractavimus, cum electio vel collatio beneficii ante excommunicationem fit, acceptanda vero proponitur post excommunicationem incursam, an excommunicatus, tunc acceptando, peccet mortaliter. Non enim desunt, qui id asserant, etiamsi non negent illam acceptationem ratam esse, et validam in suo ordine. Ratio est quia non solum est illicitum indigno beneficium conferre, sed etiam ipsi est illicitum acceptare; sed excommunicatus est indignus; ergo peccat mortaliter acceptando. Item, quia ille facit injuriam Ecclesiæ dum se voluntarie exhibet ad ministerium, quod exercere non potest: Facit etiam injuriam aliis dignis, dum indignus acceptat, quod aliis debitum esset.

24. *Vera resolutio. — Rationes in contrarium solvuntur.* — Ego vero, suppositis quæ dixi, nullum in hac acceptatione invenio peccatum, etiam veniale, per se loquendo, et ex vi solius censuræ. Probatur, quia ibi non est peccatum inobedientiæ contra ipsam censuram, seu Ecclesiasticam prohibitionem; nam illa acceptatio non est prohibita ex vi censuræ, ut omnes auctores supponunt, tum quia in hac materia beneficiorum actio illicita et irrita respectu excommunicati fere convertuntur; tum etiam quia illa non est communicatio aliqua, sed sola declaratio propriæ voluntatis, quæ non est excommunicato prohibita. Rursus non intervenit ibi peccatum veluti cooperationis ad actionem injustam, vel irritam; nam, cum supponatur electio, vel collatio facta ante excommunicationem, supponitur fuisse legitima, justa, et ex se valida, et quamvis is, qui illam acceptat, postea excommunicatus sit, tamen acceptat illam, prout facta fuit; ergo acceptat illam ut legitimam et justam; ergo hoc titulo non cooperatur actioni injustæ. Neque etiam est ibi injustitia propter indignitatem personæ acceptantis, quia non est considerandus status, in quo acceptat, sed pro quo acceptat; est enim illa indignitas temporanea, et facile mutabilis; et ideo, quamvis ille, qui acceptat, tunc excommunicatus sit, non tamen acceptat, ut pro illo statu beneficium accipiat, sed post obtentam absolutionem; ergo objectum illius acceptationis non est persona indigna, sed digna, licet persona efficiens acceptationem pro tunc sit indigna; cum vero dicitur peccaminosa acceptatio personæ indignæ, intelligendum est objective, id est, si persona indigna acceptetur, non si acceptet, quia actio ex objecto habet suam bonitatem vel malitiam. Dices, etiam ex circumstantia personæ operantis oriri malitiam, si ipsa sit indigna ad talem actionem. Respondeo verum id esse si indignitas illa sit circumstantia actionis. Quod in proposito dici non potest. Cavenda enim est æquivocatio; excommunicatus enim dicitur persona indigna ad recipiendum beneficium, quia ad hoc inhabilis factus est

per censuram, non tamen est persona indigna ad acceptandum beneficium, alias legitime oblatum, et obtinendum eo tempore, quo jam sit capax ejus.

25. Quapropter nulla etiam in hoc fit injuria Ecclesiæ, quandoquidem acceptatio semper respicit tempus habile, nec persona est per se inepta ad ministerium, sed solum per accidens impedita ratione censuræ, quod impedimentum facile auferri potest, et implicite sub ea conditione seu habitudine acceptatio fit. Nec enim beneficium ita obligat ex justitia ad exequendum per se ipsum ejus officium statim ac obtentum est, neque etiam ita obligat ad obtinendum jus in illud, statim ac acceptatum est, ut non permittat aliquam temporis moram, in qua sine præjudicio aut nocumento Ecclesiæ possit aliquis se disponere ac præparare vel impedimentum tollere; sic enim potest quis beneficium etiam curatum acceptare vel recipere, priusquam ordinatus sit, quamvis per annum, v. gr., non possit per se ipsum ministerium illud exequi, quod ratione talis beneficii Ecclesiæ debet. Nec denique fit injuria aliis dignis, tum quia illi non habent proprium jus, sed capacitatem quamdam valde remotam; tum etiam quia acceptatio illa respicit personam dignam, ut declaratum est. Et ita simul fundamento contrariæ sententiæ satisfecimus et nostram confirmavimus. Potestque a simili utrumque roborari; nam, si fundamentum illud solidum esset, peccaret mortaliter excommunicatus retinens beneficium Ecclesiasticum prius obtentum, quia in persona indigna non solum accipere, sed etiam retinere beneficium, peccatum est; consequens autem in omni sententia falsum est; cujus nulla alia est ratio, nisi quia illa persona licet sit indigna pro tunc ad usum beneficii, non tamen ad titulum seu proprietatem ejus, quia licet illa indignitas ex se magna sit, est tamen facile mobilis, et ideo licitum est retinere beneficium animo removendi indignitatem illam; simili ergo modo in præsenti dicendum.

26. *Quæ personæ nomine excommunicati comprehendantur.* — Tertio, ut de alio termino dicamus, explicandum est, quis nomine excommunicati in assertione intelligatur, quod potest quæri vel ratione personæ vel ratione censuræ. Priori modo dicendum est, nullam personam excludi, cujuscumque conditionis aut dignitatis sit, si vere subjaceat excommunicationi, quia jura sine exceptione generaliter loquuntur. Quæri autem potest, an redundet etiam in communitatem, v. gr., in Capitulum, si contingat illi conferri potestatem aliquam vel jurisdictionem, aut in gratiam ejus expediri rescriptum eo tempore, quo personæ illius excommunicatæ sunt. Dicendum vero est, vel aliquas tantum esse excommunicatas, vel omnes. In priori casu non nocet Capitulo aliquorum membrorum censura; nam vis Capituli manet in reliquis; nec enim debet utile per inutile vitiari, nec innocentes propter consortium aliorum privari jure vel gratia sua. Imo, licet unus tantum habilis maneat, in eo censetur Capitulum conservari, argumento L. Sicut municipium, ff. Quod cujusque univers., et quæ tradit Abbas, cap. 1 de Election., n. 5; Navarr., Cons. 38 de Regul. In altero vero casu, quando omnes de Capitulo essent excommunicati, impediretur gratiæ seu concessionis effectus, non quia Capitulum excommunicatum sit, id enim fieri non potest, cap. Romana, de Sentent. excom., in 6, sed quia constaret omnibus membris inhabilibus, a quibus incapax efficitur, juxta c. ult. de Sede vac., in 6.

27. *Habeatne locum assertio in excommunicato non denunciato.* — Secundo ac præcipue quæri potest ex parte censuræ, an dicta assertio locum habeat in excommunicato non vitando secundum Extravag. *Ad evitanda.* De quo in primis certum est, quantum ad utilitatem ipsius spectat, habere illam excommunicationem totam hanc efficaciam privandi vel inhabilitandi illum, quia per illam Extravag. nullus favor illi factus est. Quare, licet occultus sit, non potest beneficium accipere, nec sic acceptum retinere, nec fructibus priorum beneficiorum gaudere. De aliis vero, ad quos pertinet beneficii collatio, electio aut præsentatio, etc., est difficultas, an ipsi etiam teneantur non eligere, v. gr., hujusmodi excommunicatum, sibi quidem notum, non tamen nominatim denunciatum, nec manifestum clerici percussorem. Et ratio difficultatis est, quia ipsi non tenentur vitare hujusmodi excommunicatum in ullo alio genere communicationis; ergo possunt ipsum providere. Et confirmatur; nam hoc pertinet ad favorem aliorum, quem dicta Extravag. *Ad evitanda*, intendit, et ad tollenda pericula, et dubia ex parte ipsorum. Item, quia suo jure ex parte privantur, si talem personam cogantur non eligere. In contrarium vero est, quia si aliis liceret eligere excommunicatum, etiam ipsi liceret acceptare, nam hæc duo correlativa sunt, et unum sine alio subsistere non ptoest.

28. *Collatio beneficii facta excommunicato non vitando est nulla etiam ex parte conferentis.* — *Et peccaminosa.* — Dicendum ergo est, simpliciter et absolute loquendo, etiam excommunicatum non vitandum sub prædicta regula comprehendi tam ex parte illius quam ex parte aliorum. Quod sic declaro; nam in primis collatio vel electio talis excommunicati irrita est ipso jure, etiam quatenus est actio aliorum et quasi activa communicatio eorum cum excommunicato. Probatur, quia ipsa persona excommunicati est inhabilis, quia excommunicatio idem semper in ipso operatur, ut ostensum est; sed actio circa personam inhabilem et incapacem est nulla ipso jure : ergo. Hinc vero sequitur, talem collationem vel electionem etiam ex parte conferentis vel eligentis esse illicitam, tum quia actionem moralem efficere tali modo, ut irrita sit et inanis, illicitum est, et in materia gravi est etiam grave peccatum; tum etiam quia eligere personam inhabilem et incapacem ad beneficium vel officium Ecclesiasticum, intrinsece malum est; ergo saltem hac ratione, prohibiti sunt alii eligere excommunicatum, quia ex natura rei malum est, supposita incapacitate, quæ ex vi excommunicationis in illo relinquitur, non obstante prædicta constitutione.

29. *Collatorem tamen nullam incurrere canonis pœnam.* — Est autem valde probabile hujusmodi electores, etc., non teneri ad non eligendum hujusmodi excommunicatum ex vi illius prohibitionis quam censura includit, de non communicando cum excommunicato; hoc enim videtur convincere ratio in principio proposita, quia Extravagans generaliter tollit omnem prohibitionem communicationis cum hujusmodi excommunicato *in quibuscumque divinis*. Quapropter si antea hujusmodi elector vel provisor beneficii excommunicationem minorem vel aliam pœnam incurrebat, hodie illam non incurret, quia non peccat communicando cum excommunicato, sed solum eligendo indignum vel incapacem, sicut si eligeret irregularem, vel publicum concubinarium, vel aliquem hujusmodi. Quod ergo dicitur in cap. Postulastis, de Cleric. excom., eos qui excommunicatis beneficia conferunt, debere aliquo congruente tempore a munere conferendi beneficia suspendi (neque enim ob hujusmodi crimen aliquam aliam pœnam invenio jure impositam), illud, inquam, non videtur posse nunc jure mandari executioni, nisi in eos qui nominatim excommunicato vel manifesto clerici percussori Ecclesiasticum beneficium dederint, quia illa pœna, vel solum, vel præcipue imponi jubetur ob censuræ violationem, quam nunc non committit eligens vel conferens beneficium excommunicato non vitando, licet alioqui peccet propter personæ incapacitatem vel indignitatem.

30. *Objectio ex novo jure Extravag.* Ad evitanda *desumpta.* — Sed objiciet aliquis ad hominem ex his, quæ paulo antea dicebamus; nam, si hæc vera sunt, ergo collatio activa vel electio talis excommunicati non vitandi, non est directe prohibita ipsi electori; ergo nec simpliciter erit irrita, neque mala propter solam incapacitatem excommunicati. Probatur sequela quoad priorem partem, quia illa potest esse valida, quamvis impedita propter subjecti obicem, ne statim habeat effectum, sicut supra de acceptatione dicebamus; erit ergo valida talis electio vel collatio, quantum ad hoc, ut absolutione a censura postea subsecuta, statim electio vel collatio incipiat habere effectum et rata permaneat absque nova dispensatione. Ut in hoc etiam limitatum intelligatur jus illius c. Postulastis, per novum jus Extravag. *Ad evitanda.* Dicebatur enim ibi non posse excommunicatum beneficium acceptatum retinere, nisi cum illo fuerit misericorditer dispensatum. Unde colligunt omnes non satis esse obtinere postea absolutionem a censura, nisi etiam dispensatio accedat, quæ novæ collationi æquivalet, quia cum fuerit a principio nulla, successu temporis non firmatur, juxta regul. 18, de Regul. jur., in 6. Hæc ergo decisio procedet nunc circa excommunicatos vitandos, non vero circa non vitandos, ut objectio facta intendit, quia talis collatio juxta novum jus valida est ex parte conferentis, solumque fuit impedita, ne haberet effectum, ex obice subjecti; ergo, illo ablato permanebit valida et erit actu efficax absque alia dispensatione. Quod autem actio illa valida sit illo modo, non aliunde probatur, nisi quia non repugnat moralem actionem esse sic validam; sicut est valida collatio ante acceptationem, quamvis nondum habeat effectum. Et alioqui totum hoc pertinet ad favorem ipsius conferentis vel eligentis; et ideo est consentaneum generali concessioni dictæ Extravag. *Ad evitanda,* quæ in nullo voluit prohibere vel diminuere actiones fidelium circa hujusmodi excommunicatos, quantum est ex parte illorum. Unde ulterius sequitur eos non peccare, quia, licet excommunicatus pro eo tempore sit indignus et incapax, illa tamen indignitas talis est, ut facile removeri

possit; si ergo persona sit talis, ut sublata excommunicatione maneat digna, alioqui per talem censuram non est directe prohibita talis electio vel collatio; ergo ex sola rei natura non erit intrinsece malum eam personam eligere vel ei beneficium conferre, non ut statim fiat effectus, sed ut ablato impedimento conferatur. Quia hoc modo non confertur beneficium indigno, quatenus talis est, sed quatenus paulo post dignus futurus est; et alioquin nullum est peccatum ita illud conferre, ut effectus aliquanto tempore differatur, quia neque ostendi potest præceptum obligans ad statim efficiendum illum effectum, neque hæc est collatio alicujus sacramenti, ut propterea malum sit illam exercere circa personam secundum præsentem statum habentem obicem, qui postea facile auferri potest.

31. *Objectio et expositio Extravag.* Ad evitanda, *enodatur.* — De hac interpretatione et de applicatione illius Extravagantis ad præsentem effectum excommunicationis nihil fere invenio ab auctoribus scriptum; nam, qui hoc punctum attingunt, ut Covarr., et alii moderni, solum brevissime dicunt, hunc effectum habere locum in quolibet excommunicato, etiam non denunciato, quia Extravag. *Ad evitanda,* nullum favorem contulit. Ac propterea in re morali et gravi non audeo novam interpretationem et doctrinam introducere, etiamsi ex discursu facto verisimilis fieri videatur. Ad objectionem ergo respondendum est negando collationem factam hujusmodi excommunicato validam esse, etiam ut est actio ipsius conferentis, et eo modo quo ibi explicatur. Primo quia hoc ipsum esset magnum commodum et favor excommunicati, quandoquidem ablato obice per absolutionem statim ipso facto obtineret beneficium, ejusque fructus suos facere inciperet absque alia dispensatione, qua antea indigebat, quod sine dubio esset magnus favor. Deinde, quia videtur moralis repugnantia, quod actio ex parte conferentis sit valida, et tamen quod versetur circa subjectum incapax et inhabile, cum una ex conditionibus maxime necessariis ad valorem actionis sit habilitas subjecti; cum ergo per Extravag. *Ad evitanda,* factum non sit, quin excommunicatus sit incapax beneficii, fieri etiam non potuit, ut collatio ex parte conferentis rata sit et valida, quia ipse non confert beneficium de futuro, ut sic dicam, sic enim esset potius promissio collationis quam collatio, sed confert statim, et ideo, quia subjectum invenit incapax, nihil facit, sed actio prorsus irrita manet. Sicut, qui in præsenti matrimonium contraheret cum persona inhabili, v. gr., consanguinea in gradu prohibito, nihil faceret. Nec sufficeret postea tolli impedimentum, ut prior contractus ipso facto ratus esse inciperet, nisi iterum fieret; sic ergo in præsente non potest per solam absolutionem ab excommunicatione prior collatio rata esse aut effectum habere. Et quoad hoc est valde dissimile exemplum, quod ex supra dictis de acceptatione afferebatur; nam ibi supponebatur collatio facta tempore habili et circa personam habilem seu capacem; et ideo a principio rata fuit ex parte conferentis, neque irrita fuit per excommunicationem subsequentem; acceptatio etiam, cum non sit actus prohibitus ex vi excommunicationis, in suo ordine validus fuit; solum fuit impeditus effectus propter incapacitatem personæ, quæ collationi vel electioni jam factæ supervenit; aufertur autem per absolutionem; et ideo statim incipit habere effectum. At vero in præsenti collatio a principio fuit tempore inhabili, et circa personam inhabilem; et ideo a principio est omnino nulla, et consequenter etiam illicita, si scienter fiat.

32. *Quilibet et quomodocumque excommunicatus est collationis beneficii incapax. — Etiam ignorans suam excommunicationem.* — Ex qua resolutione infertur, terminum illum in assertione positum, nulla indigere explicatione, sed de omni excommunicato intelligi, quacumque ratione aut modo excommunicatus sit, dummode vere, et in re ipsa, et non tantum in hominum opinione sit excommunicatus, id est, sive a jure, sive ab homine, sive per sententiam generalem, sive per specialem, sive publice, sive occulte sit excommunicatus; hæ namque differentiæ omnes accidentariæ sunt, nec mutant naturam aut effectum censuræ, supposito illo principio, quod ad hunc effectum non est necessaria denunciatio. Atque ita jura indifferenter loquuntur; attribuuntque hunc effectum excommunicationi, non quia ab hac vel illa causa, nec quia hoc vel illo modo fertur, sed solum quia excommunicatio est. Et ideo hic effectus inhabilitatis ad beneficia non pendet ex scientia vel ignorantia, quia non est culpa, aut culpæ excusatio, neque oportet, ut sit voluntarius ipsi excommunicato; ergo inhabilis, etiamsi se talem esse ignoret. Idemque est ex parte conferentis, nam licet excommu-

nicationem ignoret, reipsa nihil operabitur, quia circa subjectum incapax operatur, quod generale est in omnibus impedimentis irritantibus. Atque ita tota hæc doctrina absque controversia recepta est ab omnibus Doctoribus, ut in supra citatis videre licet.

33. *Acta ab illo, qui excommunicatus beneficium obtinuit, an sint valida.* — Hic vero occurrebat quæstio, an acta ab hujusmodi excommunicato ratione talis beneficii vel dignitatis susceptæ, valeant, quando talia sunt, ut a jurisdictione vel officio pendeant. Sed hujus dubii decisio ex supra dictis de censuris in communi petenda est; nam per se loquendo, clarum est non valere, cum desit intrinsecum principium illorum; tamen quando ille defectus publice ignoratur, et alioqui officium seu beneficium auctoritate publica possidetur, quoniam defectus est talis, ut ejusdem Ecclesiæ auctoritate suppleri possit, ideo propter commune bonum suppletur, atque ea ratione hujusmodi acta valent, ut dicto loco ostendimus. Rursus dubitari hic potest, quid faciet excommunicatus occultus, si eligatur vel ei beneficium conferatur, an teneatur se prodere, si non possit aliter se excusare ne acceptet. Breviter tamen respondetur primo, si possit se excusare quocumque alio honesto vel apparenti titulo, debere id facere, ut per se constat. Deinde, si excommunicatio talis sit, ut ejus manifestatione non creetur scandalum vel infamia, tunc etiam excusare se tenebitur, suum impedimentum declarando, si aliter non potest, quia illud non est nocumentum alicujus momenti. At vero ad se infamandum nunquam tenetur, et ideo potest tum acceptare, et quam primum possit, dispensationem occulte procurare. Similis quæstio est de electore, si occulte ac solus novit excommunicationem alterius, quidnam tunc sit facturus. Respondetur, si occulte dantur suffragia, nulla ratione debet eum eligere, quia quamvis actus eligendi videatur esse ex potestate publica, quatenus tamen occulte fit, regulatur per scientiam privatam ac personalem. Et ideo hujusmodi electores non tam per publica instrumenta aut testimonia, quam per propriam industriam ac diligentiam solent de meritis ac conditionibus eligendi instrui. Et ideo etiamsi private et occultissime sciat elector illum esse excommunicatum, non debet illum occulte eligere; loquor autem de scientia extra confessionem; nam quæ per confessionem habetur, alterius est ordinis et de ejus usu vel non usu supra suo loco generaliter dictum est. At vero, si electio fiat publice et nulla sit alia publica causa sufficiens ad negandum suffragium, propter illud solum impedimentum ita occultum denegandum non est, tum quia actio jam omni ex parte publica per scientiam commensuratam regulanda est; tum etiam quia vel cogetur infamare peccatorem occultum, vel scandalum præbere negando suffragium ei, cui publice debetur.

34. *Quid faciet excommunicatus occultus, cui beneficium offertur.* — *Existimatione tantum et non vere excommunicatus non est collationis beneficii incapax.* — Addidi vero, hæc omnia procedere, quando aliquis est vere et non tantum existimatione excommunicatus; nam sicut existimata absolutio vel carentia excommunicationis non reddit personam habilem, si in re ipsa excommunicatio ablata non sit, ita etiam e converso existimatio excommunicationis, etiam publica, non reddit personam inhabilem, si in re ipsa ligata non sit; est enim eadem vel major ratio, quia hæc pars favorabilis est, illa odiosa. Item, quia illa inhabilitas est effectus censuræ; ubi ergo censura non est, neque effectus erit. Denique jura de excommunicato loquuntur; qui autem solum existimatur, non propterea excommunicatus est. Atque hinc fit, ut quoties excommunicatio est ipso jure lata, vel per sententiam generalem ab homine pro aliquo delicto, quamvis publice existimetur aliquis commisisse illud delictum, et consequenter esse excommunicatus, si revera illud non commisit, non propterea ille fit inhabilis ad beneficium obtinendum. Quod non solum existimo verum, quando existimatio illa ex sola fama vel rumore publico orta est, sed etiamsi juridica sit, et per sententiam declaratoriam criminis, etiam justam secundum allegata et probata, sit confirmata, quia per talem sententiam non infertur censura, sed supponitur et declaratur, et ideo, si in re non est, per illam non fit; quod si ipsa non fit, neque effectus ejus fiet.

35. Atque eadem ratione in universum sequitur, quoties sententia censuræ ab homine lata est ita injusta, ut sit etiam nulla, non reddere incapacem beneficii eum, in quem fertur. Unde si postea in judicio nullitas sententiæ probetur, collatio beneficii post sententiam censuræ facta, rata judicabitur, ut docuit Innocentius, in c. Delictis, de Appell., et alii, quos refert Covarruv., supra, num. 3. Et est manifestum ex principio posito. Secus

vero erit, si sententia sit injusta, ut tamen simpliciter valida sit; nam tunc veram censuram et excommunicationem infert; et ideo effectum ejus confert, juxta superius dicta in communi de censura lata per sententiam injustam. Ex quo loco et ex his, quæ paulo antea dixi, sumenda est decisio illius quæstionis, an excommunicatus sine vera causa, et ideo quoad rem ipsam injuste, juste tamen secundum allegata et probata, revera fiat inhabilis, ita ut collatio beneficii illi facta, jure et non tantum in existimatione irrita sit. Ibi enim ex professo rem hanc tractavi, et idcirco hoc loco repetendam non censeo.

Duplex dubium enucleatur.

36. *Conferens beneficium excommunicato, et ipse recipiens, quam pœnam incurrat.* — *Quis in defectum dispensare possit.* — Ultimo loco explicandum est circa assertionem positam, quæ pœna posita sit conferenti beneficium excommunicato, vel ipsi excommunicato accipienti. Item quis possit in hujusmodi collatione sic facta dispensare. Sed de pœna conferentis beneficium nihil aliud in jure habemus, quam quod de illius suspensione statuitur in dict. c. Postulastis, a qua merito excusabitur, si per probabilem ignorantiam se id fecisse probaverit. De pœna vero recipientis nihil statutum invenio; satis enim illi pro Ecclesiastica pœna visa est ipsa annullatio seu irritatio collationis. De altero vero puncto, scilicet potestate dispensandi, Canonistæ communiter asserunt, Episcopum posse in hujusmodi defectu collationis dispensare, ex illo principio, quod omnis dispensatio, quæ non reservatur Papæ, tacite conceditur Episcopo, quod sumitur ex cap. Nuper, de Sentent. excomm. Sed hæc dispensatio concedi posse dicitur in dict. c. Postulastis, et Papæ non reservatur; ergo concedi potest ab Episcopo. Quod si objicias, quia sæpe fieri potest, ut collatio beneficii ad Episcopum non pertineat, hi respondent hanc esse limitationem adhibendam vel subintelligendam conditionem, scilicet posse Episcopum dispensare, dummodo potuerit etiam beneficium conferre. Melius ergo ac formalius diceretur, eum posse hunc defectum dispensando supplere, qui potestatem habet beneficium conferendi, cum jurisdictione Episcopali conjunctam. Quapropter, si Pontifex beneficium providit, quia ad eum spectabat, non poterit Episcopus dispensare vel defectum supplere; imo per collationem a Pontifice factam manet beneficium illi affectum, ita ut licet collatio fuerit nulla ex parte recipientis, non possit ab alio provideri, ut ex Panor. notat Covarr., d. § 7, num. 8. Et eadem ratione, si beneficium per electionem confertur, et electio pertinet ad determinatas personas, non poterit Episcopus dispensare, vel supplere nullitatem electionis, sed vel iteranda est electio vel recurrendum ad superiorem, qui potestatem habeat absque tali electione valida conferendi beneficium; qui solus videtur esse Summus Pontifex. Ratio est, quia hæc dispensatio est quædam virtualis beneficii collatio; et ideo dispensatione facta, alia collatio non postulatur, ut notavit Abbas in dict. c. Postulastis, et ex ipso textu non obscure colligitur; dicit enim, excommunicatum non posse obtentum beneficium retinere, nisi cum eo fuerit dispensatum; ergo si dispensatum fuerit, poterit retinere absque alia collatione. Imo si alia collatio esset necessaria, dispensatio esset superflua, ut ex dicendis constabit; est ergo illa dispensatio virtualis quædam beneficii collatio; ergo necesse est, ut qui habet hanc potestatem dispensandi, habeat vel eamdem vel superiorem potestatem ad conferendum tale beneficium.

37. *Quando possit Episcopus in hoc defectu dispensare.* — E converso vero, qui habuit potestatem eligendi aut præsentandi, etc., non semper habebit potestatem dispensandi, quia fieri potest, ut jurisdictionem non habeat, sed habebit potestatem iterum eligendi vel præsentandi talem personam, jam ab excommunicatione absolutam. Ad quod, ut opinor, non est necessaria aliqua dispensatio, sed sufficit absolutio, quia, licet collatio vel electio circa excommunicatum nulla sit, non tamen inducit novum impedimentum, ratione cujus non possit eadem persona post absolutionem obtentam iterum eligi, aut beneficium accipere ordinaria via ab eo, qui conferre potest, absque alia dispensatione. Et juxta hanc dicendi rationem non indigemus nunc illo principio, quod omnis dispensatio, quæ specialiter non reservatur Papæ, Episcopo concessa intelligitur (quod est difficile et magna indigens expositione, ut supra tetigi de censuris in communi); Episcopus enim solum dicitur habere in præsenti potestatem dispensandi, quando beneficium illud conferre potest, ut omnes docent in illo cap. Postulastis, et Covarruvias supra; tunc autem mirum non est quod illam habeat, cum in

materia proportionata, et quasi sibi propria talis dispensatio versetur; nam ex munere suo jurisdictionem habet ad actum dispensandi, quem exercere potest in materia sibi proportionata et quasi propria.

38. Sed objiciet aliquis, nam Episcopus, qui beneficium excommunicato contulit, non potest iterum illud conferre, quia propter delictum privatur potestate conferendi, ut sentit Abbas in dicto cap. Postulastis, n. 9, et alii cum eo ibi; ergo nunquam poterit dispensare in hoc negotio, si necessaria in illo est potestas conferendi beneficium. Respondetur primo, si Episcopus bona fide, et probabili ignorantia beneficium contulit excommunicato, optime poterit cum illo dispensare, quia non est cur privetur potestate conferendi beneficium; ergo nec dispensandi. Deinde, etiam si scienter et peccando beneficium contulerit, non existimo esse ipso jure privatum potestate dispensandi, quidquid Panormitanus, et alii Canonistæ dicant, quia nulla est lex, quæ hujusmodi pœnam illi imponat ipso jure incurrendam, neque etiam est ipso jure privatus potestate iterum conferendi illud beneficium; nam in dicto c. Postulastis, dicitur debere a beneficiorum collatione suspendi; quæ verba non continent pœnam ipso jure latam, ut constat; igitur donec per superioris sententiam suspendatur, poterit beneficia conferre; ergo etiam poterit beneficium, quod semel male contulit, postea bene conferre: ergo etiam poterit dispensare. At vero, si talis Episcopus per sententiam suspenderetur a collatione beneficiorum, consequenter asserendum erit, eum pro tunc non posse dispensare, quia non potest pro tunc beneficium conferre; sed pertinebit dispensatio ad superiorem Prælatum, si ad eum provisio beneficii devolvatur; si tamen ad inferiorem pertineat, ut ad Capitulum vel archidiaconum, etc., tunc ab illo erit collatio repetenda, vel a Pontifice dispensatio impetranda, juxta superius dicta.

39. *Panormitani dictum rejicitur. — Covarruviæ doctrina admittitur.* — Addit Panormitanus in dict. cap. Postulastis, num. 8, etiamsi collatio beneficii ad inferiorem Episcopi pertineat, et ab eo facta circa excommunicatum fuerit irrita, Episcopum in ea collatione posse dispensare, quod, absolute loquendo, verum non videtur, ut Covarruvias notat, et ex iis, quæ diximus, colligitur; quia si Episcopus prius non habebat potestatem conferendi beneficium, non acquisivit illam propter irritam collationem ab alio factam, neque alius ipso facto amisit suam potestatem; ergo non habet Episcopus tunc dispensandi potestatem, cum hæc non sit sine potestate conferendi. Probabile autem mihi videtur, quod Covarruvias adjungit, consentiente illo, ad quem spectat collatio, posse tunc Episcopum dispensare; sive quia ex utroque consurgit quasi una integra causa habens omnes conditiones requisitas; sive quia accedente consensu illa materia fit quasi propria et accommodata ad dispensationem; sive ex illo principio, quod non est reservata respectu superioris; respectu vero inferioris, qui aliquod jus habere poterat, intercedit ejus consensus.

SECTIO II.

Utrum excommunicatus sit ipso jure privatus Ecclesiasticis fructibus.

1. Quæstio hæc procedit de fructibus beneficii ante excommunicationem legitime possessi, cujus dominium, et proprietas per excommunicationem ipso facto non amittitur, ut supra dictum est, nam de aliis, quæ provenire possunt ex beneficio in excommunicatione obtento, jam supra dictum est.

2. *Quæstionis resolutio.* — Dicendum ergo est, excommunicatum non facere suos propriorum beneficiorum fructus, quamdiu in excommunicatione perseverat. Hæc est communis sententia, quam omnes colligunt ex c. Pastoralis, § Verum, de Appel., cujus verba sunt : *Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Ratio etiam adjungitur, tum quia beneficium datur propter officium, sicut merces propter opus, c. Cum secundum Apostolum, de Præbendis, cap. 1 de Rescriptis, in 6; at vero excommunicatus est suspensus ab officio; ergo et a fructu beneficii. Tum etiam quia excommunicatus est inobediens Ecclesiæ; et ideo extra Ecclesiæ communionem fit; ergo non debet frui Ecclesiæ bonis.

3. *Rationes contra assertionem.* — Verumtamen probationes hæ licet satis ostendant jure ac merito posse excommunicatum privari hujusmodi fructibus auctoritate Ecclesiastici judicis, tamen quod ipso facto sit illis privatus, non satis videntur probare. Nam in primis in verbis illius § Verum, nullum est, quod sententiam seu pœnam ipso jure latam demonstret. Etenim verbum illud, *subtrahuntur,* optime intelligitur, per judicis auc-

toritatem; namque cum pœnam contineat, stricte intelligendum est. Unde Glossa ibi declarat, excommunicatum non privari fructibus beneficii, nisi hoc in sententia exprimatur, sentiens excommunicationem per se ipsam non afferre hoc nocumentum ipso facto vel jure. Rationes autem multo minus hoc convincunt, nam, vel concludere intendunt ex vi naturalis juris supposita excommunicatione, vel solum continent congruentiam juris positivi. Priori sensu non sunt efficaces, quia non quoties aliquis est impeditus, ne per se ipsum exerceat ministerium beneficii sui, statim privatur fructibus ejus; potest enim per alium suæ obligationi interdum satisfacere; nonnulla etiam sunt beneficia, quæ non obligant ad aliquod officium præter diurnum pensum Horarum, cui satisfacere potest excommunicatus. Quod si in choro canere aut assistere debeat, quod excommunicatus facere non potest, licet amittat distributiones quotidianas, non tamen propterea privabitur ea portione fructuum, quam non residentes, vel non assidentes choro sæpius lucrantur ratione tituli. Item, quod excommunicatus sit extra communionem Ecclesiæ, et indignus bonis ejus, non probat illum ex natura rei statim privari omnibus his bonis, alias nec beneficia ipsa retineret; nisi ergo hæc privatio per aliquam legem Ecclesiæ ostendatur, nihil fit. Ac proinde rationes illæ, si in secundo sensu sumantur, parum valent ad Ecclesiasticam prohibitionem ostendendam, sed hac supposita sunt accommodatæ ad congruentem rationem illius reddendam; cum ergo hæc lex nullibi habeatur, præterquam in dict. § Verum, et in illo non habeatur pœna ipso jure lata, non est cur asseramus excommunicatum ipso facto non facere fructus suos.

4. *Ex c. Pastoralis, conclusio posita suadetur secundo.* — Nihilominus a communi sententia discedendum non est, quam late ostendit Panormitanus, in dict. § Verum, et ibi alii Doctores, et Innocent. in c. 1 de Judiciis, ubi non solum in beneficiis inferioribus, sed etiam in fructibus Episcopatus id procedere affirmat, et alios refert Covarruv., lib. 3 Variarum, c. 13, num. 8, versic. 12, *Hinc etiam.* Et unicum hujus sententiæ fundamentum est dictum c. Pastoralis, § Verum. Quod sane non loquitur de peculiari modo excommunicandi cum expressa declaratione privationis fructuum ipso facto, quæ in sententia fiat. Tum quia hæc restrictio non habetur in textu, sed simpliciter est sermo de illo, *in quem sententia excommunicationis lata est,* de quo dicitur consequenter *posse ad tempus beneficiis Ecclesiasticis spoliari*, id est, administratione et fructibus beneficiorum. Et additur, hunc effectum non impediri propter appellationem interpositam. Cujus alia ratio non redditur, nisi quia excommunicatio secum trahit executionem; ergo supponit Pontifex hunc effectum generalem esse omni excommunicationi. Tum etiam quia alias ille non esset effectus excommunicationis, quod ibi Pontifex intendit, sed esset effectus alterius clausulæ additæ in sententia, seu esset alia pœna concomitanter imposita cum excommunicatione. Sicut quando hæreticus per eamdem legem vel sententiam simul excommunicatur vel privatur bonis, privatio bonorum non est effectus excommunicationis, sed est alia pœna simul cum excommunicatione conjuncta; possetque integra excommunicatio manere sine tali pœna. Sic ergo esset in præsenti, si hæc privatio fructuum non incurreretur, nisi ubi cum excommunicatione in sententia exprimeretur; nam si non fieret talis expressio, maneret excommunicatio integra sine illa privatione fructuum; quando ergo exprimeretur, non esset effectus excommunicationis, sed pœna distincta quamvis concomitans.

5. *Corollarium.* — Rursus, quod non sit sermo de privatione per judicem facienda, sed ipso facto inducta per excommunicationem, probatur primo ex communi interpretatione Doctorum, quæ in hujusmodi rebus magnam habet auctoritatem. Secundo, quia ibi Pontifex æquiparat illa duo, scilicet privationem Ecclesiasticorum proventuum, et communionis Ecclesiæ; sed hæc posterior privatio ipso facto inducitur; ergo et prior, et quoad utramque ipsa sententia excommunicationis secum affert executionem. Tertio, si excommunicatio solum constitueret reum et dignum privatione fructuum, et non actu ipsis privaret, interposita appellatione ab excommunicatione, suspendenda esset a judice privatio talium bonorum, quia solum id non suspenditur per appellationem ab excommunicatione, quod per ipsam executionem fit, ut patet ex ratione illius textus; si ergo excommunicatio per se solum constitueret reum seu dignum privatione bonorum, non tamen illos privaret, interposita appellatione, non posset juste privare illis bonis, donec appellationis justitia examinaretur, quia ille est novus effectus, cujus executionem excommunicatio per se non traheret; ait

non obstante appellatione excommunicatum privandum esse fructibus; ergo hoc ideo est, quia sentit per ipsam excommunicationem esse privatum. Unde argumentor quarto, nam hanc vim habet verbum illud, *subtrahuntur,* nam, ut supra agendo de censuris in communi diximus, per hunc modum loquendi significari solet pœna, quæ ipsa lege vel censura fit. Significat enim illud verbum nudum factum, non aliquod præceptum, quod judici imponatur de tali pœna injungenda. Præsertim, quia cum ibi dicitur : *Subtrahuntur,* non intelligitur, a judice, ratione suæ particularis sententiæ, sed per ipsam censuram, seu ex vi illius; sicut, cum dicitur : *Ei communio denegatur,* intelligitur per ipsam censuram et ex vi illius. Ultimo expendo illa verba in priori parte textus interroganter proposita, scilicet, *an interposita appellatione, post latam excommunicationis sententiam possit judex denunciare excommunicatum, et ad tempus beneficiis Ecclesiasticis spoliare.* Et ad utrumque respondet Pontifex affirmative, sentiens eamdem esse in utroque rationem. Sicut ergo denunciatio non est nova pœna, et ideo executioni mandatur non obstante appellatione, ita privatio fructuum non est nova pœna, quæ jam in re non sit facta per ipsam excommunicationem, quantum ad ipsum excommunicatum, sed est quasi declaratio vel executio ejus, quod factum jam erat. Non videtur ergo dubium, quin hic sit sensus illius textus. Ratio vero talis effectus ac decisionis seu institutionis Ecclesiæ, jam satis declarata est verbis eisdem textus.

6. Et hinc inferunt Canonistæ, excommunicatum esse privatum jure administrandi res seu bona temporalia Ecclesiæ aut beneficii sui, de qua re nihil invenio expresse et in particulari in jure definitum, quamvis a simili citari soleat textus in c. 1, § ult., de Elect., in 6, ubi non est sermo de administratione temporali; sed absolute de illo, qui sua auctoritate se ingerit beneficio, a quo erat suspensus. Est nihilominus illa sententia vera ex generali ratione, et privatione communicationis, quam affert excommunicatio major, ut latius Innocent. et Abbas, in d. § Verum, et in c. Ex tuæ, de Cleric. non residen.

Num excommunicatus debeat se ipsum fructibus sui beneficii privare.

7. *Rationes dubitandi.* — Hic vero oritur practicum dubium, an excommunicatus teneatur in conscientia se ipsum spoliare his fructibus, eosque restituere, aut non accipere, etiamsi neque a judice spolietur, neque per ullam sententiam declaretur. Nam ex dictis videtur sequi teneri ad hoc, quia nemo potest retinere in conscientia quod suum non est; si ergo excommunicatus non facit fructus suos, ex vi censuræ, et ante omnem aliam sententiam, non poterit in conscientia illos retinere; tenebitur ergo statim illos restituere. In contrarium vero est, quia videtur hoc gravissimum onus quod sine evidenti obligatione imponendum non est. Præsertim, cum sit generalis regula de iis pœnis, quæ requirunt actionem propriam ipsius rei, neminem obligari ad eas exequendas ante sententiam judicis saltem declaratoriam criminis; propter quod etiam hæreticus non tenetur se spoliare bonis suis, donec de crimine per Ecclesiam condemnetur, cap. Cum secundum leges, de Hæreticis, in 6.

8. *Dubium deciditur in sententia ab homine.* — Respondeo in primis dubitationem hanc nullum fere habere locum in excommunicatione lata ab homine, per specialem sententiam contra aliquem; ibi enim necessario intercedit sententia declaratoria criminis, propter quod excommunicatio imponitur; in quo casu specialiter loquitur textus in dict. cap. Pastoralis, § Verum. Atque ita in eo casu sine ulla dubitatione censeo non posse excommunicatnm in conscientia recipere fructus beneficii, vel, si eos recipiat, non posse eos retinere, aut occultare, sed teneri ad restituendos illos, quia cum et per legem seu censuram privetur dominio eorum, et jam judicis sententia intervenerit, nihil aliud est, quod expectetur ad prædictam obligationem. Quo fit, ut idem etiam dicendum sit de excommunicato a jure, vel per sententiam generalem, quando per sententiam etiam specialem de crimine ipso contra legem aut statutum vel generalem sententiam commisso condemnatus est, quia tunc etiam ratio facta procedit.

9. *Resolvitur in excommunicatione a jure.* — *Discrimen inter excommunicationem et legem qua quis bonis privatur.* — Nonnulla vero major difficultas est, quando aliquis incurrit excommunicationem a jure, vel ab homine per generalem sententiam, an ipse tunc etiam in conscientia teneatur exequi in se ipso illam pœnam nulla spectata speciali sententia, saltem declaratoria criminis. Dico tamen, etiam in eo casu teneri ad restituen-

dos fructus; id enim convincit ratio facta, quia non facit illos suos; ergo nunquam fit dominus, aut verus, et justus possessor eorum; ergo non potest in conscientia retinere, sed illos restituere debet. Unde magnum discrimen versatur inter hanc pœnam, et illam, qua aliquis lege privatur suis propriis bonis; nam in illo casu, ut de hæretico, et similibus, supponitur reus habuisse verum dominium talium bonorum, et consequenter legitimam eorum possessionem, et usum, vel usumfructum; et ideo, licet ex severitate legis a tempore delicti privetur dominio directo talium bonorum, tamen ex benignitate, et moderatione ejusdem legis non cogitur se ipsum possessione et usu talium bonorum privare, donec per sententiam de crimine condemnetur. At vero in præsente excommunicatus non supponitur aliquando habuisse dominium eorum fructuum, qui post incursam excommunicationem ex beneficio provenerunt, quia neque ante excommunicationem tale dominium habuit; non enim habuit ante jus in illis, sed ad illos, et hoc ipsum non pro eo tempore, sed tempore futuro, si jus illud non mutaretur, aut impediretur; impeditum autem fuit per excommunicationem; et ideo etiam post eam contractam non acquisivit tale dominium, lege illud impediente; ergo excommunicatus nullo tempore habuit verum dominium talium fructuum; ergo nec legitimam possessionem, aut usum eorum. Hac ergo ratione illos retinere non potest; neque ei conceditur, ut expectare possit sententiam declaratoriam, quia a principio est incapax eorum; et ideo nullum titulum justum habuit accipiendi; ergo nec postea habere potest retinendi illos.

10. *Resolutio data etiam in excommunicato occulto locum habet.* — Atque hinc sequitur primo, per Extrav. *Ad evitanda*, nihil innovatum esse quoad hunc effectum; quia non solum ante publicationem excommunicati nominatim factam, sed etiam ante sententiam declaratoriam criminis habet locum hic effectus, ut dictum est. Ratio est sæpe tacta, quod prædicta Extravagans nullum favorem contulit excommunicato; et ideo excommunicatio ita nunc illum reddit incapacem ad percipiendos fructus, sicut antea. Ex quo impedimento nascitur tota obligatio non retinendi, et restituendi illos. Unde ulterius fit, ut, quantumvis excommunicatus sit occultus, teneatur, per se loquendo, eosdem fructus non recipere, et receptos restituere, quia quod excommunicatio lateat, vel ab aliis ignoretur, non impedit effectum excommunicationis, quantum ad ipsum excommunicatum, neque impedit illam obligationem, quæ naturalis est non retinendi alienum, seu, quod suum non est, neque unquam fuit. Quæ ratio procedit, etiamsi contingat ipsummet excommunicatum ignorare suam excommunicationem; nam quando postea id scit, non potest retinere fructus, quos excommunicatus etiam ignoranter accepit, quia ignorantia non contulit dominium, et consequenter nec jus retinendi, quanquam in hoc servandæ sint regulæ sectione præcedente in simili casu propositæ.

11. *Per accidens potest excusari excommunicatus a restitutione fructuum beneficii.* — Et ideo etiam dixi, per se loquendo, quia ex accidenti intercedere potest aliqua legitima excusatio, quæ multiplex excogitari potest. Prima erit, si excommunicatus bona fide accepit hujusmodi fructus, et eadem illos consumpsit, ita ut propterea non sit factus ditior; in eo enim casu legitime excusabitur, eo quod res aliena jam non subsistat, nec in alia, quæ vicem ejus subierit, et alioqui sine culpa, vel injuria alicujus consumpta fuit. Secunda excusatio esset, si non posset aliquis se privare illis fructibus sine magno scandalo, vel infamia, cum alioqui crimen et censura occultissima sint. Verumtamem excusatio hæc non videtur posse habere locum, nisi fortasse in eo casu, in quo ad restitutionem hujusmodi faciendam oporteret a suo statu cadere, de quo statim dicam; extra hunc vero articulum, quantumvis res occulta sit, potest restitutio æque occulte fieri, vel per tertiam personam, vel titulo eleemosynæ, aut alterius pii operis.

Num excommunicatus possit propter necessitatem fructus sui beneficii consumere.

12. *Prima sententia.* — *Secunda sententia.* — Hinc vero nascitur dubium, an tertia excusatio, quæ valde frequens est, admittenda sit, nimirum ut aliquis, non obstante excommunicatione, accipiat, et legitime consumat fructus beneficii sui propter indigentiam, vel naturalem, ut sic dicam, quia simpliciter non habet, unde alias sustentetur, vel moralem, quia scilicet juxta suum statum alias honestum, et licitum, sustentari non potest. De quo variæ sunt opiniones. Covarruvias, lib. 3 Variar., cap. 13, num. 8, vers. 12, hic omnino negat hanc excusationem esse legitimam in

excommunicato, quia hic propter contumaciam suspensus est, et privatus fructibus beneficii; contumacia autem illa voluntaria est; ergo ille non necessitate, sed voluntate in illo statu indigentiæ constituitur; ergo non est, cur ei subveniendum sit ex redditibus Ecclesiasticis. Quam sententiam esse ait omnium calculo probatam, post Glossam, in dicto § Verum, ubi Abbas, Decius, et alii eam sequuntur; et idem dixit Glossa in cap. Studeat, in fine, 50 dist. Aliorum vero sententia est, et illam esse sufficientem excusationem, quia nemo obligatur cum tanto dispendio etiam rem omnino alienam restituere, scilicet cadendo ab statu suo, quod non fit sine dedecore, vel infamia, vel (quod durius est) suæ privatæ necessitati non subveniendo; ergo multo minus cogendus est clericus excommunicatus ita omittere fructus suorum beneficiorum, ut ex eis non possit se, suamque familiam, et statum sustentare, quando aliunde non habet unde sustentetur. Præsertim quia illi fructus, ut infra dicam, vel omnino vel magna ex parte in pios usus, aut sustentationem egenorum expendendi sunt; ergo esto excommunicatus non habeat jus justitiæ ad illos fructus, saltem ut indigens poterit ex eis sustentari.

13. In hac re duplex distinctio adhibenda videtur : primum enim loqui possumus de excommunicato pro eo statu, in quo est actu contumax, vel cum jam a contumacia decessit, quantum in se est, et absolutionem procurat, nondum tamen illam obtinere potest. Unde interdum accidit, præsertim in excommunicationibus, quæ ipso facto, et jure contrahuntur, ut contumacia non duret nisi eo tempore, quo malus actus committitur, v. gr., in violenta percussione clerici; nam paulo post transacta illa occasione, fere semper displicet factum; et solet etiam diligentia statim adhiberi ad absolutionem procurandam. Rursus distributio horum fructuum aliquando fieri potest vel auctoritate superioris impedientis, ne excommunicato tribuantur, et illos ad alios pios usus applicantis, de quo inquiri potest, an possit, vel debeat ex eis clericum excommunicatum vere indigentem alere; vel fieri potest ab ipsomet excommunicato, quia ex sola obligatione conscientiæ cogitur illos fructus non usurpare, vel si jam semel usurpavit, eos non retinere.

14. *Non tenetur superior excommunicatum contumacem ex fructibus beneficii ejus alere. — Potest tamen licite.* — Durante ergo contumacia certum opinor non teneri superiorem seu judicem ex illis bonis alere clericum, quantumvis indigentem. Et hoc præcipue intendunt Glossæ, et auctores citati in priori sententia. Qui propterea hanc differentiam constituunt inter clericum absolute depositum, vel suspensum, ob culpam commissam, et eum qui ob contumaciam censura ligatur, quod illi ex fructibus beneficii alendi sunt, si indigeant, arg. cap. Studeat, 50 dist., ne cogantur mendicare, cum jam non sit in voluntate, vel potestate eorum habere beneficium vel proprium jus ad Ecclesiasticos fructus; eum vero, qui ob actualem contumaciam sic punitur, non tenetur Ecclesia ex bonis suis alere, etiamsi indigeat, et mendicare cogatur; nam totum hoc ipse meretur in pœnam suæ contumaciæ; et quidquid dedecoris inde resultare potest, in personam potius, quam in ordinem redundabit; totumque illud permittitur propter majus Ecclesiæ bonum, quod est contumaciæ correctio. An vero possit licite judex, vel superior Ecclesiasticus, qui illos fructus in pia opera distribuit, aliquam eorum partem per modum eleemosynæ hujusmodi clerico applicare, ad illius prudens arbitrium pertinere existimo; per se enim, et intrinsece, nec contra justitiam est, nec contra charitatem, aut religionem, ut per se notum videtur. Neque invenio circa hoc specialem positivam legem aliquid præscribentem. Regulariter tamen loquendo, non videtur id expedire, ut, vel ipsa necessitate cogente, ad saniorem mentem contumax redeat; interdum tamen fieri potest, ut illo beneficio et pietate Ecclesiastica leniatur; quod si hanc spem prudens superior conceperit, nihil peccabit ex dictis fructibus illi subveniendo.

15. *Ipse vero contumax non potest aliquid de fructibus usurpare etiam si indigeat.* — Hinc vero infero non posse ipsum excommunicatum in tali statu existentem aliquid de prædictis fructibus usurpare, etiam ob indigentiam, quia id est contra justam Ecclesiæ voluntatem; nemo autem potest sua auctoritate usurpare bona non sua contra domini voluntatem, ut suæ necessitati subveniat, quando illa non est extrema, ut hic esse non potest, vel quia ille potest semper ab illo statu contumaciæ resipiscere, vel etiam quia potest mendicando, vel alio modo sibi succurrere. Neque contra hoc procedit ratio in principio facta in contrarium, tum quia hic non agimus de restituendo, sed de non usurpando

pando alienum, quod valde diversum est, magisque necessarium; tum etiam quia semper est necessitas illa voluntaria quantum ad statum contumaciæ. Atque ita declarat communem sententiam Navarr. loco statim citando.

16. At vero, si excommunicatus vera et efficaci voluntate recessit a contumacia et paratus est Ecclesiæ satisfacere, et absolutionem obtinere procuret, longe aliter de illo judicandum est. Nam in primis licite potest judex Ecclesiasticus, si absolutionem differat, etiam ex justa causa, illum ex hujusmodi redditibus alere, quia cum jam cesset ratio contumaciæ, debet etiam Ecclasiasticus rigor temperari; et quamvis hoc subsidium non debeatur hujusmodi excommunicato ex justitia propria (quia revera nondum facit fructus suos), tamen ex quadam æquitate, et charitate illi indigenti tribuendi sunt, ne mendicare cogatur, cum jam per illum non stet quominus absolvatur. Quin etiam addendum est, si judex injuste absolutionem differat, ex eo tempore, quo talis injusta dilatio incipit, omnes fructus sui beneficii esse tali excommunicato reddendos, quia jam illud nocumentum non ex ejus culpa, sed ex alterius injuria ortum est, quod magis ex dicendis patebit.

17. *Non tamen omnes fructus absque necessitate accipere.* — Tandem addo, etiam propria auctoritate posse hujusmodi excommunicatum ex fructibus sui beneficii sibi succurrere. Quod expresse docuit Navarr., in Summ., cap. 25, num. 124; et Sylvest., verb. *Excommunicatio,* 3, num. 1, vers. 9, et verb. *Clericus,* 4, num. 17, q. 25, quo loco videtur duos illos casus distinguere, scilicet quando recessit a contumacia, et quando indiget, et asserere quamlibet ex his conditionibus per se sumptam sine alia sufficere, ut fructus accipiat. Unde in priori casu judicat posse accipere omnes fructus, etiamsi non indigeat, citatque Hostiensem, et cap. Quia diversitatem, de Conces. præbendæ; in posteriori autem casu sentit posse accipere sibi necessaria independenter a priori conditione. Sed de hoc posteriori puncto jam satis diximus; verior enim est tradita resolutio; prius item dictum simpliciter verum non est, quia sola interior resipiscentia, vel etiam qaælibet diligentia adhibita ad obtinendam absolutionem non est sufficiens, ut excommunicatus faciat fructus suos, vel juste usurpet illos absque indigentiæ titulo, quia etiamsi ipse a contumacia recesserit, non tamen ab excommunicatione, donec re ipsa absolutus sit; ut autem effectus excommunicationis impediatur, non satis est voluntas aut diligentia procurandi absolutionem, nisi censura tollatur, quod maxime verum est de effectibus externis, et de omnibus tractatis id ostensum est; est autem eadem ratio de præsenti effectu, quia æque canonico jure excommunicationi attribuitur. Imo, si attente ponderetur dictum cap. Pastoralis, § Verum, excommunicatus, de quo ibi est sermo, non videtur fuisse in mora, neque omnino contumax, cum ad superiorem appellaverit; et tamen privatus dicitur fructibus beneficii. Ratio etiam ibi tradita idem persuadet, scilicet, quia ille semper privatus manet Ecclesiæ communicatione. Denique durante excommunicatione, semper est aliquis inhabilis ad novum beneficium obtinendum, etiamsi a contumacia recesserit, et absolutionem procurare inceperit; ergo etiam non potest proprii beneficii fructus suos facere, per se loquendo, ac secluso titulo indigentiæ, quia totam hanc pœnam meritus est propter priorem contumaciam ob quam excommunicatus est. Quod maxime verum habet, quando absolutio absque nova injuria differtur; nam, si dilatio fuisset injuriosa, fortasse daretur actio ad recuperandos fructus illius temporis, sicut paulo inferius dicemus de omnibus, quando excommunicatio a principio injusta fuit. Igitur quamdiu absolutio re ipsa non obtinetur, non potest excommnnicatus, per se loquendo, usurpare fructus. Tamen si indigens est, et a contumacia recessit, poterit inde ali, et propria etiam auctoritate fructus sibi necessarios accipere, quando excommunicatio occulta est, vel etiam si sit nota, et non potest aliter hujusmodi alimenta comparare. Ad quod suadendum per argumentum a simili faciunt cap. Quia diversitatem, de Conces. præbendæ, et cap. Studeat, dist. 50. Ratio etiam superius proposita id sufficienter persuadet.

18. *Excommunicatus, qui fructus sui beneficii injuste usurpavit, quomodo eos restituere teneatur.* — Ultimo ob eamdem rationem posteriori loco supra positam addo, aliter esse loquendum de restitutione horum fructuum, postquam ab hujusmodi excommunicato injuste usurpati sunt, quam de prima eorum usurpatione; de hac procedunt quæ hactenus diximus; at vero circa restitutionem servandæ sunt generales regulæ de obliga-

tione restituendi aliena, et excusationibus, quæ juste executionem ejus impedire possunt. Inter quas una est, si quis graviter indigeat ea re, quam restituere tenetur, aut si necesse illi sit a suo statu cum infamia, et dedecore cadere, ut alienum restituat; hæc enim excusatio potest esse sufficiens, quamvis in ejus usu, et applicatione ad diversos casus magna consideratione, et circumstantiarum perspectione opus sit. In præsenti vero non dubito, quin hujusmodi clericus non sit cum tanto rigore obligandus ad restituendos hos fructus, ut cum sui status discrimine, vel etiam se in gravi necessitate constituendo, illos a se abdicare debeat, tum quia non est tam certa illa obligatio in conscientia, vel ante judicis condemnationem, quin interveniente rationabili causa facilius possit quis ab ea excusari; tum etiam quia hic interveniunt omnes aliæ circumstantiæ, quæ possunt illam excusationem legitimam reddere, præsertim cum illa restitutio in pia opera magna ex parte facienda sit, ut jam dicam.

Nonnulla expediuntur dubia.

19. *Quis excommunicatus fructus sui beneficii amittat.* — Ad exactam vero propositæ regulæ intelligentiam tria nobis declaranda supersunt. Primum est, quam late pateat vox illa, *Excommunicatus*. Secundum, quantum etiam extendatur alia vox, *Ecclesiastici fructus*. Tertium, in quos usus expendendi sint, et qua auctoritate. Primum ex dictis satis resolutum est, cum ostenderimus, de quocumque excommunicato, sive occulto, sive publico, sive a jure, sive ab homine, sive denunciato, sive non denunciato, doctrinam datam procedere, dummodo vere et non sola existimatione excommunicatus sit; quod enim de hac re in simili diximus præcedente sectione, in hoc etiam effectu locum habet eodem modo. Quocirca si excommunicatio nulla sit, quantumvis valida existimetur, impedire non potest, quominus aliquis faciat suos proprii beneficii fructus, quia talis excommunicatio, sicut non habet esse, ita nec excommunicationis effectus. Quod verum esse opinor, etiamsi alioqui excommunicationis sententia justa sit, secundum allegata et probata; re tamen ipsa sit injusta ex defectu causæ, nimirum quia persona innocens est. Nam in eo casu potest, qui tali sententia ligatur, usurpare et retinere fructus sui beneficii, si occulte id facere valeat, quamvis per judicem possit etiam juste illis privari; sunt enim jura diversarum rationum, quæ mediante ignorantia simul concurrere possunt. At vero quando excommunicatio est valida simpliciter tam in exteriori foro quam in re ipsa, quamvis aliquo modo injusta sit, videtur hunc effectum inducere, quamdiu revocata non est et ejus injustitia juridice declarata. Ratio est, quia illa est vera excommunicatio, et ideo omnes suos habet effectus, ut supra de censura in communi late diximus. Et hoc videtur supponi in dicto § Verum, quia is qui appellat, intendit se injuste fuisse excommunicatum; et nihilominus, donec id probet, censetur non facere fructus suos.

20. *Discrimen inter excommunicationem justam, nullam, et injustam validam.* — Dixi autem : *Quamdiu revocata non est, ut injusta,* quia post talem declarationem et absolutionem obtentam, non solum incipiet in posterum fructus percipere, sed etiam recuperabit amissos. Unde inter sententiam omnino justam et validam, et omnino nullam, et quasi mediam, scilicet validam, et injustam, hoc intercedit discrimen, quod per primam ita quis perdit fructus, ut nunquam recuperet etiam post absolutionem, alioqui magna esset excommunicatorum consolatio et permanendi in contumacia occasio, si haberent spem recuperandi fructus post absolutionem; per secundam vero fructus nunquam amittuntur, ut dictum est; per tertiam autem amittuntur quidem durante excommunicatione, propter valorem et efficaciam ejus, recuperantur vero propter injustitiam illius, quia injuria non debet esse causa damni irrecuperabilis, quoad fieri possit. Et hæc est communis doctrina jurisperitorum , etiam Glossæ , in dicto § Verum, ubi Innocentius, num. 3; Abbas, num. 21 et 22; et idem habet Glossa ult. cap. Clericus, dist. 91; sumiturque a simili optimum argumentum ex cap. Super causa, 2, q. 5, et plura adducit Covarruvias, lib. 3 Variar., cap. 13, num. 8. Ubi addit, etiam quotidianas distributiones esse illi restituendas, quando talis est persona, quæ interesse Horis consuevisset; nam tunc vere dici potest excommunicatio esse causa, quod illis careat. Nam si alias ipse abesse soleret et distributiones perdere, non est quod excommunicationi id imputet, atque ob eam causam melioris conditionis fiat, ut notavit Felinus in cap. Apostolicæ, de Exception., num. 13, et in simili de clerico non residente ob ægritudi-

nem, id notant Doctores in c. Ad audientiam, de Clerico non resident. Et hinc fit, quod supra notavimus, idem dicendum esse de fructibus, quibus privatus est ob injustam dilationem absolutionis; est enim in his eadem ratio. A quo autem reddendi sint hi fructus, in tertio puncto declarabitur.

21. *Qui fructus beneficii per excommunicationem amittantur.* — Secundum punctum erat, de quibus fructibus hoc intelligendum sit. In quo breviter dicendum est, omnes illos comprehendi, qui sub ea voce vel nomine Ecclesiasticorum proventuum comprehenduntur; nam textus, in dicto § Verum, simpliciter loquitur de Ecclesiasticis proventibus. Comprehenduntur autem sub ea voce omnes fructus, qui spirituali titulo annexi sunt, aut ex propriis Ecclesiæ bonis proficiscuntur. Quapropter quidquid titulo beneficii datur, sive sit principalis præbenda, sive quotidianæ distributiones, et sive sint fructus decimarum, sive solvantur per modum emphyteusis, sive quocumque alio modo proveniant ex fundis Ecclesiasticis, sive sint oblationes a fidelibus factæ, vel quid simile nomine, *fructuum* in præsenti comprehenduntur. Extenditurque hoc nomen ad significandas Ecclesiasticas pensiones; nam illæ etiam proventus Ecclesiastici sunt, quod a fortiori probant quæ sectione præcedenti de pensionibus diximus. Reliqui autem proventus, quos habere potest sacerdos absque titulo beneficii ex patrimonio vel aliunde, sub hac lege minime comprehenduntur. Quod verum est, etiamsi tales fructus, seu bona unde manant, fuerint designata in titulum seu patrimonium ad Ordines suscipiendos, quia hoc non obstante illa bona semper manent mere temporalia; unde et post beneficium obtentum vendi possunt, juxta decretum Concilii Tridentini, c. 2 de Reformat., et si antea vendantur, non erit simonia, quamvis aliunde sit grave peccatum contra sacros canones.

22. *Fructus beneficii, qui ab excommunicato amittuntur, cui applicandi.* — Circa tertium punctum, cui scilicet sint hi fructus applicandi, primum videndum est, an tales sint fructus, ut juxta eorum institutionem et Ecclesiæ consuetudinem, hoc ipso quod ab aliquo non obtinentur, ad alios veluti jure suo pertineant; tunc enim ad illos transeunt absque alia nova applicatione. Atque ita vere contingit in quotidianis distributionibus; nam si Canonicus, v. gr., Horis Canonicis non assistat, solet portio ejus aliis, qui assistunt, accrescere, et inter eos dividi; multo ergo magis id fiet, quando ob excommunicationem neque adesse potest, nec distributiones accipere. Ita statutum est a Bonifacio VIII, in cap. unico de Cleric. non resid., in 6. Addit tamen hoc esse faciendum juxta Ecclesiæ cujusque ordinationem rationabilem jam factam seu faciendam. Quapropter hujusmodi ordinationi vel consuetudini, quæ illi æquivaleat, standum est.

23. *A quo distributiones sint restituendæ quando excommunicatio injusta declarata est.* — Unde in Concilio Tridentino, sess. 22, c. 3 de Reform., statuitur, ut qui non resederit, distributiones illius diei amittat, et fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicentur. Ubi ergo id observatum fuerit, idem dicendum erit de distributionibus, quas excommunicatus amittit, atque ita in universum hujusmodi fructus distributionum ei applicandi sunt, quando ab excommunicato amittuntur, cui applicari solent, quotiescumque amittuntur a non residente ob quamcumque aliam causam; est enim de hoc eadem ratio. Quæres, si postea declaretur excommunicatio fuisse injusta, et propterea illæ distributiones restituendæ sint excommunicato, a quo illi restituendæ sint. Nam videbatur consequenter dicendum, ab eo esse reddendas, cui adjudicatæ fuerunt. In contrarium vero est, quia per absentiam excommunicati aliis fuit jus acquisitum in illas distributiones, quod maxime procedit, quando accrescunt aliis de collegio, juxta constitutionem Bonifacii VIII, renovatam per Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 12 de Reformat. Respondeo in hoc casu non esse petendas ab iis, quibus adjudicatæ fuerunt, propter rationem factam, quia jam tunc transierunt in proprium stipendium sui ministerii et officii; sed petendæ sunt ab eo, qui fuit auctor injustæ excommunicationis, argumento c. Sacros, de Sententia excom., § Cumque adversus excommunicatorem de injusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur ad interesse. At vero quando hujusmodi distributiones applicandæ sunt alicui pio loco, si non est facta applicatio (sicut revera fieri non debet, donec causa omnino finita sit), tunc omittenda est, et distributiones erunt proprio domino reddendæ; nam cum illi loco non sit acquisitum jus justitiæ, et alioqui damnum nondum sit illatum ei qui habet jus ad hujusmodi distributiones, non est denuo inferendum, et postea resarciendum illius expensis, qui injustam sententiam tulit.

24. *Ex fructibus beneficii excommunicati providendum est munus exequendi.—Solvenda item pensio.— Vide Gigan., q. 62 de Pensionibus, num. 9 et 10.* — Præterea ex eisdem bonis in primis providendum est, ut ea debita seu munera, quæ aliquo titulo justitiæ debentur, persolvantur. Unde si beneficium habeat curam animarum annexam vel aliqua alia Ecclesiastica ministeria, quæ per alios exerceri possint, integre facienda sunt et ex illis bonis assignandum est congruum stipendium. Quia neque Ecclesia privari debet servitio debito, nec qui illud exhibet, aliunde, quam ex ipsius Ecclesiæ bonis ali debet. Quod recte probatur ex cap. Pervenit 2, de Appellat., et ex cap. Cum ad hoc, de Cleric. non resident. Similiter si hujusmodi excommunicatus ex tali beneficio pensionem solvebat, eadem ex fructibus ejus solvenda est. Neque enim probo quod quidam dicunt, hujusmodi excommunicatum cogendum esse ad solvendam pensionem ex propriis bonis; hoc enim et nimis rigorosum est et nullo jure fundatum vel ratione, quia pensio non est imposita super personam, sed super beneficium; ergo ex fructibus beneficii solvenda est. Item quia licet excommunicatus culpa sua privetur fructibus, non tamen privatur, nisi illis, qui ad ipsum perventuri erant; pars autem illa fructuum, quæ pensionario adjudicata est, non potest computari inter fructus pertinentes ad ipsum excommunicatum; ergo in illa nulla fit mutatio propter excommunicationem beneficiati; ergo semper illa manet quasi reservata ex fructibus, ut illi solvatur, cujus est pensio. Denique talis solutio pensionis non est novum gravamen redundans ex alterius censura in Ecclesiam, seu Ecclesiasticum beneficium; ergo non est imponendum ipsi excommunicato. Neque est cur beneficium ipsum seu fructus ejus illo onere liberentur, propter beneficiati excommunicationem. Tandem idem dicendum est de quocumque alio subsidio superioris auctoritate prius imposito, ut ex fructibus beneficii solvatur, sive in favorem principis ob publicam aliquam necessitatem, sive ad fabricam Ecclesiæ, etc.; hæc enim omnia et similia ex fructibus beneficii solvenda sunt, quia nec ob alterius censuram impediri possunt, quominus solvantur; neque etiam ipse excommunicatus de suo illa solvere debet, ut facile probatur ex iis, quæ diximus.

25. *Pars fructuum beneficii excommunicati expendenda in Ecclesiæ et pauperum utilitatem.* — De cæteris autem fructibus, si qui residui fuerint, communis sententia est, expendendos esse in ejus Ecclesiæ utilitatem, ad quam beneficium spectat, ut patet ex Abbate et aliis in dicto § Verum, et in c. penult. de Cleric. non residentibus, sumpto argumento a simili ex ultimis verbis illius textus. Existimo tamen sub Ecclesiæ utilitate comprehendi subventionem pauperum, et egenorum; imo existimo necessarium fore, ut aliqua pars fructuum in hujusmodi usus expendatur, præsertim illa, quam secundum prudentis arbitrium deberet beneficiatus ipse, si convenienter dictis fructibus uteretur, in hujusmodi eleemosynas expendere. Hæc autem distributio, si res sit publica, et præsertim ad forum contentiosum deducta est, ex auctoritate superioris aut judicis fieri debet; si vero sit occulta, ab ipsomet excommunicato, ejusque arbitrio fieri potest, qui si hujusmodi fructus in pios usus expendat in sua Ecclesia, suæ obligationi satisfaciet. Sunt vero qui dicant, quamvis hæc de rigore juris vera sint, ex recepta tamen consuetudine non solere excommunicatum privari fructibus beneficii, ut videre est apud Rebuffum in Repetition., cap. Postulastis, num. 84, de Clerico excom. ministr.; et quidem cum hoc jus positivum sit, non est dubium, quin potuerit per contrariam consuetudinem derogari; mihi tamen non constat, talem consuetudinem universalem esse; ubi tamen de illa constiterit, poterit quis cum ea conformari; alioqui, quæ diximus, de jure observanda sunt.

DISPUTATIO XIV.

DE SEXTO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS MAJORIS, QUI EST PRIVATIO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

Hic est ultimus effectus excommunicationis pertinens ad privationem spiritualium bonorum, in quo nihil addere oportebat de jurisdictione spirituali pertinente ad forum pœnitentiæ; nam in superioribus dum ostendimus excommunicatum privatum esse potestate administrandi sacramenta, satis est consequenter ostensum, esse privatum jurisdictione judicandi in illo foro. Solum ergo hic agimus de jurisdictione in foro exteriori. Duobus autem modis potest hic accipi jurisdictio : primo, stricte et proprie, prout est potestas ad præcipiendum, judicandum; et similes actus superioris exercendum, vel latius pro jure seu facultate conferendi beneficia Eccle-

siastica, eligendi ad illa vel etiam præsentandi; et hæc omnia hoc loco sub ea voce comprehendimus, de eisque sigillatim dicemus.

SECTIO I.

An excommunicatus ita sit privatus spirituali jurisdictione fori contentiosi, ut omnis ejus actio ipso facto irrita sit.

1. *Excommunicatus est privatus usu jurisdictionis spiritualis.* — Regula generalis est, usum talis jurisdictionis esse prohibitum excommunicato; quæ est certa, et communis ex cap. Audivimus, 25, q. 1, ubi dicitur, excommunicatum non posse alterum excommunicare. Quod non alia ratione dicitur, nisi ob defectum jurisdictionis. Idem supponitur in cap. 1 de Offic. vicar., in 6, ubi dicitur, qui vices gerebat alicujus officialis, seu judicis Ecclesiastici, hoc excommunicato existente non posse munera illius officii exercere. Cujus ratio est, quia per excommunicationem suspenditur principalis jurisdictio in eo, qui excommunicatur, et inde fit, ut non derivetur ad eum, qui illius vices gerit. Et ob eamdem causam dicitur in c. Si is cui, de Offic. deleg., in 6, quando delegatus excommunicatus est, subdelegatum carere jurisdictionis usu; et ideo non ad ipsum, sed ad Sedem Apostolicam esse appellandum. Idem probari solet ex cap. 1 de Supplend. neglig. Prælat., in 6, ubi dicitur, excommunicato Episcopo jurisdictionem non devolvi ipso jure ad Archiepiscopum. Unde supponitur, quod jurisdictio tollatur, et ad aliquem devolvatur, licet negetur devolvi ad talem personam. Idem probatur a fortiori ex cap. Decernimus, de Sent. excom., in 6, et ex cap. Veniens, 2, de Testib., et aliis, quibus infra probabimus, excommunicatum, neque testem, neque actorem esse posse in judicio. Ratio vero hujus regulæ esse potest, vel illa generalis, quia excommunicatus privatus est omni Ecclesiastica communicatione; hæc autem quæ fit per aliquam jurisdictionis spiritualis administrationem, magna communicatio est; vel specialis prohibitio facta in dictis juribus, eo quod, cum excommunicatus sit suo modo ab Ecclesia separatus, indignus est, ut in illa jus dicat, aut alium actum similis jurisdictionis exerceat.

2. *Quæ prohibitio ad omnes ejus actus extenditur. — Jurisdictio delegata an cesset per excommunicationem delegantis.* — Atque hinc fit, ut regula hæc ad omnes actus, qui propriæ jurisdictionis sunt, extendantur. Hujusmodi sunt omnes illi, qui sunt proprie judicis et superioris Ecclesiastici, ut sunt præcipere aut leges ferre, vel in latis dispensare, seu licentiam præbere ad quodlibet munus Ecclesiasticum exercendum, et judicium ferre, et alii similes, qui numerantur in cap. Accedentibus, de Excess. Prælat., et in cap. Dilectus filius, de Offic. Ordin. Huc etiam spectat jurisdictionis delegatio; nam illa etiam jurisdictionis usus est, ut sumitur ex l. Imperium, ff. de Jurisdict. omnium judic., et ideo si ab excommunicato fiat, nulla est, ut sumitur ex c. 1 de Offic. vicar., in 6, ubi id notat Glossa, verb. *Recipiunt*, et verb. *Vigorem*. An vero jurisdictio delegata ante excommunicationem delegantis suspendatur propter supervenientem excommunicationem, breviter dicendum est, si res sit integra, suspendi; non vero, si inchoata jam sit. De quo sufficienter diximus supra agendo de censuris in communi. Rursus inter hos actus numeranda est concessio indulgentiæ, ut notat Navarrus in commentario de Jubilæo, notab. 31, n. 10; et Sylvester, verbo *Indulgentia*, n. 13; Abbas etiam, in cap. Accedentibus, de Excessib. Prælat. Est etiam eadem ratio de his omnibus, nam licet jura interdum loquantur specialiter de jurisdictione in ordine ad judicium contentiosum, aliquando tamen loquuntur de jurisdictione simpliciter et absolute, ad quam propriissime pertinent omnes dicti actus; et ratio, ob quam usus judicandi interdictus est excommunicato, non est ob specialem naturam illius actus, sed simpliciter ob suspensionem ab officio et ab omni actu jurisdictionis, quam excommunicatus incurrit. Atque ita explicant hunc effectum jurisperiti omnes in citatis juribus, et in cap. Cum dilectus, de Consuet., et specialiter Innocentius, et Abbas in cap. Veritatis, de Dolo et contum., et in cap. Ad probandum, de Sentent. et re judic.; et Theologi, in 4, dist. 18 et 20; Summistæ, verb. *Excommunicatio*, et specialiter Cajetanus in Sum., verb. *Excommunicatio*, c. Quod excommunicato plura sint prohibita, et Navarrus, in Summ., c. 27, num. 21.

3. *Excommunicatus exercens aliquem jurisdictionis actum peccat graviter. — Etiam non vitandus.* — Sequitur præterea ex dictis, peccare graviter excommunicatum, quoties hujusmodi actus jurisdictionis exercet, quod sine dubio ex genere suo et in individuo fere semper est peccatum mortale, quia et materia hujus præcepti gravis est et pertinens ad

directam ac primariam privationem excommunicationis, et in individuo rarissime contingere potest, ut ex levitate materiæ peccatum hoc veniale sit, quanquam interdum esse possit, ut si daret licentiam in re parvi momenti. Omitto etiam excusationem per ignorantiam vel moralem inadvertentiam, quæ generalis est. Quod vero attinet ad obligationem ipsius excommunicati, quantum ad ipsum pertinet, erit hæc actio peccaminosa in omni excommunicato, sive publicus sit, sive occultus, sive ex jure antiquo, sive post jus novum Extravagantis *Ad evitanda*, quia, ut sæpe dixi, nullum privilegium illi concessum est. Requiritur tamen, ut vere seu valide excommunicatus sit, quod eodem modo hic exponendum est, quo in aliis effectibus id explicuimus.

An omnis actus jurisdictionis ab excommunicato factus nullus sit.

4. *Quid de excommunicato publico.* — Est vero gravis difficultas, an hujusmodi actiones non solum prohibitæ sint, sed etiam invalidæ et irritæ, si fiant, quæ tractari potest vel attento solo jure antiquo, vel secundum jus novum Concilii Constantiensis. In eaque unum est constans apud omnes, hujusmodi acta ab excommunicato publico, vel simpliciter, juxta antiquum jus, vel juxta novum a manifesto clerici percussore, aut nominatim denunciato, irrita esse, et nullius valoris. Quod probatur ex cap. Ad probandum, de Re judic., ubi non tantum sententia ab uno judice excommunicato lata, sed etiam lata a multis, ex quibus unus tantum excommunicatus est, cassanda dicitur. Ubi Glossa advertit, cassandam dici, quia cassa, et irrita declaranda est; nam si valida fuisset, non esset, cur irritaretur propter solam culpam judicantis, cum illa culpa non esset contra justitiam, nec contineret essentialem defectum; ideo ergo cassanda dicitur, quia sine jurisdictione lata est; fuit ergo nulla; et eodem modo intelligitur cap. Audivimus, 24, quæst. 1, ubi excommunicatus dicitur non posse alium excommunicare; ubi est advertendum, non dici, *non posse licite;* sed simpliciter, *non posse*. Unde quod statim subditur, sic excommunicatum ab excommunicato, *Apostolica auctoritate absolvi,* intelligendum est pro eo appositum, quod est, *non ligatum declarari,* ut latius supra exposuimus agentes de censuris in communi. In priori autem capite citato advertendum est sermonem esse de excommunicato publico; dicitur enim : *Pro eo, quod unus ex delegatis judicibus, qui eamdem sententiam protulerunt, excommunicationis vinculo esset publice innodatus;* in posteriori autem absolute est sermo de excommunicato, maxime tamen de publico verificabitur. Unde paulo inferius Gratianus loquens de Arrio hæretico, ait : *Ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit;* significans ex tunc factum esse publice excommunicatum. Ratio autem est, quia Ecclesia per excommunicationem prohibet hujusmodi actus, quantum potest, et expedit ad bonum Ecclesiæ regimen, et ut hujusmodi censura timeatur; sed Ecclesia potest hoc prohibere auferendo jurisdictionem, quantum ad talem actum, seu pro eo tempore; et postquam excommunicatus publicus est, nihil aliud expectari poterat ad hunc effectum juxta antiqua jura; et juxta Extravagantem *Ad evitanda,* idem nunc est post specialem denunciationem; ergo sine dubio talis excommunicatio inducit efficaciter hunc effectum et suspensionem jurisdictionis.

5. *Corollaria præcedentis assertionis.* — Atque hinc fit, reum non ligari sententia a tali judice lata, utpote ipso jure nulla; subditum etiam non teneri ad parendum superiori excommunicato aliquid præcipienti; imo nec posse illi obedire in iis, quæ ut Prælatus præcipit, quia illi obedire esset communicare cum illo. Addo, etiam ex parte subditi esse hoc peccatum grave ex genere suo, quia hæc communicatio est aliquo modo in divinis, et directe cadit sub primariam prohibitionem excommunicationis ; nam est recognoscere illum ut Prælatum habentem præcipiendi potestatem, quod est directe contra censuræ intentionem, et æstimationem. Si tamen id faceret subditus non animo obediendi, sed ex quadam urbanitate, vel humana verecundia, excusari posset, ut opinor, a mortali, secluso etiam scandalo. Quo fit, ut multo minus debeat, aut possit talis subditus uti licentia, dispensatione, aut jurisdictione delegata ab hujusmodi superiori excommunicato, quia omnes isti sunt actus jurisdictionis, et consequenter invalidi; qui ergo tali licentia vel dispensatione utitur, præter generalem rationem peccandi ob communicationem cum excommunicato, in hoc specialiter delinquit, quod ita in actione sua se gerit, ac is, qui sine licentia vel dispensatione quippiam simile operatur. Et similiter delegatus, qui ea jurisdictione utitur, peccat usurpando jurisdictionem

quam non habet, quæ peccata ex genere suo gravia sunt, in individuo autem erunt majora vel minora juxta materiæ qualitatem.

6. Unde ulterius, si aliquæ censuræ vel pœnæ impositæ sint ipso jure eis, qui vel jurisdictionem usurpant in tali actu, vel aliquid operantur sine superioris licentia, perinde incurrerent talem censuram vel pœnam, id faciendo per facultatem a publico excommunicato concessam, ac si omnino sine ulla facultate id facerent, quia revera facultas illa nulla est. Solum potest esse discrimen, quia tunc facilius potest quis excusari a temeritate vel præsumptione, propter aliquam ignorantiam; ut, v. gr., in casu Clementinæ 1 de Privileg., ubi prohibetur religiosis sub pœna excommunicationis, ne absque licentia proprii parochi sacramentum extremæ unctionis vel aliud simile administrent, si religiosus de licentia parochi publice excommunicati id faceret, æque peccaret contra illam prohibitionem; et si eadem præsumptione, et temeritate id faceret, dictam censuram incurreret; si tamen id faceret ex aliqua deceptione etiam culpabili, licet non excusaretur a culpa, excusaretur ab illa censura propter verbum *præsumpserint*, quod in illo textu habetur, juxta generalem regulam de censuris in communi superius [illegible]. Idem judicium est de eo, qui Ordines suscipit utendo litteris dimissoriis ab excommunicato datis; nam quia illarum litterarum concessio actus jurisdictionis est, perinde ille se gerit, ac si sine litteris dimissoriis ordinaretur; et idem est in similibus.

7. *Quorumdam dictum refellitur.* — Quamobrem improbabilem censeo opinionem Paludani, in 4, dist. 23, quæst. 2, et Sylvestri, verbo *Unctio*, num. 4, et Armillæ, num. 5, dicentium, parochum excommunicatum posse dare licentiam religioso ad conferendum sacramentum extremæ unctionis, eo quod administratio illius sacramenti non pertinet ad jurisdictionem, sed ad ordinis potestatem. Sed tamen æquivocatione quadam decepti videntur; nam licet ungere formaliter ac per se non sit actus jurisdictionis, sed ordinis, tamen dare licentiam ungendi, actus jurisdictionis est. Et rursus, licet ad valide ungendum non sit necessaria jurisdictio, ad ungendum tamen licite et jure necessaria est vel jurisdictio propria, vel licentia valida ab eo manans, qui ad eam dandam usum jurisdictionis habeat. Cum ergo constet, excommunicatum hunc usum non habere, certum existimo, neque ipsum posse talem licentiam dare, neque alterum illa uti.

Quid de occulte excommunicato, stando in jure antiquo.

8. *Prima opinio.* — *Vera sententia.* — De occulte autem excommunicato est diversitas opinionum, etiam stando in jure antiquo. Nam quidam dixerunt, omnia acta ab hujusmodi excommunicato invalida esse, quantumvis occultus sit. Glossa, in § Verum tamen, post cap. Infamis, 3, quæst. 7; Sylvester, verb. *Excommunic.*, 1, n. 9, in fine, et *Excommunicatio*, 2, n. 1, ubi alios refert. Fundamentum est, quia hic effectus non est opinionis vel notitiæ hominum, sed ipsius excommunicationis; ergo si revera excommunicatio inest, habebit effectum, sive aliis innotescat, sive non. Nihilominus contraria sententia et communis et vera est; tenet Richardus, dist. 18, art. 7, quæst. 1; Paludanus, quæst. 2, art. 3, et quæst. 4; Soto, 22, quæst. 2, art. 1, circa finem; Navarrus, in Sum., cap. 27, num. 21, et idem sentit cap. 9, num. 8; Covarruvias, in cap. Alma, part. 1, § 11, num. 4. Soletque probari a contrario sensu ex dicto cap. Ad probandum, de Re judicata, propter verbum illud : *Si publice excommunicationis vinculo irretitus sit;* ubi Abbas, Felinus, et alii notant, si non sit publice irretitus, non infirmari ejus sententiam. Responderi tamen posset, id dictum esse propter majorem evidentiam nullitatis, non quia necessarium sit, præsertim cum in cap. Audivimus, 14, quæst. 1, omittatur verbum illud, *publice*. Nihilominus argumentum illud in jure censetur valde probabile, præsertim quando talis conditio ponitur ut necessaria ad effectum, quod in illo textu satis insinuatur, cum dicitur, *Si pro eo*, etc.

9. *Ratio assertionis.* — Ratio vero præcipua hujus opinionis est, quia dum aliquis sustinet, et exercet in republica munus publicum, licet habeat defectum occultum, acta illius ex ejusdem reipublicæ interpretatione et concessione valida sunt; ita vero contingit in proposito, quando excommunicatus est occultus : ergo. Major satis vulgaris est apud jurisperitos, et a nobis sæpe est in superioribus repetita ex l. *Barbarius*, ff. de Offic. Præt., quam ad res Ecclesiasticas accommodant Gratian., in cap. Infamis, § Verum tamen, 3, q. 7, et omnes, quia Ecclesia non minori providentia utilitati fidelium prospi-

cit, quam respublica civilis utilitati suorum membrorum; nec minora incommoda sequerentur, sed majora, quoad bonum animæ proprius pertinent, si propter defectus occultos acta publica irrita fierent : ergo, etc. Et confirmatur; nam jure canonico antiquo statutum est, publicum excommunicatum publice esse vitandum, occultum vero tantum occulte, cap. Cum non ab homine, de Sentent. excomm., quod non in favorem excommunicatorum, sed reipublicæ Christianæ provisum est; ergo similiter acta publica excommunicati occulti ex eadem Ecclesiæ providentia non irritantur, et (ut ita dicam) non vitantur. Patet consequentia, tum ex pari ratione seu necessitate; tum etiam quia si fideles non tenentur publice vitare excommunicatum etiam sibi cognitum privatim, hoc ipso habent jus, ut acta ab illo valeant; quia si ille est, v. gr., judex, et non est publice excommunicatus, debent coram illo petere jus suum; ergo oportet, ut alter valide illud dicere possit; alias inæqualis, et iniqua esset conditio.

10. *Facta ab excommunicato sunt valida ob publicam Ecclesiæ utilitatem, non alicujus particularis.* — Dicet aliquis, etsi hæc vera sint de his actis, quæ in aliorum utilitatem facta sunt, non vero de iis, quæ cedunt in gravamen vel detrimentum aliorum, quandoquidem hoc privilegium non ipsi excommunicato, sed aliorum utilitati conceditur. Sic enim dicitur in dicta l. *Barbarius,* valere hujusmodi acta *propter utilitatem eorum, quæ apud eum geruntur;* ergo ubi non est utilitas, sed gravamen, non valebunt. Ut, v. gr., absolutio data ab excommunicato occulto valeat, censura autem lata non valeat, juxta id, quod dicitur in dict. cap. Audivimus, excommunicatum scilicet excommunicare non posse. Propter hoc dixerunt aliqui, excommunicationem latam ab excommmunicato occulto validam non esse, ut refert Abbas, in cap. Ad probandum, de Re judic., n. 12. Sed oppositum verius est, ut supra agentes de censuris in communi diximus. Dicendum ergo est, hoc jus non concedi propter utilitatem privatam hujus vel illius personæ, sed propter publicam reipublicæ vel Ecclesiæ. Et ideo licet contingat, actionem hujusmodi excommunicati esse alicui nocivam vel onerosam, nihilominus valida erit, quia ad commune bonum reipublicæ ita expedit, et de facto procedit ab eo, qui ab Ecclesia habet potestatem toleratam, ut sic dicam. Accedit etiam, quod fere semper hujusmodi actiones cum aliquibus sint utiles, aliis sunt onerosæ; et ideo valor actionis non debuit inde pendere. Quocirca licet simpliciter excommunicatus non possit excommunicare, nihilominus excommunicatio lata ab excommunicato occulto valida est, ut supra de censura in communi diximus. Nam licet quatenus est excommunicatus, sit privatus usu jurisdictionis, tamen quatenus est minister publice toleratus, recipit alia ratione illum usum, non ut liceat, per se loquendo, exercitium ejus, sed ut valorem habeat, si de facto illum exercuerit.

An omnis excommunicatus non nominatim denunciatus, sit occultus censendus.

11. Habet autem dubitationem etiam secundum jus antiquum, quisnam censendus sit in præsenti occultus excommunicatus. Sed ut utilius id disputemus, et explicemus, in particulari quærendum est, an omnis excommunicatus, qui non est nominatim denunciatus, nec manifestus percussor clerici, censendus sit occultus, quantum ad hunc effectum ut ejus acta valeant. Covarruv., qui hoc attigit in dicto cap. Alma, part. 1, § 7, n. 9, videtur sentire, omnem excommunicatum non denunciatum nominatim, censeri occultum; nam dicit, hujusmodi vitandum non esse in iis, quæ pertinent ad publicum officium ejus, etiam ab his qui norunt ipsum esse excommunicatum. Re tamen vera ille non loquitur de excommunicato publico nondum denunciato nominatim, de quo solo potest esse in præsenti aliqua difficultas; sed loquitur de illo, qui, cum publicus non sit, aliquibus tamen est notus, de quo non dubium, quin acta ejus valeant, etiam respectu illorum, quibus nota est excommunicatio. Quod non solum ob Extravag. *Ad evitanda,* sed etiam ex jure antiquo verum est, ut probant quæ hactenus adduximus, quia etiam ille non erat vitandus publice ab iis, qui privatim ejus excommunicationem sciebant, et quia illi non sunt pejoris conditionis, ut acta in eorum favorem non valeant, ac denique quia ille publice et indifferenter pro omnibus toleratur.

12. *Quid de illo qui publice crimen, cui annexa ipso jure est excommunicatio, committit.* — Nunc ergo difficultas est, an, si quispiam publice committat delictum, ob quod ipso jure excommunicatus est, et exerceat munus judicis Ecclesiastici, v. gr., in quo publice toleratur, absque denunciatione personali, an acta ab illo valorem habeant. Quæ difficultas locum

non habet in opinione eorum, qui putant, Extravag. *Ad evitanda,* servandam esse juxta formam, quæ habetur in Concilio Basiliensi; juxta quam omnis publicus excommunicatus cavendus est; ex quo manifeste sequitur in prædicto casu acta a tali excommunicato publico invalida esse, quia talia erant juxta jus antiquum, et per illam Extravagantem nihil innovatum fuit circa talem excommunicatum. Atque ita (juxta illam sententiam) quantum ad præsentem effectum spectat, idem nunc censendus est excommunicatus, qui antea jure antiquo censebatur, scilicet, qui nec notitia juris neque facti publice notus est, quia quoad hoc nihil per Extravagantem illam mutatum est.

13. *Resolutio.* — Nihilominus, supposita sententia, quam supra defendimus de illo publico excommunicato, quod ratione illius Extravagantis nunc tantum sit vitandus, quando est manifestus percussor clerici, dicendum hic censeo acta a quolibet alio excommunicato non denunciato ratione publici muneris, in quo toleratur, valida esse, quantumvis notorius sit notorietate (ut aiunt) facti; percussorem clerici semper excipio, quo fit, ut supposita illa Extravaganti omnis ille censendus nunc sit excommunicatus occultus in ordine ad præsentem effectum, qui per publicam sententiam, et denunciationem sub proprio nomine factam notorius non est juridice. Probatur argumento superius facto, quia ille non est vitandus juxta dictam Extravagantem; ergo subditi habent jus petendi ab illo actiones publicas muneris sui; ergo necesse est ut tales actiones ab illo factæ sint validæ, alioqui et frustranea esset illa licentia subditorum, et quasi repugnantiam involveret, quod nimirum liceat petere publice illam actionem, quæ valorem et efficaciam habere non possit. Confirmatur; nam ob similem rationem supra dicebamus, parochum excommunicatum quantumvis publicum, quamdiu denunciatus non est, validum pœnitentiæ sacramentum conferre, et consequenter retinere quoad hoc usum jurisdictionis in illo foro, quia nimirum subditi ejus licite possunt ab eo sacramentum illud postulare; ergo idem dicendum est in præsenti, tum propter rationis paritatem, tum etiam quia Extravagans illa æque generaliter loquitur de communicatione in sacramentis, et extra.

14. *Quorumdam discrimen inter actus fori sacramentalis et contentiosi. — Eluditur.* — Dicunt aliqui non esse parem rationem de jurisdictione sacramentali et actu ejus, et de illa, quæ pertinet ad forum contentiosum, quia prior directe et proxime ordinatur ad salutem animæ, et magni esset periculi, si actus ejus esset invalidus; altera vero magis versatur circa res externas, in quibus nocumentum non est tanti momenti. Et ideo aiunt, Extravagant. *Ad evitanda,* non esse ita usu receptam in actibus jurisdictionis extra sacramentum, sicut in sacramento. Sed hæc responsio non satisfacit; nam in primis differentia illa fere nullius momenti est, tum quia etiam actus jurisdictionis exterioris interdum proxime pertinent ad bonum animæ, seu conscientiæ forum, ut sunt dispensatio in voto vel in lege, impositio præcepti, indulgentiarum concessio, et similes; tum etiam quia saltem remote, et mediate ex his actibus possunt multa oriri, quæ ad salutem animarum, vel ad gravandas conscientias plurimum referre possunt; maxime cum ad hoc etiam pertineat collatio beneficiorum, impositio censuræ vel absolutio ab illa, et similis. Deinde, quidquid sit de ratione differentiæ, hoc non pendet præcipue ex ratione, sed ex dispositione legis; lex autem æque in utrisque actibus disposuit, etiam si fortasse non sit in eis omnino æqualis ratio. Quod vero dicitur, illam legem non esse æqualiter usu receptam in utrisque actibus, cum ad factum spectat, improbari efficaciter non potest, sicut neque probari; et mihi de tali usu non constat; verisimile tamen est, cum lex illa in actibus cujuslibet ordinis favorabilis sit fidelibus, acceptatam pro omnibus esse, et amplificatam potius quam limitatam. Quanquam quia raro accidit, ut publicus notorius excommunicatus permittatur exercere publicum officium, et jurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi, quin a superioribus coerceatur vel publice denuncietur, ideo etiam raro veniet in usum et praxim casus hic, de quo disputamus, scilicet, quod ab hujusmodi excommunicato actus validi hujus jurisdictionis exerceantur, quod non sufficit ut dicamus, Extravagant. illam quoad hanc partem esse derogatam.

15. *Excommunicatus denunciatus non potest licite jurisdictionis actus exercere. — Neque subditi possunt cogi illius actibus uti.* — Solum oportet advertere, quod sæpe dictum est, illam Extrav. nullum favorem concessisse excommunicatis, sed aliis fidelibus. Ex quo in primis sequitur, hos excommunicatos non posse licite exercere hos actus, præsertim quando

alii fideles non sunt in necessitate constituti, vel jus suum non exigunt, sicut in similibus dictum est in superioribus; est enim quoad hoc in præsenti eadem ratio. Deinde sequitur, quanquam ipsi excommunicati velint exercere hos actus, et alii fideles possint illis uti, vel eos acceptare, si sibi sint commodi, non tamen posse ad hoc cogi, aut obligari, quia licet aliis fidelibus concessum sit, ut possint cum his excommunicatis communicare, non tamen hoc est illis præceptum, neque prohibitum ut eos vitent, sed possunt id facere si velint, quia hoc est privilegium illis concessum in eorum favorem, ac proinde liberum eis est, illo uti, vel non uti. Quo fit, ut, si hujusmodi excommunicatus dispenset, vel absolvat, aut simile opus gratiæ conferat, acceptari possit tanquam validum et utile; si vero aliquid præcipiat, non teneantur fideles illi obedire, quia non tenentur cum illo communicare. Et pari ratione si aliquem excommunicet, non tenebit excommunicatio, vel quia non supponet contumaciam, eo quod respectu excommunicati nemo sit contumax, cum nemo ei obedire teneatur, vel certe quia ipsa excommunicatio debet procedere ex virtute directiva et coactiva, quam non habet publicus excommunicatus ex vi Extrav. *Ad evitanda,* ut dictum est. Et similiter si quis vocetur, seu citetur ad judicium coram hujusmodi excommunicato publico non denunciato, non potest ad comparendum cogi, propter eamdem rationem, quanquam si actor, et reus voluntarie consentiant, possint coram illo agere in judicio, et ipse possit validam proferre sententiam, non tantum per modum arbitri, sed etiam per modum ordinarii judicis, si seclusa excommunicatione munus hoc illi ex officio competat.

16. *An acta ab excommunicato denunciato, sed ignorato, sint valida.* — *Resolutio.* — *Nominatim denunciatus et manifestus percussor clerici æquiparantur.* — Sed quæri ulterius potest, si aliquis sit nominatim excommunicatus, ac proinde jure publicus, de facto vero sit occultus, quia ab aliis vel omnibus, vel saltem pluribus, et publice ignoratur, an valida sint acta ab eo. Accidere autem hoc potest vel in diverso loco, ut si in uno denunciatus sit, in alio vero pro non excommunicato publice habeatur; vel etiam in eodem loco pro diverso tempore, ut si jam denunciatio memoria excidit, vel jam publice creditur absolutus, cum revera non sit. Respondetur etiam in eo casu, acta hujusmodi excommunicati valitura, eumque quoad hunc effectum censeri occultum, non tam ex jure novo, quam ex antiquo, quod in nulla re per novum restrictum est, sed amplificatum tantum. Itaque juxta antiquum jus excommunicatus publicus in uno loco, si in alio esset occultus, et ibi publico officio fungeretur, validas actiones efficeret, juxta communem Canonistarum sententiam, quam refert, et sequitur Panormitanus, et ibi ejus Additio in c. Ad nostram, 3, de Jurejur., num. 6, et in c. Suscitasti, de Rescrip., num. 23, argum. dictæ legis *Barbarius,* et rationis ejus, quæ cogit, ut hoc intelligamus de occulto respective, id est, ibi, et eo tempore, quo gerit officium publicum; tunc urget necessitas, vel utilitas publica; et notitia, quæ in alio loco habetur, impertinens est ad ea, quæ in alio loco geruntur. Quod ergo dicitur juxta antiquum jus de quolibet excommunicato publico in uno loco, nunc etiam procedit de percussore clerici notorio in uno loco, et occulto in alio; nam quoad hunc, jus antiquum integrum mansit, nihilque immutatum est. Et eadem ratione idem procedit in excommunicato denunciato in uno loco, et occulto in alio, quia in illa Extravagante æquiparantur nominatim excommunicatus, et manifestus percussor clerici; et consequenter etiam æquiparatur excommunicatus nominatim cum quolibet publico excommunicato juxta jus antiquum. Item quia ante illam Extravagantem excommunicatus publicus in uno loco, licet ibi denunciatus esset, si in alio esset occultus, in illo procederet doctrina data, quæ generalis est; ergo a fortiori idem nunc est dicendum.

17. *Objectio.* — *Solutio.* — Objicies : ergo pari ratione dicere nunc possumus, denunciatum in uno loco, si alibi existat ubi denunciatus non est, non esse ibi vitandum, etiamsi alio modo ibi sit publica ejus excommunicatio; et consequenter acta ibi ab illo valida esse. Patet sequela, quia, ut diximus, publicus excommunicatus respective accipiendus est, id est, ibi ubi publicus est; ergo eodem modo sumendus est nominatim excommunicatus, scilicet ibi, ubi denunciatus est. Respondetur negando sequelam, quia non est necesse, ut denunciatio ubique, seu in singulis locis, ac provinciis fiat; sed sicut excommunicatus alicubi, ubique excommunicatus est, ita denunciatus alicubi per se et ex vi denunciationis ubique denunciatus est; solum requiritur, ut per publicam famam censura et denunciatio ad alia loca pervenerit.

18. Ultimo possunt fere omnia dicta extendi cum proportione ad reliqua munia, seu personas, quæ in judicio intervenire solent ad illud promovendum, ut sunt actor, procurator, testis, et similes. Verumtamen, quia de his personis jura indifferenter loquuntur in quocumque judicio Ecclesiastico, vel seculari, ideo quæ ad eas pertinent, attingentur commodius disputatione sequenti.

SECTIO II.

Utrum excommunicatus beneficiorum collatione, et omnibus actibus, qui illam concernunt, privatus sit.

1. *Regula generalis.* — Principalis, ac generalis regula in hoc puncto est, excommunicatum neque licite, neque valide posse beneficium Ecclesiasticum conferre. Hæc est certa, et communis sententia, quæ præcipue probatur ex c. unico, *Ne Sede vacante,* in 6, ubi sermo est de Episcopo, vel Capitulo suspenso a beneficiorum collatione; hæc tamen in excommunicatione includitur, ut ibidem satis declaratur, dum additur idem esse, *si omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari contingat;* nam quia Capitulum, ut sic, excommunicari non potest, sicut potest suspendi, ideo dicitur quoad hunc effectum idem operari excommunicationem, quæ quodammodo redundat in totum, quod suspensionem ejus, propter suspensionem singularium personarum in excommunicatione inclusam. Ad idem citatur textus in c. Tanta, de Excessib. Prælat., ubi de interdicto, et violatore ejus sermo est. Item facit cap. Quia diversitatem, de Concess. præbendæ, ubi de suspensione sermo est. Ratio autem propria hujus regulæ est prohibitio, seu institutio Ecclesiæ, quæ totam hanc pœnam, et privationem voluit excommunicato imponere. Derivatur autem ex regula posita præcedente sectione, quia hæc beneficiorum collatio ad potestatem jurisdictionis pertinet; constat enim non esse actum potestatis ordinis, et esse alicujus potestatis; est ergo potestatis jurisdictionis; quod etiam docuit Glossa in c. Transmissam, de Elect.; ostendimus autem, excommunicatum esse privatum usu jurisdictionis; ergo et collatione beneficii. Potest etiam ex alio principio id colligi; nam ostendimus, excommunicatum privatum esse fructibus beneficii; at vero inter fructus beneficii, v. gr., Episcopatus, beneficiorum collatio numeratur, ut notavit Glossa in cap. Cum olim, de Major. et obed. : ergo, etc.

2. *Collatio beneficii ab excommunicato facta est nulla. — Ab excommunicato beneficii intrusus tenetur illud relinquere.* — Atque hæ rationes probant etiam, hujusmodi collationem beneficii ab excommunicato factam nullam esse, ut in prædictis juribus indicatur. Et ex eisdem principiis colligitur, quia actus jurisdictionis ab excommunicato factus nullus est, et quia excommunicatus non facit fructus suos. Atque ita sentiunt communiter Doctores, ut videre licet in Abbate, et aliis in cap. Postulastis, de Clerico excom. ministr.; Covarruv., in c. Alma, p. 1, § 7, num. 9. Quapropter sic provisus de beneficio, intrusus potius appellari solet, juxta stilum Curiæ. Sumiturque ex dicto c. Tanta, de Excessib. Prælator., in verbo illo, *Intrusit.* Tenebitur ergo hujusmodi intrusus in conscientia tale beneficium relinquere absque alia condemnatione, quia nec potest juste retinere rem non suam, nec illius fructus percipere; et aliunde injuriam etiam facit Ecclesiæ, beneficium retinens sine vero titulo. Quod si alius in eodem beneficio provisus sit ab eo, ad quem potestas conferendi illud devoluta fuerit, illi etiam faciet injuriam, eum a consecutione, vel possessione beneficii impediendo; tenebiturque proinde illi restituere expensas, vel alia quæcumque damna, quorum causa fuerit, per se loquendo, et seclusa probabili ignorantia vel alia simili accidentali excusatione.

3. *De quo excommunicato intelligatur proposita regula.* — Ad majorem autem hujus regulæ expositionem, sicut in aliis fecimus, declarandi essent tres termini, de quo videlicet excommunicato sit sermo, et de quo beneficio Ecclesiastico, et quid nomine collationis comprehendatur. Sed de primo jam satis in superioribus est dictum; nam eadem expositio ibi data, hic applicanda est; simpliciter enim sermo est de excommunicato; et ideo quilibet comprehenditur, quacumque causa, et quocumque jure, vel sententia excommunicatus sit, dummodo valide, et non sola hominum existimatione excommunicatus sit. Solum necesse est, ut excommunicatio sit publica; nam occulta non impedit actus publicos, etiam secundum jus antiquum, saltem quoad alios, aut ne validi sint, quamvis impediat quoad ipsum excommunicatum, ne licite illos faciat. Quod etiam in collatione beneficiorum procedere notavit Covarruv. supra, et probant jura, et rationes adductæ. Quapropter juxta jus novum Extravag. *Ad evitanda,* collatio beneficii facta a quolibet

excommunicato non denunciato nominatim, etiamsi alias sit publicus, excepto clerici percussore, valida erit, non in favorem conferentis, sed ejus, cui confertur; hunc enim dicta Extravagans intendit.

4. *An peccet excommunicatus non vitandus beneficium conferens. — Gerens vicem excommunicati non potest beneficium conferre.* — Hic vero non immerito dubitabit aliquis, an peccet hujusmodi excommunicatus, tale beneficium conferendo; nam si peccat, alius etiam peccabit suscipiendo, et multo magis inducendo illum, quod repugnat favori, quem Ecclesia illi concedit. Et ideo censeo, si excommunicatus id faciat ad petitionem alterius, et solum in favorem ejus, in eo actu non peccare, sicut in similibus dictum est in superioribus, quia alioqui illa concessio, vel frustra esset, vel scandalum potius, et occasionem peccandi daret, quam pericula tolleret, quod est contra finem illius legis. Denique addendum hic est, non solum ipsum excommunicatum, sed etiam qui ejus vicem gerit, et ab eo in jurisdictionis usu pendet, non posse beneficium conferre, quando ipse principalis excommunicatus est, ut vicarius Episcopi excommunicati, vel delegatus, existente excommunicato delegante, quia censentur quasi una persona, seu una jurisdictio, quæ ad instrumentum non descendit, si suspensa est in causa principali, juxta superius notata ex cap. de Offic. vicarii, in 6.

5. *Qua beneficii collatione privatus sit excommunicatus.* — Quod vero spectat ad secundum de Ecclesiastico beneficio, nihil etiam occurrit hic notatu dignum; nam comprehenditur omne id, quod hac voce proprie significatur, scilicet, jus quodlibet perpetuum ad percipiendos temporales fructus Ecclesiasticos, quod sine canonica institutione legitime non obtinetur, ut dicitur in c. 1 de Regul. jur., in 6. Ac proinde semper datur aliquo spirituali titulo, ad munusque aliquod spirituale exercendum; nam beneficium omne propter officium datur. Omnia ergo beneficia, sive simplicia sint, sive curam animarum habentia, et sive majora sint, sive minora, denique omnia, quæ supra diximus, excommunicato conferri non posse, ab excommunicato non possunt conferri. Neque hic habet locum quæstio de pensionibus, tum quia constat, pensionem proprie sumptam non esse beneficium Ecclesiasticum (non enim agimus de præstimonio, illud enim vere, ac proprie Ecclesiasticum beneficium est, et sub dicta regula comprehenditur); tum etiam quia pensionem solus Pontifex Summus proprie constituere, ac conferre potest; ipse autem excommunicatus esse non potest. Et ideo in propria collatione pensionis non habet locum hæc quæstio. Quid autem de illa dicendum sit, quatenus ex consensu, aut præsentatione inferioris pendet, dicam in sequentibus. Item de dignitate Summi Pontificis dicam in sequenti puncto; nam hic non habet locum quæstio circa illam, ut ibi explicabo.

6. *An electio, ab excommunicato facta, sit nulla.—Resolutio.*—Circa tertium punctum, quamvis constet, collationem beneficii in rigore sumptam esse actionem illam, qua jus, seu dominium in beneficium ipsum transfertur, nihilominus proposita regula latius extendenda est; multa enim comprehendit, quæ non sunt proprie beneficii collatio, tamen ad illam proxime ordinantur, et quasi per analogiam illam participant, ideoque juxta dispositionem juris sub eadem regula comprehenduntur. Primum igitur electio facta ab excommunicato irrita est, quanquam talis electio non sit semper ipsius beneficii collatio, ut per se notum est. Probatur autem hoc ex cap. Cum inter, 1, de Elect., ubi sermo est de electione facta a suspensis, et cassanda dicitur, id est, cassa declaranda, ut ibi Glossa exponit. Idem habetur in c. Cum dilectus, de Consuet., et in c. Constitutis, 1, de Appell., ubi de excommunicato, et de nominatione ab eo facta sermo est. Et ita in hac sententia conveniunt Glossæ, et Doctores in citatis locis, Innocent., Abbas, et alii, in c. 2 de Postulat. Prælat., et plures refert Covarr., c. Alma, part. 1, § 7, num. 9; Sylvest., verb. *Elect.*, num. 5. Ratio vero est, quia excommunicatus suspensus est omnino ab officio, et beneficio; et ideo nihil eorum agere valet, quæ ratione officii, aut beneficii illi conveniunt; quorum unum est electio. Item quia electio inter actus jurisdictionis computatur, quatenus est actus cujusdam publicæ potestatis, et ad commune bonum, et regimen suo modo ordinatur; ergo sicut alii actus jurisdictionis, ita et electio ab excommunicato facta irrita est. Quo fit, ut si electio ab uno tantum facienda sit, et ille sit excommunicatus, vel a multis, seu Capitulo, cujus singulæ personæ omnes excommunicatæ sint, electionem esse irritam, quia omnia, et singula suffragia invalida sunt. Id quod etiam a simili sumitur ex cap. unic. Ne Sede vacante, in 6.

7. *Sitne valida electio a Capitulo facta,*

cujus aliquæ personæ excommunicatæ sunt. — Nonnulla vero difficultas est, quid dicendum sit, quando electio facienda est a pluribus, seu Capitulo, et quidam eorum excommunicati sunt, alii vero habiles, qui per se sufficerent ad electionem faciendam. Et hinc sumitur ratio dubitandi; nam unius, vel alterius excommunicatio solum potest ipsius actum, seu suffragium irritare, non vero aliorum; cur enim unius culpa, vel pœna aliis nocere debet? Sed aliorum suffragia sufficere possunt ad ratam electionem faciendam; ergo rata erit non obstante quorumdam excommunicatione. Et confirmatur; nam quando aliqui electores, inhabiles propter alias causas distinctas a censura, admittuntur cum habilibus ad eligendum, electio non propterea irrita censetur, ut colligitur ex c. Cum Vintoniensis, de Elect., et ex usu in provisione non tantum beneficiorum, sed etiam aliorum officiorum aut cathedrarum, etc.; ergo idem erit in censuris. In contrarium autem videtur facere textus in c. Ad probandum, de Re judicata; ubi sententia a pluribus judicibus lata, ex quibus unus excommunicatus erat, irrita declaratur; ergo idem dicendum est de electione ob rationem proportionalem. Idem confirmat c. Cum super Abbatia, de Officio delegat., ubi factum a duobus pro infecto habetur, eo quod alter eorum potestate carebat; ergo ita dicendum est in proposito.

8. *Notanda pro dubii resolutione.* — Circa hoc multa dicunt juristæ; sed omissis opinionibus, distinguendum est de electione; nam interdum ita potest fieri a multis, ut omnium consensus et conformitas ad valorem electionis requiratur, ita ut valor ejus et ab omnibus, et a singulis pendeat. Aliquando vero requirit electio certum numerum suffragiorum, ita ut cum paucioribus subsistere non possit; sæpe vero non requirit determinatum numerum eligentium, sed majorem partem, vel (si canonica sit electio) duas partes suffragiorum in quocumque numero illi sint. Præterea aliquando fit electio publicis suffragiis, ita ut cæteris electoribus constet, pro quibus singuli suffragium ferant; sæpius vero suffragia sunt secreta, quanquam postea constet, quis numerus suffragiorum unicuique eligendorum obvenerit. Quod etiam aliquando sub secreto teneri præcipitur iis, qui suffragia computant, interdum vero in publicum profertur. Denique aliquando excommunicatus admitti potest ad suffragium ferendum cum non excommunicatis, ipsis invitis, scilicet, vel per ignorantiam probabilem, vel per violentiam sufficientem ad causandum morale involuntarium.

9. *Si ad electionem certus eligentium numerus requiritur, existente aliquo excommunicato, est nulla.* — Primo igitur quando requiritur certus numerus eligentium, et ille completur per suffragium excommunicati, clarum est, invalidam esse electionem, quia ejus valor pendet a singulis necessarium numerum complentibus; ergo oportet, omnes, et singulos esse habiles; alias perinde est ac si a paucioribus fiat, quam requirantur. Atque hic videtur esse casus dict. cap. Ad probandum, nam ibi potestas delegata erat duobus non in solidum, sed conjunctim; et ideo talis numerus delegatorum in statu habili necessarius erat ad valorem actionis; ac proinde unius excommunicatio sufficiens fuit ad irritandam actionem. Et similem fuisse videtur in dict. cap. Cum super Abbatia.

10. *Si omnium consensio requiratur, ex præsentia unius excommunicati non fit electio nulla, nisi sit certus numerus definitus. — Quid sit tum, si unus dissentiat.* — Atque hinc fieri videtur, ut si ad valorem electionis necessarius sit omnium suffragiorum consensus, non possit esse valida, si vel unus eligentium excommunicatus sit. Patet, quia si unus dissentiret, electio esset nulla; ergo eadem ratione, si unius suffragium invalidum est, erit electio nulla. Verumtamen si quis recte attendat, hoc non procedit, nisi simul cum consensione suffragiorum certus numerus eorum requiratur; nam si non sit numerus definitus, sed solum requiratur concordia eorum, qui ad electionem convenerint, sive plures, sive pauciores esse contingat, tunc si de facto omnes in uno eligendo conveniant, non est cur electio sit irrita, etsi unus electorum excommunicatus sit, quia inde solum fit, ut veri, et habiles electores numero pauciores sint, non tamen ut non sint concordes. Et ideo sicut si unus abesset, nihilominus electio esset valida, ita etiamsi unus sit excommunicatus, non est cur ex hoc præciso capite sit invalida, nisi alio speciali jure irritetur, quod postea videbimus. Secus vero esset, si unus eligentium ab aliis dissentiret; tunc enim aliter de electione secreta, aliter de publica censendum erit; nam si fit publice, constare poterit, an ille, qui dissentit, sit idem, qui excommunicatus est, vel alius. Et si sit alius, erit quidem electio nulla, non sane propter excommunicati concursum, sed propter defectum requisitæ conditionis ex

parte habilium eligentium, scilicet, consensionis omnium. Si vero qui dissentit, est idem, qui excommunicatus est, non oberit excommunicatio, sed proderit potius, ut valida sit; nam cum ille revera non sit verus elector, quod dissentiat, nihil ad valorem electionis refert, quod tamen secus fuisset, si ille excommunicatus non esset. At vero, si talis electio secreto facta fuisset, necessario fuisset invalida propter incertitudinem, an is, qui dissensit, fuerit ex veris electoribus, necne, et moraliter præsumitur ex illis esse, quia plures sunt.

11. *Quid dicendum de electionibus, quæ non certum numerum suffragiorum, sed majorem partem requirunt.* — In electionibus vero, quæ nec certum numerum eligentium, nec omnium consensionem postulant, sed solum majorem, aut duas partes suffragiorum, in primis considerandum est, an excessus suffragiorum ex parte electi tantus sit, ut quamvis eis adjungantur, qui excommunicati sunt, et tanquam inhabiles repellantur, adhuc supersit sufficiens numerus ad electionem complendam, vel e contrario contingat. Nam quando res accidit priori modo, videtur electio esse valida, non obstante excommunicatorum interventu, quandoquidem licet eorum suffragia nulla sint, quæ supersunt, ad eligendum sufficiunt; nam si illi excommunicati abfuissent, cæteris eodem modo suffragantibus, electio fuisset valida, ut in casu supponimus; ergo quamvis ipsi adfuerint, cum ad valorem electionis nihil conferant, nec necessarii sint, non possunt, per se, et ex natura rei loquendo, invalidam electionem reddere, sive illa publice, sive secreto fiat, dummodo satis constet, tantum fuisse excessum suffragiorum, ut excommunicatorum auxilium, seu concursum non requirat. Atque hoc confirmant rationes dubitandi in principio positæ. Imo addo ulterius, in hoc dandam esse fidem testimonio eorum, ad quos ex officio pertinet vota supputare, etiamsi juxta ritum in tali electione præscriptum, declarare non debeant suffragiorum numerum, sed solum quis fuerit electus; nam illi sunt tanquam judices in ea causa constituti; et ideo si ipsi declaraverint, secluso excommunicato, vel excommunicatis tanquam non electoribus, adhuc superesse sufficientem numerum, ut talis electus sit, talis electio valida erit, non minus quam si in absentia excommunicatorum cum eadem declaratione facta fuisset.

12. *Notabile.* — At vero quando excessus, seu numerus suffragiorum tantus non est, sed talis, ut ablato uno, vel altero (juxta numerum excommunicatorum) reliqui ad electionem faciendam non sufficiant, tunc subdistinguendum est de electione publica, et secreta; nam si est publica, in illa aperte constabit, an excommunicati faverint electo, vel non; nam si pro eo suffragia tulerunt, manifestum est, electionem fuisse nullam ex defectu sufficientis numeri suffragiorum habilium; si vero non dederunt, electio erit valida, quandoquidem sine illis est sufficiens numerus, et procedunt aliæ rationes factæ. Si autem electio secrete fit, invalida est necessario judicanda, propter incertitudinem sufficientis numeri eligentium habilium, juxta dicta in priori puncto. Solum advertere oportet, in eo casu necessarium numerum suffragiorum computandum esse, seclusis excommunicatis, solumque habito respectu ad eligentes habiles; ut, v. gr., si viginti ad eligendum convenerunt, et unus, vel duo fuerunt excommunicati, numerus sufficiens, ut electio facta censeatur a majori parte, erit denarius, quia secluso excommunicato, vel excommunicatis, illa est major pars suffragiorum habilium; et sic de aliis, proportione servata. Atque hanc doctrinam attigit breviter Richard., in 4, dist. 18, art. 7, quæst. 1, ad 3, quæ et nititur ratione naturali, præsupposita excommunicatione, et esse potest generalis ad omnes electiones, in quibus aliqui electores inhabiles interveniunt.

13. *An electores, qui excommunicatos ad electionem voluntarie admittunt, valide eligant.* — *Quorumdam Canonistarum sententia.* — *Fundamentum hujus opinionis.* — At vero nonnulli Canonistæ quamdam limitationem insinuant, dum distinctione supra data utuntur, scilicet, quod vel electores non excommunicati sciunt alios esse excommunicatos, et voluntarie eos admittunt, vel illi ignorant, et bona fide procedunt; si sciunt inviti, eos admittere coguntur ad simul eligendum. Quando ignorantia, aut vis intercedit, absolute docent, electionem esse validam, id est (ita enim interpretor) propter consortium excommunicatorum, præcise in eo sistendo, non variari; nam ut omnibus consideratis simpliciter debeat electio valida censeri, applicandam censeo doctrinam datam; quoniam circumstantiæ ibi declaratæ per se, et ex natura sua necessariæ sunt ad valorem electionis. Quando autem excommunicati voluntarie ad

suffragium admittuntur, absolute et sine distinctione docent electionem esse invaldam, præcise ex hoc defectu, quod fit cum voluntaria admissione excommunicatorum ad eligendum, etiamsi alioqui concurrant sufficientia suffragia habilia. Ita tenet Innocent., in cap. Illa, de Elect., num. 3; et Abbas, num. 7, et in cap. final. de Procurat., num. 6, Fundantur, quia actus factus a multis, seu a communitate admittente aliquas personas inhabiles ad talem actum, invalidus est, quando inhabilitas est talis, ut non tollatur ex eo solum quod alii cedant jure suo; sed talis est illa, quæ ex excommunicatione provenit : ergo. Minor sumitur ex cap. Exceptionem, de Except., et aliis similibus. Major vero patet; nam imprimis si inhabilitas est talis, ut respiciat tantum commodum et jus aliorum electorum, clarum est, per eorum voluntariam remissionem tolli posse, et tunc id nihil obstare valori electionis; in quo casu videtur procedere cap. Cum Vintoniensis, supra citatum. Quando autem impedimentum tolli non potest per consensum electorum, tunc habiles, qui secum voluntarie admittunt inhabiles ad eligendum, aut suum jus ignorant, aut eo uti nolunt, et ita nihil valide faciunt, quia sine voluntate nihil fit; quæ ratio videtur desumpta ex dict. cap. Cum super Abbatia, de Offic. deleg., ut notavit Abbas citatis locis.

14. *Impugnatur*. — Sed difficilis sane est hæc ratio; nec video, cur ob solam admissionem voluntariam personæ inhabilis ad eligendum, amittant habiles potestatem eligendi, quam habent, vel ad eos devoluta est, aut unde convincantur non habere voluntatem utendi illa potestate; si autem neutrum horum verum est, nihil est cur talis electio ex hoc solo consortio inhabilium sit invalida, si cætera necessaria concurrant, juxta doctrinam superius traditam. Explicatur hoc in præsenti materia; nam imprimis est certum, si unus ex electoribus, seu ex Capitulo excommunicatus sit, potestatem eligendi ad reliquos contrahi, dummodo sufficiens numerus eligentium ex speciali, vel generali ordinatione præscriptus supersit, ut sumitur ex cap. unic. Ne Sede vacante, in 6. Deinde hujusmodi electores licet voluntarie secum admittant excommunicatos ad eligendum, et in hoc fortasse peccent, non propterea privantur jure, aut potestate eligendi; nam hæc est pœna quædam, quæ non incurritur, nisi per jus imponatur; nullum autem est jus, quod propter illud delictum talem pœnam ipso facto imponat. Item illud delictum non est nisi quædam communicatio cum excommunicato, propter quam sola excommunicatio minor incurritur; excommunicatio autem minor non privat jure eligendi, cap. Si celebrat, de Clerico excommun. ministr. : ergo, etc.

15. Supposita vero hac potestate, quod non necessario excludatur voluntas utendi illa, propter voluntatem admittendi excommunicatos ad coeligendum, facile ex eo probatur, quod hæ duæ voluntates non sunt contrariæ, neque repugnantes, quia consortium excommunicatorum in eligendo per se consideratum non est defectus essentialis; hoc enim est, quod agimus; et si oppositum supponitur, principium petitur, et sine fundamento proceditur; ergo qui vult consortium excommunicati in eligendo, nihil vult contra substantiam electionis; ergo potest nihilominus velle efficaciter, et valide eligere quantum potest; non est ergo repugnantia in his voluntatibus. Cujus etiam signum est, quia ipsimet Doctores Canonistæ dicunt, si in eo facto electores moneant, et declarent se velle eligere, vel conjunctim, vel in solidum eo meliori modo, quo possunt, tunc electionem esse validam, non obstante admissione excommunicatorum; ergo manifeste supponunt, illas duas voluntates non esse per se repugnantes. Ex quo novum sumitur argumentum; nam unusquisque præsumitur, suam actionem efficere eo meliori modo quo potest, et hoc velle, quamvis id non exprimat; ergo in prædicto casu præsumuntur tales electores ita eligere, neque oppositum constat ex sola admissione excommunicatorum; et eadem ratione sine causa præsumitur, eos ignorare jus suum, quia possunt excommunicatum admittere ex timore, aut amore humano, quia credunt illud nihil nocere juri suo, eo quod sciant suffragium excommunicati ad electionem nihil conferre. Addo etiam, quod licet ignorarent jus suum, putantes se non posse eligere sine excommunicatis, illa ignorantia non obstaret valori actus, quia ille est error privatus, qui non excludit generalem voluntatem formalem, vel virtualem faciendi quod unusquisque potest, et meliori modo quo potest. Sicut in materia de sacramentis dicunt Theologi, errorem privatum ministri non excludere intentionem faciendi sacramentum, prout potest, et debet.

16. *Exponitur caput Cum super Abbatia*,

ostenditurque textum illum non favere fundamento superioris opinionis. — Igitur ex illa generali ratione, quod habiles voluntarie admittant inhabiles ad actionem aliquam, vel electionem secum agendam, non recte infertur, talem actionem, vel electionem esse nullam, si alias facta a solis habilibus cum eodem numero suffragiorum, et cæteris conditionibus, valida esset. Solum videtur id habere locum, quando actus hoc ipso, quod a pluribus simul fit, et ex consensu unanimi, talis est, ut a singulis illorum tantum fiat ut a causa partiali, et essentialiter ab omnibus simul pendeat. Quo casu, hoc ipso quod unus admittit alium ad consortium actus, non vult absque illo quippiam operari; ac propterea si alter eorum inhabilis est ad operandum, fit consequens, ut tota actio nulla sit; et hujusmodi est casus in dicto cap. Cum super Abbatia ; nam quando causa aliqua delegatur duobus, quamvis delegatio sit cum clausula, ut altero nolente, aut non valente delegationem exercere, alter solus procedere possit, si postea delegatio admittitur ab utroque, et uterque admittit alterum, ut condelegatum habilem, jam tunc neuter eorum est totalis judex (ut sic dicam); nam si uterque non consentiat in singulis actibus, nihil fit. Propter hanc ergo causam respondet Pontifex in illo textu, processum factum a similibus judicibus fuisse nullum. At vero non est simile in electione, quia electio non requirit consensionem, vel concursum omnium eligentium habilium, neque omnes electores per modum unius causæ totalis conveniunt ad unum quasi indivisibilem actum (qualis est una sententia) efficiendum, sed unusquisque profert suum suffragium veluti quamdam particularem sententiam, quæ proinde valida est, si proficiscatur a persona habili, etiamsi simul admittantur in habiles ad suffragia ferenda, quæ quidem invalida erunt; si tamen ab illis non pendeat electio, non apparet ulla ratio, propter quam illam irritent, ut ex superius dictis sufficienter probatum est.

17. Quapropter si est defendenda communis sententia Canonistarum, electionem factam cum voluntaria admissione excommunicatorum ad eligendum nullam esse, fundanda erit in aliquo speciali jure positivo, quod in odium excommunicationis, et quasi in vindictam injuriæ, quæ per eum actum fit Ecclesiasticæ potestati, talem electionem irritam faciat. Non invenio tamen canonem hoc expresse statuentem; sumi autem potest ex cap. ult. de Procurat., ubi procurator electus, et constitutus ab universitate, in qua majores quidam, et jurati excommunicati erant, repellendus a procuratione dicitur, si communitas sciens eos esse excommunicatos, illos ad talem procuratorem constituendum admisit. Atque ita intellexit textum illum Innocentius ibi, scilicet in odium excommunicationis id statutum esse. Non est autem id statutum in eo particulari negotio propter specialem rationem, quæ in procuratore constituendo consideretur, et quæ multo major non sit in constituendo, vel eligendo Prælato aut beneficio Ecclesiatico ; ergo statutum id est solum ob voluntariam admissionem excommunicatorum ad eligendum ; ergo omnis electio illo modo facta irrita est. Atque hanc sententiam sic explicatam, et fundatam in praxi, servandam censeo, propter illum textum, et propter communem Canonistarum sententiam.

18. *Prædictam sententiam solum in denunciato excommunicato procedere.* — *Quid de excommunicato non vitando.* — Solum est addendum, quod sæpe notatum est, hæc omnia nunc solum procedere in excommunicato nominatim, aut manifesto percussore clerici; alii enim, quamvis teneantur ab eligendo abstinere, tamen electores non tenentur eos vitare; quare licet voluntarie eos admittant ad coeligendum, non solum valida erit electio, sed etiam ipsi nihil in eo peccabunt, propter Extravag. *Ad evitanda.* Tunc vero inquiri poterit, an suffragia eorum valida sint, et an illis objici possit talis excommunicationis exceptio. Respondeo breviter, ante electionem factam talem exceptionem jure posse objici, vel ab aliis electoribus, qui excommunicatum nolunt admittere, vel ab aliquo eorum, qui eligi cupiunt : tum quia Extravag. *Ad evitanda,* nullum favorem fecit excommunicato, unde nullum jus ei contulit; tum etiam quia licet permiserit aliis communicationem cum illo, neminem tamen ad hoc obligavit; ergo quilibet potest eum repellere, neque ipse habet jus aliquod, quo se tueatur. Nihilominus tamen si nihil ei objiciatur, nec repellatur, existimo suffragium ejus validum esse, quia, ut supra dicebam, se habet tunc sicut excommunicatus occultus cujus acta valida sunt, quia licet quoad se sit privatus jurisdictione, quamdiu tamen non repellitur, sed toleratur, Ecclesia supplet, seu confert ad talem actum jurisdictionem. Quapropter etiam si solus hujusmodi

excommunicatus electionem faciat, ratione publici muneris valida erit, ut recte sensit Covarr. supra cum aliis, quos refert.

19. *Electio Pontificis, ab excommunicato facta, est valida.* — Ultimo loco prætermittendum non est circa hoc punctum, singulare esse in electione Summi Pontificis, ut quamvis ab excommunicatis fiat, valida sit, et ad illam collatio illius supremæ dignitatis et potestatis infallibiliter consequatur. Illa enim dignitas talis est, ut non ab homine puro, sed ab ipso Christo immediate conferatur; et ideo dixi supra, circa collationem illius dignitatis, nullam esse in hac materia quæstionem ex parte conferentis; legitima vero personæ designatio, quam Christus infallibiliter acceptat, ut dignitatem illi conferat, per homines fit, modo, et ritu ab Ecclesia instituto, ut ex materia de fide suppono. Unde accidere posset, ut illius dignitatis provisio ex parte eligentium ab excommunicatis fiat; tamen propter pericula schismatis, et alia nocumenta, quæ sequi possent, si daretur locus exceptionibus et dilationibus post illam electionem semel factam, ideo merito per eamdem Ecclesiam provisum est, ut nulla obstare possit eligentium censura, quominus valida sit electio, in Clement. *Ne Romani,* § Cæterum, de Elect. Quod non solum verum est, si aliqui, verum etiam si omnes Cardinales excommunicati sint; nam in illo textu generaliter dicitur, nullum Cardinalium prætextu excommunicationis vel censuræ posse ab electione illa repelli; ergo quicumque illorum habilis est ad valide eligendum, quacumque censura ligatus sit; ergo etiamsi omnes sint ligati, omnes sunt habiles; nam propter multiplicationem censuræ in aliis, nullus fit inhabilis, quia tunc etiam illa decisio suam vim retinet, ut nullus propter censuram repellatur. Quæ lex declaravit aliam antiquiorem in cap. Licet, de Electione; ubi dicitur, electum a duabus partibus Cardinalium absque ulla exceptione esse pro legitimo Pontifice habendum, quod singulare est in illa electione, ut ibi Glossa notavit, ut scilicet nulla in ea exceptio admittatur, qualis esset, si allegari posset, electores fuisse excommunicatos.

20. *Neque excommunicatio ex parte electi obstat.* — Et hinc confirmatur, quod supra diximus, etiam ex parte electi excommunicationem non impedire illius electionis valorem, quia nulla exceptio admittitur, ne detur occasio fraudibus aut schismatibus; nam si ob hanc causam ex parte eligentium hoc impedimentum sublatum est, multo magis ex parte electi, tum quia magis videbantur agere contra censuram eligentes, quam electus; tum maxime quia habilitas eligentium propter electum et valorem electionis procuratur. Denique quia in dicto § Cæterum, non dicitur, propter excommunicationem neminem ab eligendo repelli debere, sed : *Nullus a dicta valeat electione repelli,* quæ verba generalia sunt, et non minus excludunt repulsam ab electione passiva quam activa. Quapropter de neutra illarum dubitandum est. Atque hæc de electione.

Num præsentatio ab excommunicato facta sit irrita.

21. *Assertio.* — Ulterius addendum est, excommunicatum non posse ad Ecclesiasticum beneficium præsentare alium. Quæ assertio certa est, quia excommunicato nulla communicatio licet, præsertim Ecclesiastica, ut constat ex ejus definitione, et ex cap. penult. de Sentent. excommun.; sed hæc præsentatio magna communicatio est, et quodammodo spiritualis, quia in materia spirituali versatur; ergo non licet. Atque de hoc nulla est controversia. Est autem magna inter Doctores dissensio, an talis præsentatio valida sit, necne, id est, an institutio seu collatio beneficii facta ab Episcopo non excommunicato illi clerico, qui a patrono excommunicato præsentatus est, valida sit, necne. Nam si non est valida, solum erit, qûia præsentatio invalida fuit, cum ex parte Episcopi, vel præsentati nullum fuerit impedimentum, ut supponimus; si autem institutio fuit valida, necessarium est, ut præsentationem validam seu sufficientem supponat; agimus enim de beneficiis juris patronatus, in quibus præsentatio locum habet, et conferri non possunt, nisi supposita legitima patroni præsentatione.

22. *Prima sententia affirmans.* — Sunt ergo in hac re tres sententiæ : prima generaliter affirmat, talem præsentationem esse validam. Fundari potest, quia nullo jure talis præsentatio irrita facta est; ex nullo enim textu id probatur, imo neque in specie invenitur prohibitio hujus actionis, sed solum quatenus continetur in illa generali de communicatione cum fidelibus, ex qua non irritantur omnes actiones, quæ illicite fiunt, ut de matrimonio supra diximus, et de aliis contractibus infra

dicemus; ergo idem est in præsenti. Et potest hoc confirmari; nam quod talis præsentatio valeat, non est favor ipsius excommunicati, sed potius in favorem ejus cedere potest, quod non valeat; nam cum jus præsentandi illi integrum maneat post absolutionem, poterit, si velit, eamdem personam iterum præsentare; vel certe, si jam displicet factum, poterit præsentare aliam, quandoquidem prior præsentatio nulla fuisse supponitur, et per illam non fuit amissa potestas iterum præsentandi in statu habili; at illa facultas et libertas ipsi excommunicato favorabilis est; quod ergo talis præsentatio valida sit, non cedit in favorem excommunicati, sed præsentati; et Ecclesiasticæ dignitati et potestati non obstat, quandoquidem propria collatio beneficii ab Episcopo fit. Quin potius ad utilitatem seu commodum ipsius beneficii, vel Ecclesiæ videtur hoc necessarium. Quod ita declaro; nam per excommunicationem non amittit patronus jus præsentandi, neque illud ad alium devolvitur; si ergo patronus excommunicatus valide præsentare non potest, quamdiu ille excommunicatus fuerit, non poterit tale beneficium conferri alicui; quia, ut dixi, tale beneficium sine legitima præsentatione dari non potest, juxta cap. Decernimus, 16, quæst. 7; hoc autem est magnum incommodum Ecclesiæ et ipsius beneficii; ergo oportet, ut talis præsentatio valeat. In quo cernitur magna differentia inter collationem et electionem ex una parte, et præsentationem ex alia; nam quia excommunicatus validam collationem aut electionem facere non potest, jus conferendi et eligendi statim devolvitur ad alium, scilicet ad superiorem vel ad alios coelectores, juxta cap. unic. Ne Sede vacante, in 6; jus autem præsentandi non devolvitur ad alium, propterea quod patronus excommunicatus sit; signum ergo est, posse ipsum valide præsentare, ne provisio beneficii suspensa necessario futura sit.

23. *Secunda sententia negans.* — Secunda opinio absolute negat, talem præsentationem esse validam. Hanc sequitur Covarr., citato loco, cum Lambertino, de Jure patron., 3 p., lib. 2, quæst. 3, art. 4, et insinuat Abbas, in cap. Nobis, de Jure patron., n. 3, et potest fundari in cap. Piæ mentis, et cap. Frigentius, 16, quæst. 7, quatenus in eis dicitur, jus patronatus solis Christianis, id est, Ecclesiæ membris concedi. Excommunicatus autem, licet Christianus sit, tamen pro illo statu præcisus est, et tanquam ethnicus et publicanus habendus; ergo pro tunc non retinet jus patroni, saltem quantum ad usum et exercitium præsentandi valide. Denique quia in jure electio et præsentatio æquiparantur; nam et patronus eligit quem præsentat; et electores, quando ipsimet non conferunt beneficium, nihil aliud facere videntur, quam præsentare electum; ergo præsentatio quoad hoc æquiparatur electioni. Quod etiam colligi potest ex cap. ult., juncta Gloss., de Elect., in 6, ubi quæ circa confirmationem electi statuuntur, de præsentato etiam intelligenda esse, Glossa exponit. Propter quod etiam supra diximus, præsentationem excommunicati nullam esse, sicut et electionem. Ergo pari ratione idem dicemus de præsentatione et electione ab excommunicato facta; sicut ergo electio nulla est, ita etiam præsentatio; nam licet in aliis differant, ut notat Abbas in dicto cap. Nobis, num. 4, scilicet, quod electio confert aliquod jus electo, quod non confert præsentatio, et ideo electio procedit semper ab aliqua spirituali potestate, præsentatio vero minime, sed est temporale quid, tamen, quantum ad præsens spectat, videntur eamdem rationem participare, videlicet, quia utraque ordinatur ad collationem Ecclesiastici beneficii, et est quasi inchoatio quædam illius; et ideo sicut collatio ab excommunicato facta est nulla, ita electio, et consequenter præsentatio.

24. Quod argumentum confirmari potest ex ratione textus in cap. Si celebrat, de Cleric. excom. ministr., ubi ligatus minori excommunicatione dicitur non posse eligi, quia privatus est usu sacramentorum, ad quem illa electio ordinatur. Ex qua ratione colligunt Doctores, idem dicendum esse de præsentatione, ut notat Rochus Cursius, de Jure patron., verb. *Honorificum,* quæst. 4, num. 19; ergo pari modo in proposito præsentatio, sicut electio, non valebit, quia ordinatur ad collationem, quæ, ab excommunicato facta, invalida est. Simile argumentum sumi potest ex c. *Constitutis,* 1, de Elect., ubi nominatio ab excommunicato facta nulla censetur; at præsentatio nominatio quædam est. Tandem juxta hanc sententiam consequenter dicetur, pro tunc jus præsentandi devolvi ad Ecclesiam; nam patronus ratione excommunicationis pro tunc illo privatur tanquam incapax illius, quod aliquo modo spirituale est, et ideo ad ipsam Ecclesiam devolvitur, seu ad Prælatum ejus. Quod amplius declaratur: nam cum pa-

tronus in omni sententia male faciat præsentando, Episcopus jure potest ejus præsentationem repellere, imo omnino debet id facere, quia alias cum excommunicato communicaret; ergo hoc est sufficiens signum talem præsentationem esse invalidam, atque adeo nullam, et consequenter posse Episcopum, si excommunicatus sit in mora legitime præsentandi, providere libere beneficium, quasi utendo jure præsentandi ad se devoluto, ne Ecclesia incommodum patiatur.

25. *Tertia sententia distinctione utens. — Posterior pars assertionis suadetur.—Consule auctores quos citat Covar. et aliam editionem ejus, quia videtur littera ejus mendosa; nam ubi dicit clerici, videtur legendum laici.* — Tertia sententia distinguit inter jus patronatus laicorum et clericorum; dicitque præsentationem factam a laico excommunicato validam esse, a clerico vero nullam. In hac posteriori parte convenit hæc sententia cum præcedente; et ideo eadem habet fundamenta; quæ ex dicendis magis explicabuntur. Alteram vero partem, et hunc distinguendi modum docuit decisio Rotæ, ut Covarr. supra refert, ubi etiam affert ex Ludovico Gomezio in tractatu Expectativ., num. 60, in quadam causa Camorensi in praxi servatam esse; et esse communem opinionem testatur Rebuff., in cap. Postulastis, de Cleric. excom. ministr., n. 104. Et fundari potest in cap. Cum autem, de Jure patronatus, ubi eodem modo distinguit Pontifex inter præsentationem factam a laico vel a clerico; et dicit priorem posse mutari ante institutionem, non vero posteriorem, significans priorem non conferre jus aliquod præsentato; posteriorem autem conferre. Ex quo colligunt Innocent., Abbas et alii Doctores præsentationem factam a clerico substantialiter non differre ab electione, quia confert jus, sicut prior; præsentationem vero laici esse longe diversam ac merito, quia non potest laicus habere potestatem ad jus spirituale conferendum; jus autem ad Ecclesiasticum beneficium spirituale est.

26. Quæ quidem differentia et textus ille optime mihi probant posteriorem partem hujus sententiæ, nimirum præsentationem a clerico factam invalidam esse, quia æquivalet electioni, et electio invalida est. Item adjungere possumus, quod in clérico ille actus est alicujus potestatis spiritualis, atque adeo alicujus jurisdictionis; ostendimus autem omnem actum jurisdictionis ab excommunicato factum invalidum esse. Simile argumentum est, quod hoc jus præsentandi semper convenit ratione alicujus Ecclesiastici beneficii; sed excommunicatus est suspensus a beneficio, ac propterea non potest valide actum ejus exercere. Agimus autem formaliter de clerico, ut clericus est; nam si contingat clericum non ex beneficio, sed ex patrimonio suo habere jus præsentandi, talis præsentatio formaliter ac proprie laicorum est, etiamsi materialiter a clerico fiat. Item agimus de singulari persona præsentante; nam licet collegium habere possit hoc jus præsentationis, tamen excommunicatum esse non potest; quia vero suspensum esse potest, et personæ ejus possunt esse excommunicatæ, ideo in illo etiam procedit ratio, quatenus jus præsentandi aliquo spirituali titulo illi convenit, cum Ecclesiasticum sit, ut sumitur ex dicto cap. Cum autem, de Jure patronatus.

27. *Suadetur prior assertionis pars.* — Altera vero pars, quæ ad laicum pertinet, non videtur satis probari ex illo textu. Recte quidem inde habetur, illam specialem rationem nullitatis, quæ in præsentatione a clerico facta reperitur, in ea, quæ a laico fit, non inveniri; quod vero nulla alia sufficiens intercedat, inde non constat; nam aliæ rationes inter confirmandum secundam sententiam adductæ videntur sufficientes et suam vim retinere. Nihilominus tamen potest in hunc modum induci textus ille; nam, ut Philosophi aiunt, si affirmatio est causa adæquata effectus alicujus, negatio est causa negationis ejusdem effectus; causa autem adæquata, ob quam præsentatio facta a clerico excommunicato est nulla, ea est, quia scilicet habet vim electionis, et quia est usus officii Ecclesiastici, vel (ut ita dicam) actus patrimonii spiritualis; præsentatio autem laici non habet hanc specialem rationem, sed est usus quidam sui patrimonii temporalis, quod ipse administrare potest, et actus ad hoc necessarios saltem valide efficere, quamvis si aliquam communicationem includant, ob eam causam possunt non licere, sicut inferius de aliis contractibus seu actionibus, quæ facti tantum esse dicuntur, ostendemus, et communiter traditur in cap. Si vere, de Sentent. excom., et cap. Veritatis, de Dolo et contumacia: ergo, etc.

28. *Tertia opinio quantum ad posteriorem partem admittitur. — Episcopus potest admittere vel repudiare præsentationem ab excommunicato factam.* — Inter has sententias hæc ultima, quantum ad illam partem de

præsentatione juris patronatus Ecclesiastici, mihi videtur certa, et contrariam seu primam sententiam quoad hanc partem non esse probabilem, quia et fundamenta ejus ex dictis facile soluta sunt et auctorem non habent. Altera vero pars de præsentatione laicorum magis dubia mihi videtur, præsertim propter ultimam rationem in secunda sententia adductam. Dicendum itaque imprimis censeo talem præsentationem ita esse sufficientem, ut si Episcopus velit illam admittere et præsentatum instituere, institutio et collatio valeat. Addo vero deinde præsentationem illam non esse ita efficacem (ut sic dicam) quin possit Episcopus illam repudiare et non admittere, quantumvis persona præsentata digna sit, neque aliam habeat causam nisi quod præsentans excommunicatus est. Quod mihi efficaciter probat ratio ultima in secunda opinione facta. In qua satis etiam consequenter dicitur, si talis patronus sit in mora ita legitime præsentandi intra tempus, in quo secundum jus aut secundum specialem institutionem tenetur, tunc posse Episcopum libere providere beneficium, nulla ratione habita præsentationis sibi factæ ab excommunicato; quandoquidem nec cum illo communicare, nec contractum aliquem cum illo inire tenetur. Unde tandem concludo, talem præsentationem secundum hanc rationem potius dicendam esse nullam quam validam, quandoquidem efficaciam non habet, sed repudiari potest.

29. Et ideo inefficax est aliorum argumentum, scilicet, quod præsentatio tantum est expressio voluntatis aut optio quædam, quam potest facere excommunicatus; parum enim refert optare aut voluntatem explicare, si alter potest illam negligere et suam exequi suo tempore. Præsentatio ergo valida, est explicatio voluntatis et optio, quæ efficaciter determinet personam, cui facienda sit institutio, juxta cap. Decernimus, 16, quæst. 7; excommunicatus autem non potest hujusmodi voluntatem vel optionem in præsenti materia habere. Quare etiam non satis est dicere, præsentationem istam esse actum pertinentem ad administrationem proprii patrimonii; nam etiam hic actus, si ad suam efficaciam requirat communicationem alterius, potest per excommunicationem impediri. Dices, illa duo videri inter se contraria, quia si præsentatio invalida est, nec sufficiens esse potest. Respondetur, non esse contraria, quia licet illa præsentatio sit invalida quoad efficaciam, si tamen accedat Episcopi consensus, ipse potest quasi supplere defectum illum, cum deficiente legitima præsentatione ad eum devolvatur jus providendi, et ita illa institutio potius est tunc valida ex voluntate Episcopi, qui jam habet quasi virtualiter jus præsentandi seu providendi, si voluerit. Solum operari videtur in eo casu explicata voluntas excommunicati, ut non possit postea reclamare contra institutionem factam ab Episcopo, tum quia hoc cederet in favorem ejus, ut in prima opinione argumentabamur; tum etiam quia quoad hoc recte dicitur illa expressio voluntatis, tantum esse quid facti; et ideo ex parte excommunicati ratam esse, si ab Episcopo acceptetur.

30. *Præsentationi applicatur decisio Extravag.* Ad evitanda, *quoad laicos.* — Atque ex hac resolutione facile declarari potest, quo modo hic applicanda sit nova decisio Extrav. *Ad evitanda.* Nam ipsi excommunicato nunquam licet hæc præsentatio, sive sit denunciatus, sive non, quia illi non fit ullus favor; quantum tamen spectat ad validitatem præsentationis, si excommunicatus sit vitandus, clarum est præsentationem esse invalidam modo explicato, tum in clerico, tum in laico. Quod si excommunicatus sit ex non vitandis, hoc etiam in universum habet, ut non possit Episcopum obligare ad illam acceptandam, quia, ut sæpe dixi, licet per illam Extravagantem liceat communicare cum hoc excommunicato, nullus tamen ad hoc obligatur; ergo neque Episcopus ad acceptandam præsentationem ab excommunicato factam; neque enim negari potest, quin hæc sit quædam communicatio cum illo. Atque hinc fit, ut talis præsentatio, si a clerico fiat, non possit dare jus ipsi præsentato, quia si daret jus, obligaret Episcopum ad institutionem faciendam. Et in hoc differt præsentatio a collatione beneficii, quia hic non tantum consideratur commodum ejus qui præsentatur, sed etiam jus Episcopi cui præsentatur, quod etiam considerandum est in electione, si ab alio confirmanda sit, vel collatio beneficii facienda; nam respectu illius non poterit dare jus, si ab excommunicatis etiam non vitandis facta sit. Nihilominus tamen poterit Episcopus hujusmodi præsentationem ab excommunicato non vitando factam admittere, si velit, idque non solum valide, sed etiam licite, quia non tenetur vitare hujusmodi excommunicatum, propter Extravagant. *Ad evitanda;* ergo hoc titulo non prohibetur acceptare talem præsentationem; sed ex nullo

alio capite id est prohibitum; ergo est licitum et a fortiori validum. Item quia solum propter jus seu libertatem ipsius Episcopi talis præsentatio, vel non obligat, vel non confert jus alteri; ergo si ipse voluntarie consentiat, nihil est quod effectum possit impedire.

31. *Applicatur eadem decisio quoad clericos.* — Unde tandem addo, licet excommunicatus sit vitandus, et male faciat Episcopus acceptando illius præsentationem, propter communicationem cum illo, nihilominus validam esse institutionem et collationem. Quod quidem verum præcipue est, quando præsentatio est laicorum; nam illa sufficiens est ad explicandam patroni voluntatem, quæ nullo jure facta est irrita; ergo, si Episcopus velit illam acceptare, et uti potestate quam habet ad instituendum, nihil est cur talis actio non habeat effectum, quanquam fortasse Episcopus indebito modo id faciat. In quo etiam non video graviorem culpam, quam sit in humana communicatione cum excommunicato, quæ in præsenti materia non videtur adeo gravis, ut constituat mortale peccatum, secluso scandalo. Quando vero præsentatio est clericorum, magis dubia res esse videtur, quia Canonistæ communiter dicunt institutionem esse nullam, ut Covarruv. et alii referunt. Ego vero nullum jus invenio, in quo hoc sic intellectum fundari possit. Quapropter de ipsa præsentatione censeo esse nullam, tum quoad hoc, ut non possit jus conferre præsentato, tum etiam quoad hoc, ut non possit obligare Episcopum ad instituendum præsentatum. Quare etiam censeo, si Episcopus ex ignorantia defectus præsentationis, et putans illam esse legitimam, instituat, nullam esse institutionem, quia est involuntaria, cum sit in ignorantia fundata. At vero, si Episcopus sciens defectum præsentationis illam voluntarie acceptet et beneficium conferat, opinor collationem esse validam, quia non habet defectum substantialem, quem Episcopus non possit sua voluntate et potestate supplere. Nam quod ad factum pertinet, patronus, qui per se habebat jus præsentandi, jam satis explicuit voluntatem suam; quod vero spectat ad jus, quod patronus dare non potuit, quia suspensam habebat potestatem, id dare poterit Episcopus simul cum ipso beneficio, cum deficiente patrono totum jus ad ipsum devolvatur.

32. *Doctrina data de præsentatione locum habet in nominatione, aut postulatione. — Institutio, aut confirmatio beneficii ab excommunicato facta est nulla.* — Et juxta hæc quæ diximus de actu eligendi et præsentandi, judicandum est de aliis actibus, qui diversis nominibus in jure significantur, in re tamen æquivalentem habent rationem; hujusmodi est postulatio, vel nominatio; de quibus late Canonistæ in titulo de Postulatione Prælatorum. De his ergo eodem modo sentiendum censeo, quo de electione vel præsentatione; nam ad conferendum jus aliquod spirituale inefficaces sunt et invalidæ, etiamsi alioqui possent illud conferre, quando cum solemnitate fiunt, ut videre est apud Abbatem, cap. 1 de Postulat. Prælator., num. 34. Quare in simplici nominatione, licet vim non habeant cogendi Episcopum, propter rationem supra datam, tamen si ipse velit acceptare et instituere, factum, ut existimo, tenebit, ob eadem fundamenta. De institutione autem idem judicium est, quod de collatione beneficii; nam licet hæc a jurisperitis distinguatur ab illa, re tamen vera est collatio quædam, sed accommodata est illa vox ad significandam collationem beneficii pertinentis ad jus patronatus, quæ non est omnino libera collatori, sed facere illam debet in personam nominatam seu præsentatam, ut exposuit Abbas in titulo de Institutionibus, cap. Ex frequentibus, et aliis. Constat ergo etiam institutionem esse proprium actum potestatis spiritualis, ac proinde factam ab excommunicato nullam esse. Atque eadem ratio est de confirmatione beneficii, quæ etiam est actus jurisdictionis, et de omnibus similibus.

Num actus intromittendi aliquem in possessionem ab excommunicato factus sit validus.

33. *Decisio.* — Dubitari vero potest de nonnullis: primum de collatione possessionis, seu de actu intromittendi aliquem in possessionem; nam etiam videtur actus jurisdictionis, et ex hac parte nullus. Tamen de hoc actu ab excommunicato facto Canonistæ aiunt validum esse. Ita Abbas, in c. Veritatis, de Dolo et contum., num. 42, et in c. Pro illorum, de Præbend., num. 16. Intelligendum vero est de collatione possessionis, quantum ad merum actum recipiendi, vel constituendi aliquem in possessionem sui officii, aut beneficii, quod per collationem, seu electionem, et confirmationem jam quoad totum jus et dominium obtinuerat. Et ratio est, quia per talem possessionem non datur aliquod jus, sed solum datur alicui, quod suum est. Quaprop-

ter talis actus non solum validus est, sed etiam licitus, si alioqui necessarius sit, quia excommunicatus non prohibetur solvere debitum, nec dare alicui quod suum est; neque alter prohibetur rem suam ab excommunicato exigere. At vero in illo actu possessionis petendæ vel acceptandæ nihil aliud fit, quantum ad illud factum spectat. Secus vero erit, si in illo negotio actum aliquem jurisdictionis exercere necesse sit, ut cum judex Ecclesiasticus potestate sua utitur ad mittendum aliquem in possessionem; nam si excommunicatus sit, id facere non potest, neque actus ille ex ea parte robur aliquod, vel valorem accipiet. Quod verum est, etiamsi talis judex solum sit executor, jurisdictionis usum habens; nam omnis usus jurisdictionis per excommunicationem suspensus est. Atque ita sentit Abbas in c. Fraternitatis, de Testib., num. 9, licet contrarium teneat Additio ad illum, in c. Pro illorum, de Præbend., n. ult., lit. B. Solum ergo receptio, vel collatio possessionis, prout a privatis personis fieri potest absque jurisdictione, valida dicitur, etiamsi talis persona excommunicata sit.

34. *Objectio. — Solvitur. — Excommunicatus non potest accipere possessionem sui beneficii.* — Dices : ergo eadem ratione poterit excommunicatus beneficii possessionem postulare, et illi data valebit, si antea plenum, et confirmatum jus beneficii obtinuit, quia quod reliquum est, ad factum tantum pertinet, quod excommunicato licet, ut recuperare rem suam, vel possessionem hæreditatis adire. Respondeo esse disparem rationem, propter quam probabilius censeo oppositum in excommunicato ipso, tum quia quod excommunicatus possit accipere possessionem beneficii, est magnus favor ejus, non vero quod possit alteri dare; tum etiam quia excommunicatus est suspensus ab omni usu sui beneficii, et privatus omnibus fructibus, et commodis ejus; ergo est etiam privatus a possessione capienda, si illam non habet, quia non est dubium, quin ille sit usus valde utilis, et commodus beneficii, nam, licet possessio non conferat novum jus, multum tamen illud firmat, et securius reddit. Denique actus ille ex parte ejus, qui possessionem accipit, juris spiritualis existit, et ideo si ipse excommunicatus sit, illi prohibitus est et invalidum esse censeo.

An resignatio beneficii, ab excommunicato in favorem tertii facta, sit valida.

35. *Decisio. — Objectio. — Solvitur.* — Et simili modo expediendum videtur aliud dubium, de renunciatione beneficii ab excommunicato facta in favorem tertii. Videri enim potest illa resignatio valida, quia non est actus jurisdictionis, sed actio omnino privata, et ex proprio ac personali dominio. Oppositum tamen videtur supponere Covarruv., dicto, c. Alma, p. 1, § 7, num. 9, vers. *Quid autem respondendum sit,* etc., dum ait collationem beneficii, quæ fit ab aliquo, ut privato, et non ratione publici muneris, esse nullam, si ille sit excommunicatus, etiam occultus. Non apparet autem qua ratione possit melius collatio beneficii tribui privatæ personæ, quam propter renunciationem proprii beneficii; est ergo hæc renunciatio invalida. Et in eam sententiam refert ibi alios auctores. Ratio vero est, quia excommunicatus privatus est omni usu sui beneficii; item privatus est omnibus fructibus ejus; ergo multo magis est privatus potestate donandi illud alteri. Dices : non ipse donat, sed Prælatus Ecclesiæ, in cujus manibus resignat. Respondetur : si simpliciter resignaret, et Prælatus libere conferret cui vellet, valida quidem esset actio, quia excommunicatus tunc nullo modo concurrit positive (ut sic dicam) ad collationem beneficii, sed solum ad spoliandum se, quod facere potest, quia illud proprie ad merum factum pertinet, et non est usus alicujus spiritualis potestatis, vel juris, sed propriæ voluntatis; et ideo diximus supra, excommunicatum non posse beneficium acquirere, posse tamen illud amittere. At vero quando renunciatio fit determinate in favorem tertiæ personæ, ille qui renunciat, aliquo modo concurrit ad collationem beneficii, saltem designando personam, ita ut alteri dari non valeat. Unde quodammodo participat rationem præsentationis; quare sicut illa invalida est ab excommunicato facta, ita et hæc; et eadem proportione de utraque judicandum censeo. Nec disputo modo, an talis renunciatio in favorem tertii, licite, et absque simonia fieri possit coram Episcopo, vel Pontifice, aut de licentia illius, vel sine pacto, etc.; nam hæc non spectant ad hunc locum; aliquo enim modo licite fieri potest, et de illo loquimur; cætera alibi explicanda sunt.

36. *De quo excommunicato procedat resolutio data, juxta Extravag.* Ad evitanda. —

Hic vero specialem dubitationem habet, an procedat hoc non solum in publico excommunicato, sed etiam in occulto. Covarruv. supra sentit in utroque procedere. Et ratio, quæ ex illo sumitur, est, quia resignare proprium beneficium non est opus officii publici, sed privatæ personæ; quamvis autem in his, quæ sunt publici muneris, respublica, seu Ecclesia provideat, ut acta a persona inhabili valeant, si impedimentum sit occultum, tamen in actionibus privatis non ita providet, quia hoc non spectat ad commune bonum, neque jura de privatis actionibus loquuntur. Quæ doctrina sumpta est ex Innocent. in c. Cum dilectus, de Consuet., num. 5, et communiter recepta est. Additque Covarruv., per Extrav. *Ad evitanda,* nihil in hoc immutatum aut innovatum esse. Verumtamen, licet illa communis doctrina in jure antiquo vera sit, et optima ratione fundata, ex vi tamen Extravag. *Ad evitanda,* dicendum censeo, prædictam actionem esse invalidam factam ab excommunicato vitando; de non vitando autem, aut licet publicus ille sit, idem judicium est, quod supra de præsentante excommunicato tulimus, quia, ut dixi, eadem est de utroque ratio quoad cætera; ergo, et quoad hoc. Item quia ille excommunicatus non est vitandus in cæteris actibus, vel negotiis; ergo neque in hoc; potest ergo ejus resignatio acceptari in favorem ejus, cui resignatio fit, et ita etiam servatur intentio Extravag. *Ad evitanda,* quia non fit favor excommunicato, sed alteri, quem non esse excommunicatum supponimus.

DISPUTATIO XV.

DE SEPTIMO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS, QUI EST PRIVATIO CIVILIS, SEU POLITICÆ COMMUNICATIONIS, IN QUO PLURES INCLUDUNTUR.

Hactenus dictum est de spiritualibus incommodis, quibus excommunicatus afficitur, et bonis, quibus privatur; de quibus, quia præcipuum locum in hac materia tenent, sigillatim, et copiose diximus. Nunc dicendum est de temporalibus incommodis, et privatione externæ communicationis in iis, quæ ad civilem et humanam vitam spectant. Quæ in duo capita distingui possunt : unum (quod generatim dici potest humana, seu civilis conversatio) comprehendit omnes actiones pertinentes ad communicationem mere privatam, quæ sub illo versiculo continentur, *Os, orare, vale, communio, mensa negetur,* de cujus intelligentia postea dicam. Aliud vero caput comprehendit actiones aliquo modo publicas, ut sunt judicium ferre, rempublicam temporaliter gubernare, et aliæ, quæ his respondent vel cum eis conjunctæ sunt. Possumusque totam hanc vocare forensem communicationem. Sub hoc ergo duplici capite plures alios effectus excommunicationis comprehendemus; de quibus Summistæ, aliique Doctores præsertim Canonistæ, et sigillatim et copiose disputant.

SECTIO I.

Utrum excommunicatus privatus sit omni civili communicatione.

1. *Axioma generale.* — Regula generalis est, excommunicatum privatum esse omni civili communicatione aliorum fidelium, per se loquendo, exceptis tantum casibus in jure expressis. Est communis Theologorum in 4, dist. 18, ubi D. Thom., quæst. 4, art. 1; Richard. et Paludanus; Argentin., d. 19; Soto, d. 22; Adrian., quæst. 3, de Clavib.; Summistæ, verb. *Excommunicatio;* Navarr., c. 27 a num. 17; Covarruvias, c. Alma, p. 1, § 1, qui alios refert. Et fundatur in definitione excommunicationis supra tradita, et juribus, ex quibus illam deduximus; et in particulari sumitur ex c. Nuper, ibi, *vel osculo, aut etiam comedendo,* et in c. penult., ibi : *Quæ a communione fidelium separat,* de Sent. excom., et ex. c. Si aliquando, eodem titulo, quatenus Pontifex ibi declarat per suas litteras, quæ cum salutationis alloquio ad excommunicatum destinatur, illum non absolvi, quando per ignorantiam, aut inconsiderationem ita expediuntur; supponit ergo etiam salutationem hujusmodi excommunicato denegandam esse. Idem probatur ex cap. 2 de Exceptionibus, ibi, *In locutione, vel oratione;* et infra : *Cum a communicatione fidelium sit remotus.* De eadem re sunt multa jura, 11, quæst. 3, et specialiter in c. Sicut Apostoli, notanda sunt illa verba : *Si quis cum excommunicatis, adversando regulas scienter saltem in domo simul locutus fuerit, ille communione privetur;* et in c. Excommunicatus : *Aut cibo, aut potu, aut osculo, nec ave eis dicat,* et c. seq. Nec palam, nec absconse dicitur loquendum esse cum illo. Idem sumitur ex c. Ad mensam, c. Si quis laicus, et aliis multis tum ibi, tum 24, quæst. 1, et sæpe alibi. Ratio vero non est alia, nisi prohibitio Ecclesiæ, et institutio hujus censuræ, cum ratione ejus supra suo loco tradita.

2. *Actiones circa excommunicatum prohibitæ ad quinque reducuntur. — Quæ actiones per os, significantur.* — Ex his ergo juribus sumptæ sunt illæ voces, ad quas Doctores reduxerunt actiones omnes ad hanc communicationem spectantes, scilicet, *Os, orare, vale, communio, mensa negetur*. Os enim proprie significare videtur osculum pacis; de quo in particulari fit sermo in dictis juribus, et sub illo comprehenditur quodlibet signum amicitiæ, et benevolentiæ specialis excommunicato exhibitum. Sub illa etiam particula, comprehenditur confabulatio, ut communiter exponitur; et omnis sermo cum excommunicato, sive secrete, sive palam, sive mutuo colloquendo, sive loquendo tantum, aut aures ei præbendo; sic enim hic effectus ab omnibus exponitur, et sumitur ex citatis juribus. Rursus extenditur hæc pars ad locutionem per litteras, vel per nuncium, vel per nutus; quacumque enim ratione fiat, est humana collocutio, et communicatio, quæ licet per *os* significetur, quia vox est præcipuum instrumentum hujus communicationis, tamen sub illa comprehenditur omne instrumentum, quod loco vocis usurpari solet. Atque hæc est etiam communis sententia.

3. *Quid per verbum, vale. — Quorumdam restrictio. — Rejicitur.* — Rursus, omisso verbo *orare,* quod non spectat ad hanc civilem communicationem, sed ad spiritualem superius declaratam, per verbum *vale,* significatur omnis salutatio honorifica, quæ respectu excommunicati prohibita est, ut ex citatis decretis constat. Et continetur hæc pars quodammodo in præcedente; nam honorifica salutatio rationalis personæ quædam allocutio ad illam est, quia significatur illi bona æstimatio, et interior reverentia, quæ ad illam habetur; ac propterea etiam excommunicato exhibenda non est, quia quamdiu talis est, dignus non est tali æstimatione, vel significatione ejus. Et fundatum hoc videtur in illis verbis, 2 Joan. 1 : *Neque ave ei dixeritis,* quod de hæreticis, et schismaticis exposuit Beda, et habetur in c. Omnis, 24, quæst. 1. Quidam autem hoc restringunt ad eam salutationem, quæ verbis fit, quam in rigore significare videtur verbum *vale,* aut apud Joannem, verbum *ave,* quia pœnæ cum sint odiosæ, restringendæ sunt. Ita Angelus, verb. *Excommunicatio,* 8, num. 5; Antoninus, 3 part., tit. 25, c. 2, in princip.; Soto, quamvis scrupulose in 4, d. 22, quæst. 1, art. 4; et Jacobus de Graff., lib. 4 Casuum conscient., cap. 12, num. 5. Unde consequenter asserunt, qui reverentiam exhibet, vel resalutat excommunicatum ei assurgendo, vel caput aperiendo, vel aliud simile usitatum signum exhibendo, dummodo non loquatur, non peccare, neque incurrere excommunicationem minorem. Quorum sententia licet ad praxim accommodata sit, et unam possit excusationem habere, quæ est consuetudo, in rigore tamen juris non videtur vera, tum quia simpliciter jure prohibetur omnis communicatio, ut supra citatum est; hæc autem reverentiæ significatio, etiamsi solis nutibus fiat, quædam communicatio est, non minus, quam locutio alia facta nutibus; tum etiam quia morali æstimatione tam est actus duliæ, vel observantiæ, nutibus exhibitus honor, quam verbis; imo regulariter potius fit aliis actibus externis, quam voce; lex autem, quæ vetat hunc actum honoris, simpliciter intendit prohibere actum observantiæ exterioris erga excommunicatum, quamvis forte utatur verbo pertinente ad vocem, quia non potuit uno verbo omnes materiales actus comprehendere, et voces sunt expressiora signa humanæ communicationis. Nam, si ob eam causam hæc prohibitio ad propriam vocem restringitur, eadem vel majori locutio erit eodem modo restringenda, quod nemo dicet; alioqui hæc prohibitio inutilis, et ridicula fieret.

4. *Restrictio alia improbatur.* — Dicunt vero nonnulli ex citatis auctoribus, licitum esse exhibere illa signa, si id non fiat intentione honoris præstandi, sed solum ad vitandum scandalum, vel propter urbanitatis indicia. Sed primum hoc idem dicere possent de voce. Deinde exhibere signa honoris sine intentione honorandi fictio quædam est, et moraliter, prout hic et nunc fit, mendacium continet, ac denique etiam prohibetur illa lege, qua simpliciter vetatur talis honoris exhibitio, sicut exhibere honorem idolo absque intentione honorandi eadem lege religionis prohibetur; in rigore ergo hoc genus actionum prohibitum est ex vi excommunicationis, quamvis fortasse nonnullæ ex his propter consuetudinem, ut dixi, excusari possint. Hæc enim prohibitio humana est, quæ per consuetudinem derogari potuit. Locutus sum autem de honorifica salutatione, quia, ut omnes auctores dicunt, verbis deprecatoriis, et præsertim iis, quæ ad emendationem, et resipiscentiam postulandam pertineant, licitum est salutare excommunicatos, quoniam et pro ex-

communicato orare privatim licet, ut supra diximus, et de iis quæ ad excommunicationem pertinent, et juvare possunt ad conversionem excommunicati, loqui etiam cum illo possumus; utrumque autem horum virtute continetur in illo salutandi modo.

5. *Quid per verbum communio, denotetur.* — *Communio,* quæ quarta vox erat illius versiculi, si per antonomasiam pro usu Eucharistiæ sumatur, huc non spectat, sed ad spiritualem communicationem, et ita intellexit illam vocem D. Thom. in 4, d. 18, quæst. 2, art. 1, explicat tamen generaliter de tota communione sacramentorum; si vero sumatur juxta propriam vocis significationem, comprehendit generatim totum effectum excommunicationis. Accommodata ergo videtur illa vox ad significandas alias actiones externæ communicationis, quæ proprium nomen non habent et sub aliis vocibus non comprehenduntur, ut est, v. gr., cohabitatio, cooperatio seu societas in aliquo negotio gerendo, et similis; atque ita exponitur communiter illa vox a Doctoribus. Quanquam possent aliter illæ tres voces ita explicari, et accommodari, ut prima, scilicet, *os,* ad benevolentiæ, et amicitiæ signa; secunda, scilicet, *vale,* ad signa reverentiæ, et honoris; hæc vero tertia, scilicet, *communio,* ad omne genus humanæ conversationis, et societatis vel contractus, qui illam requirat, referatur; nam cohabitatio sub ultima voce, id est, *mensa,* satis congruente ratione comprehendi posset. Quidquid vero sit de vocum significatione, sub his intelligimus prohibitum esse ex vi excommunicationis quodlibet opus gerere cum excommunicato, quod mutuam operam postulet; nam hæc sine dubio humana communicatio est. Item prohibitum est excommunicato comedere, quod in specie declaratur in citatis juribus, et ab auctoribus multis modis extenditur.

6. *Prohibitum est cum excommunicatus comedere.* — Primus maxime proprius est, quando simul in eadem mensa comedunt non excommunicatus, et excommunicatus, vel quia alter alterum invitat, vel quia veluti communem, aut socialem vitam agunt, sive communes cibi omnibus apponantur, sive singulis proprii; quolibet enim ex his modis humana communicatio intercedit. Quæ tamen non invenitur, quando veluti casu, et sine ulla ratione unius ad alterum, vel utriusque ad unum quasi corpus, in eadem domo, aut etiam materiali mensa unusquisque suis cibis utitur, quia illa revera non est communicatio eorum inter se, et ideo id non est prohibitum. At vero, si uterque ad eamdem mensam conveniat ab uno tertio invitatus etiam in aliena domo, judicio fere Doctorum omnium ibi intervenit communicatio prohibita, quia licet non videatur esse adeo immediata, ratione tamen unius tertii aliqua communicatio est, et morali æstimatione ita censetur, ut sumitur ex D. Thom. in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 1, quatenus absolute ait prohibitum esse, ne aliquis cum excommunicato comedat; in prædicto autem casu vere ac proprie diceretur comedere cum illo. Idem dixit Innocent. in cap. Nuper, de Sentent. excomm.; Antoninus, Sylvest., Cajet., Navarrus, et alii. Qui addunt etiamsi, prandio inchoato, excommunicatus adveniat, alium teneri mensam deserere, si non possit aliter consortium ejus vitare, quod probari, et explicari potest ex iis, quæ diximus de vitando excommunicato in eadem Missa cum illo audienda.

7. Addunt etiam, præsertim Navarrus, non solum vitandum esse hujusmodi convivium cum excommunicato in eadem mensa, sed etiam in diversis, si sit in eadem domo, et eodem tempore per modum unius convivii, ut si quis plures invitaret, quos una mensa non caperet. Quod quidem maxime procedit, quando, licet mensæ sint quasi materialiter distinctæ, ita vero sunt in eodem cœnaculo vel refectorio ordinatæ, ut unam artificialiter componant. At vero si essent in diversis cubiculis, etiamsi eodem tempore, et ob eamdem causam, et rogatu ac expensis ejusdem personæ ad comedendum in eadem domo convenirent, id satis non est, ut physice vel moraliter unus dicatur cum alio comedere, ideoque non videtur communio censuræ contraria, quia per eam solum prohibentur alii, ne cum excommunicato comedant. Potestque exemplo declarari, nam quando hoc modo invitantur viri et fœminæ ab eadem persona, ita tamen ut viri per se, et similiter fœminæ separatim et diverso loco comedant, non possunt dici viri cum fœminis comedisse, aut e converso; idemque est, si invitentur nobiles et plebeii domini, et famuli, ut eodem quidem tempore, separatim tamen comedant; ergo similiter in præsenti, ut resultet hic respectus comedendi cum alio, non satis est illo modo in eadem domo manducare; ergo neque id est satis ad agendum contra excommunicationem, neque etiam videtur sufficere, quod id faciant propter peti-

tionem, amicitiam vel aliam causam ejusdem personæ, quia ex hoc solo non resultat communicatio eorum inter se. Et hoc censeo in rigore verum, quamvis aliud securius esse videatur.

8. *Non licet cum excommunicato in eodem lecto dormire. — Objectio diluitur.* — Rursus, quod de mensa diximus, ad lectum a Doctoribus extenditur; non enim debet quis non excommunicatus cum excommunicato in eodem lecto dormire, ut patet ex supra citatis, et ex omnibus Summistis. Qui secus esse censent, si in eodem cubiculo diversis lectis utantur; nam hanc non censent esse communicationem prohibitam, sicut dictum est de cibo et potu. Sed adverto hoc esse verum regulariter, quia in eodem lecto non tam facile convenitur absque mutua societate et communicatione, sicut in eodem cubiculo in diversis lectis; tamen ubi contigerit eamdem servari proportionem, eamdem dicam intercedere prohibitionem. Nam si duo per modum societatis eodem cubiculo utantur, quamvis in lectis sint distinctis, inter se communicare censebuntur, eritque illis talis communicatio prohibita. Et e contrario si casu accidat ut duo sine ulla inter se conjunctione vel societate in eodem hospitio pernoctent, et utrique unus tantum lectus tribuatur, nulla propria communicatio intercedet, etiamsi in eodem lecto dormiant; sicut in simili supra de mensa dicebamus; nec video, cur hoc potius, quam illud prohibitum sit. Et confirmatur, ac explicatur; nam iidem auctores extendunt hanc prohibitionem ad cohabitationem cum excommunicato in eadem domo, ut patet ex Sylvestro, Navarro, et aliis, quod necessario intelligendum est, et ipsi interpretantur, de cohabitatione (ut ita dicam) formali, id est, cum aliqua vitæ societate, nam materialiter solum ibi habitare, ubi excommunicatus habitat, prohibitum non est, quia illa non est communicatio humana; ita igitur vetitum est condormire, non materialiter, sed formaliter, per modum humanæ societatis; si ergo ita fiat, etiam in diversis lectis, prohibitum erit; si vero non ita fiat, etiam in eodem lecto, prohibitum non erit. Dices : D. Joan. in eodem balneo cum hæretico simul lavari noluit, cum tamen illa solum materialis coexistentia, aut conlavatio fuisse videatur. Respondeo illud non fuisse necessitatis, sed supererogationis opus, et exemplum ad hæresis detestationem ostendendam.

9. Atque eodem modo intelligendas censeo omnes alias communicationes, quas sub illis verbis Doctores intelligunt esse prohibitas, scilicet concedere, coambulare, simul iter agere, collaborare, seu cooperari; hæc enim omnia intelligenda sunt formaliter et per modum communicationis esse prohibita. Si tamen solum materialiter excommunicatus et non excommunicatus simul in eodem loco deambulent, vel iter agant per eamdem viam, vel in eadem navi incedant, non agunt contra censuram, quia illa non est humana communicatio. Cooperari vero dicentur, quando mutuam operam aut ministerium sibi præbent in eodem opere, aut artificio efficiendo, etiamsi ad tale opus conducti sint; secus vero esset, si ad laborandum in diversis partibus ejusdem domus conducerentur, etiamsi ab eodem, et in eodem tempore et pro eadem domo consummanda conducti essent et laborarent. Itaque hæc omnia moraliter pensanda sunt, ut, si commmunicationem includant, intelligantur prohibita, et non alias.

10. *Corollarium ex dictis.* — Atque ex his omnibus colligitur primo, effectus hos (quod fere in aliis observari potest) licet directe et per se ordinentur ad punitionem et coactionem excommunicati, tamen in alios magna ex parte redundare, et plures ex illis passive potius (ut sic dicam) quam active ad excommunicatum pertinere. Declaratur, nam ex vi hujus effectus obligatur excommunicatus, quantum est ex se, abstinere ab omni prædicta communicatione cum cæteris fidelibus, nam cum jura dicunt per hanc censuram separari excommunicatum a communicatione fidelium, non intelligunt separari tantum per prohibitionem aliis factam, ne cum ipso communicent, sed multo magis per prohibitionem ipsi factam, ne cum aliis communicet. Propter quod dicitur in cap. Illud, de Cler. excom. minist., excommunicatum non vitare multo magis quam non vitari, periculosum existere, et ita intelligunt hunc effectum Theologi in 4, dist. 16, ubi præcipue D. Thom., Richardus et Paludan.; Argent., dist. 19; Adrian., q. 3, de Clavib.; et Canonistæ, dict. cap. Illud, et in c. penult. de Sentent. excomm. Quod adeo verum est, ut etiam post Extrav. *Ad evitanda,* omnis excommunicatus, quantum est ex se, ad hoc obligetur, etiamsi non denunciatus sit, nec publicus, sed omnino occultus; quod sæpe in superioribus annotatum est, propter particulam ejusdem Extravagantis, qua cavetur per eam nullum privilegium ipsis excommunicatis conferri, quod specia-

liter notavit Navarr., lib de Oration. et Hor. canon., cap. 21, num. 17 et 18. Ubi deplorat abusum et impudentiam multorum, qui donec denunciati sint abstinere non curant. Deinde ex vi hujus effectus fiunt ipsi excommunicati per censuram quasi objecta inhabilia, seu incapacia ad communicationem humanam honestam, et fidelibus dignam; atque hoc modo dicimus hujusmodi effectum passive etiam pertinere ad excommunicatos ipsos; sic salutari non debent, quia facti sunt objecta indigna salutatione et honore secundum illum statum; atque ita de aliis. Tandem hinc redundat hic effectus in alios, prohibens illos, ne hujusmodi genus communicationis excommunicato exhibeant, tum quia hæc sunt veluti correlativa; et ideo ex parte utriusque fuit necessaria prohibitio, ut effectus esset in suo ordine perfectus; tum etiam quia jura expresse hoc declarant, ut superius citatum est.

11. *Non est prohibitum infidelibus cum excommunicatis communicare, nec vice versa.* — Dixi autem semper hanc prohibitionem versari inter ipsos fideles, per fideles intelligendo baptizatos; nam cum infidelibus per se et ex vi censuræ non est prohibita communicatio, nec ex parte ipsorum infidelium, cum illi non sint sub Ecclesiæ jurisdictione; nec ex parte excommunicati; nam licet Ecclesia ad hoc habeat potestatem, et interdum ea utatur, ut patet ex cap. Postulasti, de Judæis, cum similibus, tamen in censura excommunicationis illa non utitur, nec talem prohibitionem posuit ipsi excommunicato. Nam in cap. penult. de Sentent. excomm., et similibus, solum dicitur excommunicatum privari communione fidelium; non ergo infidelium; alias non *fidelium*, sed *omnium* dicendum esset. Cur autem ab Ecclesia id factum sit si aliquis inquirat, respondebimus primo, quia id satis est ad pœnam excommunicati; deinde quia, quod per se intendit, est abscindere excommunicatum ab Ecclesia, et tanquam membrum putridum resecare, vel ut ipse emendetur, vel ut aliis non noceat; quod vero cum iis, qui foris sunt, communicet, non curat.

12. *Est tamen vetitum excommunicatum cum excommunicato communicare.* — Dices : ergo eadem ratione non tenebitur unus excommunicatus alium vitare, quia uterque suo modo extra Ecclesiam est, et quasi membra separata, quæ inter se communicare non prohibentur, sed cum toto, vel membris illi unitis. Respondetur ita intulisse Glossam, in cap. Devotam, 27, quæst. 1, male vero, non est enim eadem utriusque ratio. Nam excommunicatus fidelis est, unde cum censura hæc separet a communione fidelium, et neminem excipiat nullamve conditionem requirat, separat etiam a communione alterius excommunicati. Major patet, quia, ut dixi, *fidelis* hic non sumitur in eo rigore, quo significat eum, qui fidem habet et retinet; quo sensu apostata fidelis non est, cum tamen sit excommunicatus; sed sumitur pro baptizato quolibet, qui vel facto, vel speciali jure, ac debito fidelis esse debet, quo sensu excommunicatus necessario fidelis est; ergo sicut excommunicati tenentur vitare alios fideles, ita etiam se ipsos vicissim et mutuo. Quod autem illo sensu accipienda sit vox *fidelis,* quando asseritur excommunicationem privare communione fidelium, probatur, quia intentio Ecclesiæ est separare excommunicatum a consortio omnium illorum membrorum, in quæ ipsa jurisdictionem habet, ut patet ex cap. Sicut Apostoli, cum aliis, 11, quæst. 3, ubi simpliciter cavetur, *ne quis cum excommunicato communicet,* quæ verba omnes Ecclesiæ subditos comprehendunt; hujusmodi autem sunt omnes baptizati, etiamsi excommunicati, vel hæretici, ac apostatæ sint; nam licet hi non sint membra quantum ad unionem, et conjunctionem cum Ecclesia, præsertim qui fide carent, tamen quantum ad subjectionem et obligationem præceptorum, vim et rationem membrorum retinent; neque enim propter ipsorum delictum Ecclesia amittit jurisdictionem in ipsos; neque ex suo delicto ipsi reportant commodum, ut communicare possint, vel communicari ab iis, a quibus antea non poterant. Si ergo excommunicatus vitare tenetur alium, qui excommunicatus non est, et hic in excommunicationem incidat, non propterea jam poterit cum illo communicare, vel ab illo communicari; et similiter fidelis hæreticum vitare tenetur, licet ipse postea in hæresim labatur, non propterea illa obligatione liberabitur. Tenetur ergo excommunicatus vitare excommunicatum, et hæreticus hæreticum; quæ sententia communis est, eamque tenet Abbas, in cap. Illud, num. 6, de Cleric excom. minist.; Hostiens., in Summ., tit. de Sentent. excom., num. 11; et Joan. de Lignano, in lib. de Censur., § 27, num. 2. Ad argumentum ergo negatur sequela; quia excommunicatus non ita est extra Ecclesiam, sicut alii infideles; excluditur enim quantum ad ea, quæ sunt com-

modi, non vero quantum ad ea, quæ sunt oneris, et obligationis. Ecclesia etiam plus vetat suis subditis communicationem cum excommunicatis, quam cum aliis infidelibus, qui ad ipsam non pertinent, vel quia hæc est pœna et medicina respectu suorum subditorum, non vero respectu alienorum, qui potius per benignitatem, et familiaritatem, quam per separationem, ad fidem trahendi sunt, ut ex Augustin. notatur in c. Infideles, 23, q. 4.

SECTIO II.

An, et quale peccatum sit communicatio civilis cum excommunicato.

1. De priori parte quæstionis in titulo insinuata nulla est controversia ; nam certum est apud omnes, peccare, per se loquendo, tam excommunicatum communicando cum aliis fidelibus quocumque modo ex dictis sectione præcedente, quam fidelem quemcumque non excommunicatum communicando eisdem modis cum excommunicato. Sequiturque ex dictis; nam ostendimus utrique esse per hanc censuram prohibitam hanc communicationem; ergo utrique peccant illam exercendo.

2. Difficultas ergo tota est de posteriori parte quæstionis, quale peccatum hoc sit : communis resolutio esse videtur, hoc peccatum regulariter loquendo, esse tantum veniale. Ita docuit D. Thom. in 4, dist. 18, q. 2, art. 3, et in additionibus, q. 23, art. 3, et Quodlib. 11, art. 9, et eum sequuti sunt cæteri Theologi, et Summistæ, nec Canonistæ dissentiunt in cap. Sacris, de Iis quæ vi, et de Sentent. excomm.; licet enim Abbas oppositum (sub formidine tamen) sentiat, quem nonnulli sequuntur, alii vero frequentius nobiscum sentiunt, ut videre licet in Navarr., in Summ., cap. 27, num. 30, et Covarr., in cap. Alma, § 3, num. 7 et 8; Hostiensis vero in Summ., tit. de Sentent. excomm., § fin., in hoc distinguit inter excommunicationem ab homine, et a jure, et illam dicit obligare sub mortali in hac materia; hanc improbabilem censeo, quia nec excommunicationes illæ sunt diversarum rationum, neque præcepta hominis plus de se obligant, quam leges. Ac denique, si quæ ratio probat assertionem positam quoad excommunicationem a jure, æque procedit quoad excommunicationem ab homine. Ratio ergo assertionis est, quia quælibet lex, licet ex suo genere gravis sit, in materia levi tantum obligat sub veniali; hæc autem materia humanæ communicationis in his actionibus communibus, ad convictum seu commercium humanum pertinentibus, satis levis est, tum secundum se, quia hæ actiones non sunt magni momenti, tum in ordine ad excommunicationem, quæ indirecte tantum et secundario has actiones prohibet.

3. *Objectio. — Solvitur.* — Dices : imo in ordine ad finem excommunicationis videtur materia illa satis gravis, quia ex observantia vel transgressione illius multum pendere potest, quod excommunicatus resipiscat; qui est finis excommunicationis; nam, cum hæ actiones communes frequentiores sint, magisque necessariæ vitæ humanæ, nihil magis potest, morali modo loquendo, movere excommunicatum, ut a contumacia recedat, quam si videat se ab aliis destitui, etiam in his actionibus. Respondetur in primis removenda esse ea, quæ sunt per accidens, quale erit, si ob hanc communicationem augeatur contumacia excommunicati, et majorem libertatem et audaciam concipiat ad resistendum Ecclesiæ; nam hoc jam erit quoddam genus scandali, ratione cujus poterit peccatum esse mortale; id vero dicimus esse per accidens; nos autem per se solum consideramus naturam et gravitatem actionis, et sic dicimus esse levem, etiamsi in ratione impedimenti ad consequendum finem excommunicationis consideretur. Infert enim excommunicatio multa alia gravissima incommoda, tam in divinis, ut hactenus vidimus, quam in humanis, ut sectione sequente declarabimus, quæ si integre serventur, satis superque erunt ad commovendum excommunicatum; quod si ea omnia contemnat, parum certe juvabitur ob separationem in his levioribus actionibus; præsertim adjunctis exceptionibus et limitationibus, quas ipsa Ecclesia in hoc negotio adhibuit, et paulo inferius exponemus. Accedit, quod D. Thomas recte consideravit, verisimile non esse voluisse Ecclesiam tam gravem obligationem imponere fidelibus omnibus in materia adeo levi, frequenti, et vulgari, cum sine magno animarum periculo esse non possit; alioqui quod in unius medicinam esset institutum, in commune damnum et periculum vergeret, quod est contra Ecclesiæ benignitatem, ac convenientem providentiam.

4. *Excommunicatus, cum aliis communicando, solum peccat venialiter. — Intra latitudinem autem culpæ venialis plus peccat ipse*

quam alii. — Atque hinc tandem infero, quamvis citati Doctores regulariter loquantur de participantibus cum excommunicato, cum aiunt, in hoc genere participationis solum venialiter peccare, idem dicendum esse de excommunicato ipso, si in his actibus tantum fidelium communicationi se immisceat; nam, cum in hoc se habeant excommunicatus, et alii, tanquam duo extrema et correlativa, si respectu unius materia est levis, etiam erit respectu alterius, cæteris paribus. Item, quia jura æque hoc prohibent utrique extremorum. Nec obstat, quod dicitur in c. Illud, de Cleric. excom. ministr., excommunicato periculosius esse communicare, quam communicari; nam eodem modo dici posset, aliis etiam fidelibus non vitare excommunicatum periculosius esse quam non vitari ab illo, quia vitare in ipsis est, non vitari autem non semper est in ipsis, quæ est ratio prædicti textus; in hoc ergo pares sunt. Non nego tamen, secundum rectam rationem et cæteris paribus ex parte materiæ, magis obligari excommunicatum hac lege vitandi ipsum, tum quia culpa et ratio illius pœnæ in ipso est; tum etiam quia prohibitio magis directe in ipsum fertur. Dico tamen, hanc comparationem seu excessum semper esse intra latitudinem et capacitatem materiæ; atque adeo in præsenti non excedere latitudinem venialis culpæ.

Varii textus contra resolutionem datam objiciuntur et explicantur.

5. Contra hanc vero communem doctrinam objici possunt aliqua ex jure canonico. Primum ac præcipuum est cap. Sacris, de Iis quæ vi, ubi, loquendo de communicatione cum excommunicato in communi, dicitur, esse peccatum mortale, absque ulla distinctione de hac vel illa materia. Restringere autem textum illum, ut quidam faciunt, ad communicationem in crimine vel in sacris, voluntarium est. Secundo objicitur c. Exceptionem, de Exception., in illis verbis : *Ne quispiam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur;* nam periculum animæ non incurritur nisi propter peccatum mortale in proprietate locutionis. Tertio objicitur cap. Si vere, de Sentent. excom., in verbis illis : *Excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum navibus existentes cum dolore cordis sub spe pœnitentiæ communicaveritis ipsis, in quibus eorum communionem non poqueritis evitare.* Quæ verba adeo gravia indicant sane gravem etiam obligationem ad hujusmodi communicationem vitandam, quandoquidem in casu tantæ necessitatis, cum tot circumstantiis a Pontifice permittitur. Quarto objici possunt omnia jura, in quibus excommunicantur fideles propter hanc communicationem; nam, licet regulariter illa excommunicatio tantum sit minor, illa etiam gravior pœna esse videtur, quam ut propter solum veniale peccatum ferenda sit, cum privet susceptione omnium sacramentorum, quod de se gravissimum est incommodum.

6. Accedit, quod interdum propter hanc communicationem excommunicatio major, et Papæ reservata imponitur, cap. Significavit, de Sentent. excom., ubi sermo est de communicantibus cum excommunicatis a Papa. Et quamvis hoc censeatur esse singulare in excommunicatione Papali, tamen in gravitate culpæ id non potest esse singulare, licet fortasse sit in pœna. Quia, si materia præcepti in se considerata levis est, etiamsi prohibitio manet a supremo Pastore, non obligabit, nisi sub veniali culpa, quandoquidem leges etiam divinæ et naturales in materia levi non obligant, nisi sub veniali, eo vel maxime, quod in præceptis ejusdem rationis, quod manent a supremo, vel a proximo superiori, non videtur esse circumstantia aut differentia, quæ sufficiat ad tantam diversitatem constituendam, quanta est inter mortale et veniale peccatum; si ergo communicatio hæc cum excommunicato a Papa mortale peccatum est, ut ostendit gravissima pœna excommunicationis majoris, etiam cum quolibet alio excommunicato mortale peccatum erit. Atque simile argumentum fieri potest ex modo excommunicationis majoris, quæ interdum ferri solet ab homine in participantes; nam illa etiam supponit materiam peccati mortalis, quia, si materia est levis, non potest homo, etiamsi velit, obligari sub mortali in sola illa, et consequenter, nec sub censura majoris excommunicationis; si autem materia de se est gravis et capax obligationis sub mortali, sufficiet communis prohibitio Ecclesiæ ad eamdem obligationem inducendam.

Veræ divisiones communicationis cum excommunicato traduntur.

7. *Quæ communicatio prohibita quia mala. — Qui in crimine criminoso participavit cum excommunicato, si postea cum illo communicet, ligatur majori excommunicatione.* — Ante-

quam his objectionibus respondeam, suppono communem divisionem Doctorum de triplici communicatione cum excommunicato, scilicet, in crimine propter quod aliquis excommunicatus est, in divinis, et in humanis; nam de primis duobus membris non dubitatur, quin intercedat culpa mortalis; de tertio vero est controversia. Ut autem illa partitio radicitus intelligatur, et ratio illius doctrinæ melius reddatur, possumus nos alia divisione et subdivisionibus uti. Est enim quædam communicatio prohibita quia mala, et antecedens, ut sic dicam, excommunicationem ipsam. Altera vero est mala, quia prohibita, et per ipsammet excommunicationem introducta. Prioris generis est communicatio in crimine criminoso, ut aiunt; jam communicare in crimine nihil aliud est quam cooperari in crimine seu contumacia, propter quam lata est excommunicatio; hoc autem per se et intrinsece malum est. Cumque illud crimen et contumacia mortale peccatum esse supponatur, ex eo quod est sufficiens causa excommunicationis majoris, sequitur, ut cooperatio ad tale crimen sit mortale peccatum, per se loquendo, id est, nisi per ignorantiam, vel inadvertentiam excusetur, aut nisi cooperatio sit tam levis, ut quasi pro nihilo habeatur. Et ideo fortasse dicta est hæc communicatio in crimine criminoso, nam criminosus non dicitur nisi propter grave peccatum contumaciæ, quæ sufficientem materiam excommunicationis majoris includat. Atque hinc factum est, ex constitutione ejusdem juris, ut participantes in crimine cum excommunicato, postquam excommunicationem contraxit (ita enim intelligendum hoc est), participes etiam fiant majoris excommunicationis, cap. Nuper, de Sentent. excom. Unde hæc communicatio, licet ex se mala sit, ut dixi, tamen etiam est prohibita per Ecclesiam, et sub censura majoris excommunicationis, et sub hac ratione ejus privatio, seu specialis obligatio abstinendi ab illa, inter effectus excommunicationis numerari potest. Neque circa illam alia difficultas vel aliud notatu dignum occurrit.

8. *Communicatio cum excommunicato, mala, quia prohibita, duplex.* — Altera communicatio, cujus privatio per solam excommunicationem proprie introducta est (quia per sese considerata alias licita erat), subdividitur in illa duo membra, scilicet, divinam et humanam, quæ proprius vocabuntur Ecclesiastica et civilis, quia in priori membro plures communicationes comprehenduntur, quæ non proprie dicuntur divinæ; nam solum illa quæ est in sacramentis, sacrificio aut suffragiis, divina proprie dicitur; communicatio autem Ecclesiastica in multis aliis rebus invenitur, ut constat ex supra tractatis; et ideo hæc etiam dici solet generatim *communicatio in sacris.* De toto ergo hoc genere communicationis, et de modo quo in illo peccatur, deque pœnis, quæ propterea incurruntur, satis dictum est in præcedentibus, ubi ostendimus, hanc communicationem ordinarie et ex suo genere in tali materia esse mortale peccatum, licet non repugnet aliquando esse tam levem, ut sit venialis culpa. Pœna autem ejus generalis est excommunicatio minor; specialis autem respectu aliquarum personarum et actionum, est vel interdictum, vel irregularitas respectu ipsius excommunicati, si clericus sit.

9. *Duplex discrimen inter communicationem in sacris, et civilem. — Communicatio civilis duplex.* — Altera communicatio, quam civilem appellamus, in duobus præcipue differt a præcedente. Primo, quod est minoris æstimationis et momenti, ut per se notum est. Secundo aiunt Doctores omnes etiam differre, quod respectu prioris secundario et indirecte tantum per excommunicationem intenta est. Cujus ratio esse videtur, quia spiritualia bona. cum sint propria filiorum Ecclesiæ, merito ac primario denegantur ei, qui ab Ecclesia abscinditur; imo in hoc potissimum videtur consistere talis abscissio et separatio ab Ecclesia. Item quia excommunicatus proxime ac per se fit indignus usu spiritualium bonorum; usu vero civilis communicationis privatur et ad majorem terrorem, et correctionem, et in ordine ad spiritualia. Hæc ergo communicatio civilis in duo alia membra subdividitur, scilicet, in communem seu pertinentem ad humanum convictum, et forensem, de qua postea dicturi sumus; hic enim solum de priori agimus, cum dicimus illam esse materiam levem respectu hujus prohibitionis, ac proinde transgressionem in illa solum veniale peccatum esse.

10. *Triplex limitatio cum quibus communicatio civilis cum excommunicato quoad humanum convictum est levis. — Prima.* — Hoc autem cum tribus limitationibus intelligendum est; propterea enim dixi in assertione, *regulariter loquendo.* Prima est, ut talis communicatio fiat sine contemptu clavium Ecclesiæ. Hanc enim exceptionem D. Thom. adhibuit et omnes sequuntur; estque communis ad trans-

gressiones omnium præceptorum; nam quantumvis videantur leves ex materia, si ex contemptu fiant, sunt peccata mortalia, et ideo non spectant ad hunc locum, sed ad materiam de legibus, ubi etiam explicandum est quid sit operari ex contemptu, quod attingit D. Thom., et ibi Cajetan., 2. 2, q. 186, art. 9, ad 3; et latius Covarruv., in c. Alma, part. 1, § 7, n. 6 et 7.

11. *Secunda.* — *Tertia.* — Secunda limitatio est, ut intelligatur de singulis actibus per se sumptis, nam licet in singulis non inveniatur malitia mortalis, ut diximus, in consuetudine tamen et frequentia eorum reperiri potest, si per modum unius objecti, directe aut indirecte voliti, sumantur tales actus. Cujus ratio non solum est, quia talis frequentia includit contemptum; nam licet hoc sit aliquod indicium contemptus, non tamen est certa et infallibilis regula, nam etiam ex passione vel negligentia potest talis frequentia oriri; sed ratio propria est, quia licet actus singuli per se considerati sint materia levis, frequentia tamen eorum est gravis materia et plurimum derogans intentioni hujus legis. Oportet autem, ut hæc frequentia per modum unius objecti sumatur; nam si sejunctim ac divisim unus actus fiat sine proposito formali vel virtuali alterius, licet illi per humanam fragilitatem multiplicentur, nullus eorum erit peccatum mortale, quia juxta sanam doctrinam, ex venialibus non fit mortale propter solam multiplicationem. Solum ergo quando aliquis ita communicat cum excommunicato, loquendo aut cohabitando cum illo, ut id faciat animo id faciendi perseveranter, et quasi ex habitu, ac semper, mortaliter peccabit. Et hæc est propria differentia inter hanc communicationem humanam, et sacram; nam sacra, regulariter loquendo, habet malitiam mortalem in singulis actibus; hæc vero in singulis est venialis tantum, licet in frequenti usu possit esse mortalis. Quam limitationem adhibet Navarr., dicto cap. 27, n. 30, sed illam ita declarat, ut dicat, intelligi de frequentia, quæ habet conjunctam malitiam mortalem animandi ad delinquendum; unde reducit hanc ad communicationem in crimine. Sed si intelligit oportere, ut hæc frequentia procedat ex intentione seu voluntate animandi in crimine, falsum est; nam hoc modo singuli actus cujuscumque communicationis erunt peccata mortalia, quia jam transeunt in aliud genus criminosæ communicationis. Si autem intelligit talem frequentiam secum afferre, moraliter loquendo, illum effectum animandi excommunicatum, aut posse esse impedimentum grave ne resipiscat, admitti potest; confertque ad explicandam illius materiæ gravitatem. Tertia limitatio sit, nisi specialiter et publica auctoritate declaratum sit talem communicationem vitandam esse, ut spectantem in tali casu ad commune bonum vel ad finem per censuram intentum, quod fit quoties per judicem augetur seu fertur censura contra participantes, ut in solutione ultimæ objectionis magis explicabimus.

Objectionibus satisfit.

12. *Prima.* — Ex his ergo facile est ad singula objecta respondere. Ad cap. Sacris, D. Thom. supra dupliciter respondet. Primo, quod ibi est sermo de communicatione in divinis. Secundo, quod eadem est ratio peccati venialis, quantum ad hoc, ut propter metum fieri non debeat, quod ibi erat intentum a Pontifice. Sed utraque expositio difficultatem habet. Prior propter rationem factam, qua Pontifex absolute loquitur de communicatione. Posterior, quia non declarat, cur Pontifex in particulari de peccato mortali locutus fuerit; item, quia licet peccatum veniale non sit faciendum propter metum, si facta compositione adhuc tale sit, id est, si supposito metu malitiam venialem retineat, tamen sæpe accidit, ut propter metum liceat facere actum, quem sine metu facere, esset peccatum veniale, quia metus fecit, ut cessaret obligatio, et consequenter, ut auferretur malitia. Quamvis autem hoc possit etiam contingere in mortali, tamen multo facilius, et ex leviori metu potest id venire in veniali quam in mortali; et ideo si Pontifex existimasset aliquam communicationem cum excommunicato esse tantum peccatum veniale, non recte intulisset non licere communicare cum excommunicato propter metum, *quia propter nullum timorem licet peccare mortaliter*. Quare supra, textum illum exposui de illa communicatione, quæ non est mala, quia specialiter prohibita, sed quia intrinsecam habet malitiam, supposita dispositione et statu hominis excommunicati; hæc enim non aufertur interveniente metu, licet minui possit propter diminutionem voluntarii, absolute tamen nunquam licet. Et hoc modo expositus ille textus nihil nobis obstat, ut ex supra notatis patet; et quoad hoc non refert, quod Pontifex absolute de excommunicatione lo-

quatur, quia necessario intelligendus est juxta materiam subjectam et juxta exigentiam rationis quam adducit. Nunc vero ulterius addo, etiamsi Pontifex absolute de communicatione cum excommunicato loquatur, nihil in præsenti obstare, quia non est dubium, quin hæc communicatio ita absolute sumpta ex suo genere peccatum mortale sit, quod non excludit, quin in particulari ex levitate materiæ possit esse veniale. Cum autem absolute est sermo de iis quæ ex genere suo peccata mortalia sunt, simpliciter mortalia vocantur, ut furta sacrilegia, etc. Ad hunc ergo modum locutus est Pontifex.

13. *Secundæ et tertiæ objectioni respondetur. — Exponitur cap. Exceptionem. — Exponitur cap. Si vere.* — Et per hæc facile est respondere ad secundam et tertiam objectionem; nam in utroque illorum textuum est sermo de communicatione in communi, et ideo fit sermo de illa ut de re gravi et mortali ex suo genere. Addo in cap. Exceptionem, esse sermonem in particulari de excommunicatione forensi, quamvis civili, quæ gravior est quam usualis, de qua loquimur; et ideo de gravitate culpæ, quæ in illa communicatione intercedit, specialiter dicemus sectione sequenti. Textus ergo ille ad rem præsentem non confert, eo vel maxime, quod *periculum animæ* non necessario restringendum est ad periculum mortis animæ, sed absolute dici potest de periculo conscientiæ, quæ per peccatum etiam veniale maculatur; et remote saltem dici potest periculum animæ, quatenus per venialia peccata disponitur quis ad graviorem lapsum. Verba autem cap. Si vere, per sese obscura sunt in omni sententia; cum enim in casu illius textus communicatio inculpabilis esset, etiam venialiter, quid est quod Pontifex ait, *cum dolore cordis et spe pœnitentiæ*, futuram fuisse licitam? Ad quid enim necessarius erat dolor cordis de re licita, aut quomodo potest spes pœnitentiæ actum justificare? Imo repugnantia involvitur, cum de actu licito pœnitentia speranda dicitur. Et eamdem difficultatem habet, quod ibi dicitur, *sub spe* veniæ; nam de re licita nulla est venia necessaria.

14. Dicendum vero est sermonem Pontificis in eo textu esse de quadam communicatione, quæ futura erat diuturna et quasi in continua quadam societate, et ideo sine dubio fuisset materia gravis peccati, si voluntarie et absque legitima causa excusante, eam quis amplecteretur. Et ad hoc significandum utitur Pontifex eo verborum pondere, ac repetitione, in principio, et fine textus. Voluit item illos fideles monere, communicationem illam sustinendam potius fuisse involuntarie, quam voluntarie accipiendam; et hoc significavit per verba : *Cum dolore et amaritudine cordis.* Docuit etiam esse periculis expositam; nam tenebantur illi fideles communicare cum excommunicatis, quam minimum possent, et solum in iis rebus illis licebat, in quibus eam vitari non possent, ut ibidem dicitur; unde cum futura esset frequens et familiaris, moraliter exposita erat periculo excedendi. Et propter hoc dicit : *Cum spe veniæ et pœnitentiæ,* scilicet cujuscumque excessus, si forte committatur. Quem leviorem futurum fuisse, significat fuisse sperandum, cum esset quasi coactus, et qui vix posset humano modo evitari.

15. *Quarta objectio enodatur.* — Ad quartam objectionem, receptissima sententia est, excommunicationem minorem propter veniale peccatum incurri; nam, licet illa pœna ex parte bonorum, quibus privat, gravis appareat, considerato tamen modo quo privat, et facilitate, qua auferri potest, potius est leve quoddam gravamen, quam pœna multum gravis, quod latius infra in propria disputatione de illa censura explicabimus. Propter capitulum autem illud Significavit, quidam simpliciter limitant regulam positam, ut locum non habeat in excommunicatione Papali; nam mortaliter peccare aiunt eum, qui cum excommunicato a Papa communicat, etiam in actibus hujus communicationis, de qua nunc agimus. Sed hoc nullum habet fundamentum in textu; et ideo longe aliter illum in superioribus exposuimus, vel cum Abbate, et aliis, de excommunicatione in divinis, adhibitis quibusdam conditionibus, quæ ex textu colliguntur, vel de communicatione in crimine, cum Glossa ibi.

16. *Ultima objectio diluitur. — Ratioque redditur cur in participantes cum excommunicato in usualibus excommunicatio major ferri possit.* — Tandem, quod ultimo loco expendebatur de excommunicatione, quæ in participantes ferri solet, a Canonistis ita breviter expeditur, ideo esse tunc peccatum mortale, quia duplex inobedientia intervenit, scilicet juris et judicis, et quia mitius agitur cum lege, quam cum homine. Sed hæc non satis declarant rem, quia duplex vinculum etiam diversæ rationis, nedum ejusdem, non sufficit ad malitiam mortalem, si materia

semper levis permanet; et ideo in ultima limitatione adnotavi, materiam, quæ secundum se levis videtur, in aliquo casu posse esse gravem in ordine ad finem a judice intentum, quod necesse est intervenire, quoties excommunicatio hæc in participantes fertur. Et hinc ortum est, ut hujusmodi excommunicatio in participantes ipso jure non feratur, sed semper ab homine, quia jus, cum in communi feratur, solum respicit ea, quæ communia sunt; judices vero particulares circumstantias expendere possunt. Propter quod etiam prudentissime novo jure statutum est in cap. Statuimus, de Sent. excomm., in 6, ut hujusmodi excommunicatio non feratur a judice in participantes cum excommunicatis a se, nisi per sententiam specialem, et in personam certam ac nominatam, et monitione canonica præmissa, et aliter lata nulla sit. Et ratio insinuatur, quam nos tetigimus, ut *si ex locutione, et aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat, possit judex post monitionem canonicam hujusmodi participantes consimili damnare censura.* Ac si diceretur, ut possit judex ex effectibus, et aliis circumstantiis expendere, an talis actus dignus sit tali prohibitione et censura.

17. *Quæ pœna incurratur ob communicationem cum excommunicato in usualibus.* — Et per hæc etiam obiter declaratum est, quænam pœna imposita sit in jure ob hanc communicationem; est enim lata excommunicatio minor, ut constat, et non alia; nulla enim ex jure ostendi potest. Ac merito, quia pro culpæ levitate ac necessitate illa pœna satis est.

SECTIO III.

Quibus modis excusetur a culpa civilis communicatio cum excommunicato.

1. *Excusationes ex parte excommunicati. — Eædem excusationes in participantibus a fortiori locum habent.* — Certum est hanc communicationem ita esse culpabilem, ut possit interdum rationabilem excusationem habere, quia cum non sit intrinsece mala, sed solum quia prohibita, non est dubium, quin multis modis excusari possit, tam ex parte excommunicati, quam ex parte eorum, qui cum ipso communicant. Et quidem ex parte excommunicati nullam invenio in jure positivo exceptionem; habent tamen in eo locum duæ illæ, quæ in superioribus tractatæ sunt, scilicet, ignorantia probabilis, quæ inadvertentiam vel inconsiderationem etiam naturalem comprehendit, et necessitas, sive a natura, sive ex alio casu contingente aut certe ex violentia eveniat. Nam, si in aliis communicationibus, quæ graviores sunt et majoris obligationis, locum habet duplex hic excusationis titulus, multo magis in præsenti habebit. Neque hic plura addere oportet, cum superiora sufficiant, quæ hic servata proportione accommodanda sunt. Ex quo sequitur, eamdem duplicem excusationem in participantibus cum excommunicato locum habere; nam et in eis multo facilius habere potest locum ignorantia excommunicationis alterius, quam in ipsomet excommunicato, et cum ille non sua culpa illa obligatione oneratus sit, facilius debet vel potest ob necessitatem vel utilitatem propriam excusari. Hoc autem, quod sub hac generalitate ex ipso jure naturæ oritur, in jure canonico ad leniendum rigorem excommunicationis, et tollendas occasiones peccatorum, magis declaratum et amplificatum est, in cap. Quoniam multos, 11, quæst. 1. Quod breviter hoc loco exponere necessarium est.

Primum caput excusationis, cap. Quoniam.

2. *Cap. Quoniam, 11, quæst. 3, exponitur.* — Primo ergo ac præcipue liberantur in illo textu ab hac culpa *qui ignoranter excommunicatis communicant.* Quæ exceptio intelligi potest et de ignorantia facti et juris; et de utraque intelligenda videtur, tum quia textus indistincte loquitur; tum etiam quia, ut ex principio textus constat, subvenire voluit tam iis, qui ex ignorantia, quam iis *qui ex nimia simplicitate,* id est, *ex juris errore,* ut Glossa exposuit, cum excommunicatis communicant; de quibus tamen ex simplicitate operantibus postea nihil dicit in particulari; ergo comprehendit illos sub eis, qui ignoranter communicant; nam illa simplicitas ignorantia quædam est. Quod vero spectat ad ignorantiam facti, nullam fere hoc tempore dubitationem habet; non enim tenemur vitare, nisi vel clerici percussorem ita manifestum, ut nulla tergiversatione celari possit, aut nominatim denunciatum, cujus excommunicatio satis etiam publica et nota est. Tamen, quia hæc ipsa denunciatio potest esse non omnibus nota, vel in eodem, vel diversis locis, ideo etiam nunc habet locum hæc facti ignorantia, quamvis rarior sit. Similiter etiam

ignorantia juris de excommunicato vitando vix potest hodie in aliquem cadere.

3. *Quæ ignorantia sufficiat ex c. Quoniam, ad excusandum a culpa.* — Dubitari vero circa utramque ignorantiam potest, qualis esse debeat, ut excuset in præsenti ex vi illius textus. Et ratio dubitandi est, quia si requiritur ignorantia invincibilis, nihil ex vi illius juris concessum est; nam semper valuit hæc excusatio ad impediendam culpam; si vero ignorantia voluntaria et vincibilis sufficit ex speciali concessione illius textus, multum derogatum est severitati excommunicationis; et videtur involvi repugnantia in eo quod ignorantia voluntaria in materia prohibita excuset. Unde communiter interpretes de ignorantia probabili et inculpabili hanc excusationem intelligunt, ut videre licet in D. Thom. et aliis Theologis, dist. 18; Angel., verb. *Excommunicat.*, 9, et aliis. Juxta quam sententiam dicendum est, Gregorium in eo textu nihil novi concessisse, sed declarasse quod jure ipso naturali locum habeat ad tollendos scrupulos. Addere vero possumus fortasse quamcumque ignorantiam excusare hujusmodi communicantem saltem a censura minoris excommunicationis, dummodo talis ignorantia affectata non sit; hæc enim et malitiæ et pertinaciæ æquivalet; quando tamen secundum directam voluntatem et cognitionem, bona fide communicatur, licet aliqua negligentia intercesserit, verisimile est sufficere ad excusandam hanc censuram, idque Gregorium in eo textu concessisse. Neque immerito, tum quia tunc fere nulla est propria contumacia ex parte communicantium cum excommunicato; tum etiam quia, cum illa culpa ex se levis sit, per illam circumstantiam seu operandi modum ita extenuatur, ut illa censura seu pœna non videatur digna. Quia vero hoc incertum est, non est extendendum ad aliud genus majoris communicationis, quam sit hæc vulgaris, de qua agimus, et ad cautelam semper erit consultum absolutionem obtinere.

4. *An qui dubitat an alius excommunicatus sit, illum vitare debeat.* — *Resolutio.* — *Qui alium scit esse excommunicatum, dubitat autem an denunciatus sit, non tenetur illum vitare.* — Deinde dubitari potest, an is, qui non omnino ignorat, sed dubitari incipit, an alius excommunicatus sit, possit excusari, vel statim teneatur illum vitare. Respondetur : propter solam suspicionem vel dubitationem etiam ex forma de denunciatione jam facta, non tenetur illum vitare, regulariter loquendo; et maxime in hac vulgari communicatione humana, de qua agimus. Ita sentiunt Adrian., in 4, quæst. 3 de Clavibus; Major, in 4, dist. 18, quæst. 2; Navarr., et alii moderni scriptores. Et ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis; ergo propter solum dubium non possum ego privare alium communicatione, ad quam ex se jus habet, ejusque usum legitime possidet. Juxta antiquum etiam jus excommunicatus occulte non erat publice vitandus, sed tantum occulte; ergo eadem ratione is, cujus excommunicatio est dubia, non potest nec debet tanquam certo excommunicatus tractari; ergo nunc ex jure novo Extravag. *Ad evitanda,* si denunciatio sub dubio sit, non obligatur quispiam ad evitandum. Duobus autem modis potest quis se habere in eo casu : primo, ut certo sciat alium esse excommunicatum, dubitet autem de denunciatione; secundo, ut de utroque dubius sit. Quando se habet hoc posteriori modo, non solum non tenetur, sed etiam non debet alium vitare, quia faceret illi injuriam, propter rationem factam. Quando vero se habet priori modo, non tenetur quidem, potest tamen, si velit, illum vitare, quia, ut sæpe dixi, Extravag. *Ad evitanda,* quamvis det facultatem non vitandi excommunicatum non denunciatum, non tamen obligat ad non vitandum illum; ergo licet propter dubitationem de denunciatione possit quis uti illo privilegio non vitandi, non tamen ad id obligatur. Neque de hac posteriori parte videtur esse posse ratio dubitandi.

5. *Objectio.* — *Solutio.* — De priori tamen potest quispiam dubitare, quia is, qui dubitat an excommunicatus ipse sit, si sit probabile dubium, tenetur se abstinere a communicatione, ut supra dictum est ex cap. Illud, de Clerico excom. minist., et ex c. Cum desideres, de Sent. excom.; ergo etiam qui dubitat de excommunicatione alterius, tenetur illum vitare. Probatur consequentia a paritate rationis, quia etiam in ipso excommunicato procedit illud principium : *In dubiis melior est conditio possidentis.* Respondetur esse dissimilem rationem, ob quam jura id merito statuerunt in ipso excommunicato, non vero in aliis, quia ille meretur privari illo jure etiam in casu dubii, quandoquidem causa excommunicationis in illo existit. Item ille potest sese continere sine injuria alterius, quamvis non sine gravamine proprio, quod leges fa-

cile permittunt vel imponunt propter majorem securitatem; at in vitandis aliis sine sufficienti certitudine potest injuria intervenire, et ideo in casu dubii nemo ad id obligatur. Præterea secundum jus novum Extravag. *Ad evitanda*, est alia ratio clara, quod privilegium illud concessum est propter sedandas conscientias, et ideo per illud conceditur, ut nemo alium vitare teneatur, nisi de denunciatione censuræ satis certo constet. Non oportet tamen, ut habeatur evidentia, sed satis erit, quod per sufficientia testimonia et fide digna id constet.

6. *Nisi ex dubio de validitate denunciationis oriatur dubitatio de valore actus.* — Dixi autem, *regulariter loquendo*, etc. Quia licet præcise stando in ratione communicationis doctrina hæc generalis sit, tamen quoad quasdam actiones, quæ possunt esse irritæ, si fortasse verum est excommunicatum esse quempiam et denunciatum, qualis est absolutio sacramentalis, et similes, censeo evitandum esse excommunicatum, si absque scandalo vel alio periculo fieri potest, non propter positivam legem per censuram latam, sed propter reverentiam sacramenti aut aliam similem naturalem legem, ne scilicet quispiam se exponat periculo efficiendi, seu recipiendi sacramentum irritum, aut aliquid simile efficiendi. Quod procedit quoties ex dubio circa excommunicatum nominatim denunciatum oritur dubium de validitate actus, quod non tollitur propter privatam conscientiam seu dubitationem; secus vero esset, si aliunde tolleretur tale dubium, propterea quod, non obstante illo dubio, talis persona in publico munere communiter toleratur; nam inde potest oriri certitudo de valore actus, ut supra dictum est. Addendum hic obiter est, cognitionem excommunicationis vel denunciationis per confessionem, nihil operari ad vitandum excommunicatum, ut cum aliis, quos refert, notavit Covarruv., in cap. Alma, 1 part., § 2, num. 3. Quod qua ratione verum habeat, et quo modo intelligendum sit, ex dictis in tomo præcedenti de sigillo confessionis petendum est.

7. *Quæ notitia absolutionis sufficiat, ut quis excommunicatum cognitum vitare non teneatur.* — Aliud dubium circa hanc ignorantiam est, si quis novit aliquem fuisse excommunicatum et denunciatum, non tamen scit an excommunicatio duret, quæ notitia absolutionis sufficiat, ut incipiat cum illo sine culpa communicare. Est enim regula generalis a Doctoribus tradita, eum, qui semel excommunicatus et denunciatus est, semper vitari debere, donec de absolutione constet. Quam posuit Navarr., in Summ., cap. 27, num. 36, ex Glossa in cap. Proposuit, de Cleric. excomm. ministr. Quomodo autem id constare debeat, prudenter expendendum est; multa enim sunt, quæ probabilem fidem de tali absolutione facere possunt, sed illa sufficit. Itaque si testes fide digni pro certo asserant illum esse absolutum, id sufficit; nam in rebus moralibus non est major certitudo exigenda. Imo si unus testis gravis et omni exceptione major id affirmet, tanquam testis oculatus, vel alio modo æquivalenti, id existimo satis esse, quia in re favorabili id satis est ad generandam fidem adeo probabilem, ut secundum illam operari liceat. Quare ipsius etiam excommunicati testimonium asserentis se esse jam absolutum, sufficiet, ut ei fides adhibeatur, quod docuit Angelus, verb. *Excommunicatio*, 8, n. 16, et sequitur Navar. supra, et sine dubio intelligunt, quando nulla est occasio vel probabilis conjectura præsumendi mendacium. Sufficit etiam publica fama, et quod jam communiter pro absoluto habeatur, et ut talis tractetur, ut notavit Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 2, n. 6. Qui etiam merito addit, idem censendum esse, si post excommunicationem latam multum temporis pertransiit, et considerata conditione personæ et negotii, verisimile non est, toto illo tempore in excommunicatione insorduisse, quod etiam docuit Sylvest., verb. *Excommunicatio*, 5, n. 26, estque communis sententia Abbatis et Doctorum in cap. Proposuit, de Sent. excom. In his igitur omnibus casibus licitum est communicare cum excommunicato, qui creditur absolutus. Quod si fortasse in re ipsa contigerit errare, talis ignorantia et censuram et culpam excusabit.

Secundum caput excusationis.

8. Secundum principale caput hujus excusationis est necessitas. Et variis modis amplificatur et specificatur in prædicto cap. Quoniam multos. Primum ergo constat, illam necessitatem, quæ vel morali modo loquendo, dicitur absolute necessitas, vel sufficit ad impediendum effectum censuræ, ut de illa communi tractando diximus, quæque sufficit ad excusandum in aliis gravioribus communicationibus cum excommunicato, a fortiori etiam in præsenti sufficere, sive talis necessitas ad

animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad alia temporalia bona alicujus momenti et gravitatis pertineat; et sive talis necessitas ab intrinseco, seu ex naturali conditione et absque injuria orta sit, de qua potissimum videntur loqui jura in dicto cap. Quoniam multos, et in cap. Inter alia, vers. *Illud,* de Sent. excom., sive per violentiam et gravem metum sit imposita, quod in specie de hac communicatione docuit Innocent., in cap. Si vero, de Sent. excom.; Major, in 4, dist. 18, quæst. 4, et alii; et constat ex iis, quibus supra ostendimus, propter hanc necessitatem, etiam communicationem in divinis, et quamcumque aliam actionem, quæ intrinsecam malitiam non contineat, licitam esse, quia positivum jus præsertim humanum cum tanto dispendio et rigore non obligat. Quæ ratio maxime procedit in præsenti, ubi talis obligatio materiam venialis culpæ non excedit. Unde in hoc nulla relinquitur difficultas aut dubitandi ratio.

Tertium excusationis caput.

9. *Potest quis excommunicatum consulere, quando ab alio simile consilium non sperat.*— Tertium caput excusationis sit utilitas, quæ alias dici solet necessitas ad melius esse. Ita docent communiter Doctores; imo hæc est prima dictio illius communis versiculi, quem retulit Glossa in cap. Cum desideres, de Sent. excomm., ut complectentem omnes causas hujus justæ excusationis, scilicet, *utile, lex, humile, res ignorata, necesse*, cujus penultima dictio continet ignorantiam, de qua diximus, aliæ vero omnes ad necessitatem pertinent; sed postrema posita videtur propter necessitatem simpliciter, prima vero propter necessitatem ad melius esse. Itaque propter utilitatem nostram uti possumus hac communicatione cum excommunicato. Nam si ab alio æque idoneo consilium non speramus, ab illo petere possumus, argum. cap. Cum voluntate, et cap. Responso, de Sent. excom., et notavit Palud., in 4, d. 18, quæst. 6; Gabr., quæst. 3; Angel., verb. *Excommunicatio,* 8, num. 6; Cajetan., in Summ., cap. De participatione, etc. Item, si æger indigeat corporis curatione, potest medicum excommunicatum vocare, si magis idoneum illum reputet. Item potest ab illo eleemosynam petere, si indigeat, vel neccessaria emere, ut dicitur in dicto cap. Quoniam multos, si aliunde habere non possit, vel certe non æque commoda, vel utilia. Sic etiam possumus eadem ratione ab excommunicato debitum exigere, cap. Intelleximus, de Judiciis, cap. Si vere, de Sent. excommunic. Ac denique quoties ejus opera nobis necessaria fuerit, ad nos, vel nostra tuenda, talis communicatio nobis prohibita non est, quia excommunicatio non est lata in nocumentum aliorum fidelium; et ideo per illam eis non prohibentur, quæ necessitatibus hujus vitæ humano modo necessaria sunt. Quæ omnia a fortiori ex sequenti puncto constabunt.

10. *Licet propter excommunicati utilitatem cum illo communicare.* — Addimus enim primo non solum nobis licere propter nostram utilitatem, sed etiam propter utilitatem ipsius excommunicati, cum illo communicare, dummodo illa utilitas sit moralis quædam necessitas ad melius esse; in qua non tam de lucro temporali augendo, quam de damno vitando, et vita et statu sustentandis agatur. Atque hoc modo explicata hæc pars communis est, et clara. Hinc enim licitum est ad excommunicatum habere concionem, cap. Responsio, de Sent. excomm., et privatim eum monere, ut resipiscat, vel de aliis, quæ ad bonum animæ ejus spectant, cap. Cum voluntate, eodem titulo, ubi etiam dicitur licitum esse aliqua alia verba interponere, ut utilior sit admonitio. Propter corporis etiam indigentiam possumus ei eleemosynam dare, non solum ubi gravis est necessitas, in qua præceptum eleemosynæ obligaret, quod per se manifestum erat, quia Ecclesia non intendit ita graviter punire excommunicatum ut fame pereat, neque fortasse in eo sensu esset justa sententia, verum etiam propter communem indigentiam, et ostensionem misericordiæ seu humanitatis; sic enim intelligenda censeo illa verba cap. Quoniam multos : *Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibemus.* Atque eadem ratione, si nostra ope, auxilio, aut defensione indigeat, ne grave damnum, aut injuriam patiatur, aut in corpore, aut in fama, aut in temporalibus bonis, illi possumus subvenire. Quod adeo verum est, ut, juxta receptam Doctorum sententiam, si quis clericum excommunicatum percutere aggrediatur, et alius, cum commode possit, illi non subveniat, seu nocumentum non impediat, in excommunicationem incurrere censeatur, latam in cap. Quantæ, de Sent. excomm. Vide Adrian., quæst. 3, de Clavib., et Richard.,

dist. 18, art. 11, qui aliis exemplis regulam hanc extendunt et amplificant.

11. *Licet excommunicato ob suam utilitatem cum aliis communicare.* — Præterea addimus, excommunicatum ipsum ob similem utilitatem suam, quæ moralis necessitas ad melius esse censeatur, posse cum aliis communicare. Primo quidem, propter utilitatem pertinentem ad salutem animæ. Unde sicut excommunicatis licite concionari possumus, ita et ipsi aliorum conciones possunt audire, ut bene notavit Gabriel, in 4, dist. 18, q. 3, dub. 5. Item, sicut possumus ab excommunicato consilium petere, ita et ipse potest illud ab aliis postulare, vel rogare, aut petere orationes, vel etiam apud homines intercessiones in ordine ad bonum animæ, maxime ad absolutionem obtinendam. Nam, cum Ecclesia hanc maxime exoptet, nihil eorum prohibet, quæ propter illam, vel propter dispositionem ad illam fiunt; qui enim finem intendit, non prohibet media utilia, et per se convenientia. Propter quod, cum rescriptum ad alia negotia impetratum ab excommunicato nullum sit, si tamen pro absolutione obtinenda impetratum sit, valet, cap. 1 de Rescript., in 6. Rursus, sicut excommunicato indigenti corporali subsidio vel adjutorio licite subvenimus, ita ipse etiam indigens licite illud procurat et petit, ut exemplis supra positis patet. Est enim in præsenti major ratio, quia magis naturale et intrinsecum est sibi ipsi succurrere, quam aliis. Item quia, si aliis prædictæ actiones sunt licitæ, excommunicato etiam licebit illas petere, et procurare, ut recte Gabriel supra dixit, quia propter commodum et bonum ipsius excommunicati ea omnia licita sunt aliis; ergo et excommunicato ipsi, cum ad ipsum magis spectet suum commodum per licita media procurare.

12. *Quæ communicatio per Extravag.* Ad evitanda, *non prohibetur.* — Dices : per Extravag. *Ad evitanda,* licet aliis communicatio cum excommunicato non denunciato; ipsi vero excommunicato non licet. Respondeo primo non esse simile, quia hæ actiones, de quibus agimus, licitæ sunt ex intrinseca (ut sic dicam) limitatione censuræ, et exceptione quasi naturali lege subintellecta, ob bonum naturæ, seu personæ ipsius excommunicati; illa vero concessio Extravagantis est quasi privilegium, non excommunicato, sed aliis tantum concessum. Deinde addo, quamvis ipsi excommunicato non denunciato nunc non liceat extra casus necessitatis, de quibus agimus, hanc communicationem civilem cum aliis inchoare, si tamen ab ipsis provocetur, non peccaturum cum eis communicando, quia in hoc favori aliorum prospicitur, alioqui infructuosa esset indulgentia illis facta.

SECTIO IV.

Quæ communicatio civilis permissa sit inter conjuges excommunicatos.

1. *Uxor tenetur communicare marito excommunicato.* — Aliud caput excusationis est necessitas conjugii, vel (generalius illud explicando) necessitas legalis, seu debiti justitiæ. Hoc caput comprehenditur sub verbo *Lex,* in citato versiculo; et continetur in dicto cap. Quoniam multos, quatenus ibi excipiuntur uxores, ne teneantur hac lege non communicandi cum marito excommunicato. Primum igitur ob hanc causam non peccat uxor cohabitando cum marito, et ei debitum reddendo, non solum quantum ad conjugalem actum, sed etiam quantum ad alias actiones et obsequia, ac denique quoad totam hanc usualem communicationem. Ita enim intelligendum puto caput prædictum *Quoniam multos,* ob absolutam significationem verbi, *Subtrahimus;* nam si subtrahit Pontifex personam uxoris ab hoc onere non communicandi civili et humano modo cum marito excommunicato, et nullam limitationem, vel certam actionem designat, non est cur nos illam adhibeamus, cum favores potius ampliandi sint. Dicet aliquis id esse verum de communicatione, quæ pertinet ad uxorem ut uxor est; nam sermo illius concessionis debet esse formalis, cum in specialem favorem matrimonii facta sit. Respondetur, quidquid sit de illa metaphysica interpretatione, vix posse in præsenti negotio separari formale a materiali, seu conjugalem communicationem ab humana, et personali; nam uxor exhibere potest marito omnem communicationem, quam vinculum matrimonii, sive ex primario, sive ex secundario fine suo postulat; et hæc adeo est familiaris, ut sine absoluta communicatione humana exerceri non possit; ergo tota hæc communicatio est uxori concessa.

2. Addit vero Innocentius III, cap. Inter alia, de Sententia excommunic., exponens prædictum textum Gregorii, non solum posse, sed etiam teneri uxorem ad communicandum marito excommunicato, quantum videlicet spectat ad omnia, ad quæ ex vinculo matri-

monii obligabitur. Et rationem reddit, quia excommunicatio mariti non privavit illum jure suo, et consequenter non abstulit debitum, aut obligationem uxori; tenetur ergo tale debitum solvere. Imo propter hoc debitum solvendum licita est illi communicatio; ergo ita est licita, ut sit etiam sub obligatione, quia sine illa debitum solvi non potest. Ex quo inferunt aliqui hanc concessionem non fuisse (ut sic dicam) ex benignitate juris positivi, sed ex divino et naturali jure illam præcipiente, quia solutio debiti ex justitia est naturali jure necessaria; ergo et illa communicatio, quæ ad tale debitum solvendum necessaria est, eodem jure non solum licita est, sed etiam obligatoria. Unde ulterius inferunt, adeo esse necessariam hujusmodi communicationem, ut non potuerit Ecclesia illam prohibere, cum nihil possit contra jus divinum et naturale præcipere.

3. *Non ex divino aut naturali jure, sed ex benignitate positivi juris. — Objectio. — Solvitur.* — Hanc vero sententiam, quantum ad præsentem rem spectat, falsam esse opinor; et in primis expendo verba illa Innocentii III in dict. cap. Inter alia : *Cum adhuc debitum duret, beneficio canonis id agente, a priori non sunt obnoxietate solutæ.* Ubi licet non loquatur in particulari de uxore, loquitur tamen generatim de omnibus personis, de quibus Gregorius locutus fuerat; et de omnibus ait, *beneficio canonis* retinere illud debitum, et obligationem; ergo non privari vel suspendi non est ita naturale, quin Ecclesia, si sua potestate et rigore uti velit, possit hujusmodi communicationem impedire. Nam sicut privat Regem jure regni, et subditos eximit ab obligatione juramento firmata parendi principi excommunicato, ita posset maritum privare usu juris petendi debitum ab uxore, et consequenter etiam liberare uxorem ab obligatione reddendi debitum, et parendi marito, vel cohabitandi cum illo, quamdiu rebellis Ecclesiæ fuerit. Et interdum hoc expedire poterit, si propter hæresim seu apostasiam excommunicatus esset, ut colligitur ex multis Decretis, quæ, 28, quæst. 1, referuntur. Quanquam id magis sit propter periculum, quod ex tali crimine oritur, quam propter solam censuram. Aliquando tamen propter nimiam pertinaciam excommunicati, maxime si contra commune bonum cedat, potest Ecclesia prohibitionem communicationis usque ad ipsas etiam uxores restringere. Quia vero moraliter et regulariter id non expedit, ideo Ecclesia jus conjugii integrum manere voluit, non obstante excommunicationis censura. Ex quibus solvitur objectio, quæ contra Innocentium III fieri posset; nam hæc concessio est veluti privilegium non in favorem ipsius excommunicati, sed uxoris non excommunicatæ datum; ergo quamvis illa possit licite illo uti, non tenetur; nam hoc jam non esset privilegium, sed gravamen. Dicendum enim est, hoc non esse proprie privilegium personæ, sed status, seu ipsiusmet matrimonii, filiorum, ac communis boni, ad quod ipsum ordinatur; ratione cujus integrum, ut dicebam, manet jus, quod ex hoc vinculo nascitur; et inde fit, ut non solum possit, sed etiam debeat uxor hanc communicationem marito præstare.

4. *Num quæ excommunicato nupsit, possit marito communicare. — Rationes dubii pro utraque parte.* — Sed quæret aliquis, an hoc procedat, etiamsi matrimonium cum homine jam excommunicato contractum sit; non est enim dubium, quin tale matrimonium sit validum, ut supra dixi ex cap. Significasti, de Eo qui dux. in matrimon. Ex quo fieri videtur, ut post tale matrimonium uxor uti possit et debeat communicatione mariti. Nam Gregorius in dicto cap. Quoniam multos, simpliciter, et sine ulla restrictione de uxore loquitur; illa autem vera uxor est. In contrarium est, quia in cap. Inter alia, de Sent. excomm., insinuat Innocentius III, omnes personas, quæ in dicto cap. Quoniam multos, excipiuntur, debere esse obnoxias illi debito seu communicationi ante excommunicationem, ut postea possint ratione illius communicare; quod patet ex illis verbis, quæ habentur in propositione quæstionis : *Præsertim quæ prius ad communionem eorum ex debito tenebantur*, ubi Glossa advertit, illud *præsertim*, accipiendum esse pro *tantum*, non pro *maxime : Alias* (inquit) *falsum redderet sensum.* Unde Pontifex in responsione ad quæstionem, ait : *Cum quædam personæ in præmisso capitulo denotatæ, illis, in quos lata fuerat excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius obsequio tenerentur, familiariter adhærere*, etc.; ergo a contrario sensu, si ante excommunicationem non erat debitum contractum, non fruuntur omnes illæ personæ concessione illius canonis, inter quas una est uxor. Accedit, quod quæ excommunicato nupsit, censuram Ecclesiasticam violavit; ergo non debet uti illo jure male acquisito contra observantiam et rigorem

ipsius censuræ, argument. cap. In audientia, de Sent. excomm. Et potest etiam confirmari a simili; nam si alter conjugum fit excommunicatus propter matrimonium illicite contractum, non potest alter communicare cum illo, ut docet Sylvester, verb. *Excommunicatio,* 5, num. 4, vers. 2; ergo a simili, cum matrimonium illud illicite contractum sit contra censuram, imo et propter illud excommunicatio saltem minor incursa sit, non poterit uxor, ratione illius matrimonii, postea communicare cum marito excommunicato.

5. *Prima sententia.* — Quidam affirmant, hanc concessionem procedere, etiamsi matrimonium cum excommunicato contractum sit. Ita tenet Ugol., tab. 2 de Censur., cap. 23, § 6, num. 1, solum ex illo fundamento, quod verba Gregorii generalia sunt. Potestque hoc confirmari; quia alias etiam filius natus post excommunicationem parentis, non esset sub potestate ejus, nec teneretur illi communicare. Quod si hoc non procedit in filio, quia vinculum ejus est naturale, idem dicendum erit de uxore; nam postquam matrimonium validum fuit, vinculum omnino naturale est. Et ideo Glossa in dicto cap. Inter alia, dixit, decretalem illam, *Quoniam multos*, quoad has personas non esse constitutivam, sed declarativam juris naturalis, quod jus versatur inter maritum et uxorem, etiamsi, altero excommunicato, contraxerint; ergo declaratio illa etiam in eis locum habet. Juxta quem discursum illa interpretatio, vel limitatio, quæ adhibetur in dict. cap. Inter alia, intelligenda erit de aliis personis humilibus, quæ jure, vel contractu humano alii subjiciuntur, ut famuli, etc., de quibus statim, non vero de uxore aut filiis, quod significavit Cajetan., in Summ., cap. Participatio cum excomm., etc.; nam explicans illud verbum *lex,* citati versiculi, sine limitatione ait, uxorem debere communicare marito; statim vero explicans verbum *humile,* quoad servos, ancillas, etc., subjungit, et intelligit de iis, qui erant, antequam excommunicatus esset, in hujusmodi servitiis. Atque ex eodem fundamento facile solvitur alia conjectura; nam, licet tale matrimonium cum excommunicato illicite contractum fuerit, quia tamen validum fuit, naturale jus ex illo ortum est, quod integrum manere Ecclesia declaravit. Id vero, quod in altera conjectura sumitur, incertum est, neque a Sylvestro aliqua ratione, vel auctoritate probatur. Unde alii illud limitant, quando excommunicatio conjugis lata est in causa matrimonii, quia lis est, an sit legitime contractum, ut Soto, dist. 22, quæstion. prim., articul. 4, conclus. 5. Quod verum est, tum quia illa non potest tunc dici simpliciter uxor, cum sit uxor dubia; tum etiam quia ex tali matrimonio nondum ortum est conjugale debitum, cum ejus usus, stante illo dubio, illicitus sit. Ex illo autem antecedente sic limitato nihil ad præsens inferri potest, cum loquamur de uxore certa et indubitata; quia licet matrimonium fuerit illicite contractum, non est tamen dubium, quin fuerit validum. Sic ergo sententia hæc defendi probabiliter potest.

6. *Vera sententia.* — Nihilominus contraria mihi verisimilior est, cui multum favet D. Thomas, in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4, ubi explicans dictum cap. Quoniam multos, cum dixisset, in eo excipi uxorem, servum, filium, rusticum et servientem, subdit : *Sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis, alias teneretur vitare patrem; de aliis autem intelligitur quod licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderunt, non autem si post.* Ubi expendo exceptionem filii emancipati cum generali regula respectu aliorum, quæ per exceptionem in contrarium firmatur; ergo tam de uxore, quam de aliis illa posteriora verba D. Thomas intellexit, juxta mentem Innocentii III, qui in dict. cap. Inter alia, generaliter locutus est; et limitatio quæ ab aliis ponitur, neque in verbis ejus, neque in aliqua cogente ratione fundata est. Imo, cum ex iniquitate sua nemo debeat commodum reportare, non est rationi consentaneum, ut propter pravam communicationem, quam illa mulier habuit cum excommunicato, quando illi nupsit, possit illi postea licite et impune communicare. Quapropter opinor post hujusmodi matrimonium non posse uxorem incipere cohabitare marito, neque exigere aut reddere debitum, donec ille ab excommunicatione absolvatur. Neque est verum, illam constitutionem Gregorii esse tantum declarationem juris naturalis quoad hanc partem, et non includere etiam benignam Ecclesiæ concessionem, ut supra diximus, et Innocentius III plane significat. Nam jus naturale hic non obligat nisi supposito jure utriusque partis non impedito; quod ergo inter conjuges non impediatur per censuram, non ad solam declarationem, sed ad concessionem Ecclesiæ spectat, ut supra dixi. Hæc autem concessio supponit jus acquisitum legitime

inter partes ante censuram. Et hoc modo loquitur Gregorius in dicto capite, tam de uxore, quam de aliis, ut Innocentius exposuit, et ipsa materia postulat. Ac proinde fundamentum contrariæ sententiæ vim non habet.

7. *Quæ bona fide excommunicato nupsit, potest cum illo cohabitare. — Quæ excommunicato non vitando nupsit, etsi postea denuncietur, debet illi communicare.* — Excipio tamen ab hac regula illam uxorem, quæ bona fide contraheret cum excommunicato, quem excommunicatum esse ignorabat; nam tunc, cum nihil egerit contra censuram, non est cur suo jure privetur. Et quia formaliter, ac moraliter loquendo, illa dici potest contraxisse ante excommunicationem latam, quantum ad ipsam, id est, ita ut teneretur illum vitare, et consequenter dicetur contraxisse cum non excommunicato in sua æstimatione seu conscientia. Et ob rationem non dissimilem opinor, si quæ mulier nunc contrahat matrimonium cum excommunicato non vitando, etiamsi ille postea denuncietur, posse illi communicare, juxta dictum cap. Quoniam multos, quoniam illa nihil egit contra censuram, et quantum ad ipsam spectat, respectuque illius erat quasi non excommunicatus. Quoties ergo ante censuram impositam ac sufficienter denunciatam matrimonium contractum fuerat, mariti excommunicati communicatio non est uxori interdicta.

8. *Uxor non solum reddere, sed etiam exigere debitum potest a marito excommunicato.* — Ex quo evidenter et absque ulla dubitatione sequitur, non solum posse hujusmodi uxorem reddere debitum marito petenti, sed etiam licite posse illud exigere; quæ est communis sententia, quando excommunicatio subsecuta est matrimonium, vel saltem uxor bona fide contraxit : tum quia nulla est ratio, cur illa tunc privetur jure suo; tum etiam quia generaliter licitum est cuivis creditori a suo debitore excommunicato debitum exigere, c. Intelleximus, de Judiciis; ergo et uxori licebit exigere debitum a marito excommunicato. Et tunc consequenter non est dubium, quin marito excommunicato liceat illud reddere; imo et quod ad id teneatur, quia plus tenetur excommunicatus ad solvendum debitum non excommunicato petenti, quam non excommunicatus ad solvendum debitum excommunicato; imo illud est tam intrinsecum et naturale, ut regulariter non possit per Ecclesiam impediri, quia nullus innocens debet privari jure suo propter peccatum alterius, cum tamen excommunicatus propter culpam suam merito possit.

9. *Possitne excommunicatus licite ab uxore debitum petere. — Opinio negans.* — Major difficultas est, an ipse maritus excommunicatus possit licite ab uxore petere debitum. Glossa enim in dicto c. Quoniam multos, negat hoc ei esse licitum, quanquam, si id faciat, concedat teneri uxorem ad reddendum. Fundamentum esse potest, quia excommunicato nulla datur actio ad petendum debitum, generaliter loquendo, c. Decernimus, de Sent. excom., in 6; ergo neque in hoc speciali casu illam habebit. Vel etiam quia in dicto capit. Quoniam multos, nihil conceditur excommunicatis ipsis, sed solum aliis, qui cum eis communicant. Et hanc opinionem sequitur Jacobus de Graffis, lib. 4 Decis. casuum conscient., c. 13, num. 6. Contrariam tamen sententiam veriorem esse opinor. Quam indicat Panorm., in c. Inter alia, de Sent. excom., num. 4, et a fortiori Hostiensis, ut statim referam, et tenet Turrecrem., in dict. c. Quoniam multos. Intelligitur autem quando vinculum matrimonii antecessit excommunicationem. Probari autem potest ex concessis ab adversario; nam uxor tenetur reddere debitum marito excommunicato petenti; ergo alter potest licite petere; nam unusquisque licite petit ab alio, quod alius facere obligatus est. Sed hæc ratio non est convincens, quia, si maritus qui castitatem vovit, petat debitum, uxor tenetur reddere ; et tamen ipse non licite petit. Et ratio est, quia sunt jura, aut debita diversarum rationum; jus enim ad petendum est justitiæ; malitia vero petitionis est contra obedientiam, vel religionem; debitor autem solvere tenetur quod ex justitia debet, etiamsi creditor aliunde contra religionem peccet, vel obedientiam. Et confirmatur, quia non habet uxor jus cogendi maritum, negando illi jus suum, ut obediat Ecclesiæ, sicut nec ut servet castitatem. Hac ergo ratione defendi posset, quod uxor teneatur reddere, et quod maritus non possit absolute licite petere, quamvis possit, intra latitudinem solius justitiæ stando.

10. *Respondetur ad capit. Quoniam, pro contraria opinione allatum.* — Verumtamen hinc ulterius procedendo fit valde credibile, Ecclesiam non prohibere hujusmodi excommunicato, quominus licite petat debitum. Primo quia absolute non privavit illum actuali jure petendi, quamvis possit, ut dixi;

ergo verisimile est non privasse illum potestate licite petendi, quia illud jus sine hac potestate, moraliter loquendo, valde periculosum esset. Deinde illud esset valde onerosum uxori non excommunicatæ. Præterea aliæ communicationes, quæ in eo c. Quoniam multos, continentur, sicut licitæ sunt ex parte aliorum communicantium cum excommunicato, ita etiam ex parte ipsius excommunicati, quamvis ab eo incipiant; ut, v. gr., licitum est servo, vel familiari obedire domino excommunicato imperanti; et ideo licitum etiam est domino excommunicato imperare et uti suis familiaribus, quia alias et periculosa, et moraliter inutilis esset illa concessio, ut inferius magis declarabimus; ergo pari ratione idem dicendum est in præsenti, quia idem, vel majus est periculum, et quia textus eodem modo de omnibus loquitur. Præterea facit, quod Gregorius simpliciter dicit, se subtrahere has personas a vinculo anathematis; ergo ita subtrahit, ut communicatio non sit prohibita; ergo neque illis cum excommunicato, neque excommunicato cum illis.

11. *Satisfit fundamento sumpto ex cap. Decernimus.* — Atque ita sufficienter responsum est ad illum textum, quatenus pro contraria parte adducebatur. Ad aliud vero fundamentum illius sententiæ dicendum est, aliud esse agere de petitione privata, quæ obligat alium in conscientia ad reddendum debitum et ad cohabitandum, etc., aliud vero de actione forensi, per quam aliquis postulat in judicio, ut uxor compellatur ad cohabitandum, etc. Nos in priori sensu locuti sumus, et contra illud non procedit c. Decernimus, in quo est sermo de actione in judicio. Nam excommunicatus non privatur usu privato rerum suarum, neque illis actionibus, quæ ad earum custodiam vel conservationem spectant; sic ergo dicimus posse licite uti uxore sua, et petere debitum.

12. *Num possit maritus excommunicatus in judicio petere, ut uxor secum cohabitet.* — Altera vero quæstio, non nostra, sed propria Canonistarum est, inter quos sunt dissentientes sententiæ, sed omnes favent superiori resolutioni, et ideo solum quantum ad hoc illas attingam. Hostiensis itaque in Sum., tit. de Restit. spoliat., § Quando facienda, etc., affirmat, maritum petentem in judicio cohabitationem uxoris suæ, non posse repelli exceptione excommunicationis; ergo supponit a fortiori licitum esse excommunicato petere, et procurare cohabitationem, et usum uxoris suæ, quia, si hoc esset contra excommunicationem, repelleretur in judicio. Juxta quam sententiam limitabitur cap. Decernimus, ut non procedat in causa matrimonii, propter favorem ejus, vel melius, ut non procedat in iis rebus, quarum usu et communicatione non privatur excommunicatus ex vi excommunicationis, et tamen de facto injuste illis spoliatur solo titulo ejusdem excommunicationis, quod satis verisimile est. Oppositum tamen tenuit Abb. in dict. c. Inter alia, referens alios, qui addunt, judicem debere ex officio suo uxorem marito restituere, propter periculum fornicationis. In quo etiam sentiunt non esse illicitum, neque excommunicationi contrarium, quod maritus propter illud periculum vitandum ab uxore debitum petat, quandoquidem propter hoc judex ex officio illi uxorem restituit.

13. *Possitne maritus non excommunicatus cum uxore excommunicata communicare.* — *Sententia negans.* — Aliud vero dubium ex prædictis nascitur, scilicet an quæ diximus de uxore non excommunicata, et marito excommunicato, locum habeant, si e converso uxor excommunicata sit, et non maritus. Multi enim Canonistæ negantem partem secuti sunt, dicentes maritum non excommunicatum non posse communicare cum uxore excommunicata; ita Hostiensis, in Sum., tit. de Sent. excom., num. 15; versic. *Lex,* et alii, quos refert et sequitur Sylv., *Excommunicatio,* 5, num. 4. Fundamentum est, quia Gregorius in dict. c. Quoniam multos, solum de uxore mentionem facit, quod non casu, aut sine causa factum videtur; quandoquidem si vellet maritum comprehendere, vel nominaret illum, vel communi nomine conjugis uteretur; non ergo licet nobis illam concessionem extendere, cum non desit ratio, ob quam potuerit fieri uxori, et non marito, quia cum uxor sit sub potestate mariti, quodammodo ei imputatur, vel negligentia ejus esse præsumitur, quod contumax sit. Unde, ut munus suum diligentius exequatur, procurando, ut uxor resipiscat, ei non conceditur, ut cum ea communicet; uxor vero non ita debet corrigere maritum, sed illi subesse, et ideo illi conceditur, ut cum illo communicet.

14. *Sententia affirmans vera.* — Nihilominus censeo, omnia, quæ diximus de uxore erga maritum excommunicatum, eodem modo procedere in marito non excommunicato uxorem excommunicatam habente; quæ sententia sumitur ex D. Thom., in 4, dist. 18,

quæst. 2, art. 4; clarius id docuit Turrecremata, in dict. cap. Quoniam multos; Gabriel, in 4, dist. 18, quæst. 3, art. 1; Cajetan., in Sum., c. de Particip.; Angel., verb. *Excommunicatio,* 8, num. 8; Navarr., c. 27, num. 27; Covarr., c. Alma, p. 1, § 1, num. 8, qui alios refert. Ratio sumenda est ex communi lege matrimonii, quæ quoad mutuam communicationem æque obligat utrumque conjugum; et ideo quoad præsens eadem est utriusque ratio. Ut enim dicitur in c. Gaudeamus, de Divortiis, *maritus et uxor in negotio matrimonii non ad imparia judicantur;* quod maxime verum habet in his, quæ spectant ad mutuam cohabitationem, et debitum officium persolvendum; ergo, sicut maritus frui potest consortio, et obsequiis uxoris, ita et uxor excommunicata, societate et officio mariti. Accedit ratio, quam expendit Innocent. III, in dicto c. Inter alia, de Sent. excom., dicens : *Cum adhuc debitum duret, a priori non sunt obnoxietate solutæ;* nam hæc ratio æque procedit in uxore excommunicata, quia non erat minus debitum ejus quam mariti, neque excommunicatio in illa est major, aut efficacior, quam in marito; ergo non magis est libera ipsa a priori obnoxietate, quam sit maritus, quod satis significat Innocent. in plurali dicens, *non sunt.* Quod si illa non est libera, nec maritus, cum excommunicatus ipse non sit, privatus erit jure petendi et reddendi debitum, nec qualibet alia communicatione, quæ ad hanc ordinetur. Mirum enim esset, ut maritus excommunicatus non privetur hoc jure seu executione vel usu ejus, et quod non excommunicatus privetur propter excommunicationem uxoris. Si autem maritus potest petere debitum ab uxore excommunicata, et ipsa sine dubio potest reddere, et e contrario poterit etiam ipsa petere, et maritus tenebitur reddere, cum non sit pejoris conditionis fœmina, quam vir, eo quod sit fragilior. Imo ob hanc rationem debuisset jus, si fieri posset, plus illi favere; non esset autem favor, sed gravamen, si quando ipsa excommunicata est, petere non posset. Nulla ergo legitima differentiæ ratio reddi potest. Et ideo non dubito, quin nomine uxoris in dict. c. Quoniam multos, uterque conjugum comprehendatur; nomine autem uxoris usus est Pontifex, vel quia in omnibus personis ibi numeratis humiles et subditas recenset, vel quia frequentius contingit viros, quam fœminas excommunicari.

15. *Si uterque conjux excommunicatus sit, non privantur mutua communicatione.* — *Notandum pro hujusmodi excommunicatis.* — Atque ex his constat, quid dicendum sit, si uterque conjugum excommunicatus sit; nam consequenter asserendum est, eos non privari mutua communicatione quoad petitionem et redditionem debiti, et alia obsequia, æque ac antea. Ratio est, quia excommunicatio non plus operatur in singulis, eo quod insit utrique, quam si sit in altero tantum extremorum seu conjugum; nam effectus excommunicationis non crescit in marito, eo quod uxor excommunicata sit, vel e contrario; ergo si maritus excommunicatus potest communicare cum uxore non excommunicata, etiam poterit cum excommunicata, quantum est ex vi suæ excommunicationis. Aliunde vero etiam excommunicatio uxoris non impedit, quominus cum illa communicare possit, ut ostensum est; ergo illæ excommunicationes simul sumptæ non possunt inducere illud impedimentum, quia non uniuntur (ut sic dicam) ut habeant aliquem specialem effectum, qui ex alterutra earum per se non nascatur; neque in jure fundari potest, cum tamen omnes hi effectus ex jure positivo pendeant. Quæ ratio eodem modo fieri potest ex parte uxoris, et ideo in dict. c. Quoniam multos, simpliciter excipitur uxor, nec limitatur, ut necesse sit ipsam excommunicatam non esse. Cavendum est autem, quando uterque conjux excommunicatus est, ne per mutuam communicationem alter alterius contumaciam foveat, quod maxime timeri potest, quando propter idem crimen excommunicati sunt; tunc enim communicatio illa transiret in communicationem in crimine, unde esset novum peccatum mortale. Quod etiam observandum est, quando alter conjugum tantum excommunicatus est; nam si alter foveat delictum alterius, vel sit in causa, ut in excommunicatione obdurescat, jam erit communicatio in crimine, quæ intrinsece mala est. Quod Doctores omnes peculiariter observandum monent, quando uxor excommunicata est, quia maritus ex officio tenetur avertere uxorem a contumacia; et ideo magis imputabitur ei, si in hoc sit negligens.

16. *Num quando censura fertur in participantes, comprehendat conjugem.* — Hinc denique facile intelligitur, si excommunicatio feratur in participantes, an et quomodo pertinere possit ad conjuges quoad mutuam communicationem. Hæc enim excommunicatio jam non potest ordinario jure ferri per generalem

sententiam, juxta c. Statuimus, de Sent. excomm., in 6. Si autem Summus Pontifex sua potestate utens, vel alius ex ejus commissione illam ferret, non propterea privaret conjuges communicatione sibi jure concessa, quia illa sententia solum prohibet sub graviori censura illam participationem, quæ per excommunicationem communem prohibita est sub censura minoris excommunicationis, non autem prohibet communicationem alias non prohibitam; neque alius est sensus illius censuræ, quia juxta terminos juris fertur, nisi Summus Pontifex de sua potestate absoluta aliud explicet. At vero talis excommunicatio comprehendet conjuges, si unus alteri communicet in crimine; nam hæc communicatio nec in jure concessa est, nec concedi potuit. Atque eodem modo limitanda esset similis censura contra participantes, si per sententiam specialem ferretur in unum conjugum respectu alterius, præcipiendo, scilicet, uni ne communicet alteri excommunicato sub eadem censura, quia judex non potest prohibere communicationem, quam jus ipsum, et Summus Pontifex concedit, c. Cum inferior, de Major. et obedient.; ergo ut illud mandatum sit justum, restringendum est ad eam communionem, quæ non est concessa, sed prohibita uxori cum marito excommunicato, et e converso, qualis præcipue est communicatio in crimine, vel etiam communicatio in divinis, quam nec obligatio, nec status matrimonii secum affert.

SECTIO V.

An personæ subjectæ excusentur a culpa, suis superioribus excommunicatis civiliter communicando, et e converso.

1. Ultimum caput hujus excusationis est necessitas subjectionis, seu obedientiæ, quod declaratur in illo vulgari versiculo per verbum *humile,* et ratione illius excipiuntur a Gregorio in dicto c. Quoniam multos, quatuor vel quinque genera personarum, scilicet, *filii, servi, ancillæ, seu mancipia, et rustici servientes, et omnes alii, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur.* De quibus sigillatim nonnulla declaranda sunt, deinde aliqua omnibus communia, vel annexa tractanda.

2. *Per particulam humile, excipiuntur filii.* — Quod ergo ad filios spectat, ratio exceptionis clara est, quia filius debet patri obedientiam, quod vinculum adeo naturale, et debitum est, ut per censuram auferri non debuerit, nec fuerit conveniens usum et executionem ejus impediri. Item quia neque erat expediens filium a patre excommunicato separari; id enim, per se loquendo, et onerosum ipsi filio esset, et cederet in detrimentum ejus, quod per censuram non intenditur; filius autem manens sub patris potestate, non poterat, moraliter loquendo, non communicare cum illo; ne igitur excommunicatio illi esset in scandalum, et occasionem lapsus, merito illa obligatione liberatus est. Quæ rationes maxime procedunt de filiis legitimis, et sub cura parentis existentibus, de quibus proinde nulla est dubitationis occasio. Et eodem modo est certum, filiorum nomine filias comprehendi, tam respectu patris, quam matris, quia textus absolute loquitur de filiis, qui æqualiter dicunt respectum ad utrumque parentem, et filiorum nomine constat utrumque sexum comprehendi, ut est vulgare apud Juristas, et in usu Latinorum, et maxime ubi eadem, vel potior ratio est de fœminis, ut est in præsenti quoad patriam protectionem, et communicationem. Nec refert, quod in dicto capitulo servi et ancillæ distincte numerentur, non vero filii et filiæ, quia non est necesse, ut hoc aliquo peculiari mysterio factum sit.

De filiis, dub. 1.

3. *Num filii emancipati cum parentibus excommunicatis communicare possint. — Communis sententia negans.* — Hoc ergo ut certo constituto nonnulla oriuntur dubia. Primum est, an filii emancipati hoc gaudeant privilegio. Communis sententia negat cum D. Thom., in 4, d. 18, quæst. 2, art. 4, cujus verba supra citavi. Richard. ibi, art. 6, quæst. 1; Gabr.; quæst. 3, notab. 3; Soto, d. 22, quæst. 1, art. 4, concl. 3. Idem tenuit Hostiens., in Sum., tit. de Sent. excom., num. 15, verb. *Humile;* Turrecr., dict. c. Quoniam multos, cum Glossa ibi; et Summistæ communiter, Navarr., c. 27, num. 27; Sylvest., *Excommunicatio,* 2, num. 4, vers. 3; Angelus, Armil., et alii. Plures autem ex his Doctoribus addunt limitationem, nisi filius emancipatus sit commensalis patris, ita ut cum illo habitet, et ab illo habeat necessaria. Quam limitationem D. Thom. omisit, et merito, non quia falsa sit, sed quia non necessaria, quia illud non convenit filio emancipato quia filius est, sed quia tunc est de familia patris, quod commune est omnibus aliis commensalibus, seu

qui sunt de familia. Filius ergo emancipatus juxta hanc sententiam, si non habet alium titulum communicandi, ex eo tantum quod filius est, communicare non potest. Fundamentum est, quia filius emancipatus jam est quasi extraneus, nullaque indiget communicatione cum parente; ergo non est, cur illi concedatur communicatio cum illo, si excommunicatus ille sit. Et ideo nihil obstabit, quod in dicto cap. Quoniam multos, absolute filii eximuntur, et non cum limitatione ad eos, qui sunt sub patria potestate, quia consideranda est ratio et intentio illius legis, quæ ex principio ejus colligitur, scilicet tollendi periculum agendi contra excommunicationem ob aliquam necessitatem humanam. Quæ ratio in filiis jam emancipatis locum non habet, et ideo intelligimus Pontificem locutum esse de filiis actu subjectis, et communicatione indigentibus.

4. *Sententia affirmans.* — *Resolutio.* — Nihilominus oppositam sententiam tenent aliqui moderni, et eam tenuit Palud., 4, estque apparens, et probabilis. Primo, quia Gregorius simpliciter excipit filios, et favores ampliandi potius sunt, quam restringendi. Secundo, quia filius, quantumvis emancipatus, retinet naturale debitum obsequendi patri, ut per se notum est; ergo propter excommunicationem parentis suo debito seu obnoxietate non liberatur; ergo ad idem obsequium tenetur; ergo ad communicationem, quæ ad illud requiritur, juxta cap. Inter alia, de Sentent. excom. Quapropter dicendum censeo, filium emancipatum, quatenus filius est, communicare posse parenti excommunicato, licet quatenus emancipatus est, vitare illum debeat in iis, quæ sunt propria filii, non prout filius est, sed prout est sub patria potestate. Et ita intelligo vel limito communem sententiam. Et sic declaro, nam filius emancipatus tenetur obedientiam, reverentiam et subsidium exhibere parenti excommunicato eodem modo, quo ante excommunicationem tenebatur; hoc enim mihi probat efficaciter ratio facta, et ideo non credo peccare illum, si coram parente excommunicato surgat et caput aperiat, neque si amplexum, vel aliud simile signum amoris exhibeat, vel si ei aliquid præcipienti obediat; hæc enim et similia sunt obsequia debita parentibus, quorum obligatio inseparabilis a filiis est. Neque Ecclesia voluit illius usum impedire, quia nec decebat, nec expediebat. Neque ab his separabilis est illa necessitatis ratio, propter naturale vinculum, atque etiam inclinationem, quæ semper manet. Non vero licebit filio emancipato novam, aut majorem communicationem cum parente habere, seu inchoare; ut si jam habitabat extra illius domum, non licebit cohabitare cum illo, aut alias actiones familiaris communicationis exercere, quod probat sufficienter fundamentum communis sententiæ.

5. *Num filii naturales illegitimi hoc gaudeant privilegio.* — *Decisio.* — Et juxta hæc potest expediri dubium aliud de filiis naturalibus seu illegitimis, an hoc etiam privilegio gaudeant, quia hi frequentius non solent esse sub potestate parentum, vel cum illis habitare, et ideo non videtur eis ita necessaria hæc communicatio. Nec jura solent his filiis illegitimis privilegia concedere. Nihilominus dico posse hos filios suis parentibus communicare, tum quia appellatio filii generalis est, et in rigore illos comprehendit; tum etiam quia etiam in illis est naturale debitum exhibendi obsequium parentibus. Quapropter, si adhuc sint sub cura parentum, et ab eis alantur, etiam possunt cum parentibus cohabitare, si parentes velint, et cum illis communicare in omnibus rebus, quas et talis conjunctio, et hujusmodi vitæ communitas secum affert. Si autem sunt jam emancipati, ita de illis loquendum est, sicut de legitimis. At vero, si sint quasi in statu medio, ut frequenter esse solent, maxime in ætate puerili, scilicet, quod sunt sub cura parentum, et eorum expensis aluntur, non tamen immediate cum illis vitam agunt, seu cohabitant, tunc, quatenus sic separati sunt, videntur debere vitare eam communicationem, quæ secundum illum statum necessaria eis non est, nec a parentibus exigitur. Quod quidem est satis verisimile, magisque securum, cum illa communicatio nec cum ratione filii ut sic conjuncta sit, neque cum tali statu, et vivendi modo. Hoc vero pari ratione dici posset de filiis legitimis, quando contingit eos separatos a patre vivere; licet hoc differat inter eos, et emancipatos, quod possunt transire ad cohabitationem cum parente excommunicato, si ipse velit. Non debent tamen ipsi filii sese immiscere, aut invitare, quanquam in hoc non sunt nimis rigorose cogendi, aut scrupuli eis injiciendi, cum jura absolute illos excipiant.

6. *An filii adoptivi sub hac limitatione comprehendantur.* — *Conclusio.* — *Quid de filio adoptivo respectu parentis naturalis.* — Tertium et majus dubium est de filiis non veris,

sed adoptivis, qui dici solent tantum legitimi, quasi lege comparati, an sub hac exceptione et concessione comprehendantur. Videntur enim non comprehendi, quia hi non sunt veri filii, sed valde analogice; jus autem loquens absolute de filiis, juxta proprietatem verborum de propriis ac veris filiis intelligendum est. Præsertim, quia in iis non est illud naturale vinculum et obligatio, ratione cujus hæc exceptio filiorum fit. In contrarium vero est, quia filii adoptivi appellatione absoluta filiorum in jure venire solent, ut colligitur ex l. Adoptivum, ff. de In jus vocando. Cum ergo favores ampliandi sint, etiam ad illos videtur hæc concessio extendenda. Accedit quod, quantum spectat ad convictum humanum, eumdem habet filius adoptivus cum patre ac naturalis. Quare dicendum est, si hujusmodi filii sint sub cura parentum, et commensales illis, posse parentibus communicare, sive quia filii aliquo modo sunt, et sub hac appellatione comprehendi possunt, præsertim quoad favorabilia, vel certe quia sunt familiares illi, et inierunt cum illo societatem, et major ratio in illis est ad communicandum, quam in servis et famulis. At vero, si jam sint omnino emancipati, et extra cohabitationem parentum, absolute negandum est posse illis communicare, quia in hujusmodi filio non manet post emancipationem naturale vinculum, et peculiaris ratio obsequendi parenti, quæ manet in filiis naturalibus, et ideo etiam juxta jura civilia adoptivi filii jam emancipati inter liberos nullo modo connumerantur, ut dicitur in § Adoptivi, de Exhæredatione liberor. In eo vero textu observandum est, etiam filios ab uno adoptatos, quamdiu sunt in adoptiva familia, tanquam extraneos haberi respectu parentis naturalis. Quare dubitari posset, an filius adoptivus unius, et sub ejus adoptione et cura actu existens, possit commmunicare suo parenti naturali excommunicato. Et dicendum censeo idem judicium de hoc esse, ac de filio naturali emancipato, quia semper retinet naturale illud et inseparabile vinculum, ratione cujus illa communicatio ei licita est, quæ a tali vinculo separari non potest. Alia vero, quæ pendet ex actuali convictu, et societate humana, prohibita illi erit, sicut filio emancipato, et eadem ratione.

7. *Nomine filiorum veniunt aliqui affinitate conjuncti.* — Atque eodem modo judicandum censeo de aliis personis, quæ loco filiorum moraliter haberi solent, atque ita nominantur ratione specialis affinitatis, ut de nuru et genero respectu soceri, et socri, et de privigno, et privigna, respectu novercæ, et vitrici, de quibus in § Affinitatis, Institut. de Nupt. Si enim sint commensales parentibus, poterunt cum illis communicare sicut filii, vel propter participationem appellationis, cum qua et necessitatem communicationis participant, vel propter generalem rationem familiarium et sociorum; credo tamen sub utraque ratione comprehendi, et appellationem filiorum in hoc privilegio ad illos extendi, quantum eorum status et conjunctio postulat. Ita enim favorem hunc æquum est extendi, quantum ratio ejus, et verba patiuntur. At vero, si hujusmodi personæ jam sint omnino extra convictum suorum correlativorum, et quasi emancipatæ, nullus titulus communicationis licitæ in eis manet, quia, cum non sint veri filii naturales, non manet in eis illud peculiare vinculum, quod in filiis naturalibus emancipatis manere diximus; sola vero affinitas, quæ relinquitur, non est sufficiens principium inducens naturalem obligationem adeo intrinsecam, ut ratione illius dicamus, licitam esse talem communicationem seclusa actuali subjectione et cohabitatione.

8. *Quid de nepotibus. — De pupillo respectu tutoris. — Appellatione filii in illo textu non veniunt filii spirituales.* — Atque ita censeo exponendam esse hanc legem quantum ad nepotem, vel pronepotem respectu avi, vel progenitorum; nam et hos civilia jura filiorum nomine comprehendunt, l. Filii, et l. Liberorum, ff. de Verb. signif., et communi æstimatione in eodem fere gradu habentur, præsertim quando sunt sub cura avorum et ab eis aluntur seu nutriuntur; quamdiu ergo ita conjuncti sunt, cum excommunicatis progenitoribus communicare possunt propter rationes hactenus tactas. At vero si jam sint omnino separati, ita sentiendum de iis videtur, sicut de filiis emancipatis, in suo gradu et ordine; non enim manet in eis æquale vinculum, neque æqualis ratio parendi aut referendi, respectu progenitorum, sicut respectu parentum; tamen manet aliqua, quæ suo gradu ad hoc etiam obliget, et ideo etiam illa communicatio, quæ ad hanc obligationem explendam fuerit moraliter necessaria, eis concessa est per prædictum decretum, adjuncta declaratione, et ratione Innocentii in dicto cap. Inter alia. Denique et de pupillo respectu tutoris, qui

parentis munus quoddam sustinet, eodem modo judicandum censeo; nam, si sit sub cura ejus, et commensalis illi, hac ratione poterit cum illo simpliciter communicare; si autem sit separatus, solum in iis, quæ ad munus tutoris pertinent, et sine quibus convenienter peragi non potest, communicabit. Et hæc videntur sufficere ad declarationem illius vocis *filii*; nam aliud genus filiationis spiritualis, quod a Theologis consideratur, inter baptizantem, et baptizatum, suscipientem, et susceptum, juxta titulum *de cognatione spirituali,* aut inter subditum spiritualiter, et Prælatum suum, hoc (inquam) filiationis genus ad præsens non spectat, quia nec mens Gregorii fuit de his loqui, ut per se constat; neque etiam ex illo nascitur necessitas aliqua hujus civilis communicationis, de qua nunc agitur, præcise considerando rationem talis filiationis; quid vero dicendum sit ratione subjectionis, si illam habeat conjunctam, statim declarabimus.

De servis.

9. *Servi et ancillæ ab onere non communicandi dominis eximuntur.*—Post filios numerantur servi et ancillæ in prædicto decreto, et ab hoc gravamine non communicandi cum suis dominis excommunicatis eximuntur. Vocantur autem ibi servi proprie, qui sub dominio alterius sunt, ut in eodem textu *mancipiorum* nomine apertius declaratur. Nec refert, generatim loquendo, quo jure vel titulo in servitutem redacti sint, dummodo vere servi sint; nam causa vel titulus servitutis ad rem præsentem accidentarius est; oportet tamen ut non solum sint sub dominio, sed etiam sub usu seu convictu suorum dominorum; nam ex hoc proxime nascitur communicatio, et necessitas ejus. Unde si contingeret servum non esse sub potestate domini, sed vel separatim vitam agere, vel alteri inservire, sive ex voluntate domini, sive ex alia justa causa, ita de illo judicandum esset, sicut diximus de emancipato filio; tunc enim ratione separationis communicare non posset cum domino, nisi forte in iis, quæ veluti in recognitionem dominii debita sunt. Neque circa has personas aliud adnotatione vel declaratione dignum occurrit.

10. *Qui servientes ab eodem onere eximantur.*—Ultra hos vero adduntur, in eodem c., reliqui servientes, cum limitatione, *ut rustici sint,* vel *non adeo curiales ut eorum consilio scelera perpetrentur.* Opinor tamen in hoc negotio magis considerandum esse actum, quam potestatem, id est magis considerandum esse, an hujusmodi servientes consilium vel auxilium dederint ad crimina perpetranda, propter quæ excommunicatio lata est, quam quod ingenio et facultate polleant ad id præstandum, si nunquam id præstiterint. Nam si priori modo fuerunt auctores vel cooperatores criminis, nullum privilegium eis voluit concedere Pontifex, ut ex citatis verbis constat. Idque optima ratione, nam qui criminis fuit particeps, eximi non meretur, sed potius fieri particeps pœnæ ac censuræ. Quocirca, si hujusmodi serviens, antequam patronus esset excommunicatus, auxilium vel consilium dedit ad crimen perpetrandum, propter quod postea excommunicatio lata est, consideranda est forma talis sententiæ seu censuræ; nam, si lata est, non solum in principaliter agentes, sed etiam in adjuvantes, et consulentes, serviens simul cum domino eamdem excommunicationem incurrit, et ita duplici titulo illum vitare debet, scilicet, et quia ipse, et quia ille excommunicatus est. At vero si excommunicatio solum fertur in principaliter operantes, tum quidem directe non comprehendit servientem, qui solum auxilium vel consilium dedit; tamen obligat illum, ne cum domino excommunicato communicet, quia, ob participationem criminis, exemptus non est ab hujusmodi onere. Meritoque timeri vel præsumi potest, ejus communicationem non profuturam, sed potius obfuturam ipsi excommunicato in ordine ad resipiscendum a crimine. Denique si hujusmodi serviens tale auxilium vel consilium dedit post excommunicationem a suo patrono contractam, tunc jam communicat criminoso in crimine, ac proinde in eamdem excommunicationem incidit, majorique titulo ac ratione illum in posterum vitare tenetur.

11. In hoc ergo sensu limitationem illam intelligendam censeo, nam quod famulus industria et potestate valeat ad dandum consilium et auxilium, si nunquam male illa usus est, non potest esse ratio sufficiens, ut propterea, hoc privilegio, seu exemptione privetur, quia inde laudem potius, vel honorem meretur, quam pœnam. Atque hoc sensit Glossa ibi, dum illam limitationem non per potentiam, sed per actum explicuit, dicens : *Si tales sunt qui non serviunt ei in crimine.* Et idem sentit Navarrus, cap. 27, n. 27. Sed nimium limitat ad eos servientes, quo-

rum consilio, favore et auxilio dominus in sua contumacia perseverat, sentiens solum adhiberi limitationem hanc pro iis, qui post excommunicationem cooperantur delicto. At vero Gregorius non de auxiliantibus ad perseverandum, sed ad perpetrandum locutus est, et ideo expositio allata, et textui conformior videtur, et rationabilior propter rationem adductam. Sic igitur sub hac exceptione comprehenduntur omnes famuli, omnesque familiares, qui quovis titulo vel ratione alicui inserviunt; comprehenduntur etiam coloni, qui ruri inserviunt; hi enim propriissime videntur dicti rustici servientes, etiamsi actu et proprie non sint de familia. Existimo tamen his omnibus concedi communicationem, non tamen omnibus eodem modo, nec singulis quamcumque indifferenter, sed unicuique proportionatam juxta rationem et necessitatem suæ obligationis, quod est consentaneum Innocentio, in dicto cap. Inter alia, D. Thomæ, et aliis Doctoribus, locis supra citatis.

An ut subjecti hoc gaudeant privilegio, debeant ante contractam excommunicationen subjectionem iniisse.

12. *Sententia negans. — Sententia partim affirmans.* — Nunc quædam explicare oportet, quæ his omnibus personis exemptis communia esse videntur. Primum est, an oporteat subjectionem illam, in qua fundatur hæc exemptio, initam esse ante excommunicationem alterius. Quidam simpliciter negant, quia Gregorius absolute loquitur, et hanc conditionem non requirit. Quod si objicias c. Inter alia, respondent, ibi Pontificem id affirmasse de iis, qui ante censuram tale debitum contraxerant, non vero de aliis negasse, et argumentum a contrario sensu non semper esse efficax. Vel melius fortasse dicere possent, Pontificem ibi non agere de iis, qui possunt licite non vitare patronum excommunicatum, sed de iis qui tenentur non vitare, et hujusmodi esse illos, qui ante excommuunicationem hanc obligationem habebant, qua liberati non fuerunt per censuram alterius, quæ ratio non habet locum in iis, qui antea obligati non erant, et ideo fortasse non tenebuntur communicare cum excommunicato, poterunt tamen si velint, quia simpliciter excipiuntur in dicto cap. Quoniam multos. Alii vero in solis servientibus putant procedere declarationem illam Innocentii, quod oporteat ante excommunicationem servituti alterius se obligasse, ut possint illo privilegio frui. Et ita sentit Turrecrem., in Expos. c. Quoniam multos, et significat Sylvest., *Excommunicatio*, 5, n. 4, versic. *Tertio,* quamvis paulo inferius quoad alias personas videatur intelligere c. Inter alia, juxta secundam expositionem superius datam. Cajetanus etiam, in Summa, de solis famulis illam conditionem adhibet, quod ante excommunicationem fuerint addicti servituti. Idem sentit Navarrus, cap. 27, num. 27.

13. *Sententia in totum affirmans, vera cum limitatione.* — At vero D. Thom., ut supra retuli, generaliter de omnibus his personis, quæ sub hac particula *humile,* comprehenduntur, illam conditionem necessariam esse docet. Sequitur Angelus, *Excommunicatio*, 8, num. 11; Armil., num. 46. Et mihi probatur, hac sola declaratione adhibita, ut scilicet, necesse sit vinculum seu obligationem ante excommunicationem esse contractam; vel, si postea orta sit, sine violatione censuræ esse factam. Hæc regula colligitur ex illo c. Inter alia, nam ponit hanc conditionem ut necessariam ad illum effectum, et ideo ex negatione illius sumitur argumentum non tantum a contrario sensu, sed a negatione causæ adæquatæ vel conditionis necessariæ, ad negationem effectus, quod semper efficax est. Et quamvis verum sit, Pontificem in eo textu loqui de personis, quæ tenentur ad illam communicationem, ipse tamen declarat, illas personas, quæ ibi excipiuntur, non solum posse, sed etiam teneri sic communicare, scilicet, per se loquendo, et durante eodem vinculo, ut statim explicabo. Igitur ex intentione Innocentii, convertuntur in his personis posse et teneri; ergo conditio ad unum necessaria, ad alterum etiam necessaria est. Et sine causa ejus decisio ad postremum tantum personarum genus limitatur, cum ipse generatim de omnibus personis a Gregorio exceptis expresse loquatur. Ratio autem est, quia hoc privilegium non conceditur in injuriam et contemptum censuræ. Atque ex dictis supra de uxore potest hæc sententia amplius persuaderi, quæ melius intelligetur cum declaratione adhibita, si ad singulas personas descendamus.

14. *Filii naturales etiam a patre excommunicato geniti hac exemptione gaudent.—Filius adoptatus tempore quo pater est excommunicatus, ipse non potest cum illo communicare. — Objectio. — Solvitur.* — In filiis ergo naturalibus nil refert, quod a patre jam excom-

municato geniti sint, et maxime si ex legitimo matrimonio nati sint, quia absque ulla violatione censuræ progeniti sunt, cum possit licite et sine violatione censuræ maritus excommunicatus suam cognoscere uxorem, et quia ante excommunicationem erant jam quasi virtute in ipso matrimonio. Verumtamen etiam de filiis illegitime procreatis id verum censeo; nam, licet excommunicatus censuram violet, dum per fornicationem vel adulterium male filium generat, id enim facere non potest sine aliqua communicatione per excommunicationem prohibita, filius tamen genitus nihil contra censuram egit; et cum alias, postquam genitus est, non possit a se separare naturale vinculum cum patre, fit, ut ratione illius merito excipiatur ab illo onere non communicandi cum patre, præcipue quia etiam dici potest ante excommunicationem fuisse conjunctus cum patre in radice, quia est pars patris et de substantia illius genitus. Et aliæ rationes sumi poterunt ex iis quæ de servo domi nato statim dicemus. De filio autem adoptato tempore excommunicationis existimo, per se loquendo, non debere, neque posse licite cohabitare cum patre, nec cum illo communicare, quia ille contractus a principio fuit cum injuria excommunicationis ex parte utriusque (suppono enim requiri consensum ex parte ejus qui adoptatur, ut latius dixi 1 tom. tertiæ part., quæst. 23, art. 1). Unde fit, necessariam esse aliquam communicationem, quæ prohibita est cum excommunicato, atque ita ex utroque extremo fit injuria excommunicationi, quare talis adoptio non potest parere obligationem communicandi, nec esse fundamentum alicujus privilegii repugnantis ipsi excommunicationi, quod etiam confirmant supra dicta de uxore. Dixi autem *per se,* quia si interveniat ignorantia probabilis, quæ excuset eum qui adoptatur, probabile est eum uti posse jure bona fide acquisito, sicut de uxore diximus, propter easdem rationes ibi factas. Quanquam, si velit suspendere (ut ita dicam) usum illius filiationis, possit, ut opinor, id facere, quia in eo non procedit decisio textus in cap. Inter alia, de Sentent. excom., nec ratio ejus in eo locum habet, cum hujusmodi adoptatus non fuerit ante excommunicationem parentis ei obligatus. Dices : satis est, quod postea obligationem contraxerit; nam obligatio quandocumque fuerit, implenda est. Respondetur, contractum cum excommunicato vel ab excommunicato factum, licet non sit omnino invalidus, non tamen ita esse firmum et efficacem, ut inducat obligationem, et usum ejus excommunicationi repugnantem, et ideo illa obligatio, vel talis est ut rescindi possit, vel certe ut, licet non rescindatur, sit quasi suspensa respiciens tempus, in quo talis pater excommunicatione careat, ut in similibus magis in sequentibus explicabitur.

15. *Qui non baptizatus servus efficitur ab excommunicato postea baptizatus debet domino communicare.* — In servis est peculiaris ratio, quia, regulariter loquendo, prout res est in usu Christianorum, inviti rediguntur in servitutem, vel positive, si sint adulti, vel saltem negative quantum ad propriam voluntatem. Rursus oportet considerare hanc servitutem regulariter etiam inchoari circa personas infideles, quia qui est liber, quando Christianus efficitur, nisi a fide deficiat, nunquam potest in servitutem Christianorum redigi. Primum ergo pro constanti habeo, si servitus acquiratur in personam non baptizatam, etiamsi in statu excommunicationis acquisita sit, nil impedire quominus talis servus, si postea baptizetur, possit et debeat suo domino communicare, quanquam ejus excommunicatio duret. Ratio est, quia excommunicatio non prohibet cum tali persona communicare, et ideo absque violatione vel injuria excommunicationis potest acquiri dominium in talem servum, vel si in justo bello capiatur, quod non est prohibitum excommunicato, vel si ab ipsomet sua sponte se vendente, aut ab alio infideli domino ematur, quia cum his contrahere non est prohibitum excommunicato; imo, licet ab alio fideli domino comparetur per contractum, vel donationem, aut alio simili modo; nam, licet hujusmodi communicatio prohibita sit cum excommunicato inter ipsos fideles, respectu tamen ipsius infidelis hoc nihil impedit quominus integrum jus in ipsum acquiratur. Quod etiam secundum hunc respectum dici potest acquisitum ante excommunicationem, id est, antequam ratione excommunicationis vel ipse teneretur vitare communicationem talis servi, vel servus, illius. Atque idem dicendum est, si quis incipiat esse servus per nativitatem ex ancilla domini jam excommunicati, nam ille nihilominus poterit postea communicare, quia incipit esse servus, priusquam Christianus sit. Item, quia sine interventu alicujus communicationis prohibitæ servus nascitur. Atque ita quocumque modo dominium servi acquiratur erga personam infidelem, nihil refert, quan-

tum ad præsens attinet, quod ante vel post excommunicationem acquiratur.

16. *Servus baptizatus acquisitus a domino excommunicato existente potest cum illo communicare.* — At vero, quando hoc dominium acquiritur in personam fidelem seu baptizatam, regulariter non acquiritur, nisi per venditionem vel donationem alterius domini, quia Christiani, alias liberi, nec capti in bello ab aliis Christianis, non solent fieri servi, nec vendi, aut emi solent ab aliis Christianis; quando autem servus venditur vel donatur a domino, non expectatur consensus servi, et ideo ex parte ipsius nulla est necessaria communicatio; imo nec ex parte ejus, cui de novo acquiritur; ac propterea videtur etiam tunc posse talem servum cum domino communicare, quia respectu illius ita se habet dominus ac si ante excommunicationem dominium in illud haberet, quandoquidem illud acquisivit absque ulla communicatione cum illo. Quod autem respectu alterius domini intercesserit aliqua communicatio illicita, valde extrinsecum est et remotum, ut inde potuerit hoc jus impediri. Idemque dicendum censeo, si contingat homines baptizatos propter apostasiam et bellum injustum contra Ecclesiam motum, in veram captivitatem ac servitutem redigi per bellum, ut superioribus annis in regno Granatensi visum est; quia enim debellare hujusmodi apostatas non est prohibitum excommunicato, ideo integrum, et ut ita dicam expeditum jus in hujusmodi servum acquiritur; ideoque etiam ille servus postea cum illo communicare tenebitur. Denique si contingeret (quod non sit) Christianum liberum se alteri Christiano excommunicato vendere in servum, tunc de illo idem dicendum censerem, quod de adoptato in filium ab excommunicato; est enim eadem ratio ac proportio.

17. *Cæteri servientes debent ante excommunicationem domini esse subjecti, ut illi possint communicare. — Nisi a censuræ violatione excusentur.* — De reliquis servientibus seu famulis liberis res est facilior, quia non contrahunt debitum, nisi per contractum aliquem includentem mutuam communicationem, et ideo de illis frequentius asseritur et simplicius intelligitur illa conditio ab Innocentio posita, quod debet obligatio antecedere excommunicationem, et rationes etiam superius factæ de uxore et de aliis, in his personis potissimum locum habent. Verumtamen etiam ad hos applicanda est limitatio supra adhibita, nimirum, quod absque violatione censuræ postea orta non sit; potest autem esse excusatio duplex sæpe repetita. Prima est ignorantia probabilis de alterius excommunicatione; si enim hæc intercedat, talis famulus, quia nihil contra excommunicationem egit, non obligatur ad rescindendum contractum, præsertim si absque suo incommodo id facere non potest, quanquam possit illud rescindere, si velit, vel suspendere, juxta infra dicenda. Si autem nolit, et potest et debet suo domino communicare, quia debet obligationem suam implere; neque enim potest ab alio accipere stipendium et ei non ministrare. Secunda excusatio est necessitas, quæ communiter assignatur ex parte ipsius excommunicati; nam si morali modo indigeat famulis, colonis, et aliis hujusmodi, hoc titulo potest aliquis sine culpa (juxta superius dicta) ejus servituti obligari, et consequenter poterit etiam postea et debebit cum illo communicare. Existimo tamen idem operari, si necessitas sit ex parte ipsius famuli seu servientis; nam si ad suam sustentationem indigeat tali ministerio, et non inveniat alium, cui commode possit inservire, licite poterit idem facere, quia non est minus favorabilis necessitas non excommunicati, quam excommunicati, ut ex superioribus patet. Atque hoc titulo excusari possunt quidam servientes alicui, qui sine stipendio et obligatione aliquo modo serviunt, maxime in curiis; in his enim non habet locum ratio Innocentii III, dicto cap. Inter alia. Ideoque absolute non tenentur communicare, quia neque ante excommunicationem tenebantur, sed voluntarie id faciebant; ut ergo licite possint postea inservire et communicare, alio titulo necessitatis muniendi sunt; ille autem sufficiens est, quia regulariter non possunt servitutem inchoatam sine magno suo detrimento omittere vel intermittere.

De parentibus, dominis, etc.

18. *Superior non excommunicatus potest cum inferiori excommunicato communicare.* — Altera dubitatio his omnibus communis et in titulo sectionis insinuata est, an superiores illis, seu unicuique illorum respective, possint aut debeant cum eis communicare : nam in illis non habet locum ratio, propter quam inferioribus seu subjectis hoc privilegium conceditur, scilicet, obligatio ad parendum superiori; hæc enim annotatur in dicto cap. Inter alia. Dupliciter itaque intelligi potest hæc dubitatio : primo an superior excommunicatus

possit communicare inferiori non excommunicato; secundo, an superior non excommunicatus possit cum inferiori excommunicato communicare. Hæc posterior pars vix habet dubitandi rationem; licet enim Glossa in dicto cap. Quoniam multos, quam communiter receptam esse dicit Navarrus, cap. 27, num. 27, negaverit hos superiores posse communicare cum inferioribus excommunicatis, mihi tamen oppositum videtur certum, quod tenuit Navarrus ibi, cum Adriano, q. 3 de Clavibus. Ratio est, quia jus superioris non minus est quam jus vel obligatio inferioris; si ergo inferiori conceditur, ut possit communicare cum superiori excommunicato, cur in eadem proportione ac cæteris paribus negandum est superiori? Dices : quia de inferiori id cautum est in jure, non autem de superiori; item quia inferior tenetur superiori, et non e converso. Sed contra primum est, quia in jure non fit exclusio harum personarum. Et quamvis non exprimantur formaliter et expresse, satis tamen exprimuntur in suis correlativis, sicut de uxore diximus, et regula Juristarum est, disposita in uno correlativo, in alio etiam intelligi, ubi nimirum non cernitur specialis et sufficiens ratio, ob quam in uno correlativorum id potius sit dispositum quam in alio, quæ hic non existit, ut patebit facile excludendo alteram responsionis partem.

19. Aliud est enim tractare, an hæ personæ superiores possint licite communicare inferioribus, aliud vero an teneantur. Ad primum non est necessaria obligatio, sed jus et necessitas, vel utilitas; quæ omnia inveniuntur in his personis superioribus. Neque enim privari debent suo jure propter excommunicationem alterius. Propter quod, ut sæpe dictum est, potest quilibet suum debitum ab excommunicato postulare, juxta cap. Intelleximus, de Judiciis. Eadem ergo ratione possunt hi superiores obsequia sibi debita ab inferioribus exigere, etiamsi hi excommunicati sint. Diximus etiam unumquemque propter suam necessitatem vel utilitatem posse communicare cum excommunicato, qui titulus etiam in his personis locum habet, ut per se constat, quia quoad hoc verum est, quod Navarrus dixit, has personas excipi per verbum *utile;* ad debitum autem communicandi necessaria est obligatio, quæ etiam his personis non deest; nam ut dixit D. Thom., in 4, dist. 18, q. 2, art. 4, etiam hæ personæ superiores obligantur quoad aliqua suis subditis, ut ad providendum illis de necessariis, ad corrigendum illos, et similia, et quoad hæc non solum possunt, sed etiam debent communicare, quantum necessarium fuerit ad hanc obligationem implendam, ut dixit D. Thom. ibi, et quoad hoc comprehendi possunt hæ personæ sub verbo *humile,* secundum correlationem, ut diximus. Sic etiam in illis habet locum ratio et decisio textus in dicto c. Inter alia.

20. *Possitne superior excommunicatus suis inferioribus non excommunicatis communicare.* — Major difficultas est in alio sensu, an hi superiores, quando excommunicati sunt, possint vel debeant suis inferioribus communicare, quod etiam quæri potest de ipsis ipsis inferioribus excommunicatis, quia nec hoc videtur expresse in jure definitum, et plura conceduntur non excommunicatis respectu excommunicatorum, quæ non conceduntur excommunicatis respectu fidelium, ut constat ex Extravag. *Ad evitanda.* Dicendum vero est etiam hoc modo his personis licitam esse communicationem cum suis correlativis. Primo ob illam generalem rationem, quod fere inutilis esset facultas concessa uni correlativorum non excommunicato, ad communicandum cum excommunicato, nisi et e converso huic concederetur ad communicandum alteri, ut supra in marito et uxore declaravimus; est enim hic eadem ratio. Denique, quia si inferior, v. gr., excommunicatus sit, propter excommunicationem non liberatur debito obsequendi; non enim debet ex sua excommunicatione commodum reportare, ut dicitur in dicto cap. Intelleximus; ergo non solum potest, sed etiam tenetur communicare, saltem, quantum ad hoc debitum solvendum necessarium est. Aliunde vero etiam indiget hac communicatione ad suam sustentationem, neque obligari debet, ut a suo superiori se separet; nam vel id facere licite non potest ut servus, vel filius, vel certe non sine magno incommodo et dispendio, moraliter loquendo, ad quod obligandus non est. Durante autem illa societate et cohabitatione non potest moraliter a communicatione abstinere. Hic autem discursus eodem modo fieri potest ex parte superioris, quia ille etiam suo modo tenetur subvenire subdito suo, cujus obsequio et societate indiget, nec cogendus est illum a se separare. Igitur per quamdam correlationem seu consecutionem, has omnes personas intelligo esse exceptas in prædicto c. Quoniam multos, et comprehensas in dicto versiculo, sive sub verbo *humile,* sive sub verbo *utile,*

aut etiam sub verbo *lex*, hæc enim omnia ad illas personas pertinent, ut ex dictis satis patet. Et in hac tota doctrina conveniunt fere auctores supra citati, D. Thom., Adrianus, Gabriel, Soto, Navarrus, et reliqui Summistæ et moderni communiter.

21. *Quæ communicatio his personis liceat.* — Potest tamen in eis animadverti quædam diversitas, nam quidam illorum concedunt his personis communicationem mutuam, cum quadam tamen limitatione (ut ita dicam) respectiva, scilicet, ut unusquisque ea communicatione uti possit, quæ suo muneri, aut humanæ commoditati necessaria est, et non majori. Alii vero supposita prædicta connexione talium personarum, simpliciter eis communicationem concedunt. Quorum sententia mihi probatur, dummodo de hac communi et usuali communicatione humana intelligatur, quia tollit scrupulos et anxietates, quæ fuit intentio Gregorii in dicto c. Quoniam multos. Et ut hac ratione aliquid operetur jus illud. Nam, si hujusmodi personæ solum uti possent jure necessitatis, vel utilitatis, aut obligationis suæ, et deberent esse sollicitæ, ne illam mensuram excederent, totum hoc quasi ex natura rei, et ex rigorosa ac rationabili prioris juris interpretatione haberent; plus ergo eis voluit Gregorius concedere; nam, quod viderit in his omnibus esse morale periculum, si cum ea limitatione concederetur communicatio, ideo simpliciter excepit illas personas a tali vinculo et obligatione. Accedit, quod in cap. Cum voluntate, de Sent. excom., merito conceditur, ut possit is qui cum excommunicato pro salute animæ illius agit, aliqua alia incidenter interponere, quia intellexit Pontifex non posse moraliter fieri, ut præcise illa spiritualia tractentur humano modo, et non aliqua alia misceantur. Sic ergo intelligendum est in præsenti prudentissime fuisse ab Ecclesia provisum, quia moraliter etiam inseparabilis est communicatio necessaria a non necessaria, et regulariter hujusmodi personæ nec prudentiam, nec valorem habent ad eam discretionem faciendam.

22. *Sola usualis communicatio licita est his personis.* — Addidi vero, dummodo hæc de usuali et ordinaria communicatione intelligantur, quia in hac sola locum habet ratio facta; unde ad illam plane diriguntur verba Gregorii. Quapropter in primis cavere debent hæ personæ, ne directe vel indirecte in crimine communicent, neve sua communicatione occasionem præbeant excommunicatis perseverandi in contumacia; nam hoc et intrinsece malum est, et in prædictis juribus expresse animadversum. Unde Doctores admonent has personas, ut si superiores sint, inferiores corrigant, quod sui muneris est, et procurent, ut a contumacia decedant; nam si in hoc sint negligentes, fieri potest, ut indirecte saltem consentire vel cooperari videantur, et ideo participes censuræ fiant, argumento cap. Quantæ, de Sentent. excomm. Si vero sint inferiores, caveant, ne ullo modo superiori excommunicato obsequantur in his, quæ ad perseverandum in crimine spectant, et ne vel consilio, vel assentatione, ejus duritiam, vel pertinaciam in crimine augeant, alioqui in idem periculum incident. Deinde cavere debent omnes, ne in divinis communicent, nam hæc communicatio prorsus aliena et extranea est a prædictis conjunctionibus. Quapropter, licet pater habeat filium sacerdotem, qui excommunicatus et denunciatus sit, non poterit ab eo sacramentum petere, nec Missam ejus audire, quia hæc ministeria ad conjunctionem naturalem patris cum filio non spectant; et idem est in similibus considerandum, præsertim quando communicatio est per actionem unius in alium, vel receptionem unius ab alio; nam si sit per solam consistentiam cum excommunicato ad idem sacrum vel divinum officium, aut per ministerium aliquod et quasi famulatum, tunc licet talis communicatio, per se loquendo, cavenda sit, tamen si aliquando sit, ut esse potest, connexa cum priori vinculo seu obligatione, excusabilis esse poterit; ut, v. gr., si clerico excommunicato inserviens cogatur illi sacrum faciente ministrare vel quasi honoris causa ei assistere, quia ad hoc ex officio suo tenebatur, et fortasse sine incommodo suo non potest illum vitare, tunc communicatio illa non erit per se mala, dummodo non includat positivam cooperationem ad actionem pravam, ut in superioribus dictum est. Idem frequentius accidere potest, si fœmina excommunicata, Missam audiens, vel filias, vel famulas, secum ferat, secumque interesse compellat; tunc enim non peccabunt ei obsequendo, et sic in similibus. Tandem cavere debent hæ personæ, ne communicationes alias etiam humanas valde extraordinarias et suis muneribus nec necessarias, nec ordinarie aut moraliter conjunctas, immisceant, ut, v. gr., si novos contractus inter se inire velint, vel aliquid simile; nam hoc illis non est ulla ratione concessum, quia in his etiam cessant omnes rationes supra factæ,

nec jura de his loqui videntur, et ideo generalis lex excommunicationis quoad hæc integra manet.

Possintne inferiores ejusdem familæ, si quis eorum excommunicetur, inter se communicare.

23. *Assertio.* — Tertia dubitatio esse potest, quid dicendum sit de iis personis præsertim inferioribus inter se collatis; contingit enim esse plures sub eodem superiore, ut plures fratres, servos aut famulos, et unum excommunicari; an igitur inter se communicare poterunt? videtur enim posse, quia vix possunt moraliter communicare uni tertio, quin communicent inter se. Aliqui propter hanc rationem simpliciter affirmant, et præterea quia, si servus cum domino cohabitare compellitur, ut licite potest, etiamsi ipsemet dominus excommunicatus sit, multo magis non cogetur recedere a domino, solum quia alter conservus excommunicatus sit; poterit ergo illi cohabitare; ergo et communicare cum illo. Quæ ratio a fortiori de fratribus procedit, et maxime quia filius quasi una persona cum patre esse censetur. Dico autem his personis per se et directe nullum privilegium esse concessum. Quod notavit Felinus, dicto cap. Inter alia, et patet, quia in dicto cap. Quoniam multos, simpliciter nominantur hæ personæ; relativum autem per se non accipitur nisi in ordine ad correlativum, et ita Innoc. III, in d. c. Quoniam multos, solum in ordine ad illud declarat hanc communicationem et obligationem. Quapropter non poterunt hæ personæ inter se omnino libere communicare, quasi privilegio aut exemptione utentes. Poterunt tamen eam communicationem habere, quæ moraliter vitari non potest, supposita cohabitatione et communicatione cum eodem superiori. Hoc enim probat ratio facta, et quia, concesso principali, id quoque concessum intelligitur, quod accessorium vel consequens est.

24. *Liceatne hæc communicatio inferiorum cum superioribus in excommunicatione ex qualibet causa aut modo lata.* — Tandem dubitari potest, an, quæ diximus, generatim procedant in omni excommunicatione, quacumque causa vel modo lata. Quidam quoad causam hoc limitant, ut non procedat in excommunicatione ob hæresim, arg. cap. ult. de Hæret., de quo textu paulo post dicemus. Quoad modum vero limitant alii, quando excommunicatio lata est etiam in participantes. Sed neutra limitatio necessaria est, et ita doctrina data simpliciter procedit. In hæretico enim considerari potest aut periculum errandi, quod ex ejus communicatione provenire potest. Et hoc non pertinet ad excommunicationem, neque ad aliquam specialem legem Ecclesiæ, sed ex natura rei oritur illa obligatio, quando moraliter timetur tale periculum; non enim semper, neque in omnibus personis æquale est, et ita limitatio illa sub hac consideratione non pertinet ad præsens. Si vero consideretur in hæretico sola censura propter tale crimen imposita, tunc per se non magis privat communicatione, quam lata propter aliud delictum; nullo enim jure cautum est, quod illa excommunicatio habeat plures effectus; sed habet quidem hæreticus alias pœnas ipso jure impositas, propter quas fortasse privatur jure vel dominio, et consequenter communicatione, quæ in illo fundabatur; tamen neque illa pœna est effectus excommunicationis, sed per se imponitur, neque illa est exceptio a proposita regula, quia illa communicatio non cessat tunc propter specialem prohibitionem, sed propter subtractionem materiæ, ut sic dicam. Sicut, si servus servitute eximatur, jam non poterit communicare cui antea poterat, quamvis excommunicatio, et lex illius eadem maneat. In alia vero exceptione de excommunicatione lata in participantes, idem dicendum hic est, quod supra de uxore diximus; nam in his personis jure exceptis solum intelligitur specialiter punire communicationem eis non concessam, non tamen prohibere aliam jure concessam. Atque ita etiam in tali excommunicatione tota doctrina superius data procedit.

SECTIO VI.

Utrum temporali jurisdictioni hominis excommunicati subjecti, possint cum illo licite communicare.

1. *Possintne subditi temporaliter cum suis dominis excommunicatis communicare.* — Hactenus diximus de iis personis, quæ formaliter in jure excipiuntur; superest, ut de quibusdam aliis dicamus, quæ ob parem rationem videntur ad prædictas posse reduci, et sub verbo *humile*, comprehendi. Primo ergo dubitari potest de subditis temporaliter, an possint cum suis dominis communicare, et domini cum illis. Ex dictis enim videtur sequi, posse id licite facere, quia nulla est minor ratio de his subditis, quam de famulis

vel colonis, nam eadem obligatione justitiæ tenentur tributa, vel alia obsequia suis dominis solvere. In contrarium vero est, quia in cap. Nos Sanctorum, 15, quæst. 6, ait Gregorius hos subditos esse absolutos a fidelitate et debito, etiam juramento firmato, obsequendi dominis excommunicatis, propter eorum excommunicationem. Et in cap. Juratos, eadem causa et quæst., dicitur, juratos milites prohibendos esse, ne duci serviant, quamdiu excommunicatus est. Propter hæc aliqui simpliciter affirmant hos subditos non teneri, et consequenter non posse licite hujusmodi dominis excommunicatis communicare. Et ratio a priori est, quia jura, a quibus potissimum omnes hi effectus pendent, diversimode de iis subditis, quam de servis domesticis seu familiaribus disponunt. Ratio autem seu congruentia horum jurium reddi potest, vel quia communicatio cum servis est magis necessaria ad vitam humanam, vel certe quia crimina, propter quæ hi domini temporales, qui solent esse magnates et principes, excommunicantur, non sunt nisi valde atrocia et gravia, et ideo majori rigore puniuntur.

2. Quam sententiam simpliciter existimo veram, quantum ad eam communicationem civilem et politicam, de qua nunc agimus, et quantum ad concessionem libere illa utendi factam in cap. Quoniam multos, quia revera nec de his personis ibi fit mentio, neque in eis est eadem ratio vel causa necessitatis. Nihilominus tamen potest manere quæstio de speciali communicatione necessaria ad recognitionem subjectionis ex parte unius extremi, et dominii ex parte alterius. Et de hac dicendum videtur, non esse simpliciter et omni ex parte prohibitam, licet quoad aliquid vetita sit. Quod ita declaro, nam tria videntur esse, quæ ad hoc dominium et subjectionem pertinere possunt. Primum est forensis jurisdictio, et omnes actus qui ad illam pertinent; et quoad hoc cessare debet communicatio, quia etiam jurisdictio temporalis per excommunicationem suspenditur, maxime si denunciata sit; nam si non sit, id erit positum in voluntate subditorum, ut latius dicetur sectione sequente. Secundum est obligatio fidelitatis, obedientiæ, quæ interdum esse solet juramento firmata, cujus vim etiam tollit excommunicatio, ut probant allata jura ; probabile autem censeo non habere hunc effectum usque ad sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut ex sequentibus patebit. Tertium est dominium regni aut populi, et exhibitio tributorum vel servitiorum, quæ illi respondet. Et quoad hoc dico non cessare communicationem ex vi censuræ.

3. *Princeps excommunicatus ex vi excommunicationis non privatur dominio in subditos.* — Quod ut declaretur, oportet advertere excommunicationem non posse habere hunc effectum circa hujusmodi subditos, nisi supposito prius alio, nimirum quod domini priventur dominio vel usu ejus, quia manente dominio in sua vi, fieri non posset, quin inferiores obedire tenerentur, et consequenter communicare, saltem quantum necessarium esset ad suam obligationem implendam, juxta cap. Inter alia, de Sent. excom. Excommunicatio autem per se ac simpliciter lata non habet hunc effectum, quia sicut non privat dominio aliarum rerum temporalium, neque usu earum, ita nec privat hoc dominio, quia non est de illo major ratio, nec jus, in quo de excommunicatione hoc specialiter disponatur. Dico autem *de excommunicatione,* quia de nonnullis excommunicatis, ut de hæreticis, et similibus, interdum hoc in jure disponitur; tamen ex hac ipsa dispositione speciali intelligere possumus, excommunicationem secundum se non habere hunc effectum; nam, ubi ille efficiendus est, specialiter in lege aut sententia exprimi necesse est. Ac propterea, quando talis effectus adjungitur, non appello illum effectum ipsius excommunicationis, sed specialem pœnam simul cum excommunicatione impositam ; sicut cum hæreticus excommunicatur, et privatur dominio rerum suarum, non est hæc privatio effectus excommunicationis, sed quædam pœna simul cum illo conjuncta. Unde infero, prædictos subditos non privari omni communicatione cum suis dominis, nisi quando jure aliquo cautum est, ut tales personæ propter talia crimina non solum excommunicentur, sed etiam suis dominiis seu principatibus temporalibus priventur. Neque contra hoc obstat dictum cap. Nos Sanctorum, nam præter aliam expositionem, quam infra tradcmus, ibi non est sermo de privatione dominii, sed de absolutione a juramento fidelitatis eis præstito, quæ longe diversa est, et non simpliciter conceditur, ut perpetuo duret, sicut est ablatio dominii, postquam semel fit, sed solum est ad tempus, pro quo aliquis pertinaciter in excommunicatione permanet, ut constat ex cap. ult. de Pœnis; ex quo textu utrumque colligitur, ut ibi notat Abbas. Ut ergo excommunicatus princeps dominio et

omni jure in subditos privetur, necesse est, ut speciali pœna et sententia declaretur aut imponatur.

4. *Quid si pœna privationis dominii in jure imponatur ut ab homine infligenda.* — Est autem ulterius advertendum, duobus modis posse hujusmodi pœnam jure ferri. Primo, ut a judice imponendam; secundo, ut ipso facto ex vi juris contrahendam. Quando priori modo fit, manifestum est non sufficere delictum publice commissum esse, et ratione illius excommunicationem esse contractam, ut possint subditi tributa, vel alia obsequia debita hujusmodi dominis excommunicatis denegare, quia donec talis pœna per sententiam judicis eis imponatur, illam de facto non incurrerunt; ergo non sunt privati jure suo; ergo nec possunt a subditis propria auctoritate illo privari. In quo est differentia inter dominium, quod respicit communem et politicum usum rerum vel personarum, et jurisdictionem, quæ versatur circa actus forenses, ut sunt judicare, dispensare, leges ferre; nam hæc licet non statim prorsus auferatur quasi in habitu, suspenditur tamen quantum ad usum, seu tollitur quantum ad actum, etiam in jurisdictione temporali, ut ostendemus sectione sequenti. At vero dominium nec quoad usum ipso facto suspenditur per excommunicationem. Et ideo, si lex etiam specialis talem pœnam non imponit ut ipso facto incurrendam, donec a judice imponatur, nemo potest ratione illius excommunicatum privare jure suo.

5. *Quid si hæc pœna imponatur ut ipso jure incurrenda.* — Quando autem lex ipso facto imponit talem pœnam, videri posset, statim ac de delicto constat, debere hujusmodi subditos negare omnem subjectionem, et consequenter communicationem his dominis, quia jam illi domini non sunt, cum ipso jure fuerint privati; ergo neque alii sunt subditi; ergo nullus eis superest licitæ communicationis titulus. Nihilominus dicendum est, etiam tunc requiri sententiam judicis declaratoriam criminis specialiter latam in talem personam, ut subditi teneantur illi denegare obsequium alias debitum et omnem communicationem. Probatur ex cap. Cum secundum leges, de Hæretic., in 6, ubi declaratur, quamvis hæreticorum bona sint ipso jure confiscata, confiscationis tamen executionem non debere fieri donec sententia sit super tali crimine promulgata; ergo eadem ratione non tenentur subditi alicujus principis ante declaratoriam sententiam privare principem suo jure, negando illi vectigalia, et alia quæ pertinent ad dominium ejus. Quanquam oppositum teneat Felinus, in cap. Rudolphus, de Rescriptis, et alii ex Canonistis, in cap. Cum non ab homine, de Judiciis. Verumtamen non video, qua sufficienti ratione illa obligatio suaderi possit, etiam ante Extravagantem *Ad evitanda;* post illam enim certissimum est non teneri, cum vitare quemquam non teneantur ante sententiam declaratoriam. Sed neque ante tenebantur, quia nemo tenetur exequi pœnam a lege statutam in alium, donec judicis auctoritate compellatur, quando pœna temporalis est, seu in expoliatione bonorum alterius consistit, ut citatum est ex dicto cap. Cum secundum leges. Quod quidem si efficax est, ut revera esse videtur, non solum probat non teneri subditos, sed etiam eis non licere negare hujusmodi dominis vectigalia, et se omnino eximere a dominio, et obsequio principibus debito, per se loquendo et ex vi censuræ. Probatur, quia, si non tenentur, ideo est, quia illi principes, licet sint privati dominio directo, non tamen dominio utili seu jure utendi rebus suis, juxta dictum cap. Cum secundum leges. Sed hinc etiam concluditur eos non posse licite id facere, quia nemo potest auctoritate privata spoliare alterum usu rerum suarum, quando auctoritate legis non est privatus jure utendi.

6. Et declaratur ac confirmatur primo; nam, si privata persona in hæresim labatur, princeps secularis non potest licite privare illum possessione et usu rerum suarum, donec per sententiam declaretur, ut colligitur ex illo verbo cap. Cum secundum leges: *Fieri non debet;* ergo pari ratione non possunt subditi privare principem hæreticum usu et possessione sui regni ante sententiam declaratoriam, idemque est in omnibus criminibus. Patet consequentia, tum quia æquitas postulat, ut ex utraque parte servetur eadem proportio; tum etiam quia minorem potestatem habet subditus in principem, quam princeps in subditum. Et ideo fortasse in dicto c. Cum secundum leges, specialiter prohibetur principibus et dominis temporalibus, ne hanc executionem faciant ante sententiam declaratoriam Ecclesiæ, non quia inferioribus personis id non sit prohibitum, sed quia per se notum erat inferioribus nullam esse potestatem ad eam executionem faciendam. Secundo confirmatur, quia, si princeps ante sententiam declaratoriam non est privatus jure suo

quoad possessionem et usum, ergo nec subditi sunt absoluti a dominio utili, ut sic dicam, neque ab obligatione, quæ ex illo nascitur; ergo non possunt juste illis hæc denegare in iis, quæ alias licita et honesta sunt. Unde consequenter fit, ut cum eis communicare possint et debeant juxta citatum cap. Inter alia. Opinor tamen nullum speciale privilegium circa hoc eis esse concessum, ut libere et in omnibus etiam humanis communicare possint, ideoque solum posse id facere in iis, quæ ad suum munus explendum necessaria sunt, quia nec in dicto cap. Quoniam multos, de illis fit expressa mentio, neque quoad illam generalem concessionem est eadem ratio de illis, tum propter supra dicta, tum etiam quia non est inter has personas ille familiaris usus vitæ et cohabitationis, propter quem et propter periculum quod ex illo oritur, illa generalis concessio facta est. Et hanc sententiam significat Sylvest., verbo *Excommunicatio,* 5, n. 18, ubi alios refert.

7. *Possunt varias ob causas subditi principem excommunicatum tributis et aliis obsequiis privare.* — Dixi autem, *per se loquendo et ex vi excommunicationis,* quia ex aliis capitibus licitum esse potest hujusmodi subditis obedientiam, fidelitatem, tributa, et omnia obsequia his principibus negare, ut si sint hæretici vel schismatici, et rebelles Ecclesiæ, et subditi timeant, ex eorum principatu maximum periculum fidei et religionis sibi imminere; tunc enim jure defensionis possunt eos repellere et obedientiam ac fidelitatem negare. Quod facere possent, etiamsi non essent excommunicati, neque per Ecclesiam essent illis aliæ pœnæ impositæ, solum ob prædictum periculum reipublicæ. Et tantum esse posset periculum, tamque moraliter certum, ut non solum liceret, sed etiam teneretur talis respublica, si posset, tali principi resistere et a se illum expellere. Item contingere potest, ut, quamvis princeps secularis hujusmodi sit, Ecclesiæ pastores non possint vel non audeant sententiam declaratoriam contra illum proferre, et tunc censent aliqui licitum esse subditis ab eorum obedientia omnino recedere, ex quadam ratihabitione seu tacita Ecclesiæ consensione, quæ tunc vim quamdam patitur, propter quam aperte non declarat voluntatem suam; ex facti tamen evidentia et magnitudine periculi, et aliis circumstantiis satis præsumitur hoc esse conforme voluntati ejus. Estque hoc satis probabile, quanquam moraliter non potest separari a primo, id est, a periculo communis damni; nam quamdiu hoc non intervenit, sed solum personalis iniquitas ipsius principis, si Ecclesia illum sustinet et non declarat, nulla est sufficiens ratio ad præsumendum, quod id faciat invita, vel quia non audet, sed quia non vult tanta severitate uti, donec illa remedia suaviora adhibeat, et ideo non est facile præsumendum, quod velit aut tacite concedat facultatem subditis recedendi omnino ab obedientia talis principis.

8. Item oportet advertere, ante Concilium Constantiense hujusmodi principem excommunicatum publice, statim fuisse privatum ipso facto usu propriæ jurisdictionis, quamvis non esset privatus regno vel principatu, ut patebit ex dicendis sequenti disputatione, et ex hac parte videtur, potuisse subditos negare tali principi vectigalia, et alia tributa, quæ principaliter ei dantur propter administrandam justitiam. Hoc tamen non omnino habet nunc locum, quia post Extrav. *Ad evitanda,* usus jurisdictionis non aufertur usque ad sententiam declaratoriam, ut supra visum est, et ideo acta a tali excommunicato valent, quamdiu denunciatus non est, quamvis talis jurisdictio absolute nunc non sit efficax, et sufficiens per se ad compellendum, vel obligandum, ut in sequenti dubitatione magis explicabo. Solum excipitur casus in publico percussore clerici, qui nunc procedere posset, si contingeret principem esse hujusmodi, ita ut nulla tergiversatione posset celari.

9. *Princeps excommunicatus etiam denunciatus aut clerici percussor non potest privari vectigalibus aut tributis.*—Nihilominus tamen non videtur admittenda illa sententia, vel nunc pro illo casu, vel antea pro quocumque principe publice excommunicato. Primo quidem, quia tributa non dantur quasi distributiones pendentes ab actuali usu jurisdictionis, sed ratione tituli, et dominii, et obligationis ad regendam, et defendendam rempublicam, quæ non statim auferuntur propter excommunicationem. Deinde, quia licet talis princeps per se ipsum non possit exercere proprios actus jurisdictionis, qui sunt judicare, conferre officia, vel similia, tamen officia ab eo antea collata non statim vacant, quando non sunt puræ delegationes, sed ordinariæ, et ita per suos ministros posset justitiam administrare. Non ergo possunt subditi quoad hæc statim aliquid innovare circa hujusmodi principem, propter

excommunicationem etiam denunciatam, donec vel ab Ecclesia expressa facultas illis detur, vel donec tanta fiat pertinacia, ut et fiat suspectus de hæresi, et consequenter etiam incipiat magnum aliquod periculum reipublicæ imminere.

10. *Nisi sit suspectus de hæresi, etc., cap. ult. de Pœnis.* — Cui sententiæ, ut a nobis exposita est, non parum favet caput ultimum de Pœnis, quamvis in contrarium soleat citari; ibi enim cum Comes quidam publice excommunicatus fuisset, et per duos annos in excommunicatione permansisset, Pontifex eum iterum admonendum jubet, et si non paruerit : *Vos* (inquit) *Ecclesias, in quibus aliquod jus habere dignoscitur, ab ejus debito absolventes,* etc.; non ergo erant jam absolutæ ex vi excommunicationis; et postea addit, etiam fideles subditos ejus denunciandos fuisse absolutos a juramento, significans ante illam denunciationem non fuisse absolutos. Considero etiam in illo textu, hujusmodi absolutionem, ac privationem esse pœnam distinctam ab excommunicatione, impositam propter contemptum ipsius excommunicationis, quod ibi etiam Abbas et Hostiensis notarunt. Denique animadverto, Pontificem ibi habuisse respectum ad illius Comitis nobilitatem, ut non statim severe puniendum duxerit, nisi prius iterum admoneretur : *Volentes* (dicit) *nobilitati parcere Comitis supradicti.* Ergo a fortiori supponit propter excommunicationem non statim esse factam copiam subditis denegandi jura suo principi. Et Abbas ibi cum aliis Doctoribus notat, ex illo textu colligi, judicem Ecclesiasticum non debere etiam in hoc negotio eadem severitate uti cum omnibus, sed habiturum esse personarum delectum, quia ex opposito sequuntur scandala et schismata, quibus obviandum est. Cum ergo rudis populus hoc non possit discernere, multoque majus periculum sit scandali et schismatis, si statim ipso facto quantumvis publico, hoc committatur subditis ipsis, fit, ut nulla ratione credi possit, excommunicationem per se et ipso facto effectum secum ferre.

11. Quapropter non censeo certum, quod idem Abbas ibi, num. 6, asseruit, ex illo textu id colligens, subditos excommunicatorum, absque alia sententia, esse absolutos in obedientia domini excommunicati, nisi forte intelligat de sententia condemnatoria, nam probabile est declaratoriam sufficere; quod vero illa necessaria non sit, neque ex illo textu colligitur, nec probari potest propter dicta. Et eodem modo intelligendum censeo cap. Nos Sanctorum, 15, quæst. 6. Ante talem ergo sententiam communicare poterunt modo superius declarato, scilicet in necessariis ad suum debitum solvendum, et non alias; post sententiam vero nullo modo. Atque eadem proportione loquendum est de dominis respectu subditorum; non enim possunt cum illis communicare, simpliciter loquendo; possunt tamen ea communicatione uti, quæ ad suum munus in iis, quæ sibi licita sunt, exequendum, vel ad sua jura exigenda necessaria fuerit; post sententiam vero declaratoriam nihil horum possunt, cum jam omni jure seu usu privati sint.

SECTIO VII.

Utrum spirituali jurisdictioni alicujus excommunicati subjecti licite cum illo communicare valeant.

1. *Conclusio.* — Ex his, quæ de subditis temporalibus diximus, definiri facile potest simile dubium de subditis spiritualibus, ut sunt clerici respectu Episcopi, et omnes alii in causis spiritualibus, et regulares respectu sui Prælati. Dubitari ergo potest, an hi possint, vel debeant suis superioribus excommunicatis communicare. Et ratio dubitandi est, quia eadem obligatio videtur esse in his subditis, quæ est in aliis. Nihilominus dicendum est, hos subditos, per se loquendo, non posse cum suis superioribus communicare, nec superiores excommunicati cum ipsis. Ratio specialis in his est, quia hæc communicatio pendet ex subjectione; nam de hoc solum est quæstio, scilicet, an propter hunc titulum possint communicare. Rursus subjectio pendet ex jurisdictione spirituali, nam hic non est aliud vinculum, neque alius dominii titulus. At vero hi Prælati per excommunicationem privantur omni usu spiritualis jurisdictionis; ergo et subditi privantur tunc omni usu subjectionis proportionatæ; ergo privantur omni communicatione, ad quam hoc titulo esse poterant obligati. Et de clericis respectu Episcopi omnes Doctores hoc admittunt, sumiturque ex cap. ult. de Excess. Prælat., et ex cap. Miratus, 93 dist., et cap. Sacerdos, 2, quæst. 7. Omnes vero excipiunt clericos familiares, et servientes Episcopo. Sed illa proprie non est exceptio, si formaliter loquamur, quia illi non communicant titulo subjectionis Episcopalis, ut sic dicam, sed titulo famulatus, et quia ratione mercedis

seu stipendii sunt obligati. Unde communicare possunt in his quæ domestica, et (ut sic dicam) familiaria sunt, non vero in Episcopalibus.

2. *An in monachis respectu Abbatis locum habeat conclusio.* — De monachis vero respectu Abbatis excommunicati, est res magis controversa inter Doctores; nam Paludanus, Richardus, et alii, in 4, dist. 18, negant posse communicare, sicut et nos diximus. Adrianus vero, Sylvester, Soto, et alii affirmant, propter cohabitationem, et familiaritatem necessariam inter religiosos, et Prælatum suum, quam vitare non possunt. Verumtamen, si inter personam, et officium, et titulos communicationis distinguamus, facile tolletur controversia; nam monachi, quatenus subditi sunt, cum Prælato, ut Prælatus est, communicare non possunt, ut aperte probat ratio facta, quia nullum actum Prælati ipse exercere potest, et ideo simpliciter loquendo de Prælato, optime negatur illi communicatio. At vero cum persona Prælati cohabitare sine dubio possunt alii religiosi, non vero aliter cum illo communicare, quam possent cum alio religioso ejusdem domus, si excommunicatus esset. Neque enim alter eorum cogendus est domum suam deserere, ut per se patet. Nec vero libere in omnibus communicare possunt, quia nullum ad hoc habent privilegium, sed in his tantum, quæ morali modo, et juxta communem usum talis cohabitationis vitari non possunt. Neque invenio quo titulo, vel quo privilegio plus Prælato excommunicato concedendum sit, quam alteri religioso excommunicato, cum hoc ipso, quod excommunicatus est, jam non possit se gerere Prælatum. Et confirmatur, nam si Prælatus sit suspensus ab officio, pro tunc ita habetur ac alius privatus religiosus; sed excommunicatio major includit eminenter suspensionem ab officio; ergo ratione officii nulla communicatio tunc licita est cum Prælato; solum posset excipi, si haberet aliquem vel aliquos religiosos specialiter ad ejus corporale obsequium deputatos; non enim illis privandus est propter excommunicationem; poterit ergo cum illis familiariter communicare, non titulo prælationis, sed quasi servitutis vel necessitatis. Verumtamen hoc ipsum non est Prælati proprium, sed in quolibet alio religioso habente similes familiares vel socios, locum habet.

3. *An possint subditi Prælatum excommunicatum non denunciatum vitare.* — *Resolutio.* — Ut autem hæc expliceutur, supponendum est, simpliciter procedere in excommunicato denunciato, et manifesto percussore clerici. Quod ad alios vero non denunciatos dubium est, an Prælatus sic excommunicatus possit vitari a subdito. Ratio dubii est, quia hi excommunicati ante denunciationem non sunt privati usu jurisdictionis, ut in superioribus diximus; hac enim ratione sacramentum pœnitentiæ a tali excommunicato collatum, validum est, quia jurisdictionem retinet; ergo Episcopus, vel Prælatus etiam jurisdictionis religionem retinet, quamdiu denunciatus non est; ergo præcipere possunt et obligare; ergo et subditi tenentur obedire, et consequenter communicare. In contrarium vero est, quia Extravag. *Ad evitanda,* nullum commodum vel privilegium concedit ipsi excommunicato; ergo non concedit ei aliquam potestatem, qua possit alios ad secum communicandum obligare. Propter quod sæpe in superioribus diximus, quod, licet ex vi illius Extravagantis, possimus licite cum his excommunicatis communicare, non tamen obligamur; ergo idem in præsenti dicendum est. Atque hæc pars vera mihi esse videtur, nam prædicta ratione efficaciter probatur. Quapropter existimo ita posse hujusmodi subditos vitare nunc suos superiores excommunicatos, sicut ante illam Extravagantem poterant, scilicet vel occulte, si excommunicatio sit occulta, vel publice, si sit publica; differentiamque solum esse in obligatione. Cum ergo dicuntur hi excommunicati retinere jurisdictionem quamdiu denunciati non sunt, intelligendum est in his, quæ pertinent ad subsidium vel levamen eorum, qui cum eis communicare volunt; non vero in iis, quæ pertinent ad onus et gravamen eorum. Vel certe (et in idem redit) intelligitur de usu jurisdictionis voluntario ipsis subditis, et ex eorum consensu quodammodo procedente, qualis maxime exercetur in foro pœnitentiæ, non vero de usu ipsis involuntario, et extorquente ab eis consensum, et communicationem; hoc enim jus non manebat in excommunicato ante Extravagant. *Ad evitanda,* neque per illam ei concessum est.

4. *An possit superior cum subdito denunciato communicare.* — Et ex his facile definitur, quod dicendum sit, quando e contrario subditus est excommunicatus, an superior cum illo communicare possit, etiam post denunciationem nominatim factam. Dicendum est enim, simpliciter loquendo, non

posse, etiam quoad hanc communicationem civilem et politicam, et non intercedente alio titulo necessitatis vel servitii, etc., ut in superioribus explicatum est. Quia in cap. Quoniam multos, non fit harum personarum exceptio, neque in eis invenitur peculiaris ratio aut necessitas. Quod adeo verum est, ut neque Episcopus ipse possit communicare cum subdito a se excommunicato, ut constat ex cap. Cum desideres, de Sent. excomm.; nam in minorem excommunicationem incidit, si cum eo communicet, ut ex eodem textu colligitur. Eademque ratione si in crimine communicet, in majorem incidet excommunicationem, juxta cap. Nuper, et cap. Si concubinæ, de Sentent. excomm., et cap. Statuimus, eodem titulo, in 6. Nam, quia hæc excommunicatio, sive minor ob communicationem vulgarem, sive major ob communicationem in crimine, ipso jure lata est, eam incurrit ipse etiam excommunicator, si suam censuram violet, ut recte docuerunt Abbas, et alii in dicto cap. Nuper, et Innocentius, in cap. Quod in dubiis, de Sent. excomm., et Hostiens., in Summ., num. 16 ejusdem tituli, contra Glossam in dicto cap. Statuimus, verb. *Constitutionibus*. Et quosdam alios, qui oppositum dixerunt, ex eo quod nullus potest excommunicationem a se latam incurrere. Verumtamen Episcopus in dicto casu non incurrit excommunicationem a se latam, sed latam a jure, supposita vero alia, quam ipse tulit. Est ergo hæc communicatio prohibita sub eadem censura his superioribus respectu suorum subditorum, sive ab ipsis, sive ab aliis excommunicati sint. Nihilominus tamen addendum est, hos superiores non privari jure quod habent ad regendos subditos, præcipiendo, monendo, etc. Unde quantum ad hos actus communicare cum eis possunt, imo et debent pro ratione muneris sui. Et pari ratione e converso subditi poterunt et debebunt communicationem proportionatam, seu correlativam, ut sic dicam, eis exhibere, quia unum ex alio consequitur, ut sæpe dictum est.

SECTIO VIII.

Utrum ratione cujusvis contractus liceat communicatio externa cum excommunicato.

1. *De debitore excommunicato qui ante excommunicationem debitum contraxit.* — Duplex hic involvitur quæstio : una est quando antecessit contractus, an postea liceat communicatio, quæ ex illo oritur, et necessaria est, vel ad recuperandum a debitore debitum, vel ad solvendum illud, et similia. Altera est, an liceat denuo cum excommunicato contrahere.

2. In priori quæstione res fere est extra controversiam; aut enim consideratur excommunicatus, ut creditor, vel ut debitor; si sit debitor, integra manent obligatio ex parte ejus, et jus ex parte alterius, non minus quam ante excommunicationem erant, quia excommunicatio nullum favorem confert excommunicato, aut ejus onera sublevat, neque alium innocentem et non excommunicatum privat jure, aut commodo suo. Quapropter ei, qui creditor est excommunicati, licita est omnis actio et communicatio, quæ ad debitum exigendum necessaria vel utilis est, etiam si debitor denunciatus sit, quod præter rationem factam confirmat cap. Intelleximus, de Judic., ubi contra excommunicatum datur creditori actio in judicio; ergo multo magis extra judicium licebit petere debitum, vel scribere litteras, vel aliquid simile. Quod non est adeo restringendum, ut præcise illa verba, vel actiones licita sint, quæ ad effectum intentum sunt necessariæ; nam licet aliqua alia misceantur, quæ (si humano et politico modo agendum sit) vix possunt vitari, non peccabitur, argument. cap. Cum voluntate, de Sentent. excommun. Nam, sicut ibi dicitur, eum, qui loquitur cum excommunicato propter bonum animæ ejus, posse aliqua alia miscere, ut ei magis proficiat, ita hic dicimus posse hunc creditorem, aliqua alia agere vel verba interponere, ut suum negotium commodius tractet. Excommunicato autem ipsi non solum licet, sed etiam necessaria et sub obligatione est ea communicatio, quæ ad persolvendum debitum seu obligationem explendam fuerit necessaria; nam ad hoc tenebatur antea, et per excommunicationem ea obligatione liberatus non est, ut diximus.

3. *De excommunicato creditore, quando obligatio excommunicationem præcessit.* — Si autem excommunicatus ipse creditor sit, constat in primis ipsum non esse suo jure, vel debito privatum propter excommunicationem; nam excommunicatio, ut supra dixi, per se non privat dominio rerum temporalium, nec jure, quod quis habet, ut ei persolvantur. Nihilominus tamen jura privant excommunicatum actione petendi debita in judicio, ut infra videbimus; tamen non invenio esse illi specialiter prohibitum ne

privatim et communi modo possit a suo creditore debitum exigere, si tempus sit expletum, pro quo alter solvere tenetur, quia ille in conscientia ad id obligatus manet, cum excommunicatus jus suum integrum retineat; ergo alter etiam non peccabit hoc debitum petendo, et communicatione, quæ ad hoc fuerit necessaria, utendo; et ita affirmavit Cajetanus, in Summ., verb. *Excommunicatio,* cap. de Iis quæ excomm. illicita sunt, in fine. Et potest confirmari, quia propter moralem necessitatem, vel utilitatem, vel in defensionem rerum suarum, concedunt omnes, posse excommunicatum auxilium ab aliis petere; quid ergo mirum, quod res suas, seu sibi debitas possit postulare?

4. *An teneatur debitor creditori excommunicato debitum solvere. — Abbatis sententia.* — Dubitant tamen Doctores, an in eo casu possit vel teneatur debitor creditori excommunicato tale debitum solvere. Quod tractat Abbas in cap. Inter alia, de Sentent. excom., in fine. Et respondet non debere ipsi excommunicato debitum solvere, sed in ædem sacram illud deponere, donec alter absolvatur. Probat ex Glossa, in cap. Juratos, 15, q. 6. Sed ibi nihil habet; forte voluit allegare Glossam, in cap. Nos Sanctorum, verb. *Constituti sunt,* eadem causa et quæst., quæ aperte tenet illam sententiam; varias tamen rationes adducit nullius momenti, præter illam, quod cum excommunicato communicandum non est nisi in casibus a jure expressis. Hic autem casus non exprimitur in c. Quoniam multos, neque in c. Inter alia. Qua sola ratione Abbas utitur. Eamdem opinionem tenet Glossa, in cap. ult. de Hæret., quæ ait, licet juraverit quis tali die solvere, si illo die alter sit excommunicatus, solvere non debere, quia semper subintelligitur conditio, si licite possim, aut si sis in statu, in quo possim tecum communicare. Loquitur vero specialiter de excommunicato hæretico. Citatur etiam pro eadem sententia Innocentius, in cap. Cum nostris, de Concess. præbend.; sed immerito.

5. *Vera sententia. — Panormitani sententiæ satisfit.* — Contrariam sententiam satis securam et probabiliorem esse opinor, quam tenet Innocent., in cap. Veritatis, de Dol. et contumac., et moderni auctores statim citandi idem necessario sentire debent. Ratio est, quia hujusmodi debitor remanet obligatus ad solvendum, cum alter non sit privatus aut impeditus, vel quasi suspensus jure suo; ergo non est ei prohibita communicatio necessaria ad hanc obligationem explendam. Hac enim ratione usus est Summus Pontifex, in dict. cap. Inter alia, non ut speciali, sed ut universali in hac materia, quoties obligatio præcessit excommunicationem, et post illam permanet. Et illa utuntur D. Thom. et alii auctores, ut concludant, v. gr., debere communicare cum filio excommunicato in illa providentia paterna quam illi debet, et sic de aliis; ergo idem erit in præsenti. Quod recte annotavit Sylvester, verb. *Excommun.,* 5, n. 21, ubi hanc nostram sententiam defendit, et plures in eam refert. Quapropter non placet, quod Panormitan. supra ait, ex illo textu sumi argumentum in contrarium ab speciali; nam revera ibi nihil speciale traditur, quod in debitore locum non habeat servata proportione. In cap. vero Quoniam multos, fit exceptio specialis aliquarum personarum, inter quas fatemur non comprehendi debitorem, quia illi expresse non conceditur absolute et simpliciter civilis communicatio, sicut ibi nominatis, neque in eo invenitur eadem ratio vel necessitas continuæ habitationis et inevitabilis familiaritatis, quæ est inter virum et uxorem, aliasque personas ibi nominatas. Nihilominus tamen proportionalis communicatio ei necessaria ad suam obligationem implendam non est deneganda, quia hæc non ex speciali concessione aut exceptione, sed ex generali ratione obligationis implendæ derivatur. Unde a fortiori posset etiam comprehendi sub illa generali clausula dicti cap. Quoniam multos, quia non prohibemur dare aliqua excommunicato humanitatis causa; ergo multo minus prohibemur dare debiti vel justitiæ causa; si autem communicatio prohibita non est, obligatio sive ex sola justitia, sive etiam ex juramento orta sit, pro suo tempore urget, ut impleatur.

6. *Argumento a simili sententia confirmatur.* — Accedit tandem, quod frequenter auctores docent, contractus societatis, et similes, cum aliquo initos ante excommunicationem, propter supervenientem excommunicationem non impediri, quominus impleantur. Quod tenuit Gloss., in cap. 1, 11 d., et idem significat Gloss., in cap. Si vere, de Sentent. excom., quas refert et sequitur Covarruvias, in cap. Alma, part. 1, § 1, num. 8. Sed dicunt aliqui, posse aliquem uti contractu inito cum excommunicato ante excommunicationem, in utilitatem vel favorem suum, non vero utilitatem vel favorem ipsius excommunicati. Sed hoc est falsum, quando communicatio oritur

ex obligatione justitiæ vel alia simili, ut patet ex dicto c. Inter alia. Ubi obligatio implenda dicitur ipsi excommunicato, quia illi debita est, non quia sit utilis servienti vel solventi; et justitiæ æquitas id postulat; hæc enim æqualitatem ex utraque parte requirit. Et quamvis in pœnam potuisset excommunicatus suo jure privari, per excommunicationem tamen id non fit, et ideo justitiæ æquitas integra ex utraque parte perseverat.

De contractibus ab excommunicato factis tempore excommunicationis.

7. *An contractus ab excommunicato factus sit validus.* — Dicendum superest de alio membro, scilicet, quando contractus cum jam excommunicato fit. In quo est certum non licere per se loquendo contractum ullum cum excommunicato facere, quia non potest fieri, nisi communicando cum illo, quod generaliter prohibitum est. Dico autem *per se*, id est, exceptis casibus necessitatis, de quibus supra dictum est. Loquor etiam de excommunicato denunciato seu vitando juxta novum jus Extravag. *Ad evitanda,* nam cum aliis excommunicatis sicut communicare licet, ita et contractus facere. Dicunt autem aliqui hoc non esse licitum excommunicatis ipsis non denunciatis, sed aliis tantum, qui cum eis contrahunt. Verumtamen ne hoc privilegium sit frustra, et ut sine peccato vel cooperatione ad peccatum alii possint illo uti, dicendum necessario est, ipsis quidem excommunicatis non licere contractum inchoare vel ad illum invitare; aliis vero licere invitare ipsos, et tunc eis etiam licitum esse contrahere, ut in similibus in superioribus explicatum est. Dubitatio vero superest, an contractus initi cum excommunicato denunciato validi sint. Nam aliqui Canonistæ negant esse validos, propter quoddam generale principium juris, scilicet : *Quæ contra legem fiunt, invalida sunt,* l. Non dubium, C. de Legibus, et cap. Quæ contra jus, de Regul. jur., in 6. Sed hæc sententia non habet sufficiens fundamentum, quia etiam est juris principium : *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent,* ut ex multis juribus notat Glossa in dicta Regula 64. Oportet ergo, ut lex irritans actum, et illum specialiter prohibeat, et circa conditionem versetur, quæ ad substantiam actus pertineat, vel tali modo feratur, ut in ea satis declaretur non solum prohibere, sed etiam irritare actum. At vero in præsenti hoc locum non habet, quia neque hic prohibitio est specialis sub ratione contractus, sed solum sub generali ratione communicationis, neque ostendi potest in jure aliquod verbum, quo hujusmodi contractus irritari significetur.

8. *Conclusio.* — Quapropter mihi videtur vera sententia, quæ affirmat hos contractus, si alium defectum non habeant, validos esse, quantum ad substantiam eorum et obligationem mutuam. Est communis Canonistarum, in c. Si vere, de Sentent. excom., et in c. Veritatis, de Dolo et contum., ubi præsertim Innocentius et Abbas, et alii, quos refert et sequitur Covarr., cap. Alma, part. 1, § 1, n. 9; Joan. de Lignan., tract. de Cens., § 15; Castr., lib. 2 de Potestat. leg. pœn., cap. ult. Et pro hac sententia citatur textus in c. Felicis, § Verum, de Pœnis, in 6, in quo expendenda sunt illa verba : *Et debitorum illorum, quæ contracta fuerunt de postmodum acquisitis, repetitio non negetur,* scilicet, cuidam excommunicato post absolutionem obtentam; supponit ergo Pontifex, contractus ab illo factos durante excommunicatione validos fuisse, et ex vi illorum alios debitores constituisse, quandoquidem contra illos repetitio non negatur. Secundo probari potest inductione, nam matrimonium cum excommunicato contractum validum est, cap. Significasti, de Eo qui duxit. Item professio in religione ab excommunicato facta valida est, cap. Cum illorum, de Sentent. excom., ut ibi notat Abbas. Item donatio ab excommunicato facta valida est, ex cap. Inter dilectos, de Donationibus; ergo idem censendum est de aliis contractibus; nam hi non ob specialem rationem censentur validi, sed ex generali, quod contractus mutuo consensu verbis expresso perficitur, idque satis est ad ejus valorem, quamdiu per superiorem vel legem non irritatur, quod in præsenti nullibi factum legitur generaliter, sed specialiter in hæreticis vel schismaticis id statutum est in c. Excommunicamus, § Credentes, de Hæreticis, juncta Glossa ibi, verb. *Intestabilis,* et in l. Manichæos, C. de Hæret., et in l. Apostatarum, C. de Apost., de quorum intelligentia, et an illi contractus sint ipso facto irriti vel irritabiles per sententiam declaratoriam criminis, si postea feratur, eo quod usque ad diem criminis retrotrahitur, hoc (inquam) non est hoc loco explicandum; nam licet demus illos contractus esse irritos, inde potius confirmatur sententia proposita. Nam quia hic non est effectus excommunicationis secundum se, ideo in illis delictis propter eorum gravi-

talem adjuncta est illa pœna, sicut supra dicebamus, privationem dominii propriarum facultatum esse specialem pœnam impositam hæreticis, et inde potius probari per argumentum ab speciali, talem pœnam non esse effectum excommunicationis; ita ergo in præsenti dicimus. Denique, ratio hujus veritatis jam reddita est, nimirum, quia hi contractus habent sufficientem causam sui valoris, et non habent in jure causam impedientem seu irritantem.

9. *Triplici ex capite potest contractus ab excommunicato factus esse nullus.—Primum.* — *Covarruv. rejicitur.* — Dixi autem, *si alium defectum non habeant,* nam aliunde clarum est posse hos contractus esse invalidos; sed quia hoc commune est contractibus etiam inter non excommunicatos perfectis, ideo ad præsentem doctrinam illud est per accidens. Sunt tamen tres speciales causæ nullitatis annotandæ, quæ ad præsentem materiam spectant. Prima est, si contractus non solum cum excommunicato transactus sit, sed etiam in virtute alicujus rescripti per excommunicatum impetrati, supplentis aliquam conditionem, sine quo contractus non valeret; tunc enim ille contractus invalidus erit, non quia cum excommunicato factus, sed quia in virtute rescripti, quod nullum fuit, utpote per excommunicatum impetrati, juxta cap. 1 de Rescriptis, in 6. Unde factum est, ut tali contractui defuerit necessaria conditio ad valorem ejus, quia illa supplenda erat per rescriptum, ut supponimus; rescriptum autem id non fecit, eo quod nullum fuit. Quod bene annotavit Felinus, dicto cap. Cum illorum, et in cap. finali de Except. Cujus sententiam falsam esse sine causa dixit Covarruvias sequens Ludovicum Gomez in Epitome 4 Decretal., part. 2, cap. 6, in princip., n. 3; nullum autem ejus sententiæ probabile fundamentum video, nisi loquatur de rescripto, quod non supplet substantialem conditionem contractus; tunc enim licet ipsum nullum sit, poterit contractus validus esse, ut per se constat. At vero, si rescriptum est de conditione substantiali contractus, ut de supplenda ætate necessaria aut de dispensando gradu prohibito, vel quid simile, tunc non est dubium, quin contractus nullus sit ob rescripti nullitatem. Unde etiamsi contrahentes postea tempore contractus jam essent ab excommunicatione absoluti, nihilominus contractus esset nullus ob nullitatem rescripti; ut si rescriptum esset nullum ex quocumque alio capite, contractus esset nullus, quia in illo fundaretur. Unde constat hanc nullitatem esse extrinsecam et accidentariam ad rem, de qua nunc agimus.

10. *Secundum.* — Altera causa nullitatis esse potest, si non solum contractus ipse illicite fiat contra communionem per excommunicationem prohibitam, sed etiam quasi objective (ut sic dicam) contractus excommunicationi adversetur; ut si fiat promissio de contractu alio faciendo excommunicatione durante, nulla esset promissio, utpote de re illicita; sicut alias dici solet in materia de Voto, votum illicite factum validum esse, votum autem de re illicita esse nullum; et ut dicitur in Regul. juris 54, in 6 : *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum;* et in 69 : *In malis promissis fidem non expedit observare.* Unde hoc etiam impedimentum ad rem præsentem accidentarium est, quia talis contractus etiam inter non excommunicatos factus nullus esset; ut si duo ante excommunicationem inter se convenirent de re aliqua vel communicatione facienda tempore excommunicationis, et contra ejus prohibitionem, pactio esset de objecto iniqua, et consequenter nulla.

11. *Tertium nullitatis caput.*—Tertia causa nullitatis esse potest, si quis excommunicatus contractum perficiat ut persona publica et Ecclesiæ minister, per potestatem, quam habet ex vi sui muneris vel beneficii, quam tamen potestatem suspensam habet ex vi excommunicationis; tunc enim contractus erit nullus ex defectu potestatis ad contrahendum; sicut in superioribus diximus, et in sequenti sectione dicemus, actus jurisdictionis ab excommunicato factos nullos esse, quia excommunicatio suspendit jurisdictionem; ita ergo est in præsenti, quando excommunicatio suspendit ab illo officio vel munere, a quo valor contractus pendet. Et hoc sensu dixit Gabriel, in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 3, non valere contractus per excommunicatum celebratos ratione publici officii, si quod habet. Sic etiam dixerunt aliqui Canonistæ, contractum factum ab excommunicato de rebus propriis esse validum, contractum vero de rebus Ecclesiæ non valere; id enim intelligendum est quando de rebus Ecclesiæ aliquis ex officio curam gerit, ratione sui beneficii vel publici muneris, et hoc titulo contractum perficit. Nam, quia per excommunicationem suspensus est ab illo munere, ideo tales contractus irriti sunt. Denique hoc confirmat cap. Veritatis, de Dolo et contum. Hæc autem nullitas non per se et

immediate oritur ex excommunicatione, quatenus omnem humanam communicationem prohibet, quo modo nunc a nobis consideratur, sed immediate oritur ex defectu jurisdictionis seu potestatis moralis, quam abstulit excommunicatio. Atque ita mediate provenit ab excommunicatione sub alia ratione considerata.

12. *An contractus ab excommunicato facti sint firmi. — Prima opinio. — Rejicitur.* — Sed quærendum superest, esto hi contractus ab excommunicato facti validi sint, an sint omnino firmi seu obligatorii, vel quem in hoc defectum habeant. Quidam dicunt ex parte excommunicati contractum esse omnino firmum et obligationem inducere, non vero ex parte alterius, quia excommunicato nullum onus aufertur, sed commodum. Itaque si contractus est excommunicato onerosus, eumque debitorem constituit, cogi potest, ut stet contractui et solvat debitum; si vero sit onerosus ei, qui cum illo contraxit, potest hic excommunicato exceptionem ponere, ut non cogatur solvere debitum ex tali contractu, vel etiam potest, si velit, non stare contractui, sed illum rescindere, si tamen vinculum ejus id patiatur, quod additur propter matrimonium vel professionem religionis, qui sunt contractus indissolubiles. Sed hæc doctrina mihi non placet, in foro conscientiæ loquendo, quia hæc inæqualitas per se considerata est contra rationem justitiæ; unde propria et privata auctoritate eam facere non licet; nullum autem afferri potest jus, cujus auctoritate introducta sit in odium excommunicati. Dico autem *in foro conscientiæ,* quia in foro exteriori certum est non dari actionem excommunicato; de alio vero, qui cum eo contraxit, non est ita certum, nam ad alia debita exigenda dari solet, quanquam de hoc fortasse sit specialis ratio, ut statim dicam.

13. *Secunda opinio. — Improbatur.* — Alii ergo asserunt, hujusmodi contractum, et validum esse, et omnino firmum, et absque ullo impedimento, quominus statim obligare incipiat, et possit ac debeat executioni mandari, etiam durante excommunicatione, quanquam ad illius executionem aliqua communicatio necessaria sit. Hanc opinionem tenere coguntur in quocumque contractu, qui id sentiunt de contractu inter dominum et famulum, et aliis supra tractatis, quia quantum ad debitum ex contractu ortum eadem est ratio in omnibus, ut supra dixi. Ratio autem esse potest, quia sicut nullo jure contractus excommunicati irritus factus est, ita etiam nullum impedimentum aliquo jure ei impositum est, nec data est facultas irritandi talem contractum, etiamsi natura sua dissolubilis sit. Sed hanc etiam sententiam non existimo omni ex parte esse veram, propter ea quæ supra dixi de matrimonio contracto per excommunicatos, quod non possit licite ad usum seu communicationem reduci durante excommunicatione. Idemque dixi de contractu mercenarii famuli, et aliis similibus. A fortiori ergo idem erit in quocumque alio contractu.

14. *Vera sententia.* — Quapropter dicendum censeo, hujusmodi contractus et validos, et firmos esse, quodammmodo tamen esse suspensos, ne ad effectum seu executionem, durante excommunicatione, pertrahi possint, quoad eos usus, qui communicationem includunt. Declaro singula: nam hi contractus sunt validi, ut ostensum est; ergo non possunt ab ullo contrahentium proprio arbitrio aut voluntate irritari, aut non impleri suo tempore; nam hoc repugnat validitati contractus; neque etiam datur actio his contrahentibus coram judice, ut ab ipso petere possint irritationem contractus, ut de ipso excommunicato, durante censura, notissimum est; de altero vero patet, tum ex æquitate justitiæ, tum quia etiam ipse peccavit contrahendo cum excommunicato; tum præterea, quia nullam rationabilem causam coram judice allegare potest, ut ipse juste dissolvat contractum; sola enim excommunicatio alterius contrahentis non est causa sufficiens; nullo enim jure id cautum est, et nisi jure statuatur, ex natura rei non habetur; tum denique quia si excommunicatus jam est absolutus, ei datur actio, ut possit petere debita ob talem contractum, et consequenter ut alter contrahens cogatur implere promissum, argument. cap. Felicis, de Pœnit., in 6; ergo etiam ante absolutionem contractus erat ita firmus, ut non posset judex illum rescindere ob petitionem solius partis non excommunicatæ. Nam, si a principio talis esset, solo tractu temporis robur non acciperet, juxta 18 Regul. juris, in 6, nec etiam per solam absolutionem excommunicati, nam hæc non potuit supplere defectum prius commissum. In hoc ergo sensu constat talem contractum firmum esse, id est, nec irritum, nec irritandum.

15. *Corollarium.* — Addidi tamen illum esse quasi suspensum, quia ratione illius non possunt contrahentes inter se communicare, durante alterius censura, seclusa ignorantiæ

excusatione. Hoc probavi supra de contractu matrimonii, et de conventione inter dominum et famulum; estque eadem ratio de quolibet contractu tempore excommunicationis facto. Nam in matrimonio et aliis id non provenit ex speciali aliqua causa in eis inventa, sed ex eo quod conventio facta in injuriam ipsius excommunicationis non potest obligare aut facultatem concedere ad communicationem per ipsammet censuram prohibitam. Et confirmari potest, quia, si quis directe se obligaret ad communicandum cum excommunicato, contractus esset nullus, ut supra dixi, quia esset de re illicita; ergo, proportionali ratione, contractus cum excommunicato factus, quantum ad vim obligandi ad communicationem pro tempore, quo durat excommunicatio, non potest esse efficax, quia quantum ad hoc se obligarent contrahentes ad communicationem ipsis prohibitam eo ipso tempore, quo contrahunt, quod aperte est bonis moribus contrarium. Denique hic defectus vel inefficacia talis contractus magnum fundamentum habet in cap. Inter alia, de Sent. excom.; ergo in hoc sensu contractus hujusmodi quoad hanc communicationem quasi suspensus est durante excommunicatione. Unde fit, etiam esse suspensum quoad illos effectus, qui sine hac communicatione fieri non possunt, quia, si aliquid prohibetur, quidquid sine illo fieri non potest, prohibitum manet. Ex quo, sumpto argumento a contrario, concludi potest, si qui sunt effectus talis contractus, qui communicationem illam non requirant, quoad illos non suspendi efficaciam talis contractus, quia sola communicatio est quæ prohibetur, et si quid aliud comprehenditur, solum est ratione illius; ergo ubi nulla intervenit communicatio, nulla erit prohibitio; ergo neque suspensio. Hujusmodi est, v. gr., mutua obligatio implenda tempore habili. Item quod nihil fiat tali obligationi contrarium, rem alteri obligatam consumere, et similia.

SECTIO IX.

Sitne prohibita excommunicato communicatio per testamentum.

1. Inter humanos contractus numerari potest testamentum, et specialem rationem, et difficultatem habet, et ideo pauca de illo dicenda sunt. Et in primis supponendum est, omnem communicationem in eo opere intervenientem prohibitam esse excommunicato, si testari velit, quia sub generali prohibitione continetur, et nullo jure vel speciali ratione excipitur. Et ex hoc capite non est licitum excommunicato testamentum condere vel codicillum, sicut non est ei licitum donare aut contractus facere; nam de his omnibus eadem ratio est. Nihilominus tamen testamentum ab eo factum, si in omnibus aliis juxta formam juris conditum sit, validum est, ut est communis sententia in cap. Veritatis, de Dolo et contum., et in c. Decernimus, de Sent. excom., in 6, et cap. Ad probandum, de Sent. et re judic., et in l. Si quæramus, ff. de Testam., de qua videri potest Covarruvias in rubr. de Testam., p. 2, n. 18. Ratio est eadem, quæ de aliis contractibus, quia testamentum habet valorem ex voluntate testatoris, quæ ad hoc efficax est, nisi per legem irritetur; in præsenti autem nulla est lex irritans voluntatem testatoris; generalis enim prohibitio communicationis non est satis, ut per se clarum est, ut supra etiam est dictum. Unde, ubi lex voluit hunc effectum adjungere, simul cum excommunicatione in pœnam alicujus delicti, id expressit. Ut de hæreticis, in c. Excommunicamus, § Credentes, de Hæret., in 6, et de percussoribus Cardinalium, in cap. Felicis, de Pœn., in 6, et de usurariis non prius restituentibus, vel sufficientem cautionem dantibus, in c. ult. de Usur., in 6. Hæ autem speciales constitutiones regulam in contrarium extra illos casus confirmant, testamentum ab excommunicato factum, validum esse, quamvis sine violatione excommunicationis fieri non possit.

2. *Peccant qui testamento adsunt.* — Ex quo sequitur primo, idem dicendum esse de personis, quæ inter conficiendum testamentum ex necessitate adsunt, ut sunt tabellio, testes, etc.; omnes enim delinquunt, sic communicando cum excommunicato, quia nullo jure excipiuntur, neque aliqua speciali ratione eis concessum est. Quid vero dicendum sit, quando ipsimet testes vel tabellio sunt excommunicati, disputatione sequenti dicetur.

3. *Peccat testator hæredem constituens excommunicatum aut ei quid legans, factum vero tenet.* — Sequitur secundo, idem dicendum esse de testamento, in quo excommunicatus hæres instituitur aut ei aliquid legatur; peccat enim testator sic communicans cum excommunicato, propter eamdem generalem rationem, validum tamen nihilominus erit testamentum. Nullo enim jure canonico vel civili irritatur, nec ex vi excommunicationis

aliquis fit incapax acquirendi nova jura vel dominia, sive per contractum, sive per donationem, sive per successionem ab intestato, sive per testamentum. Nam, sicut excommunicatio non privat præsenti dominio rerum temporalium, ita nec futuro; non enim hoc magis quam illud jure aliquo constitutum est, præter id quod specialiter in clericis excommunicatio operatur, ne fructus beneficiorum suos faciant, quæ exceptio declarat in reliquis temporalibus bonis secus esse. Si ergo ex parte excommunicati non est incapacitas, et alioqui nulla est lex irritans tale testamentum, nulla ratione dici potest illud esse invalidum. Quæ est sententia communis Juristarum, ut late refert Joan. Baptista a Villalobos, lib. Com. opin., verb. *Excommun.* Excipiunt tamen hæreticos et similes, qui specialiter prohibentur; ex qua exceptione etiam potest firmari opposita regula, ut sæpe diximus.

4. *Quorumdam Summistarum opinio rejicitur.* — Unde non video quo fundamento Summistæ, ut Sylv., verb. *Hæreditas*, 3, n. 2, Armilla, n. 26, Angelus, verb. *Hæres*, n. 22, Tabien., num. 20, secuti Hostiensem et quosdam alios, dixerint institutionem excommunicati in hæredem esse nullam. Solumque citant l. Sed etsi conditionis, § Solemnis, et l. Si in alienum,, § In extraneis, ff. de Hæred. instit. Ex quibus solum habetur, ad valorem testamenti tempus ipsius institutionis inspiciendum esse, quod nimirum qui instituitur, eo tempore habilis sit, de quo principio nemo dubitat. Oportet autem probare, excommunicationem tempore institutionis adhærentem reddere personam inhabilem seu incapacem; quod tamen dicti auctores non probant, nec possunt, quia nullo jure cautum est. Imo non desunt, qui in contrarium extremum declinent, dicentes, hujusmodi institutionem excommunicati, nec peccaminosam esse, quia illa non est communicatio cum hærede, sed est sola declaratio authentica suæ voluntatis. Sed hoc non probo, quia communicatio non consistit in sola locutione, sed per scripturam etiam fit; nec solum in verbis, sed maxime in factis consistit; ibi autem et per scripturam loquitur aliquo modo testator cum hærede, et quod magis est, circa illum operatur morali modo, communicando ei bona sua; unde non est dubium, quin cum illo communicet; est ergo illa actio illicita, quamvis non sit nulla.

5. *Non peccat assistens testamento a non denunciato facto.* — Est tamen notanda differentia, quæ nunc invenitur inter has personas, quando excommunicatio non est nominatim denunciata, neque orta ex publica et manifesta percussione clerici; tunc enim solum, quando testator ipse excommunicatus est, ipsi non licet testamentum condere; tamen si hoc non obstante condere velit, testibus non erit prohibitum adesse, nec tabellioni conficere testamentum, quantum est ex parte communicationis, quia hæc non est aliis prohibita cum tali excommunicato. Videri tamen posset ibi intervenire, præsertim ex parte tabellionis, genus quoddam cooperationis ad actionem illicitam, et ex hoc capite esse malam illam actionem; non tamen censeo esse illam propriam cooperationem ad actionem malam, sed solam permissionem, quia tota illa actio non est per se mala et propterea prohibita, sed eatenus tantum mala est, quatenus prohibita; illa autem communicatio ita est prohibita huic excommunicato, ut tamen aliis cum illo non sit; et ideo (dummodo ipsi non inducant illum ad communicationem illam, ad quam jus non habent) non peccant, nec cooperari censentur ad malum ut malum est, etiamsi illo inchoante communicationem, ipsi assistant, vel respondeant, vel quod dictat, excipiant.

6. *An liceat hæredi instituendo, excommunicatum ad testamentum condendum inducere, huic condere.* — Hic vero statim sese offert dubitatio non prætermittenda, an scilicet ille, cujus interest testamenti conditio, quia scilicet sperat se instituendum hæredem, possit inducere hujusmodi excommunicatum, ut illud condat, et an ille possit tunc licite et sine peccato condere. Videtur enim utrumque licitum ob Extravag. *Ad evitanda,* quæ licet non faciat favorem his excommunicatis, facit tamen aliis personis, quæ cum excommunicatis communicare volunt, et consequenter excommunicatos non repellit, neque eis communicationem prohibet, si præcise fiat in favorem non excommunicati; ita vero est in dicto casu; ergo qui sperat institui hæres, potest ob suum commodum testamenti institutionem procurare, et alter eodem intuitu potest licite illud condere. Quæ ratio et conclusio est satis consentanea iis, quæ in similibus dubitationibus duximus, et ideo veram illam esse censeo, cum hac moderatione, ut si fieri potest absque periculo, prius absolutio ab excommunicatione procuretur et obtineatur, quam testamentum fiat. Quia nunquam

licet excommunicato communicare cum alio etiam propter bonum ejus, quando potest absolutionem præmittere ante talem communicationem cum eadem utilitate et commodo alterius. Quia tunc nulla est necessitas, ob quam privilegium concessum aliis in dicta Extravag. *Ad evitanda,* ad ipsum excommunicatum extendatur in favorem tertii, quia cessat ratio ex parte tertii, quando illi potest æque subveniri absolutione præmissa. Hæc ergo præmittenda est, et hoc modo peti potest a tali excommunicato, ut testamentum condat. Quod si fingamus casum, in quo ipse nolit absolutionem petere quamvis possit, existimo nihilominus posse alium ab eo licite postulare, ut testamentum conficiat, quia rem postulat, quæ ab alio, modo licito fieri potest; quod autem ille inordinato modo illam facturus sit, alteri non imputatur. At vero, si casus sit, in quo non possit omnino, vel non sine magno periculo absolutio expectari et præmitti, tunc et hæres potest licite postulare, et excommunicatus etiam potest licite testamentum facere; tunc enim proprie urget ratio superius facta.

7. *Etiam excommunicato denunciato hoc posse licere.* — Addo vero ulterius, non solum ex illo speciali jure Extravag. *Ad evitanda,* sed etiam ex communi lege excommunicationis hoc esse licitum in eo casu, ac proinde procedere, etiamsi talis excommunicatus denunciatus sit. Quia ob verbum *utile,* licitum est uti communicatione excommunicati, et ipsi etiam excommunicato licet communicare alteri, ut ei subveniat in re gravi, quando aliter adjuvari non potest; sed in eo casu illa communicatio est moraliter necessaria ad subveniendum sibi ipsi in re magni momenti, cujus amissio moraliter existimabitur magnum incommodum, si loquamur de participante cum excommunicato, vel ad subveniendum alteri proximo non excommunicato in re simili et occasione, quæ semel amissa recuperari non potest; ergo, supposita necessitate seu impotentia præmittendi absolutionem, intervenit tunc sufficiens ratio utilitatis proximi, ut talis communicatio honestari possit.

8. *Licet hæredem instituere excommunicatum non denunciatum. — Ipse vero non potest hæreditatem adire in his, quæ communicationem concernunt.* — Tandem ob eamdem Extravag. *Ad evitanda,* tunc prohibitum non est excommunicatum non denunciatum hæredem instituere, quia cum illo non est prohibita communicatio, et aliud impedimentum non intervenit. Ipsi tamen excommunicato instituto hæredi non licebit adire vel petere hæreditatem exercendo aliquas actiones, quæ communicationem hominum requirant; nam ipse prohibitus est; si quid tamen fieri potest sine communicatione hominum, ut est tacita acceptatio hæreditatis, vel realis possessio per solam rei usurpationem, aut aliquid hujusmodi, id licite fieri potest; reliqua vero quæ communicationem requirunt, tunc illi interdicta sunt; si tamen ea faciat, valida erunt, ea ratione qua de ipso testamento, et de aliis contractibus diximus, et in sequent. de actionibus forensibus dicemus.

DISPUTATIO XVI.

DE OCTAVO EFFECTU EXCOMMUNICATIONIS, QUI EST PRIVATIO FORENSIS COMMUNICATIONIS.

In hac disputatione indifferenter agimus de Ecclesiastico et seculari foro; nam, quod ad præsens attinet, fere eadem est utriusque ratio, quanquam de Ecclesiastico, quantum spectat ad jurisdictionem judicis, in superioribus dictum est. Potest autem in hac materia generalis regula constitui, quæ unico fere verbo totam illam expediat, nimirum, omne ministerium ad hoc forum pertinens interdictum esse excommunicato, et aliis respectu excommunicati, nisi ut reus in judicio assistere compellatur. Hæc est certa et communis sententia in illo generali principio fundata, quod excommunicato et cum excommunicato omnis humana communicatio prohibita est. Hæ autem actiones, quæ in hoc foro exercentur, communicationem humanam includunt, et valde publicam et gravem, seu magni momenti inter homines, ut per se notum est; ergo ex vi excommunicationis sunt prohibitæ. Ut autem hæc regula distinctius explicari et ad praxim applicari possit, distinguere oportet varia genera personarum, quæ in hujusmodi foro intervenire possunt, quæ sunt judex, actor, reus, tabellio, testis, advocatus et procurator. Et in singulis explicare quam sit illicita, quamve invalida actio ejus in hoc foro.

SECTIO I.

Utrum excommunicatus esse possit judex in seculari judicio.

1. *Non potest licite illam personam agere.* — Primo certum est excommunicatum non

posse esse judicem etiam in seculari foro, saltem ob eam rationem communem, quod ab humana communicatione exclusus est, et alii a communicatione cum illo. Item ex alio principio, quod excommunicatio etiam in seculari foro vim suam exercet, ut aperte probatur in cap. Decernimus, de Sent. excom., in 6, ubi de actore, patrono et teste sermo est; est autem eadem vel major ratio in judicis persona. Quæ omnia recte probant esse prohibitum et illicitum excommunicato agere personam judicis etiam in judicio seculari.

2. *An possit valide.* — *Vide legem Cum lex, 22, ff. de Test., et Gloss. ult., vers. Item nota, in l. Maritus, C. de Procur.* — Difficultas vero est, an secularis judex ita sit prohibitus per excommunicationem suum munus exercere, ut etiam sit privatus seu suspensus sua jurisdictione. Communis sententia Jurisperitorum est hunc judicem esse privatum usu jurisdictionis. Et præcipue nituntur cap. Ad probandum, de Sententia et re judicata. Textus autem ille aperte loquitur de judice Ecclesiastico delegato a Pontifice; Doctores vero illum extendere videntur ad judicem absolute. Citatur etiam c. Tanta, de Excess. Prælat., in quo est sermo de sententiis latis ab Episcopo contra Ecclesiasticam censuram. Item citatur cap. Audivimus, 24, quæst. 1, in quo sermo est de potestate excommunicandi, quam constat ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinere. Deinde citatur cap. Pia, de Exceptionibus, in 6, ubi non est mentio de jurisdictione, sed solum generalis regula supponitur, quod exceptio excommunicationis *lites impedit et suspendit agentes.* Unde non amplius ex illo textu probatur, quam ex cap. Decernimus.

3. *Ratio in contrarium.* — *Primo confirmatur.* — Sententia igitur hæc, quamvis communis, difficilem habet probationem, quia ex generali ratione prohibitionis non sequitur ablatio vel suspensio jurisdictionis, quia sæpe non auferendo jurisdictionem prohibetur actus ejus. Quod maxime locum habet, quando ille actus non prohibetur in specie, et ob propriam et peculiarem rationem, sed tantum sub communi aliqua ratione, ut hic fit. Solum enim sub ratione humanæ communicationis hæc actio prohibita est judici seculari. Et augetur difficultas primo, quia ferre sententiam in seculari judicio est actio mere temporalis, quæ jure gentium in omni republica tam fideli quam infideli politice bene instituta introducta est; ergo per se non pertinet ad Ecclesiasticam potestatem vel communionem, et ideo indirecte tantum et secundario per excommunicationem prohibetur, sicut omnis alia humana communicatio; ergo per talem prohibitionem non tollitur jurisdictio temporalis, neque annullatur talis actio. Et confirmatur primo, nam propter hanc rationem excommunicatio ex sola sua vi non privat dominio temporali aliarum rerum, quamvis prohibeat illum usum ejus, qui sine humana communicatione non fit; ergo pari ratione non privabit excommunicatio jurisdictione temporali, nam hæc vel est dominium quoddam temporale, vel æquivalet. In quibus omnibus magnum est discrimen inter jurisdictionem temporalem, et Ecclesiasticam, nam hæc per se pertinet ad communionem Ecclesiæ ut talis est, et ideo per se primo per excommunicationem prohibetur ac tollitur, quoad actualem usum, sicut etiam tollitur perceptio quorumcumque fructuum vel bonorum Ecclesiasticorum, quia Ecclesia facile potest subditos contumaces privare suis bonis Ecclesiasticis; temporalibus autem et communibus omnibus hominibus, non ita facile, nec sine urgentissima causa, et ideo non est censenda id facere nisi specialiter exprimat.

4. *Secunda confirmatio.* — Unde confirmatur secundo, nam in quibusdam gravioribus delictis jura canonica specialiter exprimunt ut excommunicatus, si sit judex, non possit ferre sententiam, ut de hæreticis in c. Excommunicamus, 1, § Credentes, ibi : *Si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur.* Et de violatoribus immunitatis Ecclesiasticæ, in c. Adversus, de Immunitate Ecclesiarum, ubi, cum relatum esset, sub anathematis vinculo esse prohibitum rectoribus, et consulibus civitatum, ne exactionibus Ecclesiasticas personas aggravarent, subditur inferius : *Quia vero nec sic quorumdam malitia contra Dei Ecclesiam conquievit, adjicimus ut constitutiones, et sententiæ, quæ a talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes et irritæ habeantur.* Si ergo post excommunicationem hæc pœna adjicitur, non erat hic effectus in ipsa excommunicatione inclusus. Item, si in his delictis hæc pœna specialiter imponitur præter excommunicationem, firmatur regula in contrarium, quod ubicumque excommunicationi non adjungitur specialiter talis effectus, sola excommunicatio per se illum non opera-

tur; sic enim sæpe in superioribus argumentati sumus. Unde augetur tandem difficultas, quia propter hæc eadem fundamenta, et non majora, dictum est supra, et dicunt Doctores communiter, contractum, testamentum, et similia ab excommunicato facta, valida esse, licet fieri non debeant; ergo male in præsenti, contra eadem fundamenta, et sine expresso textu irritante, aut jurisdictionem auferente, contrarium asseritur.

5. *Communis sententia præfertur et roboratur.* — Nihilominus in re tam gravi et morali, nulla ratione possumus a communi sententia recedere, quæ, licet nunc non haberet aliud fundamentum præter communem omnium acceptationem et consensionem, sufficienter esset fundata; hoc enim satis est ut communi consuetudine ita sit in Ecclesia receptus et explicatus hic excommunicationis effectus. Nam, si consuetudo, ut alias constat, ad dandam, vel tollendam jurisdictionem sufficere potest, majori ratione sufficiet ut excommunicatio in suspendenda jurisdictione eamdem vim habeat circa jurisdictionem civilem, quam supra Ecclesiasticam; et ideo ad utramque extendantur jura, quæ in particulari de actionibus jurisdictionis Ecclesiasticæ loqui videntur. Præter hæc vero non desunt antiqua decreta, in quibus hæc consuetudo, et communis consensio niti videtur; nam, in c. penult. et ult., 15, quæst. 6, subjecti excommunicatis a fidelitate eis debita, et a juramento eis præstito absolvuntur, et, ne illis serviant seu obediant, prohibentur; ergo necesse est, ut ipsos excommunicatos jurisdictione privet, seu suspendat, quia hæc correlativa sunt, nec potest unum manere altero sublato. Præterea adduci possunt rationes congruentes, quia excommunicatus tanquam ethnicus, et ab Ecclesia alienus reputatur, et ideo non expedit, ut jurisdictionem in membra Ecclesiæ retineat, saltem quoad usum validum ejus. Item quia hæc jurisdictio nullum habet usum, qui intrinsece non includat communicationem, et ideo, cum communicatio omnino prohibeatur, conveniens fuit, etiam jurisdictionem ipsam auferri; quod secus est in aliis rebus et dominiis, quæ non ita intrinsece communicationem includunt. Denique quia si hæc jurisdictio maneret in his excommunicatis expedita et efficax (ut sic dicam), possent per usum ejus obligare subditos, quod jura maxime vitare intendunt; nam, si personam actoris, et testis excludunt ab hac communicatione, multo magis personam judicis; non poterat autem aliter convenienter excludi, quam privando ipsum usu jurisdictionis. Atque hæc ratio solvit magna ex parte rationem dubitandi; cætera vero, quæ in ea afferuntur, in sequentibus declarabuntur.

6. *Acta a judice seculari excommunicato nulla esse.* — *Corollarium primum.* — Ex hoc ergo fundamento, quod ut verum amplectimur, sequitur primo omnia acta a judice excommunicato nulla esse, ut, v. gr., sententiam ab illo latam, utpote a non judice latam, et sine jurisdictione. Atque eadem ratione idem dicendum est de omni actu, qui essentialiter a jurisdictione pendet, cujusmodi est ferre leges, privilegia et dispensationes concedere, judices delegare, eligere, et similia; quæ omnia communia sunt apud Canonistas in dicto c. Ad probandum, de Re judicata, et in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia, et sæpe alias. A quibus non discordant Theologi, in 4, dist. 18, 20 et 22, et idem docent Summistæ, et patet ex his, quæ supra diximus de privatione spiritualis jurisdictionis, nam æqualiter omnia procedunt, supposito dicto principio de privatione jurisdictionis. In particulari vero addit Abbas in dicto c. Ad probandum, sententiam ab excommunicato latam non solum esse nullam, si ab illo ut judice ordinario feratur, sed etiamsi illam ferat ut arbiter, dummodo constitutus sit judex cum vera jurisdictione, verumque judicium publicum exercendo, juxta l. 1, ff. de Arbitris. Nam, si solum ex consensu partium constituatur, ut tanquam vir prudens arbitrio suo rem componat, tunc licet propter communicationem male faciat, quia tamen ille non est actus jurisdictionis, sed quædam conventio, et quasi pactum quoddam, validus erit actus.

7. *Si denunciatus sit.* — Addunt præterea Doctores omnes necessarium esse, ut hujusmodi excommunicatus publicus sit; id enim expresse habetur in dicto c. Ad probandum, de Sent. et re judicata, et nunc videri potest necessarium, ut sit nominatim denunciatus, excepto crimine percussionis clerici, in quo satis est, ut factum ipsum ita publicum sit, ut nulla tergiversatione celari possit, juxta Extravag. *Ad evitanda,* quia, propter commune bonum, excommunicatus nunquam privatur jurisdictione, donec publicus sit; et nunc propter majus commodum et levamen eorum, qui excommunicati non sunt, additur ut denunciatio in particulari sit necessaria.

Verumtamen juxta superius dicta hoc intelligendum erit, si partes velint coram tali judice publice excommunicato, nondum tamen denunciato, comparere et causam agere; non tamen opinor posse ab illo compelli, simpliciter loquendo, nisi forte ex conventione et pacto earum, quia, ut sæpe dixi, licet illis concedatur per dictam Extravagantem, ut possint cum tali excommunicato communicare, et consequenter coram eo litem agere, non tamen compelluntur ei communicare; ergo neque illi ut vero judici deferre; et juxta hanc limitationem explicanda sunt specialia jura supra citata, quæ in quibusdam criminibus gravioribus hunc effectum specificant, et illum excommunicationi adjungunt; loquuntur enim de effectu cum majori ampliatione, quam in excommunicatione includatur, nimirum, ut sententia sic lata nulla sit, quacumque ratione constet postea judicem incidisse in tale crimen, etiamsi non omnino publice de ejus excommunicatione constaret. Atque ita exposuerunt illa jura Abbas, et alii interpretes, quæ expositio difficultate non caret; nulla tamen alia commodior occurrit; nec possumus in his forensibus explicandis amplius immorari.

8. *Peccat judex excommunicatus judicandi usum usurpando. — Corollarium secundum. — Quale sit peccatum in judice non denunciato. — Cajetani sententia.* — Secundo infertur ex dictis, graviter peccare judicem excommunicatum hoc ministerium judicis usurpando; nam in primis peccat contra prohibitionem censuræ, denique contra justitiam commutativam et legalem, usurpando jurisdictionem, quam non habet, et actus nullos efficiendo. Atque ex hoc posteriori capite peccatum hoc mortale est, habetque locum in excommunicato publico seu denunciato, ut dixi. An vero ex priori capite præcise sumpto sit mortale, necne, dubitari potest; maximeque habet locum dubitatio in excommunicato nec denunciato, nec notorio, qui debet ab officio abstinere, quamvis non repellatur; qui tamen non peccabit contra justitiam, si non abstineat, quia, ut diximus, jurisdictionem toleratam retinet, et validos actus exercet; peccabit vero contra prohibitionem communicationis. Tunc igitur dubium est an peccet mortaliter, quod licet non formaliter, virtute attigit Cajetanus, in Summ., verb. *Excommunicatio*, cap. de Iis quæ excommunicato licita sunt, et ex quadam regula generali, quam assignat, colligitur, ipsum sentire non esse peccatum mortale. Distinguit enim ibi tria genera actionum: quædam enim sunt mere divinæ, ut sunt, quæ generali nomine vocantur *communicatio in sacris;* de quibus asserit esse peccata mortalia ex genere suo. Aliæ sunt actiones mere humanæ, quas nos vocavimus nomine communicationis politicæ, seu usualis, de quibus ait, esse peccata venialia, et utrasque nos in superioribus declaravimus magis in particulari. In tertio genere ponit has actiones forenses, de quibus nunc agimus, quamvis ipse latius genus illud sumere videatur, et sub illo includere etiam communicationem forensem in Ecclesiastico judicio, seu foro; et de iis actionibus generalem regulam constituit, quatenus injustitiam continent, esse peccata mortalia, seclusa vero injustitia, esse tantum venialia. Ex qua generali resolutione plane sequitur, in casu a nobis proposito actionem illam tantum esse veniale peccatum. Fundamentum Cajetani est, quia ab his non primario, sed secundario excluditur excommunicatus, et ideo *non apparet* (inquit) *unde ibi sit culpa mortalis, magis quam in secundo genere actionum.*

9. *Cajetani regula improbatur.* — Mihi vero regula hæc adeo generalis probari non potest. Quia illud principium de actione primario aut secundario prohibita per excommunicationem, non videtur sufficiens ad discernendum peccatum veniale a mortali; illud enim *primum*, vel *secundarium*, solum videtur hic dictum respectu intentionis Ecclesiæ prohibentis hæc bona, seu has actiones, ut in superioribus declaratum est; hoc tamen non impedit quominus in utrasque actiones verum cadat Ecclesiasticum præceptum prohibens illas, et unamquamque juxta exigentiam et gravitatem ejus, ut per se notum est, et in aliis materiis facile declarari potest. Ubicumque enim aliquid præcipitur ut principale, et aliud ut accessorium seu ratione alterius, possunt distingui illa duo, scilicet primario, vel secundario præceptum, vel prohibitum; nihilominus hoc non impedit quominus utrumque sit vere præceptum, et sub culpa gravi, si materia gravis est, etiamsi sit secundaria; ut quod faciens sacrum vestibus sacris indutus sit, quid secundarium est respectu ipsius sacrificii; nihilominus præceptum ejus grave est, et sub mortali obligans. In præsenti igitur rationes illæ, primario vel secundario prohibitæ, non satis distinguunt veniale a mortali peccato; et ideo in superiori disputa-

tione tractantes de secundo genere actionum a Cajetano posito, non diximus ordinarie esse peccatum veniale, solum quia secundario prohibitum est, sed quia materia illius prohibitionis levis est. Unde, si aliquando sit gravis, diximus etiam in eo genere posse peccatum mortale committi.

10. *Vera sententia.* — At in præsenti actio judicandi, per se ac præcise sumpta, est valde gravis et publica, et per excommunicationem probibita per verum Ecclesiasticum præceptum, obligationem saltem obedientiæ inducens; ergo transgressio illius est mortale peccatum. Quod quidem gravius erit, si judicium, quod excommunicatus usurpat, Ecclesiasticum sit, quia materia illa, et ex suo genere gravior est, et magis directe pertinet ad Ecclesiasticam potestatem. Verumtamen, etiamsi judicium seculare sit, opinor esse materiam sufficientem peccati mortalis, quia et in se est actio satis, gravis ut dixi, et in individuo sæpe est gravior, quam Ecclesiasticum judicium. Et quamvis alia etiam ratione dicatur indirecte cadere sub potestatem Ecclesiasticam, quia in universum omnia hæc temporalia cadunt tantum indirecte sub potestatem spiritualem, id est, in ordine ad finem spiritualem, hoc nihil obstat, quia nihilominus illa potestas Ecclesiastica, quatenus illo modo extenditur ad temporalia, circa illa est superior potestate temporali; quo modo Papa est superior rege etiam in temporalibus; ergo illud non obstat, quominus quando in tali materia præcipit, juxta materiæ gravitatem graviter obliget. Sic igitur in præsenti opinor hunc actum judicandi ex hoc præcise, quod per excommunicationem prohibitus est, et contra illius præceptum fit, esse peccatum mortale, nisi sit de re adeo levi, ut moraliter quasi nihil æstimetur, vel nisi tales circumstantiæ necessitatis, aut inconsiderationis occurrant, quæ excusare valeant.

SECTIO II.

Utrum excommunicatus possit valide in judicem eligi vel creari.

1. *Non potest excommunicatus ad temporalem dignitatem jurisdictionem habentem assumi.* — *Corollarium tertium.* — Quæstio hæc annexa est præcedenti, et ideo breviter expedienda est, extendique potest ad omne officium, vel dignitatem, quæ temporalem jurisdictionem habeat annexam. Nam de omni munere dicendum est, non posse licite quempiam excommunicatum ad ea munera, vel dignitates temporales assumi, seu eligi, quæ jurisdictionem temporalem habent annexam. Ita docent communiter Doctores, et sequitur ex illo principio c. ultimi de Cleric. excomm. minist., quod nemo potest eligi ad munera ordinata ad actiones, a quibus per sacros canones prohibitus est; nam excommunicatus prohibitus est ab actionibus jurisdictionis temporalis; ergo etiam est prohibitus, ne ad illam jurisdictionem accipiendam eligi valeat. Ex quo ulterius ad minus concluditur talem electionem irritandam esse; id enim aperte dicitur in dict. cap. ultim. An vero ipso facto irrita sit, dubitari potest.

2. Nam Doctores cum Glossa, in cap. Venerabilem, de Elect., verb. *Electus,* sentiunt talem electionem esse nullam ipso facto, atque ita intelligunt dictum c. Venerabilem, ubi Pontifex negat se debuisse quemdam inungere imperatorem, qui, dum excommunicatus esset, in regem Romanorum electus fuerat. Qui textus est probabilis, non tamen cogens, quia, quamvis illa electio non fuisset irrita, sed irritanda, recte potuisset Pontifex illam non acceptare, sed irritare; præsertim cum non solum ille, sed multi alii defectus in persona illa invenirentur, qui ibi numerantur. Et cum in discordia electorum alius electus esset dignus imperio.

3. *Vera sententia.* — *Objectio.* — Nullum ergo sufficiens fundamentum video ad asserendam collationem hujusmodi vel electionem esse ipso jure nullam, et ideo oppositam sententiam judico esse satis probabilem. Maxime cum contra jus ipsum sit, hos effectus odiosos et pœnales extendere et exaggerare sine jure cogente. Adde Canonistas consequenter loqui, quia dictum cap. ult. intelligunt de actione, seu electione ipso facto irrita. Nos autem in hoc ab eorum sententia, quamvis communi, infra recedemus; ergo cum in præsenti, nullum aliud decretum irritans habeamus, non est cur vereamur ab hac etiam sententia in præsenti recedere. Potest tamen in ejus favorem fieri proportionale argumentum a dignitatibus Ecclesiasticis ad seculares, nam illarum collatio est irrita ipso jure : ergo harum; si enim in suspensione jurisdictionis, et in actionibus, quæ ab illa procedunt, validum est hoc argumentum, cur non in collatione ipsarum dignitatum?

4. *Diluitur.* — *Gradus Doctoratus excommunicato collatus validus est et ratus.* — Sed

neque hoc argumentum multum urget. Et in primis insto contra primam illationem; nam in Ecclesiasticis collatio dignitatis aut beneficii irrita est, etiamsi jurisdictionem non habeat annexam, quod in secularibus dignitatibus nulla verisimilitudine dici potest, et ideo signatim locutus sum de dignitatibus, quæ ad jurisdictionis actus ordinantur, et sunt imperialis, regia, ducis, comitis, et similes magistratus, sive perpetui, sive temporales; nam de aliis, quæ solum sunt ad honorem personarum, vel ad temporale lucrum, licet donatio illicite fiat, quatenus includit communicationem cum excommunicato (suppono enim nunc esse sermonem de excommunicato vitando), tamen semel facta non solum non est ipso jure irrita, verum neque irritanda, sed absolute firma, quia nullo speciali jure aliud statutum est; et alioqui ille tantum est quasi contractus quidam, vel simplex donatio rei temporalis, quæ excommunicato facta, valida est, ut supra ostendimus. Ac propterea Decius, in c. Intelleximus, de Judiciis, num. 2, citans Cardinalem, et Joannem Andream, dixit, gradum Doctoratus excommunicato collatum validum et ratum esse, quia neque jurisdictionem includit, neque ullo jure speciali impeditur quominus collatus valeat; quod maxime certum est de gradibus, qui auctoritate regia dantur; nam de gradu Theologiæ, vel Juris Canonici, qui dantur auctoritate Pontificia, magis dubitari posset, quia magis spirituales videntur, et Ecclesiastici. Nihilominus tamen, quia non sunt proprie beneficia aut Ecclesiasticæ dignitates, et de eis non est aliquod jus expressum, non est quod rigorosius rem hanc interpretemur.

5. Argumentum ergo illud ab spiritualibus dignitatibus ad temporales efficax non est. Ratio autem discriminis est, quia de spiritualibus jura canonica directe disponunt, ut nulli excommunicato directe conferantur, ut supra visum est. De temporalibus vero nulla est talis generalis dispositio, cujus ratio fortasse solum est, quia hæc temporalia non ita directe cadunt seu prohibentur per excommunicationem, sicut spiritualia. De muneribus autem temporalibus, quæ jurisdictionem includunt, indirecte et solum per illationem colligimus juxta principia juris canonici eorum collationem excommunicato factam esse irritandam, non vero esse irritam, quia jura ipsa in illo generali principio non plus dicunt.

6. *Excommunicatus potest obtinere jurisdictionem alia via quam per electionem.* — Atque hinc fit (quod etiam ostendit magnum discrimen inter hæc temporalia et spiritualia) quod hæc jurisdictio temporalis alia via, quam per electionem vel liberam collationem obtinetur; nimirum, quia hæreditario jure simul cum majoratus et tanquam annexa aliis temporalibus bonis ad aliquem pervenit, revera dominium ejus et proprietas seu jurisdictio ipsa quoad habitum vere comparatur, etiamsi is, qui in hæreditate succedit, excommunicatus sit, et durante excommunicatione, suspensa et impedita maneat, quia excommunicatio non privat aliquem jure successionis, ut omnes docent, et supra visum est. Succedit ergo excommunicatus in hæreditate, et ideo cum illa transfertur etiam jurisdictio tanquam illi annexa, sicut dici solet de jure patronatus, quod annexum est temporali hæreditati, et ideo cum illa transfertur. Et ratio etiam reddi potest, quia quando jurisdictio hæc successione acquiritur, erat quasi radicaliter jus acquisitum ad illam, seu ad bona cui est annexa, ante excommunicationem contractam, quæ non privavit excommunicatum tali jure, neque etiam impedivit illum. Quod maxime videtur procedere, quando successio est necessaria ex jure primogenituræ vel alio simili. Idem autem est, etiamsi successio sit ex testamento per voluntariam institutionem, quia quoad hoc testamentum imitatur naturam contractus, seu donationis a privata persona factæ de rebus suis, quæ valida est, etiamsi excommunicato fiat, et consequenter valet etiam translatio jurisdictionis, quæ ibi se habet tanquam quid concomitans, et accessorium, argument. text. in cap. Ex litteris, de Jure patron. Neque solum valet translatio jurisdictionis, quando illo modo fit, sed etiam irritari non potest ob solam causam excommunicationis, ut de contractibus, et testamentis superius diximus. Quod secus est, quando confertur per electionem, vel alium modum provisionis, ex publico munere, vel auctoritate factæ; de hoc enim loquuntur jura, quando dicunt esse irritandam. Et hæc sufficiant de persona judicis, et in universum de jurisdictione temporali; sub qua comprehendimus jus eligendi, et omnem aliam reipublicæ administrationem, quæ virtute publici muneris fieri solet.

SECTIO III.

Utrum excommunicatus possit esse actor in judicio.

1. *Vide Tiraquel., de Utroque retractu. Glos.* 9, *n.* 276; *Salzed. in Pract., cap.* 116, *num.* 1. — Dico primo : in causa propriæ excommunicationis admittitur excommunicatus, ut actor intendens probare, vel non esse excommunicatum, vel esse absolvendum. Ita notat Abbas, in cap. Cum inter, de Exceptionibus, num. 10, et sumitur argumentum a simili ex cap. 1, de Rescript., in 6, ubi rescriptum ab excommunicato impetratum dicitur esse nullum, nisi in ordine ad absolutionem obtinendam fuerit impetratum; ergo similiter in præsenti, in ipsa causa excommunicationis audiri poterit, dummodo servetur regula tradita in cap. Cum contingat, de Offic. Deleg., scilicet, quod, si excommunicatus probare intendat excommunicationem fuisse nullam, audiendus est et ejus probationes admittendæ, ut ex eis constet an sit absolvendus vel non ligatus declarandus; si autem solum intendit excommunicationem fuisse injustam, quamvis validam, non est admittendus nisi prius absolvatur. Quæ regula traditur etiam in cap. Per tuas, de Sent. excomm. Quamvis addat, etiam in priori causa solere Apostolicam Sedem præmittere absolutionem ad cautelam. Quam regulariter negandam non esse docet Pontifex in cap. Solet, de Sentent. excomm., in 6. Unde si excommunicato petenti absolutionem denegetur, et ipse conqueratur, injuste sibi denegari, non est dubium quin in ordine ad absolutionem obtinendam audiendus sit, et probationes ejus admittendæ. Tum quia illa tunc est propria defensio; tum etiam quia illud est medium ad excommunicationem tollendam, quod maxime Ecclesia intendit. Et ideo nunquam denegat communicationem, quæ ad hunc finem tendit, ut in superioribus visum est.

2. Dico secundo : excommunicatus extra causam suæ excommunicationis non potest esse actor in judicio, sive temporali, sive Ecclesiastico. Habetur in cap. Decernimus, de Sentent. excomm., ibi : *Ab agendo,* et ideo exceptio excommunicationis respectu actoris semper, et in omni parte litis admittenda dicitur in cap. Exceptionem, de Exceptionibus, et in cap. 1, eod. tit., in 6, et ratio additur : *Ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur.* Quod si excommunicatio sit publica, officio judicis repellendus dicitur, etiam si exceptio a reo non opponatur. Quod nunc existimo intelligendum, vel in casu percussionis clerici, vel si excommunicatus denunciatus sit; si vero non sit denunciatus, possit quidem, si alio modo sit publicus, non tamen teneatur ex vi sui muneris illum repellere, donec exceptio objiciatur, quia non tenetur illum vitare. Atque ita etiam intelligo cap. 1 de Exception., in 6, et Clement. unic., eod. tit. Item in cap. Prudentiam, § 6, de Offic. Deleg., ubi idem dicitur de excommunicato coram delegato judice agere volente, quod vel prius absolvendus sit, vel repellendus.

3. *Non tamen negatur ei beneficium defensionis.* — Et in cap. Cum inter, de Exceptionibus, extenditur ad reconventionem; nam excommunicatus tanquam reus in judicio conventus, non potest suum actorem reconvenire; nam hoc jam est agere seu potius reagere; reconvenire enim nihil aliud est quam mutuo petere, argumento cap. 2 de Mutuis petitionibus, et c. 2 de Ordine cognit. Per hoc tamen ei beneficium defensionis non negatur; nam hoc et maxime naturale est, et ut servetur æquitas justitiæ necessarium, ut in eodem cap. Cum inter, dicitur; et ideo si judicem suspectum habeat, ut causas objicere possit ei conceditur, et similiter, si injuste se condemnatum causetur, appellationis remedium ei non negatur, ut ibidem dicitur. At vero reconventio alterius non est proprie defensio, sed nova accusatio. Et ideo intelligendum hoc est de reconventione, quæ omnino sit extra causam, de qua est conventio; nam, si sit de eadem, magis habebit rationem defensionis. Ut si actor a reo excommunicato debitum petat, et ille respondeat jam solvisse et cautionem ab ipso de solutione facta accepisse, injuria tamen ejus fuisse combustam vel furto sublatam, hoc, et quidquid simile fuerit, non habet vim reconventionis, sed defensionis. Idemque videtur esse (licet multi contradicant) si respondeat, delictum jam esse compensatum; nam compensatio quædam solutio est, ex lege 4, Cod. de Compensatione, et l. Si debitor, ff. Qui potiores. Et ideo compensatio potius habet rationem defensionis et justæ exceptionis, quam petitionis seu actionis, juxta legem Si ex venditione, Codice de Compensat. Et eadem ratione si reus excommunicatus actori similem excommunicationem objiciat aut aliam quamcumque exceptionem, quæ jure ipsum ab agendo repel-

lat, audiendus est, quia illa non est accusatio vel reconventio, sed defensio, quæ semper conceditur, ut diximus in dicto c. Cum inter, et sumitur etiam in c. Significaverunt, et in c. Dilecti filii, de Except. Est ergo diligenter defensio a reactione seu reconventione distinguenda; nam hæc semper, illa vero nunquam excommunicato prohibetur. Sub defensione autem comprehendimus omnem actionem involuntariam, ut sic dicam, id est, quoties aliquis ab illo provocatus, ita respondere compellitur, ut necessarium illi sit aliquid petere, seu agere, aut contra alium probare; tunc enim non repellitur ab agendo, sicut e contrario infra dicemus, reum voluntarium esse repellendum: est enim in eis commutata proportio, ut ex dicendis constabit.

4. *Excommunicatus etiam per procuratorem in judicio agere prohibetur.* — Ampliatur autem assertio, ut excommunicatus in judicio agere non possit, nec per se, nec per alium, scilicet, per procuratorem: tum quia moraliter loquendo, qui per alium agit, ipse agere censetur; unde qui simpliciter et sine limitatione agere prohibitus est, etiam per procuratorem agere est prohibitus; tum etiam quia cum excommunicato non solum immediate, sed etiam per alium communicare prohibemur, ut per nuncium vel per litteras; ergo multo magis per procuratorem; tum denique quia procurator nihil agit nisi alterius auctoritate; excommunicatus autem hac caret ad agendum in judicio. Et ideo in cap. ult. de Procuratoribus, procuratio seu institutio procuratoris ab excommunicato facta nulla esse censetur. Et ob eamdem rationem, quamvis ante excommunicationem procuratio commissa sit, adveniente excommunicatione, quasi suspenditur et vim suam amittit, quia dependet veluti in fieri et conservari a facultate committentis, sicut in simili de potestate delegata diximus. Atque ita sentiunt Innocent. et Abbas, in dict. cap. ultim.; Sylvest., verb. *Procurator.* De qua re multa alia Canonistæ disputant super allegata jura, quæ ad conscientiæ forum parum spectant, et ideo in eis videri possunt.

5. *Quid circa hanc rem per Extravag.* Ad evitanda *excommunicato liceat.* — Observandum vero nobis est, circa hanc rem nihil fere innovatum esse per Extravag. *Ad evitanda.* Nam sive actor denunciatus sit, sive non, imo sive sit publice, sive occulte excommunicatus, agere non potest in judicio, quia ipse semper tenetur, quantum in se est, alios vitare, neque illi concessum est ullum privilegium. Reus vero, quamvis possit non vitare illum, tamen retinet jus suum ad vitandum, si velit, et consequenter potest illi exceptionem excommunicationis objicere, etiamsi denunciatus non sit, imo etiamsi non sit publica excommunicatio, dummodo ad illam probandam se offerat. Nam totum hoc jure antiquo concedebatur reo non excommunicato; per Extravag. autem *Ad evitanda,* quæ in favorem omnium, qui cum excommunicatis communicare volunt, condita est, et non in gravamen, non est diminutum vel limitatum hoc jus rei, quod illi favorabile est. At vero hoc modo cum excommunicato communicare, nempe tolerando actionem ejus in judicio, eique respondendo, non pertinet ad favorem ejus qui provocatur, et ideo clarum est illum, moraliter loquendo, nunquam esse usurum hoc privilegio Extravagantis. Ac propterea dico nihil fere esse per illam innovatum quoad hanc partem; nisi forte respectu judicis, ut non teneatur ex officio repellere eum, qui denunciatus non est. Atque ita fit, ut post objectam a reo exceptionem excommunicationis actori, donec ille in probatione deficiat intra legitimum terminum ei præscriptum, non possit actor licite progredi, nec admitti ad procedendum in actione sua, quia quantumvis excommunicatio occulta videatur, potest esse probabilis. Ideoque dicitur in cap. 1 de Except., in 6, quod hæc exceptio excommunicationis, *lites impedit et suspendit agentes,* idemque statuitur in aliis juribus citatis. In quibus, præsertim in cap. 1 de Exception., in 6, præscribitur modus, quo hæc exceptio proponenda est et admittenda, ut fraudes vitentur eorum, qui solum ad differendas lites falso hæc objiciunt. Quæ omnia cum ad justitiam servandam spectent et necessaria sint, sine dubio in conscientia graviter obligant, etiam ad restitutionem expensarum, quas ob hujusmodi injustas exceptiones actor ipse facere cogitur. In quo etiam jura citata provident, quæ judex in conscientia servare et exequi tenetur.

6. Per se autem loquendo, hæc exceptio tantam vim habet, ut si actor fateatur in se fuisse excommunicationis sententiam latam, nullam tamen illam fuisse vel injustam respondeat, id satis non sit ut statim ad progrediendum in actione sua admittatur, donec nullitatem excommunicationis sufficienter ostendat. Ita enim statuitur in c. 2 de Sentent. excom., in 6, in fine. In quo textu duo simul continentur, quæ videntur inter se pugnantia:

unum est hujusmodi actorem pendente probationis articulo in judiciis vitandum esse; aliud est extra judicium in officiis, postulationibus et electionibus, et aliis legitimis actibus non esse vitandum. Cur enim potius in illis, quam in his vitandus est? nam, si verum est et notum excommunicationem fuisse nullam, in utrisque actibus vitandus non est; et quamdiu non constat fuisse validam, sicut extra judicium non est privandus jure suo, ita nec in judicio, donec de excommunicatione convincatur. Nihilominus tamen merito id statuitur, quia cum actor in judicio sit veluti aggressor, oportet ut prius ostendat se non esse impeditum per jura ad agendum contra alium, qui ei exceptionem excommunicationis objicit, quod secus est in aliis actionibus extrajudicialibus, ubi non agit contra alium, sed jure suo utitur.

Assertio tertia.

7. *Quæ ab excommunicato non repulso in judicio aguntur, sunt valida. — Etiamsi excommunicatio sit publica.* — Dico tertio : ita est prohibitum excommunicato in judicio agere, ut tamen si agat et non repellatur, neque ei objectio excommunicationis opponatur, valida sint omnia, quæ in tali judicio acta fuerint. Ita colligitur aperte ex cap. 1 de Except., in 6, ibi : *Sed si post rem judicatam talis exceptio proponatur, executionem impediet; sed sententia, quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit,* scilicet, quam si tempore litis et latæ sententiæ excommunicatus non fuisset; hic enim est simplex sensus, ut Glossa et interpretes etiam exponunt; ergo non obstante excommunicatione acta in judicio valida sunt. Non desunt vero, qui putent illud esse jus novum, nam ex jure antiquo talia acta invalida erant, ut ibi notat Glossa, verb. *Duraturis,* et in cap. Exception., de Except., ubi hæc videtur esse communis sententia. Sed nec existimo esse satis fundatam, nec nostra refert; satis est enim quod de facto illa sic acta valida sunt. Quod verum est, etiamsi excommunicatio alias publica sit, ut notavit Abbas, in cap. Intelleximus, de Judic., quia notitia vel fama excommunicationis non reddit personam magis inhabilem. Ratio denique est, quia quamvis actor ex generali ratione privationis communicationis humanæ a judicio repellatur, nullum tamen est speciale jus, quod irritet omnia, quæ fiunt ad petitionem excommunicati, quamdiu illi excommunicatio non objicitur. Neque ex parte actoris intervenit privatio jurisdictionis, quæ in judice invenitur, ut ob eam causam acta illa nulla censenda sint; ergo nulla est sufficiens ratio, ob quam hujusmodi acta censeri possint irrita. Quæ ratio pro similibus quæstionibus advertenda est et applicanda; et in proposito probat, non solum in causis civilibus, sed etiam in Ecclesiasticis, excommunicationem actoris non reddere irrita ea, quæ in judicio aguntur, quia de neutro judicio id statutum invenitur.

8. Dices : citatio facta ad petitionem excommunicati notorii valida non est, quandoquidem non obligat alium ad comparendum, quia hoc esset obligare illum ad communicandum cum excommunicato, quod repugnat; ergo eadem ratione reliquæ actiones nullæ sunt, quia non est major ratio de cæteris, quam de illa prima, quæ est veluti fundamentum aliarum. Respondetur eam actionem esse invalidam, quantum ad absolutam vim obligandi, ut argumentum probat; non tamen simpliciter, quia, si reus sic citatus comparere velit, illa citatio sufficiet ad causam prosequendam, donec objiciatur exceptio. Quod si reus sic citatus nolit comparere, saltem obligabitur causam reddere suo superiori, excommunicationem objiciendo. Atque hoc fere modo reliquas omnes actiones validas dicimus; semper enim relinquunt liberam facultatem objiciendi prædictam exceptionem; tamen si illa non interponitur, illæ validæ manent; suspenduntur vero statim ac talis objectio fit. Adeo ut, licet fiat post sententiam latam, executio suspendenda sit, juxta dictum cap. 1 de Except., in 6. Obtenta autem absolutione tolletur suspensio, ut possit in lite vel executione progredi ab eo puncto in quo interrupta fuerat.

9. *Non peccat mortaliter excommunicatus jus suum in judicio petens.* — Ex his autem potest inferri non esse peccatum mortale per se loquendo et ex vi solius excommunicationis, si excommunicatus jus suum petat in judicio, illudque prosequatur, donec per exceptionem excommunicationis juridice repellatur. Dico autem, *per se loquendo,* quia si interveniat injustitia ex parte causæ, quæ proponitur, vel dolus et fraus in repellenda exceptione, vel quippiam simile, ex eo capite esse poterit peccatum mortale. At vero, si quis petat rem justam, et alioqui sibi debitam, et bona fide procedat, et absque contemptu Ecclesiasticæ censuræ, solum veluti

ex humana fragilitate, ob rem suam recuperandam, non videtur esse mortale crimen. Et quoad hoc est probabilis sententia Cajetani superius citata, quæ maxime procedet, si causa litis non sit admodum gravis, nec diuturna, ita ut sine continua vel magna communicatione agi possit. Deinde, si aliquæ rationes seu causæ graves intercedant, quæ tales interdum esse possunt, ut non solum sine gravi culpa, verum etiam sine culpa, et possit agere excommunicatus, et ipse judex possit et debeat illum admittere, præsertim secularis, qui potestatem non habet ad absolvendum illum, etiam ad illum actum. Hujusmodi autem causa erit, si magnum præjudicium et periculum gravis damni immineat actori ex dilatione et mora, si prius ei procuranda sit absolutio quam in judicio audiatur, ut si moraliter timeatur fuga debitoris, nisi a judice capiatur, vel si aliquod animæ periculum timet, nisi per judicem ei subveniatur. Nam in hujusmodi eventibus non tam potest dici agere quam se defendere et tueri, et ad hoc judicis officium implorare, quod semper ei licet, ut in citatis juribus dicitur. Item, quia ob vitandum grave damnum licitum est excommunicato communicare cum aliis, et aliis cum ipso, quando est periculum in mora, si expectetur absolutio; ergo eodem titulo licebit tali excommunicato agere, et judici illum admittere. Quod etiam Abbas et alii Canonistæ concedunt in dicto cap. Cum inter, de Exceptionibus, et in aliis locis supra citatis.

SECTIO IV.

Utrum excommunicatus possit ad judicium cogi ut reus.

1. Principio dicendum est, excommunicatum posse compelli in judicio esse tanquam reum, non solum in causa ipsius excommunicationis, quod per se notum est, sed etiam in quacumque alia, in qua fuerit provocatus, seu postulatus. Hæc est communis, et certa sententia, et aperte traditur in cap. Intelleximus, de Judiciis, ubi et ratio redditur, quia excommunicatus non debet commodum ex sua contumacia reportare; magnum autem esset illi commodum, si vel pro debito, vel pro crimine conveniri non posset, et ad comparendum compelli. Ex qua absoluta decisione, et ratione ejus colligere licet, teneri excommunicatum reum, posseque compelli ad præstandum in judicio ea omnia, quæ cogi posset efficere, si excommunicatus non esset, ut, v. gr., respondere, parere, etc. Patet, quia si aliqua in re excusari posset propter excommunicationem, quantum ad id, commodum reportaret; at nulla in re sentire debet commodum ex contumacia, et excommunicatione. Item, quia qui ad principale obligatur, etiam ad ea, quæ necessario sunt illi conjuncta, et ad quæ præcipue ordinatur, consequenter obligandus est; sed comparere in judicio non est nisi propter actiones, quæ inde consequuntur, et quæ sunt veluti necessario concomitantes hujusmodi citationem, quia alias frustranea esset, et inutilis : ergo.

2. *Reo excommunicato quæ in judicio liceant.* — Hinc vero ulterius sequitur, ut etiam ipsi excommunicato licita sint in tali judicio omnia illa, quæ cuilibet reo agere licet ad sui defensionem, et consequenter quod ad omnia ea præstanda admitti debeat, ut, v. gr., ad objiciendas exceptiones, vel contra ipsum actorem, ut ejus petitionem injustam esse concludat, vel contra ipsum judicem, si eum suspectum habeat, aut contra testes, etc. Ratio est, tum quia jus defensionis est tam intrinsecum, et naturale, ut nemini denegetur; tum etiam quia naturalis æquitas hoc postulat; nam si cogeretur comparere excommunicatus tanquam reus, et non posset se defendere, id nihil aliud esset, quam, ut condemnaretur, eum judici tradere, et consequenter infinitis calumniis, et injuriis illum exponere, quod esset contra rationem, et æquitatem.

3. *Appellare potest.* — Atque ob eamdem rationem conceditur hujusmodi excommunicato reo, ut appellare possit a quacumque sententia contra se lata; nam etiam appellatio habet rationem justæ defensionis. Quæ omnia expresse traduntur in cap. Cum inter, et cap. ultimo, de Except., et facit etiam cap. Revera, 3, quæst. 9, cum aliis, quæ ibi Glossa, et Doctores asserunt, qui hæc latius prosequuntur et declarant. Nobis solum advertendum est, hæc omnia intelligenda esse extra causam ipsiusmet excommunicationis; nam, si sermo sit de sententia, per quam excommunicatio fertur, si ab illa excommunicatus appellet, solum ut ab injusta, seu inique lata, audiendus non est donec absolvatur, quia per illam sententiam vere ligatus manet in Ecclesiastico foro; et ideo contemnere Ecclesiasticam censuram videtur, qui neglecta absolutione, a tali sententia appellat. At vero si ita provocet a sententia

lata, ut eam nullam esse contendat, tunc admittendus est, ut supra diximus ex cap. Per tuas, de Sent. excomm., et cap. Cum contingat, de Officio deleg.

Aliqua dubia proponuntur et enucleantur.

4. *Primum dubium.* — Jam vero quærere hic aliquis potest, an hujusmodi excommunicatus reus per se ipsum admittendus sit in judicio ad respondendum, et ad omnia quæ inde consequuntur, vel solum per alium seu per procuratorem. Item quæri potest, an sit admittendus antequam absolvatur, quando in potestate ejus est prius absolvi, neque est quod impediat. Item an aliquando possit reus citatus se excusare propter excommunicationem, maxime quando ob eamdem causam opera seu petitione ejusdem actoris excommunicatus est. Denique inquiri potest quid dicendum sit, quando reus non cogitur ex necessitate comparere, potest tamen, et est illi commodum, an possit id agere, etiamsi excommunicatus sit.

5. *Debeatne excommunicatus, in judicio conventus, per se, vel per alium respondere.* — Ad primam interrogationem responderi videtur in dicto cap. Intelleximus, de Judiciis, ubi dicitur : *Debet per alium in judicio respondere.* Ex quibus verbis constat primo excommunicatum posse per alium respondere, et consequenter posse valide, et licite procuratorem pro se constituere, et procuratorem similiter posse pro illo causam agere, eumque defendere; nam hæc omnia sese consequuntur, et sine illis, aut inutilis, aut irrationabilis esset illa concessio; nam, si non posset valide procuratorem constituere, quo modo posset per alium respondere? aut si non posset uterque licite id præstare, quod ad ipsum pertinet, qua ratione illa concessio honesta, et justa esset? Probabile etiam esse, debere per alium, et non per se ipsum respondere, ita ut aliud non liceat; nam verbum *Debet,* hanc vim habet; obligatio autem respondendi per alium consequenter facit, ut sit illicitum respondere per se. Alioqui nihil operaretur illa particula, *per alium,* in textu illo posita, et consequenter inutilis fuisset illa additio. Et confirmatur, quia hoc modo sufficienter providetur actori et judici, et reo, et aliunde evitatur communicatio cum excommunicato, quantum commode potest; ergo ipsa censura obligat, ut hic modus servetur. Atque ita sentiunt Decius, et alii in dicto cap. Intelleximus, et in cap. ult. de Except., cum Glossa in cap. Pastoralis, de Judiciis.

6. *Non est excommunicatus cogendus per alium causam agere.* — Nihilominus addendum est, excommunicatum, simpliciter loquendo, non esse cogendum per alium agere causam suam, sed posse per se ipsum respondere, si velit. Et primo quidem, si necessitas aliqua urgeat, id non cadit in dubium, ut dicti etiam auctores, et omnes infra citandi fatentur, ut, v. gr., si non inveniatur idoneus procurator, cui reus audeat suum negotium committere, vel si adeo sit pauper, ut non possit tot expensas in judicio facere. Sed et extra hos casus absolute id tenet Glossa in dicto cap. Intelleximus, dicens : *Non credo illum compellendum, quia forsitan non inveniet, qui ita fideliter tractet causam suam.* Quibus verbis insinuare videtur, solum propter necessitatem non esse sic cogendum; mens tamen ejus est necessitatem hanc esse quasi intrinsecam, et moralem, quia negotia humana fideliter et accurate non tractantur per alium solum, et ideo cogendum reum non esse, ne possit per se ipsum respondere, aut se defendere. Maxime, quia sæpe potest quis per se ipsum et non per alium respondere ita ut satisfaciat, et se defendat, ut experientia notum est. Unde propter eamdem rationem dicitur in cap. 2 de Procuratoribus, in gravibus causis neminem cogendum esse procuratorem constituere, nisi velit. Atque ita secuti sunt hanc sententiam Innocent., Abbas, Hostiensis, et alii locis citatis.

7. Juxta quorum opinionem, cum in dicto cap. Intelleximus, dicitur, *Debet per alium,* subintelligi debet, saltem per alium, vel illud verbum *debet,* refertur ad verbum *respondere;* id enim per se ac directe agebatur, et interrogatum fuerat in illo textu; interpositum autem est verbum illud *per alium,* ad insinuandum modum sufficientem, et fortasse etiam magis decentem, ut probat ratio superius facta de evitanda communicatione, quoad fieri possit; non tamen simpliciter necessarium; non enim omnia, quæ obiter, et incidenter dicuntur, ejusdem obligationis sunt. Præsertim cum in cap. Decernimus, de Sent. excomm., in 6, absolute dicatur, excommunicatum ab agendo, patrocinando, et testificando repellendum esse; de respondendo autem, aut seipsum defendendo nihil dicatur; cumque jura alia simpliciter concedant excommunicato reo, ut possit se defen-

dere, cap. Cum inter, cap. ult. de Except., et aliis supra citatis. Propter quæ sententia hæc mihi videtur practice secura; quæ magis locum habebit, si juxta dicenda ad secundam interrogationem limitetur.

Possitne excommunicatus in judicio audiri ad suam defensionem, si antea potest obtinere absolutionem.

8. *Quorumdam opinio.* — Ad secundam interrogationem quidam dixerunt, excommunicatum reum non esse admittendum in judicio etiam ad sui defensionem, si ipse in mora sit petendæ absolutionis, vel donec absolvatur, si potest. Ita refert Felin., in cap. Intelleximus, num. 19, de Judiciis. Nec videtur improbabilis sententia, si in hunc modum explicetur, quod in his, quæ spectant ad commodum actoris, et sunt onerosa reo, simpliciter cogi potest, etiamsi absolvi contemnat, quia non debet reportare commodum ex sua iniquitate; imo propter illam potest magis compelli, et onerari; in iis vero, quæ spectant ad commodum et defensionem ejus, non admittatur donec absolvatur, vel saltem a contumacia recedat, et, quod in se est, faciat, ut absolvatur, quia illi necessarium non est se defendere in statu pertinaci, et excommunicationis, cum per illum stet, quominus absolvatur; ergo non est, cur jura illi concedant defensionem et communicationem in eo statu; ergo cum concedunt excommunicato defensionem, intelligunt, si illa indigeat in eo statu, quasi facta compositione, quod illum deserere non possit. Et sane (quidquid sit de exteriori foro) nulla apparet sufficiens ratio, ob quam in conscientia concedendum sit excommunicato, ut licite possit communicare cum aliis, etiam ad sui defensionem, cum sine periculo possit prius excommunicatione liberari, et postea se defendere. Essetque minus rigorosa hæc sententia, si, juxta dicta in proximo superiori puncto, distinctione uteremur, dicentes, excommunicatum saltem per se ipsum non admitti in judicio ad ea, quæ sibi sunt commoda, nisi prius a contumacia recedat, et absolvatur, si non est periculum in mora, vel alia peculiaris ratio, quæ absolutionem absque culpa ejus impediat, propter rationem factam; per procuratorem autem admitti posse et debere, juxta cap. Intelleximus, quia tunc vitatur communicatio, qua ablata integrum manet naturale jus defensionis, eo modo, quo fieri potest.

9. *Vera sententia, posse non obtenta absolutione se defendere. — Etiam in foro conscientiæ.* — Sed, quamvis hæc potuerint ab Ecclesia præcipi, si tamen spectemus jus scriptum, cui standum est, non videtur necessarium hac in re scrupulos injicere. Nam jus canonicum absolute concedit excommunicato, ut se defendere possit in judicio, cap. Cum inter, cap. Dilecti filii, et cap. ult. de Except.; et non exigit, ut prius absolvatur, aut, quod in se est, faciat; non est ergo, cur nos ei hoc onus imponamus. Item licet Ecclesia potuerit hoc rigore uti, noluit, fortasse quia erat res nimis acerba; et quia interdum non potest facile judicari, an sit periculum in mora, et an quis peccet, non prius procurando suam absolutionem. Atque hoc maxime verum apparet, quando reus excommunicatus coram seculari judice se defensurus est, aut coram alio Ecclesiastico, qui excommunicationem non tulit, nec de ea potest cognoscere; hujusmodi enim judices non possunt juridice cognoscere, an talis excommunicatus sit in mora petendæ absolutionis, necne; ergo non possunt hoc titulo eum repellere a sui defensione. Quæ ratio saltem probat non posse pati repulsam in foro exteriori; rursus cum ipse possit licite uti jure suo, quod ei decreta non auferunt, sed potius simpliciter confirmant, etiam ad conscientiæ forum id merito extenditur.

10. *Potest tamen judex, qui excommunicationem tulit, illum non audire, donec a contumacia recedat.* — At vero si esset idem judex, qui excommunicationem tulit, et apud quem alia causa agitur, in qua excommunicatus vult se defendere, tunc sicut potest ille judex aliis modis seu pœnis et gravaminibus impositis cogere hujusmodi excommunicatum, ut a pertinacia recedat, ita existimo posse nolle illum audire ad sui defensionem in alia causa, nisi prius in altera Ecclesiæ satisfaciat. Quia hoc medium ad compellendum illum non est per se malum, ut constat, neque est speciali jure prohibitum; nullum enim assignari potest. Illa enim jura, quæ generatim concedunt excommunicato defensionem, non tollunt judici potestatem ad compellendum illum, per illud medium potius quam per aliud; cum ergo supponamus judicem habere jurisdictionem in utraque causa, optime potest uti illa onerando seu gravando illum in una causa, ut in alia ad Ecclesiæ obedientiam illum trahat. Dico autem posse judicem hoc facere, non tamen teneri, quia

nullum invenio sufficiens jus, quod illi hanc obligationem imponat, per se loquendo.

11. *An reus excommunicatus se excusare possit ad non comparendum, propter excommunicationem ad instantiam actoris latam.* — Tertia interrogatio erat, si contingat Petrum, v. gr., excommunicari ad petitionem Pauli, quia non vult ei debitum solvere, aut restituere, et postea idem Paulus coram judice seculari provocet Petrum propter aliam causam, an possit tunc reus sic provocatus se excusare, et comparere nolle, donec actor ab excommunicatione desistat, eumque absolvi permittat. Videtur enim non posse; nam jus absolute disponit, ut hujusmodi reus citatus respondere teneatur, et non limitat, quod hujusmodi reus excommunicatus sit ad petitionem alterius, vel ejusdem actoris; ergo nec nobis licet hanc limitationem addere in gravamen actoris non excommunicati, et levamen rei excommunicati. Præsertim quia nulla apparet sufficiens ratio, cur actor privari debeat suo jure ad provocandum reum coram alio judice, eò quod ipsum excommunicatum teneat. Respondent aliqui, hoc verum esse, quando excommunicatio fuit justa, secus vero esse, si hujusmodi reus excipiat se fuisse injuste excommunicatum, et id probet; nam tunc aiunt non esse compellendum respondere suo actori, nisi prius absolvatur, quia tunc se habet tanquam injuste spoliatus, qui accusari aut conveniri non potest, nisi prius in suum statum restituatur, juxta cap. Nullus, 2, quæst. 2, et cap. Frequens, de Restitutione spoliat., in 6, et ita sentiunt Glos. et Doctores in cap. Cum inter, de Except., essetque indubitata sententia, si hujusmodi reus allegaret excommunicationem non solum injustam, sed nullam fuisse, quanquam tunc non indigeret absolutione, sed declaratione. At quando proponit sententiam fuisse injustam, difficultatem habet illa sententia, quia si id non probet, non potest propterea excusari; ad probandum autem non videtur posse admitti, nisi prius absolvatur, juxta cap. Cum contingat, de Officio delegati, et cap. Per tuas, de Sent. excomm. Nihilominus tamen sententia illa communis valde probabilis est; nam quia reus excommunicatus per hujusmodi exceptionem et probationem directe intendit consequi absolutionem respectu sui actoris, a quo post injuriam factam convenitur, ideo totum id habet rationem justæ defensionis. In cap. autem Cum contingat, et cap. Per tuas, sermo est de illo, qui directe agit contra excommunicatorem suum, et de excommunicatione tanquam de injusta sententia conqueritur; tunc enim propter æstimationem excommunicationis, ne parvi pendi videatur, et quia, licet sic excommunicatus probet injustitiam sententiæ, nihilominus absolutione indiget, ideo merito ab eo postulatur, ut prius absolvatur. Quia tunc non habet rationem ullam, cur prius probare velit injustitiam suæ excommunicationis, nec per illam intendit citius aut brevius absolutionem obtinere, sicut in priori casu.

12. *Hactenus dicta de reo necessario intelliguntur, non de voluntario.* — In quarta interrogatione communis doctrina Canonistarum est, ea omnia, quæ hactenus diximus de reo, intelligenda esse de illo, quem necessarium appellant, id est, qui per citationem specialem, vel generalem in jus venire compellitur; non autem habere locum in reo voluntario, ut est ille, qui petit, ut actor judicium suum prosequatur, vel qui exceptionem objicit antequam conveniatur, ac in universum qui ob suum commodum in judicium sisti vult, cum possit non respondere, quia non compellitur, nec vocatur, nisi sub ea conditione, si voluerit, vel si ei commodum fuerit. Et ratio est, quia dict. cap. Intelleximus, loquitur de reo, qui in judicio respondere compellendus est, quique gravamen et onus sentit comparendo in judicio, non commodum; hic autem reus voluntarius nec simpliciter cogitur comparere; ideo enim voluntarius dicitur; nec ob actoris, sed ob suum commodum comparet; ideo enim voluntate propria sisti in judicio procurat; ergo, cum in hoc negotio non consulatur commodo seu favori ipsius excommunicati, decisio illius cap. Intelleximus, non procedit in hujusmodi reo voluntario, sed solum in coacto. Et confirmatur; nam hujusmodi reus moraliter vim habet et efficaciam actoris; nam ipse promovet litem, et actorem ad agendum compellit, ut, v. gr., in casu l. Diffamare, cap. de Ingenuis manumiss., quia apud judicem procurat, ut alius probet se esse servum ejus, quamvis postea in ea lite se gerat ut reus, tamen revera ipse cœpit agendo contra alium, qui illum diffamabat, et se jactabat esse dominum ejus; ergo merito hujusmodi communicatio per modum rei voluntarii excommunicato non conceditur. De qua re videri possunt plura apud Innocent., Abbat., et alios, in dict. cap. Intelleximus, de Judi-

ciis, et in cap. Cum inter, et cap. Dilecti filii, de Except.; ad nostrum enim institutum hæc sufficiunt.

SECTIO V.

Utrum excommunicatus possit tabellionis munus exercere.

1. Dicendum in primis est, tabellionem, quamdiu excommunicatus est, non posse licite munus suum exercere, propter prohibitionem generalem quam ex vi excommunicationis habet non communicandi cum aliis; constat enim non posse tale munus exerceri absque humana communicatione. Et ob eamdem rationem alii etiam non possunt hujusmodi tabellione excommunicato uti ad instrumenta conficienda, cum id non possint consequi, nisi communicando cum illo. Quanta vero sit gravitas hujus culpæ, ex dicendis constabit.

2. *An instrumentum, a tabellione publice excommunicato factum, sit validum secundum antiquum jus.* — Statim enim occurrit dubitatio de aliis tractata, an tabellio ita sit per excommunicationem exclusus ab usu sui muneris, ut si instrumenta aliqua conficiat, invalida sint, neque eis fides, quæ instrumentis publicis debetur, adhibenda sit. Loquimur autem per se et ex vi excommunicationis, quæ publica et nota sit; nam si sit occulta, ex superioribus jam constat generalis regula, acta ab excommunicato occulto ratione publici muneris valida esse, etiam si facta a publico futura essent nulla, quia ob publicam utilitatem ipsa respublica seu Ecclesia supplet illum defectum, juxta l. Barbarius, ff. de Offic. prætor. De excommunicato ergo publico est sententia communis Canonistarum, acta ab illo in officio tabellionis nulla esse. Imo generalius principium eorumdem Doctorum est, acta ab excommunicato publico virtute publici officii ipso facto nulla esse. Ita docent in cap. Ad probandum, de Re judic., et ex illo textu id colligunt, quamvis ibi solum de judice, imo et de Ecclesiastico judice, ut supra animadverti, sermo sit; ipsi autem ad quodlibet publicum officium id extendunt, quale esse tabellionis officium manifestum est; ergo acta ab excommunicato ex vi hujus muneris nulla erunt. Secundo et principaliter hoc probant ex cap. Nullus, 3, quæst. 4, ubi sic habet Stephanus Papa : *Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec a quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur vel conscribuntur;* ergo instrumenta ab excommunicato conscripta non faciunt fidem, ut eis credi debeat; ergo sunt invalida; nam valor eorum in hoc solum consistit, quod eis omnino credendum sit. Atque ita intelligit textum illum Turrecremata, ibi, cum aliis.

3. *Præcedens opinio rejicitur. — Cap. Nullus explicatur.* — Utrumque vero fundamentum difficultatem habet : primum quidem habet totam illam, quam supra de judice tetigimus, quæ hic magna est, tum quia cap. Ad probandum, de judice in terminis loquitur, et ideo majori probabilitate extendi potest ad judicem secularem, quam ad tabellionem, vel ad quodlibet aliud ministerium; tum etiam quia judex habet jurisdictionem, per cujus subtractionem, vel suspensionem actus ejus irriti efficiuntur; at tabellio jurisdictionem non habet, ut per se notum videtur, et fuse tractat Abbas, in cap. Sicut te, ne Clerici vel monachi, num. 12, et seq.; non est ergo similis utriusque ratio. Rursus dictum cap. Nullus, non videtur satis probare a tabellione excommunicato acta nulla esse, quia ibi non est sermo in specie de tabellione, sed generatim dicitur, *ut non credantur quæ ab excommunicato dicuntur, aut conscribuntur,* quod ad accusatorem, et ad testem, et ad quamlibet aliam personam, tam in judicio, quam extra judicium dirigi potest; et ita Turrecremata ibi verba illius textus tam ad accusatorem, quam ad testem accommodat, referens alios. At vero neque accusatio, neque testimonium verbo vel scripto datum ab excommunicato, est ipso jure nullum, nisi repellatur; ergo nec tabellionis ministerium. Quod ergo in eo textu dicitur, *non credantur,* prohibitio quædam est, sicut ibidem dicitur, *non suscipiantur,* vel sicut alii actus communicationis cum excommunicato prohibentur; ex vi tamen hujus simplicis prohibitionis non irritantur; ergo idem erit in præsenti.

4. *Ut tabellionis scriptura sit valida, debent contrahentes consentire scientes excommunicationem.* — Dices : hoc ipso quod scripturæ factæ ab excommunicato credi prohibentur, necesse est, ut suum valorem amittant, et consequenter nullæ et irritæ fiant, quia totus valor talium scripturarum est, ut eis sit adhibenda fides, imo non solum, ut possit, sed etiam ut debeat adhiberi. Si ergo illis potest fides denegari vel potius deneganda est, fit necessario, ut invalida sint, et nullius momenti in suo ordine. Respondetur

hujusmodi scripta ab excommunicato credenda non esse vel antecedenter (ut sic dicam), vel si sola ejus auctoritate fiant. Dico autem antecedenter, quia admittendi non sunt, ut talia scripta faciant. Dico etiam, *si sola ejus auctoritate fiant,* quia si tabellio apud eos, qui illius excommunicationem ignorant, per dolum et fraudem ad scripturam faciendam se ingerat, tunc satis verisimile est scripturam illam inefficacem et inutilem esse, propter rationem ex illo textu sumptam, *quod unusquisque potest, vel potius debet ei non adhibere fidem.* At vero si partes ipsæ, vel ob necessitatem, et causam rationabilem, vel certe quia grave non existimant participare in hoc cum excommunicato, illum admittant ad scripturam publicam faciendam, jam tunc sive licite, sive illicite antecedenter dici possunt credere excommunicato illum admittendo, ut fide dignum ad scripturam faciendam, et quoad hoc jam violarunt, vel non servarunt legem latam in dict. cap. Nullus. Unde videtur ulterius consequi, postea non posse illam scripturam rejicere, ut invalidam vel insufficientem, quia jam cesserunt juri suo; et *quod semel placuit, amplius displicere non potest,* ut dicitur in reg. 21 juris, in 6. Sic ergo acta a tabellione publice excommunicato, si fiant ex consensu partium non ignorantium ejus excommunicationem, videntur esse rata, et valida, ita ut et ad inducendam obligationem, et ad fidem faciendam sufficiant. Et ad hoc confirmandum valere possunt, quæ de tabellione tractat Panormitan., in d. cap. Sicut te, dicens aliquando esse validum instrumentum ejus ex consensu partium factum, quod alias non esset, quia est veluti actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra territorium operatur ex consensu partium.

5. *Opinio affirmativa præfertur in foro conscientiæ. — Quid de foro exteriori.* — Hæc ergo opinio in foro conscientiæ mihi videtur vera, nimirum, quod scriptura ab excommunicato facta inter aliquos ex consensu eorum obligationem in conscientia inducat, vel si sit testamentum, valida sit institutio hæredis in eo facta quoad forum conscientiæ, quia nullum video jus irritans, unde oppositum sufficienter probetur; et alioqui rationes factæ pro materia morali videntur efficaces. De foro autem exteriori, an in illo possint, vel debeant tales scripturæ admitti, id propriis auctoribus remitto. Credo tamen, consuetudinem esse servandam, quoad hoc communem Canonistarum sententiam, et illud principium generale, quod acta a publico excommunicato ratione publici muneris sunt ipso jure nulla, satis esse usu recepta; ideoque ab eis discedendum non esse in foro exteriori. Et ideo simpliciter dici possunt hujusmodi acta a tabellione excommunicato esse nulla; nam valor eorum maxime in ordine ad illud forum attenditur; et valor ille, quem habere possunt in ordine ad conscientiam, magis oriri videtur ex naturali obligatione, quam habent contrahentes, aut litigantes, ad veritatem, seu fidelitatem servandam, quacumque ratione satis de illa constet, aut alio simili naturali principio.

6. Unde etiam obiter colligo, regulariter loquendo, graviter peccare excommunicatum munus tabellionis exercendo, quia res est satis gravis, cum sit actio publici muneris, et officii, præterquam quod sequi possunt multa incommoda et lites ex hujusmodi abusu.

7. *Sitne aliquid circa tabellionis munus innovatum per Extravag.* Ad evitanda. — Hic vero necesse est in particulari exponere, an circa hoc aliquid innovatum sit per Extrav. *Ad evitanda,* in aliis excommunicationibus præter eam, quæ incurritur ob clerici percussionem, si publicæ sint, non tamen nominatim pronunciatæ. Et in primis certum est, tabellionem sic excommunicatum, quantum est ex se, non posse licite suum munus exercere, propter generalem rationem supra datam, quod nullum privilegium illi concessum est. De aliis vero, qui opera hujusmodi tabellionis uti volunt, certum est eos non peccare in hac participatione, quia eis prohibita non est. Quo fit, ut si ratione illorum tabellio id faciat, vel quia ex officio tenetur, vel propter aliquam sufficientem necessitatem, aut commoditatem eorum, etiam ipse nihil in eo actu et communicatione peccet; at si absque ulla necessitate, vel ratione ab aliis inducatur, et ipse peccat exercendo, et alii ad malum inducendo.

8. *Acta a non denunciato tabellione in utroque foro sunt valida. — Modo partes scientes excommunicationem voluntarie illum admiserint.* — Nihilominus vero addo, acta ab hujusmodi excommunicato valida nunc esse tam in foro interiori, quam exteriori. Probatur, tum quia ille in ordine ad hoc vitandus sit, perinde se habet, ac si esset occultus; tum etiam quia, ut paulo antea dicebam, hoc munus tabellionis comparatur usui jurisdictionis voluntariæ; sed dictum est

supra, hujusmodi excommunicatum non esse privatum jurisdictione voluntaria; et ideo acta ab illo ex tali jurisdictione valida esse; ergo idem dicendum erit de actis ab hujusmodi tabellione. Oportet tamen, necessarium esse, ut partes, seu illi, ad quos pertinet talis usus, vel quorum voluntate et consensu scriptura fit, voluntarie, et non ex ignorantia excommunicatum ad tale ministerium admiserint; tunc enim optime procedunt rationes factæ. At vero si ex ignorantia id fecerint, cum nunquam voluerint excommunicato communicare, neque ad hoc obligentur per dictam Extravagantem, ut sæpe dixi, liberum eis erit in exteriori foro juri antiquo uti, nullamque fidem illis scriptis præstare. Quanquam etiam possint, si velint, ea acceptare, sicut eis liberum est, cum tali excommunicato communicare; et tunc jam solida manebunt et firma, nec poterunt amplius ea repudiare, quia jam perinde se habent, ac si a principio ex certa scientia, et voluntate facta fuissent.

9. *An qui excommunicatus tabellionis munus suscepit, postea acta valida faciat.* — Ultimo tandem circa hunc tabellionem inquiri potest, an si excommunicatus existens tabellio factus est, acta ab illo postea valeant. Quidam enim Canonistæ negant esse valida, non solum si durante excommunicatione, sed etiam si post absolutionem illa efficiat, quia putant, eum non esse tabellionem, sed ejus muneris collationem a principio nullam fuisse, tanquam ordinatam ad actum tali excommunicato prohibitum, juxta regulam cap. Si celebrat, de Clerico excom. ministr. Hanc vero sententiam falsam esse opinor, et collationem illius muneris peccaminosam quidem fuisse, et ad summum irritandam, non tamen ipso facto irritam, quia ex cap. Si celebrat, non plus probatur, neque aliunde probari potest. Quapropter quamdiu ille privatus non fuerit illo munere sic recepto, acta ab illo ratione talis muneris valida erunt, si post absolutionem fiant; si vero durante excommunicatione, servanda erunt ea, quæ de tabellione excommunicato generatim diximus.

SECTIO VI.

Utrum excommunicatus ad testimonium ferendum admitti possit, aut debeat.

1. *Regula generalis.* — In hac re est certa, et communis regula, non posse excommunicatum licite testimonium ferre, nec ab aliis admitti, ex illo generali principio, quod omnis communicatio prohibita est excommunicato, et cum excommunicato; hæc autem actio humana communicatio est, ut per se patet. Est ergo talis communicatio prohibita; et ideo in specie etiam prohibetur in cap. Decernimus, de Sent. excom., in 6, ubi etiam dicitur, judices seculares per censuram compellendos esse, ut excommunicatos in testes non admittant; tenentur ergo ipsi ex officio eos repellere, etiamsi partes nihil objiciant, vel eos voluntarie admittant. Unde in cap. Veniens, 2, de Testib., in fine, ut quidam, qui excommunicati esse dicebantur, possent testimonium ferre, ait Pontifex : *Volumus, ut ad cautelam absolvatis eosdem, ut vocati ad testimonium, libere valeant pro utraque parte testari.*

2. *In causa fidei possunt admitti excommunicati testes.* — Solum ab hac generali regula excipitur causa fidei; nam in favorem ejus admittuntur testes etiam excommunicati ad probandum contra *hæreticos, fautores, receptatores, et defensores eorum,* ut habetur in cap. In fidei, de Hæret., in 6, ubi Glossa hoc limitat, ut solum habeat locum, quando in illa causa via inquisitionis proceditur, quia in principio illius textus dicitur, *in negotio inquisitionis hæreticæ pravitatis.* Sed sine dubio est falsa interpretatio, quia juxta usum et appropriationem nominis *negotium inquisitionis* dicitur quælibet causa, quæ ab Inquisitoribus fidei ratione sui muneris tractatur, sive via inquisitionis stricte sumptæ, sive accusationis, et denunciationis in ea procedatur. Licet enim Inquisitorum nomen ad illos judices significandos peculiariter accommodatum sit, fortasse quia illo procedendi modo præcipue utuntur ad veritatem indagandam, nihilominus totum eorum officium vel negotium Inquisitionis appellatur. Igitur in toto illo, quatenus causa fidei in eo agitur, admitti debet excommunicati testimonium quacumque ratione in causa procedatur, cum moderatione tamen et circumstantiis, quæ in eodem textu clare satis proponuntur. Extra hunc vero casum nunquam potest excommunicatus in testem admitti in judicio, quia generalis prohibitio communicationis, et specialis de non admittendis testibus, universalis est, in d. cap. Decernimus, et in jure nulla alia exceptio invenitur.

3. *Quomodo data regula procedat in teste excommunicato secundum antiquum jus.* — Statim vero occurrit interrogatio, de quo ex-

communicato hoc intelligendum sit, occultone an publico, tam secundum jus antiquum, quam secundum novum Extravag. *Ad evitanda.* Et quidem secundum antiquum jus supra dicta regula maxime procedit de excommunicato publico, quia ille publice vitandus erat juxta cap. Cum non ab homine, de Sententia excommunicationis, et ita de illo maxime loquuntur jura, ut patet a simili ex cap. Ad probandum, de Re judicata, et c. 1 de Except., in 6. De occulto autem excommunicato videri potest e contrario dicendum, eum non fuisse repellendum a testificando, quia occultus excommunicatus occulte vitandus erat, non publice, juxta dictum cap. Cum non ab homine; at si a testificando repelleretur, publice vitaretur; ergo non erat repellendus. Dicendum vero est, aliquid dici occultum, quia non est notorium omnibus, aut pluribus, seu communiter, quamvis sit probabile in judicio per duos vel tres testes; strictius vero esse occultum, quod nec sufficienter probari in judicio potest. Si ergo excommunicatus hoc posteriori modo occultissimus sit, clarum est non posse in judicio repelli, quia quamvis illi objiciatur excommunicationis exceptio, si non sufficienter probetur, vitari non potest; at vero si exceptio excommunicationis sufficienter probetur per testes, quamvis alioquin excommunicatio sit occulta, repellendus est; quia talis excommunicatio est sufficienter publica in illo foro, notorietate, ut inquiunt, juris, licet non facti; ergo in eodem foro vitandus est; ita enim cum proportione servatur, quod inducto jure statuitur, ut publicus excommunicatus publice vitetur.

4. *Quomodo locum habeat regula secundum jus Extravag.* — Unde cum proportione nunc loquendo post Extravag. *Ad evitanda,* clarum est, excommunicatum nominatim repellendum esse; non denunciatum autem posse quidem repelli, ex consensu tamen partium et judicis admitti posse, quantumvis publicus sit, excepto solo percussore clerici. Fundamentum est, quia hujusmodi excommunicatus non est necessario vitandus; unusquisque autem vitare eum potest, si velit; ergo judex potest nunc vitare hujusmodi excommunicatum, licet denunciatus non sit; ergo potest illum non admittere in testem, si sufficienter probetur excommunicatus, etiamsi fortasse ab eo, contra quem producitur, non excipiatur; et e converso, si is, contra quem producitur, repugnet, non poterit judex illum admittere, quia ille habet jus ad repellendum illum, ne secum communicet. Unde non satis est quod actor ipse non teneatur hunc excommunicatum vitare, quia non potest cogere reum ad communicandum cum illo, nec potest uti privilegio Extravagantis *Ad evitanda,* in præjudicium alterius. Si autem et judex velit illum in testem acceptare, et is, contra quem producitur, non repugnet, licite possunt id facere, quia non sunt prohibiti ob dictam Extravag. *Ad evitanda.* Non tamen propterea statim licitum erit ipsi testi excommunicato ferre testimonium, cum ei non sit ablata prohibitio non communicandi cum aliis. Si tamen id faceret inductus, seu rogatus ab actore, et ob gravem necessitatem, quia desunt alii testes, et res, de qua agitur, est alicujus momenti, excusari poterit a peccato.

5. *An admisso excommunicato vitando, ad testificandum ejus testimonium valeat.* — Sed quid si excommunicatus vitandus de facto admittatur in testem? numquid ejus testimonium valebit? In hoc dubio possent rationes dubitandi pro utraque parte proponi; sed quia in superiori puncto tactæ sunt, et inde facile sumi possunt, breviter dicendum censeo, si talis testis ex consensu utriusque partis admittatur, judice non repugnante, validum esse ejus testimonium; si vero admittatur repugnante eo, contra quem producitur, invalidum esse, nullumque effectum habere posse. Ratio prioris partis est, quia licet jus præcipiat repelli testimonium excommunicati, non tamen irritat omnino ejus testimonium; nec sunt in jure aliqua verba, quibus hoc satis significetur; ergo si aliunde partes in eo consentiant, non est unde fiat irritum testimonium ejus. Et confirmatur, quia non magis repellitur a judicio testis quam actor, ut patet ex dicto cap. Decernimus, de Sentent. excomm., in 6, juncto c. 1 de Except., eodem libro. Sed acta in judicio, ubi excommunicatus est actor, valida sunt, si non repellatur, ut supra ostensum est ex dicto cap. 1; ergo et testimonium excommunicati validum erit. Ratio vero alterius partis est, quia ex parte judicis, voluntas est necessaria, cum ejus auctoritate testimonium suscipiendum sit. Ex parte vero ejus, contra quem testis producitur, etiam est necessarius consensus, cum in potestate ejus sit non communicare illi, nec fidem adhibere, sed ei exceptionem objicere; quam si objiciat, gravis ei fiet injuria, si talis testis admittatur. Si vero non objiciat, hoc ipso tacite consentit.

6. *Quid si reus testimonium excommunicati ob ignorantiam admittat.* — Solum posset dubitari, an, si contingat omittere exceptionem hujusmodi propter solam ignorantiam, tunc tale testimonium validum censendum sit; dici enim non potest, quis tunc voluntarie consentire; et ideo non videtur ille consensus ad valorem testimonii sufficere. Nihilominus censeo, idem in hoc dicendum esse de teste, quod de actore, propter rationem supra factam. Si ergo sententia jam lata est, rata manebit; nec suspendetur executio propter hanc solam causam, quia quoad hoc non est eadem ratio in teste, quæ in actore; nam actor semper agit et petit executionem; testis vero jam non amplius operatur. Si vero sententia nondum lata est, vel adhuc est locus appellationi, tunc proponi potest objectio excommunicationis, quandocumque in notitiam devenerit; et ita irritum fiet testimonium prius latum, nisi subsecuta absolutione iterum ratificetur.

Possitne excommunicatus testimonium ferre in scripturis extrajudicialibus.

7. *Lex Quoniam, de Hæreticis, exponitur.*— Atque ex his intelligere unusquisque potest, quid dicendum sit de excommunicato, si in contractibus, vel testamentis, aut aliis scripturis efficiendis extra judicium in testem adducatur. Dicendum est enim in primis, afferri quidem in testem non debere, quia excommunicatus tam in judicialibus, quam in extrajudicialibus vitandus est, *et a legitimis actibus removendus,* ut dicitur in c. Licet, de Sent. excom., in 6. Solum objici potest lex Quoniam, C. de Hæretic., ubi dicitur, hæreticis (quibusdam exceptis, qui ibi numerantur) tantummodo judicialia testimonia contra orthodoxos esse prohibita, *non vero testamentaria testimonia, et quæ in ultimis eulogiis, et contractibus consistunt.* Respondeo, primum ibi non agi de hæretico ut excommunicatus est, sed ut hæreticus est, neque ibi agi de pœna jure canonico imposita, sed ibi jure civili imponi pœnam illam cum illa limitatione, et moderatione, quæ ex parte in jure canonico inserta est in c. Si hæreticus, 2, quæst. 7, scilicet, quoad hoc, ut hæreticus contra hæreticum in testem admittatur, non vero contra orthodoxum. Bene autem ibi Glossa advertit legem illam derogatam esse per jus canonicum, quo hæretici excommunicati sunt, quod etiam notat Glossa in l. Qui testamentum, § Eum qui, ff. de Testament., et late additio ad Abbatem, in cap. Veniens, 2, de Testibus, num. 18, lit. B.

8. *Testimonium excommunicati in contractibus ex consensu partium non est irritum.*— Igitur regula constituta de excommunicato, quod in judicio testis esse non debeat, in contractibus, et testamentis, et quibuslibet instrumentis publicis locum habet. Et eadem proportione applicanda est ad excommunicatum nominatum, seu vitandum, et ad non vitandum, seu occultum. Item eadem ratione est intelligenda quoad prohibitionem actionis tantum; nam quoad valorem, sicut ex consensu partium validum est testimonium excommunicati in judicio, ita et in contractibus, ut docuit Innocentius, in cap. 1 de Except., in 6, et alii plures, quos refert Ugolinus, tab. 2 de Excom., cap. 17, in § 1, qui § 2, oppositum de testamento cum multis docet, quod certo nullo speciali jure probatur. Et ratio, quæ adducitur, contrarium probat, nimirum quia qui in judicio testis esse non potest, neque in testamento potest, ut sumitur ex l. Qui testamento, § Eum qui, ff. de Testament.; sed excommunicatus si in judicio non repellatur, testis esse potest valide, quamvis non licite; ergo idem erit in testamento. Unde non video quo modo prædictus auctor sibi constet; nam prius fatetur, tale testimonium admissum in judicio validum esse; et postea id negat de testamento, quod non aliter confirmat, nisi quia de judicio, et testamento eadem est ratio ex prædicta lege, ex qua nobis oppositum aperte inferri videtur, supposito dicto principio.

9. *Quatuor modis potest contingere, excommunicatum in testem adduci.* — *Primus.* — *Secundus.* — *Tertius.* — *Quartus.* — Ut autem hoc, et tota hæc materia magis intelligatur, advertendum est, variis temporibus accidere posse, testem esse excommunicatum. Primo, quando videt factum, de quo testimonium fert; secundo, quando producitur in testem; tertio, quando jurat se dicturum verum; quarto, quando actu fert testimonium. Primum tempus per se solum consideratum est impertinens; nam si reliquis temporibus, quibus producitur quis ad testimonium dicendum, absolutus est, nil refert, quod eo tempore, quo vidit factum, de quo testimonium fert, fuerit excommunicatus. Quia excommunicatio non impedit quominus tale factum potuerit perfecte videri, imo etiam licite, quanquam hoc ad fidem testimonii parum referat;

hæc enim fides non nititur in probitate, vel aliis moralibus conditionibus, quas testis habuit eo tempore, quo vidit factum; sed in iis, quas habet, quando fert testimonium, supposita physica aptitudine, quæ necessaria fuit eo tempore, pro quo, vel de quo fert testimonium. At vero quando testis producitur, jam incipit communicatio cum illo ; et ideo, ut recte fiat, necessarium est, ut eo tempore quis excommunicatus non sit; tamen si esse contingat, licet in ea actione aliquid peccatum sit, nihilominus talis persona vere, ac sufficienter manebit præsentata in testem. Est tamen in hoc observanda differentia inter judicium, et testamentum, vel contractum, quod in judicio testis non præsentatur, ut videat factum, sed supponitur vidisse, et præsentatur, ut testificetur, quanquam non statim testimonium proferat; at in contractu vel testamento præsentatur in primis, ut videat, vel audiat id, de quo testimonium laturus est; et quoad hoc clarum est, excommunicationem nihil obstare, saltem ut valide fiat. Ultra hoc vero adducitur, ut de eo, quod vidit, et audivit, statim suum præbeat testimonium in ipsa scriptura, vel testamento, quod coram illo conficitur, et quoad hoc, in quo poterat esse difficultas, dicimus, validum esse instrumentum, et consequenter testimonium, quia nullum extat jus, quo irritum reddatur. Simili modo dicendum est de tertio tempore, quod maxime habet locum in judiciis, in quo a producto in testem juramentum petitur de veritate dicenda, quam nondum aperit, donec testimonium ferat; et tamen, ut licite id fiat, necesse est, ut eo tempore excommunicatus non sit, propter communicationem, quæ intervenit; nihilominus tamen si excommunicatus ad illam actionem admittatur, valida erit; nam juramentum non minus obligat excommunicatum ad veritatem dicendam, quam quemlibet alium; et ideo actionem illam, seu juramentum repetere necessarium non est. Denique in ultimo tempore proprie exercet munus testis; et ideo tunc maxime necessarium est, ut sit ab excommunicatione liber. Quapropter si is, qui fuit testis contractus, aut testamenti, debeat postea in judicio suum testimonium jurare, aut confirmare, necessarium erit, ut eo tempore absolutus sit; quanquam si non repellatur, valebit, etiamsi excommunicatus sit, propter easdem rationes; et præcipue quia nullum est jus, quo talis persona omnino inhabilis, aut tale factum omnino irritum reddatur.

10. *Quam graviter peccet excommunicatus testimonium ferens.* — Atque hinc facile intelligi potest, quam grave peccatum sit, excommunicatum testimonium ferre in judicio vel contractu, etc. Nam juxta opinionem Cajetani, si talis testificatio alioqui includit injustitiam, seu falsam testificationem, peccatum erit mortale; si vero testis faveat veritati, et justitiæ, ob violatam excommunicationem in materia levi, solum erit veniale. Quæ sententia mihi vera videtur, per se loquendo, et quoad singulos actus testificandi, juxta superius dicta de humana communicatione, quia hæc actio per se sumpta, ut procedit ab ipso teste, privata est, et personalis, non a potestate aliqua, seu ministerio publico. Solum adverto, quando talis testificatio injustitiam continet, duas in ea actione esse malitias, unam contra justitiam, alteram contra Ecclesiæ obedientiam. Quamvis autem prior mortalis sit, non recte inde infertur etiam posteriorem esse mortalem; nam quod in genere nocumenti, aut injuriæ est materia gravis, in genere communicationis potest esse materia levis, ut patet etiam in humana et politica communicatione, quod est observandum ad discernendas circumstantias necessario in confessione aperiendas.

SECTIO VII.

Utrum excommunicatus possit esse advocatus vel procurator in judicio.

1. *Valeantne acta ab excommunicato vitando ad patrocinandum admisso.* — De advocato res breviter expediri potest; nam licet patrocinari non possit licite, si tamen faciat, factum tenet; prior pars constat, tum quia hoc continetur in generali prohibitione communicationis; nam hoc munus sine communicatione non exercetur; tum etiam quia specialiter prohibitum est in c. Decernimus, de Sent. excom., in 6, et colligitur ex c. Intelleximus, et aliis, in quibus solum excommunicato reo locus in judicio ad respondendum et se defendendum conceditur; non ergo, ut alteri patrocinetur. Quapropter et ad repellendum illum opponi potest exceptio excommunicationis ab altera parte, et quamvis illam ipsam omitteret, judex ex officio tenetur illum repellere, si publice excommunicatus sit, juxta dictum c. Decernimus. Quapropter hoc præcipue procedit de excommunicato vitando, seu denunciato; nam is, qui denunciatus non est, repelli quidem potest; tamen etiam potest licite

admitti, si partes, et judex consentiant. Posterior pars probatur, quia valor talium actuum non tam in jure, quam in facto consistit; nam munus advocati præcipuum est consilium præbere, et secundum jura, et rationes causam tueri. Quod autem consilium rectum sit, et sapiens, et allegatio juridica, in facto, et in re ipsa consistit; nec propterea erit minus docta, aut sapiens, quod ab excommunicato fiat.

2. *Qualiter peccet.* — Solum videtur posse dubitari de aliquibus scriptis, quæ in judicio admitti non solent, nisi a legitimo advocato sint subscripta; et ideo de illis interrogari potest an sint valida, necne. Et quidem cum judex possit, vel etiam debeat illa non admittere, quoad hoc non poterunt dici valida, id est efficacia; si tamen judex velit ea admittere, sine dubio valida erunt, id est sufficientia ad causam fundandam et promovendam, ut a fortiori patet ex dictis de teste, et actore. Nam si actoris excommunicati acta valida sunt, cur non advocati, qui actori, et a fortiori qui reo patrocinatur? Denique nullum decretum irritans hic invenitur magis quam in aliis. Ex quo etiam fit ut de culpa excommunicati patrocinium ferentis ita censendum sit, sicut de teste; est enim eadem proportionalis ratio.

3. *Potest excommunicatus advocatus condignum stipendium accipere. — Nisi patrocinium petens excommunicationem ignoret.* — Tandem colligitur ex dictis, contra nonnullos Canonistas, posse advocatum ferentem patrocinium, condignum stipendium accipere, etiamsi excommunicatus fuerit, quia hæc circumstantia impertinens est ad justitiam stipendii, quod pro æquivalente labore datur; quod vero illi adjungatur aliqua circumstantia mala contra obedientiam Ecclesiæ, justitiam non lædit; et ideo non impedit quominus stipendium juste accipiatur, nec ad ejus restitutionem obligat. Intelligendum est tamen, dummodo ministerium advocati in judicio admissum sit, et in ejus utilitatem cedat, qui stipendium solvit; nam si tale ministerium inutile et infructuosum reddatur ob patrocinantis excommunicationem, distinctione opus est. Aut enim pars ejus excommunicationem sciebat, et nihilominus ab illo patrocinium postulavit, eumque ad ministerium suum præstandum induxit; et tunc licite potest recipere stipendium, et alter tenetur dare, quia illi periculo voluntarie sese exposuit. Si vero petens patrocinium ignorabat excommunicationem, et advocatus ipsum non admonuerit, ac propterea ejus labor et ministerium postea redditur inutile, in eo casu non potest stipendium ab alio accipere, cum ad ejus utilitatem nihil contulerit, et absque consensu alterius, ipso vel decepto, vel ignorante, tale ministerium in eo statu, et cum eo periculo usurpaverit.

De excommunicato procuratore.

4. *Debeatne excommunicatus procurator, ad officium suum admitti.* — De procuratore tria illa, quæ in aliis attigimus, breviter explicanda sunt. Primum, an excommunicatus procurator existens, ad suum munus exercendum admitti debeat. Secundum, an, si admittatur, acta ab illo valeant. Tertium, si excommunicatus procurator fiat, verus procurator constituatur. In primo puncto certum est excommunicatum non posse procuratoris officium in judicio gerere. Primo ex generali prohibitione communicationis; nam constat illud ministerium sine communicatione fieri non posse. Secundo ex generali regula quod excommunicato non conceditur in judicio locus nisi tanquam reo se defendenti, cap. Intelleximus, de Judiciis, cap. Licet, de Sent. excom., in 6, cum aliis. Tertio ex c. Decernimus, de Sent. excom., in 6, quia plus est procuratorem esse, quam testem; si ergo excommunicatus repellendus est ne sit testis, ut ibi dicitur, multo magis ne sit procurator. Item, quia vel procurator agit partes actoris, vel rei; si actoris, ipse est quidam actor; ergo ubi repellitur excommunicatus, ne sit actor, excluditur ne sit procurator hoc modo; nam si pro se agere non licet, multo minus pro alio; si autem agit partes rei, habet rationem patrocinantis, quandoquidem alium defendere conatur, et pro ratione sui muneris obligatur; ergo sub hac ratione excluditur sub verbo *patrocinando;* quod ibi etiam Glossa notavit : ergo.

5. *Objectio. — Diluitur. — In casu necessitatis potest excommunicatus procurator institui.* — Dicet aliquis : non excommunicatus potest in judicio exercere officium procuratoris pro excommunicato reo, ut illum defendat, ex dict. c. Intelleximus; ergo et e contrario excommunicatus potest exercere munus procuratoris pro reo non excommunicato, ut illum tueatur. Consequentia tenet ex commutata proportione; et quia plus est favendum reo non excommunicato, quam excommuni-

cato. Respondetur negando consequentiam, quia ex hoc quod non excommunicatus pro reo excommunicato intercedit, non sequitur communicatio cum excommunicato, sed potius minuitur, quantum commode fieri potest; ex eo vero quod excommunicatus sit procurator alterius non excommunicati, necessario sequitur communicatio cum ipso excommunicato. Addo vero, si fingatur casus in quo nec reus per se ipsum se defendere, nec procuratorem alium pro se possit substituere præter eum qui excommunicatus est, tunc ob articulum necessitatis excommunicatum posse alterius causam agere ut ipsum defendat; nam in aliis rebus communicare cum excommunicato licitum est propter necessitatem, vel magnam utilitatem, præsertim ejus qui excommunicatus non est; ergo et ob hanc necessitatem licebit. Quæ necessitas maxime occurrere potest quando inchoata lite, et persona rei absente, procurator ejus excommunicatur, et non habet alium substitutum; tunc enim si ob eam rem causa rei periclitetur, existimo licite posse suum munus prosequi, donec vel alius procurator creetur, vel ipse absolvatur. Quod si contraria pars resistat, et excommunicationem objiciat, ad officium judicis pertinebit, vel suspendere progressum litis, donec reus admoneri possit, ut sibi provideat, vel aliter ei succurrere, ne ob defectum defensionis injuriam patiatur.

6. *An et quomodo peccet excommunicatus qui officium procuratoris assumit, et illum admittentes.* — Atque ex dictis sequitur, per se loquendo, et secluso dicto casu necessitatis, peccatum esse vel ipsum excommunicatum huic muneri procuratoris se ingerere, vel alios ipsum admittere, aut cum eo causam agere. Hoc tamen diversa ratione nunc locum habet in diversis excommunicatis; nam ex parte excommunicati semper hoc est illicitum, etiamsi occultus sit; ex parte vero aliorum, solum si denunciatus seu vitandus sit, juxta Extravag. *Ad evitanda*. Quia tamen, ut sæpe dixi, illa non præcipit communicationem cum excommunicato non vitando, sed solum non prohibet, ideo, illa non obstante, potest judex repellere excommunicatum publicum, etiamsi denunciatus non sit, et altera pars potest hanc exceptionem objicere, etiamsi excommunicatus occultus sit, dummodo probari possit. Quod si probetur, repellendus est, juxta superius dicta. Si vero hujusmodi excommunicatus non vitandus, a nemine repellatur, alii non peccabunt communicando cum illo, quia non sunt prohibiti; ille vero qui ipsum induxerit, excusari non poterit, saltem a culpa cooperationis seu inductionis ad actum quem alius non potest licite exercere. Solum posset excusari, quando talis occurrit occasio, vel necessitas, ut illa procuratio censeatur admitti solum in favorem alterius, seu ut ei subveniatur; nam tunc facultas Extravag. *Ad evitanda,* potest ita extendi, ut actio illa, ipsi etiam excommunicato non censeatur prohibita, non in suum, sed in alterius favorem, ut in similibus sæpe in superioribus diximus.

7. Quanta vero culpa sit in excommunicato hoc munus exercere, mortalis scilicet, an venialis, ex dictis supra de actore, advocato, et teste colligendum est; nam, cum gravius sit pro alio agere, quam pro se, si actorem esse, peccatum est grave, multo magis esse procuratorem pro actore; quia vero defendere alium facilius conceditur, ideo pro eo excommunicatum procurare levius est. Opinor tamen, licet exercere unam vel aliam actionem possit excusari a culpa gravi ob levitatem materiæ, assumere tamen procuratoris munus, seu habere animum illud prosequendi, non posse excusari a gravi culpa; nam illud objectum sic sumptum materia gravis est, ut a fortiori patet ex dictis supra de politica communicatione, nisi aliunde occurrat talis necessitas, vel ratio charitatis, ut culpam, vel excusare, vel ita minuere valeat, ut levis transgressio censeatur.

8. *An acta a procuratore excommunicato sint valida.* — In secundo puncto breviter dicendum est, si excommunicato procuratori exceptio excommunicationis non opponatur, neque a judice ipse repellatur, acta ejus valida esse; quæ est sententia communis Canonistarum, partim in c. 1 de Except., in 6, partim in c. Post cessionem, de Probat., ubi Abbas, num. 12. Ratio vero est, quia qui semel fuit procurator constitutus, non amittit potestatem suam, seu officium, quantum ad actum primum (ut sic dicam), propter excommunicationem supervenientem; ergo quamvis per excommunicationem prohibeatur illa potestate uti, si tamen utatur, factum tenebit. Antecedens probari potest inductione ex omnibus hactenus dictis, quia excommunicatio non privat aliis dignitatibus, officiis aut beneficiis prius obtentis. Item quia nullum est jus, per quod hic effectus excommunicationi tribuatur. Prima vero consequentia probatur primo a simili ex c. 1 de Except., in 6; nam acta in judicio ab excommunicato

actore, dum non repellitur, valida sunt, quia suo jure et potestate utitur, et licet male utatur communicatione sic prohibita, quia tamen non est inhabilis factus, nec privatus potestate, actio valorem suum retinet. Idem ergo erit in procuratore, qui vel se gerit ut quidam actor, si actoris procurator sit, vel si sit rei, est tanquam advocatus vel defensor, de quo multo major est ratio. Denique, sicut nullum est jus privans excommunicatum procuratoris officio et potestate, quod antea habebat, ita nullum est irritans actionem ejus; sola autem prohibitio actionis propter communicationem non est satis, ut actio sic facta irrita censeatur, ut constat ex superius dictis.

9. *Procurator cui excommunicatio et objecta et probata est, nihil efficit validum.* — Dixi autem, si exceptio excommunicationis non objiciatur, nam post illam propositam et probatam non potest ultra progredi aut aliquid valide efficere; jam enim tunc veluti ipso jure suspenditur omnino potestas illa agendi vel procurandi, ut ex dict. cap. 1 de Exceptionibus, in 6, colligitur, et a simili ex c. Judex, de Officio delegati, in 6. Hæc autem, quæ de procuratore diximus, non tantum locum habent in his actionibus, quæ in judicio fiunt, sed etiam in extrajudicialibus, quatenus per procuratorem seu per potestatem quasi delegatam fieri possunt; nam, licet talis procurator, excommunicatus existens, potestate sibi concessa uti non debeat, si tamen ea utatur, actus validus erit, quantum est ex hoc capite. Quod est valde observandum, nam et ad matrimonium et alios contractus multum referre potest. Hac enim ratione matrimonium contractum per procuratorem validum est, etiamsi procurator ipse excommunicatus fit, cum fit matrimonium, et sic de aliis.

10. *An possit licite excommunicato de novo procuratoris munus concedi.* — Circa tertium punctum certum est, eum, qui excommunicatus est, non debere in procuratorem constitui, quia hæc est quædam communicatio cum illo; unde nec ipse potest illud officium licite accipere, cum nec possit illud licite exercere, neque etiam possit licite cum aliis communicare; et ob easdem rationes alter non potest illi tale officium committere, quia nec potest cum illo communicare, nec ei munus commendare, quod licite exercere non potest, quanquam prior ratio non procedat respectu excommunicati non vitandi; et hæc posterior etiam cessabit in eodem, si vel necessitas urgeat juxta superius dicta, vel procuratio non detur ut durante excommunicatione exerceatur, sed post absolutionem obtentam, supposito tamen quod constitutio talis procuratoris sit valida, de quo statim. Hinc vero intelligi potest, hujusmodi actionem circa excommunicatum, quando peccaminosa est, per se loquendo, et ex parte talis materiæ gravem defectum et culpam continere, quod a fortiori patet ex dictis in primo puncto.

11. *An possit valide. — De constitutione ad actus extrajudiciales.* — Dubium vero est, an constitutio talis procuratoris valida sit, ita ut ex vi illius talis persona non obstante excommunicatione veram accipiat potestatem, et revera maneat procurator constitutus. In quo distinguendum est inter procuratorem ad negotia, seu actus extrajudiciales, et procuratorem ad lites, seu actus judiciales. Nam de priori non dubito, quin constitutio ejus valeat, verusque procurator fiat. Ut tenent Innocentius, Decius, et alii in cap. Veritatis, de Dolo et contum., licet ibi oppositum Abbas teneat. Sed non video fundamentum, quia nullum ostendi potest jus, quo talis actio irrita fiat. Item quia illa actio est contractus quidam privatus inter constituentem et constitutum procuratorem; contractus autem cum excommunicato facti validi sunt, ut supra vidimus.

12. *Vide Vivium in Sylva comm., opinione 651, in fine. — Exponitur.* — Sed objici potest principium illud sumptum ex cap. Si celebrat, de Clerico excom. ministr., quod prohibita actione, ea etiam, quæ ad actionem ordinantur, prohibita censentur; nam hujusmodi excommunicatus prohibitus est ab actione procurandi, etiam extra judicium; ergo remotus est, ne talis procuratio ei committi possit. Sed hoc non probat actionem esse nullam, sed tantum esse prohibitam et ad summum esse irritandam, quod in prædicto capite solum dicitur. Eo vel maxime quod caput illud, et principium ex illo sumptum non incommode intelligi potest de potestate vel munere publico, quod publica etiam auctoritate confertur; tunc enim collatio talis muneris facta illi, cui actio illius muneris est prohibita, irritanda est juxta illum textum; in particularibus autem contractibus aut negotiis id necessarium non est, quia nec caput illud de iis loquitur, nec est ulla ratio ad eam extensionem faciendam in materia odiosa.

13. Objici etiam potest l. Oratio, ff. de

Sponsalibus, quamvis frequenter ad hoc allegetur; ibi enim solum dicitur, legem quamdam Imperatoriam, quæ matrimonium inter quasdam personas prohibebat, et de sponsalibus mentionem non fecerat, recte extendi ad sponsalia : *Ut suppleatur* (ait Ulpianus) *quod orationi deest.* Ex quo colligit ibi Glossa et omnes, prohibito aliquo, etiam id prohiberi, per quod pervenitur ad illud ; nam ille jureconsultus non condendo novam legem, neque aliquid omnino novum addendo, sed explicando tantum id, quod in priori lege virtute continebatur, id respondet. Respondetur, licet hoc verum sit, ex alia tamen lege ad summum probari, in eo gradu et modo, quo aliquid prohibetur, prohiberi etiam quod ordinatur ad illud; at in præsenti, actio per hujusmodi procuratorem gerenda non est ita prohibita, ut sit irrita vel irritanda, sed solum illicita propter communicationem; ergo nec constitutio ipsius procuratoris erit amplius prohibita ex vi talis legis. Procurator ergo ad negotia, vel contractus, licet excommunicatus constituatur, constitutus manet, et consequenter omnia ab eo postea gesta ex vi potestatis sic acceptæ valida sunt, etiamsi illicite fiant durante excommunicatione; nam si hæc ablata sit, etiam licite illa omnia fient; nam excommunicatio solum impedit communicationem, quamdiu durat.

14. *De constitutione procuratoris excommunicati ad lites, an sit valida. — Prima opinio.* — De procuratore vero ad lites seu actus judiciales multi sentiunt collationem talis muneris invalidam esse ipso facto, Abbas et Felinus, qui alios referunt, et communem esse affirmant in c. Post cessionem, de Probationibus. Probant ex illo principio, quod per canones specialiter interdictum est excommunicato officium procuratoris in judicio; ergo per eosdem canones remotus est hujusmodi excommunicatus, ne tale munus et officium suscipere valeat. Verumtamen hæc probatio efficax non est, ut ex paulo ante dictis constat, quia ex vi illius illationis nunquam concluditur, actionem illam conferendi esse irritam, sed ad summum esse infirmam seu irritandam, ut magis statim declarabo. Præcipue namque solet fundari hæc opinio in dicto cap. Post cessionem, ubi de quodam procuratore ait Pontifex : *Cum nobis constiterit, quod excommunicatus erat cum procurationis officium assumpsit, ipsum tanquam procuratorem non duximus admittendum;* ergo supponit Pontifex eum ratione excommunicationis fuisse inhabilem ad illud officium suscipiendum. Responderi potest illum non repelli, quia institutio ejus non valuerit, sed quia constabat, sufficienter eum excommunicatum fuisse, et non constabat fuisse absolutum. Sed hæc responsio est contra mentem Pontificis; solum enim in eo fundatur, quod tempore assumpti officii excommunicatus erat, et non in eo quod tunc esset excommunicatus; nam, si hoc Pontifex voluisset, expressisset ; imo cum hæc esset unica ratio juxta illam interpretationem, illa potius esset afferenda, et alia de tempore suscepti officii tanquam impertinens relinquenda. Aliter ergo et melius responderi potest, ex verbis illius textus non concludi institutionem illius procuratoris in tali officio fuisse ipso jure nullam, sed vel fuisse ab Ecclesia irritandam tanquam factam in injuriam excommunicationis, et in ordine ad actum per excommunicationem prohibitum, vel certe illum non fuisse admittendum in judicio Ecclesiastico ad illud munus exercendum, quod verum esse potest, etiamsi revera ille procurator sit et potestatem ab illo acceperit; ac si diceremus illum sic constitutum procuratorem esse vel privandum, vel suspendendum ab illo munere in judicio Ecclesiastico, non vero esse ipso jure privatum aut omnino inhabilem.

15. *Secunda et vera opinio.* — Alia igitur sententia affirmat validam esse institutionem procuratoris, etiamsi eo tempore fiat, quo excommunicatus est. Ita Innocentius, Decius et alii in dicto c. Post cessionem, quorum opinio mihi magis probatur. Ad illam vero persuadendam ipsi varia adducunt fundamenta, quæ omitto, quia neque ad nos pertinent, neque admodum urgent. Unicum ergo est, quod me movet, scilicet, quia nullum jus invenio, in quo hæc actio seu collatio talis muneris vel officii ipso jure irrita facta sit ; nam si quod esset, maxime caput illud Post cessionem ; at vero in illo nullum est verbum, ex quo sufficienter talis irritatio colligatur, ut ostensum est. Unde quod ibi dicitur, *non duximus admittendum,* in rigore solum significat illum repelli posse et debere, si ei talis exceptio objiciatur, non tamen significat, illum non fuisse procuratorem constitutum. Neque unum ex alio sequitur ; nam sæpe is, qui judex, aut beneficiatus, vel etiam sacerdos vere effectus est, non admittitur ad exercendum officium judicis, beneficiati aut sacerdotis; ergo cum verba pœnalia restringenda

sint, non est cur illa extendamus. Accedit, quod supra ostendimus, contractus factos ab excommunicato validos esse, quia in privatis actionibus consistunt; constitutio autem procuratoris hujusmodi est, quia per mandatum privatæ personæ ad ejus utilitatem et ex ejus privata auctoritate procedit, leg. Contractus, ff. de Reg. juris : ergo. Item ostensum est, acta ab ipso excommunicato per se ipsum in judicio valida esse, dum non repellitur, juxta cap. 1 de Except., in 6; ergo et constitutio procuratoris valida erit; et ipse procurator, licet sit excommunicatus, gerere poterit pro alio, dum non repellitur. Tandem majores dignitates, vel officia secularia excommunicato collata, illius efficiuntur, nec collationes sunt irritæ ipso jure, quamvis interdum irritari possint, præsertim quando jurisdictionem includunt, ut in superioribus ostensum est; ergo nulla est ratio, cur credamus in hoc munere procuratoris, collationem ejus excommunicato factam irritam ipso jure effectam esse, cum nec verba sint expressa, nec ratio specialis appareat. Estque hæc sententia certior de excommunicato non vitando, juxta Extrav. *Ad evitanda,* quia ex quo nobis conceditur privilegium, ut hujusmodi excommunicatum vitare non teneamur, consequenter conceditur, ut omnis illa actio, quæ solum ratione communicationis prohibita erat, licita sit, et consequenter valida; hujusmodi autem est actio, de qua nunc loquimur, quia nullum est jus, quod alio titulo illam actionem prohibeat, aut quod talem personam ad tale officium inhabilem simpliciter reddat. Quæ ratio extendi facile potest etiam ad excommunicatum vitandum, et ideo etiam de illo sententiam propositam probabiliorem censeo.

16. *Acta ab excommunicato dum ab officio non repellitur sunt valida.* — Ex qua infertur valida esse acta hujus procuratoris, dum officio non privatur, et ab ejus executione non repellitur. Quia talis procurator veram potestatem habet; ergo actus validos efficit, quantum est ex hoc capite; ergo ex quocumque alio, quia neque sola excommunicatio, neque aliquod jus speciale illos irritat, ut ex dictis patet. Et confirmari potest, quia si acta ab hoc excommunicato nulla essent, idem dicendum esset, etiamsi talis excommunicatus esset occultus, et ex ignorantia inculpabili illi datum esset tale munus, et ex eadem ad ejus executionem, ut tenent Abbas et Felinus, cum aliis, quia deest illi potestas, ut ipsi putant, et alias acta talis procuratoris non ordinantur ad publicam utilitatem, ut ille defectus censeatur publica auctoritate suppleri, juxta leg. Barbarius, ff. de Offic. Prætor. Illud autem mihi videtur esse magnum inconveniens, nimiumque rigorem continere, propter difficultates et pericula, quæ inde facile oriri possunt; et ideo non censeo esse admittendum, cum nullo jure satis probetur; imo ideo existimo a jure statutum non esse, quia res necessaria non erat, et multis erat incommodis, et difficultatibus exposita.

SECTIO VIII.

Quid de tutore et quocumque assumente temporalem administrationem dicendum sit.

1. Respondeo, eadem proportione definiendas esse similes quæstiones de quocumque officio seu administratione temporali ab excommunicato recepta vel exercita; existimo enim peccare ipsum, tale munus accipiendo aut exercendo, et alios etiam, qui ei conferunt vel eum admittunt, si alioqui ille de excommunicatis vitandus sit; non tamen opinor aliquam ex his actionibus esse ipso jure irritam, etiamsi Canonistæ frequenter contrarium sentiant, agentes de tutore, curatore, et similibus, quos refert, et sequitur Sylv., verb. *Excommunicatio*, 3, n. 2 et 3; et Ugolinus, tab. 2, c. 14, ubi ait, tutorem excommunicatum non solum peccare administrando res pupilli cum communicatione hominum sive in judicio, sive extra judicium, contrahendo, alienando, etc., sed etiam omnia ab illo acta nulla esse, quia tutoris officium publicum est, id est publica auctoritate judicis datum; quidquid autem fit ab excommunicato titulo officii publici nullum est, argumento c. Ad probandum, de Re judicata.

2. Sed in primis, cum multi ex prædictis auctoribus doceant, acta a procuratore excommunicato, quamdiu non repellitur, sive talis exceptio non objicitur, valida esse, non video, qua consecutione id negare possint de acta a tutore, vel curatore, aut quolibet alio simili, quia utrumque officium est publicum, et judicis auctoritate datum; utrumque etiam immediate ordinatur non ad publicam, sed ad privatam utilitatem pupilli vel litigantis. Neutrum item amittitur propter solam excommunicationem, ut de procuratore ostendimus, et de tutore nemo negat, quem viderim; nam rationes ibi factæ, æque in illo procedunt, neque est aliquod speciale jus,

propter quod dicatur excommunicatio privare hoc officio, potius quam aliis. Denique si tutor excommunicatus absolvatur, non indiget nova institutione aut concessione tutelæ, ut per se notum est; sicut ergo procurator excommunicatus suam potestatem retinet, ita et tutor. Rursus prohibitio communicationis æqualis est respectu procuratoris ac tutoris excommunicati, neque invenitur ullum jus, in quo specialius hæc tutori prohibeatur; ergo non magis sunt irrita acta a tutore, quam a procuratore excommunicato: vel e contrario sicut a procuratore valida sunt, propter potestatem quam retinet, et quia prohibitio illa communicandi solum est generalis, quæ ad irritandum non sufficit, argumento cap. primi de Except., in 6, ita ob eadem duo principia acta a tutore valebunt, quia potestatem retinet, et prohibitio illi facta solum est illa communis de communicando, quæ ad irritandum non sufficit.

3. Unde principium illud, quod acta ratione publici officii invalida sunt, vel firmum non est, vel æque procedit in procuratore, vel si aliquo modo limitetur, ut procuratorem non comprehendat, eadem ratione tutorem excipiemus. Declaratur assumptum, quia etiam procuratoris munus publicum est, æque ac officium tutoris. Deinde superius ostendimus, quam sit difficile illud principium probare universaliter, præsertim de officiis temporalibus et quæ jurisdictionem non includunt. Nunc vero addimus, etsi locum habeat in officiis, quæ auctoritate et utilitate publica sunt, non vero in iis quæ licet auctoritate publica dentur, quoad utilitatem tamen et finem proprium privata sunt. Hac enim distinctione utuntur in hac materia Abbas, Sylvest., et alii supra citati, et in præsenti videtur maxime accommodanda. Nam hac sola ratione acta a procuratore valida sunt, quia officium ejus, licet auctoritate sit publicum, non tamen utilitate; simile autem est officium tutoris, ut omnes docent, et per se notum est.

4. Ac merito quidem limitatur illud principium ad officia auctoritate et utilitate publica, ut est officium judicis, et similia, tum quia si aliqua jura sunt, ex quibus principium illud colligatur, de hujusmodi officiis loquuntur, et restringenda sunt in materia odiosa; tum etiam quia officium publicum sola auctoritate, extrinsece tantum et per respectum ad causam efficientem publicum est; in se tamen est privatum, præsertim quoad actiones, cum ad privatam utilitatem ordinetur, ut maxime patet in officio tutoris; et ideo non fuit æqualis ratio, ut acta virtute talis muneris irritarentur. Ob has ergo rationes idem judicandum censeo de tutore, quod de procuratore; repellendum scilicet esse, ne excommunicatus suo munere utatur; si tamen non repellatur, acta ejus valere. Et ob similem discursum censeo idem dicendum esse de officio tutoris, si excommunicato conferatur, quod de procuratore diximus, scilicet valide conferri, quamvis male fiat, propter easdem rationes, quas de procuratore fecimus; et ita tenent aliqui Canonistæ in cap. Intelleximus, de Judiciis, licet alii oppositum sentiant; sed de his effectibus hæc nobis dixisse sufficiat.

DISPUTATIO XVII.

DE ALIIS REMOTIS EFFECTIBUS EXCOMMUNICATIONIS, TAM IN EXCOMMUNICATO, QUAM IN PARTICIPANTIBUS CUM IPSO, ET BREVIS OMNIUM EFFECTUUM SUMMA.

Hanc disputationem addo ad hujus materiæ complementum, et majorem comprehensionem; quia enim latissima est, oportet eam in brevem summam redigere, et nonnullos effectus addere, qui ab excommunicatione originem ducunt, quamvis remotiores, et quasi per accidens sint; quia vero in his effectibus duæ personæ interveniunt, scilicet excommunicatus, et qui cum illo communicat, de quibus promiscue in superioribus diximus, ideo, ut clara etiam sit doctrina, nunc de illis distincte, et sigillatim dicamus.

SECTIO I.

Utrum præter effectus supra numeratos aliquid aliud operetur excommunicatio in ipso excommunicato.

1. *Duodecim excommunicationis incommoda.* — Multa sunt incommoda, quæ ipsi excommunicato ex hac censura proveniunt, quæ tum ad animam, tum ad corpus, tum ad actiones externas, et bona pertinent, et ad minimum possunt duodecim numerari. Primum est, quod privet excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis. Secundum, quod privet passiva communicatione sacramentorum, quamvis per se et vi sua illa non efficiat nulla, et consequenter etiam privet omni communicatione in sacris, et Ecclesiastica

sepultura. Tertium, quod privet etiam activa administratione sacramentorum, quamvis non annullet nisi illud tantum, quod ad sui valorem jurisdictionem requirit. Quartum quod privet omni usu jurisdictionis, actualem jurisdictionem tollendo, tam in foro interiori pœnitentiæ, quam in foro contentioso, vel Ecclesiastico, vel (ut probabilius creditur) etiam seculari; et huc spectat, quod si princeps sit, ejus subditi a fidelitate etiam juramento firmata absoluti manent, præsertim post declaratoriam sententiam. Quintum quod Ecclesiasticas personas suspendit tam ab officio, quam ab Ecclesiastico beneficio, ita ut acquisitionem dominii proventuum Ecclesiasticum, et eorum administrationem impediat. Sextum etiam in personis Ecclesiasticis, quod reddat personam incapacem, et ineligibilem ad Ecclesiasticum beneficium. Septimum, quod neque eligere potest ad Ecclesiasticum beneficium, neque electio ab ipso facta valeat; quamvis enim hoc posset sub suspensione ab officio vel privatione jurisdictionis comprehendi, tamen quia incertum est, an electio sit dicenda actus jurisdictionis, vel Ecclesiastici officii, ideo distincte numeratur. Octavum quod excommunicatus excludatur ab omnibus actibus forensibus, sola sui defensione excepta; et in hoc multa includuntur, nimirum quod nec actor, neque testis, neque advocatus, neque procurator esse potest, quia ab his omnibus muneribus abstinere tenetur, et repelli potest, et debet, si sit publice excommunicatus; si autem non repellatur, acta ejus irrita non sunt. Nonum, quod simili modo prohibita illi est omnis humana pactio, et consequenter omnis contractus, et usus cujuslibet officii, seu ministerii publici, quod humanam communicationem requirat; quanquam non statim invalida sint omnia, quæ in hoc genere ab illo aguntur, nisi jurisdictionem requirant. Decimum, quod hinc consequenter prohibitus est, ne ad dignitates temporales, vel officia, aut ministeria civilia et temporalia eligi, vel assumi possit; quanquam, si assumatur, non statim electio vel collatio muneris irrita sit, præsertim si officium vel dignitas jurisdictionem non includat. Undecimum et generale incommodum est, quod privet omni humana communicatione politica et humana cum aliis fidelibus quoad usitatas actiones salutandi, colloquendi, etc. Quæ omnia in præcedentibus late sunt a nobis exposita, et (respective) sumpta sunt ex variis decretis, 11, quæst. 3, fere per totam, et 15, quæst. 6, in ultimis capitibus, et 24, quæst. 1, cap. Audivimus, et ex titulis de Sent. excomm., et de Cleric. excomm. minist., tum Extr., tum etiam in 6, et ex cap. Pastoralis, § Verum, et cap. Constitutis, 1, de Appellat., et cap. Cuminter, de Elect., cap. Cum dilectus, de Consuet., et cap. Adversus, de Immun. Eccles., cap. Ad probandum, de Re judic., cap. Post cessionem, de Probat., cap. ult. de Procur., cap. de Except., et cap. 1, eodem titulo, in 6, et cap. Sacris, de Sepult., et cap. Sacris, de Iis quæ vi, et aliis similibus.

2. *Sola rescripta Pontificia ab excommunicato impetrata sunt nulla.* — Quibus adjungere possumus duodecimum effectum, quod litteræ Apostolicæ ab excommunicato impetratæ, et processus virtute illarum habitus ipso jure irrita sunt, præterquam super excommunicationis, vel appellationis articulo; qui effectus est expressus in cap. 1 de Rescr., in 6, eumque in superioribus tetigimus, non tamen latius exposuimus, tum quia hodie fere nullius est considerationis, quia semper in rescriptis præmittitur clausula absolutionis ad valorem eorum, adeo universalis, ut omnes censuras comprehendat, ut notavit Navarrus, in cap. Ita quarumdam, de Judæis, notab. 11, circa Glossam ult., num. 14, adhibens moderationem, quam infra declarabo. Posset vero quæri, an textus ille intelligendus sit de rescriptis solius Papæ, vel etiam Episcoporum, et aliorum Ordinariorum; quam quæstionem attigit Navarrus, tom. 2 Consil., lib. 5, tit. de Sent. excomm., consil. 44, et resolvit, hunc effectum non habere locum in rescriptis, seu facultatibus, aut licentiis ab inferioribus Prælatis concessis suis inferioribus; nam valida sunt, etiamsi illi, quibus conceduntur, sint excommunicati tempore concessionis, quia rescriptum simpliciter dictum in jure non comprehendit nisi rescripta supremorum principum; et propter multa alia, quæ ibi adducit, quæ mihi videntur hanc partem satis probabilem et securam efficere. Quibus solum addo materiam esse odiosam, ideoque restringendam, quantum usus verborum patitur. Accedit, communem interpretationem, atque etiam consuetudinem huic parti favere.

3. *An rescripta per excommunicatum impetrata a supremo principe seculari sint valida.* — Rursus quæri potest, an hic effectus intelligendus sit de solis rescriptis Pontificalibus, et Ecclesiasticis, vel etiam de

Imperialibus, seu Regalibus et secularibus. Navarrus enim, citato loco, num. 2 et 6, pro comperto supponit in his omnibus locum habere; atque dispensationem, vel facultatem quamlibet a Rege impetratam per excommunicatum, ipso jure irritam esse. Fundamentum esse videtur quia Pontifex ibi absolute loquitur de rescriptis, et non limitat ad sola Pontificialia; rescriptum autem simpliciter dictum, etiam secundum morem loquendi juris canonici, non tantum Pontificialia, sed etiam Imperialia rescripta comprehendere solet, ut videre licet, vigesima quinta, quæstione secunda, et aliis. In contrarium autem mihi occurrit, primo, quod verba illius textus intelligenda sunt juxta verba rubricæ, seu tituli, sub quo textus continetur; titulus autem ille, quamvis de rescriptis simpliciter inscribatur, non est nisi de Ecclesiasticis rescriptis, ut ex auctore, fine, et discursu illius tituli, tam ibi, quam in Decretalibus colligi potest, et ex similibus titulis; nam cum Pontifex agit de Constitutionibus, verbi gratia, non de secularibus; sed Ecclesiasticis tractat; sic ergo agens de rescriptis, de Pontificiis, non de secularibus loquitur; ergo de eisdem optime intelligitur textus ille, in quo rescriptum ab excommunicato impetratum annullatur. Accedit, quod ipsa exceptio, quæ in eadem lege additur, scilicet, præterquam super excommunicationis articulum, indicat satis sermonem esse de Ecclesiastico rescripto. Item Glossa, et interpretes tantum de hoc loquuntur, et nullam video ab eis mentionem fieri secularium rescriptorum. Denique cum materia sit odiosa, videtur potius restringenda, quam amplianda, maxime cum hæc interpretatio satis legitima esse videatur. Quod si in illo capitulo primo talia rescripta non annullantur, cum in nullo alio fiant irrita, valida erunt, cum solum pendeant ex voluntate concedentis, quæ per se efficax est, seclusa lege prohibente, juxta legem *Universis,* Cod. de Precibus Imperatori offerendis. Propter quæ ego in hanc partem maxime propensus sum; nihil tamen audeo definire in re gravi, quia non invenio auctorem expresse hoc asserentem, sed potius aliquando videntur auctores indifferenter loqui, præsertim Summistæ, ut videre licet in Sylvestro et aliis, verbo *Rescriptum.*

4. Ultimo inquiri potest circa hunc effectum, an locum habeat in excommunicato occulto, vel solum in publico. Navarrus supra, num. 8, refert Archidiaconi sententiam dicentis, caput illud non comprehendere excommunicatum occultum, sed solum publicum. Et quamvis (inquit Navarrus), contrarium ibi teneat communis opinio, sed grandis ejus auctoritas, adjunctis prædictis rationibus, multum me movet in contrariam partem. Sed nihilominus censeo veriorem esse communem sententiam, quam tenet etiam Sylvester, verb. *Rescriptum,* num. 2, in fine, citans Directorium, scilicet, quamvis excommunicatus sit omnino secretus, rescriptum ab eo impetratum ipso jure nullum esse, quia textus ille simpliciter et absolute de excommunicato loquitur, unde sine fundamento restringeretur ad excommunicatum occultum, præsertim cum lex illa in odium excommunicationis lata sit, et excommunicato occulto nullus favor fiat, argumento Extrav. *Ad evitanda.* Unde solum posset hic excipi casus, in quo excommunicatus occultus virtute talis rescripti aliquid ageret titulo alicujus publici muneris; tunc enim non in favorem ejus, sed boni communis factum teneret, ut sæpe dictum est in similibus ex lege Barbarius, ff. de Officio Prætor. Unde addo, etiam in foro conscientiæ, et ante judicis condemnationem, vel declarationem, tale rescriptum nullum esse; quanquam hoc sine causa in dubium revocet Navarrus supra dicto cap. 7, eo quod illa lex pœnalis sit; sed hoc nihil refert; quia in his effectibus privativis, quod ad censuram pertinet, quæ secum affert executionem, si effectus simpliciter ipso jure imponitur, statim fit, seu irritat, et annullat; in textu autem illo verba sunt satis expressa, ubi Glossa notavit, quam cæteri sequuntur. Est ergo tale rescriptum statim, et absque alia sententia in se nullum, et ideo quantumvis excommunicatus occultus sit, tenebitur in conscientia non uti tali rescripto, ut in terminis notavit Sylvester supra ex Directorio.

Alii effectus remoti excommunicationis in excommunicato.

5. Præter hos effectus, quos per se et immediate excommunicatio operatur in ipsum excommunicatum, possumus alios addere, qui sunt remoti, et per accidens, et partim etiam in superioribus tacti sunt, partim hic explicabuntur. Primus ergo inter hos effectus est irregularitas, quam incurrit excommunicatus clericus officium alicujus ordinis exercendo; nam excommunicatio per

se et immediate non inducit hunc effectum, sed proxima ejus causa est culpa illa, quæ committitur sic ministrando, quasi in injuriam ipsius excommunicationis; excommunicatio autem est quasi materia, vel occasio remota talis irregularitatis, de qua in superioribus satis a nobis dictum est.

6. Alius et præcipuus effectus, quem hic exponere oportet, est, quia si excommunicatus per annum in excommunicatione persistat, suspectus de hæresi fiet. Ita affirmant communiter Canonistæ cum Glossa, in cap. Contingit, de Dolo et contum., et referunt latius Simancas, in Cathol. instit., cap. 27; et Covarruv., cap. Alma mater, 1 part., § 7, num. 10; et Direct. Inquisit., 2 part., q. 47; et late Ugolin., tab. 1 de Cens., cap. 14, § 3, num. 3. Quæ sententia ratione videtur fundata; non enim invenio textum juris communis, in quo expresse hoc caveatur, præter cap. Cum contumacia, de Hæretic., in 6, ubi non de quolibet excommunicato sermo est, sed de illo, qui antea erat suspectus de hæresi, et vocatus, ut de fide responderet, non comparet, et propter talem contumaciam excommunicatus, per annum in illa excommunicatione perseverat; nam de illo dicitur esse ut hæreticum condemnandum propter vehementem præsumptionem, et contumaciam in tali materia. Hinc vero facta est extensio ad omnem excommunicatum, per annum in tali censura perseverantem; nam is et claves Ecclesiæ, et suffragia, et sacramenta contemnere videtur, ideoque in suspicionem venit, quod male de illis sentiat, ac per hoc suspensus in fide efficitur. Quam sententiam confirmavit Concil. Trident., sess. 23, cap. 3 de Reformat., in fine, dicens : *Contra hunc tanquam de hæresi suspectum procedi posse*. Est autem hæc suspicio non levis, et hoc operatur, ut sic suspectus sese canonice purgare teneatur, et nisi id faciat, pro convicto habeatur.

7. *Quam pœnam incurrat clericus in excommunicatione per annum perseverans. — Innocentii opinio. — Rejicitur.* — His consequens est, ut hujusmodi excommunicatus per annum insordescens, si persona Ecclesiastica sit, et habeat beneficia, illis privandus sit; ita affirmat Covarruvias supra cum Canonistis, in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualitate, et in cap. Rursus, 11, quæst. 3. Inter quos est quæstio, an sic insordescens ipso jure beneficiis privatus sit, vel privandus veniat. Innocentius enim, et alii primum affirmarunt. Sed nullum in jure invenio ejus sententiæ fundamentum; imo vix potest secundum probari ex jure. Nam illud cap. Rursus, quod ad hoc probandum citari solet, rem longe diversam constituit, nimirum ut excommunicatus pro aliquo crimine, si se suamque innocentiam defendere voluerit, intra annum excommunicationis hoc faciat; si autem per annum id facere neglexerit, postea *nulla ejus vox penitus audiatur;* et idem statuitur ibidem in capite sequente. Hoc autem longe diversum est, ut per se patet, quia ibi de beneficiis non agitur, sed de præsumptione vehementi, quæ ob contumaciam et nimiam dilationem, pro sufficiente probatione ad condemnationem sufficere jura illa statuunt, ut latius Canonistæ disputant. Inde vero inferre non licet quidquam de privatione beneficii, cum hæc inter se nec similitudinem, nec connexionem habeant, nisi fortasse tale sit crimen pro quo lata est excommunicatio, ut propter illud quis sit ipso jure beneficio privatus; tunc enim non propter contumaciam, et insordescentiam (ut aiunt) unius anni, sed pro alio delicto beneficio privatur, quod ad rem præsentem impertinens est. Itaque pro certo habeo hunc non esse ipso jure beneficiis privatum.

8. *Aliorum opinio.* — Quod autem privandus sit per judicis sententiam, aliqui affirmant; sed textum non afferunt, in quo talis pœna præscribatur. Et ideo Abbas, in cap. 1 de Judiciis, id negat, nisi talis sit causa excommunicationis, ut, si sufficienter in judicio probetur, propter eam possit quis beneficiis privari; nam quia per illam unius anni pertinaciam sufficienter probata censetur culpa, juxta dictum cap. Rursus, cum sequente, 11, quæst. 3, ideo tunc poterit beneficiis privari; sed illud non est propter dictam pertinaciam, et ideo ad rem præsentem non refert, ut dixi. Alii vero dicunt unius anni pertinaciam non sufficere ad hunc effectum, majorem tamen sufficere, quod significat Covarruvias, dicto num. 10, dum ait privari beneficiis ex eo quod non tantum anno, sed longiori tempore duravit in ea contumacia. Quantum vero esse debeat tempus illud, non declarat, significat tamen minus quam triennium sufficere, et deduci ait ex cap. Cum bonæ, de Ætate et qualit. Ubi suspensus pro contumacia, et in suspensione per triennium perseverans, beneficiis, quæ antea habebat, privari præcipitur; ibi enim illud tempus non præcise præscribitur, sed solum, quia nimia fuerat

pertinacia, digna illa pœna declaratur; unde insinuatur, quoties pertinacia fuerit nimia, etiamsi ad illam durationem non attingat, posse illa pœna puniri; videtur autem esse nimia quoties annum excedit. Verumtamen cum jam hoc arbitrarium sit, etiam illa, quæ attigerit unum annum existimari poterit nimia, et sufficiens ad illam pœnam; maxime cum alia jura illa mensura unius anni utantur ad alios effectus, ut ad suspicionem hæresis et ad probationem delicti. Et ideo fortasse Glossa ult. in dicto cap. Cum bonæ, dixit, ex quo per annum, et ultra, quis permanet in excommunicatione, privari debere beneficiis.

9. *Resolutio.* — Itaque in hac re nihil invenio certo jure statutum, præter illud, quod in dicto cap. Cum bonæ, expresse continetur, eum scilicet, qui per triennium in contumacia perseverat, privandum esse beneficiis, ut ibi notarunt Decius, et alii. Atque hoc existimo ita pertinere ad officium judicis, ut sub obligationem cadat. Infra illud vero tempus opinor rem esse arbitrariam, et posse quidem judicem privare excommunicatum insordescentem per annum, vel ultra, suis beneficiis, præcise ob tantam pertinaciam, propter dictas conjecturas ex juribus desumptas, adjuncta communi interpretatione et opinione. Et præterea, quia, ut Covarruvias notat ex Felino, et aliis, etiam ante annum potest quis temporaliter puniri propter contumaciam in excommunicatione; et affert leges Hispaniæ, in quibus hoc peculiariter statuitur; multo ergo magis possunt judices Ecclesiastici prudenti arbitrio hoc condigne punire; ergo cum post annum expletum jam ille sit ita odiosus Ecclesiæ, ut pro publico criminoso, et pro suspecto de hæresi habeatur, merito censeri potest dignus beneficiorum privatione. Quia tamen hoc arbitrarium est, et non est lege statutum, non videntur teneri judices in conscientia ad id semper exequendum; nam tales possunt circumstantiæ occurrere, ut prudenter judicent non expedire, aut non esse æquum talem pœnam imponere. Maxime vero animadvertere debent, ut hæc permanentia in excommunicatione ex contumacia orta sit; nam, si proveniat ex aliqua impotentia, vel ignorantia, idque probabile in judicio fiat, non debet illa pœna puniri, argumento dicti cap. Cum bonæ, ibi, *Pro tanta pertinacia.* Quod pro omnibus, quæ de hoc effectu diximus, observandum est.

10. *Per annum in excommunicatione insordescens non gaudet generali absolutione, quæ in rescriptis præmittitur.*—Ultimo addendum hic est, quod de hujusmodi excommunicato per annum insordescente Doctores advertunt, nimirum illum non frui absolutione illa generali, quæ secundum Curiæ stilum in rescriptis Pontificis præmitti solet ad effectum valoris eorum, ut notavit Rebuffus in sua praxi beneficiorum, in forma et declarat. nov. provis., num. 10; et Navarr., in cap. Ita quorumdam, de Judæis, notab. 11, in Gloss. ult., num. 14. Ubi refert regulam Cancellariæ, quæ *de insordescentibus* appellatur; in qua plures casus excommunicationis numerantur, in quibus insordescentia quatuor mensium ad hunc effectum sufficit. Quod tamen semper intelligitur cum dicta moderatione, ut duratio illa ex contumacia nascatur, et non ex alia ratione, quæ excusationem inducat, quia tunc sicut cessat ratio culpæ, ita et rigor pœnæ, argum. cap. 2 de Constit., cum similibus.

SECTIO II.

Quidnam operetur excommunicatio major in his, qui cum excommunicato participant.

1. *Triplex genus participationis cum excommunicato. — Tres conditiones requiruntur, ut quis dicatur cum excommmunicato participare.* — Quoniam in superioribus de participantibus speciatim non disputavimus, omnia, quæ ad eos pertinent, hic breviter commemorabimus et in summam redigemus. Principio ergo advertendum est tria esse genera participantium cum excommunicato, scilicet, in crimine propter quod excommunicatus est, in divinis seu sacris actionibus, et in humanis sive politicis seu forensibus. Quibus omnibus commune hoc est, ut nulla sit participatio cum excommunicato, nisi ejus excommunicationem jam contractam supponat; nam quæ antecedit, etiamsi sit in ipso crimine, propter quod lata est excommunicatio, non est participatio cum excommunicato; formaliter enim illa determinatio accipienda est; alias, ad effectum excommunicationis nihil pertinebit, ut notat Felin., in cap. Si concubinæ, de Sentent. excom. Deinde nulla est propria participatio cum excommunicato, ut nunc loquimur, nisi sit excommunicatus vitandus; qualis nunc solum est nominatim denunciatus, vel manifestus percussor clerici, ut nunc suppono ex supra dictis circa Extravagant. *Ad evitanda.* Debet autem hoc intelligi de participatione secundum communicationem externam; nam quoad internam,

quæ est in suffragiis vel orationibus communibus, supra diximus jus antiquum mansisse integrum, omnemque excommunicatum esse ab his suffragiis exclusum, non vero ab omni alia communicatione cum fidelibus. Tertio oportet, ut quælibet ex his commmunicationibus sit prohibita hoc ipso quod quis excommunicatus est, quanquam hoc non semper sufficiat ad formalem participationem ejus, qui cum excommunicato communicat. Declaratur prior pars, nam excommunicato non omnis communicatio, et in omni opportunitate prohibita est, sed quæ nec ad salutem animæ, nec corporis, nec ad grave damnum vitandum necessaria sit, quæve in jure explicite vel implicite non excipitur; ergo quoties in iis communicat, quæ illi concessa sunt, communicare cum illo, non est participare cum excommunicato proprie ac formaliter quatenus excommunicatus est, sed cum eo, quem esse excommunicatum, impertinens est ad illam communicationem. Altera pars exponitur, quia oportet communicationem esse voluntariam, ita ut per ignorantiam vel vim non excusetur, alias dici non potest formalis participatio.

2. *Duos effectus potest operari excommunicatio in participante cum excommunicato.* — His positis, duos effectus in genere operatur excommunicatio in aliis fidelibus quoad hanc participationem. Unus est per se et immediatus, scilicet obligatio ad vitandas dictas participationes cum excommunicato. Secundus est magis remotus et quasi per accidens, videlicet aliqua censura vel pœna, quam incurrunt participantes cum excommunicato, aliquo ex dictis tribus modis. Hi autem duo effectus non sunt æquales in omnibus dictis participationibus, et ideo in singulis eos breviter explicare necesse est.

3. *Jure Ecclesiastico prohibetur communicatio in crimine cum excommunicato.* — Circa participationem ergo in crimine advertendum est, quamvis jure naturæ intrinsece malum sit ac per se prohibitum participare cum aliquo in crimine, ejus nihilominus quoties aliquis excommunicatur pro aliquo crimine, speciali præcepto Ecclesiastico prohiberi omnes alios fideles, ne cum illo participent vel cooperentur ad contumaciam in tali crimine. Hoc colligitur ex cap. Nuper, et ex cap. Si concubinæ, de Sent. excom. Sic igitur habet omnis excommunicatio major priorem ex dictis effectibus in hoc genere participationis. Dices: interdum in multis excommunicationibus declaratur, ut in eis comprehendantur omnes dantes auxilium, favorem, etc.; signum ergo est, non omnem excommunicationem includere hoc peculiare præceptum Ecclesiasticum. Respondetur, hoc esse verum de illa participatione in crimine, quæ est ad committendum ipsum crimen, prius quam incurratur excommunicatio seu propter quod incurritur excommunicatio; de illo enim loquuntur similia præcepta ; nos autem agimus, ut in principio dixi, de participatione cum eo, qui jam excommunicatus supponitur, et ideo non dixi hoc præceptum, inclusum in excommunicatione unius respectu aliorum, esse de non participando in commissione criminis, quæ ad excommunicationem supponitur, sed in contumacia in crimine commisso, quæ post excommunicationem durare solet, quam doctrinam bene indicavit Navarrus, cap. 27, num. 32.

4. *Participans in crimine cum jam excommunicato, eamdem incurrit excommunicationem.* — Secundus vero effectus excommunicationis quoad sic participantes, est, quia eamdem incurrunt excommunicationem majorem, quæ ipsi principali delinquenti imposita est. Ita habetur in dicto cap. Nuper, quatenus in eo definitur, participantem in crimine cum excommunicato, excommunicationem incurrere, a qua non potest absolvi nisi ab illo, a quo ipse criminosus absolvi potest; inde enim constat illam excommunicationem esse majorem. Et duplex ratio redditur, quia agentem et consentientem par pœna constringere debet, et quia sic participans in crimine damnato ipsum damnantem offendit. Quæ fuerunt rationes moventes ad statuendum tale jus. Ex eodem principio dicitur in dicto cap. Si concubinæ, excommunicationem majorem latam in concubinas clericorum, ex consequenti comprehendere ipsos clericos concubinarios, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine talibus concubinis, quia scilicet talis excommunicatio universaliter ad participantes extenditur; non enim tanquam speciale in illo crimine hoc ibi statuitur, sed ex generali regula infertur. Et propter hæc et similia decreta dicitur in cap. Statuimus, de Sentent. excommunic., in 6, participantes cum excommunicato non debere a judicibus generatim excommunicatione majori damnari, *salvis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato.*

5. *Num ad hanc excommunicationem incur-*

rendam sola communicatio cum excommunicato vitando sufficiat. — *Vide Felinum, dict. cap. Si concubin.* — Atque ex hoc secundo effectu confirmatur primus, quia Ecclesia non ferret hanc censuram in hujusmodi participantes, nisi in illa participatione specialiter essent contumaces et inobedientes præcepto ejusdem Ecclesiæ; ergo non solum illa participatio in crimine per se mala est, sed etiam speciali præcepto ab Ecclesia prohibetur, et tam prohibitio quam censura in illis juribus continetur. Quid autem necessarium est ad hujusmodi censuram contrahendam propter hanc participationem? Respondeo, primum ut sit communicatio cum eo, qui jam excommunicatus est, ut dixi, et consequenter ut is qui communicat, sciat alium esse excommunicatum; nam, si id ignoret, excusabitur a contumacia, et consequenter a censura, dummodo ignorantia talis sit, quæ ad excusandum sufficiat, juxta principia superius tradita de censuris in communi. Sed an necessarium sit excommunicatum illum esse denunciatum, et hoc sciri ab ipso, qui cum eo in crimine participat, propter Extrav. *Ad evitanda?* nam antea sufficiebat scientia excommunicationis; nunc autem, sicut non tenemur vitare excommunicatum nisi denunciatum, ita non videmur teneri ex præcepto speciali Ecclesiæ ad vitandum illum etiam in crimine, nisi denunciatus sit, quamvis alioqui ad id teneamur naturali et divino jure; ergo non incurretur dicta excommunicatio sic participando cum excommunicato non denunciato. Atque ita affirmat Navarrus, dicto cap. 27, num. 112. Quæ sententia difficilis quidem apparere potest, quia vix credibile est voluisse Concilium Constantiense, aut Basiliense auferre specialem obligationem Ecclesiasticam non communicandi in crimine excommunicato, cum hæc res per se et intrinsece mala sit, et ideo utile esse non potuerit talem prohibitionem auferre. Nihilominus tamen quia materia favorabilis est, et verba Extravagantis absoluta et generalia sunt, sententiam illam probandam censeo; nam auferre talem prohibitionem utile esse potuit ad vitanda scandala et pericula, qui fuit finis illius Extravagantis. Necessarium ergo est, ut talis communicatio sit cum excommunicato denunciato.

6. *In quo crimine debeat esse hæc communicatio.* — *Qualis debeat esse hæc communicatio.* — Oportet etiam, ut sit communicatio in crimine propter quod excommunicatus est. Hoc est enim, quod dicitur in dicto cap. Statuimus, *in crimine damnato.* Et ratio est clara ex dictis, quia alias non esset communicatio hoc speciali modo contraria et injuriosa excommunicationi. Unde si Petrus esset excommunicatus propter furtum in tali Ecclesia factum, et Paulus postea cum eo communicaret in alio furto, non esset communicatio in crimine damnato; secus vero esset, si ille fuisset excommunicatus, quia fur absolute; postea enim cum illo communicando in quocumque furto, jam esset communicatio in crimine damnato, et sic de aliis similibus. Denique qualis debeat esse hæc communicatio seu participatio, bene declarat Richardus, in 4, d. 18, art. 9, quæst. 2, dicens necessarium esse, ut aliquis per se moraliter influat seu cooperetur ad crimen alterius, quatenus tale est et sub tali censura prohibitum, sive id sit dando auxilium, sive favorem, aut consilium, juxta dictum cap. Nuper; non autem satis erit favere ipsi personæ, vel secundum se, vel in alio opere, licet inde ex accidente seu indirecte resultet excommunicatum fieri potentiorem et animosiorem ad suum crimen continuandum.

7. *Censura hæc est lata a jure.* — Atque ex his intelligitur, hanc censuram esse ipso jure latam, non ab homine, etiam quando ipse principaliter excommunicatus ab homine ligatus est, quod notavit Covarruvias, in c. Alma, 1 part., § 3, num. 5, et dicit esse communem sententiam, ac merito; nam aperte colligitur ex dicto c. Statuimus, in illis verbis : *Salvis constitutionibus contra illos legitime promulgatis,* etc. Hic ergo effectus ex illis constitutionibus proxime nascitur. Item peculiare illud jus Ecclesiasticum, quo hæc communicatio in crimine strictius prohibita est, jus commune est, et illi est per se et virtute sua annexa hæc censura; ergo ipso jure incurritur. Cujus argumentum etiam est, quia licet judex alterum excommunicans, velit ab hac obligatione et censura excipere communicantes in tali crimine, non poterit; cujus ratio non est alia, nisi quia non ejus voluntate fertur, sed posita priori excommunicatione necessario consequitur ex vi ipsius juris. Sicut excommunicatio minor, quæ incurritur propter alias communicationes, licet interdum supponat excommunicationem majorem ab homine latam, ipsa tamen semper ex vi juris incurritur, et non judicis, sed juris existit, ut expresse asseritur in dicto cap. Nuper. Ubi etiam ponderanda sunt illa verba : *Quamvis*

enim et tunc, etc.; nam per ea manifeste æquiparantur quoad hoc excommunicatio major, quæ incurritur propter communicationem in crimine, et minor, quæ ob communem communicationem, scilicet, quod utraque est a jure. Atque hinc fit, ut, sicut Episcopus, qui aliquem excommunicavit, communicando cum illo in actionibus vulgaribus, in minorem excommunicationem incidit, ita, si cum eodem communicet in crimine, incidet in majorem; est enim eadem utrobique ratio, quia utraque pœna ipso jure imposita est, cui omnis excommunicator est subjectus, præter Summum Pontificem; quod tamen non procederet, si hæc excommunicatio esset ab homine, quia nemo potest seipsum excommunicare.

8. *Quis possit ab hac excommunicatione absolvere.* — Tandem addendum est, hujusmodi censuram esse reservatam ei, qui illum excommunicavit, cum quo in crimine participatur. Ita cavetur in dicto c. Nuper. Quod factum esse videtur quasi in satisfactionem ejus, quia sic participans cum excommunicato excommunicationem maxime offendere videtur. Quapropter si excommunicatio principalis erat a jure, et non reservata, excommunicatio participantis in eodem ordine manebit, et a quocumque Ordinario tolli poterit; si autem prior sit reservata, altera etiam eidem reservata erit; si vero prior excommunicatio sit ab homine, sicut hæc non tollitur nisi ab eo, qui eam tulit, ita neque altera. Nunquam tamen excluditur superior, juxta tradita supra de censuris in communi, et adnotatur in dicto cap. Nuper. Unde in eo casu si contingat, excommunicatum participare in crimine cum excommunicato a se, a superiori tantum absolvi poterit, cum non possit ipse absolvere seipsum; quamvis probabile sit, posse alteri suammet potestatem committere, et ita ab alio per jurisdictionem a se delegatam absolvi, sicut absolvitur Pontifex a peccatis; de quo alias. Advertit autem Navarrus in dicto numero 112, hunc participantem in crimine cum excommunicato, non semel tantum, sed toties hanc censuram incurrere, quoties cum illo in crimine participat, quia toties agit contra canonem. Unde fit, ut tunc pluribus absolutionibus indigeat, vel una quæ in plures censuras feratur, juxta superius dicta de censuris in communi.

De communicatione in divinis cum excommunicato.

9. Circa secundum punctum de participatione in sacris seu divinis, nihil fere addendum superest; nam in superioribus satis declaravimus duos illos effectus, quos excommunicatio habet circa hanc communicationem, scilicet prohibitionem et pœnam. Et de priori ostendimus esse adeo gravem, ut ex genere suo obliget sub mortali, quanquam ex levitate materiæ possit esse veniale, et interdum possit habere justam excusationem ignorantiæ vel necessitatis, ut ibi satis explicuimus. De secundo vero effectu diximus, generatim loquendo, nullam pœnam vel censuram novam hinc resultare, præter excommunicationem minorem, quæ pro qualibet communicatione cum excommunicato incurritur. Dico autem *generatim*, nam clerici exercentes divina vel ad illa admittentes excommunicatos, interdum fiunt irregulares, interdum suspenduntur, aliquando concurrentibus multis conditionibus majorem excommunicationem incurrunt Papæ reservatam, juxta c. Significavit, de Sentent. excom. Quæ omnia cum in superioribus late tractata sint, hic repetere non est necesse. Sicut etiam posset hic addi limitatio de excommunicatione majori iis imposita, qui excommunicatum Ecclesiasticæ tradunt sepulturæ; nam illa etiam est quædam communicatio in sacris; tamen illam etiam fuse explicuimus supra, de illa communicatione disserentes.

De communicatione vulgari cum excommunicato.

10. Circa tertium punctum de quavis alia externa et vulgari communicatione, satis etiam ex superioribus constant duo illa, quæ hic proposuimus, scilicet obligatio et pœna; nam obligationem ostendimus ex variis juribus, quæ de hac re loquuntur, eamque ita gravem esse declaravimus, ut in illa etiam materia sæpe obliget sub mortali, quamvis in singulis actionibus humanæ et politicæ communicationis, regulariter loquendo, et secluso contemptu solum obliget sub veniali. De pœna vero certum est ibi non intervenire aliam censuram, præter excommunicationem minorem, loquendo de censura ipso jure lata; nam ab homine interdum extenditur excommunicatio major ad communicantes cum excommunicato, in hoc genere communicationis;

illa vero ferri non potest per sententiam generalem, sed per specialem in determinatam personam, trinaque monitione præmissa, et aliter lata hujusmodi excommunicatio nulla existit, juxta cap. Statuimus, de Sentent. excommun., in 6. Et hactenus de effectibus excommunicationis.

DISPUTATIO XVIII.

DE CAUSIS MAJORIS EXCOMMUNICATIONIS.

Materia hæc in superiori tractatu de Censuris in communi copiose disputata est, et fere omnia quæ diximus, maxime in excommunicatione locum habent; ideoque solum necesse est brevissime colligere, quæ ad hanc censuram pertinent, et si quid speciale superest, illud addere. Et ob eamdem rationem, quamvis de singulis causis proprias disputationes supra instituerimus, in præsenti hac unica omnes comprehendemus.

SECTIO I.

Quis possit excommunicationis censuram ferre.

1. *Causa efficiens excommunicationis duplex. — In ferente excommunicationem potestas jurisdictionis Ecclesiasticæ contentiosi fori necessaria.* — Diximus in superioribus, duplicem esse excommunicationem, a jure, scilicet, et ab homine; quæ divisio ab efficientibus causis sumpta est; duplex ergo est causa efficiens excommunicationis, scilicet, jus, et homo, vel certe quia hoc jus non est divinum, sed humanum tantum Ecclesiasticum, ideo simpliciter dici potest homo Ecclesiasticus, seu potestatem habens Ecclesiasticam, causa efficiens hujus censuræ. Duobus tamen modis, scilicet vel ferendo jus, vel ferendo sententiam, vel in generali, vel in speciali hanc pœnam continentem. Unde fit, potestatem Ecclesiasticam proxime, ac per se necessariam ad excommunicationem ferendam, esse potestatem jurisdictionis Ecclesiastici fori contentiosi. Nam hæc est proximum ac per se principium jus dicendi sive per leges, sive per sententiam, quamvis non æqualis ad utrumque modum, sed altior et major jurisdictio ad leges condendas, et consequenter ad excommunicationem a jure ferendam, quam ab homine, necessaria sit. Potestas autem ordinis per se ad hunc actum non requiritur, quamvis juxta rationabilem Ecclesiæ consuetudinem institutioni Christi et rerum naturis consentaneam, nunquam illa jurisdictio sine aliquo Ordinis fundamento vel initio concedatur. Quæ omnia in superioribus tractata et explicata sunt, et in eis conveniunt Theologi in quarto, distinctione decima octava, et Canonistæ in cap. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordinar., et cap. Transmissam, de Elect., cum similibus; Navarrus referens alios, in cap. Cum contingat, de Rescript., in 2 caus. nullit., num. 27.

2. Circa jus, quatenus est causa hujus censuræ, solum occurrebat hic addendum, quæ sint illa specialia jura, in quibus talis censura ipso facto contrahenda fertur; nam cætera, quæ de hac causa in communi sumpta, et de verbis necessariis ad hunc effectum, desiderari possunt, in disputatione 3, sectione 2, dicta sunt. Verumtamen ne hanc causarum excommunicationis tractationem et cognitionem obscuram et prolixam reddamus, commodius erit post consummatam doctrinam de excommunicatione majori, omnes excommunicationes jure ipso latas recensere, easque breviter explicare.

De excommunicatione ab homine.

3. *Num parochi possint excommunicare. — De clandestina desponsatione. — Resolutio.* — Circa excommunicationem ab homine, præter ea, quæ diximus de censura in communi, quæ hic applicanda sunt, duo tantum addenda occurrunt: primum est, an parochi habeant aliquando potestatem excommunicandi saltem pro aliquibus delictis; nam quidam Doctores hoc eis tribuere videntur, ut patet ex D. Thoma, in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 2, quæst. 1, quam refert et sequitur Sylvester, *Excommunicatio*, 1, num. 5, ubi ait, ex officio tantum Episcopos hoc posse, tamen in furto, et rapina, et similibus casibus a jure concessis, etiam parochos habere hanc potestatem quasi delegatam, et ex commissione. Addit præterea Sylvester ex Hostiensi, etiam in notoriis, quæ non indigent inquisitione ulla, posse parochos excommunicare. Imo Glossa, in cap. 29, quæst. 1, et in § His, post cap. Miramur, vers. *Cum ergo*, 24, quæst. 1, dicit, quemlibet sacerdotem posse excommunicare. Sed hoc improbabile est, et illud etiam de parochis est mihi incertum, quia non invenio ordinarium jus vel scriptum privilegium, in quo fundatum sit. Nam cap. Cum inhibitio, § Sane, quod citari solet, nihil

probat, quia ibi solum habetur, ad parochi munus pertinere, prohibere clandestina matrimonia; quod autem id possit sub hac censura prohibere, ibi non dicitur. Quapropter generaliter statuendum est parochos non posse excommunicare, sed tantum Episcopos jure quasi proprio. Quæ est communis sententia cum Glossa in cap. Nemo, 2, quæst. 1; tenet Abbas, in cap. Si Sacerdos, 2, de Offic. ordinar., num. 10, et cap. Si quis contra clericum, num. 51, et c. Cum contingat, num. 3, de Foro competent.; Navarrus, in cap. Cum contingat, de Rescript.; Soto, in 4, dist. 22, quæst. 2, art. 1. Quod tamen extendendum est ad eos, qui jurisdictionem Episcopalem participant ex speciali institutione, aut privilegio, vel etiam consuetudine. Quo solo titulo poterunt excipi aliqui parochi, si alicubi sit consuetudo, ut in aliquibus casibus possint excommunicare, ut notavit Abbas, in cap. 3, de Offic. ordinarii, num. 10; nam consuetudo interdum dat jurisdictionem, ut in superioribus tractatum est. Illa vero seclusa, parochi non habent jurisdictionem in foro contentioso, neque in causa aliqua judicium ferre possunt; ergo nec sententiam excommunicationis.

4. *An Episcopus ferre possit sententiam excommunicationis, quæ habeat completum effectum. — Prior dubitandi ratio. — Posterior dubitandi ratio.* — Aliud punctum tractandum est de Episcopis, quomodo possint sententiam excommunicationis ferre, quæ completum habeat effectum. Et est ratio dubii, tum ex parte excommunicati, tum ex parte aliorum fidelium. Ex priori quidem capite, quia excommunicatus ubique terrarum tenetur abstinere ab omni fidelium communicatione, et a sacramentorum, et aliorum divinorum participatione; Episcopus autem particularis non potest ferre legem, quæ obliget subditos, qui extra suam diœcesim versantur, multoque minus potest ferre legem, quæ obliget subditum, etiamsi domicilium mutet, cum tamen censura semper liget, donec per absolutionem tollatur, quantumvis aliquis domicilium mutet. Nec minor est difficultas ex alio capite, quia excommunicatio obligat fideles omnes ad vitandum ipsum excommunicatum; præceptum autem particularis Episcopi non potest universos fideles obligare. Et confirmatur, nam Episcopus non potest concedere indulgentias subditis alterius Episcopi in ejus diœcesi; ergo nec potest illos obligare ad vitandum excommunicatum a se, extra diœcesim suam.

5. *Prior sententia.* — Propter has difficultates, præsertim propter secundam, Doctores in sententias extreme contrarias abierunt. Prior est, fideles divino jure teneri ad vitandum quemcumque excommunicatum, hoc ipso quod excommunicatus est, qui a fortiori dicent idem de ipso excommunicato; nam major est obligatio excommunicati ad vitandos alios, quam aliorum ad vitandum ipsum. Quam sententiam fundant in verbis illis Matth. 18: *Sit tibi tanquam ethnicus et publicanus;* et in ipsa natura excommunicationis, quæ est præcisio quædam membri a corpore Ecclesiæ; ex qua præcisione ex natura rei sequitur, ut non sit communicatio inter tale membrum, et corpus, seu alia membra corporis, sicut per analogiam ad membrum abscissum a corpore humano facile declarari potest. Qua sententia supposita facile respondent ad difficultates positas, Episcopum, vel quemlibet alium judicem particularem imponere censuram excommunicationis, qua imposita, jure ipso divino resultant omnes obligationes prædictæ; et ideo optime fieri posse, ut talis obligatio extra territorium, et ultra subditos ferentis excommunicationem extendatur.

6. *Rejicitur.* — Hæc vero sententia aut falsa est, aut ad rem præsentem explicandam nihil deservit. Declaratur, nam vel intelligit jus ipsum divinum immediate obligare ad vitandum excommunicatum. Et hoc est falsum, ut in principio hujus materiæ, et de censuris in communi ostensum est, et ex dictis de effectibus excommunicationis est manifestum; nam vidimus Ecclesiam minuere, et ampliare hanc prohibitionem, et personas aliquas ab illa eximere, quæ omnia ostendunt eam immediate manare ab Ecclesiastico præcepto. Si vero intelligatur solum mediate et remote oriri ex divino jure illam obligationem, sic verum quidem assumitur; tamen id nihil deservit ad expediendas difficultates positas. Probatur, quia illa radicalis seu mediata obligatio juris divini supponit Ecclesiasticum præceptum; nam in hoc consistit, quod ipsum jus divinum dictat parendum esse Ecclesiæ, et abstinendum esse ab iis, a quibus ipsa præcipit abstinere; hunc enim sensum habent verba illa Christi: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Et hoc modo dici potest excommunicatio obligare ex natura sua, quia natura ejus nihil aliud est, quam quædam moralis prohibitio, seu prohibitionum collectio; ergo

illa juris divini obligatio remota supponit Ecclesiasticum præceptum validum, et cum jurisdictione latum; ergo supponit id, quod inquirimus, neque explicat difficultatem tactam, quo modo scilicet præceptum privati Episcopi tale sit, ut obliget omnes fideles ad parendum illi.

7. *Posterior sententia. — Scotus improbatur.* — Alii ergo dixerunt, Episcopos particulares non posse jure suo, et quasi potestate ordinaria excommunicationem ferre, quæ obliget omnes fideles ad vitandum excommunicatum, sed solum suos subditos; nunc autem id facere Episcopos ex commissione, et tanquam delegatos Summi Pontificis; ita sentit Scotus, in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 5. Verumtamen hæc sententia non est consentanea sacris canonibus; sunt enim multi in quibus docetur, excommunicationem ferre eo modo, quo nunc in Ecclesia fertur, ad munus Episcopi jure et officio ordinario pertinere, ut patet ex cap. Cum ab Ecclesiarum, de Offic. ordinar., et cap. Transmissam, de Elect., et cap. Corripiantur, 24, q. 2, et in multis, aliis 11, quæst. 3. Et ratione probatur, quia Episcopi jure divino sunt principes et pastores perfecti in suo ordine suarum Ecclesiarum; ergo ex vi sui muneris requirunt potestatem ligandi, ac solvendi, tum directivam, tum etiam coercivam spiritualem, quantum necesse est ad conveniens Ecclesiæ suæ regimen; hujusmodi autem est potestas hæc excommunicandi, ut supra vidimus, et fundavimus in verbis Christi, Matth. 18. Et ibi etiam declaravimus, quomodo hæc potestas ex vi sui muneris jure divino debeatur Episcopis, quamvis immediate per hominem, id est, per Summum Pontificem concedatur.

8. *Germana dubii decisio.* — Vera ergo responsio est facilis, si advertamus aliud esse agere de auctore excommunicationis quoad institutionem ejus, aliud de effectione, seu impositione ipsius excommunicationis in tali persona, seu subjecto. Si loquamur priori modo, clarum est, nullum Episcopum sua privata et particulari jurisdictione potuisse tale genus censuræ instituere, quæ ita obliget, sicut nunc obligat excommunicatio, ut difficultas tacta sufficienter probat. Unde qui in contrario sensu dicunt, Episcopos, stando in solo jure divino, et nulla interveniente Ecclesiæ institutione, posse eodem modo excommunicare, quo nunc excommunicant, et obligant, mihi sine probabilitate loqui videntur, quia hoc genus pœnæ et censuræ, eo modo, quo nunc est in usu, non est sine Ecclesiæ institutione, ut in superioribus late ostensum est. Neque ex jurisdictione Episcoporum, neque ex aliquo principio juris divini colligi potest, quod sit talis potestas in aliquo particulari Episcopo. Nam quod Christus Dominus dixit, Matth., 18 : *Dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus,* intelligendum est secundum modum ab Ecclesia præscribendum, ut supra declaratum est; et hoc satis est ad conveniens Ecclesiæ regimen, et ad contumaces corrigendos. Et declaratur exemplo; nam licet Episcopus aliquis nunc vellet statutum, aut sententiam generalem ferre sub censura excommunicationis, quæ obligaret alios ad vitandum excommunicatum ante denunciationem, non posset id facere, cum tamen ante Concilium Constantiense id posset. Cujus ratio non est alia, nisi quia Ecclesia prius statuerat talem modum censuræ, nunc autem limitavit, et ex parte mutavit institutionem; ergo signum est non esse datum Episcopis jure divino, ut possint ferre censuram, prout voluerint, nec ut obligent homines nisi juxta modum et institutionem censuræ ab Ecclesia factam. At loquendo de effectione censuræ jam ab Ecclesia institutæ, sic potest Episcopus talem censuram imponere, quæ obliget omnes juxta naturam, seu institutionem talis censuræ. Quod clarius constabit respondendo ad singulas partes difficultatis propositæ.

9. *Satisfit priori rationi dubitandi.* — Circa priorem ergo partem agere possumus de subdito Episcopi extra territorium existente, vel antequam illum per censuram liget, aut postquam jam ligatus est. Prior consideratio ad rem præsentem non spectat, sed de illa videri possunt superius tractata de censuris in communi, ubi disputavimus, an per statutum generale possit Episcopus excommunicare subditum extra territorium suum contra statutum delinquentem, et an idem sit de sententia generali, item de speciali propter delictum extra territorium commissum, vel intra territorium, si post delictum extra vagetur; nam quæ ibi diximus, eodem modo procedunt de excommunicatione. Postquam vero excommunicatio imposita est, parum refert, an subditus extra territorium vagetur, necne, quia quocumque tendat, secum excommunicationem defert, quia illi quasi inest. Et ideo dicunt Juristæ, quod excommunicatio sequitur excommunicatum, ut lepra lepro-

sum. Quo fit, ut quantum ad ipsum spectat, quocumque tendat, eosdem excommunicationis effectus patiatur; nam hæc est vis et efficacia, quam excommunicatio ex vi suæ institutionis habet. Unde ut omittamus quæstionem illam, an præceptum proprii Episcopi obliget subditum, quando extra territorium ejus versatur, de qua re nonnihil diximus supra, in præsenti non est dubium, quin per censuram hoc modo obliget, propter rationem factam. Et ob eamdem non liberabitur ab eodem onere, etiamsi mutet domicilium, quia per hoc solum non liberatur a censura, et quia quantum ad illam particularem causam, propter inchoatum in ea judicium, factus est speciali modo subjectus excommunicanti, ut supra etiam tetigimus.

10. *Posterior dubitandi ratio diluitur.* — Simili modo expedienda est altera pars difficultatis, ut recte notavit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 2, art. 1. Cum enim excommunicatio duret, ubicumque excommunicatus versetur, ubique habet suos effectus natura sua institutioni consentaneos, inter quos unus est, ut omnes fideles obliget ad vitandum excommucatum tanquam alienum, et ab Ecclesia præcisum. Hæc autem excommunicationis institutio ex Ecclesiæ traditione, et decretis manifesta est, ut patet ex multis canonibus Apostolorum, et ex Concilio Nicæno, can. 5; et ex cap. Si quis a proprio, et cap. Curæ sit, et cap. Sicut Apostoli, cum aliis, 11, quæst. 3, et in cap. 1 de Raptorib., et cap. 2, § 1, de Privileg., cum similibus. Quibus locis id notant Doctores, et videri etiam potest Covarruvias, in cap. Alma, 1 part., § 3 num. 2. Cætera de hac causa, circa censuram in communi dicta sunt.

SECTIO II.

Quis possit excommunicari.

1. Explicata causa efficienti, nunc explicanda est quasi subjectiva, quæ cum illa habet correlationem, seu respectum inferioris, seu subjecti ad superiorem. De qua re multa diximus disputatione 5, de censuris in communi, quæ in excommunicatione locum habent. Itaque ex ibi dictis constat, subjectum capax excommunicationis esse hominem viatorem et viventem hac vita mortali, adultum et baptizatum, et qui in terris superiorem habeat, seu alteri subjectus sit; quæ omnes conditiones ibi sunt declaratæ, et consequenter expositum est, quomodo excommunicatio, vel absolutio ejus ferri possit in defunctum. Item quo modo feratur in personam certam, possitque in eamdem multoties ferri, seu multiplicari. Ac denique quis censendus sit subditus, vel subjectus sufficienter ad incurrendam censuram, præsertim generatim latam. Hic ergo duo tantum supersunt advertenda, quæ sunt excommunicationis propria.

2. *Excommunicatio ferri non potest in communitatem. — Dupliciter ferri potest censura in communitatem.* — Primum est, excommunicationem ferri non posse in communitatem; ideoque eum, qui excommunicatur, semper esse debere personam aliquam singularem. Ita statuitur in cap. Romana, § In universitatem, de Sentent. excomm., in 6. Cujus constitutionis rationem merito aliquis inquiret; nam universitas ut sic, id est collegium, seu Capitulum, graviter delinquere potest; ergo et puniri, vel per disciplinam Ecclesiasticam corrigi, ideoque aliæ censuræ in communitatem feruntur; ergo etiam per excommunicationem corrigi potest. Hanc rem late tractat Covarruvias, lib. 2 Variar., c. 8, num. 9; Navarrus., cap. 27, num. 16. Ut tamen breviter rationem explicem, adverto duobus modis posse censuram aliquam in communitatem ferri. Primo in solam communitatem, ut communitas est, id est, quatenus est unum corpus politicum, ita ut non descendat ad singulas personas secundum se, sed solum illas comprehendat, quatenus unum corpus constituunt, quo modo ferri solet suspensio in communitatem. Alio modo potest ferri censura in communitatem ratione singularum personarum, ita tamen ut non feratur censura in personas certas seu determinatas, sed communiter, seu confuse in omnes homines hujus civitatis, vel regni, quo modo ferri solet interdictum in communitatem, ut infra videbimus. Utroque ergo modo prohibitum est collegium aut Capitulum excommunicare; nam dictum cap. Romana, simpliciter id prohibet; ergo prohibet, quocumque modo fiat. Et ita intelligitur ab omnibus; et merito, tum quia absoluta legis verba non sunt limitanda, nisi necessitas urgeat, vel ex alio jure, vel ex evidente ratione; tum etiam quia illa lex quoad illam partem favorabilis est, et ideo amplianda; tum denique quia in fine illius textus subditur: *Sed in illos duntaxat de collegio et universitate,* etc., quæ dictio exclusiva omnem alium modum interdicit.

3. *Ratione suadetur assertio.* — Ratio autem pro priori parte reddi potest, quia bona, quibus principaliter privat excommunicatio, personalia sunt, seu ad singulas personas pertinentia, quia sunt spiritualia, et similiter communicatio, et actus, quos interdicit excommunicato, personales sunt, regulariter loquendo. Alioqui enim sunt actus jurisdictionis, quos tollit etiam excommunicatio, eosque potest interdum communitas exercere; tamen hi sufficienter prohibentur per suspensionem, nec propter illos solos est necessaria excommunicatio. Propter hanc ergo causam non fertur excommunicatio in communitatem priori modo consideratam. Et hoc est, quod ex sententia Doctorum juris Pontificii refert Covarruvias, communitatem, scilicet, non esse unum corpus verum, sed fictum, neque habere unam animam rationalem communem, et ideo non esse capacem excommunicationis; hoc enim est verum de communitate primo modo spectata. Ratio autem posterioris partis, quæ etiam extendi potest ad priorem, et ideo in illo textu generaliter assignatur, est, quia censura, quæ illo modo fertur in communitatem, omnes ejus personas complectitur, etiamsi non deliquerint; hoc autem excommunicationi repugnat : ergo. Major patet tum exemplo interdicti, tum ratione; si enim tantum personas delinquentes comprehenderet, jam non ferretur in communitatem, sed in eos, qui tale delictum commiserunt, quod est ferri in singulas personas, non in communitatem. Minor vero constat ex c. Nemo, cum aliis, 11, quæst. 3. Et hanc rationem tetigit ibi Pontifex, dicens : *Cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri;* pro certo supponens, illud esse magnum absurdum. Quod latius declaravit August., epist. 72, c. Si habes, 24, quæst. 3, et ex dicendis sectione sequenti latius constabit.

4. *Excommunicatio per verba communia lata omnes infra Pontificem comprehendit.* — Secundum notandum est in hac censura excommunicationis speciale esse, ut per eam generaliter latam ligari possint non tantum laici omnes, et clerici inferiores, sed etiam Episcopi, et quilibet Prælati illis superiores infra Summum Pontificem, dummodo auctor canonis et sententiæ illis superior sit, et verba sint adeo universalia, ut eas comprehendant. Ratio est, quia secundum commune jus omnes hæ personæ sunt capaces hujus censuræ, ut passim ex jure constat, satisque ostensum est agendo de censuris in communi; verba autem legis, si generalia sint, omnes subditos comprehendunt, tam quoad obligationem, quam quoad pœnam, si sint capaces ejus, et alio jure, vel privilegio non excipiantur, quia hæc est vis generalium verborum. In præsenti autem nullum est jus, aut privilegium, quo excipiantur Episcopi, aut quicumque alii Prælatii a generali lege, vel sententia imponente excommunicationis pœnam; ergo illam incurrent, si transgressores legis existant.

5. *Objectioni occurritur.* — *Replicatio.* — Objici vero potest c. Quia periculosum, de Sent. excom., in 6, ubi conceditur Episcopis, et superioribus Prælatis, ne ligentur censura generatim lata, nisi illorum expressa mentio fiat. Respondetur, ibi non esse sermonem de censura in genere, sed speciatim de suspensione, et interdicto, ut ibi Glossa notavit, verbo *Suspensionis;* ac propterea docuit privilegium illud non habere locum in censura excommunicationis, quam Glossam omnes communiter approbant. Sed instare potest aliquis, quia ratio illius textus æque vel magis locum habet in excommunicatione, quam in aliis duabus censuris, scilicet, *quia periculosum est Episcopis propter Pontificale munus incurrere ipso facto suspensionem;* non est enim minus periculosum incurrere ipso facto excommunicationem, imo periculosius hoc dici potest, quia excommunicatio re ipsa includit omnes effectus suspensionis, et plures alios, graviori modo impedientes functiones Pontificales. Quapropter quamvis in illo textu non fiat expressa mentio excommunicationis, intelligi possit a fortiori comprehensa sub suspensione, quia omnis excommunicatio suspensio quædam est saltem materialiter, ut sic dicam. Et posset hæc interpretatio juvari, tum quia favorabilis est, et favores sunt ampliandi; tum etiam quia illud est beneficium principis, quod amplissime interpretandum est, ut communiter dicunt juris interpretes, argument. regulæ Decet, de Regul. jur., in 6.

6. Sed licet hæc apparenter dicta sint, recedendum non est a communi sententia, quia verba illius textus satis clara, et præcisa sunt; ergo in proprietate accipienda, juxta consuetudinem juris; non est ergo ibi accipienda suspensio, ut includit excommunicationem, sed prout est censura distincta ab illa. Unde cum Pontifex specialem mentionem faciat suspensionis, et interdicti, non sine causa id fecisse credendum est; alioqui vel

omnes censuras numerasset, vel nullam in speciali, sed generatim censuram; cum ergo duas speciatim recensuit, tertiam excludere voluit. Item jus illud privilegium quoddam continet, quod non plus valet, quam sonat, et cum aliquo modo deroget juri communi, stricte, et juxta prædictam exigentiam verborum interpretandum est. Ratio ergo illius textus non sufficit ad extendendum privilegium, nisi accedat voluntas concedentis illud, quæ hic non intercessit. Vel etiam ratio illa ita est accipienda, ut propter vitandum vel minuendum illud periculum statutum sit, ne Episcopi comprehendantur sub quacumque censura generatim lata; non vero, ut sub nulla includantur. Et ideo potest sufficere ad excipiendum Episcopos quoad duas censuras, etiamsi non excipiantur quoad hanc tertiam. Cur autem in excommunicatione illud privilegium non concedatur, sufficiens ratio est, noluisse Pontificem tam amplum concedere privilegium, et aliqua ex parte in hoc consuluisse severitati excommunicationis. Addit etiam Glossa, esse plures canones ferentes sententiam excommunicationis in generali, a quibus non fuit conveniens excipi Episcopos, ut cap. Si quis suadente, et similia.

SECTIO III.

Propter quam causam ferri possit aut debeat excommunicatio.

1. Materia hujus sectionis amplissima est; eam vero fuse tractavimus disp. 4, de Censuris in communi, et quæ ibi diximus, maxima ex parte, et cum majori proprietate et certitudine in hanc censuram conveniunt, quam in alias. Itaque primum omnium pro certo statuendum est, excommunicationem majorem ferri non debere, neque posse, nisi ob culpam mortalem, cum inobedientia Ecclesiæ, et contumacia commissam. In hac enim regula fere omnes Doctores conveniunt; oportet tamen diligenter eam explicare, et nonnullas circa eam occurrentes difficultates in particulari declarare.

2. *Secundum jus ordinarium Ecclesiæ excommunicatio ferri non debet, nisi ob culpam mortalem.* — Duobus ergo modis de causa ferendi censuram loqui possumus. Primo secundum jus ordinarium ab Ecclesia statutum. Secundo juxta absolutam potestatem a Christo Domino concessam, quæ in Summo Pontifice residet. Priori modo est fere indubitata regula posita; sunt enim multa decreta, in quibus hoc statuitur, quæ referuntur a Gratiano, 11, quæst. 3, ex Concilio Niceno, cap. 5, in cap. Servetur, et ex Concilio Meldensi, in cap. Nemo Episcoporum, et ex Concilio Avernensi, vel potius Vormaciensi, et Aurelian. V, in cap. Nullus, et ex Concilio Agathensi, in cap. Episcopi. Rursus ex Hieronymo, Augustino, Prospero, et aliis multa refert, 24, quæst. 3, cap. Resecandæ, cap. Corripiantur, c. Ecce, cum aliis, quæ ex Anacleto, et Pelagio ibi referuntur. Idemque sumitur ex c. Sacro, de Sent. excommun., et ex c. Romana, eodem titulo, in 6, et ex Leone Papa, epist. 87; et ex Ambrosio, lib. 2 Officior., cap. 37. Ac denique clarius Tridentinum id statuit, in sess. 25, c. 5 de Reformatione, ubi expendenda sunt illa verba : *Aut levibus ex rebus,* et illa, *non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter per Episcopum examinata,* etc. Rationem a priori reddemus statim; ab inconvenienti vero est optima, quæ ex dicto Concilio sumitur, quia si excommunicatio ob levem culpam incutiatur, magis contemnitur, quam formidatur, et perniciem potius parit, quam salutem.

3. *Nemo inferior Pontifice potest pro minori culpa excommunicationem ferre.* — Atque ex hac regula infertur, nullum judicem vel Prælatum Ecclesiæ infra Summum Pontificem posse pro culpa, quæ mortalis non sit, vel pro causa, in qua de evitanda mortali culpa non agatur, hanc censuram excommunicationis imponere, vel sub illa obligare. Probatur, quia nullus ex his Prælatis vel judicibus potest præceptum vel sententiam ferre nisi juxta formam et modum per sacros canones institutum; habent enim jurisdictionem suam sacris canonibus ac legibus alligatam; sed sacri canones statuunt, ut hæc censura non feratur nisi pro gravi culpa; ergo non possunt eam ferre.

4. *Imo neque Summus Pontifex.* — *Suadetur Scripturæ testimoniis.* — *Idem testimoniis Pontificum et Patrum comprobatur.* — Addo ulterius propositam regulam procedere etiam de absoluta potestate data Ecclesiæ a Christo Domino, ita ut nec ipse Summus Pontifex possit pro sola veniali culpa præcise, directe majorem excommunicationem ferre. Quod primo colligitur ex omnibus Scripturæ locis, in quibus aliquod indicium hujus censuræ, vel potestatis ad illam ferendam continetur; semper enim significatur solum propter graves culpas corrigendas esse hanc potestatem concessam, ut Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publi-*

canus. Nemo enim dicet esse aliquem rebellem Ecclesiæ propter solam venialem transgressionem, eo vel maxime, quod ibi erat sermo de correctione fraterna, et ordine ejus, qui ad coactionem per hanc censuram terminatur, si intercedat contumacia; illa autem correctio, ut Theologi docent, 2. 2, quæst. 33, non habet locum proprie, et in rigore loquendo, in peccatis tantum venialibus, quod etiam, ut ponderavit Augustinus, ex verbis Christi colligitur : *Si peccaverit in te frater tuus;* et infra : *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum;* perierat ergo graviter peccando, ut Augustinus infert. Hinc Paulus, 1 ad Corint. 5, ubi cum quemdam excommunicaret, gravissimum crimen ejus in medium proposuit, et quippiam simile indicavit Petrus, Actor. 8, et Joannes, 1 Canonica, cap. 1. Secundo sumi potest argumentum ex testimoniis Pontificum et Sanctorum, quæ citavimus in superiori puncto; cum enim docent excommunicationem non esse ferendam nisi pro gravi crimine, non fundantur in aliquo jure seu prohibitione Ecclesiastica, sed in ipsa æquitate naturali, supposita institutione, et acerbitate talis pœnæ, et quia Christus non dedit hanc potestatem Ecclesiæ in destructionem, sed in ædificationem. Quæ rationes absolute procedunt de ipsa potestate secundum se, et respectu cujuscumque habentis illam.

5. *Ratione idem confirmatur.* — Unde concluditur tertio optima ratio naturalis, quia pœna debet esse proportionata culpæ; excommunicatio autem major est gravissima omnium, quæ sunt in Ecclesia, ut Augustinus dixit, lib. de Correction. et grat., c. 15, in c. Corripiantur, 24, quæst. 3; non est ergo proportionata culpæ veniali, sed infinite (ut ita dicam) excedens; ergo ex ipso jure divino et naturali non potest secundum justitiæ æquitatem talis pœna pro tali culpa ferri; ergo, absolute loquendo, non dedit Christus Ecclesiæ hanc potestatem. Et explicatur ratio in hunc modum, nam per excommunicationem ejicitur quis quodammodo ab Ecclesia, ut sumitur ex multis juribus, 11, quæst. 3, præsertim in c. Omnis Christianus, et c. Nihil, cum aliis, quæ supra citavimus; nemo autem meretur ejici ab Ecclesia, qui non est dignus ejici a regno Dei, quod non est, nisi propter peccatum mortale. Et confirmatur a simili; nam quod est in republica temporali pœna mortis, id est in Ecclesiastica republica pœna excommunicationis; ideoque vocari solet *gladius Ecclesiasticus,* in cap. Inter hæc, 33, quæst. 2, et multi Patres dicunt hanc pœnam habere in Ecclesia eum locum, quem in veteri lege habebat pœna mortis, ut videre licet apud Antherum Papam, epist. unica, et Tertullianum, in Apolog., cap. 39, et August., in Quæstionib. Deuteronomii, quæst. 2. Qui propterea in collatione tertiæ diei cum Donatistis, eam vocat *damnationem quam facit Episcopale judicium.* Sed reipublicæ temporali non est data potestas ad interficiendum hominem propter peccatum veniale, ut per se notum est; ergo neque Ecclesiæ ad ligandum hominem hac censura ob solam venialem culpam. Denique non oportet, ut tam graviter Ecclesia coerceat fideles a venialibus peccatis; nam, ut D. Thomas tradit, 1. 2, quæst. 86, art. 3, lex humana non intendit omnia vitia prohibere, aut punire, nec perfectos subditos facere; unde etiam in institutione sacramenti pœnitentiæ Christus noluit venialia peccata esse materiam necessariam illius judicii; et quamvis Ecclesia juste prohibeat, et puniat aliqua venialia peccata, præsertim quando necessarium est ad observationem aliorum graviorum præceptorum, semper tamen applicat pœnam seu medicinam accommodatam; excommunicatio autem major esset nimia coactio.

6. *Excommunicatio pro veniali culpa lata, est ipso jure nulla.* — Ex quo generali principio sequitur primo, excommunicationem latam pro leviori culpa, quæ mortalem gravitatem non attingat, esse non solum injustam, sed etiam ipso jure nullam, a quocumque feratur. Probatur ex dictis, quia fertur absque legitima potestate; actus autem moralis, qui procedit ab eo, qui potestatem non habet, nullus est. Idem probari potest ex omnibus, quæ de censura injusta et nulla tractavimus agentes de censuris in communi, disp. 4, ubi ostendimus, eam censuram, quæ evidenter est contra justitiam commutativam respectu ipsius rei, esse nullam; sed excommunicatio major lata propter solam venialem culpam est evidentissime contra justitiam commutativam respectu ejus, qui sic damnatur; ergo est ipso jure nulla. Præterea talis sententia continet intolerabilem errorem, non solum contra jus Ecclesiasticum, sed contra naturale et divinum; sicut esset intolerabilis error medici, qui præciperet brachium abscindi a corpore propter levem læsionem, seu ægritudinem. Item sententia judicis secularis condemnantis ad mortem aliquem propter venialem culpam intolerabilis esset, ac proinde

nulla ipso jure. Ac denique condemnatio ad gravem pœnam sine ulla causa absque ulla controversia nulla esset; ergo condemnatio ad gravissimam pœnam propter levem causam est etiam nulla. Patet consequentia, tum quia in moralibus parum pro nihilo reputatur, et ideo parva causa respectu tantæ pœnæ quasi nulla est; tum etiam quia tanta proportione excedit gravissima pœna levem culpam, quanta gravis nullam; maxime quando pœna illa est indivisibilis, quæ non potest secundum partem proportionatam applicari, et executioni mandari, et secundum aliam partem rescindi, cujusmodi est excommunicationis majoris censura. Sunt vero, qui hoc tantum procedere putent, quando talis causa levis in ipsa sententia explicatur. Sed quicquid sit de exteriori foro, in interiori sufficit, quod in re ipsa causa non subsistat, juxta dicta de censuris in communi.

Qui excusatur a culpa mortali, ab excommunicatione excusatur.

7. Secundo infertur ex dictis, quotiescumque aliquis excusatur a culpa mortali in transgressione alicujus legis, vel præcepti, excusari etiam, ne censuram excommunicationis contrahat, etiamsi omnibus transgressoribus illius præcepti imposita sit; ut si excommunicentur omnes qui furantur aliquid, si quis id committat, tamen ex levitate materiæ excusetur a mortali, excusabitur etiam, ne talem censuram contrahat. Et eadem ratione, cui sub excommunicatione præcipitur, ut solvat, vel restituat, si id omittat, quia revera non habet unde solvat, sicut excusatur a culpa, ita etiam a censura. Ratio est, quia cessante causa necessaria etiam quoad rei effectionem, cessat, seu non fit effectus. Item quia *quod culpa caret, in damnum vocari non debet,* ut dicitur in cap. 2, de Constitutionibus; ergo quod ad caret gravi culpa, non debet in gravissimum damnum excommunicationis vocari. Atque ob eamdem causam quoties sententia hujus censuræ fertur absque vera mortali culpa, quæ in persona supponatur, apud Deum et in conscientiæ foro per se obligationem non inducit, licet in foro exteriori, vel interdum ex accidente propter vitandum scandalum obligare possit. Ubi sese offerebat copiosa materia disputandi de causis, quæ excusare possunt, ne talis censura incurratur, quales sunt ignorantia, violentia, aut metus, qui moraliter æquivaleat, aut alia gravis necessitas. Item occurrebat hic dicendum de excommunicatione injusta ex defectu causæ finalis, et materiæ circa quam, an semper sit nulla; sed quia hæc omnia copiose tractata sunt de censura in communi, et in præsenti nihil in eis speciale occurrit, ideo in eis iterum immorari non est necesse.

8. *Prima objectio contra conclusionem positam.* — Objici vero potest contra hanc illationem, primo, c. Odoardus, de Solutionibus, ubi excommunicatio lata in eum, qui creditori non solvebat, valida censetur, et indigens absolutione, etiam si ille fuisset impotens ad solvendum; cum ergo impotentia excuset a culpa, et non excusaverit ab excommunicatione, non est in universum vera regula tradita. Consequentia est clara, et antecedens patet ex illis verbis textus : *Mandamus quatenus si constiterit, quod prædictus non possit solvere debita supra dicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxes.* Secundo c. Pervenit, de Sent. excom., ubi percussio clerici, quæ parva fuit, et ideo ob parvitatem materiæ excusari videtur a mortali, censetur sufficiens causa ad incurrendam excommunicationem majorem ipso jure latam pro tali crimine. Tertio, c. Episcopi, 11, quæst. 3, ubi reprehenduntur, et puniuntur quidam Episcopi, qui innocentes, vel minimis causis culpabiles excommunicare præsumunt, et tamen hujusmodi excommunicatio non censetur nulla, ut patet ex illis verbis : *Ne forte excommunicati longo tempore morte præveniantur.*

9. *Objectio solvitur.* — Ad primam objectionem respondetur primo, verbum illud *relaxes,* non semper significare dissolutionem vinculi validi, sed interdum declarationem invalidam, vel sæpe significare relaxationem facti potius quam juris, seu vinculi, quod secundum jus tenuerit. Cujus rei multa exempla in superioribus vidimus, et optimum est in cap. Audivimus, 24, quæst. 1, in illis verbis : *Te tuosque absolvendo;* et tamen erat sermo de excommunicatione lata excommunicato, quæ sine ulla controversia ipso jure nulla existit; ibi Glossa ita exponit, et alia jura similia refert. Nec est dissimile c. Ad probandum, de Re judicata, ibi, *eamdem sententiam constiterit infirmandam,* et tamen erat lata ab excommunicato. Sic ergo in dicto cap. Odoardus, sententia illa relaxanda dicitur, vel quia declaranda erat inefficax ad ligandum, vel certe relaxanda quoad effec-

tum, quem de facto potius, quam de jure habebat, quia ille Odoardus evitabatur, et alios vitare compellebatur. Unde addi potest, fieri potuisse, ut sententia illa in exteriori foro fuerit justa; nam, ut ibidem dicitur, ille Odoardus recognovit debita, negavit tamen se esse solvendo, propter rerum inopiam; non tamen ibi dicitur sufficienter in judicio probasse hanc rerum inopiam; sola autem negatio non sufficit, quominus qui debitor est, præsumatur esse solvendo, ut dixit Glossa in leg. Si vero, § Qui, verb. *Dubitatur,* ff. Qui satis dare cogantur, et ideo dixit Pontifex: *Quatenus si constiterit;* nondum ergo constabat; quare fortasse sententia fuit justa in foro exteriori, et consequenter in eodem relaxanda.

10. *Secunda diluitur.* — Ad secundam respondetur, in illo c. Pervenit, Pontificem non definite asserere eos indigere absolutione, qui non enormem, sed modicam et levem injuriam clericis irrogarunt. Sed verba textus sunt : *De his absolvendis tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Quod potest intelligi, tum ut judices, an absolutione indigeant, tum etiam ut absolvas, si crimen ad excommunicationem contrahendam fuerit sufficiens, non tamen adeo enorme, ut ejus censura reservatione digna videatur. Itaque *modica et levis injuria* dici potest vel simpliciter et absolute, quia tanta non est, ut ad gravem culpam sufficiat, consideratis omnibus circumstantiis, quæ in tali injuria concurrunt, et tunc non est necessaria absolutio, quia illa non est sufficiens materia excommunicationis majoris. Alio modo dicitur injuria mediocris respective, scilicet, comparatione enormis, et levis comparatione mediocris, ita tamen ut omnes illi tres gradus contineantur intra sufficientem materiam peccati mortalis et excommunicationis. Recte enim levis injuria, comparative sic dicta, potest esse simpliciter gravis, ita ut ad mortale peccatum sufficiat. Præsertim, quia interdum potest injuria levis videri quantum ad nocumentum corporale quod infert, et ratione modi, et circumstantiarum esse gravis et mortalis culpa, ideoque ad incurrendam excommunicationem sufficiens; et hæc posterior expositio videtur illi textui magis accommodata.

11. *Tertiæ objectioni fit satis.* — Circa tertiam objectionem advertendum est textum illum diverso modo legi in originali, quam referatur a Gratiano; nam Gratianus affirmative legit : *Communio illis usque ad tempus Synodi a reliquis Episcopis denegetur;* ita ut relativum *illis,* Episcopos male excommunicantes eos, qui innocentes fuerant aut leviter peccaverant, referat. In concilio autem Agathensi, c. 3, 2 tom. Concilior., negative legitur : *Illis communio non denegetur,* juxta quam lectionem relativum *illis,* refert ipsos injuste excommunicatos. Et sane ratio, quæ subjungitur, *ne forte sic excommunicati morte præveniantur,* etc., videtur magis huic lectioni favere. Quid enim refert ad cavendum hoc periculum, quod excommunicatores ipsi communione priventur? Quod autem ipsi excommunicati saltem a vicinis Episcopis ad communionem admitterentur, multum eis prodesse poterat. Juxta hanc ergo posteriorem lectionem potius colligitur Concilium reputasse nullam talem excommunicationem, quandoquidem absque prævia absolutione sic excommunicatos non vitandos censuit. Dixit autem, *a vicinis Episcopis,* quia licet in propria etiam diœcesi jure vitandi non essent, tamen ipsi Episcopi excommunicantes de facto illos vitabant et vitari compellebant; cui malo ipsi vicini Episcopi subvenire non poterant, quia superiores non erant Episcopis excommunicantibus, et ideo dicit, *usque ad tempus Synodi,* quæ potest cogere Episcopum ad justitiam servandam. Quod si priorem retineamus lectionem, ad eumdem sensum est accommodanda. Voluit enim illud Concilium, illis Episcopis male excommunicantibus ab aliis vicinis communionem negari etiam ante tempus Synodi, id est, ipso facto, et ante aliam sententiam (ut sic exponam), ut eo modo cogerentur ad communionem admittere quos sic excommunicaverant, ne tanto tempore in eo essent periculo, in quo constituebantur non jure, scilicet, quia excommunicatio esset valida, sed facto, quia a suo Episcopo communione privabantur.

Transgrediens legem justam ferentem excommunicationem peccat mortaliter.

12. Tertio principaliter ex dictis infero, quoties per aliquam legem prohibetur aliquis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, si lex sit justa et valida quoad talem pœnam, transgressionem ejus peccatum esse mortale. Hanc regulam tradidit Cajetanus specialiter in Sum., verb. *Præceptum,* Estque communis omnium, sequiturque evidenter ex dictis. Quia si illa pœna justa est, supponit proportionatam causam vel culpam;

sed culpa illi proportionata est mortalis tantum, ut ostensum est : ergo. Deinde tale præceptum cum pœnam gravissimam imponat, necesse est ut sit grave, et (ut aiunt) præceptum simpliciter, et de re multum necessaria; sed tale præceptum, etiamsi humanum et Ecclesiasticum sit, obligat sub mortali, ut constat ex materia de legibus : ergo.

13. *Objectiones contra illationem. — Prima. — Secunda. — Tertia.* — Contra hoc vero illatum multa objici possunt, quæ contra principalem regulam consequenter procedunt. Primum est, quia antiqui canones Ecclesiastici eamdem excommunicationem ferebant contra eos, qui communicabant cum excommunicatis, etiam in humanis, ut patet ex cap. Sicut Apostoli, 11, quæst. 3, ubi refertur, hanc fuisse traditionem Apostolicam. Idem habetur in Concilio Carthag. IV, c. 73, c. Qui communicaverit, 11, quæst. 3, et clarius in c. 2 de Cleric. excom. ministr., ibi: *Quicumque cum eo communicaverit, similiter se sciat excommunicatum,* ubi adverbium, *similiter*, indicat eamdem speciem excommunicationis. Secundo in Concilio Carthag. IV, c. 24, sic dicitur : *Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur,* et habetur de Consecrat., d. 1, c. Sacerdote; illa autem actio valde levis est, et aut nulla est culpa, aut solum venialis. Tertio in c. 2, de Vit. et honest. clericor., clerici arma portantes excommunicantur. Et (quod durius est) in c. 4, dicitur : *Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit.* At vero hæc non videtur culpa gravis.

14. *Ad objectiones respondetur. — Ad primum.* — Ad primum respondetur in primis, multa ex illis juribus non recte citari. Advertendum est enim in illatione facta sermonem esse de lege excommunicationem ferente ipso jure, nam de illa, quæ ferendam imponit, paulo post videbimus. Fabianus ergo in dicto c. Sicut Apostoli, solum dicit, *communione priventur,* et in canonibus Apostolorum idem dicitur, vel eisdem verbis, vel per verbum, *segregatur,* aut simile, quæ omnia verba non censuram latam, sed ferendam indicant. Similiter in canone Concilii Carthag. dicitur, *excommunicetur,* quod recte intelligitur faciendum ab homine; at vero ab homine interdum prohiberi potest communicatio cum excommunicato sub censura majoris excommunicationis, ut supra dictum est. Deinde adverto, olim nomen excommunicationis non tam presse et stricte usurpatum fuisse, sicut nunc est in usu; nunc enim simpliciter dictum pro excommunicatione majori sumitur juxta declarationem juris supra tractatam; olim vero latius sumebatur non solum pro excommunicatione minori, sed etiam pro separatione seu exclusione a participatione Eucharistiæ, quæ per antonomasiam communio dicitur. Et ita possent exponi canones Apostolorum et Fabiani; sed obstant verba Calixti, in epist. 2, quæ habentur in c. Excommunicatos, 11, quæst. 3 : *Quia quicumque in his, vel aliis prohibitis cum eis scienter communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, et ipse simili excommunicationi subjacebit.* Quibus verbis similia sunt alia, quæ citavimus ex c. 2 de Cleric. excom. ministr. Ad quæ dici potest, similitudinem non semper dicere æqualitatem; est autem inter minorem et majorem excommunicationem aliqua similitudo, etiamsi non sit æqualitas. Et ita exposuit Glossa in dicto cap. 2. Et quantum ad censuram, quæ ipso jure incurritur ob talem communicationem, necessario est admittenda talis expositio, quia in aliis juribus ita explicata est, ut supra est tactum, et infra agentes de excommunicatione minori videbimus. Quantum vero ad censuram, quæ ob eam causam inferri potest, certum est, aliquando esse posse majorem excommunicationem; tunc autem non fit sine transgressione mortali, quæ sæpissime potest ob illam communicationem etiam humanam et vulgarem committi, ut supra visum est.

15. *Notanda pro solutione secundæ et tertiæ objectionis.* — Ad alia argumenta dicunt aliqui, quamvis peccatum veniale per se ac regulariter non sufficiat ad censuram, ex accidente tamen, et propter aliud interdum posse sufficere; scilicet, vel quia disponit proxime ad mortale, ut abusus jurandi frequenter, vel quia alios scandalizat. Nam in priori casu agitur de vitando gravi damno et periculo ejus qui sic peccat, et ideo fraterne moneri, et corripi potest ac debet; et consequenter si Ecclesiam non audierit, poterit excommunicari. In altero vero agitur de vitando gravi damno proximi innocentis, qui scandalum patitur. Et ideo ad hoc etiam potest alius per censuram gravem compelli. Alia ergo decreta in illis objectionibus citata juxta hanc doctrinam intelligi debent; nam præcipue videntur illam censuram tulisse ob scandalum vitandum.

16. *Peccatum ex se veniale, ob periculum*

in quo constituit hominem, potest esse mortale. — Verumtamen circa hanc doctrinam observandum est, ut vera sit, non esse ita intelligendam, ut limitationem aliquam propositæ regulæ contineat, ac si peccatum veniale manens intra latitudinem venialis peccati possit interdum esse materia sufficiens excommunicationis majoris; hoc enim verum non est, nam rationes, quibus regulam confirmavimus, probant non tantum regulariter, sed etiam semper, et in omni casu peccatum veniale esse insufficientem materiam hujus censuræ. Quando ergo dicitur veniale peccatum esse dispositio proxima ad mortale, interrogandum est, an sit dispositio ita proxima, ut constituat hominem in morali ac proximo periculo peccandi mortaliter, et jam tunc illud veniale peccatum ex tali circumstantia fit mortale, nam in mortalibus ejusdem malitiæ est constituere se voluntarie in morali periculo et proximo committendi aliquod crimen, et committere illud. Vel illa dispositio non est ita proxima, ut afferat dictum morale periculum, et tunc illud veniale adhuc manet intra naturam et limites venialis peccati. Et ideo per se non est sufficiens materia excommunicationis majoris. Est tamen ulterius advertendum, quod licet illa circumstantia tunc per se, et ex natura rei non sufficiat ad constituendum peccatum mortale, nihilominus potest aliquando sufficere, ut Prælatus possit graviter prohibere illum actum, ut removeat subditum non tantum a dispositione proxime proxima (ut sic dicam) peccandi mortaliter, sed etiam a dispositione utcumque proxima, seu quæ parum distat ab occasione mortali proxima. Et tunc actus, qui per se non esset peccatum mortale, adjuncto præcepto superioris sufficienter declarantis se velle obligare quantum potest, erit peccatum mortale. Quia superior interdum potest præcipere, vel prohibere sub mortali actum de se indifferentem; ergo etiam poterit prohibere sub mortali actum de se venialem, si alioqui gravis causa occurrat; nam per ordinem ad illam talis actus efficietur materia gravis; et ita contingit in exemplo posito. Quod præsertim accidere potest in statu religionis, in quo et ipsi subditi majori quadam ratione tenentur venialia peccata, et occasiones mortalium præsertim utcumque proximas cavere; et ipsi superiores majorem potestatem habent prohibendi ea, quæ grave impedimentum esse possunt perfectionis, nedum ea, quæ propinqua disponunt ad vitam spiritualem amittendam. In hoc ergo casu prohiberi potest peccatum veniale sub censura excommunicationis, in sensu (ut ita dicam) diviso, non composito; prohibetur enim id, quod ex se erat veniale; non manet autem veniale supposita tali circumstantia et prohibitione; censura autem non cadit in illum actum nisi ut sic prohibitum, et ita formaliter non cadit nisi in peccatum mortale.

17. *Peccatum ex se veniale potest ratione scandali fieri mortale.* — Atque hæc eadem doctrina applicanda est ad alium casum de scandalo, quia peccatum de se veniale potest interdum fieri mortale ratione scandali; nam et actus de se bonus potest fieri peccatum mortale ratione scandali; et tunc posset sub censura prohiberi, non quia bonus, vel quia peccatum veniale, sed quia sic scandalosus. Aliquando vero potest scandalum proveniens ex peccato veniali non esse adeo grave, ut per se, et ex sola rei natura reddat actum peccaminosum mortaliter; sit tamen sufficiens ratio, ut possit a superiori prohiberi rigoroso præcepto obligante ad mortale; et tunc etiam poterit adjungere excommunicationis censuram, quæ formaliter jam non cadit in veniale peccatum, sed in mortale.

18. *Ad secundum.* — Quanquam autem hæc doctrina vera sit, videndum superest, an per illam possit omnibus objectionibus, et juribus in illis citatis satisfieri. Nam canon Concilii Carthaginen. simpliciter dicit : *Sacerdote in Ecclesia verba faciente, qui egressus fuerit, excommunicetur,* et non meminit scandali, aut alterius similis circumstantiæ. Verisimile tamen est, illum actum eo tempore scandalum aut perturbationem gravem aliis fidelibus afferre solitum, et ideo tam graviter fuisse punitum. Quanquam non displicet quod antea considerabam, ibi non dici, excommunicatus sit, sed excommunicetur, quasi relinquendo arbitrio Episcopi, ut tunc id exequatur, quando viderit actum esse ad eam pœnam sufficientem. Item quia illud verbum, *excommunicetur,* indifferens est ad excommunicationem majorem vel minorem, et ad privationem communionis in Eucharistia vel Missæ sacrificio, præsertim juxta usum illorum temporum, ut dicebam.

19. In tertia vero objectione, c. 2 de Vit. et honest. cleric., difficultatem non habet, tum quia ibi solum dicitur, *excommunicentur,* tum etiam quia est sermo de clericis usurariis et portantibus arma; utraque autem est materia gravis. De priori enim per se patet;

posterior autem licet ex se non sit ita intrinsece mala, tamen multum pertinet ad decentiam status clericalis. Quod adeo verum est, ut clericus portans arma sine necessitate, si tertio admonitus non resipiscat, privetur privilegio canonis *Si quis suadente,* ut ibi notat Glossa ex c. In audientia, et c. Contingit, 2, de Sent. excom. Quartum autem caput ejusdem tituli plusculum habet difficultatis; unde quidam restringere volunt caput illud ad excommunicationem minorem. Sed repugnat proprietas vocis, *anathema,* quæ semper pro majori excommunicatione et solemni sumitur. Alii restringunt, ut illa non sit censura ipso jure imposita, sed imponenda. Sed repugnare videtur modus ille loquendi, *anathema sit;* illo enim significari solet censura ipsa lege imposita, quia imperium illud legis efficax est. Nihilominus Glossa ibi ita interpretatur, *sit,* id est, fiat, *non enim est* (inquit) *excommunicatus ipso jure;* probatque ex multis similibus, quæ habentur in decreto, d. 30. Quæ expositio probanda videtur, quia est materiæ talis præcepti consentanea, et verbum illud imperandi, ut supra notavi; tractando de censuris in communi, ambiguum est; et in mitiori sensu est interpretandum, si circumstantiæ aliud non requirant. Et simili modo exponunt alii c. Si quis, 23 d., quod idem est cum dicto c. 4, ubi Turrecremata: *Anathema* (inquit) *non ipso jure; sed, si admonitus cessare noluerit, venit bene excommunicandus.* Et ita facile constat, talis excommunicationis materiam esse peccatum mortale; nam relaxare comam, maxime quoad clericalem tonsuram, et cum tanta pertinacia, gravis transgressio est, et genus quoddam apostasiæ a clericatu, ut Turrecremata supra notat, et Panormitanus, in dicto c. 4, ait, illud esse peccatum mortale, quandoquidem dignum est anathemate. Et in dicto c. Contingit, 2, de Sent. excom., inter alia propter quæ privatur clericus privilegio canonis *Si quis suadente,* unum est, *si in modo tonsuræ clerici quidquam non ostendit, et tertio de hoc admonitus non emendatur;* est ergo illa culpa gravis, et ut sic tantum est materia anathematis.

Solum ob peccatum mortale potest fieri lex præcipiens excommunicationem ab homine ferendam.

20. Quarto principaliter inferri potest ex regula proposita, quoties lex vel præceptum justum sub pœna excommunicationis majoris, etiamsi non ipso facto incurrendæ, sed a judice inferendæ, aliquid prohibet, transgressionem talis præcepti ex suo genere peccatum mortale esse, et solum ea ratione esse posse sufficientem materiam ad executionem illius pœnæ. Hanc illationem docuit Sylvester, verb. *Præceptum,* quæst. 3; et Cajetan., 2. 2, q. 186, art. 9, circa ad 2. Probatur autem ex dictis, quia excommunicatio non potest ferri, neque a jure, neque ab homine, nisi propter peccatum mortale; quando autem lex prohibet aliquid sub pœna excommunicationis inferendæ, licet ipsa lex non excommunicet, virtute tamen præcipit judici, ut pro tali transgressione excommunicet; si ergo justum est præceptum, supponitur ibi sufficiens materia ad excommunicandum, alioqui talis lex præciperet judici rem iniquam; ergo illa transgressio est peccatum mortale. Et confirmatur, nam quando lex civilis aliquid prohibet sub pœna mortis, illa pœna non infertur a lege, sed inferenda est a judice, et nihilominus ex gravitate pœnæ recte colligitur transgressionem illam esse peccatum mortale, quia alias nec judex posset juste exequi pœnam illam, nec lex posset illam inferendam præcipere; ergo idem est proportionaliter in præsenti, quia, ut diximus, excommunicatio major in spiritualibus æquiparatur corporali morti in temporalibus.

21. *Sententia Cajetani contra illationem positam.*—Nihilominus Cajetanus, in Summa, verb. *Præceptum,* et verb. *Clericorum peccata,* oppositam sententiam tenet, et priorem retractare videtur, propter quædam exempla canonum, quorum præcipua in superiori puncto tractata sunt. In quibus nos advertimus sermonem esse de excommunicatione ferenda. Ratione item potest hoc suaderi, quia longe minus est excommunicationem comminari, quam ferre; ergo licet excommunicatio ferri non possit nisi propter mortale peccatum, comminatio tamen ejus ferri poterit. Declaratur præterea in hunc modum. Quia, quando lex præcipit aliquid sub pœna excommunicationis ferendæ, prius quam excommunicatio feratur, nova judicis monitio præcedere debet. Quare licet transgressio ipsius legis non sit peccatum mortale, et ideo non sufficiat ad excommunicationem, nisi præmissa nova monitione, novaque contumacia intercedente, nihilominus adjuncta nova judicis monitione sub comminatione ejusdem censuræ, jam tunc mortale peccatum est illam

legem, et obedientiam transgredi, et tunc jam est sufficiens materia, ut quis possit per judicem excommunicari. Unde concludunt, quamvis peccatum mortale tantum sit materia excommunicationis, quæ actu infertur, nihilominus legem, quæ aliquid prohibet sub excommunicatione ferenda, non semper per sese obligare ad mortale, quia non semper sola transgressio illius legis ut sic sufficit constituere hominem dignum excommunicatione, nisi aliunde crescat culpa et contumacia. Erit ergo juxta hanc sententiam materia talis præcepti aut sufficiens ad peccatum mortale, si ex se gravis sit, aut, si sit levis, erit ex se quidem insufficiens, ut ex vi solius legis transgressio sit mortalis; adjuncta tamen judicis monitione, jam transgressio erit peccatum mortale, quia qui resistit monitioni judicis factæ sub comminatione excommunicationis majoris, etiam in materia levi, efficitur dignus, in quem feratur excommunicatio major, et consequenter peccat mortaliter. Quæ tota doctrina plane colligitur ex Cajetano citatis locis.

22. *Difficultas circa Cajetani sententiam.* —Statim vero occurrit difficultas circa illam, nam interrogo, an materia illius legis, quæ prohibet actum aliquem sub pœna excommunicationis ferendæ, sit ex se sufficiens ad peccatum mortale, si ab habente potestatem per propriam et perfectam legem prohibeatur, necne. Nam, si primum dicatur, sequitur, actum illum, quatenus est transgressio illius præcepti et ex vi ejus, esse peccatum mortale. Probatur, quia illa lex etiamsi non imponat excommunicationem ipso facto, sed ferendam, est propriissima lex in materia de se gravi; ergo transgressio ejus in tali materia erit peccatum mortale, quia et omne præceptum proprium in materia gravi obligat sub mortali, et omnis inobedientia contra præceptum stricte sumptum, est mortale peccatum. Antecedens patet, quia non est de ratione legis, ut imponat censuram vel pœnam aliquam ipso facto incurrendam, ut per se notum est; præter hoc autem nihil potest excogitari necessarium ad veram et propriam legem, quod in tali præcepto non inveniatur. Nam et procedit a potestate sufficiente ad veras leges ferendas; nullus enim potest ferre legem sub illa comminatione, qui non habeat perfectam jurisdictionem fori contentiosi sufficientem ad propriissime præcipiendum, et obligandum ex præcepto. Deinde talis lex semper fertur per verbum proprie præceptivum, et promulgatur cum eadem solemnitate qua aliæ leges; quid ergo fingi potest, quod ad legis perfectionem illi desit? Si vero altera pars eligatur, scilicet, illam materiam esse adeo levem, ut lex perfecta et Ecclesiastica in illam cadens non obliget sub mortali, sequitur non sufficere ad excommunicationem ferendam etiam post admonitionem superioris, nam ipsa lex per se ipsam monet, et transgressio ejus contumacia quædam est respectu Ecclesiæ et pastoris ferentis legem; ergo si hoc non obstante ob levitatem materiæ tota illa transgressio et contumacia levis est, idem erit interveniente judicis admonitione. Patet consequentia, quia gravitas materiæ adeo necessaria est ad peccatum mortale, ut sive præceptum sit humanum, sive divinum, non faciat actum esse mortale peccatum absque illa.

23. *Evasio.—Elucidatur.*—Dices, eamdem materiam, quæ est levis respectu legis generatim latæ, censeri posse gravem respectu præcepti judicis speciali monitione et severitate actum prohibentis, quia, ut Juristæ dicunt, *mitius agitur cum lege, quam cum homine.* Sed hoc difficile intellectu est; suppono enim ex parte materiæ et actus esse omnimodam identitatem cum eisdem circumstantiis; cur ergo illud idem dicetur leve respectu legis, et grave respectu præcepti hominis? Ut, v. gr., prohibuit Gregor. XIII sub pœna ferendæ excommunicationis, ne clerici agitationi taurorum interessent; si ergo non obstante tali lege illa erat materia levis, et solum ad veniale peccatum sufficiens, ut quidam eo tempore opinati sunt, cur adjuncta monitione Episcopi, respectu illius illa eadem erit materia gravis, concurrentibus eisdem circumstantiis et non majori scandalo, etc.? Quod vero quidam aiunt, quamvis materia sit levis, si actus prohibeatur ab homine sub censura excommunicationis et trina monitione præmissa, sufficere ad peccatum mortale inobedientiæ propter contumaciam et contemptum, falsum sine dubio videtur propter rationem prius factam, quod materia gravis est de essentia peccati mortalis absolute et secundum se, quia, si hoc non ita esset, nunquam posset cum fundamento dici peccatum esse veniale ex levitate materiæ, nec magis respectu divini juris, quam humani, nec respectu legis, potius quam hominis, quia non est minor potestas obligandi in legislatore, quam in homine præcipiente, et supposita potestate non est etiam minor voluntas, nam

verba præceptiva æque illam indicant. Exemplis etiam potest idem manifestari, nam quamvis superior rem levem sub excommunicatione et prævia monitione quacumque prohibeat, ut, v. gr., ne dicam verbum jocosum, aut ne dem assem alteri, et similia, non propterea erit peccatum mortale, quia materia est incapax; et comminatio, vel sententia in illo præcepto inclusa, vel non est vera, sed in verbis tantum ad terrorem, vel continet intolerabilem errorem. Quare, licet illa sit aliqua contumacia, tamen hæc eadem potest esse levis ex parvitate materiæ. Contemptus autem, si intelligatur esse ipsius legis vel legislatoris, necessarius non est; unde, si interveniat, erit per accidens, quare non spectat ad præsentem considerationem; si autem intelligatur esse de excommunicatione vel ejus comminatione sic facta, non erit grave peccatum secluso scandalo, quia talis comminatio injusta est vel etiam nullius momenti. Nulla ergo videtur posse assignari ratio, cur, si præceptum sub excommunicatione ferenda ex se versatur circa materiam venialis peccati, post admonitionem judicis fiat illa transgressio mortalis et materia capax excommunicationis majoris.

24. *Ad difficultatem circa sententiam Cajetani respondetur.* — Ad hanc difficultatem responderi potest juxta superius dicta, quod, sicut peccatum veniale interdum ita est proxima occasio scandali proprii vel alieni, ut licet per se et ex sola rei natura non statim fiat peccatum mortale ex illa circumstantia, possit ratione illius per jus aut præceptum humanum prohiberi sub culpa gravi et sub excommunicatione majori ipso facto incurrenda, ita pari modo in præsenti, quamvis in eadem materia lex generatim lata sub censura excommunicationis ferendæ non obliget sub mortali, nihilominus adjuncto præcepto hominis hic et nunc idem præcipientis et monentis sub censura cum effectu imponenda, jam illa transgressio et inobedientia sit peccatum mortale. Est enim fere eadem ratio; nam lex divina et naturalis per se ac cæteris paribus non minus obligat, quam humana, et nihilominus aliquid præcipit lex humana, quod non præcipit lex naturalis, quia aliqua est materia proportionata legi humanæ quoad talem prohibitionem, quæ non est proportionata legi naturali vel divinæ, eo quod lex naturalis, vel divina abstractior, seu universalior sit, lex autem humana magis descendat ad particularia pro temporum et circumstantiarum opportunitate. Sic igitur eadem fere proportione fieri potest, ut licet auctor legis non minorem potestatem vel auctoritatem habeat, sed majorem, quam judex exequens seu admonens in particulari, nihilominus sola lex in tali materia lata sub comminatione excommunicationis non obligat sub mortali, adjuncta vero judicis admonitione oriatur talis obligatio. Quia etiam lex illa comparata ad actum hominis est universale quid; præceptum autem hominis magis in particulari determinat obligationem, et ideo potest gravitatem ejus quasi complere. Accedit præterea, quod, dum admonitio judicis conjungitur legi, fit quasi duplex vinculum, ex quo nascitur, ut gravior sit contumacia et injuria, quæ fit superiori prohibenti, non tantum per legem quasi mortuam, sed etiam per ministrum suum, nempe judicem, qui est veluti viva vox et quasi anima legis. Unde in hoc non plus defertur judici, quam auctori legis, quia non sunt considerandi ut duo, sed ut unum, id est, ut causa principalis et instrumentalis. Unde obiter solvitur objectio, quæ hic fieri posset, quia admonitio judicis non est novum præceptum, sed applicatio quædam, et quasi recordatio obligationis ipsius legis. Primo enim negari potest assumptum. Deinde dicitur, illam eamdem legem sic applicatam gravius obligare, quam per se solam, quia auctoritas legislatoris magis illo modo urget, majorique injuria afficitur, si illo etiam modo applicata contemnatur.

25. *Corollarium propositum sententiæ Cajetani præfertur et declaratur.* — Hoc ergo modo explicata hæc sententia probabilis est. Nihilominus existimo corollarium a nobis propositum esse verum simpliciter. Quod ut declaremus, advertendum est, cum dicimus actum sic prohibitum per legem esse peccatum mortale ex genere, non esse intelligendum solum formaliter ex genere virtutis obedientiæ, vel alterius, ad quam fortasse spectat actus sic præceptus, ut religionis vel justitiæ, etc.; nam hoc nec satis est, nec deservit ad rem præsentem explicandam; sed intelligendum esse etiam quasi materialiter, id est, quod talis actus, in tali materia prohibita per tale præceptum et intra illam sistendo, est sufficiens ad peccatum mortale. Dico autem ex genere, quia in illa materia potest esse latitudo, ita ut aliqua non sufficiat ad mortale, aliqua vero sufficiat, ut in exemplis adductis in objectionibus factis contra tertiam illationem videre licet, et ideo non diximus

omnem transgressionem illius legis esse peccatum mortale, sed esse posse intra latitudinem illius materiæ (hanc enim vim habet illa determinatio, *ex suo genere*). Addimusque ulterius tunc solum transgressionem illam esse aptam ad illam pœnam, quando completam materiam habuerit, ad peccatum mortale constituendum sufficientem. In quo fere æquiparantur lex sub excommunicatione lata et ferenda; nam etiam, quando lex imponit ipso jure hanc censuram, habet latitudinem in sua materia; et si transgressio sit in materia minima, erit levis, et consequenter non sufficiet, ut talis censura feratur. Differentia vero esse potest, quia materia prioris legis, regulariter loquendo, gravior est, et frequentius in ea mortale peccatum committitur, quam in alia. Quod ita sumendum est, ut intelligatur de eo, quod exigit talium legum differentia, non de eo, quod legislatores arbitrantur. Semper autem illud integrum manet in utraque lege, ut sola illa materia, quæ ad peccatum mortale sufficit, ad excommunicationem etiam sufficiat.

26. *An admonitio judicis possit efficere, ut culpa sit mortalis quæ alias esset venialis.* — An vero judicis admonitio aliquid conferat, vel necessaria esse possit, ut in aliqua materia culpa sit mortalis, quæ alias non esset, stante eadem lege, satis dubia res est. Quanquam in hoc ipso duplicem oporteat distinguere quæstionis sensum : unus est de peccato mortali sufficiente, ut judex exequatur excommunicationem, quam lex comminatur; et in hoc sensu existimo probabilius necessariam esse illam monitionem, saltem ut censura recte feratur, juxta superius dicta de censuris in communi. Alius sensus est de peccato mortali secundum se. Et sic probabilius existimo non esse necessariam judicis monitionem, ut transgressio talis legis in materia sufficiente peccatum mortale sit; hoc enim satis mihi probant rationes superius adductæ. Imo opinor, cæteris paribus, ac per se loquendo, nihil conferre talem admonitionem, ut in eadem materia sit mortale peccatum transgressio legis, quæ alias esset veniale. Nec video, cur hoc magis dicatur in lege, quæ prohibet sub comminatione excommunicationis, quam in ea, quæ prohibet sub excommunicatione latæ sententiæ; nam si percutiens levissime clericum, licet aliquo modo violet canonem *Si quis suadente*, non incurrat illius censuram propter materiæ parvitatem, si ergo interveniret superioris admonitio, ut etiam illo levi modo nullus percuteret clericum sub eadem censura, numquid incurreret illam? Non quidem, per se loquendo, quia materia semper est insufficiens. Cur ergo plus operabitur eadem admonitio, cæteris paribus, in alia lege, quæ solum comminatur censuram? Rationes præterea factæ sunt efficaces; nam illæ circumstantiæ, quæ in responsione considerantur, non sufficiunt ad malitiam mortalem, nisi materia alioqui gravis sit, aut ex novo fine vel circumstantia gravis fiat. Si autem illa per se gravis est, prohibitio talis legis sufficit ad constituendum actum peccaminosum mortaliter, ut discursus supra facti satis probant.

27. *Potest ex accidenti esse peccatum mortale interveniente judicis monitione, quod sine illa non esset.* — Addo tamen ex accidente posse contingere, ut interveniente monitione judicis, sit peccatum mortale, quod sine illa non esset, quia vel fortasse ante monitionem existimabatur materia levis bona fide, et absque culpa, ea, quæ post monitionem non poterit cum eadem tuta conscientia talis reputari, quia ubi evidenter non constat oppositum, semper obediendum est superiori et pro illo præsumendum. Et ad hoc potest conferre, quod dicebatur, præceptum hominis applicari magis in particulari, quam præceptum legis. Et ideo recte fieri potest, ut dubium, quod relinquit lex circa gravitatem materiæ, hic et nunc tollatur per superioris monitionem, qua urget legis obligationem sub ejusdem censuræ comminatione. Et hinc etiam fieri potest, ut in singulis actibus, quæ contra legem fiunt, aliquando non peccetur mortaliter, et tamen quod accedente monitione judicis jam incipiat peccari mortaliter per actum similem præcedentibus, et per sese spectatum ejusdem materiæ et qualitatis, quia nimirum judex jam non considerat actus singulos, sed consuetudinem et contemptum legis inde resultantem, quam fortasse particularis persona non considerabat, vel non tenebatur considerare; ut, verbi gratia, in exemplo supra posito de clerico relaxante comam, uno vel alio die illam relaxare erit veniale, et sæpius id facere, vel per aliquantulum temporis id protrahere non erit mortale, sed quædam negligentia venialis aut venialium peccatorum multiplicatio; at vero si accedat judicis admonitio sub dicta censura, jam erit sufficiens signum materiam illam consummari et accedere ad gravitatem peccati mortalis, ideoque si duret pertinacia et continuetur transgressio, erit sufficiens ratio ferendi excommuni-

cationem. Denique idem dicendum erit, quoties hic et nunc occurrit specialis causa seu finis, propter quem specialiter prohibeatur actus, quem finem lex non consideravit, consideratur autem a judice. Et fieri potest, ut ratione illius finis res fiat gravis, quæ per se considerata non erat. Quacumque autem ratione præceptum judicis sub ea censura et rigore hic et tunc impositum justum sit et proportionatum fini, contumacia et pertinacia contra illud gravis erit; atque ita fiet sufficiens materia censuræ, quæ alias non esset, etiam stante eadem generali lege, si ad illam judicis admonitio non accessisset.

Varia dubia circa regulam positam occurrentia enucleantur.

28. Hactenus explicata est generalis regula proposita; quantum ad unam partem negativam nunc explicanda est, scilicet, non omne peccatum mortale sufficere ad excommunicationem, sed illud, quod fit cum inobedientia; et contumacia respectu Ecclesiæ. Ubi multæ incurrebant graves quæstiones : prima est, an monitio prævia sit necessaria ad excommunicationem; et consequenter an peccatum præteritum contra legem divinam, vel naturalem, sit sufficiens materia et causa excommunicationis; rursus an peccatum commissum contra præceptum Ecclesiæ absque ulla censuræ comminatione vel impositione sit sufficiens; demum an propter peccatum futurum possit excommunicatio imponi ipso facto incurrenda, sub illa conditione, si committatur; idque aut præcepto juris, aut hominis. Verumtamen hæ omnes quæstiones late tractatæ sunt supra, disp. 2, sect. 4, et disp. 4, sect. 4, et omnia ibi dicta procedunt omnino eodem modo in excommunicatione, imo in illa maxime, et ideo nihil hic addendum occurrit.

29. Est enim omnium summa et resolutio, illam monitionem, quæ ad contumaciam contra obedientiam Ecclesiæ sufficiat, necessariam esse ad hanc censuram ferendam, ita ut sine illa lata non valeat, ex defectu materiæ necessariæ; majorem autem monitionem, seu trinam, et canonicam, quamvis ex præcepto Ecclesiæ necessaria sit, ut actio recte fiat, non tamen esse simpliciter necessariam ad valorem censuræ, quia ille defectus solum est in accidentali solemnitate, nisi in aliquibus casibus a jure expressis, qualis est, quando ferenda est excommunicatio major in eos, qui cum excommunicato communicant. Quo fit, ut propter peccatum pure præteritum, sive sit contra legem naturalem, sive positivam, nunquam possit valide ferri excommunicatio, nisi aliqua, vel hominis, vel legis Ecclesiastica monitio præcedat sub sufficiente propositione, vel comminatione talis censuræ, quia sine hac non interveniet contumacia contra debitam Ecclesiæ obedientiam. Pro peccato autem futuro generatim loquendo non est dubium, quin possit ferri excommunicatio sub conditione, si talis actus committatur; in particulari autem servare debent Prælati inferiores Summo Pontifice ea, quæ circa hoc jura statuunt, quæ dictis locis explicata sunt. Alia quæstio huc etiam spectabat, an ignorantia invincibilis vel etiam culpabilis præcepti Ecclesiastici impediat contumaciam, et consequenter censuram, idque vel in materia alias de se mala, vel in materia indifferenti. Sed hanc etiam rem latissime disseruimus citata disp. 4, sect. 6, neque hic aliquid speciale occurrit.

Excommunicationem ferri posse pro peccato mortali cum inobedientia et contumacia Ecclesiæ commissum.

30. *Quæ inobedientia sufficiat ad excommunicationem incurrendam.* — Tertio loco explicanda est affirmativa pars illius regulæ, quæ ex dictis concluditur, scilicet excommunicationem ferri posse pro peccato mortali commisso cum inobedientia, et contumacia Ecclesiæ. Circa quam partem multa etiam possunt inquiri : primum est, qualis debeat esse hæc inobedientia, et contumacia, an scilicet requiratur formalis, vel materialis sufficiat; formalis dicitur, quæ est ex contemptu, et directa voluntate transgrediendi præceptum; materialis, quæ est contra præceptum sine illo contemptu, ex alia passione, vel affectu, juxta doctrinam D. Thomæ, 2. 2, quæst. 104 et 105. De quo dubio videri possunt multa apud Covarruviam, cap. Alma, 1 part., § 9, num. 3. Sed quia ex dictis supra de censuris in communi facilis est resolutio, ideo breviter dicendum est, non requiri inobedientiam aut contumaciam formalem, ut patet ex usu Ecclesiæ; excommunicantur enim concubinarii, percussores clericorum, et similes, etiamsi non ex contemptu, sed ex passione peccent. Et ratio est clara, quia etiam alia vitia præter inobedientiam formalem possunt esse digna hac pœna, et

postulare hanc medicinam. Sufficiet ergo inobedientia materialis contra præceptum Ecclesiæ; non tamen quæcumque, aut quomodocumque, sed illa, quæ sit contra præceptum ita latum, ut includat, vel adjunctam habeat admonitionem sub hac censura; nam inde habet majorem gravitatem, et proportionem ut reddat hominem dignum tali pœna. Et hoc sensu vocatur illa inobedientia specialis contumacia, quamvis non attingat illum singularem gradum malitiæ, qui est in inobedientia formali.

31. *An quodlibet peccatum mortale sit sufficiens materia excommunicationis. — Resolutio in uno sensu.* — Altera quæstio esse potest, an quodlibet peccatum mortale ex hujusmodi contumacia factum, sit sufficiens materia, quam etiam attigimus dicta disp. 4, sect. 3. Et ideo breviter distinguendum est, aliud esse quærere, an quodlibet peccatum mortale, tale sit, ut juste ac recte possit sub hac censura prohiberi, et consequenter ut pro illo, post admonitionem factam, juste possit excommunicatio ferri; aliud vero esse inquirere, an, si de facto censura hæc feratur pro mortali peccato quocumque, post sufficientem monitionem, illud sufficiat ut incurratur excommunicatio. In priori ergo sensu dicendum est, non quodlibet peccatum mortale sufficere ad hanc censuram ferendam; id enim docent multa jura et Concilia usque ad Trident., quæ in dicta sect. 3 allegavi. Et ratio est, quia censura hæc est gravissima pœna, et innumera affert incommoda, ut visum est, et magis ad curandum, quam ad vindicandum ordinatur, et sæpe non minus ad bonum aliorum, quam ejus qui excommunicatur. At vero sunt multa peccata mortalia, quæ neque indigent hac medicina, neque habent proportionem cum tam acerba, et periculosa pœna, possuntque aliis modis facilioribus et securioribus sufficienter vindicari, quæque aliis non nocent, ut propter bonum illorum, vel corporis, sit necessaria unius membri abscissio; ergo imprudenter, et injuste faciet judex, qui ob hujusmodi peccatum hanc censuram tulerit.

32. *Resolvitur quæstio in alio sensu.* — Nihilominus quoad posteriorem sensum addendum est, quodlibet peccatum mortale, ex contumacia Ecclesiæ factum, esse in rigore sufficientem materiam excommunicationis, id est, ut, si lata sit, incurratur. Hanc partem tratavi late, dicta disp. 4, sect. 5. Nunc breviter declaratur, quia licet verum sit, teneri judicem ex officio ad discernendum inter peccata mortalia, ut hanc sententiam ferat, difficillimum tamen est, ac impossibile generaliter judicare, quod peccatum mortale ad hoc sufficiat, quod vero non; multoque gravius ac periculosius esset hoc judicium ipsis subditis committere; ergo, cum quodcumque peccatum mortale in se sit satis grave, quoties judex interponit suum judicium, et prohibet illud sub hac censura, ejus sententiæ standum est, nec potest cum aliquo fundamento talis sententia existimari nulla; ergo habebit effectum in transgressore. Neque in hoc incurrit nova difficultas. Insurgebant tamen statim hic duæ practicæ quæstiones graves de excommunicationibus, quæ ferri solent ex causis temporalibus, ut ad revelanda crimina, scripturas, vel alia similia secreta, vel ad temporalia bona restituenda. Sed quia spectant ad particulares excommunicationes, ne hoc loco doctrinam generalem confundam, de his quæstionibus specialem disputationem infra instituam.

SECTIO IV.

Quæ forma servanda sit in excommunicatione ferenda.

1. *In forma excommmnicationis tria possunt considerari.* — Hæc est veluti ultima causa hujus censuræ, de qua in communi multa diximus disput. 3. Et ex ibi dictis sumimus, in hac forma aliquid considerari posse ut antecedens excommunicationem, aliquid ut consequens, aliquid vero ut concomitans, seu ut actu existens in ipsa forma. Quod antecedit, est admonitio; quam insinuamus sectione præcedenti, satisque explicuimus citato loco. Quod subsequitur est denunciatio excommunicationis jam latæ, seu incursæ, quam late etiam declaravimus dicta disputatione tertia, et ideo de his duobus nihil hic amplius dicam. Quod ergo spectat ad tertium membrum est ritus ipse ferendi excommunicationem. In quo distingui potest aliquid ad substantiam pertinens, et aliquid ad solemnitatem accidentalem; et utrumque facile potest ex dictis supra de censura declarari.

2. *Quæ forma requiratur in censura a jure.* — Est enim supponendum, quod sæpe dictum est, excommunicationem ferri posse a jure et ab homine. Quando ergo fertur a jure, illa tantum forma requiritur in ea ferenda, quæ in constituenda lege, quæ sufficienter

declaret pœnam per eam imponi ipso facto incurrendam. Unde illa solemnitas, vel conditio, quæ fuerit de substantia legis, erit etiam de substantia talis formæ ferendi excommunicationem; quæ vero ad valorem legis fuerit accidentaria, similiter etiam erit ad valorem censuræ. Quibus autem verbis sufficienter explicet lex ipsammet per se ipsam censuram efficere, et non tantum imponendam comminari, superiori loco late traditum est, et omnes verborum formulæ explicatæ; quæ omnia ad excommunicationem applicanda sunt. Rursus, quæ verba sufficiant, ut sermo legis intelligatur esse de majori excommunicatione, constat etiam ex superius dictis; nam sive lex utatur verbo anathematis, sive verbo excommunicationis absolute, intelligitur ferre excommunicationem majorem, præsertim post capitulum penultimum de Sententia excommunicationis, et communem jamque receptum verborum usum; nam antiquiora jura aliter sæpe interpretanda sunt, ut in superioribus dixi, quod partim ex materia, partim ex aliis juribus dijudicandum est.

De forma substantiali excommunicationis ab homine.

3. *Regula generalis.* — Quando vero excommunicatio fertur ab homine, ex parte formæ solum est substantiale, quod illis verbis proferatur, quæ satis significent talem censuram vere, et actualiter imponi. Hæc autem verba non sunt determinata ex aliquo præcepto Ecclesiæ, ut etiam de censura in communi diximus, sed eam tantum determinationem habent, quæ ex natura rei sequitur, nimirum ut judex sufficientibus verbis declaret pœnam, quam imponit. Erunt autem illa clarissima, et extra omnem ambiguitatem, si dicat : *Excommunico illum majori excommunicatione,* ut per se constat. Sufficient autem, etiamsi solum dicat : *Excommunico illum,* juxta dictum caput penult. de Sent. excomm. Idemque erit, quamvis aliqua circumlocutione utatur, ut, *Innodamus illum vinculo excommunicationis,* aut, *Mucrone excommunicationis percutimus,* aut aliis similibus, quibus jura uti solent. Potest enim pro regula generali haberi, quæ verba in lege sufficiunt ad explicandam censuram excommunicationis majoris, sufficere etiam in sententia ab homine lata, quia sententia ipsa est veluti quædam particularis lex. Unde etiam erit sufficiens forma, si censura hæc per effectum, vel adæquatum, vel proprium explicetur, ut si judex dicat : *Privamus aut separamus Petrum a participatione sacramentorum et communione fidelium,* vel simpliciter *a communione fidelium*, vel, *eum ab Ecclesia præscindimus;* nam, cum hæc sint propria excommunicationis majoris, et virtute contineant totam rationem ejus, sine dubio sufficienter declarant substantialem formam hujus censuræ.

4. *De forma, Denuncio te excommunicatum, an sit sufficiens. — Opinio negans. — Opinio affirmans.* — Dubitari autem solet de nonnullis formis; primo de hac, *Denuncio te excommunicatum.* Eam enim ut insufficientem rejiciunt Sylvester, Angelus, Armilla, et alii Summistæ, et D. Antoninus, 3 part., tit. 24, cap. 74, quia denunciatio supponit excommunicationem latam, non fert, ut sumitur ex cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat.; sed illa verba solam denunciationem indicant; ergo non sufficiunt ad excommunicandum; imo in rigore videntur falsa, quia denunciant excommunicatum eum, qui non est. Sed contra; nam licet id sit verum de denunciatione pura, de qua loquitur cap. Pastoralis, tamen secus esse potest in denunciatione practica, et efficaci ejus quod denunciat. Confirmatur, quia si verba judicis verum sensum admittunt, præsumendum est eum in tali sensu loqui; hic autem sensus congruus est, et necessarius ad veritatem talium verborum; eumque verba admittunt, nam in his actionibus moralibus, quæ practicam efficientiam habent, verba solent in sensu practico accipi. Quod explicatur a simili, nam in jure interdum fertur excommunicatio sub his verbis : *Noveris te excommunicatum,* quæ tamen verba non tam effectionem, quam notificationem quamdam excommunicationis indicant.

5. *Replicatio. — Enodatur. — Dubii resolutio.* — Respondent aliqui, etiam hæc verba non sufficere, si ab homine proferantur, licet a jure sufficiant, quia jus profert sententiam excommunicationis, antequam incurratur. Sed contra hoc est regula supra posita, quod verba, quæ in jure usurpata satis significant effectionem censuræ, satis etiam sunt ab homine prolata, quia eamdem retinent significationem. Et differentia illa nihil ad rem spectare videtur, tum quia etiam homo prius profert sententiam, quam alter excommunicationem incurrat, prius (inquam) vel tem-

pore, si sententia, ut frequentius fieri solet, sub conditione feratur; *si hoc feceris;* vel natura, si feratur absolute; quod satis est, ut possit habere effectum, quem ad suam veritatem requirit; tum etiam quia illa eadem verba a jure prolata, nisi in hoc sensu sumantur, vera esse non possunt. Item omnes dicunt has formas, a Summo Pontifice usurpatas, esse sufficientes et efficaces; ergo signum est prædicta verba illum sensum pati. Nulla vero est ratio, cur prolata ab inferioribus judicibus eumdem non admittant. Tandem auctores alterius sententiæ illam limitant dicentes, si constiterit sufficienter de voluntate judicis excommunicare volentis, tunc excommunicationem esse validam; ergo signum est talia verba admittere prædictum sensum, et significationem; nam de voluntate judicis non satis est, quod alia via constet, sed per ipsa verba sententiæ exprimi debet. Quapropter dicendum censeo verba illa, etsi ex propriissima et primæva impositione non videantur sufficere ad excommunicationem ferendam, quia non significant effectionem, nihilominus ex circumstantiis adjunctis accidere posse, ut judex per ea satis explicet suam voluntatem. Et tunc revera sufficient, cum censura hæc non requirat determinatam formam verborum, sed solum sufficientem significationem exteriorem interioris voluntatis. Idemque dicendum est de omnibus similibus formulis loquendi ambiguis, vel generalioribus; oportet enim, ut determinentur ad explicandam hanc speciem censuræ, ut hæc, *Maledictionem Dei incurrat,* aut, *Censuram Ecclesiasticam,* et similes; nam per se non sufficiuut, nisi ex adjunctis determinentur. Cavere autem debent judices, ne hujusmodi ambiguis verbis utantur, quia in re adeo gravi imprudentissimum, et periculosum est; præsertim quia in materia pœnali, si verba sunt dubia, in mitiori sensu interpretanda sunt.

6. *An verba: Nullus cum Petro communicet, sufficiant ad excommunicationem inducendam. — Prima opinio. — Rejicitur.* — Non possumus autem omittere speciale dubium de his verbis : *Nullus cum Petro communicet,* an sufficiant ad excommunicationem inducendam. Quidam respondent sufficere ad excommunicationem minorem, non vero ad majorem, quia ex vi illorum verborum, licet aliquis privetur communione hominum, non tamen sacramentorum; excommunicatio autem major utramque privationem inducit; ergo illa verba vi sua non inducunt excommunicationem majorem. Inducent autem minorem, quia privant aliqua communicatione; quod sufficit ad minorem saltem excommunicationem. Et hoc sensu videtur usurpari illa forma in cap. Episcopi, 11, quæst. 3, in illis verbis : *Communio illis usque ad tempus Synodi a reliquis Episcopis denegetur.* Hæc vero sententia mihi displicet, tum quia sentio nullam dari excommunicationem minorem, quæ privet fidelium communicatione, ut sumitur ex cap. penult. de Sent. excomm., et infra in propria materia latius dicam. Tum etiam, quia qui privatur communicatione fidelium, privatur suffragiis Ecclesiæ, quod non fit nisi per excommunicationem majorem; privatur item communione sacramentorum, quia hæc non fit sine aliqua communicatione hominum. Nam, quod fingi possit casus, in quo sacerdos possit se ipsum communicare sine communicatione cum aliquo fideli, id valde accidentarium est, et adeo rarum ut in considerationem moralem non veniat; nam sacerdos aut nunquam, aut rarissime se ipsum communicat extra sacrificium; in sacrificio autem semper intervenit aliqua hominum communicatio. Quare id non impedit, quin interdicta hominum communicatione, interdicta intelligatur sacramentorum participatio, propter connexionem moraliter necessariam.

7. *Secunda opinio. — Decius.* — Propter quæ alii dixerunt per illa verba sufficienter explicari majorem excommunicationem; quod tenet Decius in cap. 1 de Judiciis. Et patet ex dictis, quia hæc censura sufficienter explicatur et fertur per effectus proprios; sed per illa verba declarantur sufficienter effectus excommunicationis majoris : ergo. Unde illa forma excommunicandi videtur esse in jure usitata, ut cap. 1 de Judiciis : *Placuit ut nullus eidem communicet, donec satisfactione præmissa fuerit absolutus.* Verum est, illa posteriora verba explicare, et complere significationem priorum. Item in cap. Si diligenti, de Foro competenti, dicitur : *A communione habeantur extranei,* quæ etiam verba generaliora sunt. Citatur etiam cap. 2 de Statu monachorum, propter verbum illud : *A communione removeantur altaris,* quod nihil ad rem facit, ut per se patet.

8. *Quædam objecta contra secundam sententiam.* — Ab hac sententia discedunt Abbas et multi alii, in dict. cap. 1 de Judiciis, et nonnulla objiciunt, quæ mihi difficultatem non faciunt. Illud solum videtur difficile in dicta

sententia, quod ex vi illorum verborum non prohibetur alicui, ut se separet a communione aliorum, sed solum aliis præcipitur, ut ipsi non communicent; hoc autem non satis est ad censuram inferendam, quia hæc debet quasi inesse ei in quem fertur, et per se primo in illo ponere prohibitionem; ergo illa verba per se non sufficiunt ad imprimendam censuram, sed solum imponunt aliis quoddam præceptum. Sicut etiam prohibetur interdum fidelibus, ne communicent cum infidelibus non baptizatis, quamvis illos non excommunicet Ecclesia, nec possit. Sæpe etiam præcipitur alicui, ut abstineat a societate, vel amicitia alterius, quamvis alteri directe ac per se nulla prohibitio imponatur.

9. *Dubium resolvitur.* — Hæ vero rationes probant quidem, illa verba, per se ac nude sumpta, neque apta esse ad excommunicandum aliquem, neque in omni rigore et proprietate hunc effectum satis indicare; nihilominus tamen, si considerentur ut sunt in usu Ecclesiæ, et cum circumstantiis quibus proferri solent, videntur practice sufficere ad dictum effectum. Nam in primis supponitur aliis fidelibus non prohiberi communicationem cum alio fideli solum propter ipsos, ut vitent aliquod periculum, ut fit in exemplis adductis, sed præcipue propter alium, ut puniatur, quod facile constabit ex eo, quod in quæstione supponitur, scilicet hæc verba proferri per modum sententiæ punientis talem personam. Deinde nunquam consuevit Ecclesia prohibere fidelibus generaliter communicationem unius cum alio, nisi eamdem multo magis illi prohibendo, et quasi indignum constituendo aut declarando ad talem communicationem; prohibet ergo communicationem quasi correlationem quamdam ex parte utriusque extremi. Unde, licet utrumque non exprimat, in uno aliud subintelligit. Sicut cum Christus dixit Matth. 18 : *Sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*, aliis videtur directe interdicere communicationem; indicat tamen conditionem seu rationem ex parte alterius. Ita ergo intelligendum est in prædictis verbis. Quare practice loquendo, vix potest esse dubium de his verbis, præsertim, cum semper aliqua alia adjungantur, quæ dubitationem excludunt; quod, ut diximus, semper debent judices præ oculis habere.

De accidentali forma excommunicationis ab homine.

10. Præter hæc, quæ ad substantiam hujus formæ pertinent, aliquæ solemnitates ex instituto Ecclesiæ requiruntur, quæ ad valorem censuræ necessariæ non sunt; et ideo non dicuntur esse de substantia, sed ad accidentalem solemnitatem pertinere. Hæ autem circumstantiæ quædam sunt pertinentes ad communem rationem censuræ seu sententiæ per quam censura fertur, quæ saltem sunt de præcepto; et ita præscribuntur in cap. 1 de Sentent. excomm., in 6, et a nobis superius expositæ sunt disp. 3, sect. 13. Et illæ omnes sine dubio maxime requiruntur in hac censura excommunicationis, ut ex prædicto textu constat, et quia omnes rationes illius institutionis in hac sententia maxime locum habent. Aliæ vero cæremoniæ specialiter adjungi solent in præsenti, quæ nec de substantia sunt, nec de præcepto, sed ad terrorem, et ad significandum miserum statum excommunicati, addi consueverunt juxta cap. Debent, 11, quæst. 3, ubi dicitur in hujusmodi sententia ferenda duodecim sacerdotes Episcopum circumstare, lucernas ardentes in manibus tenere, easque in conclusione excommunicationis projicere in terram, et conculcare pedibus. Et solet etiam tunc campana pulsari, quamvis in illo textu hæc solemnitas taceatur. Refertque Glossa, in cap. 2 de Re judicata, in 6, cum Summus Pontifex per se ipsum excommunicat aliquem, hanc solemnitatem servare adhibitis duodecim Episcopis, etc., et insinuatur in c. Guillisarius, 23, quæst. 4, ibi : *Cum Episcopis quos congregare potuit*, etc. Alii vero Prælati inferiores Episcopis non solent, vel debent hac solemnitate uti, ut notavit Glossa, in c. Cum in cunctis, § Inferiora, de Elect.; et D. Bonavent., in 4, d. 18, art. 1, quæst. 3, ad penult. Et sumitur ex dict. c. Debent, ubi dicitur : *Duodecim sacerdotes Episcopum circumstare debent*, etc. Et ratio est, quia hujusmodi solemnitas non frequenter, sed raro, et in gravissimis causis adhibenda est. Et ideo soli principes Ecclesiæ illa utuntur, ad quos hujusmodi gravissimæ causæ spectant. Et probabile est, tunc maxime excommunicationem anathematis nomine appellatam olim fuisse, quando cum hac solemnitate fiebat. Quanquam sæpe soleat vox *anathema*, pro quacumque excommunicatione majori sumi, ut latius tractat Navarrus in Extravag. *Ab ipso*, seu com-

ment. de Datis et acceptis, 4 et 5 notab., num. 10. Jam vero fere illa solemnitas non est in usu; quanquam soleat in solemni promulgatione, seu denunciatione sententiæ excommunicationis aliquis Ecclesiæ minister accensam lucernam manu tenere, et in fine extinguere, ac tintinnabulum pulsare, quod non solum in sententiis Episcoporum, sed quorumcumque Prælatorum fieri potest, et solet. In qua re, sicut in aliis hujusmodi, consuetudo uniuscujusque Ecclesiæ servanda est. Et plura de hac re legi possunt apud modernos auctores, præsertim Felicianum in Enchirid. de Censur., c. 28.

DISPUTATIO XIX.

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE.

Explicato excommunicationis majoris vinculo in communi, priusquam ad particularia descendamus, necesse est dicere de modo dissolvendi tale vinculum, ut ita communis hæc doctrina perfecta, et absoluta sit, sicut tractando de Censuris, disp. 7 et ult. fecimus. Ex qua fere omnia, quæ hic prolixe tractari solent, petenda sunt. Et ideo brevius hoc loco materiam hanc expediemus, insinuando quomodo ibi dicta hic applicanda sint, et si quid ultra proprium fuerit addendo.

SECTIO I.

Utrum excommunicatio per solam absolutionem possit auferri.

1. *De qua excommunicatione sit sermo.* — Supponimus primo sermonem esse de excommunicatione valida re ipsa, et non sola existimatione; nam si excommunicatio sit nulla, licet vera reputetur, per solam declarationem nullitatis ejus auferetur, vel potius nunquam fuisse intelligetur. Quod autem excommunicatio fuerit injusta, si valida fuit, non obstat, quominus sub hanc disputationem cadat; potest enim etiam illa esse materia, ut sic dicam, absolutionis; nam, cum vere insit (hoc enim est esse validam), ut in posterum non insit, per absolutionem tollenda erit.

2. *Excommunicatio semper potest auferri.* — *Quo sensu excommunicatio perpetua dicatur.* — Secundo supponendum est excommunicationem semper auferri posse; non est enim perpetua, quandoquidem ob contumaciam fertur, et ablata contumacia, illa etiam auferenda est, secundum jura in c. Qua fronte, de Appell., et c. Ex litteris, de Constitut. Propter quod non solum perpetua esse non potest excommunicatio, verum etiam neque ad certum tempus definita ferri, ut scilicet in eo omnino duret; nam hoc repugnaret dictis juribus; quando enim pœna sic fertur, quidquid reus faciat, non liberatur, neque jure ordinario liberandus est a tali pœna; at vero excommunicatus quocumque tempore satisfactionem exhibeat, absolvendus est, juxta prædicta jura; neque potest impediri, aut interdici, quominus, quam primum possit, aut velit, satisfactionem exhibeat, ut per se notum est; si ergo non potest excommunicatio pro certo tempore ferri, multo minus perpetuo; ergo, quoties infertur, auferri potest, quantum est ex se. Solent autem aliqui interdum excommunicationem *perpetuam censuram* vocare; quod tamen permissive, et sub conditione, non positive et absolute intelligendum est; potest enim illa censura esse perpetua, si excommunicatus in sua voluntate perpetuo sit pertinax, adeo ut etiam post mortem quodammodo durare possit, juxta superius dicta; non est tamen perpetua ex intentione, aut ex præscripto legis; sicut medicina non applicatur, ut perpetuus sit ejus usus, sed ut, recuperata sanitate, cesset.

Excommunicatio non aufertur eo ipso quod excommunicatus a contumacia recedit.

3. Tertio suppono excommunicationem non auferri ipso jure seu facto ob mutationem solam seu operationem quamcumque ipsius excommunicati. Quæ assertio, licet non ab omnibus recipiatur, mihi tamen videtur pro materiæ capacitate certa, et in jure expresse contenta. Nam, si quæ esset conditio aut opus requisitum ex parte ipsius excommunicati, quo posito statim ipso jure auferretur excommunicatio, maxime esset recessus a contumacia, et condigna satisfactio, quæ ab excommunicato exigi potest; sed hoc totum non sufficit, ut excommunicatio ipso facto tollatur; ergo nunquam potest ipso jure tolli. Major communis est absque dissensione; et est per se evidens, nam excommunicatio non fertur usque ad præfixum tempus, ut per lapsum temporis possit ipso jure cessare, nec fertur sub aliqua alia conditione, ut ea expleta cessare existimetur, sed fertur, ut a contumacia discedatur, juxta illud : *Tradidi illum hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fiat;* et ideo vel virtute, vel ex-

presse continet hanc determinationem, seu conditionem, *donec satisfacias,* vel, *nisi resipiscas;* si ergo aliqua est conditio, vel operatio, qua posita, videri posset excommunicatio ipso jure cessare, maxime est hæc proxime dicta. Jam vero probatur minor ex c. A nobis, 2, de Sent. excom., ubi si quis excommunicatus moriatur ante absolutionem, quantumvis per veram pœnitentiam convertatur, et satisfactionem sufficientem vel faciat, vel promittat, adhibita sufficiente cautione, non propterea apud Ecclesiam existimatur simpliciter liber a vinculo excommunicationis. Item ex juribus supra citatis, et aliis similibus, in quibus absolvendus dicitur, qui vel satisfecit, vel illud opus implevit, ob quod, exigendum ab illo, excommunicatus est, et ante absolutionem non esse illi communicandum, c. Quod in dubiis, c. Cum desideres, c. Sicut nobis, de Sent. excom., Clem. 1 de Decimis, ubi Glossa, et Doctores. Et hanc esse communem sententiam refert Covarr., c. Alma, p. 1, § 11, num. 5.

4. *An excommunicatus sub ea conditione, donec satisfacias, impleta conditione eo ipso sit absolutus. — Alciatis opinio.* — Nihilominus contra hanc sententiam opinatur ibidem Covarruvias, in eo casu, in quo aliquis excommunicatur sub ea conditione, *donec satisfacias,* vel, *donec restituas,* secutus Alciatum, in cap. 1 de Elect., in 6, notab. 5. Quorum fundamentum præcipuum est, quia omnis lex vel prohibitio posita quamdiu talis conditio duraverit, cessante illa conditione, ipso jure cessat; sed excommunicatio lata sub illa forma habet vim prohibitionis conditionatæ prædicto modo; ergo cessante conditione cessat. Confirmatur primo, quia pœna sic imposita similis seu proportionalis est illi, quæ ponitur usque ad præfixum terminum; nam parum refert, quod talis terminus præfigatur per certi temporis limitem, aut per aliud conditionis genus; sed pœna, quæ imponitur ad tempus determinatum, cessat adveniente termino illius temporis; ergo similiter, etc. Confirmatur secundo, nam ob similes rationes suspensio sub illa forma lata, ut communiter censetur, impleta conditione per se tollitur; et idem multi censent de interdicto.

5. *Refellitur prædicta opinio et sententia negans probatur. — Excommunicatio sub duplici conditione ferri potest.* — Sed nihilominus hæc sententia probanda non est, ut generatim supra probavi, disp. 7. Et in primis non video, cur dicti auctores distinguant de excommunicatione lata simpliciter, vel sub ea conditione, *donec restituas,* etc. Nam, etsi illa conditio expresse non ponatur, æquivalens semper includitur, ut declaratum est ex eo quod excommunicatio tollenda est, cum primum a contumacia receditur; conditio autem virtute inclusa idem operatur, quod expresse addita. Vel igitur dicti auctores de omni excommunicatione id dicere debent, quod tamen est contra expressa jura superius adducta, vel non possunt id probabiliter, et cum fundamento dicere de aliqua excommunicatione. Est ergo advertendum excommunicationem ferri posse sub conditione, v. gr., *nisi intra talem terminum satisfeceris,* vel *restitueris;* et rursus sub illa, *excommunicatus sis, donec satisfacias,* vel *restituas.* Quando fertur priori modo, si conditio expleatur ante elapsum terminum, clarum est non esse necessariam absolutionem, quia excommunicatio nunquam contracta fuit, et ita dici potest per sese ablata, vel potius impedita ex defectu non impletæ conditionis, vel contumaciæ non habitæ, sub qua, seu pro qua lata fuerat. Quando vero fertur posteriori modo, et supponitur re vera contracta excommunicatio, tunc dicimus per se non cessare ob satisfactionem vel restitutionem factam, aut aliam similem conditionem impletam, quia sensus illius conditionis non est, ut excommunicatio ita duret usque ad illam conditionem expletam, ut tunc statim per se tollatur, sed ita ut ante illam conditionem impletam non tollatur, postea vero tolli debeat, non vero ipso facto, sed per absolutionem. Quod enim hoc sensu institui, et ferri potuerit, per se notum videtur. Sicut si diceremus peccata in Ecclesia non remitti, donec aliquis confiteatur, non est sensus facta confessione per sese tolli peccatum, sed per absolutionem sacerdotis, quæ dari non potest ante illam conditionem impletam. Ita ergo similis locutio de excommunicatione intelligenda est. Nam quod hæc sit intentio cujuscumque legis, vel sententiæ, in qua excommunicatio sub illa forma feratur, facile intelligi potest ex institutione talis censuræ, seu ex aliis juribus, quæ satis declarant excommunicationem sub tali ratione esse ab Ecclesia institutam, ut per solam operationem ejus, qui excommunicatus est, non auferatur.

6. *Satisfit fundamentis prioris sententiæ.* — Ex his ergo satis responsum est ad fundamentum oppositæ sententiæ; solum enim pro-

cedebat ex falsa intelligentia prædictæ conditionis, et ex eodem principio procedit prima confirmatio, et ideo neganda est similitudo, nisi terminus durationis, aut temporis in eodem sensu apponatur, scilicet, ut ante illum non auferatur pœna, illo autem expleto auferatur, non per se, sed per auctoritatem superioris. Hic autem sensus (et in hoc est discrimen) generatim loquendo, non cadit in eam, quæ est pure pœna ob delictum commissum, quando illa pro limitato tempore fertur, nam si aliter specialiter non explicetur, tanta, et non major pœna imponitur; et ideo illa expleta per se cessat. Quod secus est in excommunicatione, quæ pœna medicinalis est; et ideo in illa non tam spectatur quantitas durationis, quam modus subjectionis ad Ecclesiam; ideoque ita instituta est, ut semper inhæreat, donec per ipsam Ecclesiam auferatur. Quare certus illi non præfigitur temporis terminus, adeo ut conditio illa, *donec satisfaciat,* vel, *restituat,* etc., non sit ita necessaria, quin si per superiorem antea excommunicatio tollatur, re vera ablata non sit. Quid vero de suspensione, et interdicto in simili puncto dicendum sit, quod in secunda confirmatione illius sententiæ attingebatur, infra suis locis videbimus.

Excommunicationem per solam absolutionem tolli.

7. Quarto ex dictis concluditur propositæ quæstionis responsio, nimirum excommunicationem et per absolutionem tolli posse, et per solam illam. Hæc assertio, juxta supra dicta, disp. 7, sect. 1, potest intelligi vel de absolutione in genere, abstrahendo de absolutione a jure, et ab homine; et sic est per se nota, ut ex dicendis patebit; vel potest intelligi de absolutione ab homine; et sic etiam est vera, loquendo de ordinario jure. Quam docent Theologi, in 4, d. 18; et Summistæ, verb. *Excommunicatio,* et verb. *Absolutio;* et Canonistæ, super jura citata in puncto præcedenti, et specialiter Abbas, in cap. ult. de Matrimonio contracto contra interdictum Eccles., et in c. 1 de Judiciis, ubi etiam Felinus, qui alios refert. Et utraque pars probatur facile ex dictis, quia excommunicatio auferri potest; et non per solam actionem ipsius excommunicati, ut probatum est; ergo per actionem alterius habentis potestatem ad tollendam illam; consecutio tenet a sufficienti divisione. Præsertim quia excommunicatio non aufertur per accidens ad ablationem alterius, cum ostensum sit nullam esse aliam conditionem, aut quasi extrinsecum terminum, a quo pendeat; et de ipso etiam subjecto sit dictum, præter communem naturam accidentis hoc quodammodo in ea inveniri, ut, destructo subjecto, non omnino statim destruatur, vel quia manent corpus et anima, circa quæ (etiamsi disjuncta sint) potest aliquo modo observari, vel potius quia manent alii fideles viventes, qui servare possunt talem censuram, et ad hoc obligantur, quamdiu alter, qui excommunicatus erat, non absolvitur.

8. Quod autem hæc actio, per quam ab alio est excommunicatio tollenda, sit absolutio, constat ex forma, qua Ecclesia utitur ad hanc censuram tollendam, quæ est : *Absolvo te a tali vinculo*, etc., ut videbimus. Constat item ex communi modo loquendi canonum et auctorum, nam sub nomine absolutionis de hac actione loquuntur. Constat præterea ex materia circa quam, seu objecto hujus actionis, quod est ipsamet excommunicatio, quæ est spirituale quoddam vinculum, quo ligatur is, qui excommunicatus est; et ab illo liberatur per illam actionem. Merito ergo absolutio dicitur, et est quasi talis vinculi solutio, juxta Christi Domini verba : *Quodcumque ligaveritis*, et, *quodcumque solveritis*. Denique explicatur in hunc modum, quia illa actio vel est dispensatio, vel absolutio; quid enim aliud esse potest moralis actio, quæ vinculum seu obligationem tollit? Non potest autem proprie dici dispensatio, quia dispensatio vel supponit generalem obligationem, et solum in aliquo particulari illam tollit, vel est quasi exceptio a generali aliqua lege, aut si per eam tollatur aliqua inhabilitas, illa talis est, ut arbitrio superioris tollatur per solam extrinsecam concessionem. At vero hæc actio, per quam censura tollitur, non est exemptio aliqua a communi lege, neque est veluti licentia aliqua, aut facultas extraordinarie concessa ex principis seu superioris voluntate, sed est liberatio ab Ecclesiastico vinculo, quo talis persona in particulari ligatur; fitque, vel saltem fieri postulat, non præter, sed secundum legem, nec solum ex voluntate concedentis, sed secundum dispositionem, et statum ejus, cui conceditur, cui propterea est quodammodo debita, et ideo non per modum dispensationis, sed per modum sententiæ datur; sententiæ (inquam) liberantis aliquem a tali vinculo; ergo propriissime absolutio

dicitur. Igitur excommunicatio per absolutionem, et non alio modo tollitur.

9. *Pontifex de absoluta potestate alio modo quam per absolutionem potest excommunicationem tollere.* — Dixi, *loquendo de ordinario jure,* quia Pontifex Summus de absoluta potestate, si velit, potest ita aliquem excommunicare, donec talem vel talem conditionem impleat, ut, ea impleta, ipso jure liber ab excommunicatione maneat. Si enim hoc in ipsa sententia aut lege satis declaret, habebit effectum, cum totum hoc jus ex ejus voluntate pendeat. Item alio modo posset hoc facere Pontifex, revocando legem, ex vi cujus aliquis excommunicationem incurreret; nam si ita illam revocet, ut velit pro infecta haberi, hoc ipso tolletur excommunicatio, neque erit necessaria alia absolutio, ut expresse docet Glossa, in Clem. unica de Immunit. Eccles., verb. *Pro infectis,* quam ibi alii interpretes sequuntur, et Abbas, in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, num. 22; Felinus, Decius, et alii, in c. 1 de Judiciis; et Sylvest., verb. *Absolutio,* n. 8. Ratio est, quia Summus Pontifex est supra jus positivum, et ideo potest ipso jure vel sententia absolutionem ferre sub conditione in futurum pendente, qua expleta transibit in absolutam et habebit suum effectum, neque erit alia necessaria. Et similiter in altero casu, tollendo legem priorem potest generaliter revocare quidquid ex vi illius effectum est, et consequenter ipso jure revocat et tollit excommunicationem, quæ virtute prioris legis facta erat. Oportet tamen, ut hic modus revocationis prioris legis sufficienter in posteriori lege exprimatur; nam sola ablatio prioris legis non satis est, ut excommunicatio ex vi legis incursa ablata censeatur, ut per se manifestum est, quia effectus factus a lege non ita pendet ab ea, ut illa ablata auferatur; quia tamen Pontifex habet potestatem non solum auferendi legem, sed etiam omnes effectus morales, qui virtute ejus facti fuerant, quorum unus solet esse excommunicatio, ideo, si talis revocatio fiat, illa includit absolutionem a priori excommunicatione; talis fuisse videtur in dicta Clementina unica in illis verbis : *Constitutionem et declarationem, seu declarationes prædictas, et quidquid ex eis secutum est, vel ob eas, penitus revocamus et eas haberi volumus pro infectis.*

10. *Inferiores Prælati solum per absolutionem possunt licite excommunicationem tollere. Si autem alio modo tollatur, factum tenet.* — Aliis vero inferioribus Prælatis licitum non est his modis uti ad censuras tollendas, quia tenentur jus commune et modum in illo præscriptum servare; unde si in suis sententiis ferendis et revocandis, velint illis modis uti, male facient; tamen dubitari potest, an factum teneat. De quo possent aliqua in utramque partem objici, mihi tamen videtur factum tenere. Quia licet forma absolvendi a censura sit in jure præscripta, non tamen sub ea necessitate, ut aliter facta non teneat, ut mox videbimus; ergo ex vi illius formæ non fit irritum factum illud. Neque etiam assignari potest aliud speciale jus, per quod irritum fiat; nam alia jura, quæ dicunt excommunicatum semper manere excommunicatum, donec absolvatur, quantumvis resipiscat, non sunt contraria, quia in prædictis casibus aliqua absolutio, quamvis extraordinario modo, conceditur; quæ absolutio per jura illa non irritatur.

SECTIO II.

De causis ad absolutionem ab excommunicatione necessariis.

1. De effectibus hujus absolutionis nihil dicere necesse est, quia sicut privatio per habitum cognoscitur, ita cognita excommunicatione et effectibus ejus satis constat, quid hæc absolutio operetur. Nam effectus adæquatus et quasi formalis ejus est excommunicationem auferre, et consequenter omnes etiam effectus excommunicationis revocare, nimirum ut a tempore ipsius absolutionis jam locum non habeant; nam qui præcesserunt, non revocantur aut quasi restituuntur propter solam absolutionem subsequentem, quia fuerunt justæ pœnæ executioni mandatæ, quæ perpetuæ manent, ut in superioribus locis suis annotavimus.

2. *Quis ab excommunicatione juris non reservata possit absolvere.* — Omissis ergo effectibus, de causis longa nobis futura esset disputatio, nisi in disp. 7, sect. 2, et sequentibus, fere tradita esset, et ideo breviter per singulas causas discurremus. Quod ergo attinet ad efficientem causam, distinguendum est de excommunicatione lata a jure, vel ab homine. Item de reservata, vel non reservata. Nam ab excommunicatione lata et non reservata a jure, absolvere potest quilibet ordinarius pastor, seu sacerdos proprius, vel qui, ex commissione proprii, confessoris munus sustinere potest, juxta cap. Nuper, de Sentent. excom., et quæ circa illud notavimus dicto

loco. Potest tamen quispiam nobis objicere ex dictis disputatione præcedente, proprium sacerdotem inferiorem non habere potestatem absolvendi, nam juxta principia juris, nemo, qui condemnare non potest, absolvere potest, ut dicitur in regul. 28, ff. de Reg. juris. Dicendum vero est, id verum esse de eo, qui per potestatem quasi intrinsecam et ordinariam absolvere potest; ex commissione vero superioris interdum posse absolvere, qui non potest condemnare, atque ita contingere in præsenti ex vi illius cap. Nuper. Et ideo hæc potestas inferioris non extenditur ad excommunicationem a legislatore reservatam, quia per reservationem declaratur ei non concedi potestatem a superiori, sed potius tolli, ex eodem c. Nuper. Hic vero statim sese offerebat quæstio, an talis potestas existens in parocho dicenda sit ordinaria vel delegata; eam vero in prædicto loco satis explicatam reliquimus.

Quis possit ab excommunicatione ab homine lata absolvere.

3. De excommunicatione autem lata ab homine dicendum est, eum, a quo lata est, posse eam tollere, nisi superior eam sibi reservet, qui potest semper non solum ab eadem absolvere, sed etiam sibi reservare, inferior vero id non potest, nisi ex privilegio, vel alio speciali modo ei committatur. Tota hæc assertio late etiam tractata est in citato loco. Et prima quidem pars constat ex illo principio, quod potestas absolvendi conjuncta est cum potestate ligandi, ut ex verbis Christi ponderavit Ambrosius, lib. 2 de Cain et Abel, c. 4, relatus in cap. Verbum, de Pœnit, dist. 1. Quod maxime intelligitur per se loquendo et de potestate ordinaria, quæ primario ad absolvendum datur potius quam ad ligandum; per commissionem autem vel ordinationem superioris potest interdum quis habere potestatem ligandi et non solvendi, sed hæc est exceptio a generali regula et raro contingit, ut statim dicam.

4. *Superior potest ab excommunicatione inferioris absolvere. — Imo eamdem multis modis sibi reservare. — Primus. — Secundus.* — Altera vero pars, nimirum quod superior possit etiam ab hac excommunicatione absolvere, constat, quia habet superiorem jurisdictionem, et est veluti universalior causa, quæ per se potest quidquid potest particularis. Quis autem nomine superioris intelligendus sit, et quem modum jurisdictionis habere debeat, citato loco late declaravi. Ex hoc autem principio oritur aliquando, ut superior sibi reservet absolutionem ab excommunicatione ab inferiore lata. Quod dupliciter contingere potest. Primo, quando superior in particulari ex certa scientia confirmat sententiam et excommunicationem latam ab inferiori, quod specialiter de S. Pontifice affirmant Joan. Andr., et alii Canonistæ, in c. Ex frequentibus, de Institut., quos refert et sequitur Navarr., in Summ., cap. 27, n. 40, et in citato loco nos idem diximus. Nunc vero addimus idem proportionaliter habere locum in aliis superioribus habentibus sufficientem jurisdictionem ad ferendam sententiam et censuram in tali causa; nam hoc ipso quod ex certa scientia confirmat superior sententiam ab inferiori latam, eam facit suam, et ideo nullus inferior potest illam tollere. Secundo hoc potest accidere, si generali lege statuat superior, ut excommunicatio lata pro tali delicto, etiamsi ab inferiori lata sit, sibi maneat reservata, nam est eadem ratio; nihil enim refert, quod talis reservatio per generalem legem fiat, aut in singulari facto.

5. *Exemplum secundi modi. — Inferior non potest absolvere ab excommunicatione ab homine a superiore lata.* — Exemplum autem hujus rei vulgare et fortasse etiam singulare est de incendiariis, qui licet non sint ipso jure Pontificio excommunicati, tamen postquam ab Episcopo nominatim excommunicantur, non possunt ab illo absolvi, sed excommunicatio illa S. Pontifice reservata manet, juxta cap. Tua nos, de Sentent. excomm. Quod ita exponunt Cajetan., in Summ., cap. 22, de Excom.; Soto, in 4, dist. 22, quæst. 2, art. 3; Navarr., dict. cap. 27, num. 40. Atque ita satis declarata est tota prior pars propositæ regulæ. Inde vero facile altera deducitur, nam inferior per se non habet jurisdictionem in actum vel sententiam superioris, neque jure communi illi committitur, nam c. Nuper, solum loquitur de excommunicationibus a jure latis, non vero ab homine, neque de his aliud simile jus invenitur; ergo inferior absolvere non potest ab hac excommunicatione sine commissione ab homine facta. Quod autem cum illa possit, etiam est clarum. Nam jurisdictio delegata ad absolvendum sufficit; eam vero delegare potest qui ordinariam habet, sive sit ipsemet qui excommunicationem tulit, sive ejus superior. Quæ omnia constant ex superius dictis, et sumi possunt ex

cap. Pastoralis, de Officio ordinarii, et cap. Sacro, et cap. Per tuas, de Sentent. excom., et ex communi usu et omnium doctrina.

6. *Variæ quæstiones attinguntur.* — Hic vero occurrebant plures quæstiones. Una est, sub qua regula ex prædictis comprehendatur excommunicatio lata ab homine per sententiam generalem, an scilicet reducenda sit ad excommunicationes juris propter generalitatem suam, an vero inter latas ab homine debeat computari, eo quod, cum per eam sententiam jus non condatur, vere ac proprie sit ab homine. Quam quæstionem late disputavi citato loco. Et resolutio fuit posteriorem partem videri veram in rigore juris; priorem autem esse practice probabilem, et communi opinione, et usu receptam. Alia quæstio erat de potestate absolvendi ab excommunicatione, commissa per privilegia aut diplomata Pontificia, quanta sit et quo modo ea sit utendum. Rursus est alia quæstio de potestate absolvendi ab excommunicatione in extrema necessitate, qui scilicet illam habeant et quo modo ea uti debeant. Item quæri potest de conditionibus requisitis ex parte absolventis, videlicet quod sit clericus et jurisdictionem habeat non suspensam, neque impeditam, et quod libere ac voluntarie illa utatur. Sed hæc omnia et similia tractata sunt dict. disput. 7, sect. 1 et 2, nihilque speciale habent in hac censura, et ideo nihil occurrit hoc loco addendum.

7. *De causa materiali remota absolutionis.* — *De causa proxima.* — Occurrebat statim dicendum de materia et fine hujus absolutionis. Sed materia remota seu quasi subjectiva ejus est ipse homo, qui absolvitur. De quo potissima quæstio est, an etiam post mortem absolvi possit. Dicendum vero est ita posse post mortem absolvi, sicut et excommunicari, scilicet potius ex parte aliorum, quam ipsius. De qua re late dictum est supra. An vero ex parte ejus qui absolvitur, requiratur præsentia, consensus, aut aliæ conditiones similes, in dict. sect. 2, disput. 8, in posteriori parte ejus, actum est. Materia vero proxima et circa quam hujus absolutionis est ipsamet excommunicatio, quæ per illam tollitur. Unde hic etiam est finis ejus quasi intrinsecus, scilicet censuram expellere. Quare cum hic finis per se bonus sit et expetibilis, non indiget absolutio alio fine extrinseco, quanquam interdum illum habere possit, ut datur interdum absolutio ad talem vel talem effectum. De qua absolutione quæri posset qualis sit et quomodo ab absolutione simpliciter et absolute concessa differat. Item an hæc absolutio requirat intrinsecum finem justum, vel possit esse valida, etiamsi injusta sit. Verum quæ de censura in communi tractavimus, ad hanc eodem prorsus modo applicanda sunt.

De causa formali absolutionis ab excommunicatione.

8. *Forma substantialis hujus absolutionis.* — Solum ergo circa formam ferendi hanc absolutionem aliquid desiderari potest. In qua possunt quædam considerari ad substantiam, alia ad solemnitatem accidentalem pertinentia. De substantia solum sunt ea verba, quæ proprium effectum hujus absolutionis sufficienter significant, qui est excommunicationem tollere et communicationi fidelium separatum hominem restituere. Unde est commune axioma, hanc formam non postulare verba omnino determinata, sed illa, quæ ad prædictam significationem sufficiant, ut ex Antonin., Richard., et aliis, notavit Covarruv., in cap. Alma mater, 1 part., § 11, n. 7; et Navarr., in comment. de Jubil., notab. 30, num. 9. Solet autem a Doctoribus communiter hæc forma assignari : *Absolvo te a vinculo majoris excommunicationis ob talem causam, et restituo te sacramentis Ecclesiæ et communioni fidelium in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Quæ verba usurpari quidem possunt et acceptari ut congrua, non quod omnia necessaria sint. Nam in primis invocatio illa Trinitatis non est de necessitate, ut per se constat, cum nec de ratione sacramentalis absolutionis sit. Deinde tota illa pars, *et restituo te,* etc., quamvis effectum absolutionis magis explicare videatur, necessaria tamen non est, quia in præsenti, absolvere et restituere non sunt duo; neque enim absolutio aliter restituit hominem ad sacramentorum participationem et communionem fidelium, quam tollendo vinculum, neque alia quasi positiva actio aliquid conferens necessaria est, sed ablato vinculo, homo fidelis per sese habet jus communicandi et participandi sacramenta fidelium. Deinde per se loquendo, necessarium non est, causam, ob quam excommunicatio incursa fuit, in absolutione exprimere, quia illa non per se spectat ad effectum ipsius absolutionis, ut de censura etiam in communi diximus, et in specie tractavit Navarr., c. 26, num. 8 et 9, cum Sylvest., verb. *Absolutio,* 5, quæst. 2. Et maxime, quia dicendo : *Ab*

excommunicatione quam incurristi, satis determinat censuram a qua absolvit et ibi implicite complectitur causam.

9. *Quæ forma servanda in absolùtione a pluribus excommunicationibus. — Quæ in absolvendo ab una ex pluribus.* — Solum oportet advertere, an pœnitens sit ligatus pluribus excommunicationibus, nam tunc, si absolutio fiat ab omnibus, oportet id intendere, supposita potestate, et aliquo modo verbis exprimere, saltem illis generalibus : *Ab omni vinculo excommunicationis,* vel certe indefinitis, quæ in his rebus æquivalent universalibus, ut sæpe dixi, quamvis ad tollendum dubium melius sit semper addere signum distribuens. Si vero ab una tantum excommunicatione absolvat, et non ab alia (quod fieri posse supra ostendimus de censuris in communi) necessarium erit, ut et intentionem suam determinet ad eam excommunicationem, quam auferre vult, et ut eam determinationem verbis aliquo modo explicet. Unde nisi ex adjunctis, vel ex antecedentibus, et consequentibus id constet, optime fiet explicando causam censuræ. Quocirca illa communis forma aptissima est, meritoque usu retinenda. Aliqui etiam præmittunt illa verba : *Auctoritate Dei omnipotentis et potestate mihi concessa,* vel æquivalentia, quod etiam servari potest, quamvis necessarium non sit.

10. *De solemnitatibus accidentalibus in forma absolutionis ab excommunicatione. — Prima.* — Circa solemnitatem accidentalem quatuor præcipue cæremoniæ numerari solent. Prima est, ut ab excommunicato juramentum postuletur parendi de cætero mandatis Ecclesiæ, ex cap. Ex tenore, et cap. De cætero, de Sentent. excom., notat Navarr., in Summ., c. 25, num. 7, et de Pœnit., d. 6, c. 1, in princip., num. 54. Sed non est intelligendum, necessarium esse juramentum generale de servandis Ecclesiæ præceptis, quia neque in illis juribus hoc dicitur, neque esset expediens hoc novum vinculum et obligationem communiter hominibus ponere, sed ad summum potest esse hoc juramentum de obediendo Ecclesiæ in illa materia, ut, v. gr., si excommunicatio fuit a jure, ut juramentum sit de non transgrediendo legem, ob cujus violationem excommunicatus mansit. Hoc enim aperte significatur in illo c. Ex tenore, nam prius dicitur : *Recepto ab eo juramento, quod tuo debeat mandato parere;* et infra subditur : *Sibique id virtute juramenti præcipies, ne de cætero in clericum manus injiciat,* etc. Simile habetur in c. Pessimam, 23, quæst. 8, et in cap. Gravem, de Sentent. excom., ubi etiam significatur, aliquando juxta rei exigentiam posse majorem cautionem postulari, ut similia de cætero non committantur. Addit vero Cajetan., in Summ., verb. *Absolutio,* hoc juramentum quoad hanc partem non semper, sed in magnis criminibus locum habere. Quod mihi quidem placet, quia ex dictis juribus nihil amplius colligi potest; loquuntur enim de incendiariis et manifestis percussoribus clericorum. Rursus si tale fuerit delictum, ob quod excommunicatio lata fuit, ut specialem satisfactionem requirat et illa nondum sit exhibita, neque alia sufficiens cautio de illa implenda data sit, tunc etiam est juramentum exigendum de satisfactione exhibenda. Quanquam si excommunicatio sit ob offensam notoriam, prius debeat satisfactio postulari, si exhiberi potest, juxta cap. Venerabilibus, § Porro, de Sentent. excom., in 6, et c. Ex parte, 1, de Verb. signif., et notant Decius et alii Doctores in cap. Qua fronte, de Appel. An vero hæc prævia satisfactio vel juramentum ejus aliquando sit de substantia absolutionis, ejusque valore, supra tractatum est de censuris in communi.

11. *Secunda cæremonia.* — Secunda cæremonia est, ut sacerdos, priusquam absolvat, Psalmum aliquem pœnitentiæ super absolvendum recitet. Sic enim habetur in cap. A nobis, 2, de Sentent. excom., et frequenter dici solet Psalm. 50, qui est quartus pœnitentiæ. Sed, ut Navarr. notat, in illo textu non designatur ille in particulari, et ideo quilibet ex septem sufficit, licet ille sit aptissimus. Addunt vero Doctores absolventem debere esse indutum aliqua veste sacra, saltem superpellicio et stola, quod est in publica et solemni absolutione consuetum, non vero in privata. Et ex parte pœnitentis requirunt, ut sit genu flexo, scapulis nudatis, et dum Psalmus recitatur, flagello percutiatur, quod nullo jure scripto cautum est, sed consuetudine receptum esse Doctores dicunt cum Hostiensi in Summa, num. 14; et Antonin., 3 part., tit. 24, cap. 77, §. Addit vero Navarr., in absolutione fœminæ omittendum hoc esse, et ob justum alium respectum omitti posse in quacumque absolutione. Et Cajetan., verb. *Absolutio,* ait, omittendum esse in locis publicis, quando absolutio excommunicationis ex confessione secreta oritur, quia alias et revelaretur confessio et infamaretur pœnitens.

12. *Tertia cæremonia. — Quarta cæremonia.* — Tertia cæremonia additur in dicto cap. A nobis, 2, scilicet ut, finito Psalmo, oratio Dominica recitetur, quod facile est, neque aliam explicationem requirit. Subjungitur vero ibidem, ut etiam serventur alia consueta; hæc autem dicuntur esse (et potest esse quarta cæremonia) quidam versiculi, scilicet, *Salvum fac servum tuum,* etc., cum oratione, *Deus cui proprium est,* etc., argument. cap. Cum aliquis, 11, quæst. 3. Ex quo aliqui colligunt debere absolventem finita absolutionis forma introducere absolutum in Ecclesiam. Sed non constat illam cæremoniam esse in usu, licet sit apta ad effectum hujus explicandum. Neque in dicto cap. significatur post absolutionem introducendum esse eum, qui excommunicatus erat, in Ecclesiam, sed excommunicatum petentem veniam ad januam Ecclesiæ, in illam introducendum esse cum recitatione Psalmorum pœnitentiæ, ut ibi absolvatur. Unde Abbas, in cap. Cum desideres, de Sentent. excomm., num. 6, inquit : *Præstito juramento de parendo mandatis Ecclesiæ, introducatur in Ecclesiam cum Psalmo pœnitentiali,* etc.

13. *Sub qua obligatione servandæ sint hæ cæremoniæ.* — De his ergo cæremoniis omnes auctores docent non esse de substantia hujus formæ, sed validam esse etiamsi omittantur, ut patet ex Sylvestro, Angelo, Cajetano, et aliis Summistis; Navarro, cap. 26, num. 8, et dict. cap. 1, de Pœnit., dist. 6, num. 54; et Covarr., cap. Alma, part. 1, § 11, num. 11. Addunt vero teneri in conscientia sacerdotem qui absolvit, eas non omittere. Non tantum in publica absolutione, sed etiam in occulta, quantum ad ea quæ commode fieri possunt. Et intelligunt, quando excommunicatio justa fuit et absolutio simpliciter datur; nam si excommunicatio fuit injusta, vel si solum datur absolutio ad certum effectum, vel si solum est absolutio ad cautelam, ex omnium sententia non est necesse cæremonias adhibere. Et idem dicunt, si absolvens non sit sacerdos, quia illa solemnitas videtur propria sacerdotalis muneris. Denique si necessitas urgeat, vel alia rationabilis causa intercedat. Sine illa vero aiunt non omitti has cæremonias absque culpa. Quod verum erit prudenter consideratis circumstantiis et consuetudine, quæ in hoc magnam vim habere potest; et secluso contemptu et scandalo non existimo posse hic intervenire peccatum mortale ob aliquam omissionem, quia res non est adeo gravis, nisi fortasse, quando publica et solemnis absolutio danda esset ad Ecclesiæ satisfactionem.

DISPUTATIO XX.

DE NONNULLIS EXCOMMUNICATIONIBUS IN PARTICULARI, QUÆ AB HOMINE FERRI SOLENT.

Absolvimus ea, quæ ad generalem doctrinam de excommunicatione majori pertinent. Ex quibus definienda sunt omnia, quæ in singulis seu particularibus excommunicationibus desiderari possunt. Quapropter non sine apparenti ratione possumus hanc partem prætermittere, præsertim cum scientia ad individua non descendat, eo quod sint quasi per accidens, et in infinitum multiplicari possint. Quod sane in excommunicationibus ferendis præsertim ab homine, ipso usu satis constat. Nihilominus tamen, quoniam materia moralis utilior est applicata ad particularia, saltem ad aliqua, ideo de nonnullis excommunicationibus præcipuis, et quarum cognitio in praxi magis necessaria est, dicendum esse censuimus. Est autem excommunicatio vel ab homine, vel a jure. De priori dicemus breviter in hac disputatione; de alia, quæ fusior est, in sequentibus. Excommunicatio item ab homine frequenter est contra determinatam personam in particulari causa. Et de hac vel individuis ejus nihil possumus dicere, quia est res infinita, et nullis principiis comprehendi potest, præter ea quæ generaliter tradita sunt, et sufficiunt ad singulos casus definiendos. Alia item excommunicatio ab homine, quæ generalius fertur ad aliquid præcipiendum vel vitandum, diciturque generalis sententia, in multis æquiparatur statuto seu legi, licet in aliis differat, ut in superioribus declaratum est; hæc (inquam) excommunicatio etiam ferri potest propter varias causas vel actiones, quæ possunt in infinitum multiplicari, solumque materialiter differunt in ordine ad talem censuram. Ac propterea etiam in his, nec necessarium est, nec possibile per omnia individua discurrere. Duo tamen sunt ordinarii casus, quibus solent conscientiæ implicari, scilicet de excommunicationibus, quæ ferri solent ad restitutiones faciendas seu solvenda debita, seu propter debita non soluta, et de iis quæ feruntur ad denuncianda crimina, aut alia secreta revelanda, et ad ferendum testimonium,

vel prodendas scripturas, etc. Et ideo de iis duabus in particulari dicere visum est.

SECTIO I.

Utrum judices Ecclesiastici licite et valide possint pro causis temporalibus excommunicationem ferre.

1. *Ratio dubii.* — Ratio dubitandi est, quia excommunicatio est spiritualis pœna et medicina; ergo ad curationem animæ adhibenda est, et non ad temporalia incommoda resarcienda; nam hæc cura vindicandi aut resarciendi temporales injurias ad civilem potestatem per se spectat; ergo non possunt judices Ecclesiastici hoc titulo assumere gladium spiritualem. Et confirmatur, quia alias licitum esset hoc modo excommunicationem ferre contra personam certam, et cognitam, ut contra Petrum, de quo constat furatum esse hanc vel illam rem, nisi illam restituat; consequens autem est contra communem usum. Sequela patet, quia non est major ratio, quando persona incerta est, quam cum est certa. In contrarium vero est usus Ecclesiæ ferendi hanc censuram ad hos fines, scilicet, ut restituantur ablata, solvantur debita, revelentur occulta, et similes, qui temporales sunt.

2. *Non est ex se malum pro temporalibus excommunicatione ferre.* — *Cum quibus circumstantiis hoc liceat.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — Suppono primo non esse per se malum, neque extra Ecclesiasticam potestatem ferre hanc censuram, eam ordinando aliquo modo ad prædictos fines. Hoc certissimum est; nam si hoc esset vel per se malum, vel extra Ecclesiasticam, potestatem, esset in Ecclesia gravissimus quidam error in re ad mores pertinente, quod impossibile est. Deinde hoc colligitur ex Concil. Trident., sess. 25, cap. 3 de Reform., ubi et refert hanc consuetudinem esse in Ecclesia, ferendi excommunicationem monitionibus præmissis, *ad finem revelationis* (ut aiunt) *aut pro deperditis seu subtractis rebus;* et eam consuetudinem supponit honestam et justam esse, sobrie tamen, et magna circumspectione esse exercendam. Quapropter adhibitis quibusdam circumstantiis idem Concilium eam moderatur. Prima est, ut a nemine prorsus præterquam ab Episcopo tales excommunicationes decernantur. Existimo autem nomine Episcopi comprehendi etiam vicarium generalem Episcopi; nam quoties aliquid Episcopo conceditur, et non exprimitur, ut per se, et non per alium faciat, intelligitur etiam per vicarium posse id efficere, ut in superioribus tactum est; sic enim unum et idem censetur esse tribunal, eademque jurisdictio vicarii, et Episcopi, juxta cap. 2 de Consuetud., in 6. Imo existimo sub ea voce comprehendendos esse Abbates, vel alios Prælatos exemptos, qui Episcopalem habent jurisdictionem, ut in simili dictum est in superioribus, tractando de jurisdictione ad ferendam censuram. Solum ergo excluduntur inferiores judices subordinati Episcopis, ut solent esse Visitatores, et aliqui Archipresbyteri, vel Archidiaconi, etc. Secunda conditio a Concilio posita est, *ut ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata,* excommunicatio talis feratur; ejus vero rei ac causæ judicium vult Concilium esse positum in conscientia, et prudenti arbitrio Episcopi. Tertia est, ut quando fieri potest executio realis aut personalis, a tali censura abstineatur. *Si tamen facile locus esse non possit, tunc præmissis monitionibus, et durante contumacia ad talem excommunicationem procedatur.* Hæc Concilium ibi, quantum ad rem præsentem spectat. Ex quibus plane colligitur habere quidem Ecclesiam hanc potestatem, et licite illa uti, si ministri ejus prudentiam, et moderationem servent.

3. *Quæ sit causa legitima ferendi excommunicationem pro temporalibus.* — *Prima opinio.* — *Excommunicatio supponit peccatum antequam contrahatur.* — Superest vero explicandum, quæ sit legitima causa hujus censuræ, quæve propria ejus ratio, ut inde constet, quomodo temporalis causa possit esse finis ejus. Dixerunt ergo aliqui Episcopos non posse ferre hanc excommunicationem, nisi supposita aliqua gravi culpa in eo, contra quem fertur. Unde aiunt, si ille securus est in conscientia non peccasse mortaliter ante illam excommunicationem latam, nimirum non restituendo, aut non revelando secretum, securum etiam esse posse in conscientia, quod talem excommunicationem non incurrit. Quæ sententia fundari potest, quia supra diximus, excommunicationem ferri non posse, nisi propter mortale peccatum. Verumtamen sano modo intelligenda efficacia est. Duobus enim modis intelligi potest, esse necessarium præsupponi peccatum mortale (de hoc enim sermo est) ad hujusmodi excommunicationem. Primo, ut talis excommunicatio ab homine lata non possit ab

aliquo incurri, nisi prius aliquod mortale peccatum committat, transgrediendo Ecclesiasticum præceptum. Et in hoc sensu est res clara et indubitata ex dicto principio supra posito. Secundo potest esse sensus, excommunicationem hanc non solum priusquam contrahatur, sed etiam prius quam feratur etiam sub conditione, debere necessario supponere aliquod crimen, vel peccatum commissum in acceptione, vel retentione rei alienæ, vel in non manifestanda aliqua veritate, et excommunicationem ad hoc tantum posse ordinari immediate ut fidelis a tali peccato cesset, vel pro illo satisfaciat. Et fundamentum esse potest, quia hæc excommunicatio ab homine est terminus fraternæ correctionis, juxta illud Matth. 18: *Si Ecclesiam non audierit;* correctio autem fraterna supponit in proximo peccatum mortale, stricte loquendo de correctione, per quam fratrem lucramur, de qua est sermo, Matth. 18. Et confirmari hoc potest ex cap. Romana, de Sentent. excom., in 6, in versic· *Caveant etiam ne tales sententiæ excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet, si tale quid fecerint, vel etiam pro jam commissis sub hac forma, si de illis infra tale tempus non satisfecerint, nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit,* etc. Ergo, non præsupposita culpa, non potest Ecclesiasticus judex ferre hanc censuram ad prædictum finem, seu, quod idem est, sub conditione illius.

4. *Non est tamen necesse ut semper ante sententiam latam peccatum sit commissum. — Refellitur quædam evasio. — Excommunicatio per accidens supponit crimen contra naturalem legem.* — Verumtamen hæc sententia in hoc sensu explicata supponit excommunicationem hanc, ut ad prædictum finem ordinetur, non posse ferri nisi per modum correctionis prioris delicti, videlicet prius commissi quam Ecclesiasticus Prælatus præceptum aliquod imposuerit. At hoc necessarium non est, neque ulla ratione fundatur. Nam, licet hæc censura utilis sit et efficax ad correctionem, non tamen est ille adæquatus finis ejus, sed etiam potest ordinari ad quamcumque obligationem implendam. Et hac ratione potest sub conditione imponi ante omnem transgressionem, sed ut transgressio non committatur, legique obediatur. Atque hoc modo fertur communiter per leges canonicas, et ferri etiam potest per præceptum hominis; sic enim distinguitur excommunicatio pro futuris culpis, et pro præteritis cum aliquo respectu ad futurum; sic etiam judices Ecclesiastici dum aliquem citant, excommunicant eum, si non compareat, ante quam censuram sub ea conditione latam nullum crimen supponitur. Si ergo in aliis rebus possint ita excommunicationem ferre, ergo et in præsenti materia idem poterunt ad prædictos fines, nullo etiam supposito crimine. Nisi fortasse quis dicat, non posse Ecclesiasticum judicem in his rebus quidpiam præcipere, nisi supposita naturali obligatione illud ipsum faciendi, id est, non posse excommunicare eum qui non restituit, aut solvit debitum, nisi supponatur obligatio naturalis ex justitia ad restituendum, et idem cum proportione de revelatione secreti. Sed licet hoc daremus, non oporteret supponi crimen commissum contra illam naturalem obligationem, quia fieri potest, ut nondum occurrerit occasio, vel tempus, pro quo necessario est illa obligatio implenda ad culpam vitandam; imo potest accidere, ut terminus ille arbitrarius sit, et quod præcepto judicis sub tali censura præfiniatur; ergo non necessario supponitur mora cum culpa ante talem excommunicationem sic latam, potest ad eum finem ferri, ut talis mora non committatur, vel si commissa fuerit, statim censura incurratur. Et deinde falsum assumitur; nam Prælatus Ecclesiasticus interdum potest obligare in ea materia, et ad eum actum, ubi ex sola rei natura non oritur obligatio, ut in superioribus sæpe tactum est. Ergo etiam in hac materia, de qua agimus, poterit interdum ita obligare ad solvendum vel denunciandum, aut aliquid hujusmodi, etiam ubi ex sola rei natura non præcedit obligatio; quod in particulari magis constabit ex sequentibus. Si autem hoc potest, etiam poterit pro materiæ gravitate adhibere hanc censuram, ut majorem vim et efficaciam conferat suo præcepto, etiamsi nullum supponatur crimen. Quin potius, quando crimen supponitur contra naturalem legem, et ante Ecclesiæ præceptum, per accidens se habet ad excommunicationem, solumque est quasi occasio illius, quia excommunicatio quæ fertur ab homine, per se non fertur ad puniendum delictum ante præceptum ejus commissum, sed ad curandum illud et puniendam moram in illo, quia jam est contra præceptum ipsius judicis; ergo, per se loquendo, non est necessarium supponi crimen ad ferendam censuram.

5. *Sola correctio fraterna non est adæquatus finis excommunicationis.* — Neque contra hæc procedunt motiva alterius sententiæ; jam enim ostensum est correctionem fraternam non esse adæquatum finem excommunicationis, et ideo ex verbis Matth. 18, nullum posse argumentum sumi. Cap. autem Romana, diminute refertur; nam verba sequentia potius confirmant sententiam a nobis propositam, ita scilicet : *Aut alia rationabilis (quam in ipsis sententiis exprimant) causa subsit.* Si ergo alia rationabilis causa sufficit, etiamsi mora, vel culpa non præcesserit, absolute et simpliciter loquendo, necessarium non est, ut culpa præcedat. Et ideo etiam Concil. Trident. illis universalibus vocibus usum est : *Ex re non vulgari, et causa diligenter examinata.* Quocirca in illo textu, ut supra etiam attigi tractando de censuris in communi, supponitur quidem Ecclesiasticos Prælatos aut judices habere potestatem ad ferendam censuram in hujusmodi causis seu rebus, etiam nulla supposita culpa, quod etiam aperte supponitur in c. A nobis, 1, de Sentent. excomm. Præscribitur autem judicibus modus, quem tenere debent in usu hujus potestatis, nimirum ut illa non utantur, nisi vel gravitas criminis, vel nimia in satisfaciendo mora, vel aliqua justa causa eos prudenter inducat; et in hac justa causa explicanda magna ex parte difficultas præsentis quæstionis sita est, an scilicet illa esse debeat causa spiritualis, vel temporalis sufficiat, de qua statim.

6. *Potest judex Ecclesiasticus valide censuram ferre pro temporalibus. Alia ad valorem censuræ, ad rectitudinem alia requiruntur.* — Nunc in hoc puncto concludimus posse Ecclesiasticum judicem valide censuram ferre in hujusmodi causis, et actionibus, quæ proxime ad temporales fines ordinari videntur, vel ut aliquod malum commissum emendetur, vel ut malum quod committi, et timeri potest, præveniatur. Hoc satis probatum est ex dictis, sed ad majorem explicationem oportet distinguere inter valorem, et rectitudinem talis sententiæ; nam, ut valida sit, et liget transgressorem, sufficit, quod præceptum sit justum, et de re adeo gravi, ut ejus transgressio et contumacia absque intolerabili errore possit excommunicatione puniri; quia si hoc habeat, nihil substantiale deest, cum supponatur potestas, et alioqui admonitio, quæ per ipsum præceptum fit, sit satis ad contumaciam, quam excommunicatio intrinsece postulat, juxta superius tradita, disp. 4 de Censur. in communi. Ad rectitudinem autem, seu legalem justitiam servandam in tali sententia ferenda, necessarium erit eam moderationem adhibere, easque circumstantias servare, quas Concilium Tridentinum supra, et Concilium Lugdunense in dicto c. Romana, judicavit.

7. *Proxima excommunicationis causa est contumacia contra Ecclesiasticum præceptum.* — Atque hinc sequitur proximum et immediatam causam hujus censuræ esse contumaciam contra obedientiam Ecclesiastici præcepti; ad hoc enim fertur, etiam in his causis quæ temporales videntur, ut timore ejus Ecclesiasticum præceptum impleatur; unde quando incurritur, ob contumaciam ejus proxime incurritur. Atque ita fit, ut proxima ejus causa semper spiritualis sit; nam obedientia Ecclesiastici præcepti spirituale bonum est, et maxime pertinet ad communem Ecclesiæ bonum, et ejusdem rationis et bonitatis est reprimere contumaciam contra Ecclesiæ obedientiam. De ipso vero præcepto ulterius superest inquirendum, an ut justum sit, et per excommunicationem merito roborari possit, oporteat illud etiam referri in spiritualem finem, vel temporale commodum, vel publicum, aut privatum alicujus personæ sufficiat.

Præceptum Ecclesiæ non nisi ob spiritualem titulum præcipue ferri posse. Conclusio secunda.

8. In quo puncto dicendum secundo est, Prælatum Ecclesiasticum non posse hoc præcipere nisi aliquo spirituali titulo, ita ut, licet res quæ præcipitur sit temporalis, et proxime ad temporale commodum ordinari videatur, tamen ratio (ut ita dicam) sub qua præcipitur, debeat esse spiritualis. Ita significat D. Thom., 4, dist. 18, quæst. 2, art. 1, q. 3, quamvis non loquatur de præcepto, sed de excommunicatione ipsa, quatenus proxime imponitur propter contumaciam reprimendam, vel obedientiam extorquendam. Et in eodem sensu dicunt omnes excommunicationem non ferri pro damno temporali, nisi quatenus ibi intercedit aliqua ratio spiritualis. Quod autem non solum in excommunicatione, sed etiam in præcepto ipso verum habeat, probari potest, quia potestas Ecclesiastica non cadit directe in hæc temporalia, sed in spiritualia, ratione quorum indirecte

et quasi consecutione quadam extenditur ad temporalia; ergo idem est de hoc præcepto, cum ab illa potestate procedat. Antecedens, et tota assertio certa sunt ex materia de fide, ubi de potestate Ecclesiæ, et Summi Pontificis agitur, et fere in terminis asseritur ab Innocent. III, in cap. Novit, de Judic., et ab Alexand. III, in cap. Causam quæ inter, Qui filii sint legitimi. Eamque rem late tractat Bernard., lib. 1 de Consid. ad Eugen., dicens, ad Summum Pontificem spectare crimina corrigere, non de possessionibus judicare, quæ vere sunt verba Alexand. III, in citato loco. Et in materia de legibus latius hoc punctum tractavi.

9. *Ob incommodum temporale solum præcipi non potest restitutio ab Episcopo.* — Tandem confirmatur, et explicatur, nam duobus modis (juxta superius dicta) contingere potest judicem Ecclesiasticum obligare ad hos actus. Primo in materia, in qua erat naturalis et intrinseca obligatio talem actum faciendi, ut restituendi, vel solvendi debitum, etc. Et tunc manifestus est spiritualis titulus, scilicet, ut subditus faciat quod in conscientia tenetur, et consequenter ut vel a culpa exeat, vel illam non committat. Secundo potest præcipere in materia, quæ de se non obligat sine positivo hominis præcepto, ut si Prælatus judicet expedire, ut a fidelibus aliqua communis contributio fiat, et ideo id præcipiat sub censura excommunicationis, ut tale præceptum recte feratur, necesse est, ut finis illius contributionis sit aliquo modo spiritualis, ut, v. gr., pauperum subventio; quanquam enim pauperum commodum temporale sit, subventio tamen et cura illorum spirituale quid est; præsertim cum corporalis etiam eleemosyna, maxime cum communitati necessaria est, ad spiritualia damna vitanda sit fere necessaria; et sub ea ratione maxime ad curam spiritualis pastoris pertineat. Idem erit si talis contributio sit moraliter necessaria ad decentem cultum divinum secundum Ecclesiæ ritum; vel etiam si sit necessaria ad aliquod bonum commune, quod ad vitanda spiritualia damna conferat. Quod enim in his et similibus casibus Prælatus Ecclesiæ, vel Episcopus, vel Summus Pontifex respective juxta materiæ qualitatem, possit aliquid circa temporalia præcipere in ordine ad spiritualia, manifestum est ex illo principio, quod potestas spiritualis indirecte extenditur ad temporalia, quatenus ad spiritualia necessaria sunt, vel conferunt; unde sunt quasi accessoria, quæ consequuntur ad principale. Quod vero alia ratione et modo id præcipere non possit, constat ex opposito principio, quod potestas spiritualis directe non cadit in temporalia. Unde non potest Episcopus, v. gr., præcipere alicui, ut restituat alteri rem suam, solum ob incommodum temporale quod alius patitur, illa carendo; hoc enim spectat proprie ad potestatem civilem. Cujus rei indicium est, quod, si talis persona in conscientia habet aliquam justam excusationem ad non faciendam illam restitutionem, et alioqui est certum et evidens nullam spiritualem rationem pertinentem ad Ecclesiæ forum in eo opere inveniri, non tenebitur in conscientia illi præcepto obedire, nec ligabitur censura, etiamsi illi adjuncta sit. Quanquam in hoc valde cavendum est, ne injuria fiat Ecclesiasticis Prælatis; nam quoties aliquid hujusmodi temporale præcipiunt, nisi manifeste constet oppositum, præsumendum est eos habere justam aliquam causam ad suum forum pertinentem; quia semper jus superioris tanquam publicum præferendum est.

10. Atque hinc etiam magis constat, quod in superiori puncto dicebamus. Nam hæc præcepta, licet materialiter (ut sic dicam) temporalia sint, formaliter tamen sunt spiritualia; quare merito possunt Prælati spiritualibus pœnis ea communire, non solum post eorum transgressionem, sed statim a principio, ut eorum transgressio magis caveatur; ergo interdum etiam poterunt juste excommunicationem ferre in futuros transgressores. Nam, cum causa talis præcepti spiritualis sit, sæpeque ad bonum commune pertineat, facile potest esse tam gravis, ut ad talem censuram dicto modo ferendam sufficiat. In quo etiam arbitrio ipsius Ecclesiastici judicis standum est, quando oppositum non constiterit; ipse enim non solum est judex, sed etiam est quasi spiritualis medicus, ad quem spectat non tantum expellere morbos jam contractos, sed etiam præcavere ne contrahantur, et ad utrumque potest excommunicatio esse apta medicina, si prudenter applicetur.

Propositæ quæstionis et rationis dubitandi resolutio.

11. Ex dictis ergo satis constat propositæ quæstionis resolutio; quamvis enim terminus ille in titulo quæstionis propositus, scilicet, *pro causis, seu in causis temporalibus,* æqui-

vocus esse possit, tamen illo utendo in communi sensu, qui est de materia talis censuræ, et præcepti, non de ratione formali sub qua, vel propter quam fertur, simpliciter dicendum est, posse Ecclesiasticos judices juste et valide pro his causis excommunicationem ferre, interdum respiciendo ad crimina, offensiones, vel scandala commissa, non præcise ut præterita sunt, sed ut aliquo modo tractum successivum habent, ut in futurum tollantur, vel resarciantur; interdum vero respiciendo solum ad futura crimina ut evitentur, et ut Ecclesiastica obedientia severius observetur. Quando autem feratur hoc vel illo modo, ex verbis ipsius sententiæ seu præcepti facile intelligetur. Ratio item dubitandi in principio posita ex dictis etiam soluta est. Probat enim Ecclesiasticos judices non versari circa has causas temporales temporaliter, sed spiritualiter; inde vero fit, ut pœna seu medecina spirituali uti possint.

12. *Speciale dubium.* — In confirmatione autem petitur speciale dubium, an hujusmodi excommunicationes, quæ ferri solent in his causis temporalibus, ut restituatur ablatum, aut veritas detegatur, etc., possint ferri solum generatim et confuse contra personam, quæ hoc detinet, aut novit, et non revelat, quoniam illa occulta est, aut etiam contra personam determinatam, ac nominatim, quando persona cognita est; nam quod priori modo possit, manifestum est ex usu, et quia tunc maxime locum habent omnia quæ diximus. Quod autem idem dicendum sit de posteriori modo, videtur probari a paritate rationis; nam etiamsi causa versetur cum particulari persona, potest intercedere spiritualis titulus, sub quo licet Ecclesiastico judici hujusmodi causam assumere, et judicium in illa usurpare, nimirum, ut ille qui debitor est tali personæ, a peccato exeat, aut alii similes.

13. *Resolutio. — Probatur assertio quoad primam partem.* — Nihilominus dicendum est, regulariter ac moraliter loquendo, hoc non licere, quanquam, si fiat, factum teneat, et excommunicatio liget, si revera sufficiens ratio, et spiritualis causa intercedat. Explicantur singulæ partes, et in primis supponendum est sermonem esse, quando hæ res temporales inter personas seculares, quæ in his temporalibus non subjiciuntur directe potestati Ecclesiasticæ, tractantur, nam si negotium versetur inter personas Ecclesiasticas, et ea ratione ad forum Ecclesiasticum pertineat, tunc clarum est, posse judicem Ecclesiasticum uti gladio spirituali contra certam et determinatam personam, etiam in causa, seu materia temporali; nam hoc solo nomine, quia talia bona aliquo modo Ecclesiastica sunt, materia spiritualis efficitur. Item, quia cum supponatur talis causa pertinere ad forum Ecclesiasticum, necessario fit, ut liceat in ea uti Ecclesiastica coactione, si opus fuerit; hæc autem coactio maxime fit spirituali gladio; imo frequenter non potest alio modo fieri. Hoc supposito probatur prior pars assertionis, quia si debitor in tali causa certus est, potest conveniri coram suo judice, ad quem primario ac per se spectat cognitio causæ temporalis; ergo non licet Ecclesiastico judici sese intromittere, et per censuras procedere. Quod confirmat optime dictum Alexandri III in allegato cap. Causam, quod agere de possessione rei temporalis inter certas personas seculares non spectat ad Pontificem, sed ad Regem. Unde in hoc cernitur aperta differentia, quando persona est certa, vel incerta, nam contra personam incertam et occulte detinentem bona, non potest secularis judex procedere, ut per se notum est, et ideo, ut in illo crimine possit esse correctio, necesse est ad potestatem Ecclesiasticam recurrere, quæ spirituali gladio etiam personas per accidens occultas ferire potest, ut supra visum est. Et tunc optime servatur quod Concilia statuunt, ut judex Ecclesiasticus in his causis per censuras non procedat, quamdiu aliis temporalibus remediis possunt sufficienter terminari. At vero quando persona est certa, tunc coram judice seculari potest conveniri, et ad illum per se spectat talis causa; quare non recte faciet Ecclesiasticus judex, illam usurpando.

14. *Quibus causis possit contra determinatam personam per excommunicationem procedi.* — Dixi autem, regulariter hoc non licere, quia interveniente causa rationabili, erit hoc licitum. Erit autem causa hujusmodi primo, si judex secularis nolit remedium adhibere, neque accusationem ejus, qui injuriam passus est, suscipere, aut in causam progredi. Tunc enim ad commune bonum spectat, et ad pacem fidelium, ut ad Ecclesiasticum judicem possint habere recursum, saltem eo titulo, ut peccata publica corrigantur, juxta textum in cap. Mulieres, 2, de Jurejur., in cap. Qualiter, de Judiciis. Neque enim obstat, quod tale peccatum sit injuriosum ipsi denuncianti; nam fortasse ideo

Christus peculiariter dixit : *Si peccaverit in te frater tuus,* id est, contra te (ut multi exponunt), ut intelligamus etiam in his peccatis habere locum processum, et terminum fraternæ correctionis. Hoc autem intelligendum censeo, quando ipse judex secularis cogi non potest per alium superiorem ejusdem fori; nam, si possit, ad illum prius recurrendum est, propter rationes superius factas. Tunc ergo solum licitum est spirituali brachio talem causam assumere, quando seculare non vult, vel certe non potest suo munere fungi. Imo etiam tunc prius debet secularis judex moneri, vel etiam per censuras compelli, ut suo munere utatur. Quod si hoc non sufficiat, tunc poterit Ecclesiasticus judex causam suspicere.

15. Alia causa erit, si persona tantæ est dignitatis, ut non habeat superiorem in temporalibus, nec velit arbitrorum judicio rem committere; tunc enim potest spiritualis potestas per censuras cogere ad servandam justitiam, vel si res sit dubia, ad standum aliquorum judicio. Hoc aperte docet Innocentius III, in dicto cap. Novit. Et constat ita esse servatum perpetua Ecclesiæ consuetudine, ut late refert Bellarm., com. 1, libr. 5 de Roman. Pontif., cap. 6, 7 et 8.

16. Et ratio est, quia tunc non usurpatur temporale judicium, cum nullus sit ad quem spectet, et alioqui ad Ecclesiæ pacem, et consequenter ad commune bonum spirituale hoc pertineat. Hinc ulterius sequi videtur, quod licet persona sit certa, si tamen ita lateat, vel absens sit, ut secularis potestas nec capere illam possit, nec remedium aliud adhibere, tunc etiam possit potestas Ecclesiastica per censuras absentem compellere, ut a tali crimine exeat, et consequenter ut parti læsæ satisfaciat. Maxime quando delictum est ita publicum, ut nulla tergiversatione celari possit. In his ergo, et similibus casibus potest judex Ecclesiasticus suam auctoritatem interponere, quanquam in ea re magna prudentia, et moderatio necessaria sit, ne aliquid vel præter consuetudinem Ecclesiasticam, vel præter sacros canones fiat.

17. *Posterior assertionis pars probatur.* — Denique in ultima parte addidi, licet interdum judex Ecclesiasticus imprudenter faciat, sese intromittendo, si tamen vera causa spiritualis subsistat, et illam se intendere dicat, nihilominus censuram, quamvis forte injustam ob inversum ordinem, validam esse. Quod sumo ex dicto cap. Novit, ubi dicitur, posse Prælatum Ecclesiasticum quælibet peccata corrigere; si ergo constet de offensione facta, et de mora satisfaciendi, etiamsi persona sit certa, subest vera causa spiritualis, quam potestas spiritualis curare potest; ergo si revera hoc titulo id faciat, quamvis imprudenter, et præmature tale judicium usurpet, timenda erit illa censura ut valida. Patet consequentia, quia illa censura non continet intolerabilem errorem, neque injuriam contra justitiam commutativam respectu partis, contra quam fertur; neque etiam est ab usurpata jurisdictione, quia talis causa revera subest jurisdictioni Ecclesiasticæ, quanquam absque necessitate non deberet per illam agi, sed per inferiorem magis proportionatam; hic tamen defectus non est substantialis, neque invenio decretum aliquod illam censuram irritans, et ideo ut validam timendam esse censeo.

SECTIO II.

Utrum excommunicatio lata ad finem solvendi debitum, vel restituendi alienum, semper liget.

1. *Qui a peccato excusatur, excusatur etiam ab excommunicatione. — Regula notanda. — Quibus causis possit præceptum restituendi tali tempore prorogari, aut suspendi.* — Supponendæ in primis sunt regulæ generales in superioribus traditæ, videlicet; quoties aliquis excusatur a peccato mortali, excusari etiam ab excommunicatione, præsertim in foro conscientiæ. De quo principio multa supra diximus, et videri potest Covarruvias, dicto cap. Alma, 1 part., § 9, et Soto, dist. 22, quæst. 1, art. 2, qui recte infert, si quis rem alterius clam accepit non animo accipiendi alienum, sed recuperandi eamdem rem, vel aliam similem, aut æquivalentem, suam, aut sibi debitam ab altero possessore, a quo non poterat altera via eam recuperare, tunc eum non ligari excommunicatione, licet eam non manifestet, nec reddat, quia in eo non peccat, ut recte etiam Glossa notavit in cap. 1 Jus gentium, verb. *Sed cum,* dist. 1. Unde præceptum illud in falsa præsumptione fundatur, seu (quod idem est) contra injuste retinentes talia bona fertur; nec alia esse debet justa intentio ferentis; et ideo non obligat in eo casu, quia ille non retinet injuste. Item ex eodem principio sequitur, quoties intervenit ignorantia invincibilis præcepti superioris sub tali censura ipso facto incurrenda, si post talem termi-

num non fiat solutio, illam excusare, ne hæc censura incurratur, quia excusat a culpa, vel contumacia. Quod intelligendum est juxta superius tradita de censuris in communi. Item est aliud principium, quoties præceptum superioris latum sub hac conditione intra certum terminum implenda, ante lapsum terminum suspenditur, vel protrahitur, aut quacumque ratione ejus obligatio cessat, non incurri censuram, etiamsi post elapsum terminum non fiat solutio. Ratio est, quia tunc cessat contumacia; hæc enim esse non potuit ante impletum terminum, quia nondum urgebat præceptum; neque etiam illo termino impleto, quia jam cessavit, vel suspensum est præceptum, ut suppono : ergo. Sunt autem multæ causæ, ob quas tale præceptum cessare, suspendi, aut prorogari potest, videlicet directa voluntas ipsius judicis, qui illam tulit; nam ab illa maxime pendet. Item mors, vel amissio, aut suspensio jurisdictionis ejusdem judicis, juxta superius tradita disp. 3, sect. 3. Item voluntas ejusdem partis, ad cujus instantiam censura lata est, juxta dicta in eadem sect. 3. Item est aliud principium, si quis ob impotentiam non solvat quod illi præceptum est, etiamsi præfixus terminus elabatur, non incurrere censuram, quod fundatur in prima regula posita; nam talis impotentia excusat a culpa.

Dubium primum de restitutione gravis nocumenti per parvas solutiones.

2. *Rationes dubitandi. — Aliquorum responsio. — Vide Cordub. in Summ., quæst.* 7. *— Vide Hangest. in Moral., cap.* 9. — Circa hæc vero, quæ generalia sunt, occurrunt nonnulla particularia dubia, quæ maxime solent in praxi versari. Primum est de his excommunicationibus, quæ ferri solent, ut restituatur damnum alicui factum in vinea, vel alia simili, quod damnum licet totum simul sit grave, tamen factum est a multis, quorum unusquisque in parva materia, et ad peccatum mortale insufficiente deliquit : an scilicet talis excommunicatio obliget singulos. Et est ratio dubitandi, quia nullus illorum tenetur sub mortali ad restituendum; ergo nullus ligatur excommunicatione, cum hæc locum non habet nisi supposita culpa mortali. In contrarium vero est, quia si nemo in particulari ligatur, vana est talis excommunicatio, cum tota communitas ut sic ligari non possit; nullumque habebit effectum, cum restitutio facienda non sit nisi per actiones singulorum; singuli autem ex vi talis censuræ ad restituendum non coguntur. In hoc quidam simpliciter negant talem excommunicationem posse ligare singulos, et consequenter etiam negant illam esse materiam excommunicationis majoris ferendæ, quia ibi licet interveniat damnum temporale grave, non tamen spirituale; temporalia autem incommoda secundum se non sunt materia excommunicationis; nec necesse est, ut omnibus his nocumentis possit per excommunicationem subveniri. Hæc opinio sumi videtur ex Navarro, in Sum., c. 17, n. 130, quatenus dicit eos, qui sic accipiendo mortaliter non peccarunt, non teneri ad restituendum; et ex Covarruvia, in c. Alma, part. 1, § 8, n. 2, illat. 4. Ait enim excommunicationes generatim latas contra eos, qui furtum commiserunt, non ligare eos, qui furando solum venialiter peccarunt. Quod non videtur posse intelligi solum ratione peccati commissi, ut sic, quia excommunicatio nunquam fertur præcise ratione illius; ergo intelligendum est, etiam in ordine ad restitutionem. Et idem sentit Petrus, Navarr., lib. 3 de Restit., c. 1, dub. 5, n. 49 et sequent., et dub. 8, per totum. Contraria vero sententia est communiter recepta. Sumitur ex Majore, in 4, dist. 15, quæst. 25 et 26; et Medina, C. de Restit., quæst. 8 et 10, quos refert et sequitur Covarr., l. 1 Variar., c. 3, n. 12. Idem tenet Soto, in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 2, et lib. 4 de Justit., q. 7, art. 3.

3. *Dubitationis resolutio. — Potest quis non peccare accipiendo, peccare tamen non restituendo. — In prædicto eventu tenet lata excommunicatio.* — In hac re unum est certum ex dictis, videlicet si is, qui furatus est rem levem vel damnum leve intulit, non teneatur sub peccato mortali ad restitutionem, saltem post latam excommunicationem, non posse tali censura ligari. Hoc supponunt omnes dicti auctores, et patet ex supra dictis. Deinde est mihi certum, posse fieri, ut aliquis non peccaverit mortaliter accipiendo, ob materiæ levitatem, et tamen quod postea peccet mortaliter retinendo vel non restituendo damnum, ut patet in vulgari casu, si quis sæpius assem accipiat, non conjungens unam actionem cum alia, nec prævidens ex singulis acceptionibus coalescere grave damnum; tunc enim accipiendo non peccavit mortaliter, et tamen postea restituere tene-

tur. Idem est, quando damnum infertur a multis, qui per se ac sigillatim sine scientia aliorum, aut gravis nocumenti, parvam materiam furantur; accipiendo enim non peccant mortaliter; postea vero de gravi damno certi effecti restituere tenentur sub mortali, quia licet quantitas ab unoquoque accepta per sese considerata parva sit, tamen ut pars gravis nocumenti, quod alia via reparari non potest, gravis materia moraliter censetur. Sicut si a principio omnes illi, qui parva damna intulerunt, præscivissent aliorum concursum, et grave damnum inde eventurum, graviter peccassent singuli vel minimum quid accipiendo, vel si ex conventione id facerent, quia quantum spectat ad materiæ gravitatem, moraliter perinde est quod multi simul ex certa scientia, vel quod ex conventione damnum inferant, solumque erit diversitas in causalitate unius circa actionem alterius. Quando ergo materia seu causa prædictæ excommunicationis hujusmodi est, manifestum est excommunicationem esse validam et ligare, quia in ordine ad futurum, materiam habet proportionatam; in tali autem excommunicatione (per se loquendo) non habetur ratio præteritæ culpæ, et hoc modo procedit Covarruvias dicto loco Variarum, et quoad hoc nulla videtur esse difficultas.

4. *Opinio affirmans. — Refellitur fundamentum positæ opinionis.* — Solum esse potest, quando ad excommunicationem non supponitur obligatio restituendi sub mortali, an præceptum sub excommunicatione latum possit illam inducere, ut talis excommunicatio liget. Aliqui absolute et sine distinctione affirmant, ex quodam generali principio, quod quælibet contumacia, etiam in parva materia, sufficit ad peccatum mortale, atque adeo quod omnis prohibitio Ecclesiæ sub excommunicatione ipso facto incurrenda obligat ad mortale, in quacumque materia etiam levissima. De quo principio videri potest Covarr., dicto § 9, n. 5. Sed illud a nobis supra est improbatum, quia proportionata materia in omni virtute et respectu cujuscumque potestatis est necessaria. Et declaratur præterea, quia excommunicatio adjuncta non facit præceptum esse grave, sed supponit, et ad summum declarat voluntatem præcipientis esse graviter obligare, quantum materia capax est; inquirimus ergo, quomodo hæc materia sit capax talis obligationis humanæ, si alioqui supponitur ut insufficiens ad obligandum sub mortali ex sola natura rei, cum in hac materia non videatur humanus superior posse obligare, nisi quantum ratio justitiæ postulat. Ad hoc Soto, dicto loco de Justitia, his verbis respondet : *Quod si arguas excommunicationem non licite imponi, nisi pro peccato mortali, respondetur id esse per se verum ratione culpæ, secus autem ratione emergentis damni, quando sit grave.* Quæ verba subobscura sunt, nam videtur per ea significare excommunicationem interdum posse juste imponi propter vitandum grave damnum temporale alterius, etiamsi non interveniat culpa mortalis. In quarto tamen id amplius declarat dicens : *Quamvis accipere non fuerit mortale crimen, quia vero pro gravi damno excommunicatio fuit justa, quicumque tenetur sub peccato mortali, quod abstulit, restituere.* Ubi supponit obligationem sub mortali ad restituendum, significat tamen totam provenire ex præcepto sub excommunicatione lato. Non vero declarat, quomodo in tali materia possit talem obligationem inducere præceptum humanum, si naturale non poterat, aut quomodo excommunicatio fuerit justa, quæ talem obligationem naturalem non supposuit.

5. *Primus dicendi modus in dicto casu.* — Quapropter duo tantum modi superius traditi hic applicandi sunt. Unus est frequentior, tamen in eo præceptum humanum non se habet ut prima radix talis obligationis, sed ut proponens et confirmans illam ; sæpius enim continget illam obligationem ad restituendum sub mortali in re quidem esse, esse tamen ignoratam vel dubiam; nam singuli damnificatores propter materiæ parvitatem facile contemnunt, et excusationem prætendunt, nec de gravi nocumento potest eis tam facile, tamque certo constare, ut ad restituendum obligentur; at vero postquam per superioris præceptum sufficienter constat, et de gravi nocumento, et de obligatione restituendi, quam ipse sua auctoritate confirmat, jam tunc nullus potest excusari aut subterfugere. Et hic modus est adeo certus, ut nisi evidenter constet de injustitia præcepti superioris, illi parendum sit, et alioqui excommunicatio incurratur, propter rationem sæpe dictam, quod in hujusmodi dubiis superioris auctoritas præferenda est; nam ad illam spectat in simili dubio discernere, an materia sit gravis, necne; et an intercedat sufficiens ratio justitiæ, quæ graviter ad restituendum obliget.

6. *Secundus modus, quo præceptum potest inducere obligationem mortalem restituendi,*

quæ ex illo capite talis non erat. — Alius modus est rarior et difficilior, quia in eo præceptum humanum supponitur esse prima ratio talis obligationis sub mortali. Et tunc quidem necesse est, ut præceptum Prælati Ecclesiastici non innitatur in sola ratione justitiæ commutativæ, ad quam spectat obligatio restituendi; nam hoc modo difficultas proposita plane videtur ostendere, si ipsa justitia per sese non inducit gravem obligationem ad restituendum, nec superiorem Ecclesiasticum posse intra latitudinem hujus virtutis eam obligationem adjungere, quia materia non est capax illius ; oportet ergo, ut peculiarem obligationem obedientiæ addat. Ut vero hanc possit juste imponere, necesse est, ut intercedat aliqua spiritualis ratio, quam per se respiciat spiritualis potestas, quæque adeo gravis sit, ut ad inducendam gravem obligationem sufficiat. Hujusmodi autem erit, si, v. gr., judicet ad communem pacem et ad vitanda multa peccata expedire, ut tale grave damnum illo modo reparetur; vel si censeat non solum ad reparandum damnum temporale talis personæ sic læsæ, sed etiam ad spirituale vitandum, eam restitutionem fore necessariam, vel aliquid simile. Et tunc præceptum erit justum et inducens obligationem restituendi. Quocirca cum hoc præceptum variis modis et multis titulis possit esse justum, moraliter loquendo, semper obligat, et consequenter censura sic lata valida est.

Alia dubitatio de quibusdam excommunicationibus Cameræ Apostolicæ.

7. *Etiam in his excommunicationibus non ligari in conscientia, qui ob impotentiam tempore præfixo non solvit.* — Altera dubitatio est circa aliam excusationem de impotentia solvendi, oriturque ex quodam casu practico de excommunicationibus, quæ ferri solent per Cameræ Apostolicæ auditorem adversus eos, qui in forma Cameræ, ut aiunt, obligantur Romæ ad solvendam pensionem, vel aliud debitum infra certum terminum, seu certis temporibus, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Hi enim debitores elapso termino censentur excommunicationem incurrere, et statim declarantur, nulla habita consideratione an potuerint statuto tempore solvere, necne; ergo propter impotentiam non excusantur ab hujusmodi excommunicatione contrahenda. Respondeo, hic nos non explicare quid de facto fiat, aut in exteriori foro possit fieri, sed quid jus habeat in foro interiori et conscientiæ. Loquendo ergo in conscientia, proposita regula adeo vera est, ut in eo casu non possit deficere. Nam quacumque forma aliquis obligetur vel constituatur debitor, et se submittat pœnæ excommunicationis ipso facto incurrendæ, si infra talem terminum non solverit, semper subintelligenda est conditio, si eo tempore sit solvendo, vel (quod idem est) si voluntarie omiserit solutionem; nam propter factum vel non factum involuntarium, nemo potest excommunicationem incurrere, quia in eo, quod involuntarium est, nemo est contumax; et ideo non potest illud esse legitima causa excommunicationis. At vero, qui non est potens ad solvendum eo tempore, pro quo tenetur, involuntarie omittit solutionem; ergo ut talis obligatio justa sit et excommunicatio valeat, necesse est prædictam conditionem subintelligi.

8. *Qui immediate obligatur in forma Cameræ, potest absque alia monitione excommunicationem incurrere et declarari.* — Ut autem jus hoc ad factum illud applicetur, advertendum est primo, duobus modis posse aliquem obligari in forma Cameræ : primo, personaliter per proprium consensum immediatum; secundo, per procuratorem, atque adeo per alterius voluntatem, et non per propriam, nisi remote, quatenus alteri concessit facultatem se obligandi. Quando obligatio fit priori modo, non est magna difficultas, quia jam satis constat debitori de obligatione assumpta sub tali onere et pœna, et per ipsammet obligationem, tanquam per legem, quasi continue admonetur, ut adveniente termino, seu infra mensem post designatum terminum, ut praxis interpretata est, debitum solvat. Et ideo in toto rigore juris potest ipso facto contrahere censuram, si statuto tempore non solvat, cum possit; nam ibi omnia concurrunt, quæ ad contumaciam et ad justam censuram necessaria sunt. Quapropter in rigore juris statim potest ille excommunicatus declarari, etiamsi sit absens, quia satis ex ipsa obligatione, et non solutione probata, constat in foro exteriori illum incurrisse excommunicationem. Et quamvis re ipsa possit intervenire excusatio, vel impotentia ad solvendum, vel quia per ipsum non stetit, ut si litteras jam misit, vel procuratorem admonuit, et casu, vel alterius incuria accidit, ut effectus impediretur (in his enim casibus et similibus sine dubio non con-

trahitur excommunicatio), nihilominus quia in foro exteriori constat de omissione solutionis contra talem obligationem, et alioqui ad ipsum reum pertinet excusationem, si quam habet, afferre et probare, et citatus censetur sufficienter, si Romæ coram quolibet procuratore citetur (sub hac enim conditione fit illa obligatio), ideo elapso termino solutionis et citationis, juste potest in foro exteriori declarari. Et ipse tenebitur in eodem foro abstinere, a tempore præsumptæ contumaciæ, nisi rigor hic alia via temperetur, ut statim dicemus. Quin potius si cum hoc rigore procedat lata excommunicatio, quamvis a principio non statim declaretur talis debitor excommunicatus, sed postea quando illi potest talis excommunicatio denunciari, nihilominus declaratio et censura quasi retrotrahitur, id est, non solum declaratur ille excommunicatus ab eo tempore, quo fit declaratio, sed etiam ab eo, ex quo fuit in mora solvendi, quia revera ex tunc excommunicationem contraxit.

9. *Quid si obligetur per procuratorem.* — Secus vero est, quando aliquis solum per procuratorem pensioni consensit, aut debitum contraxit sub prædicta obligatione in forma Cameræ; tunc enim donec litteræ, quibus pensio fuit instituta, vel obligationis et debiti, ipsimet debitori intimantur, non potest in conscientia excommunicationem incurrere, neque etiam in foro exteriori, et juxta communem praxim ille pro excommunicato non habebitur, donec de notificatione litterarum sufficienter constet. Et ratio est, quia consensus per solum procuratorem non sufficit, ut ipsi debitori censeatur sufficiens monitio facta, cum hæc fieri debeat in propria persona, per se loquendo, ut supra ostensum est. Et ideo etiam non sufficit ad contumaciam, quia nemo potest esse contumax, nisi prius fuerit monitus, ut supra etiam diximus. Propter quod etiam dictum est, eum, qui omnino ignorat invincibiliter excommunicationem et admonitionem ejus, non posse illam incurrere. Ita vero est in præsenti casu; nam ille, qui per alium tantum obligatur, per se, et ex vi illius obligationis ignorat censuram et obligationem sub comminatione illius; et ideo ille consensus per se non sufficit ad excommunicationem incurrendam. Atque in hunc modum hunc casum definiunt fere omnes auctores, qui illum attingunt, Navarrus, c. 23, n. 104, et c. 27, n. 274, citans Cassiodorum, super reg. Cancell., titul. de Pensionib., decis. 2, et tit. de Rescript., decis. 12; Covarr., c. Alma, part. 1, § 10, n. 7; Gigas, de Pension., quæst. 77, n. 20, et quæst. 84, n. 2; citantur etiam Antonius Massa, ibid., de Obligat. in forma Cameræ, pag. 136, et Mandosa, in regul. Cancell., reg. 27, quæst. 7, num. 4. Qui licet simpliciter dicant in his casibus incurri excommunicationem, statim ac debitor est in mora solvendi post sufficientem consensum vel notificationem litterarum, non tamen dicunt, eum non posse excusari in conscientia propter impotentiam, sed potius in hoc supponunt generalem doctrinam. Respectu vero exterioris fori oportebit hujusmodi impotentiam sufficienter ostendi; qua ostensa coram competente judice, vel absolvendus ille erit in eodem foro, vel certe declarandum, quod is excommunicationem non incurrerit, juxta varios intellectus cap. Odoardus, de Solut.

10. *Quod praxis habeat de excommunicatione in forma Cameræ.* — Atque ob hanc rem addendum ulterius est, quamvis id, quod in priori membro præcedentis distinctionis diximus, verum sit de possibili (ut sic dicam) et de toto rigore, ad hunc leniendum et tollendum periculum quoad fieri possit, ne aliquis sine culpa pro excommunicato habeatur, usu et praxi introductum esse, ut elapso termino ad pensionem vel debitum solvendum designato in prædicta obligatione in forma Cameræ, excommunicatio non censeatur incursa, donec creditor declaret se velle ut illam incurrat; quod si priusquam id declaret, vel ipse, vel debitor moriatur, vel solvatur pensio, vel fiat concordia, nunquam incurretur. Atque ita habere stilum Curiæ refert ex Cassiodoro Navarrus, dicto c. 23, n. 104. Ad quod faciunt multa, quæ in simili tractat Gigas, dicta quæst. 77, quamvis ipse in contrariam partem propendeat. Illa autem voluntas partis non satis est, ut sit privata, sed per sententiam Cameræ debet esse intimata debitori, ut excommunicationem incurrat, ut significat Cassiodorus, supra ex eodem usu et stilo Curiæ. Estque valde consentaneum rationi, ut et voluntas creditoris expectetur, quia cum in ejus favorem lata sit excommunicatio, donec ipse cum eo rigore exigat aut petat debitum, censetur dilationem permittere, nec judex intendit nisi juxta illius exigentiam et voluntatem excommunicationem ferre. Et rationabile etiam est, ut hæc voluntas creditoris intimetur debitori juridice et solemni notifi-

catione, atque adeo per ejusdem judicis sententiam. Tunc autem si creditori constiterit, debitorem esse impotentem ad solvendum, non poterit juste velle, ut alius excommunicationem incurrat. Neque etiam si id velit, in conscientia factum tenebit.

11. *Quædam evasio refellitur.*— Addit vero Navarrus supra, in eo casu, excommunicationem retrotrahi, id est, etiamsi creditor post mensem vel annum declaret se velle, ut debitor non solvens excommunicatus sit, illum habendum esse pro excommunicato a priori termino elapso, supposito quod personaliter consensit pensioni (ita enim loquitur). Hoc autem non existimo verum, quia est nimius rigor, et repugnans naturæ excommunicationis, et non satis fundatus. Aut enim excommunicatio fuit vere, et in re ipsa contracta ab initio, vel non. Primum dici non potest, quia supponimus creditorem prius non declarasse voluntatem suam, et absque hac declaratione non incurri excommunicationem illam, quia ante illam declarationem alter non censetur esse contumax. Si vero ab initio non fuit contracta excommunicatio, ergo declaratio postea facta non potest retrotrahi usque ad illum terminum. Patet consequentia, quia declararet rem falsam, scilicet fuisse excommunicatum ab eo tempore, in quo vere non fuit. Dicunt aliqui, etiamsi ille non fuerit vere excommunicatus ab eo termino, in foro tamen exteriori haberi ut excommunicatum ab illo termino, ex quadam præsumptione et fictione juris. Verumtamen ut probe notavit Covarruvias, in cap. Alma, part. 1, § 10, n. 6, in his spiritualibus pœnis non est locus fictioni juris, sed veritas semper attendenda est, quod maxime locum habet in foro conscientiæ; nam pro eo tempore, pro quo quispiam contumax non fuit, nullo modo potest pro excommunicato haberi, neque ipse in conscientia tenetur ad aliquem excommunicationis effectum. Idem autem verum esse censeo quoad forum externum; nam in casu, de quo agimus, qui illo tempore celebraverit, non propterea judicabitur irregularis aut beneficiis privabitur etiam in foro exteriori; esset enim talis pœna iniqua, cum pro illo tempore non fuerit contumax Ecclesiæ, neque fuerit transgressus præceptum Camerarii, quandoquidem illud dedit quasi pendens ex voluntate creditoris et sub conditione : *Si ille velit.* Propter quod, si plures sint fidejussores, et creditor unum excipiat, eumque admoneat se nolle ipsum comprehendi, quamvis litteræ generaliter promulgentur, ille non incurret censuram, neque in foro interiori, neque in exteriori, si in illo sufficienter ostendat declarationem voluntatis sui creditoris. Hæc autem de foro exteriori ita intelligenda sunt, ut tamen propter vitandum scandalum debeat quis sæpe ab exterioribus actionibus abstinere in publico, quando de exceptione vel alia simili excusatione non constat.

12. *Debitores, qui in forma Cameræ obligantur, renunciant. — Solutio. — Difficultas circa hanc renunciationem.* — Ultimo est circa hunc casum advertendum, juxta commune jus c. Odoardus, de Solut., solere clericum beneficiatum alieno ære gravatum, qui satisfacere non potest, ut molestiam creditorum evitet, ab Ordinario suo petere, ut assignata sibi congruente sustentatione, reliquos fructus ad debita suo ordini solvenda applicet, donec plene satisfaciat; debitoresque inhibeat, ne amplius ipsum vexent. Huic ergo communi juri, et favori renunciant hi debitores, qui in foro Cameræ obligantur; ideoque illo uti non possunt, ut prædictam censuram effugiant. Ex quo fieri videtur, hunc debitorem non effugere prædictam censuram, etiamsi quantum in se est faciat ut solvat, si non integre solvit. Quid enim amplius facere potest, moraliter loquendo, quam renunciare omnibus fructibus, et sola congrua sustentatione esse contentum? Adeo enim intrinseca et naturalis est reservatio congruæ sustentationis, ut nemo possit propter illam juste vexari, et propterea jus illud c. Odoardus, non tam videatur positivum, quam conservatio, et defensio naturalis juris. Si ergo huic etiam juri in prædicta obligatione renunciatur, signum est non excusari quempiam ab hac censura propter impotentiam solvendi.

13. *Resolvitur difficultas apposita distinctione de impotentia.* — Hæc difficultas videtur potius probare renunciationem illam invalidam esse; nam conditio illa adeo est rigida, ut præter modum, et obligationem humanam esse videatur. Quia vero consuetudinem illam improbare non possumus, addimus distinguendum esse de impotentia simpliciter, et de impotentia morali solvendi; nam impotentia simpliciter sine dubio semper excusat a culpa, non obstante quacumque obligatione, et consequenter etiam a censura, ut evidenter probant superius dicta. At vero impotentia moralis, licet per se suspendat, aut etiam tollat obligationem naturalem resti-

tuendi, juxta communem doctrinam de restitutione, 2. 2, quæst. 62, art. ult., tamen si intercedat renunciatio per proprium consensum, quo quis se obligat ad solvendum, non obstante tali impotentia morali, fieri posse videtur, ut jam tunc illa impotentia non excuset a culpa in non solvendo, et consequenter nec a censura; nam illa impotentia non includit absolutam potestatem, sed adjungit difficultatem moralem, ad quam superandam, et vincendam, potest aliquis proprio consensu obligari. Sed, ut hoc tolerabilius fiat, adjungere oportet, in hac impotentia morali posse esse gradus, quia in congrua sustentatione, in diminutione status, et egestate, in qua quis constituitur, si plene solvat, potest esse latitudo. Poterit ergo quis obligari ad omnia illa, quæ non afferunt, vel gravem infamiam, aut indecentiam status, vel aliud simile nocumentum, etiamsi cum hujusmodi gravi damno nunquam solvere obligetur.

14. *Quale remedium possit huic renunciationi adhiberi.* — Ob hanc ergo causam potest justificari renunciatio illius juris c. Odoardus, nam assignatio congruæ sustentationis ordinario modo facta solet esse nimis ampla, et retento fere integro statu, etc. Crediderim tamen, quamvis post obligationem in forma Cameræ non possit Ordinarius uti illo jure, ipsum tamen Auditorem Cameræ, si ad eum accedatur, ut accedi debet, posse et debere tali debitori congruam sustentationem assignare, magis fortasse limitatam, sufficientem tamen ad decentiam status clericalis, et talis beneficii, vel dignitatis, quia hoc tam intrinsecam habet honestatem, ut nemo possit illa privari; maxime, quia cum non solum respiciat personam, sed dignitatem ipsam, et ordinis clericalis decentiam, nemo potest illi renunciare. Ad vitandas autem hujusmodi molestias solent hi debitores impetrare Pontificium diploma, ut coram suis Ordinariis uti possint favore c. Odoardus, prout de jure possunt. Tamen ut hæc rescripta sint utilia, advertere debent, ut in eis ponatur clausula : *Non obstante quacumque obligatione in forma Cameræ,* quia alias per talem concessionem non impeditur facultas Auditoris Cameræ, juxta concessiones plurium Pontificum, quas afferunt qui de hac re, et de rebus curiæ Romanæ scribunt. Sed de hoc casu hæc sufficiant; quæ hic adjungenda censuimus propter frequentem ejus necessitatem, et usum.

Duo notanda circa tactam difficultatem de impotentia ad solvendum.

15. *Qui statuto tempore est impotens solvendo, si postea fiat potens et non solvat, incurrere excommunicationem.* — Antequam tamen hinc discedamus, circa hanc excusationem impotentiæ duo breviter adjungere oportet. Unum est, quando excommunicatio fertur, ut solutio fiat ad certum tempus, si illo tempore quis sit impotens, excusari quidem tunc a culpa, et consequenter ab excommunicatione, non tamen propterea præcepti et excommunicationis vim prorsus extingui, sed perseverare potius, et obligare ad solvendum, cum primum quis possit. Unde, si quis veniens postea ad pinguiorem fortunam non restituat, vel non solvat, excommunicationem incurret. Ita colligitur ex dicto c. Odoardus, de Solut. Et ratio est clara, quia, ut in superioribus tactum est, ille terminus qui designatur, non est ad finiendam obligationem, sed ad differendam executionem ejus usque ad illum, et non ultra; et ideo si in illo termino non satisfit obligationi, sive ex impotentia, sive ex quacumque alia causa, non propterea extinguitur obligatio, sed potius semper obligat ne differatur solutio, si fieri possit. Est enim jam tunc quasi præceptum negativum, non differendi amplius solutionem, cujus natura est, ut pro semper obliget.

16. *Non excusat ab excommunicatione impotentia ex malitia aut negligentia orta.* — Alterum notandum est, de impotentia, quæ non casu accidit, sed voluntarie, et ex malitia, vel ex negligentia incurritur, vel potius assumitur. Illa enim non videtur culpam, et consequenter, nec excommunicationem excusare. Ut, v. gr., habet quis dictam obligationem in forma Cameræ ad solvendum pensionem intra mensem, et nunc in principio mensis est potens ad solvendum, nihil tamen curans de solutione pensionis omnia expendit, et ita fit impotens ad solvendum. Dico igitur hunc non excusari, quominus, si, præscripto termino elapso, petitam pensionem non solvat, excommunicationem incurrat. Ratio a priori est, quia ille revera agit contra præceptum, et consequenter est contumax; sicut etiam agit contra præceptum de recitando officio, qui se reddit impotentem ad recitandum. Item quia alias, qui malitiose omnia expenderet, et donaret, posset hac via evadere vim excommunicationis, quod nemo prudens dicet. Si autem malitia

non excusat, neque etiam gravis negligentia cum sufficienti prævisione futuræ impotentiæ, et consequenter cum prævisione moralis periculi non implendi quod sub excommunicatione præceptum est, excusabit.

17. Recolendum est autem in hujusmodi casibus, aliud esse tempus, in quo delinquitur coram Deo, aliud vero in quo excommunicatio incurritur. Delinquit enim aliquis eo tempore, quo fit impotens ad solvendum intra præfixum terminum; non incurrit autem excommunicationem, donec re ipsa talis terminus finitur non impleta obligatione, quia censura non contrahitur, donec omissio præcepti exterius consummata sit, ut supra dictum est. Quamvis autem causa omissionis prius posita fuerit, et ideo delictum tunc maxime fuerit commissum, tamen omissio re ipsa consummata non fuit usque ad præfixum terminum; et ideo usque ad illum non incurritur excommunicatio; a qua non potest tunc impotentia excusare, quia, cum hæc fuerit voluntaria, non facit omissionem involuntariam, sed relinquit illam peccaminosam, et contumacem ex vi prioris causæ, etiamsi fortasse jam tunc displiceat, quod non satis est ad impediendam excommunicationem. Nisi fortasse interveniat ejusdem judicis auctoritas, qui sicut potest, et debet absolvere eum, qui a contumacia recedit, etiamsi prius deliquerit, ita etiam si congruo tempore ad eum fiat recursus, et impotentia sufficienter proponatur, et probetur, offerendo satisfactionem, vel cautionem possibilem, potest et debet suspendere excommunicationis censuram, etiamsi illa impotentia ex iniqua causa manaverit. Pro qua iniquitate, et inchoata contumacia (ut sic dicam) poterit judex convenientem pœnitentiam injungere, non poterit tamen juste subtractionem censuræ contrahendæ denegare, sicut non potest negare absolutionem censuræ jam contractæ digne petenti; est enim eadem ratio.

SECTIO III.

Utrum excommunicatio lata ad finem revelandi secretum, denunciandi crimen occultum, vel prodendi scripturam semper liget.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi est, quia sæpe in causis, propter quas feruntur hæ excommunicationes, nulla intervenit culpa, neque alia spiritualis causa, propter quam talis excommunicatio feratur; ergo illæ non ligant. Consequentia patet ex dictis sect. 1; et antecedens probatur, quia cogitur quandoque quis scripturam prodere, quam juste apud se retinet, eo quod sua sit; solumque petitur, quia potest alii prodesse ad causam, vel jus temporale ostendendum, quod intendit; ibi ergo nulla est culpa, nihilque spirituale, sed mere temporalis utilitas. In contrarium vero est communis usus Ecclesiasticorum judicum.

Regula ad cognoscendum quando excommunicatio ad hunc finem lata valida sit.

2. *Quibus causis excommunicatio lata sit valida. — Prima regula. — Exemplis posita regula explicatur.* — In hac re supponendum est has excommunicationes, neque justas, neque validas esse posse, neque etiam in particulari obligare, nisi altera e duabus causis sæpe numeratis intercedat, scilicet, aut correctio peccato commisso, aut executio præcepti obligantis, et consequenter præventio ne peccatum committatur; hi enim sunt fines adeo intrinseci excommunicationis, quæ spiritualis et medicinalis pœna est, ut sine illis subsistere non possit. Ex quo principio tres regulæ colliguntur consentaneæ doctrinæ superius traditæ, quæ per eas ad præsentem casum sufficienter applicatur. Prima est : quoties excommunicatio fertur ad hunc finem manifestandi veritatem, vel prodendi scripturam, in eo casu, in quo ante talem excommunicationem latam quis tenebatur, vel jure naturæ, vel alio quocumque ad illam veritatem, vel scripturam prodendam, talis excommunicatio ligat. Hæc regula facile patet ex dictis, quia tunc jam agitur de correctione fratris, qui dum obligationem non implet, quam tenetur, peccat, et in materia gravi, ut supponimus; et ideo per secretam, vel publicam monitionem merito corripitur, ut a peccato recedat. Quod si nolit, juste etiam per excommunicationem compellitur. Exempla sunt. Primum, si quis propter commune bonum teneatur occultum hæreticum, aut seditiosum, vel alium similem reipublicæ hostem superiori denunciare : jam tunc si aliquid hujusmodi sub excommunicatione latæ sententiæ, vel generatim, vel speciatim, vel absolute, vel infra certum terminum præcipiatur, talis excommunicatio ligat eum, qui intra præscriptum terminum non obedit, per se loquendo; illud enim præceptum justum est, et materia ejus est gravis, et includit finem accommodatissimum ad censuram ferendam.

Aliud exemplum est, si quis apud se habeat reconditam scripturam alienam, id est, in qua non solum agitur de alieno titulo, vel jure, sed etiam cujus dominium, vel usus ad alium spectat : tunc, si huic præcipiatur sub excommunicatione, ut scripturam prodat, sine dubio ligabitur, quia etiam seclusa excommunicatione ille per se tenetur talem scripturam reddere domino ex justitia, quia sicut res alias, ita et scripturam retinere invito domino contra justitiam est. Unde quoad hoc eadem est ratio de excommunicatione in hac materia lata, et de quacumque alia, quæ fertur ad solvendum debitum, vel restituendum alienum, de quibus supra dictum est. Unde in hujusmodi censura ferenda, quando causa, super quam fertur, mere temporalis est, et inter personas seculares, servandæ sunt conditiones, et circumstantiæ in præcedentibus sectionibus positæ, nimirum ut res sit gravioris momenti, et necessitas urgeat, utpote, quia non potest aliud medium applicari, vel quia tentatis aliis nullum inventum est utile.

3. *Objectio. — Responsio. — Discrimen inter obligationem scripturæ prodendæ, et testimonii ferendi.* — Sed dicet aliquis circa exemplum positum : nullus tenetur ante præceptum judicis testimonium ferre in causa aliena ; ergo neque etiam tenebitur prodere scripturam, quæ non est, nisi veluti quoddam scriptum testimonium ; ergo hoc titulo nemo potest excommunicatione ligari. Respondetur primo negando consequentiam, loquendo præcise de obligatione justitiæ commutativæ. De hac enim, regulariter loquendo, verum est antecedens. Est vero differentia inter testimonium, et scripturam; nam scriptura est res exterior et permanens, quæ cadit sub dominium alicujus, et ideo absque alio præcepto justitia obligat, ut domino reddatur; testimonium autem consistit solum in actione propria; et ideo, dum non actu fertur, nihil est quod sub dominio alterius existere possit; quare justitia ex se non obligat ad illud ferendum. Dixi autem, *frequenter,* quia si præcessisset pactum, vel promissio acceptata, et maxime onerosa, tunc juxta modum obligationis posset aliquis teneri ex justitia, vel fidelitate ad ferendum testimonium, etiam sese offerendo, si necesse sit; et tunc servata eadem proportione posset sub censura cogi ad pactum implendum.

4. ***Potest quis charitate teneri ad testimonium ferendum, et ad hoc per excommunicationem compelli.*** — Unde ulterius additur, etiamsi quis non teneatur ex justitia commutativa testimonium sicut scripturam proferre, posset tamen aliquando ex charitate teneri, ut si ex defectu veri testimonii proximus grave damnum patiatur, et alius possit sine tali detrimento, vel difficultate veritatem aperire, et a fortiori si ea de causa commune bonum periclitetur, vel alia similis ratio interveniat. Hæc autem obligatio sufficiet, ut possit quis sub excommunicatione obligare ad testimonium ferendum, quia potestas Ecclesiastica, non solum peccata contra justitiam, sed etiam contra charitatem cohibere potest, ut sumitur ex illis verbis Christi : *Si peccaverit in te,* et infra : *Lucratus eris fratrem tuum,* quæ generalia sunt. Juxta quæ dixit Innocentius III, in cap. Novit, de Judiciis : *Licet hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus a vitio ad virtutem,* etc. Verumtamen hic modus obligationis, et consequenter etiam excommunicationis intercedere potest etiam in scriptura prodenda. Quod maxime continget, quando non aliena, sed propria scriptura postulatur; nemo enim tenetur ex justitia commutativa hujusmodi scripturam prodere, quia licet quis eam occultet, vel etiam comburat, non contrectat rem alienam, sed propriam, qua potest uti in quemlibet usum. Quod si inde sequitur aliquod incommodum alteri, non per se sequitur, sed per accidens, quia forte ille caret alio testimonio, quo suum jus probet, quod accidentarium est; nam ego non teneor ex justitia conservare, aut proferre scripturam, ut alter jus suum ostendat, sed illi incumbit, propriam scripturam seu titulum sui juris habere. Nihilominus tamen, si necessitas proximi gravis sit, eo quod sit in gravi periculo grandis jacturæ bonorum contra justitiam, et dominus scripturæ possit sine gravi detrimento illam prodere, interdum ad hoc ex charitate obligabitur pensatis circumstantiis, et incommodis, quæ utrinque in hujusmodi rebus moralibus intervenire solent. Qua obligatione supposita, si accedat Prælati præceptum sub comminatione excommunicationis latæ sententiæ, clarum est obligationem augeri ex justo præcepto; et interveniente contumacia post sufficientem monitionem, talem excommunicationem incurri.

Secunda regula.

5. *Posse judicem Ecclesiasticum ad hæc obli-*

gare etiam quando ante latam excommunicationem non supponebatur obligatio. — Secunda regula est : etiamsi non supponatur aliunde obligatio ad manifestandam veritatem, vel scripturam prodendam, antequam Prælatus Ecclesiasticus sub excommunicatione ipso jure incurrenda id præcipiat, potest tale præceptum esse justum et obligans, et consequenter excommunicatio erit valida et post trinam monitionem juste lata; ideoque qui tali præcepto non obedierit, censuram incurret. Hæc sequitur ex dictis in sect. 1, ubi ostendimus Prælatum Ecclesiasticum posse hanc excommunicationem etiam in hac materia imponere, non solum ad corrigendum peccatum jam commissum, nec solum ad roborandam naturalem obligationem, sed etiam ad statuendum proprium præceptum, et novam obligationem. Quod si in aliis materiis habet spiritualis potestas hanc efficacitatem, non minorem habebit in hac, quæ ad veritatem revelandam spectat. Nam ex parte ipsius Ecclesiæ potestas æque universalis est; ex parte vero ipsius materiæ non est minor capacitas, quam in aliis temporalibus causis; imo quodammodo major, quia veritatis manifestatio est adeo universalis causa, ut sit veluti transcendens, et in omnibus aliis causis inclusa, quia vix potest illa juridice terminari sine veritatis manifestatione. Unde fit, ut hoc sæpe sit necessarium ad bonum commune, et ad executionem justitiæ, sub qua ratione facile potest spirituale motivum induere seu participare, ut sub spiritualem potestatem cadere valeat.

6. Rursus, quia cura boni communis et justitiæ servandæ major est in Prælato, quam in subditis, ideo sæpe fieri potest, ut illi fines per sese considerati non obligent subditum ad sua instrumenta vel suum testimonium offerendum, ut veritas elucescat, et nihilominus possit Prælatus propter eosdem fines obligare speciali præcepto positivo ad veritatem manifestandam, vel instrumenta, quibus probari possit, prodenda. Et confirmari potest a simili, nam sæpe aliquis non vocatus, neque interrogatus, non tenetur testimonium suum ad judicem ferre; nam hoc ad judicis munus spectat, et, per se loquendo, satis censetur huic negotio per potestatem judicis provisum. At vero postquam judex aliquem vocat, eumque juridice interrogat, obedire tenetur ac testimonium ferre, quia præceptum est justum et obligationem inducens, quamvis antea non esset; ergo idem erit, si præceptum generatim imponatur; non est enim minus efficax, nec minus necessarius ille præcipiendi modus, quando judicem latent personæ, quæ veritatem sciunt, et ideo non possunt speciatim et nominatim vocari; satis enim vocantur et interrogantur sub illa generali appellatione : *Qui hoc sciverit.* Eademque ratio est de præcepto prodendi scripturam; nam illa etiam est quædam interrogatio veritatis cognitæ, aut per se, aut per scripturam, vel (quod perinde est) est quædam interrogatio veritatis, aut de facto ipso, aut de scriptura continente factum; de qua etiam judex habet jus inquirendi et interrogandi. Unde non refert, quod talis scriptura propria sit; nam etiam testimonium est proprium, et nihilominus superioris præceptum obligat ad illud exhibendum; ergo obligare potest ad exhibendam propriam scripturam, quia dominus non propterea perdit dominium ejus, neque usum, neque aliquod grave incommodum inde incurrit, per se loquendo; ergo quando id est utile alteri, seu bono communi, et judex præceptum imponit, obligat ad scripturam etiam propriam manifestandam. Quod adeo verum censuit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 1, art. 2, ut vix ullam excusationem admittat; quod qualiter verum sit, in sequenti regula videbimus.

7. *Quomodo cognoscendum, an nova obligatio imponatur, an vero solum exigatur antiqua.* — Supposita igitur justitia præcepti, reliquæ partes regulæ propositæ manifestæ sunt. Nam præceptum Ecclesiasticum et justum sanciri potest censura excommunicationis, supposita gravi materia, et aliis circumstantiis ad debitum modum ferendi censuram necessariis; quas in hujusmodi causis intervenire posse, facile intelligitur ex dictis. Solum est circa hanc et præcedentem regulam advertendum, cum judices Ecclesiastici possint utroque modo hanc censuram ferre, scilicet, et novam obligationem imponendo, et antiquam tantum exigendo, ad discernendum in particulari, utro ex dictis modis feratur præceptum, consideranda esse verba præcepti seu sententiæ. Nam, si absolute præcipiat proferre scripturas, ex quibus veritas in tali causa haberi possit, non determinando an sint alienæ vel propriæ, nec supponendo peccatum in eo, qui illas apud se retinet vel occultat ante tale præceptum, tunc signum est talem sententiam ferri ad inducendam novam obligationem sub tali censura, et ideo per se loquendo obligare, etiamsi antea nul-

lum peccatum esset talem scripturam retinere. At vero, si sententia feratur per verba, quæ culpam supponant, ut contra eos, qui alienas scripturas apud se retinent, vel qui contra conscientiam et absque Dei timore veritatem occultant, tunc signum est non ferri novum præceptum, sed censuram ferri ad corrigendum peccatum, vel ad extorquendam executionem prioris præcepti seu obligationis.

Tertia regula.

8. *Primum exemplum.* — Tertia regula sit: quando hujusmodi excommunicatio ab homine lata nec supponit gravem culpam in tacenda veritate vel occultanda scriptura commissam, neque etiam supponit priorem obligationem ad talem actum, neque illam valet inducere, vel simpliciter, vel in tali casu, tunc, etiamsi quis non respondeat seu obediat tali sententiæ, non ligabitur tali censura. Hæc regula ita generatim sumpta per se evidens est, quia posita hypothesi, quæ in ea supponitur, excommunicatio est nulla ex defectu causæ, quia si nec obligatio supponitur, nec de novo inducitur, nulla committitur culpa vel contumacia; ergo deest materia et causa excommunicationis. Ut tamen facilius possit hæc regula ad praxim applicari, oportet aliqua exempla seu modos in particulari proponere, quibus id solet vel potest contingere. Primus est si tale præceptum hominis injustum sit, vel excedens humanam facultatem. Censetur autem esse tale, quando præcipit revelare rem omnino occultam, quæ cedit in infamiam vel grave damnum alicujus, contra quem nec semiplena probatio, nec publicus rumor aut infamia præcessit. Item, si aliquis propria instrumenta, quæ apud se habet et tanquam sua legitime possidet, in favorem sui adversarii prodere cogatur, absque alia speciali causa, juxta c. 1 de Probationibus, ubi Abbas, Decius et alii id latius declarant. Item, si præcipiat denunciare fratrem etiam ante præmissam correctionem secretam, quando nec deest spes emendæ per illam viam, neque agitur de alterius damno vel publico periculo vitando. Item (quod perinde est) si præcipiat denunciare delinquentem, etiamsi emendatus sit et in futurum non timeatur periculum aliquod nec damnum commune vel tertiæ personæ. Qui casus et similes sunt frequentes in hac materia; eos tamen exponere non est hujus loci, in quo non agimus de conditionibus, quas lex seu præceptum in omni materia requirit, ut justum sit; hoc enim præcipue spectat ad materiam de justitia, et per alias etiam vagatur. Sed agimus de conditionibus requisitis, ut excommunicatio liget, quarum una et potissima est, ut præceptum sit justum. Ob hanc ergo causam non disputabo hoc loco de fraterna correctione, et quando sit injustum præceptum illius ordinem transiliens, quæve exceptiones in hoc locum habeant, quod agitur in 2. 2, quæst. 33. Neque etiam disputabo, quando juste procedat judex interrogando de delictis occultis, vel generatim omnino, vel speciatim omnino, vel speciatim ex parte delicti, generatim vero ex parte personarum, vel e contrario speciatim de persona, et generatim de delictis ejus, quæ omnia fuse tractantur in 2. 2, quæst. 67 usque ad 70, et videri potest Soto, in lib. 5 de Justit., quæst. 4, et sequentibus, et Navarr., in cap. Inter verba, coroll. 84, et in Rubrica de Judiciis, a num. 77, et in Summ., cap. 18, num. 38 et sequent.

9. *Secundum exemplum.* — Secundum exemplum est, quando præceptum quidem judicis de se justum est, tamen aliquis non potest illud exequi sine gravi detrimento; tunc enim excusatur ab obligatione præcepti, et consequenter ab excommunicatione. Est communis opinio, ut patet ex Navarro, c. 17, num. 57, cap. 24, num. 12, et cap. 25, n. 5; Soto, Relect. de Secreto, membr. 2, quæst. 6, dub. 5; Cordub., in Summ., quæst. 63 et 64. Et ratio est, quia præceptum humanum non obligat cum tanto discrimine, neque esse debet de re nimis ardua et difficili, ut constat ex materia de legibus, nisi propter commune bonum aliquando id expediat; igitur, si sub excommunicatione præcipiatur alicui, ut exhibeat proprium instrumentum in alterius commodum, et id facere non possit sine magno detrimento, vel in vita, vel in fama, vel in aliis bonis, non tenetur scripturam exhibere, excepto casu publicæ necessitatis boni communis (quem semper exceptum esse suppono). Confirmatur, quia judex secularis in eo casu non posset juste cogere talem personam ad exhibendam scripturam, vel si cogat ex falsa præsumptione, quia non credit detrimentum alterius, ille non tenetur parere, sed licet ei subterfugere, et occultare quantum potuerit, quia est nimis acerbum et superans quodammodo humanas vires, obligare aliquem ad subveniendum alteri cum tanto damno et incommodo proprio; ergo nec judex Ecclesiasticus potest in eo casu per

censuras obligare, tum quia ejus præceptum etiam est humanum, ideoque in eo procedit eadem ratio vel etiam major, quia decet esse ejus præceptum magis pium et moderatum; tum etiam quia, ut supra dicebamus, judex Ecclesiasticus in causis solum utitur sua potestate, quando secularis non potest, eo quod occultæ sint personæ; ergo non plus potest Ecclesiasticus judex circa occultas personas, quam posset secularis circa manifestas. Quin potius tanta esse potest famæ aut aliorum bonorum jactura, ut a reddenda etiam aliena scriptura quempiam excuset; nam etiam alias res alienas non tenetur homo restituere cum tanto dispendio, ut ex materia de restitutione constat; ergo eadem ratione, nec scripturam reddere aut manifestare tenetur.

10. *Tertium exemplum. — Non incurritur excommunicatio in occultanda persona sibi valde conjuncta. — Limitatio prædictæ doctrinæ.* — Tertium exemplum est : si testimonium ferendum sit contra personam sibi valde conjunctam, licet edictum generaliter proponatur, ut quilibet revelet patratorem talis delicti, et omnes aliæ conditiones ad justitiam talis præcepti necessariæ concurrant, nihilominus pater non obligatur ad revelandum filium, aut e contra, nec maritus uxorem, aut e contra, nec frater fratrem, quia et id, per se loquendo, est valde difficile, quia quodammodo est ferre testimonium contra se ipsum, et non est sine aliqua propria infamia vel alio gravi incommodo. Unde in c. 3, 4, quæst. 3, ex lege 4, ff. de Testibus, cavetur, *ne invito denuncietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosve qui priori gradu sunt.* Ubi etiam excipiuntur liberti, et patroni inter se, et respectu suorum cognatorum in eisdem gradibus. Si ergo leges civiles hos excipiunt, ne judices seculares eos invitos ad testimonium ferendum cogant, a fortiori Prælati Ecclesiastici, qui ferunt excommunicationes hujusmodi, quasi in subsidium et adjutorium ipsorum judicum, quando ipsi non possunt procedere propter incertitudinem personarum, non debent neque possunt easdem personas excommunicatione obligare. De qua re legi potest Navarrus, in cap. Inter verba, concl. 6, corollar. 66, a n. 412, et in Summ., cap. 14, num. 12, et cap. 25, n. 49. Et ex eo colligi possunt limitationes, nimirum nisi in causa fidei, aut læsæ majestatis, et similes, quæ non hoc loco, sed in materia de testibus explicandæ sunt.

11. *In quibus præterea casibus excusetur quis a revelando secreto, l. Crimine.* — Quarto a fortiori excusantur personæ omnes, quæ ita rem norunt, ut licite non possint eam revelare; hujusmodi est in primis, qui talem rem in confessione novit. Qui casus nullam admittit exceptionem, ut superius suo loco dictum est. Item qui rem novit per consultationem secretam aut ratione officii, quo obligatur ad defendendum jus talis partis, ut est advocatus aut procurator, quia alias non possent homines secure alios secreto consulere aut per alios sua secreta negotia tractare. Excipiendum vero est, nisi quis velit illo secreto uti in reipublicæ perniciem vel grave damnum alicujus proximi; De qua re late Navarrus, dicto corollar. 66; Soto, et alii supra citati. Et huc etiam spectat (quod iidem auctores notant), si quis cogatur denunciare eum, contra quem nullum testem afferre potest, quia id potius est infamare, quam juridice denunciare. De qua re est optima Pontificis decisio in cap. Qualiter et quando, 1, de Accusationibus, ibi, *Exceptis occultis criminibus.*

12. *Quintum exemplum.* — Quinto loco addere possumus, excipi etiam eos, qui non comprehenduntur sub verbis edicti in proprietate sumptis, vel licet cortice verborum comprehendi videantur, non tamen rê ipsa per legem intenta seu quæ intendi debuit. Hinc si per edictum præcipiatur, ut qui habet talem scripturam, eam prodat, qui habet ejus transsumptum, non vero scripturam authenticam, non tenetur illud prodere, quia nec sunt idem, neque in judicio facit transsumptum æqualem fidem, ut est vulgare in jure; item si quis præcipiatur revelare qui talem rem accepit, et mihi constat hunc accepisse, non tamen teneri ad restituendam ipsam, quia non omnino injuste, sed ad recompensandum aliud debitum illam accepit, ille non tenetur revelare, quia revera non scit quod intenditur vel intendi debet, scilicet injustam acceptionem et ad restituendum obnoxiam. Et idem est, si novit alium quidem esse debitorem seu rem accepisse, nunc autem propter impotentiam excusari a reddendo, etiam ipse excusabitur a denunciando vel manifestando, quia jam cessat formalis ratio præcepti in re, ut dicti auctores docent. Idem est, si noverit rem talem fuisse alienam, jam vero esse juste præscriptam seu usucaptam juxta generalem doctrinam de restitutione, et dominio, et videri possunt, quæ Covarruvias tractat, in reg. Possessor, § 2; Navarr., in Sum., c. 17,

num. 114. Qui ex parte dissentire videtur, sed sine sufficienti fundamento. Videri etiam potest Soto, lib. 4 de Just., quæst. 5, art. 4, et lib. 5, q. 3, art. 1 et 3; et Petrus Navarr., lib. 3 de Rest., cap. 1.

13. *Quando consummetur contumacia contra edicta præcipientia, ut intra tot dies fiat hæc manifestatio.* — Ultimo est circa hæc edicta animadvertendum, solere ferri sub certo numero dierum, ita ut intra sex dies, v. gr., reveletur quod præcipitur, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, qui numerari debent ab eadem die et hora, qua edictum profertur, neque incurretur excommunicatio, donec tot dies naturales integre compleantur, quia ille terminus positus est, ut in eo liceret differre executionem, et consulere, et expendere, quid et quo modo agere oporteat. Unde quamdiu ille terminus elapsus non est, non potest talis persona vere dici contumax. At vero elapso termino et nulla interveniente justa excusatione, statim incurritur excommunicatio; supponimus enim et fuisse hac intentione latam, ut ipso facto incurratur, et modo justo vel saltem sufficiente ad valorem ejus, id est, cum debita præmonitione et cum illa clausula justificativa : *Si te gravatum senseris, intra talem terminum compareas,* de qua videri potest Navarr., in c. Cum contingat, de Rescriptis, et consil. 13, de Cleric. excom. ministr., et quæ de excommunicatione lata pro futuris culpis notat Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 10, n. 4 et 5, et supra etiam diximus tractando de censuris in communi.

14. *An finito termino in edicto præscripto finiatur ejus obligatio.* — *Corollarium.* — Interrogabit autem aliquis, an, elapso illo termino, cesset obligatio, vel semper teneatur aliquis obedire edicto, nec possit absolvi, donec illi satisfaciat. Respondeo, per se loquendo, et ex vi formæ talis præcepti obligationem durare, sicut præcedenti sectione dixi de obligatione restituendi seu solvendi debitum, quia ille terminus non est ad extinguendam, sed tantum ad differendam obligationem. Dico autem *per se*, etc., quia si intercedat ratio aliqua, ob quam mandatum extinguatur, aliud erit; ut si mandans moriatur; nam, ut superius tractavimus, excommunicatio ab homine per sententiam lata, illo mortuo, extinguitur. Idemque est, si amoveatur vel suspendatur ab officio; et si edictum in visitatione proferatur, solum censetur durare tempore visitationis. Quanquam in hoc intentio præcipientis et usus maxime attendendus est. Ex quo inferri potest, si quis propter ignorantiam intra præfixum terminum non respondeat, postea teneri ad comparendum, quando illi de mandato constiterit, quod sine causa negavit Armilla, verb. *Excommunicatio,* num. 34. Et ratio est, quia illa obligatio durat; ergo quamvis ille propter ignorantiam excusatus fuerit, postea obligabitur. Probabile tamen censeo illum non teneri ad comparendum statim ac edictum novit, sed infra terminum æqualem in edicto concessum, quia non debet esse pejoris conditionis. Et eadem ratione, si quis propter impotentiam vel alia incommoda excusatus fuit, ne responderet, oblato impedimento tenebitur postea, si præceptum nondum est extinctum; et illi non oportebit novum terminum concedere, quia jam habuit scientiam, ut posset toto illo tempore deliberare vel consulere, si necessarium esset.

DISPUTATIO XXI.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS PAPÆ RESERVATIS IN BULLA CŒNÆ DOMINI.

Accedimus jam ad explicandas in particulari excommunicationes ipso jure latas, quas in duas classes principales distinguimus, scilicet in eas, quæ Papæ reservatæ sunt, et eas, quæ Episcopales dici solent. Rursus priores subdistinguuntur in eas, quæ in Bulla Cœnæ singulis annis feruntur, et eas, quæ jure Pontificio latæ sunt, præsertim jure communi; quibus, si fieri possit, adjungemus eas, quæ nonnullis decretis extra commune jus, quæ motus proprii dicuntur, latæ sunt, qui motus proprii novissime editi sunt et collecti Romæ a tempore Gregorii VIII usque ad Sixtum V, ultra quos e posterioribus Pontificibus aliqui additi sunt. Ex eis vero multi sunt in causis particularibus vel ad certas personas destinati, de quibus nihil dicere oportebit. Alii vero sunt leges perpetuæ et pertinentes ad universam Ecclesiam, ex quibus, si non omnes, præcipuas tamen excommunicationes ipso jure ferentes annotabimus. In præsenti ergo disputatione excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur, declaraturi sumus. Et primum præambula quædam ad intelligentiam totius Bullæ et omnium sanctionum ejus præmittemus; deinde singula capita excommunicationum, et tan-

dem ea, quæ post censuras in dicta Bulla adjiciuntur, declarabimus.

SECTIO I.

Quales sint censuræ in Bulla Cœnæ latæ.

1. *Utrum excommunicati Bullæ sint ab homine, an a jure.* — Dubium non est de specie censuræ, quia notum est in omnibus casibus illius Bullæ præcipue ferri excommunicationem majorem, quamvis interdum aliqua alia adjungatur, ut interdictum, etc., quod præcipue fit, quando in communitatem ferenda est censura, quia in illam non fertur excommunicatio, ut suis locis annotavimus. Sed inquiri potest de qualitate et gravitate illius excommunicationis. Et primo an censendæ sint a jure vel ab homine. Olim enim censebantur esse tantum ab homine, quia non per modum statuti, sed per modum cujusdam sententiæ singulis annis proferuntur. Unde consequebatur, mortuo Summo Pontifice, totam illam legem et omnes ejus censuras expirare, quia hoc commune est omni sententiæ latæ ab homine. Ita docuit Soto, d. 22, q. 2, art. 3. Verumtamen a tempore Pii V additur in prædicta Bulla hæc clausula : *Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, et quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus a nobis aut a Romano Pontifice pro tempore existente fiant aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.* Juxta quam clausulam censura hæc ex se perpetua est, in quo jam naturam statuti seu legis imitatur; nam, ut vidimus, statutum differt a sententia generali in perpetuitate, præsertim in iis, quæ a Pontifice Summo feruntur; nam lata ab inferioribus alias habent differentias. Et ideo Navarrus, in Summ., cap. 27, num. 74, existimat has censuras jam dicendas esse latas a jure.

2. *Discrimen inter censuram latam per Bullam et per legem.* — Aliqua tamen differentia intervenit semper inter hanc sententiam, etiam prout nunc fertur in Bulla Cœnæ, et legem, quod lex etiamsi iterum atque iterum feratur circa eamdem rem cum variis circumstantiis, non cessat, nisi per posteriorem revocetur, vel aliquid ei contrarium statuatur; at vero Bulla Cœnæ, statim ac subsequens publicatur, cessat ipso facto, etiamsi non revocetur, unde si quid in posteriori omittitur, simpliciter sublatum censetur, etiamsi id expresse non revocetur, nec declaretur; hanc enim vim habent verba illa : *Quousque alii similes processus,* etc. In hoc ergo differt hæc censura ab ea, quæ proprie dicitur *a jure;* et ideo singulis annis promulgatur per modum generalis sententiæ; in reliquis vero omnibus, quæ ad rem spectant, parum refert eam *a jure,* vel *ab homine* vocare, excepta quadam absolutione ab aliqua censura in prædicta Bulla contenta, de qua infra videbimus. Certum tamen esse debet excommunicationes omnes in hac Bulla latas tales esse, ut ipso facto incurrantur. Propter dictam vero causam præsentem disputationem prosequimur, juxta tenorem Bullæ latæ a S. D. N. Clemente VIII, anno 1595; nam in posterioribus nihil mutatum invenimus: sicut Navarr., in Summ., cap. 27, num. 54, cum prius alias exposuisset, eam declaravit, quæ suo tempore ultimo loco fuerat a Gregorio XIII promulgata.

3. *Per Bullas Cœnæ Domini non multiplicantur censuræ circa idem crimen.* — *Imo nec per alia jura lata.* — Ex hac doctrina colligitur, propter multiplicationem harum Bullarum non multiplicari censuras circa idem crimen, quandoquidem adveniente posteriore, priores omnes cessant. Imo addit Navarrus, citato loco, quod excommunicationes per alia jura latæ, in prædicta Bulla pro ejusdem criminibus repetitæ non multiplicantur, sed solum additur eis reservatio. Quod latius tradit idem Navarr., cap. Ita quorumdam, de Judæis, notab. 11, in Glossa ult., num. 4 et sequent., et præsertim num. 37, usque ad finem. Et est quidem satis pia, et probabilis sententia; nam si hujusmodi censuræ Bullæ a jure judicentur, non est verisimile censuras latas diversis juribus pro eadem causa, seu pro eadem prohibitione, seu in eadem specie, multiplicari numero, præsertim quando ab eodem legislatore feruntur (voco autem eumdem legislatorem non in persona, sed in dignitate, ut a Summo Pontifice); alias quot essent jura excommunicantia, v. gr., hæreticos, tot illi excommunicationes incurrerent, et sic de aliis peccatis, quod tamen incredibile est, et præter communem sensum.

4. At vero, si excommunicationes Bullæ censentur ab homine, nonnulla potest esse major dubitandi ratio. Verumtamen etiam illo modo censeo non multiplicari censuras, quia quoties homo profert sententiam excommunicationis in causa, in qua jure ipso lata est, non censetur novam censuram ferre, sed

eam, quæ in jure continetur, declarare seu applicare, nisi aliud expresse in sententia declaret, quia pœnæ sunt in mitiori sensu interpretandæ. Quod maxime verum habet, quando et censura fertur ab homine per sententiam generalem, et ab eodem formaliter qui legem tulit, quæ omnia in præsenti concurrunt. Itaque, si pro eodem delicto fertur excommunicatio in Bulla, quæ in jure lata jam erat, eamdem esse credimus. Et ideo simul clausulam Bullæ, et jura, quæ concordant, explicabimus. De reservatione vero, quæ additur in Bulla, postea dicemus.

SECTIO II.

Qui sint casus, seu delicta, propter quæ fertur excommunicatio in Bulla Cœnæ.

1. Viginti sunt casus in prædicta Bulla a SS. Domino nostro Clemente VIII promulgata contenti, quos sigillatim exponere necesse est. Vitandæ tamen prolixitatis causa non referam integras clausulas Bullæ, sed ea tantum verba notabo, quæ ad rem explicandam erunt necessaria. Et, ut recte Cajetanus notavit in verb. *Excommunicatio*, in princip., duo præcipue sunt in his clausulis, et similibus juribus consideranda, scilicet actio, quæ sub excommunicatione prohibetur, et personæ ad quas extenditur talis censura.

Prima excommunicatio contra hæreticos.

2. *Hæc excommunicatio est generalis quoad omnes hæreses. — Hæreticus mentalis non incurrit hanc excommunicationem.* — Prima ergo excommunicatio Bullæ est contra hæreticos, ubi licet multi in specie nominentur nominibus ab auctoribus desumptis, scilicet Hussitæ, Lutherani, etc., tamen id solum factum est in detestationem eorum hæreticorum, qui his temporibus alicubi durant; nam alioqui illa excommunicatio generalis est contra omnes hæreticos cujuscumque sectæ, ut ibidem exponitur. Unde in antiqua Bulla Pauli III aliter hæretici nominantur, ut refert et prosequitur Rebuff., illam Bullam exponens. Est autem hæc censura longe antiquior, quanquam de jure divino proprie non sit, ut quidam existimant, sed de Ecclesiastico, ut latius traditur in 2. 2, quæst. 11, ex quo loco petendum est, quid sit hæresis, et quam voluntatis pertinaciam requirat. Solum est hic breviter notandum, quod, licet peccatum hæresis tale sit, ut interius in mente perfecte consummetur, nihilominus hæc censura propter hæresim pure mentalem non contrahitur, quia, ut in principio diximus, nullus actus pure internus est materia censuræ, quia non est materia Ecclesiasticæ jurisdictionis, per quam fertur censura. Et ideo etiam dixi tractando de sacramento pœnitentiæ, hujusmodi peccatum non esse reservatum in foro conscientiæ, quia non reservatur sine censura; intelligendum est autem de hæresi pure mentali; nam, si in actum exteriorem prodeat, etiamsi occultissimus ille sit, satis est ad incurrendam censuram, ut superiori loco declaratum est. Intelligo etiam de reservatione Papali; nam circa Episcopalem consulendus est usus.

3. *Apostatæ in hac Bulla etiam excommunicantur. — Ad hanc excommunicationem requiritur, ut hæresis, aut apostasia ex corde procedat.* — Additur in prædicta clausula, hac censura comprehendi omnes a Christiana fide apostatas, qui licet in re non differant ab hæreticis, ut sumitur ex D. Thom., 2. 2, quæst. 12, art. 1, nihilominus specialiter ibi nominantur ad majorem claritatem, et quia non solent vulgo hæretici vocari, qui apostatantes a religione Christiana ad Mahometanam sectam, vel ad Judaismum transeunt, quanquam re vera hæretici. Ut ergo declaretur, omnes hos incurrere dictam censuram, illa particula additur. Duo vero sunt observanda. Unum est hoc esse intelligendum de apostatis non solum exteriori opere, vel signo, sed etiam corde; nam sicut interior infidelitas sine exteriori signo non sufficit ad hanc censuram, ita neque externum signum sine interiori infidelitate. Quod in primis probari potest ex illo verbo, *a Christiana fide;* nam qui solum exterius fidem negat, non est apostata a fide, sed a confessione fidei, et similiter non est vere hæreticus, sed tantum secundum quid, scilicet exterius et apparenter, quia vera hæresis mente consummatur. Unde est alia ratio, quia censura lata propter aliquod delictum, non contrahitur nisi per delictum illud verum, et consummatum, quantum verba legis in rigore sumpta requirunt; at vero exterior apostata vel hæreticus non efficit peccatum perfectum et consummatum in ea specie; et ideo hanc censuram non contrahit in foro conscientiæ, nec peccatum ex vi hujus Bullæ reservatum est in foro pœnitentiæ, quamvis in foro exteriori talis condemnetur ut hæreticus, quia

in illo foro non potest de interiori mente, nisi per exteriora signa constare.

4. *Hæreticus et apostata a fide esse potest non baptizatus. — Ille vero non incurrit hanc censuram.* — Secundo observandum est, in rigore Theologico posse esse aliquem hæreticum et apostatam a fide, etiamsi baptizatus non sit, ut si catechumenus ante baptismum vere credat prius, et deinde vel a tota fide recedat, vel aliquem ejus articulum neget; et nihilominus ille non incurret hanc censuram, quia non est capax ejus, nec est membrum Ecclesiæ, in quod ipsa possit jurisdictionem suam directe exercere. Ob quam rationem diximus in superioribus, hominem non baptizatum non esse capacem censuræ. Quapropter aut tota illa clausula hujus Bullæ intelligenda est juxta subjectam materiam, seu respectu eorum, qui directe subduntur jurisdictioni Pontificiæ; nam lex et censura solum ad subditos dirigitur; aut certe, cum est sermo de apostatis a fide, intelligi debet de fide non tantum interne concepta, sed etiam exterius solemniter in baptismo professa.

5. *Quid per particulam, et eorum credentes, intelligendum.* — Additur in eadem clausula, *Ac eorum credentes;* quæ particula antiqua etiam est, ut supra vidimus disputatione quarta, sectione prima. Ubi advertimus dupliciter accipi in jure illam vocem, *credentes:* uno modo pro iis, qui credunt errores alicujus dogmatizantis hæresim; alio modo pro iis, qui credunt personæ hæretici, bonam existimationem de illa habendo et familiaritatem ei exhibendo, licet eorum opinionibus non assentiantur. Difficultas ergo esse potest, quo modo hoc verbum in hac clausula sumatur; nam, ut hoc verbum aliquid superioribus addat, necessarium videtur in posteriori significatione accipi; nam credentes priori modo hæretici sunt, ut dicitur in capite Excommunicamus, secundo, § Si qui autem, de Hæreticis; ergo jam erant comprehensi sub illis verbis generalibus, *omnes et singulos hæreticos.* Et ita exposuit simile verbum Panormitanus, in cap. Excommunicamus, primo, § Credentes, de Hæreticis, num. 12, nam ibi eadem excommunicatio fertur.

6. *Resolutio.* — Nihilominus censeo potius accipiendum esse verbum illud priori modo. Quod sentit Navarrus in Manual., cap. 27, num. 55, ubi concedit hos credentes esse hæreticos, et ideo verbum illud esse omissum in Bulla Cœnæ Pii V, postea vero fuisse additum ad majorem declarationem. Duobus autem modis possunt aliqui credere hæretico. Primo distincte assentiendo erroribus ab eo propositis, et publicatis, et hi potius hæretici, quam credentes dicuntur. Secundo tantum confuse credendo veram esse doctrinam ejus, quæcumque illa sit, et hi proprie dicuntur credentes, de quibus in hac Bulla, et in juribus, quæ cum illa concordant, sermo est; nam, licet hi etiam sint hæretici, credendo illo modo alicui contra Ecclesiam docenti, tamen quia distincte nihil credunt contra fidem, proprio nomine appellati sunt, et ad majorem claritatem sub illo sunt expressi. Et confirmari hoc potest; nam verba sequentia, *fautores hæreticorum,* etc., formaliter intelliguntur de iis, qui favent hæreticis ut hæretici sunt; quod statim ex Cajetano, et aliis annotabimus; ergo eodem modo intelliguntur credentes hæreticorum, ut hæretici sunt. Atque ita exposuit etiam Paludanus, in 4, dist. 13, quæst. 3, art. 1, concl. 7.

7. *Objectioni occurritur.* — Dices : ergo credentes hæreticorum in priori significatione non manent excommunicati ex vi hujus clausulæ, aut illius § Credentes, quod videtur inconveniens, quia illi credentes æquiparantur fautoribus et receptatoribus in dict. § Credentes; ergo etiam sub excommunicatione debent æque comprehendi, quia juxta doctrinam communem Jurisperitorum, delicta, quæ æquiparantur in culpa, æquiparantur etiam in pœna. De qua regula videri potest Gloss., in cap. Si postquam, verb. *Provisione,* de Elect., in 6, et Gloss. ult. in leg. Si quis servo, Cod. de Furtis, et Barthol. in leg. Si constante, num. 30, ff. de Soluto matrimonio. Respondetur concedendo ex vi illius verbi hos non ligari hac excommunicatione. Comprehendentur autem sub fautoribus, vel receptatoribus, si vere secundum moralem existimationem tales sint. Propter solam vero æquiparationem non puto comprehendi, tum quia nec talis æquiparatio recte colligitur ex dict. § Credentes, cum nos negemus ibi esse sermonem de credentibus in illa significatione; nec etiam in re videtur esse simile delictum, si omnino favor omnis exterior, et receptatio tollatur; tum etiam quia illa regula extendendi pœnam propter solam æquiparationem delicti, non existimamus esse veram, nisi quando juxta communem usum ejus pro eodem habeantur; de qua re alibi latius.

8. *Qui receptatores dicantur.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Additur in eadem clausula *receptatores, fautores, et generaliter quoslibet eorum defensores.* Similia verba habentur in dict. cap. Excommunicamus, 1, § Credentes, de Hæretic., et in cap. Noverit, de Sent. excomm. Intelliguntur autem prædictæ voces de iis, qui favorem tribuunt hæreticis, vel quia talem doctrinam profitentur, vel in ordine ad suam hæresim, vel docendam, vel defendendam, vel aliquid hujusmodi. Ita Cajetanus, verb. *Excommunicatio,* cap. 1, et Navarr., dict. num. 55, qui variis conjecturis id confirmat. Illa vero videtur esse præcipua, quod pœna stricte intelligenda est juxta subjectam materiam; hæc autem excommunicatio fertur in pœnam, et in odium hæresis; et ideo sicut primario fertur in hæreticum ratione hæresis, ita derivatur seu extenditur ad alios secundum habitudinem ad eamdem hæresim, atque adeo quatenus illi favent quovis modo in ipsa hæresi. Et confirmatur, nam illi homini, qui hæreticus est, auxilium præbere ad vitam sustentandam, vel quid simile, non est per se malum, neque est ullo canone prohibitum; imo interdum posset esse necessarium, si ille extreme vel graviter indigeret ad vitam. Quod enim Augustin. dixit de peccatore et homine, etiam in hæretico verum habet, *nulli hominum claudendam esse misericordiam, nulli peccatori impunitatem relaxandam.* Et refertur, in cap. Duo ista, 23, quæst. 4. Dices : quanquam interveniente naturæ necessitate locum habeat illa distinctio, quidquid tamen extra illam necessitatem in favorem hæretici fit, pertinebit ad favorem hæretici quatenus hæreticus est, et consequenter illa erit sufficiens causa ad incurrendam hanc censuram. Respondetur, in foro exteriori sæpe fieri talem præsumptionem, nisi ex necessitate occurrenti, vel aliis circumstantiis aliud colligatur; simpliciter tamen, et in foro animæ negandam esse consequentiam, quia seclusa etiam naturæ necessitate, et absque respectu ad hæresim, potest fieri aliquod officium liberalitatis, vel amicitiæ ad talem personam, et propter illud non incurretur hæc censura, et ideo in jure aliæ conjecturæ addi solent ad præsumendum hoc delictum, ut videre licet in cap. Accusatus, § Ille, de Hæretic., in 6, et in Director., verb. *Defensores,* et verb. *Fautores.*

9. *Non incurret hanc censuram auxilium præbens hæretico ut excommunicato.* — *Sed ut hæretico.* — Unde etiam oportet distinguere in hæretico duplicem rationem præter rationem naturæ, scilicet, et quod hæreticus est, et quod excommunicatus est. Per hanc ergo clausulam non prohibetur specialiter communicatio cum hæretico, ut excommunicatus est, neque extenditur censura ad omnes communicantes cum illo ut sic, sed solum ad communicantes cum illo ut hæretico, præbendo favorem, defensionem, etc. In illo vero casu, in quo sine causa rationabili præstaretur beneficium personæ hæretici sine respectu ad hæresim, peccari quidem posset propter communicationem cum excommunicato, non tamen propter communicationem cum hæretico hic specialiter prohibita et punita. Ad peccandum autem illo modo necesse nunc est, ut hæreticus sit nominatim declaratus, et denunciatus saltem de crimine, ut supra dictum est; ad peccandum autem posteriori modo, et incurrendam hanc censuram, quam modo explicamus, non est necesse, ut hæreticus sit declaratus aut denunciatus, sed satis est, ut sit cognitus illi, qui ei favorem aut auxilium præbet, quia illa non est prohibita ut participatio in crimine cum jam excommunicato, sed tantum cum hæretico; et ideo in hoc non habet locum limitatio Extrav. *Ad evitanda.*

10. *Alia verba ejusdem clausulæ explicantur.* — *Qui libri dicantur de religione tractantes.* — Deinde additur : *Ac eorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore.* In quibus verbis observare licet, ex vi illorum non prohiberi omnes libros ab hæreticis conscriptos, sed eos tantum, qui de tali subjecto tractant, vel talem doctrinam continent. Et quidem, si tales sint libri, ut eorum errores contineant, nulla est difficultas, quia etiamsi unus tantum error in toto libro contineatur, totus est prohibitus; nec illo etiam deleto errore licebit librum retinere, quia absolute prohibitus est ex vi hujus clausulæ. Qui autem sint dicendi libri de religione tractantes, obscurius est. Opinor tamen omnes libros pertinentes ad fidei expositionem, et consequenter etiam illos, quibus divina Scriptura, vel aliqua pars ejus exponitur, atque illos etiam, qui Theologiam scholasticam, vel totam, vel aliquam ejus partem tractant, sub illa particula contineri; excludi vero libros,

qui solum philosophicam doctrinam vel inferiores artes, aut etiam solam historiam continent, quamdiu in eis nullus error admiscetur. Unde qui hos libros habuerit, vel legerit, ex vi hujus clausulæ hanc censuram non incurret. Dico autem semper, *ex vi hujus clausulæ,* quia quoad hanc partem consulendi sunt indices, et Romanus, et Episcopalis, vel S. Inquisitionis, et observanda sunt omnia, quæ huic clausulæ in eis adduntur sub aliis censuris.

11. *Libri Catholici continentes impugnationem eorum hæreticorum aut eos historice narrantes non comprehenduntur.* — Atque simili modo ex vi horum verborum non prohibentur sub hac censura libri editi a Catholicis, etiamsi in eis sint inserti errores hæreticorum, vel ad eorum impugnationem, vel solum per modum historicæ narrationis, vel etiam per incuriam et negligentiam, absque hæresi auctoris. Imo addit Navarr., libros Catholicorum, etiamsi habeant scholia, vel notationes hæreticorum, ex vi hujus clausulæ non esse prohibitos, quia illi non sunt simpliciter libri hæreticorum. Quod tamen ego limitarem, nisi tales seu tam copiosi essent commentarii, ut jam censeretur liber potius ex eis, quam ex textu constare; nam tunc si concurreret altera ex dictis conditionibus, scilicet, quod liber vel errores contineret, vel de religione tractaret, prohibitus talis liber esset ex vi hujus clausulæ, sufficeretque ad hanc censuram incurrendam. De aliis vero Catholicorum libris, qui habent breves annotationes hæreticorum, licet hic non fiat mentio, servanda sunt, quæ in indice librorum statuuntur, ut dixi. Advertit denique Rebuff. illa verba, *publice vel occulte,* referri ad omnes præteritos, quod mihi placet.

12. *Alia ejusdem clausulæ verba exponuntur.* — *Schisma quid.* — Ultimo additur in eadem clausula : *Nec non et schismaticos, et eos qui se a nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* Per quæ verba fit extensio hujus censuræ ad crimen distinctum ab hæresi; nam juxta doctrinam D. Thom., 2. 2, quæst. 39, art. 1, schisma, si generatim sumatur, comprehendit hæresim et aliquid aliud; nam omnis hæreticus schismaticus est; non vero e contrario. Sin autem schisma sumatur speciatim, ut condistingui solet ab hæresi, quomodo in prædicta clausula sumi videtur, significat peccatum recedendi pertinaciter ab obedientia Ecclesiæ, absque errore in doctrina fidei; et ideo dicitur a D. Thoma opponi charitati, non fidei, de quo alias. Solum ad intelligentiam dictorum verborum hic adverto schisma quasi per antonomasiam dici, quando præter verum et indubitatum Papam alius erigitur, eique obeditur. Quod quidem, si fiat ex prava opinione circa unitatem capitis, seu vicarii Christi, erit non solum schisma, sed hæresis; si autem fiat, vel solum ex malitia et prava voluntate, sic erit proprium schisma, de quo videtur esse sermo in prima parte illorum verborum. Quia vero non tantum illo modo schisma committitur, sed etiam quoties ab obedientia Summi Pontificis pertinaciter receditur, ideo etiam hoc in sequentibus verbis explicatur, et ad hoc totum prædicta censura extenditur, quæ sine reservatione lata videtur in c. Licet, de Electione, et in cap. 1 de Schismaticis, et in cap. Nulli fas, 19, de quibus textibus infra dicemus.

13. *Objectio.* — *Non quicumque excommunicationem a Pontifice latam contrahit, est schismaticus.* — *Hæreticorum principum subditi Catholici quo pacto hanc censuram incurrant.* — Sed objiciet aliquis; nam ex dictis sequi videtur, quoties aliquis ita peccat, ut incurrat quamcumque excommunicationem, præsertim a Summo Pontifice latam, esse schismaticum, et incurrere in hanc clausulam Bullæ Cœnæ; patet sequela, quia ille pertinaciter se subtrahit ab obedientia Pontificis; hoc enim necessarium est ad excommunicationem incurrendam. Respondetur negando sequelam, quia aliud est cum contumacia non obedire Ecclesiæ, vel Pontifici in una, vel alia re; aliud vero simpliciter se subtrahere ab obedientia ejus pertinaciter; hoc enim significat simpliciter non recognoscere illum, ut superiorem, atque ita se gerere, ac si non esset illi subordinatus, neque unitus ut capiti. Unde ad hanc censuram satis est voluntate et actione ita se gerere, etiamsi in mente et fide aliud contineat, quia hoc peccatum schismatis satis perfecte in sua specie illo modo consummatur. Quapropter (quod observandum est) Catholici, qui sub hæretico principe vivunt, v. gr., in Anglia, eique ut supremo capiti exterius obediunt, quamvis in conscientia pœnas hæreticorum non contrahant, hanc vero clausulam quoad hanc ultimam partem et censuram non effugiunt, quia licet vere hæretici non sint, proprie tamen ac vere sunt schismatici, ut ex dictis constat.

14. *Fautores, receptatores, et schismaticorum defensores non comprehenduntur hac clausula.* — Duo denique sunt circa hæc ultima verba observanda. Unum est hanc censuram, quoad hanc ultimam partem non extendi ad fautores, receptatores, aut defensores schismaticorum, quia illa extensio prius facta est de hæreticis, hic autem tacetur quoad schismaticos, et per hoc tacite excluditur. Præsertim, quia, ut recte notavit Cajetan., verb. *Excommunicatio,* in princip., quoties censura fertur contra aliquos hoc vel illud facientes, si in ipsa lege expresse non extenditur ad consulentes, adjuvantes, et similes, illos non comprehendit, quia verba pœnalia stricte intelligenda sunt; hi autem omnes in rigore non sunt facientes id propter quod talis censura fertur; et propter multa alia, quæ congerit Navarrus dicto cap. 27, num. 51. Aliud observandum est, hanc censuram ad nullum aliud delictum extendi, quod non sit hæresis, præter schisma. Sicut enim Juristæ aiunt, exceptionem firmare regulam in contrarium, ita nos dicere possumus, extensionem, quæ ad hunc casum definitum fit, limitari, ne ad alios fiat. Præterquam quod generale principium est excommunicationem non extendi ab uno casu ad alium, nisi in lege exprimatur, ut late Navarrus prosequitur dicto num. 51. Unde nec propter pactum cum dæmone, nec propter quemlibet abusum sacramenti, nec propter alia peccata ad tribunal Inquisitionis spectantia propter suspicionem hæresis, vel superstitionem religionis, hæc censura incurritur, quia neque hæresis, neque schisma sunt. Et ideo bene notat Navarrus, num. 55, magos olim fuisse comprehensos in hac censura, et clausula in Bulla Pii V, quia in ea exprimebantur; nunc autem non comprehendi, quia non exprimuntur.

Secunda clausula ejusdem Bullæ contra appellantes a Papa ad Concilium generale.

15. Secunda censura fertur in dicta Bulla contra eos, qui ab ordinationibus seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad futurum generale Concilium appellant. In qua clausula, actio, propter quam fertur censura, satis clara est; nec videtur distinguendum de appellatione a mandato justo, vel injusto, quia constitutio hæc indistincte et absolute loquitur; et non fundatur in eo, quod res, a qua appellatur, justa, vel injusta sit, seu talis ut ab ea juste appellari possit, si esset superior, ad quem posset appellari, sed in eo, quod sic appellans injuriam facit Apostolicæ Sedi; nam videtur profiteri generale Concilium esse superius illa, quod tam fit a sententia injusta appellando, quam a justa. Fuitque similis excommunicatio lata et reservata a Pio II et Julio II, ut Sylv., et Navarrus referunt. Quoad personas vero generalissima est illa censura, quia fertur in omnes, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint. Quia vero excommunicatio non fertur in communitatem, sed in singulares personas, ideo in eam, si tale delictum committat, interdicti censura fertur, de qua infra suo loco.

16. *Dantes favorem, et auxilium antecedens hanc appellationem, etiam comprehenduntur.* — Extenditur denique illa censura ad eos, *quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.* Debet autem auxilium, vel favor appellationem antecedere; nam si tantum subsequatur, deturque ad resistendum Pontificiis præceptis sub specie talis appellationis, tunc non incurretur hæc censura ex vi hujus clausulæ, quia non est revera datus favor ad appellandum, sed ad actiones postea subsecutas, quæ sunt longe diversæ. Nec satis erit, quod is, qui appellat, id faciat spe et fiducia auxilii alterius, si illa non ex vi promissionis aut verborum alterius concepta sit, sed solum ex titulo amicitiæ, vel alterius conjunctionis. Præterea, quando talis favor præcedit appellationem, non statim incurritur hæc excommunicatio, donec appellatio re ipsa subsecuta sit, juxta generalem et optimam doctrinam Cajetani, verb. *Excommunicatio,* in principio, quod quando excommunicatio non per se fertur in propriam actionem, ut sic, sed solum ut cooperatricem, vel adjutricem alterius, tunc ad incurrendam excommunicationem non satis est actio dantis favorem vel auxilium, nisi actio vel effectus principaliter prohibitus subsequatur, quia in hanc actionem directe et per se lata est excommunicatio, in alias vero quasi per extensionem; ita vero est in præsenti. Quod optime significatum est in illis verbis Bullæ, *quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit.* Donec ergo sit appellatum, non incurritur excommunicatio.

17. *An dans consilium incurrat hanc excommunicationem.* — *Dubitationis enodatio.* — Quæri vero potest, an dans consilium incurrat hanc excommunicationem; nam consilium

ipsum videtur esse quidam favor, vel auxilium morale; qui enim rectum consilium præbet, non parum juvat ad bene operandum. In contrarium vero est, quia in rigore sunt influxus distincti, et ad distinctos fines ordinati; consilium enim est ad instructionem mentis; auxilium autem et favor ad executionem. Unde in aliis juribus quando extensio fit ad consulentes, expressa fit eorum mentio, ut in sequentibus videbimus. Et ideo probabilius censeo per hanc clausulam non comprehendi pure consulentes. Voluit enim Pontifex per hanc censuram cohibere potentes, qui efficacius resistunt; de doctrina autem vel consilio nihil in eo loco statuit.

Tertia censura ejusdem Bullæ contra piratas, cursarios, etc.

18. *Differentiæ inter Bullam Gregor. XIII et Clement. VIII quoad hanc clausulam. — Peculiaris verborum ponderatio.* — Tertia censura fertur in dicta Bulla contra omnes piratas, cursarios et similes latrunculos maritimos. Est autem observanda notabilis differentia in hac Bulla Clementis VIII, collata cum Bulla Gregorii XIII; nam Gregorius sic ait : *Excommunicamus omnes piratas et latrunculos maritimos, et illos præcipue, qui mare nostrum,* etc. Quæ verba primum comprehendunt omnes deprædantes in mari, ubicumque deprædentur, et deinde speciali ratione vel ponderatione eos, qui in illis locis maris Thyrreni et Adriatici, quæ ad temporale dominium Pontificis pertinent, ita delinquunt. At vero in Bulla Clementis verba sic habent : *Excommunicamus*, etc., *latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipue a monte Argentario usque ad Terracinam.* Unde videtur non omnes piratas, sed solum discurrentes in suo mari Clemens excommunicare. Existimo tamen illa verba *discurrentes,* etc., non esse conjungenda præcedentibus ut determinationem seu limitationem eorum, sed singula esse membra distincta, sicut in ipsa Bulla virgulis interjectis distinguuntur. Ita ut absolutus sensus sit : *Excommunicamus omnes piratas, et latrunculos maritimos,* et postea addatur, *discurrentes mare nostrum præcipue;* si enim ita conjungamus, clarior erit sensus, et nulla erit diversitas inter prædictos Pontifices.

19. *Alia differentia inter easdem Bullas.— Incurrantne excommunicationem piratæ discurrentes solum mare Pontificis.* — Est etiam alia notanda differentia inter verba illorum Pontificum; nam Clemens solum ait : *Discurrentes mare nostrum,* etc. Neque explicat aut requirit, ut ibi aliquam actionem exerceant. Gregorius autem sic ait : *Et illos præcipue qui mare nostrum a monte Argentario usque ad Terracinam discurrentes, eos, qui in illo navigant, deprædantur, mutilant, interficiunt, rebusve et bonis spoliant.* Juxta quem verborum tenorem constat, si aliquis pirata discurreret illud mare animo illa omnia perpetrandi, nihil tamen eorum exequi posset, non incursurum illam censuram, donec aliquod ex illis opere compleret. Imo si non in navigantes, sed in opibus aut hominibus in littore inventis eas actiones exerceret, non incurret talem censuram, quia verba definite loquuntur de deprædantibus navigantes. Nunc vero juxta Bullam Clementis dubitari potest, an discurrentes illud mare tanquam latrunculi aut piratæ, hoc ipso excommunicationem incurrant, quamvis nullam prædam faciant. Et sane videtur dicendum illam incurrere, tum quia non sine causa alia verba a Gregorio posita omissa sunt; hæc autem non videtur fuisse alia, nisi ut illa censura generalius ferretur; tum etiam quia ex vi illorum verborum nihil aliud requiritur ad talem censuram incurrendam præter talem discursum in eo mari; qui per se satis est ad gravem injuriam Summi Pontificis, quatenus est dominus et custos illius maris, et consequenter continet delictum sufficiens ad talem excommunicationem incurrendam; tum denique quia hoc modo optime intelligitur tenor illius clausulæ et quid speciale in illo Pontificio mari prohibeatur aut puniatur. Piratæ enim et latrunculi maritimi, etiamsi per mare discurrere incipiant, non incurrunt excommunicationem, donec actionem aliquam furandi compleant; ab illa enim fures nominantur et propter illam præcipue puniuntur. Quoad mare vero Pontificium specialiter prohibentur sub eadem censura, ne ibi discurrant. Et hic sensus videtur mihi satis probabilis, quamvis, quia novus est, sicut etiam est nova forma verborum Clementis, solum illum propono, ut de illo Doctores judicium ferant.

20. *An excommunicentur piratæ deprædantes quoscumque vel tantum Christianos. — Rationes dubitandi.* — Dubitari vero potest, an excommunicentur ii piratæ deprædantes quoscumque vel tantum Christianos et Catholicos; nam in nulla Bulla hoc explicatur, nec auctores aliqui dicunt. Et certum est non

comprehendere eos, qui, licet alias piratæ sint, hujusmodi actiones interdum exercent circa aliquos absque injustitia, scilicet in Turcas vel alios similes, qui contra Ecclesiam vel Christianos principes bellum gerunt, quia in illis actibus non se gerunt ut piratæ. Difficultas vero esse potest, si injuste deprædentur alios, etiamsi illi infideles sint, an id sufficiat ad incurrendam hanc censuram. Et ratio dubitandi esse potest, quia simpliciter fertur hæc censura contra piratas et latrones maris; tunc autem vere exercent hoc munus; ergo incurrent illam censuram. Quod maxime locum habere potest, quando hujusmodi infideles navigant cum facultate (*salvum conductum* appellant) Summi Pontificis aut aliorum principum Christianorum, ad quos jus illam concedendi pertineat; nam tunc non solum infidelibus, sed ipsis etiam principibus Christianis fit gravis injuria in hujusmodi deprædatione; merito ergo comprehenditur tale delictum in hac clausula, quæ universalis et absoluta est. Alio etiam modo potest contingere hæc injustitia, si fiat in homines gentiles, nec subditos, nec inimicos Ecclesiæ, quos prædicto modo offendere in navi, piratarum latrocinium est; cur ergo sub hac censura non comprehendetur?

21. *Verior sententia negans.* — In contrarium vero est, quia quamvis in hac clausula sit absolute sermo de piratis, nihilominus tamen non comprehenduntur nisi piratæ Christiani seu baptizati, quia alii non sunt capaces censuræ, neque his præceptis Ecclesiasticis subduntur; ergo eadem ratione non intelligetur ferri hæc censura, nisi contra piratas expoliantes Christianos. Patet consequentia, quia æquitas postulat, ut utrinque servetur æqualitas; sicut ergo piratæ infideles, etiamsi spolient Christianos, non comprehenduntur, nec specialiter puniuntur ab Ecclesia gladio spirituali, sed agendum contra illos est, si fieri potest, gladio materiali et bello, ita nec Christiani piratæ, si tantum in infideles hoc munus exerceant, licet inique agant, non comprehendentur sub hac clausula et censura. Imo nec propterea videntur puniri ab Ecclesia, regulariter loquendo, quia injustitia illa quodammodo est extra terminos Ecclesiæ, sicut est injustitia, quam ipsi infideles in Christianos exercent, nisi fortasse quatenus illa deprædatio redundat in injuriam Christianorum principum, vel in Ecclesiæ odium, aut aliud simile nocumentum, quæ malitia est formaliter distincta ab injustitia seu latrocinio piratæ ut sic. Et puniri quidem potest ab Ecclesia, non tamen videtur punita ex vi hujus clausulæ, neque alicujus censuræ, quæ ipso jure lata inveniatur. Et hæc posterior pars videtur mihi probabilior, quæ ex sequenti clausula et censura magis explicabitur.

22. *An comprehendantur consilium dantes sub fautoribus. — Pars negans præfertur.* — Additur in eadem clausula extensio ejusdem censuræ ad *fautores, et receptatores, et defensores.* De quibus qui sunt, arbitrio judicis relinqui solent juxta L. 1, ff. de Jure deliberan.; tamen in conscientia, ipsa est optimus judex, si hujusmodi malefactores quatenus tales sunt, aut verbis, aut factis defendit, aut favorem præbuit, etc. Dubitari vero potest sicut in præcedente puncto, an dantes consilium, comprehendantur. Et quidem auctores communiter extendunt hanc censuram ad dantes consilium, ut videre est in Angelo, verb. *Excommunicatio,* 5, casu 18, et Cajet., verb. *Excommunicatio,* cap. 18. Illi tamen loquuntur juxta antiquiores Bullas, quæ expresse addebant verbum *consilium,* ut Cajetanus refert et Navarrus notat. In Bulla tamen Gregorii et Clementis verbum illud omissum est. Nihilominus Navarrus, num. 59, ait etiam nunc illos comprehendi. Quia negari non potest (inquit) eum, qui consulit, auxiliari vel favere, argumento L. Quod favore, C. De legibus. Sed verba illius legis sunt : *Quod favore quorumdam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri;* quæ verba quid ad rem præsentem faciant, non video. Cajet. citat etiam Bartolum in l. Si unius, § 1, ff. de Injuriis. Sed nihilominus negativa pars mihi magis probatur, propter ea quæ dixi in superiori clausula.

23. *Dubium quotidianum ac necessarium. — Angeli sententia. — Aliorum sententia.* — Superest vero quotidianum ac necessarium dubium, an qui ex instituto suæ navigationis latrocinium seu officium piratæ non exercet, sed ob sua negotia vel justum bellum navigat, interim tamen casu aliquo spoliat Christianos navigantes, incurrat hanc censuram. Item an ii, qui titulo belli quamvis injusti eos in mari spoliant, contra quos se bellum gerere profitentur, hanc excommunicationem incurrant. Circa hoc Angel., in Summ., *Excommunicatio,* 5, casu 18, sentit in omnibus his casibus incurri hanc censuram; neque aliud putat ad eam incurrendam requiri, nisi in mari de-

prædari absque titulo justi belli; nam hoc sufficit ad constituendum piratam. Idem sentit Cajet., dict. cap. 18, dicens, *canonis istius materiam esse latrocinium maritimum;* sentit ergo quoties hoc latrocinium fit, satis esse ad illam censuram incurrendam.

24. *Sylvestri conditiones, ut aliquis sit et dicatur pirata. — Sylvestri conditiones impugnantur.*—Contrarium tenet Sylvest., *Excommunicatio,* 7, in 20 censur., n. 55 et 56, citans summam Rosellam, Joan. Andream, Joannem de Lign., et Panorm., qui dicunt ad incurrendam hanc censuram non satis esse in mari committere latrocinium, nisi qui committit, sit pirata; nam ex vi hujus clausulæ piratæ tantum excommunicantur. Ut autem aliquis sit et dicatur pirata, tres conditiones requirit Sylvest. Prima est indifferentia spoliandorum, scilicet, quia non unam nationem tantum, sed quamcumque spoliare intendit. Secunda, ut hoc faciat principali intentione, ut si Genuensis (inquit) principaliter intendat vacare suis negotiis, etiamsi concomitanter intendat spoliare omnes Venetos. Tertia, ut id faciat non bannito bello, quia si habet bellum etiam injustum, non est pirata. Verumtamen hæc voluntarie et sine probatione, atque adeo sine probabilitate mihi dicta videntur, præsertim quoad duas primas conditiones. Nam sequitur ex prima conditione, eum non esse piratam, nec incurrere hanc censuram, qui per mare discurrit intentione spoliandi tantum Hispanos aut Lusitanos ex India venientes, idque injuste exequitur, et nullum aliud latrocinium. Consequens est omnino falsum, quia ille vere est maritimus latro et pirata, et ideo in illum verba hujus clausulæ propriissime conveniunt, ut recte contra Sylvestrum consideravit Navarrus supra, num. 59. Præterea quid est absurdius quam dicere eum, qui navigat intentione depredandi, eamque exequitur, propterea quod simul, et principalius intendat mercaturam, non incurrere hanc excommunicationem; nam etiam qui furatur propter mœchiam, principalius est mœchus, quam fur, sed non propterea censuram contra fures latam effugeret, quia parum refert, qua intentione quis committat, si actum illum perfectum et consummatum committit, cui jure ipso annexa est excommunicatio. Ita ergo est in præsenti; nam sicut ille vere est fur, ita etiam hic est vere pirata, etiamsi secundaria intentione piraticam exerceat; ut enim sit perfectum et consummatum peccatum, satis est voluntas committendi talem actum cum illius executione, quacumque intentione fiat.

25. *Deprædantes in mari titulo belli etsi injusti, non incurrunt hanc excommunicationem.* — Atque hinc inferri videtur, etiamsi quis titulo seu appellatione belli, quod plane injustum est, latrocinia hæc maritima exerceat, non effugere hanc censuram, quia re ipsa illud est verum latrocinium in mari commissum, quacumque intentione fiat, et ideo alio titulo seu nomine vestiatur. Sed nihilominus quoad hanc partem probabilior est contraria sententia; nam aliud est loqui de injustitia generatim sumpta, quæ late loquendo, solet in universum latrocinium vel furtum appellari, aliud vero est loqui de proprio furto seu rapina, a quo nomen piratæ seu latronis maritimi sumptum est. Quamvis ergo quæ rapiuntur in bello injusto sumantur injuste, et hoc modo illud dici possit latrocinium, tamen quia non fit solo titulo accipiendi rem alienam, sed titulo vindictæ, seu pœnæ, aut etiam defensionis, habet peculiarem modum injustitiæ distinctum a latrocinio. Et ita qui solum hostes suos, contra quos habent publice indictum bellum, in mari deprædantur, aliis vero nocumentum non inferunt, communi appellatione non censentur piratæ, nec latrones, sed injusti bellatores. Et ideo non comprehenduntur sub hac lege.

26. *Qui incidenter semel aut iterum in mari deprædatur, non incurrit.*—Atque idem dicendum censeo in priori casu proposito de eis, qui aliquando incidenter deprædantur in mari. Quam esse omnium sententiam dicit Navarrus; et ita illam approbat ut per se certam absque probatione. Mihi tamen non videtur quidem carere difficultate, quia ad incurrendam censuram unus actus sufficit, etiamsi lata sit contra homicidas et alios similes, quia in malis unus actus sufficit ad hujusmodi denominationem; nam malum ex quocumque defectu; et ita absolute dicitur fur vel latro, etiamsi semel tantum furatus sit; unus autem actus maritimi latrocinii, etiamsi incidenter fiat, in toto rigore latino et juridico *piratica* dicitur, argument. l. Servus, ff. de Actionib. et oblig.; ergo qui vel semel illam committit, vere dicetur pirata. Eo vel maxime, quia non sine causa adduntur in hac clausula omnes illæ voces : *Piratæ, cursarii et latrunculi maris;* nam saltem sub hac tertia appellatione comprehendi possent hi, qui tantum aliquando et incidenter deprædantur. Nihilominus tamen, quia materia est pœnalis

et restringenda, et juxta communem sententiam hæc lex intellecta est de iis, qui quasi ex officio nauticum latrocinium exercent, ideo ab illa non videtur recedendum. In illo ergo casu habebit locum cap. 3 de Raptoribus, sed ibi non fertur excommunicatio ipso jure, sed ferri mandetur in eos, qui *Romanos, aut alios Christianos pro negotiatione, aut aliis honestis causis navigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt.* Nam quia ille textus de spoliantibus absolute loquitur, ideo in iis etiam, qui vel semel spoliant, locum habet. Est etiam alia notanda differentia inter textum illum et clausulam nostram, quod ille non restringitur ad mare, sed simpliciter loquitur de navigio vectis; unde in fluminibus etiam procedere potest; nostra autem censura seu clausula solum habet locum in latronibus maris. Unde si qui essent, qui in solis fluminibus deprædarentur, illam censuram non incurrerent, ut Navarrus advertit, et sentit Angelus, dicens hanc censuram esse contra eos qui deprædantur in mari.

Quarta censura contra naufragantium Christianorum bona spoliantes.

27. *Quando incurratur excommunicatio cap. Excommunication., de Raptoribus. — Cajetani opinio.* — Quarta censura Bullæ Cœnæ fertur *contra omnes et singulos, qui Christianorum quorumcumque navibus tempestate jactatis, seu quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari vel in littore inventa cujuscumque generis bona, in cujuscumque maris regionibus et littoribus subripiunt.* Similis censura (licet non reservata) lata fuerat in Concilio Lateran. sub Alexandro III, et habetur in cap. Excommunicationi, de Raptoribus, quamvis verbis brevioribus et obscurioribus, scilicet : *Qui Christianos naufragium patientes damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere.* Igitur utroque ex his juribus fertur excommunicatio in eos, qui occupant bona naufragantium. Differunt tamen primo, nam ex vi Bullæ Cœnæ solum requiritur actio subripiendi ad incurrendam censuram, ut patet ex tenore dictorum verborum; at vero ex vi cap. Excommunicationi, præter actionem spoliandi requiritur mora restituendi, ut satis etiam patet ex citatis verbis et notavit Navarrus, dict. cap. 27, n. 118. Unde difficile est ad explicandum, quando talis excommunicatio ex vi illius textus incurratur. Cajet., verb. *Excommunicatio*, cap. 23, ait, acceptionem non puniri in dicto textu, quia non est intrinsece mala, sed interdum potest esse actus charitatis; detentionem autem, cum jam sit invito domino, esse intrinsece malam, et ideo puniri per illam censuram. Unde fit, ut tunc incurratur illa censura, quando detentio incipit esse injuriosa et contra rationabilem domini voluntatem. Et quia obligatio restituendi seu reddendi rem alienam, per se loquendo, est ad statim, cum primum opportune et moraliter fieri potest, ideo, quam primum accipiens prætermittit hanc opportunitatem sciens et volens, tunc censetur jam esse in sufficienti mora reddendi, ut statim illam excommunicationem incurrat. Nec requiritur alia admonitio, quia ipsa lex sufficienter admonet, et cum ferat excommunicationem hanc ipso jure, ut verba citata declarant, non expectat aliam admonitionem ab homine faciendam.

28. *Cajetani sententia quoad partem approbatur. — Verus dicti cap. sensus.* — Quæ doctrina quoad hanc posteriorem partem mihi placet, non vero quoad priorem, in qua videtur supponere textum illum non loqui de acceptione injusta, sed de acceptione absolute; atque ita intellexisse videtur Navarrus. Et ideo ait, non solum attenta Decretali, sed etiam attenta Bulla, acceptionem non sufficere ad censuram contrahendam, sine mora et voluntate restituendi. Addit vero limitationem, *nisi acceptio fuerit scienter patefacta, quia tunc illa sufficit.* Quæ verba mihi sunt obscurissima, et applicata ad Decretalem non sunt vera, quocumque sensu intelligantur, et ad Bullam non sunt necessaria. Itaque intelligo Decretalem loqui de acceptione injusta, quæ procedit ex voluntate sibi rapiendi hujusmodi bona aliena, quæ actio intrinsece mala est, et nihilominus noluisse Concilium propter illam solam excommunicationem imponere, sive scienter et patefaciendo suam malitiam, sive quocumque alio modo, quia Decretalis indistincte loquitur. Ratio vero non est alia, nisi quia noluit Concilium tam severe agere cum his raptoribus, et fortasse etiam quia illa acceptio, quamvis male facta, poterat esse utilis naufragium patientibus, si eis tandem restituerentur bona, quæ alioqui forsitan perirent. Hunc autem esse sensum Decretalis, patet, tum ex illis verbis : *Damnata cupiditate spoliant,* quæ verba aperte significant iniquam acceptionem. Item quia illa excom-

municatio (ex mente Concilii) non contrahitur nisi ob omissionem reddendi talia bona suis dominis, ut declarant illa verba : *Nisi ablata reddiderint;* ergo acceptio quantumvis iniqua et scienter ac patenter facta, non sufficit ad illam censuram incurrendam, quia censura ipso jure lata non incurritur, donec consummetur actus ipso jure requisitus.

29. *Refellitur evasio. — Corollarium.* — Nec satisfaciet qui dixerit, ipsam acceptionem injustam cum voluntate retinendi, et nunquam reddendi esse injustam retentionem et quamdam omissionem reddendi; falsum enim hoc est, nam redditio supponit rei acceptionem et necessario requirit aliquam moram inter utramque. Nec refert, quod a principio potest quis habere voluntatem non reddendi suo tempore, et consequenter habere malitiam, quæ est in non restituendo, quia tota illa malitia quoad hoc est mere interior et nondum exercuit actum seu omissionem externam, cui annexa fuit excommunicatio. Unde obiter infero, quod licet is, qui talia bona inique rapuit, aliquo tempore perseveret in illa voluntate non restituendi, si tamen nondum habuit occasionem restituendi, neque prætermisit aliquam debitam diligentiam, nondum contraxit illam excommunicationem, donec in ipsamet redditione externa incipiat esse in mora vel negligentia morali procurandi illam. In quo recte dixit Cajetanus, addens, et merito, nullam aliam monitionem requiri, secutus Panormitanum in dict. cap. Excommunicationi. Et utrumque sequitur Navarr. contra Joan. Andr. et Sylvestrum, qui certe nulla probabili ratione nituntur.

30. *Quid juxta Bullam dicendum. — Per quam subripiendi actionem juxta utriusque Pontificis Bullam hæc censura incurratur.* — At vero juxta tenorem Bullæ sola acceptio injusta sufficit ad hanc censuram contrahendam; hanc enim significat in omni proprietate verbum *subripuerint,* ultra quod nihil additur, quod ulteriorem moram vel aliquam aliam specialem conditionem requirat. In Bulla autem Gregorii additur : *Rapuerint aut scienter sibi ipsi acceperint,* quod perinde est; aliud autem verbum, quod ibi additur, statim explicabo. Ex his vero intelligere licet, oportere hanc acceptionem esse injustam, non quacumque injustitia, sed illa, quæ est contra tales personas naufragium passas. Unde si quis inculpabiliter ignoret illa bona esse naufragiorum, etiamsi putet esse aliena, et inique accipiat, non incurret excommunicationem, quia formaliter non agit contra hunc canonem. Et ad hoc explicandum videtur additum in Bulla Gregorii illud adverbium *scienter;* imo ex vi illius in rigore sumpti, ut in hujusmodi legibus sumi solet, nec ignorantia culpabilis ad censuram illam contrahendam sufficeret, nisi peccatum sit ex malitia seu certa scientia. Nunc vero illa quæstio sublata est in Bulla Clementis; nam verba illa omnia omissa sunt. Actio ergo subripiendi hæc bona naufragorum, sive ex scientia, sive ex quacumque ignorantia culpabili procedat, dummodo ad gravem malitiam in eo genere sufficiat, est nunc sufficiens causa ad hanc censuram incurrendam.

31. *An naufragantium bona subripientes, neque restituentes, duplicem excommunicationem incurrant.* — Ex his vero nascitur non contemnenda dubitatio, an qui nunc subripit hæc bona et postea morosus est et pertinax in eis retinendis, duas incurrat excommunicationes, unam ex Bulla Cœnæ, aliam ex cap. Excommun. Et licet supra dixerim, quando censura Bullæ Cœnæ concurrit cum censura juris, non multiplicari censuras, nihilominus in præsenti dubio censeo multiplicari, quia revera non concurrit censura Bullæ cum censura illius capituli, sed propter diversas causas seu peccata latæ sunt; peccatum enim non restituendi distinctum est a peccato rapiendi, et censura Bullæ fertur propter latrocinium, censura vero illius Decretalis fertur propter retentionem. Est tamen discrimen, quod excommunicatio illius Decretalis reservata non est. Cajetanus vero vocat illam Episcopalem, sed melius dicetur nulli reservata, quia non solum Episcopus, sed quilibet sacerdos proprius illam auferre potest juxta regulam cap. Nuper, de Sentent. excom. Alia vero reservata est Summo Pontifici, sicut aliæ omnes illius Bullæ, ut in fine hujus disputationis videbimus.

32. *Occupans bona fide hæc bona cum animo reddendi domino, si voluntatem mutet, quam censuram incurrat.—Responsio.—Objectio.—Responsio.*—Hinc vero nascitur aliud dubium, an si quispiam bona fide hæc bona accipiat, vel quia ignorat esse naufragantium, vel certe (quod frequentius evenire potest) si illa occupet a principio animo conservandi et restituendi domino (quod sine dubio sæpe potest et sine censura, et licite fieri), postea vero voluntatem mutet et incipiat retinere sibi, quam censuram incurret, an Bullæ, vel Decretalis, vel utramque? Respondeo in primis, semper in-

currere censuram Bullæ, quia, licet materialiter tunc non accipiat rem, quia jam apud se habebat, moraliter tamen illam primo tunc subripit, quando incipit eam ut propriam retinere. Quantum ad aliam vero censuram distinguere oportet; nam fieri potest, ut quis mutet illam voluntatem et incipiat rem sibi usurpare seu ea uti ut propria, priusquam sit in mora reddendi illam domino, quia nondum oblata fuit occasio eam reddendi; et tunc opinor nondum contrahi aliam censuram, ut a fortiori patet ex dictis. Si autem oblata occasione reddendi illa bona vero domino, tunc mutavit voluntatem et omisit reddere, sibique retinuit, tunc opinor utramque censuram simul incurrere, quia illa simul et quasi eminenter est et injusta acceptio, ut ostensum est, atque est etiam injusta detentio, quia non oportet, ut hæc mora reddendi sit post acceptionem injustam, sed satis est quod sit post acceptionem realem, quæcumque illa sit. Nec refert, quod c. Excommunic. loquatur, ut diximus, de acceptione injusta, quia id solum fuit ad declarandum, quod per solam acceptionem, etiamsi injusta sit, non incurritur excommunicatio; non vero quod illa sit simpliciter necessaria, ut qui morosus fuerit in reddendis illis bonis, excommunicationem illam incurrat. Dices : cum in eo casu una et eadem culpa sit contra utramque legem, cur non erit etiam eadem censura? Respondetur, quia a principio, et ex se distinctæ fuerunt, et causas formaliter diversas respiciunt, quam formalem diversitatem etiam in eo casu retinent. Verum est in ordine ad effectus morales (excepta reservatione) non multum referre in eo casu multiplicari censuras, quia explicata illa causa, eadem absolutione, utraque auferetur, si absolvens habeat in utramque potestatem.

33. *An fautores et receptatores hac censura comprehendantur. — De receptatore solius personæ raptoris. — Quid de recipiente bona, non ut fiat illorum particeps. — Quid si bona a raptore accipiat ex antecedente pacto illa inter se dividendi.* — Præterea dubitari potest, an hæc excommunicatio extendatur ad fautores seu adjutores et ad receptatores. De his enim nulla fit mentio in Bulla Clementis. Quare dicendum est, hos non comprehendi, nisi et illi dici possint spoliatores, propter regulam generalem supra traditam ex Cajetano. Et quidem in hoc genere peccati dantes favorem et auxilium dici possunt spoliatores, quia per se ac proxime cooperantur tali crimini. Quando enim plures concurrunt ad furtum, omnes vere furantur, etiamsi aliquis sit principalis, alii vero quasi ministri seu coadjutores, quod secus est de consiliario, ut supra dixi. De receptatore vero majori distinctione opus est. Potest enim esse receptator solius personæ, quæ tale commisit; et de hoc non est dubium, quin hanc censuram non contrahat, quia verba hujus prohibitionis in toto rigore ad illum non pertinent. Potest item esse receptator bonorum, non ut fiat particeps eorum, sed solum ad occultanda et custodienda illa. Et de hoc etiam existimo non incurrere hanc censuram, quia non potest dici in rigore spoliare alterum, etiamsi remote et indirecte fiat particeps illius criminis. Tertio vero potest quis esse receptator vel potius particeps bonorum, quia is qui ea accepit, cum altero illa dividit vel ei donat. Quod dupliciter potest contingere. Primo quod id fiat ex aliqua conventione vel mandato antecedente ipsam spoliationem, ita ut duo conveniant, ut quisque, quod potuerit, accipiat, et postea inter se dividant, vel quod unus accipiat, alteri redditurus, cujus mandato et expensis id agit. Et in eo casu opinor hujusmodi receptatorem incurrere hanc censuram; nam est vere spoliator et latro. Addo vero illam non incurrere donec actu recipiat bona, ita ut si alter cum eo non dividat illa, non incurrat, quia antea respectu illius non est consummatum delictum, propter quod fertur censura; nam, licet antea peccaverit, adhuc tamen permanet in ratione mandantis seu consulentis tantum, et contra hos ut sic non est lata hæc censura.

34. *Quid de accipiente bona ab spoliante, nullo antecedente pacto. — Resolutio.* — Alio vero modo potest contingere, ut quis recipiat talia bona, sine ullo antecedente pacto, sed ex mera voluntate surripientis; ita tamen ut sciat, qualia sint (nam si accepisset bona fide et ex ignorantia inculpabili, quamdiu illa duraverit, cessat difficultas, ut ex dictis patet). Propter hujusmodi ergo receptorem videntur addita in Bulla Gregorii illa verba : *Aut ab aliis rapta seu accepta scienter receperint,* quæ verba omissa sunt in Bulla Clementis, et ideo dubitari potest, an revocata sint, vel solum fuerint omissa, quia in verbo *spoliaverint,* censentur sufficienter contenta. Et quamvis facile possit in utramque partem res disputari, mihi hoc posterius videtur probabilius, quia ille, qui sic accipit talem rem, moraliter verum dominum spoliat. Quod

ita breviter ex dictis declaro, quia ille, qui sic accipit talia bona, tenetur illa reddere vero domino; ergo, si sit in mora reddendi, agit contra cap. Excommunicationi, ejusque excommunicationem incurrit; ergo a fortiori incidit in Bullam Cœnæ; ergo, si a principio injuste accepit animo retinendi sibi, in Bullam Cœnæ incidit; nam quod accipiat immediate in littore, vel mari, vel mediante priori spoliatore, non variat malitiam, neque quoad hoc lex hæc quidpiam distinguit.

35. *Hæc bona nulla præscriptione, aut consuetudine acquiri.* — Tandem adduntur in Bulla verba, quibus revocatur quodvis privilegium, aut consuetudo in contrarium; ita ut nullo prætextu, etiam possessionis longissimæ, aut immemorabilis temporis talis abusus excusari possit. Unde inferunt Cajetanus et Navarrus, iniquam esse legem, per quam bona naufragantium his, aut aliis rebus, etiam piis, applicantur. Quod intelligendum censeo, si talis lex lata sit de bonis naufragantium acceptis injuste, aut contra intentionem Bullæ. Si vero talia bona recta intentione et conscientia custodirentur ne perirent, et fieret omnis diligentia moralis ad verum dominum inveniendum, non esset iniqua lex, quæ de bonis in hoc statu constitutis sanciret, ut post elapsum tempus moraliter sufficiens ad amittendam spem inveniendi verum dominum, in hos, vel illos usus distribuerentur; tunc enim jam eadem est ratio de his bonis, quæ de aliis derelictis, seu perditis.

Quinta excommunicatio contra imponentes iniqua tributa.

36. Quinta excommunicatio fertur in eos, *qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure seu privilegio speciali Sedis Apostolicæ permissis imponunt, vel augent.* Ita habent verba Clementis. Gregorius autem declarans personas, solum dicit : *Ad id potestatem non habentes;* in re tamen idem esse videtur; in Bulla vero Clementis explicatur, potestatem hanc duobus modis haberi posse, scilicet vel proprio jure, vel speciali Pontificis facultate. Ubi statim duo interroganda occurrunt. Unum est, quod sit illud jus, quo talis potestas habetur, et a quibus personis, et pro quibus casibus concedatur; aliud est, quo modo ad Pontificem pertineat, hanc facultatem dare illis personis, et in illis casibus, in quibus alias non habent dominium, vel jus sufficiens ad hæc vectigalia imponenda.

37. *Quis tributa imponere possit jure ordinario.* — Sed quia hic non licet omnes incidentes quæstiones exacte tractare, circa priorem dicendum est, potestatem hanc imponendi vectigalia solum apud supremos principes, qui in temporalibus superiorem non habent, residere. Unde, in tit. 56 Feudorum, Quæ sint regalia, inter alia numerantur vectigalia et pedagia; illa autem regalia participant, non solum qui reges nominantur, sed etiam qui cum illis in supremo dominio conveniunt. Quo fit, ut omnes alii principes et domini temporales, qui supremi non sunt, comprehendantur sub hac censura, si absque alia facultate hæc tributa imponant, aut alia exigant, præter ea, quæ vel imperatoria, aut regia, vel sufficienti Ecclesiastica potestate imposita sunt, vel ex antiqua consuetudine, a tempore, cujus non extat memoria, introducta, arg. c. Super quibusdam, de Verb. signific. Atque ita constat, quæ personæ hanc facultatem habeant, scilicet, solas regias, et quo jure, scilicet, jure communi tam civili quam canonico; imo videtur esse hoc quasi commune jus gentium, et quasi ex natura rei consequens ad supremam et regiam potestatem, si ita completa sit, ut suum munus perfecte possit exequi. Et ob eamdem causam talis facultas jure ordinario merito negatur inferioribus, quia non debent subditi tot oneribus gravari, quæ fuit etiam sufficiens ratio ferendi hanc censuram. In quibus autem casibus sit permissum a jure ipsis etiam principibus supremis hæc tributa imponere, non opinor esse aliquo jure scripto definiendum, sed ipso intrinseco jure justitiæ; non enim habent hi principes certas leges definientes, seu numerantes casus, in quibus possunt hæc tributa imponere, nec etiam suo arbitrio possunt ea imponere vel augere, sed pro ratione suæ necessitatis, in ordine ad defensionem reipublicæ, vel aliam publicam utilitatem, et servatis conditionibus, vel ex natura rei, vel ex proprio jure et consuetudine uniuscujusque regni ad justitiam requisitis, de quibus non est hic plura dicendi locus, quæ in summa, plures tamen referens, attigit hic Rebuff., in sua hujus Bullæ expositione.

38. *Incurrantne hanc censuram supremi principes iniqua tributa imponentes.* — *Resolutio.* — Hinc vero nascitur dubium ad præsentis clausulæ explicationem necessarium, an hi supremi principes hanc censuram incurrant, quando injusta tributa imponunt, potestatem suam excedentia. Quod dubium

attingens Navarrus supra, num. 61, absolute negat eos in hac clausula comprehendi; et juxta tenorem Bullæ Gregorianæ videtur id satis probabile, quia solum excommunicat eos, qui tributa imponunt, cum simpliciter et absolute ad ea imponenda potestatem non habeant; principes autem supremi non sunt hujusmodi, quia absolute potestatem habent, licet ea interdum male utantur. At vero juxta formam verborum Clementis non videtur sane hæc opinio probabilis; imo ad illam excludendam videntur hæc verba mutata. Non enim excommunicat eos, qui potestatem non habent, sed eos, qui in casibus sibi non permissis gabellas imponunt; ergo etiamsi alias habent potestatem ad imponenda tributa, si ea utuntur in casibus sibi non permissis, contra hanc prohibitionem agunt, et consequenter hanc censuram contrahunt. Neque fortasse alia erat mens Gregorii; magis enim necessaria est hæc prohibitio ad cohibendum excessum habentium. Nam domini non supremi, sicut potestatem non habent ad imponenda tributa, ita rarissime tentant illa imponere; et, quamvis tentent, cum habeant superiorem in temporalibus, ab illo possunt facile cohiberi; at vero supremi principes, qui potestatem habent, et superiorem temporalem non habent, facile possunt in usu illius potestatis excedere; ideoque ad eos maxime dirigi videtur hæc lex, si in casibus sibi non permissis tributa imponant, vel (quod in idem recidit) si potestate uti velint, ubi re vera potestatem non habent. Et ita tunc vere dici possunt imponere *tributa potestatem non habentes,* ut ait Gregorius, quia licet alias habeant, non tamen ad hoc; nam, cum est sermo de potestate, respective debet intelligi, scilicet respectu actus, de quo sermo est.

39. *Quomodo possit Pontifex facultatem ad tributa imponenda dare.* — Altera interrogatio erat, quomodo possit Summus Pontifex hanc facultatem dare. Ad quam respondetur breviter, Summum Pontificem non solum in spiritualibus, sed etiam suo modo in temporalibus habere supremam potestatem, directe et per se in suis terris, ubi est rex, et supremus dominus temporalis; in aliis vero indirecte, et per aliud, scilicet in ordine ad spirituale bonum alicujus regni, vel totius Ecclesiæ, ut ex propria materia nunc suppono. Per hanc ergo potestatem, et in ordine ad eumdem finem potest Summus Pontifex concedere facultatem imponendi vectigalia, etiam illi principi, qui nullam ad hoc potestatem habet, vel pro aliquo casu, in quo sine tali facultate ea imponere non posset. Sicut etiam per eamdem potestatem potest Summus Pontifex aliquas personas eximere a tributis temporalibus debitis alicui principi, si ad spiritualem finem id necessarium, vel valde utile, aut decens sit.

40. *Princeps extra suas terras tributum imponens, hanc excommunicationem incurrit. — Quid si princeps tributum etiam pro personis exemptis imponat. — Objectioni occurritur.* — Ex his ergo satis constat in quas personas feratur hæc censura. Ut vero declaretur, propter quas actiones feratur, singula fere verba clausulæ expendenda sunt. Primum est illud, *in terris suis;* necesse est enim, ut impositio tributi respiciat territorium subjectum ei, qui tributum imponit, et respectu provinciæ, civitatis, aut loci ex se generale sit; nam hanc vim habent citata verba. Statim vero emergunt duo dubia, an si rex imponat tributum in aliqua terra sua, et in eo casu, in quo illud imponere potest, denique alias justum, tamen quoad personas generalius illud imponat quam juste possit, comprehendendo, v. gr., clericos, vel alias personas exemptas, an incidat in hanc censuram Bullæ. Et breviter dicendum est, non incidere ex hoc capite, quidquid sit de alio pertinente ad libertatem Ecclesiasticam, de quo infra. Ratio est, quia non verificantur in eo facto verba Bullæ; nam in eo casu dici non potest, Regem illum imponere in terra sua tributum in casu sibi non permisso, sed modo non permisso, aut circa personas non permissas; hæ autem circumstantiæ non prohibentur, vel puniuntur ex vi hujus clausulæ, ut ex dictis verbis patet. Et ita sentit Navarrus citato loco. Dices, ibi non prohiberi tantum imponere, sed etiam augere gabellas; ergo in illo casu saltem ratione illius augmenti incurretur hæc censura. Respondetur, gabellam non dici augeri ex eo quod fructus ejus ex majori multitudine personarum crescat, sed ex eo quod major impositio pro singulis fiat; et de hoc augmento est ibi sermo, juxta sensum, et intelligentiam omnium; in casu autem proposito non intervenit tale augmentum, ut per se patet.

41. *An rex solis privilegiatis tributum imponens incurrat hanc censuram.* — Aliud dubium est, si rex imponat tributum in casu alias justo, seu ex justa causa, nolit tamen illud imponere toti populo ne illum gravet, sed vel clericis tantum, vel nobilibus, et alias

privilegiatis, in hoc injustitiam committens, an incurrat hanc censuram. Quæ res dubia quidem videtur, sed considerata verborum proprietate, dicendum apparet non incurrere, quia vel tale tributum respicit terram, vel personas tantum; si personas tantum, ergo tunc non imponit rex tributum in terra sua, sed in hac vel illa persona, atque ita non committit contra hanc clausulam, quæ tractat de imponentibus tributa in terris suis. Si vero respicit territorium ipsum, non delinquit ibi imponendo tributum in casu sibi non permisso; nam, ut supponitur, causa, seu casus erat sufficiens; sed peccat ob acceptionem personarum, quod est peccatum diversæ rationis hic non punitum. Aliud vero dicendum esset, si causa etiam justa ad imponendum tributum deesset; nam, licet pro personis alias expositis ad solvenda tributa poneretur, censeretur imponi injuste, et in casu non permisso; ergo etiamsi ex parte personarum, quibus imponeretur, simul justitia deesset, semper tributum illud esset impositum in casu non permisso; ergo contra hanc prohibitionem et censuram. Quod maxime verum habet, si tributum imponatur solvendum ab omnibus personis talis conditionis hujus terræ, vel oppidi; nam sic impositum territorium respicit, quamvis non pro omnibus personis, quod necessarium non esse patet in legibus, vel statutis. At, si tributum imponeretur solum his, vel illis personis nominatim, certe videri posset non sufficiens materia hujus censuræ, quia illa non sunt propria tributa in terris imposita, sed sunt exactiones personales iniquæ, de quo plura statim.

42. *Quid per pedagium et gabellas in Bulla Clementis significetur. — Corollarium.* — Alia verba expendenda sunt *pedagia, vel gabellas,* sunt enim in juribus varia nomina, quibus tributa significantur. Ex quibus nomen *tributi* generale est, alia vero sunt specialia, ut nomen *pedagii, guidagii,* etc., quæ varias species tributorum ex locis vel rebus desumptas significant, ut Glossa, et Doctores declarant in c. Super quibusdam, de Verborum significat., et Sylvester late, verbo *Gabella,* et Navarrus, in c. Fraternitas, 12, quæst. 2, circa finem. Ex his ergo duabus vocibus, quibus Bulla utitur, *pedagium,* speciale nomen est, significans tributum quod solvitur a transeuntibus per certa loca a principibus designata; *gabella* autem generale nomen videtur, comprehendens omne genus exactionis et tributi. Quare non est dubium, quin hæc prohibitio generalis sit; nam illæ duæ voces usurpatæ sunt, ut æquipollentes, ut ex illa particula, *seu,* conjicere licet. Quamvis enim nomen pedagii juxta primam impositionem speciem illam tributi significet, tamen ex usu extenditur ad quodlibet tributi genus; quod significat gabella; non enim invenio hanc vocem ad aliquam speciem tributi significandam prius impositam fuisse. Quocirca, etiamsi in Bulla Pii V, de aliis speciebus tributorum fiat mentio in speciali, quæ in hac Bulla omissa sunt, non propterea minus universalis est hæc prohibitio; nam illa generalia verba tributa omnia complectuntur. Hinc vero infert Cajetanus in Summa, verbo *Excommunicatio,* capit. 71, eos, qui imponunt novas collectas, seu taxas, non incurrere hanc censuram; nam illæ nec pedagia sunt, nec gabellæ in propria significatione harum vocum, ad quam sunt hæ leges pœnales coarctandæ.

43. *Alia verba ejusdem clausulæ exponuntur.* — Rursus consideranda sunt illa duo verba, *imponunt, vel augent;* nam, ut recte notat Navarrus cum Sylvestro et Angelo, secundum in primo continebatur, quia augmentum gabellæ non fit sine nova impositione; et illud quod additur, novum tributum, seu gabella dici potest; nam, licet adjunctum præexistenti sit quasi pars tributi, et aliquis hac ratione contendere possit additionem illam non esse novi tributi impositionem, hoc tamen frivolum est, quia illud est valde accidentarium, et ex se illa impositio sufficiebat ad novum tributum constituendum; nihilominus tamen ad majorem explicationem illa verba multiplicata sunt.

44. *Hac excommunicatione etiam exigentes injusta tributa ligantur.* — Ultimo vero adduntur verba illa, *seu imponi vel augeri prohibita exigunt,* per quæ extenditur hæc prohibitio, ut non solum imponentes, sed etiam exigentes tributa, hac lege prohibita, comprehendat. Ita enim intelligenda, seu coarctanda est illa particula, *prohibita,* etiamsi in textu absolute ponatur; non enim excommunicantur hic omnes qui exigunt, vel usuras, vel simoniacam mercedem, et alia similia injusta, et consequenter prohibita, ut Cajetanus notat, et est per se clarum, quia verba sunt juxta subjectam materiam intelligenda. Ob hanc autem ampliationem incurrunt hanc censuram omnes ministri, vel famuli, qui has gabellas prohibitas exigunt; et conductor, et

hæres imponentis, qui eas exigi mandat. Dicitur autem exigere is, qui tanquam debita illa postulat ab eo, qui nollet ea solvere, si posset, ut iidem auctores notant. At denique in hac coactione magis considerandum est id quod exigitur, quam is, a quo exigitur; nam per illa verba Bullæ illud prius determinatur, non vero hoc posterius. Et ideo si gabellæ sint ex prohibitis, id est, ex iis quæ simpliciter loquendo juste imponi non possunt, a quocumque exigantur, hæc censura incurritur, quia semper exactio est injusta, et contra jus. Si vero gabella non est prohibita per se et ex vi suæ causæ, et impositionis, licet exigatur ab eo a quo non debetur, ut a clerico, et ideo injusta sit exactio, nihilominus non incurritur hæc censura juxta communem sententiam, quia non exigitur gabella simpliciter prohibita. Ex quo fit, ut quoniam privatæ personæ, et ministri facile possunt ignorare injustitiam tributi, et quando de hac illis non constat, juste præsumunt principem juste agere, ideo sæpe possunt per ignorantiam excusari a culpa in hujusmodi exactione, et consequenter etiam a censura, quæ sine culpa incurri non potest. Hic addenda sunt, quæ infra tractabimus inter censuras non reservatas circa c. Quanquam, de Censibus, in 6.

Sexta censura contra falsarios litterarum Apostolicarum.

45. Sexta censura fertur in eadem Bulla contra *falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. Ecclesiæ vicecancellarium, seu gerentes vices eorum; aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso fabricantes litteras Apostolicas etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu vicecancellarii, aut gerentis vices prædictorum.* Quæ verba, quoad personas in quas fertur hæc censura, generalissima sunt; fertur enim in omnes, qui hæc delicta committunt, absque ulla exceptione. Quoad actiones vero, duæ sunt, quæ hic prohibentur et puniuntur, quamvis ambæ circa eamdem materiam versentur, scilicet circa litteras Apostolicas. Prior actio est falsare hujusmodi litteras, quæ prohibita etiam sub anathemate fuerat in cap. Ad falsariorum, de Crimine falsi. Quamvis ibi non fuerit reservatio addita.

46. *Litteras Apostolicas falsare quid. — An minima immutatio sufficiat ad grave crimen falsitatis.* — Falsare autem litteras Apostolicas est non omnino falsas confingere seu fabricare; hoc enim spectat ad aliam actionem ibi prohibitam; sed est aut veras litteras Apostolicas ab earum sincera veritate immutare, aut vero sigillo seu signo litterarum Apostolicarum ad falsas litteras consignandas uti, ut late exponitur in c. Licet, de Crimine falsi. Ex quo satis distincte percipi potest, quæ sit actio, quæ hic punitur, et quot modis fieri contingat. Inter quos quintus notandus est, scilicet : *Cum litteris bullatis, et redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.* Nam ex eis colligi videtur, vel minimam immutationem in una littera vel puncto sufficere ad grave crimen falsitatis, atque adeo ad hanc censuram incurrendam. Quod ita sensisse videtur Hostiensis in Sum., de Crimine falsi, § Porro, quem sequitur Cajet., verb. *Excommun.*, c. 27, in fine, et Rebuffus hic. At Navarr., in Sum., c. 27, num. 62, contrarium sentit, dicens non satis esse corrigere aliquam litteram, aut punctum, quod non mutat substantiam aliquam, ad incurrendam hanc censuram, quia non sufficit, inquit, ad peccandum mortaliter, quia nulli fit in hoc gravis injuria, vel nocumentum.

47. *Crimen hoc potest esse veniale ex levitate materiæ. — Regulæ ad discernendum, an immutatio hæc sit mortalis. — Prima. — Secunda.* — Et quidem, in genere loquendo, non est dubium, quin hæc actio falsandi litteras possit esse peccatum veniale ex levitate materiæ, ut notavit Cajetanus, in Summ., verb. *Falsarius*. Et patet, quia non est major ratio de hoc actu seu materia, quam de aliis. Secluso autem peccato mortali, certum etiam est in conscientia excommunicationem non incurri, ut supra dictum est. Ad discernendum autem in præsenti materia an immutatio excusetur a culpa mortali, primo considerandum est, an per eam immutetur sensus a Pontifice intentus, nimirum, quia facta hac mutatione aliquid asseritur vel negatur, quod ipse non intendebat, aut aliquid tacetur vel omittitur, quod ipse proferre intendebat. Et tunc semper est peccatum mortale sufficiens ad censuram incurrendam, etiamsi per unius puncti aut apicis mutationem immutatio fieret, quia gravitas hujus peccati non in atramento et litteris, sed in sensu consistit. At vero, quando sensus non variatur contra mentem Pontificis, dupliciter id potest acci-

dere : primo, ut mens Pontificis etiam ut expressa in talibus litteris non varietur, sed solum materialis seu grammaticalis error corrigatur. Et tunc non censeo esse peccatum mortale, nec incurri censuram ; imo vix cernitur ibi aliqua culpa, quia si naturam rei inspiciamus, ibi nihil contra justitiam, charitatem, aut aliam virtutem, aut reverentiam Pontifici debitam fit; imo videtur prospici honori seu decentiæ litterarum ejus. Si vero consideremus jus positivum, illud prohibet et damnat falsificationem; hæc autem re vera non est falsificatio. Quod si dicatur prohibere mutationem, recte id interpretamur de mutatione formali, et quoad sensum, non de materiali, præsertim quæ in melius fit. Cavendæ tamen sunt similes emendationes, quia odiosæ sunt, et possunt sinistram suspicionem generare.

48. *Tertia.* — Alio modo potest contingere mutationem seu emendationem esse ad mentem Pontificis, secundum se, non tamen prout expressam in litteris, ut, verbi gratia, si certo constat Pontificem dispensasse in secundo gradu, in litteris autem per errorem scriptoris positum sit in tertio vel aliquo alio. Et tunc res est magis dubia, quia licet voluntas Pontificis fuerit talem gratiam concedere, non est tamen voluntas ejus, ut litteræ, quæ illius testimonium continent, per alios, quam per ministros suos ad id deputatos conscribantur. Unde si per tales litteras gratia illa explicata non est, etiam si casu vel per errorem id contigerit, non videtur licere eas in alium sensum mutare. Sicut non liceret novas litteras fabricare, et loco aliarum supponere. Et hanc partem securiorem et veriorem esse censeo. Quamvis, si talis mutatio fiat, litteræ validæ sint quantum ad effectum, quandoquidem re vera continent voluntatem concedentis. Unde interveniente bona fide, facile etiam poterit talis actio a gravi culpa, et consequenter a censura in conscientia excusari.

49. *De fabricantibus falsas litteras Apostolicas. — Non ligantur utentes litteris falso fabricatis. — Neque fautores falsariorum aut præcipientes.* — Altera áctio hic prohibita et punita, est fabricatio falsarum litterarum, quæ gravior est, quam præcedens, et nunquam fieri potest sine peccato mortali; et ideo semper sufficit ad hanc censuram incurrendam. In verbis autem citatis satis declaratum est, de quibus litteris Apostolicis sit sermo; et ideo alia explicatio hic necessaria non est. Solum est advertendum hanc censuram non comprehendere eos, qui utuntur hujusmodi litteris falsis, vel falsò fabricatis, aut signatis, quia in tota hac clausula nulla mentio eorum fit. Et vitium est longe diversum falsare litteras, aut jam falsatis uti. Unde in dict. c. Ad falsariorum, hæc duo distincte ponuntur; et cum contra falsarios variæ pœnæ partim jure ipso latæ, partim ferendæ statuantur, contra utentes falsis litteris nulla pœna ipso jure imponitur, quæ communis sit omnibus, et quæ ferendæ designantur, minus acerbæ sunt. Rursus observandum est, in dicta clausula Bullæ Cœnæ nullam mentionem fieri de fautoribus seu defensoribus, neque etiam distingui de falsantibus litteras per se aut per alios, sed solum esse sermonem de falsariis et fabricantibus falsas litteras, qui proprie et in rigore sunt illi, qui per se ipsos hæc faciunt. Quo fit, ut ex vi illius Bullæ hi omnes non incurrant excommunicationem. Incurrunt tamen illam ex vi c. Ad falsariorum, nam ibi excommunicantur, qui per se vel alios litteras falsant, et fautores ac defensores eorum; illa tamen excommunicatio ibi non reservatur, ut dictum est.

50. *Ad quid obligentur litteras falsas Apostolicas apud se retinentes.* — Additur præterea in c. Dura, § Adjicientes, de Crim. fals., excommunicatio in eos, qui litteras falsas apud se habere cognoscentes, intra viginti dies eas non destruunt aut resignant. Quæ obligat, etiamsi ipsi falsarii non fuerint, neque eis usi fuerint, vel animo utendi habeant, quia retentio vel conservatio earum absolute prohibetur; illa vero excommunicatio non fertur per jus illud ab ipso Pontifice, sed ferri jubetur et promulgari per singulas parochias; postquam tamen lata fuerit, si incurratur, ejus absolutio reservatur Pontifici in eodem textu; et, quamvis ibi absolute dicatur, *si quis falsas litteras se habere cognoscat*, etc., tamen est intelligendum de litteris tantum Apostolicis, de quibus in illo textu sermo erat, cui paragraphus ille connectitur. Itaque omnes prædictæ censuræ circa falsitatem litterarum vel supplicationum Sedis Apostolicæ versantur, et non aliarum quarumcumque, sive Episcopi sint, sive Nuncii Apostolici, sive cujuscumque alterius, qui non sit Papa seu Apostolica Sedes, ut Navarrus notavit.

51. *Impetrantes litteras subreptitias non ligantur hac censura.* — Denique advertendum est, quod in aliis sæpe diximus, hujusmodi censuras solum ferri in eos, qui circa

falsitatem (ut sic dicam) litterarum Apostolicarum peccant. Unde si ex ignorantia utantur falsis pro veris, non incurrent, si tamen talis sit ignorantia, ut peccatum grave excuset. Et similiter, qui falsis narrationibus seu informationibus litteras Apostolicas subreptitias impetrant, non peccant falsando litteras Apostolicas, aut falso fabricando illas, quia litteræ subreptitiæ, quamvis invalidæ sint, et in d. c. Ad falsariorum, in fine, falsæ litteræ appellari videantur, ibi, *qui falsas litteras impetrant,* alio titulo, scilicet, quia falsam narrationem aut informationem continent, nihilominus in ordine ad expeditionem, a Papa sunt veræ; et ideo certum est eos, qui tales litteras impetrant, non esse falsarios, nec incurrere in Bullam Cœnæ; incurrunt tamen illas pœnas, quas illi, qui utuntur falsis litteris, juxta extensionem, quæ fit in dicto c. Ad falsariorum, et carent omni commodo litterarum, c. Sedes, c. Ex tenore, c. Super litteris, de Rescriptis.

Septima censura contra dantes auxilium infidelibus contra Christianos.

52. *Prima actio in hac clausula prohibita.* — Septima censura fertur in eadem Bulla contra dantes duplex genus auxilii infidelibus Ecclesiæ hostibus et inimicis in damnum Christianorum et Catholicorum. Quæ respectu personarum est generalis, comprehendens omnes, qui talia delicta committunt. Actiones vero, ob quas fertur, sunt duæ principales. Prima est deferre vel transmittere ad hos infideles arma, et illa omnia, quibus ad impugnandos Catholicos utuntur, vel materiam eorum. Et, ut clarior sit lex, numerantur ibi omnia, quæ deferri aut mitti prohibentur, nimirum *equi, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybs, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape quam ex alia quacumque materia, et ipsa materia, aliaque hujusmodi.* Deinde in particulari explicantur, qui sint hi infideles, ad quos hæc omnia deferri prohibentur, scilicet *Saraceni, et Turcæ, et hæretici per Romanam sedem expresse declarati, et generatim omnes Christiani nominis hostes et inimici.*

53. *Censuram hanc magna ex parte jure communi latam. — An in hac prohibitione Bullæ contineantur omnia in dictis juribus contenta.— Navarri sententia.— Vera sententia.* — Circa quam partem advertendum est, prohibitionem hanc et censuram, vel omnino, vel magna ex parte jure communi latam esse; nam in cap. Ita quorumdam, de Judæis, excommunicantur *deferentes arma, ferrum, et lignamina galearum ad Saracenos;* ubi aliæ etiam pœnæ adjiciuntur. In c. vero Significavit, eodem titulo, excommunicatione ligantur *omnes qui merces prohibitas ad Saracenos deferunt, sive per nuncios mittunt.* Et in cap. Ad liberandam, eodem titulo, præter alia specificantur, qui Saracenis vendunt *triremes vel naves.* Item in Extravagantibus de Judæis, Joannis XXII, et Clementis V, in similibus prohibitionibus adduntur *victualia,* et eadem excommunicatio fertur, licet non cum simili reservatione. Ait vero Navarrus, n. 63, in hac prohibitione Bullæ contineri omnia in illis juribus prohibita, et consequenter per hanc excommunicari omnes, qui per singula illa jura excommunicantur, quamvis non multiplicetur censura, sed addatur reservatio. Ratio ejus est, quia hæc Bulla in hac clausula non solum excommunicat speciatim deferentes multa, sed etiam generatim deferentes prohibita; et ita comprehendit omnia per quælibet alia jura prohibita. Sed ego non invenio in hac parte Bullæ generale verbum, quo extendatur hæc censura ad ferentes, vel mittentes ad Saracenos quascumque res alias prohibitas; nam in primis in tota clausula non reperitur formaliter illud verbum, *prohibita.* Deinde post specificam nominationem armorum, etc., verba maxime generalia sunt, *omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, et funes, ex quacumque materia, et ipsa materia, et alia hujusmodi, quibus Christianos et Catholicos impugnant.*

54. *Quæ per hanc clausulam prohibeantur.* —Ex quibus verbis præsertim ultimis aperte colligitur, hic tantum prohiberi ea, quæ pertinent ad arma tam defensiva quam offensiva. Nam generale verbum, *arma,* utraque comprehendit, ut Rebuffus notat. Item quidquid ad bellicas actiones confert, seu ordinatur, sive sint proxima earum instrumenta, sive materia earum, sive animalia, aut res aliæ deferentes personas militum vel arma, et res eorum; denique omnia illa, quæ ad usum talium rerum necessaria sunt. Considerato enim fine hujus legis, et verbis specialibus ac generalibus, quibus utitur, hæc omnia et non plura comprehendit. Unde naves et triremes, quæ in aliis juribus numerantur, quamvis in hac clausula omissæ sint in specie, nihilominus sub hac censura

comprehenduntur, non quia alias prohibita; hæc enim ratio non satis est, ut ostendi; sed quia in illis verbis, *et alia hujusmodi,* evidenter comprehenduntur. Et eadem ratione possent in specie numerari multa, quæ neque in hac clausula, neque in aliis juribus speciatim numerantur, et tamen sine dubio sufficiunt ad hanc censuram incurrendam, ut sunt cervus, et jumenta oneraria, cameli, ubi est usus eorum; ac denique omnia illa, quæ in ordine ad bellum servant eamdem proportionem, quam habent cætera, quæ ibi numerantur; hanc enim vim habent illa verba : *Et alia hujusmodi.*

55. *Exemplis doctrina data et clausulæ sensus patefit. — Primum.* — Quare non oportet ad quæstiones de rebus particularibus descendere, quia esset in infinitum progredi; sed ad singulas res occurrentes prudenter applicanda est regula posita, et juxta illam ferendum est judicium. Ut tamen id facilius fiat, nonnulla exempla adhibebimus. Unum est de pecunia, præsertim argentea vel aurea, quæ ibi in specie non numeratur, nec sub generica voce metalli comprehendi videtur, quia juxta communem appellationem, postquam argentum et aurum in pecuniam fabricatum est, moraliter censetur mutare speciem et habere alium usum; et ideo nomine metalli etiam in legatis non comprehenduntur ex sententia legistarum. Dicendum vero est duplicem posse habere usum hujusmodi pecuniam. Unus est quasi materialis, quomodo deservire potest ad bellica instrumenta conficienda. Et si ad hunc finem deferatur, non est dubium, quin sub hac censura comprehendatur sub generali nomine, vel *metalli,* vel *materiæ.* Alius vero usus est quasi formalis, quatenus pecunia est generale instrumentum ad omnes contractus. Et hac ratione censeo etiam comprehendi in hac censura; non quidem sub nomine metalli, vel materiæ, sed vel sub illo verbo amplissimo, *vel alia hujusmodi quibus Christianos impugnant;* magis enim impugnatur pecuniis quam armis; vel etiam sub aliis verbis, quæ inferius habentur : *Illisque ad id auxilium præstant;* magnum enim est pecuniæ auxilium; oportebit autem in particulari considerare, an pecunia tribuatur intentione auxiliandi, vel ex circumstantiis ad eam rationem determinetur, juxta dicenda in ultimo exemplo.

56. *Secundum exemplum.* — Aliud exemplum est, quod ponit Navarrus, de vena ferri, quam dicit non comprehendi, nisi feratur ea intentione, ut ex ea eruatur ferrum et fiant arma. Et fundamentum ejus esse potuit, quia illa non est ferrum. Sed oppositum credo verius cum Sylvestro, verb. *Excommunicatio,* 7. Ratio est, quia in primis illa intentio non est necessaria, si res ipsa, quæ defertur, talis est, ut ea uti soleant infideles ad impugnandum Christianos, et in universum bellatores ad impugnandos alios; hujusmodi autem est vena ferri, æque ac ipsum ferrum, æque (inquam) quoad usum; nam vena ferri non habet alium, quam ut ex ea eruatur ferrum, licet ad usum belli non æque immediate deserviat, quod nihil refert ad prohibitionem Bullæ, in qua et res et materia earum prohibentur. Adde venam ferri vere ac proprie esse ferrum, non quidem ita purum et mundum, sicut postquam igne purgatum est, verumtamen ferrum, sicut segetes triticum continent antequam purgetur. Et si lata esset excommunicatio in deferentes triticum, comprehenderet sine dubio eos, qui segetes non purgatas deferrent.

57. *Tertium exemplum. — Rebuffi dictum.* — Aliud demum exemplum esse potest de victualibus, et idem est de vestimentis, et materiis eorum, ac denique de rebus omnibus, quæ tam in pace quam in bello usui esse possunt. De quibus dicendum censeo, ex vi hujus clausulæ et censuræ per se et simpliciter non prohiberi, tamen quatenus tali tempore, vel opportunitate moraliter censeri possunt quasi instrumenta seu auxilia belli, eatenus sub hac censura comprehendi. Unde, si hac intentione ferantur, non videtur dubium, quin incurratur hæc censura; item licet desit illa formalis intentio, si hic et nunc prævideatur illa omnia futura auxilia belli centra Christianos, id satis erit, ut hæc censura incurratur, quia voluntarie contra hanc prohibitionem agitur, quidquid sit de fine formali. At vero quando æque ex se indifferentia sunt, nec deferuntur in subsidium contra Christianos, nec eo tempore aut occasione, in qua illis utendum est contra ipsos, non continentur sub hac clausula vel censura, quia nec in specie numerantur, neque in illa particula : *Et alia hujusmodi, quibus,* etc., tales res comprehenduntur, ut per se notum est. Quocirca, si in aliis juribus hæ res vel aliæ merces, quæ ad bellum nullo modo spectant, prohibentur sub excommunicatione ipso jure incurrenda deferri ad Saracenos, qui contrarium egerit, incidet in censuram talis canonis, non vero in hanc censuram Bullæ

Cœnæ; ideoque talis excommunicatio non habebit reservationem aliam, quam in tali canone habuerit, quia non participat reservationem Bullæ Cœnæ. Atque eadem ratione, si qui sunt infideles etiam Mahometani, qui nullum contra aliquos Christianos bellum gerunt, sed contra Turcas vel alios infideles, non incurrunt hanc censuram, qui ea, quæ hic prohibentur, ad eos deferunt, quia illi, formaliter loquendo, non sunt hostes Christianorum, neque utuntur hujusmodi rebus ad eos impugnandos; et ita respectu eorum tota hujus clausulæ materia cessat. Advertit etiam Rebuffus, non esse necessarium, ut actuale bellum gerant, sed satis esse quod sint hostes, ad hanc excommunicationem incurrendam, si ad eos deferantur ea, quæ in hac clausula formaliter prohibentur; nam si solum deferantur victualia et similes merces, eo tempore, quo non geritur bellum, tunc non peccatur contra hanc Bullam, quia nullo modo, nec formali, nec interpretativo datur eis auxilium contra Christianos. Et ita sentiunt Panorm. et Doctores, in c. Significavit, de Judæis; Angel., *Excommunicatio*, 5, casu 21. Aliæ vero pœnæ, quæ propter hoc delictum incurruntur, numerantur a Rebuffo, supra, art. 5.

Secunda actio in eadem clausula prohibita est, certiores facere inimicos Christianæ religionis de statu Christianæ reipublicæ in ejus perniciem.

58. Secunda principalis actio in hac clausula prohibita est illorum, *qui per se vel alios de rebus statum Christianæ reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas, et Christianæ religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt; illisque ad id consilium, auxilium vel favorem præstant.* In quibus verbis illud solum videtur esse ambiguum et explicatione indigens, scilicet, quos referat relativum illud, *illisque,* an scilicet ipsos hostes, seu infideles, vel Christianos eis aperientes secreta Catholicorum. Et quidem, juxta simplicem contextum et intentionem Bullæ dicendum est referre inimicos Christianæ religionis, de quibus proxime sermo præcesserat.

59. *Primum corollarium. — Revelans per alium etiam incurrit. — Deferens litteras continentes hujusmodi nuncium, incurrit. —* Juxta quam interpretationem sequitur primo, quod licet revelantes hæc secreta infidelibus incurrant hanc censuram, non tamen dantes consilium vel favorem aliis, ut hujusmodi scelus revelandi secreta committant. Patet, quia de illis tantum est sermo; nam juxta interpretationem positam, sequentia verba non referuntur ad ipsos. Solum sunt ponderanda illa verba, *per se vel alios;* nam ratione illorum possent aliqui dantes auxilium comprehendi; ut, si quis per nuncium revelet secretum, quamvis nuncius videatur potius auxiliator quam revelator, tamen etiam ipse incurret, quia ipse per se revelat, alius vero per ipsum. Nec refert, quod ipse ex propriis (ut sic dicam) nihil asserat, sed tantum narrat dicta ab alio; sufficit enim quod in fide et auctoritate alterius tale secretum revelet. Majus dubium esse posset, quando quis non per nuncium, sed per litteras revelat, an deferens litteras incurrat hanc censuram, supposito, quod ei moraliter constet saltem confuse et in communi, in illis litteris contineri hujusmodi res et secreta; videtur enim ille nihil revelare, quia tantum defert sigillatas litteras, et consequenter non incurrere. Nihilominus oppositum censeo verius, quia sicut qui applicat ignem, moraliter dicitur comburere, ita qui applicat scripturam continentem secreta et præbet illam, moraliter dicetur revelare secreta. Præsertim, quia hoc ipsum, quod est tradere talem epistolam, ut continentem secreta Christianorum, est *illos certiores facere de re valde perniciosa Christianis,* quæ sunt verba ipsiusmet Bullæ.

60. *Sub hac principali actione quatuor continentur. — Prima. —* Secundo sequitur ex dicta interpretatione, sub hac secunda parte principali quatuor actiones prohibitas et puncta contineri, scilicet, revelare infidelibus secreta nociva Christianis, quæ videtur esse propria prohibitio hujus Bullæ. Consilium dare illis, quod etiam sub excommunicatione prohibitum fuerat in d. c. Quod olim, et in c. Ad liberandam. Item, dare auxilium, vel favorem, quod etiam in dictis capitibus et Extravagantibus continetur. Ultima declaratur per illa verba : *Seu quocumque alio ingenio subsidia impendunt, vel machinis, aut quibuslibet aliis; vel qui in piraticis Saracenorum navibus pro cupiditate sua regimen, et curam gubernationis exercent.* Quæ omnia et similia supradictis verbis Bullæ comprehenduntur.

61. *Dubium de Christianis coactis remigantibus in triremibus Turcarum in actuali*

incursu Christianorum. — An peccent mortaliter. — Prima sententia. — Vera resolutio. — Statim vero oritur vulgare dubium, an remigantes in triremibus Turcarum incurrant hanc censuram. Et oportet supponere remigare in actuali incursu, incessu, aut itinere contra Christianos; nam, si remigent, dum ab ipsis fugiunt, vel dum militant cum aliis infidelibus, vel dum ad alia sua negotia iter agunt, tunc nihil cooperantur contra Christianos, nec peccant. Deinde non est dubium, quin, si ex cupiditate, vel alia ratione mere voluntaria id faciant, hanc censuram contrahant, quia manifeste præbent auxilium infidelibus contra Christianos, quod est in hac clausula prohibitum. Sed difficultas est de iis, qui coacti remigant, qui interdum non possunt sine magno incommodo, vel etiam vitæ periculo desistere. De quibus remigantibus duplex est quæstio. Una est, an peccent mortaliter in eo actu contra legem naturalem cooperando actui malo, scilicet bello injusto et aggressivo. Quæ quæstio non spectat ad præsens; et ideo illam prætermitto. Quamvis etiam multi viri docti conati sint eos excusare, eo quod actus ille remigandi per se est indifferens, et ita potest a cooperatione abstrahi, quæ sententia plausibilis est, eo quod liberat illos miseros homines a gravi perplexitate, et augustia; nihilominus ego illos excusare non possum, per se loquendo, et seclusa ignorantia, quia doctrina illa de cooperatione ad actus morales illo modo explicata viam aperit ad quamcumque cooperationem ad actum pravum, cum ea excusatione quod talis actio, ut ab hoc homine fit, est de se indifferens, et fit sine intentione cooperandi; et ita licebit ædificare templum idolo, vel etiam idolum ipsum conficere, et similia. Non sunt ergo hæ actiones morales abstracte et in universali considerandæ, sed ut hic et nunc cum talibus circumstantiis fiunt; hæc autem actio hic et nunc facta re vera est cooperatio, nam est auxilium necessarium, vel utile, quod præbetur his malefactoribus ad suas injustitias exercendas. Neque refert, quod isti asserant, se non intendere talem cooperationem, quia cum velint eam actionem exercere, quæ hic et nunc moraliter necessario est cooperatio, et consequenter volunt cooperari (ut ita dicam) in actu exercito, etiamsi formaliter, seu in actu signato dicant se non intendere cooperationem. Exemplo res optime declaratur, quia si aliqui portarent ignem, ut domui alicujus eum applicarent, et cogerent aliquem, ut ipsos juvaret ad deferendum ignem, non posset licite id facere, etiam si necesse esset mortem pati, quia esset cooperatio ad actionem intrinsece malam. Nec valeret excusatio, quod deferre ignem secundum se est actio indifferens; nam hic et nunc non est indifferens, sed est combustio domus alienæ. Simile ergo est deferre triremes contra Christianos in eorum perniciem.

62. *An hi remigantes incurrant censuram hujus clausulæ. — Navarri sententia. — Objectio.* — Altera vero quæstio de his remigantibus est, an incidant in hanc censuram Bullæ, quod est quærere an illi censendi sint transgressores hujus præcepti, ut Ecclesiastici, et contumaces contra obedientiam Ecclesiæ. Et quantum ad hanc partem eos excusat Navarr. in Summ., et dicto cap. Ita quorumdam, notab. 11. Ubi in primis dicit, quod licet incurrerent hanc censuram ut latam jure communi, non tamen ut latam per hanc Bullam, *quæ non videtur* (ait) *illos includere,* et consequenter neque eorum censuram reservare. Sed differentiam hanc ipse non probat, neque ego illam video, quia neque in aliis juribus, neque in Bulla est aliquod verbum, quo magis ab una lege, quam ab alia excusentur vel includantur. Quare, si excusandi sunt, melius dicitur nullam censuram incurrere, ut ipse etiam Navarrus opinatur, solumque probat, quia non videtur intentio Conciliorum, aut Pontificum fuisse, excommunicare eos, qui mortis necessitate adducti contra suam voluntatem adjuvant. Sed contra hoc objici potest, quia verba dictorum jurium generalia sunt absque ulla limitatione vel exceptione; intentio autem legislatoris ex verbis colligenda est; exceptio autem vel epicheia non est admittenda, nisi ubi actio repugnaret fini, et intentioni ipsius legis, quod hic dici non potest. Præsertim, quia verba hujus Bullæ sunt : *Auxilium quomodolibet præstant;* ergo comprehendunt omnem modum præstandi, etiam illum qui voluntarius est simpliciter, licet sit involuntarius secundum quid.

63. *Solutio. — Replicatio. — Enodatur.* — Addere ergo possumus, præceptum hoc quatenus humanum est, admittere excusationes præcepti humani, quatenus tale est; una autem est, ut non obliget cum tanto discrimine, et rigore. Ac propterea, licet de se universale sit, et omnes comprehendat, per se loquendo, tamen ex accidente non obligat con-

stitutos in tali necessitate et discrimine. Et ideo nec dici possunt contumaces, cum magis necessitate, quam voluntate id faciant, nec inobedientes Ecclesiæ, quia non operantur in eo articulo, in quo ejus mandatum obligat. Sed dices tandem : licet ordinaria præcepta humana non obligent cum eo dispendio, tamen non est dubium, quin Ecclesia possit ita obligare, quando præceptum respicit commune bonum religionis, seu populi Christiani; hujusmodi autem esse videtur hoc præceptum, de quo agimus; ergo obligat etiam in illo discrimine. Respondeo : non satis est, quod materia præcepti sit aliquid immediate respiciens commune bonum, sed necesse est, ut in particulari hic et nunc illud exequi cum tanto discrimine, sit necessarium ad publicum bonum, ita ut ex opposito actu grave nocumentum Christianæ reipublicæ immineat. Atque ita ego fateor, quod si in aliquo casu talis remigatio esset graviter nociva populo Christiano, tenetur Ecclesiæ subditus ex vi hujus præcepti et censuræ non remigare etiam cum discrimine vitæ, ut probat ratio facta. Ordinarie vero vel non imminet hoc periculum, vel non impedietur, propterea quod unus vel alter a remigando cessent; ideoque regulariter loquendo, habet locum dicta excusatio.

Octava censura contra impedientes victualia ad curiam Romanam deferri.

64. *Quas personas comprehendat hæc censura. — Ob quas actiones feratur.* — Octava censura fertur in eadem Bulla *contra omnes, qui impediunt, seu invadunt eos, qui victualia seu alia ad usum Romanæ curiæ necessaria adducunt; ac etiam qui ne ad Romanam curiam adducantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se vel alios, cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ,* etc. In qua clausula satis notæ sunt personæ, contra quas fertur hæc censura. Sunt enim omnes Christiani, si in eis inveniatur ratio censuræ, ut satis specifice et distincte in ipsamet Bulla declaratur. Actiones vero prohibitiæ et ob quas fertur censura, satis etiam distincte proponuntur. Verum omnes illæ intelligendæ sunt, si injuste fiant; nam, si quispiam, scilicet, aliquis princeps, vel respublica, suo jure utens, vel suæ utilitati prospiciens, prohibet ne triticum, vel aliquid simile ex suis finibus extrahatur, ut Romam deportetur, non solum non incurret hanc censuram, verum nec male aget. Notavit hoc Cajetan., verb. *Excommunicatio,* cap. 19, quem sequitur Navarr., num. 64. Et potest a simili declarari; nam licet canones sub censura prohibeant, clericum percutere, non tamen prohibent se defendere, etiamsi ad hoc necessarium sit clericum percutere. Sic ergo in præsenti illa actio non est prohibita, quia est veluti propria defensio, etiamsi inde sequatur impedimentum, ne aliqua victualia Romam deferantur.

65. *Quibus cum circumstantiis liceat hæc victualia, ne Romam deferantur, impedire.* — Ut autem hoc magis declaretur, in primis necessarium esse opinor, ut jus, quo hujusmodi princeps, vel respublica utitur in suum commodum, sit clarum et certum, saltem practice, nam si quis in casu dubii vellet agere contra hanc legem, et inde jus, vel possessionem acquirere, non excusaretur, quia in eo casu et lex superioris justa præsumenda est, et potestatem habet Pontifex præcipiendi ne aliquis sibi seu curiæ suæ vim inferat. Deinde etiam supposito jure aliqua rationabilis causa pro temporis opportunitate concurrere debet. Nam si quis tempore, v. gr., necessitatis inique hoc impediret, licet non agendo contra justitiam commutativam, sed contra communem charitatem, vel justitiam legalem, quæ commune bonum respicit, id satis esset, ut incurrat hanc censuram, quia in eo casu justum est hoc præceptum, et obligat saltem ex obedientia. Addo vero tandem non posse dici impedire, et consequenter nec comprehendi sub hac lege eum, qui non vult suas res vendere, ut Romam deferantur, etiamsi fortasse desint aliæ, quæ deferri possint, quia illud in rigore, et proprietate vocis non est impedire; hoc enim potius dicit actionem aliquam, quam negationem actionis. Item quia hæc lex non prohibet, quominus unusquisque libere uti possit re sua. Itemque fere est de illo, qui absque ulla vi prius res sibi emit, et ita impedit, ne Romam deferantur, quamvis hic si illud faciat intentione impediendi, et absque alia causa, poterit etiam hanc censuram incurrere.

Nona censura contra afficientes aliquibus injuriis eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam.

66. *Ponderatur verbum, Sedem Apostolicam.* — Nona censura fertur in eadem Bulla contra *omnes, qui accedentes ad Romanam Se-*

dem vel ab ea recedentes sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent. Quæ est prima pars hujus clausulæ, in qua, ut constat, quinque actiones prohibentur, quæ satis in littera patent. Actio enim verberandi, quæ olim addebatur, ut patet apud Cajetanum, verb. *Excommunicatio,* cap. 14, in hac Bulla prætermissa est. Sicut etiam omissum est participia, *vulnerantes,* et *deprædentes,* quæ habentur in Bulla Gregorii. Standum ergo est præcise verbis citatis. Prohibentur autem hæ actiones, quatenus injuriosæ sunt duobus generibus personarum, scilicet, Romam euntibus, vel ab ea recedentibus. In Gregoriana autem Bulla addebatur etiam : *Vel apud eam morantes,* quæ particula quoad hanc priorem partem clausulæ omissa est. Unde nunc non comprehenduntur sub hac censura ii, qui prædictas injurias inferunt iis, qui Romæ commorantur, quia nec ibi est periculum illud, quod in via esse contingit, nec desunt ibi alia opportuna remedia ad justitiam, et pacem conservandam. Atque ita fere omnia, quæ Cajetanus supra circa hanc censuram advertit, hodie necessaria non sunt, præter considerationem illius particulæ : *Ad Sedem Apostolicam venientia.* Non enim dixit, *ad Urbem,* nec *Romam,* sed, *ad Sedem Apostolicam;* multi enim possunt ire Romam, qui non eunt ad Sedem Apostolicam, sed ad sua negotia secularia peragenda. Et e contrario posset contingere, aliquem ire ad Sedem Apostolicam, et non ire Romam, si Pontificem, et ejus Curiam extra Romam esse contingeret. Quo fit, ut formaliter sit necessaria hujus censuræ intelligentia de euntibus ad Sedem Apostolicam, id est, ad negotia, causas, vel res, quæ ad illas pertineant, vel quocumque modo gratia illius. Estque hæc ponderatio, ut Navarrus addit, consentanea iis, quæ Canonistæ notant in capit. Ego N., de Jurejurando.

67. *Altera ejusdem clausulæ pars.* — Secunda pars hujus clausulæ est : *Necnon illos omnes qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a nobis vel nostris judicibus non habentes, eam sibi temere vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.* Per quæ verba extenditur hæc censura ad eos, qui prædictas injuriosas actiones exercent in eos, qui in Curia (quæ formaliter etiam sumenda est) morantur; non tamen simpliciter, sed cum ea limitatione, scilicet, si prætextu jurisdictionis usurpatæ hæc faciant. Unde, qui furando spoliat aliquem in Curia morantem, vel qui in rixa illum interficit, non incurrit hanc censuram, quia non auctoritative et tanquam jurisdictionem exercens id facit. Et hoc solum est, quod sub censura hic prohibetur, ut ex littera constat. Denique in tota hac clausula omissa sunt omnia illa verba, quæ habebantur in Bulla Gregorii, scilicet : *Dantes auxilium, consilium, vel favorem, vel qui talia fieri mandant.* Et ideo extensio, quæ his verbis significatur, quatenus extensio est, sublata nunc est. Dico autem : *Quatenus extensio est,* quia si auxilium, vel favor tale sit, ut contineat cooperationem ad eamdem actionem, vere dicetur illud auxilium præbens spoliare, interficere, etc., et hac ratione censuram incurret. Quod specialiter adverto, propter hanc secundam partem hujus clausulæ; nam proprius modus exercendi illas actiones auctoritative, et tanquam habens jurisdictionem, est mandato potius, quam per se ipsum exequendo, et ideo (licet non sit expressum) qui mandando ea facit, censuram incurrit, quia revera tunc facit ut jurisdictionem habens. Magisque posset dubitari de eo, per quem facit, quia ille non operatur, ut habens jurisdictionem, sed ut merus executor; nihilominus tamen existimo, etiam illum incurrere, quia est veluti una persona cum alio, et sub nomine, et titulo jurisdictionis ejus operatur.

Decima censura contra inferentes aliquas injurias iis, qui Romam devotionis causa petunt.

68. Decima censura fertur in *omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, et in ea morantes, vel ab ipsa recedentes.* Circa quam nihil fere occurrit annotatione dignum. Solum ex ea clausula licet colligere, verum esse, quod in superiori notatum est, nomine *accedentium ad Sedem Apostolicam,* non comprehendi omnes, qui Romam tendunt; alioqui fere superflua esset hæc nova clausula seu censura. Atque eadem ratione non sine causa additur in hac clausula limitatio, *causa, vel ratione peregrinationis,* quia non omnes, qui Romam tendunt, voluit Pontifex hæc censura tueri; sed eos specialiter, qui causa devotionis tendunt. Illud etiam est advertendum, quod quantum ad eos, qui in Urbe morantur, favorabilior, seu generalior est hæc clausula, quam

præcedens; quia æque illos comprehendit, ac recedentes et accedentes. Denique in fine hujus clausulæ addita est illa amplificatio, quæ in superiori omissa est, scilicet : *Et in his dantes auxilium, consilium, et favorem.* Concordantur plura decreta, 87 dist., et cap. Romipetas, et cap. Illi, 24, quæst. 1.

Undecima censura contra persequentes aliquas personas Ecclesiasticas in dignitate constitutas.

69. *Navarri dictum rejicitur.* — Undecima censura fertur in *omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, incarcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios,* etc. Similis fere censura, et reservata, lata est in Clementina *Si quis suadente*, de Pœnis, quantum ad offendentes personas Episcoporum. Et in cap. Felicis, de Pœnis, in 6, quantum ad offendentes personas Cardinalium, ubi plures aliæ pœnæ præter excommunicationem reservatam eis imponuntur. Dicit tamen Navarr., n. 67, quod quantum ad illud caput, et pœnas in eo contentas, æquantur Cardinalibus Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Legati, seu Nuncii Apostolicæ Sedis; nullam tamen probationem adducit, nec video unde id colligat. Quia licet in hac clausula Bullæ æquiparentur, tamen ex vi illius solum exæquantur quoad censuram hic latam pro offensis in ea numeratis contra hujusmodi transgressores; inde tamen non potest fieri extensio ad pœnas latas in dicto cap. Felicis. Neque alibi extensionem illam factam esse reperio. Unde quod tertio loco ibidem notat, supervacaneum mihi esse videtur, quia quoad actiones in hac clausula expressas, satis evidenter in ea declaratum est, eos, qui talia agunt contra Patriarchas, Archiepiscopos, etc., incurrere censuram Bullæ, quæ, quoad personas Cardinalium coincidit cum censura illius cap. Felicis. Et quoad personas Episcoporum cum lata in dicta Clementina *Si quis suadente.* Si quæ vero sunt actiones in illis decretis, quæ hic non numerantur, vel comprehenduntur, ratione illarum non incurretur hæc censura, ut est Bullæ, sed tantum ut est juris communis. Si quis autem recte consideret actiones superius numeratas, et quæ statim adjungemus, inveniet nihil esse prohibitum in illis juribus, quod hic non contineatur. Solum aliæ pœnæ omissæ sunt, quia hæc Bulla propter censuras tantum promulgatur.

70. *Quales debeant esse hæ actiones ad incurrendam hujusmodi censuram. — Quid Episcopi nomen significet in hac clausula.* — Prædicta igitur verba nulla fere nova expositione indigent; nam verba, quæ significant actiones, satis per se clara sunt, et quælibet earum ex suo genere sufficit ad incurrendam hanc censuram. Dico autem, *ex suo genere,* quia semper requiritur peccatum mortale; posset autem interdum esse veniale ex levitate materiæ; interdum etiam posset esse nullum peccatum, si actio fieret in defensionem propriam, quia tunc non esset actio injuriosa. Prædicta autem verba formaliter sumenda sunt, quatenus significant injuriosas actiones, ut per se constat. Denique aliquando posset esse peccatum mortale, non tamen ejus speciei aut circumstantiæ, quam hæc clausula et censura requirit, ob facti et personæ ignorantiam; ut si quis vulneret Cardinalem noctu incedentem, vel mutato habitu, ignorans illum esse Cardinalem, etiamsi alias peccet mortaliter, non incurret hanc censuram, quia formaliter, et secundum speciem, vel circumstantiam culpæ non agit contra hanc Bullam; unde neque est contumax, ut in simili dicemus infra explicando canonem *Si quis suadente.* Denique voces etiam illæ, quæ significant personas, seu dignitates earum, in quarum favorem hæc censura lata est, satis sunt notæ. Solum advertit Cajet., verb. *Excommunicatio,* cap. 12, et sequitur eum Navarrus, Episcopum hujusmodi decretis intelligendum esse, qui consecratus est, non electum, etiam confirmatum, et possessionem adeptum; quia hic non est simpliciter Episcopus, sed secundum quid; et quia ex parte, qua hæc constitutio pœnalis est, restringi debet. Sed objici potest, quia hæc lex, licet nocentibus odiosa videatur, tamen Episcopis favorabilis est, et ex hac parte amplianda, ut in simili dicemus late infra, explicando canonem *Si quis suadente.* Item quia Episcopus electus, et confirmatus, jam potest actus Episcopi exercere, juxta cap. At si Clerici, § De adulteriis, de Judiciis. Unde sæpe diximus, nomine Episcopi venire hunc Episcopum. Nihilominus non sentio recedendum a priori sententia, quia licet hic Episcopus sit vere Episcopus, quoad ea, quæ jurisdictionis sunt, adhuc tamen deest illi consecratio, quam præcipue videntur hæc, et

similia privilegia respicere. Non enim propter jurisdictionem, sed propter consecrationem clero est immunitas concessa; et ideo verisimilius videtur hic esse sermonem de Episcopo consecrato.

71. *Alia actio ob quam eadem incurritur excommunicatio.* — Præter actiones vero supra dictas additur alia, etiam principalis, his verbis : *Ac eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes.* Et ex hac parte hanc censuram incurrunt principes, aut gubernatores reipublicæ, qui per hujusmodi exilia , aut ejectiones cogunt hujusmodi personas Ecclesiasticas ad aliquid faciendum, vel omittendum, eis mandantes, ut a suis diœcesibus, vel territoriis exeant, vel ab illis terris, in quibus vel legationem acceperunt, vel jurisdictionem habent, aut dominium, vel certe ab illis, in quibus nati sunt, aut domicilium habent; nam illæ etiam proprie dicuntur terræ suæ. Adverto tamen, non satis esse ad incurrendam hanc censuram hujusmodi exilia comminari, donec opere compleantur, propter regulam sæpe repetitam, quod actus debet esse consummatus. Recte etiam advertit Navarrus, quod si hæ personæ compellantur exire e terra non sua, ut e Curia Regis, vel aliquid simile, non incurretur hæc censura, licet alias peccetur; quod satis patet ex verbis clausulæ.

72. *Ejusdem clausulæ extensio.* — *Ratum habere quid sit in præsenti.* — Denique additur extensio, *ad mandantes, rata habentes et præstantes eis auxilium, consilium, et favorem.* In quibus duo tantum indigent declaratione. Unum est, quid sit in præsenti ratam habere talem actionem, seu injuriam. In quo breviter dicendum est, ratam habere non esse utcumque consentire, approbare, vel laudare tale factum; nam qui hæc faciunt sine ullo influxu in talem actionem, non incurrunt hanc censuram. Est ergo illa particula explicanda juxta duas regulas juris 9 et 10, in 6. Prior est, neminem posse ratum habere quod ipsius nomine non est gestum. Ex qua habetur, consensum in præteritum factum alienum, ut alienum est, non esse ratihabitionem. Posterior est, ratihabitionem retrotrahi, et mandato comparari, juxta cap. ult. de Sentent. excomm., in 6. Et ita in præsenti ratihabitio tunc proprie dicitur, quando est mandatum quoddam virtuale. Propter quod dicit Navarrus in dicto num. 67, quod licet illa particula fuisset omissa, prout fuit in Gregoriana Bulla, nihilominus intelligeretur contenta sub illa particula, *Mandantes.* Atque eadem declaratio sumitur ex Glossa in dicto cap. Felicis, verbo *Ratum habentes.* Adverto tamen, quod licet a principio non sit actio facta nomine alicujus, si tamen habet tractum successivum, ut est detentio, vel incarceratio, et postea illam ratam habet, cum alias haberet potestatem ad irritandam illam, seu remedium adhibendum, idque facere teneatur, et omittat, ex tunc contrahet hanc censuram ; quia licet non possit proprie ratam habere, v. gr., incarcerationem ut a principio factam, habet tamen ratam continuationem ejus seu detentionem talis personæ; quod satis est ad incurrendam hanc censuram.

73. Aliud explicandum erat, an in his verbis contineantur omnes extensiones, quæ per plura verba habentur in dicto cap. Felicis, et dicta Clement. 1, de Pœnis. Nam præter hæc verba ibi additur : *Vel socius fuerit facientis, aut postea receptaverit, vel defensaverit scienter eumdem;* nam de his omnibus Navarrus supra generatim ait, in verbis Bullæ includi omnia illa verba Clementinæ, et cap. Felicis. Et quidem quantum ad primam particulam, scilicet, *socium esse criminis*, res videtur indubitata; nam qui socius est criminis, auxilium confert, et favorem, imo ipse etiam facit. De secunda autem, et tertia particula mihi est dubium; nam, qui post commissum crimen delinquentem receptat, non propterea mandat, aut ratum habet delictum modo supra explicato; neque etiam confert auxilium, vel consilium ad tale delictum, quia auxilium est de præsenti, consilium de futuro; neutrum autem est ad præteritum. Quod vero receptatio sit auxilium ad se tuendum, vel occultandum, ne a ministris justitiæ capiatur, licet alioqui malum esse possit, non tamen est in hac Bulla specialiter prohibitum sub tali censura. Sicut etiam non est prohibitum dare consilium ad fugiendum, vel evadendum manus insequentium. Nam expresse in dicta Bulla dicitur: *Ad ea,* scilicet, quæ ibi narrata fuerant; dare ergo auxilium, vel consilium ad actionem longe diversam, et ibi non contentam, nihil ad hanc clausulam refert. Et eadem ratione, licet receptare sit etiam præbere favorem, non tamen ad committenda delicta ibi prohibita, sed ad vitandum fortasse supplicium eorum. Eadem dubitatio est de altera particula, *scienter defensaverit;* nam si hæc defensio est post commissum delictum, ut

supponitur, et in dicto cap. Felicis, explicatur per illam particulam, *postea,* talis defensio, nec est auxilium, nec favor ad ea, quæ ibi prohibentur. Quæ ratio convincere mihi videtur, quando delictum omnino jam præteriit, et solum agitur de supplicio delinquentis. At vero si delictum adhuc pendet in futurum, quia habet continuationem aliquam, vel, ut aiunt, tractum successivum, ut est detentio, vel incarceratio, vel quia agitur de reparando damno facto, v. gr., per spoliationem bonorum, tunc receptare, et defensare, esset auxilium, vel favorem præbere ad continuationem delicti vel damni illati; et ita omnes illæ particulæ comprehenderentur sub his particulis Bullæ.

Duodecima excommunicatio contra percutientes, aut spoliantes eos, qui in Romana Curia causas agunt, occasione eorumdem causarum.

74. Duodecima censura fertur in eos, *qui occasione causarum, vel negotiorum occidunt, seu quoquo modo percutiunt, aut bonis spoliant per se, vel alios,* sequentes personas, scilicet, *omnes Ecclesiasticos, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, et negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores, et agentes, seu etiam auditores, vel judices super dictis causis, vel negotiis deputatos.* In qua clausula satis claræ sunt actiones, quæ prohibentur, et puniuntur, et personæ, circa quas tales actiones debent exerceri, quæ ibi fuse nominantur. Personæ vero, a quibus possunt illæ actiones fieri, non nominantur, quia quoad eas universalis est constitutio, et cum illa amplificatione, *per se, vel alios.* Unde solum advertendum, hic non puniri illas actiones, quacumque ratione fiant contra has personas; sed solum, *si fiant occasione causarum, aut negotiorum hujusmodi,* ut expresse ibi dicitur. Itaque non tam hic intenditur favor personarum, ut sic dicam, quam censurarum, ne illarum cursus, aut expeditio, vel executio, aut litterarum impetratio, aut alia hujusmodi impediantur; quod fieret, si personæ, per quas hæc sunt tractanda, vel expedienda, ea ratione prædictis injuriis afficerentur. Advertit etiam Navarrus, num. 68, ad incurrendam hanc censuram non esse necessarium, ut prædictæ actiones, seu impedimenta fiant auctoritate judiciaria laica, sed sufficere, ut fiant privata, vel Ecclesiastica; citatque Cajetanum contra sentientem, non designat tamen locum. Neque ego invenio; nam in verbo *Excommunicatio,* cap. 15, ubi hanc clausulam exponit, id non docet. Imo ait, hanc censuram quoad personas offendentes esse universalem. Unde id, quod Navarrus notat, adeo est clarum, ut nemini, credo, posset in dubium venire, quia verba Bullæ sunt universalia, neque ullam mentionem faciunt laicæ potestatis; nec ulla probabilis ratio excogitari potest ad illam limitationem adjungendam. Quin potius in postremis verbis hujus clausulæ additur extensio ad omnes personas, quæ quovis modo cooperantur, vel concurrunt ad prædictas actiones, his verbis: *Qui per se, vel alios directe, vel indirecte delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, et dignitatis fuerint.* Quæ et per sese, et ex dictis satis clara sunt.

Decima tertia excommunicatio contra appellantes ad laicam potestatem in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum.

75. Decima tertia censura fertur in omnes, *qui prætextu frivolæ appellationis a gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad Curias seculares, et laicam potestatem recurrunt in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem aliquarum litterarum Apostolicarum quovis modo a prædicta Sede emanantium.* Hæc est enim summa illius clausulæ, quæ in cap. Quoniam, de Immunit. Ecclesiast., in 6, hic vero pluribus verbis proponitur, et amplificatur tam ex parte personarum sic offendentium Sedem Apostolicam, quam ex parte litterarum, quarum occasione fit offensio; et etiam ex parte actionum, seu modorum, quibus talis offensio fieri potest. Nam ex parte personarum dicitur, *tam Ecclesiasticas, quam seculares cujuscumque dignitatis.* Et ita est universalis illa censura. Ex parte vero litterarum dicitur : *Etiam in forma Brevis tam gratiam, quam justitiam concernentium; necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, et aliorum decretorum a nobis, seu a Sede prædicta, seu Legatis, Nunciis, Præsidentibus Palatii nostri, et Cameræ Apostolicæ Auditoribus, commissariis, aliisque judicibus et*

delegatis Apostolicis emanatorum, et quæ pro tempore emanaverint. Quoad actiones vero, seu modos delinquendi dicitur : *Ad laicam potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam fisci procuratore, vel advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, et alia prædicta capi, et retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, et consensu, vel examine, executioni demandari, aut ne tabelliones, et notarii super hujusmodi litterarum, et processuum executionem instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent. Ac etiam partes, seu eorum agentes, notarios, executores, et subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, et aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, et regnis ejiciunt, bonis spoliant, petere faciunt, concutiunt, et comminantur per se, vel alium, seu alios publice, vel occulte; quive aliis quibuscumque personis in genere, vel in specie, ne pro quibuscumque eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis ad Curiam Romanam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras a dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibere, statuere seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præsumunt.* Materia hujus censuræ hoc tempore latissima est, et multum agitata, præsertim in Hispania ; et ideo melius duxi eam alibi fuse tractandam relinquere, quam ea brevitate, quam hic locus postulat, attingere.

Decima quarta censura contra eos, qui causas spirituales prætextu litterarum Apostolicarum ad se advocant, ut illarum executionem impediant.

76. Decima quarta censura non dissimilis præcedenti fertur in eos, qui ad se advocant causas spirituales, prætextu litterarum Apostolicarum, et ita impediunt executionem aliarum litterarum, quibus parendum esset. Clausula autem hujus censuræ prolixa est, nec potest melius exponi, quam eam ad litteram referendo. Excommunicat ergo *omnes, et singulos, qui per se vel alios, auctoritate propria et de facto, quarumcumque exceptionum vel aliarum gratiarum, et litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas, ab auditoribus, et commissariis nostris aliisque judicibus Ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, et audientiam, ac personas, Capitula, Conventus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac de se illarum cognitione tanquam judices interponunt.* In quibus verbis illud solum advertendum est, hic solum excommunicari eos, qui auctoritate judiciaria hoc faciunt, et prætextu litterarum Apostolicarum. Utrumque enim sub particula copulativa proponitur. Unde hæc clausula vel supponit tales litteras, vel gratias Apostolicas nullas esse, sed falso confingi, aut certe eas revocat, quæcumque illæ fuerint. Et eodem tenore additur : *Quive partes actrices, quæ illas* (scilicet causas) *committi fecerunt, et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum, vel consentiendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium processuum, et decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram nobis, et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum secularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quæcumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Commendatarii, aut Vicarii fuerint.*

77. In quibus verbis præsertim notanda sunt illa : *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ;* hic est enim præcipuus titulus, sub cujus specie solent Principes et eorum ministri nonnulla facere, quæ videntur huic dispositioni contraria. Quod putant sibi esse licitum, quia fit ad impediendum, ne aliquis sine justa causa, et absque vera Summi Pontificis informatione a suo beneficio deturbetur, aut aliam similem injuriam gravem patiatur, quam aut vix, aut nullo modo possit reparare : *Quod* (inquit Navarrus) *ut ubique fere in illis regnis,* scilicet Hispaniæ, et Galliæ,

servatur, ita multi jure munire conantur; an vero satis muniant, necne, S. D. N. *definitioni remitto.* Quod et ego nunc faciendum censeo, solumque adverto circa illa verba : *aut Archiepiscopi*, etc., ex eis constare verum esse, quod Cajetanus, verb. *Excommunicatio*, cap. 29, circa similem censuram notavit, scilicet, non solum ligare laicas personas, quamvis contra eas videatur præcipue lata, sed etiam Ecclesiasticas, quæ similia præsumunt alia auctoritate, quam Ecclesiastica; sæpe enim personæ Ecclesiasticæ in Curiis Principum secularium hujusmodi muneribus funguntur, quibus si male utantur contra libertatem Ecclesiasticam, et contra tenorem hujus Bullæ, ejus censuras incurrunt. Quod non tantum pro hac clausula, sed etiam pro præcedente, et pro sequentibus dictum intelligatur.

Decima quinta censura contra trahentes ad tribunal seculare personas Ecclesiasticas, aut statuta facientes, ex quibus libertati Ecclesiasticæ derogetur.

78. Decima quinta censura fere annexa præcedenti fertur in eos, qui ex prætenso aliquo officio ex numeratis in fine præcedentis clausulæ, scilicet Præsidentiæ, Cancellariæ, etc., seu quod idem est, *ex eorum*, id est Principum secularium, *prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque coram se, ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, Consilium, vel Parlamentum præter juris canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, aut procurant, directe vel indirecte, quovis quæsito colore, necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, præeminentias, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, et quovis quæsito colore, atque etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, aut alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, vel publicaverint, vel factis, et ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ Sedis, aut quarumcumque Ecclesiarum juribus, quomodolibet directe aut indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.*

79. *Prior pars hujus clausulæ exponitur.* — In qua clausula duæ partes sunt distinguendæ. Prior est contra offendentes personas vel communitates Ecclesiasticas, non quovis genere offensionis, sed per abusum officii seu jurisdictionis temporalis eas trahendo ad temporalia tribunalia. Circa quam partem solum est advertendum, hanc censuram solum comprehendere eos, qui judiciaria auctoritate laica hoc modo abutuntur in personas Ecclesiasticas; hanc enim vim habent illa verba, *ex eorum prætenso officio.* Sunt tamen attente consideranda et ponderanda verba illa, *directe vel indirecte;* sæpe enim hujusmodi judices vocant personas Ecclesiasticas non quidem ad suum tribunal, nec formaliter ac directe utendo officio, seu jurisdictione judicum; indirecte tamen videri possunt eos trahere ad suum tribunal et tanquam judices; nam moraliter loquendo inviti coguntur comparere, nec venirent vocati, nisi personæ, a quibus vocantur, talia munera obirent. Et coguntur coram eis reddere rationem suarum actionum, quæ ad judices laicos non pertinent, et indirecte illos puniunt, dum eos in tali loco vel civitate invitos detinent, magnasque expensas facere cogunt; quæ omnia videntur comprehendi sub illa particula, *indirecte*, et illa, *quovis quæsito colore.* Nihilominus tamen, quia hujusmodi actiones externæ non sunt ex se determinatæ ad hoc genus tractionis moraliter violentæ, nec tendunt per se ad comparendum in judicio, quod nomen tribunalis in rigore significat, non possumus eas damnare ut per se malas et semper contrarias huic dispositioni, sed juxta intentionem operantis, et juxta occasionem, et modum vocandi, in foro præsertim conscientiæ, discernendum est, an talis actio sit saltem indirecte hic prohibita, vel potius secundum canones sit permissa. Attente enim illa etiam verba huic parti addita sunt, scilicet, *præter juris canonici dispositionem,* ut scilicet indicarentur, non quamcumque actionem, vocationem, sed illam, quæ est contra sacros canones, esse hic sub censura prohibitam, ut etiam Navarrus animadvertit.

80. *Posterior clausulæ pars exponitur. — An scriptores horum statutorum hac clausula comprehendantur.* — Altera pars hujus clausulæ est contra *offendentes libertatem et jura Ecclesiastica per statuta illis quovis modo contraria, et quocumque colore edita etiam titulo consuetudinis, privilegii,* etc. Extatque similis prohibitio in cap. Noverit, de Sent. excommun., quanquam differant in reservatione, et in majori quadam declaratione vel extensione. Itaque etiam ibi excommunican-

tur auctores horum statutorum, qui simplici generalique voce *Statutarii*, vocantur; illa tamen comprehenduntur omnes, qui in hac Bulla significantur per omnia illa verba : *Qui statuta, ordinationes, etc., fecerint, ordinaverint et publicaverint.* Præterea in illo textu excommunicantur talium statutorum scriptores, qui sane non videntur in tota hac clausula comprehensi, quia illa tria verba, *fecerint, ordinaverint et publicaverint,* in rigore tantum significare videntur principales auctores talium statutorum; scriptores autem non dicuntur, nec sunt auctores legum, sed instrumenta quædam eorum; in hac autem clausula nulla fit extensio ad eos, qui favent vel præbent auxilium, etc. Quod si hoc verum est, tales scriptores excommunicati manent, non tamen excommunicatione reservata. Verumtamen satis probabile est, etiam illos in hac clausula comprehendi sub illo verbo, *publicaverint*, nam, quia scriptura est publicum instrumentum, merito dici potest publicare statutum, qui illud scribit. Responderi potest primum verbum, *publicare,* ibi non sumi executive, ut sic dicam, sed auctoritative, sicut verbum facere vel ordinare; neque enim præco, v. gr., qui legem promulgat, hanc censuram incurrrit, sed qui promulgare præcipit, et ideo proprie publicare dicetur. Quæ responsio posset acceptari, nisi in Bulla adderetur illa vox, *quomodolibet fecerint et publicaverint;* non ergo comprehendit tantum præcipientem, sed etiam subscribentem, nam hi omnes aliquo modo publicationem efficiunt.

81. Præterea excommunicantur in dicto textu omnes, *qui de cætero dicta statuta servari fecerint.* Quæ verba in virtute videntur eadem cum illis verbis Bullæ, *et qui factis vel ordinatis usi fuerint,* nam proprius usus legis est observantia ejus; ille ergo statuto utitur, qui illud servat vel servari facit. Adduntur vero in illo textu hæc verba : *Nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses post hujusmodi publicationem sententiæ fecerint amoveri.* Quæ solum potuerunt habere locum in statutis hujusmodi, ante conditum et promulgatum illud decretum editis; nam in iis, quæ postea facta sunt, præsertim post duos menses ab illius decreti promulgatione, jam non habet locum illius temporis determinatio seu potius dilatio; nam semper, quocumque tempore talia statuta conserventur seu retineantur, jam id fit post duos menses a promulgatione illius decreti; et ita committitur contra illud, ejusque excommunicatio incurritur. Hæc autem verba aut æquivalentia non habentur in Bulla. Unde si aliquis princeps vel respublica talia haberet statuta, eis vero non uteretur, nollet tamen ea abradere a suis libris seu Capitularibus, sed ea conservare ad memoriam, non videtur incurrere in hanc censuram Bullæ, quia illud non est facere aut ordinare talia statuta, neque eis uti, et hæc tantum sunt, quæ prohibentur in hac Bulla.

82. *Navarri sententia.* — Imo etiam videri potest, propter illam solam omissionem delendi talia statuta a Capitularibus, non incurri excommunicationem illius decretalis, nisi simul concurrat usus seu observantia talis statuti; nam ita utrumque proponitur in illo capite sub particula exceptiva, ut simul videantur requiri ad illam excommunicationem incurrendam. Sic enim dicitur: *Qui de cætero servari fecerint statuta edita, nisi ea de Capitularibus, etc., fecerint amoveri.* Unde Cajetanus, in Summa, verb. *Excommunicatio,* cap. 31, sentit, quod ad incurrendam illam excommunicationem non sufficit non amovere illa a Capitularibus, nisi simul aliquis faciat ea servari. Dubitat vero an satis sit, facere ea servari, si alioquin eradit illa ex libris infra duos menses; id vero clarius docuit Navarrus, cap. 27, num. 119, et videtur sane consequenter loqui. Nam, si ad incurrendam illam censuram sufficeret facere observare talia statuta etiamsi e libris eradantur, non vero e contrario, jam tunc in illo textu illa adjectio superflua esset, quia si quis facit, ut talia statuta serventur, incurrit excommunicationem, sive illa amoveat, sive non; et similiter si non facit servari, non incurrit, etiamsi illa non amoveat; nihil ergo operatur illa adjectio; ergo juxta illam interpretationem si quis amoveat talia statuta a Capitularibus, licet faciat ea servari et usu retineri, non incurret, quia ad incurrendum utrumque requiritur. Quod etiam patet, quia illa particula, *nisi,* exceptive intellecta, in rigore hoc significat.

83. *Aliorum sententia.* — Quia vero hoc ipsum consequens videtur absurdum et contra mentem illius legis, scilicet, quod faciens servare hæc statuta, si illa deleat, excommunicationem hanc non incurrat, ideo existimant alii particulam, *nisi ea de Capitularibus*, etc., non esse exceptionem prioris membri, sed novum membrum illius censuræ, et supplendam esse particulam copulativam, *et,* quæ ibi deest, et obscuritatem

facit. Ita ut sensus sit, *excommunicamus eos si talia statuta servari fecerint, et nisi ea de Capitularibus amoveant.* Et ita quodlibet horum sufficit ad illam excommunicationem incurrendam. Et hanc sententiam tenet Sylvest., verb. *Excommunicatio,* 9, excom. 10, num. 31. Et idem sentit Abbas exponens illud cap., numerans varias personas incurrentes excommunicationem ex vi illius textus. Ubi simpliciter affirmat eam incurrere, qui faciunt talia statuta servari, nec requirit quod ea non deleat. Et videtur probabilissima; quid enim refert ea delere ex libris, si quis faciat ut usu et effectu teneantur? Item, nam qui servari facit similem consuetudinem, etiamsi scripta non sit, incurrit hanc censuram; ergo qui facit servari statutum, etiamsi ex scripto illud deleat, eamdem censuram incurret. Supposita autem hac parte, ratio facta ad probandum alteram, videtur etiam efficax. Et ideo in rigore hæc sententia videtur verior. Opposita vero est mitior, quod multum facit ad probabilitatem in materia pœnali, maxime cum verba textus sint obscura, ideoque in praxi prædicta sententia probabilis est.

84. *Rector civitatis non impediens observantiam hujus statuti non incurrit.* — Addit vero Navarr. incurrere hanc excommunicationem consules et rectores civitatis, non solum faciendo statuta servari, sed etiam si sciant eorum observantiam et non impediant, *quia hoc,* inquit, *expresse dicitur in textu.* Sed ego ibi hoc non invenio. Unde Cajetan., d. c. 31, oppositum sentit, nimirum solum incurrere, qui positive concurrit ad hanc observationem. Qui non fundatur in eo, quod illi Navarrus tribuit, scilicet, quia propter solam omissionem non incurritur censura; nam hoc ita generatim sumptum tam est aperte falsum, ut non potuerit Cajetan. in eo facile decipi; sed fundatur in hoc, quod propter omissionem non incurritur censura alicujus canonis, nisi in eo sufficienter exprimatur, quia censura est gravissima, et ideo non est dure, sed leniter interpretanda; in eo autem canone non fit mentio de omittentibus, sed solum de concurrentibus. Atque hoc modo sententia Cajetani satis probabilis est.

85. Ut autem textus ille melius intelligatur, duæ partes ad nostrum propositum spectantes in eo distinguendæ sunt. In priori scilicet versic. *Necnon,* etc., videtur esse sermo de statutis editis usque ad illud tempus contra Ecclesiasticam libertatem, et in eo duo prohibentur, scilicet, *facere ut ea serventur,* et *non facere ut de libris publicis eradantur,* seu *retinere illa in Capitularibus suis* (id est in libris publicis et ad hoc deputatis) ultra duos menses. Primum consistit in actione, et quantum ad illam partem ego opinor non incurrere illam censuram eum, qui positive non operatur vel cooperatur alicui ad observationem talis statuti, etiamsi possit et debeat illud impedire, et non faciat, propter rationem Cajetani, quia, licet talis omissio sit culpabilis et indirecte participet malitiam cooperationis, tamen formaliter non est facere ut statutum servetur; et in statuto pœnali standum est proprietati et rigori verborum. Et confirmatur, quia censura non est extendenda ad consentientes etiam culpabiliter, nisi hoc ipsum in lege exprimatur; in præsenti autem decreto hoc non exprimitur; ergo hæc censura non extenditur ad consentientes; sed ille, qui tantum non prohibet, cum possit et debeat, ad summum se habet ut consentiens. At vero secundum, quod in ea parte prohibetur, ex se magis consistit in omissione; excommunicantur enim, *qui post duos menses non fecerint amovere,* etc.; unde præceptum illud proprie est affirmativum *ut faciant amoveri,* cui præcepto proprie et per se opponitur omissio, quæ maxime illi attribuenda est, ad quem ex officio spectat talia statuta conservare vel delere, et non facit cum possit. Quapropter, si vera est secunda sententia supra relata, quod ad incurrendam illam censuram sufficit quælibet pars illius disjunctionis, per solam hanc omissionem poterit illa censura incurri. Juxta priorem vero sententiam, quam diximus etiam esse probabilem, non sufficiet hæc omissio, nisi cum illa simul prior commissio concurrat. Tota vero hæc pars, quantum ex illo textu colligitur, procedit de statutis edictis usque ad illud tempus, ut patet ex illis verbis : *Qui de cætero servari fecerint statuta edita et consuetudines introductas,* etc. Item ex illis : *Nisi ea de Capitularibus suis infra duos menses post publicationem hujus sententiæ fecerint amoveri.* Quæ non possunt habere locum nisi in iis, quæ antea edita et constituta fuerint. Denique quia de posteriori tempore postea statuitur. Atque ita illa prior pars non admodum potest ad usum deservire.

86. In posteriori ergo parte prohibentur similia statuta in futurum, et excommunicantur varia genera personarum. Inter quas aliquæ sunt, quæ propter solam omissionem

non incurrunt hanc censuram absque ulla dubitatione, aliæ vero sunt, de quibus potest esse dubium. In priori ordine in primis sunt *scriptores talium statutorum*, nam hoc manifeste requirit actionem ; unde, qui non scribit, licet possit et debeat impedire, ne alius scribat, et non faciat, non incurret illam, saltem ut scriptor, quidquid sit de alio titulo, de quo statim. Idem censeo de illis personis, quæ ibi vocantur *Statutarii*, id est conditores statutorum ; nam hi etiam non sunt tales, nisi positive concurrant. Idem de judicibus vel tabellionibus, *qui secundum ea statuta præsumpserint judicare, vel in publicam formam scribere judicata*. Nam utrumque horum requirit positivam actionem, ut ex terminis constat. Neque in his omnibus aliquid additur de consentientibus aut dantibus favorem, vel aliquid simile. Præter hæc vero adduntur hæc verba : *Necnon* (scilicet excommunicamus) *potestates, consules, rectores et consiliarios locorum, ubi de cætero hujusmodi statuta et consuetudines editæ fuerint vel servatæ*. In quibus nulla actio vel omissio in his quatuor generibus personarum declaratur, ob quam excommunicentur ; sed sufficere indicatur, quod in eorum locis talia introducantur. Nihilominus tamen certum est, quod Cajet. addidit, hujusmodi personas non incurrere hanc censuram, nisi aliquam gravem culpam committant in hujusmodi editione statuti vel consuetudinis, quia excommunicatio non incurritur nisi propter propriam culpam personalem. An vero oporteat eos peccare committendo vel sufficiat omittendo, in textu non explicatur ; nec Cajet. expresse affirmat requiri commissionem. Et quoad hanc partem probabilior mihi videtur opinio Navarri, quod omissio sufficiat, tum quia lex non distinguit; nec ergo nos sine sufficienti causa distinguere debemus; tum etiam quia ideo lex illa non designavit certam actionem, sed sufficere existimavit talem introductionem in tali loco, quia supponit, moraliter loquendo, hoc provenire ex culpa et negligentia eorum, qui gubernant; quod maxime patet in consuetudine, quæ superioribus tribuitur, quando ipsi vident et permittunt; ergo quoad hanc partem hujusmodi modus negligentiæ sufficiet in his personis, ut hanc censuram incurrant.

87. *Alia extensio excommunicationis ex capite Noverit.* — Extenditur præterea in dicto textu illa excommunicatio ad eos, qui servare faciunt consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem. Quæ personæ non videntur in hac Bulla comprehensæ, quia aliud est servare consuetudinem seu facere illam servare, aliud vero prætextu illius legem aliquam vel statutum condere; in hac autem Bulla excommunicantur, qui prætextu consuetudinis condunt statuta contraria Ecclesiasticæ libertati, non vero qui talem consuetudinem absque lege latam servare faciunt, quod in prædicto textu prohibetur ; et ideo qui in hoc præcise delinquunt, in excommunicationem quidem in illo capite latam incidunt, non tamen videntur in propriam et reservatam censuram Bullæ Cœnæ incurrere. Nisi quis dicat, satis censeri moraliter legem statuere, aut certe lege uti, qui consuetudinem tanquam habentem vim legis servare facit; et ex hoc capite incurrere in Bullam Cœnæ, non tanquam conditorem legis, sed tanquam illa utentem. Quod est probabiliter consideratum, tamen ad ampliandam pœnam rigorosum est, quia consuetudo in sermonis proprietate non est statutum aut lex ; et ideo in praxi satis probabilis et secura videtur prior sententia.

88. *Alia ejusdem excommunicationis extensio.* — Tandem in eodem capite excommunicantur in particulari quædam personæ, scilicet, *potestates, consules, rectores et consiliarii locorum, ubi hæc statuta, vel consuetudines editæ fuerint, vel servatæ, et qui secundum eas judicare præsumpserint, vel in publicam formam scribere sic judicata*. Ubi advertendum est, hanc extensionem factam videri propter ea statuta, quæ fiunt ab aliqua republica vel communitate; nam quia communitas excommunicari non potest, ideo fertur talis excommunicatio in capita seu principalia membra talis communitatis, quæ ad talia statuta edenda vel ad eorum usum concurrunt. Atque hoc modo est talis censura intelligenda, ut recte Cajetanus, verb. *Excommunicatio*, c. 31, annotavit. Nam, si contingat aliquem esse consulem ejus civitatis, ubi statutum editur aut servatur, ipsum autem nullo modo concurrere ad talis statuti editionem vel observationem, non propterea incurret ipse censuram, quod communitas, cujus ipse est principale membrum, in eo deliquit, quia excommunicatio non incurritur propter peccatum communitatis, sed propter proprium; ideo enim non fertur in communitatem, sed in singulas personas. Ergo personæ ibi nominatæ tunc incurrent, quando in eo facto deliquerint, non vero alias, ut in simili an-

notavit Navarrus, c. 27, n. 115, ex Angelo, Sylvestro, Tabiena et Panormitano, in cap. Adversus, de Immunit. Eccles.

89. *An extensio hæc in Bulla Cœnæ comprehendatur.* — Dubitari vero non immerito potest, an tales personæ incidant in hanc censuram, ut est Bullæ Cœnæ. Et est ratio dubii, quia in ea tantum fertur censura contra facientes, ordinantes et publicantes hæc statuta; quando vero communitas id facit, non incurrit, quia non est capax hujus censuræ excommunicationis; singulæ autem personæ non possunt vere dici facere statutum aut legem; et ad illas non est facta in Bulla specialis extensio, nec per nomina dignitatum aut officiorum, ut in prædicto capite, nec per nomina actionum, quæ ad singulas personas pertineant, ut sunt concurrere, consulere, etc. Ergo non incurrunt in hanc censuram Bullæ. Respondetur, in primis judices, et publicos notarios, et similes sine dubio comprehendi, tanquam utentes hujusmodi statutis, quæ actio in Bulla exprimitur, et ad singulares personas pertinet. Deinde, quamvis ratio facta probabilis sit, nihilominus probabilius videtur, etiam quando tale statutum ab aliqua communitate editur, in hanc censuram incurrere singulas personas, quæ sunt membra ipsius communitatis, et per sua suffragia vel alio simili modo ad talia statuta condenda concurrunt; nam, licet singularis persona per se non faciat legem totaliter, ut sic dicam, partialiter tamen facit, et hoc est aliquo modo facere. Et ideo sufficit ad incurrendam censuram; nam in Bulla dicitur : *Quomodolibet fecerint, ordinaverint*, etc. Quare sub his verbis, adjunctis illis : *Et qui eis usi fuerint*, comprehendi intelligo omnia illa, quæ expressius in dicto capite numerantur.

90. *Libertas Ecclesiastica quid sit.* — Præter hæc ad perfectam hujus clausulæ expositionem duo sunt addenda. Unum est, quid sit libertas Ecclesiastica, contra quam debet esse statutum, ut hæc censura incurratur. Quæ res latissima est et apud Canonistas pertinens ad titulos de Immunitate Ecclesiarum, et apud Theologos ad materiam de Ordine et privilegiis clericorum, quam in speciali tomo de Religione, si Deus concesserit, brevi nos daturos speramus. Et ideo breviter pro hujus loci opportunitate duo requiri dicimus ad hanc libertatem Ecclesiasticam : unum, ut sit immunitas seu privilegium, exemptio aut quovis alio nomine vocetur, propriæ Ecclesiæ, quatenus ex personis Ecclesiasticis constat, et loca aut res specialiter ad eos pertinentes continet. Aliud, ut hoc pertineat ad communem immunitatem Ecclesiæ ut sic, non ad specialia privilegia particularium Ecclesiarum vel personarum Ecclesiasticarum. Est enim advertendum, quod, licet hæc libertas denominetur Ecclesiastica ex subjecto, cui inest, scilicet Ecclesiæ, non tamen inest (ut ita dicam) adæquate toti Ecclesiæ secundum se totam, sed secundum aliquam principaliorem partem ejus, quæ est spiritualis hierarchia seu clerus.

91. Unde non est hæc illa libertas Ecclesiastica, quam potest dici habere Ecclesia tota, si comparetur ad infidelium sectas seu congregationes, quatenus est excellentior illis et quodammodo eis dominari potest saltem indirecte, si ad spiritualem finem necesse sit, non potest autem eis esse subjecta. Dico autem non esse hic sermonem de hac libertate, quia nunquam potest accidere, ut per statuta facta a fidelibus (contra quos hæc Bulla fertur) hæc libertas Ecclesiæ minuatur; est ergo sermo de libertate, quam ipsamet Ecclesia inter seipsam habet in principaliori parte sua, quæ spiritualis est, comparatione alterius, quæ est temporalis. Consistit autem hæc præcipue in excellentia potestatis, tum ad Ordinem, tum etiam ad jurisdictionem pertinentis, et consequenter in omnibus exemptionibus et privilegiis, quibus Ecclesia secundum hanc præcipuam partem suam libera est a subjectione vel coactione temporalis potestatis, sive habeat hanc libertatem ex divino jure, sive ex humano quocumque. Atque hoc sensu loquuntur jura, quoties de Ecclesiastica libertate sermonem habent, ut maxime videre licet in Concil. Tridentin., sess. 25, c. 20 de Reform., et c. ult. de Rebus Ecclesiæ non alienandis, et c. 1 de Immunit. Eccles., in 6. Et ideo etiam dixi hanc libertatem pertinere ad Ecclesiam ut sic, in excellentiori gradu seu ordine suo; nam privilegia particularia hujus vel illius Ecclesiæ, religionis aut personæ, directe non pertinent ad immunitatem Ecclesiæ, et ideo qui aliquid contra illa statueret, non incurreret hanc censuram, ut sumitur ex doctrina Innocent., in cap. Noverit, de Sentent. excom., num. 3, communiter recepta, ut videre licet in Socino, Alexand. et Anchar., qui ibi in additione citantur, et Cardinal. Zabarell., in cap. Perpendimus, de Sentent. excommun.; Sylvest., verb. *Immunit.*, 2, num. 1; Cajetan., verb. *Excommunicatio*, c. 31. Ratio est, quia con-

ditor talis statuti, non violaret Ecclesiasticam libertatem, sed particularis personæ et religionis privilegium, quod hac censura non punitur. Dixi autem *directe,* quia indirecte et consecutione quadam posset hoc cedere in injuriam Ecclesiasticæ libertatis. Nam si particularis exemptio hujus personæ vel Ecclesiæ læderetur in injuriam concedentis, quasi non potuerit illam concedere, jam illud redundaret in offensionem Ecclesiasticæ libertatis, quia talis potestas ad illam pertinet, ut ex eisdem auctoribus constat.

92. *Statutum quando sit contra libertatem Ecclesiasticam.* — Aliud explicandum erat, quando statutum aliquod censendum sit contra libertatem Ecclesiasticam, et de hoc ait Cajet., tunc statutum esse hujusmodi, quando per se et ex intentione attingit libertatem Ecclesiasticam, eamque lædit. Recte autem declarat, hoc intelligendum esse non de intentione ferentis statutum, sed de intentione ipsius operis (ut sic dicam) seu ex virtute et directa materia ipsius statuti. Nam si hæc talis sit, ut per se non respiciat res Ecclesiasticas, neque harum exemptionem diminuat, licet ipse legislator directe intendat detrimentum aliquod, quod per accidens potest inde resultare in Ecclesiasticas personas, et peccet, non tamen aget contra hanc prohibitionem et censuram, quia statutum ipsum ex se non est contra libertatem Ecclesiæ, et ea, quæ sunt per accidens, non considerantur. Et e converso, si statutum ipsum sit per se repugnans libertati Ecclesiæ, quamvis statutarius speciali intentione non intendat libertatem Ecclesiasticam minuere, sed aliquod temporale commodum suum, nihilominus in hanc censuram incurret, quia opere ipso voluntarie agit contra hanc prohibitionem. Quæ doctrina ita in genere sumpta, optima est, et moralibus exemplis recte ab ejusdem auctore explicatur.

93. Solum adverto, non esse difficile judicare, quando statutum per se et directe sit contra Ecclesiasticam libertatem; nam id ex materia ipsius statuti facile percipi potest. Nam dupliciter potest id contingere: primo si materia ipsa sit contraria juri Ecclesiastico, ut, v. gr., si statutum sit quod decimæ non solvantur, aut aliquid simile. Secundo si lex ipsa quasi in actu exercito repugnet libertati Ecclesiasticæ, nimirum, quia licet materia ejus non sit directe illi contraria, possetque ab Ecclesiastico Prælato juste suis subditis imponi, tamen quod imponatur a seculari potestate, est contra libertatem Ecclesiasticam, ut quod sacerdotes tali vestitu utantur, vel aliquid simile, ut videre licet in c. Gravamen, de Sentent. excommun.

94. At vero, quando statutum non est ita per se et directe contra libertatem Ecclesiasticam, ex accidente tamen et consecutione quadam videtur illam lædere, tunc ait Cajet. non esse talem legem contra hanc prohibitionem. Sed cum duplici moderatione hoc intelligendum est. Prima, quod tale statutum non solum non versetur directe circa spiritualia, verum etiam nec circa spiritualibus annexa; nam hoc etiam esset contra Ecclesiasticam libertatem, ut expresse dicitur in cap. ult. de Rebus Ecclesiæ non alienandis, et recte tractat Panormitanus, in 1 part. Consil., consilio 26. Secunda, ut illud detrimentum, quod per accidens sequi dicitur, non sit ita conjunctum, ut moraliter existimari possit sequi per se. Exemplum sumi potest ex c. ult. de Immunit. Eccles., in 6, ubi excommunicantur temporales domini, qui suis subditis prohibent, ne clericis consueta obsequia exhibeant, id est, ne eis quicquam vendant, aut panem coquant, et similia : *Cum talia,* inquit, *in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur.* Quod verbum *præsumantur,* Cajetanus in dicto cap. 31 et 37, et Navarrus, num. 120, intelligunt cum proprietate, id est, prohibitiones illas non esse contra Ecclesiasticam libertatem, sed contra humanam societatem, tamen ab Ecclesia præsumi fieri in injuriam Ecclesiasticæ immunitatis. Sed quod ad rem moralem attinet, re vera sunt materia hujus excommunicationis, quia vere prohibentur in favorem Ecclesiasticæ libertatis. Unde merito dici possunt non tantum præsumptive, sed etiam vere esse contra Ecclesiasticam libertatem, quia saltem indirecte impeditur illo modo Ecclesiastica libertas, vel aliquid illi repugnans a personis Ecclesiasticis exigitur. Dicuntur ergo præsumi esse contra libertatem Ecclesiasticam, quia non directe et expresse hoc declarant; nihilominus tamen vere sunt in fraudem dictæ libertatis, ut in simili dicitur in cap. Quanto, de Privileg., juxta regul. ult. juris, in 6 : *Certum est eum in legem committere, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Sic etiam dixit Bartol., in leg. 1, § 2, ff. Quarum rerum actio non detur, num. 3, illud esse contra libertatem alicujus per quod efficitur timidior, et ideo statuta illa, per quæ efficiuntur clerici timidiores, esse contra libertatem Ecclesiasticam, etiamsi immediate et directe non vi-

deantur contraria privilegiis Ecclesiasticis, sed juri communi omnibus civibus, de qua re particularia exempla videri possunt in Cajet. et Navarr. supra, et in eodem Navar., consil. 2 de Immunit. Eccles.

Decima sexta censura contra impedientes Prælatos Ecclesiasticos, ne sua jurisdictione utantur.

95. Decima sexta censura fertur in eos, *qui Prælatos seu judices Ecclesiasticos ordinarios impediunt, quominus sua jurisdictione contra quoscumque utantur, secundum quod canones et sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, et decreta Conciliorum generalium, et præsertim Tridentini statuunt.* Et hæc est prima pars hujus prohibitionis seu censuræ. Et similis habetur jure communi in cap. Quoniam, de Immunit. Eccles., in 6, cum hoc tamen discrimine, quod excommunicatio ibi lata reservata non est, sicut est in Bulla. Item, quia prohibitio illius textus universalior est, nimirum in favorem Ecclesiasticorum judicum, non solum ordinariorum, sed etiam delegatorum, ut patet ex illis verbis : *In foro Ecclesiastico delegato seu ordinario;* in Bulla autem solum de ordinariis judicibus et Prælatis mentio est, ut ex adductis verbis expresse patet. In altera vero parte hujus clausulæ non solum de ordinariis, sed etiam de delegatis mentio est. Et in ea excommunicantur omnes, *qui post ordinariorum vel delegatorum quorumcumque sententias et decreta aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, et alias curias seculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata, etiam pœnalia, ordinariis et delegatis prædictis decerni et contra illos exequi procurant; eos quoque qui hæc decernunt et exequuntur seu dant consilium, patrocinium et favorem in eisdem.* Itaque differentia inter has duas partes esse videtur, quod prior immediate fertur in favorem personarum, id est, Prælatorum et Ecclesiasticorum judicum ordinariorum, et generaliter contra omnes qui eos impediunt in usu jurisdictionis suæ. Et ideo specialiter fertur pars illa de ordinariis judicibus, quia in eis Ecclesiastica dignitas specialiter residere videtur. Posterior vero respicit speciales actus et particularem modum eludendi Ecclesiasticam jurisdictionem, et ideo quoad personas, quarum præcepta seu judicia defenduntur, universalior est.

Decima septima censura contra usurpantes jurisdictionem aut fructus ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, etc., pertinentes.

96. Decima septima censura fertur, etiam ad defensionem Ecclesiasticæ immunitatis, in eos, *qui jurisdictiones, seu fructus, redditus, et proventus ad Sedem Apostolicam, et quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant.* In qua parte jurisdictio latius usurpatur, quam in præcedente clausula; hic enim non tantum Ecclesiastica jurisdictio, sed etiam temporalis, si ratione Ecclesiæ seu beneficii Ecclesiastici competat, defenditur; non solum quia expresse nominatur, sed etiam quia inter fructus vel proventus beneficii Ecclesiastici computari potest. Itaque, si Episcopus ratione Episcopatus sit etiam temporalis dominus jurisdictionem temporalem habens, qui eam usurpaverint, in hanc censuram incident. Dico autem *ratione Episcopatus*, quia si persona Episcopi alias habeat dominium aut jurisdictionem temporali titulo, illa jurisdictio non defenditur per hanc Bullam, quæ identitati dignitati consulit, non personæ. Et idem est de aliis fructibus seu proventibus, ut verba ipsa satis declarant, ibi, *ratione Ecclesiarum,* et Cajetan., verb. *Excomm.*, cap. 27, et Navarrus, num. 17, annotarunt; idem Navarrus, consil. 2 de Immunitate Eccles.

97. *Quid proventuum Ecclesiasticorum usurpatio in hac clausula significet.* — Qui etiam addunt necessarium esse ad hanc censuram incurrendam, quod hi fructus Ecclesiastici et proventus usurpentur, et ut fructus et proventus, quoniam verba (ait Cajetan.), formaliter sumenda sunt. Dicuntur autem proventus, ut proventus usurpari, quando usurpatur jus ad ipsos, seu quando aliquis eos accipit tanquam ad se pertinentes. Hoc autem annotavit Cajetan., ut ab hac clausula et censura eos excluderet, qui per furtum vel rapinam hujusmodi fructus arripiunt, non formaliter ut proventus sunt, sed ut sunt quæcumque aliæ res; nam hic canon (ait Cajetan.) non est factus contra fures seu latrones, sed contra eos, qui proventus Ecclesiæ usurpant, quia sunt proventus, id est (ut ego interpretor), quia tales proventus, ac si ad se pertinerent, usurpant, et non tanquam aliena bona rapiunt. Quæ ponderatio ingeniosa est, et in rigore vera videtur, eamque ipsum verbum

usurpandi, insinuat; tunc enim aliquis usurpare dicitur proventus, quando veluti potestate dominandi, et quasi jure proprio utens illos præoccupat. Et contra hos, qui hac potestate et violentia utuntur, videtur editus hic canon. Et confirmatur, nam si latro furetur bona Ecclesiasticæ personæ, v. gr., triticum pecunia emptum, non incurret hanc censuram; ergo etiamsi furetur triticum ex decimis aut primitiis collectum, illam non incurret, quia hoc valde accidentarium est, nec mutat moralem rationem illius actionis. Prohibetur ergo hic non quodlibet furtum, sed usurpatio Ecclesiasticorum proventuum.

98. *Qui proventus incertæ personæ Ecclesiasticæ usurpat, an incurrat hanc censuram.* — Addit vero ulterius Cajetan. necessarium esse, ut tales proventus sint alicujus certæ personæ vel communitatis, quia in littera dicitur : *Ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, etc., pertinentes.* Unde infert, si quis usurpet proventus alicujus Episcopatus seu Ecclesiæ vacantis, non incurrere hanc censuram, quia illius proventus ad nullam certam personam pertinent. Sed hoc incredibile est, et mihi certe videtur moraliter improbabile, et in primis in fructibus pertinentibus ad Pontificem Romanum satis hoc explicatur in illis verbis : *Ad nos et Sedem Apostolicam.* Quanquam enim Sedes vacet, semper illi fructus ad Sedem Apostolicam pertinent. Deinde hæc prohibitio et censura non est facta præcipue in commodum personæ, sed in defensionem Ecclesiasticæ immunitatis et dignitatis; ergo, quod præcipue intenditur, est cohibere usurpatores Ecclesiasticorum proventuum, sive illi nunc pertineant ad determinatam personam, sive non; nam hoc valde accidentarium est ad finem ipsius legis. Item quia alias usurpantes proventus monasterii non incurrerent hanc censuram, quia illi proventus non pertinent ad determinatam personam, sed ad hanc communitatem, ex quibuscumque personis constet. Quod si dicatur, sub nomine personarum comprehendi hoc collegium vel hanc communitatem, ex quibuscumque personis constet, fingamus hoc anno ex aliqua occasione nullam personam hoc collegium inhabitare, numquid propterea minus peccabit, qui illa bona usurpaverit? Nemo, credo, id affirmabit, quia illa circumstantia valde accidentaria est, nec mutat rationem prohibitionis vel culpæ, et quia semper illi proventus formaliter pertinent ad hoc monasterium, quod, licet hoc anno non existat, in sequente existet, et ad illud omnia illa bona pertinebunt. Sic ergo dicendum est in qualibet Ecclesia aut beneficio vacante, quod usurpare fructus ejus sit contra hanc prohibitionem; nam per se pertinent ad possessorem talis beneficii, qui licet fortasse non existat seu non sit dominus beneficii, paulo post succedet in illo, et tales fructus solent ad successorem pertinere. Atque hoc in rigore satis est ad verificanda verba hujus clausulæ, scilicet, quod proventus hi pertineant ad Ecclesiasticas personas. Præsertim quod ibi non dicitur, ut illæ personæ sint omnino determinatæ eo tempore, in quo bona usurpantur, aut quod jam habeant jus acquisitum ad illa; satis ergo est, quod illa bona ex se sint destinata ad Ecclesiasticas personas et non nisi spirituali titulo sint obtinenda. Ac denique, etiam tunc quando Ecclesia vacat, possunt dici pertinere ad commendatarium vel œconomum, ut etiam Navarrus notat, non quidem, ut eorum dominium acquirat, sed ut ea conservet, et vero domino suo tempore reddat. Imo etiam possunt dici pertinere ad Summum Pontificem, si non ut dominum, saltem ut supremum dispensatorem, qui interdum potest tales proventus Ecclesiæ vacantis, vel suis, vel aliorum usibus pro ratione occurrentis necessitatis applicare.

99. *Extensio ejusdem clausulæ ad sequestratores talium fructuum.* — Additur denique in eadem clausula quædam extensio hujus censuræ, his verbis : *Vel etiam quavis occasione, vel causa sine Romani Pontificis vel eorum ad quos de jure pertinent, expressa licentia sequestrant.* Quæ verba differunt a præcedentibus in actione, quæ est causa hujus censuræ, nam *sequestrare* non est sibi usurpare, sed impedire, aut separatim reponere, ne hujusmodi fructus ad Ecclesiasticas personas proveniant, et proprie est actus jurisdictionis, quem actio usurpandi per se non requirit. Et ideo hic specialiter additur illa limitatio, *sine nostra,* etc., quia non quomodocumque prohibetur hic actus, sed quatenus est usurpatæ jurisdictionis; quod non erit, si cum prædicta facultate fiat. Cajet. vero, dict. cap. 27, hanc conditionem, seu limitationem etiam cum verbis præcedentibus conjungit. Quia verba Bullæ, quæ ab ipso exponuntur, obscuriora tunc erant; et quantum ad rem spectat, non multum refert; tamen in Bulla Clementis satis hoc explicatum est; et merito, nam in prioribus verbis superflua esset illa

limitatio, quia non dicetur quis usurpare ea, quæ cum facultate domini, aut superioris accipit, sicut dicetur sequestrare. Imo tunc verius, et justius id facit, quando cum facultate jurisdictionem habentis id facit.

Decima octava censura contra imponentes, aut recipientes decimas, aut alia onera personis, aut bonis Ecclesiasticis absque Pontificis licentia.

100. Decima octava censura fertur ad defensionem etiam Ecclesiasticæ immunitatis contra eos, *qui collectas, decimas, vel similia onera Ecclesiasticis personis, et Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, bonis, eorumque fructibus, etc., absque Romani Pontificis speciali, et expressa licentia imponunt; aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt.* Quæ verba satis per se clara sunt, et virtute continebatur hæc prohibitio in præcedentibus; nam hujusmodi impositio manifeste est contra libertatem Ecclesiasticam. Hic vero additur, tum ad majorem declarationem, nam sive hæc impositio et exactio fiat per modum statuti, sive præcepti, aut per violentiam, aut quacumque alia ratione, incurritur hæc censura, quo modo non erat hoc in superioribus clausulis satis declaratum, aut etiam contentum. Neque etiam quoad illam extensionem, quæ hic fit ad accipientes etiam sponte oblata; dicuntur autem sponte dari, non quia ex absoluta, et omnino libera voluntate donandi dentur; non enim hoc prohibitum est, ut per se constat; sed quia sine alia speciali vi aut coactione præter exactionem seu impositionem dantur. Hæc autem ipsa est sufficiens vis, aut coactio; et ideo si hoc titulo dentur, quocumque modo dentur, hanc censuram incurrunt, qui accipiunt. Adnotandum vero est ex Panormitano, in c. Non minus, de Immunitate Eccles., et Navar., c. 28, num. 115, hoc esse intelligendum de tributis, aut exactionibus, quæ vel in bonis Ecclesiasticis, vel in personis etiam Ecclesiasticis directe imponuntur. Nam si clerici habeant bona temporalia, ratione quorum debent aliqua tributa, vel onera, non est prohibitum illa exigere.

101. In reliquis autem verbis hujus clausulæ fit extensio hujus censuræ ad dantes auxilium, consilium, etc., et omnes personas cujuscumque dignitatis vel ordinis existant, quæ latissime referuntur. Et innovantur decreta, et pœnæ, vel censuræ in hujusmodi casu latæ in aliis Conciliis, quæ omnia in Bulla ipsa satis perspicua sunt. Est autem advertendum similem censuram latam esse in Concil. Lateranen., sub Alexandro III, c. 19, et haberi in c. Non minus, de Immunit. Eccles., cujus statutum hæc Bulla confirmat, et auget addendo censuram. Et similiter confirmata est ab Innocentio III, in cap. Adversus, de Immunit. Eccles., ubi additur excommunicatio, seu extensio illius excommunicationis, ad successorem illius, qui tale tributum imposuit in regimine, seu officio; nam si antecessor non satisfecit Ecclesiæ, et in excommunicatione permanet donec satisfaciat, et successor ad satisfaciendum obligatur; quod, si intra mensem non præstiterit, in excommunicationem incidit, absque reservatione ex vi illius canonis. Quæri autem potest, an ex vi hujus Bullæ illa etiam censura, quatenus ad successorem extenditur, reservata sit. Et breviter dicendum censeo, si successor non exequatur de novo impositionem ab alio factam, exactionem continuando, sed statim cesset, solumque sit in mora restituendi quod ab alio injuste petitum et acceptum est, licet excommunicationem incurrat, non tamen videri reservatam ex vi hujus Bullæ, quia in tota hac clausula non est sermo de non restituendo, sed de *imponente, exigente,* vel etiam *accipiente,* vel quovis modo ad hujusmodi actiones *cooperante;* successor autem, qui non satisfacit, non potest dici illas actiones exercere, aut ad illas cooperari; non ergo incurrit hanc censuram prout latam in Bulla Cœnæ.

102. Ut autem incurrat eam ut latam in dict. c. Adversus, oportet, ut culpabiliter sit in tali mora. Nec enim, ut opinor, cogendus est talis successor ad satisfaciendum, seu restituendum ex propriis bonis, cum ipse non deliquerit, neque aliud ex bonis Ecclesiæ usurpaverit. Debet ergo satisfacere quatenus gubernator, id est, vel ex communibus bonis, vel faciendo, ut qui bona acceperunt, ea restituant; quantum ad hoc enim merito succedit in onere, ut in illo textu dicitur. Et ideo, si non possit intra mensem re ipsa exequi satisfactionem, dummodo, quod in se est, faciat, non incurret, quia re vera non peccat. Sicut etiam Consul, vel alius similis ex gubernatoribus non incurret, si quantum in ipso est, contradicat tali impositioni, licet fortasse propter plura suffragia imponatur, ut in si-

mili annotatum est supra in clausula 15. Hic adjungi posset prohibitio similis facta in c. Quanquam, de Censibus, in 6, sed dicetur commodius infra tractando de censuris non reservatis libri 6.

Decima nona censura contra se interponentes in causis capitalibus contra personas Ecclesiasticas.

103. Decima nona censura fertur in eadem Bulla etiam in defensionem Ecclesiasticæ libertatis contra omnes *magistratus, et judices, notarios, scribas, executores et subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo sine speciali, specifica, et expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, Senatores,* etc., *et quocumque nomine nuncupati.* Quæ clausula nulla indiget expositione, præter dicta in superioribus; nam quod in illis, vel pro defensione bonorum, aut pro causis civilibus, aut pro libertate Ecclesiæ in genere, vel specie dictum fuerat, hic in particulari fit ad defensionem personarum Ecclesiasticarum in causis capitalibus. Unde eamdem habet intelligentiam.

104. Solum adverto in Bulla Gregorii ad hanc clausulam adjungi aliam, per quam revocantur omnia privilegia quibuscumque regibus, potentatibus, aut rebuspublicis concessa, quæ huic prohibitioni contraria fuerint. Quæ clausula videri potest omissa in hac Bulla, sed non tam omissa est, quam virtualiter explicata per illa verba, *sine speciali, specifica, et expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia;* quæ in dicta Bulla Gregorii non erant, sed addita sunt a Sixto V, et a S. D. N. Clemente VIII, per quæ non fuit sublata omnino revocatio privilegiorum, sed illis existimo declarationem, et moderationem fuisse adhibitam, quod illa esse debeant expressa, et specialia seu specifica. Itaque non sufficiunt generalissima verba, imo nec generica, neque etiam implicita, sed debent esse expressa, et specifica; non existimo tamen esse necessarium, ut hæc licentia sit specialis quoad personam, vel quoad delictum in individuo, de quo cognoscendum est, sed sufficiet, quod sit ad cognoscendum de tali delicto in specie, etiamsi licentia sit generalis quoad personas Ecclesiasticas, tempora, et loca, in quibus tale crimen inventum fuerit. Et ideo non existimo privilegia sub prædicta forma concessa etiam ante hanc Bullam esse revocata. Cessatque dubium de quibusdam privilegiis Galliæ, quod Navarrus movet, et indecisum relinquit; nam plane videntur sub illa forma concessa.

Vigesima censura in destruentes, invadentes, occupantes, etc., terras Romanæ Ecclesiæ subjectas.

105. Vigesima censura fertur in eadem Bulla in specialem defensionem dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis, contra omnes, qui *per se, vel alios directe, vel indirecte, sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, aut detinere præsumpserint in totum, vel in partem almam Urbem, regnum Siciliæ, insulas Sardiniæ et Corsicæ,* etc., usque ad illud, *et alias civitates, terras, vel loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta, nec non supremam jurisdictionem in illis nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt. Nec non adhærentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet præstantes.* Circa quam notandum est in Bulla Gregorii post quatuor illas actiones, quæ videntur hic designari, ut causæ hujus censuræ, scilicet, *invadere, destruere, occupare, aut detinere,* addi hoc adverbium, *hostiliter;* juxta quam determinationem, si in omnia illa verba cadat, restringitur totius clausulæ intelligentia; tamen posteriores Pontifices dictionem illam auferentes, videntur voluisse illa verba generalius intelligi; tamen, si verba Gregorii attente considerentur, parum differre videntur; bis enim posuit illa verba (quæ semel tantum in Bulla Sixti continentur) scilicet, de præsenti et de præterito; hoc modo, *eos qui de facto occupant, vel detinent, vel hostiliter destruunt, vel invadunt, aut occupare, detinere, vel destruere, aut invadere hostiliter præsumpserint,* etc. Ubi in prioribus verbis dictio, *hostiliter,* solum videtur conjungi cum verbo destruendi; in posterioribus vero cum ultimo, quod est, *invadere.* Et ita fere nulla erit differentia, quia verbum ipsum, invadendi, per se videtur, indicare hujusmodi hostilem incursum.

106. Itaque quacumque ratione aliqua ex

his actionibus contra justitiam fiat, sufficit ad incurrendam hanc censuram. Si autem bona fide et probabili titulo, juxta doctorum hominum judicium, aliquid hujusmodi fiat, non incurretur censura, quia excusatur culpa, sine qua non potest excommunicatio incurri. Quod annotavit Cajetanus, in Summa, c. 31, versic. 4 : *Quia tunc* (inquit) *operatur quis ex ignorantia plusquam probabili; et ideo neque apud Deum, nec apud Ecclesiam agit contra ejusdem Ecclesiæ jus, seu libertatem.* Advertit etiam idem Cajetanus, c. 17, quem sequitur Navar., num. 73, quod, quando in civitatibus Papæ sunt factiones, et altera factio extra existens, civitatem hostiliter invadit, quamvis non intendat eam subtrahere ex dominio Papæ, neque in aliquo lædere jus Ecclesiæ, sed ibi principatum obtinere eo modo, quo potest, nihilominus duces, et milites talis factionis hanc censuram incurrunt, quia simpliciter invadunt hostiliter civitatem, et in Bulla non distinguitur, quod id fiat animo subtrahendi civitatem ex dominio, vel jurisdictione Papæ, necne. Item, quia hujusmodi invasiones regulariter ac frequenter non fiunt, quin civitas saltem in parte destruatur. Addit etiam Cajetanus frequenter etiam non fieri, quin liberum regimen talis civitatis Ecclesiæ subtrahatur.

107. Post has censuras addebatur alia in Bulla Gregorii contra eos, qui tempore, quo Sedes Romana vacat, vel Summus Pontifex infirmatur, supellectilem librorum, scripturarum, aut bonorum Cameræ Apostolicæ occupant. Illa vero a Sixto, et Clemente sublata est, et ideo nunc solum illæ viginti, quæ expositæ sunt, per se, et directe continentur in Bulla. Nam alia, quæ postea fertur in eos, qui absolvunt ab hujusmodi censuris sine legitima facultate, est quasi reflexa, et minus propria hujus Bullæ, ut statim declarabo.

SECTIO III.

Quis possit absolvere ab his censuris.

1. Post omnes prædictas leges, et censuras additur in Bulla clausula continens modum, et terminum durationis ejus. Quam clausulam propter loci opportunitatem in 1 sect. expositam reliquimus. Deinde vero subjungitur clausula reservationis prædictarum censurarum. Juxta quam dicendum est primo, extra mortis articulum nullum præter Romanum Pontificem posse a prædictis censuris absolvere; neque etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo cautione præstita. Quæ assertio satis probatur auctoritate ipsius Bullæ, nam sunt fere formalia verba ejus. Solum posset interrogari, quæ cautio sit in mortis articulo exigenda. Sed de hoc non potest generalis regula statui, prudentisque arbitrio est relinquendum. Communiter autem dicitur cautionem hanc debere esse pignoratitiam, vel si nec hæc possit, saltem juratoriam, ut videre licet in Cajet., cap. 77, de Excommunicatione, et Navarr. supra.

2. *Quæ cautio sit exigenda, ut quis in mortis articulo ab censuris absolvi queat. — Non sufficit cautio quando satisfactio exhiberi potest.* — Merito autem in Bulla dictum non est in mortis articulo satisfactionem esse exigendam, sed cautionem de satisfaciendo, ut tolleretur dubium, an in hujusmodi eventibus necessarium sit realem satisfactionem præcedere, et an in casu impotentiæ possit quis absque illa absolvi cum ejus cautione. Quamvis enim probabilius sit (licet non sine opinionum varietate) in eo casu semper, et pro quacumque reservatione cautionem sufficere, ut in superioribus visum est, in casibus tamen hujus Bullæ res esse debet extra omnem controversiam, quia in ipsamet Bulla non satisfactio, sed cautio satisfactionis expresse postulatur. Unde non solum in casu impotentiæ simpliciter, sed etiam in minori necessitate, vel quacumque difficultate morali existimo sufficere cautionem, quia Bulla non plus requirit. Nihilominus tamen, quando satisfactio talis est, ut statim, et sine ulla mora exhiberi possit, non solum tutius (quod manifestum est), sed etiam necessarium est, per se loquendo, ut satisfactio præmittatur, saltem ut res bene et sine peccato fiat. Nam, ut valide fiat, semper opinor sufficere cautionem, cum non desit in absolvente jurisdictio, quia verba Bullæ in rigore plus non requirunt, et ex parte dispositionis pœnitentis possit esse sufficiens cum proposito satisfaciendi; nihilominus tamen interdum potest esse necessaria actualis satisfactio prævia, si statim, et absque difficultate ulla potest exhiberi. Et ideo etiam minister, ut fideliter suo munere fungatur, debet in simili casu eam exigere. Eo vel maxime, quod quando non potest satisfactio præmitti, debet cautionem securissimam, quantum moraliter potuerit, procurare; nihil autem securius est, quam non differre satisfactionem, si statim commode exhiberi potest. De qua re videri pos-

sunt superius generatim dicta, et quæ attingit Navarr., c. 27, num. 47 et 48, et quos ipse citat. An vero articulus mortis, et periculum mortis idem sint, et utrumque ad præsentem effectum sufficiat, dictum est in superioribus, cum de reservatis casibus in communi ageremus, nec in præsente aliquid speciale occurrit.

3. *Sub Pontifice ejus legati comprehenduntur quoad hunc effectum absolvendi.* — Cum autem in hac assertione dicitur solum Summum Pontificem posse extra dictum articulum ab his censuris absolvere, non excluduntur ministri, seu delegati ipsius Pontificis ad hunc effectum, quia constat nec debere, nec moraliter posse Pontificem per se ipsum ab omnibus hujusmodi casibus absolvere; imo nunquam id facere. Necessarium tamen est, ut hæc delegatio fiat modo in hac Bulla præscripto; non enim sufficit quodcumque indultum, vel facultas verbis generalibus concessa, nisi in ea expresse contineantur casus hujus Bullæ; ita enim in eadem Bulla eisdem fere verbis declaratur; et nominantur in particulari omnia genera personarum, vel communitatum, quibus talia indulta concedi solent, et ad omnia extenditur revocatio, sive tales facultates per Sedem Apostolicam datæ sint, sive *per cujusvis Concilii Decreta.* Quod ultimum verbum notandum est, quia per illud videtur derogata facultas concessa Episcopis ad absolvendum ab omnibus censuris in causis occultis, quantum ad casus hujus Bullæ, quia non videtur potuisse expressius derogari; imo vix potuit verbum illud propter aliud Concilium addi. Ita animadverti in superiori tomo, disput. 30, sect. 2, num. 10, ubi in hunc locum remisi aliqua, quæ nunc addenda sunt.

4. *Notandum circa clausulam revocatoriam Bullæ.* — Advertendum est ergo circa clausulam revocatoriam privilegiorum et facultatum in Bullis Sixti V, et Clementis VIII, habere quamdam restrictionem notabilem per illa verba : *Nisi in eis etiam casus præsentibus litteris expressi comprehendantur.* Per quæ declaratum est, per priorem revocationem solum excludi indulta concedentia facultatem absolvendi a casibus Papæ reservatis, tantum in generali, non vero ea, quæ in specie concedunt casus Cœnæ Domini; et ita constat nunc non esse revocata regularium privilegia, quæ hos casus in specie concedunt; an vero hæc fuerit nova concessio, seu limitatio revocationis, vel fuerit tantum declaratio prioris revocationis generalis, in tomo de religione, Deo dante, videbimus. Hinc ergo ortum mihi est speciale dubium circa præcedentem resolutionem; nam hinc sequitur facultatem illam Episcopo datam a Concilio non esse revocatam per hanc clausulam. Patet sequela, quia in Concilio expressis verbis conceditur hic casus hæresis occultæ Episcopis, ut patet ex illis verbis, sess. 24, c. 6 de Reform. : *Idem et in hæresis crimine, in foro conscientia, iis tantum, non eorum vicariis sit permissum;* ergo hic casus continetur sub illa exceptione, *nisi in eis,* etc.; ergo facultas ad absolvendum ab illo reservata non est.

5. *Num per hanc clausulam revocata sit facultas absolvendi Episcopis datam a Concil. Trident.* — Responderi potest, illam specificationem non tam fuisse positam a Concilio propter facultatem concedendam, quam propter limitandam illam, scilicet, ut per se, non per vicarium posset Episcopus illa uti, alioqui dicendum esset, concessionem illam esse revocatam quoad alios casus Cœnæ, et non quoad hæresim, quod plane absurdum est. Sequelam probo, quia alii casus conceduntur solum per clausulam generalem ad omnes casus Papæ reservatos, sola autem hæresis in specie exprimitur. Sed contra hoc est, quia quando post clausulam generalem additur exceptio alicujus casus reservati, censentur omnes alii in specie expressi, quia exceptio firmat regulam in contrarium, ut ex communi sententia dixi in 4 tom., disp. 30, sect. 1, num. 3; sed hic Concil. Trident. prius ponit clausulam generalem, per quam concedit Episcopis omnes casus occultos reservatos Pontifici, ut per se, vel vicarium possint ab eis absolvere, et postea addit expressionem peccati hæresis cum speciali limitatione; ergo intelligit concedere omnes alios speciatim et sine illa limitatione; ergo talis concessio non est revocta, saltem per Bullas Sixti V, et Clementis VIII, cum illi expresse dicant se nolle revocare facultates, in quibus casus Cœnæ in specie conceduntur. Quæ ratio sane videtur facere probabilem aliquorum opinionem, negantem facultatem hanc Concilii esse per hanc clausulam Bullæ derogatam, quanquam aliud fundamentum eorum, scilicet Episcopos habere hanc jurisdictionem jure divino, et Concilium abstulisse solum impedimentum, et reduxisse rem ad jus antiquum, mihi non probetur, de quo alias. Verumtamen nec ob rationem factam discedere possum a priori sententia, quia

licet fortasse sola verba Bullæ prout ponderata sunt, non cogerent, hanc tamen nihilominus intelligo esse voluntatem Pontificum, et praxim Romanam. Unde Francis. Penna, in 3 part. Directorii, in scholio ad quæst. 92, ita scribit : Et quidem in supremo Inquisitionis prætorio S. et Romanæ generalis Inquisitionis sæpe pronunciatum est, nec posse, nec debere Episcopos amplius virtute Concilii absolvere occultos hæreticos in foro conscientiæ, sive quod per processum Bullæ in Cœna Domini sit Concilio Trident. derogatum, sive quod ita Pius V et Gregorius XIII alias expresse declararunt. Quod etiam testatur Navarr., in Summ., cap. 27, num. 275, a qua etiam sententia non audet discedere Simanc., de Cathol. instit., tit. num. 6.

6. *Quam pœnam incurrat sacerdos ab his casibus absolvens.* — Secundo dicendum est, sacerdotem, qui sine legitima facultate ab his casibus absolvit, excommunicatum esse ipso jure, et nihil facere. Hoc posterius constat, quia jurisdictionem non habet; prius autem, quia in Bulla disponitur. Sed an sit hæc censura reservata? Cajet., verb. *Excomm.*, c. 77, refert olim fuisse additam reservationem in Bulla Cœnæ. At nunc non extat, nec in Bullis Pii V, et sequentium, imo neque in Bulla Pauli III, quam refert Rebuf.; et ideo ex vi Bullæ Cœnæ sine dubio non est reservata, quia nec de prioribus constat, nec jam habent vim, sed sola ultima. Addit vero Cajet. esse hanc censuram reservatam a Sixto IV, in Extrav. *Etsi dominici,* de Pœnit. et remis., et illam reservationem esse generalem, et habere vim suam. At Sixtus bis repetit hæc verba : *Prætextu hujusmodi facultatum,* id est, ab ipso concessarum, quas ibi revocarat; non est ergo reservatio illa extra illum casum extendenda. Nihilominus Rebuf. hic ait, solum Papam posse ab hac censura absolvere, quia ejus est solvere, cujus est ligare. Verumtamen eo ipso, quod reservata non est, censetur concessa, juxta cap. Nuper, de Sent. excomm. Præsertim cum supra ostensum sit, censuras hujus Bullæ esse a jure. Recte ergo Navarr., num. 74, concludit, posse quemlibet Ordinarium ab hac censura absolvere. Sed an propter hoc delictum incurrantur aliæ pœnæ? Anton., 3 part., tit. 24, c. 7, refert alias suspensiones, scilicet ab officio prædicandi, legendi, audiendi confessiones, et ministrandi sacramenta, quæ habentur in Bulla Pauli III, easque Rebuf. ibi amplificat; sed sublatæ jam sunt eo ipso, quod in postrema Bulla non sunt additæ. Notandum denique est in illa clausula verbum illud *præsumpserit;* nam ex vi illius excusari possunt, qui ex inconsideratione, et ex ignorantia non affectata absolvunt, juxta generalem doctrinam superius traditam cum Cajetano, in Summa, verb. *Excommunicatio,* cap. 58 et 81. Cætera, quæ in Bulla adjiciuntur, generalia sunt, et non indigent expositione.

DISPUTATIO XXII.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS JURIS SUMMO PONTIFICI RESERVATIS.

Ut ad aliquam methodum, vel ordinem has reducamus, per libros, vel tomos juris canonici procedemus, et ut sequamur ordinem antiquitatis, dicemus prius de excommunicationibus, quæ in Decreto continentur, postea de contentis in antiquioribus libris Decretalium, deinde in Sexto, et sic consequenter in reliquis; nullus enim ordo aptior et facilior nunc occurrit; esset enim valde difficile in certas classes personarum aut delictorum, has excommunicationes distribuere et ordinare.

SECTIO I.

Quæ, et quot sint excommunicationes juris, quas in canonibus Decreti Papa reservavit.

1. *Cap. Nulli,* 19 *dist.*, ***non coincidit cum*** *prima censura Bullæ Cœna.* — Quamvis varia sint decreta in his, quæ a Gratiano congeruntur, quæ excommunicationis censuram continere videntur, si tamen recte explicentur, unicum tantum est, quod de censura excommunicationis Papæ reservata loquatur. Nam aliam excommunicationem, quam primo loco recenset Navarrus, ex cap. Nulli, 19 dist., ipse quidem ait reduci ad primam censuram Bullæ Cœnæ, quæ est contra hæreticos. Ego vero censeo illam non esse censuram ipso jure latam, sed ferendam; neque esse propter hæresim, sed propter inobedientiam Ecclesiæ; nec denique esse reservatam Papæ, sed communem. Verba enim illius textus sunt : *Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ Sedis præcepta.* Unde infra subditur : *Si ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis.* Ubi Glossa intelligit, hunc dici esse prostratum, quia hæreticus est; et ideo exponit de illo, qui dicit

Ecclesiam Romanam non esse caput, nec posse condere canones; quam expositionem multi expositores ibi sequuntur, citantque sententiam Damasi Papæ, in cap. Violatores, 25, quæst. 1, ubi violatores canonum voluntarii, qui contra eos, aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt, blasphemare in Spiritum Sanctum dicuntur.

2. Verumtamen non est expositio necessaria, quia non solum propter hæresim, sed etiam propter schisma, vel propter inobedientiam contra Ecclesiam, potest quis dici *ruinæ suæ dolore prostratus;* nam esse prostratum non est esse alienum ab Ecclesia, neque etiam est esse censura damnatum, sed est non esse conjunctum Ecclesiæ per charitatem, et esse dignum, ut ab Ecclesia, vel a clero ejiciatur, ut verbis sequentibus declaratur, scilicet : *Nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat.* Quæ verba suspensionem potius, vel depositionem, quam excommunicationem significare videntur; nec incongrue, quia ad Episcopos Gregorius Papa IV loquebatur. Et verbum illud *fiat,* pœnam ferendam potius quam latam indicat; inferius vero de excommunicatione clare subditur : *Quia majoris excommunicationis dejectione est abjiciendus,* etc.; non est ergo sermo ibi de solis hæreticis circa articulum vel veritatem de primatu, et potestate Ecclesiæ Romanæ, de quibus loquitur Nicolaus P., in cap. 1, 22 dist.; sed est sermo de fidelibus, et maxime de Episcopis rebellibus præceptis Ecclesiæ Romanæ, qui et sua jurisdictione privandi, et, si opus sit, excommunicandi censentur.

3. Et de eisdem inobedientibus generaliter loquitur dictum cap. Violatores, qui lato modo dicuntur blasphemi in Spiritum Sanctum *vel opere, vel verbo;* sic enim aperte textus ipse sub disjunctione loquitur, quanquam ibi nulla censura feratur. Magis possent in illo sensu exponi verba ejusdem Nicolai in cap. Si quis dogmata, 25, quæst. 2, scilicet : *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta, pro Catholicæ fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, pro interdictione imminentium, vel futurorum malorum a Sedis Apostolicæ præside solemniter promulgata contempserit, anathema sit.* Ibi enim fertur manifeste sententia excommunicationis ipso jure. Certum est autem non omnes transgressores mandatorum, decretorum, aut sanctionum Ecclesiasticarum ipso facto esse anathematizatos; necesse est ergo verbum illud, *contempserit,* intelligi de illo, qui hæc contemnit tanquam nullius momenti, vel obligationis, non solum affectu, et opere, sed etiam judicio et existimatione, quod non fit sine hæresi. Et adhuc excommunicatio illa prout ibi fertur, non est reservata Pontifici; et ita non est de iis, quas nunc inquirimus.

4. *Cap. Si quis suadente,* 17, *quæst. 4, exponitur. — Quatuor notanda circa priorem partem hujus canonis.* — Unica ergo excommunicatio major in antiquis decretis lata, et Summo Pontifici reservata, lata est ab Innocentio II, in Concil. Lateran., et habetur in cap. Si quis suadente, 17, quæst. 4, quam hic, quoniam circa materiam quotidianam versatur, latius exponere necesse est. Duas ergo partes habet decretum illud. In priori ponitur censura; in posteriori reservatio ejus. Circa primam partem quatuor notanda sunt : primum est censura, quæ fertur illis verbis, *Anathematis vinculo subjaceat;* quibus certum est excommunicationem majorem significari, et ex vi illorum verborum ipso jure imponi, quia non præcipiunt ut subjiciatur, sed ipsum jus sua auctoritate subjicit.

5. *Quas personas comprehendat hæc censura.* — Secundum est, contra quos hæc censura feratur, qui denotantur illa particula, *Si quis,* quæ adeo est universalis, ut omnes in universum personas comprehendat, quæ sunt capaces censuræ, ut omnes non baptizatos excludamus, et inter baptizatos solum Summum Pontificem; reliqui enim omnes baptizati, si causam seu culpam, propter quam hæc censura fertur, commiserint, sub illa comprehenduntur, cujuscumque conditionis, aut ordinis existant, sive sint fœminæ, sive viri, sive laici, sive Ecclesiastici, ut ibi notat Glossa, et colligitur ex cap. De monialibus, et cap. Cum illorum, de Sent. excomm.; illa vero particula, *Suadente diabolo,* non limitat hanc generalitatem personarum, sed declarat solum necessarium esse, ut talis persona sit capax malitiæ, atque adeo ratione utens, quia necesse est, ut peccare sciat, et possit; nam, ut statim dicemus, nisi per grave peccatum non incurretur hæc censura. Si autem peccatum sit grave in specie hic prohibita, erit sufficiens causa hujus censuræ; tale enim delictum semper suggestione dæmonis fieri præsumitur; nec per illa verba aliqua specialis cir-

cumstantia illius delicti denotatur. Neque obstat, quod pueri possint hanc censuram incurrere, ut supponitur in cap. ultim. de Sent. excomm., quia ibi non dicuntur pueri, qui ratione non utuntur, sed qui inter eos, qui illa uti possunt, inferioris sunt ætatis, saltem infra annos pubertatis.

Qui clerici gaudeant privilegio canonis.

6. Tertio denotantur personæ, in quarum favorem canon ille editus est, illis verbis, *clericum, vel monachum;* nomine autem clerici comprehenduntur omnes habentes non solum characterem clericalem, sed etiam primam tonsuram, dummodo clericalem habitum, et coronam gestent, quamvis conjugati sint semel tantum, et cum virgine, ut explicatur in cap. unico de Clericis conjugatis, in 6. Ubi etiam dicitur canonem hunc editum esse in favorem totius ordinis clericalis; constat autem in toto hoc ordine comprehendi initiatos a prima tonsura usque ad supremum ordinem, juxta cap. Cum contingat, de Ætate et qualit. Necesse est tamen, ut hujusmodi clericus non sit privatus privilegio clericali, nam tunc tanquam non clericus ab Ecclesia reputatur, et ideo non gaudet favore hujus canonis, nec comprehenditur hic nomine clerici. Hujusmodi autem est in primis degradatus realiter, ut infra ostendemus; non vero depositus tantum verbaliter; et a fortiori nec suspensus, ut ibidem dicemus; neque etiam excommunicatus, quia hic effectus privandi privilegio clericali nullibi attributus est excommunicationi, ut constat ex dictis supra de effectibus hujus censuræ. Et eadem ratione clericus, quamvis irregularis sit, sub hac voce comprehenditur, et hoc fruitur favore, quia licet irregularitas privet usu Ordinum, non tamen privat omni privilegio, quod ratione Ordinis datur.

7. *Clericus bigamus cur non gaudeat hoc privilegio.* — Dices : bigamus non gaudet hoc privilegio juxta dictum c. unicum de Cler. conjug., in 6, ubi cum dicitur *clericos, qui cum unicis et virginibus contraxerunt, etc., retinere hoc privilegium,* satis insinuatur eos, qui cum duabus, vel cum viduis contraxerunt, non retinere illud; quod solum videtur esse propter irregularitatem. Respondetur, esto hoc ita sit in illa irregularitate, ubi hoc est specialiter dispositum, non propterea esse extendendum ad omnes alias; nam hoc non est de ratione irregularitatis, ut sic; et per argumentum a simili non licet in hujusmodi materia extensionem facere, ut sæpe dixi. Deinde probabile est id non esse propter solam bigamiam, sed tantum durante conjugio, per quod talis bigamia contracta est, de quo alias.

8. *Clericus incorrigibilis quando privetur privilegio hujus canonis.* — Addit præterea Navarr., cap. 27, num. 79, clericum incorrigibilem non frui hoc privilegio, ex cap. Cum non ab homine, de Judiciis. Sed res est satis controversa inter juris interpretes, qualis esse debeat illa incorrigibilitas, et an illa stante ipso facto absque alia sententia condemnatoria vel declaratoria amittatur hoc privilegium, vel necessaria sit sententia declaratoria ipsius incorrigibilitatis, vel etiam oporteat hujusmodi clericum per judicem Ecclesiasticum tradi seu remitti judici seculari; quod nunc non est nobis disputandum. Probabilius tamen credimus, regulariter loquendo, servandam esse formam in illo capite præscriptam, nam talis clericus criminosus prius per judicem Ecclesiasticum deponendus est; unde a fortiori colligitur hanc incorrigibilitatem non inveniri, nisi præcedant delicta depositione digna, quæ non sunt, nisi enormia , ut infra suo loco dicemus. Deinde, si post depositionem adhuc sit incorrigibilis, excommunicari debet. Quod si adhuc sit contumax, anathemate feriendus est, id est solemniter, et cum cæremoniis supra descriptis separandus ab Ecclesia. Postmodum vero, si adhuc sit incorrigibilis, probabile est, quod Panormitanus ait, statim absque alia sententia ipso facto privari clericali privilegio.

9. Mihi tamen magis placet, et probabilius videtur, quod Cardinalis ait, necessariam esse sententiam, qua Ecclesiasticus judex declaret, clericum esse prorsus incorrigibilem, seque non habere aliud quod facere possit, ut eum corrigat, et emendet, nisi eum tradere seculari potestati. Primo, quia hæc privatio clericalis privilegii est nova pœna, quæ non incurritur ipso jure, nisi in ipsa lege pœnali sufficientibus verbis explicetur; in dicto autem cap. Cum non ab homine, nullum est verbum, quo privationem hanc ipso jure fieri satis declaretur; solum enim dicitur : *Quod si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, per secularem comprimendus est potestatem.* Quæ verba in rigore non significant secularem potestatem statim posse auctori-

tate sua se intromittere, sed quod Ecclesiasticus judex, quando aliter non valet corrigere, potest et debet id facere per judicem secularem. Et sane non expediebat aliter fieri, quia ad conservationem immunitatis Ecclesiasticæ, et ad tollenda dissidia inter judicem Ecclesiasticum et secularem, oportuit, ut hic non posset suo arbitrio potestate sua uti in clericum, donec ab Ecclesiastico judice committeretur. Quod recte etiam confirmat cap. Ut famæ, de Sent. excomm., ubi de his clericis incorrigibilibus in primis dicitur posse et debere per Ecclesiasticum judicem sub arcta custodia detineri. Deinde additur laicum non posse hujusmodi clericum comprehendere nisi de mandato Prælati Ecclesiastici, et tunc non sua, sed committentis auctoritate id facere; ergo quantumvis clericus sit incorrigibilis, etiam post excommunicationem, depositionem, et anathematizationem, adhuc habet jus Ecclesiasticus judex capiendi illum et detrudendi in arctissimum carcerem; ergo donec ipse declaret se non posse aut nolle id facere, sed illum ut incorrigibilem relinquere, non potest dici, quod sit omnino privilegio clericali privatus. Nec video fundamentum probabile ad oppositum dicendum, cum ex cap. Cum non ab homine, non habeatur, ut ostendi.

10. *Clericus per sententiam declaratus incorrigibilis, non privatur omnino hoc privilegio.* — Imo addo ulterius ex hac interpretatione sequi hujusmodi clericum incorrigibilem etiam post prædictam declarationem non esse omnino privatum privilegio clericali, ita ut hanc censuram evadat, quicumque in eum violentas manus injecerit ; nullo enim jure hujusmodi pœna seu privatio ostenditur. Nam in cap. Cum non ab homine, limitate dicitur : *Per secularem corrigendus est potestatem;* non ergo respectu aliorum aufertur immunitas clericatus; neque enim alibi sub his verbis absolutis hæc pœna fertur; neque etiam infertur ex eo, quod judici seculari detur potestas coercendi vel juste puniendi talem clericum, quia hæc et minor privatio immunitatis est, et necessaria ad commune bonum, et ad correctionem delictorum; alia vero totalis privatio immunitatis necessaria non est ad illum finem, et, cum sit major, non potest recte ex minori colligi. Quin potius additur in dict. cap. Ut famæ, quando Ecclesia concedit judici seculari potestatem in clericum, non posse facultatem sibi concessam excedere, neque majorem violentiam inferre, quam defensio, vel rebellio exigat clericorum. Hæc ergo exceptio de clerico incorrigibili nobis necessaria non videtur, quia quantum ad omnes alios, præter judicem secularem in casu sibi concesso, non est vera; quantum ad ipsum vero judicem non est exceptio, quia licet possit punire clericum, non tamen id facit sua, sed Ecclesiæ potestate, ut dicitur in dict. cap. Ut famæ. Et ideo nec potest excedere delicti mensuram, ut insinuatur in dict. cap. Cum non ab homine, ibi, *legitima pœna,* et ideo si in hoc excedat injuriose, quantum ad id incurret in hunc canonem, *Si quis suadente;* neque etiam potest talem clericum pœna mortis afficere, donec realiter degradetur, quia nondum est omnino privatus privilegio clericali; neque antea censetur Ecclesia consentire in hujusmodi pœna, juxta cap. 2 de Pœnis, in 6.

11. *Casus in quibus clericus incorrigibilis post trinam monitionem amittit hoc privilegium.* — *Discrimen inter clericos in minoribus et in sacris.* — Dixi tamen, *regulariter loquendo,* propter speciales casus cap. Contingit, 2, et cap. In audientia, de Sentent. excomm., ubi quidam clerici incorrigibiles, si post trinam monitionem sui Prælati, adhuc in incorrigibilitate perseverent, tanquam non clerici habendi censentur quantum ad immunitatem et favorem hujus canonis; de hoc enim ibi fuerat facta interrogatio. Et respondet Pontifex hujusmodi clericos de privilegio clericorum subsidium aliquod habere non debere : *Sed illius* (inquit) *efficiantur immunitatis extorres, quæ pro clericorum tutela, et laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta.* Quibus locis sine dubio non requirit Pontifex aliam declarationem, vel remissionem ad potestatem judicis sæcularis, præter publicam incorrigibilitatem, et pertinaciam post trinam superioris monitionem. Hoc tamen est speciale in casibus illorum textuum, quia illi clerici non utcumque erant criminosi, et pertinaces, sed vel deserendo clericalem habitum, vel militaria arma portando; cum tamen secundum jus una ex conditionibus maxime necessariis ad gaudendum hoc privilegio clericali sit deferre clericalem habitum, ut colligitur ex cap. unico de Cleric. conjugatis, in 6. Estque hoc valde consentaneum rationi, qui alias daretur occasio iniquis clericis abutendi privilegio sibi concesso, ut in eisdem decretis insinuatur. Est autem advertenda differentia inter clericos in minoribus, et in sacris constitutos; nam priores,

si omnino deserant habitum, vel tonsuram clericalem, ita ut non semel aut iterum, sed continuata consuetudine illis non utantur, statim amittunt hoc privilegium, quamdiu in illo habitu perseverant; quod intelligendum est, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, et alicui Ecclesiæ inserviant, aut ex licentia Episcopi ad id se præparent, juxta novum jus Concilii Trident., sess. 23, cap. 6 de Reformation. At vero clerici in sacris constituti non amittunt hoc privilegium, etiamsi habitum deserant, donec ter admoniti per suum Prælatum incorrigibiles sint juxta prædicta jura.

12. *Navarr. limitatio.* — Quod tamen limitat Navarr., cap. 27, num. 81, nisi quis, relictis habitu et tonsura, turpibus et enormibus actibus se immisceat; nam tunc putat non esse necessariam trinam monitionem ad amittendum privilegium clericale; quam dicit esse communem sententiam; eam vero nullo jure probat. Solet autem in favorem illius citari cap. Perpendimus. de Sentent. excomm., ubi Comes quidam qui sacerdotem occiderat, sævis et enormibus actibus se immiscentem, dicitur non indigere Pontificis absolutione. Responderi tamen posset, ex illo textu non probari, in eo casu non incurri excommunicationem, nam statim mandat Pontifex, ut conveniens pœnitentia interfectoribus imponatur; sed solum concludit excommunicationem illam in eo casu non reservari. Tamen, cum Pontifex non præcipiat interfectores absolvi a censura, sed solum ut pœnitentia eis imponatur, satis indicat eos peccasse quidem, non tamen incurrisse hanc censuram. Item cum ait interfectores non esse remittendos ad Sedem Apostolicam pro absolutione, satis significat non incurrisse in hunc canonem, *Si quis suadente;* sed in nullo alio talis excommunicatio lata est; ergo nullam excommunicationem incurrunt. Præterea in cap. Cum non ab homine, de Sententia excomm., expresse dicitur occisores clericorum, qui contempto clericali habitu, tyrannidi, et enormitati se inverecunde immiscent, canone latæ sententiæ minime coerceri, etiamsi peccent, et aliter puniendi sint; ergo in eo casu amittunt clerici privilegium hujus canonis.

13. *Qui privilegio privantur clerici criminosi per cap. Perpendimus.* — Et juxta decisionem hujus cap. Cum non ab homine, censeo procedere aliam cap. Perpendimus. Et ex utroque simul collige verisimile esse, quod ibi notat Abbas cum Cardinali, et aliis (quamvis multi oppositum sentiant, quod Navarrus sequi videtur), in hujusmodi casu tales clericos non amittere omnino privilegium fori, sed solum hunc specialem favorem hujus canonis, *Si quis suadente.* Nam propterea præcipit Pontifex pœnitentiam injungi illi Comiti, et ministris ejus, sed ad Sedem Apostolicam remittendos non esse, quia supponit eos peccasse, quamvis censuram non incurrissent; ergo supponit illum clericum non omnino amisisse privilegium fori; nam si illud amisisset, interfectores ejus nihil peccassent, quia et ille dignus erat tali pœna, et Comes habuisset jurisdictionem ad puniendum illum; non ergo amittitur in eo casu omne privilegium clericale, sed solum specialis favor hujus canonis. Facilius enim potest hic admitti, quam ille, tum quia inferioris rationis est; tum etiam quia, ut insinuatur in dicto c. Cum non ab homine, in illo casu tollitur prædictis favor *in odium clericalis excessus, et terrorem, atque correctionem similium* clericorum, ad quem finem hæc privatio sufficit. Neque oportet statim concedere potestatem judicibus secularibus in hujusmodi clericos propter rationes superius insinuatas. Et ex his textibus sic declaratis confirmantur ea, quæ de incorrigibilitate paulo antea dicebamus.

14. *Ob quæ crimina clericus privilegium hujus canonis amittat.* — Ulterius vero observanda sunt verba illorum textuum, ut pœna hæc, seu privatio hujus privilegii ultra exigentiam seu rigorem illorum non extendatur. Duo ergo in illis verbis requiruntur : primum est mutatio seu desertio clericalis habitus, quod expresse habetur in cap. Cum non ab homine; in alio vero cap. Perpendimus, licet non exprimatur, supponitur et insinuatur, cum de illo sacerdote dicitur, se filium Regis falso nominasse, et arma sumpsisse, etc. Secundum est, perpetratio talium delictorum; nam sola habitus desertio non sufficit, nisi juxta formam aliorum canonum, scilicet præcedente trina monitione, ut supra dictum est. At vero, si adjungantur talia delicta, completur causa sufficiens absque alia monitione. Neque e converso delicta sine habitus dimissione sufficerent, quia utrumque ibi conjungitur; et materia est odiosa, et restringenda. Et ob eamdem causam non est hoc extendendum ad alia delicta, præter ea, quæ ibi numerantur illis verbis : *Tyrannidi, et enormitati se inverecunde immiscent;* et illis : *Armis acceptis, seditionem fecit, et guerram;*

te infra : *Non propulsando, sed inferendo injuriam fuit occisus.* Quæ verba omnia indicant delicta contra justitiam, et contra pacem reipublicæ, idque cum sævitia, et gravibus injuriis; et ideo solum in his casibus amittitur privilegium hoc; nam cum hæc sit pœna, non est extendenda extra casum in jure expressum.

15. *Alia crimina ob quæ idem amittitur privilegium ex cap. unic. de Vit. et honest. cleric.* — Atque eodem modo addere possumus exceptionem aliam ex capitulo unico de Vita et honest. cleric., in 6, ubi clerici, qui se *joculatores,* seu *goliardos* faciunt, aut *bufones,* si per annum id muneris exerceant, ipso jure privantur privilegio clericali. Quæ pœna etiam est propria illius delicti, et ideo non est ad alia extendenda propter similitudinem rationis, etiamsi illa graviora esse videantur, ut recte notavit Abbas in dicto cap. Perpendimus, num. 8. In illo autem capite non postulatur dimissio habitus clericalis, sed solum delictum tale cum perseverantia ejus per annum; et tunc etiam non requiritur trina monitio, sed sufficit factum ipsum cum annua pertinacia contra illam legem, ut ipso facto illa pœna seu privatio incurratur, ut ibidem deciditur. Additur vero, etiam posse pœnam illam incurri ante lapsum unius anni, si tamen trina monitio a superiore facta præcedat; nam tum etiamsi tantum per mensem, v. gr., artem illam quis exerceat, et intra illud tempus ab Episcopo ter admoneatur ut illam omittat, quam primum post tertiam admonitionem illam exercuerit, et sese pertinacem in illo delicto perpetrando ostenderit, ipso facto carebit omni privilegio clericali, ut ibi dicitur. Et hæc exceptio ostendit elapso anno non esse necessariam monitionem.

16. *Quo pacto monitio in his casibus facienda.* — Advertit autem Navarrus tam in hoc, quam in præcedentibus casibus hanc trinam monitionem faciendam esse cum intervallo aliquorum dierum; neque sufficere unam monitionem pro tribus. Quæ fuit sententia Glossæ in Clement. 1, verb. *Tertio,* de Vit. et honest. cleric. quam sequuntur Abbas et alii, tam ibi, quam in cap. finali extra, eodem. Et quantum ad posteriorem partem, scilicet, quod non sufficiat una pro tribus, mihi videtur res indubitata, quia hoc nullo jure est expressum; et alioqui materia odiosa lenienda est quoad fieri possit, et quoad eam partem, in quo aliquem favorem continet, amplianda. At in præsenti, hæc trina monitio pertinet ad favorem rei, et suavitatem legis et pœnæ; ergo, cum lex requirat trinam monitionem, et nunquam dicat sufficere unam pro tribus, cum omni proprietate servanda est. Quantum vero ad alteram partem de intervallo aliquorum dierum, res est minus certa, nam Gloss. hoc sumpsit ex cap. Sacro, de Sentent. excomm., et cap. Constitutionem, eod. tit., in 6, ubi non de hoc casu, sed de monitionibus ad excommunicationem requisitis sermo est, et ita solum potest inde sumi argumentum a simili, seu a paritate rationis, quod non videtur efficax; nam ibidem dicitur, ut in causa excommunicationis una monitio pro trina possit sufficere; et quoad hoc non credimus argumentum a simili valere; cur ergo valebit quoad alteram partem? Responderi potest, partem illam de una monitione pro trina ad rigorem pertinere, et ideo non extendi ad alios casus; alteram vero de interponendis aliquibus diebus inter monitiones esse favorabilem, et ideo extendi posse ex similitudine rationis. Erit autem extensio facienda cum additione dicti c. Constitutionem, scilicet : *Nisi facti necessitas aliter ea* (scilicet intervalla) *suaserit moderanda;* quæ supra in proprio loco late exposuimus. Atque ita intellecta hæc sententia est per sese consentanea rationi; nam jura, quæ in præsenti exigunt monitionem, volunt, ut aliquod tempus ad emendationem concedatur; ergo cum id sit morali et humano modo intelligendum, saltem requiritur, ut aliqui dies inter monitiones interponantur. Et præterea addendum est ex dict. Clement. 1, necessarium esse fieri has monitiones, non tantum in generali, sed etiam speciali et expresso nomine talis personæ; hanc enim vim habet verbum illud, *nominatim,* in dicto textu positum, ut ibi Glossa et Doctores advertunt. Et, licet fortasse in aliis textibus non habeatur, tamen illa videtur declaratio generalis ad omnes similes casus, tum propter illam rationem, quod hoc ad favorem spectat; tum etiam quia cum hæc pœna ipso facto ex vi legis inferatur, et nihilominus lex ipsa requirat trinam monitionem ab homine faciendam, merito intelligitur loqui de monitione speciali, nam generalis per ipsammet legem fiebat.

17. *An clerici, qui secularibus negotiationibus insistunt, hoc privilegio priventur.* — Et juxta hæc existimant aliqui habere locum in hoc casu decisionem textus in cap. finali de Vit. et honestate clericorum. Quod sentit Na-

varrus illud allegans dicto num. 80. Existimo tamen textum illum non procedere in præsenti, neque excusare illum, qui clericum talem percusserit, quominus in sententiam hujus canonis incidat. Nam ibi est sermo de clericis, qui prætermissis divinis officiis, secularibus negotiationibus insistunt; de quibus sentit Navarrus, quod si post trinam admonitionem non resipiscunt, ita manent privati privilegio clericali, ut si quis in eos violentas manus injecerit, non incurrat hanc censuram. Sunt autem verba illius textus : *Cum facto privilegium abjiciant clericale, tu quominus, dum his se implicant, de suis facultatibus, statutis et consuetudinibus patriæ subjaceant non defendas eosdem.* Ex quibus verbis colligi non potest hujusmodi clericos privari clericali privilegio quoad personas, sed tantum quoad facultates suas, ut patet ex illis verbis, *De facultatibus suis,* et ex præcedentibus in ipsa casus propositione, seu interrogatione, scilicet, *Nolunt statutis patriæ, quibus, quoties expedit, sicut laici se tuentur, in negotiationum suarum quæstibus subjacere*; ergo illud extendi non debet ad privilegium personæ, tum quia illa est pœna, ideoque restringenda potius, quam extendenda; tum etiam quia nemo dicet, hujusmodi clericum ita amittere privilegium fori propter illam negotiationem, ut possit a sæculari judice puniri propter quodlibet delictum; ergo nec etiam amittere favorem hujus canonis, qui ad personam, et non ad facultates pertinet. Tum denique, quia illa duo sunt valde diversa, et in jure separantur, ut patet ex Clement. 1, de Vit. et honest. cleric.

18. *Clerici exercentes officium carnificum, macellariorum, aut tabernariorum, an hoc privilegio priventur.* — Qui textus etiam est in materia præsenti considerandus; prohibetur enim ibi clericis, ne carnificum, seu macellariorum, aut tabernariorum officium publice et personaliter exerceant; quod, si post trinam monitionem non destiterint, vel tale officium iterum resumpserint, priventur privilegio clericali, cum quadam tamen moderatione et distinctione; nam, si conjugati sint, omnino privantur, sive tonsuram aut habitum ferant, sive non; et ideo qui in illos violentas manus injecerit, non incurret. At vero, si non sint conjugati, subdistinctio fit; nam vel illi exercentes tale officium, habitum clericalem deserunt, et tunc omnino privantur; vel retinent clericalem habitum, et tunc solum in rebus clericali privilegio privantur. Quapropter qui in eos violentas manus injecerit censuram hujus canonis non effugiet, quia hic favor ad privilegium personæ, non rerum pertinet. Idem ergo dicendum censeo in casu dicti cap. finalis.

De monachis gaudentibus privilegio canonis.

19. Præter clericos, gaudent hoc privilegio monachi, ut in prædicto textu dicitur. Licet autem monachus stricte sumptus distingui soleat a clerico regulari, ibi autem pro regulari vel religioso sumitur, ut constat ex cap. Cum illorum, de Sententia excommunicationis, comprehenditque personas religiosas utriusque sexus, ut de viris per se constat; et de fœminis id supponitur in cap. De monialibus, de Sententia excommunicationis. Item comprehenduntur non tantum religiosi professi, sed etiam conversi, etiam illi qui propriam professionem non emittunt, ut patet ex cap. Non dubium, cap. Ex tenore, cap. De monialibus, de Sententia excommunicat. Comprehenduntur præterea novitii, licet nondum religiosi sint, sed in via ad religionem profitendam, cap. Religiosi, § Quamvis, de Sentent. excomm., in 6. Ex quibus a fortiori constat, comprehendi etiam omnia membra religionum, sive solemnem professionem emiserint, sive tantum vota simplicia a Pontifice approbata per quorum emissionem veri religiosi efficiuntur.

20. *An personæ tertii ordinis S. Francisci, aut Dominici, sub nomine monachorum comprehendantur.* — Dubitatum vero in primis est de personis tertii habitus S. Francisci, vel S. Dominici; Cajetanus enim, cap. 10, dicit non frui hoc privilegio, quia non sunt clerici, nec religiosi, nec novitii, nec conversi religionis; et ita non possunt nomine monachorum comprehendi. Navarrus autem, cap. 27, num. 79, dicit hoc esse posse verum juxta jus commune, non tamen juxta privilegia, et consuetudinem, ac stilum Ecclesiæ Romanæ; citatque Rotam et Felinum, qui affirmant, si hujusmodi gregatim vivant, et habitum religionis portent, frui hoc privilegio. Et hanc sententiam existimo veram, non solum propter privilegia, sed etiam quia sub nomine monachi, juxta intentionem et interpretationem juris in dicto canone comprehenduntur. Non enim pro solis religiosis vere professis accipitur, sed etiam pro omnibus, qui secundum aliquem modum participant illum statum, ita ut secundum illam participationem sint Deo dicati, et devoti, juxta modum lo-

quendi Joannis Papæ, in cap. Quisquis, 17, quæst. 4, ubi dicit sacrilegium committere, qui injuriam facit clericis, *vel monachis, sive Deo devotis*. Et similis modus loquendi habetur in cap. Duo sunt, 12, quæst. 1. Quia ergo hæ personæ sunt Deo dicatæ secundum quandam participationem talis religionis ab Ecclesia approbatam, etiamsi proprie statum religiosorum non habeant nec per vota ligati sint, sub latitudine Ecclesiasticarum personarum comprehenduntur, et sub monachorum nomine in prædicto capite continentur. Cui expositioni favent alia jura, quæ declarant sub nomine monachorum conversos comprehendi, cum tamen conversi proprie religiosi non sint, quia sunt Deo dicati secundum talem modum, quo religionem participant. Nam ut recte advertit Panorm., et ex modo loquendi jurium ostendit in dicto cap. Nulli dubium, de Sentent. excomm., illa decreta non condunt novum jus, seu novum privilegium his personis concedunt, sed declarant intentionem, et amplitudinem illius canonis, *Si quis suadente*. Quod si objiciatur, quia canon ille pœnalis est, et ideo debuisset potius stricte exponi, respondetur, quoad hanc partem potius esse favorabilem, et in causa maxime pia, et religiosa, et ideo potius esse latissime interpretandum.

21. *Eremitæ an hoc privilegio gaudeant.— Prima opinio.* — Et juxta hæc principia potest definiri alia dubitatio de eremita an gaudeat hoc privilegio. In qua Angelus, verb. *Eremita*, num. 3, partem negantem tenet cum Joanne de Lignan., in Clem. *Per litteras*, de Præbend. Qui asserit hos esse laicos, et manere sub regali seu imperiali jurisdictione. Quod etiam sequitur Summa Rosella. Contrarium tenet Glossa in cap. Qui vero, 16, quæst. 1, argumento illius textus, in cujus initio dicitur : *Qui vere pureque solitariam degunt vitam, digni sunt convenienti honore*. Sed hæc verba valde generalia sunt, ut ex eis possit quidquam colligi. Hanc vero opinionem sequitur Sylvester, verb. *Eremita*, num. 2; Armilla, ibidem, et Navarrus, c. 27, num. 79. Hi vero tres auctores cum Archidiacono requirunt, ut hujusmodi eremita astrictus sit alicui regulæ religiosæ vel subditus alicui superiori Ecclesiastico, qui gaudeat hoc privilegio. In qua limitatione prior pars per se nota est, quia ille vel erit religiosus vel saltem conversus. Secundam autem partem ipsi non probant, neque declarant, an requiratur, quod illa subjectio ad talem superiorem sit ex voto obedientiæ, vel sufficiat ex propria voluntate, vel saltem ex communi aliqua lege Ecclesiæ; illa ergo limitatio subobscura est, et si aliquo probabili modo explicetur, incidit horum auctorum opinio in præcedentem, ut patebit.

22. *Dubii resolutio.* — Quapropter stando in rigore juris mihi prior sententia magis probatur cum Panorm., in c. 2 de For. comp., num. 10. Qui recte dicit in hujusmodi personis nihil esse, quod eas faciat Ecclesiasticas et exemptas a temporali jurisdictione. In quo sane inconstanter videtur loqui Angelus supra, dum concedit, eremitam esse personam Ecclesiasticam et de foro Ecclesiæ, et negat frui hoc privilegio, cum tamen paulo superius, ut probet hunc non gaudere hoc privilegio, assumat esse personam laicam et Imperatori subjectam. Hoc tamen intelligendum est de eremitis, qui *vagi* dicuntur, qui nec definitum aut firmum vitæ modum, neque aliquam specialem obligationem Ecclesiasticam habent; nam, licet hoc tempore, vel loco, vitam quasi monachalem exerceant, vel alicui loco sacro deserviant, non propterea Ecclesiasticæ personæ fiunt, aut exempti sunt a temporali jurisdictione. At vero, si ex speciali obligatione, et quasi traditione alicui loco sacro dicati sint cum speciali subjectione ad Episcopum, sive ex voto, sive ex pacto, sive ex tali munere quasi spirituali proveniat, tunc probabile est hujusmodi eremitam comprehendi in hoc canone tanquam personam specialiter Deo dicatam seu devotam. Et fortasse hujusmodi sunt, qui dicuntur *conversi Ecclesiarum*, a Panormitano supra, qui dicuntur etiam hoc privilegio gaudere juxta Glossam in dict. c. Non dubium.

Quæ sint manus violentæ.

23. Quarto loco explicanda est actio seu causa, ob quam hæc censura imponitur, quæ illis verbis explicatur : *Manus violentas injecerit*. Quibus significatur hanc esse debere actionem injuriosam circa talem personam in facto seu opere consistentem. Quamvis enim violentum physice loquendo sit omne id, quod est contra internam inclinationem, et hoc modo mors extrinsecus illata, licet justa sit, violenta dicatur, tamen moraliter loquendo de actione sacrilega, de qua textus hic loquitur, proprie dicitur violenta manus, quæ non solum naturæ, sed etiam justitiæ repugnat; et ideo merito de hujusmodi violentia textum hunc interpretamur. Oportetque, ut

injuria versetur circa ipsam personam Ecclesiasticam, et per aliquem exteriorem actionem fiat, ita ut sit offensio in persona, de qua quid sit fuse tractat Bartholus in l. Locatio, § Quod illicite, num. 5, ff. de Publicanis et vectigalibus, et Innocentius, in c. Nuper, de Sent. excomm. Resolutio vero est, quod debet talis actio contingere ipsam personam, vel res aliquo modo adhærentes illi, ita ut ei vis inferatur. Et ita excluduntur omnes actiones injuriosæ, quæ non fiunt ipsi personæ in seipsa, sed in rebus ejus, vel aliis personis illis adjunctis, nam canon dicit : *Manus violentas in clericum vel monachum.* Unde qui manus infert violentas in personas conjunctas, ut familiares aut servos clerici, in injuriam et odium ejus, item, qui per violentiam accipit bona ejus, non ipsius personæ vim inferendo, sed custodibus vel domui ejus, ex vi hujus canonis non incurrit censuram, quidquid sit de aliis legibus. Rursus qui verbis, quantumvis contumeliosis, injuriam infert clerico, non incurrit hanc censuram, si ad opus manuum non perveniat, quia ex vi dictorum verborum talis injuria non comprehenditur, ut per se notum est. Tertio qui aggreditur clericum, et lapidem, v. gr., in eum projicit, aut quamcumque aliam actionem ex se percussivam, ut sic dicam, in ordine ad illum exercet, si de facto non attingit personam ejus, nec lædit, non incurrit, quia, licet voluerit et attentaverit violentas manus in eum injicere, de facto tamen non injecit; et hæc censura tantum lata est in eum, qui injicit; ut autem supra diximus, donec actio exterior consummetur, sub ea proprietate, quam verba legis requirunt, censura non incurritur. Quin potius, licet actio violenta attingat aliqua ex parte personam clerici, si tamen ita leviter attingat, ut ex vi talis percussionis non sufficiat ad peccatum mortale, non incurretur hæc censura, etiamsi alias ex intentione operantis sit peccatum mortale, quia excommunicatio non incurritur, nisi propter peccatum mortale externum; illa autem percussio, ut exterius fit, non est peccatum mortale, licet intentio operantis fuerit culpa mortalis, quia illa malitia potius interior quam exterior existit. Cujus signum etiam est, quia ex vi illius injuriæ non tenetur percutiens ad aliquam satisfactionem vel restitutionem, quia nimirum licet injuria fuerit ex voluntate peccaminosa mortaliter, non habuit actum exteriorem proportionatum, et satisfaciendi obligatio oritur ex actu exteriori et non ex interiori solo; idem ergo est proportionaliter de censura. Quod late tractavimus supra de causis censuræ, et in præsenti docent Cajetanus, verb. *Excommunicatio,* cap. 10, et Navarrus, cap. 27, num. 85 et 87.

24. *An exterior actio quæ solum ratione inhonorationis sufficit ad culpam mortalem sit violenta manuum injectio. — Ratio dubitandi.* — Quæri vero hic potest, an oporteat hujusmodi actionem externam esse peccatum mortale ratione corporalis læsionis, seu nocumenti, vel sufficiat ratione inhonorationis; hæc enim injectio violenta manuum ob gravitatem nocumenti in bonis corporis, vel in honore potest habere gravitatem peccati mortalis. Et quidem, quando corpus ipsum graviter percutitur, tunc propriissime committitur gravis injuria hic prohibita, ut per se notum est; et ideo tunc nulla ratio dubitandi est, quin incurratur hæc censura. Contingit autem interdum, ut actio exterior in ratione percussionis corporalis nullius momenti sit, nihilominus tamen apud omnes æstimetur gravis injuria in detrimentum honoris, ut, v. gr., si virga leviter alium attingat aut quassata arundine; de hujusmodi ergo actione dubitari potest, an ad hanc censuram incurrendam sufficiat. Et ratio dubii est, quia injicere manus proprie et in rigore significat actionem aliquam violentam circa corpus, non circa honorem vel famam; et ideo dicebamus contumelias, quæ verbis proferuntur, sub hac lege non comprehendi; illa autem actio violenta, ut versatur circa corpus, non est gravis; quod autem, ut versatur circa honorem, gravitatem habeat, videtur esse ultra intentionem et latitudinem hujus legis. Et confirmatur, nam interdum homines æstimant ut gravem injuriam quod alter tentet percutere, etiam si non percutiat, ut, v. gr., quod elevet manum ad dandum alapam, aut quod arundinem, aut virgam in alium injiciat, quamvis illum non attingat; certum est autem eum, qui hæc tantum fecit circa clericum, non incurrere hanc censuram; ergo signum est ad eam non attendi gravem læsionem in honore, sed in percussione.

25. *Dubii enodatio.* — In hoc dubio mediam quamdam viam tenendam censeo et extrema prudenter esse vitanda. Nam, ut incurratur hæc censura, non oportet corporis percussionem talem esse, ut illud graviter lædat; nam hoc manifeste falsum est, et contra omnium Doctorum sententiam et contra vim verbo-

rum canonis; nam sine gravi læsione corporis potest quis violentas manus in alium injicere cum gravi injuria, quæ sit non solum contra honorem, sed etiam contra immunitatem (ut sic dicam) proprii corporis, seu contra jus, quod unusquisque habet in corpus suum, quod videtur hic canon prohibere voluisse in Ecclesiasticis personis, ut videtur expresse exponi ab Innoc. III, in c. Nuper, de Sent. excomm., in illis verbis : *Quamvis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, citra quam violentia sæpius circa clericos nequiter perpetratur.* Unde, ut ibidem dicitur, propter hanc causam violenta detentio seu incarceratio, etiamsi ob læsionem, aut nocumentum corporale vel temporale, non videatur grave damnum inferri, nihilominus sufficit ad hanc censuram contrahendam, quia est violenta injectio manuum, cum gravi injuria circa corpus ipsum. Et similiter violenter eripere e manibus clerici rem suam, quam ipse juste retinet ac defendit, est sufficiens causa ad incurrendam hanc censuram, etiamsi res ipsa, quæ eripitur, parvi momenti sit, quia licet in ratione furti, aut nocumenti in rebus fortunæ, illud non sufficeret ad peccatum mortale, tamen in ratione corporalis violentiæ sufficit ad gravem injuriam repugnantem juri, quod unusquisque habet ad liberum sui corporis usum, quanquam inde non resultet gravis læsio aut nocumentum in ipso corpore.

26. Aliunde vero non satis est, quod injuria sit gravis contra honorem, etiamsi non verbis, sed aliqua actione exteriori fiat, ut recte probat ultima ratio facta, quod hæc injuria interdum consummatur in ratione inhonorationis absque violenta manuum injectione in ipsammet personam Ecclesiasticam, ita ut illam attingat; sine quo tactu non consummatur actio, propter quam hæc censura imponitur, ut constat ex verbis et omnium interpretatione. At vero si actio violenta personam ipsam attingat, licet contactus physice consideratus levissimus sit, si tamen secundum moralem existimationem sufficiat ad gravem injuriam contra honorem et reverentiam debitam tali personæ, opinor sufficere ad incurrendam talem censuram, quia in omni rigore et proprietate comprehenditur sub verbis canonis. Est enim illa satis violenta manuum injectio, et moraliter reputatur gravis; neque jus hoc distinguit, an illa gravitas oriatur ex respectu ad honorem, vel aliunde; neque est a nobis limitandum, cum in hac parte favorabilis sit personis Ecclesiasticis. Accedit, quod unusquisque habet jus in suum corpus, ut ab alio contingi non possit etiam levi contactu in grave detrimentum sui honoris; et ideo etiamsi gravitas illius injuriæ ex respectu ad honorem oriri videatur, proxime tamen consistit in ipsamet corporis percussione, qualiscumque illa sit; est ergo sufficiens talis actio ad censuram incurrendam.

27. Prudenter vero expendere oportet, an talis actio secundum communem prudentium hominum existimationem clerico injuriosa sit et contra honorem ejus. Interdum enim fieri potest, ut inter laicos vel milites talis actio existimetur gravis et contra honorem, respectu vero personæ religiosæ quasi nihil habeatur, vel e contrario, actio, quæ circa personam vulgarem esset levis, circa personam Ecclesiasticam ob reverentiam illi debitam sit gravis irreverentia et injuria. Unde regula, qua utuntur Cajetanus et Navarrus, quod injuria, quæ est levis circa aliquem, non est sufficiens ad hanc censuram incurrendam etiamsi fiat clerico, non est simpliciter vera; nam propter circumstantiam personæ clerici fieri potest, ut actio sit peccatum mortale, quæ circa laicum non est; sed intelligenda erit cum proportione, scilicet, quod quamdiu manet intra latitudinem levis injuriæ, non sufficit ad hanc censuram.

28. *Non est necesse, ut percussio per manus fiat.* — Præterea est animadvertendum, quamvis hæc injuria a manu denominationem acceperit, quia manus est instrumentum instrumentorum, ut Cajetanus notavit, non esse tamen necessarium, ut per ipsam manum immediate exerceatur actio, vel attingatur Ecclesiastica persona, sed sufficit mediate attingere, ut per ensem, virgam, lapidem, etc. Imo nec semper necesse est, ut manus interveniat, nam si pedibus percutiat, satis erit; est enim illa appellatio injectionis manuum quasi metaphora quædam, qua significata est omnis hujusmodi corporalis injuria, vel (ut dialectici aiunt) aliud est, unde nomen sumptum est, aliud ad quod significandum impositum est; sæpe enim universalius est significatum, quam ratio seu ethymologia nominis; et ita in præsenti juxta communem interpretationem.

29. *Non est necesse ut pars aliqua corporis clerici immediate attingatur.* — Rursus, ex parte Ecclesiasticæ personæ, cui injuria infertur, necesse non est, ut manus violenta

aliquam partem corporis ejus immediate attingant; satis est enim, si attingant vestem, aut pileum, vel aliquid simile, dummodo alias actio graviter injuriosa sit. Imo etiam si contactus versetur circa rem aliam continentem vel deferentem talem personam, si violentia redundet in ipsam personam, id sufficit ad hanc censuram, ut si apprehenso fræno equi, quis violenter detineat clericum incedentem, id satis erit ad incurrendam hanc censuram; ut si existentem alicubi extrinsecus ita claudit, ut vel omnino exire non possit, vel non sine magno pudore; nam illa est violenta detentio ipsius personæ; et sic de aliis similibus, quæ a simili vel æquali ratione colligunt omnes Doctores ex dicto cap. Nuper, ut videre licet in Innocentio, Panormitano, et aliis ibi; et Richardo, in 4, d. 18, art. 11, quæst. 5; Antonino, 3 parte, tit. 24, c. 1, ubi multa alia ponit exempla.

30. *Exemplum Antonini enucleatur.* — Unum simile præcedentibus est, si aliquis clericum obsideat in domo vel castro, neque illum exire permittat, non ut illum in custodia teneat, sed ut pudore afficiat, vel quid simile. Refertque sententiam Innocentii negantis in eo casu incurri hanc censuram, quia tunc non infertur violentia personæ aut rebus inhærentibus ipsi. Sed hoc ita generatim (ait) absque distictione non recte dictum est, quia tunc fit violentia personæ; et quamvis illa detentio non ordinetur ad pœnam aliam inferendam vel actum judicialem exercendum, et ideo non dicatur incarceratio aut custodia, tamen re vera est injuriosa detentio, nec excusatur a gravi injuria, propterea quod fiat ad pudorem personæ, nam potius hoc ipsum aggravat injuriam. Et ideo ipse Antoninus distinguit, nam vel obsessio est propter personam, ut illi vis fiat, et tunc ait incurri censuram, quod mihi probatur propter rationem factam. Aut fit propter castrum habendum, et tunc ait non incurri, nullam vero adducit rationem. Potest tamen hæc reddi, quia tunc non infertur vis absolute, quia non est absoluta detentio, sed quasi conditionata, scilicet, nisi castrum tradat, vel quid simile. Sed in hoc distinctione opus est, quia licet obsessio sit propter castrum obtinendum, si sit injuriosa, existimo incurri hanc censuram, quia tunc violentia infertur personæ in ordine ad rem aut possessionem ejus injuste auferendam; ergo id satis est ad hanc censuram contrahendam. Sicut qui violenter detinet clericum, solum ut vestibus, aut pecunai eum spoliet absque alio nocumento corporis, hanc censuram incurret. Item, qui clericum in aliam custodiam injiceret donec castrum traderet, sine dubio incurreret, juxta c. Nuper; sed prædicta obsessio intra ipsum castrum est moralis quædam incarceratio; ergo, etiamsi fiat propter castrum eripiendum injuste, incurretur hæc censura. At vero, si obsessio sit justa et per bellum justum, tunc haberet locum opinio Antonini; cum enim tunc non sit peccaminosa, non potest esse ratio censuræ, de quo plura statim.

31. *Aliud exemplum de eadem re.* — Aliud exemplum est de eo, qui cogit clericum ut exeat de fundo aut vinea per metum. Innocentius enim negat tunc incurri censuram. Antoninus vero cum Joanne de Lignan. distinguit de metu reali et verbali; et quando est verbalis tantum, ait veram esse sententiam Innocentii, quia dum in verbis sistitur, non pervenitur ad manuum injectionem; quod secus est, quando metus est realis. Sed in rigore sententia Innocentii vera est; et alii fortasse solum in modo loquendi ab eo differunt; nam aliud est metus et aliud violentia; unde si præcise sistatur in metu, et non inferatur vis, sive id fiat verbis, sive aliis actionibus, non incurritur, quia non injiciuntur manus violentæ. At vero, si metus fundaretur in aliqua actione violenta circa personam, ut, v. gr., si per aliquam vim levem extraheretur, comminando illi mortem, si resisteret, tunc jam incurretur talis censura, quia non est purus metus, sed admixta violentia. Et juxta hæc procedit quod Cajetanus, in Summa, cap. 10, de Excomm., dicit, præcipere exilium clerico, aut quod intra aliquos terminos se contineat, non esse sufficientem causam hujus censuræ, quia non est violenta manus; neque talis clericus simpliciter cogitur ad talem actum, et potest, si velit, non servare tale præceptum, cum iniquum sit; quod, si non audet propter aliquam comminationem, jam illa detentio non est propter vim, sed propter metum. Donec igitur ad injectionem manuum perveniatur, non est posita sufficiens causa hujus censuræ.

32. *Alio exemplo doctrina data elucidatur.* — Alius casus est de eo, qui furatur vestes Ecclesiasticæ personæ dormientis, de quo Innocentius negat incurrere, quia tunc non infert violentiam personæ, sed purum furtum committit. Et potest hoc confirmari, quia si clericus haberet duplicatas vestes, qui unam furaretur illo dormiente, vel absente,

non incurreret hanc censuram : ergo si unam tantum habeat, et illam quis furetur, non propterea incurreret. Et in hoc videtur esse magna differentia inter eum, qui spoliat vestibus clericum vestitum, vel furatur vestes jam nudati; quia illud prius non fit sine aliqua violentia personæ, sicut fit hoc posterius. Contrarium nihilominus tenet Antonius, et citat Archidiaconum, et Johannem de Lignano. Et fundamentum ejus est, quia qualitercumque quis contingat injuriose personam clerici, incurrit in hunc canonem ; in illo autem casu moraliter contingit ipsam personam clerici. Quod quidem est probabile, quando ea ratione cogitur aut nudus incedere, aut intra domum contineri, ne nudus exeat. Et ideo per se loquendo, et considerata ratione furti, illud crimen non est materia hujus censuræ. Tamen si contingat redundare in specialem clerici injuriam, dedecus, aut pudorem, vel etiam violentam detentionem talis personæ, ex hac parte posset illa esse sufficiens causa et materia hujus censuræ, præsertim si ea intentione fiat. Et per hæc facile erit de similibus casibus judicare.

De percussione clerici ob defensionem.

33. Ex his sequitur, eum, qui infert manus in clericum in justam defensionem, non incurrere hanc censuram. Ita docent omnes. Et colligitur ex cap. Si vero, 1, et c. Ex tenore, de Sentent. excommun., ubi hoc declaratur habere locum, quando in continenti fit defensio, vim vi repellendo. Et ratio est, quia *vim vi repellere omnes leges permittunt,* ut ibidem dicitur. Atqui illa manuum injectio, nec dici potest *suadente diabolo,* sed ratione, cum licita sit, et quasi naturalis; nec potest proprie dici *violenta,* cum non fiat aggrediendo, sed se defendendo. Ex quo colligitur hoc habere verum in omni defensione, quæ justa est, sive sit in defensionem personæ, sive honoris, sive aliarum rerum, quia jura illa absolute loquuntur de defensione justa. Unde si clericus fœminam tentet aggrediendo non tantum verbo, sed facto aliquo, tunc illa non incurret, si illum violenter percusserit, quia illa est justa defensio castitatis et honoris. At vero si aggressio esset tantum verbalis, Navarr., num. 85, ait tantum licere defensionem verbalem, et ideo, si percutiat, non excusari, citatque Angelum, *Excommunicatio,* 5, n. 21, qui cum moderatione loquitur, scilicet, quando solis verbis potuit eum repellere; alias, inquit, licite eum percutit, et addit : *Si zelo castitatis accensa, modum excederet, non ex proposito, sed subito et improviso, non incurreret.* Quæ sententia mihi placet, præsertim quia illa non est tantum defensio castitatis, sed etiam honoris, ad quam sæpe verba non sufficiunt. Similis casus est, si quis a clerico aggressus, sine ignominiosa fuga vitare non potest nocumentum nisi se defendendo; nam si ea de causa percutiat clericum, non incurret hanc censuram, ut Navarrus cum Cajetano et Panormitano notavit, quia tunc non peccat. Similiter, si quis insequatur clericum fugientem, et propria bona asportantem, et vi eum detineat, aut ea de causa clericus se præcipitet, vel aliud nocumentum patiatur, non propterea incurret hanc censuram. Idemque est, si quis clericum debitorem et fugam parantem detineat, ut eum superiori præsentet et ea via suum debitum recuperet, non incurret, ut iidem auctores ex eodem principio merito docent.

34. *Casus in quibus ob illicitam percussionem non incurritur censura.* — Extenditur autem hæc defensio in dict. cap. Si vero, ad quosdam casus non omnino licitos, ut sunt, quando quis invenit clericum turpiter peccantem cum propria uxore, matre, filia aut sorore; nam tunc si clericum percutiat, quamvis a culpa non excusetur apud Deum, censuram Ecclesiæ non incurreret. Verum est, in illo textu non dici hujusmodi clerici percussorem non incurrere censuram, sed non esse compellendum ad Sedem Apostolicam venire. Ex quo non videtur colligi non incurrere censuram, sed solum non esse Papæ reservatam; sic enim alia jura disponunt in aliis personis et casibus, ut infra videbimus, auferendo reservationem et non censuram. Nihilominus auctores intelligunt ibi excipi illas personas, ne censuram incurrant. Et probari potest ex § proxime præcedente, ubi eodem modo dicitur de vim vi repellente, non debere propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, etiamsi clericum percutiat. Ubi constat sensum esse, eum non incurrere excommunicationem; simili autem contextu et tenore verborum idem subjungitur de prædictis personis. Rursus statim subjungitur, eum, qui percutit clericum, quem turpiter peccantem invenit cum alia consanguinea inferioris gradus præter dictos, non esse a sententia hujus excommunicationis immunem ; ergo de aliis personis sensus est, esse ab hac sententia excommunicationis

immunes. Ratio vero est, quia Ecclesia, suo præcepto et obedientia non vult obligare in casu tam acerbo, in quo doloris vis vehementer hominem commovet. Et ideo etiam Ecclesia non reputat illam percussionem tanquam factam suadente diabolo, sed ut factam vehementi passione. Nec etiam eam judicat violentam oppressionem, sed humanam quamdam defensionem.

35. *In his casibus debet percussio in continenti fieri ad censuram excusandam.* — Unde recte Sylvester advertit, verb. *Excommun.*, 6, not. 4, casu 16, necessarium esse hanc percussionem fieri in continenti, quando actualiter clericus in tali actu invenitur, quando passio vehementer movet; nam tunc solum habet locum illa justa excusatio. Et ita est intelligendus ille textus, nam licet in illa clausula non adhibeat illam declarationem, adhibet tamen in proxime præcedente de propria defensione; unde a fortiori constat in eodem sensu intellexisse hanc extensionem. Et ratio, in qua talis extensio seu excusatio fundatur, omnino cogit; ideoque omnia jura, quæ in simili casu excusant occidentem vel mutilantem aliquem a civili vel Ecclesiastica pœna, prædicto modo intelliguntur. Circa singula autem verba illius textus possunt moveri singulæ quæstiones, quas ex professo disputare, prolixum esset.

36. *Quid nomine uxoris in illo c. Si vero, intelligatur.* — *Quid nomine filiæ, matris et sororis.* — Prima est, quid nomine uxoris intelligatur, an scilicet comprehendatur etiam sponsa. Et dico breviter, comprehendi quidem sponsam per verum et ratum matrimonium ductam, etiamsi matrimonium consummatum non sit, quia illa est vera uxor, et injuria ac occasio repellendi illam est ejusdem rationis. Si autem sponsa sit tantum de futuro, non comprehenditur, quia non est uxor, et quia potest propter tale crimen illam dimittere et aliam ducere; unde neque injuria, neque occasio est similis. Rursus de filia quæri potest, an comprehendatur etiam adoptata, et eadem proportionalis quæstio habet locum in matre et sorore. Et dicendum est non comprehendi. Idem quæri potest de nepte vel qualibet alia, ascendente vel descendente. Et idem est dicendum. Quæ est resolutio Glossæ communiter receptæ circa illum textum. Et ratio est, quia hæ omnes vere et proprie non sunt filiæ, et in decisione illius textus sistendum est in proprietate verborum ejus, quia, licet videatur favorabilis respectu percutientis, tamen est odiosa respectu clerici, et respectu etiam fœminæ cum qua invenitur. Est etiam illa limitatio quædam et restrictio juris communis; et ideo stricte intelligenda est. Et præterea est hoc consentaneum rationi, quia in aliis inferioribus gradibus non est tam justa causa doloris et excusationis. Unde a fortiori constat idem dicendum esse de omnibus collateralibus, ut in ipso etiam textu satis declaratur.

37. *Quid verba, turpiter inventum, in illo cap. significent.* — Tandem quæri potest, quid comprehendant illa verba, *turpiter inventum.* Et breviter dicendum est, non requiri ut inveniatur in actuali delicto carnalis conjunctionis; nam id vix potest contingere, et verba in proprietate plus comprehendunt; et ob hanc etiam causam necessarium non esse, ut inveniantur in eodem lecto, aut quid simile, sed sufficere si inveniant exercentes quoslibet turpes actus; illos enim comprehendunt illa verba, *turpiter inventum;* et ita communiter intelliguntur. Imo sufficere censetur, quod solus cum sola in loco suspecto inveniatur, ut patet ex Navarro, num. 84, ubi dicit esse sententiam communem. Quod intelligendum censeo, quando et personæ ipsæ suspectæ sunt, et ut tales habentur non sine causa rationabili, et locus ipse aptus est ad actus impudicos inter se exercendos; tunc enim vere ac proprie dicitur quispiam turpiter inventus, quod tamen ampliandum non est, propter rationem supra dictam. Addit vero Angelus, *Excommunicatio*, 5, num. 19, et Sylvester, *Excommunicatio*, 6, num. 6, § 10, in eo casu, quo maritus invenit clericum loquentem cum uxore, quamvis non inveniat in actu turpi, si tamen prius eum ter admonuit, posse eum violenter detinere et capere, ut eum suo superiori præsentet, ut de illo conqueratur. Imo addit Sylvester, etiamsi in eo casu talem clericum violenter percutiat, non esse excommunicatum, quia secundum leges hunc licet perimere, in l. Si quis ei, C. Ad legem Juliam, de Adulteriis. Angelus vero, quem Navarrus sequitur, hoc non admittit, quia dict. c. Si vero, hoc restringit ad actum turpem; et ideo, cum res sit odiosa, extendenda non est. Concedunt autem hi auctores in eo casu posse maritum clericum detinere per viginti horas juxta legem Cap. 5, ff. Ad legem Juliam, de Adulteriis. Sed non videntur hi auctores consequenter loqui, quia etiam hæc est manus violenta, quæ in eo casu non conceditur in dicto cap. Si vero, juxta eam

opinionem, neque etiam in alio loco juris canonici. Jus autem civile ad hoc non sufficit. Respondere tamen possunt, hanc detentionem esse licitam per modum cujusdam defensionis justæ, quod non habet locum in occisione vel percussione; et ideo non dubito quin hæc pars vera sit. Nec sententia Sylvestri quoad alteram partem mihi omnino displicet, quia licet cap. Si vero, dicat *turpiter inventum*, merito tamen dici potest, turpiter inveniri eum, quem jura civilia damnant tanquam turpiter inventum.

38. *Utrum ad se defendendum ab alio possit quis violentiam clerico inferre.* — *Resolutio.* — Ulterius potest circa prædictam excusationem dubitari, utrum ad defendendum se ab alio tertio, possit clerico violentia inferri, absque censura; ut, v. gr., fugit quis persequentem inimicum, et occurrit clerico habenti ensem vel equum; an possit auferre a clerico ensem, ut se defendat, vel equum, ut fugiat, etiamsi necesse sit violentiam illi inferre? Idem quæri potest, an in defensionem tertiæ personæ innocentis liceat, si opus sit, manus violentas in clericum injicere. In his vero et similibus casibus regula generalis sit, tunc solum excusari hanc censuram, quando defensio est justa, et medium, quod ad defensionem sumitur, est licitum, quia cum tunc non committatur culpa, nec censura incurri potest; quod secus est, quando defensio aut modus defensionis est injuriosus, quia tunc jam potius transit in aggressionem. In priori ergo casu, regulariter loquendo, non incurretur censura, ut Navarrus absolute docet, qui in eam sententiam refert Antoninum, cum tamen Antoninus oppositum simpliciter et sine distinctione doceat; nam in eo casu dicit incurri hanc excommunicationem, quia putat illam esse injustam violentiam; quæ fuit antiquior opinio, quam cum aliis refert Glossa, in cap. Si clericos, de Sentent. excom., verb. *Injuria.* Mihi tamen, regulariter loquendo, videtur justa, et ideo non mereri nomen violentiæ, quia illa est quædam extrema necessitas, in qua unusquisque habet jus utendi re alterius, et alter est irrationabiliter invitus; et idcirco illi non infertur vis, sed potius ipse vim infert extreme indigenti, dum illum privare vult usu adeo necessario. Dico autem, *regulariter loquendo*, quia si clericus in eo casu privatus ense aut equo in simili periculo constitueretur, jam tunc non haberet alter jus accipiendi; ideoque et manus violentas inferret et censuram incurreret, si violenter auferret.

39. *An ad defendendum innocentem possint manus violentæ clerico injici.* — *Judex secularis potest clericum cum suspicione noctu inventum suo superiori præsentare.* — *Potest quis a Sede Apostolica ejicere eum qui illam occupat absque canonica electione.* — *Potest quis clericum violenter detinere in ipsius defensionem.* — Et simili modo dicendum est de defensione tertii; nam si sit sola et pura defensio, licita est, etiam adversus clericum invadentem, quia defensio innocentis respectu cujuscumque aggressoris, est maxime naturalis, et suo modo debita, vel saltem licita, ut dicitur in cap. Dilecto, vers. *Et quidem,* de Sentent. excom., in 6, et cap. Non inferenda, cum aliis, 23, quæst. 3; ergo propter talem actum non potest excommunicatio incurri. Atque ita docent Innocentius, Abbas et alii in dicto c. Si vero, qui hoc extendunt ad defensionem rerum proximi, quia illa justa est. Quod tamen secus erit, si vel modus defensionis excedatur, vel cesset vera et justa ratio defensionis, ut, v. gr., cum clericus non res alienas usurpabat, sed proprias recuperabat, vel non inferebat injuriam, sed jus habebat castigandi, vel aliquid simile. Et ad hanc justam defensionem tertii reduci possunt nonnulli casus, qui a Doctoribus assignantur, quales sunt, quod judex secularis possit capere clericum in actuali crimine inventum, vel noctu cum magna suspicione criminis repertum, ut eum suo superiori offerat; nam tunc si non excedat justam et moderatam vim in capiendo, non incurrit in hunc canonem, juxta communem sententiam in cap. Cum non ab homine, de Judic. Ratio autem reddi potest, quia illa videtur esse quædam justa et necessaria reipublicæ defensio, licet etiam dici posset, ibi intervenire interpretativam voluntatem judicis Ecclesiastici. Alius casus esse potest de illo, qui a Sede Apostolica ejicit eum, qui sine canonica electione Cardinalium eam occupat. Quem casum ponit Navarrus, num. 89, ex cap. Si quis pecunia, dist. 79, ubi hæc facultas videtur primo et per se concedi Cardinalibus tanquam principibus Ecclesiæ, ad quorum collegium defensio Ecclesiæ tunc spectat, etiam indicto bello, si necesse sit; aliis vero non conceditur, ut sua auctoritate id faciant, sed ut ministri et adjutores Cardinalium, ex eodem præcepto et facultate. Tandem hinc fit, ut in defensionem ipsiusmet clerici etiam liceat absque censura manus injicere violentas, dummodo ratio moderatæ defensionis non excedatur. Ut si cle-

ricus per vim detineatur, ne aliquis eum percutiat injuriose aut ne in manus hostium incidat. Ratio est clara, quæ illa non est injuriosa vel sacrilega violentia, sed ex charitate procedit. Quomodo ait Augustinus, epist. 50 ad Bonifacium, et habetur in cap. Ipsa pietas, 23, q. 4, si duo essent in domo, quam certissime sciremus esse ruituram, non esset injuria eos eruere vel invitos, sed potius esset crudelitas eos non eripere.

De percussione clerici ex quolibet justo titulo.

40. Secundo infertur, quoties percussio clerici non fit per modum violentæ manus (ut sic dicam), sed quolibet alio justo vel licito titulo, tunc non incurri hanc censuram. Aliqui distinguunt inter violentas et temerarias manus, ut patet ex Panormitano in cap. Cum voluntate, in fine, et aliis ibi, et in cap. Universitatis, de Sentent. excom. Sed nos generaliter loquimur prout canon ipse *Si quis suadente,* simpliciter loquitur, omnemque injustam seu sacrilegam percussionem violentam appellamus, et ita etiam temerariam comprehendimus, quia si injusta aut sacrilega non sit, temeraria non erit; quoties ergo percussio hujusmodi non fuerit, non erit sufficiens causa hujus censuræ. Ratio generalis est clara, quia tunc neque actio in rigore comprehenditur sub verbis canonis, neque est peccaminosa, ut sit digna censura; exempla autem varia sunt.

41. *Exemplis conclusio declaratur. — Primum de superiore Ecclesiastico clericum castigante. — Quibus circumstantiis fieri debeat castigatio hæc.* — Primum est de superiore Ecclesiastico, qui percutit vel percutere jubet clericum sibi subditum ad correctionem justam et debito modo factam. Ita colligitur ex cap. Universitatis, de Sentent. excomm. Et ratio est clara, quia superior habet jus castigandi suum subditum, estque illa actio sæpe necessaria ad disciplinæ conservationem; ergo neque est prohibita, neque propter illam potest censura incurri. Observandæ vero sunt circumstantiæ, vel naturali, vel positivo jure necessariæ, ut hoc locum habeat. Prima est, quod superior circa suum subditum talem actionem exerceat. Nam si Episcopus verberet clericum non sibi subditum, non effugiet censuram canonis, quia tunc non exercet actum jurisdictionis, et impertinens est, quod sit superior, quia in tali actu non agit ut superior. Secunda est, ut subsit causa proportionata, quia sine illa non habet locum actio correctionis aut vindicativæ justitiæ; non erit ergo actus alicujus justitiæ, sed injuriosus, et consequenter nec erit actus jurisdictionis veræ, sed usurpatæ. Et ob eamdem rem est necessarium, ut castigatio aut verberatio sit proportionata causæ et Ecclesiasticæ personæ; nam alias si notabilis esset excessus et manifeste injustus, aut si pœna esset mutilationis membri, vel alia similia, non evitaretur censura, quia jam illa non esset Ecclesiastica disciplina, sed violenta manuum injectio, argument. dicti cap. Universitatis, et cap. Cum beatus, 45 dist. Rursus ex eodem principio necessarium est, ut talis castigatio vel punitio fiat servato debito ordine juris, si sit pœna juridica, vel saltem servato debito correctionis modo, si sit paterna seu religiosa correctio, juxta consuetum morem uniuscujusque religionis. Nam si superior temere irruat in subditum sine proportionata causæ cognitione ac deliberatione, non censebitur agere ut superior et auctoritate publica, et ideo non vitabit hunc canonem. Quæ omnia colliguntur ex dicto cap. Universitatis, in illis verbis : *Nisi causa regularis disciplinæ hoc faciat.*

42. *Per quem castigatio hæc fieri debeat.* — Præterea additur in eodem cap. debere superiorem (loquitur inter religiosos) in propria persona verberare subditum, id est, per se et non per alium, nisi necessitas urgeat; et tunc, ut ibidem dicitur, non debet facere per laicum, sed *per clericum vel monachum;* alias si per laicum faciat, et præcipiens, et exequens in hunc canonem incurret. Circa illam vero disjunctivam, *clericum vel monachum,* dubitari posset, an nomine monachi comprehendantur conversi. Nam Sylvester, *Excommunicatio,* 6, n. 6, circa finem, negat, quia hic est favor clericorum, ideoque ampliandus. Item, quia hi conversi quo magis familiares sunt, eo magis vilipenderent clericos. Contrarium tenet Angelus, verbo *Excommunicatio*, 5, n. 6, et allegat consuetudinem ita interpretantem hoc jus. Sed distinctione opus est : aut enim per conversum intelligunt hi auctores quemlibet religiosum laicum seu non ordinatum neque ordinandum, et sic certum existimo posse correctionem fieri per hujusmodi non clericos, cum veri religiosi sint. Probatur ex usu communi verbi *monachi,* nam hi revera sunt monachi. Item ex absoluta disjunctione, nam si oporteret etiam monachum esse clericum, fere nulla esset disjunctio. Denique

quoad hoc vere (ut opinor) allegatur consuetudo. At si per conversos proprie intelligamus eos, qui vere religiosi non sunt, sed ad servitium religionis dicantur, sic verisimilior est sententia Sylvestri ex contrario fundamento, quia isti non sint monachi in proprietate.

43. *Sylvester, verb. Excommunicatio, n.* 6, § 11. — Hic tamen aliquam limitationem subintelligendam censeo, scilicet, nisi necessitas urgeat, id est, si nullus sit monachus, aut clericus, per quem id fieri possit, neque etiam ipse superior possit per se id facere, et castigatio prudenter judicetur hic et nunc necessaria; nam si differri possit, ita faciendum esset, quia jam cessaret necessitas. Unde quia raro possunt hæc omnia concurrere ad verberationem clerici per laicum, ideo simpliciter negatur id fieri debere. Quod secus contingit in captura; et ideo illa regulariter fieri potest per laicum auctoritate Ecclesiastici superioris, ut habetur in cap. Ut fama, de Sent. excomm., et cap. Si clericos, eodem titulo, in 6.

44. *Per quem ministrum debeat torqueri clericus. — Abbatis opinio. — Vera resolutio.* — De tortura vero nihil invenio in jure expresse definitum. Panormitanus vero in dicto cap. Universitatis, censet, eamdem rationem esse de illa, atque de verberatione, scilicet, non esse faciendam per laicum, nisi in eo casu, in quod deessent clerici, per quos posset fieri, quia in tortura (inquit) inferuntur verbera et cruciatus; si ergo non debet clericus per laicum verberari, neque etiam torqueri, juxta Glossam, in cap. 3, § Presbyteri, 5, quæst. 6, communiter probatam per Abbatem, et alios, quos refert Navarrus, comment. 3 de Regular., num. 52. Ait tamen idem Navarrus cum Panormit. et aliis, hoc non esse communi consuetudine receptum. Et licet in Summa, num. 86, dicat, hanc consuetudinem excusare a pœna, et non a culpa, tamen in dicto comment. 3, addit, etiam excusare a culpa, quia solum est contra jus humanum, quod potest per consuetudinem derogari. Addo præterea, nullum esse jus expressum, quo prohibeatur judex Ecclesiasticus torquere clericum per laicum. Nam cap. Universitatis, solum loquitur de verberatione, quæ fit causa regularis disciplinæ; tortura autem in rigore non est verberatio, nec punitio delicti, sed solum fit ad extorquendam veritatem; unde est actio media inter capturam, et supplicium; cur ergo potius censetur comprehensa sub uno extremo, quam sub alio? Eo vel maxime, quod talis actio, regulariter loquendo, nec commode, nec honeste per clericum exerceri potest, tum quia neque clerici sunt instructi ad illud munus, neque etiam illud est decens gravitatem, et mansuetudinem Ecclesiasticæ personæ. Censeo igitur recte servari posse talem consuetudinem, ubi fuerit servata; et maxime quando modus torturæ acerbior est, et ejusdem rationis cum illo, quo judices laici utuntur. Quod etiam confirmatur; nam alias deberet Ecclesiasticus Prælatus per seipsum torquere subditum, juxta dictum cap. Universitatis, quod tamen et inauditum est, et per se indecens; non ergo oportet caput illud extendere ad torturam, nisi fortasse illa talis sit, quæ non excedat modum, et lenitatem religiosæ disciplinæ.

45. *An Prælatus clericorum secularium illos per seipsum verberare debeat. — Quid de Episcopis.* — Quæri vero tandem hic potest, an cap. illud locum habeat etiam in Prælatis clericorum secularium, quod scilicet illos per se, et non per alium verberare debeant. Et ratio dubitandi est, quia ibi tantum est sermo de regularibus, in quibus est peculiaris ratio, quia inter eos potius paternali, quam judiciali modo proceditur; unde hic correctionis modus, sicut frequentior est, ita est suavior et levior; non est ergo, cur hoc ad laicos extendamus. In qua re quoad Episcopos attinet, omnes docent non comprehendi sub illo jure, quia Episcopus non debet subditum suis manibus verberare, ut ex Concilio Agathensi refertur, cap. Non licet, 86 dist., quamvis in Concilio Agathensi non reperiatur. Tamen ratio illius textus generalior est, scilicet, quia hoc alienum a sacerdote esse docet. Unde in cap. Episcopum, dist. 45, non solum Episcopo, sed etiam Presbytero, et Diacono interdicta dicitur similis verberatio, aut percussio, ex can. 28 Apostolorum, qui apud Turrianum est 19. In Decreto autem Gregoriano in scholio ad dictum cap. Non liceat, refertur Constantinopolitana Synodus, quæ prima, et secunda dicta est, in cujus cap. 9, dictus canon Apostolorum exponitur. Sed hanc Synodum in tomis Conciliorum non habemus; et Synodus Constantinopolitana prima, quam habemus, non habet tot capita, sed septem tantum; et in eis prædicta expositio non habetur. Existimo tamen in dicto canone Apostolorum non esse sermonem de verberatione, et castigatione, quæ fit paternali modo, vel servato

ordine juris, aut religiosæ disciplinæ; sed de percussione temere, vel injuriose facta ad terrorem, ut etiam ibi Glossa animadvertit; in priori vero Decreto generalior videtur esse sermo. Unde Glossa ibi advertit, prohiberi Episcopum verberare aliquem suis manibus, non vero per alium, quod necesse est intelligi de verberatione justa; nam injusta tam per se, quam per alium prohibita est. Juxta quam expositionem, cum pro ratione ibi redditur, *quia hoc a sacerdote alienum esse debet,* vel ibi sacerdos quasi per antonomasiam sumitur pro Pontifice, et quasi Principe in illo ordine; vel sensus est, actionem verberandi ex suo genere esse quodammodo alienam a dignitate sacerdotali, et ita non expedire, ut ab Episcopo propriis manibus exerceatur, etiamsi justa sit. Episcopus ergo non solum non tenetur, verum etiam non debet clericum sibi subditum propriis manibus verberare; quanquam si id faciat, concurrentibus aliis justitiæ conditionibus, non incurret in hunc canonem, imo nec graviter peccabit, secluso scandalo, quia neque est illa actio intrinsece mala, neque positivo jure sufficienter facta reperitur. Nam ex illo cap. Non liceat, non satis colligitur, et verba illius non indicant gravem obligationem.

46. *Quid de aliis inferioribus Prælatis.* — A minoribus autem Prælatis, seu superioribus Ecclesiasticis, etiamsi regulares non sint, communiter Doctores asserunt, servandam esse regulam in dicto cap. Universitatis, regularibus præscriptam, nimirum ut si necessitas non urget, per se, et non per alium, clericum sibi subditum verberent. Ita Panormitanus, Navarrus, et alii, qui tamen nullam probationem adducunt præter dictum cap. Universitatis, quod certe id non satis probat, ut ratio superius facta, et dissimilitudo status, et rationis in clerico seculari, vel regulari, id ostendere videtur. Accidit, quod nullibi videtur usu receptum inter seculares clericos, quod superiores, etiam non Episcopi, suis manibus verberent clericos sibi subditos; quamobrem non censeo esse ad hoc obligandos. Distinguendæ tamen sunt in illo cap. Universitatis, duæ partes: una est, ut Abbates per se verberent subditos; alia est, ut si propter necessitatem per alios id faciant, illi sint clerici, non laici. Quoad hanc ergo secundam partem comprehendi censeo etiam seculares clericos, imo etiam Episcopos, quia illa non est adjecta in specialem favorem regularium, sed simpliciter in favorem Ecclesiasticarum personarum, et ob decentiam clericalis status; quare licet ibi sit sermo in speciali de regularibus, illud est quasi materiale exemplum; ideoque formalis ratio illius privilegii attendenda est, et in favore clericalis status amplianda. At vero prior pars non ita spectat ad favorem, vel decentiam clericorum, sed pertinere potius videtur ad specialem modum regularis disciplinæ, ut dicebam; et ideo non videtur extendenda ad seculares Prælatos etiam inferiores Episcopis. Quin potius opinor, etiam Abbates, seu Prælatos regulares non ita obligari, et cum tanto rigore ad castigandos personaliter suos subditos per seipsos, ut si id faciant per alios monachos etiam sine necessitate gravi, aut mortaliter peccent, aut hanc censuram incurrant, quia ille defectus non est in substantia actionis; supponimus enim, illam esse correctionem justam; sed est in quodam modo, seu ordine accidentali; et ideo neque est contra substantiam hujus canonis, ut propterea censura incurratur; neque etiam est res adeo gravis, ut ad peccatum mortale sufficere videatur.

47. *Secundum exemplum de judice seculari clericum in crimine inventum capiente.* — Aliud exemplum annexum præcedenti est, si secularis judex clericum in crimine inventum capiat, ac detineat in casibus, et modo a jure sibi permissis; nam tunc etiam illa actio non fit suggerente diabolo, nec censetur manus violenta, cum sit justa. Ac propterea si judex laicus jussu Ecclesiastici clericum capiat, et in carcerem includat, non agit contra hunc canonem, cap. Si Clericus, de Sent. excomm., in 6. Idemque erit, quando, licet non antecesserit expresse mandatum Ecclesiastici Prælati, præcedit saltem interpretativa voluntas, et necessitas moralis exercendi talem actum, non expectata alia facultate, cum proposito tamen remittendi quam primum clericum ad suum superiorem, ut supra tactum est. Atque huc spectat concessio facta in cap. Ubi periculum, § Præterea, de Elect., in 6, ubi quibusdam Rectoribus, et officialibus conceditur facultas arctandi, et detinendi Cardinales in conclavi usque ad electionem Pontificis. In his ergo, et similibus casibus non censetur judex secularis jurisdictionem usurpare, sed potius justum ministerium Ecclesiastico judici exhibere; et ideo non est cur incurrat in hunc canonem. Debet tamen justum modum servare, nimirum ut non majorem vim inferat

ad tenendum clericum, quam moraliter necessaria sit; nam quidquid in hoc exceditur, temerarium est, et injuriosum; ideoque non excusabitur a transgressione canonis, argum. dict. capit. Si clericos, ubi Glossa, verbo *Excedatur,* id notat. Additur præterea in eodem textu, si clericus det cautionem fidejussoriam de parendo juri, non esse violenter detinendum, nisi vel delicti enormitas, vel alia rationabilis causa id postulet, quod observandum est.

48. *Tertium exemplum de præceptore, hero, patre.* — Tertium exemplum est de præceptore, qui disciplinæ causa clericum verberat; et idem est de patre, hero, et similibus. Ita habetur in cap. 1 de Sent. excomm., ubi ratio redditur, quia talis manus injectio non potest dici violenta. Idem in cap. Cum voluntate, eodem titulo, § Si quis vero, ubi extensio fit ad omnes, qui ratione officii, prælationis, aut magisterii, aut etiam ob seniorem ætatem, vel ob propinquitatem in aliquo gradu, vel denique, quia sunt superiores in tali familia, alios castigant. Est tamen notanda differentia; nam iis, qui ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, aut senioribus clericis, qui zelo devotionis hoc faciunt, solum conceditur, ut possint hanc exercere correctionem circa pueros, vel juvenes in minoribus constitutos turbantes divinum officium. Itaque non in quolibet delicto, sed in illo peculiari casu id concedi videtur, non tam in castigationem culpæ, quam ob quietem Ecclesiæ, et reverentiam divini officii. Et simile exemplum est in cap. Veniens, eodem titulo, ubi clericus per vim ejiciens ab Ecclesia monialem, quæ officium Ecclesiasticum perturbabat, dicitur non incurrisse hunc canonem, quia non injuriæ causa, sed ut quiete posset Ecclesia divino officio vacare id fecerat. At vero magister, seu præceptor pro ratione sui muneris majorem videtur habere facultatem, dummodo intuitu disciplinæ, vel correctionis id faciat, ut dicitur in dicto c. 1, ubi nulla fit limitatio ad clericum constitutum in minoribus ordinibus. Et ideo immerito aliqui addunt illam, quia in dicto cap. Cum voluntate, habetur. Quod ibi sentiunt Glossa, et Abbas; tamen ille textus quoad hanc limitationem non loquitur nisi in priori casu, in quo fit correctio pueris, ut ita dicam, accommodata, et ita de illis ibi fit expressa mentio, quia illud genus correctionis non potest habere locum in hominibus majoris ætatis (quales sunt omnes ordinati in sacris) sine graviori indecentia, et læsione ordinis; unde in aliis casibus de magistro, vel Prælato, tacet omnino de ordinibus, et simpliciter nominat subditos, et scholares, quando correctionis causa percutiuntur; et eodem modo est sermo in dicto cap. 1. Quare, non dubito, quin comprehendantur clerici etiam in sacris constituti, quod tenet Angelus, verbo *Excommunicatio,* 5; Sylvester, verbo *Excommunicatio,* 6; Navarrus, cap. 27, num. 81. Et patet etiam, quia ibi æquiparantur quoad hoc Prælatus et magister; at constat, Prælatum posse castigare clericum etiam in sacris constitutum.

49. *Qualis castigatio his personis permittatur.* — *Objectioni occurritur.* — *Cap. Universitatis, et cap. Cum voluntate, conciliantur.* — Additur vero in dicto cap. Cum voluntate, verbum illud, *leviter percusserit;* itaque requiritur, ut percusio levis sit. Unde statim oritur quæstio, quænam percussio in proposito dicenda sit levis vel gravis. Existimo tamen quantitatem hanc non esse absolutam, sed respectivam, id est, proportionatam muneri ejus, qui castigat, et personæ, quæ castigatur, et fini, scilicet disciplinæ et paternæ correctioni, ut in dicto cap. 1 significatur. Et hoc etiam sensit Navarrus, dum dicit, castigationem hanc debere esse moderatam *juxta suum propositum;* et hoc jus existimo habere etiam parentem in filium clericum etiam in sacris constitutum, et patrem familias in sibi subjectos, ex dicto cap. Cum voluntate, ut etiam Navarrus notavit dicens, hoc esse verum de rigore juris, nullamque rationem in contrarium cogere. Sed objicit Panormitanus cap. Universitatis, de Sent. excomm., ubi Prælatus percutiens subditum per laicum etiam castigationis causa, incurrere dicitur in hunc canonem; ergo a fortiori pater, cum sit laicus, si manus injiciat in filium ordinatum in sacris, incidet in hunc canonem ob temerariam castigationem. Et eadem objectio procedit de magistro, si laicus sit. Sed hæc objectio si sit efficax, non solum de clerico ordinato in sacris, sed simpliciter de omni clerico concludit, quia dictum cap. Universitatis, absolute de omni clerico loquitur, ejusque decisio etiam de inferioribus clericis vera est, ut ex superius dictis constat. Igitur conciliandi sunt illi textus, ut in cap. Cum voluntate, sit sermo de levi, et moderata percussione, et privata, ac paterna castigatione; in cap. autem Universitatis, de juridica pœna magis rigorosa, et

gravi, quæ non solum fit ad privatam castigationem, sed etiam ad aliorum correctionem et terrorem. Vel certe (et fortasse utrumque simul verum est) in dicto cap. Universitatis, sermo est de laicis non habentibus peculiarem facultatem, et jus in ipsis decretis approbatum, quales sunt illi, de quibus loquitur cap. Cum voluntate.

50. *Aliud exemplum de percutiente clericum per jocum.* — Tandem ad hoc caput revocantur multa alia exempla, seu rationes excusandi ab hac censura, quas latissime enumerat Turrecremata in dicto cap. Si quis suadente, et Richardus, in 4, dist. 18, art. 11, quæst. 5, et D. Antoninus, et Navarrus, locis citatis, et alii Summistæ communiter. Sed si attente considerentur quæ diximus, sub illis omnes comprehenduntur; ut, v. gr., si joci causa, et ludendo inter se aliquis percutiat clericum, excusatur, quia illa non est actio injuriosa, nec sacrilega, et ita non est violenta manuum injectio, cap. 1 de Sent. excom.; est autem ibi sermo de clericis inter se ludentibus, non de laico ludente cum clerico; tamen ratio æque in illo procedit, et ideo etiam illius juris dispositio, ut prædicti auctores sentiunt. Ponderanda vero est illa particula textus, *Dummodo non fiat ex odio, vel indignatione;* posset enim interdum exterius fieri per jocum, et in re ipsa fieri propter odium seu vindictam; et tunc non excusatur quis a censura, quia non excusatur ab injusta, et sacrilega percussione. Item contingit actionem inchoari per jocum et ludum, in progressu autem per indignationem consummari; et tunc jam cessat excusatio, ut ex dicto verbo textus patet. In quo non distinguitur, an illa indignatio sit præconcepta, et antiqua, vel occasione ipsius ludi exorta; nam hæc est utriusque ratio, quia jam actio inchoatur ludicra, et fit criminosa. Necessarium est tamen, ut talis actio non sit adeo subita, ut ex subreptione fiat absque deliberatione, quæ ad peccandum mortaliter sufficiat, ut notavit Richardus supra; et est clarum ex principio posito, quod censura hæc non incurritur nisi propter peccatum mortale. Item quia absque deliberatione non potest esse contumacia propria, nec tunc ille potest dici operari *suadente diabolo*, cum naturali potius modo, quam libero operetur, et eadem ratione excusabitur aliquis quoties ita operatus fuerit ex passione, vel furore, ut prudenter censeatur excusari a culpa mortali.

51. *Excusatur a censura canonis, qui clericum probabiliter talem ignoratum percutit.* — *Sylvester, Excommunicat.*, 6, *num.* 6. — Eademque ratio est de illo, qui per ignorantiam probabilem clericatus, in personam clerici violenter manus injicit; nam illa etiam ignorantia excusat a mortali culpa in transgressione illius canonis commissa; et ideo etiam excusat a censura, prout cavetur in cap. Si vero, 2, de Sent. excomm. Addit vero Sylvester limitationem, nisi ille, qui sic percutit clericum, det operam rei illicitæ, quia tunc putat non excusari. Sed ut recte dicit Navarrus, illa limitatio absque idonea ratione, vel textu addita est, quia etiamsi talis actio alioqui sit injusta percussio, aut mutilatio, aut occisio hominis, si tamen quoad circumstantiam personæ percussæ, scilicet quod clericus sit, procedit ex tali ignorantia, quæ excusat a malitia sacrilegii, non incurritur hæc censura, quia non violatur canon ille, in quo sola sacrilega percussio, quæ voluntarie circa clericum versatur, ibi punitur. Idem ergo erit, sive rixa, vel occasio percutiendi orta sit ex opere licito, sive illicito, dummodo qualitas, seu modus ignorantiæ sufficienter probabilis sit.

52. Dices : ergo si quis probabiliter existimans se percutere Joannem laicum, percutiat Petrum clericum, non incurret hunc canonem, quod videtur absurdum, cum illa excusatio iniquissima sit. Respondetur, concedendo sequelam cum Joanne de Lignano, et aliis, quidquid Sylvester oppositum sentiat. Intelligendum vero est, dummodo sufficientem diligentiam adhibeat, ita ut ei non imputetur talis error, seu ignorantia personæ. Nam si quis ex affectu occidendi Joannem inimicum, temere, et sine sufficienti certitudine quod ille sit, et non alius, in eum irruat, qui apparet esse Joannes, non excusabitur a culpa sacrilegii, et consequenter nec a censura. Secus vero si diligentia fuit sufficiens, quia excusat a speciali malitia, et a contumacia contra Ecclesiasticum præceptum, ac proinde a censura. Atque hæc sententia communis est, ut tradit et sequitur Covarr., in cap. Alma mater, 1 part., § 10, num. 15, qui tamen limitationem addit tam in hoc, quam in præcedenti casu, videlicet, nisi ille, qui operatur ex tali ignorantia probabili, ita sit animo affectus, quod nihilominus illum percuteret, etiamsi sciret esse clericum; quam putat esse doctrinam D. Thom., 1. 2, q. 76, art. 1. Veruntamen supra in priori parte de

censuris in communi satis fuse ostendi, hanc ignorantiam, quam D. Thom. concomitantem appellat, ut sic neque excusare, neque accusare, quæ est sancti Doctoris mens, tum citato loco, tum etiam quæst. 6, art. 8. Cujus ratio est, quia ille pravus animus non influit in actum; et ideo, si illo non obstante, actio procedit ex ignorantia probabili, excusatur a censura; ideoque illud c. Si vero, indistincte et sine restrictione loquitur.

53. *An qui putans se occidere clericum occidit laicum, hanc censuram incurrat. — Glossæ dictum exponitur.* — Sed quid si e contrario aliquis volens occidere hunc, quem putat esse Petrum clericum, Joannem laicum occidat? numquid incidit in hunc canonem? Non enim defuerunt, qui id affirmarent, Sylvesterque, et Covarruvias attribuunt hanc opinionem Glossæ in dicto cap. Si vero, verb. *Ignoraverit.* Sed est falsa sententia, ut bene ipsi docent, quia licet ille animo et intentione peccaverit, tamen re ipsa non percussit clericum; ad incurrendam autem censuram non sufficit interior malitia, nisi exterius consummetur in illa specie, quæ necessaria est ad talem censuram; in præsenti autem, licet consummetur externum peccatum in specie homicidii, non tamen in specie sacrilegii. Et confirmatur; nam si quis projiciat sagittam in verum clericum animo interficiendi illum, et manus aberret, ita ut illum non attingat, non incurrit censuram, ob defectum exterioris actus, seu effectus, juxta omnium sententiam; ergo quamvis sagitta aberrans laicum interficiat, non propterea incurretur hæc censura, quia propter illud delictum non est imposita censura. Nec obstat Glossa citata; nam illa non dicit, eum, qui percutit laicum, existimando esse clericum, incurrere censuram, sed *teneri propter conscientiam,* quod verissimum est, quia licet re ipsa non incurrat censuram, tamen quamdiu existimat se occidisse clericum, tenetur se gerere ut excommunicatus, quia tenetur existimare se esse excommunicatum, atque ita ex conscientia erronea obligatur ad servandam censuram, ac si illam incurrisset. Meritoque eadem Glossa subjungit eam obligationem cessare eo ipso, quod aliquis certus efficitur se non clericum, sed laicum interfecisse, absque alia absolutione a censura, quod est signum, illum non incurrisse censuram, ut bene ponderavit Covarruvias, qui tamen male reprehendit Glossam inconstantiæ, seu contradictionis; satis enim constanter loquitur, quia non posuerat hanc censuram in re ipsa, sed tantum in conscientia et existimatione; et ideo per contrariam scientiam auferri dixit.

54. *Quod si intendens percutere unum clericum, percutiat alium. — Distinctione data dubium deciditur.* — Ultimo vero inquiri potest, si contingat intentionem percutientis ferri ad Petrum clericum, errore autem manus vel personæ interficeret Joannem etiam clericum, an incurrat in hunc canonem. Nam Covarruvias supra, vers. *Octavo constat,* simpliciter affirmat, quia talis ignorantia, seu error, neque intentionem, neque actionem externam excusat; nam utraque circa personam clerici versatur. Item illa percussio hujus clerici ut sic nulla ratione involuntaria est, licet percussio hujus clerici, ut talis persona est, sit involuntaria, argum. l. *Eum qui,* § Si injuriæ, ff. de Injuriis. Nihilominus in rigore loquendo, distinctione utendum videtur. Nam fieri potest, ut actio illa exterior non solum quatenus tendebat ad Petrum percutiendum, sed etiam quatenus de facto attingit Joannem, peccaminosa sit eo quod respectu utriusque fuerit voluntaria, directe quidem respectu Petri, ut supponitur; indirecte vero respectu Joannis, quia nimirum sufficientem diligentiam non adhibuit, ut caveret, ne ob errorem ictus in aliam personam caderet. Et tunc optime procedit dicta sententia, quia tunc actio exterior, etiam ut est actualis percussio, est voluntaria, et ita cessat omnis ratio excusationis. At interdum posset accidere, quod licet actio illa, ut ex directa intentione tendit ad Petrum, voluntaria sit, ut vero attingit Joannem sit mere casualis, et involuntaria, quia sufficiens diligentia moralis adhibita fuit, ne alia persona ibi subesset, nisi Petrus, vel ne ictus, si fortasse a Petro aberraret, in alium incideret; hæc enim duo repugnantia non sunt. Nam sicut volens occidere feram, potest sufficientem diligentiam adhibere, ne occidat hominem, et nihilominus casu occidere, ita servata proportione, inter hunc hominem, et reliquos, potest idem casus mere involuntarie accidere respectu aliorum, etiamsi directa intentio ad alium dirigatur. Hoc igitur posito, videtur talis homo sic percutiens casu hunc clericum in particulari esse excusandus a censura, quia respectu illius, actio est involuntaria; ergo inculpabilis; ergo ut sic non est causa censuræ. Nec refert, quod intentio, et actio exterior circa clericum versentur, quia non ita versantur, ut una ab alia procedat directe

vel indirecte, quod necessarium esset ad incurrendam censuram. Quia percussio clerici, quæ in re ipsa, et exterius fit, est involuntaria, quia nemo percutit clericum in communi, sed hunc, vel illum in particulari; sed percussio hujus particularis est involuntaria, et nullum alium de facto percutit; ergo percussio clerici absolute, et simpliciter involuntaria erit; et ideo solus affectus percutiendi clericum voluntarius mansit, qui non sufficit, quia censura, ut sæpe diximus, non incurritur propter affectum, sed propter exteriorem percussionem voluntariam.

Extendaturne hæc censura ad mandantes, consulentes, etc.

55. Si verba prædicti canonis præcise considerentur, mandantes, consulentes, et similes non videbantur incurrere censuram illam, sed solum illi, qui per seipsos clericum percutiunt; nam illi soli manus violentas proprie et in rigore injiciunt; lex autem odiosa ad rigorem verborum restringenda est. Nihilominus jura alia vel generalius interpretata sunt canonem hunc, vel certe extensionem illi addiderunt. Atque ita in cap. Mulieres, § Illi vero, de Sentent. excomm., dicitur, illos, quorum mandato, vel auctoritate alii violentas manus in clericos injiciunt, in hunc canonem incurrere. Quod ampliatur in cap. Cum quis, de Sentent. excomm., in 6, ad mandatum retrotractum per ratihabitionem. Nam si Petrus, v. gr., nomine Joannis percussit clericum sine Joannis mandato, et postea Joannes percussionem illam ratam habuit, et probavit, in hanc censuram incurrere dicitur in illo textu, quia talis ratihabitio retrotrahitur, et moraliter æquivalet mandato. Quod secus est, quando prior percussio non est facta nomine alterius; nam tunc licet alter postea ratam habeat, non incurret, ut ibidem dicitur, quia illa non est proprie ratihabitio; nec per illam moraliter facit suam præteritam percussionem. Hinc Navarrus, cap. 27, num. 78, ait, si quis coram amicis, vel familiaribus dicat se appetere vindictam alicujus clerici, prævidens, vel prævidere debens, eos inde fore excitandos ad percutiendum eum, si de facto id faciant, ipsum incurrere hanc censuram, argumento (inquit) c. pen. de Homicid., in 6.

56. *Quando censeatur quis debere hoc delictum impedire ad evadendam censuram.* — Sed melius probatur ex priori capite, quia ille est causa moralis talis percussionis, et excitat, et movet, et virtualiter mandat. Quod maxime confirmari potest ex cap. Quantæ, de Sent. excom., in quo amplificatur hoc non solum ad auctores hujus criminis, sed etiam ad consentientes. Ubi declaratur, hujusmodi esse, non solum qui consilium præbent, aut qui excitant, vel adjuvant, sed etiam illi, *qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.* Subintelligendum autem est, si debeant, seu teneantur subvenire, ut tacite exposuit Cajetanus, verb. *Excommunicatio,* qui addit, hoc debitum interdum esse ex justitia, et tunc maxime procedere illam decisionem absque limitatione; aliquando vero esse ex charitate tantum, et tunc ait Cajetanus solum obligari eum, qui cum manifeste intelligat se absque periculo et damno posse obviare, ex intentione id facere non vult, quia tunc merito punitur tanquam consentiens eidem delicto. Clarius vero dici videtur, tunc aliquem incurrere, quando non obviando mortaliter peccat, non subveniendo proximo; nam tunc etiam moraliter consentit; et hæc est manifesta intentio illius canonis, ut verba ejus præ se ferunt et est communis sententia Innocentii, Abbatis, et aliorum. Qui tamen addunt necessarium esse dolum, ut quis incurrat hanc censuram ex eo solum, quod non impedit, cum possit; et ideo dicunt non incurrere, si solum ex negligentia, vel aliquo timore humano id omittat. Quod intelligo verum quando sufficit hic titulus ad excusandum a culpa mortali. Vide Navarrum, in c. Non inferenda, n. 18.

57. *Incurratne hanc censuram clericus suæ percussioni consentiens. — Ratio dubitandi. — Resolutio.* — Hic vero statim occurrebat dubitatio, an ipsemet clericus ab alio percussus, si consentiat hujusmodi percussioni, cum eam facile vitare possit, in hunc canonem incurrat. Et ratio dubitandi est, quia non obstante consensu ejus injiciens manus violentas in eum, illam incurrit; ergo et ipse. Antecedens patet ex cap. Contingit, de Sentent. excomm., ubi cum quidam clerici sua sponte supponerent corpora sua percussionibus fustium, ut satisfacerent alteri quem offenderant, ait Pontifex, illam satisfactionem esse injuriosam clericali ordini; ideoque sub prohibitione canonis *Si quis suadente,* comprehendi. Idem ergo erit, si judex secularis clericum comprehendat, vel in carcerem ducat, etiamsi ipse non renuat, nec fugiat, cum possit. Minor vero probatur ex dict. cap. Quantæ, quia agentes, et con-

sentientes pari pœna plectuntur; ergo si ipse sacerdos consentit delicto alterius, eamdem censuram incurret. Respondetur nihilominus in eo casu clericum consentientem suæ percussioni, vel vapulationi non incurrere hanc censuram. Hoc probatur manifeste ex dicto cap. Contingit, ubi sic dicitur : *Si quis autem clericus post prohibitionem hujusmodi sponte se subjecerit, excommunicetur;* ergo supponitur non manere ipso jure excommunicatus.

58. *An incurrat censuram percutiens clericum suæ percussioni consentientem.* — De ipso autem percutiente clericum seipsum subjicientem, distinguendum est; nam aut actio est injuriosa, et ut ita dicam contumeliosa ordini clericali, vel non est hujusmodi. In hoc posteriori dicendum est, percutientem non manere excommunicatum, quia nec facit injuriam huic personæ particulari, cum sponte consentiat, neque ordini clericali, ut in casu supponitur; et ita cessat ratio dicti cap. Contingit, et consequenter dispositio. Fieri autem potest, ut talis actio non sit injuriosa, si vel jocosa sit, vel religiosa, ut ita dicam, seu ad castigationem, et vindictam peccatorum coram Deo, et non ad ultionem, seu vindictam humanam ordinetur, quam etiam oportet moderatam esse, et intra terminos rationabilis satisfactionis contentam. At vero si actio sit injuriosa statui clericali, communis sententia est, sic percutientem clericum manere excommunicatum, quia licet non sit violenta percussio, vel potius coacta, est tamen injuriosa statui clericali, in cujus favorem canon ille latus est, cui cedere non potest privata persona, etiamsi sua sponte consentiat. Ita Panormitanus in dict. cap. Contingit, et sumitur etiam in cap. Si diligenti, de Foro comp. Unde cum in dict. cap. Contingit, dicitur : *Volumus, et mandamus, ut ne id de cætero jubeas attentari,* non est sensus necessariam fuisse novam prohibitionem, sed declarationem, et executionem dicti canonis *Si quis suadente.* Et ita ibi sentit Glossa ult., et est satis consonum textui, et rationi ejus.

59. *Incurratne clericus seipsum percutiens.* — Ex quo inferunt Doctores, etiam ipsum clericum sese irato animo percutientem incurrere hanc censuram. Ita Panormitanus dicto cap. Contingit, num. 6, et sequitur Navarrum, cap. 27, num. 79, citantque cap. Si non licet, 33, quæst. 5, ubi solum habetur, non minus esse homicidam, qui se, quam qui alium occidit. Estque hæc sententia probabilis quando percussio sui talis est, ut attingat gravitatem peccati mortalis propter læsionem in proprio corpore factam, quamvis non desint multi Doctores oppositum sentientes. Dices : si se percutiens incurrit, cur non se sua sponte subdens percussioni alterius? Respondetur, quia ille non censetur cooperari, sed permittere, ut evadat offensionem alterius. De qua re latius Panormitanus supra.

Exponitur alia pars canonis de reservatione, et absolutione hujus censuræ.

60. In secunda parte hujus canonis reservatur hæc excommunicatio Summo Pontifici, his verbis : *Et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.* Quæ verba non solum prohibitionem simplicem, sed propriam reservationem cum suspensione seu ablatione jurisdictionis continent. Declaratum autem est, sub Apostolica Sede quantum ad hunc effectum comprehendi ejusdem Sedis Legatum a latere, in cap. Ad eminentiam, cum aliis, de Sentent. excom. Quod ad alios Legatos, qui non sunt a latere, non extenditur, nisi juxta tenorem cap. penult. de Officio Legati, scilicet ut Legatus missus a Papa, solum in propria provincia, et eos, qui in ea tale delictum commiserunt, possit absolvere. Legati vero nati, id est prætextu alicujus Ecclesiæ, nullam in hoc potestatem habent, nisi eis a Sede Apostolica specialiter concedatur. Neque hæc est extensio dicti canonis *Si quis suadente,* sed declaratio; nam sub judice ordinario semper comprehenditur, qui vices ejus gerit seu ejus legatus. Qui ergo sine hac potestate ab illa censura tentaret absolvere, non solum male faceret, sed etiam nihil faceret, ut per se constat, et est communis sententia. Quoniam vero (ut aiunt) exceptio firmat regulam, cum in eo textu solum excipiatur articulus seu periculum mortis, videtur hæc reservatio nullam aliam admittere exceptionem, quantum est ex vi illius textus. Nihilominus tamen Doctores plures exceptiones seu casus numerant, in quibus potest hæc censura per Episcopum tolli, ut videre licet in Turrecremata, Antonino, Navarro, et aliis Summistis, locis supra citatis. Ex quibus casibus quidam sunt in aliis juribus expressi; et ideo certiores et faciliores sunt. Alii vero deducuntur seu adjiciuntur a Doctoribus, in quibus nonnulla major est difficultas.

Prima exceptio articuli mortis explicatur.

61. Principio igitur ad hujus partis declarationem adjungendum est cap. Ea noscitur, de Sentent. excom., in quo illa exceptio posita in canone *Si quis suadente*, partim restringitur, partim ampliatur. Nam in dict. canone simpliciter excipitur mortis periculum, ideoque saltem pro eo casu videtur relinqui Episcopis absoluta facultas tollendi hanc excommunicationem, ita ut qui in eo articulo fuerit sic absolutus simpliciter absolutus maneat, et absque ulla obligatione. Hoc autem vel restringitur, vel aliter intelligendum esse declaratur, in dicto c. Ea noscitur, ubi requiritur, ut in eo articulo absolutio non concedatur, nisi juramento præstito injungatur eisdem, ut postquam sanitati fuerint restituti, ad Romanam Ecclesiam, vel ejus Legatum accedant, mandatum Apostolicum super talibus recepturi. Circa quæ jura observandum est primo, hanc exceptionem articuli mortis non esse specialem in hac censura, sed generalem in omnibus reservatis, nec esse jus de novo introductum, sed vel divina, vel perpetua Ecclesiæ traditione, qua semper observatum est, ut in articulo mortis nullus casus reservatus sit, ut dicitur in Tridentino, sess. 14, cap. 7. Huic tamen consuetudini non repugnat, quod illa concessio in articulo mortis sub illa limitatione concedatur, quia ad subveniendum necessitati fidelium id satis est, et aliunde ad severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ, et ut censura magis timeatur, ita fieri expedit; quod proinde generale est in omnibus casibus reservatis, ut supra dixi. Quamvis autem in dict. cap. Si quis suadente, de solis Episcopis fiat mentio, certum est tamen non solum Episcopum, sed etiam quemlibet simplicem sacerdotem posse in eo articulo, si necessitas urgeat, absolvere a tali peccato, et a fortiori a censura, ut supra suo loco in generali doctrina dictum est.

62. *Urgente necessitate in articulo mortis potest simplex sacerdos ab hac censura absolvere.* — Dico autem, *si necessitas urgeat,* quia existimo tunc posse inferiorem sacerdotem absolvere ab hac censura, quando Episcopus adiri non potest; nam, si, instante etiam articulo vel periculo mortis, possit absolutio ab Episcopo peti, nullus inferiorum poterit absolvere, quia nulla tunc est necessitas, et per se loquendo, hoc reservatur Episcopo, quotiescumque a Pontifice non potest absolutio haberi, ut patet ex verbis canonis, et ex aliis infra tractandis. Atque eadem ratione si possit absolutio obtineri a Legato Pontificis, non poterit absolutio ab Episcopo dari; nam in dicto c. Ea noscitur, dicitur, *etiam post absolutionem ab alio datam propter necessitatem urgentem, comparendum esse coram Pontifice, vel ejus Legato, si id fieri possit;* ergo multo magis si a principio potuisset absolutio a Legato peti, non posset ab inferiori obtineri. Potest autem hoc sæpe contingere, quoniam, ut supra dictum est, hoc periculum mortis non limitatur ad illud, quod ex infirmitate vel ægritudine nascitur, sed plures alios casus complectitur, qui tale periculum virtute includunt, ut est longa navigatio, bellum instans, et similia, in quibus sæpe potest esse opportunitas adeundi legatum vel Episcopum, etc. Ergo per se loquendo, hic ordo servandus est; sicut etiam prius vocandus est parochus, quam simplex sacerdos, si potest. Quando autem locus non datur accedendi ad superiorem vel ordinarium, tunc quilibet potest absolvere cum prædicta limitatione, qua non obstante, absolutio ita est valida, et habet effectum suum, ut postea non sit alia necessaria. Unde in dicto c. Ea noscitur, non dicitur postea esse accedendum ad Sedem Apostolicam ad absolutionem obtinendam, sed *mandatum Apostolicam super talibus recepturi*, scilicet, de satisfactione, vel parti, vel Ecclesiæ exhibenda, ut generaliter declaratur in c. Eos qui, de Sent. excomm., in 6. Ubi additur, eum qui post talem absolutionem, cessante impedimento, juramentum implere, et se præsentare contemnit, in eamdem excommunicationem incurrere, non quod eadem numero, quæ ablata fuerat, redeat; neque omnino propter eamdem causam, quia hic nova contumacia novusque contemptus intercedit; sed quia similis excommunicatio major et cum eadem reservatione incurritur. An vero si quis ita absolutus decedat, hæres ejus teneatur ad comparendum, simile mandatum loco defuncti recepturus, dicendum est non teneri, quia nullo jure hoc cautum est; et sæpe fieri non potest, quia forte delictum fuit occultum, et confessio, et absolutio secreta; solum ergo tenetur ad eam satisfactionem vel potius restitutionem, quam ratio justitiæ postulaverit.

Secunda exceptio variarum personarum.

63. *Impuberes excusantur a reservatione canonis.* — Præter hanc exceptionem seu

restrictionem, adduntur aliquæ in dict. cap. Ea noscitur, quibus dicta reservatio minui, et canon *Si quis suadente,* ampliari videtur. Excipiuntur enim, *mulieres, senes, valetudinarii,* seu *membrorum destitutionibus impediti,* quibus conceditur, ut satisfacta parte ab Episcopis absolvi possint. Et ibi non additur restrictio, neque exigendum dicitur juramentum de postea comparendo; sed ipsi Episcopo totum negotium, tam quoad absolutionem quam quoad imponendum mandatum de satisfaciendo committitur; ratio est, quia omnes isti censentur inepti et impotentes moraliter ad comparendum coram Summo Pontifice; et ideo eo onere simpliciter liberantur, quia impedimentum illud perpetuum est. Similis extensio ex parte habetur in cap. Mulieres, ubi additur, ut omnes personæ, quæ sui juris non sunt, possint a diœcesano absolvi; hujusmodi autem sunt mancipia, et similes. Rursus in cap. 1, de Sent. excommun., excipiuntur illi, qui infra puberes annos hoc delictum committunt, quia eos ætas excusat, ut ibi dicitur. Ubi non immerito dubitari potest, an sensus sit, excusare eos omnino a censura, sicut excusantur alii, de quibus inferius sermo est, vel a sola reservatione. Verumtamen in cap. Quamvis, et cap. ult. ejusdem tituli, satis declaratur, sermonem esse de excusatione a reservatione; nam sermo est de pueris, qui, licet sint impuberes, sunt doli capaces, et veram injuriam ac mortale sacrilegium in hoc facto committunt; illi enim excommunicationem incurrunt, ut aperte dicitur in cap. Quamvis.

64. *An respectu impuberum censura hæc sit Episcopo reservata.* — Dubitari autem potest, an sit reservata Episcopo. Ratio dubii est, quia ibi solum tollitur reservatio Papalis, et non designatur Episcopus, vel alius qui possit absolvere, et ideo relinquitur in terminis juris communis; tamen quia in cap. Pueris, de Sent. excomm., ubi eadem de re sermo est, dicatur diœcesanum Episcopum posse eos absolvere, securius etiam in his sequi ordinem supra præscriptum. Item quia in cap. De cætero, de Sent. excomm., pro regula generali assignatúr, ut omnes, qui in hoc casu quacumque ex causa excusantur adire Sedem Apostolicam, ab Episcopo absolvantur. Quin potius juxta communem sententiam Canonistarum pro regula habendum est, quoties absolutio vel dispensatio reservata Papæ propter occurrentem necessitatem inferiori conceditur, per se loquendo, pertinere ad Episcopum, ut Innocentius, Panormitanus, Felinus, et alii tradunt in cap. 1 et cap. Monachi, de Sent. excom., et in cap. ult. de Eo qui furtive ordines suscepit, quos refert et sequitur Navarrus, cap. 27, num. 112. Estque hoc consentaneum rationi, tum quia post Summum Pontificem ordinarius Pastor est Episcopus; tum etiam quia per hoc sufficienter subvenitur necessitati, propter quam solam hæc concessio fit. Ex dictis autem fit, ut licet differatur absolutio usque ad annos pubertatis, possit ab Episcopo dari, quia a principio fuit censura non reservata, et quia ille favor non conceditur propter impedimentum adeundi Summum Pontificem, sed propter excusationem, quam delictum habuit quando commissum fuit, quæ semper durat; et ita habetur in cap. ultim. de Sentent. excommun.

65. *Pauperes an excusentur ab reservatione hujus canonis. — Cui imminet in itinere periculum excusatur pro absolutione Romam adire.* — Præterea pauperes absolvi possunt ab alio quam a Romano Pontifice, si tanta laborent inopia, ut nisi mendicando Romam adire non possint. Ita sumitur ex dict. cap. Quamvis, in illa particula, *Inopia,* et in cap. Quod de his, verb. *Et paupertate,* eodem titulo. Cujus tamen oppositum videtur definiri in dict. cap. Ea noscitur, ubi sic dicitur: *Alios autem sive pauperes, sive divites,* etc. Nec potest dici unum ex his decretis derogatum esse ab aliis; nam licet c. Quamvis, editum fuerit a Gregorio IX, qui fuit post Clementem III, tamen reliqua duo capita ab eodem Clemente III edita sunt. Item quia non est admittenda juris derogatio, nisi ubi fuerit omnino necessaria; hic autem nulla est necessitas, quia in c. Ea noscitur, sermo est de pauperibus, qui sine magno discrimine possunt Sedem Apostolicam adire; neque propterea cogatur aut de novo mendicare, aut aliam gravem necessitatem pati. Unde qui solitus est mendicare, si alias est sanus, quamvis sit pauper, non excusabitur Romam ire, quia mendicando ire potest, et non propterea cadit ab statu suo. At vero, si quis ita sit pauper, ut non mendicando, sed manibus suis vivat, et iter agendo non possit laborando vivere, sed mendicando, ad id non cogitur; ille ergo excusatur propter inopiam juxta citata capit. Similiter qui tenetur alere uxorem et familiam, si non sit adeo dives, ut iter agendo possit id facere ex bonis propriis, censebitur sufficienter pauper, ut per eadem

jura excusetur. Præterea excusantur illi, qui sine gravi periculo ire Romam non possunt ex dict. cap. Quamvis, in verb. *Inimicitia;* ideo enim excusari aliquis potest propter inimicitiam, quia ei periculum aliquod ab inimico imminet. Et in cap. De cætero, additur, *habens capitales inimicitias,* id est ex quibus periculum capitis imminet. Intelligo autem hoc non solum de inimicitiis privatis, sed etiam de hostilibus et inimicis fidei, ubi simile periculum mortale et extraordinarium imminet; nam est eadem ratio.

Tertia excusatio de corporali impedimento.

66. Præter hos autem particulares casus adduntur in decretis generalia verba, per quæ excusantur omnes, qui legitime impediti sunt, ne iter agere possint sine gravi incommodo; nam in cap. De cætero, dicitur : *Vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita ut sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare.* Et in c. Quamvis, dicitur : *Sive alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrotrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire, vel nisi juris beneficio a labore hujusmodi excusetur.* Idem fere in cap. Quod de his, eodem titulo. In quibus textibus tria generalia capita hujus excusationis insinuantur. Primum est corporale impedimentum, sub quo comprehenduntur fere omnia numerata, ægritudinis, imbecillitatis, virium aut sexus, subjectionis necessariæ, paupertatis, periculi, et similia, qualia erunt, si timeatur gravis infamia, aut scandalum propter manifestationem criminis occulti, etc. Quando autem impedimentum sit sufficiens, ut excusatio justa censeatur, aliqui existimant definiendum esse judicio Episcopi, ad quem talis absolutio devolvitur. Quod sentit Innocentius in d. c. Quamvis. Et non est dubium, quin subditus secure possit stare hujusmodi judicio, nisi evidentissime constaret esse irrationabile et temerarium. Tamen nullum est jus, quod soli Episcopo hoc judicium reservet; et ideo generaliter hoc relinquitur judicio prudentis et docti viri, sicut in aliis moralibus rebus.

67. *An ætas juventutis sit sufficiens causa excusationis. — Angeli opinio. — Navarri sententia.* — Dubitari ergo potest, an ætas juventutis sit per se sufficiens causa ad excusandum, saltem quamdiu illa durat, nam de hoc nihil definiunt jura in speciali, quia juventus durat post annos pubertatis; jura autem loquuntur solum de impuberibus, et ideo arbitrio Doctorum id relinquitur. Inter quos Angelus, verb. *Excommunic.*, 50, n. 56, putat illud esse impedimentum sufficiens, citatque Abbatem; sed Panormit. de muliere juvene loquitur, non de quovis juvene. Et ideo Navarrus, c. 27, n. 87, dicit sententiam Angeli neque esse Panormitani, neque ullo jure probari; unde ipse videtur oppositum sentire. Angelus tamen motus videtur ex dictis generalibus verbis jurium, subsumendo prudens judicium, quod itineratio juvenis periculosa est, non tam corpori quam animæ et moribus; et ideo videtur sufficienter excusare, quia non minus est morale impedimentum quam naturale. Quod quidem satis probabile est, considerando ea, quæ frequentius accidunt; non est tamen adeo infallibile, quin oporteat in particulari considerare personæ conditionem et modum agendi iter, et similia, ut possit prudenter judicari, an vere intercedat tale periculum, necne; nam si intersit, erit impedimentum sufficiens, non vero alias. Et ad hunc modum judicandum est de similibus.

Quarta de impedimento canonico quid sit.

68. *Canonicum impedimentum quid sit in præsenti.* — Aliud caput excusationis in prædictis juribus dicitur esse canonicum impedimentum Romam adeundi. De quo quid sit, non immerito interrogari potest; nam Glossa ibi nullam expositionem affert; Panormitanus vero in cap. Quod de his, solum dicit, idem esse quod impedimentum legitimum. Itaque nomine impedimenti canonici non est hic intelligendum aliquod impedimentum per canones introductum seu impositum; quo modo irregularitas vel suspensio dici solent impedimentum canonicum ad ministrandum vel ad suscipiendum Ordines; nihil enim hujusmodi excogitari potest in præsenti materia, ut per se constat. Dicitur ergo impedimentum canonicum, id est per canones approbatum, vel, generalius interpretando, omne impedimentum legitimum et rationi consentaneum. Atque ita quando in illo cap. Quamvis, dicitur, *impotentia corporis aut alio impedimento canonico,* hoc posterius verbum solum addit illa impedimenta, quæ non consistunt in corporis debilitate aut defectu, sed in quacumque alia causa rationabili, ut est subvenire parenti graviter indigenti, alere

uxorem vel filios, exercere aliquod munus publicum, ad quod ex officio tenetur, quodque sine gravi detrimento, vel communi, vel privato, deserere non potest, et similia.

Quinta de juris beneficio.

69. *Juris beneficium quid in præsenti. — Verbum malignatus, quid significet in dict. cap. Quamvis.* — Ultimo additur in dicto cap. Quamvis, aliud caput excusationis, quod appellatur *juris beneficium : Vel nisi juris* (inquit) *beneficio, a labore hujusmodi excusetur.* Quod additum videtur propter quasdam personas, quæ absque speciali impedimento eundi Romam in jure excusantur. Quod fieri solet propter alteram ex duabus causis. Prior est, quando percussio, ex modo quo fit, excusabilis est, et digna veniæ, qualis existimari potest percussio facta ab impubere, ut ex supra dictis constat. Similis est illa, de qua est sermo in cap. Si vero, 1, de Sentent. excommun. Ubi ostiarius, merinus, aut executor, qui prætextu exercendi officium suum, clericum percutit, ab Episcopo absolvi posse dicitur, nisi grave vulnus ei inflixerit. Quod intelligitur, etiamsi *ex malignitate,* ut ibi dicitur, id faciat; nam si casu et bona fide turbam arcendo, clericum incaute se ingerentem percutiat, absolutione non indiget, quia censuram non incurrit, ut ibi etiam declaratur de quocumque officiali laico jurisdictionem exercente. Quid autem significet in illo textu dictio illa, *malignatus,* obscurum est, et ideo varie exponitur, ut refert additio ad Abbatem ibi in princ. Potest enim significare, id est agens mala intentione, sive ex ira, sive ex odio, sive ex passione, sive ex malitia; omnia enim hæc cadunt sub significationem verbi *malignatus.* Tamen non videtur verisimile, ut ibi Innocentius advertit, ut percutientibus clericum omnibus his modis voluerit Pontifex tale privilegium concedere, quia qui ex odio vel malitia et deliberata intentione id faciunt, non merentur faciliorem veniam; neque excusabiliores sunt, propterea quod prætextu sui officii id faciant, nam hoc potius aggravat delictum. Et ideo verisimilius intelligitur, dum exercendo officium, ad iracundiam provocatus, modum excedit, voluntarieque, et videndo, clericum percutit; tunc enim aliquam excusationem habet. Et hunc in sensum magis inclinant Innocentius, Cardinalis et alii, quos sequi etiam videtur Navarrus, cap. 27, num. 91, ubi recte etiam extendit hunc favorem ad levem et mediocrem injuriam, quia solum excipitur gravis. Item, quia alias nulla ibi fieret specialis concessio, quia a censura contracta per injuriam levem clerico factam semper potest absolvere Episcopus, juxta cap. Pervenit, de Sent. excomm., ut ibi notat Abbas.

70. Addit vero Navarrus, cap. 27, n. 68, ministros justitiæ, etiamsi leviter percusserint, remittendos esse ad Summum Pontificem, nec posse ab alio absolvi. In quo videtur limitare generalem concessionem dict. cap. Pervenit. Eam tamen limitationem nullo jure probat, sed sola auctoritate Abbatis et Stephani, quæ ad limitandam generalem textus concessionem non sufficit. Et ideo Panormit., in cap. Si vero, 1, de Sent. excom., num. 3, formaliter locutus est, non quidem adhibens exceptiònem, sed dicens, officialem laicum injicientem manus in clericum in titulo officii sui in nullo casu posse ab Episcopo absolvi, quia ejus delictum nunquam est leve, cum non solum inferat injuriam, sed usurpet etiam jurisdictionem in clericum. Et ita explicata hæc sententia fundari potest in illo cap. Si vero, ubi ostiarius percutiens odio, non titulo jurisdictionis, sed incaute et culpabiliter, absolvendus dicitur ab Episcopo, si levis aut modica sit percussio, non vero si gravis. At vero de officiali, qui titulo jurisdictionis percutit, simpliciter subjungitur statim, non esse absolvendum, sed remittendum ad Pontificem; ergo intelligitur etiam de percussione non gravi; nam quod alteri conceditur, huic negatur, quia licet percussio videatur levis, injuria tamen clericalis status est gravis. Et hoc modo dixit optime Cajetan. supra, hanc percussionem semper fieri gravem ex tali circumstantia personæ lædentis, scilicet, quia cum sit laicus officialis, auctoritative percutit clericum.

71. *Clerici ejusdem collegii se invicem enormiter percutientes a quo possint absolvi.* — Præterea huc etiam spectat exceptio clericorum simul cohabitantium in collegio, nam si se invicem percutiant, dummodo percussio non sit enormis, non coguntur adire Pontificem, sed a suo Episcopo absolvi possunt, ut habetur in cap. Quoniam, de Vita et honest. cleric. Illud enim privilegium non conceditur omnibus clericis sese invicem percutientibus, ut constat ex eodem capite, sed illis specialiter, qui communem et socialem vitam agunt; quia enim inter eos facile accidere potest hujusmodi excessus, oportet, ut modus obti-

nendi veniam facilior sit. Et ob eamdem causam simile privilegium conceditur religiosis et canonicis regularibus, nam in simili casu absolvi possunt a suo Prælato juxta cap. Monachi, de Sent. excom., ubi additur : *Quocumque modo sese in claustro percusserint,* ubi nullam facere distinctionem videtur inter percussionem gravem aut levem, nam particula, *quocumque modo,* omnem comprehendere videtur, ut in hoc major favor fiat religiosis, quam sæcularibus clericis. Solum additur ibi limitatio : *Si discretio Abbatis non sufficit ad eorum correctionem, est providentia Episcopi diœcesani adhibenda.*

72. *Monachi intra claustra se invicem percutientes an possint a suo Abbate absolvi.* — Nihilominus tamen Glossa et Doctores in eo cap. Monachi, limitant verb. illud, *Quocumque modo,* dummodo non sit percussio enormis, quia hic casus in hac materia semper intelligitur jure ipso exceptus, ut dixit Glossa in dict. cap. Quoniam, de Vita et honest. cler., et Abbas, in dict. cap. Monachi, et latius in cap. Cum illorum, de Sent. excom. In quo textu dicta generalis limitatio fundari solet, quia ibi dicitur : *Nisi excessus illorum extiterit difficilis et enormis, utpote, si ad mutilationem membri vel ad effusionem sanguinis est processum.* Sed non videtur per hæc verba limitari concessio facta in dict. cap. Monachi, quia ibi, ut Glossa notat, verb. *talibus,* Pontifex non loquitur de religiosis se invicem percutientibus, sed de illo, qui ante religionis ingressum, clericum percussit, et post susceptum habitum religionis, hujusmodi confitetur delictum et absolutionem petit; nam ille antea non poterat absolvi ab Abbate, nec ex vi illius cap. Monachi, neque alterius antiquioris juris; sed hoc ei conceditur in dict. cap. Cum illorum, cum illa limitatione et exceptione enormis percussionis. Non est ergo hæc exceptio extendenda ad limitandum favorem concessum religiosis in dict. cap. Monachi, tum quia cap. illud Cum illorum, non est edictum ad coarctandum, sed potius ad extendendum favorem, ut patet ex illis verbis : *Nos autem in religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes,* etc.; tum quia limitatio ibi adjungitur respectu concessionis ibi factæ; ergo non est extendenda ad aliam prius factam in c. Monachi, quia hæc limitatio spectat ad materiam odiosam, et ideo amplianda non est. Maxime cum major favor fieri potuerit vel etiam debuerit religiosis jam in eo statu constitutis et quasi ex nimia familiaritate, quæ interdum contemptum generat, sese percutientibus, quam illis, qui ante ingressum religionis sic delinquunt.

73. *Resolutio.* — Si autem ex jure illa limitatio adeo universalis non colligitur, non videtur admittenda, cum verba illius c. Monachi, valde generalia sint, et favorem religionis contineant, qui ampliandus potius est, quam restringendus. Item quia posteriora verba citata ex d. c. Monachi, videntur addita propter hos casus enormes, in quibus absolutio committitur Episcopo (nam hic videtur esse planus sensus illorum verborum); ergo nulla percussio religiosorum inter se manet Summo Pontifici reservata. Nihilominus tamen limitatio illa expresse habetur in c. Canonica, de Sent. excom., ubi integre et ad litteram refertur constitutio dict. c. Monachi, et in fine ejus adduntur hæc verba : *Nisi excessus difficilis fuerit et enormis, propter quem merito ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus.* Unde videtur Honorius III, vel illam limitationem adjungere priori constitutioni Alex. III, aut indicare illam limitationem subintelligendam semper esse in hujusmodi concessione, quamvis non exprimatur. Quæ est communis sententia Canonistarum, quam Navarr. etiam simpliciter et sine alia probatione ponit; et propter textum illum ab illa discedendum non censeo.

74. *Monachus intra claustra percutiens clericum sæcularem non gaudet privilegio cap. Monachi.* — Notanda vero sunt nonnulla ad majorem declarationem illius cap. et favoris. Primum est circa verbum illud, *se percusserint;* notanter enim additum est, quia si religiosus percutiat secularem clericum, non gaudet illo favore, ut patet ex vi dictorum verborum; et ideo ad Sedem Apostolicam remittendus est, ut expresse declaratur in d. c. Cum illorum. Postea vero concessum est, ut in eo casu possit religiosus ab Episcopo absolvi, c. Religioso, de Sent. excom., in 6, cum limitatione, ut solum in eo casu absolvi possit, in quo clericus secularis, si aliquem clericum secularem percussisset, posset absolvi, scilicet quando percussio est levis, ut ibi notat Gloss. ex c. Pervenit, extra, eodem. Et ideo non extenditur illud privilegium ad percussionem Episcopi, tum propter enormitatem, tum quia Episcopus non venit sub absoluta clerici appellatione in his, quæ in illius, vel totius cleri favorem non redundant.

75. *Neque si monachum alterius religionis*

percutiat. — *Potest tamen absolvi a superiore percussi.* — Rursus si unus religiosus alium alterius religionis percutiat, non etiam gaudet dicto favore dict. c. Monachi, quia nec verba ejus illi accommodantur; nam relativum illud reciprocum, *se,* et verbum illud, *in claustro,* ac denique verbum illud, *sui Abbatis,* satis declarant sermonem esse de religiosis ejusdem monasterii vel religionis communem superiorem habentibus. Neque etiam ratio, quæ inter hos militat, habet locum in aliis, quæ est familiaritas multa, et quædam facilitas quæ ex hoc nascitur, quare in hujusmodi causa adeundus esset Summus Pontifex, sistendo præcise in concessione illius c. Monachi. Tamen in dict. c. Cum illorum, conceditur, ut quando monachus unius claustri percutit monachum alterius, absolvi possit ab Abbate illius monachi, qui injuriam passus est. Quod videtur intelligendum, sive illa monasteria sint diversorum ordinum, sive ejusdem, sufficitque ut percutiens et percussus diversos habeant Abbates, seu superiores, quamvis si habeant aliquem Prælatum communem, ut est Provincialis, vel Generalis, ab eo etiam possit dari absolutio, quia ille habet majorem jurisdictionem in subditum, quam immediatus superior; et ideo a fortiori comprehenditur sub nomine Abbatis, seu superioris, quovis nomine vocetur; non enim est vis facienda sub nomine Abbatis, sed in re, quæ per illud significari videtur, scilicet spiritualis pater vel pastor talis religiosi. Quod etiam notavit Gloss. in dict. c. Cum illorum, verb. *Abbatem.*

76. *Quid vox, in claustro, in d. c. Monachi significet.* — Secundo notanda est illa particula, *in claustro,* quæ vox quia significare solet non totum monasterium, sed quamdam partem ejus magis publicam, videri potest concessio illa restringenda ad percussionem in illa parte monasterii facta. Sed revera non ita est, quia vel claustrum non in ea significatione accipitur, sed pro toto monasterio, sumpta parte pro toto, vel etiamsi sumatur pro illa parte non est dictio restringens, sed amplians, ut Panormitan. notavit; nam claustrum inter religiosos majori quadam observantia custoditur. Et ideo si percussio etiam in illo facta Abbati committitur, a fortiori factam in quacumque monasterii parte. Imo etiamsi fiat extra totum monasterium, vel in quovis alio loco, quia ratio illius concessionis non est locus, nec pendet a circumstantia loci, sed ex communi vita religiosorum.

77. *Quid si monachus Abbatem aut Abbas monachum percutiat.* — *Prima conclusio.* — *Rationes dubitandi.* — Tertio advertendum est contingere posse, ut religiosus suum Abbatem percutiat, vel e converso Abbas suum subditum ultra mensuram debitæ correctionis, et contra hunc canonem. Et tunc dubitari potest, an ille casus sub hac concessione comprehendatur. Nam si inspicimus generalem significationem vocis, videtur comprehendi; nam Abbas monachus est. Necessitas etiam seu ratio fere est eadem. In contrarium vero est, quia ibi dicitur, *si monachi se percusserint,* posse absolvi ab Abbate; videntur ergo monachi condistingui ab Abbate, et sermonem esse de percussione inferiorum inter se, non respectu superioris. Item si Abbas est percutiens videtur hoc necessarium, quia non potest ipse absolvere se ipsum, neque ei conceditur, ut alteri vices suas committat in ordine ad se ipsum, et in re pertinente ad forum contentiosum. Si vero ipse fuit percussus, non expedit, ut in propria causa ipse sit judex. In hoc puncto dicendum primo est, percussionem, quæ Abbati proprio fit, non comprehendi sub hac concessione, propter enormitatem. Nam in d. c. Cum illorum, declaratur enormis, et ex c. Canonica, constat enormem percussionem non comprehendi sub his privilegiis. Dubitari autem potest, an idem sit dicendum de percussione alterius Abbatis non proprii. Respondetur hoc pendere ex alia quæstione, an illa percussio enormis sit, quam infra attingemus. Igitur si sit enormis, idem dicendum est; quando autem talis non fuerit, videtur absolutio ad ipsum Abbatem percussum pertinere, juxta c. Cum illorum. Sed ne ille sit judex in propria causa, melius videtur, ut pertineat ad Episcopum juxta ea, quæ statim dicemus.

78. *Secunda conclusio.* — Secundo dicendum est, Abbatem percutientem subditum suum, a Superiori suo regulari, si illum habeat, sin minus ab Episcopo absolvi posse. Prior pars constat, quia illa percussio de se non est enormis; et ideo ex eo capite non est semper reservata Papæ; aliunde vero talis Abbas ita comparatur ad Prælatum suum, sicut ejus subditi ad ipsum. Posterior pars probatur ex d. c. Monachi, ibi : *Quod si discretio Abbatis non sufficit, ab Episcopo est adhibenda correctio.* Tunc enim maxime non videtur sufficere talis Abbatis discretio, ut optime declarat ratio dubitandi prius proposita, quia non est ipse conveniens judex in cause

sua; ergo per Episcopum est absolvendus. Quod si contingat religiosum percussum non esse subditum Abbatis percutientis, tunc talis Abbas a Prælato religiosi percussi absolvendus esset, juxta c. Cum illorum. Hæc autem secundum jus commune procedunt, aliud vero est secundum specialia privilegia, maxime Mendicantium, de quibus alibi dicemus.

79. *Personæ magnæ potentiæ et nimis delicatæ a quo absolvendæ.* — Quarto observari potest aliud genus gratiæ seu privilegii, quod in jure conceditur circa hoc negotium propter nonnullas circumstantias personæ delinquentis. De quo extat c. Mulieres, de Sent. excom., ibi dicitur, de his qui magnæ sunt potentiæ, et ita delicati, quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeunt sustinere, consulendam esse Apostolicam Sedem, et de statu personæ, et veritate negotii informandam, ut secundum ejus consilium de commisso scelere tales personæ corrigantur. Quo loco hujusmodi personis non conceditur simpliciter, ut absolvi possint ab Episcopo; sed quod non teneantur petere absolutionem a Summo Pontifice, Romam eundo, sed solum consulere Pontificem. Ait autem Glossa ibi, pertinere ad Episcopi arbitrium judicare, an persona sit talis conditionis, necne; sed hoc in textu non habetur; neque existimo esse necessarium, quidquid etiam Navar. dicat; potest enim id per evidentiam rei constare; et quando fuerit res aliquo modo dubia, judicium viri prudentis in hujusmodi rebus semper satis est, quando speciali jure non reservatur Superiori; in hoc autem jure non committitur Episcopo, ut judicet, an persona sit magnæ potentiæ, vel delicata; sed supposita conditione talis personæ, respondetur quid agendum sit, nimirum consulendum esse Pontificem. Nec requiritur, ut ipsemet Episcopus consulat, sed ipse, qui absolutione indiget, consulere potest quacumque via voluerit, aut potuerit.

80. *Possintne hi potentes absolvi sub juratoria cautione de consulendo et parendo Pontifici.* — Dubitat præterea Glossa ibi, an interim dum consulitur Pontifex, possit persona illa absolvi sub juratoria cautione de consulendo Pontifice, et parendo mandatis ejus. Et respondet posse propter periculum moræ. Sed hæc responsio videtur esse contra textum, ubi dicitur prius esse negotium intimandum Pontifici; non est ergo prius absolutio concedenda. Quod recte ibi Panorm. notavit, et sequuntur Felin. et alii. Et significat eadem Gloss. statim, dicens, si non sit periculum, non esse absolutionem dandam ante consultationem Pontificis, quod intelligendum est de periculo mortis, aut alicujus gravis damni; quando autem hoc periculum timetur, licitum quidem erit absolvere, non ex speciali privilegio hujus canonis, sed ex generali lege, modo statim declarando.

81. *Interrogationes duæ proponuntur. — Secunda.* — Hac enim occasione duo possunt hoc loco interrogari. Unum est cur periculum, quod est in diuturna mora, non sufficiat in quacumque persona, ut sub juratoria cautione absolvi possit; nam ex dilatione pœnitentiæ periculum imminet animæ, ut dicitur in c. ult. de Pœnit. et remis., et sumi potest ex c. Sacro, juxta Glos., de Sent. excom.; sed ob vitandum periculum animæ concedi potest et debet absolutio cum illa cautione multo magis, quam propter vitandum periculum corporis; ergo sufficit periculum moræ ad præmittendam absolutionem. Altera interrogatio est, quodnam privilegium illis personis potentibus delicatis in illo textu concedatur; nam si absque speciali mandato Pontificis eis non est absolutio concedenda, quilibet de populo potest in simili facto consulere Pontificem, et ab eo postulare mandatum vel facultatem, ut ab alio corrigi, et absolvi possit, juxta ejusdem Pontificis arbitrium.

82. *Priori interrogationi fit satis.* — Prior interrogatio generalis est de omnibus casibus Pontifici reservatis; et ita a nobis tractata est superiori libro in materia de Pœnitentia. Unde in præsenti casu solum dicimus nihil speciale in hac parte concedi in dicto textu his personis potentibus seu delicatis, ut propter solum moræ periculum prius possint absolvi, quam possent aliæ; nullus enim favor hujusmodi in illo textu ejus fit. Probabile tamen censemus, quando mora extraordinaria sit et notabilis, illam esse sufficientem causam, ut absolutio dicto modo concedi possit, propter rationem factam, quæ in eo casu maxime urget. Et confirmari potest; nam in aliquibus casibus hoc videtur jure provisum; ob hanc enim rationem concedunt jura supra dicta, ut ægrotantes absolvi possint, etiamsi ægritudo non sit periculosa, sed morosa tantum, ut Doctores omnes exponunt, et est evidens, quia ægritudinis causa distincte conceditur præter periculum mortis; sed eadem jura subjungunt generalem absolvendi facultatem propter similia impedimenta; ergo, quacumque ex causa moralis et extraordi-

naria mora timeatur, scilicet propter longum ac periculosum iter, vel propter necessaria negotia prius peragenda, vel quid simile, poterit absolutio concedi. At vero quando mora non est notabilis, sed ordinaria, non censetur esse morale periculum animæ; et si aliquod est, illud fuit prævisum a reservante censuram, et permissum ob rigorem disciplinæ, et majora mala vitanda. Quando autem mora censenda sit notabilis, arbitrio prudentis relinquitur.

83. *Posteriori interrogationi respondetur.* — Ad alteram interrogationem respondetur, his personis per illud decretum solum concedi, ut secundum commune et ordinarium jus non sint cogendæ personaliter adire Summum Pontificem, sed a suo Episcopo sint absolvendæ, quanquam expectanda prius sit forma a Summo Pontifice. Aliæ vero inferiores, et robustiores personæ jure communi tenentur adire Pontificem; et quamvis possint ab eo speciale indultum postulare et obtinere, illud tamen erit per modum specialis dispensationis, ad quam necessaria erit aliqua alia peculiaris causa, quæ in prædictis personis non requiritur, sed sufficit earum status, seu conditio.

84. *Qui ob circumstantiam personæ ab alio quam Pontifice absolvitur, non manet cum obligatione se præsentandi Papæ.* — Quinto est circa prædictos casus advertendum, fere in omnibus illis concedi hunc favorem absolute et absque ulla obligatione comparendi apud Pontificem Summum. Quia, cum hæc concessio non fundetur in impedimento, sed sit indulgentia ob aliquam circumstantiam personæ, non fit sub conditione comparendi, sed simpliciter. Quod secus est, quando concessio fit ratione impedimenti, si temporale illud sit; nam, si perpetuum, eadem est de illo ratio, eo quod jam non habet locum conditio. Quæ omnia paucis verbis significantur in cap. Quamvis, de Sent. excom., ubi sic dicitur : *Cæterum quibusdam prædictorum,* videlicet qui temporali impedimento laborant, *exceptis pueris sub debito juramento consuevit injungi, ut impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant,* etc., ubi additur, *temporali,* ad excludendum perpetuum, cujus cessatio expectari non potest. Exceptio autem illa, quæ de pueris fit, si in rigore loquamur, non est exceptio ab illa generali regula de impedimento temporali, quia illa concessio non fit pueris, eo quod propter imbecillitatem ætatis impediti sint, ne Romam adire possint, quod impedimentum perpetuum non est, sed fit præcipue propter imperfectionem puerilis actus, in deliberatione, et perfecto rationis usu. Et ideo licet postea impedimentum cesset, non cessat concessio, nec imponitur illis obligatio comparendi. Atque eadem est ratio de omnibus, quibus hic favor conceditur, non ob impedimentum, sed ob specialem rationem actus, seu personæ.

85. *Servus absolutus ab inferiori Pontifice, si manumittatur, tenetur se præsentare.* — Unde colligitur differentia inter puerum et servum; nam puer non tenetur comparere, etiam transacta pueritia; servus autem, licet excusetur a comparendo, quamdiu servus est, juxta c. Mulieres, de Sent. excom., prout declaratur in c. Relatum, eodem titulo, tamen, si manumittatur, vel simpliciter, vel quoad illum actum, puta, quia dominus consentit profectioni ejus, tenebitur comparere, quia jam tollitur impedimentum, in quo solo illa excusatio fundabatur. Quapropter, si dominus resistat profectioni servi, poterit quidem absolvi, non tamen sine juramento de comparendo, et obediendo mandatis Pontificis, cessante impedimento. Censebitur autem dominus rationabiliter repugnare, per se loquendo, quoties grave patietur incommodum ex absentia servi sine culpa sua, ut dicitur in dict. c. Relatum. Judicandum autem est pati grave incommodum, quoties nimis est ab Apostolica Sede remotus, ut ibidem dicitur. Unde, si prope esset, et brevi tempore posset negotium expedire, et nullum aliud timeretur incommodum, præter illorum dierum absentiam, non posset servus rationabiliter impediri a domino, quominus ad Sedem Apostolicam absolvendus accederet, nisi fortasse malitiose et in fraudem domini servus clericum percussisset, ut se ab obsequio domini liberaret, quia tunc nunquam est ei facultas concedenda, ut in eod. c. cavetur. Dixi autem, *per se loquendo,* quia si delictum sit enorme, et scandalum seu pravum exemplum cum aliorum periculo timeatur, tunc etiam cum gravi detrimento domini ad Sedem Apostolicam remittendus est, ut in eodem c. Relatum, statuitur, quia propter vitandum scandalum, parvipendendum est temporale incommodum, seu gravamen domini. Duæ autem conditiones ibi conjunguntur, simulque requiruntur, et divisim non sufficiunt; nam si delictum non sit enorme, vel scandalum moraliter non timetur, vel non censetur adeo grave, ut non

possit aliis modis tolli, noluit Pontifex omnino illud sibi reservare in grave nocumentum alterius, ut contra Panormit. et alios recte intellexerunt Angelus, *Excom.*, 5, num. 54; Sylvest., *Absolutio*, 4, num. 9, in fine; Navar., c. 27, num. 88.

86. *Filius familias pubes non potest absolvi absque juramento de comparendo factus sui juris.* — Similis differentia notari potest inter puerum impuberem, et filium familias quatenus talis est; nam ille, ut diximus, simpliciter absolvi potest; filius autem familias, qui post pubertatem tale delictum commisit, licet absolvi possit per dictum c. Mulieres, non tamen sine obligatione et juramento comparendi, quia impedimentum illud non est perpetuum; et ideo, si emancipetur, vel quacumque alia ratione fiat sui juris, aut, si pater consentiat profectioni, tenebitur comparere, ut Panormit., Sylvest., Navar. et alii docent.

Percussio quando dicenda levis, mediocris, aut gravis seu enormis.

87. *Mutilatio cujuslibet membri dicitur enormis percussio.* — Ultimo, quoniam citata jura sæpe distinguunt inter delictum leve, mediocre, et grave, seu enorme, notare oportet et exponere, quando unumquodque eorum tale sit. Sed quia hoc arbitrio boni viri ponderandum est atque existimandum, ideo breviter dicendum est, omnia hæc tria membra requirere percussionem sufficientem ad peccatum mortale, quia alias non sufficeret ad incurrendam excommunicationem. Unde non sumitur hic percussio levis absolute, seu eo modo quo venialis culpa levis dicitur, sed respective, comparatione majoris læsionis intra latitudinem earum, quæ mortalem malitiam continent. Præterea de enormi percussione nonnulla exempla habemus in jure cap. Cum illorum, de Sent. excomm., ubi significatur ex duplici capite posse esse percussionem enormem : primo ex quantitate nocumenti, de quo duo exempla ponuntur, scilicet : *Si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis est processum.* In quibus adverto primo ibi non fieri mentionem occisionis, vel quia ex se nota est enormitas, et a fortiori significatur, vel certe quia illa plus est quam percussio, cum sit quædam totius rei destructio. Deinde adverto mutilationis exemplum simpliciter et sine restrictione esse positum, ideoque etiamsi sit minimi membri, dummodo totum abscindatur, ad enormem percussionem sufficiet. Unde Glossa, verb. *Mutilationem*, dicit non esse distinguendum inter membrum et membrum; citatque cap. 2 de Cler. excommun. min., et cap. Exposuisti, de Corp. vitiat., quæ jura non admodum probant, quia membra, de quibus fit mentio ibi, satis principalia sunt; sufficit tamen absoluta illius textus locutio, ut dixi. Addit vero Navarr. non solum mutilationem, qua membrum scinditur, sed etiam illam, qua inutile vel quasi inutile ad munus suum redditur, enormem læsionem reputari, quod verum existimo, quia moraliter perinde est.

88. *Quæ sanguinis effusio dicenda sit enormis læsio.* — Præterea in alio exemplo de sanguinis effusione, subintelligendum censeo, quod sit in notabili quantitate et quod sit ex gravitate læsionis, quia sanguis facile effluit ex qualibet pelliculæ ruptione, quæ non potest semper dici enormis læsio. Et ita sentit Glossa ibidem, ponderans vocem *effusio*, quæ abundantiam significat. Quanta vero illa futura sit, non habet certam mensuram, sed prudenti judicio relinquendum est. Addidi etiam, quod effusio proveniat ex gravitate læsionis; nam si contingat percussionem esse in naribus, sine læsione magni momenti potest copia sanguinis fluere, et non propterea erit enormis læsio, ut recte indicavit Navarrus, num. 92. Item ex negligentia vel malitia ejus, qui percussus est, potest ex minima pellis incisione multum sanguinis effundi, et non propterea læsio erit enormis, quia ille effectus est quasi accidentarius, et non auget gravitatem percussionis. Sicut e contrario potest contingere, ut vulnus inflictum grave sit et sufficiens ad magnam copiam sanguinis effundendam, et quod ex magna diligentia aut artis industria impediatur, quod non oberit, quominus talis percussio enormis judicetur, quia ejus gravitas non consistit in effectu futuro aut ab illo pendet, sed in ipsa percussione et modo ejus. Unde intelligere licet, illa duo exempla non esse posita, quia tantum illis modis contingat percussionem esse in se enormem, sed ut illa sint quasi indicia et mensuræ gravis percussionis, ut omnis percussio, quæ moraliter fuerit æquivalens his enormis censeatur, quamvis sine mutilatione aut effusione sanguinis fiat; ut flagellare clericum aut fuste percutere cum ingenti dolore et contumelia vel injuria, gravis percussio erit, quamvis sanguis non effundatur; item includere clericum in teterrimo carcere, et ibi longo tempore injuste eum

detinere, enormis violentia est, et sic de aliis similibus.

89. *Ex dignitate personæ percussæ potest fieri enormissima læsio. — Percussio Abbatis ex hoc capite solum est enormis respectu subditorum. — Episcopi vero respectu omnium.* — Aliud caput hujus enormitatis in illo textu insinuatum est dignitas personæ percussæ, quia injuria crescit ex dignitate personæ offensæ; in hoc autem canone non solum attenditur gravitas violentiæ aut læsionis, sed etiam injuriæ, ut alia jura citata declarant. Adhibenturque ibi duo alia exempla, scilicet Episcopi et Abbatis; per Episcopum omnes intelligunt consecratum. Et ideo non est hoc limitandum ad subditos Episcopi, quia hoc non fundatur præcipue in dignitate jurisdictionis, sed consecrationis, et ideo a quocumque Episcopus percutiatur, etiam a non subdito, ejus percussio enormis habetur. Quod secus esse censetur in alio exemplo de Abbate; nam communiter explicatur respective, scilicet, si quis percutiat Abbatem suum, id est suum Prælatum et superiorem, ut patet ex Glossa et interpretibus ibi. Unde si monachus percutiat Abbatem alium, non tamen superiorem suum, non statim erit percussio enormis judicanda ex dignitate personæ, quia dignitas Abbatis, nude considerata, non est tanta, ut sufficiat ad enormitatem delicti ex sola dignitate personæ; maxime cum sub illa appellatione comprehendatur quilibet Prælatus cujusvis monasterii religiosorum. Respective autem, id est respectu sui subditi et inferioris, est magni momenti illa circumstantia, ratione jurisdictionis et reverentiæ debitæ inferioris ad superiorem. At vero dignitas Episcopi, quia in consecratione consistit, absolute considerata, sufficit, ut ex illo capite percussio enormis censeatur. Et ideo in cap. Si quis deinceps, 17, q. 4, præter excommunicationem, omnibus suis privandus dicitur, qui tale delictum committit.

90. *Non quælibet læsio his personis facta censetur enormis. — Quæ personæ dicantur constitutæ in dignitate.* — Quanquam autem hæc vera sint, nihilominus respectu etiam talium personarum requiritur proportionata quantitas læsionis seu percussionis, ut enormis ex illa circumstantia fiat; nam tam parva posset esse percussio aut violentia, ut etiam circa talem personam moraliter non reputetur enormis. Etenim circa Deum ipsum quædam offensiones in suo ordine leves sunt, quæ dicuntur venialia peccata; imo inter mortalia non omnia reputantur enormia; quid ergo mirum, quod respectu humanæ personæ in tali dignitate constitutæ inveniri possit injuria adeo diminuta ex aliis circumstantiis, ut simpliciter non possit enormis æstimari? Sunt ergo omnia pensanda, scilicet conditio personæ offendentis (quæ non parum aggravat vel minuit actum), quantitas, modus, occasio actionis, locus, et tempus, et similia, ut integrum judicium de facti enormitate reddi possit. Quia vero in hujusmodi injuriis præcipua conditio aggravans est dignitas personæ offensæ, et illa sola sufficit ad constituendum enorme delictum, si in reliquis sit sufficiens proportio, ideo circumstantia hæc cum illis exemplis specialiter in illo textu designatur. Atque hinc etiam fit, ut hæc causa enormitatis delicti sic declarata, non solum locum habeat in illis duobus generibus personarum, prout a nobis exposita sunt, sed etiam in aliis personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, si cætera cum proportione observentur. Unde constat sub Episcopis comprehendi Cardinales, licet non sint specialiter consecrati. Episcopus etiam electus et confirmatus, maxime respectu subditorum; jam enim jurisdictionem habet, quod secus est de tantum electo, licet non parum ad dignitatem personæ conferat; de aliis vero inferioribus Prælatis sicut de Abbatibus judicandum est.

91. *Qua ratione percussio levis, mediocris, et enormis discernantur.* — Ex his autem, quæ de percussione enormi in jure explicata invenimus, arbitrandum est de mediocri et levi percussione. Nam ut Aristoteles dixit, supremum in unoquoque genere est mensura cæterorum. Enormis ergo læsio erit mensura aliarum; nam omnis illa, quæ dictas circumstantias non habuerit, non erit enormis. Quod si multum ab eis distaverit, levis, si autem parum, mediocris existimabitur. Addit præterea Navarrus verba cujusdam Extravag., quæ incipit *Perlectis*, quibus hoc amplius declaratur. Verumtamen et Extravagans illa auctoritatem non habet; nam incerti auctoris est, et in jure non continetur; et nihil amplius in ea dicitur, quam ex dictis habeatur; nam tandem concludit hoc committendum esse prudentis arbitrio; hoc enim necessario dicendum est, quoties læsio ex se et absolute considerata non habet enormitatem, nisi ex aliis circumstantiis insurgat, et ideo omnes prudenter pensandæ. Et multum refert animadvertere, an facta fuerit cum gravi

scandalo; nam illud moraliter loquendo est magnum signum enormis percussionis et sacrilegii, ut ex dict. c. Cum illorum, colligitur. Denique prudens hoc arbitrium, de quantitate percussionis, juris interpretes communiter dicunt commissum esse Episcopo vel judici, quod censeo verum in foro exteriori et ut declaratio illa authentice fiat; in interiori autem fieri potest a viro prudente et docto; nam hoc magis pendet ex prudentia et doctrina, quam ex jurisdictione. Et juxta illam declarationem potest quilibet confessarius judicium ferre in illo foro; imo ei proprie commissum est hoc judicium in tali foro, quatenus clavem scientiæ habere debet, atque ea uti ubi necessarium fuerit.

SECTIO II.

De excommunicationibus ipso jure latis, et reservatis Papæ in antiquioribus libris Decretalium.

1. *Prima excommunicatio ex cap. Quærenti, de Offic. deleg.* — Prima harum excommunicationum affertur a Navarro ex c. Quærenti, de Offic. delegat.; ubi excommunicatio lata a a delegato Papæ in eum, qui rei judicatæ parere contemnit, post annum transactum manet Papæ reservata. Sed illa non est censura a jure, sed ab homine; ferri enim supponitur a judice delegato; neque illa est propria reservatio, sed cessatio jurisdictionis seu officii. Statuit enim ibi Pontifex, ut suus delegatus post latam sententiam possit per annum jurisdictionem exercere in ordine ad sententiæ executionem; et inde fit, ut intra illum annum possit a censura a se imposita absolvere, non vero ultra illum, quia jam non est judex, ideoque jurisdictio solum manet in delegante, qui fuit Summus Pontifex.

2. *Secunda ex cap. Ad falsariorum, de Crimine falsi.* — Secunda excommunicatio affertur ab eodem Navarro ex c. Ad falsariorum, de Crimine falsi, ubi fertur censura excommunicationis in falsarios litterarum Pontificalium. Verumtamen illa censura, prout in illo capite fertur, non est Summo Pontifici reservata; prout vero in Bulla Cœnæ Domini reservata est, superius est a nobis exposita, cum dicto cap. Ad falsariorum. Et quoad degradationem, quæ ibi propter hoc crimen fieri præcipitur, infra suo loco declarabitur.

3. *Tertia ex cap. Dura, de Crimine falsi.* — Tertiam excommunicationem affert idem auctor ex cap. Dura, de Crim. falsi, § Adjicientes. Sed illo loco non fertur excommunicatio ipso jure, sed præcipitur promulgari ab Episcopis contra eos, qui litteras falsas Apostolicas habentes,intra viginti dies eas non destruunt aut resignant. Quam excommunicationem tales personæ non incurrunt, donec promulgetur; postquam autem contracta est, Papæ reservata manet. Imo indicat Panormitanus ibi, num. 9, necessarium esse, ut judex specifice ferat excommunicationem contra talem personam habentem falsas litteras. Sed, licet hoc possit esse necessarium ad alios effectus, tamen ad incurrendam talem excommunicationem non requiritur, sed satis est, quod sententia generalis feratur in omnes, qui tales litteras habuerint et intra viginti dies illas non abdicaverint. Quod adeo est expressum in illo textu, ut non potuerit Panormitanus contrarium sentire, sed, cum ait necessarium esse specifice ferri excommunicationem contra talem, intelligit ratione delicti, non ratione personæ, id est, contra sic delinquentem, non vero contra Petrum vel Paulum nominatim. Postquam vero excommunicatio sic lata est, si contrahatur, ejus absolutio manet Papæ reservata. Atque ita reservatio potius lata est ipso jure, quam excommunicatio, quod non est singulare in hoc casu.

Excommunicatio contra sacrilegos rerum Ecclesiæ fures declaratur.

4. *Cap. Conquesti, de Sentent. excomm.* — *Incurraturne ipso jure excommunicatio hæc.* — Similis modus excommunicationis et reservationis invenitur in cap. Conquesti, de Sent. excom., ubi præcipit Pontifex quosdam sacrilegos denunciari excommunicatos, et non absolvi, *donec cum litteris suorum Prælatorum veritatem continentibus Apostolico se conspectui præsentent.* Circa quem textum nonnulla declaranda occurrunt. Primum est, an illa excommunicatio ipso jure incurratur. Et ratio dubitandi est, quia in eo textu dicitur : *Eos excommunicatos denuncietis;* aut enim verbum illud, *denuncietis,* in rigore est sumptum, prout idem significat quod *publicetis,* aut sumitur latius, prout interdum dicitur de ipsa prolatione vel promulgatione excommunicationis; si sumatur priori modo, supponit excommunicationem aliunde contractam ante illius decreti constitutionem; nam denunciare hoc modo non est excommunicare, ut constat ex c. Pastoralis, § Verum, de Appellat., nec talis pronunciatio vere profertur, nisi de jam excommunicato. Si

autem verbum *denunciandi,* sumatur secundo modo, Pontifex non excommunicat, sed præcipit Prælato, ut excommunicet; non ergo excommunicatio illa a jure lata est, sed ferenda ab homine.

5. *Prima sententia.* — Circa hoc Glossa ibi refert sententiam Hugonis, hos sacrilegos non esse excommunicatos ipso jure, sed excommunicandos. Nam in cap. ultim. de Furtis, quidam, qui calicem Ecclesiæ furatus fuerat, si non est respersus infamia publica, post peractam pœnitentiam congruam et satisfactionem dicitur admittendus ad Ordines, si alias sit idoneus, et nulla prærequiritur absolutio a censura. Ubi supponi videtur, nullam excommunicationem incurrisse. Et in cap. Conquestus, de Foro comp., dicitur, invasores rerum Ecclesiæ anathemati supponendos esse donec satisfaciant; non ergo sunt ipso jure anathematizati; ergo cum in dicto cap. Conquesti, præcipit Pontifex, ut hi sacrilegi excommunicati denuncientur, recte intelligitur, id est, excommunicentur publice et nominatim; non est enim hæc significatio et interpretatio ab illius verbi proprietate aliena. Potestque a simili confirmari ex cap. Tua nos, de Sentent. excomm., ibi : *Ex quo sunt per sententiam publicati,* quod significat, ut infra videbimus, id est, excommunicati et publicati; nam, quia per sententiam utrumque fieri solet, et ultimum est publicatio, ideo illo unico verbo solet aliquando utrumque comprehendi, præcipue quando per jus aliquid statuitur, quod usque ad denunciationem non est habiturum effectum, qualis est reservatio, de qua est quæstio in dict. cap. Conquesti, et cap. Tua nos, ut dicetur.

6. *Vera sententia proponitur, textibusque in contrarium satisfit.* — Nihilominus communis opinio est, excommunicationem illam, de qua est sermo in dicto cap. Conquesti, ipso jure incurri. Ita Glossa ibi, quam sequuntur Panormitanus et alii interpretes. Dico autem excommunicationem, de qua ibi est sermo, quia non de omni sacrilegio, nec de omni furto rerum Ecclesiasticarum affirmant dicti auctores habere annexam excommunicationem ipso facto, sed solum de illo sacrilegio, in quo concurrunt circumstantiæ expressæ in illo cap. Conquesti, scilicet, quod sit violenta confractio Ecclesiæ, ejusque spoliatio, et ita conciliant caput hoc cum aliis, quæ prior sententia afferebat; nam in cap. ultimo de Furtis, est sermo de quodam simplici furto facto in Ecclesia, quale est furtum unius calicis; longe autem diversum delictum est confringere et spoliare Ecclesiam; ex cap. autem Conquestus, de Foro competent., solum colligitur non omnem furem rerum Ecclesiæ esse ipso jure excommunicatum; quod etiam constat ex cap. Indigne, 12, quæst. 2; non vero quod nullus sacrilegus confractor et spoliator Ecclesiæ excommunicatus ipso jure sit.

7. *Quo jure excommunicatio hæc in sacrilegos fures feratur.* — *Prima opinio.* — Quod si inquiratur, quo jure sit lata hæc excommunicatio, quidam dicunt, non ferri in illo cap. Conquesti, sed supponi. Ita Navarrus, non tamen affert aliud prius jus, quo hæc excommunicatio lata sit, cum tamen illud sit necessarium. Glossa vero ibi eamdem opinionem indicans citat cap. Canonica, 11, quæst. 3, et cap. Omnes Ecclesiæ, 17, quæst. 4, quæ, vel parum, vel nimium probare videntur. Nam in priori verba sunt : *Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei, et judicio Sancti Spiritus a gremio sanctæ matris Ecclesiæ, et consortio totius Christianitatis eliminamus.* Quæ verba, aut probant omnes sacrilegos in Ecclesiam esse ipso jure excommunicatos, aut nihil probant. Unde Hugo et Archidiacon. exponunt, ibi non ferri excommunicationem ipso jure, sed dari formam, qua excommunicandi sunt hujusmodi violatores, quando oportuerit. Alii, ut patet ex Glossa ibi, putant illud Concilium excommunicasse violatores quosdam Ecclesiarum, qui tunc temporis erant, quos Turrecremata, et alii, fractores et spoliatores Ecclesiarum fuisse aiunt; sed non constat, quia canon ille non extat in Concilio Arausican. cui tribuitur. Cumque illud fuerit provinciale, multo minus constat pœnam illam pro tota Ecclesia, et in perpetuum tulisse, aut eo sensu fuisse receptam.

8. Aliud vero cap. ita habet : *Omnes Ecclesiæ raptores atque suarum facultatum alienatores a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ anathematizamus,* etc. Quæ verba sunt Lucii Papæ in epist. decretali, et si excommunicationem continent ipso jure, ut præ se ferunt, non tantum fractores (ut gratis Glossa ibi exponit), sed omnes, qui res Ecclesiæ rapiunt vel alienant, comprehendit; nam verba generalia sunt, et ex ipsa epistola constat sermonem esse de quocumque, qui res vel pecunias Ecclesiæ *aufert, fraudat et rapit.* Ibi autem non habetur verbum *anathematizamus,* sed participium *anathematizatos,* scilicet, *omnes hujusmodi raptores anathematizatos Aposto-*

lica auctoritate pellimus et damnamus. Quæ verba in idem redeunt, et in rigore significant excommunicationem latam; tamen, quia non est usu recepta, possunt exponi, ut non censeatur ipse Pontifex anathematizare, sed anathematizationem approbare si fiat, et declarare eos esse dignos tali pœna. Et potest hæc expositio suaderi, tum quia ibi Pontifex non condit leges, sed solum doctrinam tradit, tum etiam quia ibi extendit illam doctrinam ad omnes consentientes, quos tamen nullus dicet esse excommunicatos.

9. *Secunda opinio.* — Potest ergo dici, excommunicationem illam latam esse ipso jure a Joanne P. in c. Quisquis, 17, quæst. 4, cujus verba sunt : *Si quis domum Dei violaverit, et aliqua sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, donec in conventu admonitus satisfaciat, sciat se communione esse privatum.* Quæ forma verborum aperte continet censuram ipso jure latam, et videtur esse contra fractores et raptores Ecclesiarum; propriissime enim dicitur violare Ecclesiam juxta subjectam materiam, qui muros vel fores ejus infringit, ut eam violet; ergo hic textus videtur convincere, propter tale crimen esse impositam ipso jure. Quod autem potest in dubium venire solum est, an verba illa, *Sciat se communione privatum,* contineant excommunicationem majorem, prout nunc est in usu, vel aliquam minorem excommunicationem, seu separationem tantum ab usu Eucharistiæ. Et ratio dubii oritur ex ipsomet textu; nam subjungit : *Si vero post secundam et tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita ut secundum Apostolum nemini fidelium misceatur;* ergo prior illa excommunicatio non separabat eum a communione fidelium; ergo non erat excommunicatio major. Deinde in versiculo sequente expresse est sermo de his, *qui infringunt monasteria et loca Deo dicata, et Ecclesias, et deposita, vel alia quælibet inde abstrahunt;* de quibus tamen subjungitur : *Velut sacrilegi canonicæ sententiæ subigantur,* ubi videtur illa, *canonica sententia,* referri ad excommunicationem majorem, de qua proxime sermo fuerat; et tamen solum injungi præcipitur; ergo juxta communem interpretationem ex hoc loco non colligitur excommunicatio major ipso facto incurrenda.

10. *Tertia et communis sententia.* — Quapropter aliter potest defendi communis sententia, si dicamus, hanc excommunicationem ferri a Summo Pontifice in ipso cap. Conquesti; nam cum præcipiat aliquid, quod excommuncationem latam supponit, et non inveniatur priori jure lata, necesse est, ut ab ipsomet Pontifice virtute et implicite feratur; ita ut sensus sit, *excommunicatos nuncietis,* quia ego ex nunc illos excommunico. Potestque hæc expositio ex aliis similibus formulis ferendi censuram declarari; sæpe enim dicunt jura : *Qui hoc fecerit, noverit se excommunicatum.* Ubi necessario subintelligitur, *quia per hanc legem excommunicatur.* Item dici solet : *Cum eo qui hoc fecerit, alii non communicent,* utique quia per ipsum canonem sic loquentem excommunicantur. Sæpe item excommunicatio fertur quasi præsuppositive, ut quoties fertur per verba pertinentia ad effectum, vel ad aliquid posterius ipsa censura; ergo eodem modo possunt exponi prædicta verba cap. Conquesti. A qua interpretatione non videtur discordare Abbas antiquior, quem junior sequitur et refert. Fateor quidem priorem expositionem esse probabilem, juxta quam hæc censura non est ipso facto lata. Quia vero communis opinio est in contrarium, ab ea discedendum non est, licet talis excommunicatio major non censeatur lata in aliis antiquioribus juribus, sed in illomet cap. Conquesti, juxta ultimam interpretationem, videtur ipsis verbis accommodata. Nam licet illud verbum *nuncietis,* respiciat actionem per hominem exercendam, tamen in rigore et proprietate sumptum indicat talem actionem, quæ excommunicationem supponit; non potest autem certo supponi, nisi ab ipso jure lata sit.

11. *Quæ ob crimina excommunicatio hæc contrahatur. — Fractio et spoliatio quæ sufficiunt ad peccatum sufficiunt ad hanc censuram. — Dubium. — Resolvitur.* — Unde fit illam excommunicationem non extendi ultra delictum sacrilegii in eo textu expressum, in quo etiam Glossa, et Abbas, Antoninus, Cajetanus, Navarrus, et alii conveniunt. Superest vero explicandum, quale sit delictum in eo textu expressum, propter quod illa excommunicatio imponitur. Nam Pontifex non declarat illud, sed dicit, *memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis;* se igitur refert ad narrationem factam per hæc verba : *Quasdam Ecclesias violenter confregerunt, easque spoliare minime dubitarunt.* Ubi duæ actiones continentur, fractio Ecclesiarum et earumdem spoliatio. Dubitari ergo potest, an utraque sufficiat ad hanc excommunicationem incur-

rendam. Nam si utraque simul fiat, res constat, quia in illis sacrilegis illa fuit sufficiens causa. Et in unaquaque illarum actionum illa quantitas sufficiet ad censuram, quæ ad peccandum mortaliter in materia sacrilegii talis sit, quia non possumus certiorem regulam præscribere ex natura rei, et textus aliam non constituit. Quapropter non est necessarium, ut Ecclesia spolietur omnibus bonis, quæ in ea sunt, nec quod confractio sit enormis, sed nomine spoliationis quælibet rapina, vel furtum grave intelligendum est. Per confractionem autem quævis violenta apertio Ecclesiæ, sive rumpendo murum, sive seras confringendo. Sed quid si nulla illarum actionum per se sumpta sit peccatum mortale, ex utraque autem consurgat materia sufficiens ad sacrilegium grave? eritne illa sufficiens causa talis censuræ? Respondeo non videri casum moraliter possibilem. Nam in primis necessarium est, ut confractio sit sufficiens ad ingressum; hæc autem semper est gravis injuria Ecclesiæ, ideoque sufficiens ad peccatum mortale.

12. *Num per unam illarum actionum sufficientem ad mortalem, censura hæc incurratur. — Frangens seras sacristiæ contiguæ Ecclesiæ, incurrit c. Si civitas, de Sent. excomm., in 6. — Non incurrit si sacristia sit discontigua. — Aperiens per artem fores Ecclesiæ an incurrat. — An sufficiat Ecclesiæ fractio sine spoliatione ad hanc censuram. — Navarr. rejicitur.* — Difficultas vero superest, utrum, si tantum una illarum actionum sit peccatum mortale, et alia vel sit levis, vel omnino non fiat, incurratur hæc censura. In quo dubio in primis si spoliatio etiam gravis fiat sine fractione, omnes fatentur non esse sufficientem causam hujus censuræ. Ita tenet Gloss. ibi referens Hugonem, et sequitur Panormit., num. 2, et Antoninus, Cajetanus, Navarrus supra citati, et communiter Summistæ, et colligitur sufficienter ex cap. ult. de Furtis, et c. Conquestus, de For. comp., supra citatis et declaratis in hunc modum. Ex qua doctrina sequitur primo non satis esse frangere arcam, in qua res Ecclesiæ continentur, quia arca non est Ecclesia, nec pars Ecclesiæ. Minusque sufficiet frangere calicem, aut rumpere vestem sacram ad occultius asportandam illam. Idemque dicendum est, si imago Crucifixi, vel alia similis frangatur, vel in injuriam, vel furti causa; nam illa non est materia hujus censuræ, quidquid sit de aliis legibus. Sufficiet tamen, ut opinor, frangere seras sacristiæ, vel muros aut tectum ejus, etiamsi exteriores fores Ecclesiæ, et reliquæ partes ejus non confringantur, quod mihi erit indubitatum, si sacristia sit contigua Ecclesiæ, quia tunc in rigore venit nomine Ecclesiæ. Quod optime probatur arg. c. Si civitas, de Sent. excom., in 6, ubi cum interdicitur Ecclesia, illius nomine dicitur venire capella, vel cæmeterium contiguum Ecclesiæ. Quia lex illa licet videatur versari in materia odiosa, utpote interdicti et pœnali, fertur in favorem interdicti et clavium Ecclesiæ. Eadem autem ratio cum proportione in præsenti locum habet, nam hæc etiam lex est in favorem Ecclesiæ et rerum sacrarum; et ideo etiam nomen Ecclesiæ extendendum est, ut illum locum comprehendat. At vero si sacristia esset disjuncta ab Ecclesia, non censeo esse admittendam extensionem, quia neque in rigore vocis, neque in jure habet fundamentum, et semel facta, nullum haberet certum terminum, sed quantumcumque esset distans locus, in quo vestes et vasa sacra custodirentur, fractio ejus censeretur hic comprehensa, quod verisimile non est. Tandem de hac actione inquiri potest, an necesse sit fieri per vim, vel sufficiat fieri per artem, ut, v. gr., si fores Ecclesiæ, vel seræ ejus non frangantur, sed aperiantur vel alia clavi simili, vel adultera, an id satis sit ex hac parte ad incurrendam hanc censuram. Videtur enim perinde esse; et ideo extendendum esse hoc jus, quod favorabile est, ut dixi. Nihilominus Navarr. supra negat sufficere, dicitque esse sententiam omnium, a qua non oportet recedere, quia favor etiam non est extendendus ultra proprietatem verbi, præsertim cum habeat adjunctum odium seu gravem pœnam; verbum autem frangendi in rigore significat violentiam. Superest dicendum, an e converso sola hæc actio frangendi Ecclesiam sine spoliatione sufficiat ad hanc censuram incurrendam. Nam dicti auctores videntur id affirmare, maxime Cajetan.; Navarrus vero ait, etiam si quis infringat Crucifixum vel sacrarium, si nihil furetur, non incurrere hanc censuram. Quod difficile est, quia si non præcessit fractio Ecclesiæ, etiam si frangat Crucifixum et furetur, non incurret si autem præcessit fractio Ecclesiæ, si postea frangat Crucifixum, sicut etiam si comburat vestem sacram, licet nihil furetur, incurret. Quia ex parte hujus actionis non est necessarium proprium furtum vel rapina, sed satis est quocumque modo privare Ecclesiam suis bonis

vel in eis graviter damnificare; satis enim dicetur spoliare Ecclesiam, qui res ejus destruit, etiam si secum non deferat; ergo qui frangit imagines Ecclesiæ, vere spoliat Ecclesiam. Nam ad spoliandum (ut dixi) non est necesse, ut omnino omnem supellectilem Ecclesiæ quis deferat aut destruat; satis est enim, si in parte gravi aut notabili, id fiat. Atque ita dicendum censeo solam fractionem, quæ fit ad ingrediendum in Ecclesiam, non sufficere ad hanc excommunicationem; si autem cum illa conjungatur quæcumque gravis damnificatio Ecclesiæ in bonis ejus pertinentibus ad usum officiorum, vel ad ornatum ejus, vel ad facultates, seu thesaurum illius, incurri, quia textus utitur verbo spoliandi, et illa est spoliatio, sive per furtum fiat, sive per quodcumque aliud genus injuriæ. Quare judex secularis frangens fores Ecclesiæ, ut delinquentem in ea receptum extrahat, non incurrit hanc censuram, quia, licet sit fractor, non tamen spoliator Ecclesiæ; et licet agat contra immunitatem, non tamen contra dominium (ut sic dicam) et bona Ecclesiæ.

13. *Quid nomine Ecclesiæ significetur in dict. capite.* — Sed quæres quid nomine Ecclesiæ hic intelligendum sit. Respondeo, primo, ac præcipue intelligi templa publice dicata et auctoritate Episcopi sacrata; hæc enim est propria significatio illius vocis, tam in jure quam in usu. Quod Navar. cum Panormit. extendit ad monasteria, hospitalia, et alia loca pia per Episcopum sacrata, arg. c. Ad hæc, de Relig. domib., in quo hæc loca æquiparantur Ecclesiis in hoc, quod non debent ad mundanos usus transferri. Privata autem oratoria, quæ solent esse in communibus domibus, et similia loca, non comprehenduntur in dict. c. Conquesti, licet in aliis antiquioribus supra citatis generalior sermo esse videatur.

14. *De reservatione hujus censuræ.* — *An sit reservata ante denunciationem.* — Supposita ergo hac censura, circa ejus reservationem dicendum est, post denunciationem, illam esse reservatam Papæ, sive a jure, sive tantum ab homine lata sit. Ita enim ibi dicitur : *Excommunicatos denuncietis, donec Apostolico se conspectui præsentent.* Neque hoc pendet ex priori quæstione, quia, ut dixi, non repugnat excommunicationem latam esse ab homine, et postquam lata est, manere Pontifici reservatam. Quæri vero potest, an hæc censura reservata sit ante denunciationem. Partem negantem indicat Cajetan., dicens : *Denunciationem mandat, ac denunciati absolutionem Apostolicæ Sedi reservat;* ergo donec illa excommunicatio sit denunciata, non est reservata. Et favet textus dicens : *Excommunicatos nuncietis, et vitari faciatis, donec se præsentent.* Et idem sentit Navar. addens, non sufficere denunciationem generalem; sed ibi non loquitur in ordine ad effectum reservationis, sed in ordine ad effectum evitandi talem excommunicatum, juxta Extravag. *Ad evitanda*, ut ipse subdit. Panormit. vero ibi sentit hanc excommunicationem ipso jure etiam esse reservatam absque denunciatione. Et videtur hoc fieri probabile, supposita interpretatione verbi *nuncietis,* quam ipse Cajet. amplectitur, scilicet, ut denunciari mandetur excommunicatio, quæ jam esse supponitur; ergo pari ratione si non solum excommunicatio, sed etiam reservatio ejus denunciari mandatur, supponitur lata excommunicatio reservata; ergo ante denunciationem reservata est. Atque ita sensus illius textus erit, *nuncietis excommunicatos* tali excommunicatione, a qua absolvi non possint, nisi satisfaciant, et Sedi Apostolicæ se præsentent. Responderi vero potest, in illo textu non dici : *Excommunicatos nuncietis excommunicatione nobis reservata,* sed dici hoc modo, *excommunicatos nuncietis, et faciatis sicut excommunicatos arctius vitari, donec,* etc. Ubi duo præcipiuntur : primum est denunciatio, secundum executio usque ad absolutionem Papæ, et ideo verisimillimum est hoc secundum non habere locum in ea restrictione nisi supposito primo. Cumque hæc interpretatio sit benignior, in materia odiosa est præferenda.

Excommunicatio contra incendiarios exponitur.

15. *Cap. Tua nos, de Sententia excommunicationis.* — *Sitne hæc excommunicatio ipso jure lata.* — Quinto loco numerari potest reservatio excommunicationis latæ contra incendiarios in cap. Tua nos, de Sent. excom., cujus verba sunt : *Incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi.* Quæ duobus modis possunt exponi. Primo, ut verba illa, *ex quo sunt,* habeant vim causalis notæ, id est, quia sunt per Ecclesiam excommunicati, et sic supponunt ipso jure latam esse excommunicationem in incendiarios, et additur reservatio. Cui expositioni

favet, quod in illo textu æquiparantur incendiarii cum percussoribus clericorum. Item quia textus non dicit, *ex quo fuerint*, scilicet in futurum, sed, *ex quo* jam *sunt;* ergo necesse est intelligi per jus ipsum. Sed hic sensus communiter rejicitur, quia ibi expresse dicitur, *per Ecclesiæ sententiam*, quæ est actus hominis et non legis. Responderi vero potest, ibi non esse sermonem de sententia excommunicationis, sed de sententia promulgationis, id est denunciationis, quæ supponit personam excommunicatam. Unde est secunda sententia, hos incendiarios esse ipso jure excommunicatos, eorum tamen excommunicationem non reservari ex vi hujus textus, donec talis excommunicatio sit per sententiam hominis promulgata; ita refert Glossa ibi, et in cap. Cum devotissimam, 12, quæst. 2, et Panormitanus in dicto cap. Tua, id admittit quantum ad incendiarios Ecclesiarum. Secundo tamen objicitur contra utramque sententiam, quia talis excommunicatio ipso jure nec fertur in d. c. Tua nos, ut evidenter ex ipso constat, neque alibi lata reperitur. Nam in cap. Pessima, 23, quæst. 6, solum dicitur : *Excommunicetur, et si mortuus fuerit incendiarius, Christianorum careat sepultura;* et in cap. Si quis membrorum, ibidem, licet de hujusmodi incendiario dicatur : *Ab Ecclesia se privatum agnoscat*, quæ verba videntur significare excommunicationem ipso jure, tamen statim subditur : *Si post secundam et tertiam correctionem se non emendaverit, tanquam ethnicus et publicanus ab omni Christianorum collegio separetur*. Quæ verba ultima significant excommunicationem majorem ferendam et non latam. Unde priora videntur indicare interdictum ab ingressu Ecclesiæ, de quo suo loco. Nullo ergo alio jure invenitur lata excommunicatio contra incendiarios generatim sumptos.

16. *Num incendiarii Ecclesiarum sint ipso jure excommunicati.* — De incendiariis vero Ecclesiarum in particulari citari solet cap. In litteris, de Raptoribus. Sed non probat; nam in eo solum dicitur, quemdam incendiarium Ecclesiarum in mortis articulo constitutum, fuisse per quemdam Capellanum suum a sententia anathematis absolutum; non vero dicitur ibi illum contraxisse illud anathema ipso facto. Imo in illo verbo *sententia,* indicatur fuisse illam excommunicationem latam per sententiam hominis. Melius quidem hoc ostendit Glossa in dict. cap. Tua, ex cap. Conquesti, proxime tractato; nam incendiarii Ecclesiarum revera sunt fractores et spoliatores earum; et hoc titulo probabilissimum mihi est illos esse excommunicatos ipso jure per cap. Conquesti, quam sententiam esse communem docet Navarr., cap. 27, num. 94, non tamen ex hoc capite, sed ex c. Tua nos, quod profecto sine causa de illis exponitur, ut recte ibidem Glossa notavit, quia textus ille de incendiariis loquitur in communi; unde non respicit ad malitiam sacrilegii, quam specialiter committunt incendiarii Ecclesiarum, sed ad injustitiam omnibus incendiariis communem. Igitur si incendiarius Ecclesiæ incurrit excommunicationem, illius reservatio non ad cap. Tua nos, sed ad cap. Conquesti, pertinet. Et juxta doctrinam ibi traditam exponenda est.

17. *In dict. cap. Tua nos, ferri ipso jure excommunicationem.* — Alius ergo sensus et verus illius capitis Tua nos, est, ut verba illa, *ex quo sunt,* reddant sensum quasi conditionatum, seu denotantem suppositionem; ita ut sensus sit, incendiarii, si jam sunt vel postquam fuerunt ab homine excommunicati, etc. Qui sensus a sufficienti partium enumeratione probatur ex dictis, quia seclusa excommunicatione juris, necesse est ab homine ferri, ut in eam possit cadere reservatio; quæ duo nec repugnant, ut per se constat, nec est novum ita fieri. Et confirmatur ex verbis illis, *per sententiam Ecclesiæ,* quæ, licet possent ab aliquo extendi ad censuram ipso jure latam in eo sensu, quo illa solet appellari, *latæ sententiæ*, tamen juxta proprietatem vocis magis significant sententiam hominis; et cum simus in materia odiosa et pœnali, restringenda sunt potius, quam extendenda.

18. *Oporteatne excommunicationem hanc in determinatam personam latam esse, ut reservata sit. — Prima sententia. — Rejicitur.* — Quæri vero potest, an oporteat sententiam hanc esse latam in particulari contra talem personam, vel sufficiat generalis contra omnes sic delinquentes, ut statim ac incurritur, sit reservata, juxta cap. Tua nos. Et Glossa, Panormitanus et alii ibi sentiunt necessariam esse sententiam in particulari, quia, ut hæc excommunicatio sit reservata, existimant esse necessarium, quod incendiarius non solum excommunicatus sit, sed etiam denunciatus. Quod etiam sentit Cajetanus, cap. 22, et Navarrus, qui fundantur in verbo illo textus, *ex quo sunt per sententiam publicati,* quod expo-

nunt, id est, *denunciati*. Sed obstat, quia in illo textu non est sermo de personis in particulari, seu sub propriis nominibus, sed in communi sub nomine sumpto ex tali vitio, scilicet de incendiariis; loquendo autem hoc modo propriissime dicuntur incendiarii per sententiam publicari, etiamsi talis sententia generaliter promulgata sit. Sic enim frequenter loquuntur jura; et vulgari usu ita loquimur, scilicet sententiam excommunicationis promulgatam esse contra hæreticos vel contra occultantes tale furtum, etc. Atque hoc sensu in capitulo Ita quorumdam, de Judæis, et in Clementina 1 de Pœnis, et in Extravagant. *Infidelis,* de Furtis, excommunicatio generaliter lata vel a jure, vel ab homine in eos, qui talia vitia committunt, sæpius promulgari seu publicari mandatur; ergo in præsenti etiam dicendum, incendiarii per sententiam publicati, etiamsi non in particulari seu nominatim, sed generatim sententia contra eos publicata sit. Et confirmatur, quia Pontifex in eo capite reservat hanc excommunicationem ad deterrendos homines ab hoc crimine; ergo non solum reservat illam, quando fertur in personam particularem, quam oportet esse notam, ut denunciari possit; sed etiam quando fertur in omnes, qui committunt tale crimen, etiamsi illi occulti sint.

19. *Verior sententia. — Discrimen inter cap. Tua, et cap. Conquesti.* — Sane interpretatio hæc videtur mihi magis consentanea et textui, et veritati. Et fortasse dicti auctores non sunt loquuti de denunciatione talis personæ in particulari sub proprio nomine, neque hoc ipsi explicarunt; intelligi ergo possunt de generali denunciatione per sententiam; ita ut solum intendant docere non satis esse, quod sententia lata sit, sed oportere, ut sit etiam publicata. Unde potest notari differentia inter hoc cap. Tua nos, et cap. Conquesti; nam in priori tantum est sermo de incendiariis in communi, et de sententia contra illos publicata; in cap. autem Conquesti, sermo est de particularibus personis, quæ in principio nominantur, et de eisdem postea subditur, *Memoratos sacrilegos excommunicatos nuncietis;* et ideo in casu illius textus probabilius est necessariam esse denunciationem in particulari, ut excommunicatio reservata maneat, quia forma ibi præscripta in omni casu simili servanda est. Quod si quis concedat eodem modo exponendum esse cap. Tua nos, tum propter argumentum a simili, tum quia licet textus hoc non declaret, non tamen excludit hanc expositionem, quæ cum sit benignior, in materia odiosa amplectenda est, tum denique quia communis opinio magis in hanc partem inclinare videtur, non repugnabo, quin probabiliter possit hoc defendi, et in praxi servari absque periculo, quamvis rigore verborum juris, illud prius verisimilius appareat.

20. *Quid nomine incendiarii intelligendum. — Prima conclusio.* — Tandem vero inquiri potest, quid nomine incendiarii intelligendum sit. Neque interrogo, an debeat intelligi de incendiario Ecclesiarum, vel etiam aliarum rerum; nam cum textus indifferenter loquatur, generaliter intelligendus est, ut supra dixi, et Cajetanus etiam notavit; sed an unus actus incendii sufficiat, vel requiratur consuetudo incendio consumendi res alienas; nam nomine incendiarii hoc videtur in rigore significari. Unde Cajetanus dict. cap. 22, ait, intelligi in proposito incendiarios *non ab actu incendendi, sed a vitio; qui enim malo studio incendit domum, segetem, olivetum, etc., incendiarii crimen incurrit.* Respondeo, primum necessarium esse, ut incendium ex certa scientia, et prava voluntate intendatur; nam si quis ex negligentia, etiam notabiliter culpabili, sit causa incendii, præter directam intentionem et voluntatem suam, non dicitur in rigore et proprietate incendiarius. Idque satis explicant jura, quæ de hoc vitio loquuntur, ut patet ex cap. Pessimam, 13, quæst. 8, ibi, *Malo studio sive pro odio, sive pro vindicta.* Et hoc fortasse significavit Cajetanus, cum dixit incendiarios dici a vitio, non ab incendio, scilicet quocumque modo facto; nam per vitium fortasse non intellexit habitum, sed pravum illum modum committendi incendium.

21. *Secunda conclusio.* — Dico ergo ulterius, si quis unum incendium tantum hoc modo committat, ac propterea excommunicetur, ac denuncietur, id satis esse, ut illa excommunicatio reservata sit Summo Pontifici. Eademque ratione, si generalis sententia ab homine lata sit contra incendiarios, existimo satis esse ad illam incurrendam, quod semel tale delictum committatur. Quare, si subsequuta sufficiens publicatio fuerit, erit illa excommunicatio reservata. Ratio est, quia lex hæc et sententia punit actum, et non consuetudinem; et ab uno actu nomen incendiarii sufficienter sumitur, sicut nomen homicidæ ab uno homicidio. Potest tamen hic ultimo adverti in hoc cap. Tua nos, non præ-

cipi Prælatis, ut hos delinquentes excommunicent, aut denuncient, sicut præcipitur in cap. Conquesti (quæ est alia differentia notanda inter hos textus), sed tantum est in hoc textu sermo hypotheticus, scilicet, ut postquam per sententiam denunciati fuerint, Pontifici sint præsentandi. An vero publicandi sint, necne, ordinationibus aliorum jurium, et prudentiæ Prælatorum committi videtur. Illorum ergo erit judicare, an propter unum actum expediat talem ferre censuram.

22. *De aliis excommunicationibus reservatis. — Sectionis epilogus.* — Sexta censura sumitur ex c. Significavit, de Sent. excom., ubi Papa excommunicat clericos, qui cum excommunicatis a se in divinis officiis communicant, et talium clericorum absolutionem sibi reservat. Sed ille textus in superioribus est a nobis late tractatus, quia illa excommunicatio est quasi annexa alteri, ad cujus observantiam ordinatur. Hic etiam adjungi posset excommunicatio lata in cap. Nuper, de Sent. excomm., ubi communicans excommunicato in crimine, in similem excommunicationem incurrere dicitur; unde, si prior excommunicatio erat reservata Papæ, etiam illa, quam contrahit communicans in crimine, erit Papæ reservata, ut sumitur ex cap. Si concubinæ, de Sentent. excommun. Verumtamen de hac excommunicatione sufficienter in superioribus dictum est; reservatio autem hæc non est propria Summi Pontificis, sed communis seu proportionalis omnibus judicibus; generalis enim regula, quæ ex dicto cap. Nuper, colligitur, est, ut sic communicans ab eodem absolvi debeat, a quo ipse excommunicatus cum quo communicat. Quod etiam notavit Navarrus, cap. 27, num. 112. Quapropter, si attente considerentur omnia quæ diximus, ex jure Decretalium solum habemus unam novam excommunicationem Papæ reservatam, quæ ipso jure incurratur, scilicet contra fractores et spoliatores Ecclesiarum ex dict. cap. Conquesti; et præterea duas reservationes adjunctas aliis duabus excommunicationibus, supposito quod a Prælatis ferantur. Aliæ vero vel non sunt excommunicationes Papæ reservatæ in tali jure, vel non sunt novæ, sed in superioribus satis explicatæ.

SECTIO III.

Quæ excommunicationes latæ sint, et Papæ reservatæ in sexto libro Decretalium.

1. Duas, vel tres invenio in hoc posteriori volumine Decretalium excommunicationes ipso jure latas cum reservatione ad Summum Pontificem; et continentur sub titulo de Sententia excommunicationis, et de Pœnis; nam, si quæ sunt aliæ, vel explicatæ jam sunt, vel communi usui parum deserviunt.

2. *Prima excommunicatio ex cap. Quicumque, de Sent. excomm. — Quas ob actiones feratur censura hæc. — Prima.* — Prima habetur in cap. Quicumque, de Sent. excom., in 6, ferturque contra eos, qui in personis aut bonis suis, aut suorum eos gravant, qui sententiam excommunicationis, aut suspensionis, aut interdicti in aliquem tulerunt. Circa quam primo advertendum est, duas, vel tres esse actiones, ob quas illa censura fertur, quibus varia genera personarum comprehenduntur. Prima actio est, dare licentiam aliis ad inferendum hujusmodi gravamen seu injuriam; et hæc comprehendit Reges, et omnes illis inferiores, qui ibi numerantur. Quæ licentia non sufficit ad excommunicationem incurrendam, nisi effectus, ad quem illa datur, fuerit subsecutus. Unde circa talem actionem duplex ibi additur limitatio. Prior est, nisi licentia revocata fuerit, *re integra,* id est, priusquam aliquis effectus ex vi talis licentiæ fuerit sequutus. Quo fit, ut, si post revocatam talem licentiam, is, cui data fuerat, nihilominus ad executionem et effectum progrediatur, qui licentiam dedit, non incurrat excommunicationem, quia satisfecit jam huic legi, et alter ex sua malitia, et non ex licentia ejus operatur. Alia limitatio est, ut post subsecutum effectum talis facultatis, non statim incurratur excommunicatio, sed post octo dies, *si intra illos non cesset injuria, et bona fuerint restituta, aut pro eis satisfactum;* unde, si hoc fiat intra illum terminum, non incurretur excommunicatio.

3. *Ex data interpretatione concordantur duæ textus partes.* — Atque hoc modo intelligendo has duas limitationes, cessat objectio Glossæ ibi et omnes responsiones ejus. Ait enim, videri posteriorem hanc partem repugnare priori; nam in priori dicitur, ut incurratur hæc excommunicatio, nisi re integra licentia revocetur. Unde fit, ut si ante revocationem licentiæ res non maneat integra,

statim censura incurratur, quod repugnat posteriori parti, in qua conceduntur octo dies sub conditione restituendi. Et respondet, vel priorem partem intelligi, quando progressum est ad injuriam personalem, posteriorem vero ad injuriam realem seu in bonis externis; vel certe priorem respicere tempus futurum, posteriorem vero respicere tempus illud, in quo condita est constitutio, id est, ad injurias, quæ jam tunc erant factæ prætextu talis licentiæ. Sed hoc posterius non habet fundamentum in textu, et procedit ex falso fundamento; nam inter illas duas partes nulla est repugnantia. Male enim infertur ex priori conditione, statim ac res non est integra, incurri censuram, si licentia non est revocata; nam hoc in textu non dicitur, nec ex negatione sequitur affirmatio. In priori ergo conditione solum dicitur, ut non incurratur excommunicatio, si, re integra, licentia revocetur; unde certum est, quamdiu res est integra, excommunicationem non incurri, quia semper durat status, in quo revocari potest absque censura. Quando vero incurratur censura, postquam ex vi talis licentiæ non revocatæ ad injuriam progressum est, non explicatur in illa prima conditione; neque ex illa potest sufficienter colligi; nam ad hoc addita est secunda limitatio, quam propterea censeo respicere totum tempus futurum. Tamen, quia in illa secunda limitatione expresse dicitur, *vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum*, ideo hæc secunda moderatio solum videtur adhiberi, quando executio licentiæ solum circa bona externa, et non circa personam facta est; et ideo quoad hoc vera manet sententia Glossæ, quod in injuriis personalibus statim incurratur hæc censura sine mora octo dierum, quia in eis textus ille non concedit hanc moram seu moderationem. Et ita senserunt Cajetanus, cap. 36 de Excommun., et Navarrus, in Summ., cap. 27, num. 99. Meritoque ita factum est, quia injuriæ personales graviores sunt, difficiliusque habent remedium, et satisfactionem.

4. *Secunda actio ob quam censura hæc incurritur.* — Alia actio, ob quam illa excommunicatio imponitur, est usus talis licentiæ; non enim solum qui licentiam concedit, sed etiam qui illa utitur, hanc excommunicationem incurrit, ut in textu habetur; et intelligendum est de usu includente executionem, et consummatam actionem aliquam ex eis, quæ ibi numerantur, quæ sunt, *occidere, capere*, aut *gravamen aliud inferre talibus personis, vel in se ipsis, vel in bonis suis, aut suorum.* Unde, si quis prætextu talis licentiæ aliquid hujusmodi facere tentet, donec illud perficiat, non incurret hanc censuram. Et quoad gravamen in bonis, existimo locum habere priorem moderationem, quæ declarata fuit de eo, qui licentiam dedit, etiam in illo qui ea usus est, scilicet quod non statim incurrat censuram, sed post dies octo, si intra illos sublata bona non restituerit, aut pro eis non satisfecerit. Quod patet tum a simili vel majori ratione; tum ex illo verbo textus, *Eadem quoque sententia,* etc.; ergo cum eadem moderatione explicanda est in subsequenti casu, cum illius capax sit, et odiosa sententia, quantum verba permiserint, lenienda sit.

5. *Tertius modus quo censura hæc incurritur.* — *Incurratne hanc censuram qui alterius crimen ratum habet.* — Tertio loco additur generalis clausula, qua extenditur illa excommunicatio ad omnes, qui tale delictum commiserint propria auctoritate absque aliqua licentia; ac merito, quia non minor est malitia in sic operante, quam in aliis; imo major esse in hoc videtur, quia et sibi licentiam facit, et delictum per se exequitur. Nihilominus adhibenda est limitatio illa de conditione restituendi infra octo dies; nam ratio facta hic etiam locum habet. Dubitat vero Glossa ibi, quando inferior hoc exequitur sine licentia superioris, vel post licentiam revocatam, et postea superior factum ratum habeat, an excommunicationem hanc incurrat. Et respondendum censet juxta distinctionem cap. Cum quis, de Sent. excom., nam si inferior id fecerit nomine alterius, alter postea ratum habens excommunicationem incurrit, quia talis ratihabitio retrotrahitur, et mandato seu licentiæ æquivalere censetur. Si vero delinquens non percussit nomine alterius, sed suo, tunc licet alius approbet, et in eo peccet, non tamen incurrit, quia nemo proprie ratum habet quod ejus nomine non est gestum. Et quoad hanc posteriorem partem res est indubitata, quia est favorabilis. Quoad priorem vero, quia odiosa est, potest dubitari, quia illud cap. Cum quis, loquitur specialiter in casu ejus, qui violenter manus in clericum injicit; et ideo non videtur extendendum ad casus similes. Accedit, quod in dict. cap. Quicumque, distincte fertur hæc excommunicatio in dantem hanc licentiam, exequentem, et sine licentia operantem, et

respectu primi solum fertur, quando licentia antecedit delictum, et non revocatur antequam delictum fiat; ergo illa excommunicatio extendenda non est ad ratihabitionem post delictum subsequutam, quia licet hæc ratihabitio quoad alios effectus mandato æquiparetur, et ideo ad illam extendatur pœna lata in mandantem, præcipue quando id in jure exprimitur, nihilominus quando lex non solum id non exprimit, verum etiam requirere videtur conditionem contrariam, scilicet quod licentia antecedat delictum, non est talis pœna extendenda. Ac propterea hæc pars videtur mihi satis probabilis, quamvis alia propter similitudinem rationis probabilitate non careat.

6. *Primum notandum circa delictum hujus censuræ.* — Præterea circa gravamen, propter quod incurritur hæc censura, advertenda sunt nonnulla. Primum, necessarium esse, ut gravamen illud sit illatum per actionem injuriosam. Ita Cajet. et Navarrus. Et colligitur ex textu, tum ex illis verbis, *Occidendo, capiendo,* etc., quæ actionem injuriosam significant; tum ex illis, *Nisi restituerit, satisfecerit,* etc., nam hæc etiam injustitiam factam supponunt. Unde, si aliquis amicitiæ signa, vel commoda, et gratuita dona, etiam conferri solita, alteri deneget hoc titulo, quod censuram in eum tulerit, aut latam observet, non incurret hanc excommunicationem; nam, licet hoc sit onerosum tali personæ, et, late loquendo, gravamen dici possit, non tamen est injuriosum, sed ad summum contra charitatem vel amicitiam. Et eadem ratione, si quis a tali persona rigorose petat quæ sua sunt, quæ fortasse alias non peteret, vel si indictam, aut pœnam justam delicti procuret absque injuria per competentem judicem, non incurret, ob eamdem causam.

7. *Secundum notandum circa idem gravamen. — Qui sui ibi dicantur.* — Deinde est observandum, non solum prohiberi, et puniri has actiones, si fiant contra judicem ferentem talem sententiam, sed etiamsi fiant contra eum, qui occasionem præbuit ferendi censuram, scilicet petendo, denunciando, vel quid simile. Item si fiant contra eum, qui observat talem sententiam, vel qui ratione illius communicare non vult cum sic excommunicato; omnia enim hæc in textu exprimuntur. Et ratio est, quia omnibus his modis fit injuria Ecclesiasticæ potestati aut libertati. Et intelligendum hoc censeo de sententia juridice prolata, ita saltem ut valida sit, nam illa est vera sententia, licet aliquam injustitiam contineat, nam textus ille generaliter loquitur de sententia censuræ. At vero, si sententia sit nulla, qui ratione illius aliquam injuriam intulerit dictis personis, non incurret hanc censuram, quia illa sententia non est sententia in re, sed nomine tantum. Denique extenditur hæc actio, non solum si fiat circa has personas, sed etiam circa bona ipsarum vel suorum. Qui autem comprehendantur *suorum* nomine, explicat Navarrus ex Joanne Andrea, Cajetano, et aliis, esse in primis omnes personas, quæ sunt de familia, deinde omnes cognatos, item amicos, vel alia simili ratione conjunctos, v. gr., magistrum, discipulum, etc. Ac denique quoties unius gravamen rationabiliter redundat in alterum, et hoc respectu fit; nam, ut recte ait Cajetanus, hæc lex quoad hanc partem favorabilis est; et ejus providentia ac protectio non debet minus extendi, quam impietas offendentium.

8. *De reservatione hujus censuræ.* — Ultimo circa reservationem hujus censuræ advertendum est, non statim, ac incurritur, manere reservatam Papæ, sed sub hac conditione, *Si per spatium duorum mensium in ea permanserint,* ut in eodem textu dicitur. Itaque infra duos menses tolli potest a quocumque alias habente ordinariam, vel delegatam jurisdictionem, quia tunc reservata non est; postea vero, si durat, jam manet reservata, quia ita dispositum est.

Exponitur cap. Eos qui, de Sententia excommunicationis.

9. *Ob quod crimen excommunicatio hæc feratur. — Prior textus pars exponitur.* — Secunda excommunicatio sumi potest ex cap. Eos qui, de Sentent. excomm., in 6, ubi sententia excommunicationis Papæ reservata ipso facto innodatur, qui post obtentam absolutionem a priori excommunicatione Papali sub conditione comparendi coram Summo Pontifice, vel satisfaciendi parti lesæ, talem conditionem non implet tempore debito. Circa quam observandum est primo, duas esse partes illius decreti, duosque modos incurrendi hunc censuram. In priori agitur de obtinente absolutionem a judice, ut sic dicam extraordinario, ob imminentem necessitatem et urgens impedimentum; et ad hanc partem pertinet prior modus incurrendi hanc censuram; nam illa absolutio non datur, nisi sub onere comparendi, ut supra visum est; et

qui talem conditionem non implet, ex vi illius textus incurrit novam censuram eodem modo reservatam. Hæc tamen reservatio non est propria censuræ latæ a Summo Pontifice; et non censetur veluti nova, sed alteri succedens. Illa enim lex generalis est de omni excommunicatione lata a jure vel ab homine, quando propter necessitatem sublata est ab alio præter quam ab illo, a quo de jure fuerat auferenda; et proportione servata, si non expleatur conditio comparendi, incurritur nova excommunicatio reservata illi judici, ad quem absolutio a priori excommunicatione pertinebat. Atque ita fit, ut hæc reservatio non sit propria Summi Pontificis, sed generalis proprii judicis, ut sic dicam : sed solum quando prior censura pertinebat ad Summum Pontificem, vel per reservationem, vel quia erat ab homine, et lata ab ipso, subsequens excommunicatio illi manet reservata. Ac propter hoc etiam dixi hanc excommunicationem non esse omnino novam, sed alteri succedere, quæ non simpliciter sublata erat, sed sub conditione. Propter quod, ut supra notavi, hæc vocatur interdum in jure eadem cum præcedenti cui succedit.

10. *Exponitur secunda pars ejusdem capitis.* — In secunda vero parte illius textus agitur de eo, qui ab excommunicatione reservata Summo Pontifici, ab eodem vel legato ejus absolvitur cum obligatione comparendi coram Ordinario, vel alio designato ad suscipiendam pœnitentiam, et satisfactionem exhibendam parti læsæ; de quo statuit ibi Summus Pontifex, ut qui eam conditionem cum primum potuerit, non impleverit, in eamdem sententiam ipso facto incidat eodem modo, quo in priori casu dictum est. Unde sicut prioris excommunicationis absolutio ad Summum Pontificem pertinebat, ita hæc illi manet reservata ex vi illius textus. Circa quam partem solum advertendum est, obligationem comparendi coram Ordinario, non solum personaliter, seu per se ipsum, sed etiam per procuratorem impleri posse, ut annotavit Cajetanus, cap. 69 de Excommunicatione; quod intelligitur nisi in mandato expresse ponatur obligatio personaliter comparendi; tunc enim, cum mandatum sit justum, implendum est ut sonat; alioqui vero non est nobis addenda restrictio. Illud autem verbum, *Quam primum*, moraliter, et prudenti arbitrio intelligendum est; quod in foro exteriori ad judicem pertinet; in interiori vero, ait Cajet. quem sequitur Navarr., n. 113, ad pœnitentem. Ego vero existimo magis pertinere ad confessorem. Quanquam si pœnitens sequitur probabilem sententiam, confessor teneatur illi conformari.

11. *An decisio capitis quoad secundam partem locum habeat in inferioribus Prælatis.* — Sed quæri potest circa hanc partem, an quod in ea statuitur circa Romanum Pontificem, vel legatum ejus, locum habeat in aliis Prælatis inferioribus proportione servata; ita ut si quis absolvatur ab excommunicatione reservata Episcopo, ab eodem, vel ejus vicario, sub conditione satisfaciendi parti læsæ, vel alia proportionali, et hanc conditionem postea non impleat, qui sic fuit absolutus, ex vi hujus decreti iterum incidat in excommunicationem eidem Episcopo reservatam. Et ratio dubitandi esse potest, quia in illo textu sic incipit hæc posterior pars, *Idem statuimus,* etc. Sed in priori parte decisio est generalis quoad omnes Prælatos vel judices Ecclesiasticos; ergo similis erit in hac posteriori parte, cum idem in ea statuatur. Nihilominus dicendum est, hanc censuram non habere locum, nisi quando præcedens absolutio sub prædicta conditione a Papa, vel legato ejus lata est, quia in textu expresse ita dicitur; nam licet non addatur exclusiva, tamen ipsamet impositio pœnæ ac censuræ veluti jure suo illam secum affert, quia non est extendenda ultra casum expressum. Et ita tenent Cajetan. et Navarrus. Quod vero ibi dicitur, *Idem statuimus,* etc., non refertur ad omnes personas prius numeratas, sed solum ad modum reincidendi in similem censuram in casu ibi expresso. Solum est advertendum, quia Pontifex, vel legatus ejus non solum possunt absolvere a censuris sibi reservatis, sed etiam a reservatis Episcopis, et a non reservatis, ideo censuram latam in hac posteriori parte non esse semper reservatam Papæ, sed proportionatam illi, a quo data fuerat absolutio; nam si prior fuit Papalis, etiam subsequens; si vero tantum erat Episcopalis, vel indifferens, similis erit subsequens, quia decretum Pontificis est, ut in eamdem sententiam incidat; ita enim dicitur in priori parte textus; et in posteriori hanc vim habent illa verba, *Idem statuimus.*

Excommunicatio ejus, qui Cardinalem offendit, exponitur.

12. *Cap. Felicis, de Pœnis, in* 6. — *Prima textus ampliatio ultra canonem Si quis sua-*

dente. — De qua insequutione sit textus intelligendus. — Tertia excommunicatio referri potest ex cap. Felicis, de Pœnis, in 6, quæ fertur contra eos, qui in Cardinalem Ecclesiæ Romanæ manus injecerit violentas, aut illum hostiliter fuerit insecutus; et reservatur Summo Pontifici. Circa quam advertendum est, illam ex parte esse latam in canone *Si quis suadente,* nam Cardinalis sub clerici nomine comprehenditur; unde ex vi illius juris excommunicatus esset Cardinalem percutiens, ut in eodem textu significatur. In illo tamen cap. additæ sunt ampliationes quædam. Prima est, ut hostiliter insequens Cardinalem, etiamsi ad manuum injectionem non perveniat, eamdem excommunicationem incurrat; verba textus sunt : *Ex insequutione prædicta, sicut ex injectione manuum violenta ipso facto excommunicationis sententiam quis incurrat;* constat autem ex superius dictis eum, qui insequitur clericum, si eum non assequitur, nec corporale nocumentum illi infert, non incurrere censuram illius canonis; est ergo quoad hanc partem censura hic adjecta. Dubitari vero potest, an hæc insequutio intelligatur tantum de physica, ut sic dicam, vel etiam de morali. Physicam insequutionem voco eam, quæ est per cursum seu motum corporalem, ad finem capiendi, aut percutiendi Cardinalem; moralis vero dicitur ea, quæ est per injuriosas calumnias, falsa testimonia, vel similibus modis, etc. Dicendum ergo est, hic esse sermonem de reali insecutione et physica, ut omnes exponunt, et ex proprietate ipsius verbi constat, et ex dicendis amplius patebit.

13. *Secunda ampliatio.* — Secunda extensio est ex parte personarum, nam hæc censura non solum comprehendit facientes, et mandantes, et consilium et favorem dantes; quod commune est censuræ canonis *Si quis suadente;* sed etiam eum, qui postea receptaverit, vel defensaverit scienter eum, qui sic in Cardinalem deliquit; quod est additum in hoc canone, nam in percussione clerici generatim locum non habet; de hac vero extensione dixi plura circa Bullam cœnæ, excommunicatione 11, ubi reliqua fere, quæ ad hoc cap. spectant, declaravi. Solum circa mandantes et consulentes adverte propter talem actum non contrahi censuram, nisi subsecuto effectu, ut sæpe in similibus superius est dictum. Oportet autem in præsenti diligenter advertere, quænam actio mandetur; nam tres sunt actiones hic primo prohibitæ, scilicet insequi, capere, percutere; extensio vero fit ad mandantes, vel consulentes quamcumque illarum. Inspiciendum ergo est ad actionem quæ mandetur, nam, si illa sequuta est, sufficit. Ut si mandatur insequutio, et alter insequitur, licet non perveniatur ad capturam, incurritur excommunicatio; et sic de aliis. At vero, si una actio imperetur, et imperatus non illam, sed aliam faciat, ut si mandatus capere, percutiat, et non capiat, non puto sufficere, ut mandans incurrat, nisi postea ratum habeat quod suo nomine factum est, juxta eumdem textum.

14. *Tertio ampliatio.* — Tertio additur in eodem cap. quædam extensio, vel solemnitas potius huic censuræ, nimirum quod quamdiu in tali contumacia perduraverit, Dominicis et festis diebus, pulsatis campanis, publice denuncietur in omnibus Ecclesiis talis loci, ac vicinarum civitatum, ac diœcesum. Per quam denunciationem non multiplicatur censura, sed solum fit ad majorem terrorem, et infamiam. Tandem additur reservatio cum illa exclusiva : *Duntaxat in articulo mortis ab alio possit absolvi.* Ubi statim occurrit quæstio, an hic habeant locum omnes exceptiones positæ circa canonem *Si quis suadente.* Quam in fine hujus disputationis generalius tractabimus. Et deinde quoad modum absolutionis specialiter ab hac censura, adduntur ibi quædam solemnitates seu pœnitentiæ publicæ, quæ ad forum externum pertinent, et vix credo esse in usu.

15. *Quarta extensio ejusdem textus.* — Ultimo loco, ut constitutio illa ad effectum perducatur, additur in fine illius textus : *Si Princeps, Senator, Consul, vel alius Dominus sive Rector contra præsumptores prædictos dictæ constitutionis tenorem non fecerit observari, tam ipse, quam officiales ejus infra mensem postquam res ad eorum notitiam pervenerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.* Advertit autem Navarrus, ad excusandam hujusmodi excommunicationem, satis esse ante lapsum mensem causam seu processum incipere; quod intelligo dummodo bona fide id faciant, et non animo eludendi censuram et non ultra progrediendi. Adverto etiam hanc ultimam censuram, non esse reservatam. Reliqua, quæ hic desiderari possunt, dicta sunt circa Bullam Cœnæ in loco citato.

Aliæ excommunicationes expediuntur.

16. *Quarta excommunicatio ex cap. Fun-*

damenta, de Elect., *in* 6. — *Quinta excommunicatio ex cap. Clericis, de Immunit. Eccles.*, *in* 6. — Quarta excommunicatio habetur in c. Fundamenta, de Elect., in 6, ubi excommunicantur illi, qui Senatorem Romanum eligunt, Principes aut potentes personas, quæ ibi nominantur. Quæ ad casum pertinet extraordinarium, et particularem, ut bene Navarr. notavit; et ideo in ea explicanda non libet immorari. Sed videri possunt Angelus, *Excommunic.*, 5, casu 7; Sylvest., *Excommunicatio*, 7, n. 20; Cajet., c. 53; Anton., 3 p., tit. 24, c. 43. Quinto afferri potest excommunicatio lata in c. Clericis, de Immunit. Eccles., in 6, ubi Imperatores, et Reges, et omnes inferiores Principes sæculares imponentes tributa Ecclesiasticis personis, et ipsæ personæ Ecclesiasticæ solventes talia tributa sine Sedis Apostolicæ licentia, excommunicantur censura Papæ reservata. Verumtamen illa censura et constitutio in Clement. 1 de Immunit. Eccles., quoad partem de personis Ecclesiasticis solventibus hæc tributa, absolute revocatur; quoad alteram vero de Principibus temporalibus imponentibus hæc tributa præcipiuntur observari constitutiones Alexandri, et Innocentii III, in Conciliis Lateranensibus, quæ habentur in c. Non minus, et c. Adversus, extra de Immunit. Eccles. In quorum prima Alexander ipso facto excommunicat eos, qui ea exigunt; ipsis vero Ecclesiasticis personis licentiam concedit, ut absque ulla exactione, communi voluntate Episcopi et cleri possint hæc solvere ad relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laicorum bona non sufficiunt, et de necessitate, et utilitate satis constat. In posteriori vero Decreto et Concilio addit Innocentius, ut etiam ad hanc posteriorem voluntariam solutionem faciendam consulatur prius Summus Pontifex, ad quem spectat communibus utilitatibus providere. Et similis fere excommunicatio contra exigentes hæc tributa habetur in c. Quanquam, de Censib., in 6. Solumque additur, ut qui illam incurrerit, non absolvatur, donec integre restituerit et satisfecerit. Et in d. cap. Adversus, dicitur non solum teneri ad restituendum Rectorem seu Gubernatorem, qui talia bona exegit, sed si ipse intra tempus sui regiminis non restituerit, teneri etiam successorem ejus, ut qui succedit in honore, etiam onus participet; ideoque si intra mensem non satisfecerit, in eamdem incidit censuram. Nulla tamen in his omnibus, ut dixi, adhibetur reservatio. Additur tamen in Bulla Cœnæ Domini, ut tactum, et explicatum est circa clausulam 16 et 17 ejus.

SECTIO IV.

Quæ excommunicationes latæ sint in libris Clementinarum, et summo Pontifici reservatæ.

1. *Prima excommunicatio.* — *Inquisitores in officio suo delinquentes ex Clement.* 1, *de Hæreticis.* — Prima ex his excomunicationibus refertur ex Clementin. 1, § Verum, de Hæret., ubi inquisitores, vel qui vices eorum gerunt, seu loco eorum ad illud officium agendum deputantur, si in usu sui officii ita deliquerint, ut *odii, gratiæ vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu contra justitiam, et conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super hujusmodi pravitate, aut obtentu eodem pravitatem ipsam, vel impedimentum officii sui aliqui imponendo, eum quoquo modo præsumpserint vexare,* ipso facto excommunicantur (præter Episcopos), et eorum absolutio Papæ reservatur. Episcopis vero pœna imponitur suspensionis per triennium, de qua infra in ultima disput. de suspensione, sect. 5, suspens. 6, dicemus. Nunc solum circa reservationem excommunicationis adverto hic addi illam exceptionem, *præterquam in mortis articulo,* et ulterius adjungi, *et tunc satisfactione* præmissa; quod intellige, si vel quantum fieri possit; nam in eo articulo non est absolutio neganda propter ullam impotentiam, ut sæpius est in superioribus dictum.

Excommunicatio contra religiosos administrantes quædam sacramenta exponitur.

2. *Clement.* 1 *de Privileg.* — *Quod hujus censuræ subjectum.* — Secunda excommunicatio habetur in Clement. *Religiosi,* quæ est prima de Privilegiis, ferturque contra religiosos, qui *sacramentum unctionis extremæ, aut Eucharistiæ ministrare, vel matrimonia solemnizare sine parochialis presbyteri licentia speciali, vel qui excommunicatos a canone præterquam in casibus ejus a Pontifice concessis absolvunt, vel etiam a sententiis per statuta synodalia aut provincialia promulgatis, seu a pœna et culpa* (ut aiunt) *absolvere quemquam præsumpserint.* Talisque excommunicatio Papæ ibidem reservatur. Circa quam primo advertendum est, solum ferri contra religiosos. Unde, si clerici seculares id faciant, illam non incurrunt; imo, licet aliquis

se fingeret religiosum ut eo prætextu facilius posset ad hæc ministranda admitti, licet peccaret, non incurret hanc censuram, quia religiosus non est. Incurrent autem illam, quantum est ex vi illius textus, etiam sacerdotes Societatis Jesu, qui solemnem professionem non emiserunt, quia per simplicia vota veri religiosi constituuntur. Item incurrent illam clerici in militaribus religionibus professi, quia etiam veri religiosi existunt.

3. *An novitii in præsenti nomine religiosorum comprehendantur.* — De novitiis autem, si sacerdotes existant, dubitari potest, nam cum illi fruantur privilegiis et commodis religionis, videntur etiam his oneribus et pœnis subjiciendi, et quoad hæc omnia communi appellatione religiosorum venire. Atque ita tenet Sylvester cum Cardinali, Angelo, et aliis, verb. *Excommunicatio,* 7, num. 32, et Navarrus, cap. 27, num. 102. Sumuntque argumentum ex cap. Religiosi, § Quamvis, de Sentent. excomm., in 6, quatenus in eo dicitur novitium gaudere favore canonis *Si quis suadente;* qui autem sentit commodum, debet sentire et onus. Sed quidem inefficax est argumentum, tum quia favores majorem ampliationem recipiunt; tum etiam quia favor canonis *Si quis suadente,* magis respicit statum clericalem, quam personam. Unde efficacius argumentum in contrarium videtur sumi ex eodem § 1, quatenus dicitur, novitium in effectu non esse religiosum; cum ergo hæc lex pœnalis contra religiosos feratur, cur ad illos extendetur, cum juxta commune jus potius restringenda sit; nam ex aliis privilegiis et favoribus, ut dixi, non sumitur efficax argumentum, cum jura disponant contraria ratione hæc esse declaranda. Accedit, quod in dict. § significat Pontifex, illam esse specialem extensionem in favorem religionis, etiamsi ex vi verbi, novitius religiosus non sit; ergo inde potius sumitur argumentum ab speciali, quod in casibus similibus id locum non habet. Quare hæc pars videtur in rigore vera, quam videtur tenuisse Petrus de Ancharrano, qui ob similem rationem dixit hic non comprehendi conversos religionum, qui tria vota non emittunt, quia vere religiosi non sunt, quamvis fruantur privilegio canonis *Si quis suadente,* quod etiam verum existimo, quamvis alii auctores repugnent. Similiter verum est, hanc constitutionem non comprehendere eos, qui vitam religiosam agunt in religione non approbata, quia non sunt vere religiosi, quod Sylvester et alii non negant; unde retorquetur contra eos argumentum; nam etiam hi, qui sunt Deo dedicati et devoti, fruuntur privilegio canonis *Si quis suadente;* ergo sentire etiam debent hoc onus, si argumentum eorum efficax est; vel si non sentiunt, quia veri religiosi non sunt, argumentum illud non est efficax; quod verius est. Et confirmatur ex communi doctrina Panormitan. et aliorum in Rubric. de Regul., in odiosis non venire appellatione religiosi nisi qui tria vota substantialia in religione approbata emittit.

4. *Num soli religiosi exempti sint hujus censuræ subjectum.* — Non tamen necesse est eam religionem habere privilegia exemptionis, ut recte dicunt Angelus et Sylvester, quia hoc non est de substantia religionis, sicut approbatio, juxta cap. unic. de Voto, in 6, et Clement. unic., de Statu monach. Sed aliqui objiciunt Clementinam hanc contineri sub tit. de Privileg., et ideo intelligendam esse de religiosis privilegiatis. Respondetur primo, sensum legis ex verbis ejus sumendum esse, non ex collatione sub tali Rubrica, quæ posterior fuit, et sæpe fit secundum quamdam majorem accommodationem, quamvis non sit adæquata in omnibus; secundo dicitur, religiosos fere omnes gaudere aliquibus privilegiis, licet exempti non sint, et id satis esse, ut lex absolute lata sit in omnes religiosos, ut verba sonant; tertio adjungi etiam potest probabile argumentum, nam si privilegiatos ita punit, multo magis alios.

5. *An comprehendantur etiam fœminæ religiosæ.* — Quæri ulterius solet, an comprehendat tantum viros religiosos, vel etiam fœminas seu moniales; sub nomine enim masculino solet etiam fœmineum comprehendi, ut supra circa can. *Si quis suadente,* dictum est. Atque ita sentit Angelus, et expressius Sylvester. Contrarium tamen tenent Cardinalis et Anchar., quia putant legem hanc dirigi tantum ad religiosos sacerdotes; illi enim tantum solent administrare sacramenta. Et fortasse motivum ferendi hanc legem inde sumptum fuit; tamen in rigore juris standum est verbis ejus. Et ideo credo comprehendere religiosos non ordinatos, quatenus per eos tales actiones exerceri possunt, ut est exhibitio Eucharistiæ, vel concessio indulgentiæ, aut quid simile. Hoc autem addo, quia, si religiosus non ordinatus tentaret inungere, non credo incurrere, quia illud non est sacramentum extremæ unctionis, de quo textus loquitur; quod inferius in simili amplius declara-

bimus. Et proportionali modo probabile est comprehendi etiam moniales, quia ratione sexus non excluduntur, ut ratio prioris sententiæ probat; et in aliis par est ratio proportione servata.

Varii modi quibus religiosi absque censura hujus cap. possunt habere facultatem ministrandi hæc sacramenta.

6. *Primus modus.* — Rursus intelligendus est hic canon de religioso, qui nullam potestatem habet hæc administrandi. Nam Pontifex noluit prohibere legitimæ potestatis usum, sed usurpatæ potestatis abusum. Potest autem hæc facultas multis modis obtineri, quorum aliqui indicantur in prædict. Clement. Primus est, per specialem licentiam ejus, qui potest illam concedere. Sic enim ibi dicitur : *Non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali*, ubi sub parochiali presbytero Episcopus comprehenditur, ut ibi glossa affirmat, quam sequuntur Cajet., Navarrus, et alii, quia habet universaliorem jurisdictionem ; et eadem ratione comprehenditur ejus vicarius, quia jurisdictio eadem reputatur, ut in superioribus dictum est. Item licet nominetur presbyter parochialis, ab eo quod frequentius accidit, quamvis non sit presbyter, si est parochus, potest eamdem facultatem dare, quia est actus jurisdictionis, non ordinis; sensus ergo est, debere hanc licentiam concedi ab habente potestatem.

7. *Qualis debeat esse licentia hæc.* — Quod vero in illo textu dicitur, hanc licentiam esse debere specialem, dubium generare potest; nam licentia potest dici specialis, aut ex parte personæ cui conceditur, aut ex parte actus ad quem datur, aut ex parte personæ ad quam absolvendam, aut communicandam, vel ungendam datur. Cajetan. ergo, ut hunc scrupulum tollat, dixit mentem Pontificis in eo textu solum esse, licentiam debere esse talem, ut ex ea satis constet dari tali personæ ad talem actum, sive hoc per specialia verba exprimatur, sive per generalia, quæ juxta communem usum, talem actum, vel specialem personam comprehendant; ut si parochus licentiam concedat, ut omnes religiosi hujus domus possint Eucharistiam ministrare, licet videatur generalis in verbis, est specialis respectu singulorum. Idem erit, si facultas detur huic personæ ad omnia sacramenta ministranda; vel e contrario si recipienti detur facultas a parocho, ut ei liceat a quolibet religioso Eucharistiam accipere, et sic de aliis. Quæ doctrina videtur consentanea intentioni legis, quæ est, ut ministerium parochi non usurpetur sine licentia ejus. At non videtur sufficienter exponere proprietatem illius litteræ, quia sic nihil operatur illud verbum, *speciali*. Et ideo Glossa ibi consulit, ut de personis, conferente et recipiente, et de actu seu sacramento præstando fiat specificatio, quia licet finis legis sit ille, ut ille cum majori certitudine comparetur, videtur ibi talis forma præscribi ; quod non est in jure novum, ut facile constat. Quamvis autem hoc sit securius et consultius, addit ibi Joannes Andreas, sufficere, quod exprimatur actus sacramenti, et persona specialis vel ex parte recipientis, vel ex parte dantis, quia utroque modo est licentia satis specialis. Imo si actus sacramenti exprimatur, licentia est satis specialis, etiamsi ex parte personarum sit generalis. Et hoc sentit Navar. et tribuit dictæ Glos. Hinc vero infertur, hanc specialitatem licentiæ, quatenus est speciali jure introducta, non requiri ad alios actus absolvendi a censura, etc., sed ad illos sufficere quamlibet facultatem, quæ veluti ex natura rei satis sit ad jurisdictionem communicandam.

8. *Religiosi, sacramenta ministrantes aliis religiosis, non comprehenduntur.* — Ultimo expendunt auctores in hac clausula particulam illam, *parochiales presbyteri*, ut ex ea colligant hanc legem non procedere, quando religiosi inter se aliquid faciunt quod in ea prohibetur, quia ipsi non sunt subditi parochis, nec Abbates superiores eorum nomine parochorum comprehendi solent; et ideo non oportet distinguere inter religiosos ejusdem vel diversæ religionis, quia eadem est in omnibus ratio, ut notavit Armilla, verb. *Excommun.*, num. 49. Accedit, quod in illo textu expresse dicitur : *Qui ministraverit clericis, aut laicis*, etc. Quibus verbis non comprehenduntur religiosi, et maxime in materia odiosa, et considerato fine, et circumstantiis illius legis, ut latius dixi loco statim citando, et sentiunt Cajetanus, verb. *Excom.*, c. 64; Navar., c. 27, num. 102.

9. *Secundus modus quo habetur potestas hæc.* — Secundus modus habendi hanc potestatem esse potest per jus commune, vel privilegia religionum, prout in illo textu exprimitur circa absolutionem a censura ; subintelligenda vero est in omnibus casibus, quia potestas Pontificis ad concedenda hæc privilegia æque potens est in omnibus. Nec refert,

quod in fine illius textus additur : *Nullo privilegio suffragante,* quia per illud verbum non revocantur, aut impediuntur privilegia concessa, vel concedenda religiosis ad hos actus exercendos, sed solum illud additum est, ut religiosi sic delinquentes incurrant hanc excommunicationem, et denunciandi sint, non obstante quocumque privilegio; quod Glossa ibi notavit, et satis constat ex textu.

10. *Tertius modus habendi eamdem facultatem. — Dubium.* — Tertio potest religiosus habere hanc potestatem ex vi officii, seu beneficii, ut si sit parochus; nam tunc clarum est posse suis subditis ministrare sacramenta. Sed quid si eos etiam ab excommunicatione absolvat, aut a culpa et a pœna? Item, quid si alienis ovibus sine alia licentia sacramenta ibi prohibita ministret? Glossa ibi dubiam relinquit quæstionem. Navarrus autem sentit hunc non incurrere, citans Felinum, et alios, absque alia probatione; nullamque video sufficientem rationem ad excusandum hunc, cum sit religiosus, et directe agat contra hunc canonem. Nam, quod sit parochus, quid refert, cum revera non utatur officio parochi, sed usurpet illud? Neque etiam refert, quod parochus sit in hoc pejoris conditionis, quam non religiosus, quia ille potest hæc facere titulo religionis, quod alius non potest; nam ob hanc causam potius imponitur hæc censura religioso, quam sacerdoti sæculari. Et hanc partem sequitur Sylvester citans Glossam in Clement. 1, de Decimis.

11. *Quartus et quintus modus illam habendi.* — Quarto potest hæc potestas haberi consuetudine recepta et probata, quia hæc dat jus in hujusmodi rebus. Quinto adjungi potest extrema necessitas, quod extra controversiam est in absolvendo ab excommunicatione eum, qui animam agit, et ab alio absolvi non potest. Hæc tamen necessitas non habet locum in solemnizatione matrimonii, aut in absolutione a culpa et a pœna. De Eucharistia vero et extrema unctione res est controversa. Eam vero sufficienter tractavi in 3 tomo, disp. 72, sect. 2, de Eucharistia, et de extrema unctione, in 4, disp. 43, quibus locis nonnulla alia, quæ ad expositionem hujus decreti conferunt, breviter attigi.

Ob quas actiones incurratur censura hæc.

12. *Prima. — Quid si religiosus loco parochi matrimonio adsit.* — Deinde observandæ sunt actiones, propter quas imponitur hæc censura, quæ sunt aliquorum sacramentorum administratio, et expresse ponuntur extrema unctio et Eucharistia, de quibus proinde non est dubitatio; deinde additur matrimonium. In quo distinguenda sunt duo, scilicet substantia sacramenti, et solemnitas Ecclesiastica. Et quidem quoad substantiam sacramenti, juxta veriorem doctrinam, sacerdos non est minister, sed ipsi contrahentes; et ideo de sacramenti administratione nihil ibi dicitur, sed de solemnizatione, quæ consistit in sacerdotali benedictione, quam sponsi post matrimonium rite contractum publice ac solemniter in Ecclesia recipiunt. Religiosus ergo hoc munus usurpans sine facultate parochi, excommunicationem hanc incurrit. Quoniam vero post Concil. Trident., ad sacramentum ipsum rite conficiendum necessaria est præsentia parochi, ideo dubitari potest, an religiosus nunc usurpans illud ministerium, hanc censuram incurrat; nam illa nunc est quædam solemnitas necessaria in hoc sacramento. Nec refert, quod quando hæc constitutio, et censura lata est, non erat talis solemnitas necessaria ad matrimonium; nam hæc constitutio generaliter prohibet omnem solemnizationem; unde, licet postea illa solemnitas sit instituta, jam ex tunc continetur sub generali prohibitione solemnizandi matrimonium; nam lex generaliter lata complectitur omne tempus futurum, et omnem materiam suis verbis comprehensam. Dicendum nihilominus censeo religiosum non incurrere illam censuram in dicto casu, sed aliter puniri juxta Concilium Tridentinum. Ratio est, quia, licet hæc præsentia sacerdotis dici possit nunc quædam solemnitas matrimonii contrahendi, non est tamen solemnizatio illa, de qua Pontifex in illo textu locutus est, nam sine dubio loquitur solum de illa solemnitate, quam Concilium Trident., sess. 24, vocavit benedictionem sacerdotis; lex autem, præsertim pœnalis, non debet extra mentem legislatoris, et verborum significationem, usurpari.

13. *De administratione sacramenti pœnitentiæ. — De confirmatione, et Ordine. — De baptismo.* — De sacramento autem pœnitentiæ dubium est, an in hac censura comprehendatur. Et ratio dubii est, quia dicit textus: *A pœna et culpa absolvere quemquam præsumpserint,* nam absolutio a culpa non datur nisi per sacramentum pœnitentiæ. Nihilominus contraria sententia vera est, et commu-

nis, ut Navarrus ait, num. 102. Ratio est, quia in illo textu non prohibetur specialiter; quod fortasse factum est propter necessitatem illius sacramenti, vel quia non tam publice et solemniter ministratur, sicut alia; verba autem citata infra exponentur. Denique de aliis tribus sacramentis nulla ibi fit mentio; et ideo manifestum est hanc censuram nihil ad illorum administrationem pertinere. Et ratio reddi potest, quia confirmatio et Ordo ad Episcopos pertinent, et ideo nec a religiosis usurpari solent, nec ad parochos spectat eorum administratio; quæ duo in eo textu præcipue considerata sunt. Baptismus vero etiam prætermissus est forte propter ejus necessitatem, vel etiam quia eo tempore non fuit necessarium id specialiter prohibere; igitur nec baptismus solemniter datus, nec solemnizatio baptismi ibi sunt prohibita, nec maneret excommunicatus id faciens, vel administrans, licet peccaret.

14. *Secunda actio hujus censuræ.* — Alia actio, ob quam illa excommunicatio incurritur, est absolutio ab excommunicatione juris. Ubi primum Doctores considerant non satis esse absolvere excommunicatum ab homine, quia in textu illo expresse dicitur, *excommunicatos a canone,* satisque est ita esse lege dispositum. Ratio vero forte est, vel quia de hac absolutione poterat esse dissensio cum parochis; vel quia absolutio ab homine et rarius datur ab hujusmodi religiosis, et habet a quo vindicetur seu repellatur, ipsum scilicet judicem, qui excommunicationem tulit; jus autem non potest censuram a se latam ita defendere. Deinde expendo non quamcumque absolutionem a censura canonis, sed a sola excommunicatione esse sufficientem causam hujus censuræ, quia textus de excommunicatione in specie, non de censura in genere loquitur; et in his legibus non est facienda extensio a simili, ut sæpe dixi. Unde, licet tres censuræ quoad alia æquiparentur in jure, non propterea in hac re adeo extrinseca, et mere positiva et pœnali facienda est generalis extensio. Et ratio etiam esse potuit, quia excommunicatio a jure frequentior est. Addo præterea hoc restringendum esse ad excommunicationem majorem, ut est communior interpretatio, quia hæc vox in jure est quasi analoga, et simpliciter dicta, pro majori accipitur, juxta cap. penult. de Sent. excom. Denique necessaria est absolutio a censura, et non sufficiet a sola culpa; ut licet religiosus tentet absolvere a casibus reservatis Pontifici, et in eo graviter peccet, et propterea in aliam excommunicationem incidat infra tractandam, tamen, si non absolvit a censura, sed a sola culpa, non incidet in hunc canonem, quia non est a verbis ejus discedendum.

15. Deinde observandum est, per hoc decretum non esse prohibitum quominus religiosi potestatem habentes ad absolvendum a peccatis mortalibus, possint etiam absolvere ab excommunicatione canonis non reservata, juxta expositionem cap. Nuper, de Sent. excom., supra a nobis tractatam; nam illi juri nihil per hoc derogatum est. Unde, licet religiosus aliquis ex privilegiis suis non haberet expressam potestatem absolvendi ab excommunicatione, si tamen haberet potestatem absolvendi sacramentaliter, non ageret contra hoc decretum absolvendo ab excommunicatione non reservata, quia supposito tali privilegio, habet illam potestatem ex vi cap. Nuper. Et ita habent locum in illo casu ea verba hujus textus : *Præterquam in casibus a jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessa.*

16. *Tertia actio ejusdem censuræ.* — Ultima actio ponitur ibi, *vel a sententiis per statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis, seu ut verbis eorum utar, a pœna et culpa absolvere quempiam præsumpserint.* In quibus verbis, nomen *sententiis,* non videtur limitari ad aliquam speciem censuræ, sicut in priori clausula, sed comprehendere omnem censuram ipso jure latam per statuta, ita ut in hunc canonem incurrat quicumque absolvens a quacumque censura, etiam a suspensione, et interdicto lato per statuta particularia, quia hoc decretum absolute dicit *a sententiis*, quæ vox indifferens est ad omnes censuras, et ita exponit Glossa ibi, quam sequitur Antoninus, 3 part., tit. 24, cap. 54, et alii quos refert Sylvest.; Cajet. vero, c. 64 de Excommunicatione, etiam hanc partem de solis excommunicationibus intelligit. Quam opinionem probat late Sylvester, verb. *Excommun.*, 7, num. 38, citans Angelum, et alios. Et est manifesta, si contextus ipse attente expendatur. Nam ita construi debet : Excommunicatos a canone, vel a sententiis; nam, licet aliqua verba interponantur, tamen revera verbum illud, *a sententiis,* disjunctive conjungitur cum superiore, *a canone,* et ex utraque conficitur integra determinatio disjunctiva participii *excommunicatos,* de quorum absolutione in toto contextu est se'mo. Et præterea hæc expositio est magis consen-

tanea rationi, non solum quia est mitior in materia pœnali, sed etiam quia nulla est ratio, cur hæc prohibitio sit generalior in statutis particularibus, quam in universalibus.

17. *Statutum non est idem ac generalis sententia.* — Deinde ponderandum est verbum, *per statuta,* nam, ut supra diximus, non est idem censuram ferri per sententiam generalem, et per statutum; nam prior in rigore est ab homine, posterior a jure; in præsenti ergo non est sermo de excommunicatione ab homine, etiam per generalem sententiam, nam verba textus sunt proprie intelligenda. Statutum autem proprie significat legem de se perpetuam, et ideo vocatur statutum provinciale vel synodale, id est auctoritate Archiepiscopi, vel Episcopi in Concilio provinciali, vel synodali editum.

18. *An statutum factum a legato Papæ quoad hunc effectum æquiparetur synodali.— Provinciale statutum dupliciter dicitur.* — Dubitant autem Sylvester, et alii in præsenti, an sufficiat aliquem esse excommunicatum per statutum factum a legato Papæ; aliqui enim negant, propter formalia verba textus, quibus inhærendum est, præsertim in materia pœnali. Oppositum vero tenent Angelus et Sylvester cum multis Canonistis, quos referunt. Quorum ratio est, quia ubi ratio est evidens, lex etiam pœnalis extendenda est; hic autem est evidens, statutum legati in perpetuitate et efficacia comparari provinciali, seu synodali, ut constat ex c. finali, juncta Gloss., de Offic. legati. Et mihi placet sententia. Circa rationem vero addo, statutum provinciale non solum dici effective, sed etiam objective, id est, non tantum statutum factum a provincia, seu Concilio provinciali, sed quodlibet obligans unam provinciam tantum, a quocumque factum sit, vere esse statutum provinciale, quia illud nomen, undecumque derivatum sit, proprie significat legem unam provinciam obligantem. Et sub hac ratione potissime in præsenti consideratur. Ac denique, licet non sit factum a Concilio provinciali actum tamen est ab eo, qui potestatem ejus eminentius habet. Unde, si factum esset immediate a Papa, sufficeret; ergo idem est de legato ejus; nam quoad hoc similis ratio procedit. Quod si quis contendat, talem excommunicationem a Papa latam non comprehendi sub latis a sententiis statutorum, sed sub latis a canone, non contendam de nomine, dummodo idem de legato concedat, qui loco Pontificis, et ejus potestate condit statutum. Itaque, sive ad posterius membrum talis excommunicatio referatur, religiosus ab illa absolvens in hunc canonem incidet.

19. *Quod in dicto cap. significet absolutio a culpa et pœna.* — Rursus expendenda sunt verba sequentia, *seu a pœna et culpa.* Nam Cajetanus intelligit hanc esse novam actionem distinctam a præcedentibus, et significare idem, quod vulgo in indulgentiis dici solet remissio a culpa et pœna, quam ipse putat esse distinctam ab indulgentia plenaria et longe majorem. Sed de hoc dictum est tractando de indulgentiis. Sylvester ergo et alii intelligunt idem esse, quod plenariam indulgentiam concedere. Et ita a nobis sumendum est. Videtur autem obstare illa particula, *seu,* quæ indicat hæc verba posita esse ut æquivalentia præcedentibus; unde absolvere *a pœna,* idem erit atque absolvere ab excommunicatione, et *a culpa* propter quam lata fuerat; qui modus loquendi fortasse erat usitatus tunc a religiosis, et ideo illius facta est mentio, ut ibidem dicitur. Respondetur, particulam *seu*, non semper habere illum sensum, sed pro disjunctione quadam accipi, et in hoc sensu ibi sumitur; nam illa significatio absolutionis a culpa et a pœna inusitata prorsus est. Hinc vero intelligitur quod supra dicebamus, hic non esse prohibitum ministerium sacramenti pœnitentiæ, quia non est prohibita absolutio a culpa, nisi simul concedatur indulgentia plenaria. Unde hæc lex quoad hanc partem non est lata contra religiosum administrantem sacramentum pœnitentiæ, licet alias forte indebite id faciat, sed contra religiosum male usurpantem potestatem concedendi plenariam indulgentiam.

20. *Quid si religiosus a pœna, non a culpa absolvat.* — Sed an incurrat hanc censuram, qui concedit tantum indulgentiam ab omni pœna, non tamen absolvit a culpa? Angelus et alii negant incurrere, quia absolutio illa non est a culpa et a pœna, et censura hæc non fertur nisi in eum, qui ab utraque absolvit; et, cum sit pœnalis, stricte intelligenda est. Sylvester tenet contrarium. Et mihi magis probatur, propter rationem factam, quod hæc censura non fertur propter abusum in judicio, ut sic dicam, sacramenti pœnitentiæ, sed propter indulgentiam male et sine potestate concessam; indulgentia autem, quæ appellatur a culpa et a pœna, non includit absolutionem sacramentalem. Sed supponit culpam remissam per sacramentum in re vel in voto, et concedit remissionem totius pœnæ; et ita

quasi consummat remissionem a culpa et a pœna, et ideo sic appellatur. Neque est major vis in illo verbo facienda, cum dicat Pontifex : *Ut illorum verbis utamur*, significans se non facere vim in verbo, sed in re quam illi tali verbo significabant, et quæ nunc etiam vulgo significatur. Religiosus ergo absolvens a culpa et a pœna per concessionem indulgentiæ hanc censuram incurret, quamvis non absolvat sacramentaliter, sed illam concedat in forma, qua Summus Pontifex solet facere, scilicet : Omnibus contritis, vel confessis, hoc vel illud facientibus, talem indulgentiam concedimus.

21. Quod confirmatur, nam, si religiosus, qui alias potest per privilegia sua absolvere sacramentaliter, id faciat, addat vero indulgentiam totius pœnæ, incurret hanc censuram ; et non propter absolutionem a culpa, cum ad illam concedendam potestatem habeat; ergo solum propter absolutionem a sola pœna, quam dare non potest; ergo si hanc solam tribuat, supponendo absolutionem ab alio datam, vel per contritionem, similiter incurret. Unde infertur, quod, si religiosus absolvat non a tota pœna, sed a parte pœnæ per modum indulgentiæ unius anni, vel quid simile, non incurret hanc censuram, quia non præbet indulgentiam plenariam, neque absolvit a culpa et pœna, etiam in sensu a nobis explicato.

22. *Actiones hæ debent fieri ex præsumptione. — Quid si quis solum ex voluntate decipiendi illas fingat. — Prima sententia.* — Tandem ponderandum est verbum illud, *præsumpserint,* nam ex eo constat ad hanc censuram non satis esse peccare ex negligentia vel ignorantia crassa, sed requiri præsumptionem, juxta superius in communi dicta. Sed quid si religiosus hoc faciat ex voluntate decipiendi alios, hanc censuram incurrat, ut si quis absolveret a censura, per talem indulgentiam plenariam absque intentione absolvendi, quia ille non præsumit absolvere, quod verba legis requirunt. Item rebaptizans fit irregularis, et tamen si tantum ficte exterius id facit sine intentione, non manet irregularis; ergo similiter in præsenti religiosus, qui exterius ungeret sine intentione, etc., non incurreret hanc censuram. Item excommunicatio lata contra hæreticos non comprehendit eos, qui exterius profitentur hæresim sine voluntate et animo recedendi interius a fide ; ergo similiter, etc.

23. *Secunda sententia.* — In contrarium vero est, quia si hoc modo hanc legem interpretemur, nullius fere momenti efficitur, vixque invenietur casus moralis, in quo hæc censura incurratur, saltem quoad posteriores actiones. Declaratur, nam vel religiosus scit se non habere potestatem absolvendi a censura, seu concedendi indulgentias, vel putat se habere illam; in hoc posteriori casu excusatur a censura propter ignorantiam, etiam culpabilem, ut dixi. Suppono enim illam existimationem de potestate sic absolvendi non provenire ex errore circa potestatem ipsam, qui vix intercedere potest absque hæresi; nunc enim extra hujusmodi casum sumus, juxta intentionem hujus legis. Si autem religiosus sic absolvens cognoscit se non habere potestatem, non potest habere intentionem absolvendi in re ipsa, sed solum in verbis, quæ est potius intentio decipiendi. Si ergo tunc non incurrit, extra casum hæresis, vel similem, nunquam incurretur hæc censura, quod plane est contra intentionem textus. Et confirmatur, nam illa censura lata est ad comprimendos religiosos usurpantes ministerium parochorum, inferentes scandala et decipientes fideles; sed hæc omnia æque fiunt per externum ministerium factum animo decipiendi; ergo hoc etiam est prohibitum sub hac censura. Præterea non obstat verbum illud : *Absolvere præsumpserint*, nam ipsa etiam exterior absolutio potest fieri ex præsumptione; non enim necesse est, ut quis præsumat habere potestatem, sed quod præsumat exterius uti potestate, quam non habet. Unde Sylvester ex Zabarella inquit, *ministrare,* ibi (et idem erit *absolvere*) sumi vulgari modo, prout idem est, quod exhibere, non prout dicit legitimum usum potestatis.

24. *Distinctione data dubium deciditur.* — Circa hoc dubium, considerata intentione hujus legis et materia ejus, videtur distinctione utendum inter duas partes ejus, scilicet administrationem dictorum sacramentorum, et absolutionem a censura, vel a culpa et a pœna. Et in priori casu videtur dicendum, qui ficte tantum daret sacramentum extremæ unctionis absque intentione conficiendi sacramentum, licet forte alias gravius peccaret, non incursurum hanc censuram, quia revera non ministrat sacramentum, et propter alias rationes supra factas et exempla adducta, quæ sane quoad hanc partem sunt urgentia. Hoc autem non ita habet locum in alia parte hujus prohibitionis, quæ est Eucharistiæ ministratio, quia hoc sacramentum consistit in facto esse, et ideo non pendet ex intentione

dantis. Nisi forte quis præberet hostiam non consecratam ementiendo esse Eucharistiam; de quo idem dicam, quia licet gravissime peccet, non tamen contra hanc legem, et lex pœnalis non est extendenda ad peccatum gravius, si revera non est illud, de quo lex loquitur. Neque etiam oportet, ut peccatum gravius graviori pœna a legibus humanis puniatur; interdum enim quædam, licet gravissima, prætermittuntur, quia rarissima, quæ dum contingunt, satis per judices puniri possunt. Idem fere est de solemnizatione matrimonii, nam si non cadat super verum matrimonium, sed tantum fiat exterior cæremonia ad decipiendum populum, non erit solemnizatio, de qua jus hic loquitur, ideoque non incurretur hæc censura. Si vero cadat in verum matrimonium, jam illa non pendet ex intentione operantis, sed solum requirit cæremoniam exteriorem ab Ecclesia institutam, et ideo quacumque voluntate fiat, incurretur hæc censura.

25. Circa alteram vero partem hujus legis aliter sentiendum censeo; nam, licet quis animo ficto exterius absolvat intentione decipiendi, non vero absolvendi, non evitat hanc censuram. Ratio est, quia intentio hujus legis non est prohibere, ne talis effectus in re ipsa fiat; ergo solum intendit, ne quis etiam exterius profiteatur se id facere et concedere. Antecedens patet, quia in lege hac necessario supponitur, validam absolutionem aut indulgentiam non posse dari ab hujusmodi religiosis, quia si possent, non esset cur illis prohiberetur; unde lex ipsa excipit casus, in quibus per privilegia vel jus commune possunt; ergo non prohibet hæc lex ne valide absolvant; ergo ne exterius absolutionis sententiam vel indulgentiam proferant; ergo licet intentione decipiendi hoc faciant, vere delinquunt contra hanc legem, et censuram incurrunt. Declaratur a simili, nam, si aliqua lex prohibeat, ne in tali causa aliquis non judex sententiam dicat, non potest esse prohibitionis sensus, ut validam sententiam non dicat; nam hoc per se et absque alia lege est impossibile; ergo est sensus, ne talem sententiam proferat, etiamsi invalida futura sit; ergo, si eam proferat, licet id faciat intentione nihil valide faciendi, aget contra talem legem et incurret ejus pœnam. Ita ergo est in præsenti. Unde constat alia exempla in contrarium adducta non esse similia.

Excommunicatio lata contra religiosos violantes constitutionem Bonifacii exponitur.

26. *Quod subjectum hujus censuræ.* — Tertia excommunicatio Papæ reservata habetur in Clementin. Cupientes, § Sane, de Pœnis. Ubi excommunicantur religiosi et clerici seculares violantes constitutionem Bonifacii, cap. 1 de Sepulturis, in 6, prohibentis, *ne aliquis clericus secularis, aut religiosus inducat quempiam ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant vel jam electam ulterius non immutent.* Hæc enim prohibitio in illo textu nullam censuram habebat annexam; in dict. vero Clement. addita est cum reservatione ad Summum Pontificem, *et non obstantibus privilegiis,* etc. In qua personæ, in quas fertur, sunt satis expressæ in textu, scilicet religiosi aut clerici; unde sufficiet religiosus, etiamsi clericus non sit; et opinor etiam moniales comprehendi, non tamen novitios, propter dicta in simili circa præcedentem. Et e contrario sufficiet, quod sit clericus in quocumque gradu, quia textus ibi nihil distinguit.

27. *Primum notandum circa actionem sub illa excommunicatione prohibitam.* — Circa actionem, propter quam fertur hæc censura, nonnullæ circumstantiæ notandæ sunt. Primo non satis est inducere ad eligendum vel non mutandum, etiamsi cum effectu id obtentum sit, sed oportet inducere ad vovendum, jurandum vel promittendum talem electionem, nam textus non prohibet inductionem ad actum, sed ad obligationem actus, ut notavit Antonin., 3 part., tit. 24, cap. 51; Angelus, verb. *Sepultura,* num. 35, ubi alios refert. Addit Navarrus, num. 103, necessarium esse, ut talis inductio habeat effectum, id est, quod ex vi illius aliquis persuasus, voveat, juret aut promittat. Et idem sentit Angelus, n. 37, citans Cardinalem, et alios, et Cajet., cap. 49, qui rationem reddit, quia hæc pœna stricti juris est et effectum requirit. Et confirmari potest ex his, propter quæ supra diximus, quando lex excommunicat consulentes, illos non incurrere, nisi quando consilium effectum habet. Sed hæc sententia mihi valde dubia est, quia hæc regula de consulentibus, quod non incurrant sine effectu subsecuto, tunc solum procedere videtur, quando actio ipsa est directe et principaliter prohibita, consilium vero est quid accessorium, et quasi via ad talem actionem; at in

præsenti actio non est prohibita, nam unicuique licitum est sua sponte eligere sepulturam; licitum etiam est, ut Antoninus notavit, promittere, jurare vel vovere electionem sepulturæ, dummodo pura voluntate fiat; igitur inductio in præsenti est principalis et totalis materia prohibita; ergo in illa consistit principalis violatio legis, propter quam fertur censura; ergo illa per se satis est ad incurrendam censuram, sive sequatur promissio alterius, sive non. Et confirmatur, nam Bonifacius, in virtute sanctæ obedientiæ et sub interminatione maledictionis æternæ, prohibet, ne quis inducat; contra quam legem integre et consummate agit, qui inducit, sive alius promittat, sive non. At vero Clemens excommunicat violatores illius legis : ergo. Nihilominus, quia in materia odiosa restrictio per se favorabilis est, ideo prior sententia, quæ auctoritate dictorum auctorum fit probabilis, sustineri potest, dicendo actum inducendi non esse in suo ordine consummatum, nisi alter cum effectu inducatur, sicut actus occidendi non est consummatus nisi alter intereat; censura autem non incurritur nisi per actum consummatum, ut in superioribus dictum est, et ideo in præsenti non incurritur, nisi inductio habeat effectum.

28. *Aliquæ conditiones requisitæ, ut hæc censura incurratur.*—Addunt dicti Doctores, aliam circumstantiam necessariam esse, ut inductio sit ad eligendum Ecclesiam, vel sepulturam in Ecclesia, pertinentem aliquo modo ad ipsum inducentem, quia in cap. 1, per quod hæc culpa est regulanda, satis expressum est, ibi : *Ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant.* Denique recte expendunt illa priora verba dictæ Clement. : *Temerarios violatores,* etc. Dicitur enim temere facere (ex sententia Cajetani) qui sciens et videns talem legem violat; unde infert, qui ex ignorantia hujus prohibitionis hoc facit, non incurrere hanc censuram. Navarr. addendo vel exponendo ait : *Si probabiliter existimat se id facere posse;* unde videtur requirere ignorantiam excusantem a culpa, nam probabilis existimatio culpam excusat. At vero juxta expositionem particula illa, *temeraria,* nihil operabitur, quia ignorantia probabilis semper excusat a censura, cum excuset a culpa, etiamsi simpliciter lex sit lata contra omnes transgressores. Non est autem credendum in lege pœnali hujusmodi verbum addi sine aliquo effectu et consideratione, ut in similibus dictum est. Et ideo necessarium esse opinor ausum temerarium, qui non intervenit, ubi ex ignorantia et bona fide proceditur, etiamsi ob negligentiam a culpa non excuset, dummodo ignorantia affectata non sit; nam tunc revera temeritas evitatur.

Excommunicatio contra violantes interdictum exponitur.

29. *Clement. Gravis, de Sententia.* — Quarta censura continetur in Clement. Gravis, de Sentent. excomm., ubi violantes interdictum aliquo ex modis ibi declaratis, excommunicatione Papæ reservata ligantur. Advertendum est autem constitutionem illam editam esse occasione quorumdam nobilium et dominorum temporalium, qui dictos excessus perpetrabant, ut Pontifex in principio refert. Deinde vero subjungit : *Præsumptores præfatos,* etc. Unde videri potest illa censura tantum lata contra illas particulares personas. Verumtamen non ita est, sed ibi conditur jus perpetuum prohibens et puniens similia delicta a quibuscumque personis commissa, ut patet ex illis verbis : *Qui quemquam de cætero cogere,* etc. Et ita omnes intelligunt et exponunt. Unde cum ibi dicitur, *præsumptores præfatos,* non fit relatio tantum ad tales personas in individuo, sed ad talem conditionem personarum sic deliquentium, ut mox patebit.

30. *Actiones ob quas hæc excommunicatio fertur. — Prima. — Secunda.* — Quatuor autem violationes interdicti ibi puniuntur. Prima est, *in loco interdicto quemquam quomodolibet cogere divina officia celebrare.* Ubi solum est considerandum verbum universale, *quomodolibet cogere;* omnem enim modum coactionis includit, sive per actionem in propriam personam, sive in conjunctas, sive per subtractionem bonorum, vel alium modum similem directe, vel indirecte, dummodo vera coactio sit; non enim omnis inductio, sed coactio tantum punitur; unde, si fiat rogando, promittendo, etc., non incurritur. Secunda actio est, *evocare aliquos, præsertim excommunicationis vel interdicti censura ligatos, ad prædicta officia audienda.* Ubi advertendum verbum *evocare,* non poni simpliciter, sed cum hoc addito, *prædicto modo.* Modus autem prius dictus erat per evocationem publicam, scilicet, *per campanarum pulsationem et vocem præconis.* Unde infert Navarrus, non satis esse vocare clam per nuncios, quod etiam affirmant Angelus et Sylvester cum Cardinali

et aliis. Sed diligentius Cajetanus advertit quatuor modos evocandi fuisse positos in principio illius textus, scilicet, *nunc hos, nunc illos vocando, nunc compellendo, nunc campanis, nunc voce præconis.* Cum ergo postea dicitur : *Qui modo prædicto evocare,* etc., non est cur magis limitetur ad unum modum, quam ad alium ex prædictis; ergo comprehendit omnes, maxime quia non tantum prohibet evocare populum, quod fieri solet illis signis publicis, sed etiam prohibet aliquos seu quoscumque excommunicatos, vel non excommunicatos vocare, quod fieri solet aliis modis; comprehendit ergo omnes illos modos, ut recte Cajetanus advertit. Sed illa prima verba : *Nunc hos, nunc illos vocantes,* non excludunt modum vocandi secrete per nuncium, vel quid simile; ergo hic etiam modus sufficit ad incurrendam censuram, cum textus absolute et indifferenter loquatur. Deinde, dum dicitur, *aliquos præsertim,* etc., clare constat prohibitionem quoad hanc partem generalem esse, id est, non solum comprehendere eos, qui excommunicatos vel interdictos evocant, sed etiam quoscumque alios, licet respectu illorum, sicut gravius est delictum, ita districtior sit prohibitio. Rursus expendo, particulam illam, *eadem officia,* intelligendam esse de eisdem officiis in loco interdicto celebratis. Unde, qui evocaret excommunicatos ad audienda divina officia in loco non interdicto, non incurreret in hunc canonem, quidquid sit de aliis censuris.

31. *Tertia.* — Tertia actio est, *prohibere, ne excommunicati publici aut interdicti ab Ecclesiis exeant, dum in ipsis Missarum solemnia celebrantur, etiam a celebratore admoniti.* Ubi etiam sunt nonnulla consideranda. Primum in hac clausula non esse sermonem de officiis divinis in communi, sed tantum de Missis, et ideo non esse amplius extendendam. Dubium autem esse potest, an priores clausulæ eodem modo intelligendæ sint et limitandæ. Nam Angelus et Sylvester, secuti Cardinalem et alios, putant limitationem esse generalem, et per hanc clausulam explicari præcedentes. Quod tamen mihi est difficile creditu, propter initium textus, in quo dicitur : *Missas et alia divina officia;* ergo, cum in prima et secunda clausula dicatur absolute, *divina officia,* seu *eadem divina officia,* non videtur hoc casu factum, sed quia legislator voluit has duas actiones generalius punire, quam tertiam vel quartam, cum hæc verba referantur ad initium textus, et eodem sensu accipi videantur. Et hanc partem tenuit Cajet., in Summa, cap. 41 de Excom

32. *Dubitatio circa tertiam actionem enodatur.* — Dubitari etiam potest, an hæc clausula intelligatur solum de locis interdictis, vel de quibuscumque Ecclesiis; nam in ea simpliciter dicitur, *Ab Ecclesiis.* Respondeo solum esse sermonem de locis interdictis, et consequenter de Ecclesiis in eis existentibus, ac proinde etiam interdictis. Unde verba illa ex materia subjecta, et ex antecedentibus et consequentibus limitantur. Sub Ecclesiis autem non comprehenduntur privata oratoria, præsertim in materia odiosa. Et sermo tantum est de personis publice interdictis, et excommunicatis, quæ debent prius a celebrante moneri, ut exeant; et qui tunc impedit exitum, incurrit, et non antea, quidquid Sylvester dicat, nam textui repugnat. An vero illa monitio debeat esse particularis, et nominatim, vel generalis sufficiat? Angelus, et Sylvester generalem satis esse putant quia verba non plus requirunt; sicut etiam satis est, quod prohibitio sit generalis, propter absolutum verbum, *prohibere.* Ex quo etiam notari potest, non esse necessariam coactionem, sed preces, aut aliam inductionem mere voluntariam sufficere.

33. *In quibus personis puniantur tres actiones numeratæ.* — Unde etiam notari potest, illas actiones non in quibuscumque personis, sed in habentibus temporalem jurisdictionem puniri, ut Navarrus ex Glossa recepta notat. Et colligitur ex textu, in quo prius dicitur, *Nobiles quidam et domini temporales,* et postea subditur, *præsumptores præfatos,* etc. Unde hæc censura ex parte personarum non est universalis, comprehendit tamen omnes dominos temporales, etiamsi alias Prælati Ecclesiastici sint, ut iidem auctores notant. Quocirca cum ibi dicitur, *Nobiles, et domini temporales*, copulatim id accipiendum est; non enim nobilitas sine dominio, seu jurisdictione temporali sufficiet. E contrario vero dominium temporale semper sufficiet, nam hoc præcipue hic consideratur; neque est sermo tam de vera nobilitate personæ, seu originis, quam de nobilitate status, ut sic dicam, seu præsumpta et repræsentata in ipso dominio et jurisdictione temporali, ut ita particula hæc non tantum sit conjunctiva, sed etiam declarativa talis nobilitatis.

34. *Quo titulo debeant fieri numeratæ actiones, ut hæc excommunicatio incurratur.* — *Dubii decisio.* — Hinc vero oriri potest

dubium, an oporteat hujusmodi actiones esse profectas ex jurisdictione temporali, ita ut sit formaliter principium talium actionum, et non tantum conditio personæ. Videtur enim hoc rationi consentaneum. Ut quid enim temporalis jurisdictio in tali persona postuletur, nisi quia actus ipse punitur, ut abusus quidam talis jurisdictionis? Item in principio illius textus non sine causa dicitur, illos temporales dominos, *in suis terris Ecclesiastico suppositis interdicto* illa delicta commisisse, quia si extra illas id faciant, non operabuntur ut jurisdictionem habentes; ergo intelligendus est ille textus de actu, qui fiat titulo jurisdictionis et dominii. Et hoc videtur confirmare verbum *prohibere,* nam proprium est jurisdictionem habentis. Item modus publicæ convocationis, qui in secunda actione præsupponitur, non potest, moraliter loquendo, ab his fieri nisi in propriis terris. In contrarium nihilominus objici potest, quia in illo textu cum incipit lex et excommunicatio proferri, absolute dicitur, *Quicumque in locis interdicto suppositis quemcumque,* etc., ubi nulla fit loci determinatio, sed omittitur ea, quæ in propositione casus posita fuerat, scilicet, *in locis eorum* seu *terris suis,* in quo indicatur, Pontificem generalius legem ferre. Item illud signum, *quemcumque,* pro omnibus distribuit, et non pro solis subditis; ergo ita ut sonat accipienda est. Et inde fit necessarium non esse, ut actus fiat titulo jurisdictionis et dominii. Sed, licet hæ conjecturæ faciant rem aliquo modo dubiam, nihilominus priorem partem tanquam mitiorem probandam censeo; nam et conjecturæ prius factæ probabiliores sunt; et posteriora verba facile exponuntur, et determinantur juxta subjectam materiam. Quam opinionem indicavit Angelus supra, dicens cum Cardinali hanc pœnam non habere locum, quando prædicti domini præcipiunt non subditis, vel hæc faciunt in terris non suis. Per subditos autem intellige non solum proprios vasallos, sed etiam omnes, qui actu in talibus terris versantur, et earum domino de facto obediunt. Necesse est etiam, ut effectus sequatur; non est enim satis vocare, prohibere, etc., nisi cum effectu a subditis interdictum violetur, ut patet a simili ex puncto præcedente, et quia ibi consummatur actus principaliter prohibitus, et punitus per talem legem.

35. *Quarta actio sub eadem censura prohibita. — Notandum pro omnibus actionibus numeratis.* — Quarta actio est, quod publice excommunicatus, et interdictus, existens in Ecclesia interdicta dum Missarum solemnia celebrantur, et nominatus ab ipso celebrante ut exeat, nihilominus permaneat, et exire nolit, nam ille novam censuram excommunicationis Papæ reservatam incurrit. In qua clausula jam non est sermo de dominis temporalibus, sed simpliciter de omnibus excommunicatis, et interdictis, sive proprio arbitrio, sive ab aliis vocati ibi intersint. Item habet locum in excommunicatis, vel interdictis a jure, et ab homine. Sicut omnia superius dicta de interdicto loci, de utroque indifferenter intelliguntur, ut Glossa advertit, quia jus indistincte loquitur. Nunc autem limitandum hoc videtur ad excommunicatum, vel interdictum nominatim, et denunciatum, vel manifestum percussorem clerici (quod in præcedenti etiam clausula observare oportet); quia juxta novum jus hi tantum censentur publice ligati censura; in illo autem jure requiritur, ut sint publice ligati. Et præterea additur, necessarium esse, ut a celebrante exire moneantur, et hic additur *nominatim;* quapropter ita faciendum est, alias, licet excommunicati maneant, non incurrent. Præterea hæc clausula explicanda videtur de celebratione Missæ, licet Cajet. aliud sentiat, quia simpliciter dicitur a *celebrantibus;* sed ex ipso contextu constat, cum dicitur, *In ipsis Ecclesiis,* relationem fieri ad proximam clausulam, in qua sermo erat de Ecclesiis, in quibus Missarum solemnia celebrantur; præterquam quod nomen celebrans simpliciter dictum, attribui solet sacerdoti Missam facienti. Necessario autem intelligendum hoc est de Ecclesiis interdictis; nam de eis, ut dixi, intelliguntur omnia superiora, ad quæ in præsenti clausula fit relatio. Denique prætermittendum non est verbum, *præsumpserint,* quod in fine ponitur, et comprehendit omnes clausulas seu actiones; eamdemque energiam habet, quam in similibus sæpe explicuimus.

36. Ultima censura posset afferri ex Clement. *Si quis suadente,* de Pœnis, ubi specialiter excommunicantur, qui manus in Episcopum injiciunt. Sed hæc explicata est a nobis in Bulla Cœnæ, in 11 clausula ejus.

SECTIO V.

Quæ excommunicationes Papæ reservatæ in libris Extravagantium contineantur.

1. *Prima contra exenterantes corpora defunctorum, ex Extravagante de Sepulturis. — Actiones ob quas fertur hæc censura.* — Primo loco afferri potest excommunicatio lata a Bonifacio VIII, in Extravagant. 1, de Sepultur., contra dilacerantes, et exenterantes corpora defunctorum hominum, ut conserventur, vel ut decoquantur, ut ossa possint in alia loca deferri. Circa quam legem solum occurrit advertendum, ex parte personarum generalissimam esse, nam in persona defuncti nullam admittit distinctionem; cujuscumque enim dignitatis existat, circa corpus ejus hæc fieri prohibentur. Et similiter ex parte facientium nullus eximitur, *etiamsi Pontificali dignitate refulgeat,* seu *cujuscumque ordinis conditionis, status, aut gradus fuerit.* Additurque, *defunctorum corpora sic inhumaniter et crudeliter pertractando, vel faciendo pertractari.* Per quæ verba ampliatur hæc censura ad mandantes, si mandatum ad executionem perveniat; quod significant illa verba, *facientes pertractari.* Actiones vero, propter quas hæc censura imponitur, sunt exenterare, partiri, seu dilacerare cadavera humana, et coquere, et nudare ossa, ut alio deferantur. Nec oportet hæc omnia simul agere, sed quodlibet opus eorum sufficit, ut patet ex illis verbis, *Qui aliquid contra hujus nostri statuti tenorem,* etc. Et additur, *Præsumpserint attentare,* quod habet illam vim, quam sæpe tractavimus, ut Cajetanus etiam, cap. 70, advertit.

2. *Quædam dictæ censuræ limitationes. — Prima.* — Nonnullæ vero limitationes ex illo textu colliguntur. Prima est in illis verbis, *Cum quis in civitatibus, terris, seu locis, in quibus Catholicæ fidei cultus viget, diem de cætero claudet extremum,* etc. Nam hinc habemus, si fidelis in terris infidelium, etiam hæreticorum moriatur, non esse contra hanc legem, si prædicta circa corpus ejus fiant, ut ossa ejus possint ad fidelium loca deferri, et Ecclesiasticæ tradi sepulturæ. Quod Cajetanus, Navarrus, Sylvester, et alii notarunt; et satis constat ex prædictis verbis. Et ratio fortasse fuit, quia ibi non potest tale corpus Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, ut in cineres redigatur. Quod est remedium in eodem textu præscriptum.

3. *Secunda. — Objectio. — Solvitur. — Replicatio. — Enodatur.* — Secunda limitatio colligitur ex illis verbis, *Et tandem eadem ad partes prædictas mittunt,* etc. Ex qua narratione, et prohibitione subsecuta, et illi accommodata, colligi videtur, hanc excommunicationem solum incurri, quando prædictæ actiones fiunt ad eum finem deferendi ossa defuncti in alium locum. Atque ita exponunt Sylvester, *Excommun.*, 7, num. 79; Navarrus, num. 105; Cajet., et alii. Estque vera sententia, cui et Rubrica, sub qua textus collocatur, favet, et tota dispositio textus huc tendit. Ex quo recte inferunt iidem auctores, si aliquis id faciat circa corpus defuncti ex odio et vindicta, non incurrere hanc censuram, multoque minus, si fiat in pœnam ex publica justitia, vel etiam chirurgiæ, aut nothemiæ causa. Quod vero necesse sit hoc fieri, ut talia corpora vel ossa in alium locum deferantur, et illic sepeliantur, incertum videri potest propter illa verba textus : *Si quispiam ex eis genere nobilis, vel dignitatis titulo insignitus præsertim extra suarum partium limites debitum naturæ persolvat,* etc. Ponderanda est enim illa particula, *præsertim;* indicat enim id principaliter prohiberi, non tamen illud solum; ergo, etiamsi quis in proprio solo decedat, et ibi sepeliendus sit, si hæc fiant circa corpus ejus, ut ita sepeliatur, incurretur hæc censura. Sed hoc facile dissolvitur ex verbis sequentibus ejusdem textus, *In suis vel alienis partibus sepultura electa.* Quia ergo interdum contingit, eum, qui in propria patria discedit, in aliena et distanti eligere sepulturam, ideo verum est, posse aliquando incurri hanc censuram exercendo has actiones circa eum, qui in propria patria moritur; quia vero hoc est ex raro contingentibus, ideo posita est dicta particula, *præsertim,* non vero, quia necesse non sit hæc fieri ad deferendum corpus in alium locum, ubi sepeliendum est, sicut in fine concluditur illis verbis, *Ad partes prædictas deferunt tumulanda.* Sed urgebis : non est minor impietas et inhumanitas, si hæc fiant circa corpus in eodem loco sepeliendum, quæ ratio movit Pontificem ad hoc prohibendum, ut ibi constat; ergo saltem ob similitudinem rationis extendenda est hæc prohibitio ad dictum casum. Respondetur legem latam esse de his actionibus, ut solebant esse in usu; quod autem hæc omnia fiant circa corpora, ut in eodem loco sepulturæ tradantur, insolitum, et inauditum est, et ideo de hoc non

curasse legislatorem. At vero si corpus regium, v. gr., vel simile exenteretur, ut balsamo inungi possit, et diutius absque ulteriori corruptione, vel fœtore servari, id non erit contra hanc legem, nec causa censuræ, ut prædicti Doctores docent.

4. *Cur corpus hujusmodi privari Eccles. sepultura præcipiatur. — Prima Gloss. responsio. — Secunda responsio ejusdem. — Prior responsio præfertur.* — Tandem additur in eo textu hujus censuræ reservatio, et fit Papalis. Et postea (quod prætereundum non est) extenditur quodammodo hæc censura ad corpus ipsius defuncti, quod ita inhumane tractatum est; præcipitur enim ut Ecclesiastica careat sepultura. Ubi statim quærendum occurrit, cur hac pœna et veluti parte hujus censuræ afficiatur defunctus in corpore suo, cum in ea re nihil peccaverit. Quam difficultatem attingit Gloss. ibi, et duobus modis respondet. Primo, hanc pœnam solum habere locum, quando ante mortem ille dedit occasionem aliquam, vel significationem consentiendi huic delicto, nimirum quia, sciens talem consuetudinem, et cum posset ac deberet prævidere tale factum, nihilominus absolute præcipit sua ossa in alium locum deportari. Secundo, hunc puniri sine culpa propria, non tamen sine causa, ad detestationem criminis, etiamsi ab aliis proprio tantum nutu patratum sit. Et addere possumus, sepulturam defuncti, licet suo modo spectet ad honorem et commodum ejus, tamen magna ex parte pertinere ad honorem et consolationem vivorum; et ideo hæc pœna licet circa corpus defuncti versetur, esse ipsorum vivorum, et hac ratione potuisse imponi propter solam culpam eorum. Utraque responsio probabilis est; prior tamen videtur magis consentanea rationi, quia nimis alienum ab Ecclesiastica pietate videtur, ut sine culpa sua tam gravem patiatur infamiam, et contumeliam in suo cadavere ille, qui vivens nihil peccavit in tali facto. Potestque ex ipso textu colligi, si ponderetur verbum illud, *Sepultura electa,* nam responsio consonare debet causæ, et juxta illam intelligi. Adverto etiam nullum addi verbum, quo significetur illam pœnam ipso facto incurri, nam de sola censura dicitur ipso facto incurrenda, et postea solum additur : *Et nihilominus ille, cujus corpus sic inhumane tractatum fuerit, Ecclesiastica careat sepultura.* Ubi non additur verbum, ipso jure; satis ergo erit, si servetur post legitimam condemnationem, juxta legitimum sensum legis pœnalis, in qua aliud expresse non declaratur. Unde, quod attinet ad forum conscientiæ, non existimo teneri Ecclesiæ ministros non admittere hujusmodi ossa ad Ecclesiasticam sepulturam, nisi vel per legitimam sententiam cogantur, vel publice et evidenter constet defunctum mortuum esse in peccato mortali, disponens, aut præcipiens aliquid contra constitutionem hanc. Et similiter opinor Ecclesiasticum judicem non teneri ad condemnandum, vel ad exequendum hanc pœnam, nisi in judicio de tali delicto convincatur.

Excommunicatio contra simoniacos in religionis ingressu exponitur.

5. *Extrav.* 1 *de Simonia.* — Secunda excommunicatio lata est ab Urbano IV, in Extravagante prima de Simonia, contra eos, qui dant vel recipiunt aliquid ob ingressum religionis per modum pacti et conventionis. Quæ constitutio difficilis redditur propter communem usum, quem nunc etiam servari videmus, præsertim in conventibus monialium, de quibus expresse lex loquitur. Quia fœminæ non recipiuntur ad habitum religionis, nisi cum promissione et pacto dotis persolvendæ, et multis aliis expensis, partim ad communem usum conventus, partim ad singularum monialium commodum; quæ omnia videntur contraria huic constitutioni. Quin etiam aliquando in religionibus virorum, præsertim quando egestate premuntur, solet aliquid ab ingredientibus ad eorum sustentationem postulari, vel, si bona temporalia habeant, solet ab eis ante professionem exigi, ut vel ea monasterio donent, vel saltem de eis non testentur in favorem aliorum, ut jus hæreditandi per professionem eorum in monasterium transferatur; quod si hoc facere recusent, ad professionem non admittuntur, sed potius expelluntur.

6. *Legem hanc solum contra simoniæ vitium committentes ferri.* — Est ergo imprimis advertendum, hic solum puniri actionem simoniacam ex reali pactione dandi vel recipiendi aliquid temporale pro spirituali admissione ad statum seu habitum religionis. Ita intelligunt omnes, quos statim referam; et colligitur ex textu in illis verbis, *Omnique pactione cessante.* Quapropter actio, propter quam hæc pœna infertur, non ideo mala est, quia in eo textu prohibita, sed potius ideo ibi specialiter punita, quia vel ex se mala est

et simoniaca, vel antiquis juribus prohibita, ut patet in capitulo De regularibus, et in cap. Quoniam, extra de Simonia, et in eisdem dicitur, per antiquiores canones fuisse prohibitam; qui canones non videntur esse alii, nisi illi, qui generatim prohibent acquisitionem cujuscumque Ecclesiastici gradus per simoniam; et afferuntur late in decretis, 1, quæst. 1 et 2.

7. *Dans, vel recipiens in ingressu aliquid illicite sine pactione non incurrit illam.* — Hinc ergo fit primo, ut quoties aliquid mera sponte datur et recipitur in ingressu religionis, nulla incurratur censura, quia hoc per se malum non est, nec in illa lege prohibitum, imo potius permissum. Addo vero, hic dici sponte fieri quidquid fit sine pactione tacita, vel expressa, ut patet ex citatis verbis textus. Quapropter, qui aliquid daret vel reciperet sinistra intentione, dando scilicet, vel recipiendo pro ipso ingressu, seu pro suffragio in favorem talis personæ præstando, ut in religionem admittatur, non incurreret hanc censuram. Cujus ratio reddi solet, quia talis simonia est mentalis, quam Ecclesia punire non potest. Sed revera illa non est pure mentalis; in actum enim exteriorem prodit interna intentio simoniaca, et, ut supra vidimus, Ecclesia potest per censuram punire actum exteriorem, quatenus a tali prava intentione interiori procedit, etiamsi alio pacto vel signo non manifestetur intentio. Ratio ergo non est, quia Ecclesia non possit hoc punire, sed quia de facto non punivit per hanc censuram, cum exceperit omnem dationem vel receptionem absque pacto factam; et hæc, de qua agimus, licet male fiat, sine pacto tacito vel expresso fieri supponitur. Et ita advertit Cajetan., cap. 73, quem sequitur Armilla, *Excomm.*, num. 60.

8. *Objectio contra proxime dicta. — Diluitur.* — Objici tamen possunt illa verba hujus textus : *Illa duntaxat quæ personæ ipsæ ingredientes pure, et sponte, et plena liberalitate, omnique pactione cessante, dare vel offerre voluerint, cum gratiarum actione licite recepturi.* Non ergo satis est absque pactione dare vel recipere, sed ultra hoc ex parte dantis exigitur, quod *pure, sponte et plena liberalitate* id faciat; at vero qui hoc facit intentione obtinendi spirituale pro temporali, nec pure, nec plena liberalitate id facit; ex parte vero accipientis petitur, ut licite recipiat; non recipit autem licite, qui prædicta intentione quidpiam recipit. Respondetur, hæc omnia intelligenda esse de actu ipso dandi vel accipiendi quantum ad actum externum, ita ut ipse pure et liberaliter, et sine ulla circumstantia, quæ exterius illum reddat simoniacum, fiat; nam quamdiu lex humana non exprimit conditionem pure mentalem seu habitudinem solum ad actum internum, non debet ad illam restringi, quia est nimis odiosa et rigorosa.

9. *Dans vel recipiens in ingressu aliquid pro sustentatione ingredientis non incurrit.* — Secundo sequitur, quoties aliquid datur vel accipitur in ingressu religionis, non pro ipso ingressu seu receptione, sed in sustentationem ejus qui ingreditur, quia fortasse monasterium non habet sufficientes redditus ad illum alendum, nec incurri hanc censuram, etiamsi pactum intercedat. Ita Navarr., num. 106, ex Cajetan. supra, et in 2. 2, quæst. 10, art. 3; Soto, lib. 9 de Justitia, q. 6, art. 2, ad 4. Ratio Cajetani est, quia hoc est jus naturale. Ratio autem Soti est, quia non est simonia, cum non petatur spirituale pro temporali, sed pro re alia licita, scilicet pro sustentatione. Unde infert, non solum monasterio egenti, sed etiam diviti, per se loquendo et ex natura rei, licitum esse petere aliquid ad sustentationem ejus, qui vult ingredi religionem. Quia, si illa in egente non est simonia, nec in divite erit, nam in utraque idem pro eodem petitur; ergo, si in una non petitur temporale pro spirituali, neque in alia; ergo, si in paupere illa non est simonia, nec in divite erit; ergo licita, quia non est contra justitiam, neque contra aliam virtutem. Nam, licet monasterium sit dives, non tenetur bona sua expendere in sustentationem hujus personæ, maxime si ipsa potest secum afferre, unde alatur; ergo nulla deformitas in tali actu apparet; imo videtur hoc posse esse laudabile, ut aliqui pauperes sine ullo hujusmodi subsidio possint in religione recipi, vel ut religionis bona conserventur et ad majorem spiritualem profectum augeri possint.

10. *Limitatur corollarium positum ad monasterium tenue.* — Hæc vero amplificatio Soti, quamvis sola ratione inspecta, verisimilis appareat, tamen considerando dicta Doctorum et canonum, quæ in re morali majoris sunt ponderis, videtur difficilis. Nam D. Thom., 2. 2, quæst. 100, art. 3, ad 4, cum limitatione dixit : *Si monasterium sit tenue,* et iterum : *Si ad hoc non sufficiant monasterii opes.* In 4 vero, dist. 25, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 2, ad 7, post eamdem limitationem

expressius addidit : *Si autem sine gravamine Ecclesiæ potest recipi* (scilicet religiosus), *simoniacum est aliquid pro receptione exigere.* Præterea expendi ad hoc potest cap. Quam pio, 1, quæst. 2, quod D. Thom. citat, ubi Bonifacius omnes hujusmodi exactiones prohibet, nisi, *quasi subsidii gratia,* et hoc ipsum subsidium vult subsequi potius, quam præcedere, ut omnis præsumptio tollatur, ut ibi notat Glossa. Item in dicto cap. Quoniam, de Simonia, prohibetur hujusmodi receptio, etiam *sub paupertatis prætextu;* propriissime autem dicitur prætextus paupertatis, quando revera paupertas non subest et allegatur. Unde Gloss. ibi ait, si religiosi vere pauperes sint, ita ut non possint alium sustentare, posse illi dicere : *Non habemus quod demus tibi pro victu, nisi tu portes unde vivas,* dummodo hoc non dicatur in fraudem; ergo secluso vero titulo paupertatis hoc est prohibitum. Imo Gloss. Bernardi ibi addit, etiam interveniente paupertate, tutius esse neminem admittere, quam illo modo aliquid exigere; quod quidem scrupulosius dictum est. Præterea Sylvest., verb. *Simonia,* n. 15, late hoc disputans, dicit esse communem sententiam plurimorum (quos ibi refert), exigere aliquid pro sustentatione in monasterio tenui licitum esse, in opulento vero esse simoniam. Ipse vero Sylvest. addit : *Sed intellige præsumptive, sicut semper fecerunt et faciunt aliquæ moniales,* etc. Præsumptive autem declarat esse simoniam, vel quantum ad forum contentiosum, vel in conscientia, si habeatur respectus non ad victum, sed ad ipsum ingressum, et ita sentit hoc non esse illicitum, si debita intentione fiat.

11. *Non excusari a simonia qui in monasterio divite aliquid pro sustentatione recipiendi petit.*—Difficile tamen videtur ita interpretari dicta Doctorum et canonum; nam D. Thom. absolute in conscientia loquitur, et reliqui Doctores. Et canones non tantum puniunt vitium, quod præsumunt, sed absolute prohibent, ne tale factum cum talibus circumstantiis fiat; ergo non solum præsumunt, sed constituunt tale factum vere pravum et illicitum, etiamsi alias non esset. Quod præter dicta colligitur ex hac Extravag., quatenus districtius prohibet aliquid exigere quoquo modo a volentibus ingredi religionem, quocumque titulo, etiam ad pios usus, sed præcipit liberaliter eis dare omnia, quæ ad victum et vestitum pertinent. Quapropter, licet ratio Soti, secluso jure positivo, habeat efficaciam, tamen, illo supposito, non habet, quia, cum bona religionum Ecclesiastica sint, de eis disponere ad Summum Pontificem maxime pertinet; statuit ergo Summus Pontifex, ut religionis redditus liberaliter in sustentandis religiosis expendantur, et ut cum eadem liberalitate, et omnino gratis religiosi recipiantur, ut ex eis sustententur, abstulitque consequenter ab hujusmodi religiosis omne jus petendi aliquid ab ingredientibus religionem ob sustentationem eorum, quia ipsa bona religionis jam sunt ad hoc munus destinata. Quapropter, quoties opulentum monasterium hoc titulo aliquid exigit, titulus est falsus et fictus. Sicut qui a paupere, quem gratis alere tenetur, aliquid exigeret pro ejus sustentatione, falsum titulum prætenderet. Secluso autem hoc titulo, solum superesse videtur, ut pro ipsa receptione exigatur quidquid illo titulo peti videtur; ergo, licet religiosi hoc petentes dicant se non habere hanc intentionem et revera interius ad hoc conentur, tamen in facto ipso non possunt hoc evitare, quin implicite et indirecte id intendant; sicut, licet quis dicat se non intendere aliquid pro mutuo accipere, tamen, si aliquid ad suam sustentationem petit ab eo cui mutuum præbet, quod ille alias dare non tenebatur, nec ab eo poterat juste exigi, convincitur pro mutuo illud postulare et usuram committere. Sic ergo est in præsenti. Propter quod censeo, simpliciter loquendo, et in conscientia, veram esse D. Thom. doctrinam, et communem opinionem juri et religiosæ institutioni valde consentaneam.

12. *Quomodo stet cum dispositione hujus Extravag. usus religiosorum.* — Ad usum vero religiosorum respondeo in primis, quoad religiones virorum attinet, rarum esse, inusitatumque, ut ex pacto tacito vel expresso ita petatur aliquid in sustentationem vel subsidium religionis, ut aliter habitus vel professio denegetur; ex singularibus autem factis aliquarum personarum non debet argumentum sumi. Deinde, cum in hac re sit opinionum diversitas, fieri potest, ut opinionem Sylvestri et Soti secuti, practice bona fide procedant. Rursus attente considerandum est sæpe fieri posse, ut, licet monasterium alias dives et locuples habeatur, nihilominus hic et nunc vero necessitatis titulo aliquid in sustentationem petat ab eo, qui ibi cupit admitti, scilicet, quia jam habet expletum numerum eorum, quos commode alere potest, vel quia sunt alii quos admittere expedit et non pos-

sunt aliquid in sustentationem afferre, et omnes simul sine aliquo subsidio recipere non potest, vel quia ita expedit, ut crescant redditus monasterii ad augendum religiosorum numerum cum convenienti sustentatione. In his enim et similibus casibus non condemnarem hujusmodi petitionem bona intentione factam. Solum admoneo, quod etiam Soto advertit, magna prudentia opus esse, ne sequatur scandalum; et ideo raro et cum magna moderatione hoc permittendum esse. Quapropter, quando multo plus exigitur, quam ad unius personæ in tali statu constitutæ sustentationem commode sufficit, non video qua ratione aut titulo id honestari possit. Ultimo vero addo, si quid minus rectum fiat bono zelo et ex ignorantia etiam culpabili, id satis esse ad excusandam censuram hujus Extravag., ut Cajetanus et fere omnes notant, ex proprietate illius verbi, *præsumant,* sæpe a nobis ponderata.

13. *Quid de usu monialium.* — Atque ex his constat, quid dicendum sit de usu monialium, quas aliqui excusare volunt quoad dotes solo titulo sustentationis, quoad alia vero, quæ ab eis interdum petuntur, vel ad communem usum domus aut sacristiæ, vel ad proprium commodum singularum personarum, solo titulo consuetudinis, id est, quia non petuntur ex pacto, sed ex quadam consuetudine. Quod præcipue Armilla significat. Sed hoc posterius non videtur carere scrupulo, quia in hac Extravagant. dicitur : *Ex statuto etiam seu consuetudine, quæ corruptela est potius dicenda;* et postea in prohibitione dicitur, *directe, vel indirecte, vel quoquo modo.* Illud etiam de sustentatione, licet regulariter verum habeat, tamen monasteriis ditioribus potest scrupulum ingerere. Unde Soto ait, in illis non sine scandalo dotes exigi; et magis auget rationem scrupuli, quod hæ dotes indifferenter petantur ab omnibus, etiam ab his, quæ non habent unde solvant, et quod hac de causa multæ priventur habitu et statu religionis, ad quam essent idoneæ, et a monasteriis ex redditibus eorum sustentari possent; et aliæ fortasse recipiantur minus idoneæ, quia dotem persolvunt. Dicendum vero est, regulariter loquendo, satis hoc honestari prædictis titulis; nam rarissime inveniuntur monasteria monialium, quæ non indigeant his subsidiis ad suam sustentationem, et consuetudo illa etiam post hanc Extravagantem tolerata, aut potuit contra illam prævalere, aut certe omnia illa ad convenientem sustentationem reduci possunt. An vero in particulari in hoc sit aliquis excessus propter speciales circumstantias hujus domus aut personæ, id Episcoporum aut Prælatorum curæ remittendum est.

14. *Dispositionem hujus Extravagant. non habere locum in receptione monialium.* — Quod vero spectat ad censuram, jam non habet locum in receptione monialium, etiamsi contingat indebito modo fieri. Refert enim Antonin., 3 part., tit. 24, c. 67, se audivisse a fide dignis Martinum V dixisse, se nolle, ut moniales incurrant aliquam censuram propter ea, quæ in ingressu dant vel recipiunt, quod etiam ait Felinus, in dict. cap. Quoniam, de Simonia. Et Navarrus refert Innocentium VIII declarasse, moniales non incurrere hanc censuram, nisi ob receptionem cum pacto, aut alicujus non idoneæ ob largitionem; Clementem autem VII concessisse, ut moniales nullam simoniæ pœnam incurrerent propter pacta et conventiones circa dotes monialium in commodum earum victum; et ex compendio privilegiorum, verb. *Moniales,* num. ult.

15. *Quid Concilium Tridentinum circa hoc statuat.* — Ultimo tamen advertendum est novum jus Concilii Tridentini, sess. 25, c. 16 de Reform. regular., ubi prohibet, *ne ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, vel curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejus tribuatur.* Quamvis autem hoc præcipiat Concilium sub anathematis pœna, et ideo grave peccatum sit hoc non servare, non tamen imponit illam ipso facto incurrendam. Hinc vero colligere licet, tribuere aliquid monasterio vel monialibus in ipsa professione, non pro ipsa, sed pro sustentatione sua, et monialium, et pro solemnitate et festivitate professionis, juxta consuetum morem, non improbari a Concilio, sed potius supponi ut licitum; nam, dum unum tanquam speciale prohibet, aliud in suo usu et consuetudine relinquere videtur. Rursus animadvertendum est, quod idem Concilium statuit ibidem, cap. 3, ut in monasteriis is tantum numerus religiosorum admittatur, qui ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari. Per quod, quantum ad monasteria monialium, ampliari vel explicari videtur quod in cap. 1, § Sane, de Statu regular., in 6, statutum fuerat, quod moniales non plures in monasteriis non mendicantium re-

cipiantur, quam ex bonis vel proventibus monasterii sine penuria valeant sustentari; Concilium enim Tridentinum addidit *eleemosynas consuetas*, vel tacite declaravit inter bona monasterii computari; et sub eisdem bonis vel eleemosynis nos comprehendi dicimus dotes et alia dona, quæ moniales ingredientes secum afferre solent; ideoque non fieri contra hanc legem, si recipiantur, etiamsi ex propriis redditibus bonorum immobilium monasterii sustentari non possint, nec etiam fieri contra nostram Extravagantem, vel alia jura, si ad supplendam sustentationem hujusmodi subsidia ab illis exigantur.

Tertia excommunicatio contra regulares indebite ad alias religiones transeuntes exponitur.

16. *Extravag.* 1 *de Regul.* — *Quos religiosos comprehendat prior Extravag. pars, quæ est de transeuntibus ad aliam religionem.* — Tertia excommunicatio etiam Papæ reservata sumitur ex Extravagant. 1 de Regul. In qua Martinus IV prohibet, ne religiosi mendicantes ad aliam religionem transeant, excepta Carthusiensi, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali; fertque excommunicationis sententiam ipso facto incurrendam et sibi reservatam tam in recipientes, quam in receptos contra prædictam constitutionem. Circa quam primo adverto, non esse generalem quoad omnes, sed contra quosdam religiosos ferri. Duplex autem actio in ea ponitur. Una est transitus ad aliam religionem; et sic tantum fertur contra religiosos professos ordinum mendicantium, quia solum in favorem illarum religionum facta est illa constitutio, ut in ipsa dicitur. Extenditur autem ad eos, qui post illam constitutionem editam in numerum mendicantium auctoritate Apostolica ascripti sunt, ut est Societas Jesu, juxta declarationem Pii V, anni 1571, ubi propterea declarat *eisdem privilegiis, indultis et gratiis fratribus mendicantibus concessis uti, frui, potiri et gaudere debere;* constat autem constitutionem hujus Extravagantis esse privilegium seu indultum quoddam, ad eorum favorem maxime pertinens. Rursus extenditur in hac religione, non solum ad religiosos solemniter professos, sed etiam ad omnes illos, qui post biennium vota simplicia emiserunt, tum quia dicta Extravagans generatim loquitur de religiosis mendicantibus; omnes autem dicti sunt vere et proprie religiosi mendicantes, ut satis declarat Pius V, in eadem Bulla, qua vult comprehendi omnes et singulas Societatis personas, et non solum domos, sed etiam collegia et personas eorum dicit vere ac non ficte sub religiosis mendicantibus comprehendi. Et postea uberius et expressius id declaravit Gregorius XIII in Constitutionibus editis in favorem hujus religionis anno 1582 et 1584. Tum etiam quia per alios Pontifices id expresse prohibitum fuerat, ut constat ex Bulla Pauli III, anni 1549, et ex concessione Pii IV confirmata et promulgata in Bulla Pii V, anno 1565. Inter quas est diversitas, quod Paulus III non imposuit excommunicationem ipso jure incurrendam, sed facultatem tribuit Societati ad excommunicandum hujusmodi apostatas et transeuntes; uterque autem Pius ipso jure fert hanc censuram contra has personas, cum eadem reservatione, et ex tunc concessit communicationem omnium favorum religiosorum mendicantium eisdem personis Societatis. Unde ex tunc etiam cœpit excommunicatio juris communis ad omnes illas extendi, cum ampliationibus tamen ibi adjectis, et statim explicandis.

17. *Secunda pars ejusdem Extravag., quæ est de recipientibus sic transeuntes, quos comprehendat.* — Alia actio, ob quam hæc censura incurritur, est receptio, ita ut religiosi recipientes alium mendicantem sic transeuntem et deserentem suum ordinem, eamdem excommunicationem incurrant. Sub hoc tamen ordine comprehenduntur solum religiosi, qui in illa Extravag. numerantur, nempe *S. Benedicti, Cisterciensis, Camaldulensis, Vallis umbrosæ, Canonicorum regularium S. Augustini vel aliorum monasticorum ordinum;* semper enim fit relatio in dicta Extravag. ad hujusmodi ordines. Quapropter, si transitus fiat ab uno ordine mendicantium ad alium, ex vi hujus juris nec transiens, nec recipientes excommunicationem incurrunt. Dico autem, *ex vi hujus juris,* quia ex particularibus concessionibus factis singulis religionibus fieri potest, ut incurratur censura; qualis est illa, quam referunt Armilla, *Excommun.*, 67, et alii, fecisse Clementem Papam Ordini Prædicatorum, excommunicando religiosos ordinis Minorum, qui receperint Dominicanos volentes ad ipsos transire sine expressa licentia Summi Pontificis vel suorum superiorum. Per quod indultum non dicuntur excommunicati transeuntes, sed tantum recipientes, nec fit mentio reservationis talis censuræ. At vero in Societate per dictam concessionem

Pii IV et V, extensa est hæc censura reservata tam ex parte transeuntium, quam recipientium, respectu omnium ordinum, etiam Minorum vel aliorum mendicantium, excepto solum ordine Carthusiensi.

18. *Qualis licentia necessaria sit, ut hujus Extravag. tenor servetur.* — Circa exceptionem autem, quæ in dicta Extravag. additur, scilicet : *Nisi ex licentia speciali Sedis Apostolicæ,* quidam declarant necessarium esse, ut in tali licentia fiat expressa mentio tam religiosi transeuntis, quam religionis ad quam transit, quam etiam hujus constitutionis Martini, quæ per talem licentiam quodammodo quoad illud factum relaxatur. Quam conditionem ponit D. Antoninus, 3 part., tit. 16, c. 4, § 4, in fine, et Armilla supra refert expressam esse a Clemente in indulto Prædicatoribus concesso, unde ad illo utendum servanda erit. Tamen in præsenti, quia non invenio illam in hoc textu, et ideo nec necessariam esse censeo, sed satis esse, *licentiam specialem Sedis Apostolicæ;* hæc enim sunt tantum verba textus. Ut sit autem specialis, maxime requiritur nominatio personæ, cui facultas conceditur, ut per se constat; et videtur etiam necessarium, ut nominetur sub nomine religiosi talis religionis, a qua fit transitus, quia ex hac parte maxime fit dispensatio, eique quodammodo per talem licentiam derogatur, ideoque ejus expressio maxime necessaria est. Alterius vero religionis, ad quam futurus est transitus, satis est sive speciatim, sive sub communi aliqua ratione mentio fiat, quia hujusmodi licentia satis specialis est.

19. *Sufficiatne licentia Prælati religionis derelinquendæ.* — Quæri vero hic potest, an sufficiat licentia Prælati illius religionis, quam transiturus cupit relinquere. Respondeo ex vi juris communis non sufficere, quia in hac Extravag. solum excipitur specialis licentia Sedis Apostolicæ; exceptio enim firmat generalem regulam in contrarium. Dico autem, *ex jure communi,* quia jure et privilegio speciali aliud contingere potest, ut in prædicta concessione Pii IV et V dicitur, nullum de Societate posse transire ad aliam religionem excepta Carthusianorum absque expressa superioris licentia ad id ab eo specialiter obtenta. Ibi autem non dicitur hanc licentiam sufficere sine indulto Romani Pontificis, sed solum videtur requiri, ut tale indultum rite et valide impetrari possit, quia sine tali licentia subreptitium esse ibidem declaratur. Nihilominus tamen, licet hoc solum specialiter ibi exprimatur, ex vi prioris concessionis Pauli III sufficit solius superioris licentia, quia sub disjunctione dicitur : *Nisi de expressa ipsius Præpositi, aut dictæ Sedis licentia,* quod postea Gregorius XIII, in concessione anni 1582, confirmavit, et declaravit, etiam in solemniter professis facultatem Præpositi generalis sufficere. Voluitque ut quoad hanc facultatem non possent aliæ religiones per viam communicationis ea concessione uti, in quo manifeste supponit, seclusa hujusmodi speciali gratia Sedis Apostolicæ, licentiam superioris non sufficere.

20. *Liceatne mendicanti a religione ejecto sine Papæ licentia religionem ingredi monachalem.* — Ex quo etiam facile solvitur dubium, quod D. Anton. proponit, an religiosus ordinis mendicantis ab illa ejectus, et habitu privatus propter suas culpas, hoc ipso valeat absque alia facultate Sedis Apostolicæ ad quemcumque ordinem monachalem transire. Respondetque affirmative, et dicit fuisse petitorium consilium, quia ille non est cogendus in seculo remanere; ergo, si a sua religione ejicitur, liberum ei erit ad quamcumque aliam transire. Sed oppositum verius esse existimo; idque in primis colligo ex Gregor. XIII, in Bulla, quæ incipit : *Cum alias felicis recordationis,* etc., nam specialiter concedit Generali Societatis, ut professus a Societate ejectus possit de illius licentia ad alium ordinem transire, et hanc facultatem non vult communicare aliis; ergo supponit, et esse necessariam aliquam licentiam, etiam in professo semel ejecto, et hanc non posse dare superiorem religionis sine Sedis Apostolicæ auctoritate. Præterea ex hac Extravag. hoc colligitur, quia prohibitio est generalis, et exceptio est unica, scilicet licentia Sedis Apostolicæ; professus autem quantumvis a religione ejectus, vere religiosus talis religionis perseverat; ergo comprehenditur sub illa prohibitione cum eadem unica exceptione. Et confirmatur, quia alias possent facile superiores religionum hac via aperire transitum ad alias religiones in fraudem hujus Extravagantis. Denique adjungitur ratio, quia professus etiamsi propter crimina sit ejectus, semper manet tali religioni subjectus, ita ut revocatus redire teneatur; ergo non potest sua auctoritate aliam religionem profiteri, nec superior religionis potest eam facultatem concedere, quasi cedendo juri totius religionis, quia Summus Pontifex hoc sibi reservavit. Neque est inconveniens, quod ille sic dimissus in sæculo ma-

neat sine habitu religionis in pœnam suorum criminum, donec mereatur misericordiam obtinere. Præsertim quia potest arctiorem, vel æqualem religionem mendicantium ingredi.

21. *De absolutione ab hac censura.* — Ultimo circa reservationem hujus excommunicationis advertendum est, de jure communi integre servandam esse, ut verba ejus præ se ferunt, cum moderationibus communibus aliis casibus reservatis. De jure autem speciali concessum est Societati a Pio IV et V, supra citatis, ut superior ejus possit ab hac censura absolvere; quæ concessio non limitatur tantum ad censuram, quam incurrit religiosus apostata, sed absolute conceditur, et ideo etiam extenditur ad eam, quam contrahunt recipientes hujusmodi apostatas.

Excommunicatio contra simoniacos exponitur.

22. *Extravagant. 2, de Simonia. — Prima pars textus. — Dubium. — Resolutio. — Secunda ejusdem Extravagant. pars.* — Quarta excommunicatio sumitur ex Extravagant 2, de Simonia, inter communes, ubi Paulus II, excommunicationem reservatam profert in eos, qui simoniæ vitium committunt. In qua constitutione primo observandum est, prius in ea renovari omnes censuras excommunicationis, suspensionis et interdicti antea latas in antiquioribus juribus contra simoniacos, et extendi ad omnes ordines personarum, cujuscumque dignitatis existant, quæ ibi fuse numerantur, additurque eas ipso facto incurri. Ubi dubitari potest, an ex vi illius decreti incurrantur tales censuræ ipso facto, etiamsi in antiquioribus juribus essent tantum ferendæ. Videntur enim hanc vim habere illa verba : *Quas ipso facto eos incurrere volumus.* Nihilominus oppositum affirmandum est; illa enim verba non sunt ad instituendum jus omnino novum quoad talem pœnam, vel modum ejus, sed tantum ad confirmandum antiquum, ut manifeste constat, tum ex verbis sequentibus : *Confirmantes et innovantes,* etc.; tum ex præcedentibus, in quibus loquitur Pontifex de sententiis censurarum latis a suis prædecessoribus; non dicitur autem sententia lata ex vi juris, nisi quando imponitur censura ipso facto incurrenda; tum denique, quia in speciali casu Ordinis simoniace suscepti, in quo antiqua jura non imponebant suspensionem ipso jure, quoniam Papa voluit eam imponere, id specialiter expressit; ergo in reliquis nihil hujusmodi addidit; ergo in illa prima parte nulla est excommunicatio ipso jure lata. Quid autem in antiquioribus juribus statutum sit, postea videbimus. In secunda item parte illius textus, seu vers. *Per electionis,* non fertur censura, sed irritæ fiunt dispositiones omnes Ecclesiasticæ simoniace factæ.

23. *Tertia pars ejusdem Extravag. exponitur.* — Tandem in tertio vers. *Statuentes,* excommunicantur omnes quacumque dignitate præditi, *qui quomodolibet dando, vel recipiendo, simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint,* cum reservatione ad Summum Pontificem. In qua censura solum est advertendum, quoad personas esse universalissimam, ita ut reges et Cardinales comprehendat; quoad actiones vero, propter quas incurritur, quatuor esse, quæ ibi exprimuntur, scilicet, *dare, recipere, intercedere per modum mediatoris ad contractum, et procurare illum.* Declarandum vero superest, an hæc censura sit generalis etiam ex parte simoniæ quoad materiam ejus, id est, in quacumque re committatur; item an sit generalis ex parte modi, id est, sive realis, sive mentalis sit, etc.

24. *An, in quacumque materia committitur simonia, incurratur hac excommunicatio.* — In priori puncto Cajet., c. 72 de Excom., explicans aliam Extravag. Martini V, in Concil. Constantiense, sess. 24, ubi similis excommunicatio fertur, quamvis non cum reservatione, et hanc nostram obiter attingens, ait, solum incurri hanc censuram propter simoniam in ordinatione vel beneficio, quod intelligitur etiam quodlibet munus spiritualis regiminis, ut est officium Prælati religionis. Quem sequitur etiam Navarrus, num. 116, et uterque dicit esse communem interpretationem, et sine dubio est communi usu recepta. Quod satis esset ad intelligendum pœnam cum hac moderatione, nam consuetudo non solum est optima legum interpres, sed etiam potest esse moderatrix, etiamsi verba legis generaliora appareant, ut in præsenti esse videntur illa : *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint;* hæc enim verba nullam certam materiam limitant; et signum illud, *quomodolibet,* universalissimum est. Propter quam fortasse causam Soto, lib. 9 de Just., quæst. 8, art. 2, generatim loquens de simonia, ait unam ex pœnis propter simoniam impositam, esse excommunicationem Papalem, quæ ipso facto incurritur; quam censu-

ram dicit esse latam in c. Reperiuntur, 1, q. 1, et ab Eugenio, Martino et Paulo Pontificibus. Sed in tota illa quæst. 1, nulla excommunicatio Papalis fertur, imo nec suspensio, quæ ipso jure incurratur propter hoc crimen, ut infra suo loco dicemus. Extravagans autem illa Eugenii, quæ incipit, *Dammabile,* ut ipse Sot. refert, nec in corpore juris est, nec inter acta Eugenii IV, in 4 tom. Conciliorum invenitur; et ideo, licet aliquando fortasse fuerit, non est recepta, neque in usu; et forte in sensu non differebat a constitutione Martini V, ut ipse etiam Soto insinuat; ex dictis autem Extravag. Pauli et Martini solum possunt citata verba afferri, quæ specie quidem sunt apparentia. Nihilominus tamen limitanda videntur juxta præcedentia; nam proxime dictum fuerat, *per electiones, postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones simoniace factas nullum jus acquiri in Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis Ecclesiasticis, et quibusvis beneficiis, sed viribus omnino carere;* et statim subditur : *Statuentes quod omnes qui quomodolibet,* etc.; ergo hæc verba intelligenda sunt juxta materiam proxime subjectam, quod apertius colligitur ex decreto Martini V, in quo eadem secunda clausula fere eisdem verbis habetur, et postea solum subjungitur : *Statuentes insuper, quod dantes et recipientes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt;* neque amplius explicat in quo, vel ad quid dare debeant, vel recipere; intelligit ergo in provisionibus ad officia, vel beneficia supra numerata; idem est ergo sensus Pauli, qui hanc constitutionem in hac parte ex Martino sumpsit, solumque eam ampliavit quoad reservationem, et alios modos concurrendi, de eadem tamen sententia locutus est; tandem facit, quod idem Sixtus et Paulus in Extravag. *Etsi dominici,* 1 et 2, de Pœnit. et remis., solum simoniam in Ordine et beneficio numerant inter casus Papæ reservatos.

25. *Objectio. — Solvitur.* — Dices, juxta ea, quæ in textu numerantur, excludendam esse simoniam in Ordine, ita ut solum propter simoniam in officio vel beneficio incurratur hæc censura, quia ibi duplex fertur pœna, scilicet suspensionis et excommunicationis, et prior fertur in prima clausula contra simoniace ordinatos, et ibi videtur finiri sermo de illis; altera ergo excommunicationis censura pertinere videtur ad alios simoniacos in beneficio, de quibus proximus sermo præcesserat, unde ad eos tantum videntur referenda omnia verba in tertia clausula posita. Sed nihilominus communiter Doctores intelligunt hanc excommunicationem cadere in utramque simoniam, et clausulam præcedentem; ita ut dantes et recipientes intelligantur sive ad Ordinem, sive ad beneficium conferendum, aut obtinendum, nam sicut in prima clausula suspensio fertur contra simoniace ordinatos, ita in secunda fertur non solum suspensio, sed etiam privatio talis officii vel beneficii sic adepti, et proventuum ejus ipso jure; postea vero generalibus verbis fertur excommunicatio, quæ totam materiam præcedentem comprehendit.

26. *Propter quam simoniam excommunicatio hæc incurratur.* — Circa aliud punctum longa occurrebat disputatio de simonia mentali, conventionali et reali; sed quia in proprium locum hæc reservamus, ideo nunc supponimus, hanc censuram solum incurri per simoniam realem consummatam, ex illo principio generali supra posito, hujusmodi leges pœnales punientes actum intelligi debere de actu perfecto et consummato in sua specie, quia sunt stricte interpretandæ, quamdiu ipsæmet aliud non declarent; in præsenti autem sola simonia realis est consummata et perfecta in sua specie. Atque ita docet Navar. supra, et aliis locis, quæ ipse refert, in quibus etiam alios auctores allegat. Addendum vero est ex Sylvest., verb. *Simonia,* quæst. 9, si simonia realis sit, sufficere ad hanc censuram, etiamsi occultissima sit, quia lex hæc nihil distinguit inter occultam et publicam; censura autem, quæ ipso jure fertur, etiam propter occultissimum crimen contrahitur, dummodo externum sit. Sed quid, si beneficium per simoniam datum sit ignorante eo cui datur, qui postea nolit illud resignare? an per hoc incidat in hanc excommunicationem? Respondetur, non incidere, quia, licet in eo peccet, non tamen per simoniæ culpam; unde non incurrit hanc censuram; neque alibi etiam lata legitur contra eum, de qua re videri potest Covar. in reg. *Peccatum,* 2 p., § 8, num. 7.

27. *Quarta pars illius Extravag. exponitur.* — Ultimo, in quarta parte illius textus additur præceptum in virtute sanctæ obedientiæ denunciandi Summo Pontifici hujusmodi simoniacos; additurque, ut hujusmodi scientes tale delictum, et non denunciantes, absolvi non valeant, donec prædicta denuncient. Non est tamen sermo de absolutione ab excom-

municatione; nulla enim excommunicatio ibi fertur contra hujusmodi non denunciantes, sed est sermo de absolutione a culpa, per modum cujusdam reservationis, vel potius est ad explicandam vim illius præcepti, quod semper obligat donec impleatur, et ideo qui illud non implet cum possit, et debeat, indispositus est ut absolvatur. Addit vero Navarr. supra, ex Sylvest. et Antonin., præceptum hoc non obligare alios quam curiales Romanos, quia quoad hanc partem non est aliter illa constitutio recepta. Respectu vero illorum hæc lex obligat in utraque simonia Ordinis, et beneficii, et in illa sola.

Excommunicatio contra male absolventes a casibus Papæ reservatis exponitur.

28. *Extravagant. Etsi dominici, 2, de Pœnit. et remiss.* — Quinta excommunicatio sumi potest ex Extravag. *Etsi dominici,* 2, de Pœnit. et remiss., ubi Sixtus IV, excommunicationem suæ Sedi reservatam profert in eos, qui tentant absolvere a quibusdam casibus specialiter Papæ reservatis, quos ibi numerat; quibus etiam generaliter adjungit casus Bullæ Cœnæ, vultque eos semper intelligi exceptos in facultatibus datis ad absolvendum plenarie, etiam cum clausula generali de casibus Papæ reservatis et votorum commutatione, ideoque excommunicat eos, qui prætextu talium facultatum a dictis casibus exceptis, seu specialioribus absolvunt, vel commutant quinque vota specialiter Papæ reservata, scilicet religionis, castitatis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Compostellanæ ac Romanæ. Observare tamen oportet, hanc censuram solum ferri in eos, qui hæc faciunt prætextu facultatum generalium, ab ipsomet Sixto IV concessarum. Quod constat ex illis verbis : *Per nos, vel auctoritate nostra concessarum tam verbo, quam scriptis;* et infra semel et iterum dicitur : *Prætextu hujusmodi facultatum concessarum a nobis verbo vel litteris absolvere,* etc. Nec refert, quod addit: *Et quas concedi quomodolibet continget postea;* subintelligendum enim est pronomen *a nobis,* quod immediate præcesserat; semper enim loquitur de suis facultatibus, vel jam concessis, vel concedendis. Atque ita intelligunt Doctores statim citandi. Quocirca jam hoc tempore rarissime potest hæc excommunicatio contrahi, scilicet, si aliquis adhuc conservavit aliquod privilegium Sixti IV, suis antecessoribus concessum in perpetuum, vel usque ad certum successionis gradum, in quo privilegio talis clausula generalis contineretur, et virtute illius absolvatur, vel dispensetur in dictis casibus, nam tunc absolvens eo prætextu, incurreret hunc canonem, quia directe ageret contra illum.

29. At vero extra hunc prætextum et rarissimum casum, nullam invenio nunc excommunicationem latam et reservatam Papæ contra hujusmodi absolventes in dictis casibus, aut commutantes, seu dispensantes prædicta vota. Unde circa absolventes a casibus Cœnæ Domini servandum est quod circa finem expositionis illius Bullæ diximus, nimirum ibi latam esse contra eos excommunicationem ipso facto incurrendam, non tamen reservatam Papæ. Quoad alios vero casus, et quoad vota ibi numerata, juxta formam facultatum, quæ a Sede Apostolica emanaverit, judicandum esse de potestate absolvendi in illis, vel commutandi talia vota; non est tamen lata specialis censura contra eos, qui legitima potestate, aut facultate absolvunt, aut commutant. Et ita intellexisse videtur hanc Extravag. Angel., verb. *Excommun.*, 5, casu 31 ; clarius et fusius Sylvest., verb. *Excommun.*, 7, num. 77, excom. 32; Soto, d. 22, quæst. 2, art. 3, circa fin.; et Nav., in Sum., c. 12, num. 75, et c. 27, num. 74 et 105.

Excommunicatio contra affirmantes esse hæresim, aut peccatum, asserere Beatissimam Virginem esse conceptam sine peccato originali, aut e converso.

30. Sexta excommunicatio sumitur ex Extravag. *Grave nimis*, de Reliquiis et veneratione Sanctorum, in qua Sixtus IV excommunicationem ipso jure latam sibique reservatam profert in eos, *qui affirmare præsumunt eos, qui credunt, aut tenent Beatissimam Virginem ab originali peccato fuisse præservatam, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare, vel etiam eos qui officium Conceptionis celebrant, vel conciones audiunt illorum, qui eam sine macula peccati conceptam esse prædicant, alicujus peccati reatum incurrere;* atque etiam in eos, *qui hujusmodi assertiones* (quas ibi ut falsas, et erroneas damnat) *veras esse, vel libros illas continentes ut veros, legere, tenere, vel habere, postquam de dicta Extravaganti notitiam habuerint, ausu temerario præsumpserint.* Idem contra eos, qui *contrariam opinionem tenentes,* scilicet Beatam Virginem

cam peccato originali fuisse conceptam, *hæresim primo, vel peccatum incurrere mortale ausi fuerint asserere.* Quam constitutionem confirmavit Concil. Trident., sess. 5, decr. de peccato originali; et postea Pius V, in motu proprio de hac re, quæ incipit *Super speculum,* ubi nonnulla alia prohibet, quæ hic non continentur. Tamen, quia a nobis alibi tacta sunt, et in eis excommunicationis censura non adjungitur, illa omittimus. Est ergo censura hæc generalis quoad omnes personas aliquid ex prædictis committentes. Nam, licet occasio ferendi illam legem fuerit quidam prædicatorum abusus, ut in principio ejus dicitur, tamen ipsa non est tantum lata contra prædicatores verbi Dei, qui in sermonibus ad populum hæc committunt, sed etiam contra quoscumque alios, quolibet alio modo id facientes. Hæc enim vere sunt generalia verba illius legis.

32. *Actiones in hac Extravagante prohibitæ.* — Actiones vero ibi prohibitæ, quarum quælibet ad hanc excommunicationem incurrendam sufficit, variæ sunt. Circa opinionem asserentem Virginem sine originali peccato conceptam fuisse, hæc prohibentur. Primo affirmare esse hæresim hoc credere vel tenere; secundo affirmare esse peccatum mortale id credere vel tenere; tertio affirmare esse aliquod peccatum Conceptionis officium celebrare, aut conciones eorum, qui eam Immaculatam prædicant, audire. Ubi consideranda est differentia inter secundam actionem et hanc tertiam; in illa enim requiritur, ut quis asserat esse peccatum mortale; unde, si quis diceret esse veniale, opinari Beatam Virginem fuisse conceptam sine peccato, licet male faceret, non incurreret hanc censuram; quod pari modo observandum est in sexta. At vero in tertia absolute dicitur, *aliquod peccatum,* et non arctatur ad mortale; et ideo qui dicunt esse peccatum veniale celebrare hoc festum Conceptionis, hanc censuram incurrerent. Quarto affirmare prædictas assertiones veras esse; sed hoc fere coincidit cum præcedentibus, quia perinde est affirmare aliquid esse verum, aut simpliciter affirmare illud. Quinto libros talem doctrinam continentes pro veris legere, tenere vel habere. Pro altera vero opinione solum ponitur affirmare, hæresim vel mortale peccatum incurrere eum, qui docet aut affirmat Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam. De aliis vero membris non fit mentio; et ideo dubitari potest, an excommunicatio prout in hac posteriori parte fertur, extendenda sit ad omnes actiones, quæ in priori parte numerantur. Et in primis de celebratione festi clarum est, neminem celebrare Conceptionem Virginis, eo quod fuerit originali peccato maculata; nam illud non potest esse objectum vel ratio celebritatis; unde qui diceret impium esse sub hac ratione celebrare Conceptionem, nihil peccaret, sed verissimum diceret. Potest enim celebrari dies Conceptionis, etiamsi quis opinetur in ipsa Conceptione non caruisse Virginem macula peccati, non tamen eo titulo celebrando illum diem, sed quia in eo sanctificata fuit Virgo ab illa macula, vel quia ipsa procreatio talis personæ, ut fuit a Deo etiam quoad naturam, fuit magnum beneficium Dei omnibus collatum; hoc enim modo et sensu celebrare festum illud non est peccatum.

33. *Dubium.* — *Resolutio.* — Sed quæret aliquis, si quis circa hoc diceret oppositum, scilicet peccare eos, qui prædicto sensu seu existimatione Conceptionem celebrant, an committat contra hanc Extravagantem et censuram incurrat. Non deerunt enim qui hoc affirment, quia Sixtus IV excommunicat omnes qui affirmant peccare celebrantes Conceptionem. Sed nihilominus dicendum est ex vi hujus clausulæ, ac per se non incurrere hanc censuram, quia Sixtus loquitur de his qui celebrant officium Immaculatæ Conceptionis; nam de hoc tantum in principio fecit mentionem, et postea dicit, *hujusmodi officium celebrantes;* solum ergo fert censuram contra eos, qui peccati damnant celebrantes hanc Conceptionem ut immaculatam. De his vero, qui peccati damnaverint alios, qui celebrant Conceptionem maculatam, quamvis non ut talem, sed sub aliis titulis, nihil hic dicitur, et ideo ex vi hujus assertionis non incurritur hæc censura. Dico autem, *per se et ex vi hujus,* quia si in eo velit indirecte vel involute et implicite affirmare, peccare eos, qui sentiunt de Conceptione Virginis, ex hoc capite posset incurrere hanc censuram. Verumtamen hoc per se et intrinsece necessario non sequitur, nam posset quis cogitare, quamvis non sit peccatum, credere Virginem fuisse conceptam cum originali culpa, nihilominus esse peccatum cum tali opinione et existimatione de Virgine, Conceptionem ejus colere et celebrare; quod licet falso et imprudenter dictum esset, non tamen invenitur hic prohibitum, neque hac censura punitur.

34. Idem fere est de quarta actione, si quis

affirmaret peccare eos, qui audiant concionatores prædicantes Beatam Virginem fuisse conceptam cum peccato originali; hoc enim, esto sit falsum et improbe dictum, tamen hic non est prohibitum neque punitum; et ideo qui ita loqueretur, sine dubio hanc censuram non incurreret, quamvis alia correctione dignus esset. Denique simile est de actione legendi vel tenendi libros continentes doctrinam hic prohibitam circa illam sententiam, quæ affirmat, Virginem fuisse conceptam cum peccato originali, id est, in quibus scriptum sit esse peccatum vel hæresim, credere Beatam Virginem habuisse in Conceptione originale peccatum; nam de his libris nihil hic dicitur, neque eos damnat Sixtus, neque prohibet eos tenere aut legere ut veros, neque illam doctrinam damnat ut erroneam, sed solum prohibet eam asserere. Qui ergo post illam Extravagantem talem librum scriberet, ipse incurreret in hanc censuram, quia qui scribit librum, asserit quod in eo scribit; non enim agimus de eo, qui materialiter scribit, sed de eo, qui formaliter, ut auctor illius doctrinæ. Qui autem talem librum apud se tenuerit, vel eum legerit etiam ut verum, non incurret, quia hæc non sunt hic prohibita; imo nec credere doctrinam talis libri esse veram, sed solum eam asserere.

35. *Quid si quis dictos libros prohibitos non pro veris legat aut teneat.* — Hic vero dubitabit aliquis circa alteram partem, si quis apud se retineat et legat libros continentes doctrinam hic prohibitam contra Immaculatam Virginis Conceptionem, scilicet esse peccatum, aut hæresim illam credere, affirmare aut celebrare, si non legat illos ut veros in hac parte, neque ad hunc finem eos teneat, sed vel propter alia utilia, vel ut eos in ea parte impugnet, vel recreationis causa, an excusetur ab hac censura incurrenda. Respondetur : de legente illo modo certum est non incurrere, quia in textu expresse dicitur, *aut dictos libros pro veris legere;* qui ergo non pro veris, sed pro falsis aut impertinentibus legit, non aget contra hanc legem. De alio vero actu habendi seu tenendi potest esse nonnulla ratio dubitandi, quia illa verba videntur magis absolute in textu poni. Nihilominus tamen existimo particulam illam *pro veris,* cum omnibus illis prioribus conjungendam esse; et ideo idem esse de omnibus judicium; verba enim textus sunt : *Aut dictos libros pro veris legere, tenere vel habere.* Ubi etiam adverto, hic non esse prohibitum credere aut tenere dictam doctrinam esse veram, tum quia non est damnata ut hæretica, tum etiam quia illud spectat ad actum mere interiorem; sed prohibetur illa doctrina ut prodiens in actum exteriorem, et consequenter etiam prohibentur illi actus exteriores, qui ad illam confirmandam ordinantur, ut sunt legere vel tenere tales libros ut veros, quia cum illa doctrina rejiciatur, saltem ut erronea, merito præcluduntur viæ, quibus diffundi possit.

36. *Ad hanc censuram incurrendam requiritur præsumptio. — Dubium. — Elucidatur.* In quo etiam sunt advertenda verba, quibus fertur hæc prohibitio et censura, scilicet : *Qui affirmare præsumpserit ausu temerario, et postquam de præsentibus scientiam habuerit.* Nam ex eis colligitur non incurrere hanc censuram, qui ex ignorantia hujus Extravagantis per quamdam simplicitatem aliquid eorum fecerit, quæ in ea prohibentur, ut notarunt Cajetanus, cap. 72, de Excomm., et Navarrus, cap. 27, num. 107, et alii. Quæret vero tandem aliquis, si quis assereret aliquid eorum, quæ hic prohibentur, non quia ita interius sentiat, sed solum exterius in aliorum offensionem, vel ut aliis placeat, an incurrat hanc censuram; videri enim potest non incurrere, quia est actus imperfectus, sicut alias dici solet de hæretico pure externo. Mihi tamen videtur illum incurrere, quia hæc lex non punit peccatum hæresis, vel aliud simile, sed ipsammet assertionem exteriorem seu prædicationem; in quo perfecta est transgressio per actum exteriorem, quidquid interius sentiatur. Præterea hæc lex specialiter addit illam particulam, *pro veris,* tantum in actionibus legendi vel retinendi libros, assertionem vero talis doctrinæ absolute et simpliciter prohibet; ergo qui eam exterius affirmat, licet interius non sentiat esse veram, nihilominus incurrit. Tandem ex fine illius legis hoc colligi potest, qui fuit vitare scandalum; hoc autem ex assertione exteriori generatur, etiamsi interior credulitas deficiat.

37. *Septima excommunicatio ex Extravagante 1 de Sententia excommunicationis.* — Septima excommunicatio reservata est a Bonifacio VIII, in Extravag. 1 de Sententia excomm., et postea innovata est, et aucta a Gregorio XIII, in Extravaganti ab ipso, quæ est 28 inter constitutiones ejus; et lata est contra eos, qui in Romana Curia in negotiis tam gratiæ quam justitiæ dant aliquid vel

promittunt, ut quod prætendunt, obtineant; comprehenditque tam *dantes* quam *recipientes, vel quoquo modo intercedentes dando favorem, auxilium,* etc. Circa quam constitutionem integrum confecit opus Doctor Navarrus; habetur in tom. 2 suorum operum; et ob eam rem a majori explicatione illius constitutionis hic abstinebimus, et præsertim, quia non est universalis, sed specialiter ad Romanam Curiam pertinet; nec possemus eam sine longiori digressione pertractare.

38. Octava addi posset ex Extravaganti *Salvator,* de Præbendis, inter communes. Sed illius tractationem omitto; pertinet enim solum ad specialem Ecclesiam Tolosanam, et eadem ratione de suspensione et interdicto, quæ ibi simul (quanquam respectu diversorum) cum proportione feruntur, nihil amplius in hoc opere dicam. Et hæc sufficiunt, quibus addi possunt quæ adnotavimus in 2 tomo 3 partis, disput. 3, sect. 6.

SECTIO VI.

Quæ excommunicationes ipso jure latæ et Papæ reservatæ extra corpus juris habeantur.

1. Prolixum esset legentibus, et mihi valde onerosum, excommunicationes omnes congerere, quæ a variis Pontificibus per sua diplomata, aut motus proprios, vel constitutiones, aut Extravagantes, latæ sunt; nec quidem esset admodum utile, quia multæ ex eis ad Ecclesiam totam non pertinent, sed ad speciales casus, congregationes, vel nationes; aliæ vero vel revocatæ sunt, vel non sunt in usu; et ideo tam hic quam in sequenti disputatione solas eas indicabo, quæ communi usui esse possunt, vel ad tollenda dubia, aut falsos aliquos timores, vel certe ut sufficiens notitia habeatur earum excommunicationum, quæ communiter in praxi habentur.

2. *Prima excommunicatio contra Cardinales qui, per simoniam, procurant eligi in Pontificem* — Prima ergo sumi potest ex Concilio Lateranensi sub Leone X, sess. 5, ubi legitur constitutio Julii II, *Cum tam divino,* lata contra eos qui, per simoniam, post mortem unius Pontificis, in successorem ejus eligi procurant, in qua prius multa de irritatione talis electionis et de punitione talis simoniæ statuit, quæ ad præsentem tractatum non spectant, quia in ea parte nulla censura imponitur. Videantur Doctores in cap. Licet, de Elect., et Victoria, relect. de Simonia, num. 5. Deinde præcipit *omnibus Cardinalibus, qui pro tempore erunt, ne contra ibi statuta, vel aliquod eorum statuere, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere seu attentare præsumant, quocumque exquisito colore, vel causa, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam ipso facto incurrant, et a qua non nisi per Romanum Pontificem canonice electum absolvi possint, nisi in mortis articulo.* Quæ constitutio recepta et approbata fuit in eodem Concilio; et est facilis, quia verba satis per se clara sunt. Solum est ponderandum cum Cajetano, c. 24, hanc censuram tantum ferri contra Cardinales, qui hæc faciunt tempore vacantis Sedis; unde si vivente Pontifice similia fiant, non est locus huic censuræ; ita enim in ipsa lege satis expressum est, fortasse quia vivente Pontifice non erat tanta necessitas, tum quia eo tempore non urget occasio, tum etiam quia ad ipsum incumbit cura hæc corrigendi.

3. *Secunda excommunicatio ex Pauli II constitut.* — Secunda excommunicatio sumitur ex quadam Extravaganti Pauli II, *Cum in omnibus,* ferturque contra commissarios et delegatos Sedis Apostolicæ circa causas alienationis rerum Ecclesiasticarum, quibus ibi præcipitur, *ut caute, et diligenter attendant causas in litteris Apostolicis per supplicationes expressas, illasque sollicite examinent,* etc., et subditur : *Si quis autem commissarius vel delegatus conscientiæ suæ prodigus in gravamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, vel timorem, aut sordes alienationi consenserit, aut decretum vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem Episcopo sententiam excommunicationis incurrat.* In Episcopos vero fert suspensionem infra suo loco annotandam. Subditur vero deinde : *Is vero, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuraverit, aut per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurret, a qua non nisi per Romanum Pontificem absolvi possit.*

4. *Prior clausula constitutionis, quæ est de commissariis, exponitur. — Posterior pars de procurantibus aut extorquentibus alienationem explicatur.* — Duplex ergo excommunicatio ibi fertur : una contra commissarios ipsos abutentes sua facultate, et hæc non est reservata Papæ, et duas principales conditiones requirit, ut contrahatur. Una est, ut consensus vel decretum sit *in detrimentum*

Ecclesiæ; alia, ut *per gratiam, timorem, vel sordes.* Unde licet alienatio non sit in evidentem Ecclesiæ utilitatem, ideoque sit contra formam concessionis Pontificiæ factæ sub illa conditione, si tamen non sit *in detrimentum Ecclesiæ,* nec gravamen, sed sit æqualis conditionis, non incurretur illa censura ex defectu primæ conditionis. Similiter si commissarius id efficiat ex culpabili negligentia, non incurret talem censuram. Atque hæ etiam conditiones in altera excommunicatione observandæ sunt, quæ reservata est Summo Pontifici, et fertur contra duo genera personarum seu actionum, scilicet contra procurantes talem alienationem in detrimentum Ecclesiæ; et in his postulatur *dolus, fraus,* aut *scientia* de qualitate alienationis, seu quod sit in detrimentum Ecclesiæ. Quare si ignorantia etiam culpabilis intercedat, excusat a censura. Aliud genus personarum est extorquentium decretum talis alienationis, scilicet ab ipsis commissariis; requiritur autem, ut talis extorsio fiat *per sordes aut per impressionem,* id est per iniquas donationes vel promissiones, quæ nomine sordium significantur, aut per importunam persuasionem, aut deprecationem, aut similem inductionem; hæc enim omnia nomine *impressionis* significari videntur.

5. Unde est aliud discrimen considerandum inter has duas censuras; nam prior est nimis particularis quoad personas; solum enim est contra ipsos commissarios seu delegatos in tali causa, et hos non omnes, sed inferioris dignitatis, quam sint Episcopi; posterior vero est universalis contra omnes procurantes, etc., cujuscumque ordinis vel conditionis fuerint, nec limitatur ad inferiores Episcopo. Unde non video cur Navarr., cap. 27, num. 108, citans Sylvestrum, inter reservatas excommunicationes hanc posuerit, quatenus fertur contra commissarios et delegatos; nam revera (si textus attente legatur) in eo feruntur duæ censuræ contra diversas personas et diversarum qualitatum. Sylvester vero, *Excommunicatio,* 7, num. 83, distincte refert utramque clausulam textus, nullam tamen adhibuit interpretationem. At vero Cajetanus nullam hujus constitutionis mentionem fecit, fortasse quia non credidit esse in usu. Navarrus autem et Sylvester indicant esse in sua vi, quamvis non satis expresse id dicant, neque mihi omnino constat; timendam tamen esse admoneo.

6. *Pauli II constitutio* 6. — Alia item excommunicatio adjungi posset ex eodem Paulo II, in Extravag. 6, *Ambitiose,* et habetur in jure, tit. de Rebus Ecclesiæ non alienandis, in qua prohibet omnem alienationem bonorum Ecclesiasticorum, omneque pactum vel contractum de eisdem bonis contra formam illius constitutionis factum, et sententiam excommunicationis pro fertam in eum, qui hujusmodi bona alienat, quam in eum, qui recipit. Hæc tamen excommunicatio etiam reservata non est, ut bene indicavit Angelus, *Excommunicatio,* 7, casu 48. Fertur autem his verbis excommunicatio : *Tam qui alienat quam qui res alienatas seu bona Ecclesiæ receperit, sententiam excommunicationis incurret;* non ergo propter quodlibet pactum aut contractum, sed solum propter alienationem lata est illa excommunicatio. Quando autem sit vera alienatio, præter donationem aut venditionem propriam, non est nunc a nobis explicandum; certum est autem omnem contractum, quo transfertur in alium ususfructus, vel dominium utile rei etiam temporale, ultra tempus a jure commissum, vocari in eo textu alienationem; atque ita omnia pacta ibi numerata esse species quasdam alienationis; ideoque excommunicationem, quæ de genere fertur, in omnes species cadere. Affirmat autem Sylvest., *Excommunic.,* 7, num. 83, constitutionem illam nec servari, nec in multis locis receptam fuisse. De qua copiosius disputat Navarrus in comment. de Alienat. rerum Eccles.

Tertia excommunicatio ex Pauli II constitut. 3.

7. Tertia sumitur ex eodem Paulo II, in sua Extravag. quæ in Bullario habetur, quæ incipit *Munera;* in qua præcipit, ne quispiam officialium Romanæ Curiæ, aut Summi Pontificis in terris suis (quos ibi late numerat), aliquod genus muneris, scilicet aurum, argentum, aut vestem, aut equum, aut aliquid aliud cujuslibet speciei accipiant præter esculenta, et poculenta in moderata quantitate, scilicet, quæ intra biduum consumi possint, accipiant ab his, quibus præsunt, vel apud quos officia exercent; et subdit : *Alioqui tam dantes quam accipientes, etiamsi Pontificali præfulgeant dignitate, dummodo non sint Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etc., ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua absolvi non possint,*

nisi a Romano Pontifice. Circa quam solum adverto non obligare extra Romanam Curiam et terras subjectas Summo Pontifici, et ex parte dantium esse universalem ad omnes tam communitates, quam singulares personas, tamen habentes respectum subjectionis, vel similem ad eum, cui dant; ex parte vero recipientium esse specialem pro officialibus Papæ ibi numeratis cum exceptione Cardinalium.

8. *Quarta excommunicatio ex Leone X, in Concilio Lateranensi.* — Quarta excommunicatio lata est a Leone X, in Concilio Lateranensi, sess. 11, contra prædicatores, qui aliquid commiserint in suis concionibus contra ibi præcepta. Primum est, ut *Evangelicam veritatem, et sanctam Scripturam juxta Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent, nihilque adjiciant contrarium aut dissonum vero sensui Scripturæ, ejusque verbis rite et sane intellectis, juxta prædictorum Doctorum interpretationem.* Secundum est, *ut tempus præfixum futurorum malorum vel adventus Antichristi, aut certum judicii diem prædicere non præsumant.* Tertium, *ne alia similiter futura quasi specialiter revelata dicant, aut alienas inanesque divinationes asseverent, aut alio quocumque modo tractanda assumant.* Quartum, *ut a Prælatorum, aliorumque Superiorum, eorumque status scandalosa detractione abstineant.* Quintum (addunt multi) ne incerta, aut ficta miracula prædicent; tamen licet de hoc fiat mentio in narratione illius constitutionis, postea incipit prohibitio ab illis verbis : *Sacro approbante Concilio statuimus, et ordinamus,* etc. Et non additur illud speciale de falsis miraculis; et ideo non facile extenderem illam censuram ultra verborum exigentiam, quia per sese est nimis ampla, et multiplex in prohibitione. Posteaque subdit censuram gravissimam generaliter complectentem omnem transgressionem contra ibi præscripta, quod satis rigorosum est, indigeretque longa interpretatione, si singula verba expendere, et quoad fieri posse, moderari vellemus; sed non possumus immorari; et si considerentur quæ in similibus diximus, non erit hoc difficile lectori mediocriter instructo. Eo vel maxime quod mihi est valde dubium, an hæc lex et excommunicatio usu et consuetudine recepta sit; quod de omnibus excommunicationibus illius Concilii affirmat Cajetanus, verb. *Excommun.*, in fine, post cap. 81, et Bartholomæus Carranza, in Sum. Conciliorum, in fine illius Concilii, et Navarrus, c. 27, num. 110, et ideo alias excommunicationes, quæ in eo feruntur, prætermitto.

9. *Quinta excommunicatio contra accedentes ad sepulchrum Domini sine licentia Papæ ex libro Pœnitentiali.* — Quinta excommunicatio sumitur ex libro Pœnitentiali Summi Pontificis, quam ibi refert se vidissse D. Antoninus, 2 part., tit. 24, cap. 30, in fine, in hæc verba : *Accedens ad sepulchrum Domini causa devotionis sine licentia Papæ, est excommunicatus, et ejus absolutio Papæ reservatur, vel summo Pœnitentiario, ut reperi in libro pœnitentiario summi Pœnitentiarii.* Eamdem attingit Sylvester, verbo *Excommunicatio,* 7, num. 91, casu 55, et addit Archidiaconum referentem se etiam illam vidisse in eodem libro. Eamdem referunt Armilla, num. 69, et Navarrus, num. 109, nullam vero expositionem adjungunt, nec dicunt, an hæc lex nunc obliget, et recepta sit; videtur enim communiter ignorari, et non esse satis promulgata ex eo solum quod in libro pœnitentiario contineatur; et ideo non dubito, quin saltem propter ignorantiam multi peregrini excusentur ab hac obligatione et censura. Non audeo autem dicere, ita esse derogatam per contrariam consuetudinem, ut non obliget etiam scientes illam, quia nec citati auctores hoc dicunt, nec mihi alias constat. Supposita ergo illa lege, solum est advertendum, eam solum loqui de his, qui religionis causa Hierusalem ad loca sancta visenda incedunt. Unde qui negotiationis causa illuc progrederetur, et postea ex devotione ad sepulchrum accederet, non ageret contra hanc legem, nec incurreret hanc censuram, quia intentio legis non est loqui in eo casu.

10. *Dubium de voto peregrinationis Hierosolimitanæ.* — Dices : ergo votum peregrinandi in Hierusalem nec prudenter fit, neque obligat; quia promissio de re, quæ pendet ex voluntate Principis, non inducit obligationem, ut quidam aiunt. Respondetur falsum esse hoc principium ita simpliciter intellectum. Qui ergo promitteret talem peregrinationem conficere sine facultate Papæ, male faceret et tale votum non obligaret; esset enim de re illicita; et in hoc sensu habebit verum illud principium; qui autem vovit simpliciter illum actum, intelligitur vovere illum eodem modo, quo licite fieri potest, et consequenter subintellecta conditione, *Si Papa facultatem concesserit;* et hoc modo obligat promissio

facti pendentis a voluntate Principis, saltem ad petendam a Principe facultatem, et illa obtenta ad implendum promissum; quod, si denegata fuerit, jam tunc cessabit obligatio promissionis.

Sexta excommunicatio contra fœminas ingredientes monasteria virorum religiosorum, ex motu proprio Pii V.

11. Sexta excommunicatio sumitur ex quodam motu proprio Pii V, qui est 22 in illo libro, et incipit *Regularium personarum.* Ubi excommunicat omnes fœminas, quæ ingrediuntur monasteria Carthusiensium, et aliorum virorum regularem vitam agentium, ejusque excommunicationis absolutionem sibi reservat. Similemque constitutionem habet Gregorius XIII, et est 36 sub ejus nomine in eodem libro. Et ex harum occasione orta est hoc tempore quæstio, an omnes fœminæ, quæ hujusmodi monasteria ingrediuntur, mortaliter peccent, et hanc censuram incurrant. Sed quod attinet ad censuram, advertendum est, hos Pontifices prius revocare facultates omnes fœminis concessas ad ingredienta monasteria virorum; postea vero sub dicta censura prohibere, ne mulieres, *præsumptione, aut prætextu earum facultatum,* talia monasteria ingrediantur; non ergo omnes ingredientes, sed solum illæ, quæ *præsumptione, et prætextu harum facultatum* id faciunt, talem censuram incurrunt; nam hæc sunt expressa verba legis, quibus standum est. Imo Pius V addit verba illa : *Postquam harum litterarum notitiam habuerint;* quia donec tales personæ sciant hujusmodi facultates esse revocatas, earumque usum sub hac censura interdictum, eam non incurrunt. Unde a fortiori fit, ut quæ alio titulo ingrediuntur, ex vi hujus legis non peccent mortaliter, quia non violant illam.

12. An vero ex alio capite mortaliter peccent, alio loco expendendum latius est. Videntur tamen dicti Pontifices supponere, illud factum esse alias graviter prohibitum, quandoquidem facultas Pontificis necessaria existimatur, ut illud liceat, et ipsi revocant tales facultates ne liceat. Dicunt enim se revocare illas facultates, *ut quieti religiosorum consulant;* at vero si post dictam revocationem adhuc esset licitum mulieribus ingredi eadem monasteria aliis prætextibus, seu titulis, parum, vel nihil religiosorum quieti consultum esset per illam revocationem. Nihilominus nec in communi jure Pontificio neque in aliis Pontificum decretis invenio generalem legem hoc prohibentem sub mortali; neque etiam ex natura rei, aut ex ipsa professione, seu votis religiosorum video in hoc actu per se et intrinsecam malitiam; et ideo non existimo in universum esse hoc peccatum mortale, si excludantur extrinsecæ circumstantiæ pravi finis talis ingressus, vel scandali, vel violentiæ, aut injuriæ monasterio illatæ, et similes. Consulenda ergo sunt peculiaria instituta ipsarum religionum; et si in aliqua invenitur prohibitio talis a Pontifice confirmata, quæ ex verbis, vel censuris præ se ferat gravem obligationem, contra illam prohibitionem ingredi erit peccatum mortale; ubi autem non fuerit talis constitutio habens hanc vim, non erit tale peccatum, quia non est unde oriatur. Atque ita constat quomodo dicti Pontifices consuluerint paci, et tranquillitati religiosorum, conservando illos in uniuscujusque institutione, et tollendo dispensationes ejus quoad hanc partem, non vero addendo majorem obligationem, quam ex propriis constitutionibus habeant.

13. *Quam pœnam incurrant religiosi fœminas ingredi sua monasteria permittentes.* — Ex quibus facile intelligitur alia pars illius constitutionis; quæ ad ipsos religiosos, eorumque Superiores, seu Prælatos refertur, eosque gravissime punit, si hujusmodi fœminas ingredi sua monasteria permittant. Et inter alia Pius profert in eos censuram suspensionis a divinis. Gregorius autem hanc eamdem excommunicationem reservatam ad eos extendit. Est enim sub eadem limitatione et conditione hæc pars intelligenda; non enim peccant Prælati religionum contra hanc legem, nec illius pœnas aut censuras incurrunt permittendo fœminas ingredi sua monasteria quocumque titulo, aut modo, sed tantum si eas admittant prætextu dictarum facultatum, ut in iisdem constitutionibus expresse habetur. An vero, et quam graviter peccent aliis rationibus aut modis hunc ingressum permittendo, quasve pœnas propterea incurrant, non potest una regula definiri, quia nulla est circa hoc lex pro omnibus religionibus virorum generaliter lata, sed uniuscujusque religionis Prælatus consulere debet suas constitutiones, et leges, et juxta eas gubernari.

14. *Eadem excommunicatio ad omnes personas ingredientes monasteria monialium, et ad moniales id permittentes extenditur.* —

Advertendum ultimo est, Gregorium XIII, extendisse hanc prohibitionem ad monasteria monialium, revocando facultates omnes quibuscumque personis concessas ad ingrediendum illa, et imponendo eamdem censuram ipso facto cum eadem reservatione, tam viris, quam fœminis utentibus illis, quam superioribus religionum, vel aliis earum personis eas admittentibus. Quæ omnia, quantum ad vim hujus constitutionis spectat, eodem modo, et cum eadem limitatione intelligenda sunt. Addit vero idem Gregorius aliam specialem prohibitionem ingrediendi monasteria monialium prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Prælatis earum concessarum, nisi duntaxat necessitate urgente. Itaque (quod notandum est) quamvis Episcopi, vel Prælati nec debeant, nec possint hanc facultatem concedere, nisi in casibus necessariis, juxta dispositionem Concilii Tridentini, sess. 25, c. 5 de Reformat., si forte illam male concedant absque tali necessitate, Gregorius specialiter vetat usum talis facultatis, et tacite declarat irritam esse, et nullius momenti; et licet facultas data sit recte, et ex causa necessaria, hac cessante, vetat etiam Gregorius usum illius facultatis, et saltem pro eo tempore insufficientem esse declarat, additque, *sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis tam ex parte ingredientium, quam ex parte monialium admittentium ipsos.* Unde cum inter illas pœnas una fuerit excommunicatio Papæ reservata, hæc etiam nunc in illo casu incurritur. Estque universalis, quoad personas ingredientes cujuscumque ordinis, vel conditionis sint, et ex parte monialium admittentium ipsas. Additur autem ibi verbum *præsumant.* Unde si ad monialem ex officio non pertineat impedire, vel admittere hujusmodi ingressum, etiamsi, cum possit, non impediat, vel resistat illi, non incurrit, quia non solum nihil præsumit contra hanc legem, verum etiam nec directe, nec indirecte cooperatur ad talem ingressum. Secus autem esset, si invitaret, vel aliquo positivo modo faceret illam personam ingredi, quia jam tunc directe admitteret. At vero monialis, quæ ex officio tenetur impedire, si id non faceret, saltem indirecte censeretur admittere, quia potest, et tenetur non admittere, et admittit; excusaretur autem a censura, si ex aliqua inadvertentia, aut perturbatione, vel negligentia, a suo munere deficeret, quia tunc non ex præsumptione ageret contra hanc legem, quam ipsa requirit, ut talis censura incurratur. Denique ex his constitutionibus fere hæc tantum ultima pars potest nunc esse usui, et plurimum observanda est; nam de aliis antiquioribus facultatibus vix jam est memoria; et raro invenitur aliquis, qui prætextu earum hujusmodi ingressum intentet.

Septima excommunicatio contra committentes simoniacam confidentiam, ex Pii V constitutione 87.

15. *Varii confidentiæ modi proponuntur et explicantur.* — Septima excommunicatio sumitur ex constitutione Pii V, 87, *Intolerabilis,* ferturque contra eos, qui committunt crimen simoniacæ confidentiæ beneficialis. Est autem latissima illa constitutio, et plures modos confidentiæ ponit, quos nunc late persequi, et explicare extra nostrum esset institutum; breviter tamen adnotare aliquos non erit inutile. Primus est, quando beneficium recipitur ab aliquo sub confidentia, quod postea vel eidem restituetur, vel alteri dabitur, vel illius fructus, vel eorum pars, aut pensio eidem, vel alteri solvatur. In quo casu advertenda sunt duo : unum est, quod in eo nullam mentionem facit dantis, sed tantum accipientis; quare ex vi hujus clausulæ solus recipiens incurrit censuram in tali casu, non dans sub tali spe vel fiducia, quia lex de illo non loquitur, et non est extendenda ob similitudinem rationis, ut sæpe dixi. Et fortasse voluit Pontifex magis rigorose in hoc agere cum recipientibus, quia homines procliviores sunt ad recipiendum, quam ad dandum. Annotandum item est verbum illud difficile, *sola dimittentis intentione.* Significat enim Pontifex, etiamsi confidentia fuerit mentalis, si effectus ejus fuerit subsecutus, censuram incurri; quod videri potest difficile, cum actus interior puniri non possit vel saltem non soleat per Ecclesiasticas censuras. Respondetur, hic non puniri actum mere internum, sed exteriorem a prava intentione interiori procedentem, nempe receptionem beneficii ab eo, qui tali intentione confert.

16. *Notandum.* — *Interrogationi satisfit.* — Animadvertere autem oportet, non posse hanc excommunicationem incurri, si intentio dantis ita sit interna et occulta, ut a recipiente nullatenus cognosci queat; nam tunc non posset ipse recipere quasi consentiendo illi intentioni, ut ita dicam, confidentiali. Quia confidentia necessario debet inchoari ex voluntate dantis, alioqui confidentia non est,

etiamsi recipiens beneficium sua sponte haberet propositum restituendi illud beneficium ipsimet danti, vel alteri ejus amico, vel consanguineo, quia liberum illi est hoc facere, et quamdiu ab alio non exigitur, nulla est difformitas; necesse est ergo, ut confidentia incipiat ex parte dantis; ergo etiam necesse est, ut hæc intentio dantis sit etiam nota recipienti. Quod ergo ait Pontifex, *sola dimittentis intentione,* subintelligit, cognita quacumque ratione a recipiente, etiamsi inter eos non intercedat pactum, nec expressus sermo de hac re, sed conjecturis et quasi nutibus se intelligant. Quæri vero potest, quam certa vel probabilis cognitio hujus intentionis dantis requiratur in recipiente. Respondeo, debere esse ita moraliter certam, ut sine peccato seu temeritate judicari possit, eum hujusmodi intentionem habere. Unde, si considerata conditione, vita et honestate dantis, et aliis probabilibus conjecturis, possit probabiliter credi, illum non habere illam intentionem, etiamsi rationes aliquæ suspicandi vel dubitandi occurrant, possunt et debent deponi; nec incurretur censura recipiendo beneficium ab hujusmodi dante, quia nemo debet de proximo suo malum temere suspicari; et alioqui semper est licitum juxta prudens et probabile judicium operari. Quando vero conjecturæ sunt adeo vehementes, ut sufficiant ad id probabiliter credendum, tunc sufficit illa cognitio, ut receptio talis beneficii vitanda sit sub hac censura.

17. *Recipiens beneficium ab eo qui existimatur habere confidentiam, cum non habeat, an incurrat censuram.* — Quæret vero ulterius aliquis, an incurrat hanc censuram is, qui recipit beneficium ab aliquo, quem existimat illud dare cum intentione confidentiæ, cum alter revera talem intentionem non habeat, sed per temeritatem vel errorem ab alio existimata sit. Respondeo in primis, quamdiu recipienti non constat suam existimationem falsam fuisse, teneri saltem ex conscientia erronea, se ut excommunicatum habere, quia secundum dictamen conscientiæ suæ hanc legem violavit, et consequenter in ejus censuram incidit, non quoad se, sed suam conscientiam, ut aiunt. At vero si postea illi constet alium non habuisse talem intentionem, consequenter intelliget se non incurrisse censuram, et cum deponat conscientiam, nullo modo ligatus manebit, quia crimen commissum ex sola conscientia erronea et non juxta veritatem actionis, non sufficit ad veram censuram in re ipsa contrahendam, ut supra probatum est; potest autem de tali deceptione postea constare altero e duobus modis : primo, si postea attentius et prudentius expendens conjecturas, quas prius habuit, intelligat non illas fuisse sufficientes ad id existimandum, et postea majores non habeat, neque novum indicium talis intentionis. Secundo, si postea is, qui dedit beneficium, intellecta conscientia alterius, omnino neget se habuisse talem intentionem; et præsertim si id juramento confirmet, et nullo modo velit, aut permittat, ut effectus talis confidentiæ executioni mandetur. Nam quodlibet istorum sufficit ad moralem certitudinem et securitatem in conscientia, quidquid sit de foro exteriori.

18. *Incurratne hanc censuram qui a confidente beneficium recipit sine intentione operandi juxta confidentiam ejus.* — Tandem inquiri circa hoc potest, si quis recipit beneficium a dante cum prædicta intentione confidentiæ, absque intentione operandi postea juxta confidentiam ejus, sed animo decipiendi illum, an tunc incurrat hanc censuram, et alias pœnas hujus legis. Videtur enim non incurrere; nam ille actus est imperfectus in suo genere, et in rigore ex parte recipientis non habet malitiam, vel speciem simoniæ, quam Pontifex punire intendit. In contrarium vero est, quia Pontifex absolute videtur prohibere, recipere beneficium a dante cum tali intentione, nihil dicens de proposito recipientis. Item Pontifex intendit omnem hujusmodi resignationem, seu donationem interdicere, ut participantem labem simoniæ; et ideo etiam vult, ut recipiens illi non cooperetur. Res quidem videtur dubia; nihilominus tamen probabilius censeo non incurrere, quia censura hæc proprie fertur contra eum, qui beneficium recipit in confidentiam; hic autem vere non recipit in confidentiam, etiamsi alter ita det; oportet tamen, ut recipiens exterius non significet se recipere in confidentiam; nam id satis esset, ut in confidentiam beneficium reciperet, etiamsi non haberet propositum implendi, quia sicut aliud est velle promittere, aliud proponere implere promissum, et potest stare primum sine secundo, ita in præsenti aliud est velle recipere in confidentiam, aliud proponere confidentiam implere. Et potest stare primum sine secundo, nam ad primum sufficit velle alteri concedere confidentiæ signum; nam hoc ipso necessario vult se obli-

gare intra latitudinem confidentiæ, etiamsi alioqui habeat voluntatem non id faciendi, sed decipiendi; hic autem prohibita est receptio in confidentia, quidquid sit de proposito implendi. At vero si quis neque habeat propositum implendi, neque voluntatem recipiendi in confidentiam, ideoque nolit ullum confidentiæ signum alteri dare, quamvis intelligat alterum sub ea fiducia dare, non propterea incurret in foro interno conscientiæ, quia revera non committit confidentiæ vitium, quod hic tantum punitur.

19. *Secundus confidentiæ modus explicatur.* — Secundus modus confidentiæ ibi declaratus est, *si collator conferat beneficium quovis modo vacans, aut si patronus etiam laicus præsentet, vel elector eligat aliquem ea conditione tacita, vel expressa, ut postea confirmatus, electus, vel præsentatus conferat fructus, vel partem eorum ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius cujuscumque, vel etiam, ut pro arbitrio eorumdem, vel alterius, de beneficio disponat contra juris communis ordinationem.* Quæ sola verba ultima indigent aliqua expositione. Non est enim sensus, necessarium esse, ut confidentia sit de dispositione facienda contra jus commune, id est, in aliquem indignum, irregularem vel aliquid simile, aut quod futura sit sine auctoritate Prælati; nam hoc modo non satis occurrebatur huic malo, quod Pontifex intendit; raro enim includit confidentia illam deformitatem. Quotiescumque ergo malitia confidentiæ intervenerit, etiam si sit in ordine ad personam dignam, et cum intentione adhibendi omnia necessaria secundum commune jus ad collationem, est hoc loco interdicta, nam propter hoc præcipue fertur hæc lex, non propter aliam malitiam. Sensus ergo est hujusmodi collationem, præsentationem, vel electionem sub tali conditione esse contra juris communis ordinationem.

20. Advertere etiam oportet in hac clausula, quod non solum loquitur de futuris, sed etiam de præteritis, ut patet ex illis verbis : *Contulerit antehac, vel conferet in futurum.* Cum autem excommunicatio non feratur pro præteritis, ut supra dictum est, non potest hæc censura simpliciter cadere in præterita facta, nisi sub aliqua conditione in futurum, quæ paulo inferius explicatur, ubi excommunicantur omnes, qui hujusque beneficia, pensiones, et alia hujusmodi, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, ac retinent, *nisi statim celeri dimissione sibi prospexerint.* Ubi etiam noto, hujusmodi excommunicationem semper ferri in recipientes, non vero in conferentes, eligentes, vel præsentantes. Ex quo etiam intelligi potest, alteram superiorem clausulam non esse positam, ut censura pro facto præterito ferretur, sed ut aliæ pœnæ in foro exteriori imponerentur; et ad explicandum modum præsumendi, vel probandi hujusmodi confidentiam in foro externo, et ad eamdem fori exterioris præsumptionem pertinent alii duo modi confidentiæ, quos consequenter describit Pius V, et ibi legi possunt, in quibus non obstante præsumptione fori exterioris, semper advertendum est (ad judicandum de censura in interiori foro) an revera talis confidentia intercesserit; parum enim oberit præsumptio, si in re ipsa non fuit confidentia. Atque eodem sensu accipiendum est verbum illud in fine ultimæ clausulæ positum : *Licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum;* nam hoc etiam pertinet ad præsumptionem fori exterioris, ut Navarr. declaravit in Summ., cap. 28, num. 110, vers. 6. In quo alia, quæ ad hujus constitutionis declarationem conferunt, legi possunt.

Octava excommunicatio contra violantes suspensionem contractam per indebitam admissionem resignationis beneficii.

21. *Pii V constit.* 58. — Octava excommunicatio reservata sumitur ex eodem Pio V, constitutione 58, *Quanta,* in qua agit de beneficiorum collatione, præsentatione, etc. Et primo suspendit Episcopos, et quoscumque beneficiorum admittere, si id faciant extra casus designatos, et contra formam ibi præscriptam. Deinde in eos profert sententiam excommunicationis reservatæ, si post contractam prædictam suspensionem, actus, a quibus sunt suspensi, exercere attentaverint. Ubi solum est considerandum, hujusmodi excommunicationem non imponi propter violationem similis suspensionis, sed tantum quando suspensio contracta est propter tale delictum, quia pœna legis non est extendenda ultra casum legis. Unde verba illius constitutionis sunt : *Et nihilominus in eos, qui sic suspensi,* etc. Idem animadvertendum est, prædictam suspensionem non solum a singularibus personis, sed etiam a Capitulis, seu conventibus incurri posse, si ad ea pro-

visio beneficiorum, seu admissio resignationum pertineat, et in usu ejus contra dictam constitutionem delinquunt. Quia vero excommunicatio ferri non potest in Capitulum, seu conventum, ideo in prædicto casu loco excommunicationis fertur suspensio a divinis in hujusmodi Capitula, vel conventus, ut in eadem constitutione habetur.

22. *Nona excommunicatio ex Concil. Trident.* — Nona excommunicatio sumitur ex Concil. Tridentino, sess. 22, cap. 11 de Reformat. Estque quoad personas clericorum, et laicorum, qui præsumunt usurpare quacumque arte aut modo bona, res, jura, fructus, redditus, aut jurisdictiones alicujus Ecclesiæ, aut beneficii secularis, vel regularis, Montium Pietatis, vel aliorum piorum locorum, et sic occupantes, vel impedientes, ne ab eis percipiantur ad quos jure pertinent, anathemati subjicit, donec plene restituant, et a Romano Pontifice absolvantur, et ex hoc ultimo verbo constat hanc censuram reservatam esse.

23. Præter has censuras invenientur aliæ in aliquibus Conciliis præsertim ex novioribus, ut in Lateranensi sub Leone X, et in dicto Bullario Summorum Pontificum, sed adeo sunt occultæ et ignoratæ, ut extra usum esse videantur, ideoque vel nunquam fuerint receptæ, vel jam sint abrogatæ, et propterea nec auctores frequenter illas pertractant, neque mihi utile visum est circa eas immorari. Præsertim quia omnes, quæ sunt alicujus momenti, ad eas, quas pertractavimus, reduci possunt. Præterea in privilegiis religionum invenientur nonnullæ excommunicationes Summis Pontificibus reservatæ, quales sunt illæ, quas de religionibus Prædicatorum et Minorum tractant scribentes, præsertim Antonin., 3 part., tit. 24, cap. 70; et Cajet., verb. *Excommunic.*, cap. 81; et Sylvester, *Excommunicatio,* 7, num. 84; et Navarr., cap. 27, num. 11, quibus annotatione dignum nunc nihil addendum occurrit.

DISPUTATIO XXIII.

DE EXCOMMUNICATIONIBUS NON RESERVATIS SUMMO PONTIFICI.

Excommunicationes has nonnulli dividunt in reservatas Episcopis, et eas, quæ nulli reservantur, ut videre licet in Sylvestro, Angelo, Navarro, et aliis. Cajetanus vero omnes excommunicationes non reservatas Papæ Episcopales vocat. Mihi prior divisio non est visa necessaria, quia, ut statim in sect. 1 ostendam, nullæ sunt excommunicationes ipso jure latæ, quæ nunc obligent, et sint Episcopo reservatæ, præter eas, quæ a nobis obiter tactæ sunt, dum excommunicationes Papæ reservatas explicaremus; illa vero appellatio Cajetani non ex reservatione sumpta est, sed ex eo, quod ad absolvendum ab his excommunicationibus potestas quasi ordinaria est in Episcopo, in aliis vero per quamdam communicationem seu participationem. Omnes ergo censuras non reservatas Papæ simpliciter non reservatas appellamus, de quibus eodem ordine, quo de reservatis dicemus.

SECTIO I.

Utrum aliquæ excommunicationes sint ipso jure latæ, et reservatæ Episcopo.

1. *Nullas esse excommunicationes Episcopis reservatas.* — Angelus, verb. *Excommunicatio*, 6, et latius Sylvester, vers. 8, et Navarrus, num. 112 et 113, aliquas excommunicationes in hoc ordine ponunt, quas ego censeo vel non esse proprie et specialiter reservatas Episcopis, ideoque jam esse explicatas, vel non esse proprie ipso jure latas, vel, si quæ sunt, nunc propter posteriores leges vel privilegia vim non habere. Ut autem hoc ostendam, per singulas ab ipsis numeratas discurram, quoniam ad nonnulla jura intelligenda, et ad doctrinæ perfectionem inutile non erit.

2. *Prima excommunicatio quæ ab aliquibus in ordine reservatarum Episcopo numeratur.* — Principio numeratur excommunicatio lata ab Episcopo per statutum ejus, in quo eam sibi reservat, juxta cap. Nuper, de Sent. excomm. Immerito tamen hæc in præsenti affertur, ubi non agimus de excommunicationibus latis per particularia jura; id enim infinitum esset, ac pene impossibile, quoniam in diversis diœcesibus diversæ sunt, et variæ leges ferentes censuras, sicut etiam sunt multiplices in variis religionibus, quas nemo in hoc ordine ponit. Unde considerandum est, aliud esse reservationem esse declaratam in jure communi, aliud excommunicationem esse latam eodem jure; hoc posterius verum non est de talibus censuris, et hoc est quod nunc agimus: illud autem prius non solum de excommunicationibus latis ab Episcopo per statutum, sed

generaliter de latis a quibuscumque qui possunt canones vel statuta concedere, dici potest, ut patet ex eodem cap. Nuper. Generalis enim regula est, *quicumque potestatem habet ferendi censuram, posse etiam illius absolutionem sibi reservare,* respectu inferiorum; potestatem enim superiorem limitare non potest. Hoc autem sensu etiam excommunicatio lata ab homine potest dici reservata jure communi ipsi ferenti, non quia talis excommunicatio jure lata sit, sed quia secundum jus commune, nullus potest ab illa absolvere, nisi qui illam tulit, vel ejus superior.

3. *Secunda excommunicatio in eodem ordine.* — Secundo ponitur excommunicatio, quam incurrit, qui in crimine communicat cum excommunicato ab Episcopo, ille enim excommunicationem incurrit ipso jure latam, et reservatam Episcopo in cap. Nuper. Verumtamen hæc excommunicatio seu reservatio non est propria Episcoporum, sed generaliter fit, ad eum qui excommunicationem primam tulit, sive per jus, aut statutum, sive per sententiam; unde sæpissime pertinent ad alios judices seu Prælatos minores Episcopis; imo cum proportione, etiam ad Papam; et ideo agendo de excommunicationibus Papæ reservatis hanc censuram declaravimus superiori disp., sect. 2, et ibi dicta applicanda sunt cum proportione ad omnes judices, et Prælatos inferiores.

4. *Tertia excommunicatio.* — Tertio ponitur in hoc ordine excommunicatio, alias reservata Papæ, pro his casibus, in quibus ad illum non est accessus, neque ad legatum ejus. Quæ doctrina vera est, et tradita disp. præced., sect. 1. Dicimus vero hanc reservationem non esse per se factam Episcopo, sed Summo Pontifici; ab illo autem derivatur ad Episcopum ob justum impedimentum. Quod si necessitas major sit, aliis etiam communicatur absolutio juxta ordinem ibi præscriptum, et ideo casus hic alia expositione non indiget.

5. *Quarta excommunicatio.* — Quartus casus est similis præcedenti de censura canoni, *Si quis suadente,* quando percussio clerici levis est, vel, si sit inter religiosos, quando talis est, ut diœcesani autoritatem requirat, juxta cap. Cum illorum, et cap. Pervenit, de Sent. excomm. Verumtamen hic etiam casus explicatus est cum illo canone, quia ab illius reservatione dimanat; et potius dicenda hæc esset concessio specialiter facta Episcopo, quam reservatio; nam hæc facta est Pontifici, ipse vero postea illam facultatem concessit Episcopis. Sicut etiam concessit illam Abbatibus circa suos monachos, extra quosdam casus graviores; et non propterea dicitur hæc reservatio proprie facta Abbatibus.

6. *Quinta excommunicatio.* — Quinto numeratur excommunicatio lata in cap. Eos qui, de Sent. excomm., in 6, ubi illi, qui in casu necessitatis absolvuntur ab inferiori, si postea, cum possint, non præsentant se superiori, ad quem per se spectabat absolutio, excommunicantur excommunicatione eidem superiori reservata. Verumtamen de hac censura idem dicendum est, quod de secunda, quia illa reservata non fit Episcopo, nec est propria ejus, sed fit cuicumque judici, ad quem pertinebat prioris censuræ absolutio, quia non tam est nova reservatio, quam annexa vel succedens præcedenti. Propter quod dici solet hujusmodi homo reincidere in priorem censuram. Atque ita fit, ut hæc reservatio communis sit Summo Pontifici, et primario ad illum pertineat, ideoque illam expositam reliquimus superiori disput., sect. 3. Et ibi dicta applicanda sunt cum proportione ad cæteros judices.

7. *Clement. Cum ex eo, de Sententia excommunicationis.* — Atque hæ sunt excommunicationes Episcopales, quas Navarrus affert, et sumpsit fere ex Sylvestro. Angelus vero addit aliam ex Clement. *Cum ex eo,* de Sent. excomm., ubi fratres Minores excommunicantur, si tempore interdicti admittant in suis Ecclesiis ad audienda divina officia fratres tertii ordinis. Verumtamen, si recte expendatur, illa censura non tam Episcopo, quam Pontifici reservatur; verba enim sunt : *A qua per alium quam per Romanum Pontificem absolutionis beneficium nequeant obtinere.* Interponuntur autem ibi hæc verba : *Vel satisfactione præmissa per locorum Episcopos, quos auctoritate Apostolica fungi volumus in hac parte.* Unde constat reservationem non fieri Episcopo, sed eam, quæ facta est Papæ, in quodam casu, et sub certa conditione committi Episcopis, ut Papæ delegatis. Accedit præterea, quod ipse Angelus notavit, legem illam revocatam esse per privilegia concessa Minoribus; et ideo in superiori disputatione a nobis omissa est, et omitti hic etiam potuisset.

SECTIO II.

Quæ excommunicationes non reservatæ in Decreto contineantur.

1. *Prima excommunicatio contra Principes seculares negligentes in sui officii functione. — Actio in hoc canone prohibita.* — Ex Decreto unam vel alteram excommunicationem affert Navarrus, num. 114, ex cap. Administratores, 23, quæst. 5, ubi Joannes VIII, præcipit Principibus, seu potestatibus secularibus, quos *administratores secularium dignitatum* appellat, et constitutos esse dicit *ad Ecclesiarum tuitionem, viduarum, ac pupillorum protectionem, rapaciumque refrænatores.* Præcipit ergo illis, ut *quoties ab Episcopis, et Ecclesiasticis viris* (utique jurisdictionem habentibus) *conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant, et prout necessitas expetierit, absque negligentia examinent, et diligenti studio corrigant. Quod si Dei timorem præ oculis non habentes, negligere post secundam et tertiam monitionem inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.* Ex quibus ultimis verbis colligi videtur excommunicationem ipso jure ibi ferri, ut Glossa advertit. Circa causam autem vel actionem, propter quam incurritur, addit Glossa ibi, illam censuram incurrere Principem secularem, qui non facit justitiam clerico; de quo tamen in illo textu mentio nulla fit, nec proprie spectat ad Principem secularem facere clerico justitiam, cum in eum jurisdictionem non habeat, sed non facere illi injuriam, quod commune illi est cum aliis etiam jurisdictionem temporalem non habentibus. Ratio ergo illius censuræ est, si potestas secularis omittat, ac negligat suum officium exequi in his actionibus, quæ sunt defendere Ecclesiam, sub qua tam personæ, quam loca, et bona Ecclesiastica comprehenduntur, viduas et pupillos protegere, et vitia publica, quæ perturbant Rempublicam, præsertim per latrocinia et similes injurias, extirpare. Ut autem hæc negligentia sit sufficiens causa hujus censuræ, requiritur Ecclesiastici Prælati admonitio triplex cum contumacia, ut patet ex ipso contextu. Unde fit, necessarium esse, quod ante hujusmodi admonitiones supponatur obligatio gravis in ipso sæculari Principe, seu Gubernatore, ad illud munus, de quo admonetur, exercendum, quia Ecclesiasticus Prælatus, non imponit illi præceptum mere positivum, sed admonet ipsum de sua obligatione, ut illam servet, ut clare in textu illo supponitur, dum dicitur, eos debere hoc facere, et cum conventi ab Episcopis fuerint, et eorum quærimonias audierint, debere se corrigere.

2. *Qualiter possit excusari administrator secularis ab hac censura.* — Ex quo sequitur, si hujusmodi administrator secularis non ex negligentia vel pertinacia, sed ex aliquo probabili et practico judicio omiserit id facere quod admonetur, quia existimat se non teneri, neque illud pertinere ad suum munus, tunc non incurrere hanc censuram, dummodo tale judicium practice probabile sit, seu ex invincibili ignorantia profectum; quia tale judicium excusat a culpa; ergo et a censura. Item admonitio non addit obligationem, sed oportet ut illam supponat; at vero in tali casu non supponit illam, sed talis admonitio solum est ex præsumptione quadam; et ideo non parere illi tunc, non est contumacia vera, quæ ad incurrendam excommunicationem sufficiat. Solum est cavendum, ne aliquis sine sufficienti fundamento pertinax sit in judicio; contingere enim potest, ut inadvertentia vel ignorantia, quæ ante admonitionem erat inculpabilis, post illam incipiat esse culpabilis, quia potest obligare hominem vel ad mutandum judicium, si tanta sit auctoritas admonentis, vel saltem ad faciendam majorem examinationem. Oportet ergo ad hujusmodi excusationem, ut pensatis omnibus, etiam post admonitionem probabile maneat judicium a tali obligatione liberans. At vero, si obligatio sit clara vel certa, et trina præmissa admonitio adhuc negligatur, tunc consummatur causa censuræ; dicetur autem negligi, quoties voluntarie omittitur vel committitur aliquid, quod ad peccatum mortale sufficit.

3. *Incurraturne excommunicatio hæc ipso jure aut ferenda sit per hominem.* — Adhuc vero superest dubium circa alteram partem, an consummata hoc modo causa hujus censuræ, statim incurratur vel necesse sit ferri a Prælato, qui ter admonuit. Hoc enim posterius contra Glossam ibi affirmat Turrecremata, citans quosdam alios, et c. *Ait Celestinus,* 24, q. 1, quod nihil ad rem præsentem facere video; exponit autem illa verba : *Communione privatos,* id est privandos; hæc tamen non est expositio, sed mutatio verborum, quæ, si licita est, nunquam potest excommunicatio latæ sententiæ ex verbis alicujus juris colligi, quia vis collectionis in uno

fere simili verbo consistit; ergo nunquam licet illud mutare in aliud, quod similem vim non habeat. Quocirca ex vi illius decreti non dubito, quin censura illa sit latæ sententiæ; dubito tamen, an in eo sensu sit in praxi recepta. Et verisimilius credo non servari, neque hujusmodi administratores secularis justitiæ haberi pro excommunicatis in similibus casibus, donec a Prælato Ecclesiastico excommunicentur. Atque ita considerato præsenti usu Ecclesiæ et probabili opinione Doctorum, non videtur hæc censura memoranda inter eas, quæ ipso jure latæ sunt.

4. *Num habeat locum censura hæc etiam in actionibus solum ex charitate debitis. — Decisio.* — Ex quo facile respondebitur ad aliam interrogationem, an hæc censura locum habeat etiam in his actionibus, ad quas hæ personæ tenentur solum ex charitate. Quamvis enim necesse sit obligationem supponi, hæc tamen aliquando potest esse rigorosa et ex justitia, de qua res est clara. Aliquando vero potest esse ex sola charitate, quia licet officium per sese non obliget quasi ratione stipendii vel pacti ad hoc vel illud agendum, persona tamen habens tale officium aut talem dignitatem, ratione illius circumstantiæ obligari potest ad agendum aliquid ex charitate, ut, v. gr., ob vitandum aliquod scandalum vel ad succurrendum pupillo et viduæ, etiam in his quæ justitia non postulat. Dico ergo, si consideremus hanc censuram, ut præcise ex vi illius juris latam, solum habere locum in actionibus justitiæ, quæ proprie dicuntur esse ex officio; nam de his loquitur textus, et restringendus est in materia pœnali. At vero, si loquamur de hac censura ut ab Ecclesiastico Prælato ferenda, sic in utroque genere actionum ferri potest; nam Ecclesia per potestatem spiritualem potest cogere seculares principes ad servanda quælibet præcepta, ut in superioribus ostensum est; imo etiam in præsenti materia poterit Prælatus Ecclesiasticus novum præceptum imponere sub tali censura, si ad Ecclesiæ defensionem vel alium similem finem necessarium sit.

5. *Secunda excommunicatio ex cap. Nulli fas, 19 dist.* — Secunda censura sumitur ex cap. Nulli fas, 19 dist., ubi Gregorius IV, excommunicationem ipso facto ferre videtur *contra omnes Ecclesiæ Romanæ inobedientes, qui Apostolicis decretis contraire audent.* At caput illud, si in eo fertur excommunicatio ipso jure, necessario intelligendum est de his, qui per hæresim vel schisma a doctrina vel obedientia Ecclesiæ Romanæ recedunt; nam alioqui constat, non omnes, qui non obediunt præceptis Summi Pontificis, statim esse excommunicatos. Atque in hoc sensu censura hæc satis explicata est supra in Bulla Cœnæ. Posset autem ille textus exponi, ut in eo nulla censura ipso facto feratur, sed præcipiatur excommunicari, qui præceptis Ecclesiæ rebelles fuerint; ita enim recte intelligi possunt illa verba : *Nec locum deinceps inter sacerdotes habeant, sed extorres a sancto ministerio fiant.* Quæ etiam de suspensione vel depositione intelligi possunt, non quia per illa verba fiant, sed quia fieri mandentur; clarius vero de excommunicatione subditur infra : *Quia majoris excommunicationis dejectione est abjiciendus;* non est ergo abjectus donec excommunicetur. Unde cum in fine subditur : *Sitque alienus a divinis et Pontificalibus officiis, qui noluit præceptis Apostolicis obtemperare,* intelligendum est, postquam excommunicatus fuerit, suspensus vel depositus. Igitur in rigore loquendo, nulla invenitur in Decreto excommunicatio ipso jure lata et distincta ab his, quæ in Bulla Cœnæ continentur, quæque in usu et praxi servetur.

SECTIO III.

Quæ excommunicationes non reservatæ in antiquis libris Decretalium contineantur.

1. *De excommunicationibus in Decretal. non reservatis, quæ per noviora jura sunt reservatæ.*—Inter has excommunicationes nonnullæ sunt, quæ licet in libris Decretalium non reserventur, jam reservatæ sunt in Bulla Cœnæ vel per alia jura; et ita has iterum explicare, non erit necesse, sed indicare tantum et remittere ad superius dicta. Hujusmodi existimat Navarrus, cap. 27, num. 117, esse illam, quæ fertur in cap. 1, de Schismaticis; non designat autem in qua clausula Bullæ contineatur; significat autem esse in prima, quatenus ea schismatici excommunicantur, quia cum nulla alia habet similitudinem. At vero in illo cap. 1 non videtur ferri censura contra schismaticos, sed contra eos, qui quosdam suspensos ab Ordine ad Ordinis ministerium admittunt, quod vitium longe diversum est. Hoc autem ita esse constabit facile textum intuenti. Nam in primis dicitur ibi ordinationes ab hæresiarchis, vel ab ordinatis ab eis factas, esse irritas, et similiter collationes beneficiorum aut dignitatum Ecclesiasticarum, nullas esse; ac denique alienationes

rerum Ecclesiasticarum ab eisdem, vel a laicis factas nullius esse validitatis. Et deinde subditur : *Si quis autem contraire præsumpserit, excommunicationi se noverit subjacere.* Neque ibi alia excommunicatio fertur; nam pœna, quæ statim subjungitur contra eos, qui juramentum præstiterint de tenendo schismate, non est excommunicatio, sed suspensio. Unde potius ex illo textu colligunt Panormitanus et alii interpretes schismaticum non esse excommunicatum ipso jure, per argumentum ab speciali, vel potius negativum, quia propter alios speciales actus excommunicantur, vel quia ibi non infertur talis censura, ut declaratum est.

2. *C. Licet, de Electione.* — Melius afferri posset in exemplum cap. Licet, de Electione, ubi fertur excommunicatio in eum, qui cum non sit rite electus a duabus partibus Cardinalium, se gerit ut Summus Pontifex, et in eos qui eum recipiunt, quod crimen est propriissime et rigorose schisma, licet fortasse vitium illud aliis etiam modis committi possit. Illa autem excommunicatio in illo textu non reservatur, sed per Bullam Cœnæ; et ideo ibi dicta, in ea habent locum. Aliud exemplum afferri potest ex cap. Non minus, de Immun. Eccles. Ubi excommunicantur potestates seculares imponentes tributa Ecclesiasticis personis. Quod confirmatur et extenditur in cap. Adversus, eodem titulo, de quibus in Bulla Cœnæ, clausula 18. Aliud sumitur ex cap. Noverit, de Sent. excom., ubi excommunicantur facientes statuta contra Ecclesiasticam libertatem, de quo in Bulla Cœnæ, clausula 15. Præterea est aliud in cap. Excommunicationi, de Raptoribus, ubi excommunicantur rapientes bona naufragantium, de quo in 4 clausula Bullæ Cœnæ. Item aliud in c. Ad falsariorum, cum c. Dura, § Adjicientes, de Crimine falsi, ubi excommunicantur falsantes litteras Apostolicas, de quibus in Bulla Cœnæ, clausula 6. Hæ igitur censuræ omittendæ in præsenti sunt.

3. *De aliis excommunicationibus minus usitatis.— Prima ex cap. 1 de Locato.— Secunda ex cap. Quoniam, de Offic. ordin.* — Rursus sunt aliæ excommunicationes, quarum cognitio parum utilis est, vel quia spectant ad particularia loca, vel quia raro in usum veniunt. Atque etiam hæ non sunt ex professo tractandæ, sed indicandæ. Hujusmodi est, quæ fertur in cap. 1 de Locato, quæ pertinet ad academiam Bononiensem. Excommunicantur enim ibi Doctores, magistri et scholares illius academiæ, qui ante tempus conductionis elapsum, de locandis domibus pertractant absque consensu eorum, qui illas inhabitant et conductas habent. Solum ergo hic advertimus statutum illud non esse extendendum ad alias academias propter similitudinem rationis. Item huc spectat cap. Quoniam, de Offic. ordin., ubi excommunicatur Episcopus, qui in civitate, in qua est populus diversarum linguarum, se ingerit ad docendum, vel regendum partem populi alterius linguæ ad se non pertinentem, sine vicario ad id deputato a proprio Prælato. Quam censuram parum utilem existimavit Cajetan., c. 78 de Excomm.; Navarr. autem putat esse necessariam in confinibus aliquorum regnorum, ut Galliæ, et Navarræ, seu Castellæ. Quidquid vero de hoc sit, nobis dicere sufficit, ubi locum habuerit, servandam esse constitutionem illam, ut posita est.

De excommunicationibus in Decretalibus non reservatis, quarum cognitio usui esse potest.

4. *Prima contra eos, qui quasdam actiones schismaticorum ratas habent, ex cap. 1 de Schismat. — Prima actio ibi irrita. — Secunda. — Tertia.* — His ergo adnotatis, duæ tantum vel tres supersunt excommunicationes ex prioribus libris Decretalium explicandæ. Prima est in c. 1 de Schismaticis. Ubi directe excommunicantur illi, qui ratas habent quasdam actiones schismaticorum; contra illius textus dispositionem, et talis censura ex vi ejusdem textus non est reservata, neque etiam ex vi Bullæ Cœnæ, si non transeant in schisma, ut aiunt Cajetan., cap. 8, et Armilla, Excommunicatio, 92. Sed tunc jam non erit illa excommunicatio, sed alia, quia ibi non fertur excommunicatio propter schisma, ut supra notavimus. Tres autem sunt actiones quæ ibi irritantur, scilicet ordinationes factæ ab schismaticis vel ab ordinatis ab eis, quod intellige quantum ad executionem Ordinis; nam quantum ad substantiam sacramenti non possunt irritari, ut sæpe dictum est. Secunda actio est collatio beneficii vel dignitatis Ecclesiasticæ. Et in hac solum ponuntur schismatici, non vero ordinati ab eis. Unde ex vi illius clausulæ non videtur irritari collatio ab eis facta, si aliunde habeant potestatem jurisdictionis vel similem ad conferenda talia beneficia; nam licet isti sint suspensi ab Ordine, non propterea sunt suspensi a beneficio et jurisdictione, et ideo collatio ab eis facta

erit valida, quia collatio hæc non est a potestate ordinis, sed jurisdictionis aut dominii, et ab hac non sunt suspensi sic ordinati. Quod etiam est adnotandum in tertia actione, quæ est alienatio rerum Ecclesiasticarum; facta enim a schismatico, irrita est et nulla; de facta vero ab ordinato a schismatico nihil ibi dicitur, sed solum fit extensio ad alienationem factam a laico, quæ etiam nulla est. Quia vero intentio hujus legis est de schismaticis, et non est verisimile miscere sermonem de laicis absolute et quomodocumque hoc operantibus, ideo satis verisimilis est opinio Hostiensis, qui hoc intellexit de laicis alienantibus res Ecclesiasticas fulti auctoritate schismaticorum. Quam expositionem approbat Additio ad Abbatem ibi, et Cajetanus supra eam rationabilem existimat; quibus ego libenter consentio.

5. *Quæ sit materia proxima hujus excommunicationis. — Duplex limitatio hujus censuræ.* — Hæ igitur tres actiones sunt quasi materia remota hujus censuræ. Proxima vero causa et materia est *contraire*, ut ibi dicitur, illi dispositioni. Quod duobus modis fieri potest, facto et verbo. Nam, si quis doceret tales ordinationes, collationes et alienationes ratas esse, illam excommunicationem incurreret; nam revera contrairet illi textui. Oportet tamen ut id fiat quasi practico modo, et cum aliqua auctoritate ad impediendum executionem eorum, quæ ibi disponuntur circa illas actiones. Nam si quis mere speculative doceret talem doctrinam, posset quidem incidere in hæresim, si ex aliquo principio erroneo contra potestatem Ecclesiasticam id diceret, et ea ratione posset incidere in aliam excommunicationem; tamen ex vi talis assertionis non videtur in hanc incurrere, quia non proprie contrait, sed tantum contradicit. Quanquam Armilla supra exponit contraire, *dicendo vel tenendo oppositum.* Quæ interpretatio imprimis non est adæquata, ut statim patebit. Deinde non est formalis, nam tenere oppositum, non est contraire, nisi redundet aliquo modo in opus seu conatum, illius legis dispositioni contrarium. Unde Cajet. potius per voluntatem exposuit dicens : *Qui voluerit, quod ordinationes sint ratæ,* etc., scilicet ad id conando, seu aliquo modo procurando seu cooperando; quod fieri potest verbo, modo explicato. Præter hoc vero necesse est, ut *ex præsumptione* id fiat, nam hoc verbum ibi ponitur. Unde, si quis id asserat ex errore, ob ignorantiam illius decreti, vel quia ex nonnullis conjecturis putat talem casum ibi non comprehendi, non incurret. An vero idem sit de illa suspensione ad Ordine, id est, an contrahatur ab ignorante et sine culpa sic ordinato, dicemus infra in propria materia et de aliis duabus in suis locis. Solum hic est adnotanda duplex exceptio. Prima est circa collationem, nisi crimen collatoris sit omnino occultum, nam tunc acta ejus valent, quæ ad publicam jurisdictionem attinent, ut in superioribus annotatum est. Secunda limitatio est de alienatione, scilicet nisi sit in evidentem Ecclesiæ utilitatem, ut ibi Glossa advertit, et Sylvester, *Excommunic.*, 9, n. 29, casu 8.

6. *An schismaticus dictas actiones irritas exercens, et ab illo recipiens, sint excommunicati.* — Occurrit tamen interrogatio, an schismaticus hæc faciens seu conferens, et ab illo recipiens, sint excommunicati. Videntur enim *contraire;* ergo incident. Atque ita sentit Panormitan. ibi, quem Sylvester sequitur. Unde ait Panormitanus consentientem ordinationi factæ a schismatico esse excommunicatum; item tenentem beneficium Ecclesiasticum, et qui emit, vel acquirit rem Ecclesiasticam ab eodem. Et præterea subdit schismaticum in his tribus casibus incurrere excommunicationem. Aliis tamen videtur, eum, qui suscipit Ordines a schismatico, ex hoc præcise non incurrere hanc excommunicationem, quia nondum agit contra dispositionem hujus textus. At vero, si ulterius progrediatur et in susceptis Ordinibus libere ministrare velit, tunc incurrere excommunicationem, quia jam vult ordinationem ab schismatico ratam esse. Unde pari ratione schismaticus ordinans alium non erit excommunicatus; si tamen velit suam ordinationem ratam esse, et ad hoc aliquid ulterius agat, jam incidet in hanc censuram. Atque hanc sententiam indicat Hostiensis, et Additio ad Abbatem supra, qui ita exponunt *contraire præsumpserit,* scilicet exercendo Ordines susceptos a schismatico, vel retinendo beneficia collata per eum, vel retinendo bona per ipsum alienata.

7. Sed objici potest contra priorem partem (posterior enim certa videtur), quia hæc lex irritans tales ordinationes, a fortiori prohibet illas; ergo qui eas facit vel recipere præsumit, jam it contra hanc legem; ergo incurret censuram ejus. Et confirmatur, nam qui dat Ordines, quantum est in se, etiam vult dare executionem eorum; ergo hoc ipso contrait huic legi. Atque hoc videtur fuisse fundamentum Abbatis, quod certe contemnendum non

est, facit enim illam sententiam satis probabilem. Respondere tamen possunt, prohibitionem illam supponi vel implicite contineri in hac lege; proprium tamen et quasi specificum effectum ejus esse irritare has actiones, et ita solum in hoc cadere proprie illam censuram. Quare qui non agit contra irritationem proprie non it contra hanc legem; dans autem vel suscipiens Ordines, ex hoc præcise non agit contra irritationem, quia hæc irritatio, ut diximus, respicit usum et exercitium Ordinis; ordinatio autem valida est quoad substantiam, et ideo qui præcise Ordines suscipit propter substantiam eorum, etiamsi ligatos, ut sic dicam, illos suscipiat, nondum videtur agere contra hanc legem. Quæ consideratio non caret verisimilitudine. Prior vero sententia securior est. Quæ adhuc magis necessaria videtur in aliis duabus actionibus; nam, qui irritat collationem vel alienationem, satis formaliter eas prohibet; ergo qui hæc operatur dando vel recipiendo, directe it contra hanc legem; ergo incidit in censuram ejus. Item, quia nihil est quod expectetur ad talem censuram incurrendam; nam, si quis retineat beneficium sic susceptum, vel bona Ecclesiæ sic acquisita, aut redditus harum rerum, sine dubio incurrit hanc censuram, quia jam agit contra irritationem illarum actionum; sed hoc ipsum agit a principio, quando acquirit talem rem; ergo a principio incurrit eamdem censuram. Deinde moraliter non est separabilis in his actionibus retentio ab acceptione, quia non potest beneficium vel res Ecclesiastica recipi, quin etiam aliquantulum retineatur.

8. *De quibus schismaticis sit sermo in dict. capite.* — Ultimo circa illum textum advertendum est, ibi specialiter agi de quibusdam schismaticis Octaviano et Guidone, qui hæresiarchæ fuisse dicuntur, ad eosque semper fieri relationem illis particulis *per dictos, per eosdem;* et ideo videri potest, omnia illa esse referenda ad illas personas tantum. Sed non ita est, nam ibi statuitur jus perpetuum; unde non considerantur illi, ut tales personæ sunt, sed ut tale vitium committunt. Præterea videri potest, illam legem solum procedere in schismaticis hæreticis, quia illi hujusmodi erant. Tamen communiter intelligitur illa lex de omnibus schismaticis, quia quod illi hæretici fuerint, materiale (ut ita dicam) est; hic enim formaliter considerantur, ut schismatici, id est, quatenus actiones schismatis, et divisiones a capite, exercebant.

Secunda excommunicatio contra religiosos, qui ad audiendas leges vel medicinam extra claustra exeunt, exponitur.

9. *Cap. Super specula, et cap. Non magno opere, Ne clerici vel monachi. — Quid per votum religionis in illo cap. Super specula, intelligatur. — Resolutio.* — Secunda excommunicatio habetur in cap. Super specula, et in cap. Non magno opere, Ne clerici vel monachi, ubi excommunicantur religiosi qui de *claustris exeunt ad audiendas leges vel physicam.* Quæ excommunicatio prius lata est ab Alexandro III, et postea confirmata et aucta ab Honorio III. Et expresse Honorius refert, ipse autem illam extendit ad quosdam seculares presbyteros, de qua extensione infra dicemus. In littera autem Alexandri magnopere obscura sunt illa verba : *Ut nulli post factum votum religionis et post factam in aliquo loco professionem.* Nam si particula hæc divisive sumatur, sequitur eum, qui habet votum simplex religionis, agens contra hanc legem, incurrere hanc censuram; si vero sumatur complexive, sequitur, religiosum professum, nisi prius habuerit votum simplex religionis, hic non comprehendi. Aliqui putant in priori membro comprehendi eos, qui post votum simplex religionis, religionem ingressi sunt, etiamsi non sint professi. Ita Panormit., num. 10; sed fortasse intelligit de professione expressa; nam ante omnem professionem nullus hic comprehendi potest, quia non est vere religiosus aut regularis, de quibus solis Alexander loquitur, ut ex ejus verbis et relatione Honorii satis constat. Nec propter novitios erat necessaria illa lex, tum quia ipsi non peccant, per se loquendo, relinquendo statum, tum quia non solent in his ministeriis occupari. Igitur per votum religionis ibi intelligitur, non promissio simplex ingrediendi religionem, sed votum ipsum, quo quis fit religiosus, quod statim per professionem declaratur, ita ut posterior particula tantum sit prioris explicatio; vel per votum intelligitur propositum religionis, quod in susceptione habitus ostenditur, et postea professione firmatur, et ita etiam particula *Et,* complexive sumitur. Vel certe si sumatur divisive, per priorem partem intelligitur professio tacita, quæ olim fieri intelligebatur, cum quis post votum religionis sumebat habitum animo mutandi vitam, ut in superioribus declaratum est. His adde, per professionem intelligi omnem veram

incorporationem, per quam quis verus religiosus fit, ita ut nunc etiam scholares approbati Societatis sub hac lege comprehendantur, quia sunt veri religiosi, et lex illa de omnibus religiosis loquitur.

10. *Actiones per hæc jura prohibitæ. — Prima. — Secunda. — Tertia.* — Circa causam vero hujus censuræ advertendum est, tres conditiones ex illo textu colligi necessarias ad illam incurrendam. Prima est, quod religiosi leges vel physicam audiant. Ubi per physicam omnes medicinam intelligunt, quod satis declarant illa verba Alexandri : *Ad physicales confectiones ponderandas.* Per leges autem intelligitur civilis jurisprudentia, sive tradatur per interpretationem juris communis, sive jurisproprii alicujus provinciæ vel regni. Secunda conditio est, ut ad hunc finem religiosi exeant de claustris suis; ita enim expresse dicitur. Unde omnes inferunt, si intra sua claustra religiosi hujusmodi scientiis vacent et eas audiant, non incurrere hanc censuram, quia non transgrediuntur hanc legem secundum omnia requisita ad censuram. Secundo item infertur religiosum exeuntem de claustro non ad audiendas has scientias, sed propter alios fines, etiamsi male exeat, et graviter peccet, vel apostata etiam sit, non incurrere hanc censuram, quidquid sit de aliis, propter eamdem rationem proportionalem. Tertia conditio est, quod intra duos menses ad claustra non redeant; nam, si ante lapsum hoc tempus redierint, non incurrent hanc censuram, ut ibidem dicitur.

11. *Particula, de claustris exeunt, de quo exitu intelligenda. — Ratio dubitandi. — Cajetanus. — Ratio dubitandi pro parte contraria.* — Primum autem quæri potest, quid sit exire de claustro, id est, an oporteat, ut exeant ad habitandum extra claustrum, vel satis sit exire ad audiendas hujusmodi scientias in loco publico alicujus academiæ, quamvis in suis claustris habitent prout communiter fieri solet. Et ratio dubitandi est, quia verba illa, *nisi ad claustrum suum intra duorum mensium spatium redierint,* indicant oportere, ut exeant ad habitandum extra claustrum, nam qui solum exeunt ad audiendum, quotidie ad claustrum redeunt. Atque ita exponit Cajetanus supra dicens, hoc est, *habitare extra claustrum, et auditionem intervenire, et perseverare sic ut intra duos menses non revertatur ad claustrum;* et Navarrus dicit, non incurrere hanc censuram religiosum, qui in eadem civitate exit extra claustrum solum ad audiendas has scientias, habitat vero in monasterio suo. Et Panormitanus indicat idem. In contrarium vero est, quia juxta hanc interpretationem fere nullius momenti erit illa constitutio, quia rarissime contingit, ut religiosi exeant illo modo de claustris ad audiendas doctrinas etiam sacras, nedum illas peregrinas. Præterea prohibitio in illa lege non fit præcipue propter vitandam habitationem extra claustrum, sed propter vitandas mundanas actiones, ut patet ex illis : *Ne occasione scientiæ, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur.* Præterea in alio textu Honorius extendit censuram ad quosdam clericos seculares, per se, ut sic dicam, prohibens auditionem; ergo multo magis videtur voluisse eamdem prohibere religiosis viris, etiamsi ad commorandum extra claustra non exeant.

12. *Objectio. — Resolutio.* — Dices : eadem ratione probaretur, studium talium scientiarum debuisse prohiberi intra claustra, etiamsi religiosi extra illa non exeant, non solum ad habitandum, verum etiam ad audiendum. Respondetur non esse similem rationem, tum quia lex potuit prohibere studium seu auditionem publicam, non vero quæ fiunt intra privatos parietes; tum etiam quia rarissime fit, ut hæ scientiæ intra monasteria legantur vel audiantur; leges autem prohibent quæ frequenter accidunt. Tum denique quia lex illa expresse postulat aliquem exitum a claustro; et ideo saltem necessarius erit ille, qui est ad audiendum, præsertim in schola et loco publico. Et videntur posse de hoc non male exponi alia verba : *Nisi intra duos menses,* etc., id est, nisi infra dictum tempus intra claustra se contineant, non amplius exituri ad illum finem. Et fortasse hæc non sunt multum aliena ab intentione legislatoris. Tamen, quia in legibus præsertim pœnalibus, recedendum non est a proprietate litteræ, et ea restringenda potius est, quam amplianda, et maxime secundum interpretationem communius receptam, ideo prior sententia retinenda est.

13. *Posteriori rationi dubitandi fit satis.* — Et ad conjecturam in contrarium dicendum erit, Pontificem noluisse omnem modum vacandi his disciplinis prohibere religiosis sub dicta censura, sed solum modum illum, qui posset esse occasio majoris distractionis; nam ad hunc sensum possunt etiam verba citata facile accommodari. Unde in cap. 2 Ne clerici vel monachi, in 6, specialiter

hibentur religiosi, ne ad studia litterarum accedant sine licentia sui Prælati, *ut materia,* inquit, *vagandi religiosis subtrahatur.* De qua prohibitione plura sectione sequenti. Nunc solum adverto, in nostro casu etiam licentiam Prælati non sufficere, ut religiosus exeat a monasterio prædicto modo, scilicet ad habitandum, ut scientias legum, aut medicinæ audiat, quia hoc sine tali limitatione absolute prohibitum est in prædictis juribus, in quibus inferior dispensare non potest. Et præterea expendit Panormitanus verbum illud : *Nulli omnino permittantur exire;* nam vox illa, *omnino,* dispensationem omnem prohibere videtur. Imo illa verba directe referuntur ad superiores, eisque prohibent, ne hoc permittant; quanquam postea excommunicatio non feratur in ipsos, sed in solos religiosos sic exeuntes, etc. Sed in originali illius cap. Non magnopere, quod habetur in Concilio Lateranensi sub Alexandro III, part. 27, cap. 2, additur in fine clausulæ : *Episcopi vero, Abbates, Priores, tantæ enormitati consentientes, et non corrigentes, spolientur propriis honoribus, et ab Ecclesiæ liminibus arceantur.* Quæ verba ferendam sententiam continent, non latam.

14. *Contrahatne qui animo has scientias audiendi duos menses extra claustra consumit, licet eas non audiat.* — Secundo quæri potest, si religiosus exeat de claustro animo audiendi has scientias, et postea non audiat, et nihilominus ultra duos menses extra claustrum maneat, an incurrat hanc censuram. Nam ex dictis sequi videtur non incurrere, quia non omnes conditiones positæ tunc implentur, sed deficit prima. Et videtur posse sumi ex Cajetano supra dicente : *Si quod horum in actione defuerit, non sunt religiosi excommunicati, oportet siquidem exitum ad hoc ordinari, et auditionem intervenire,* etc. Verius tamen videtur posse hanc censuram incurri, etiamsi auditio in re ipsa non interveniat, dummodo exitus e claustro ad illam ordinetur. Quod sentit Panormitanus ibi, n. 8 et 9. Et ratio est, quia hic textus non excommunicat audientes, sed exeuntes ad audiendum, et ante lapsos duos menses non redeuntes; ergo, etiamsi non subsequatur auditio, ponitur tota causa censuræ. Eritque hoc certius, si non solum exitus, sed etiam perseverantia duorum mensium semper ad illum finem audiendi illas scientias ordinetur, ut, v. gr., si consumat in itinere duos menses, semper tamen pergat ad audiendum, vel quidpiam simile; tunc enim evidenter agit contra verba et mentem hujus legis; ideoque incurret censuram.

15. *Quid si ante elapsos duos menses animum mutet.* — At vero, si post exitum claustri mutavit animum audiendi illas facultates, permanet tamen ut alias audiat, vel ut libere vagetur, dubia res videtur, quamvis Panormitanus simpliciter affirmet, et ejus Additio clarius id asserere videatur, fuitque sententia Innocentii, dict. c. Super specula. Et potest fundari in textu dicente : *Si exierint, et non redierint.* Nihilominus oppositum videtur satis probabile. Quod expressius declaravit Abbas, dict. cap. Super specula, n. 9, nam, sicut intentio illius legis non est punire quoslibet exeuntes e claustro, sed tantum exeuntes ad hunc finem, ita non est intentio ejus perseverantes punire, nisi quatenus ad hunc finem perseverant, et hujusmodi perseverantiam significare intendit Pontifex per illud verbum negativum, non redeundi. Sicut e converso, si quis exisset e claustro alia intentione, sive bona, sive mala, postea vero mutata intentione permansisset extra claustrum animo audiendi leges aut physicam, et post intentionem sic mutatam ultra duos menses permaneret, incurreret hanc censuram, quia, licet prior exitus non fuerit ad hoc ordinatus, tamen existentia extra monasterium ad hoc ordinata est; et hoc est, quod principaliter prohiberi intenditur, licet illo verbo significetur. Intelligendum tamen hoc est, si principalis ratio manendi extra claustrum sit propter audiendas hujusmodi facultates; nam, si habeat aliam principalem causam manendi vel exeundi, licet postea in hujusmodi etiam studiis occupetur, non incurret hanc censuram.

16. *Sitne nunc necessarium duorum mensium spatium ad incurrendam hanc censuram.* — *Quomodo computandi hi duo menses.* — Tertio quæri potest, an nunc sic necessarium hoc duorum mensium spatium, et quomodo sit computandum. Quidam enim dicunt nunc non esse necessarium, ut Gloss. dicto cap. Super specula, verb. *Duorum mensium,* quia illi duo menses fuerunt necessarii a die publicationis prioris canonis *Non magnopere,* postea vero in dicto cap. Super specula, dicitur : *Ipso facto incurrant religiosi hanc censuram,* scilicet ex quo ad hunc finem e claustro egrediuntur. Alii vero e converso existimant non solum esse necessarios hos duos menses, sed etiam esse computandos a die, in quo in-

cipiunt hujusmodi facultates audire, quia non putant incurri hanc censuram, nisi per auditionem, et consequenter ad illam principaliter referri hanc temporis limitationem. Ita D. Antoninus referens Joannem Andream, et alios, 3 part., tit. 24, cap. 53. Sed media via est vera; certum est enim etiam nunc non incurri illam censuram usque ad elapsum tempus duorum mensium. Nam in priori cap. Non magnopere, expresse designatur illud tempus non post publicationem illius edicti, sed post exitum e claustro; in alio vero cap. Super specula hoc refertur, et non revocatur. Unde, quod ibi dicitur, hanc excommunicationem ipso facto incurri, non intelligitur ipso facto post exitum, sed post elapsum tale tempus, ut ex contextu satis constat; solum enim id additum est ad explicandum verba prioris canonis, quæ obscuriora erant, et dubitari poterat, an continerent excommunicationem ipso facto incurrendam. Unde secundo etiam est certum illos duos menses computandos esse a die talis exitus e claustro; hoc enim præ se ferunt verba textus : *Si exierint, et infra duorum mensium spatium non redierint.* Adde ostensum esse incurri hanc censuram etiam antequam incipiat quis audire; non ergo potest tempus hoc computari a principio auditionis : ergo. Atque ita exponunt Angelus, *Excommunicatio*, 7; Sylvest., *Excommunicatio,* 9, c. 6; Panormit., dict. c. Super specula, n. 8, ubi alios refert.

17. *An comprehendantur religiosi exeuntes ad docendas has scientias. — Prima opinio. — Secunda opinio. — Objectio.* — Quarto dubitari potest, an hæc censura extendatur ad religiosos exeuntes e claustris ad docendas has facultates. Sunt enim in hoc obscura illa jura. Nam in cap. Non magnopere, utitur Pontifex verbo *legendi,* et fert censuram in religiosos exeuntes ad legendas dictas facultates; Honorius autem refert constitutionem illam factam esse contra *religiosos exeuntes ad audiendum;* quod est obscurum, nam verbum legere potius significat docere, quam audire. Doctores conveniunt, exeuntes ad audiendum contrahere hanc censuram, quia hoc expresse dicit Honorius, cujus constitutio posterior est, et declarativa alterius. De docentibus autem, quod etiam comprehendantur, indicat D. Antoninus supra, et inclinat Sylvester supra, n. 26, citans Hostiensem et Archidiaconum. Et ratio esse potest, quia verbum legendi in rigore et proprietate comprehendit docentes; et quamvis Honorius illud declaraverit vel extenderit potius ad audientes, non exclusit alios. Contrarium tenent Innocentius et Panormitanus ibi, quos sequitur Navarrus, num. 16, et fundamentum est, quia Honorius explicavit, quomodo verbum legendi intelligendum sit apud Alexandrum, scilicet, ut non idem quod docere, sed quod studere hujusmodi doctrinis. Sed instari potest, quia etiam verbum legendi hoc modo expositum commune est docentibus et studentibus, sicut verbum studendi; ergo, licet comprehendat discentes, non excludit docentes. Et confirmatur, nam Panormitanus ait religiosum, etiamsi post exitum a claustro non frequentet scholas ad has scientias addiscendas, sed sibi ipsi legat, studendo his rebus, incurrere censuram; ergo a fortiori ille, qui exit, et perseverat extra claustrum docendo has scientias, incurret, quia multo magis sibi ipsi legit, et studet eisdem rebus. Denique eadem vel major ratio est de docentibus, quæ de discentibus, et juris dispositio.

18. *Posterior opinio præfertur et satisfit rationi in contrarium. — Satisfit confirmationi ex Panormit.* — Nihilominus recedendum non censeo ab hac posteriori sententia, quæ in materia pœnali est favorabilior, et magis consentanea verbis Honorii, qui constitutionem Alexandri retulit, et referendo declaravit; non est autem verisimile retulisse illam incomplete, et in sensu, ut sic dicam, dimidiato, sed in sensu integro et completo; refert autem hanc censuram esse latam contra eos, qui ad audiendum exeunt; ergo intelligit contra eos tantum latam fuisse; et consequenter verbum legendi in priori constitutione sumptum esse pro verbo studendi, non late sumpto, sed prout vulgo accipi solet pro verbo addiscendi per disciplinam ab alio; per quod solvitur objectio facta. Ad argumentum autem ex Panormitano respondetur, religiosum, qui privatim studet his rebus post exitum e claustro, non ex eo capite incurrere hanc censuram, quod per se vacat hujusmodi doctrinis, sed quia exivit e claustro animo audiendi illas, et in eo perseverat post tempus duorum mensium; hoc enim supponendum est, alias non incurretur censura, etiamsi post exitum aliquis per se studeat his rebus, si revera non exivit ad audiendum. Nos autem supponimus eum, qui docet, non exisse ad audiendum, sed tantum ad docendum; et ideo, licet privatim studeat, et multa de novo discat, id non satis est, ut hanc censuram incurrat. Nec argumentum ob similitudinem

rationis in his pœnalibus locum habet, præsertim quia potest facile aliqua ratio disparitatis inveniri, quia exitus ad docendum has disciplinas rarissimus est, et vix moraliter contingit; et ideo non oportuit de illo specialem legem condere.

19. *Extensio quam supra constitutionem Alexandri posuit Honorius, exponitur.* — Superest exponenda extensio, quam addit Honorius, qui voluit hæc censura etiam ligari omnes presbyteros, ex inferioribus vero clericis *archidiaconos, decanos, plebanos, præpositos, cantores, et alios personatus habentes.* Circa quam primo advertendum est in presbyteris nullam poni limitationem, ideoque indifferenter omnes comprehendi; e contrario vero, inferiores nec ratione solius Ordinis comprehendi, neque ratione alicujus beneficii, præter ea quæ ibi numerantur. Solum circa plebanos oportet advertere, Bonifac. VIII, in c. 1 Ne clerici vel monachi, in 6, declarare, ea lege non comprehendi habentes Ecclesias parochiales : *Nisi tales Ecclesiæ sint plebanæ sub se capellas habentes, in quibus instituantur clerici perpetui,* etc. Denique advertendum est, etiam clericos seculares non incurrere hanc censuram statim, sed post elapsum tempus duorum mensium, ut patet ex illis verbis : *Nisi ab his infra spatium præscriptum destiterint.* Cum autem in his secularibus locum non habeat exitus a claustro, et exitus a propria domo sit impertinens, necesse est, ut tempus duorum mensium computetur, ex quo incipiunt audire hujusmodi facultates; nam initium aliud habere non potest. Sensus ergo erit, quod si per duos menses in audiendis hujusmodi facultatibus perseverent, talem censuram incurrant, sive in propria domo, sive in quolibet alio loco eas audiant. Quæ est communis sententia, potestque sumi ex Bonifacio VIII, dict. cap. 1, ubi referens hanc legem Honorii, quatenus ad hos clericos seculares pertinet, dicit eis interdixisse audire leges vel physicam.

20. *Magistri docentes has scientias non incurrunt hanc censuram.* — Ultimo circa utramque partem adverto censuram hanc nullo modo pertinere ad magistros, et Doctores, qui hujusmodi religiosos, vel clericos seculares docent has scientias, vel ad eas audiendas eos admittunt, quidquid Antoninus, et Sylvester oppositum insinuent sine fundamento in prædictis textibus, qui de solis audientibus loquuntur; de docentibus autem nec verbum habent. Solum propter communicationem in crimine possent hi Doctores hujus censuræ fieri participes, si postquam alii incidunt in excommunicationem et in sua pertinacia, et delicto perseverant, eos docent; nam tunc videntur in delicto communicare, quod erit verum, si eos specialiter docent, vel si commode possunt eos expellere, et non admittere; nam si publice docent, non tenentur a suo munere desistere, propterea quod hujusmodi personæ prohibitæ intersint, qui tunc non censentur cooperari delicto eorum, sed tolerare.

Tertia excommunicatio contra sacerdotes assumentes officium præpositi sæcularis.

21. *C. Clericis, Ne clerici vel monachi.* — Tertia excommunicatio habetur in cap. Clericis, Ne clerici vel monachi, ubi Alexander III, sub interminatione anathematis jubet, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis, seu præpositi secularis; et subditur : *Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, et commonitus emendare noluerit, excommunicationi subjaceat.* Ubi primum est notandum, censuram ferri contra solos sacerdotes. Nam licet in priori parte sit sermo de clericis in sacris, in hac restringitur ad sacerdotes. Unde licet Sylvester, *Excommunicatio,* 9, num. 28, cum Hostiense exponat sacerdotem pro omni clerico, et Navarrus cum Panormitano solum excipiat clericos in minoribus existentes, et ita sentire videatur omnes constitutos in sacris etiam in hac secunda parte comprehendi, nihilominus verior est interpretatio posita, quam amplectitur Cajetanus, c. 76. Deinde est notanda causa, ob quam fertur illa censura, scilicet propter usum officii gubernationis secularis habentis jurisdictionem temporalem annexam, quando sacerdos loco alterius, seu tanquam minister alicujus principis illud exercet; hoc enim significant illa verba : *Officium vicecomitis, aut præpositi secularis.* Unde recte infert Cajetanus primo, sacerdotes, qui in Curiis Regum sunt gubernatores temporales, aut Præsidentes Cancellariarum, in hunc canonem incurrere, si id faciant sine dispensatione Pontificis, quia illa munera sunt præposituræ seculares. Secundo infert, administrare jurisdictionem temporalem non ut adventitiam, seu ministerialem principis secularis, sed ut propriam, id est, ut convenientem Prælato Ecclesiæ ratione dignitatis Ecclesiæ cui est annexa, vel ratione dominii temporalis, quod talis persona alias ex se

habebat, non esse contra hunc canonem, quod ex verbis satis constat.

22. *Sitne censura hæc ipso jure lata, aut ferenda.— Glossæ communis opinio.—* Sed est dubium, an hæc censura ipso jure feratur. Et partem affirmantem sequitur Glossa ibi, quia illa verba, *Excommunicationi subjaceat,* videntur hanc vim habere, probatque a simili ex c. Non minus, de Immun. Eccles. Ubi verba non sunt omnino similia, sed: *Excommunicationi se noverint subjacere.* Et adduntur alia, quæ magis id declarant, scilicet: *Nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.* Nihilominus sententia Glossæ communiter recepta est, ut Panormit. ibi notat, et sequitur; et idem supponunt Angelus, *Excommun.,* 7, casu 8; Cajet., Navarrus, et alii. Qui tamen advertunt, necessariam esse monitionem præviam, et præsumptionem; nam utrumque in textu exprimitur ibi : *Si quis contra hoc venire præsumpserit, et commonitus emendare noluerit.* Quæ monitio cum ibi amplius non declaretur, canonica intelligenda erit. Fundamentum autem communis sententiæ est, quia verbum, *subjaceat,* non requirit hominis ministerium, sed quasi imperative ad ipsum delinquentem refertur, efficaciter illum subjiciens censuræ.

23. *Sylvestri opinio. — Communis opinio præfertur. —* Nihilominus Sylvester, *Excommunicatio,* 9, num. 28, contrarium supponit, dicens, quod *licet constitutio illa videatur pœnalis, et consequenter restringenda, tamen habito respectu, quod excommunicatio non infligitur ipso facto, secus videtur dicendum.* Et indicat eamdem sententiam tenere Hostiensem; et Panormitanus refert Antoninum. Et suaderi potest, quia verbum, *subjaceat,* optime admittit sensum de futuro, seu in futuro, et quod illud ipsum per actionem judicis admonentis faciendum sit; ergo cum ea sit pœnalis, restringenda est. Sed nihilominus prior sententia, sicut communior est, ita etiam præferenda videtur, quia juxta frequentiorem usum juris illa locutio significat sententiam latam, ut patet ex supra dictis in generali doctrina de censuris. Practice tamen loquendo, raro incurretur hæc censura ex vi solius juris; nam cum præcedere debeat judicis monitio canonica, semper fiet cum comminatione excommunicationis ipso facto incurrendæ, vel certe ita fieri deberet ad tollendum omne dubium.

SECTIO IV.

Quæ excommunicationes non reservatæ latæ sint in sexto libro Decretalium.

1. *Prima contra mittentes nuncium, aut secrete in Conclavi cum Cardinali loquentes. — Exponitur c. Ubi, de Elect. —* Ex his excommunicationibus nonnullæ coincidunt cum contentis in Bulla Cœnæ, vel cum aliis reservatis; quas solum indicabimus; aliæ non sunt admodum utiles ad usum, quas breviter transigemus; alias vero exactius declarabimus. Prima ergo sumitur ex c. Ubi periculum, § Hoc sacro, de Elect., in 6, ubi, vers. *Nulli etiam fas sit,* fertur excommunicatio ipso jure contra eos, qui ad Cardinales in Conclave conclusos ad eligendum Summum Pontificem *scripturam miserint, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secrete locuti fuerint.* Quæ lex cum ipsis Cardinalibus non loquitur, unde licet ipsi vel scripturam accipiant, vel nuncium audiant, vel cum alio loquantur, illam censuram non incurrunt. Solum indiget declaratione illa particula, *secrete,* an sit conjungenda cum omnibus illis tribus, *scriptura, nuncio et locutione,* vel tantum cum ultima; multum enim hoc refert. Nam si cum omnibus conjungatur, erit magna moderatio hujus legis; sic enim publice mittere nuncium, vel epistolam, non erit sufficiens ratio incurrendi hanc censuram. Cum ergo contextus, et plana constructio verborum admittat hunc sensum, et simus in materia pœnali, videtur amplectendus. Quod sentiunt Archidiac., Joan. Andreas, et alii ibi; Angelus, *Excommun.,* 7, casu 13; Sylvest., *Excommun.,* 9, censura 11, num. 34. Nihilominus contraria sententia probanda videtur, quam tenent Cajet., c. 55, et Navarrus, num. 121. Et patet ex contextu; nam primo absolute prohibet : *Nulli fas sit ipsis Cardinalibus nuncium mittere, vel scripturam.* Ubi manifeste universalis est prohibitio sine restrictione ad publicam, vel secretam; et tamen hæc ipsa prohibitio statim corroboratur censura repetitis eisdem verbis, sine ulla limitatione illis addita, sed additur tertium membrum de locutione, et ibi adjungitur adverbium, *secrete,* quod ita interponitur, ut manifestum sit solum conjungi cum verbo loquendi, scilicet : *Aut cum aliquo ipsorum secrete loquendo.* Recte tamen advertit Cajet., verba illa : *Nulli fas sit,* intelligi de his, qui in Conclavi non existunt, de quibus in proximo præcedente versiculo dic-

tum fuerat : *Nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat.* Itaque certum est licere Cardinalibus in Conclavi existentibus inter se secrete loqui, vel nuncium mittere, aliquem scilicet famulum, quem unusquisque intus habet; et eadem ratione licere scriptum inter se dare, vel mittere, quantum est ex vi hujus legis.

2. *Secunda excommunicatio ex eodem c. Ubi periculum.* — Secunda excommunicatio habetur in eodem c. Ubi periculum, § Præterea, ubi excommunicantur Domini, aliique Rectores, et officiales illius civitatis, in qua Summus Pontifex moritur, si diligenter non observant quæ ibi statuuntur, vel si fraudem in eis, vel circa ea commiserint. Quam partem late explicat Cajetanus, c. 54, Sylvester, et alii, qui videri possunt, quia res non est nobis admodum necessaria.

3. *Tertia excommunicatio contra gravantes personas Ecclesiasticas, eo quod non elegerint eum, pro quo eligendo sunt rogati, exponitur.* — Tertia excommunicatio habetur in c. Sciant cuncti, de Elect., in 6, ferturque contra eos, qui *gravare præsumunt clericos, vel quaslibet personas Ecclesiasticas (ad quas in aliquibus Ecclesiis, monasteriis, et piis locis spectat electio) pro eo, quod rogati, seu alias inducti, eum, pro quo rogabantur, aut inducebantur, eligere noluerunt.* Quale autem debeat esse hoc gravamen, concluditur in illo verbo, *aut alias injuste prosequendo;* in particulari autem ponitur actio spoliandi eos, vel consanguineos eorum, aut Ecclesias, monasteria, vel loca pia beneficiis, aut aliis bonis suis, per se, vel per alios, quod intelligendum puto de injusta spoliatione, ut illo ultimo verbo declaratur. Unde qui sine injustitia spoliat aliquem bonis, aut beneficio, petens id ad quod habet jus, quamvis id faciat provocatus, eo quod non fuerit ille electus, pro quo ipse rogaverit, et alioqui etiam non facturus, non incurret, quia non infert injustam vim, aut persecutionem. Item negare monasterio eleemosynas, quas aliquis facere consueverat, vel negare amico specialia beneficia, non sufficit ad incurrendam hanc censuram, etiamsi hoc titulo fiat, quia neque est acceptio bonorum alterius, neque injusta persecutio. Sicut e contrario, si quis inferat injuriam, vel persequatur hujusmodi electorem alio titulo, et non propter electionem, quam fecit, non incurret hanc censuram; nam in textu expresse dicitur, *pro eo quod,* etc. Quæ omnia, et alia, quæ hic notari solent, in textu ipso clara sunt.

4. *De qua electione textus ille loquatur. — Præsentatio, confirmatio et postulatio, sub electione comprehenduntur.* — Solum potest dubitari, an quod ibi dicitur de electione, extendendum sit ad præsentationem, institutionem, confirmationem et postulationem. Respondetur in primis, si præsentatio ad laicum pertineat, non comprehendi, quia textus loquitur, quando electores sunt clerici, vel personæ Ecclesiasticæ. Unde etiam electiones, quæ a laicis fiunt, ut in confraternitatibus, et aliis congregationibus personarum, quæ nec religiosæ sunt, nec clerici, per se, et ex vi talis status, non comprehenduntur sub hac censura, ut omnes advertunt. At vero si præsentatio ad Ecclesiasticam personam pertineat, quatenus talis est, et titulo Ecclesiastico, Navarrus, num. 122, affirmat hic comprehendi, cum Glossa, in eodem cap. Sciant, verbo *Alios,* quæ in hoc fundatur, quod hæc lex simpliciter non est odiosa, sed favorabilis, cum Ecclesiasticam libertatem defendat; et ideo restringenda non est, sed potius extendenda; cum ergo præsentatio sit quidam modus electionis, merito ad illam hæc constitutio de electione extenditur. Quæ ratio etiam procedit de confirmatione, postulatione, etc. Et ita etiam sentiunt Sylvester, et Angelus supra.

5. *Quid per consanguineos intelligendum.* — Tandem quoniam in eo textu explicatur, persecutionem, seu spoliationem injustam posse fieri circa consanguineos, dubitant ibi Glossa, et Doctores, usque ad quem gradum consanguinitatis intelligendum sit, et an possit extendi ad affines. Dico tamen, ex vi illorum verborum non comprehendi affines, ut patet ex propria significatione illorum verborum; cumque in jure non reputentur consanguinei, nisi qui intra quartum gradum continentur, et jus in hoc nihil amplius declaret, ex vi etiam talis vocis solum videntur comprehendi prædicti gradus, nec potest cum fundamento fieri extensio usque ad septimum, potius quam usque ad octavum, vel decimum, quidquid aliqui dixerint. Quanquam autem hoc verum sit ex vi illorum verborum, tamen ex vi illius clausulæ generalis, *seu alias injuste prosequendo,* fieri potest, ut, quamvis spoliatio, vel alia similis injuria fiat circa affines, vel alios familiares, aut conjunctos, si fiat in odium alterius, moraliter censeatur injustum gravamen ejus, et injusta persecutio, ideoque ad incurrendam hanc censuram sufficiat, quod quidem ex circum-

stantiis et prudentis arbitrio expendendum est.

Excommunicatio contra occupantes jura, aut bona ad Ecclesias vacantes pertinentia, exponitur.

6. *C. Generali, de Elect., in* 6. — Quarta excommunicatio habetur in c. Generali, eodem titulo, de Elect., in 6, ferturque in eos, qui in Ecclesiis, monasteriis, aut piis locis titulum defensionis, aut similem de novo usurpare conantes, jura ad talia loca pertinentia, aut eorum bona, quando talia loca vacant, occupare præsumunt. In quo primum notandum est verbum, *Nove usurpando.* Duo enim requirit : primo, ut de novo fiat; secundo, ut sine justo titulo, aut legitima concessione. Unde qui id facit titulo antiquæ præscriptionis, seu consuetudinis, vel novo titulo fundationis, aut concessionis legitimæ non comprehenditur hac lege, ut in fine ejus explicatur, et Glossa advertit. Deinde est considerandum, legem illam directe ferri contra occupantes bona talium locorum eo tempore, quo vacant; non tamen quomodocumque occupantes, sed simul usurpare conantes jura aliqua ad tales Ecclesias pertinentia, quæ ibi dicuntur regalia, aut custodiæ, etc. Ideoque ad incurrendam hanc censuram non sufficit alio modo occupari talia bona, nisi fiat occupando jura ipsa, et illo titulo; neque e converso sufficit tale jus usurpare, nisi occupentur bona Ecclesiæ vacantis; nam utrumque ita conjungitur in illo textu, ut simul requiratur. Quod notant Cajetanus, Navarrus, et alii. Unde cum censura non contrahatur, donec actus prohibitus consummetur, quamvis aliquis conetur usurpare jus animo occupandi bona, si hoc perficere non potuit, non incurret censuram, donec cum effectu illa occupet. E contrario vero, si de facto quis occupet bona per hujusmodi actionem, conando usurpare jus Ecclesiæ, quamvis hoc non assequatur, sed tantum ad id conetur, videtur incurrere, quia lex illa, ut dixi, per se, ac directe excommunicat occupantes bona, et ex alia parte non requirit ut usurpent, sed quod conentur ad usurpandum jus. Præterea oportet, ut illa bonorum occupatio ex præsumptione fiat, quod habet vim sæpe explicatam. Estque generalis contra omnes committentes tale delictum; de consulentibus vero, et similibus nihil ibi dicitur.

7. *Extensio ejusdem censuræ.* — Additur vero specialis extensio contra clericos, monachos, vel alias personas talium locorum respective, procurantes tale delictum fieri; meritoque id fit propter specialem infidelitatem talium personarum. Non incurrent tamen hi procurantes hanc censuram, nisi res ad exitum perveniat, juxta doctrinam in superioribus datam, quia talis actio solum prohibetur propter aliam, et quasi via ad illam, et ideo non videtur consummata, donec illa fiat. Denique necessarium est, ut talis procuratio sit, ut ita dicam, positiva per actionem aliquam; nam si solum sit negligentia resistendi, etiam culpabilis, contra sui officii debitum, illud non est procurare, sed indebite permittere, quæ culpa ibidem paulo inferius alia pœna punitur in clericis; nam pro eo tempore prohibet Papa, ne de proventibus talium Ecclesiarum aliquid percipiant. Per quæ verba, ut opinor, non fertur suspensio ipso jure, neque ipsi clerici tenentur in seipsis talem exequi pœnam; sed Prælatus, aut judex juxta hanc legem debet eos punire.

Excommunicatio contra eos, qui dum electioni monialium intersunt, aliquid faciunt, unde oriri possit discordia inter eas super electione.

8. Quinta excommunicatio habetur in c. Indemnitatibus, § Postremo, de Elect., in 6, ferturque contra Prælatos, vel alios, qui vocantur, ut intersint electionibus monialium, si aliquid faciant, ex quo possit oriri, vel nutriri discordia inter ipsas moniales, super hujusmodi electionibus faciendis. Quæ lex universalis est quoad personas, in quas fertur censura; nam verba sunt generalia sine limitatione. Est autem ponderandum in eo textu non requiri, quod talis persona intersit tanquam superior, vel jurisdictionem habens, vel tanquam missa a superiore; sed solum quod sit accersita ad illud munus dirigendi electionem per consilium, exhortationem, vel aliquid simile, et quod ipse eo nomine accedat, et intersit; nam verba textus in omni proprietate hoc significant. Unde si religiosæ ipsæ aliquem vel religiosum ejusdem ordinis, aut alterius, vel clericum secularem, aut etiam laicum, sive virum, sive etiam fœminam vocarent, ut interesset suæ electioni, et sua prudentia, et judicio illas dirigeret, in eo haberet locum hæc constitutio, et censura, ut patet ex plano contextu verborum. A fortiori autem habebit locum in superiore, qui ex

officio interest, vel alio, qui vicem ejus gerit; nam hi etiam vere dicuntur evocari ad dirigendas tales electiones, vel a monialibus ipsis, vel certe ab ipso officio, et regula, vel a Prælato superiori. At vero si quis interesset non vocatus ad dirigendum, sed quia ipse se immiscet forte ad perturbandum, vel desiderium suum explendum, non incurret hanc censuram, ut probe notavit Cajetanus, c. 80, quia licet forte delictum sit gravius, tamen non est illud speciale, quod hic punitum est, nimirum infideliter agere, et quasi prævaricare in eo munere, ad quod aliquis vocatus est. Rursus etiam ipse, qui ad dirigendum vocatus est, si ante electionem non perturbet, aut discordias generet, vel nutriat, si post factam electionem aliquid horum committat, non incurret; nam textus solum loquitur de discordia *super faciendis electionibus*. Et in his conveniunt Glossa, expositores, et Summistæ omnes.

9. *Nomen monialium an ad non religiosas extendatur.* — Addit vero Angelus, verb. *Excommunicatio*, 7, casu 16, hanc constitutionem non procedere tantum in monialibus, quæ sunt veræ religiosæ; sed in his etiam congregationibus fœminarum, quæ proprie religiosæ non sunt, tamen in communi vivunt, et suas electiones faciunt. Et idem sequitur Sylvester, *Excomm.*, 9, num. 42, qui citat Geminianum, dicitque colligi ex textu. Sed neque in textu ego video fundamentum, quia nomine monialium tam in jure, quam in communi usu solum intelligi solent religiosæ fœminæ, et jura quæ de hujusmodi electionibus loquuntur, de religiosis, seu regularibus sermonem faciunt, ut videre licet in Concil. Agathensi, cap. 19 et 57, et in Trident., sess. 25, c. 7 de Reform. regularium; quare non video, cur in lege pœnali extensio illa admittenda sit. Quod sensisse videntur Cajet. et Navarr. illam prætereundo, de religiosis tantum loquendo.

10. *Sexta excommunicatio contra procuratorem in quadam causa iniqua.* — Sexta excommunicatio sumitur in cap. ult. de Officio deleg., in 6, ubi suspenduntur conservatores, qui de aliis, quam de manifestis injuriis, et violentiis scienter se intromiserint; pars vero quæ hoc procuraverit, excommunicatur, ita ut absolvenda non sit, donec alteri parti læsæ satisfaciat. De quo canone, quia pœna in eo principaliter lata est suspensio, infra ex professo dicemus disputantes de suspensione. Hic solum adverto hujusmodi procurantes non incurrere, nisi effectus sequatur, propter rationem superius tactam. Non fertur autem talis censura contra quoslibet procurantes, sed contra eum, qui est pars in tali judicio, et hoc procurat; expresse enim fertur cum tali limitatione. Rursus necesse est, ut talis conservator commissionem non habeat ad hujusmodi actus, etiamsi talis concessio data sit per clausulam generalem, quia extendi solet commissio ad cognoscendum de eo, quod requirit altiorem indaginem, ut notat Navarr., num. 125; quia cum hæc procuratio non per se, sed propter vitandum actum procuratum prohibeatur, tunc solum censeri debet prohibita, quando actus procuratus malus est, et prohibitus; ergo quando actus ipse concessus est, procurare illum non est malum, neque est materia censuræ.

Excommunicatio contra extorquentes per vim aut metum absolutionem a censura, exponitur.

11. *C. unico de His quæ vi, in 6.* — *Quæ metus illatio sufficiat ad hanc censuram incurrendam.* — Septima excommunicatio sumitur ex c. unico de His quæ vi, in 6, ferturque in eos, qui per vim, vel metum extorquent ab Ecclesiastico judice absolutionem a censura. Quem textum supra exposuimus disp. 7 de Censuris in communi, sect. 3, quantum ad priorem partem ejus. Nunc vero quantum ad hanc censuram advertendum est primo, necessarium esse ad eam incurrendam, ut metus illatus sit talis, ut moraliter faciat actum ita involuntarium, ut ex eo capite nulla sit absolutio, ad quod non sufficit quilibet metus, sed ille solus, qui cadere potest in constantem virum, ut jura loquuntur, et citato loco declaratum est. Contrarium autem videtur docere Cajetanus, cap. 41, dicens, qualiscumque sit metus illatus, sufficere ad incurrendam hanc censuram, quia hæc lex nihil distinguit inter magnum, et parvum. Quam sententiam ait Navarrus, c. 27, n. 125, esse tenendam in foro conscientiæ. Ego vero censeo non esse hic distinguendum inter forum externum, et conscientiam, quia si ex vi illius legis in externo foro non censetur excommunicatus, qui levem metum intulit, neque in foro conscientiæ erit, cum talis excommunicatio ex sola efficacia, et proprietate illius legis inferatur. In utroque ergo foro censeo in eo casu non incurri. Quod tenet ibi Glossa ult. communiter ab interpretibus ap-

probata. Et ratio est, quia licet lex illa non distinguat, tamen ex subjecta materia constat loqui de metu gravi. Prius enim irritat lex illa absolutiones sic extortas; deinde vero subjungit : *Ne autem sine vindicta violente crescat audacia, eos qui hujusmodi absolutionem,* etc.; ergo talis censura cadit in eam extorsionem absolutionis, quæ illam reddit nullam ex vi illius cap.; non reddit autem nullam, nisi vis aut metus gravis, qui cadat in constantem virum : ergo.

12. Cætera vero, quæ Cajetanus notat circa hanc censuram, mihi probantur, et facilia sunt ex verbis textus, videlicet nihil referre, quod inferens vim, vel metum, sit ipse qui absolvendus est, vel alius; uterque enim æque incurrit; nam textus non distinguit de extorquente sibi, vel alteri, sed absolute de extorquente. Sicut etiam in priori parte capitis nulla fit absolutio, sive metus illatus sit ab eo qui absolvitur, sive ab alio. Deinde non satis esse, quod metus inferatur, nisi absolutio cum effectu obtineatur, quia textus non excommunicat inferentes metum ad hunc finem, sed extorquentes absolutionem per metum; hæc autem extorsio non consummatur, donec absolutio obtineatur. Denique nihil referre, quod censura, cujus absolutio extorquetur, juste, vel injuste lata sit, neque quod sit ab homine, vel a jure, quia etiam in hoc lex illa nihil distinguit. Ego autem hoc intelligo de censura injusta, dummodo sit valida; nam si fuisset nulla simpliciter, id est tam in re, quam in exteriori foro, non credo incursurum hanc excommunicationem, qui revocationem illius censuræ per vim, vel metum extorqueret; nam cum illa non fuerit censura, cessat materia hujus legis; neque illa, quæ extorquetur, potest vere dici absolutio, vel revocatio censuræ, sed potius declaratio nullitatis ejus; hic autem non excommunicatur, qui extorquet declarationem nullitatis, sed qui extorquet absolutionem, vel revocationem censuræ veræ, ac validæ.

Excommunicatio contra eos, qui per fraudem faciunt, ut judex personaliter fœminam adeat, ejus testimonium interrogaturus, exponitur.

13. *Cap.* 2 *de Judiciis.* — Octava excommunicatio sumitur ex cap. 2 de Judiciis, in 6, ubi statuitur, ne fœminæ cogantur personaliter venire in judicium ad ferendum testimonium, et providetur, ut per tabellionem, vel aliam personam ad eas transmissam petatur, aut si casus id postulet, quod judex ipse personaliter ad eas accedat. Et additur : *Proviso quod casus hujusmodi (videlicet, ut judex vadat personaliter) non fingatur, nec fraus interveniat in hac parte, alioqui fictor hujusmodi, vel fraudator ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.* Ubi est advertendum hanc excommunicationem non incurri, donec sit per fraudem obtentum, ut judex personaliter ad fœminam accedat, ejus testimonium per seipsum interrogaturus, quia in eo accessu consummatur actio hic punita et prohibita, quando per fraudem fit; et ita sentit Cajetanus, cap. 59, quem sequitur Navarrus. Postquam autem hic effectus consequutus est, ille tantum incurret hanc censuram, qui auctor fuit fraudis, et deceptionis. Unde si ipse judex fuit deceptor, ipse incurret; si vero fuit alia persona, judex non incurret, etiamsi ad fœminam personaliter accedat, etiamsi id faciat sciens, et permittens, vel, ut sic dicam, male utens malitia alterius ad suum fortasse pravum desiderium explendum. Quia hic non punitur quælibet malitia, sed sola *fictoris*, vel *fraudatoris;* tunc autem judex non est fictor vel fraudator, licet male faciat, dum se et aliam decipi et fraudari sinit. Quod significavit Navarr., num. 125, in fine, dicens, judicem non incurrere hanc censuram, si ipse non fingi fecit, quam dicit esse communem sententiam in dicto cap. 2.

14. *Quid si re ipsa fœmina decipiat.* — Dices, hoc ipso, quod judex scit fictionem, vel deceptionem alterius, et nihilominus sub illo colore vult personaliter fœminam adire, decipit illam, impostor ac fictor dici potest; ergo incurret censuram. Respondetur negando assumptum, si nihil cooperatur ad deceptionem; sed solum illa supposita, dissimulata, proficiscitur, et personaliter adest fœminæ. Quare considerandum attente est, an sit mortalis cooperatio, seu effectio fictionis, quia tunc incurretur censura, et non alias. Unde fit, ut ipsamet fœmina, si fingat et decipiat, ut judex ad eam personaliter veniat, et consequatur effectum, incurrat hanc censuram, quia lex illa generaliter excommunicat omnem deceptorem, seu fraudatorem, sub quibus vocibus, quamvis masculini generis, certum est juxta juris usum, etiam fœminas comprehendi. Nec refert, quod talis lex instituta, quia lex simpliciter loquitur, et sine restrictione; unde non tam

respicit favorem personæ, quam ipsius judicii, ut recte, atque etiam honeste fiat.

15. *Quis incurrat hanc censuram, auctor fraudis, aut executor.* — Sed interrogari potest, quando unus est auctor, vel inventor deceptionis, alius vero executor, quis illorum incurrat hanc censuram. Respondeo, mea sententia utrumque incurrere, quia uterque est deceptor; vel si accommodare velimus terminos ipsius textus, alter est fictor, scilicet inventor mendacii; alter fraudator, scilicet executor. Quare, etiamsi plures ad executionem concurrant fingendo, vel proferendo mendacia in ordine ad talem effectum, illo consecuto omnes incurrunt. Altera interrogatio est, an hæc lex intelligenda sit tantum de judiciis, et judicibus Ecclesiasticis. Posset enim aliquis hoc existimare, quia Ecclesiastici canones solum ponunt formam, et modum servandum ab Ecclesiasticis judicibus. Sed dicendum est, legem esse universalem, et judices seculares comprehendere. Quod colligo tum ex illis verbis textus : *Auctoritate Sedis Apostolicæ, aut alia quacumque;* nam in rigore omnem judiciariam potestatem comprehendunt; tum etiam quia semper est sermo de judicio, et judice indefinite et absolute, neque fit restrictio ad Ecclesiasticum. Unde Navarrus dicit nihil referre, an judex sit clericus, vel laicus. Denique in his, quæ ad bonos mores pertinent, Ecclesia per suos canones potest modum ponere secularibus judicibus.

Excommunicatio contra laicos compellentes Prælatos Ecclesiasticos ut res Ecclesiasticas laicis submittant, et contra eos qui res sic habitas non dimiserint.

16. *Cap. 2 de Rebus Eccles. non alien.* — Nona excommunicatio sumitur ex cap. 2 de Rebus Eccles. non alien., in 6, ubi prohibentur Prælati Ecclesiastici, ne immobilia bona vel jura suarum Ecclesiarum sine consensu Capitali, et licentia Sedis Apostolicæ subjiciant laicis; et in clericos vel Prælatos contrarium facientes suspensionem fert ipso jure; quam infra suo loco explicaturi sumus cum ipso textu, quia hæc est pœna ibi principaliter lata. Adjungitur vero duplex excommunicatio. Prima est contra laicos, *qui compellunt clericos ad hujusmodi contractus faciendos, et qui ante illam legem similem vim fecerant, nisi post competentem monitionem (remissa submissione) Ecclesiastica bona in sua libertate dimittant.* Ut autem hic casus intelligatur, adverto submittere Ecclesias, aut earum bona, vel jura laicis personis, variis modis fieri posse, ut ex illo textu sumitur, scilicet, constituendo illos patronos, vel advocatos Ecclesiarum, vel recognoscendo eos ut patronos, ac si talia bona, vel jura ab illis haberent. Clerici ergo, seu Prælati Ecclesiarum prohibentur hanc submissionem facere (nisi modo et in casibus a jure permissis) in perpetuum, aut ad tempus non modicum; quod juxta Glossam ibi, Sylvestrum, Antoninum, Navarrum, et omnes, debet esse tempus decem annorum. Quia ergo nobiles laici interdum opprimebant Ecclesias, ut eis submitterentur a Prælatis, ideo in eo cap. censura fertur contra eos, qui hujusmodi vim vel antea Ecclesiis fecerant, vel postea fecerint.

17. *Quæ monitio requiratur in secundo casu excommunicationis.* — Ubi solum est notanda differentia, quod ad incurrendam illam excommunicationem prout fertur propter actum futurum non requiritur alia monitio præter eam quæ per hanc legem; prout vero fertur propter actum præteritum, requirit novam monitionem ab homine factam; et alioquin non censetur quis esse contumax. Et probabile existimo talem monitionem debere esse trinam, prout sentit Gloss. ibi; Sylvest., *Excomm.*, 9, casu 19. Quamvis Navarr., c. 27, n. 126, dicat sufficere unam tam in hoc casu, quam in omnibus, in quibus jura requirunt monitionem ad incurrendam censuram per ipsum jus latam, et affert probabiles conjecturas; sed non video rationem cogentem. Unde cum contraria sententia favorabilior sit, et graves auctores habeat, et rationem fortasse probabiliorem, satis tuta est in conscientia; maxime cum in hoc loco textus requirat competentem monitionem; competens enim monitio in jure intelligitur trina.

18. Secunda excommunicatio est, quando hi contractus licite fiunt cum consensu et licentia requisitis, si laici aliquid usurpent, præter id quod ex natura vel conditione talis contractus eis debetur; nam si legitime admoniti illud non restituant, excommunicationem incurrunt; quod eodem modo intelligendum est. Denique declarat Navarrus hanc submissionem esse illam, quam Hispani, *Commendam*, appellant; et sub aliis pœnis prohibetur in legibus illius regni, lib. 1 Ordin., tit. 3, lib. 1.

Decima excommunicatio contra religiosos quarumdam religionum exercentes aliquas actiones, in cap. unic. de Religiosis domibus, in 6, prohibitas.

19. *Secunda excommunicatio ejusdem textus.* — Decima excommunicatio sumitur ex cap. unico, § Confirmatus, de Religiosis domibus, in 6, ferturque contra religiosos, qui paupertatem in communi profitentur secundum regulam suam, quorum religio post Concil. Lateranense sub Innocentio III celebratum, id est, post annum 1215, confirmata est; quam censuram hi religiosi in tribus casibus incurrunt. Primus est, si aliquem ad suam professionem de novo admittant; secundus si novam domum vel locum acquirant; tertius si jam habita alienent, sine Sedis Apostolicæ licentia. Quæ limitatio ad omnes tres casus refertur, ut per se notum est. Hæc vero excommunicatio jam parum est utilis; nam ibidem in § Sequente excipiuntur ab hac prohibitione quatuor ordines Mendicantes antiquiores propter eorum approbationem, et evidentem utilitatem. Unde simili modo excipitur quælibet alia religio postea similiter approbata, ut ex bullis et privilegiis singularum religionum intelligendum est. Quocirca illæ religiones, de quibus textus hic loquitur, vel jam non extant, vel rarissimæ sunt; et ideo non est quod in hac excommunicatione amplius declaranda immoremur. De alia vero simili quæ habetur in Clement. ult. de Pœnis, dicam in sectione sequente.

20. *Non extendi hanc excommunicationem ad instituentes novam religionem.* — Addunt vero Angelus, *Excommun.*, 7, casu 22, et Sylvest., *Excommunic.*, 8, n. 45, excom. 20, et Navarr., cap. 27, num. 127, in hoc eodem textu excommunicari eos, qui instituunt novum ordinem religionis, aut accipiunt novum habitum illius. Sed ego non invenio hanc excommunicationem in illo capitulo; nam illa prohibitio habetur in prima parte illius capituli, ubi est sermo de religionibus non confirmatis; et ibi nulla adjungitur excommunicatio. Postea vero in § 1, additur prohibitio illorum trium casuum, quos retulimus, qui pertinent ad religiones confirmatas, ut patet ex princip. § Confirmatos autem, etc. Excommunicatio autem, quæ ibi subjungitur, evidenter refertur solum ad casus in eodem § prohibitos, non vero ad superiorem prohibitionem. Quod patet, tum quia sunt capita, et leges diversæ; tum etiam ex contextu ipsorum verborum; nam post illos tres casus additur: *Si vero secus præsumptum fuerit, nec personarum receptio, nec domorum, vel locorum acquisitio, aut ipsorum, cæterorumque bonorum alienatio valeat; et nihilominus contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant.* Ex quo textu manifeste constat illa verba, *Si vero secus præsumptum sit,* solum ad tres casus proxime præcedentes referri. Cum ergo posteriora verba, *Et nihilominus contrarium facientes,* ad eamdem materiam referantur, manifestum videtur hanc excommunicationem non extendi ad religiones nullo modo a Sede Apostolica approbatas. Unde Cajetanus hanc excommunicationem non admisit, quia in eo casu non incurritur ex vi hujus juris, vel alterius, quod in jure communi habeatur. At Sylvest. refert Joan. XXII in quadam Extravag. quæ incipit *Sancta mater Ecclesia,* quam dicit referre Panormitanum, hujusmodi excommunicationem tulisse. Tamen ex Extrav. Joann. XXII de Religiosis domibus hæc excommunicatio non colligitur, ut notavit Cajetanus, verbo *Excommunicatio,* cap. 5, nec aliam de hac materia ab illo habemus, etiam in Bullario Romano. Panormitanus vero, ex Joanne XXIII, illam Extrav. refert, *quæ videtur,* ait, *ipso facto excommunicare istos, qui adinveniunt novam religionem,* etc. Ubi adverto Panormitanum non invenisse hanc excommunicationem in jure communi, et ideo ex illo non attulisse illam; sed potius dicendo, *Hodie est quædam Extravagans,* etc., significasse ante illam non fuisse hujusmodi excommunicationem ipso jure latam. Deinde expendo, non omnino asserendo, sed subdubitando dicere, *Quæ videtur ipso facto,* etc. Sed neque illa extat, unde neque de illa nobis constat, multoque minus de censura illius; propter quod censeo illam non obligare, neque ex vi illius talem excommunicationem incurri.

Excommunicatio contra imponentes tributa personis Ecclesiasticis, exponitur.

21. *Cap. Quanquam, de Censibus.* — *Non prohibetur hac lege exigi a personis Ecclesiasticis.* — *De quibus bonis possit exigi a clerico pedagium, etc.* — Undecima excommunicatio sumitur ex cap. Quanquam, de Censibus, in 6. Et fertur contra eos, qui imponunt, vel exigunt ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, pedagia, quidagia, et similia tributa, per se, vel per alium, suo

vel alieno nomine, pro personis ipsis, aut rebus suis propriis, quas non deferunt, vel transmittunt causa negotiationis. Ubi recte advertit Cajetanus, cap. 39, hæc prohiberi sub hac censura, quatenus sunt onera, et tributa, non vero si sint stipendium justum pro aliquo negotio; nam pedagium, v. gr., est tributum, quod exigitur solum ratione transitus; si tamen per flumen transeundum est in navicula, exigere aliquid pro illo transitu, non est contra hanc legem. Similiter quidagium dicitur, quod solvitur pro ducatu, seu ostensione itineris, quod tunc est tributum, quando homo non vult ducem viæ, neque illum accipit, et solvere cogitur; si autem clericus hujusmodi ducem conducat, ille juste exiget stipendium, quia illud non est tributum. Rursus advertit Cajetanus, omnia illa tria verba, *exigere, extorquere, compellere,* significare coactionem aliquam; tamen non esse hic necessariam majorem coactionem, quam illam, quæ communiter fit petendo hæc tanquam debita, et impediendo transitum personarum, aut rerum, donec exsolvatur; nam ex illis tribus verbis sub disjunctione positis satis colligitur quodlibet illorum sufficere; ergo exigere satis est; ergo a fortiori reliqua, quia plus addunt. Tandem advertendum est, hic non solum prohiberi exigere hæc tributa a personis Ecclesiasticis ratione proventuum Ecclesiasticorum, sed etiam ratione propriorum bonorum, quæ secum deferunt, vel transmittunt, quocumque titulo illa possideant. Solumque fit exceptio, quando talia bona deferuntur aut transmittuntur ad exercendam mercaturam, quæ tunc exerceri dicitur, quando res emitur in uno loco, ut in alium deferatur, ut ibi cum aliquo lucro vendatur. Unde si clericus transmittat fructus vel sui beneficii, vel sui patrimonii, ut alibi eos vendat, non possunt exigi ab eo vectigalia, seu pedagia. Idemque erit, si ea, quæ emit ad usus suos bona fide, et sine animo negotiandi, postea transmittat, ut vendantur, quia jam illis non indiget, ut specialius attigit Navarrus, num. 128.

22. *Num censura hæc sit reservata in Bulla Cœnæ. — Sylvestri opinio. — Excommunicatio hæc non incidit cum 5 in Bulla Cœnæ supra explicata. — Exigens a clerico vectigalia prohibita an incurrat excommunicationem hujus capitis.* — Hic vero inquiri potest, an hæc censura, licet non sit reservata in hoc cap., censenda sit reservata in Bulla Cœnæ. Nam Sylvester, verb. *Excommun.*, 9, num. 29, excomm. 21, affirmat. Duæ autem sunt clausulæ in Bulla, in quibus videri potest facta hæc reservatio, et utramque indicat Sylv. Prior est quinta in ordine supra a nobis posita, ubi excommunicantur, qui augent, vel imponunt nova pedagia, cum ad id potestatem non habeant, vel sic imposita exigunt; et per hanc non fit proprie talis reservatio; nam hæ leges censuras ferunt propter causas valde diversas; nam in Bulla Cœnæ excommunicantur, qui exigunt vectigalia ibi prohibita, id est, sine potestate, et contra eamdem clausulam imposita, ut ibi cum Cajetano, Navarr., et aliis declaravimus, quod non est factum in favorem clericorum, sed omnium fidelium. At vero hæc lex est specialis in favorem clericorum, et prohibet exigere ab eis vectigalia, quæ alioqui juste imposita sunt pro personis non privilegiatis. Unde qui hæc exigit a clericis, licet incidat in hanc censuram, quam tractamus, non tamen in Bullam Cœnæ; et ideo talis excommunicatio reservata non est. At vero exigens a clerico vectigalia per se prohibita contrahet excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ, quam etiam contraheret, si exigeret a laico. Dubitari vero potest, an tunc contrahat etiam excommunicationem hujus cap. Quanquam. Videtur enim non incurrere, quia illa revera non sunt vectigalia, cum legitima potestate non sint imposita. In contrarium vero est, quia, si hæc lex prohibet exigere a clericis vectigalia etiam justa respectu aliorum, multo magis iniqua. Et ita quidem dicendum videtur, quod licet non esset in Bulla Cœnæ illa clausula posita, et excommunicatio lata, incurreretur ex vi hujus capitis. Nunc vero ad rem moralem parum refert, quod ex vi utriusque legis talis censura incurratur, quia in re unus est titulus, seu una causa, qua explicata omnino tolletur per absolutionem illa excommunicatio, quatenus ab utraque lege dimanat, et in eo tantum casu erit illa excommunicatio reservata.

23. *Excommunicatio hujus cap. coincidit cum 18 explicata in Bulla Cœnæ.* — Altera clausula Bullæ, per quam videri potest facta hæc reservatio, est 18 a nobis posita, in qua excommunicantur, qui hujusmodi collectas, seu onera Ecclesiasticis personis imponunt, aut ab eis accipiunt. Et de hac clausula hoc etiam negat Navarr., quia in ea solum prohibentur onera et exactiones, quæ petuntur ratione proventuum Ecclesiasticorum. Verumtamen in illa clausula distinguuntur

onera, quæ personis, vel bonis Ecclesiasticis imponuntur; et licet quoad ea, quæ in bonis imponuntur, expresse sit sermo de bonis seu redditibus Ecclesiasticis, tamen quoad ea, quæ imponuntur personis, non fit limitatio ad exactionem, vel onus, quod imponitur ratione bonorum Ecclesiasticorum, sed absolute de oneribus talibus personis impositis; pedagium autem, quod ratione sui ipsius a persona Ecclesiastica exigitur, propriissime comprehenditur sub illa generali clausula. Unde quoad hanc partem certa mihi videtur sententia Sylvestri; sicut etiam erit certa, si exigatur portorium de bonis aut fructibus Ecclesiasticis. Quando vero exigitur de aliis bonis propriis Ecclesiasticæ personæ, res est magis dubia propter rationem Navarri. Nihilominus tamen etiam in hoc mihi magis placet sententia Sylvestri; nam, licet illa exactio immediate fiat propter bona, tamen indirecte, et mediate est potius onus personæ, quam bonorum. Onera enim in bonis posita sunt illa, quæ per se debentur ratione fructuum, ut in eadem clausula Bullæ videtur satis exponi, a quibus oneribus non sunt exempta omnia bona Ecclesiasticarum personarum, si ipsa bona Ecclesiastica non sunt, nec fructus eorum, ut ibidem exposuimus; hoc vero onus, quod exigitur pro sola transmissione, aut vectione rerum propriarum, magis videtur redundare in personam, sicut exigere alia tributa, quæ pro rebus emptis imponuntur, ut illud, quod vulgo dicitur, *sissa*, et similia, censentur onera personalia, ideoque in illa clausula prohibita sub censura reservata; idem ergo in præsenti dicendum censeo.

24. *Cap. Quoniam, de Immunitate Ecclesiarum, explicatum relinquitur in Bulla Cœnæ.* — Duodecima excommunicatio sumitur ex cap. Quoniam, de Immunitate Eccles., in 6; illa vero inclusa est in 13 et 14 clausula Bullæ Cœnæ, quæ est contra impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam, vel Ecclesiasticos judices illa utentes; et ideo in ea morari non est necesse.

25. *Cap. ultim. de Immunitate Ecclesiarum, est explicatum in 15 excommunicatione Bullæ Cœnæ. — Potest contrahi excommunicatio hujus cap. non incidendo in censuram Cœnæ.* — Decima tertia sumitur ex cap. ultimo de Immunitate Ecclesiarum, ferturque contra temporales dominos, qui præcipiunt suis subditis, ne officia seu obsequia communia reipublicæ personis Ecclesiasticis exhibeant, scilicet ne coquant panem, etc. Quem textum supra explicavimus circa Bullam Cœnæ in clausula 15, in fine; nam hæc censura ex parte etiam lata est in illa clausula, et Papæ reservata. Dico autem, *ex parte;* nam ibi solum excommunicantur facientes vel servantes statuta Ecclesiasticæ libertati contraria; ostendimus autem ibi hujusmodi fore statutum, quo hæc obsequia prohiberentur. Et ita explicuimus verbum *præsumendi*, in hoc textu positum. Qui ergo tale statutum conderet, et ex vi hujus cap. ult., et ex vi Bullæ Cœnæ excommunicatus esset; reservationem autem haberet ex vi Bullæ tantum. At vero cap. hoc non loquitur solum de statuto, sed absolute de præcepto; et ideo qui absque lege lata hæc præciperet quocumque modo imperando, censuram hujus cap. contraheret, non tamen Bullæ, nec reservationem, ut per se constat.

Excommunicatio contra religiosos habitum suæ religionis dimittentes, aut ad studia sine Prælati licentia accedentes, exponitur.

26. *Cap. 2 Ne clerici vel monachi. — Quælibet ex his actionibus sufficit ad incurrendum.* — Decima quarta sumitur ex cap. 2 Ne clerici vel monachi, in 6. Que fertur contra religiosos propter alterutram ex duabus causis; et extenditur deinde ad quosdam alios. Prohibentur ergo in primis religiosi professi ne in scholis, vel alibi habitum suæ religionis dimittant. Secundo prohibentur, ne ad quælibet studia litterarum accedant sine licentia sui Prælati cum consilio sui conventus, vel majoris partis ejus. Et subjungitur : *Si quis autem horum violator temerarius extiterit, excommunicationem incurret ipso facto.* Circa quæ verba primo advertendum est, illam particulam, *horum violator,* non esse intelligendam collective, sed distributive; alias qui temere habitum dimitteret, et ad studium absque licentia non iret, hanc censuram non incurreret, quod est contra omnes Doctores, et contra textus intentionem; ergo similiter e contrario, si religiosus sine legitima facultate, juxta hunc textum requisita, ad studium eat, quamvis habitum non dimittat, hanc censuram incurret.

27. *Ad censuram hanc non sufficit sola habitus spoliatio. — Temeraria dimissio habitus, quæ dicatur.* — Circa priorem partem advertendum est, aliud esse dimittere habi-

tum, aliud se habitu spoliare; nam si religiosus exuat se vestimentis, ut dormiat, vere et proprie non dicitur dimittere habitum suum. Unde, licet fortasse in eo peccet vel contra suam specialem regulam, vel contra debitam decentiam et modestiam, vel quia præbet aliquod scandalum, vel ex intentione mala etiam mortaliter, ut si id faciat ad liberius, vel voluptuosius peccandum, non incurret hanc censuram, quia tunc non dimittit habitum secundum communem et moralem modum loquendi, ut advertunt Sylvest., *Excommun.,* 9, censura 24, num. 51 et 52; et Navarr., num. 131; et sumitur ex Palud., in 4, dist. 18, quæst. 3, casu 12, num. 41, quamvis Antonin. et Armil. oppositum sentiant sine sufficienti fundamento, quia lex pœnalis non est extendenda extra proprietatem verborum, ut communi usu accipiuntur. Et eadem ratione non censebitur dimittere habitum, qui superiores vestes deponit ad breve tempus, ut facilius ludere possit. Propria ergo dimissio habitus est, quando fit mutatio in alium habitum ad se occultandum, vel incedendum hoc modo. Temeraria autem dimissio dicitur, quoties fit sine rationabili causa, et cum contemptu regulæ, seu legis, juxta doctrinam D. Thomæ, ibi a Cajetano ponderatam, 2. 2, quæst. 53, art. 3, ad 3. Unde si dimissio habitus fiat ex causa rationabili, qualis erit defensio propriæ vitæ, vel famæ, aut proximi, aut vitare scandalum grave, et similes, tunc non potest dici temeraria, quia prudenter fit. Item, licet causa non sit rationabilis, tamen si non fiat dimissio ex contemptu, sed ex ignorantia culpabili, vel passione, vel levitate animi cum aliqua apparenti excusatione, non dicitur etiam temeraria dimissio, quiterminus bis in eodem textu repetitur; et ideo cum omni proprietate verificandum est.

28. *Spoliatio habitus sine illius dimissione non sufficit ad hanc censuram.* — Ex his ergo colliguntur tres regulæ generales. Prima est. Quoties depositio, vel spoliatio habitus fit absque dimissione illius, non incurritur hæc censura. Patet, quia textus loquitur de dimissione, et exemplis jam hoc satis declaratum est. Unde quando non totus habitus, sed aliqua pars ejus dimittitur, si ea quæ retinetur, est proprius habitus religiosi, quo satis cognosci possit, etiam non incurrit. Imo etiam si religiosus partem alterius habitus, seu communem vestem accipiat, si tamen eam partem religiosi habitus, quam habet, non occultet, et per eam satis cognosci possit, ut religiosus, id non satis erit ad incurrendam censuram hanc. Probatur, quia tota illa non est dimissio simpliciter, sed solum ex parte, et secundum quid. Et præterea ex illa non sequitur incommodum, quod illa lex vitare intendit, videlicet ne detur religiosis vagandi licentia; ergo illa actio neque est contra verba, neque contra finem hujus prohibitionis. At vero si quis dimitteret partem habitus, v. gr., superiorem, et aliam loco illius acciperet, qua se occultaret ad liberius vagandum, seu sine causa rationabili, jam tunc ille incurreret censuram, quia illa esset dimissio habitus in textu prohibita. Nam licet demus aliquam partem habitus, vel signum religiosi subtus retineri, nihilominus absolute et simpliciter hic et nunc in exteriori specie seu forma, in qua potissime habitus consideratur, ille non gestat habitum religiosum; et ideo vere ac proprie dicitur dimittere illum. Idemque dicendum censeo, etiamsi dimissa una parte habitus nullum alium induat, si in ea, quam retinet, nullum signum religiosi manet, et id facit ad incedendum illo modo, et se occultandum; nam licet non omnis spoliatio habitus sit dimissio, tamen aliqua, quæ fit tali modo, et contra finem talis legis, propriissime dicitur et est habitus dimissio.

29. *Propter dimissionem habitus ex causa rationabili non incurritur hæc censura.* — Secunda regula est, quoties dimissio habitus fit ex rationabili causa, vera, vel apparente, propter illam non incurri hanc excommunicationem. Patet in primis, si dimissio ex honesta causa fiat; nam illa excusat a culpa; ergo a censura. Unde in eo casu præcipue loquuntur et expressius dicti auctores. Addo vero, etiamsi non omnino excusatur a culpa, propter ignorantiam culpabilem, vel propter quemdam nimium timorem ad tuendam vitam, vel alienam, ubi in re ipsa necessarium non esset, excusari ab hac censura, quia, licet ille tunc male dimittat habitum, non tamen *temere,* sed, ut ita dicam timide, vel ignoranter; ergo ille tunc non potest dici temerarius transgressor, ut illa lex loquitur, qui loquendi modus non minorem energiam habet, quam verbum *præsumpserit,* quod, dum in his legibus ponitur, excusat operantes ex metu, vel ignorantia etiam culpabili, ut sæpe notavimus cum communi sententia. Hinc probabile etiam est, quod Antoninus docet, 3 part., tit. 24, cap. 53, et Sylvester, verb. *Habitus,* quæst. 2, si reli-

giosus dimittit habitum ad breve tempus, et alium induat propter ludicram aliquam actionem occasione alicujus festi inter ipsos religiosos efficiendam titulo cujusdam honestæ lætitiæ, non incurrere in hanc censuram, quia illa revera non potest dici temeraria dimissio. Et ad hunc modum de aliis casibus particularibus judicandum est.

30. *Dimissio quælibet habitus sine rationabili aut apparenti ratione, est causa hujus censuræ.* — Tertia regula sit : quotiescumque dimissio habitus fit sine causa rationabili, vel saltem apparente necessitate, est sufficiens causa hujus censuræ. Probatur, quia est temeraria dimissio, quia et est sine ratione, et cum contemptu sufficiente, id est, cum voluntate dimittendi, non obstante prohibitione; nec enim major contemptus necessarius est. Unde regula procedit, etiamsi dimissio solum ad tempus fiat, quia textus simpliciter loquitur, et non tantum de dimissione in perpetuum. Patet etiam ex ratione illius legis, quæ non fuit solum vitare propriam apostasiam, quæ maxime fit per dimissionem perpetuam habitus, sed ad impediendam vagandi libertatem, ad quam ordinarie fit temporalis dimissio habitus. Hanc ergo etiam cohibuit hæc lex per hanc censuram. Unde amplius extenditur etiam ad tempus breve, quia etiam in hoc lex nihil distinguit, et non fert censuram propter durationem in carentia habitus dimissi, vel usu alterius, sed propter temerariam dimissionem, quæ in puncto (ut sic dicam) consummatur, et tunc incurritur censura, sive brevius, sive diutius postea duret. Tamen advertere oportet multum ad hoc referre posse intentionem dimittentis; nam, si a principio dimisit intentione diutius vagandi vel permanendi illo modo, licet paulo post mutata intentione ad suum habitum revertatur, non excusabit censuram. Idemque censeo, si a principio nihil cogitavit de brevitate, aut longitudine temporis, sed simpliciter voluit dimittere ad suum beneplacitum, vel quantum necesse esset ad pravam actionem, quam intendebat; utraque enim dimissio est gravis, et directe contraria legi; unde a principio etiam fuit sufficiens ad contrahendam censuram.

31. At vero, si a principio quis intendit dimittere ad brevissimum tempus, ut, v. gr., per horam, ut liber, et occultus incedat, vel cujusdam levitatis, vel recreationis causa, vel etiam ut eat ad committendum aliquod peccatum mortale, tunc videri potest illa dimissio levis in suo ordine, quidquid sit de alia malitia extrinseca alterius speciei, quia in ratione dimissionis videtur habere materiam levem. Nihilominus tamen etiam in hoc casu probabilior sententia est non vitari censuram, sed in ipso puncto dimissionis contrahi, quia gravitas hujus delicti non est pensanda ex duratione temporis, etiam mente præconcepta, et voluntate intentata; nam, licet hoc multum augeat, tamen ipsa dimissio habitus per se est res gravis, et sufficiens ad peccatum mortale, quod peccatum est huic legi contrarium, et materia hujus censuræ; est ergo sufficiens causa illius; quod plane sentiunt Sylvester, Navarrus, et alii supra citati. Quod si interdum (ut supra retuli) aiunt dimissionem hanc ad breve spatium non esse sufficientem causam censuræ, id intelligunt, quando vel non est temeraria dimissio, sed ex aliqua apparenti causa, vel non est dimissio, sed tantum spoliatio habitus, ut in principio distinxi, et sæpe pendet ex prudenti arbitrio, ut Sylvester, et Navarr. indicant.

32. *Religiosus induens habitum alterius religionis incurrit. — Angeli limitatio. — Exponitur.* — Amplificatur præterea hæc regula, ut procedat etiam si quis habitum suæ religionis dimittat, ut immediate induat habitum alterius, quia in textu expresse dicitur : *Ne quis temere habitum suæ religionis dimittat;* non enim dicit, *religionis,* absolute, ut inde excusari possit, qui, retento habitu religioso, suum mutat; sed dicit *suæ,* quod aperte etiam in illo casu committitur; et ita hæc est communis sententia, ut Navarr. supra refert. Aliqui vero eam limitant, nisi assumat habitum alterius religionis, ut in ea perpetuo maneat. Quod sentit Angel., *Excomm.*, 7, casu 27, qui generalius etiam loqui videtur non solum de ingrediente, sed etiam de induente quomodolibet habitum alterius religionis. Et ratio etiam ejus huc tendit, scilicet, quia una est religio generaliter assumpta per tria vota. Quæ ratio frivola est, cum hoc non tollat distinctionem religionum, quam aperte observavit textus in illa particula, *suæ*. Proprius ergo adhibet illam limitationem Cajet., cap. 61, et reddit rationem, quia illa non est temeraria dimissio habitus suæ religionis, quia cum aliam ingrediatur, jam prior non est sua. Quod recte procederet, si transitus ad aliam religionem esset rationabilis, vel saltem si sup-

poneretur esse validus, quia tunc non est vere dimissio temeraria. At vero, si transitus sit irrationabilis, et contra jus, ut Cajet. supponit, non video quomodo ille possit excusari a temeraria dimissione, cum gravissime ille peccet dimittendo habitum suæ religionis, et ingrediendo aliam. Item illa religio, quam dimisit, revera erat sua eo tempore, quo illam dimisit, et tunc irrationabiliter dimittit; ergo temere. Addo etiam postea manere suam jure et obligatione, etiamsi in intentione, et voluntate non maneat, quod impertinens est.

33. *An occultatio habitus sufficiat ad hanc censuram. — Opinio affirmativa. — Prima opinio.* — Præterea amplificari solet hæc regula, ut procedat non solum in propria et physica, ut sic dicam, dimissione habitus, sed etiam in occultatione, quæ moraliter reputatur quædam dimissio, quia per occultationem fit, ut talis persona in exteriori habitu religiosa non appareat, quod est moraliter (ut sic dicam) exuere habitum religionis. Quod etiam colligi potest ex fine illius legis, scilicet tollere vagandi licentiam; nam hæc etiam ex tali occultatione æque sumi potest. Atque ita sentiunt Navarr., dict. num. 131, cum Glossa in Clement. 2, verb. *Extrinsecus,* de Vita et hon. cleric., et idem tenent Sylvester, Cajet., et alii. Hæc tamen sententia difficultate non caret, quia lex pœnalis amplianda non est ultra verborum proprietatem; hæc autem lex, quæ pœnalis est, non loquitur de occultatione, sed de dimissione; occultatio autem in rigore et proprietate non est dimissio, et illa consideratio moralis est amplificatio quædam, quæ in materia odiosa parum valet, neque etiam similitudo a paritate rationis. Propter quæ tenuit hanc sententiam Panorm., in cap. Deus qui, de Vita et hon. cleric., num. 4. Ubi plus justo eam extendere videtur; sentit enim, quod licet exterior habitus religiosus tollatur, si interior retineatur et per alium occultetur, non incurritur censura, propter rationem supra tactam, quia illa non est dimissio simpliciter; cujus contrarium nos supra in eo casu diximus, et huic rationi satisfecimus.

34. *Resolutio.* — At vero quando ex habitu religioso nihil dimittitur, sed alius superinduitur, qui personam seu religionem ejus occultat, mihi videtur vera Panormitani sententia, quia ratio facta est efficax, neque in hac lege est sub censura prohibita omnis occasio vagandi, sed solum illa, quæ est per habitus dimissionem. Item, quia, si religiosus aliis modis occulte incedat, v. gr., intra currum, vel in tenebris, aut facie cooperta, non propterea contrahet hanc censuram. Quod si Cajetan., Navarr., et alii attente legantur, in re non dissentiunt; aiunt enim, si quis non ita occultet habitum religionis, quin ab illis, cum quibus familiariter versatur, dignosci possit, etiamsi ita occultet, ut respectu aliorum lateat, non incurrere hanc censuram. At vero, si ex habitu nihil dimittit, non potest moraliter non cognosci ab his, cum quibus familiarius conversatur; ergo juxta illam doctrinam in eo casu non incurritur censura. Si ergo occultatio etiam respectu familiariter conversantium est sufficiens causa hujus censuræ, ideo est, quia non fit sine aliqua dimissione habitus, saltem quoad aliquam partem notabilem; tunc enim jam verba legis in proprietate verificantur, ut supra declaratum est. Circa hanc vero partem videndum est novum jus Concilii Trident., sess. 5, c. 19 de Reform. regular., quod nunc non expono, quia in eo nulla excommunicatio fertur.

35. *Qui accessus ad studium sit prohibitus per hanc legem.* — Circa alteram partem de accessu ad studium sine licentia legitima, existimo sermonem esse, quando eundum est ad habitandum extra claustrum propter studium; nam ad ordinarium modum eundi ad scholas habitando in proprio conventu non est necessarium, ut licentia detur a Prælato cum consilio majoris partis capituli; ita Cajetan., dict. cap. 61. Hinc recte colligens, quando religiosus mittitur ad locum, ubi est studium, ut ibi habitet in conventu sui ordinis, in quo, vel ex quo studiis aut lectionibus vacet, non procedere dispositionem hujus canonis, quia tunc immediate non datur licentia eundi ad studium, sed ad alium conventum, licet finis missionis sit studium.

36. *A quo Prælato danda sit licentia hæc et quomodo.* — Advertit etiam Cajetan. in illo textu sermonem esse de Prælato conventuali, ejusque potestatem limitari ad dandam facultatem eundi ad studium in dicto sensu, scilicet ut in eo extra conventum ordinis religiosus habitet. Limitatio autem est, ut non possit illam dare sine consilio conventus vel majoris partis ejus. Circa quam limitationem Glossa ibi, verb. *Conventus,* advertit alibi concedi Prælato, ut solus det licentiam, et putat illud esse singulare, indicans hoc esse ordinarium jus. Alioqui cur in hoc speciali casu hoc gravamen Prælato imponeretur? Sed oppositum

verius est, ut Cajetanus sentit, cap. 61, et Navarr., num. 133. Quia jure communi tota potestas est penes Abbatem, ut alibi (Deo dante) ostendemus. Hoc ergo est jus speciale. Ratio autem ejus potest esse, vel quam reddit Cajetan., quia ex hac honesta causa pronus est animus religiosorum ad exeundum extra claustra, vel quia dare licentiam ad habitandum extra monasterium, præsertim juvenibus, ut solent esse studentes, est res gravis, multoque consilio indigens.

37. *Requiraturne ad hanc licentiam dandam consensus capituli, aut consilium tantum. — Objectio. — Solutio. — An Generalis aut Provincialis debeant dare hanc licentiam cum consilio capituli. — Dubium. — Responsio.* — Quæri vero potest, an requiratur consensus capituli, vel consilium tantum. Navarrus, consil. 133, indicat primum; nam dicit esse necessariam licentiam capituli; Cajetan. præcise dicit esse necessarium consilium, et nihil aliud explicat, et eodem fere modo transeunt Doctores reliqui. Et mihi videtur nihil esse addendum textui, quia res est onerosa et exorbitans a jure communi, et ideo non est amplianda. Jura autem cum volunt requirere consensum, illud exprimunt, ut constat ex his quæ Navarrus tractat et refert comment. 3 de Regularibus, num. 4 et sequentibus; ergo si hic etiam voluisset, expressisset. Dices, in illa disjunctione : *Cum consilio conventus vel majoris partis*, indicari necessarium esse consensum saltem majoris partis. Respondeo, potius indicari non esse præcise necessarium totum conventum ad consilium vocare, sed satis esse vocare majorem partem arbitrio Prælati. Hæc autem intelliguntur ex vi juris communis; nam in particulari servanda sunt jura religionum, si plus requirant. Quin potius in religionibus, in quibus Prælatus conventualis non habet hanc potestatem, nec cum consensu capituli poterit dare hanc facultatem, quia hoc jus non intendit illis dare potestatem, sed illa supposita, ponit modum in usu illius. Ubi ergo hoc fuerit reservatum Generali vel Provinciali, ad illum pertinebit dare hanc facultatem. Sed quæres, an illi etiam indigeant consensu capituli. Respondetur, ex vi hujus textus non indigere, quia de illis non loquitur, sed tantum de proximo Prælato, ut verba textus indicant et communiter intellecta sunt; et ideo modus hic præscriptus non extenditur ad superiores Prælatos, sed unusquisque regulam suam servare tenetur. Sed quid, si in his religionibus Prælatus conventualis, licet juxta suum institutum legitime non possit, de facto det hanc facultatem cum consilio capituli? Respondetur, esto id non sufficiat juxta religiosum ordinem, ut accessus ad studium legitime fiat, videtur sufficere ad vitandam hanc censuram, quia et servatur forma hujus juris, et saltem sufficit, ut non possit illa dici temeraria violatio hujus canonis.

38. *Abbas si eat ad studium sine capituli licentia, an incurrat hanc censuram.* — Ultimo quæri hic solet, an si Prælatus ipse seu Abbas sine consilio capituli eat ad studium modo supra dicto, incurrat hanc censuram. Et omnes fere communiter negant incurrere, Antoninus, 3 part., cap. 24, n. 53; Angelus, *Excommunic.*, 7, casu 27, Navarr., cap. 27, n. 133, qui plures Canonistas refert. Oppositum tamen tenet Sylvest., dict. num. 55, quia etiam Abbas habet superiorem, et ideo comprehenditur sub illo verbo: *Nisi a suo Prælato*, nam et ipse religiosus est. Addit etiam, esse parem vel majorem rationem. Sed nihilominus textus videtur loqui de religiosis subditis habentibus proximum et immediatum Prælatum localem, ut sic dicam, ut recte colligit communis opinio ex illis verbis : *Nisi a suo Prælato cum consilio sui conventus*. Unde licet fortasse Prælatus aliter in eo peccet, non tamen contra hunc canonem, et ideo nec illius censuram incurret. Addo etiam similem casum adeo esse extraordinarium et rarum, ut non oportuerit speciali lege comprehendi, unde nec ad rem moralem admodum necessarius est.

39. *Magistri legum aut medicinæ, qui in suis scholis religiosos his scientiis vacantes retinent, excommunicantur. — Prima circumstantia ad hanc censuram.* — Tertio extenditur in eo cap. hæc censura ad magistros seu Doctores legum vel medicinæ, qui præsumunt in suis scholis retinere religiosos, qui habitu dimisso his scientiis vacant. Circa quam partem sunt ponderandæ singulæ circumstantiæ, quæ requiruntur, ut illa censura incurratur. Prima est, quod religiosus habitu suo dimisso studiis vacet. Unde, si habitum retineat, non incurret magister hanc censuram, licet discipulus alias peccet, et excommunicatus sit. Alia circumstantia est, quod religiosi studeant scientiis illis prohibitis, scilicet legibus et medicinæ; itaque, si audiat alias scientias, non habet locum hæc censura. Tertia est, quod scienter magister delinquat;

nam si ex ignorantia facti vel juris id faciat, etiamsi non omnino inculpabilis sit, non incurret; nam ultra particulam *scienter,* additur verbum *præsumpserit,* quod majorem contumaciam requirit. Persona autem incurrens dicitur esse magister vel Doctor. De quibus vocibus dubitari potest, an sint nomina gradus, vel officii docendi, utrumque enim significare solent. Videntur sane hic indifferenter accipi; itaque sit tantum docens, sive etiam Doctor academiæ, incurret, si aliquam actionem hic prohibitam exerceat. Et fortasse nomen Doctoris propter gradum positum est, magistri vero propter officium docendi, nam Jurisperiti aut medici non solent ratione gradus magistri appellari.

40. *Dubium enodatur.* — Duplex vero actio sub disjunctione ponitur, tanquam proxima causa hujus censuræ, *docere* vel *retinere.* Unde colligitur, si scienter doceat, quamvis non retineat, id est quamvis nihil positive cooperetur quasi ad tuendum vel defendendum hujusmodi religiosum, ut in suis scholis permaneat, incurrere hanc censuram. Sed interrogari potest, quid facere teneatur hujusmodi Doctor, si dum publice docet, sciat adesse hujusmodi religiosum inter alios. Respondetur ex communi sententia, illum posse et debere per vim expelli, quia secundum jus non potest permitti ibi adesse; ergo ipsummet jus præbet facultatem illum expellendi per vim. Opinor tamen neque magistrum (si aliunde jurisdictionem non habet) neque aliam personam privatam, posse sua auctoritate hanc vim inferre, quia non est superior; quanquam enim per modum defensionis possit sine effusione sanguinis, vel magno scandalo, aut coactione, procurare ut exeat, quando tamen hoc non satis fuerit, ad superiorem scholarum pertinebit vim inferre efficacem, omnino compellendo, ut exeat. Quod si Doctor suam diligentiam adhibuit, non arbitror teneri ad relinquendum suum munus, ne alter audiat, quia jam tunc non proprie dicetur scienter eum docere, sed docere alios, illum tolerare vel permittere. Item, quia dum lex illa requirit, ut scienter id faciat, a fortiori postulat ut faciat voluntarie, nam scientiam non requirit nisi propter perfectionem voluntarii.

41. Rursus ex alio membro sequitur, si aliquis Doctor præsumat hujusmodi religiosum in suis scholis retinere, quamvis illum non doceat medicinam aut leges, incurrere hanc censuram, quia textus sub disjunctione loquitur; ergo quælibet illarum actionum sufficit, et ita omnes intelligunt.

42. *Quid sit religiosum in scholis retinere. — Quam pœnam incurrant hi magistri docentes religiosum qui habitum retinet.* — Sed interrogabis, quid sit retinere? Respondeo, in rigore significare concursum aliquem positivum, vel influxum, sive sit rogando, sive consulendo, sive defendendo sua auctoritate et favore, vel multo magis aliqua violentia. Per solam autem negationem expellendi non dicetur quis retinere, nisi fortasse ex officio ad hoc teneatur, et propter ejus negligentiam talis apostata ibi detineatur. Quod potius ad rectores, quam ad Doctores spectat; si vero rector ipse non sit Doctor, non existimo incurrere hanc censuram, quia textus solum de Doctoribus et magistris loquitur. Tandem inquiri potest, quam censuram incurrant hujusmodi Doctores et magistri, si hujusmodi actiones faciant circa religiosum, qui non dimisit habitum. Respondeo in primis certum esse non incurrere hanc, quia deest prima conditio in textu posita, ut bene docent Cajetanus et Navarrus contra Sylvestrum et alios. Addit vero et Navarrus, eos incurrere excommunicationem c. Nuper, participando in crimine criminoso; quod ad summum procedit supposita excommunicatione religiosi ex aliis capitibus supra tactis, et denunciatione, de quo supra dictum est.

43. *Excommunicatio contra sepelientes corpora hæreticorum.* — Decima quinta excommunicatio sumitur ex cap. 2 de Hæreticis, in 6, ubi excommunicantur, *qui scienter præsumunt corpora hæreticorum, credentium, receptatorum et defensorum eorum Ecclesiasticæ tradere sepulturæ.* De qua censura videri possunt dicta circa primam Bullæ Cœnæ, ubi hos terminos, *credentes, receptatores,* etc., in particulari declaravimus. Ex professo vero hunc textum et materiam ejus tractavimus disput. 12 de Excommunicatione, sect. ultima, et infra disputat. ultima de Suspensione, sect. 2, attingemus alias pœnas, quas in similibus casibus clerici excommunicatorum vel usurariorum corpora sepelientes incurrunt.

Excommunicatio contra rectores aut dominos temporales impedientes promotionem officii Inquisitionis.

44. *Cap. Ut Inquisitionis, de Hæret., in* 6. — *Prima actio prohibita.* — Decima sexta excommunicatio sumitur ex cap. Ut Inquisitionis, de Hæret., in 6, in quo aliquæ leges

feruntur ad promovendum Inquisitorum officium pertinentes. Prima est, ut domini et gubernatores temporales quorumcumque locorum Inquisitoribus pareant, et ab eis requisiti ad hæreticorum, credentium, fautorum, receptatorum et defensorum eorum capturam diligenter intendant. Secunda, ut iidem domini temporales, et rectores et officiales eorum statim, et sine mora, omnique appellatione postposita, condigne puniant hujusmodi hæreticos per Inquisitores condemnatos de hæresi, ipsorumque jurisdictioni commissos. Tertio prohibet eosdem dominos et judices temporales eorumque officiales, ne de hoc crimine hæresis cognoscere aut judicare audeant, nec carcere detentos liberare sine Inquisitoris licentia. Quarto mandat, ne executionem sibi a Diœcesano vel Inquisitoribus injunctam facere prompte seu adimplere detrectent, prout ad suum spectat officium. Quinto eisdem præcipitur, ne Diœcesanorum aut Inquisitorum judicium, sententiam seu processum directe vel indirecte impedire præsumant. Et deinde subjungitur : *Si quis autem de prædictis potestatibus, vel dominis temporalibus, rectoribus, vel eorum officialibus, seu ballivis, contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio præfatis Diœcesano, Episcopo, vel Inquisitoribus incumbenti se opponere forte præsumpserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum.*

45. *Sylvest. dictum improbatur.* — Ad cujus expositionem solum oportet, ut singulæ particulæ attente ponderentur, scilicet verbum *præsumpserit, directe vel indirecte,* et similes, quæ in aliis casibus sæpius jam explicatæ sunt. Unum vero, quod Sylvester adjungit, *Excommunic.*, 9, casu 28, num. 58, mihi non placet, videlicet si temporalis potestas, aut rector se opponat Inquisitori, vel Diœcesano hoc munus fidei exercentibus, eosque impediat in progressu sui muneris, non fovendo hæresim aut persequendo fidem, sed ob inimicitias et odium talis personæ Inquisitoris vel Episcopi, non incurrere hanc censuram. Falsum enim hoc est, quia lex illa non excommunicat facientes illa, hac vel illa intentione, sed simpliciter facientes. Item, quia licet aliquis impediat hunc progressum ex amore alicujus personæ, vel ob lucrum, et non in odium fidei, nihilominus incurreret : ergo similiter. Item, quia textus dicit, *directe vel indirecte;* item dicit, *aliquatenus impedire;* ille autem vere impedit aliquo modo, ut supponimus ; ergo quod non faciat tam perversa intentione, non excusat a censura. Tandem in his omnibus, in quibus potestates temporales præcipiuntur favere jussioni Inquisitorum et Diœcesanorum, intelligendum est, quando Episcopus et Inquisitor inter se non discordant, nam si contraria præciperent, supersedendum esset, ut Cajetanus, Navarrus et omnes docent, nisi ubi jam ex declaratione Pontificis constaret, primum et ordinarium progressum in his causis ad munera Inquisitorum pertinere, Diœcesanum vero solum habere posse suffragium suum in tali consilio; tunc enim judicio tribunalis standum est, ejusque mandato parendum.

46. *Extensio ejusdem excommunicationis.* —*Notandum.*—Postea vero additur in eodem textu excommunicatio contra omnes, qui scienter dederint auxilium, consilium vel favorem in prædictis. Quæ generaliter comprehendit omnes personas aliquid ex illis tribus facientes, quæ tria sæpe in superioribus declarata sunt. Ac tandem de omnibus additur, quod quicumque in hac excommunicatione per annum duraverit, animo obstinato, tanquam hæreticus condemnetur. Quam rem supra in generali doctrina explicatam reliquimus. Quamobrem solum superest advertendum, quod Cajetanus bene notavit, quamvis hæc censura ex vi hujus textus reservata non sit, cavendum tamen esse his omnibus personis, ne dum officio Inquisitorum resistunt, hæreticorum fautores fiant; nam tunc jam incident in Bullam Cœnæ Domini, et eo titulo in excommunicationem reservatam. Quando autem hujusmodi resistentia vel inobedientia sufficiat, ut quis dicatur hæresi favere, ex circumstantiis, effectibus ac modo operandi colligi poterit, et in ordine ad forum conscientiæ multum pendet ex intentione operantis.

Excommunicatio contra mandantem aliquem interfici per assassinos.

47. *Cap. 1 de Homicid., in 6.—Assassini qui sint.* — Decima septima excommunicatio sumitur ex cap. 1 de Homicidio, in 6. Ubi excommunicantur omnes, qui aliquem Christianum per Assassinos interfici mandaverit, sive sequatur mors, sive non sequatur, præter alias pœnas, quæ contra eosdem ibi imponuntur. Deinde vero additur extensio per hæc verba : *Aut eos receptaverit, seu defenderit, vel occultaverit.* Et circa priorem partem primo oportet intelligere quid Assassinorum

nomine significetur. Nam vulgo, præsertim in Italia, dici solent assassini, publici latrones viarum, qui ad deprædandos homines, illos interficiunt; vel proprius illi, qui ob pecuniam acceptam officium assumunt interficiendi aliquem; atque de his videtur loqui hic textus in superficie sumptus. Non tamen in hoc sensu hic sumitur illa vox, sed ut est nomen proprium cujusdam nationis, et gentis infidelis, qui usum habent assumendi hoc officium interficiendi alios ex præcepto sui domini, quales esse quosdam Syriæ homines, refert Volaterranus, lib. 11 Historiæ, c. de Sectis Syriæ, et plura de his congerit Covarruvias, lib. 2 Variar., c. 20, num. 9 et 10, ubi hunc textum exponit, et plures auctores refert ita hunc textum interpretantes, quos etiam sequitur Navarrus, num. 136, et colligit Covarruvias ex illis verbis: *Cum nonnulli magnates taliter periri formidantes, coacti fuerint securitatem ab eorumdem Assassinorum domino impetrare, sicque ab eo non absque Christianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam suam.* Significatur enim his verbis hos esse infideles, habereque temporalem dominum, sub quo huic muneri incumbunt. Optima etiam conjectura est, quod hæc excommunicatio non fertur in ipsos mandatarios, seu Assassinos, sed tantum in mandantes, quia, cum illi sint infideles, non sunt capaces talis pœnæ; alioqui non minus ipsi, quam mandantes excommunicati fuissent. Ideoque excommunicatio hæc fertur, non solum propter homicidium, sed etiam propter solum mandatum, quia tale mandatum atrocissimum reputatur, et cedere in magnam infamiam Christiani nominis; imo quando mandans est persona Ecclesiastica, tot pœnæ ibi contra illam accumulantur, ut credibile non sit propter solum delictum mandandi occidere alium per quoscumque homines pecunia conductos illas ferri; nam ipso facto incurrit sententiam depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, et beneficio, et tanquam Christianæ religionis æmulus a toto Christiano populo perpetuo diffidatus esse dicitur. Ex quo colligit Covarruvias hujusmodi mandantem, si sacerdos sit, ipso facto amittere privilegium clericale; at non opinor amittere tale privilegium, usque ad degradationem realem. De qua re infra in suis locis dicemus.

48. *Contra locantes domum usurariis.* — Decima octava sumitur ex c. 1 de Usuris, in 6. Ubi prohibetur, ne usurariis alienigenis quispiam locet domum, vel sub alio titulo quocumque concedat. Et contrarium facientes, si sint personæ Ecclesiasticæ Episcopis inferiores, excommunicantur; laici enim non excommunicantur ibi ipso facto, sed per censuras Ecclesiasticas a suis superioribus compellendi dicuntur. Episcopi autem, et superiores suspenduntur; propter quod textum hunc in materiam de suspensione declarandum relinquimus.

Excommunicatio contra concedentes repræsalias adversus personas Ecclesiasticas.

49. *C. unic. de Injuriis, in* 6. — *Represaliæ quæ sint.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Decima nona sumitur ex c. unico, de Injuriis, in 6, ubi prohibetur, ne contra personas Ecclesiasticas, pignorationes, vel repræsaliæ concedantur. Et subditur: *Illi autem qui contra fecerint, nisi præsumptionem hujusmodi revocaverint intra mensem, si personæ seculares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant* (nam contra universitatem interdictum fertur, de quo suo loco). Ut autem hoc intelligatur, est advertendum, repræsalias dici potestatem alicui concessam, ut pro re ab alio subrepta, vel pro damno sibi illato, possit auctoritate sua, impune æquivalentem accipere ab alia tertia persona, quæ in hoc pro altera gravatur, etiam illi vim inferendo, seu quasi privatum bellum, si necesse sit. Quæ concessio interdum potest esse justa, si ab habente potestatem, ex legitima causa, et legitime cognita, ac judicata fiat; tunc etiam usus ejus justus erit, si debito modo, atque intentione fiat. In prædicto ergo textu prohibetur sub excommunicatione, ne hujusmodi repræsaliæ contra Ecclesiasticas personas conferantur. Et quoad hanc partem cessat quæstio, an intelligendum hoc sit etiam de repræsaliis justis, quia eo ipso quod conferantur contra personas Ecclesiasticas, injustæ erunt, cum fiant et contra jus, et a non habente potestatem. Dices: ergo, si detur alicui facultas accipiendi a clerico debitore bona æquivalentia suo debito, incurritur hæc censura. Respondetur negando consequentiam; illæ enim non sunt repræsaliæ, ad quas necessarium est, ut unus pro alio gravetur, propter aliquem modum pignorationis, ut in eodem textu dicitur, et Glossa ibi notat, et alii etiam Summistæ; quod autem aliquis pro suo debito gravetur, per se non est malum, si aliæ circumstantiæ debitæ serventur; et ideo illa non est materia hujus censuræ.

50. *Exequentes has repræsalias etiam per extensionem comprehenduntur.* — Deinde prohibetur executio talis concessionis circa personas Ecclesiasticas, seu bona eorum, etiam per extensionem, ut in textu dicitur. Et sensus est, quod, licet repræsaliæ concedantur contra civitatem, verbi gratia, in qua sunt personæ Ecclesiasticæ, non debent executioni mandari circa tales personas, vel bona earum, quia illa est extensio prohibita in textu. Propter quod dicit ibi Glossa, concessionem prohiberi superioribus, extensionem inferioribus. Et procedit prohibitio etiamsi alias repræsaliæ sint justæ respectu aliorum, quia textus generaliter loquitur, ut advertit Navarrus, 136.

51. *Conditio hujus excommunicationis exponitur. — Mensis diversimode computandus, in illis duabus actionibus.* — Tandem fertur excommunicatio non simpliciter, sed sub illa conditione, *Nisi infra mensem,* etc. Quam limitationem Glossa ibi, et Sylvester, *Excomm.*, 9, num. 63, intelligunt, dummodo intra illum mensem ad executionem concessionis non procedatur. Sed non est, cur pœnalem legem extendamus præter verborum proprietatem. Simpliciter ergo tempus illud necessarium est, ut incurratur censura; cum proportione tamen applicandum. Nam post concessionem datur illud tempus, ut revocetur, et nisi ita fiat, incurratur excommunicatio; ergo licet intra illud tempus ad executionem procedatur, nondum est consummata contumacia contra hanc legem, ut censura incurratur. Nec satis est, quod talis executio sit contraria huic legi, aut quod ex illa possint sequi incommoda personis Ecclesiasticis, quia lex noluit hæc omnia per censuram ipso jure latam cohibere, nisi cum illa temporis amplitudine. Post executionem vero inchoatam datur illud tempus unius mensis, non tantum ad cessandum, sed etiam ad restituendum, seu satisfaciendum damnum illatum, quia præsumptio executionis non revocatur per solam cessationem absque reparatione damni illati. Et ideo computatio hujus mensis in illis duabus actionibus ab illarum initio respective facienda est. Nam superior, ab eo die quo talem licentiam concessit, debet computare mensem, ut infra illud revocare teneatur; et, nisi intra hoc tempus id faciat, censuram incurrit, etiamsi executio inchoata non sit; inferior vero computare debet ab eo die, quo executionem inchoavit, sive concessio multo, sive brevi tempore præcesserit. Ipse enim non incurrit censuram propter elapsum mensem a concessione, si executio facta non est, quia nondum ipse deliquit contra hanc legem; neque etiam per ipsam executionem statim incurrit, quia cum eadem proportione spatium mensis illi conceditur, ut resipiscat.

52. Vigesima excommunicatio sumi potest ex c. Felicis, de Pœnis, in 6, ferturque contra eos, qui personam Cardinalis hostiliter audent invadere. Sed hæc sufficienter explicata est in censuris Bullæ, sub quibus jam continetur.

SECTIO V.

Quæ excommunicationes non reservatæ sint in libris Clementinarum ipso jure latæ.

1. *Clement. unica de Sequestratione.* — Prima excommunicatio in hoc ordine ponitur a Navarro ex Clement. unica de Sequestratione possess. et fruct. Ubi statuitur, ut in casibus beneficialibus, si una definitiva sententia apud Sedem Apostolicam contra possessorem proferatur, qui prius per triennium pacifice non possedit, fructus beneficii sequestrentur per Ordinarium, ut ei, qui tandem vicerit, serventur. Et deinde subjungitur excommunicatio ipso facto in eum, qui præsumpserit hujusmodi sequestrationem impedire, aut bona sic sequestrata occupare. Hunc vero casum ait Cajetanus, cap. 43, esse de raro contingentibus; et ideo nihil circa illum dicit; sed solum advertit circumstantias litteræ esse expendendas. Quod videtur dixisse propter verbum *præsumpserit,* et verba *impedire et occupare,* et similia, quæ sæpe sunt tacta, et eorum proprietas explicata. Potest tamen quispiam dubitare, cur hic casus raro contingere dicatur, cum hujusmodi lites, et sequestrationes frequentes sint, quas etiam sæpe accidit impediri, etc. Respondetur ex Navarro, num. 137, factum quidem non esse rarum, sed usum hujus juris. Ordo enim hic præscriptus est, ut post talem sententiam latam apud Sedem Apostolicam, sequestratio fiat per Ordinarium loci; hoc autem hodie non servatur, sed fit etiam sequestratio auctoritate Papæ per Auditores Rotæ; et ideo si talis sequestratio impediatur, vel bona sic sequestrata usurpentur, non incurritur hæc censura, quia non impeditur sequestratio, quæ hic præcipitur, et consequenter non violatur hæc lex. Ad quod ponderanda sunt illa verba : *Si quis autem sequestrationem hujusmodi,* etc. Nunc autem in

hujusmodi casu incurri solet excommunicatio ab homine, quam judex qui sententiam tulit, et executionem ejus mandat quantum ad hunc effectum, imponere solet. Et ideo de censura hac plura non dicemus; sed videri possunt ibi Glossa, Panormitanus et alii.

2. *Secunda excommunicatio.* — Secunda sumitur ex Clementina 1 de Sepulturis. Et comprehendit quatuor casus pertinentes ad sacrilegium, in tradenda sepultura commissum. Primus est contra eos, qui tempore interdicti corpora mortuorum sepeliunt in loco sacro in casibus non concessis a jure. Secundus contra eos, qui publice excommunicatis similem sepulturam præbent. Tertius similis de publice interdictis. Et quartus de publice usurariis. Ex quibus casibus secundum et quartum exposuimus supra, disput. 12, sect. ultima; alios vero tractabimus in materia interdicti; et ideo nihil hic addere oportet.

3. *Tertia excommunicatio.* — Tertia sumitur ex Clement. 1 de Decimis, quæ specialiter fertur contra religiosos occupantes decimas, vel earum solutionem impedientes in casibus ibi prohibitis. Est autem advertendum ibi prius ferri censuram suspensionis ab officio, administratione, et beneficio. Pro his vero religiosis, qui administrationem aut beneficium non habuerint, additur excommunicationis pœna. Et ideo textus hic magis directe pertinet ad materiam de suspensione, et in disp. ult. illius, sect. ult., tractabitur.

Excommunicatio contra monachos, et canonicos regulares, qui ad curias principum sine licentia accedunt, aut arma intra claustra tenent.

4. *Clement. Ne in agro, de Statu monachor.* — *Prima excommunicatio hujus Clement. exponitur.* — *De quibus monachis sit sermo in hac Clement.* — Quarta sumitur ex Clement. *Ne in agro,* de Statu monach., quæ virtute duas continet in § Quia vero. Prima est contra religiosos, qui suavi jugo regularis observantiæ abjecto per curias principum vagando discurrunt, pensiones, seu alimenta a Prælatis extorquentes per vim, vel gravem metum, ut ibi latius narratur. Et generaliter prohibetur, ne monachi, aut canonici regulares administrationem aliquam non habentes, ad curias principum absque speciali suorum Prælatorum licentia se conferre præsumant. Et subditur : *Quod si ad suis Prælatis, aut monasteriis damnum aliquod inferendum, ad dictas curias se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto.* Ubi adverto hanc censuram specialiter ferri in monachos, et canonicos regulares; unde constat non omnes religiosos comprehendi, sed illos tantum, qui proprie monachi vocantur : tum quia verba restringenda sunt; tum etiam quia alias non oportuisset specialiter nominare canonicos regulares, cum constet illos religiosos esse. Imo Angel., verb. *Excommunicatio*, 7, casu 28, hoc limitat ad monachos nigros, cui videtur obstare, quod textus absolute, et sine limitatione loquitur. Ideoque Abbas ibi dixit, num. 19, *monachi cujuscumque habitus.* Quod sequitur Sylvester, *Excommunicatio*, 9, n. 78. Nihilominus, si textus attente legatur a principio, loquitur tantum de monachis nigris, et omnia, quæ usque ad illum § Statuit, ad illos solos diriguntur, et in hoc ipso § Quia vero, sic inchoat : *Quia vero nonnulli monachorum ipsorum;* refert ergo sermonem ad eosdem; ergo, licet postea non repetat determinationem illam, de illis tantum statuit legem. Nec est extensio ad alios facienda propter rationis similitudinem, quia, ut sæpe dixi, in materia pœnali hæc non sufficit, neque etiam similitudo satis probari potest in omnibus, quæ ad legem ferendam movere possunt.

5. *De qua administratione loquatur Clement.* — Additur vero limitatio quoad has personas, scilicet, *Administrationem aliquam non habentes.* Quæ verba de administratione temporalium fructuum, non spiritualium officiorum intelligunt Cardinalis, ibi, et Angelus. Sed non video cur hanc limitationem adhibeant, cum textus dicat, *non habentes administrationem aliquam,* id est, nullam habentes; ergo, si habuerint aliquam, quæcumque illa fuerit, non comprehenduntur. Censeo igitur illa verba generatim sumenda esse, ut indicant Glossa, et Panormitanus ibi, et rationem reddunt, quia ob administrationem sæpe necesse est ire ad curias principum. Quæ ratio, licet regulariter procedat in administratione temporali, tamen ex accidenti habet locum in spirituali, ut experientia constat. Sylvester autem indicat, limitationem hanc, licet ponatur in illo textu in clausula prohibitionis, non tamen in clausula, ubi fertur censura. Sed hoc non refert, quia eodem textu de eisdem personis Concilium loquitur. Et ideo fortasse Navarrus dixit, hac censura comprehendi tantum simplices religiosos, id est, nec jurisdictionem, nec administratio-

nem habentes. Est autem obscurum in textu, an illa determinatio addatur solis canonicis regularibus, vel etiam monachis; tamen cum satis commode possit ad utrosque referri, et id pertineat ad mitiorem interpretationem legis pœnalis, et ratio limitationis sit eadem in utrisque, hic sensus preferendus videtur.

6. *Materia hujus prioris excommunicationis quæ.* — *Objectio.* — Secundo circa materiam, seu causam hujus censuræ advertendum est, non satis esse conferre se ad curiam principum, nisi id faciant, *ut suis Prælatis, aut monasteriis damnum aliquod inferant*, ut in textu præscribitur. Quare licet quis sine facultate Prælati illuc se conferat, et in eo graviter peccet, si tamen cum illa intentione, seu ad illum finem non eat, non incurret hanc censuram. Dices : ergo e contrario, si habeant licentiam eundi ad alia negotia, licet eant eo fine damnificandi, non incurrent hanc censuram. Respondetur cum communi sententia Glossæ, Panormitani, Cardinalis, et aliorum ibi, quam sequuntur Angelus, Sylvester, Cajet., Navarrus, et alii, negando consequentiam, quia in clausula, qua fertur hæc excommunicatio, nulla fit mentio eundi cum licentia, vel sine illa, sed tantum eundi ad illum finem. Ex quo inferunt iidem auctores, censuram hanc propter talem accessum immediate contrahi, sive sequatur effectus, sive non, quia causa principalis, et materia censuræ non est damnificatio, sed ipse accessus cum animo damnificandi. Necessarium tamen erit, quod saltem ad curiam perveniat; non enim satis est exire de monasterio cum tali intentione; imo si in itinere intentionem mutet, et postea alio animo curiam intrat, non incurret hanc censuram. E contrario autem, si accessus ad curiam factus esset bona intentione, postea vero mutato animo vellet monachus ibi esse, vel permanere ut damnum inferret, ex tunc incurreret; nam quod præcipue hic prohibetur, non tam est accessus ratione itineris seu motus, quam ratione existentiæ, seu assistentiæ in curia ad illum finem.

7. *Quid si accedat animo damnificandi alias personas, aut religionem aliam.* — *Quid si animus sit damnificandi totam suam religionem, aut Generalem.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Sed quid si accedat cum animo damnificandi aliam personam extraneam, vel alium religiosum ejusdem monasterii, qui non sit Prælatus? Respondetur non incurrere, quia textus dicit : *Ut suis Prælatis, vel monasteriis damnum aliquod inferant.* Quin potius intelligo illud relativum, *suis,* proprie, et distributione accommoda sumendum esse; ita ut si monachus accedat ad curiam animo damnificandi aliud monasterium suæ religionis, non tamen suum, vel Abbatem similiter non suum, sed alterius domus, non incurrat hanc censuram propter relativum *suis.* Video posse exponi *suis,* id est, suæ religionis; tamen ille non est proprius et rigorosus sensus, qui in materia pœnali tenendus est, quia illud relativum est reciprocum, et ad eamdem personam dicit habitudinem. Sed quid si eat ad inferendum damnum non proprio Abbati, sed Generali, vel non suo monasterio, sed soli religioni? Respondetur in utroque casu incurrere. In priori, quia ille etiam est Prælatus suus vere et proprie, et ideo comprehenditur. In posteriori autem, tum quia damnum religionis totius, etiam est proprium detrimentum sui monasterii, et fortasse majus; tum etiam quia qui prohibet damnum inferri parti, multo magis toti, præsertim quando damnum totius non potest in damnum partis non redundare. Dices : ergo eadem ratione, si monachus eat, ut damnum inferat cuilibet religioso sui monasterii, incurret, quia damnum cujuslibet membri seu religiosi, redundat etiam in damnum totius monasterii. Respondetur negando consequentiam, quia per se damnum particularis personæ non redundat in damnum religionis, seu monasterii secundum suam communitatem; quod si aliquando id contingat, accidentarium censetur. Quod patet; nam damnum personale Prælati potest in damnum totius monasterii redundare; et nihilominus exprimitur, quia non est directe contra monasterium; ergo signum est, hic non agi de damnis aliarum personarum privatarum, seu particularium.

8. *Secunda censura ejusdem Clement. contra monachos intra claustra arma tenentes.* — Altera causa seu extensio hujus censuræ habetur in fine ejusdem §, his verbis : *Præfatæ quoque sententiæ monachos intra septa monasteriorum sine licentia Abbatum suorum arma tenentes, decernimus subjacere.* Quæ verba de eisdem monachis, de quibus præcedentia exposuimus, intelligenda opinor. Et quia hic non adduntur canonici regulares, illos non comprehendit, ut notat Glossa communiter recepta. Circa causam autem censuræ notanda sunt singula verba. Nam *arma* comprehendunt tam defensiva, quam offensiva, quia textus indefinite loquitur. Oportet tamen,

ut sint proprie arma, id est, instrumenta per se instituta et arte facta ad usum bellicum sive publicum, sive privatum; nam instrumenta quasi naturalia, quibus homo uti potest ad offendendum, ut lapides, ligna, etc., non significantur illa voce, *arma,* communi usu, nec videtur esse hæc mens illius constitutionis, neque est, cur rigorem ample interpretemur. Ita tenet ibi Gloss., quam sequuntur Sylvest. et Navarr. ubi supra, licet Panormitanus et Angelus aliud sentiant. Præterea notandum est verbum illud, *intra septa monasterii;* non enim requiritur, ut habeat intra cellam, nec sufficit habere extra totum monasterium, etiamsi in alio habeat, quia, cum de monasterio loquitur lex, intelligit de suo, sicut in superiori. Intra septa autem monasterii censetur contineri ex omnium sententia totum illud loci spatium, extra quod sine licentia Prælati exire non licet. Tandem ponderandum est verbum illud, *præfatæ sententiæ,* ut intelligamus fieri contra delinquentes ex præsumptione, ut declarat verbum *præsumpserint,* prius positum. Ut hinc verum habeat, quod Cajetan., Navarr. et alii notant, si contingat per oblivionem aut bonam fidem, veram vel saltem existimatam, hæc habere, excusetur nihilominus hæc censura.

Contra impedientes visitatores monialium in suo munere.

9. *Clement. Attendentes, de Statu monach. — Quæ admonitio prærequiratur. — Quando facienda. — Resipiscere quid.* — Quinta sumitur ex Clementina *Attendentes,* de Statu monach., ubi circa visitationem et visitatores monialium multa disponuntur. Et postea subjungitur : *Si qui vero visitatores ipsos in præmissis vel aliquo præmissorum impedire præsumpserint, nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam in se noverint incursuros.* Ex quibus verbis constat, hanc excommunicationem quoad personas esse generalem. Quoad actionem vero in communi esse unam propter quam incurritur, scilicet impedire; in virtute autem esse multiplicem juxta varias res ibi præscriptas, quibus potest impedimentum apponi, quæ ibi legi possunt. Quid autem proprie sit impedire, sæpe est in superioribus expositum. Illa etiam verba : *Nisi admoniti,* etc., superius exposita sunt. Opinamur enim, quoties jus requirit admonitionem, non solum ad tollendam ignorantiam, sed ad tollendam præsumptionem et pertinaciam, intelligendam monitionem canonicam, quæ trina sit vel una pro trina, etiamsi non requiratur ad incurrendam excommunicationem ab homine, sed a jure; sufficere tamen generalem vel particularem, cum de hoc jus nihil distinguat. Ponderandum autem est verbum *resipiscant,* nam ex vi illius, vera est sententia Glossæ ibi, necessarium esse, monitionem fieri post impedimentum positum, quia resipiscere supponit jam delictum commissum; et ideo necesse est, ut postquam aliquis impedire incipit, moneatur ut desistat : fortasse tamen sufficit, ut una monitio postea fiat, si aliæ præcesserunt, quia hoc satis est ad proprietatem illorum verborum tenendam. Debet autem talis monitio fieri a tali visitatore, ut notant Sylvester et Angelus, casu 39, et est textui consentaneum, et rationi, quia talis monitio debet esse juridica, et consequenter a superiore facta; in ea autem causa visitator est proprius superior. Denique resipiscere in proposito erit, et cessare ab actione impediendi, et auferre impedimentum positum, si aliquo modo permanens esse poterat; ita ut, quantum est ex se, visitatio æque libere ac antea fieri possit.

10. *Contra fœminas assumentes statum beguinarum, Clement. 1 de Religiosis domibus.* — Sexta sumitur ex Clement. 1 de Religiosis domibus, ubi contra quasdam fœminas, quæ beguinæ dicebantur, excommunicatio fertur, si talem statum profiteantur, vel in eo perseverando, vel illum de novo assumendo, et extenditur ad religiosos, qui hujusmodi fœminis in hoc negotio auxilium, consilium aut favorem præbent. De qua nihil est dicendum, quia ad usum nihil inservit. Nam, ut in fine ejusdem textus dicitur, per hoc non prohibentur fœminæ honestæ, quin et votum continentiæ emittere, et divino servitio, in suis domibus et privatam vitam agentes, se emancipare possint, etiamsi fortasse simili habitu utantur. Quod tamen cavere deberent, si eis constaret de habitu beguinarum. Unde constat hic non comprehendi eas, quæ dicuntur Tertiariæ S. Francisci, aut similes, quæ sub regula tolerata vivunt.

Contra personas matrimonium sacrilege contrahentes in quinque casibus.

11. *Clementin. unica de Consanguinitate et affinitate. — Prima actio prohibita sub hac censura. — Corollarium.* — Septima excommunicatio sumitur ex Clementin. unica de

Consanguinitate et affinitate, ubi propter matrimonium sacrilege contractum contra varias personas excommunicatio fertur, quæ neque quoad culpam in matrimonio contrahendo commissam, neque quoad personas universalis est; sed nonnullos tantum casus ibi expressos, et personas, ad quas illi pertinent, complectitur. Prima ergo causa illius censuræ est contrahere matrimonium cum consanguinea in gradibus a jure prohibitis. Secunda, contrahere cum affine intra eosdem gradus. Tertia, cum monialibus matrimonium contrahere, quæ comprehendit utrumque contrahentem. Quarta, si religiosus matrimonium contrahat. Quinta, si clericus in sacris contrahat matrimonium. Aliqui addunt sextam, scilicet celebrare hujusmodi matrimonia prohibita inter ipsos contrahentes; sed hæc non habetur in textu, ut infra dicam. Igitur extra illos quinque casus non contrahitur hæc censura, etiamsi aliis modis contingat fieri matrimonium prohibitum, sive cum impedimento irritante, sive cum prohibente tantum, quia lex pœnalis non extenditur ultra casus in ea expressos. Et ita docent omnes interpretes ibi, et Summistæ. Quibus adde, quod licet contrahendo cum infideli, ex illo capite non incurratur hæc censura, tamen si esset cum consanguineo vel affine, ille qui Christianus est, hanc incurrit censuram, quamvis conjux infidelis non contraheret illam, quia non est capax, neque ad illam spectat lex Ecclesiæ de gradibus prohibitis; pertinet autem ad fidelem etiam respectu infidelis.

12. Sunt tamen expendenda singula illa verba : *Consanguineos, affines*, etc., nam consanguinei intelliguntur intra quartum gradum ex jure communi ex cap. Non debet, de Consanguinitate et affinitate; et Concilium Tridentinum, sess. 24, c. 5 de Reform. matrim. Affinitas vero quædam contrahitur per licitam copulam matrimonialem; et hæc ad eosdem gradus extenditur. Alia vero contrahitur per copulam illicitam, et hæc jam nunc non extenditur ultra secundum gradum, ex eodem Tridentino supra, c. 4, et in eisdem habet nunc locum hoc jus. Monialis vero et religiosus communiter dicitur esse, qui tacite vel expresse professionem emisit in religione approbata. Nunc vero extendendum est ad quemcumque verum religiosum, quacumque ratione constituatur, ut jam sæpe in superioribus tactum est, et in proprio loco et materia, Deo dante, latius declarabimus. De clerico autem in sacris, quis dicatur, satis constat.

13. *Quælibet ignorantia non affectata excusat hanc censuram.* — Deinde notandum est verbum illud, *scienter*, quod excludit ignorantiam etiam culpabilem non solum facti, ut omnes fatentur, sed etiam juris, ut verior tenet opinio, dummodo non sit affectata. Primum patet, quia alias nihil operaretur verbum illud, *scienter*, nam ignorantia invincibilis semper excusat a censura. Glossa tamen ibi dicit requiri ignorantiam probabilem; subjungit vero affectatam non sufficere; unde videtur sub probabili omnem non affectatam includere; nam alias insufficienter numerat ignorantias. Statim vero destruit hunc sensum, et ideo potius sub ignorantia affectata videtur includere omnem culpabilem. Sed improprie utitur voce, et falsum etiam dicit, ut ratio facta probat. De ignorantia autem affectata verum est esse excipiendam, quia hæc moraliter æquiparatur scientiæ; imo semper includit aliquam cognitionem saltem dubiam; nam qui vult ignorare, jam intelligit fieri posse (v. gr., in materia in qua versamur) ut interveniat tale impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, etc., et ideo non potest dici simpliciter ignorare, etiamsi id velit.

14. *Etiam juris.* — De ignorantia autem juris, id est, quando quis ignorat gradum consanguinitatis esse prohibitum, aliqui existimant non excusare, quia non tollit, quominus *scienter* quis contrahat cum consanguinea. Ita Glossa ibi, ob aliam rationem, quia ignorantia juris non excusat, juxta regul. Ignorantia, 13 de Regul. jur., in 6; sequitur Antoninus, 3 part., tit. 24, c. 43; Sylvester, *Excommun.*, 9, num. 76; et Panormitanus ibi, num. 2. Sed illud principium et limitatione et declaratione indiget; interdum enim ignorantia juris potest esse invincibilis; et male applicatur, quia ignorantia aliquo modo culpabilis potest hic excusare a censura, licet non excuset a culpa. Quare opposita sententia verior est, quam insinuat Navarr., cap. 27, n. 141. Nam, si ignorantia facti excusat, etiamsi probabilis non sit, non est cur ignorantia juris non excuset; illa enim sola ratio Glossam movebat. Et præterea falsum est tunc hominem operari *scienter*, quia hoc non est intelligendum de operatione materiali tantum, sed de operatione morali ut mala vel bona; et hoc modo qui operatur ex ignorantia juris, non operatur *scienter*. Præterea, quando lex punit solum eum, qui scienter facit, requirit dolum et malam fidem in illo, ex l. Sed etsi lege,

§ Sciret, ff. de Petit. hæred., ubi expresse dicitur, non solum qui factum nescit, sed etiam qui in jure erravit, carere dolo, ideoque non omnino scienter fecisse. At vero ignorantia, etiamsi sit vincibilis et culpabilis, excludit dolum, ut recte dicit Glossa ultima in l. Plagii, 2, C. Ad legem Flaviam, de Plagiariis. Atque ita sentit Covarruvias, in 4 decr., 2 part., cap. 6, § 8, n. 21, ubi plures refert.

15. *Solum in tribus primis casibus ignorantia excusat censuram.* — Sed circa hanc conditionem dubitari potest primo, an comprehendat omnes casus superius positos. Respondeo, si textus attente expendatur, illam particulam solum conjungi tribus primis casibus; nam prius sic dicitur : *Eos, qui scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus matrimonium contrahere non verentur.* Et postea subjungitur : *Nec non religiosos, et moniales, ac clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes.* Ubi constat bis repeti verbum contrahendi, et verbum *scienter*, cum primo conjungi, non cum secundo. Et ratio differentiæ fuit, quia in primis tribus casibus facile potest ignorantia intervenire, quia impedimentum provenit ex conditione alterius personæ, cum qua contrahitur; in aliis vero ultimis non admittitur talis ignorantia, quia impedimentum consistit in conditione ipsiusmet contrahentis, scilicet, quod sit religiosus vel clericus, et ipse est qui excommunicatur, si id faciat. Et hæc est communis sententia.

16. *Qui scienter contrahit his modis, etsi alius ignoret, contrahit censuram.* — *Notandum circa tertium casum prohibitum.* — Secundo dubitatur, si in aliquo trium priorum casuum unus contrahentium sciat impedimentum et alter ignoret, an contrahatur tunc hæc censura; nam textus in plurali loquitur dicens : *Matrimonium contrahere non verentur;* ergo, nisi ambo scienter contrahant, nullus incurret. Nihilominus Glossa ibi, quam omnes sequuntur, respondet, eum, qui scienter contrahit, incurrere censuram, alium vero excusari. Estque hoc manifestum in duobus casibus, scilicet, quando matrimonium est inter consanguineos vel affines, quia lex unumquemque horum per se et divisim prohibet ne contrahat, et, si scienter id faciat, excommunicatione punit. Neque obstat pluralis locutio illius legis, quia non ponitur propter duos contrahentes, sed propter omnes, qui hoc modo peccare possunt. At vero circa tertium casum advertendum est, ex vi illius prioris partis textus non incurrere censuram monialem, cum qua alius contrahit, quia ibi solum excommunicantur contrahentes cum monialibus, in quo contractu non est, ut ita dicam, respectus ejusdem rationis inter contrahentes, sicut est inter consanguineas, vel affines, sed est dissimilis rationis, ideoque ex vi excommunicationis latæ in alterum extremorum, non infertur latam esse in aliud; ac propterea in secunda parte textus addita est excommunicatio in ipsas moniales contrahentes. Ex vi ergo illius partis, si ille, qui contrahit cum moniali, ignoranter contrahit, licet ipsa scienter et dolose contrahat, non incurret, nam requiritur dolus in ipsomet, qui hac censura ligandus est. At vero e contrario, si ipse contrahat dolose, monialis vero etiam per ignorantiam juris (facti enim esse non potest), uterque incurret, secularis ex vi hujus partis, monialis vero ex vi posterioris, dummodo non sit ignorantia invincibilis, quod vix contingere potest.

17. *Qui scienter contrahit cum ea quam putat esse consanguineam aut monialem, cum non sit, an incurrat.* — Tertio quæri potest, si quis scienter contraxit cum ea, quam putabat esse consanguineam vel monialem, quæ non erat, an incurrat in hanc censuram, quandoquidem culpam ejusdem rationis committit. Respondetur in illo casu non consummari actum, propter quem fertur censura, quia ille non contrahit scienter cum consanguinea, sed ignoranter cum putata consanguinea, et ideo non incurrere censuram in re ipsa. Nam ex conscientia erronea ligabitur, quamdiu in priori errore perstiterit; statim vero ac intellexerit in re non fuisse tale impedimentum, intelliget etiam se non esse excommunicatum, neque alia indigebit solutione, ut in superioribus in generali dixi. Idemque est, si quis exterius contrahat matrimonium, sine intentione contrahendi, quia ille non est verus contractus, sed fictus, et ita non est actus consummatus, propter quem fertur censura. Atque ita sentit Covarruv., dict. lib. 4, 2 part., cap. 3, § 2, num. 8, cum Adriano, in 4 de Matrimon., quæst. 11. Potestque confirmari ex doctrina generali superius tradita, quod censura requirit actum perfectum.

18. *Objectio.* — *Prima confirmatio.* — *Secunda confirmatio.* — Dices : hæc lex non prohibet verum matrimonium, quia inter has personas supponit impedimentum irritans;

ergo prohibet et punit matrimonium attentatum; ergo, licet fiat solum cum voluntate exterius et apparenter contrahendi, incurretur hæc censura. Confirmatur primo, quia alias vix posset Catholicus ita contrahere, ut incurreret hanc censuram; essetque hæc lex quasi nullius efficacitatis, quia, cum Catholici sciant hæc esse impedimenta dirimentia, non possunt absolutam intentionem concipere verum matrimonium contrahendi. Tandem confirmatur, nam alias, si quis cum hac intentione conditionata contraheret: *Volo matrimonium perficere, si inter consanguineos vel affines in gradu prohibito potest consistere,* non incurreret; consequens est falsum, ut iidem auctores, præsertim Covarruvias, probant: ergo, etc. Sequela patet, quia consensus conditionatus, quamdiu conditio non impletur, non valet ad matrimonium perficiendum; hæc autem erat ratio excusans hanc censuram. Unde, si quis ita contraheret cum consanguinea: *Te duco in uxorem, si Papa dispensaverit,* non incurrit, quia de præsenti non contrahit; imo neque intentat de præsenti contrahere.

19. *Solum ligantur hac censura, qui animo vere contrahendi faciunt actiones. — Objectioni satisfit. — Prima confirmatio solvitur.* — Respondetur non carere dubio; tamen quia in lege pœnali standum est rigori verborum, et in dicta Clement. dicitur: *Qui matrimonialiter contrahere non verentur,* merito restringi ad eos, qui animo contrahendi et non fingendi hoc faciunt; quia illi revera non matrimonialiter contrahunt. Hoc autem verum est in foro conscientiæ; nam in foro Ecclesiæ, ubi de interiori mente non judicatur, ille habendus est et declarandus pro excommunicato. Unde ad primam rationem respondetur, quod, licet in re non possit perfici hoc sacramentum inter tales personas, nihilominus posse ex parte contrahentium fieri eodem modo et eadem voluntate, ac si ipsi essent personæ aptæ ad contrahendum, et tunc solum incurrere hanc censuram. Est accommodatum exemplum de rebaptizante, qui ipso jure irregularis est; oportet tamen ut intentione baptizandi id faciat, quanquam alioqui talis secundus baptismus verus esse non possit. Ad primam confirmationem respondetur in primis, tale peccatum accidere posse ex falso errore, sive per hæresim, sive per ignorantiam culpabilem, qua quispiam existimet tale matrimonium esse quidem ab Ecclesia prohibitum, non tamen factum irritum. In quo casu (ut hoc obiter dicamus) illa ignorantia non excusabit censuram, quia licet sit æqualis ignorantia juris, magis tamen quoad modum, quam quoad substantiam juris seu præcepti, et ideo non excludit dolum, neque impedit, quominus sic delinquens scienter contrahat. Deinde sine hac ignorantia quasi speculativa potest per inconsiderationem practicam committi tale delictum eodem modo, ac si essent personæ habiles, sine consideratione, an tale matrimonium sit in re validum, necne, et id satis erit ad contrahendam censuram; nam esset etiam satis ad conficiendum sacramentum, si personarum inhabilitas non obstaret. Atque hic videtur esse moralis ac frequens modus committendi hoc delictum, quod lex illa punire intendit. Ad secundam confirmationem, Covarruvias supra dicit, illam conditionem esse impossibilem, quæ habetur pro non adjecta, juxta cap. fin., de Conditionibus appositis. Sed de intelligentia illius capitis nunc disputare non possumus; magis enim ad externum forum, quam ad internum accommodandum est; nam in interiori et in re ipsa, si consensus contrahentis nullo modo fuit absolutus, sed conditionatus et pendens a dicta conditione, matrimonium non perficitur, ut argumentum factum convincit, et omnes, quos ibi Covarruvias refert, fatentur; et ideo in eo casu concedendum est eum, qui sub ea conditione contrahit cum consanguinea, non incurrere, ut recte Adrianus animadvertit, et argumentum factum et exemplum ibi adductum satis probant.

20. *An contrahens hoc modo sponsalia censuram contrahat.* — Atque ex his expeditur quartum dubium, an contrahens tantum sponsalia cum consanguinea, vel affine, incurrat hanc censuram. Distinguendum est enim de sponsalibus de futuro, vel de præsenti; nam si sint prioris modi tantum, non incurritur censura, quia illa non sunt matrimonium, sed provisio matrimonii; lex autem hæc solum de matrimonio loquitur, et extendenda non est. Secus vero erit, si sint de præsenti, nam illa sunt verum matrimonium ratum quantum est ex se, si conditio personarum non obstaret; et illud sufficit ad hanc censuram contrahendam, quamvis consummatum non sit, nam consummatio matrimonii non est de substantia ejus, et lex prohibens matrimonium de contractu ipso intelligitur. Quæri vero hic posset, an, si præcesserunt sponsalia de futuro, et postea copula subsequatur, tunc incurratur hæc censura, quia secundum jus copula sub-

secuta post sponsalia sufficit ad matrimonium perficiendum. Hoc tamen habet locum secundum jus antiquum et in exteriori foro; in interiori vero judicandum esset juxta intentionem sic delinquentis; nam, si non accederet cum intentione faciendi matrimonium, non incurreret, juxta superius dicta. Nunc vero post Tridentinum hoc non habet locum, nisi in casu speciali statim tractando. Simili ratione si quis contraheret cum consanguinea impubere, non incurreret, quia non perficeretur matrimonium, sed solum sponsalia de futuro ex juris interpretatione, juxta c. unic. de Dispensat. impuberum, in 6; et in universum quacumque ratione in tali matrimonio interveniat aliud impedimentum sufficiens ad irritandum contractum, sive sit metus cadens in constantem virum, sive aliud simile, non incurritur hæc censura, ut optime notavit Panorm. in dict. Clem. et probari potest ex dictis.

21. *Qui cum consanguinea bona fide contraxit, ablata ignorantia, si se cognoscant, non incurrit.— Nisi affectu maritali se cognoscant.* — Quinto dubitari potest, an, si quis bona fide contraxit cum affine, vel consanguinea, et postea cognito impedimento nihilominus perseveret, utens conjugio, incurrat hanc censuram. Respondetur non incurrere, cum Glossa ibi, quam sequitur Abbas, et alii, et Summistæ sæpe citati. Ratio est, quia in hoc textu non punitur omnis incestus, vel iniqua et incestuosa cohabitatio, sed solus contractus : ibi autem non fit novus contractus; et per priorem non fuit incursa excommunicatio, quia ignorantia excusavit. Hoc autem limitant Cajetanus, et alii, nisi illi conjuges postea inter se accedant affectu maritali, nam ille actus tali modo factus est de se sufficiens ad novum consensum explicandum. Unde fit, ut nunc etiam post Trident. hoc locum habeat, si præcessit matrimonium exterius bona fide contractum coram parocho et testibus inter occulte affines in gradu irritante; illi enim si secrete obtineant dispensationem, possunt revalidare sacramentum per occultam iterationem mutui consensus absque nova exteriori solemnitate. Quapropter si absque dispensatione id faciunt, vel se cognoscendo affectu maritali, vel alio modo, hanc censuram incurrent. Extra hunc vero casum, ut supra dicebam, illam non incurrent nunc clandestine contrahendo; quia talis exterior contractus nunc non est sufficiens ad matrimonium.

22. *Fœmina contrahens cum religioso aut clerico in sacris, non incurrit excommunicationem.* — Atque hinc obiter colligitur, fœminam contrahentem matrimonium cum religioso vel clerico in sacris, non incurrere hanc censuram, quia nec in illam directe lata est, ut advertit Cajetan, c. 47, de excomm., et Navarr., c. 21, n. 52. Et constare potest ex his, quæ diximus de moniali, ex vi prioris partis textus non incurrere censuram, et ideo iterum nominatam fuisse in secunda parte. Nec etiam indirecte incurrit censuram, eo quod communicat in crimine criminoso juxta c. Si concubinæ, de Sent. exc.; quando enim contrahit, nondum communicat cum excommunicato, quia alter non incurrit nisi finito contractu. Nec vero etiam hoc modo incurrit talis fœmina censuram per usum talis matrimonii, quia ille usus non est communicatio in crimine formaliter, ut sic dicam, sed materialiter; nam est quidem communicatio cum excommunicato in quodam crimine, non tamen in illo propter quod excommunicatus est, nam ille non excommunicatur propter usum matrimonii, sed propter contractum. Solum ergo incurret talis mulier excommunicationem minorem, et ad hoc erit necessarium, ut alter denunciatus sit, juxta Extrav. *Ad evitanda.*

23. *An sacerdos hæc matrimonia solemnizans hanc excommunicationem incurrat.* — Ultimo dubitari potest, an præter dictas personas aliqua alia incurrat hanc censuram. Quod proponitur propter Navarrum, et Cajetanum supra, qui dicunt, sacerdotem celebrantem, vel, ut ita dicam, solemnizantem matrimonia hic prohibita, incurrere hanc censuram. Et videntur fundari in quibusdam verbis, quæ Cajetanus refert ex textu, et Navarrus admittit, et supponit, scilicet, *Et inter eos eadem scienter celebrantes.* Quæ verba ego in textu quem habeo, non reperio; nec Glossa videtur ea legisse, et ideo hunc casum omittit, et numerat sex casus a nobis in quinque comprehensos, quia casum de monialibus in duos distinguit, sicut in textu fit. Quapropter donec mihi constet verba illa esse in legitimo textu, non censeo excommunicationem hanc propter hunc actum incurri. Dico ergo tantum illa quinque genera personarum incurrere hanc censuram, non vero assistentes contractui, nec dantes auxilium vel favorem, quia hæc extensio in textu non habetur.

Contra Inquisitores, etc., qui prætextu officii pecuniam extorquent, aut bona Ecclesiæ fisco applicant.

24. *Clem.* 2 *de Hæreticis. — Commissarii qui dicantur. — Hac censura non comprehenduntur Episcopi.* — Octava excommunicatio sumitur ex Clement. 2 de Hæreticis, ubi prohibetur, *Inquisitoribus, et commissariis tam ipsorum, quam Episcoporum, seu Capitulorum Sede vacante, ne prætextu officii Inquisitionis, quibusvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant, nec scienter attentent Ecclesiarum bona, ob clericorum delictum, prædicti occasione officii, fisco etiam Ecclesiæ applicare; quod si secus in his, vel eorum altero fecerint, excommunicationi subjiciuntur ipso facto.* In quo textu circa personas nota commissarios dici omnes, qui vices aliorum gerunt, et ab eis habent jurisdictionem in tali munere; et comprehendit omnes, sive sint vicarii ordinarii, sive tantum delegati ad tempus, vel ad causam; nam omnes hi propriissime dicuntur commissarii. Quamvis autem Episcopus possit per seipsum Inquisitionis officium exercere, noluit tamen Concilium eum sub hac censura comprehendere, cum aperte et Inquisitores, et ipsorum commissarios nominet, et distincte etiam Episcoporum commissarios, non autem ipsos Episcopos; non ergo comprehendit Episcopos sub Inquisitoribus. Nam, præterquam quod in aliis juribus ad Inquisitores pertinentibus, quando Episcopi comprehendendi sunt, distincte nominantur, si hic comprehensi fuissent nomine Inquisitorum, etiam vicarii ipsorum sub vicariis Inquisitorum contenti essent; constat autem non fuisse, et propterea distincte et speciatim nominantur. Voluit ergo Concilium in hoc deferre Episcoporum dignitati, quod frequens est in jure.

25. *Prima hujus censuræ actio. — Quid per pecuniam intelligatur.* — Prima actio, propter quam imponitur hæc excommunicatio, est pecuniæ acceptio; quæ tres debet habere circumstantias, ut sit causa hujus censuræ. Prima, ut extorqueatur; secunda, ut per aliquem modum illicitum; tertia, ut prætextu officii Inquisitionis. Ita enim habetur in textu. Quapropter, si aliquod horum deficiat, non incurretur censura; ut si Inquisitor extorqueat pecuniam alio modo illicito, non tamen prætextu Inquisitoris, vel si non extorqueat, sed sponte oblatam accipiat, etiamsi sciat dari prætextu officii Inquisitionis, non incurrit censuram. Nomine autem pecuniæ intelligitur quidquid pecunia æstimabile est. Et ita ibi notant Glossa, et Doctores, et Summistæ, Cajetanus, c. 4; Navarrus, n. 143; Sylvester, et Angelus, casu 42. Addo denique per extorsionem pecuniæ in rigore intelligi donationem. Unde, si quis extorqueret illam tantum mutuatam animo solvendi, non incurreret hanc censuram, quia mutuatio non est aliquid pecunia æstimabile, et hanc tantum extorquet, non simpliciter pecuniam ipsam, cum illam redditurus sit; si vero postea non reddat, incurret.

26. *Secunda actio sub eadem censura prohibita.* — Secunda actio, ob quam hæc censura incurritur, est Ecclesiarum bona applicare fisco ob clericorum delicta. In qua etiam circumstantiæ adhibentur. Prima ut id faciant *scienter,* quæ explicanda est eodem modo, quo in præcedenti. Secunda, quod talia bona sint Ecclesiarum, non clericorum, vel aliarum personarum. Tertia, ut applicatio fiat prætextu talis officii, seu (quod idem est) *occasione ejus,* ut in textu dicitur. Quarta quod applicatio fiat fisco; unde, si sibi applicent, vel aliis, non incurrent, etiamsi fortasse in eo gravius peccent, quia hæc lex hoc tantum præscribit, fortasse quia frequentius, et majori quodam colore fieri poterat. Est autem advertendum, in textu non solum dici, *ne applicent,* sed, *ne attentent applicare.* Unde videtur sumi, quacumque ratione inchoent, vel medium aliquod adhibeant ad hanc applicationem, statim incurrere hanc censuram, etiamsi conatus eorum ad exitum non perveniat, quia jam attentarunt. Non est tamen hic sensus; sed, quia applicatio illa non poterat esse valida, cum esset injusta, et de alienis bonis, ideo videtur Concilium dixisse: *Ne attentent applicare.* Tamen hujusmodi personæ non incurrunt donec applicent quantum est ex se, nam in illis hoc proprie est attentare. Dicentur autem applicare, vel si cum effectu faciunt ea bona applicari fisco eo titulo, vel si proferunt sententiam, qua declarant talia bona esse applicata fisco.

27. *Sub qua conditione debeat dari absolutio ab hac censura.* — Ultimo quoad absolutionem ab hac censura advertendum est, eam simpliciter non reservari; tamen addi conditionem, ut nemo possit ab ea absolvere, *donec illis a quibus extorserint, plene satisfecerint de pecunia sic extorta.* Unde ante expletam cum effectu hanc conditionem nemo potest ab illa absolvere inferior Summo Pon-

tifice, præterquam in mortis articulo, ut ibidem dicitur. Ex quo intelligimus, non satis esse propositum satisfaciendi, nec excusationem ob aliquam impotentiam, etiam cum aliqua cautione; nam hæc omnia necessaria sunt in mortis articulo; ergo cum ille solus excipiatur, extra illum realis satisfactio necessaria est, alias manet excommunicatio Papæ reservata. Hoc autem solum videtur intelligendum, quando hæc excommunicatio incurritur propter primam actionem, quia verba, quæ in limitatione ponuntur, aperte referuntur ad illam tantum, nam loquuntur de pecunia extorta reddenda.

Excommunicatio contra potestates, etc., usuras foventes, exponitur.

28. *Clem. unic. de Usuris. — Prior pars textus exponitur.— Duo notanda.— Primum.* — Nona excommunicatio sumitur ex Clement. unica de Usuris, ubi excommunicantur *potestates, Capitanei, Rectores, Consules, Judices, Consiliarii, et alii quivis officiales quarumcumque communitatum, qui præsumpserint facere, scribere, vel dictare statuta præcipientia, ut solvantur usuræ, vel impedientia ut non repetantur, vel etiam qui præsumpserint scienter judicare, quod solutæ, cum repetuntur, non restituantur plene, ac libere.* Hæc est prior pars illius textus, in qua personis nominatis circa statuta illa usuras foventia quatuor actiones respective prohibentur, scilicet, *facere, scribere, dictare, et secundum illa judicare,* quarum singulæ sufficiunt ad hanc excommunicationem incurrendam, si ex præsumptione fiant, juxta expositionem sæpe datam verbi *præsumpserint.* Solum notentur duo. Primum, in his actionibus quasdam esse personales seu unius personæ, ut scribere, et dictare, in quibus non est difficultas. Alias vero esse, quæ a tota communitate fieri possunt, ut condere, seu facere statuta, et interdum etiam judicare; et in his tunc singulæ personæ incurrent hanc censuram, quando suis suffragiis, vel alio modo peccando mortaliter concurrunt ad talia statuta, quia sine peccato non potest incurri hæc censura. Secundum est, tres primas actiones directe referri ad statuta condenda; quartam vero ad sententiam ferendam in judicio. Unde, licet fortasse non sit tale statutum, sed abusus, vel violentia, qui sic judicare præsumpserit, incurret censuram, quia judicium non refertur ad statutum, sed per se prohibetur; qui autem scripserit, vel fecerit talem sententiam, si ipsemet non judicaverit, non incurret, quia illæ actiones prohibentur circa statutum, non circa sententiam.

29. *Secunda textus pars explicatur. — Prima actio hujus partis. — Secunda actio.* — Atque hæc pars illius textus respicit tempus futurum quoad statuta condenda. De conditis vero in tempore præterito præcipitur in secunda parte, ut de libris communitatum deleantur; excommunicanturque qui hoc non fecerint intra tres menses, si ad hoc potestatem habuerint, *aut si ipsa statuta, aut consuetudines effectum eorum habentes, quoquo modo præsumpserint observare.* Ubi duo prohibentur et puniuntur. Primum est omissio quædam; et quoad hanc non additur verbum, *præsumpserit;* unde sufficiet, ut quacumque ratione voluntaria sit, dummodo sit mortaliter peccaminosa, ad quod requiritur et potestas, et obligatio, quæ et per hanc imponitur, et per se inest, juxta materiam subjectam, quia est sermo de officialibus communitatis, qui ratione officii, sicut habent potestatem, ita etiam obligationem. Secundum est commissio quædam, scilicet observare ex præsumptione talia statuta, vel consuetudines eumdem effectum habentes. Circa quam partem primum considerandum est in ea de eisdem personis esse sermonem, de quibus in prima; nam est sermo continuatus circa eosdem, ut patet ex illis verbis : *Eamdem etiam sententiam incursuri.* Unde fit, ut, licet alii de plebe servent talia statuta, vel consuetudines, et in eo alias peccent, non incurrant hanc censuram, quia solum lata est contra officiales prædictos.

30. *Actiones quæ etiam respiciunt statuta futura sunt prohibitæ.— Objectio.— Solutio.* — Secundo est advertendum, quod, licet hæc pars respiciat statuta illo tempore jam condita, non excludit futura, si fortasse inique fiant, vel consuetudines similes, si in posterum introducantur; semper enim talia observare erit contra hanc legem, et sufficiens causa hujus censuræ. Et similiter, licet aliquis ex dictis officialibus non concurrisset ad tale statutum condendum, si postea, et posset illud statutum delere ex libris communibus, et ex officio deberet, atque id omitteret, in hanc censuram incurreret. Neque obstat verbum illud : *Nisi statuta hujusmodi hactenus edita,* quia illa verba sunt potius extensiva, quam exclusiva, ut ita dicam. Potest etiam hæc extensio in

priori parte textus fundari; nam, sicut qui prohibet accipere alienum, prohibet et retinere, ita qui prohibet facere talia statuta in posterum, prohibet ea retinere si fiant, ideoque illa lex quasi continue obligat ad talia statuta delenda, sicut de præcepto restituendi dici solet. Dices : ergo respectu talium statutorum non oportebit tres menses in hac lege præscriptos concedere, ut illa deleantur, quia illa lex obligat, ut quam primum possit, id fiat. Respondeo, eum, qui non concurrit ad tale statutum condendum, sed succedit, v. gr., in officio, et invenit factum, non incurrere, si statim non deleat, sed posse illi concedi illorum trium mensium tempus a principio sui officii computandum, vel ex similitudine rationis, vel ex probabili interpretatione illius legis.

31. *Quale statutum aut sententia sint prohibita sub hac censura.* — Ultimo advertendum est, hic non esse sermonem de omni lege, vel sententia, quæ usurariis favere videatur; sed solum illa, quæ favet modo hic præscripto, scilicet concedendo exigi, vel solvi usuras, vel compellendo debitores, ut eas solvant, vel imponendo onera repetentibus, aut alio modo hoc impediendo. Unde, si circa usurarios concederetur lex etiam iniqua, quæ illis favere videretur alio modo, ut permittendo tale officium, vel quid simile, non haberet locum hæc censura, quia non debet extendi ultra terminos suos, et ita dixit ibi Glossa, verb. *facere,* quod si statutum tantum negative diceret: *Non possit pro mutuo accipi ultra tantam quantitatem,* non esset damnandum, ut contrarium huic canoni; quia licet tantum id vetet, non propterea concedit, aut statuit, ut in minori quantitate possit usura exigi, sed solum permittit, ut id impune fiat, quod hic vetitum non est. Si autem lex fieret, ut infra illam quantitatem non audirentur in judicio repetentes usuras, esset contraria huic canoni, quia impediret repetitionem usurarum, quod hic prohibitum est, quacumque fraude, vel quocumque colore fiat.

32. *Clem.* 1 *de Sent. excom.* — Decima sumitur ex Clement. 1 de Sent. exc., ubi excommunicantur religiosi, qui non servant generale interdictum, vel cessationem a divinis. Sed hæc tractanda est in materia de interdicto, quia ibi facilius intelligitur.

Contra religiosos transgredientes dispositionem cap. unic. de Excessibus Prælatorum, in 6.

33. *Clem. Cupientes, de Pœnis.* — *Prima actio prohibita in hac Clem.* — *De quibus religiosis loquatur textus.* — Undecima sumitur ex Clementin. *Cupientes,* de Pœnis, et est multiplex, ferturque in aliquos religiosos propter multas actiones. Prima est de novo recipere domos, vel loca quæcumque ad habitandum, vel recepta hucusque mutare, vel ea transferre in alios, cujusvis alienationis titulo, absque speciali Sedis Apostolicæ licentia. Fuit autem hæc prohibitio facta in cap. unic. de Excessibus Prælatorum, in 6, et excommunicatio hæc lata est contra transgressores illius cap., et ideo hujus censuræ expositio ex illius cap. intelligentia pendet. Est ergo advertendum, ibi non esse sermonem de omnibus religiosis, sed de Mendicantibus, non quidem eo modo quo in c. 1 de Religiosis domibus, in 6, nam ibi excipiuntur quatuor religiones Mendicantes principales, Prædicatorum, Minorum, Heremitarum S. Augustini, et Carmelitarum; hic vero hæ omnes comprehenduntur partim expresse et specifice, partim sub generali clausula, et ideo excommunicatio hic lata diversa est ab illa, quam exposuimus.

34. *Clement. hæc per specialia privilegia mendicantium jam est revocata.* — Secundo est advertendum, licet ex vi hujus juris communis Mendicantes non possent nova loca, seu domus suscipere sine licentia speciali Summi Pontificis, tamen per privilegia post hoc jus concessa posse id facere. Refert autem Navarrus, n. 144, Julium II, hoc privilegium concessisse Minimis, prout habetur in Supplem., fol. 8, concess. 27, eoque frui Minores, ut habetur in suo Compendio, tit. *Ædificare,* fol. 39 et 40, et consequenter reliqui habentes cum illis communicationem. Et aliæ religiones habent etiam in hoc specialia privilegia, de quibus alias. Eo vel maxime, quod juxta communem interpretationem, circa monasteria post hanc Clementinam constructa per privilegia vel specialem facultatem Summi Pontificis, non habent locum aliæ duæ actiones hic prohibitæ circa has domos, scilicet ut nec transferri, nec alienari possint, quia illud solum fuit statutum de omnibus constructis usque ad tempus Clementis V, vel forte Bonifacii VIII, qui fuit auctor illius cap. unic. de Excessib. Prælat., et decem annis

antecessit Clementem. Et patet ex verbo illo : *Seu hactenus recepta mutare, vel ea,* etc.; cum enim ipse prohiberet, ne in posterum reciperentur, de mutatione circa postea recepta, nihil disposuit; quod adnotavit Glossa in dict. cap. unic., quam Navarrus sequitur referens.

35. *Non prohibetur hac lege domos ampliare aut reficere.* — Tertio observandum est, ex vi illius juris communis non esse prohibitum Mendicantibus antiquas domos vel Ecclesias, quas tunc habebant, reficere, reædificare vel augere, quia illud non est novas domos vel loca acquirere, quod ibi tantum prohibitum est; et prohibitio stricte accipienda est. Ita Angelus et Sylvest., casu 44. Item non prohibentur acquirere in alio oppido domum recreationis, vel hospitii annexam antiquo monasterio, quod notavit Gloss., et Cajetan., c. 56. Et fundatur satis in illo verb., *Ad habitandum,* etc. Denique quantum ad prohibitionem transferendi vel alienandi illa antiqua loca, hoc jus fere derogatum est per privilegium Leonis X, quod refert Navarr. ex Supplemento, concess. 277, fol. 92. Concessit enim Provincialibus Minorum, ut ex causa necessaria possent transferre Ecclesias et monasteria ab uno loco in alium, et convertere priora loca in alios usus, prout utilius visum fuerit, observantes tamen, ut juxta antiquos canones, materia Ecclesiæ translatæ ad alteram ædificandam applicetur.

36. *Secunda actio in eodem textu prohibita.* — Altera actio prohibita sub eadem censura est, ne religiosi aliqua proferre præsumant in sermonibus suis vel alibi, quibus audientes retrahant a solutione decimarum Ecclesiis debitarum. In qua in primis est advertendum, generaliorem esse quam præcedentem, quia non arctatur ad Mendicantes, sed ad religiosos quoscumque extenditur, ut bene notat Glossa, et patet. Tum quia mutato sermone, de religiosis absolute loquitur textus; tum etiam quia paulo post, simile prosequens præceptum, dicit : *Religiosis omnibus injungimus,* etc. Quam partem infra in materia de suspensione declarabimus, propter suspensionem, quæ in illa fertur. Comprehendit ergo hæc excommunicatio omnes religiosos et ad eos limitatur. Unde prædicatores vel clerici sæculares illam non incurrunt, et multo minus laici.

37. *Corollarium primum. — Corollarium secundum. — Dubium. — Deciditur. — Quæstio. — Responsio. — Corollarium tertium. — Corollarium quartum.* — Secundo est ponderanda in hoc textu illa particula : *Ut audientes a solutione decimarum Ecclesiis debitarum retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumunt.* Nam colligitur primo, non satis esse proferre verba, quibus alii retrahantur, etc., nisi ea intentione proferantur; illam enim vim habet particula, *ut;* requiritur ergo inductio formalis, et non sufficit (ut sic dicam) materialis et veluti casualis; præter hoc requiritur præsumptio, ut sæpe explicatum est. Secundo colligitur, requiri, ut materia hujus delicti sint decimæ debitæ Ecclesiis; nam, si quis ex ignorantia vel ex pietate vellet solvere quas non debet, illum retrahere non sufficeret ad hanc censuram incurrendam, ut patet ex illo verbo, *debitas.* Quia vero ibi additur, *Ecclesiis,* dubitari potest, de his, quæ debentur personis aliis. Nam Doctores significant non sufficere, Cajetan., c. 65, et Navarr., n. 145, et sentit Sylvester, n. 88. Sed nulla ratione possum eis assentiri, quia decimæ, proprie sumptæ, omnes debentur Ecclesiæ per se primo; quod vero per Ecclesiæ Pastores jam sint applicatæ particularibus personis, non excludit, quin debeantur Ecclesiæ. Item quæri potest, an requiratur debitum justitiæ, vel sufficiat ex religione seu ex voto. Respondeo, esse sermonem de debito justitiæ; unde votum non sufficiet, nisi jam propter consuetudinem vel aliam similem causam proprium jus justitiæ Ecclesiæ contulerit. Tertio, colligit Navarrus necessarium esse, ut hæc inductio sit immediate ad ipsos debitores audientes, quia hoc dicunt ipsa verba. Ultimo colligo excommunicationem hanc incurri, etiamsi non sequatur effectus, id est, quamvis alii non persuadeantur seu retrahantur, quia excommunicatio fertur pro ipsa suasione tantum.

38. *Tertia actio prohibita.* — Tertia causa alterius excommunicationis ibidem latæ est violatio cujusdam suspensionis, quam declarabimus infra in materia de suspensione, sect. ultim.

SECTIO VI.

Quæ excommunicationes non reservatæ habeantur in libris Extravagant. juris communis.

1. *Pontifex statim ac eligitur est vere Episcopus. — Extr. ult. de Sententia excommunicationis.* — Prima sumitur ex Extravag. ult. de Sentent. excommun., ubi supponitur, graviter eos errare, *qui dixerint Papam rite*

electum, priusquam coronetur, non debere se intromittere in provisionibus, reservationibus, dispensationibus, et aliis gratiis faciendis, nec se in litteris Episcopum simpliciter, sed electum Episcopum scribere, nec etiam uti bulla, in qua nomen exprimatur ipsius. Ratio hujus suppositionis est differentia inter Summum Pontificem et alios Episcopos; alii enim non per electionem vel præsentationem, sed per concessionem, quod alias dicitur, per *fiat* Papæ, fiunt Episcopi. Summus vero Pontifex fit ab ipsomet Christo, et ab ipso habet immediate supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam, statim ac ab hominibus electus est; et ideo non est tantum Episcopus electus, sed simpliciter jam factus Episcopus, ut traditur in c. In nomine Domini, 23 dist., et ex tunc potest omnes actus jurisdictionis valide et recte exercere. Coronatio autem solum ad solemnitatem quamdam et quasi publicationem susceptæ dignitatis conferri videtur.

2. *Excommunicatio contra impugnantes litteras a Papa non coronato concessas. — Primum notandum. — Qua occasione debeant impugnari hæ litteræ ad hanc censuram incurrendam.* — Hoc ergo supposito, excommunicantur in illa Extravagante, omnes, *qui occasione contrarii erroris ausi fuerint impugnare aliquas litteras Apostolicas super negotiis quibuscumque confectas, quæ ante coronationem Pontificis emanarunt.* Ubi primum est notandum statui jus perpetuum; nam licet Clemens V videatur solum loqui de se et suis litteris in illis verbis, *aliquas litteras nostras, quæ a nobis ante donationem nostræ insigniæ emanarunt,* et licet videatur loqui de præterito, et consequenter non extendi ad litteras, quæ in futurum emanabunt ab aliis Pontificibus electis, et nondum coronatis, nihilominus omnes auctores intelligunt non loqui tantum de persona, sed de Sede sua, et illud præteritum non esse positum respectu temporis, in quo facta fuit illa lex, sed respective ad illud tempus, in quo talis impugnatio fit eo prætextu; nam semper fit ob litteras, quæ jam emanarunt ante coronationem. Ratio enim hujus constitutionis eadem semper durat, et ideo etiam ipsa constitutio perpetua est. Deinde, expendenda est illa particula, *occasione hujusmodi,* nam qui impugnaverit illas litteras occasione aliunde sumpta, non incurret hanc censuram, quia per ipsam legem limitatur ad hunc modum delinquendi. Qui ergo restiterit litteris causans electionem non fuisse rite factam, vel quid simile, etiamsi contingat in hoc gravius peccare, non incurret hanc censuram, quia non sufficit gravius delictum ad censuram incurrendam, si non sit illudmet, pro quo imponitur. Et in hoc fundari potest, quod Navarrus ait, num. 147, non incurrere hanc censuram, qui litteris resistit, eo quod Papa, a quo manant, ob justum timorem fuit electus, quod colligit ex dicto cap. In nomine Domini. Ut hoc enim verum sit, non est necesse quod in re verum sit talem electionem, ex metu factam, irritam esse, quia neque hoc dicitur in dict. cap., neque est ita generaliter certum, quin oporteat distinguere de gradu et modo timoris, etc., quod nunc nobis necessarium non est. Satis ergo fuerit, quod illa impugnatio non fit occasione in illo textu præscripta, sed alia longe diversa, quæ opponi posset etiam contra litteras post coronationem emanantes.

3. *Excommunicatio Extravagant. unicæ de Rebus Ecclesiæ, non est usu recepta.* — Secunda sumitur ex Extravag. unica de Rebus Ecclesiæ non alienandis, ubi Paulus II excommunicat omnes Ecclesiastica bona alienantes contra illam prohibitionem. Navarrus autem, n. 149, cum Sylvest., verb. *Alienatio,* quæst. 3, et Cajetano, n. 55, et aliis censet, vel nullibi, vel paucis in locis esse usu receptam, et maxime quantum ad pœnas, ideoque non oportet in ejus declaratione immorari quantum ad hanc excommunicationem spectat; sed solum consulendam esse consuetudinem, et servandam in hac parte; potuit enim contra hanc legem prævalere.

4. *Excommunicatio Extravagant. unicæ de Consuetudine, reservata in Bulla Cœnæ.* — Tertia sumitur ex Extravag. unica de Consuetudine, ferturque contra impedientes legatos Summi Pontificis ab executione sui muneris, vel non recipientes illos. Hæc tamen in Bulla Cœnæ Domini continetur.

5. *Nunc non extat subjectum Extravag. Sancta Romana, Joannis XXII.*—Quarta habetur in Extrav. *Sancta Romana,* Joannis XXII, ferturque in eos, qui profitentur (aut de novo sumendo illam vel perseverando in ea) fictam religionem Fratricellorum, seu Bizochorum, seu Beguinorum, et extenditur etiam ad Episcopos et Prælatos, qui hos admittunt sine speciali facultate et approbatione Summi Pontificis. Sed hæc nihil jam utilitatis habet, quia isti falsi religiosi nullibi extant, et ultra illos non extenditur, seu extra ritum, et modum vitæ illorum. Unde, qui alium habitum assu-

merent, aut aliud genus vitæ instituerent sine approbatione, licet alias peccarent et temere agerent, non incurrerent hanc censuram, ut recte notavit Cajetanus, cap. 5. An vero incurrant aliam, tractavimus supra, sect. 4, circa c. 1 de Relig. domib., in 6.

SECTIO VII.

Quænam excommunicationes non reservatæ extra corpus juris habeantur.

1. *Prima excommunicatio contra imprimentes libros sine licentia.* — Agimus, ut supra dixi, de generalibus excommunicationibus pertinentibus ad universalem Ecclesiam, atque adeo a Summo Pontifice vel Concilio generali latis; nam aliæ particulares, seu Episcopales, variæ sunt, et sub scientiam non cadunt. Prima ergo ex his excommunicationibus afferri potest ex Concilio Lateranensi, sub Leone X, sess. 10, in decreto 3 ejusdem Leonis, ubi excommunicantur omnes, *qui librum vel scripturam imprimunt, vel imprimere faciunt absque approbatione* ibi præscripta. Verumtamen censuræ hujus Concilii, ut Cajetan. et Navarr. adnotant, non sunt usu receptæ. Id autem, quod eo loco statuitur, innovatum fere est in Concilio Trid., sess. 4, quamvis ibi non de omnibus libris, sed cum hac limitatione, *de rebus sacris,* et non exigit Inquisitoris approbationem, sed Ordinarii tantum; et præterea mandat, ut sine nomine auctoris non imprimantur; quod si auctores regulares fuerint, ultra examinationem et approbationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus obtinere præcipiuntur, recognitis per eos libris juxta formam suarum ordinationum. Et infra addit, hanc approbationem in scriptis dandam esse, et in fronte libri authentice ponendam. Sed ex his omnibus solum nomen auctoris, examinationem et approbationem Ordinarii videtur sub dicta censura exigere. In aliquibus autem regnis, ut Castellæ, et, ut fertur, etiam Galliæ, usus obtinuit, ut libri per Conc. Regium examinentur et probentur; quod fortasse Pontificibus annuentibus factum est, vel certe ipsi Ordinarii videntes et tacentes talem approbationem ut sufficientem admittere videntur. Præter hæc vero consulendus est Index Romanus, præsertim editus a S. D. N. Clemente, ut in hujusmodi librorum impressione ea serventur, quæ ibi statuuntur et ordinantur.

2. *Quatuor actiones prohibentur sub hac censura in hac materia.* — Est autem circa hanc excommunicationem et Tridentini advertendum, quatuor genera actionum seu personarum comprehendere, scilicet, *impressores,* qui hujusmodi libros imprimunt sine his requisitis, *auctores,* vel quoslibet alios, qui imprimere hos faciunt; et hi duo tantum habentur in Lateran.; Trid. vero addit, *vendentes, et hos libros apud se retinentes;* unde hæc duo ultima solum locum habent circa libros de rebus sacris. Ad legentes vero hujusmodi libros aliter impressos non extenditur hæc excommunicatio; ut si quis hujusmodi librum legat, non eum apud se retinendo, sed apud alium inventum, non incurrit hanc censuram; incurret tamen aliam latam a Summo Pontifice, vel inquisitoribus in Indice librorum, vel in Bulla Cœnæ, si talis liber doctrinam damnatam, vel suspectam contineat, vel sit auctoris damnati ob hæresim, vel suspicionem ejus.

3. *Excommunicationis extensio.* — *Non recipiens libros canonicos incurrit excommunicationem reservatam hæresi.* — Additur denique in Concil. Trident. hac excommunicatione ligari eos, qui manu scriptos libros communicant vel evulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint; nam de his dicitur: *Eisdem pœnis subjaceant quibus impressores;* sicut ergo impressores incurrunt excommunicationem ipso facto, ita et hi auctores; quod etiam restringendum est ad libros de rebus sacris, nam de his tantum ibi est sermo. Et nomen libri proprie et stricte accipiendum est pro opere consummato et integro, quale est illud quod imprimi solet; nam prout usus obtinuit et declaravit, scripta Theologica, et quæstiones vel conciones scriptæ facile communicari solent sine hac examinatione et approbatione, cum negari non possit illa esse scripta de rebus sacris; tamen, quia non divulgantur per modum librorum, sed tanquam dictata quædam inferioris rationis, et quæ vix in humana communicatione litteratorum hominum vitari possunt, et quia per se non scribuntur, ut divulgentur per modum librorum, sed ad proprium usum et utilitatem, et communicatio illa est privata et per accidens, ideo non censentur hujusmodi scripta sub hac clausula comprehendi. Aliud autem anathema, quod idem Trid. Concil. fert eadem sess. 4, decret. 1, ad hunc ordinem excommunicationum non spectat. Semel enim advertere oportet in illo Concil. atque etiam in antiquioribus sæpe proferri anathema in definitio-

nibus fidei; tamen illa censura non est alia ab illa, quæ propter hæresim incurritur; et ideo per illam significatur, doctrinam sic statutam ad fidem Catholicam pertinere. Hujusmodi ergo est, quod in illo primo decreto dicitur de libris canonicis et sacris ab Ecclesia receptis suscipiendis, et Apostolicis traditionibus non contemnendis scienter et prudenter sub anathemate; nam per hoc damnat tanquam hæreticum eum, qui vel libros canonicos non suscipit, vel traditiones sciens et prudens contemnit, scilicet ex interiori mente, et judicio seu assensu huic definitioni contrario.

4. *Secunda contra negantes confessionem præmittendam esse Eucharistiæ.* — Secunda sumitur ex Concil. Trid., sess. 13, can. 11, ubi excommunicat ipso facto eum, qui præsumpserit docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, aut disputando defendere, necessarium non esse habenti conscientiam peccati mortalis confessionem sacramentalem præmittere ante communionem, si sit copia confessoris, quam censuram et canonem tractavi in tom. 3 tertiæ part., disp. 66, sect. 3.

5. *Tertia contra raptores fœminarum.* — Tertia sumitur ex eodem Concilio, sess. 24, c. 6 de Reformatione matrimonii, ubi raptor alicujus fœminæ, et omnes illi auxilium, consilium aut favorem præbentes ipso jure excommunicantur. Ubi aliæ etiam pœnæ feruntur, et alia de raptoribus statuuntur, quæ ad præsentem materiam non spectant. Quod vero ibi de clericis dicitur, infra in materia de suspensione explicabitur.

6. *Quarta contra impedientes aliquos ne matrimonium contrahant.* — Quarta fertur in eodem Concilio, sess. 24, c. 9 de Reformat. matrim., contra eos, *qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogunt, quominus libere matrimonium contrahant.* Estque quoad personas universalis, quia, licet in principio sit sermo de temporalibus dominis et magistratibus, tamen, cum fertur præceptum et censura, verba generalissima sunt : *Præcipit sanctus Synodus omnibus, cujuscumqué gradus, dignitatis aut conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant,* etc. Ponderandum autem est verbum, *Cogant,* nam coactio proprie non est, nisi ubi intervenit violentia aut injuria aliqua. Unde principes vel magnates, qui promittunt officium aliquod vel favorem, ut aliquem ad tale matrimonium inducant, et aliter negant se id facturos, si hoc negando non faciunt injuriam, quia solum negant gratiam, non incurrunt hanc censuram, quia non cogunt, sed inducunt, quod longe diversum est; ut si Petrus leget, aut promittat Joanni mille, si Mariam duxerit, et non alias, non cogit, sed inducit. Et ita in præsenti decreto censuit Congreg. Rom., in quodam responso, anno 1573, die 18 Junii. At, si hujusmodi magnates negent officia, quæ ex justitia dare tenentur, vel nimium differant solvere stipendia justa, aut similia debita, donec alius ad contrahendum cum hac vel illa fœmina inducatur, incurrent hanc censuram, quia revera est saltem indirecta coactio.

7. *Quinta excommunicatio.* — Quinta sumitur ex eodem Concilio, sess. 25, c. 5 de Regular., ubi duas excommunicationes profert circa clausuram monialium observandam. Una est contra sæculares magistratus, si requisiti a Prælatis Ecclesiasticis, auxilium suum non dederint ad prædictam clausuram monialium instaurandam aut conservandam. Alia est contra omnes personas, quæ intra septa monasterii ingressæ fuerint absque legitima facultate Episcopi, vel superioris in scriptis obtenta. Sed de hac re supra sufficienter dictum est circa finem earum excommunicationum, quæ Pontifici reservantur.

Sexta excommunicatio contra eos, qui fœminas ad ingrediendum monasterium cogunt.

8. *Concilium Tridentinum. — Censura hæc non comprehendit eos qui viros cogunt.* — Sexta sumitur ex eodem Concilio eadem sess., cap. 18, et causa ejus est, nimirum cogere aliquam fœminam ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, præterquam in casibus jure expressis. Quæ censura est generalissima quoad personas, contra quas fertur, ut ex textu satis constat. Ex parte etiam fœminarum, quarum coactio prohibetur et punitur, est universalis sine limitatione. Tamen, quia ea, quæ specialiter disponuntur circa fœminas in favorem earum, non extenduntur ad viros, ideo si coactio fiat alicui viro, ut religionem ingrediatur, non incurretur hæc censura. In quo videtur constituenda differentia inter hanc et quartam censuram; nam illa ad viros et fœminas extenditur, cuicumque illorum coactio fiat; imo, licet secundum tenorem verborum videretur ferri contra eos, qui

viros inducunt ad contrahendum, extendi posset ad fœminas, vel ob majorem rationem, vel quia nomina masculina facile ad utrumque genus extendi solent; quod secus est quando in particulari est sermo de fœminis, ut est in præsenti.

9. *Triplex actio hac lege prohibetur. — Extenditur censura ad dantes consilium, auxilium, etc.* — Circa causam autem hujus censuræ tria membra distincte numerantur, scilicet coactio ad ingrediendum monasterium, ad suscipiendum habitum, et ad professionem emittendam. Posset autem exponi, ut primum sit commune quid, quod explicetur per duo sequentia, id est, ad ingressum monasterii, sive per habitus susceptionem, sive per professionem; non enim videtur dari alius modus ingrediendi religionem præter hos duos. Sed obstat, quod Concilium bis hæc tria numerat tanquam omnino distincta. Et ideo in illo primo membro non dicit ingredi religionem, sed monasterium, quia nimirum per illud prohibet, ne cogantur fœminæ ad habitandum ibi, etiam proprio habitu retento. Et in hoc membrum sic intellectum videtur maxime cadere illa restrictio, *Nisi in casibus a jure expressis.* Nam in pœnam, vel cautionem interdum possunt ad hoc fœminæ cogi secundum jura; ad habitum vero, aut professionem raro, aut nunquam. Tandem extenditur ibidem hæc censura ad dantes auxilium, consilium, vel favorem, et ad eos, qui scientes fœminam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Quæ ultima extensio est valde singularis, et rara, et ideo est notanda, et singula ejus verba expendenda, juxta ea, quæ supra in similibus dicta sunt.

10. *Extenditur censura ad impedientes ne fœminæ in religione profiteantur.* — Ulterius vero in eodem cap. extenditur similis excommunicatio ad omnes eos, qui quamcumque fœminam volentem velum accipere, aut votum emittere, absque justa causa quoquo modo impediunt. Ubi velum accipere, aut votum emittere idem videtur esse, quod religionem profiteri; tamen, quia nemo potest profiteri nisi prius habitu suscepto, qui hanc susceptionem impediret, a fortiori impediret professionem, et consequenter hanc censuram incurreret. Posset etiam quis opinari, illa duo aliquid amplius quam professionem includere. Nam professio specialiter videtur significari per veli susceptionem, quia professione solet velum fœminis imponi; votum autem emittere in rigore generalius est. Et ideo videtur hæc censura extendi ad omnes, qui impediunt fœminas sine justa causa, ne votum simplex castitatis, aut religionis emittant. Nihilominus non existimo Concilium fuisse locutum de privatis votis; alias non tam confuse de emissione voti fuisset locutum; sed illam secundam partem opinor addidisse ut comprehenderet omnem modum seu statum religionum, seu personarum monialium, nam aliquæ sine susceptione veli statum illum assumunt.

Septima excommunicatio contra foventes monomachiam.

11. *Extensio dictæ censuræ.* — Septima habetur in eodem Concilio, eadem sess. 25, cap. 19 de Reform. Ubi excommunicat omnes temporales dominos, qui locum ad monomachiam in suis terris concesserint; quam etiam extendit ad ipsos, qui in duello pugnant, et eos, qui consilium dederint, aut suaserint, et ad spectatores. Verum est, solum in prima clausula, quæ est contra concedentes locum ad hanc pugnam, poni verbum, *eo ipso,* quod significat censuram ipso facto. De pugnantibus vero et patrinis solum dicitur : *Excommunicationis, ac bonorum omnium proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant.* De aliis vero dantibus consilium, aut spectantibus dicitur : *Excommunicationis, et perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.* Quæ verba magis ambigua sunt, quia nec additur, *eo ipso,* et, verba, *incurrant,* et, *teneantur,* cum non sint indicativi, sed imperativi modi, non videntur significare sententiam latam, sed ferendam per judicem. Nihilominus tamen certum est contra hos omnes ferri excommunicationem ipso facto. Quod ita videtur exposuisse Gregorius XIII in motu proprio de hac re, et incipit *Ad tollendam,* estque 82 inter decreta ejus in collectione Romana, ubi referens hoc decretum, æque ait Concilium Tridentinum excommunicationem tulisse in omnes has personas. Unde verba illa, *incurrant* et *teneantur,* licet imperativa sint, non tamen diriguntur ad judicem, neque ejus actionem requirunt; sed ad ipsum reum, quem per imperium efficax ligant. Dictus autem Gregorius extendit hanc censuram ad privatum duellum; quod enim illa

sit extensio, et non tantum declaratio, satis indicat verbum *statuimus*, ut ponderavit Navarrus. Statuit ergo Pontifex, ut omnes, qui ex condicto, statuto tempore, et in loco convento, monomachiam commiserint, etiam si absque aliis usitatis cæremoniis, et solemnitatibus id faciant, eadem censura, eisdemque pœnis teneantur; et similiter dominos locorum hujusmodi permittentes, aut quantum in se fuerit non prohibentes, et omnes mandantes, instigantes, auxilium et consilium et favorem dantes, equos, arma, pecuniam, comitatum, et alia subsidia scienter subministrantes, aut ex proposito spectatores, vel socios quovis modo sese præbentes excommunicat.

12. *Octava contra interpretantes decreta Concilii Tridentini.* — Octava reperitur in Bulla Pii IV, in confirmationem Concilii Trident. edita. Ubi omnibus personis generatim prohibet commentarios, aut interpretationes suas in decreta Concilii edere sine auctoritate Pontificis, excommunicatque ipso facto omnes personas Prælatis inferiores illud præceptum violantes. Quod intelligendum est de propriis commentariis, Glossis, aut scholiis super ipsum Concilii decretum; non est tamen prohibitum illud interpretari, ut constat ex usu, et ex necessitate; vix enim posset alia ratione tradi Theologica doctrina; ac denique ex verbis ipsiusmet Pontificis, quæ in rigore non aliud exigunt.

13. Præter has excommunicationes inveniuntur aliæ latæ in Extravagantibus, seu propriis motibus aliquorum Romanorum Pontificum, quas specialiter referre, et exponere non censeo necessarium, quia mihi non constat eas esse receptas; ut est illa, quam tulit Pius V circa taurorum agitationem in sua Extrav. 47, quæ incipit *De salute plebis*, quam posteriores Pontifices partim abstulerunt, partim mutarunt. Et plures aliæ habentur inter motus proprios illius Pontificis, ut patet in 47 et 75, et in aliis, quos Navarrus indicat. Sixtus etiam V plures excommunicationes tulit, quamvis plures earum reservatæ sint, quas supra ex parte tetigimus; aliquæ vero revocatæ sunt, vel nunquam etiam in usum redactæ. Quapropter in particulari oportebit statum rei, et consuetudinem consulere, nam, cum hæc ad factum pertineant, non possumus de eis doctrinam tradere. Quando vero constiterit constitutionem vim suam et efficaciam retinere, diligenter perpensis verbis ejus, facile erit ex principiis positis, et ex dictis circa alias similes constitutiones, modum uniuscujusque censuræ, et proprietates, seu effectus ejus intelligere.

DISPUTATIO XXIV.

DE EXCOMMUNICATIONE MINORI.

Expeditis his, quæ de excommunicatione majori dicenda occurrerunt, breviter tractari possunt ea, quæ propria sunt excommunicationis minoris, cujus definitionem jam supra tradidimus, explicando differentiam inter eam, et excommunicationem majorem. Nunc ergo effectus hujus censuræ, divisiones ejus, ac causas, et reliqua omnia, quæ de censuris in communi diximus, percurremus.

SECTIO I.

An una sit tantum excommunicatio minor, et quæ sit ejus ratio.

1. *Opinio communis.* — *Opinio distinguens plures excommunicationes minores.* — Doctores communiter unam tantum speciem excommunicationis minoris assignare videntur, et rationem ejus in hoc constituunt, quod sit *censura privans sacramentorum participatione;* sic enim definitur in cap. penult. de Sent. excommun., et significatur in cap. ult. de Clerico non ordinato ministr. Docent Theologi in 4, dist. 18; Summistæ, præsertim Cajetan., in verb. *Excommunicatio minor;* Navarr., cap. 27, num. 1 et 24, et alii communiter. Huic vero doctrinæ opponi videtur lex nostri regni, part. 1, tit. 8, l. 5. Quæ duas distinguit species minoris excommunicationis. Una est, quam diffinivimus; alia est, quæ privat communicatione hominum, non tamen participatione sacramentorum; ubi Gregorius Lopez plura decreta pro hoc secundo membro citat. Tamen solum cap. 25, quæst. 2, aliquid facere videtur; de reliquis vero dicemus statim. Dico ergo, et hoc posterius membrum non esse in usu, et legem illam late loqui de excommunicatione prout dicit quamcumque pœnam, quæ separat hominem vel ab ingressu Ecclesiæ, vel a divinis officiis, vel a quolibet munere inter homines, ut patet exemplis, quæ in ipsa lege ponuntur, cum tamen priora sint potius interdicta quædam, ut infra videbimus, alia vero non pertineant ad proprias censuras.

2. Aliter datur ab aliis hæc distinctio, ita ut una sit supradicta, quæ privat passiva

perceptione sacramentorum; alia vero, quæ privat communione quorumdam fidelium tantum, respectu eorum quos privat omni communicatione tam sacra, quam humana, ita ut neque illis dare sacramenta, neque ab eis recipere, nec in jus vocari ad testimonium vel alium similem actum debeant. At vero respectu aliorum nulla communione privatus est, et consequenter neque usu, et participatione sacramentorum, cum ea possit ab aliis recipere, vel, si sacerdos sit, possit ipse rem sacram facere. Quod genus censuræ colligi videtur ex cap. Placuit, dist. 18, ubi de Episcopis, qui negligunt ad Concilium provinciale venire, et rationem impedimenti apud Primatem non reddunt, dicitur : *Ecclesiæ suæ communione debent esse contenti.* Excommunicantur ergo non integre, sed ex parte, et non privantur simpliciter communicatione sacramentorum, qui in sua Ecclesia potuerunt illa recipere, et cum suis subditis communicare; solum ergo privantur communione comprovincialium Episcoporum; ergo illa non est excommunicatio major; ergo est minor. Et similis habetur in cap. ult., dist. 58, indicatur in cap. 1, dist. 34, ibi : *Si vobis admonentibus obedire distulerit, a vestro collegio excommunicatus abscedat; quod si in hoc contumax adhuc apparuerit, a ministerio cessare debebit.* Et in cap. In loco, 5, quæst. 4, ibi : *A communi cœtu secedat, et trium dierum excommunicationem perferat;* cap. Episcopi, 11, quæst. 3, ibi : *Communio illis usque ad tempus synodi a reliquis Episcopis denegetur;* cap. ult., 6, quæst. 2, ibi : *Quamdiu excommunicato* (scilicet injuste) *non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Episcopis.* Hancque sententiam tenuit Richardus, in 4, dist. 8, art. 7, quæst. 4, sentit Joannes de Ligna., in tract. de censuris, § 11, et ex parte idem sentit Sylvest., verb. *Excommunicatio minor,* § 1. Citantur etiam Felin. et alii.

3. *Unicam tantum esse speciem minoris excommunicationis.* — Veruntamen licet in prædictis juribus quoddam peculiare genus pœnæ feratur, quæ distincta est ab excommunicatione majori, et a minori, prout traduntur in cap. penult. de Sent. excomm., nihilominus, loquendo de excommunicatione, quæ proprie censura sit, et præsertim secundum præsentem statum, et consuetudinem Ecclesiæ, non videtur necessarium, distinguere illam speciem excommunicationis minoris, præter eam, quæ consistit in separatione a perceptione sacramentorum. Quia ratio harum censurarum tota pendet ex institutione; et Pontifices aliam institutionem nobis non declarant, ut patet ex dict. cap. ult. de Cler. excomm. min., et cap. penult. de Sentent. excomm., neque alius modus excommunicationis minoris jam est in usu; non ergo alios distinguere, vel declarare necesse est. Fateor enim posse excogitari alium modum excommunicationis minoris, ut possibilem, et non tantum unum, sed plures. Et fortasse olim aliquis alius fuit in usu (licet hoc incertum sit, ut jam dicam); nunc vero excommunicatio minor tantum in dicta privatione morali consistit.

4. *Non esse impossibiles plures modos excommunicationis minoris. — Nunc vero non esse in usu.* — Addo præterea, illum modum excommunicationis, qua quis privatur aliquorum fidelium communicatione, et non omnium (licet admittatur), esse quamdam excommunicationem majorem, non respectu omnium, sed eorum, quorum communicatione aliquis privatur; quia respectu eorum est privatio totalis, id est totius communicationis tam in sacris quam in humanis. Sicut alias Scotus dicit, excommunicatum ab uno Episcopo, ex vi prohibitionis ejus solum privari communicatione subditorum illius Episcopi, et nihilominus respectu talium personarum illam esse quamdam excommunicationem majorem, quia privat omni communicatione, qua privare potest. Ita ergo censeri debet de illa excommunicatione, unde neque illi bene accommodatur doctrina de excommunicatione minori, neque oportet aliud de illo genere excommunicationis dicere, nisi quod omnia dicta de excommunicatione majori in ea respective locum habent. Addo, nunc non esse in usu Ecclesiæ talem excommunicationis modum, et satis incertum esse, an aliquando fuerit; nam ille, qui indignus est aliquorum communicatione fidelium, omnium etiam est indignus; et quia suffragia, quæ in uno loco vel a ministris quibusdam fiunt nomine totius Ecclesiæ, quantum ad hoc, ejusdem rationis sunt cum suffragiis, quæ in aliis locis, vel ab aliis ministris offeruntur, et ideo, qui excluditur a participatione suffragiorum communium alicubi, ubique excludendus est.

5. *Exponuntur varia jura in contrarium adducta.* — Quapropter probabile mihi est, quod notavit Glossa in dict. cap. Placuit, illam pœnam et alias, de quibus ibi fit mentio, non fuisse proprie excommunicationem;

sed solum separationem quamdam in negotiis, vel in aliis ministeriis, ut, v. gr., quod talis Episcopus non vocetur ab aliis ad consecrandum aliquem Episcopum, vel ad alia negotia tractanda. Sic etiam Gloss., in dict. 1 cap., dist. 34, explicat illa verba, *excommunicatus abscedat*, scilicet, *ut non intersit cum eis negotiis communibus*. Sic exponi potest cap. In loco, ubi Glossa advertit, illam tantum fuisse separationem a consortio fratrum, et addit Archidiaconus non fuisse separationem ab usu sacramentorum. Quod inde etiam confirmatur, quia illi præscribitur trium dierum terminus; propria autem excommunicationis censura non habet definitum tempus; non erat ergo illa propria censura, sed alius modus pœnæ. Qualis etiam erat illa, de qua dicitur in cap. Neminem, dist. 45 : *Si ita causam exigit clerici, triduo privetur honore*, etc. Unde eodem modo intelligitur cap. Episcopi, 11, quæst. 3, nam ibi etiam præfigitur tempus, dum dicitur : *Usque ad tempus synodi a reliquis Episcopis communio illis denegetur*.

6. *Privatio Eucharistiæ excommunicatio aliquando vocatur.* — Addo præterea, interdum vocari excommunicationem in antiquis juribus solam privationem Eucharistiæ, cujus usus per antonomasiam dicitur communio; quomodo accipi videtur illa vox in cap. Nemo, 11, quæst. 3, et in cap. De presbyterorum, 17, quæst. 4, et indicavit Gratianus, 11, quæst. 3, post cap. Ad mensam, § Evidenter. Clarius Victoria, in Summ. materia de excomm., num. 1, ita exponens cap. Engeltrudam, 3, quæst. 4. De quo supra in principio materiæ de excommunicatione dictum est, et disputat. de Censuris in communi de eadem re plura diximus; et exposuimus alia jura, quæ ibi annotat Victoria, et fere eodem modo exponit, et nobiscum sentit dicens, olim fuisse in Ecclesia alios modos pœnarum, separando fidelem peccatorem propter aliquas culpas, vel a perceptione solius Eucharistiæ, vel ab ingressu Ecclesiæ, et communicatione in divinis officiis, aut communi oratione, *quæ omnes* (ait Victoria) *poterant vocari excommunicationes minores; nunc autem* (inquit) *una tantum est excommunicatio minor, quæ privat usu passivo sacramentorum*. Sic etiam in regula S. Benedicti multa leguntur de excommunicationibus regularibus (ut sic dicam) quæ in pœnam monachis imponebantur, quæ censuræ non erant, sed prohibitiones, et separationes quædam, ut ex cap. 23, 24 et 25 ejusdem regulæ manifestum est.

7. Ex his ergo recte concluditur, hanc excommunicationem minorem integram et totalem, prout est in usu Ecclesiæ, tantum esse unius rationis specificæ, quia est (ut ita dicam) privatio ejusdem formæ, scilicet communicationis passivæ sacramentorum, quæ ejusdem rationis est in omnibus fidelibus. Immeritoque in contrarium citantur Victoria supra, et Soto, dist. 22, quæst. 1, art. 1, in princ.; nam Victoria, licet dicat, olim fuisse alios modos pœnarum, quæ poterant dici excommunicationes minores, nunc tamen sentit nullam esse, quæ privet participatione unius sacramenti, et non omnium; Soto vero, licet dicat nomen *excommunicationis*, derivatum esse a participatione Eucharistiæ, quæ per antonomasiam dicitur communio, addit nihilominus, eos, qui extra sanctam communionem fiebant, etiam in antiqua Ecclesia subinde a participatione reliquorum sacramentorum solitos fuisse cohiberi. Quicquid vero sit de præterito tempore, nunc certum est nullam esse propriam censuram, quæ privet receptione unius sacramenti, nisi omnibus simul privando, ut constat ex citatis juribus in cap. ult. de Cler. excomm. ministr., et in cap. penult. de Sent. excomm., et ex usu Ecclesiæ. Nam ut infra ostendemus, nulla est excommunicatio minor jure lata, quæ non privet participatione omnium sacramentorum; ab homine autem raro, aut nunquam fertur excommunicatio minor. Et quamvis interdum prohibeatur quis ab usu, v. gr., solius Eucharistiæ ex præcepto confessoris, aut superioris, vel judicis Ecclesiastici, ut sumitur ex cap. Accedens, dist. 50, tamen illa non est propria censura, sed vel pœna quædam præcedentis peccati, vel justum præceptum, quod propter reverentiam tanti sacramenti, vel ob aliam justam causam imponitur. Non oportet ergo tot species excommunicationum minorum distinguere, quot sunt species sacramentorum, quia licet possint a nobis fingi, tamen in censuris ab Ecclesia institutis non dantur, sed una, quæ privat omnium sacramentorum participatione.

SECTIO II.

Quos effectus habeat excommunicatio minor.

1. *Conclusio.* — Quæstio hæc ex dictis in superiori facillime definitur. Dicendum est

enim proprium, et adæquatum effectum hujus censuræ esse, privare hominem usu, et participatione sacramentorum; quod patet ex definitione data, et ex juribus, unde illam sumpsimus, et ex cap. A nobis, de Exceptionibus, et ex omnium sententia apud Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 8, et Ugolin., tab. 3, cap. 6, § 1, et Summistas, verb. *Excommunicatio.* Dices : hic effectus communis est excommunicationi majori; ergo non est proprius excommunicationis minoris. Respondetur ex superius dictis, hæc duo comparari per modum totius et partis, nam excommunicatio major includit quidquid minor, et aliquid aliud; unde cum dicitur hic effectus proprius excommunicationis minoris, vel non fit comparatio ad majorem, sed ad alias censuras, vel intelligendum est cum præcisione, et adæquatione; nam excludere a receptione sacramentorum est, ut ita dicam, adæquatum objectum excommunicationis minoris, non vero majoris, licet sub ejus objecto comprehendatur; sicut color, vel sonus continentur sub objecto sensus communis, licet ipsa sint objecta adæquata quorumdam particularium sensuum.

2. *Peccat graviter sacramenta recipiens cum hac censura. — Sacramenta cum hac censura valent.* — Atque hinc sequitur peccare graviter, qui cum hac censura suscipit sacramenta, licet ipsa sacramenta valida sint. Prior pars probatur ex dicto cap. ult. de Cleric. excomm. minist., ubi dicitur graviter peccare, qui celebrat minori excommunicatione ligatus; ergo, qui alia suscipit sacramenta; quia quælibet receptio est materia gravis, sacra, et prohibita, licet differant secundum magis et minus. Sicut etiam majus peccatum est ea suscipere cum majori excommunicatione; hoc autem non excludit, quin hoc etiam grave et mortale sit. Altera pars nota est, quia prohibitio Ecclesiæ non irritat sacramentum, si alias debita materia, et forma a legitimo ministro applicantur, et a fortiori patet ex dictis de excommunicatione majori.

3. *Quam pœnam incurrat recipiens sacramenta hac censura ligatus. — Quam pœnam incurrat. — Sylvest. improbatur.* — Addendum vero est, propter hoc peccatum, vel celebrando cum hac censura, non incurri irregularitatem. Quod expresse traditur in dict. cap. ult. de Cleric. excom. ministr. Ratio est, tum quia talis irregularitas non est in jure expressa; tum etiam, quia propter solam susceptionem sacramenti ut sic non incurritur irregularitas, sed propter indebitam Ordinis administrationem, a qua per censuram aliquis prohibitus est, ut infra suo loco videbimus; hic autem celebrans ligatus minori excommunicatione non peccat propter administrationem Ordinis, sed propter solam susceptionem sacramenti, ut jam dicam. Addito etiam, nullam certam pœnam esse ipso jure impositam propter hanc culpam, sed arbitrio judicis, vel superioris puniendam esse, ut notavit Glossa in dict. cap. ult. de Cleric. excomm. ministr., unde falsum existimo, quod dixit Sylvester, verb. *Excommunic.*, 4, in princip., eum, qui cum excommunicatione minori suscipit sacramentum imprimens characterem, v. gr., Ordinis, privari effectu ultimato, id est, executione. Nam hæc privatio non fit nisi per suspensionem, quæ ob talem culpam non contrahitur; nullo enim jure lata est, ut diximus.

4. *Aliæ communicationes non sunt prohibitæ sic excommunicato.* — Atque hinc colligitur, omnes alios actus Ecclesiasticæ communicationis, tam sacros, quam civiles, seu humanos, licitos esse homini ligato sola excommunicatione minori. Hæc est communis sententia, ut videre licet in Sylvestro, verb. *Excommunic.*, 4, num. 5; et Navarr., in Summa, cap. 27; et Covarr., dict. § 8, n. 2; et Jacob. de Graffis, lib. 4 suarum decis., cap. 10, num. 3. Et ex parte colligitur ex dict. cap. ult., ubi dicitur, *eum, qui sic excommunicatus est, non esse prohibitum eligere, vel ea, quæ jurisdictionis sunt, exercere.* Ergo multo minus est prohibitus ab aliis actibus humanæ communicationis, quæ jurisdictionem non requirunt. Præterea in c. A nobis, de Exception., ponitur particula exclusiva, *tantum a sacramentorum participatione est remotus;* ergo reliqua licita sunt, quia non sunt prohibita. Quapropter hujusmodi excommunicatus et Missam audire, et alia divina, quæ sacramenta non sunt, participare potest, ut Theologi docent in 4, dist. 18. Præsertim Palud., Gabriel, et Major, et Adrian., quæst. 3 de Clavib. Ubi recte etiam addit, posse hujusmodi excommunicatum absolvere alium ab excommunicatione, ut colligitur ex cap. Duobus, de Sentent. excom. Et ratio est, quia non privatur jurisdictione, aut usu ejus, juxta dict. cap. ult. Et eadem ratione potest aliis negotiis interesse, vel in judicio, vel extra illud, ac denique quacumque communicatione uti. Et ob eamdem rem non est pri-

vatus communibus suffragiis Ecclesiæ, tum quia non est præcisus ab illa, tum etiam, quia illa dictio exclusiva, *tantum,* hæc omnia complectitur.

Ligatus minori excommunicatione licitene sacramenta ministret.

5. Duæ tamen supersunt difficultates circa hanc generalem illationem. Prima est, nam ex illa sequitur sacerdotem ligatum minori excommunicatione posse licite, et absque peccato ministrare sacramenta, quia solum est prohibitus a passiva receptione; activa autem ministratio distincta est, et per se non requirit receptionem; ergo non erit illi prohibita; erit ergo licita; consequens autem videtur contra expressa verba Gregorii IX, in dict. cap. ult. de Cleric. excomm. minist., dicentis : *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta* : ergo.

6. *Prima sententia affirmans.* — Propter quod quidam dicunt peccare graviter, qui ministrat sacramenta cum minori excommunicatione. Tenet Innocentius, dict. cap. ult. (Abbas autem ibi falso citatur), et Adrianus, in 4, quæst. 3 de Clavibus, § Pro hujus solutione; Major, 4, d. 18, quæst. 2, § 1; Sylvest., *Excommunic.,* 4, num. 1. Favet l. 6, n. tit. 9, partit.; sed loquitur æquivoce de excommunicatione minori, juxta dicta in sectione præcedente. Illa ergo sententia falsa est. Primo, quia in dict. c. A nobis, de Exceptionibus, exclusive dicitur, *tantum a participatione.* Dices, intelligi a participatione etiam activa. Sed repugnat in primis proprietas hujus vocis, *participationis,* quæ non significat effectionem, sed receptionem sacramenti. Deinde repugnat expressa interpretatio ejusdem Gregorii IX, in dict. cap. ult. dicentis, hanc participationem in sola consistere perceptione, et non in activo ministerio. Ex quo ibidem concludit, sic excommunicatum non esse remotum a collatione sacramentorum. Nec refert, quod Pontifex ibi utitur verbo *videndi*, dicens : *Cum non videatur a collatione*, etc., quod verbum dubitationem potius quam constantem sententiam indicat; hoc (inquam) non refert, nam illo modo loquendi sæpe significatur absoluta assertio, et veritas rei, et ita accipiendum esse, cum a lege profertur, notavit Jason, in l. Clam possidere, § Qui ad nund., num. 45, ff. de Acqu. poss.; et in illo textu est necessaria interpretatio; nam Pontifex absolute affirmat sacramenta collata a sic excommunicato, *virtutis non carere effectu,* et rationem subdit, *cum non videatur a sacramentorum collatione remotus;* ergo perinde fuit, ac si diceret, *cum non sit;* alioqui ratio non esset conclusioni proportionata.

7. *Secunda sententia negans.* — *Exponitur cap. ult. de Cleric. excommunicat. minist.* — Propterea alii sentiunt, sic excommunicatum, per se loquendo, non peccare administrando sacramenta. Ita tenuit Hostiensis ibi, quem sequitur Navarrus, dict. cap. 27, n. 24, et idem tenet Joan. de Lignan., tract. de Censuris, § 13, et alii supra citati. Fundamentum est, quia per talem censuram non removetur quis a collatione sacramentorum, ut ostensum est; ergo non est illi prohibita; ergo non peccat conferendo. Patet consequentia, quia talis actio in tali persona non est per se mala; ergo si non est aliunde prohibita, non est unde peccaminosa sit. Quid est ergo quod Pontifex, dicto c. ult., ait : *Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta?* Responsio communis est, illa verba intelligi de illa collatione quæ conjuncta est participationi eorum, ut Episcopus ordinando in sacris, quia simul sacrum facit, et communicat, non tamen peccabit confirmando, quia tunc ita confert unum sacramentum, ut nullum recipiat. Similiter sacerdos sic excommunicatus peccabit Eucharistiam consecrando, quia necesse est, ut illam recipiat ; tamen si illam ministret ex præconsecratis formulis, non peccabit, quia potest id facere non participando illam. Ita significavit Abbas ibi, num. 1 et 3, ubi ait, excommunicationem minorem non inducere suspensionem Ordinum, sed tantum privare participatione sacramentorum; et ideo qui sic celebrat, *non attentare officium sibi interdictum, sed ideo peccare, quia participat ex sacramentis.* Unde quod in illo textu dicitur, *Peccat autem ipsa conferendo,* videtur ipse exponere, id est celebrando, seu celebrationem conferendo.

8. *Objectio.* — Non caret tamen difficultate illa expositio, tum quia nemo participat sacramentum, cum illud confert, nisi qui celebrat; si ergo Pontifex in illo posteriori §, solum loqueretur de eo, qui confert sacramentum, illud recipiendo, nihil novum diceret, sed repeteret quod in principio capitis dixerat : *Peccare sic excommunicatum celebrando;* at Pontifex illud addidit tanquam quid novum et distinctum ; tum etiam quia illa posterior assertio Pontificis non esset per se, sed

valde per accidens; unde non fuisset ita absolute proferenda; imo in rigore esset falsa. Explicantur omnia, quia actio conferendi sacramentum ex se separabilis est a participatione sacramenti; quod autem conjungantur, accidentarium est, solumque concomitanter, vel præsuppositive concurrit. Unde illa duo, scilicet recipere, et ministrare sacramentum, quantumvis simul fieri videantur, diversa manent, et peccatum, quod ibi intervenit, non est in administratione, sed in receptione sacramenti. Adeo ut non magis peccet sic excommunicatus celebrans, et ministrans sacramentum, quam celebrans tantum; ergo illa locutio in eo sensu impropriissima est et in rigore falsa.

9. Nihilominus circumstantia, et difficultas illius textus cogit nos, ut dictam expositionem admittamus; nam in eo duo simul dicuntur, quæ videntur repugnantia, scilicet peccare sic excommunicatum conferendo sacramenta, et non esse ab eorum collatione remotum; nam si non est remotus, cur peccat? Ergo oportet exponere, peccare non ex vi remotionis a collatione sacramentorum, sed ex adjuncta receptione, a qua remotus est, et inde fieri ut sacramenta ab eo collata non careant effectu neque apud Deum, neque apud Ecclesiam. Unde ad objectionem respondendum est illum versiculum, *Peccat autem*, etc., referri ad initium capitis, et consequenter in eo sermonem esse de sacerdote sic excommunicato celebrante, quod satis indicat illa particula adversativa, *Autem*, quæ ad præterita refertur, et non potest aliter commode referri.

10. *Responsio.* — Non ergo de quocumque sacerdote sic excommunicato, sed de celebrante, ait Pontifex, peccare sacramentum ministrando. Quod non superflue, sed ex necessitate addidit, ut declararet, non obstante illo peccato, talia sacramenta habere suum integrum actum absque ulla suspensione, vel alia ecclesiastica pœna, quia illud peccatum non provenit formaliter ex collatione, sed ex participatione sacramenti. Et ideo non obstat quod hujusmodi culpa sit quasi per accidens respectu collationis sacramenti, quia juxta subjectam materiam sermo erat de collatione sacramenti habente talem circumstantiam. De qua moraliter loquendo, vere et in rigore dici potest, quod peccaminosa sit, tum quia licet hæc censura directe non prohibeat usum activum sacramentorum, tamen prohibendo passivum, ex consequenti prohibet illum activum, qui sine passivo esse non potest, sicut statim dicemus de electione; tum etiam quia hic et nunc fit tali modo, et per talia media, ut sine peccato exerceri non possit. Unde, licet tota ratio illius malitiæ proveniat ex participatione sacramenti, tamen illa redundat in actionem, et inficit totum illud ministerium, quod per modum unius tunc moraliter fit.

11. *Alia expositio.* — Alteram interpretationem adhibere possumus, videlicet, per se quidem, ac directe non removeri quempiam per excommunicationem minorem ab officio administrandi sacramenta; et ideo non peccare graviter, si hoc faciat, nec aliquam pœnam ecclesiasticam incurrere. Nihilominus tamen, quia talis excommunicatio aliquam indecentiam affert, ideo non carere aliqua culpa, qui in eo statu sacramentum ministrat. Sicut peccatum per se ac directe non vetat ministrare sacramenta, neque hoc formaliter ad ejus rationem pertinet; tamen propter indecentiam novum peccatum est sacramentum ministrare in statu peccati. Ita ergo in præsenti cum duplici moderatione. Una, ut hoc non extendatur ad alias actiones sacras, præter sacramentorum ministrationem, propter specialem sanctitatem talis ministerii. Alia, ut tale peccatum veniale tantum censeatur, quia illa indecentia parva est, et ita ad peccatum mortale non sufficit. Unde in illo cap. ult., cum in principio dixisset Pontifex, peccare graviter sic excommunicatum celebrando, postea solum dixit : *Peccat autem sacramenta ecclesiastica conferendo,* et non addidit, *graviter,* quia necessarium non est peccatum illud esse mortale, juxta hanc interpretationem, quam tenet expresse Ledesma, in 2 part. 4, quæst. 25, art. 2, et juxta illam conciliare vult opiniones supra relatas. Eamdem indicavit Covarr., dict. § 8, num. 2, citatque Ancharranum, Cajetanum, et Sylvestrum; tamen Sylvester, verb. *Excommunic.*, 4, num. 1 et 5, oppositum plane docet; Cajetanus vero, verb. *Excommunicatio minor,* aliquantulum favet, quatenus distincte et præcise ait, hujusmodi excommunicatum mortaliter peccare, si se ingerat passive participationi alicujus sacramenti, indicans, si se ingerat active, non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter. Et ita etiam facile intelligitur limitatio, quæ in fine illius textus additur : *Dummodo non in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ,* etc. Ita ut sensus sit, quamvis sit aliquale peccatum ministrare sacra-

::enta cum illa censura, non tamen esse grave, nec anathemate dignum, nisi ex contemptu fiat.

12. *Expositio hæc rejicitur. — Non peccat qui ligatus excommunicatione minori sacramentum ministrat.*—Hæc expositio esset probabilis, si verum esset quod supponit, esse peccatum veniale ministrare sacramentum in minori excommunicatione. At hoc non videtur verum. Nam ex vi hujus circumstantiæ, et omnibus aliis seclusis, nulla sufficiens ratio culpæ ibi apparet. Quia censura hæc per se non est culpa, sed pœna; neque etiam necessario supponit culpam mortalem; quod si interdum illam supponat, erit per accidens, poteritque per contritionem auferri; ergo talis censura per se solam coram Deo non affert indignitatem, vel indecentiam, ratione cujus contra rectam rationem sit, aut contra sanctitatem sacramenti illud in eo statu ministrare. Cum ergo alias ex vi talis censuræ illa administratio prohibita directe non sit, nec ex jure positivo, neque ex naturali apparet in eo actu sufficiens ratio culpæ etiam venialis. Destructo autem hoc fundamento tota illa interpretatio ruit. Et ideo prior et solidior et verior videtur.

Electio ejus, qui ligatus est minori excommunicatione, an valeat.

13. Secunda difficultas oritur ex eodem cap. ult.; dicitur enim ibi, eum, qui minori excommunicatione ligatus est, non posse eligi, et si scienter eligatur, ejus electionem irritandam esse. Ex quo sequi videtur non esse veram illam exclusivam, sic excommunicatum, tantum passiva perceptione sacramentorum esse privatum; nam privatus etiam est passiva electione, quæ non est participatio alicujus sacramenti. Accedit, quod etiam videtur privatus activa voce eligendi ex c. Illa quotidiana, de Elect., ubi Pontifex supplet defectum quorumdam, qui ad electionem concurrerant minori excommunicatione ligati. Sed hoc secundum non habet difficultatem, nam certum est hanc censuram non privare jure eligendi, ut patet ex dict. cap. ult., et ex omnium sententia, et quia nullibi lata est talis pœna. Neque in dict. c. Pontifex ait fuisse illum defectum electionis, sed ad tollendos scrupulos, vel ut satisfaceret opponentibus, sub conditione addidit, *Si quis defectus,* etc. Circa priorem ergo partem primo videndum est, quis sit sensus illius clausulæ, et qualis sit hic effectus hujus censuræ, et deinde quomodo consonet cum illa exclusiva, quæ habetur in dicto cap. A nobis, de Excep.

14. *De qua electione sit sermo.* — Circa priorem partem suppono sermonem ibi esse de electione ad gradus, dignitates vel beneficia Ecclesiastica. Nam licet in textu absolute dicatur, hujus excommunicati electionem irritandam esse, tamen ex ratione, quam subdit Pontifex, satis colligitur illa determinatio : *Pro eo* (inquit) *quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum participatione a Sanctis Patribus est privatus.* Quæ ratio habet locum in Ordinibus aut beneficiis Ecclesiasticis, non autem in temporalibus. Unde, si quis sic excommunicatus eligatur ad temporalem dignitatem, aut ministerium, vel ad regnum, non propterea electio irritanda erit, et idem censeo de electione ad cathedram, etiamsi sit sacræ aut Ecclesiasticæ lectionis, dummodo beneficium Ecclesiasticum annexum non habeat; de officiis autem aut beneficiis Ecclesiasticis, quæ per se non habent annexam obligationem suscipiendi aliquod sacramentum, dicam in secundo puncto posito.

15. Secundo observandum est in illo capite ultimo non simpliciter id dici, sed cum illo addito, *scienter*. Sic enim dicitur : *Si tamen scienter talis electus fuerit,* etc. Non tamen explicatur ad quos referatur illa particula, *scienter,* an scilicet ad electores vel ad electum. Videtur tamen præcipue esse referendam ad ipsum electum; nam hæc pœna illius est et non eligentium; non enim ob eorum peccatum, sed electi, electio irritatur; ergo parum refert, quod ipsi peccent, aut non peccent eligendo, ut electio irritanda sit; ergo nihil etiam refert, quod scienter eligant; nam hæc scientia solum auget eorum culpam. Et hanc sententiam docuit Gloss. ibi, verb. *Scienter,* quam Innocentius, Abbas, et alii expositores communiter sequuntur.

16. *Quid si ignorans eligatur. — Covarr. opinio.* — Sed inde oritur difficultas, si hujusmodi excommunicatus eligatur ipsomet suam excommunicationem ignorante, an tunc electio valida et rata sit, ut omni defectu careat, propter quem veniat irritanda. Nam, esse irritandam, sentit Covarruvias, dict. § 8, num. 3, quia nihil distinguit inter ignorantiam electorum et electi, sed absolute ait ad valorem et effectum hujus electionis nihil conducere ignorantiam excommunicationis, et citat Gloss. in dict. cap. ultim., quæ tamen

solum de electoribus loquitur, et illam particulam, *scienter,* ait, referendam esse ad ipsum excommunicatum. Exponit vero non ita : *Si scienter eligatur,* sed, *si scienter participaverit excommunicato.* Unde inferri potest, semel contracta excommunicatione minori, nihil referre quod ignoranter eligatur. Illa vero expositio violenta est, nam verba textus sunt : *Si tamen scienter talis electus fuerit;* ubi evidenter scientia ad electionem refertur, et persona supponitur ligata minori excommunicatione, quocumque modo vel titulo contracta fuerit, nam doctrina generalis est. Ratione tamen potest illa sententia persuaderi, quia illa electio non irritatur propter peccatum, quod electus committit se ingerendo tali electioni, sed propter incapacitatem personæ, ut satis constat ex ratione, quam subdit Pontifex dicens : *Pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus.* Quæ ratio locum habet, sive quis sciens, sive ignorans eligatur, et sive peccet in ea electione, sive non; interdum enim fieri potest, ut non peccet, etiamsi sciens eligatur, utpote si mere passive se habeat, non procurando electionem, quamvis eam non impediat manifestando suam excommunicationem, quia non debet ad hoc obligari, si occulta sit.

17. *Secunda sententia.* — Nihilominus contrariam sententiam indicat Sylvester citans Glossam Raimundi, verb. *Excommunic.*, 4, num. 4, ubi ait, hanc inhabilitatem excommunicati esse in pœnam peccati. Sed hoc est verum de pœna illius peccati, propter quod in excommunicationem incidit. Quod vero necessarium sit novum peccatum in ipsa electione commissum, ab ipso non probatur, neque aperte dicitur. Ait tamen, si electores ignoranter eligant, electionem non esse irritandam; quod tamen verisimile non est, ut dixi. Inde vero a fortiori videtur colligi, idem sentire, si excommunicatus ex parte sua ignoranter electus sit. Fundatur autem Sylvester in illo verbo textus, *scienter,* quod necesse est aliquam vim habere; alioqui superflue adderetur; nullum autem effectum haberet, si, non obstante quacumque ignorantia, tam ex parte eligentium, quam ex parte electi, electio irritanda esset. Confirmatur, quia, cum hæc censura minoris excommunicationis propter levem culpam contrahi possit, non videtur esse adeo gravis prohibitio vel inhabilitas, ut etiam cum bona fide electi, ipsam electionem vel collationem beneficii irritet.

18. *Prior opinio præfertur.* — His vero non obstantibus non videtur in hac parte recedendum a communi sententia; nam ejus ratio est urgens, scilicet, quod hic effectus non fundatur in nova culpa eligentium vel electi, ut propterea possit ignorantia excusando culpam impedire hunc effectum, sed fundatur in natura seu institutione talis censuræ, quæ, impediendo usum passivum sacramentorum, impedit consequenter electionem ad illud munus, quod illum usum requirit. Quod fundamentum integrum manet, etiamsi ignorantia intercedat in alterutra vel in utraque parte, scilicet eligentium et electi. Quocirca illa particula, *scienter,* potius videtur addita in illo textu ad augendum, quam ad limitandum. Ita ut sensus sit, *etiamsi scienter.* Et referenda erit potius ad eligentes, quam ad electum, ut omnes expositores communiter indicant. Quia ex parte electi quasi manifestum videbatur, ignorantiam aut scientiam nihil posse operari ad commodum ejus quoad id, in quo per censuram impeditur vel prohibitus est. Rursus, si ex parte eligentium fiat electio ignoranter, hoc ipso videtur involuntaria et subreptitia, ac proinde irritanda, quod secus videri poterat, si scienter eligerent sic excommunicatum, quia, non obstante illo defectu, viderentur velle conferre illi beneficium; propterea ergo Pontifex addit, ut etiamsi scienter eligant, electio irritanda sit, quia in electo semper est impedimentum; unde et ipsi male faciunt illum eligendo.

Sitne talis electio ipso jure irrita.

19. *Opinio communis.* — Tertio observanda in illo textu sunt verba illa : *Ejus electio est irritanda;* nam ex eis oritur dubium, an talis electio valida sit, donec irritetur a judice, an vero sit a principio nulla. Priorem enim sensum indicant dicta verba; nam quod irritandum dicitur, supponitur non esse irritum, quamvis infirmum propter aliquem defectum, ratione cujus irritari debet. Nihilominus posteriorem sensum sequuntur Gloss., Panorm., Sylvest. et Covarr., locis citatis. Qui consequenter asserunt, illud verbum, *irritanda est,* exponendum esse, id est, *irrita declaranda,* seu *irritanda quoad factum,* nam quoad jus irrita est. Hanc vero sententiam nulla ratione vel textu confirmant. Nam quod quidam aiunt, illud verbum, *irritandam,* esse sic exponendum ob subjectam materiam, non video quam vim habeat, quia materia est odiosa et

pœnalis, et ideo restringenda quoad rigorem, et amplianda quoad favorem. Adde, in illo textu nullum esse verbum, quo significetur personam sic excommunicatam reddi omnino inhabilem ad electionem, sed solum prohiberi, ne eligatur, sicut prohibetur, ne sacramenta participet.

20. *Objectio.* — Dices, ex aliis juribus constare hujusmodi prohibitionem esse irritantem; nam in c. Postulastis, de Cleric. excom. ministr., dicitur, excommunicatis clericis non posse beneficia Ecclesiastica conferri, neque eos posse ea licite retinere. Verumtamen neque ille, neque alius textus juris canonici de excommunicatione minori loquitur in specie quoad hunc effectum, sed loquuntur, aut expresse de excommunicatione majori, aut simpliciter de excommunicatione, per quam intelligendam esse majorem jam supra docuimus. Ex quo potest argumentum in contrarium retorqueri; nam vis excommunicationis majoris major est, et ideo cum de illa agitur, declaratur electionem excommunicati irritam esse; cum autem agitur de minori solum dicitur, quod sit irritanda, eo quod cum minor sit, minorem vim habere videatur.

21. *Vera sententia. — Dubium. — Quod dicitur de electione, procedit pariter in collatione beneficii.* — Quapropter verior mihi videtur sententia affirmans talem electionem validam esse, quamvis per sententiam irritari possit et debeat. Quam sequutus est Felinus, in c. Dilecti, de Except.; nam, licet in num. 3 dicat, hujusmodi excommunicatum esse ineligibilem, tamen in fine num. 4, hanc sequitur sententiam. Et eamdem tenet Richardus, in 4, dist. 18, art. 7, q. 4. Dubitat autem ibi Richardus, an quod dicitur de electione, procedat de quacumque collatione beneficii, etiamsi absque electione fiat; et utramque partem censet probabilem. Ego vero existimo habere locum in collatione beneficii, sive fiat per electionem inter multos, sive non, tum quia omnis collatio beneficii est quædam virtualis electio, cum ille, cui confertur, etiamsi non præcedat concursus, assumatur unus ex multis ad illud munus; tum etiam quia ratio textus æque procedit in collatione beneficii; nam per illam aliquis assumitur ad susceptionem eorum, a quorum perceptione a Sanctis Patribus est privatus. Et hæc est communis sententia, ut colligi potest ex auctoribus supra citatis.

22. *Dubium. — Communis sententia.* — Aliud item dubium indicat ibi Richardus, an eligentes scienter hujusmodi excommunicatum, ob talem electionem incurrant pœnam juris, scilicet, ut pro ea vice privati maneant jure eligendi. Et affirmativam partem sequitur cum Glossa in dicto cap. Si celebrat, verb. *Scienter,* et fundatur in cap. Cum in cunctis, § Clerici, et in cap. Scriptum est, versic. *Si vero,* de Electione, ubi qui indignum eligit, privatur pro ea vice jure eligendi. Contraria tamen sententia vera est et communis, ut notavit Panormitanus in eodem capite, n. 8, quia illa pœna non est in jure expressa pro hoc casu, et ex dictis capitibus Cum in cunctis, et Scriptum est, non est extendenda ultra casus ibi expressos, tum quia pœnæ non sunt extendendæ, tum etiam quia non est eadem ratio de eligente indignum, quæ de eligente ligatum minori excommunicatione, quia hic non peccat contra justitiam, et quia ille defectus levior est, et facile auferri potest.

23. *Qua ratione verum habeat minorem excommunicationem solum privare passiva receptione sacramentorum.— Responsio.*— Ad difficultatem autem supra tactam, quomodo scilicet vera sit exclusiva illa, quæ in aliis juribus habetur, hujusmodi excommunicationem tantum privare passiva participatione sacramentorum, dici potest exclusivam non excludere concomitantiam; hæc autem passiva electio est quid concomitans passivam susceptionem sacramentorum, ut indicatur in illa ratione, quod qui privatus est passiva perceptione sacramentorum, etiam est privatus munere, quod ad illam ordinatur. Unde etiam dici potest hanc censuram tantum privare participatione sacramentorum directe et indirecte, seu immediate ac mediate, id est, et ipsa susceptione in se, et eo munere, quod ad ipsam ordinatur. Dices, non esse similem rationem, nam qui eligitur ad aliquod munus, potest non exercere munus illud, donec ab excommunicatione minori absolutus sit; ergo, licet munus illud ordinetur ad ministerium, quod requirit susceptionem sacramentorum, qua talis excommunicatus privatus est, non propterea electio erit invalida, quia non eligitur, ut in eo statu illud exerceat. Sicut, quamvis aliquis eligatur ad tale munus in peccato mortali existens, non propterea electio erit irrita vel irritanda, quia non eligitur, ut in eo statu exerceat munus suum, sed potest absolvi a peccato, et postea digne exercere. Respondeo, rem hanc non fundari in solo discursu rationis seu illationis unius ex alio, et hoc argumentum convincit. Fundatur

ergo in jure positivo, quod hoc statuit in dicto cap. ultim., et consequenter probavit illam illationem in præsenti materia; nam, licet per se necessaria non sit, est tamen congrua et sufficiens, ut per positivum jus ita statuatur. Atque ideo non est simile de eo, qui eligitur in peccato mortali, quia de illo nihil tale statutum est per jus positivum; et ideo, licet electores male faciant aliquem eligendo in eo statu, tamen ejus electio neque irrita est, ut quidam inepte dixerunt, neque etiam est infirma aut irritanda, ut bene ostendunt Navarr., in cap. Si quando, de Rescriptis, exceptione 11; Covarruvias, in cap. Alma, 1 part., § 8, num. 4, de quo alias.

An electio beneficii quod ad susceptionem sacramenti non ordinatur, irritanda sit.

24. Hinc vero suboritur alia dubitatio, quando munus aut beneficium Ecclesiasticum tale est, ut per se non ordinetur ad susceptionem alicujus sacramenti, neque in exercendo suo munere illam requirat, an talis electio irritanda sit; nam ex ratione illius textus videtur non fore irritandam, quia per eam non eligitur quis ad susceptionem sacramentorum; exempla sunt in præstimoniis et beneficiis simplicibus pro clericis in minoribus constitutis infra sacerdotium. Nec refert, quod talia beneficia requirant Ordinem, quia non ordinantur ad illum, ut suscipiendum, sed supponunt susceptum, et ita per se non obligant ad susceptionem alicujus sacramenti. Idem denique est de quibuscumque aliis beneficiis vel dignitatibus simplicibus, quæ per se non obligant ad ministerium, quod sacramenti susceptionem includat. In contrarium vero est, quia in illo textu sine limitatione dicitur hujusmodi excommunicatum eligi non posse. Quod a Doctoribus de electione ad beneficia et dignitates Ecclesiasticas, simpliciter et sine limitatione intelligitur.

25. *Dubii resolutio.* — Quapropter dicendum videtur, decisionem illam generaliter procedere de electione ad quodcumque Ecclesiasticum beneficium, quantumvis simplex esse videatur, aut per se et proxime non obligare ad celebrationem Missæ, aut sacri Ordinis susceptionem; nam satis est, quod ex intentione Ecclesiæ omnia hæc beneficia ad hunc finem ordinantur; nam hac ratione verum est dicere omnem illum qui eligitur ad beneficium Ecclesiasticum, eligi ad hunc finem, ut divina sacramenta suscipiat ac celebret. Atque ita ratio illius textus potest ad quodlibet Ecclesiasticum beneficium aptari. Unde, cum alioqui verba ejus sint ex se indefinita et universalia, de omnibus intelligenda erunt. Secus vero erit de electione ad quodlibet aliud munus, quod neque immediate, neque mediate ad sacramentorum ministerium vel susceptionem ordinatur, ut in primo puncto hujus difficultatis attigimus.

An effectus minoris excommunicationis locum habeant post Extravagant. Ad evitanda.

26. *Ratio dubii.* — *Notandum.* — Ultimo superest explicandum circa hos effectus, an locum habeant post Extravag. *Ad evitanda.* Et est ratio dubii, quia hæc excommunicatio raro, aut nunquam fertur per sententiam peculiarem, ut infra dicemus, neque ob illam solam aliquis nominatim denunciatur excommunicatus; sed per eam Extravagantem effectus censurarum videntur limitati ad eos, qui nominatim denunciati sunt; ergo jam non habebunt locum in hujusmodi excommunicato. Circa hoc breviter advertendum est, per eam nullum favorem concedi ipsis excommunicatis, sed ipsos ex parte sua æque ligatos manere ac abstinere debere ab his omnibus, a quibus per censuras privantur. Quo fit, ut ligatus minori excommunicatione, etiamsi non sit denunciatus, sed omnino occultus, teneatur abstinere ab usu sacramentorum æque ac antea; quoad alios vero potest esse nonnullum dubium.

27. *Non tenemur vitare ligatum minori excommunicatione non denunciatum, in collatione sacramentorum.* — Et primo dicendum est directe et ex propria Ecclesiæ prohibitione nos non teneri ad vitandum hujusmodi excommunicatum, præsertim quando nominatim denunciatus non est, in collatione sacramentorum. Quod in specie notavit Ugolin., tab. 3, cap. 8, num. 4, ob dict. Extravagant. *Ad evitanda*, cujus decisio comprehendit etiam excommunicationem minorem, cum generaliter loquatur de omni sententia et censura Ecclesiastica. Dixi autem, *directe et ex propria Ecclesiæ prohibitione;* nam indirecte et ex suppositione talis status personæ sic excommunicatæ, ex natura rei sequitur graviter peccare illum, qui sacramentum ei administrat in tali statu, non solum, quia participat peccatum illius cooperando illi, sed etiam quia præbet sanctum canibus, præbendo sacramentum illi, quem scit peccare

mortaliter suscipiendo illud. Si tamen qui administrat sacramentum, probabiliter credat alium non peccare propter occurrentes circumstantias, neque ipse peccabit, quia cessat ratio culpæ, quæ illi imputari poterat; idemque erit, si morali aliqua necessitate cogatur ad ministrandum propter vitandum scandalum vel aliquid simile, juxta superius dicta de excommunicatione majori.

28. *Dubium, an teneamur denunciatum vitare.* — Sed dubium est, an ex proprio Ecclesiæ præcepto prohibitum sit ministrare sacramentum huic excommunicato jam denunciato. Quod pendet ex alio, an scilicet ante Extravag. *Ad evitanda,* hoc esset prohibitum directe et ex vi ipsius censuræ respectu cujuscumque; nam quod tunc præceptum erat respectu omnium, nunc durat respectu denunciati. Videtur autem nullum dari hujusmodi præceptum, quia solum de ipso excommunicato dicitur removeri a passiva perceptione sacramentorum, ex quo non fit, ut prohibitio illa directe aliis fiat ne huic sacramenta ministrent.

29. *Responsio.—Communicans cum ligato minori excommunicatione non incurrit censuram.* — Nihilominus tamen oppositum dicendum est, quia per se et ex vi censuræ prohibentur omnes communicare cum excommunicato in re illi prohibita; ergo hæc ratio censuræ etiam in excommunicationem minorem convenit, quantum est ex vi institutionis ejus, et ubi per Ecclesiam limitata non est. Unde nunc ex benignitate illius constitutionis *Ad evitanda,* hæc prohibitio ablata est respectu excommunicati non denunciati; manet vero respectu denunciati nominatim. Addendum vero est, administrantem sacramenta alteri ligato minori excommunicatione etiam nominatim denunciato non incurrere novam censuram, etiam excommunicationem minorem, quia, ut sequenti sectione videbimus, hæc solum lata est in eos, qui cum ligato majori excommunicatione communicant; qua ratione dici solet, quod excommunicatio non transit in tertiam personam. Ut videre licet in Gloss., in cap. Rogo, et in cap. Excellentissimus, et sumitur ex cap. Quoniam multos, 11, quæst 3. Et docuit Gabriel, in 4, dist. 18, quæst. 3, art. 2, conclus. 9, ubi confuse dicit, communicantem cum excommunicato minori excommunicatione, neque peccare, neque censuram incurrere : nam hoc posterius est verum; illud vero prius non ita universaliter verum est, sed extra casus prohibitos, ut dictum est de administratione sacramentorum, et de electione jam dicam.

30. *Eligens ligatum minori excommunicatione ad dignitates Ecclesiasticas, peccat graviter.* — Ex dictis enim sequitur esse prohibitum ex vi hujus censuræ quibuscumque electoribus, ne aliquem illa ligatum eligant ad Ecclesiasticas dignitates, vel beneficia, propter rationem superius factam; peccabit igitur sic eligens, et quidem graviter ex sententia omnium, quamvis ob hanc causam nullam censuram, aut pœnam ipso jure incurrat, ut supra tactum est. Nunc autem hoc maxime locum habet, si quis nominatim sic excommunicatus et denunciatus sit, quod rarissime contingit, ut dixi. At vero respectu eorum, qui non sunt nominatim declarati, videtur quidem cessasse hoc peccatum in ipsis eligentibus, quia illis prohibita non est ulla communicatio cum tali excommunicato; ergo neque ejus electio est in illis prohibita; ergo non peccant eligendo, seclusa prohibitione, et aliunde non apparet ratio peccandi, quia ibi nulla est participatio in peccato alterius.

31. *Etiamsi denunciatus non sit.* — Nihilominus censeo talem electionem irritandam esse, juxta c. Si celebrat, quia per Extrav. *Ad evitanda,* nullus favor fit ipsi excommunicato; ergo est æque inhabilis ad passivam electionem, ac erat antea; alioqui magnus favor illi fieret. Ergo ejus electio æque irrita est vel infirma. Et ex hoc capite existimo peccare electores, si hujusmodi excommunicatum eligant, quia eligunt personam inhabilem, vel simpliciter juxta opinionem probabilem, vel saltem incapacem electionis omnino firmæ, et quam Ecclesia ratam semper habitura sit; ipsi autem, ex natura rei seu ex officio electorum, tenentur ratam et firmam electionem facere; peccabunt ergo contra suum munus sic eligendo, in genere quidem graviter, in particulari vero juxta materiæ qualitatem.

32. *Quid si ligatus minori excommunicatione Ordines suscipiat.*— Alia dubitatio tractari potest, an ligatus excommunicatione minori suscipiendo Ordines, maneat ab illis suspensus. Sed quia res est facilis, dico breviter, illum non manere suspensum, quia talis suspensio in jure non invenitur; nam cap. Cum illorum, de Sent. excommunicat., loquitur de ligatis excommunicatione majori, et præter illud, nullum est aliud in jure, in quo feratur hæc suspensio. Atque ita notavit Navarr., c. 27, n. 251.

SECTIO III.

Quibus modis et causis incurratur excommunicatio minor.

1. *Excommunicatio minor ferri potest tum a jure, tum ab homine.* — Potest hæc excommunicatio ferri a jure et ab homine; primum constat ex usu, ut infra videbimus; secundum magis ratione, quam usu probari potest; raro enim ac fere nunquam judices Ecclesiastici utuntur hac censura in sententiis ab homine ferendis. Nihilominus tamen de potestate dubitari non potest, tum quia, si potest homo excommunicationem majorem ferre, cur non etiam minorem? cum ejusdem sint ordinis, et solum differant secundum magis et minus, vel tanquam totum et pars, et in his verum habeat regula juris : Qui potest id, quod majus, potest etiam id quod est minus; tum etiam quia, si hæc censura potest ferri a jure, cur non ab homine, cum jus ipsum ab homine conditum sit? Et ita docent Theologi, in 4, d. 18, specialiter Richardus, art. 7, q. 4. Ubi ait interdum etiam reperiri in jure excommunicationem minorem per sententiam ab homine latam, et citat c. 1, 5, quæst. 1; sed ibi non imponitur pœna ullius excommunicationis, sed flagellationis. In secundo vero capite Gregorius privat participatione Eucharistiæ auctorem occultum cujusdam publici delicti; quæ privatio fuit veluti quædam excommunicatio minor; sed de illo textu plura in superioribus diximus. Eadem opinio communis est Summistarum et aliorum Doctorum, quos late congerit Ugolinus, tab. 3, c. 1, et videri potest Navarrus, cap. 27, num. 25; Sylvester, *Excommunicat.*, 4; D. Antonin., in tract. de Excomm., c. 79, n. 11, qui citat cap. 2, 5, quæst. 2. De quo etiam textu supra dictum est; nam in illo non agitur de excommunicatione minori, prout nunc est in usu, sed de aliis modis, quibus olim cogebantur rebelles ad obediendum Ecclesiæ.

Ob quæ crimina excommunicatio minor a jure incurratur.

2. *Unicus casus certus hujus censuræ.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Circa utrumque autem excommunicationis modum pauca notanda sunt. Et primo de illa, quæ jure fertur, inquiri potest, propter quæ delicta incurratur. Nam Sylvester supra, num. 2, decem casus numerat; Anton. novem; Innocent., in c. 1 de Sent. excom., octo numerat; Navarrus autem unum tantum admittit, et merito, quia reliqui nec sunt in usu, nec in eis intervenit propria excommunicatio minor. Casus ergo certus, in quo hæc censura incurritur ipso jure, est ob participationem indebitam cum excommunicato majori excommunicatione. Sumitur ex cap. Nuper, de Sent. excommun. Ubi non additur particula *minor,* tamen ab omnibus intelligitur, additurque in cap. Statuimus, eodem, in 6, et in cap. Illa quotidiana, de Elect., in 6, vocatur *simplex excommunicatio,* propter simplicem effectum, ut ibi notat Abbas. Præterea, quando per illam communicationem jus vult imponere majorem excommunicationem, exprimit illam, et si ab homine sit inferenda, determinat formam, ut supra visum est; ergo extra illos casus non incurritur major; ergo minor, nam aliquam incurri certum est. Denique hac ratione verum est, quod supra dicebam, excommunicationem majorem non transire in tertiam personam, quia per communicationem illius non incurritur excommunicatio major, alias etiam illa transiret in communicationem. Sed contra, quia in can. 11, 12 et 13 Apostol. dicitur, communicantem cum excommunicato communione privandum esse; et in cap. Excommunicatos, cap. Cum excommunicato, c. Si quis frater, 11, quæst. 3, dicitur communicantem cum excommunicato incurrere similem, vel communem excommunicationem. Respondeo hæc antiquiora jura esse per posteriora explicanda de simili vel communi excommunicatione in ratione quasi generica. Item, si sit pertinax, fore ligandum majori, non tamen ipso facto illam incurrere.

3. *Ad incurrendam hanc censuram in eo casu requiritur culpa; venialis sufficit.* — *Ex levitate materiæ.* — *Non sufficit tamen ex deliberatione imperfecta.* — Addendum vero est, etiam ad incurrendam in eo casu hanc censuram necessarium esse, ut communicatio cum excommunicato sit peccaminosa; nam, cum hæc sit pœna, non incurritur, nisi ubi præcedit culpa, et ideo in casibus, in quibus secundum jus, aut rectam rationem licitum est communicare cum excommunicato hæc censura non incurritur. Ad hanc vero pœnam imponendam sufficiens existimata est talis culpa venialis; quod factum videtur, ut ipsa excommunicatio major magis timeatur, et ne facile homines auderent communicare cum excommunicatis. Ne autem nimia esset severitas, et majora incommoda afferret,

ideo etiamsi illa communicatio culpa mortalis sit, non est propter eam generaliter imposita ragvior censura. Nec vero mirandum est, quod propter inæquales culpas eadem pœna Ecclesiastica imponatur, quia lex generaliter fertur, et ad judices spectat majora adhibere remedia, ubi graviores culpæ intercesserint. Præterea hoc intelligendum censeo de peccato veniali ex levitate materiæ, ut quia communicatio parva est, in aliqua salutatione, aut colloquio, aut communi mensa; at vero si peccatum sit veniale ex imperfecta deliberatione et advertentia, probabilius mihi videtur, tunc non incurri censuram, quia ille non est actus perfecte humanus, et consequenter illa non est inobedientia, neque contumacia proprie dicta, sine qua non incurritur censura, servata proportione ad ejus causam et materiam.

Alii casus excluduntur.

4. *Primus. Cap. Miror, 17, quæst. 4. — Secundus. Cap. Vestra, de Cohabitatione clericorum et mulierum.* — Ut autem certo constet hunc casum esse unicum, necesse est breviter per alios, qui numerari solent, discurrere. Primus est sacrilegium, ex cap. Miror, 17, quæst. 4; sed ibi nulla censura ipso jure imponitur, sed solum refertur quædam censura seu pœna a D. August. lata in quemdam ob sacrilegium; ipse autem nec condidit jus, nec pro tota Ecclesia condere potuit. Alius est notoria fornicatio clerici, ex cap. Vestra, de Cohabitatione cleric. et mulier. Sed ibi solum agitur de sacerdote publice concubinario, qui vitandus dicitur in sacro ministerio et communionis administratione. Quæ pœna, si aliqua censura tunc erat, non pertinebat ad excommunicationem minorem, quia illa non erat privatio passivæ susceptionis sacramentorum, sed erat privatio cum aliis communicandi, vel potius aliorum cum ipso, in sacrificatione vel administratione sacramenti. Quod potius pertinet ad excommunicationem majorem vel quamdam participationem ejus. Et præterea illa prohibitio, licet antiquo jure in usu fuerit, nunc autem jam cessavit ex vi Extravag. *Ad evitanda scandala*, supra declaratæ, ut latius notavi in 3 tomo, disput. 18, sect. 1, et disput. 88, sect. 6, in fine, et videri potest Covarr., in cap. Alma, § 2, n. 10.

5. *Tertius casus. Cap. Tanta, de Simonia.* — Tertius casus est simoniæ in suscipiendo Ordine, ex cap. Tanta, de Simonia. Verba tamen illius textus sunt: *Item omnis peccator Missam cantare potest præter simoniacum;* ubi non imponitur excommunicatio minor, sed solum separatio ab actu cantandi Missam, quæ potius est suspensio quædam ex vi illius decreti, et præterea non videtur imponi ipso jure, ut subjuncta verba declarant : *Quem* (scilicet simoniacum) *quilibet, ut ab Ordine male accepto removeatur, accusare potest;* ergo per sententiam removendus est, et non ipso jure removetur.

6. *Quartus casus. Cap. Si quis, 16, quæst. 7. — Quintus casus. Cap. de Torneamentis. — Sextus. Cap. Omnis, de Pœnitentiis et remissionibus. — Ultimus casus. Cap. illud, 95 d.; cap. Placuit, 23, quæst. 3; cap. Pro dilectione, de Consecratione, d. 2.* — Quartus casus est, accipere Episcopatum vel Abbatiam de manu laici, ex cap. Si quis deinceps, 16, quæst. 7; verba tamen illius sunt : *Gratiam Beati Petri, et introitum Ecclesiæ interdicimus.* Quæ verba significant, vel suspensionem, ut Glossa exponit, vel personale interdictum. Quintus casus est de illo, qui in torneamento moritur, et propterea Ecclesiastica sepultura privatur juxta cap. 1 de Torneamentis. Verumtamen, cum ille non sit privatus sacramentis, ut ibidem dicitur, illa non est vera excommunicatio minor, neque ullius censuræ propriam rationem habet, tum quia non obstante reatu illius pœnæ, aliquis absolvitur a peccatis, tum etiam quia de illa pœna nulla ibi promittitur absolutio, etiamsi quis pœnitens moriatur, sed potius illius executio mandatur; non est ergo censura, sed quoddam alius genus Ecclesiasticæ pœnæ. Sextus casus refertur ex cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis et remissionibus, propter non impletum præceptum annuæ confessionis; sed ibi nulla censura imponitur ipso jure, ut superiroi tom. dictum est. Denique quilibet existens in peccato mortali, præsertim publico, dicitur esse ligatus hac censura, quia sacramentorum perceptione privatur, et si in eo statu moriatur, pro eo non fiunt Ecclesiasticæ oblationes, vel suffragia, cap. Illud, 97 d.; cap. Placuit, 23, quæst. 5; cap. Pro dilectione, de Consecratione, d. 2. Sed hæc non est censura, nec impedimentum ab Ecclesia introductum, sed ex natura rei consequitur ex statu peccati mortalis. Unde non indiget speciali solutione, sed per absolutionem a peccato, cum congruente satisfactione juxta peccati modum, aufertur. Quod si quis

moriens ob defectum ministri absolvi non possit, postea non est capax alicujus Ecclesiasticæ absolutionis, sed si pœnitentiæ signa dedit, pro illo possunt offerri suffragia et oblationes; at si non dedit, nec capax est suffragiorum.

De excommunicatione minori ab homine.

7. *Ad hanc censuram ferendam requiritur jurisdictio.* — Dicendum superest de excommunicatione minori ab homine lata, de qua fere eadem observanda sunt, quæ de majori ab homine diximus. Nam in primis, ut ferri ab aliquo possit, requiritur in eo jurisdictio ex omnium sententia, quia licet non sit tam gravis pœna, sicut major, est tamen pœna, et in conscientia inducit obligationem. Deinde supra ostendimus, ad ferendam censuram necessariam esse jurisdictionem fori contentiosi; sed excommunicatio hæc censura quædam est; ergo. Tandem ad tollendam hanc censuram requiritur jurisdictio; ergo multo magis ad ferendam. Potest autem ferri ab Episcopo, et inferioribus Prælatis habentibus jurisdictionem fori contentiosi. Ita Antoninus, tit. de Excommunic., cap. 79, n. 12; Sylvester, verb. *Excommunic.*, 4, n. 2, in fine. Et citant cap. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordinarii, ubi absolute de excommunicatione et interdicto est sermo. Unde, quantum ex jure, ejusque interpretibus colligi potest, regulariter solus ille minorem excommunicationem ferendi auctoritatem habet, qui ferre potest majorem, quia potestas jurisdictionis in foro contentioso, præsertim ordinaria, et quæ ex officio habetur, non est limitata ad hanc censuram minorem. Et ideo parochus, sicut non habet potestatem ferendi excommunicationem majorem, ita neque minorem, ut recte tradidit Ugolinus, tab. 3, c. 1, § 1, contra nonnullos Canonistas, qui sine sufficienti fundamento oppositum dixerunt.

8. Atque hinc fit hanc excommunicationem posse ferri ab homine tam per sententiam generalem quam alterius. Addunt Anton. et Sylvest., ad hanc censuram ferendam non requiri contumaciam, et consequenter nec præviam monitionem, et posse ferri ad definitum tempus, ex cap. Tanta, 86 dist.; cap. Præsenti, 5, quæst. 2; cap. Audi, 11, quæst. 3; sed hæc sunt vera de excommunicatione late sumpta pro privatione vel suspensione ab usu activo vel passivo cujuscumque sacramenti, quia nihil est quod repugnet, et jura citata favent, et alia quæ supra adduximus, et talis pœna potest esse proportionata delicto.

9. *Hæc censura non fertur nisi præmissa aliqua monitione.* — Nihilominus tamen, si loquamur proprie de excommunicatione, quæ habet rationem propriam censuræ, hæc nunquam fertur, nisi præmissa saltem monitione, quæ fit per legem vel per præceptum latum sub tali censura, ut constat ex his, quæ supra de censura in communi diximus, et de excommunicatione minori jure lata, est per se notum. De illa vero, quæ ab homine fertur, vix aliquid probari potest ex praxi, quia non est in usu; tamen ex ratione medicinalis pœnæ, qualis censura esse debet, quæ non tam ad vindicandum delictum quam ad comprimendam contumaciam et inducendum ad alicujus præcepti observationem instituta est, recte concluditur excommunicationem etiam minorem, quæ veram rationem censuræ habet, monitionem aliquam legis vel præcepti postulare, et consequenter non nisi ob aliquam contumaciam ferri debere, et simpliciter, et non ad certum tempus. Sic enim de hac etiam censura verum est, quoties aliquis resipiscit, et Ecclesiæ subjicitur absolutionem petens, illam obtinere debere, sicut de absolutione a majori dictum est, et a fortiori a majori ad minorem potest sumi argumentum, juxta cap. Ex litteris, de Constit., et c. Qua fronte, de Appell. Nam cum excommunicatio privet omnium sacramentorum participatione, etiam pœnitentiæ, quod necessarium est ad statum gratiæ recuperandum, non est verisimile Ecclesiam imponere hanc pœnam ita præcise pro aliquo tempore, ut non possit et debeat intra illud absolvi, licet maxime dispositus sit. Accedit, quod hæc censura propter venialem culpam incurritur, ut constat ex dictis; esset autem nimis acerba pœna nisi ex eo leniretur, quod facile tolli potest discedendo ab illa levi contumacia et petendo absolutionem; ergo quoad hæc omnia serventur cum proportione communes leges censuræ in superioribus explicatæ.

SECTIO IV.

Quis possit a minori excommunicatione absolvere et quomodo.

1. Cum dictum sit excommunicationem hanc ab homine et a jure ferri posse, aliter censendum est de absolutione ejus, quando uno vel alio modo lata est, juxta principia

superius posita de censuris in communi. Itaque si excommunicatio est ab homine, solus ipse, qui eam tulit, absolvere ab ea potest, vel ejus superior, vel qui ab ipsis habeat potestatem delegatam, ut notavit Hostiensis, in Summa, lib. 5 de Excommunicatione, n. 14, § Et qualiter; et Gabriel, in 4, d. 18, quæst. 4, art. 3, dub. 6; et Richard., ibi, art. 9, quæst. 3. Et ratio est, quia ejusdem est solvere, cujus fuit ligare. Dices : hoc ipso quod excommunicans non reservat sibi absolutionem, videtur aliis eam concedere juxta cap. Nuper, de Sententia excomm. Respondetur tantum illud procedere in censura lata a jure, de qua textus ille loquitur. Quia (ut Juristæ aiunt) mitius agitur cum lege, quam cum homine, nam hoc ad severitatem judicii, et humanæ gubernationis necessarium est. Hoc vero intelligitur de hac censura lata per sententiam particularem; nam de illa, quæ fertur per generalem, probabile est idem esse de illa judicium, quod de lata a jure. Quod supra tradit Hostiensis, et generatim a nobis supra dictum est; neque hic sunt plura necessaria, maxime cum hæc censura ab homine non sit in usu, ut dixi.

2. *Ab excommunicatione minori quis possit a jure absolvere.* — At vero de illa, quæ jure lata est, unum est certum, sacerdotem proprium, qui potest a peccatis absolvere, posse etiam absolvere ab hac censura. Ita habetur in cap. Nuper, de Sent. excom. Ex quo multi inferunt omnem sacerdotem habentem potestatem ad absolvendum a peccatis mortalibus habere illam ad absolvendum ab hac censura, ut patet ex Richard. et Gabriele supra, et Bonavent., d. 18, qu. 6, in fine; et Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 2; et Summistis, verb. *Absolutio;* Sylvest., Angel., Cajetan. et aliis; et Sylvest., verb. *Excommunic.*, 7, num. 37; et Hostiensis supra dicit proprium sacerdotem parochialem vel diœcesanum, vel eum, qui de licentia istorum electus est, posse ita absolvere. Ratio autem videtur esse, quia d. c. Nuper, concedit hoc proprio sacerdoti; licet autem proprius sacerdos in rigore dicatur ille, qui ex officio ordinariam jurisdictionem et curam animarum habet, tamen in ordine ad internum forum nomine proprii comprehendi potest omnis sacerdos, qui vice proprii constituitur ad absolvendum a peccatis mortalibus, argumento cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnit. et remission. Quod maxime habet locum in his, quæ conceduntur proprio acerdoti in ordine ad absolvendum a peccatis, cujusmodi est hæc potestas absolvendi ab hac censura; ergo quoties alicui delegatur potestas absolvendi a peccatis mortalibus, delegata etiam censetur potestas et jurisdictio absolvendi ab hac censura. Quæ omnia a fortiori patent ex dictis supra, disputat. 7, sect. 2, de censuris in communi, et de excommunicatione.

3. *An habens beneficium curatum, etsi sacerdos nondum sit, possit ab hac censura absolvere. — Quid de Episcopis.* — Quæri autem potest, an clericus habens beneficium cum animarum cura, et ordinaria jurisdictione, nondum tamen ordinatus sacerdos, possit absolvere ab hac censura. Quod non habet difficultatem in habente jurisdictionem Episcopalem; nam ille, cum habeat jurisdictionem ordinariam in foro contentioso, potest per se ipsum absolvere ab hac censura, quia hæc absolutio non est actus proprius characteris, seu ordinis sacerdotalis; sed est merus actus jurisdictionis, ad quem sufficit prima tonsura, juxta dicta de censuris in communi. In parochis vero inferioribus est nonnulla difficultas; nam illi non habent hanc jurisdictionem ex proprio et peculiari munere, sed ex delegatione juris, ut supra agendo de censuris in communi declaravimus. Delegatur autem illis hæc potestas, solum ut possint oves suas a peccatis absolvere, quia id non possent facere, nisi prius excommunicationem tollerent, quando personæ inesset; cum ergo parochus non sacerdos non possit per se ipsum a peccatis absolvere, non censetur illi delegata potestas absolvendi ab hac censura. Unde in d. c. Nuper, expresse dicitur hujusmodi excommunicatum posse absolvi ab Episcopo, vel proprio sacerdote; ergo non satis est, quod sit proprius parochus, nisi etiam sit proprius sacerdos.

4. *Resolutio quoad parochos. — Evasio. — Refellitur.* — Nihilominus dicendum censeo, hujusmodi parochum posse absolvere ab hac censura. Probatur, nam habet jurisdictionem sufficientem ad hunc actum absolutionis, et aliunde hic actus non requirit characterem sacerdotalem : ergo. Major probatur quia ille parochus habet jurisdictionem in foro animæ ordinariam ex vi muneris, quam delegare potest, quoad absolutionem a peccatis, quam per se dare non potest; sed cum dicta jurisdictione in foro animæ conjuncta est jurisdictio absolvendi ab hac excommunicatione, ut supra ostensum est; ergo habet illam prædictus parochus. Cujus etiam argumentum est,

quia quando committit Capellano suo vices absolvendi a peccatis, consequenter illi committit jurisdictionem absolvendi ab hac censura; nam supra generaliter ostensum est, omnem illum, qui habet potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, habere etiam ad absolvendum ab hac censura. Dices, quamvis per se et ab intrinseco necessarius non sit character sacerdotalis, ut aliquis possit absolvere a censura, nihilominus Ecclesiam noluisse hanc jurisdictionem parocho committere, ut per se ipsum illa utatur, nisi sit sacerdos. Verumtamen, licet Ecclesia hoc facere potuerit, sine fundamento dicitur id fecisse; nam quod in illo c. Nuper, proprium sacerdotem nominaverit, sufficiens fundamentum non est; sumpsit enim nomen ab eo, quod frequentius contingit; non tamen præscripsit, ut illa conditio sacerdotis necessaria esset ad talem actum, quod oportuisset explicite declarare, si id instituere voluisset, cum res nova esset, et valde specialis; sicut etiam ibidem nominavit Episcopum, quæ vox absolute sumpta in rigore significat jam consecratum, et tamen non propterea dicendum est consecrationem ad hunc actum requiri. Accedit tandem, quod parochus potest absolvere ab hac censura non tantum in confessione sacramentali, et simul absolvendo a peccatis, sed etiam extra sacramentum; nam jus absolute concedit illam potestatem parocho, et non coarctat usum ejus ad confessionis sacramentum; ergo sine causa exigeret sacerdotalem ordinem in parocho ad talem usum. Quocirca, licet concedamus hanc potestatem datam esse parochis in ordine ad absolutionem a peccatis ut ad finem, non tamen est ita concessa, ut usus ejus necessario debeat esse conjunctus cum absolutione a peccatis, aut cum charactere sacerdotali. Quæ omnia constant a fortiori ex dictis disp. 7, sect. 2, de censuris in communi, ubi etiam ostendimus simplicem sacerdotem non habentem potestatem ad absolvendum a peccatis mortalibus, neque ab hac censura posse absolvere.

5. *De forma solvendi ab hac censura.* — Tandem de modo concedendi hujusmodi absolutionem nihil novi addendum occurrit iis, quæ de forma absolvendi a censura in communi diximus. Solum observari oportet, ut vel in verbis ipsis vel ex adjunctis sufficienter declaretur absolvi quempiam ab hac censura in particulari, et restitui ad communionem et participationem sacramentorum, quibus privatus erat. Solemnitates vero aliæ hic necessariæ non sunt, ut colligitur ex dict. c. Nuper, ubi dicitur, hujusmodi excommunicatum absolvi posse absque juratoria cautione. Et notavit Sylvester, verb. *Absolutio*, 3, num. 5; et ratio est, quia hæc censura in suo ordine levis censetur, et propter levem causam incurri solet; et ideo ejus absolutio facilis esse debuit, et pluribus cæremoniis, aut oneribus minime gravata. Et quia, prout est in usu, non fertur propter injurias, vel damna aliis facta, sed propter quamdam inobedientiam contra Ecclesiam in participatione cum excommunicato, ideo non præexigitur alia satisfactio, vel cautio, sed tantum propositum obediendi Ecclesiæ. Si vero acciderit hanc excommunicationem ferri ad resarciendum damnum alteri factum, tunc necessarium erit, eam satisfactionem, vel cautionem exigere, quam ratio justitiæ postulaverit; nihil enim peculiare circa hoc est jure positivo præscriptum.



Coulommiers. — Typogr. Albert PONSOT et P. BRODARD.

R. P. FRANCISCI

SUAREZ

E SOCIETATE JESU

OPERA OMNIA.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS *BIS* COMPLECTENS

DISPUTATIONES DE CENSURIS IN COMMUNI, EXCOMMUNICATIONE, SUSPENSIONE ET INTERDICTO, ITEMQUE DE IRREGULARITATE.

CUM INDICIBUS NECESSARIIS.

COULOMMIERS. — TYP. ALBERT PONSOT ET P. BRODARD.

R. P. FRANCISCI

SUAREZ

E SOCIETATE JESU

OPERA OMNIA

EDITIO NOVA, A CAROLO BERTON,

CATHEDRALIS ECCLESIÆ AMBIANENSIS VICARIO,

INNUMERIS VETERUM EDITIONUM MENDIS EXPURGATA, ADNOTATIONIBUSQUE IN ULTIMUM TOMUM RELEGATIS ILLUSTRATA,

RÉVERENDISSIMO ILL. DOMINO SERGENT, EPISCOPO CORISOPITENSI, DICATA.

TOMUS VIGESIMUS TERTIUS BIS.



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13.

—

MDCCCLXXVII.

INDEX DISPUTATIONUM AC SECTIONUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

DISPUTATIO XXV.

DE SUSPENSIONE.

DISPUTATIO XXVI.

DE SUSPENSIONE AB OFFICIO.

DISPUTATIO XXVII.

DE EFFECTIBUS SUSPENSIONIS A BENEFICIO.

DISPUTATIO XXVIII.

DE CAUSIS SUSPENSIONIS.

DISPUTATIO XXIX.

DE ABSOLUTIONE SUSPENSIONIS.

DISPUTATIO XXX.

DE DIFFERENTIA SUSPENSIONIS A DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

DISPUTATIO XXXI.

DE SUSPENSIONIBUS IN PARTICULARI IPSO JURE LATIS.

DISPUTATIO XXXII.

DE INTERDICTO IN COMMUNI.

DISPUTATIO XXXIII.

DE PRIMO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST SACRAMENTORUM PRIVATIO.

DISPUTATIO XXXIV.

DE SECUNDO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST DIVINORUM OFFICIORUM PROHIBITIO.

DISPUTATIO XXXV.

DE TERTIO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST ECCLESIASTICÆ SEPULTURÆ, VEL INGRESSUS ECCLESIÆ PRIVATIO.

DISPUTATIO XXXVI.

DE CAUSIS INTERDICTI.

DISPUTATIO XXXVII.

DE INTERDICTIS IPSO JURE LATIS.

DISPUTATIO XXXVIII.

DE RELAXATIONE INTERDICTI.

DISPUTATIO XXXIX.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

DISPUTATIO XL.

DE IRREGULARITATE IN GENERALI.

DISPUTATIO XLI.

DE MODIS, QUIBUS TOLLITUR IRREGULARITAS.

DISPUTATIO XLII.

DE IRREGULARITATE CONTRACTA EX DELICTO CIRCA USUM SACRAMENTORUM.

DISPUTATIO XLIII.

DE IRREGULARITATIBUS QUÆ EX ALIIS DELICTIS CONTRAHUNTUR.

DISPUTATIO XLIV.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO VOLUNTARIO.

DISPUTATIO XLV.

DE IRREGULARITATE HOMICIDII CASUALIS.

DISPUTATIO XLVI.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO NECESSARIO, SEU IN DEFENSIONEM FACTO.

DISPUTATIO XLVII.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO OB DEFECTUM LENITATIS.

DISPUTATIO XLVIII.

DE IRREGULARITATE EX INFAMIA.

DISPUTATIO XLIX.

DE IRREGULARITATE EX BIGAMIA.

DISPUTATIO L.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU NATALIUM.

DISPUTATIO LI.

DE IRREGULARITATE EX DEFECTU PERSONALI INCULPABILI.

DISPUTATIONES P. D. FRANCISCI SUAREZ

E SOCIETATE JESU

DE CENSURIS IN COMMUNI

ET IN PARTICULARI DE EXCOMMUNICATIONE, SUSPENSIONE, ET INTERDICTO, AC PRÆTEREA DE IRREGULARITATE.

CONTINUATIO.

DISPUTATIO XXV.

DE SUSPENSIONE QUOAD ESSENTIAM ET SPECIES EJUS.

Multiplex suspensionis significatio. — De hac secunda specie censuræ, juxta consuetam methodum, dicemus prius, quæ ad communem rationem suspensionis spectant, deinde ad singulas jure latas descendemus. Nomen autem *suspensio* multiplex est; Latinis enim animi dubiam et incertam eventus expectationem significat; ac deinde corporis suspendium, certumque supplicii genus, quod etiam apud Jurisperitos significat; et præterea dilationem, quæ in usu vel rei expeditione interponitur; sic enim dicitur suspendi sententia, officium, etc. Præter hæc vero applicata est hæc vox in jure canonico ad significandam quamdam speciem censuræ; nam licet interdum latius sumatur, ut pro interdicto ab ingressu Ecclesiæ, c. 1 de Sentent. excommun., in 6, et pro impedimento utendi aliquo temporali munere, Extravag. unic. Joannis XXII, de Sent. excommun., quæ non est pœna spiritualis, nec propria clericorum, nec censura, nihilominus stricte sumpta significat pœnam spiritualem propriam clericorum, ac censuram, de qua hic est sermo. Supponimusque dari hoc genus censuræ et pœnæ, esseque ab aliis distinctum, juxta c. Quærenti, de Verbor. significatione, et superius dicta de censuris in communi, quæ in sequentibus clariora fient; ubi etiam explicabimus, quomodo interdum hæc pœna, licet spiritualis sit, non sit propria censura.

SECTIO I.

Quæ sit propria ratio hujus censuræ.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi est, quia propriæ differentiæ censurarum non possunt explicari nisi in ordine ad effectus suos; nam, cum censura nihil aliud sit, quam spirituale quoddam vinculum privans hominem usu aliquorum bonorum, seu ligans, vel impediens illum in ordine ad aliquos actus, non potest propria ejus ratio sine habitudine aliqua ad proprios ejus effectus intelligi. At vero suspensio nullos effectus proprios habere videtur, quos excommunicatio, vel interdictum non habeant; et ideo difficile est propriam illi differentiam, seu rationem assignare. Nam ad summum poterit distingui ab excommunicatione majori tanquam pars a toto, seu tanquam magis vel minus prohibens; quomodo distinguitur etiam excommunicatio minor a majori; erit ergo suspensio tanquam quædam excommunicatio minor, non vero propria species censuræ.

Definitio suspensionis.

2. *Genus definitionis.* — *Datur suspensio quæ non est censura.* — In definitione suspensionis tradenda, varie loquuntur Doctores, et Summistæ; omissis vero multis, quæ referre inutile esset, breviter dicendum est, suspensionem esse, *censuram quamdam Ecclesiasticam, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones Ecclesiasticas exerceat, aliquaque Ecclesiastica potestate utatur.* Quæ

definitio quoad genus constat ex dictis; et per illud excluditur ab hac consideratione mortale peccatum, quod ab aliquibus suspensio appellatur, quia per illud impeditur sacerdos ne sacrum faciat, donec ab illo absolvatur. Sed impropriissima est locutio, quia illud impedimentum nec est pœna, nec censura Ecclesiastica, nec est humano jure introductum, sed intrinsece concomitans talem culpam. Deinde per illud genus distinguitur hæc suspensio in universum et ab irregularitate, et ab omni pœna Ecclesiastica, quæ censura non est, et specialiter ab omni genere suspensionis, quæ non per modum censuræ, sed tantum per modum pœnæ imponitur, quod est frequens in jure. Quotiescumque enim suspensio imponitur solum ut delictum puniatur, et non ut a contumacia recedatur, non habet rationem censuræ, sed solius pœnæ, juxta principia posita de censuris in communi. Quod autem sæpius feratur suspensio in hunc modum, constat ex cap. Tam litteris, de Testibus, et cap. Cum in cunctis, § ult., de Electione, in 6, et Clement. 1, § penult., de Hæreticis, et Clement. 2, de Pœnis, traduntque Canonistæ his locis; et Innocentius in cap. 1 de Excessibus Prælatorum, n. 3, et Abbas, in cap. Reprehensibilis, num. 3, et cap. Sæpe, num. 16, de Appell.

3. *Quid differat inter utramque suspensionem. — Aliud discrimen inter utramque suspensionem. — Tertium discrimen.* — Differtque præcipue inter utramque rationem suspensionis, quod illa, quæ est pœna, et non censura, imponitur ad certum tempus; quæ vero est censura, non potest habere terminum præfixum. Prior pars constat ex juribus citatis, et ex cap. 1 de Sententia excommunicationis, in 6, et cap. 2 de Tempor. ordin., in 6, et ratione, quia suspensio est pœna proportionata culpæ; ergo quo major fuerit culpa, eo diuturnior erit suspensio; et consequenter pro ratione culpæ talem habebit præfixum terminum. Item in hoc differt (inter alia) a depositione, quod depositio est perpetua, et sine spe restitutionis, ut infra dicemus; suspensio autem esse potest ob certum tempus. Unde, cum illa suspensio, quæ est pœna, respiciat tantum culpam præteritam, et non resipiscentiam in futurum, nam in hoc differt a propria censura, non repugnat ut in præfixum terminum feratur. Altera vero pars constat ex superius dictis de censuris in communi, ubi ostensum est, nullam propriam censuram posse ferri ad præfixum tempus. Et ratio sumitur ex contrario fundamento; nam illa suspensio, quæ est censura, præcipue fertur ad reprimendam contumaciam, et ut homo a culpa recedat; ideoque non potest habere alium terminum, nisi, donec recedat ab illa. Unde est alia differentia, quod suspensio, quæ est tantum pœna, non requirit præviam monitionem, quia fertur propter culpam præteritam, etiamsi non habeat tractum (ut aiunt) successivum; at vero suspensio, quæ est censura, semper requirit monitionem præviam, saltem illam, quæ includitur in illa conditione, *si hoc feceris,* vel, *nisi satisfeceris,* ut supra generatim dictum est. Demum ex eodem principio oritur aliud discrimen, quod, quando suspensio est pura pœna, et ad certum tempus ponitur, illo elapso per se cessat, sine alia absolutione, quia causa non operatur ultra præfixum sibi terminum, nec prohibitio ad tempus certum facta extra illud obligat. Sicut enim qui relegatus est ad certum tempus, potest eo elapso libere ad patriam redire, quia jam pœnæ sibi impositæ satisfecit, ita suspensus ad certum tempus, postea libere suum officium exercet, in quo conveniunt Doctores cum Gloss. in Clement. 1, de Decim., verb. *Donec,* et in cap. Sacro, de Sententia excommunicationis, verb. *Per mensem.* At vero, quando suspensio est proprie censura, ut tollatur, necessaria est absolutio, sicut prior Gloss. citata significat, et clarius tradit Gloss., in c. Si quorumdam, de Solutionibus, et latius inferius in ultima parte hujus materiæ dicemus. De suspensione ergo, quæ est pura pœna, fere nihil speciale dicendum occurrit; nam præter ea, quæ sunt de ratione pœnæ, ut sic, solum addit, quod sit in tali materia, et per prohibitionem talis, vel talis actus; et ideo definimus suspensionem, quæ est censura; inter tractandum autem de illa simul explicabimus omnia, quæ alteri communia sunt.

4. *Differentia definitionis suspensionis a minori excommunicatione. — Divisio suspensionis in majorem et minorem rejicitur. — Utrum major pœna sit suspensio, an excommunicatio minor.* — Additur in definitione differentia inter hanc censuram, et duas alias, quam nunc respectu excommunicationis (quoniam ejus ratio jam a nobis satis explicata est) ex professo declarabimus, respectu vero interdicti attingemus solum, donec de interdicto dicamus. Ab excommunicatione igitur minori manifeste differt suspensio ex vi illius particulæ. Quia excommunicatio minor pri-

vat solum passiva susceptione sacramentorum; suspensio vero non consistit in privatione passiva, sed activa, et non limitatur ad sacramenta, sed ad alias functiones se extendit; imo aliqua est suspensio, quæ nullo usu sacramentorum privat, ut infra dicam. Unde non video, quo fundamento Abbas, in c. ult. de Cleric. excom. ministr., distinguit suspensionem in majorem, et minorem, et hanc posteriorem esse dicit, quæ privat passiva receptione sacramentorum; nullum enim tale genus censuræ distinctæ ab excommunicatione minori in jure reperitur. Si autem ipsammet excommunicationem minorem suspensionem appellat, et confundit censuras, et voce utitur præter communem morem. Differentia ergo assignata illa duo et re et nomine distinguit. Ex illa vero colligunt aliqui, et indicat Cajet., verb. *Suspensio*, graviorem pœnam esse excommunicationem minorem, quam suspensionem, quia privat usu maximorum bonorum spiritualium, qualia sunt sacramenta, et privat usu passivo, qui nobis magis necessarius est. Verumtamen si consideremus communem usum, et sensum Ecclesiæ, gravior pœna videtur esse suspensio; unde et pro gravioribus criminibus imponi solet. Et per sententiam ab homine frequenter imponitur. Ratio autem esse potest, quia, licet excommunicatio minor privet usu passivo sacramentorum, et suspensio activo, qui non videtur ita utilis ex opere operato, tamen ex se est valde utilis ex opere operantis, et est vel sanctior, vel æque sanctus; unde sanctitatem in ministro requirit, non minus, quam in suscipiente. Et aliunde videtur esse honorabilior usus, et hac ratione secundum hominum apprehensionem in majori existimatione haberi. Deinde excommunicatio minor juxta usum Ecclesiæ facilius tollitur, regulariter loquendo, quam suspensio, unde nunquam reservatur, quod tamen in suspensione frequenter fit. Denique quamvis spiritualia bona majora sint, hominibus tamen onerosior esse solet privatio temporalium, vel quia sensibiliora sunt, vel quia eorum jactura minus reparabilis existimatur; suspensio autem, præsertim a beneficio, secum affert aliquam jacturam temporalium bonorum; quia ergo in ratione pœnæ illa major est, quæ magis affligit, ideo ex hac etiam parte suspensio gravior pœna censetur.

5. *In quo differat suspensio ab interdicto. — Discrimen aliud suspensionis ab aliis censuris.* — Atque ad eumdem modum pro nunc intelligitur discrimen inter suspensionem, et interdictum. Nam interdictum ex se magis privat usu passivo, quam activo, scilicet usu sacramentorum, Ecclesiastica sepultura, et officiis divinis; suspensio vero minime, quia suspensus, et sacramenta recipere, et divinis officiis interesse, et sepultura Ecclesiastica frui potest. Quod si per interdictum privatur quis administratione activa sacramentorum, id non obstat distinctioni harum censurarum, tum quia nihil vetat, ut res diversæ possint habere aliquem effectum communem; tum etiam quia sub diversa ratione illum habent; nam interdictum non privat activo usu formaliter, ut sic dicam, quatenus talis est, id est, quatenus est exercitium, et functio Ecclesiasticæ potestatis, sed solum quatenus necesse est, ut illi intersit is, qui illum exercet; interdictus enim privatus est, ne alicui sacræ functioni interesse possit; propter quod, non solum exercendo Ecclesiasticam potestatem, verum etiam nec cooperando, aut ministrando aliquo modo potest collationi alicujus sacramenti inservire; cum tamen suspensus non privetur illo ministerio, quod laicus adhibere potest, vel in Missæ sacrificio, vel alicujus sacramenti administratione. Ex quo oritur alia differentia, quæ etiam versatur inter excommunicationem, et suspensionem, quod suspensio est propria censura clericorum, ferturque in eos formaliter, ut clerici sunt, aut beneficium habent; interdictum vero, vel excommunicatio communia sunt et clericis, et laicis; unde formaliter feruntur in fidelem, quatenus baptizatus est. Quod discrimen in illa particula definitionis, *minister Ecclesiæ,* insinuatur, et in illa, *Ecclesiasticas functiones;* formaliter enim sermo est de functione Ecclesiastica, quatenus significat actionem, et ministerium proprium alicujus Ecclesiasticæ potestatis, quæ clericorum propria est.

6. *Differentia inter suspensionem, et majorem excommunicationem.* — Tandem hinc facilius erit discrimen inter suspensionem, et excommunicationem majorem explicare. Quod perspicuum videbitur, si dicamus differre tanquam includens et inclusum, quia excommunicatio major operatur quidquid suspensio, et multo plura, ut significavit D. Thom. in Addit., q. 22, art. 3, et satis constat ex tractatu de excommunicatione majori; nam privat omni Ecclesiastica functione, tam ad officium, quam ad beneficium Ecclesiasticum pertinente, non tamen sola illa, sicut sus-

pensio, sed multis etiam aliis bonis et commodis, tam spiritualibus, quam temporalibus. Hæc tamen differentia, licet vera sit, non satis declarat diversitatem formalem, et quasi specificam harum censurarum, ut ostendit ratio dubitandi in principio facta. Et ideo addendum est, illosmet effectus privationis Ecclesiasticarum functionum sub diversa ratione fieri per excommunicationem, quam per suspensionem; nam excommunicatio privat omni communicatione, et ita privat illis actibus ut rationem communicationis participant. Suspensio vero non respicit rationem communicationis, sed formaliter privat illis functionibus, quatenus sunt usus alicujus potestatis Ecclesiasticæ, ratione officii, aut beneficii convenientis, quæ est quasi formalis ratio objectiva hujus censuræ, in qua fundantur aliæ differentiæ quasi materiales, ut, v. gr., quod excommunicatio privet suffragiis Ecclesiæ, non vero suspensio, ut attigit D. Thom., in Addit., quæst. 22, art. 5, ad 2. Item, quod suspensio sit censura propria clericorum ut sic, excommunicatio vero communior sit; et similes, quas cum aliis accidentalibus differentiis attigit Navarr., in Summ., cap. 27, num. 65, quas non refero, quia supponunt nonnulla, quæ in discursu materiæ explicanda sunt.

SECTIO II.

Quotuplex sit suspensio.

1. *Divisio prima. — Improbatur quoad primum membrum.* — Nonnullæ divisiones suspensionis traduntur ab auctoribus, quæ non omnes convenientes sunt. Tamen eas breviter attingemus, ut impropriis vocibus repudiatis veras species suspensionis eliciamus, et explicemus. Primo ergo distinguunt Canonistæ triplicem suspensionem, scilicet quoad se tantum, quoad alios tantum, quoad se et alios simul. Ita Abbas, in cap. ult. de Cleric. excomm. ministr., et Sylvester, verb. *Suspensio,* num. 1. Sed hæc non est divisio suspensionis, quæ est censura, vel pœna Ecclesiastica, sed in alia lata significatione, ut notavit etiam Navarrus, num. 153. Nam in primo membro dicitur, peccatum mortale suspendere hominem quoad se; at peccatum non est suspensio, ut supra ostendi, et privat non tantum activo, sed etiam passivo usu sacramentorum; quod est signum non privare functionibus formaliter, quatenus sunt usus Ecclesiasticæ potestatis, sed quatenus est contrectatio rei sacræ, quæ ab indigno ministro fieri non debet. Et inde fit, ut non privet aliis functionibus, quæ tantam sanctitatem non habent, aut requirunt, ut in præcedenti tomo tractando de sacramentis in genere diximus; fit etiam, ut hujusmodi peccatum nec privet jurisdictione, nec actionem irritam faciat, nec etiam obliget alios ad vitandum peccatorem, nisi fortasse ratione scandali, aut cooperationis ad peccatum vitandum.

2. *Secundum membrum divisionis. — Rejicitur. — Tertium divisionis membrum solum pertinet ad censuram suspensionis.* — In secundo membro numerantur quædam impedimenta fundata tantum in præsumptione, vel ignorantia aliorum. Sic peregrinus, qui caret litteris dimissoriis, et sufficienti probatione suorum Ordinum, dicitur esse suspensus, ne celebrare possit, juxta cap. Tuæ, de Clericis peregrin., et Tridentin., session. 23, cap. 16 de Reform., et videri potest Covarruvias, in Practic., cap. 33, num. 3. Dicitur autem esse quoad alios, non quoad se, quia cum vere sit sacerdos, secrete, et secluso scandalo potest celebrare. Verumtamen constat illud impedimentum nec esse censuram, neque pœnam aliquam, sed solum defectum notitiæ, et probationis, ex quo nascitur prohibitio quædam Ecclesiastica, fundata in præsumptione, propter vitanda scandala, et pericula. Præterea dici posset suspensus quoad alios, qui aliorum opinione, vel in foro exteriore existimatur ligatus censura suspensionis, cum tamen revera, et in conscientia non sit; tamen ex hoc ipso constat, illam non esse veram censuram, sed putatam, quam hic distinguere non est necesse, nec de ea plura dicere quam in superioribus de censura injusta et nulla in communi diximus. Solum ergo tertium membrum positum est ad veram censuram suspensionis significandam, quæ per se loquendo, ipsum hominem secundum se, et respectu aliorum ab usu Ecclesiasticarum functionum cohibet.

3. *Divisio data in vero sensu traditur.* — Alio tamen modo possent illa membra, præsertim primum et tertium accommodari ad veram censuram suspensionis juxta Extrav. *Ad evitanda.* Nam suspensus non denunciatus potest dici suspensus quoad se, et non quoad alios; nam alii non tenentur illum vitare, ipse autem tenetur se abstinere; suspensus autem denunciatus contraria ratione

dicetur et quoad se, et quoad alios suspensus, de quo infra dicemus. Secundum autem membrum accommodari non potest ad veram suspensionem, sed solum ad existimatam. Aliquando etiam contingit aliquem esse jure ipso vere suspensum, et tamen nec quoad alios, nec quoad se in conscientia obligari ad se abstinendum a functionibus, quia res est occultissima, et id facere non potest sine infamia, vel scandalo. Unde videtur esse suspensus, non quoad se nec quoad alios, sed tantum in re quasi in habitu. Sed hoc etiam vere dici non potest, quia sic suspensus tenetur abstinere saltem quoad se. Quod autem in casu propter ignorantiam excusetur, non variat rationem censuræ; neque in scientia per se consideratur.

4. *Secunda divisio.— Suspensio vindicativa duplex. — Suspensio perpetua duplex.* — Loquendo ergo de propria suspensione Ecclesiastica dividi potest in eam, quæ est proprie censura, et eam, quæ est pure pœna. Quam divisionem aliqui contemnunt, quia in jure simpliciter dicitur, suspensionem esse censuram, cap. Quærenti, de Verborum significat., ubi sine dubio sermo est de Ecclesiastica suspensione; et cum definitio illa doctrinalis sit, quamcumque suspensionem comprehendere videtur. Nihilominus quoad rem constat ex dictis circa definitionem dari duo genera suspensionis, quæ possunt dici vindicativa, et medicinalis; et quoad usum vocum constat solam medicinalem esse propriam censuram, juxta superius dicta. Quia vero utramque explicaturi sumus, oportet ulterius advertere, dividi suspensionem in temporalem, et aliquo modo perpetuam, quæ divisio proprie cadit in suspensionem, quæ est pœna; alia enim (ut dixi) non habet absolutam durationem, sed quasi conditionatam, ut sic dicam, scilicet, donec resipiscas. Temporalis ergo suspensio dicitur, quæ ad certum et limitatum tempus fertur, ut cum in lege, vel sententia dicitur : *Sit per annum, vel per duos menses suspensus.* Perpetua vero aliquo modo dicitur, quæ pro delicto commisso sine ulla temporis limitatione fertur. Quod duobus modis contingit, scilicet, vel indefinite suspendendo, nullo adjuncto signo expresse significante perpetuitatem, vel addendo illud, ut videre licet in decretis Pie II et Sixti V contra male promotos; uterque autem ex his modis indicat perpetuitatem, posteriori quidem modo perfectam, et simpliciter, ut ex vi verborum patet; priori vero aliquo modo, quia in his rebus indefinitum includit universalitatem, vel quia nulla est ratio præfigendi unum terminum potius quam alium, vel quia pœna hæc includit negationem, quæ, adjuncta tempori absolute sumpto, totum illud negat. Majoris tamen claritatis gratia possumus unam vocare suspensionem perpetuam negative, vel indefinitam, quia non limitat tempus; aliam vero positive, et simpliciter perpetuam, quia in ipsamet sententia, vel lege ita expresse declaratur. Et inter hæc tanta est differentia, ut illa prior nomen possit retinere suspensionis, hæc vero posterior magis dicenda videatur depositio quia quando indefinite fertur, admittit conditionem hanc, *donec superior dispenset*, vel, *usque ad beneplacitum Sedis*, aut aliam similem, quia ex vi illius modi non videtur poni suspensio omnino immobilis. At vero quando positive proponitur ut perpetua, videtur imponi ut moraliter immutabilis, et ordinarie carens spe dispensationis, quod aliquando presse declaratur, ut in dicto motu proprio Sixti V.

5. *Tertia divisio. — Suspensio per modum pœnæ etiam in interiori foro imponi potest.* — Tertio dividitur suspensio in eam, quæ est a jure, vel ab homine. Quæ quidem divisio communis est omni censuræ, et nihil hici habet speciale; et ideo sufficient, quæ de censura in communi illam divisionem tractantes diximus. Solum adverto suspensionem per modum pœnæ solere interdum imponi non solum in externo et contentioso, sed etiam in interiori foro pœnitentiæ; nam a confessario interdum præcipitur; hæc tamen non solum censura non est, verum neque sub hac suspensione, de qua nunc agimus, comprehenditur; neque enim est talis, ut si quis contra illam agat, aut irregularitatem, aut aliam pœnam Ecclesiasticam incurrat, ut notarunt Navarr., in Summ., cap. 27, num. 151; et Maiolus, lib. 3 de Irregularit., cap. 19 et 23 ex Gloss. in cap. Is qui, verb. *In jure,* de Sent. excomm., in 6. Quod secus est, ut infra videbimus, in suspensione hac fori contentiosi, de qua nunc agimus; hæc ergo suspensio, sive a jure sit, sive ab homine, proficisci debet ex jurisdictione in foro externo sive contentioso.

6. *Quarta divisio. — Suspendi ab officio latius patet quam suspendi ab officio sacerdotali. — Suspensio ab officio, et beneficio, an sint duæ, vel una tantum censura.* — Quarto principaliter dividi solet hæc censura in sus-

pensionem ab officio tantum, a beneficio tantum, et ab officio et beneficio simul, et sumitur ex jure; nam aliquando suspenditur quis ab officio sacerdotali, cap. Sane, 2, de Officio delegat., et in cap. 2, eodem titulo, in 6, ubi observandum est, hæc duo tanquam distincta poni, scilicet, *sacerdotali officio*, vel *ministerio interdici*, et *ab officio suspendi;* et Glossa ibi notat plus extendi suspensionem ab officio, simpliciter dictam, quam a sacerdotali officio, quia officium simpliciter dictum latius patet, quam officium sacerdotale. Item colligitur ex cap. Quia in omnibus, in fine, de Usuris, et Clement. unica de Rebus Eccl. non alienand. De suspensione autem a beneficio fit mentio in cap. Nihil, de Elect., et in Clement. 2 de Vita et honest. clericor., et in cap. Cum in cunctis, § ult., de Elect. De tertio membro habemus exemplum in Clement. 1, de Decimis, et in cap. Tuarum, de Privilegiis; et eumdem sensum videntur habere illa verba in cap. 1 de Schismaticis : *A sacris ordinibus, et dignitatibus decernimus manere suspensos;* quanquam non videantur tam ampla, et generalia, ut infra videbimus.

7. Nihilominus aliqui non admittunt tertium illud membrum, quia suspensio ab officio, et beneficio sunt duæ censuræ distinctæ; unde, licet interdum conjungantur, simulque imponantur, non efficiunt unam. Sicut, si eadem lex, pro eadem culpa, suspensionis, et excommunicationis censuram imponat, non propterea ex utraque fit una censura, sed est duplex pœna diversæ rationis, quæ pro uno delicto imponi potest aliquando propter gravitatem culpæ. Ita ergo videtur in suspensione ab officio et beneficio; nam, licet minus distinctæ sint, tamen etiam sunt diversarum rationum; ideoque non componunt unam censuram, neque habent aliquid speciale ut conjunctim latæ, nisi solum quod collective sumptæ suos effectus conjunctim operantur; quod non satis est, ut componant unam totalem censuram specificam. De qua controversia non multum contendendum est, quia solum ad modum loquendi spectat, utilisque esse potest hæc posterior opinio ad doctrinam de his censuris brevius tradendam; nam explicatis iis, quæ ad singulas illas censuras, seu partes pertinent, scilicet ab officio, vel a beneficio, explicata manebunt quæ de suspensione utramque partem complectente desiderari possunt, sive illa vere sit una species censuræ, sive duæ species ejusdem proximi generis simul sumptæ.

Suspensio absolute lata, de qua intelligenda.

8. *Ratio dubitandi.* — Solum potest merito inquiri, quoad jura intelligenda et rem explicandam pertinet, quando in jure imponitur suspensio absolute, et non explicatur, an sit ab officio, vel beneficio, de qua intelligendum sit. Exemplum est in dicto cap. Sane 2, ibi : *Poterit suspensionis sententia a judice delegato compelli,* et cap. Cum bonæ, de Ætate et qualit., ibi : *In eos fecit sententiam suspensionis promulgari;* idem Clement. 1, § Quibus, de Privil., cap. Clericorum, de Vita et honest. cleric. Quæ jura non videntur posse de suspensione ab officio vel beneficio intelligi, quia non est major ratio de una, quam de alia; ergo oportet intelligi de una suspensione, quæ utramque rationem complectatur. Quod est signum illam censuram reputari in jure tanquam unam totalem et integram, reliquas vero respectu illius esse quasi partiales. Quia pœna per legem imposita determinata esse debet, et consequenter una secundum speciem, si unica et simplici voce fertur; nam sub genere, ut aiunt, latent æquivocationes. Neque est inconveniens, ut una censura ex partibus diversarum rationum constet, quia hæc unitas non est nisi moralis, et quasi artificialis, quæ ex hujusmodi rebus conflari solet. Etenim excommunicatio major una censura est, et tamen complectitur partiales privationes magis inter se diversas, quam sint suspensio ab officio et beneficio, quamvis in excommunicatione non soleant partes illæ ita frequenter separatim imponi, sicut in supensione. An vero talis suspensio per partes tolli possit, vel solum unica absolutione quasi quid indivisibile, sicut tollitur excommunicatio major, infra videbimus; nam id multum conferre potest ad unitatem moralem ejus.

9. *Prima opinio.* — In difficultate ergo proposita quidam existimant, supponi in ea quod nunquam in jure invenitur, quia nunquam fertur suspensio sine explicatione ab officio, vel beneficio, vel utroque simul, ut in juribus in ipsa divisione citatis, videre licet. In cap. enim Cum bonæ, non imponitur aliqua suspensio; sed refertur suspensionis sententia, quam Clemens Pontifex contra quosdam sui mandati contemptores fecerat promulgari; quamvis autem ibi non referatur, quænam suspensio illa fuerit, non tamen inde sequitur, in ipsa sententia, quæ ab homine, et non a jure prolata fuit, non fuisse declara-

tum; et quantum ex narratione textus colligitur, suspensio illa a beneficio fuit, ut patet ex iis verbis: *In quadriennio permanentes quidam ex ipsis suspensi aliud beneficium sunt adepti.* Nam illud relativum *aliud* non habet quod referat, nisi sub nomine *suspensi* tacite subintelligatur particula *a beneficio.* In alio vero cap. Sane, non imponitur censura ipso facto, vel jure incurrenda; sed judici, ut eam imponat, præcipitur, ut patet ex illis verbis: *Si rebellis fuerit, poterit suspensionis sententia a judice delegato compelli.* Quando autem ita indifferenter jus hoc præcipit, videtur relinquere arbitrio judicis, ut quam suspensionem expedire judicaverit, eam imponat. Nam hæc alternativa interdum judici committitur, cap. A crapula, de Vita et honest. cleric. Vel certe in priori textu videtur esse sermo de suspensione ab officio, ibi: *Vel sacerdotale officium interdicat,* id est, prohibeat. Sic Glossa in dicta Clement. 1 de Privil., exponit illam de suspensione ab officio. Quia licet in textu solum dicatur: *Suspensionis sententiam,* etc., tamen Prælati religiosorum, de quibus est sermo, illius tantum videntur capaces, et ita ex subjecto determinantur verba. In cap. item Clericorum, videtur esse sermo de suspensione ab officio, ut indicant illa verba, *ita suspensus præsumpserit celebrare.* Vel certe ibi non fertur suspensio, sed solum appellatur ille suspensus, quod potuit esse per particularem suspensionem, licet ibi non declaretur. Additur denique conjectura, quia jus nullibi declaravit, quod cum proportione in excommunicatione fecit, quomodo suspensio absolute lata sumenda sit; ergo signum est nunquam ita ferri. Cum enim privatio illa amplissima sit, et quasi æquivoca, per habitum, aut aliquam circumstantiam determinari necesse est.

10. *Objicitur cap. Divina, de Privileg., et vera sententia traditur.* — Contra hunc vero discursum obstat difficilis textus (alii enim apparenter vitantur) in Extrav. *Divina,* de Privileg., inter communes, ibi: *Tam in dantes, quam in recipientes, excommunicationis, suspensionis, et interdicti latas sententias promulgamus, quas volumus eos ipso facto incurrere;* ibi enim suspensio simpliciter fertur per modum unius censuræ in specie, et non declaratur, an sit ab officio, vel beneficio; neque expresse ex verbis constat, neque tacite ex adjunctis, scilicet ex materia aut personis, quia omnia illa indifferentia sunt, et uterque modus suspensionis in eis posset habere locum. Nam, quod quidam aiunt, verbum illud quasi per antonomasiam, vel analogiam intelligi de suspensione ab officio, gratis dictum est, et non habet in jure fundamentum; nam suspensio a beneficio simpliciter suspensio esse censetur, ut colligitur ex capitulo unico, juncta Glossa, verbo *Suspensionis,* de His quæ vi metusve causa fiunt. Et apparentius posset dicta Extravagans, de suspensione a beneficio declarari, ratione materiæ, et causæ, ob quam fertur; nam suspenduntur ibi recipientes beneficia quædam male collata, et ea conferentes; ergo merito censeri possunt suspendi a beneficiis, juxta illud principium, quod unusquisque in eo puniri censetur, in quo deliquit, arg. cap. Si compromissarius, de Elect., in 6, qui textus facit probabilem hanc expositionem. Tamen, quia, saltem ille, qui contulit illa beneficia, in officio suo peccavit, verisimilius est fuisse etiam suspensum a collatione beneficiorum, quæ est suspensio ab officio. Item, quia illa suspensio simul fertur cum excommunicatione et interdicto, ideo verisimilius est simpliciter ferri, ut habeat totum effectum suspensionis, quem habere potuerit, sicut excommunicatio, et interdictum. Atque ita textus ille satis probabiliter mihi persuadet, totam suspensionem complectentem officium et beneficium per modum unius censuræ interdum ferri.

11. *Sufficientia datæ divisionis ostenditur.* — Ex his vero colligitur ratio prædictæ divisionis; nam suspensio, ut supra dixi, est propria censura personarum Ecclesiasticarum, quatenus tales sunt; in personis autem Ecclesiasticis, ut sic, hæc duo tantum inveniuntur, quibus proprie, et speciatim privari possint, scilicet aut officium spirituale, aut beneficium, quod ratione officii datur; ergo omnis suspensio aut ab officio, aut a beneficio, aut utriusque collectio esse potest; nec invenitur alia forma, aut habitus, quo privare possint.

12. *Quid per officium et beneficium in data divisione intelligendum.* — Denique intelligitur, quid nomine officii, et beneficii in illa divisione intelligatur; nam per officium intelligitur omnis potestas spiritualis ad aliquem spiritualem actum exercendum, sive sit ordinis, sive jurisdictionis, sive etiam administratio Ecclesiastica. Constat enim ministerium Ordinum officium esse, et ea voce in jure significari locis citatis; et generalius

Isidorus in cap. Perlectis, dist. 25, Ecclesiastica officia distinguens, prius omnium Ordinum rationem, et numerum declarat. Rursus etiam jurisdictionis potestas officium Ecclesiasticum propriissime dicitur, quod generali voce vocatur *officium Pastorale* apud Isidorum supra, et sæpe alias; in specie autem distinguuntur officium ordinarii, vicarii, delegati, subdelegati, et alia, quæ in Decretalibus habentur. Præter hæc autem officia, quæ maxime spiritualia, sunt alia ministeria, quæ sub officiis Ecclesiasticis comprehenduntur, ut de officio Primicerii, et Thesaurarii affirmat Isidorus supra, et in Decretalibus est etiam titulus de Officio custodis. Igitur nomine officii, a quo fit suspensio per hanc censuram, hæc omnia ministeria comprehenduntur, præcipue tamen duo prima, quæ maxime propria clericorum sunt. Interdum vero ad tertium etiam extenditur, ut colligitur ex Extravag. unic. de Rebus Eccles. non alien., inter communes, et ex sequentibus latius constabit. Nomine autem beneficii intelligitur jus perpetuum ad percipiendos Ecclesiasticos fructus seu proventus ob aliquem spiritualem titulum, ut in superioribus, tractando de effectibus excommunicationis, declaratum est. Quantum vero hæc vox in præsenti extendenda sit, inferius explicabitur.

13. *Quinta divisio.* — Quinto dividi solet suspensio in majorem, et minorem, ex Abbate in cap. ult. de Cleric. excomm. ministr., n. 4, et in cap. Cum dilectus, de Consued., n. 20. Quam alii simpliciter rejiciunt, eo quod a Panormitano non recte explicetur, tum quod (ut supra impugnavi) suspensionem minorem cum minori excommunicatione confundat, cum Glossa in Clement. *Cupientes,* verb. *Suspensi,* de Pœnis; tum etiam quia explicando suspensionem majorem, solum meminit suspensionis ab officio, suspensionemque a beneficio omisit. Alii vero eamdem divisionem admittentes suspensionem minorem explicant esse peccatum mortale, majorem vero esse illam, quæ est proprie censura. Sed hoc extra rem est, quia hic agimus de divisionibus censuræ; peccatum autem mortale non est censura; quare illud nihil aliud est, quam tacite illam divisionem rejicere. Verumtamen non est prætermittenda, nec omnino rejicienda; habere enim potest (ut opinor) verum et legitimum sensum.

14. *Divisio suspensionis in totalem et partialem. — Suspensio major, quæ.* — Ad quod explicandum præmitto divisionem aliam; nam suspensio quædam est integra, et totalis, alia vero partialis. Quam insinuavit D. Thomas, quæst. 22 Additionum, art. 3, seu in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 3. Et quidem, si suspensio ab officio et beneficio sit una, censura illa proprie est integra; eademque, quasi per antonomasiam, dicetur suspensio major, sicut excommunicatio major dicitur, quæ privat omnibus bonis, omnique communicatione, qua fideles possunt per illam censuram privari; sic enim illa suspensio privat omnibus actibus, vel fructibus quibus potest Ecclesiastica persona per hanc censuram privari; ergo est major, seu maxima suspensio. Atque ejus comparatione quælibet alia dicetur partialis, quia non privat omnibus actibus, quibus clericus privari potest, et respective dicitur minor. Verumtamen hic modus loquendi usitatus non est; nam suspensio ab officio major absolute vocatur, et est; quod ab effectu probari potest; nam qui contra illam agit, irregularis fit, ut infra dicetur; et ex objecto, seu materia, quia privat usu Ordinis, et jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ sunt res magni ponderis et momenti in Ecclesia. Unde, licet comparatione alterius sit minor, simpliciter est magna, seu major; sicut licet unum peccatum mortale sit majus alio, nihilominus quodlibet per se et absolute consideratum grave est. Atque idem censeo de suspensione a beneficio; nam secundum communem existimationem gravis pœna est, et suspensio major; imo quamvis secundum veram rei æstimationem sit minor, quam suspensio ab officio, tamen secundum communem affectum, et opinionem hominum hæc gravior, seu major censetur. Itaque quælibet ex his suspensionibus major simpliciter dicenda est. Neque inter eas invenitur analogia, etiam morali modo loquendo, ita ut suspensio absolute dicta, potius de una, quam de alia dicatur, ut supra ostendi, quamvis si vox suspensio, si non determinetur, ne ambigua maneat, pro collatione utriusque accipienda erit.

15. *Suspensio ab officio in partialem, et totalem dividitur.* — Rursus vero de utraque harum suspensionum eadem divisio fieri potest; nam aliquando fit integra et totalis suspensio, aliquando vero tantum partialis. Sic dixit D. Thomas supra, aliquam esse suspensionem ab Ordine, et non a jurisdictione; aliam a jurisdictione, et non ab Ordine; aliam ab utroque; quæ tamen omnes sunt suspensiones ab officio, tamen duæ primæ sunt par-

tiales, ultima vero totalis. Sic etiam Glossa in dict. Clement. *Cupientes,* de Pœnis, plures alias numerat species seu potius partiales suspensiones ab Ordine; nam aliquando suspenditur Episcopus tantum a consecratione Episcopi, in cap. 2 de Transl. Episcopi, et in cap. Provida, de Elect., in 6, aliquando a collatione presbyterii, vel diaconatus, cap. Litteras, de Temp. ordin., aliquando, a collatione Ordinum simpliciter, cap. penult. de Simonia, cap. Dilectus, de Temp. ordin., cap. Eos qui, eod. titul., in 6, interdum a collatione solius primæ tonsuræ, cap. Nullus, de Temp. ordin. in 6. Similiter inferiores clerici interdum, si sacerdotes sint, suspenduntur ab officio sacerdotali absolute, ut in cap. Sane, 2, de Offic. delegat., et cap. 2, eodem titulo, in 6, interdum vero solum a celebratione Missæ, aliquando vero solum a munere confitendi, et sic de aliis. Atque eodem modo fieri contingit in suspensione a jurisdictione; nam in Clement. 2 de Ætat. et qualit., delinquens privatur voce in Capitulo, quæ ad jurisdictionem revocatur; aliquando vero suspensio fertur tantum a collatione beneficiorum, cap. Grave nimis, de Præbendis, et cap. unic. Ne sede vacante, in 6, et ita de aliis actionibus. Item aliquando suspenditur quis simul ab usu partiali jurisdictionis, et Ordinis, ut in dict. cap. 2 de Translat. Episcop., a consecratione, et confirmatione Episcopi, ex quibus, consecratio actus Ordinis est, confirmatio jurisdictionis. Idem invenire licet in suspensione a beneficio. Aliquando enim est totalis in sua specie, ut cum absolute fertur suspensio a beneficio, vel beneficiis; aliquando partialis, ut cum fertur suspensio tantum a quotidianis distributionibus, vel dimidia parte fructuum, etc.; hujusmodi enim formulæ seu modi ferendi hanc suspensionem frequentes sunt in jure, cap. Nihil, de Elect., cap. Generali, eod. tit., in 6, Clement. 2 de Ætate et qualit., et aliis; quas omnes formas suspensionum in sequentibus explicabimus.

16. *Non quælibet suspensio partialis est minor.* — Ex hac ergo suspensionum varietate colligere in primis possumus, suspensiones totales ab officio, vel a beneficio, in suis ordinibus majores recte appellari; partiales tamen respectu earum posse minores vocari; et ita posset explicari distinctio data. Tamen quia inter partiales quædam sunt, quæ, licet respectu totalium sint minores, tamen simpliciter sunt magnæ et graves, ut per se notum est, ideo hoc etiam sensu non placet prior distinctio, quia illo modo nulla est pœna, quæ non possit in majorem, et minorem dividi, et quæ dicitur minor respectu unius, erit major respectu alterius. Ut ergo illa divisio alicujus momenti sit, termini illi absolute, et non respective tantum accipi debent, sicut accipiuntur in excommunicatione majori et minori.

17. *Divisio Abbatis de suspensione in majorem et minorem ad verum sensum reducitur.* — Et ideo ulterius considerare oportet non esse in jure censuram aliquam suspensionis habentem definitos effectus, et quasi certam essentiam, et definitionem, intra cujus limites suspensio minor dicatur, et omnis alia major sit, sicut contingit in excommunicatione majori et minori. Quapropter in hoc sensu fatendum est, divisionem hanc non ita habere locum in suspensione sicut in excommunicatione. Nihilominus tamen ulterius considerari potest, in tota latitudine suspensionum partialium aliquas esse, quæ prudenti existimatione leves pœnæ censeri debent, vel quia sunt de minimis functionibus, aut proventibus, vel quia pro tempore brevi imponuntur. Sicut olim excommunicatio minor non videtur habuisse eam formam certam, quam nunc habet; sed multiplices erant modi privandi usu sacramentorum, et tunc non poterat excommunicatio minor distingui a majore ex forma præscripta a jure, sed ex pœnæ gravitate et levitate, prudenti arbitrio; sic ergo nunc de suspensione dicere possumus. Estque non contemnenda regula, ut omnis suspensio, quæ non nisi propter peccatum mortale ferri potest, major dicatur; illa vero minor, ad quam incurrendam venialis culpa possit sufficere; quod enim dentur illi duo gradus suspensionum, infra constabit; quod vero illis recte accommodentur illa nomina *majoris et minoris,* ex terminis ipsis, et ex proportione ad culpas videtur per se satis manifestum. In hoc ergo sensu potest divisio admitti, quæ ab aliquibus auctoribus tradita est, quamvis a nullo fuerit in hoc sensu declarata.

DISPUTATIO XXVI.

DE SUSPENSIONE AB OFFICIO, QUID SIT, ET QUOS EFFECTUS HABEAT.

De ratione suspensionis in genere, vel simpliciter latæ, nihil dicere necesse est, quia explicatis suspensione ab officio, et a benefi-

cio, cætera constant; harum autem rationes, declaratis earum effectis, cognoscentur; et ideo in hac et sequenti disputatione hoc præstabimus; breviter enim id fieri potest, quoniam in his, quæ de excommunicatione diximus, fere omnia, quæ huc spectant, tractata sunt, eo quod excommunicatio major (ut dixi) suspensionem ab officio et beneficio quasi materialiter includit. Quoniam vero diximus suspensionem ab officio et totalem, et partialem esse, prius effectus totalis suspensionis declarabimus; postea de partiali facile dicemus.

SECTIO I.

Utrum suspensio ab officio simpliciter lata privet omni usu Ordinis, et jurisdictionis spiritualis.

1. *Suspensum ab officio non privari illo, sed usu ejus.—Suspensus qui habet jurisdictionem delegatam, an privetur illa.* — Duæ regulæ generales videntur in hac materia certæ. Prima est, suspensionem hanc non privare hominem ipsomet officio, a quo illum suspendit, neque tollere ipsam potestatem quasi radicalem, sed impedire tantum usum ejus. Hoc est constans apud omnes. Primo ex vi ipsius nominis suspensionis, quod non significat ablationem, seu destructionem, sed veluti detentionem. Secundo a simili ex suspensione a beneficio, quæ non aufert beneficium ipsum, sed usum ejus, ut infra ostendemus; ergo idem cum proportione est in suspensione ab officio. Tertio inductione quadam, nam suspensio ab officio, quatenus ad Ordinem spectat, non privat ipso Ordine, sed tantum usu ejus, quia, nec privat charactere ipso, ut secundum fidem certum est; nec perpetuo excludit clericum ab eo munere, eo modo, quo per Ecclesiam deponi potest; imo de ratione suspensionis est, ut non includat positivam perpetuitatem. Quatenus vero hæc suspensio tollit exercitium jurisdictionis, si talis jurisdictio conjuncta sit alicui dignitati, non tollit dignitatem ipsam; nam, licet Episcopus suspendatur, non privat Episcopatu; et sic de aliis. Si vero talis jurisdictio sit ex commissione, vel delegatione, ut in vicario Episcopi, in legato vel delegato Papæ, in sacerdote, qui solum ex privilegio, seu concessione habet jurisdictionem in foro pœnitentiæ, videtur res dubia. Nam, cum hi omnes ab officio suspenduntur, jurisdictione sibi concessa privantur; ergo privantur officio, cum tale officium in sola concessione jurisdictionis consistat. Nec videtur fieri satis dicendo, privari usu jurisdictionis; nam hæc duo vix possunt in jurisdictione distingui, quia non privantur usu solum quoad debitum, alias, si de facto sic suspensus exerceret jurisdictionem, et factum teneret, licet male fieret, quod falsum est; privatur ergo usu quoad ipsum jus, id est, privatur jure, et potestate utendi jurisdictione; ergo privatur jurisdictione ipsa, et consequenter etiam officio, quod solum in tali jurisdictione consistit.

2. *Resolutio.* — Nihilominus respondetur etiam tunc non privari aliquem officio propter solam suspensionem, sed usu ejus. Potestque hic non incommode applicari distinctio de jurisdictione in habitu, vel in actu, qua Navarrus et alii in materia de confessione utuntur. Dicemusque, suspensionem hanc privare jurisdictione in actu, non in habitu, officium autem hoc consistere in jurisdictione in habitu, et non tantum in actu, ac propterea suspensionem non privare hominem tali officio, sed usu ejus. Declaratur, quia tale officium consistit in deputatione talis personæ ad tale ministerium per potestatem superioris facta; hæc ergo deputatio integra manet, nec revocatur statim, propterea quod talis persona suspendatur, sed manet impedita, ne exerceri possit; et ideo dicitur manere in habitu, quasi in radice, tolli vero in actu, seu quoad usum. Confirmatur, quia ablata suspensione, idem officium perseverat, et exerceri potest, absque nova concessione; ergo signum est prius non fuisse revocatum, sed solum impeditum quoad usum. Nec enim dici potest per absolutionem suspensionis iterum officium concedi, quia sæpe potest a suspensione absolvere, qui non posset tale officium committere. Quæ ratio ad quodlibet officium Ecclesiasticum applicari potest. Imo in officiis etiam secularibus constat, licet suspendatur aliquis ab officio, non statim illo privari; suspensio ergo ab officio vi sua non privat officio ipso.

Suspensio ab officio simpliciter lata, quem effectum habeat.

3. *Conclusio.* — Secunda regula est : suspensio ab officio absolute prolata privat omni usu Ordinis et jurisdictionis, ac muneris Ecclesiastici, quantum persona capax est. Hanc ultimam particulam addo, quia, cum suspensio in privatione morali consistat, non potest habere locum nisi in subjecto capaci;

hoc enim est de ratione privationis; et ideo nemo potest suspendi ab eo casu, cujus potestatem non habet; satis enim ille per se suspensus est, vel potius negatus tali usu, ac propterea dicebamus supra, censuram hanc clericorum propriam esse, quia illorum sunt propria Ecclesiastica officia, a quibus hæc censura suspendit. Sicut ergo laicus, quia officium Ecclesiasticum non habet, suspendi non potest, ita, si clericus Ordinem habet et non jurisdictionem, quamvis simpliciter ab officio suspendatur, privabitur usu Ordinis, non vero jurisdictionis; et e converso, si clericus solius primæ tonsuræ jurisdictionem habet Ecclesiasticam, et simpliciter ab officio suspendatur, privabitur usu jurisdictionis, non vero Ordinis. Neque erit inconveniens, quod eadem censura suspensionis in plures lata, in uno habeat plures effectus, etiamsi fortasse eadem sit culpa, quia illud est per accidens ex parte subjecti, et ad judicem pertinebit arbitrio suo in illo pœnam augere alio modo, quo ille sit capax, si expediens fuerit. Addi vero potest, radicaliter saltem semper impedire hanc suspensionem usum omnium Ordinum, ut in sequentibus magis declarabimus.

4. *Suadetur conclusio.* — Regula ergo sic exposita communis est ex D. Thom., quæst. 21 Addit, art. 3; Innocentio, Abbate, et aliis, c. Cum dilectus, de Consuetud., et Summistis. Et probatur, quia suspensio ab officio ex vi verborum non coarctatur ad aliquam officii Ecclesiastici partem; ergo comprehendit totum. Antecedens patet, quia verbum illud, *Ab officio,* indifferens est, et si ejus adæquatum significatum sumatur ut totum quoddam integrale, illud constat ex variis potestatibus ad plures actus Ecclesiasticæ functionis, tanquam ex partibus; si vero sumatur ut totum universale, comprehendit sub se per modum specierum varia officia Ordinis, vel jurisdictionis. Atque hinc probatur consequentia; nam, qui absolute prohibet totum, prohibet omnes partes ejus, et, qui negat genus, negat omnes species ejus; sed suspensio ab officio includit privationem, vel prohibitionem executionis officii absolute sumpti per modum cujusdam totius, seu cujusdam generis: ergo.

5. *Suspensus ab officio, si in divinis ministret, fit irregularis.* — Unde infertur, eum, qui ab executione officii suspensus est, si, durante suspensione, se ingesserit divinis, irregularem fieri, c. 1 de Sentent. et re judic., in 6, ubi ex discursu textus constat, per verba illa, *Ab executione officii,* principaliter ibi ferri suspensionem ab usu jurisdictionis, et tamen ex subjuncta pœna irregularitatis constat, etiam includi sub illis verbis suspensionem ab usu Ordinum; nam, ut infra dicemus, suspensus non incurrit irregularitatem, nisi quando suspensus ab Ordine divina celebrat, quod etiam satis significant illa verba : *Si ingesserit se divinis*, quæ magis explicantur in c. 1, vers. *Caveant,* de Sent. excomm., in 6, ibi : *Si contigerit eos sic suspensos* (scilicet a divinis officiis) *divina officia exequi sicut prius, irregularitatem non effugient juxta canonicas sanctiones.* Divinis enim se ingerere in præsenti materia non est divina recipere; nam propter hanc causam non incurritur irregularitas, arg. cap. ult. de Cler. excommunic. minist., et late dictum est supra de censuris in communi; est ergo divina facere; at vero divina facere, potestatis ordinis est; ergo suspensio ab officio suspensionem a juridictione et Ordine comprehendit. Quod etiam insinuatur in c. 2 de Cleric. excommunic. minist.

6. *Opinio asserens suspensionem ab officio solum ab Ordine suspendere rejicitur.* — Contra hanc vero assertionem sentit Gloss., in c. Audivimus, 24, quæst. 1. Ait enim, per hæc verba : *Suspensionis ab officio,* solum significari suspensionem ab Ordine, non vero a jurisdictione, vel alia Ecclesiastica administratione, ita ut illa particula, *ab officio,* non simpliciter totum genus officii Ecclesiastici comprehendat, sed quasi per antonomasiam officium divinum, quale est omne officium Ordinis, significet. Hujus autem opinionis illius particulæ, *ab officio*, nullum affert fundamentum, nec textum quo satis ostendat hunc esse modum loquendi, aut sensum in jure usitatum; nam licet in dict. c. 1 de Re judic., in 6, supponatur, suspensum ab executione officii esse suspensum a divinis officiis, non tamen inde colligi potest, esse a solis illis, neque ex alio textu id probari potest. Imo, cum illa suspensio feratur contra judicem, qui contra conscientiam et justitiam in gravamen alterius partis aliquid in judicio fecerit, manifestum videtur, ut pœna culpæ respondeat, ac proportionata sit, illam suspensionem primo ac per se ferri de officio judicandi, nam in eo in quo quis deliquit, puniri maxime debet.

7. *Opinio alia limitans assertionem positam.* — *Impugnatur.* — Alii etiam dixerunt per verbum, *ab officio,* non suspendi aliquem a toto officio Ecclesiastico, sed ab aliqua parte ejus,

non tamen semper ab eadem determinate, quia vox id non admittit, sed ex subjecta materia legis, seu ex causa propter quam talis suspensio imponitur, ita ut pro diversitate materiæ, vel causæ diversa sit determinatio, ex illo principio quod pœna accommodatur culpæ. Ut, v. gr., in c. 2 de Solution., prohibetur, ne quis audeat Ecclesiam sibi commissam alienis debitis gravare, vel obligare, et subditur : *Si quis contra præsumpserit, ab administratione temporali, et spirituali, noverit se suspensum;* nam ex illa causa videtur illa suspensio solum esse ab administratione illius Ecclesiæ, quam quis gravavit; nam in illa administratione quis punitur, in qua deliquit, argumento Extravag. *Ambitiose,* de Reb. Eccl. non alien., inter communes, ibi : *A regimine et administratione suæ Ecclesiæ, vel monasterii, cui præsidet in temporalibus, et spiritualibus, sit eo ipso suspensus.* Sed hoc impugnatur satis ex dict. c. 1 de Sent. et re judic., in 6, nam, juxta prædictam expositionem, cum ibi fertur suspensio ab executione officii, limitanda esset ad officium judicandi, et ad usum jurisdictionis Ecclesiasticæ in foro contentioso; nam fertur in eos, qui tali jurisdictione in judiciis male utuntur. At constat, ut supra notavimus, esse etiam ab Ordine; ergo non est vera illa regula. Et ratio est, quia licet culpa versetur tantum circa unam materiam, mereri potest pœnam generalem, et quæ plures materias complectatur. Nam per excommunicationem majorem aliquis privatur multis bonis, quamvis fortasse in uno tantum deliquerit. Imo sæpe materia suspensionis talis est, ut ex illa sumi non possit ulla determinatio, ut si quis propter adulterium, vel aliud simile crimen ab officio suspendatur; ergo quamvis propter pravum usum alicujus officii suspensio feratur absolute ab officio, non sequitur determinari ad usum illius officii.

8. *Regulæ ad dignoscendum quando suspensio hæc limitetur a lege.* — Sunt tamen verba legis attente consideranda, ut intelligatur, an sententia, seu suspensio ita referatur ad facti narrationem, ut inde determinetur, ut si dicatur : *A tali officio,* vel quid simile, sicut in illa Extravag. *Ambitiose,* dicitur : *Suæ Ecclesiæ, vel monasterii cui præfuit,* etc. Item est ponderandum, an addatur verbum limitans ex sua significatione ipsum officium, ut in dictis juribus cum ponitur suspensio *ab administratione in spiritualibus, et temporalibus,* plane fit limitatio, nec fit suspensio a toto officio; non enim ex vi illorum verborum suspenditur quis a celebratione Missæ, quæ non solet dici administratio, sed suspenditur ab his, quæ jurisdictionem, aut quasi jurisdictionem, seu jus aliquid administrandi requirunt. Quando autem omnibus verbis recte perpensis, nulla fit expressa determinatio, sed simpliciter ab officio fit suspensio, tunc totalis est tam ab omni Ordine, quam ab omni jurisdictione, et Ecclesiastica administratione. Addendum vero hic est, hanc suspensionem ab officio, licet non privet officio jam obtento, ut dixi, impedire tamen, ne aliud simile suscipi possit, arg. cap. ult. de Cler. excom. minist., et omnium, quæ de simili effectu excommunicationis diximus; nam quoad hoc eadem est ratio de suspensione, ex sententia omnium, et ex juribus ibi citatis, quod in sequentibus amplius exponemus.

Ad quæ loca extendatur suspensio ab officio simpliciter lata.

9. *Suspensio hæc impedit ne officium de novo acquiratur.* — *Conclusio.* — *Per particularia præcepta potest Prælatus extra territorium obligare, non per statutum.* — Atque hinc colligitur, quod diximus de suspensione ab officio respectu partium ejus, intelligendum pari modo esse, et propter eamdem rationem respectu circumstantiarum ejus, præsertim loci et temporis, quæ in his rebus moralibus maxime considerantur. Itaque, si suspensio ab officio fertur absque loci determinatione, universaliter pro quolibet loco ferri intelligenda est; sicut enim excommunicatus in uno loco est excommunicatus ubique, ita suspensus in uno loco, si simpliciter suspensus sit, ubique erit suspensus. Cum enim dicitur, *in uno loco,* (ut illa communis locutio semel explicetur), non est intelligendum objective, sed effective, id est, ab Episcopo, seu Prælato unius loci; tamen censura non respicit illum tantum locum, sed quemlibet, et sic dicemus objective respicere omnem locum, ut recte docuit Gloss. in c. Pastoralis, § Verum, verb. *Subtrahuntur,* de Appellat., et ibi Abbas, n. 20, et Decius, n. 9. Et probatur, quia certum videtur posse Prælatum, seu Episcopum, subditum suspendere, ne alicubi celebret, vel confessiones audiat, etc.; ergo si absolute suspendit ab officio, et nullam loci limitationem adhibet, ubique suspendere censetur, quia verba simpliciter prolata hoc præ se ferunt; et nonnulla est ratio adhibendi determina-

tionem ad hunc locum, potius quam ad alium. Antecedens patet, tum a simili de excommunicatione; tum etiam quia potest tale esse delictum, ut mereatur totam hanc suspensionem, et prohibitionem; tum præterea, quia potest quis esse indignus tali administratione pro quolibet loco, vel quia est ineptus, vel infamis aut injustus; ergo ad bonum Ecclesiæ regimen necessarium est, ut possint Prælati simpliciter et pro omni loco hujusmodi homines suspendere. Dices: nullus, qui limitatam jurisdictionem habet, potest extra illam operari, c. 2 de Constitutionib., in 6. Respondetur, directe, et per communem legem, vel statutum, non operari quempiam extra territorium suum, de qua re sermo est in dicto c. 2, et eodem sensu dicitur in l. 2 de Jurisdict. omn. judic., extra territorium jus dicenti impune non pareri; tamen per particularia præcepta, quæ immediate respiciunt personas, bene potest aliquis præcipiendo, aut judicando intra territorium, objective et mediate se extendere extra illud, imponendo suo subdito præceptum, quod teneatur implere, etiamsi extra territorium vagetur, ut in superioribus, tractando de censuris in communi, declaravi, vel etiam imponendo pœnam, quæ ipsi quasi inhæreat, et illam secum ferat, quocumque tendat, sicut de excommunicatione diximus, et de depositione dicitur in cap. Si quis presbyter, 7, quæst. 1.

10. *Quorumdam limitatio positæ conclusionis. — Limitatio non procedere in suspensione Papali.* — Quidam vero hanc regulam limitant ad illam suspensionem, quæ est ab usu Ordinum, quia, cum hic usus per se non respiciat hunc vel illum locum, nec ab illo pendeat, qui simpliciter ab Ordine suspenditur, sine dubio ubique suspensus est. Secus tamen existimant in suspensione, quæ est ab aliis officiis, vel ministeriis Ecclesiasticis, quæ usum Ordinum non requirunt, ut est usus jurisdictionis fori contentiosi, electio et similia; nam in his quamvis Episcopus simpliciter suspendat subditum ab officio, non putant posse illum prohibere, quominus in alio Episcopatu possit esse judex, seu vicarius Episcopi, v. gr., aut ne possit eligere, aut habere officium custodis, aut aliam similem administrationem rerum Ecclesiæ, quia hæc videtur respicere commodum, aut utilitatem talis loci, aut territorii; ideoque prohiberi quidem possunt a particulari Episcopo intra suum territorium, non vero extra illud. Sed hoc in primis non procedit in universali Episcopo, seu Pontifice Summo, quia jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, et ejus commodum directe, ac per se respicit; ideoque in suspensionibus juris communis, quæ Papales sunt, et in omnibus aliis, quæ a Summo Pontifice quacumque ratione feruntur, absolute et sine limitatione procedit regula posita. In his vero, quæ feruntur ab aliis Episcopis, dicta sententia probabilis est.

11. *Limitatio data etiam in suspensione Episcopali rejicitur. — Confirmatur assertio ex l. Ex ea causa, ff. de Postul.* — Tamen, quia hæ censuræ non sunt considerandæ, ut puræ prohibitiones, seu præcepta imposita a privatis Episcopis, sed ut inhabilitates ab Ecclesia institutæ, ideo probabilius existimo, a quocumque imponatur suspensio ab officio simpliciter prolata, habere eamdem vim quoad loci universalitatem. Quia est censura ejusdem rationis, et licet applicetur per potestatem, et jurisdictionem particularem, tamen obligat, et suspendit ex vi institutionis suæ, quæ ab universali potestate manavit. Sicut supra de excommunicatione diximus, de qua, et de suspensione quoad hoc eadem est ratio; nam alias etiam diceretur excommunicatio quoad suspensionem ab officio, quam includit, et quoad jurisdictionem vel ministerium, non obligare ubique, quando ab Episcopo privato fertur; quod si Episcopus potest ibi obligare pro quocumque loco, quia non quomodocumque prohibet, sed imponendo censuram, cur non idem discendum erit de censura suspensionis? Potestque a simili explicari ex l. *Ex ea causa,* ff. de Postulando, ubi prohibitus a Prætore provinciæ ne postulet, dicitur extra illam provinciam posse postulare, nisi ex tali causa prohibitus sit, quæ infamiam irroget, ideoque jus postulandi pro omnibus locis auferat; quod ergo ibi dicitur de infamia, hic ego ad censuram applico; hæc enim per se jus aufert, vel suspendit pro omni loco; et ideo, etiamsi a particulari Episcopo imponatur, eamdem vim habet. Solum occurrit advertendum, licet quis habens officium in uno tantum loco, proxime ibi tantum suspendatur, tamen quia suspensio ab officio impedit, ne illa durante, possit quis novum Ecclesiasticum officium recipere, ideo ex hac parte ubique suspendit a tali officio, quando simpliciter fertur, ut dictum est.

12. *Suspensio determinata ad locum, pro illo tantum ligat. — Sic suspensus potest in alio loco simile officium accipere.* — At vero quando in ipsa suspensionis forma fit deter-

minatio loci, pro quo fit suspensio, tunc pro eo tantum loco impedit, qui in sententia exprimitur. Ut in dicta Extravag. *Ambitiose*, fit suspensio ab administratione talis Ecclesiæ, vel monasterii; nam ex vi illius non impeditur quis, ne aliam Ecclesiam, aut monasterium administrare possit; sæpe etiam ab homine suspenditur quis ab officio concionandi solum in tali civitate, vel provincia, qui extra talem locum concionari poterit. Ratio est, quia effectus non excedit voluntatem legislatoris, et judicis, l. *Non omnis*, ff. Si certum petatur; voluntas autem verbis exprimitur; si ergo verba ipsa limitationem continent, non potest effectus universalior esse. Unde fit, per hujusmodi suspensionem sic limitatam non impediri aliquem, quominus de novo simile officium vel ministerium alibi recipere possit, quia talis censura in ordine ad talem locum nullum impedimentum ponit: ergo, etc. Et in hoc est discrimen inter excommunicationem majorem et suspensionem, quia illa universalis est semper, nec consuevit limitari ad unum locum, ideoque ubique habet suos effectus. Cujus ratio non est alia, nisi quia excommunicatio major, quæ privat activa administratione, etc., non consuevit ferri per partes, sicut in suspensione fit.

Suspensio ab officio simpliciter lata quantum duret.

13. *Conclusio. — Limitatur primo conclusio. — Limitatur secundo. — Ratio conclusionis. — Objectio. — Solutio.* — Eodem modo judicandum est de circumstantia temporis, seu de duratione suspensionis. Nam, si suspensio proferatur absque temporis limitatione, semper durat, donec auferatur ab habente potestatem. Ita docent communiter Doctores, Innocent., in c. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., c. Ad hoc, de Appell., n. 4, c. Ex litteris, de Constit., ubi etiam Abbas, et ibidem Glossa in c. *Si autem*, de Constit. Qui auctores loquuntur de suspensione lata per sententiam hominis; est autem eadem ratio de lata a jure, quamvis raro ita feratur. Adhibent autem duas limitationes. Una est, ut sententia sit definitiva, qua tota causa determinatur, quia interlocutoria non censetur sufficiens, eo quod tam gravis pœna non debeat tam facile imponi; tunc ergo tacita censetur inesse conditio a judice subintellecta : *Usque ad beneplacitum meum*, durabitque ad summum quamdiu judex in suo officio duraverit, nisi antea illam abstulerit, argument. l. ult. ff. de Pœnis. Alia conditio est, ut culpa sit digna suspensione perpetua, quia pœna præsumitur justa, ideoque culpam non excedere. Imo si res fuerit dubia (ait Panorm.), judicanda est temporalis, quia pœnas semper favorabilius interpretamur. Tunc ergo censetur absolute imponi suspensio, ut duret quamdiu judex prudenti arbitrio æquum esse judicaverit. His ergo concurrentibus, ratio assertionis est evidens, quia talis suspensio non habet terminum ex verbis legis, ut supponitur, nec ex causa, quia supponitur digna perpetua suspensione; unde ergo habebit, vel cur hunc terminum potius quam alium? Aliunde vero lex vel præceptum absolute latum durat donec revocetur; et judex ac lex præsumitur imponere condignam pœnam : ergo. Dices : eo ipso quod lex, vel judex utitur verbo suspensionis, excludit perpetuitatem, alias jam non esset suspensio, sed depositio, juxta Glossam in cap. Si quis, 83 dist.; Antonin., tract. de censur.; Immol. et alios in cap. *Dum dilectus*, de Consuetud. Dico tamen illam non esse perpetuam positive, sed negative (ut supra declaravi), et in hoc differre a depositione (ut infra latius dicam.) Non enim excludit spem dispensationis; et ideo virtute includit conditionem, donec per superioris indulgentiam tollatur.

14. *Suspensio pro certo tempore lata, eo elapso aufertur absque absolutione.* — Secus vero est, si ad certum tempus feratur, ut sæpe fit : tunc enim finito termino designato, per se desinit suspensio, quia pœna non excedit voluntatem imponentis, et quia ad hunc effectum ponitur illa determinatio, cujus varia exempla congerit Gloss. in Clement. *Cupientes*, v. *Suspensio*, de Pœnis. Dubitant tamen Doctores, an tunc cesset suspensio ipso facto, vel necessaria sit nova judicis, vel habentis potestatem absolutio. Quæ quæstio pertinebat ad disputationem de absolutione; sed quia apud me nullam difficultatem habet, ideo breviter dico, tunc nullam esse necessariam absolutionem, sed ipso facto elapso tempore cessare, ut docuit Gloss., in c. Sacro, de Sent. excom., et in Clement. 1 de Decimis, v. *Donec;* Innocentius, et Abbas, in c. Cum bonæ, de Ætate et qualit.; quia hæc non est proprie censura, ut propterea per absolutionem necessario tollenda sit, sed est pœna pura, quæ non transgreditur fines lege præscriptos.

15. *De suspensione sub conditione lata quæ ex voluntate rei pendet.— Conditio hæc interdum tacite subintelligitur.* — Est autem advertendum interdum ferri suspensionem non ad tempus omnino certum, neque etiam absolute et simpliciter, sed sub conditione, id est, *donec talis conditio impleatur,* quæ quidem conditio interdum posita est in voluntate ipsiusmet suspensi, quod maxime servatur in ea suspensione, quæ per modum censuræ fertur pro contumacia, et cum aliquo ordine ad futurum actum, scilicet cum quis suspenditur, *donec satisfaciat, vel restituat,* vel *a contumacia recedat.* Et tunc certum est suspensionem durare, quamdiu conditio non expletur, quia hæc est intentio legis, ut ex ejus verbis constat, et alioqui est justa et efficax. Secundo etiam certum est, impleta conditione, statim suspensionem esse auferendam, quia hæc est intentio legis, quæ in hoc etiam est justa, quia illa pœna medicinalis est; et ideo qui recessit a contumacia, jam non est dignus illa. Superest vero quæstio, an ut tollatur, necessaria sit absolutio, et quando et quomodo danda sit, quæ infra in propria disputatione tradetur. Oportet autem advertere, hanc conditionem interdum subintelligi, licet non ponatur explicite, scilicet, quoties ex materia et fine legis constat non ferri tantum pro delicto commisso, sed ut a contumacia recedatur, atque adeo per modum censuræ; et tunc eamdem esse rationem, ac si conditio esset explicite posita, quia etiam est medicina. Atque ita sentit Sylv., v. *Suspensio,* n. 4; Innoc., c. 1 de Excessib. Præl.; Abb., c. Reprehensibilis, de Appellat.

16. *De suspensione sub conditione ex voluntate judicis pendente lata.* — Potest præterea conditio apponi ex voluntate ferentis pendens, ut *donec aliud disposuero,* vel quid simile, juxta c. Litteras, et c. Dilectus, de Temp. ord., c. Nihil, de Elect., c. Tam litteris, de Testibus. Tunc ergo etiam est certum durare illam suspensionem, quamdiu conditio non impletur, illa autem impleta cessare, quia ad hoc etiam habet efficaciam lex, et hoc intendit, ut ex ejus verbis constat. Observandum autem erit, quando suspensio hoc modo imponitur, non ferri per modum censuræ ad contumaciam cohibendam, quia, quantumvis aliquis a contumacia recedat, vel satisfaciat, suspensus manebit, quamdiu superior sententiam non revocaverit; neque obligabitur ex vi legis et justitiæ talem pœnam tollere propter resipiscentiam alterius; quia lex sub prædicta forma lata ad hoc non obligat, sed potius constituit in superioris arbitrio differre suspensionis revocationem, quamdiu ad commune bonum, vel aliorum exemplum expedire judicaverit. Quo fit, ut talis suspensio tunc magis feratur per modum puræ pœnæ pro peccato commisso; et idcirco non indigeat alia absolutione præter declarationem beneplaciti, vel revocationem talis pœnæ ab ipso judice seu superiori factam.

17. *Quid si judex antequam quidquam de tali conditione declaret, moriatur.* — *Discrimen inter conditionem usque ad beneplacitum meum, et beneplacitum Sedis.* — Hic vero dubitant Juristæ, quid dicendum sit, si contingat judicem mori prius, quam circa talem conditionem quidquam declaret; constituuntque discrimen inter illas duas conditiones, *usque ad beneplacitum,* vel *usque ad revocationem.* Nam prior non requirit actum contrarium, sed solum perseverantiam in priori voluntate, ita ut moraliter durare censeatur. Posterior vero requirit actum contrarium; nam hoc significat *revocationis* nomen. Ex qua differentia inferunt, quando conditio est modi posterioris, tunc non impleri, nec cessare suspensionem propter mortem suspendentis, sed necessarium esse ut per successorem ejus vel per superiorem fiat revocatio, argument. cap. ultim. de Precar. Et ratio est, quia conditio illa postulabat revocationem, quæ facta non fuit, nec voluntas contraria intercessit; ergo non fuit impleta conditio; ergo nec finita suspensio. Potest autem successor illam auferre, quia eamdem jurisdictionem habet, et moraliter non censetur differre ab antecessore. Is etiam, qui superiorem jurisdictionem habet, potest quidquid inferior, et aliquid amplius, juxta superius dicta de absolutione a censura. De qua re videri possunt Felin., in cap. 1 de Judic., num. 7, et Jason., in l. Centesimis, § ultim., de Verb. oblig. Prior vero conditio de beneplacito voluntatis, cum non requirat actum contrarium, sed solam cessationem, per mortem impleri censetur. Oportet autem adhibere distinctionem, qua usus est Pontifex, in cap. Si gratiose, de Rescript., in 6; aut enim in tali conditione fit sermo de beneplacito personæ, ut sic dicatur, *usque ad beneplacitum Petri,* vel *usque ad beneplacitum meum,* vel *nostræ voluntatis,* aut conditio fuit, *usque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ,* v. gr., aut *Pontificis Romani,* et sic de aliis. Quando fit

priori modo, impletur conditio per mortem personæ, ut in eodem textu dicitur, quia cum persona extinguitur omnis voluntas, et consequenter cessat beneplacitum, quod solum fuerat in prædicta conditione postulatum, ut sumitur etiam ex l. 4, ff. Locati. At vero, quando de beneplacito Sedis mentio facta est, non impletur conditio, nec cessat suspensio propter mortem personæ suspendentis, ut ex eodem textu a paritate rationis sumitur. Est autem ratio, quia Sedes non extinguitur cum persona, sed quasi in continua successione eadem semper permanet. Quando autem in conditione apposita vel in quocumque rescripto fit mentio loci seu Sedis, et non tantum personæ, negotium totum refertur ad Sedem ipsam, et ab ea pendere videtur, et non a sola persona, ut habetur in c. Quoniam Abbas, de Offic. deleg. De qua doctrina videri possunt Abbas, et alii Doctores in citatis textibus, et Felinus in cap. Ex litteris, de Constitut.

SECTIO II.

Quale peccatum sit violare suspensionem ab officio, quantumque talis actio valeat.

1. *Conclusio. — Per suspensionem non tollitur obligatio recitandi privatim officium canonicum.* — Principio certum est graviter peccare eum, qui dum suspensus est ab officio, aliquid officii Ecclesiastici exercet. Probatur, quia est in universum prohibitus, ut ostensum est; est autem hæc prohibitio de re gravi ex suo genere, ut constat; ergo ex suo genere transgressio Ecclesiastici præcepti peccatum est mortiferum. Et confirmatur, nam propter hanc causam communicatio in sacris est ex genere peccatum mortale in excommunicato, quia materia illa gravis est, a qua excommunicatus est prohibitus et suspensus per censuram Ecclesiasticam. Eadem autem ratio est in præsenti, nam usus Ecclesiastici muneris sacrum quid est, et per hanc censuram graviter interdicitur : ergo. Atque hoc modo potest hæc veritas confirmari ex cap. Sacris, de Iis quæ vi, et per argumentum a fortiori ex cap. ultim. de Cleric. excomm. ministr. Item confirmatur ex gravi pœna, quæ in jure pro hac transgressione imponitur, de qua statim dicemus. Adverto tamen hoc non procedere de officio canonico privatim recitando; nam hoc est merum onus, non honor, et illud non tollitur per pœnam, sicut in simili diximus de excommunicatione; est enim hic eadem ratio, ut notavit Gloss. ult. in cap. Presbyterum, 28 d.; Sylvest., verb. *Irregularitas,* num. 15; Abbas, in cap. 2, de Cleric. excom. ministr.; Deci., in cap. Apostolicæ, de Exception.

Acta a suspenso validane sint.

2. *Actus Ordinis a suspenso facti validi sunt. — Actus jurisdictionis sunt invalidi. — Nisi suspensio sit occulta. — Aut non denunciata. — Suspensus non denunciatus potest licite actus jurisdictionis exercere.* — Statim vero inquiri poterat, an acta ab hujusmodi sic suspenso valida sint. Sed hæc dubitatio eodem modo expedienda est, quo similem de excommunicatione resolvimus. Aut enim quæ a suspenso aguntur, sunt actus solius Ordinis, qui ad suum valorem jurisdictionem non requirunt, aut sunt actus potestatis jurisdictionis, sub qua (ut hoc semel admoneam) comprehenditur potestas eligendi, et similes, sive in rigore jurisdictionem includant, sive aliquod æquivalens jus ab hominibus concessum et auferibile. Actus igitur Ordinis validi sunt (excepta absolutione sacramentali, quæ ex jurisdictione pendet), quia Ecclesia non potest impedire valorem horum actuum, si debita materia et forma a ministro habente potestatem ordinis vera intentione applicentur, ut sæpe in superioribus ostensum est. At vero, si actus sunt tales, ut jurisdictionem postulent, per se loquendo, invalidi sunt, quia suspensus privatus est actuali jurisdictione, ut supra declaratum est, et jura, quæ supra attulimus ad hoc probandum de excommunicatione, expressius de suspensione loquuntur. Dixi autem, *per se loquendo,* propter regulam sæpe traditam, quod, si suspensus sit occultus, et ab Ecclesia communiter toleretur in publico ministerio seu officio, acta ejus valent, quia Ecclesia supplet defectum propter commune bonum. Ubi etiam advertere oportet, Extravag. *Ad evitanda,* in hac etiam censura locum habere; nam et generaliter dicit *ratione alicujus sententiæ aut censuræ Ecclesiasticæ,* et specialiter addit, *aut suspensionis, aut prohibitionis a jure aut ab homine generaliter promulgatæ.* Quapropter, si suspensus non est specialiter denunciatus, quamvis quoad se prohibitus sit, ne in officio suo ministret, et ideo peccet, si id faciat per se aut ex se, tamen quoad alios non est privatus jurisdictione, sicut de excommunicato supra dixi. Item, quia alii possunt ab hujusmodi suspenso

non denunciato hos actus postulare, v. gr., absolutionem sacramentalem, vel absolutionem ab excommunicatione, vel aliquid simile pertinens ad jurisdictionem fori contentiosi; ergo potest suspensus valide hoc actus exercere; alioqui nullius momenti esset concessio illius Extravag.; ergo retinet jurisdictionem necessariam ad valorem actus. Unde ulterius sequitur hujusmodi suspensum non solum valide, sed etiam licite hujusmodi actum exercere, quando absolvi non potest, et ipse non se ingerit, sed alius ab ipso exigit debitum, ut si parochus ejus sit, vel certe si vere indiget ejus ministerio, et in eo favori recipientis, non exercentis consulitur, quod eodem modo intelligendum est, quo similem doctrinam de excommunicatione declaravimus.

Quam pœnam incurrat, qui suspensionem violat.

3. *Conclusio. — Suspensus non denunciatus violando censuram potest fieri irregularis.* —Huic vero quæstioni alia est annexa, quam pœnam incurrat suspensus ab officio, ministrando in illo. Ad quam dicendum est hujusmodi suspensum ab officio, si actus Ordinis ante absolutionem exerceat, irregularem fieri; aliam vero pœnam aut censuram ipso facto non incurrere; si vero actum solius jurisdictionis usurpet, nullam habere pœnam specialiter ipso jure impositam, sed arbitrio judicis puniri debere. Prima pars constat cap. 1 de Sentent. et Re judic., in 6, et in cap. 1 de Sentent. excom., eodem, et ex cap. Si quis Episcopus in Concilio, et c. Si quis Episcopus damnatus, 11, quæst. 3. Ex quibus juribus colligere licet, tam suspensum a jure, quam ab homine, incurrere eamdem irregularitatem, quia de suspensione a jure loquuntur decreta citata ex lib. 6, de suspensione vero ab homine canones Decreti; et cap. Is cui, de Sentent. excom., in 6, generatim et abstracte loquitur, quare omnem suspensionem comprehendit. Estque utriusque ratio eadem, quia est censura ejusdem speciei ; diversa enim causa efficiens non mutat speciem, per se loquendo. Incurret autem hanc pœnam etiam ille qui nominatim non est denunciatus suspensus, si violet censuram, quia quoad ipsum integrum manet jus, quo hæc irregularitas lata est, ut est communis sententia, de qua videri potest Abbas in cap. Sicut, de Cohabit. cleric. et mulier. Excusabitur autem ab irregularitate, quoties excusatus fuerit a culpa ministrando, vel ut vitet gravem infamiam, vel scandalum, etc., quia hæc irregularitas est pœnalis, et ideo cessat cessante culpa.

4. *Violans suspensionem, quæ in puram pœnam fertur, etiam fit irregularis.* — Addendum vero ulterius est, hanc irregularitatem non incurri tantum in suspensione, quæ est propria censura, sed etiam in illa, quæ est pura pœna. Prior pars certa est ex juribus citatis, tum supra de excommunicatione, et præcipue ex cap. Is cui, de Sent. excom., in 6, ubi constituitur generalis regula, *de celebrante divina, cum sit censura ligatus.* Et hæc est ratio unica hujus partis, quæ videtur reddere dubiam posteriorem partem, quia illa suspensio non est censura. Nihilominus etiam est certa, quia suspensio lata ad definitum tempus non est propria censura, sed pœna, et tamen in illa incurritur hæc irregularitas, nam de illa expresse loquuntur cap. 1 de Re judic., et de Sentent. excom., in 6, quia talis suspensio tam efficaciter privat sacro ministerio dum durat, sicut quælibet alia; non ergo incurritur hæc pœna tantum in propria censura, sed etiam in pura pœna.

5. *Contraria opinio improbatur.* — Unde fit improbabilem esse quorumdam Canonistarum opinionem, qui dixerunt, quando suspensio a jure fertur his verbis : *Qui hoc fecerit, suspensus sit ab officio donec satisfaciat,* etiamsi post commissum tale crimen ministret in officio, non manere irregularem, quia illa suspensio (aiunt) non est censura, sed quædam intrinseca pœna, quam secum affert ipsum peccatum, argumento cap. ultim. de Cohabitat. cleric. et mulier., et significavit Innocentius, in cap. ultim. de Clerico excom. ministr., num. 3. Sed hoc non est probabile, quia non potest censura vel suspensio Ecclesiastica expressioribus verbis ferri. Item quia talis lex non explicat solum, intrinsecum effectum ipsius peccati, sed propriam pœnam Ecclesiasticam inducit, ut ex ipsis verbis satis constat, quæ inutilia essent, si nihil aliud operarentur, quam id, quod ipsum peccatum per se inducit. Maxime quod sæpe ipsum peccatum per se non posset impedire omnem actum, quem talis suspensio impedit; nam interdum est suspensio a toto officio Ecclesiastico, et tamen peccatum per se non impedit omnem actum cujuscumque Ordinis inferioris, neque etiam jurisdictionis, ut alibi ostendimus. Aliquando etiam talis suspensio est non solum ab officio, sed etiam a bene-

ficio, ut patet ex c. Quia sæpe, de Elect., in 6, cap. Præsenti, de Officio ordin., in 6; at constat, suspensionem a beneficio pœnam esse, quam ipsum peccatum per se non infert, nisi ab Ecclesia imponatur; ergo idem dicendum est de suspensione ab officio sub eodem tenore et verbis lata. Est ergo talis suspensio vera censura; ergo qui illam incurrit, irregularis fit, si, antequam illa liberetur, in divinis ministret ex officio. Quod recte docuit Glossa, cap. 2 de Censibus, in 6, verb. *Suspensos*. Neque est ad rem cap. ultim. de Cohabitat. cleric. et mulier., quia ibi non fertur pœna sub illis verbis, nec sub aliis æquivalentibus, sed solum dicitur, clericum concubinarium ratione sui mali status esse quoad se suspensum, ubi verbum *suspensio*, late sumitur pro impedimento, seu obligatione, quam talis sacerdos habet in conscientia non celebrandi in eo statu; et ideo certum est, illum non fieri irregularem celebrando, etiamsi peccet; nos vero loquimur, quando in canone sunt verba sufficientia ad significandam et imponendam censuram. Hic autem occurrebat declarandum, quale debeat esse hoc ministerium, ut sit sufficiens causa hujus irregularitatis. Sed hoc sufficienter egimus tractando de simili irregularitate, quam incurrit excommunicatus in divinis ministrando; nam eadem doctrina applicanda est ad suspensionem.

6. *Secunda conclusionis pars probatur.* — Præter hanc vero pœnam (quod in secunda parte assertionis dicebamus) nullam aliam invenimus in jure impositam pro usu Ordinis. Pro usu vero solius jurisdictionis, qui non includat actum Ordinis, non invenitur vel irregularitas, vel alia censura, aut pœna generaliter a jure imposita, et ideo propter illum actum irregularitas non incurritur, juxta generale principium de irregularitate. Nec probandam censeo opinionem, quam ex aliis refert et sequitur Maiolus, lib. 3 de Irregul., cap. 19, extens. 2 et 14. Qui dicunt, suspensum ab Ordine vel officio, conferendo beneficium alicui, incurrere irregularitatem; talis enim irregularitas nullo jure ostenditur, neque a Maiolo citatur, imo nec Glossa magna, quam citat ex cap. Tanta, de Excess. Prælat., hoc affirmat; solum enim agit de celebrante violando interdictum. Glossa vero magna, quam etiam refert ex c. Cum dilectus, de Consuet., licet dicat, clericum suspensum non posse valide beneficia conferre, non tamen dicit fieri irregularem ea conferendo. Neque id recte infertur (quidquid sit de antecedenti, de quo supra dictum est), quia non omnis violatio suspensionis inducit irregularitatem, sed illa tantum, quæ est in usu Ordinum, quia jura de nullo alio actu loquuntur. Et juxta hanc regulam judicandum est de multis aliis extensionibus hujus pœnæ, quas ibi late Maiolus prosequitur. Veritas enim est, irregularitatem non incurri pro usu beneficii aut jurisdictionis, qui non includit actum Ordinis. Et congruentia reddi potest, vel quia actus solius jurisdictionis non sunt adeo sacri, sicut actus Ordinis, et ideo non oportuit tam severe in jure puniri, vel certe quia irregularitas per se non impedit actum jurisdictionis, sed Ordinis, et ideo tanquam pœna proportionata imponitur ei, qui cum suspensus sit, male utitur Ordinibus, non vero ei, qui solum usu jurisdictionis male usus est. Quia vero hoc etiam est grave delictum in injuriam censuræ et Ecclesiasticæ potestatis, quamvis in jure non punitur, puniendum est a judice, si legitime probetur; non enim debent talia delicta impunita manere.

De participantibus cum suspenso ab officio.

7. *Suspensio non privat aliorum communicatione.* — Tandem potest facile ex dictis intelligi, quomodo peccent alii, qui cum suspenso ab officio participant in hujusmodi pravo usu suspensionis suæ. Est enim advertendum, suspensionem per se non privare communicatione aliorum, sicut excommunicatio privat. Nam formaliter loquendo, in hoc præcipue differunt hæ duæ censuræ, ut supra visum est et auctores docent; neque est ullum jus, in quo hic effectus suspensioni tribuatur; ideoque nec communis confabulatio, aliæque actiones usualis communicationis hominum, neque etiam humani contractus, neque actiones forenses, tum agendo, tum se defendendo, vel etiam testificando, per suspensionem prohibentur, per se loquendo. Quia hæc non prohibentur per censuras, nisi ut sunt communicationes quædam, et ideo licet per excommunicationem prohibeantur, non tamen per suspensionem; nec invenitur in jure, ut notarunt etiam Innocentius, Abbas et alii Doctores in cap. Intelleximus, de Judiciis, et in cap. Venerabilis, de Sentent. excommun. Solum ergo prohibetur aliis illa participatio cum suspenso, quæ est communicatio vel cooperatio cum illo in delicto vel malo usu officii, a quo est suspensus; hæc enim per se, et intrinsece mala est, et prohibita.

8. *Quam pœnam incurrat participans in delicto cum suspenso.* — At pro tali delicto nulla est in jure imposita pœna vel censura ei, qui sic communicat cum suspenso; unde neque excommunicatio minor propterea incurritur, sicut in communicatione cum excommunicato. Quin potius etiamsi quis cum suspenso communicet in crimine, propter quod suspensus est, non propterea incurrit eamdem suspensionem, aut etiam censuram, quia nullo jure lata est; in quo etiam differt hæc censura ab excommunicatione. Et fortasse ratio seu fundamentum est, quia suspensio non respicit per se communicationem, sicut excommunicationis censura.

SECTIO III.

Utrum suspensus ab officio sit etiam suspensus a beneficio, vel ab aliquo alio actu sacro vel prophano.

1. In hac sectione explicandum nobis est, an suspensio hæc ab officio alios effectus habeat, præter eos, quos in præcedenti declaravimus. De tribus autem dubitari potest, scilicet de beneficiis vel fructibus eorum, de aliis spiritualibus bonis, quæ magis in recipiendo, quam in agendo consistunt, et de actionibus mere civilibus seu temporalibus.

2. *Suspensus ab officio non privatur beneficio.* — Circa primum punctum res certa est, ex vi suspensionis ab officio non privari quempiam beneficiis, quæ possidebat; nam ut infra ostendemus, etiam per suspensionem a beneficio non privatur quis titulo et proprietate beneficiorum. Item nullus est in jure locus, in quo hic effectus suspensioni ab officio tribuatur. Quod si quis objiciat c. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., respondebimus primum, ibi non declarari, an illa suspensio sit ab officio; solum enim refertur, quemdam fuisse ab homine suspensum. Deinde ibi solum dicitur, illum, qui post suspensionem, in qua per triennium permanserat, aliud beneficium adeptus est, neque illud, neque alia, quæ prius habuerat, obtinere debuisse; ex quo potius colligitur, per priorem suspensionem non fuisse privatum beneficiis, quæ habebat, sed propter pertinaciam in suspensione et propter delictum postea commissum, illis fuisse privandum, quem textum magis in sequentibus declarabimus.

3. *Suspensus ab officio an ipso jure privetur fructibus beneficii.* — *Prima sententia.* — *Secunda sententia.* — *Tertia sententia.* — *Quarta sententia.* — *Quinta sententia.* — *Vide Tiraquellum, de Legibus communibus, 1 part., num.* 24. — Tota ergo dubitatio est de fructibus beneficii, an per suspensionem ab officio ipso jure aliquis eis privetur. Et ratio dubitandi esse potest, quia beneficium non datur nisi propter officium, cap. ult. de Rescript., in 6; ergo hoc ipso, quod ab officio quis suspenditur, eorum radice et fundamento, consequenter suspenditur a beneficio, quia accessorium sequitur principale; beneficium autem accessorium est respectu officii, argumento c. Si quis objecerit, 1, quæst. 3; D. Thom., 2. 2, quæst. 100, art. 4. Et confirmatur, quia excommunicatio privat fructibus beneficiorum, ut supra ostensum est, cujus est potissima ratio, quia excommunicatus omni usu Ecclesiastici officii privatus est; ergo idem erit de suspensione. Atque ita sentit Glossa in cap. Latores, de Clerico excom. minist., verb. *Ab officio. Quia ubi est* (inquit) *unum propter aliud, ibi est unum tantum.* Glossa vero in Clement. *Cupientes,* de Pœnis, verb. *Suspensio,* disputans quæstionem hanc, dubiam illam relinquere videtur. Alii vero Canonistæ, prædictam sententiam limitando, distinctione usi sunt, de suspensione a jure, vel ab homine. Et quidam dixerunt, eam suspensionem ab homine, quæ est ab officio, esse etiam a beneficio, non vero eam, quæ est a jure, ut refert dicta Glossa in Clem. *Cupientes,* et Glossa, in c. 1 de Re judicata, in 6, verb. *Officii,* quia jus, quod pœnam infert, benignius interpretandum est, quam hominis sententia. Alii e contrario dixerunt, suspensionem ab officio, si sit juris, includere suspensionem a beneficio, non vero si sit ab homine. Ita refert ex Joanne Andrea, Glossa in cap. Præter, dist. 23, verb. *Ab Ecclesia,* argumento illius textus. Alii variis distinctionibus utuntur, quas refert Sylvest., verb. *Suspensio,* num. 5. Una est, quia cum aliquis suspenditur ab officio cum additione exclusivâ, scilicet, *tantum* vel *solum ab officio,* tunc non suspenditur a beneficio; quando vero sine additione talis particulæ fertur suspensio ab officio, comprehendit etiam beneficium. Et ratio esse potest, quia particula exclusiva aliquid operatur; ergo cum additur, aliquid excludit, quod sine illa non excluderetur, quod nihil aliud esse videtur, quam suspensio a beneficio. Alii quos refert et sequitur Covarruv., in epitome 4 Decretal., 2 part., cap. 6, in princ., num. 13 et 14, et sentit Abbas, in cap. Apostolis, de Except., num. 9, cum Glossa, in cap. Presbyter, 2,

quæst. 5, putant ulterius esse considerandam causam vel gravitatem delicti, propter quod quispiam suspenditur; nam si suspenditur ab officio propter infamiam vel contumaciam, non suspenditur a beneficio; si propter crimen, vel crimen est leve, et non suspenditur a beneficio, vel est grave, et ab utroque suspenditur. Sic etiam distinguere videtur de suspensione ob contumaciam, vel ob delictum, Abbas, in cap. Pastoralis, § Verum, n. 16, de Appell., quatenus ait, suspenso ob contumaciam non esse providendum de fructibus beneficii, quia ipse sibi potest providere, si velit resipiscere; supponit ergo, quamdiu non resipiscit, non facere fructus suos; alteri vero ait esse providendum, ne egeat, quia jam non pendet ex voluntate ejus, ut a suspensione absolvatur. Et pro hac sententia citat Glossam, quam sic declarat, in cap. Cum Vintoniensis, de Elect.

4. *Vera sententia.* — Dicendum censeo, quando suspensio ab officio præcise fertur, sive a jure, sive ab homine, per se non includere suspensionem a beneficio, et consequenter non privare sic suspensum fructibus beneficii, his exceptis distributionibus, quæ non conferuntur, nisi his, qui per se assistunt seu ministrant in divinis officiis. Hæc est (ut opinor) communis et certa sententia, ut sumitur ex Navarro, c. 27, n. 160; Abbate, et aliis in Clement. *Cupientes,* de Pœnis, et in cap. Apostolis, de Except. Et confirmatur optime ex cap. Inter, de Purgat. canonica. Quod sic habet : *Licet Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum, usque ad purgationem canonicam docet suspendendos, quia tamen etiam eum a beneficio propter immanitatem criminis suspendisti, nolumus improbare.* Ex quibus verbis constat, suspensionem ab officio non includere suspensionem a beneficio, nisi adjungatur. Ratio autem est, quia verba stricte accipienda sunt in his, quæ odium seu pœnam continent; sed illud additum, *ab officio,* restringit ad talem partem suspensionis; ergo non est ulterius extendenda. Confirmatur, nam quando lex vult utrumque complecti, utrumque etiam expresse proponit, ut patet ex c. Decernimus, dist. 28; cap. Præter, dist. 32; cap. Si quis sacerdotem, et cap. Fas, dist. 82; cap. 1 de Secundis nuptiis, et cap. 2 de Fidejussor., et aliis supra relatis. Similiter judices solent id exprimere, semperque possunt id facere, si velint; ergo quando exprimunt, *ab officio,* signum est nihil aliud imponere voluisse. Neque est verum in illa particula, *ab officio,* virtute comprehendi beneficium, quia propter officium datur. Supra enim agentes de excommunicatione ostendimus, hanc non esse sufficientem rationem, quia licet ratio institutionis beneficii sit officium, tamen non semper necessarium est, ut is, qui habet beneficium, per se exerceat aliquod Ecclesiasticum ac publicum officium ad percipiendum valide, et interdum licite fructus beneficii; ergo licet quis suspendatur ab usu officii, non propterea statim privatur fructibus beneficii. Eo vel maxime, quod semper tenetur officium canonicum saltem privatim recitare, quæ præcipua, vel magna pars est oneris, quod per beneficium imponitur. Solum ergo illa ratio habet locum in illis fructibus, qui ita sunt annexi personali ministerio, ut absque illo non dentur, ut sunt quotidianæ distributiones cathedralium Ecclesiarum, juxta cap. Licet, de Præbendis, et si quæ sunt hujusmodi. Atque ita ex ea ratione solum probatur ultima pars sententiæ propositæ.

5. *Contraria sententia impugnatur. — Secunda et tertia rejiciuntur. — Quarta improbatur.* — Neque distinctiones aliarum opinionum probabilitatem præ se ferunt. Quid enim ad præsens negotium refert, quod suspensio lata sit a jure vel ab homine, si eisdem verbis ab utroque lata est, et verba ab utroque prolata eamdem significationem habent, et utriusque, scilicet et legislatoris, et judicis, voluntas, et efficacitas verbis accommodanda, commensuranda ac restringenda est? Nam in utroque verum habet axioma juris, quod pœnæ restringendæ sunt; nulla ergo est ratio differentiæ inter suspensionem ab homine et a jure. Nec quidquam etiam interest, quod addatur particula exclusiva, vel omittatur; nam imprimis nulla afferuntur jura, in quibus hoc discrimen notari possit, ut ex eis vel regula, vel saltem indicium probabile sumatur, unam formam verborum plus operari quam aliam. Et in sententiis ab homine, voluntarium est; vel unus cautior est in loquendo quam alius, ideoque expressius, omnemque dubitationem excludendo, mentem suam declarat. Ut si unus in testamento dicat : *Lego centum Petro,* alius vero dicat : *Lego tantum centum,* vel *Lego centum, et non amplius,* idem est legatum, quamvis unus addiderit expressam exclusionem, quam non addidit alius; quoad effectum non refert, quia ut legatum non sit majus, proinde est majorem quantitatem ta-

cere quam negare. Et hæc ratio habet locum in præsenti, quia sententia non potest plus operari, quam verbis exprimatur. Nec satisfacit, quod quidam asserunt, hoc pendere ex intentione judicis; ut si ipse intendat suspensionem ab officio et beneficio imponere, quamvis in sententia tantum exprimat suspensionem ab officio, dummodo aliud non excludat, utrumque operari. Nam in rigore id falsum esse existimo, nisi in antecedentibus et consequentibus verbis aliqua addantur æquivalentia, quibus talis intentio sufficienter exprimatur. Quia intentio non operatur sine verbis, in censuris ferendis, ut supra, explicando formam censuræ, declaratum est. Imo hoc commune est his sententiis cum aliis, vel cum contractibus, sub verbis includendo quælibet sufficientia signa.

6. *Quinta sententia eluditur.* — Quapropter multo minus ad rem confert, quod suspensio sit lata propter crimen tantum, vel propter aliam causam, aut propter crimen grave vel leve, quia suspensio efficitur juxta formam, per quam fit; nam in hac est vis effectiva illius; causa vero, vel culpa est veluti materia, seu ratio impulsiva. Sicut in criminali sententia, v. gr., non sat est, quod delictum sit dignum morte, si judex solum exprimat in sententia mutilationem membri, quia licet pœna imponenda sit juxta qualitatem culpæ, tamen de facto non imponitur, nisi juxta voluntatem judicis, quæ interdum non est adæquata delicto; quod ex verbis sententiæ semper judicandum est. Gravitas ergo delicti consideranda est ad cognoscendum, an sententia fuerit justa, remissa, vel excedens; non tamen ad cognoscendum, an hæc, vel illa pœna fuerit imposita; hoc enim verba ipsa sigificare debent, nisi forte interdum sint aliqua ambigua, ut ex comparatione ad culpam conjectandus sit eorum sensus; quod in præsenti locum non habet, cum verba ipsa satis perspicua sint. Confirmatur, nam si judex proferat sententiam sub hac forma : *Suspendo te ab officio et beneficio*, licet considerata gravitate criminis, sententia videatur nimis rigorosa, dummodo intolerabilem non contineat errorem, utrumque operatur, neque potest rationabiliter ad unum limitari potius quam ad aliud, donec a superiore rescindatur vel ex parte tollatur. At vero si judex proferat sub hac forma : *Suspendo te ab officio vel beneficio*, licet crimen mereatur utramque suspensionem, ibi non imponitur, quia judex non declaravit se id velle. Imo licet crimen tale sit, ut juxta prudens arbitrium definite mereatur potius suspensionem a beneficio, quam ab officio, aut e contrario, nihilominus ex vi illorum verborum neutra determinate imponitur, quia judex hoc non declaravit; propter quod aiunt Doctores, sententiam ab homine sub ea forma prolatam nullam esse ob indeterminationem, ut videre licet in Sylvestro supra ex Hostiensi, et aliis; et nos diximus supra, si talia verba, vel æquivalentia habeantur in jure, esse in ordine ad sententiam ab homine ferendam et determinandam; ergo suspensio nunquam excedit vim verborum sententiæ, propter delicti gravitatem. Nec denique in hoc admittenda est distinctio inter suspensionem propter contumaciam, vel delictum; neutra enim, si ab officio præcise feratur, suspendit a beneficio seu fructibus beneficii ; nam omnia, quæ adduximus, de utraque æque procedunt. Neque quoad hoc aliquid est in jure definitum de una potius quam de alia. Neque Abbas in citato loco de suspensione ab officio loquitur, sed a beneficio, de quo postea dicemus.

Quomodo suspensio ab officio novi beneficii consecutionem impediat.

7. *Conclusio.* — *Objectio.* — Sed quærendum restat, an hæc suspensio impediat saltem collationem vel obtentionem novi beneficii. Nam videtur ex dictis sequi, censuram hanc non habere talem effectum, quia illa verba, per quæ fertur, non efficiunt plus, quam significant; non significant autem hunc effectum; ergo neque illum efficiunt. Nihilominus dicendum censeo, per hujusmodi suspensionem impediri quempiam a collatione novi beneficii, propter cap. ult. de Clerico excomm. ministr., ubi de excommunicato minori excommunicatione dicitur, non posse eligi ad Ecclesiastica beneficia. Dices : argumentum a simili in materia pœnali non est efficax, etiamsi altera censura gravior esse videatur, quia censura, quæ simpliciter levior est, potest habere aliquem effectum, quem non habet censura gravior. Respondetur, argumentum hoc non sumi a simili, sed ex generali regula, quæ in eo textu statuitur, eum, qui est privatus aliquo munere vel actu, etiam esse privatum susceptione eorum, quæ ad talem actum vel munus ordinantur. Quod principium ex illo colligunt Abbas, et alii interpretes; et plane in eo continetur. Sed beneficium Ecclesiasticum ordinatur ad

alicujus officii vel muneris Ecclesiastici administrationem; ergo qui ab hac suspensus est, consequenter est interdictus a susceptione novi beneficii. Atque ita responsum est ad rationem dubitandi propositam; nam licet formaliter in suspensione ab officio non fiat mentio prohibitionis beneficii suscipiendi, tamen in radice continetur illa prohibitio in ipsa suspensione ab officio. Quod non est simile de fructibus beneficii jam obtenti, tum quia illud non est explicatum in jure, neque ex aliquo ejus principio colligitur, sicut hoc; tum etiam quia longe aliud est novum titulum beneficii obtinere eum, qui est incapax officii, aliud vero est frui fructibus proprii beneficii pro illo tempore, quo illi inservire non potest; hoc enim posterius habet fundamentum in titulo beneficii jam acquisito, et ideo nihil habet absurdi; illud vero prius ex parte ipsius suspensi nullam rationem, vel titulum præsupponit, et ex parte Ecclesiæ est contra rationem, ut eum in beneficio novo provideat, quem ab officio habet suspensum; hoc enim esset quodammodo agere contra priorem prohibitionem, ut in dicto cap. ult. Glossa notavit.

8. *Electio suspensi non est ipso jure irrita, sed irritanda.* — Addendum vero est, hanc electionem non esse ipso jure irritam, sed irritandam, nec suspensum ab officio esse personam inhabilem, sed prohibitam. Probatur, quia ex dicto textu non amplius colligitur, etiam respectu excommunicationis minoris, ut supra ostensum est, de qua textus ipse formaliter loquitur; ergo a fortiori idem dicendum est in aliis, ad quos ratio ejus extenditur. Atque ita sentit Abbas, in cap. Vel non est compos, de Temp. ordin., ad idem inducens textum illum. Nam ibi Pontifex præcipit cuidam suspenso provideri de beneficio Ecclesiastico, quasi supponens sine dispensatione sua non potuisse fieri. Respondent aliqui, non esse sensum, ut ei conferatur beneficium, sed alimenta de fructibus alicujus beneficii. Sed contra, quia Pontifex non de fructibus, sed de beneficio loquitur; et necesse non est restringere favorem. Magis videtur obstare, quia illud videtur factum ex dispensatione Papæ; unde potest argumentum in contrarium retorqueri. Sed primum, licet hoc detur, solum probatur id esse prohibitum, non vero personam esse inhabilem. Deinde ibi nullum est verbum dispensationem indicans, sed debitam providentiam. Unde ille est casus specialis, quia illa non erat suspensio culpabilis, sed veluti irregularitas temporalis sine culpa contracta; tunc enim in favorem Ordinis suscepti sine culpa providetur quis de beneficio, ne mendicare cogatur.

Quas actiones impediat suspensio ab officio simpliciter lata.

9. *Ratio dubitandi.* — Circa secundum ratio difficultatis sumi potest ex Glossa in Clement. *Cupientes,* de Pœnis, ubi propter proprias functiones Ecclesiasticas, plures actus sacros numerat, quibus solet partialis suspensio privare, qui consistunt vel in receptione aliqua, vel in actione, non tam officii clericalis quam Christiani (ut sic dicam); hujusmodi est ingressus Ecclesiæ, a quo interdum aliquis suspenditur, ut colligitur ex cap. Is cui, de Sentent. excomm., in 6. Item usus Eucharistiæ, seu ejus receptio, a qua etiam aliquando fit suspensio, cap. ult., 51 dist., cap. Si quis autem, cap. Placuit, et cap. ult., 18 dist., et cap. 1 de His quæ fiunt a major. part. Cap. Quamvis autem hæ sint suspensiones quasi partiales, quia tamen diximus, suspensionem ab officio simpliciter latam esse totalem, videri potest, omnia hæc in se complecti.

10. *Conclusio.* — Dicendum est tamen, per suspensionem hanc nullum ex his actibus prohiberi, neque aliquod spirituale opus, quod alicujus Ecclesiastici ministerii officium non sit. Hæc est sententia communis, quæ satis probatur ex definitione suspensionis supra data, cum aliis, per quæ supra tradidimus, hanc esse censuram propriam clericorum. Quocirca per suspensionem ab officio non privatur quis participatione sacramentorum, tum quia illud non est officium Ecclesiasticum, quo solo privat hæc suspensio, ut ex forma ejus constat; tum etiam quia talis effectus nullo jure cavetur. Atque ita sentit Abbas, in cap. ult. de Clerico excom. minist.; Antoninus, in tit. de Censuris, cap. de Suspensione; Sylvester, verbo *Suspensio,* n. 1, et alii Summistæ; Theologi, d. 18, ubi Carthusianus, quæst. 4, specialiter advertit, non privari aliquem per hanc suspensionem indulgentiis; et idem est de aliis suffragiis, et Ecclesiastica sepultura. Atque eadem ratione non privatur ingressu Ecclesiæ; unde enim potest colligi talis effectus? nam neque excommunicatio major illum habet, ut supra ostendimus; sed est proprius interdicti, de

quo loquitur dictum cap. Is cui, de Sententia excom., in ejus principio. Nec refert, quod in fine vers. *Sane,* his verbis utitur : *Sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio;* nam potius ex illa disjunctiva, *vel,* colligitur, suspensionem ab officio non impedire ingressum Ecclesiæ; unde in illis verbis tres censuræ numerantur, excommunicatio, suspensio, et interdictum; quanquam nomen suspensionis late extendatur ad significandam illam privationem, quæ per interdictum fit; sicut e converso privatio, quæ fit per suspensionem, interdictio quædam dici solet. Atque hoc modo videtur Glossa in dicta Clementina *Cupientes,* amplissime, et quasi æquivoce uti verbo *suspensionis,* ut de excommunicatione, et interdicto interdum dicitur; plures enim effectus, quos ibi recenset, non pertinent ad suspensionem, ut est specialis censura, sed aliqui ad excommunicationem, aliqui ad interdictum spectant, et nonnulli ad alias pœnas, quæ in canonibus imponi solent.

11. *An suspensus ab officio Ordines suscipere possit.* — *Resolutio.* — Solum potest circa hoc dubitari de susceptione sacramenti Ordinis; nam hoc sacramentum datur ad functiones Ecclesiasticas exercendas; ergo qui ab officio suspensus est, non potest Ordines suscipere, juxta principium sumptum ex cap. ult. de Clerico excomm. minist. Respondeo, ita esse limitandam regulam positam, vel potius declarandam : nam illa receptio formaliter non prohibetur, quatenus receptio sacramenti est, sed quatenus est via ad Ecclesiasticam functionem peragendam; sicut etiam prohibetur communio clericalis, non quatenus est receptio sacramenti, sed quatenus est pars quædam celebrationis Missæ. Addo, neminem proprie suspendi nisi ab Ordine jam suscepto, ut supra dixi. Et ideo suspensionem nunquam impedire receptionem Ordinis, per se primo, sed consequenter, quia scilicet suspensus ab inferiori Ordine, consequenter est suspendus ab usu superiorum, si illos habet, vel, si non habet, ne illos accipiat; et ita etiam suspensus ab officio, sicut prohibetur ab usu superiorum Ordinum, ita dicendus est impediri, et prohiberi, ne ad illos ascendere possit, ita ut radicaliter, et eo modo, quo potest, a tali usu arceatur, quod magis ex dicendis sectione sequenti constabit.

12. *Suspensio ab officio an privet aliquo usu profano.* — Circa tertium punctum nihil difficultatis occurrit; et ideo breviter dicendum est, hanc suspensionem ab officio simpliciter latam non impedire alia munia, seu usum aliarum functionum, quæ ad alia officia spectant non Ecclesiastica, sed secularia. Ratio est clara ex dictis supra, circa definitionem hujus censuræ, ubi etiam ostendimus esse propriam clericorum, ut tales sunt. Nec refert, quod dicatur suspensio hæc simpliciter ab officio, quia intelligitur quasi per antonomasiam, vel juxta subjectam materiam, de officio Ecclesiastico, non vero de seculari, aut temporali; et ideo sic suspensus nec privatur jurisdictione temporali, si illam habeat, neque officio judicandi in seculari judicio, si aliunde potestatem habeat illud exercendi, etiamsi clericus sit.

SECTIO IV.

Quos effectus habeat suspensio ab officio, quæ non simpliciter, sed ex parte fertur.

1. *Regula generalis.* — Constat ex dictis in superioribus, sæpe ferri suspensionem ab officio cum aliqua determinatione, quæ denotat non totum officium, sed partem ejus quoad usum impediri. De hac ergo est generalis regula, ab ea tantum parte Ecclesiastici officii suspendere, quæ per verba (quæ per modum, seu determinationem adduntur) significatur, et ab omni superiore functione, quæ illam intrinsece supponit, non vero ab inferiori, neque a qualibet alia omnino diversa, seu disparata. Hæc regula communis est; quæ declaratur, primo ex illo generali principio, quod effectus legis, vel sententiæ non excedit voluntatem legislatoris, seu judicis, quatenus per verba exprimitur, quia voluntas inter homines non operatur, nisi per verba sufficienter intimetur; sed verba, quibus fertur hæc suspensio, non significant, nisi definitam partem Ecclesiasticæ functionis; ergo ab illa tantum suspendunt. Item quia si aliud quippiam talis suspensio operaretur, superflue adderetur illa determinatio; nec posset certa aliqua ratione effectus talis suspensionis definiri. Addidimus vero exceptionem de functionibus per se subordinatis, ut sunt, v. gr., diaconatus, et sacerdotium; cujus ratio fundamentalis est, quia in his, quæ per se subordinata sunt, sublato priori, auferuntur reliqua; quamvis ergo suspensio determinet partem aliquam officii Ecclesiastici, si tamen illa pars per se, ac necessario supponitur ad aliam, vel cum usu ejus habet necessariam connexionem, consequenter etiam

ab illa suspendit. Neque in hoc exceditur determinatio addita in verbis, seu forma suspensionis, quia licet non expresse ac formaliter, virtute et implicite in illis continetur, propter rationem dictam. Quæ locum non habet in his, quæ omnino disparata sunt, etiamsi unum, quod prohibetur, sit longe perfectius alio non expresse prohibito; non enim ob eam rem ministerium minus perfectum censebitur virtute aut implicite prohibitum in perfectiori, si non habeat cum illo aliquam necessariam connexionem, vel dependentiam.

Suspensio ab Ordine quem effectum habeat.

2. *Conclusio.* — Ex his sequitur primo suspensum ab Ordine sine alia limitatione, esse quidem suspensum ab omni usu Ordinis; non vero a jurisdictione, vel quacumque functione Ecclesiastica, quæ ab Ordine per se non pendeat. Ratio prioris partis est eadem, quæ in sect. 1 tractata est; nam sicut se habet suspensio ab officio simpliciter ad totum officium, ita se habet suspensio ab Ordine simpliciter ad totum Ordinem; est ergo suspensio totalis quoad illam determinationem. Unde fit idem esse dicere *ab Ordine,* vel *ab Ordinibus,* vel *ab omnibus Ordinibus,* ut a simili sumitur ex Glossa, in cap. Eos, de Temp. ordin., in 6, verb. *Ordinum.* Et ratio est, quia sicut in doctrinalibus, ita in his moralibus indefinita locutio æquivalet universali, præsertim cum non possit habere alium legitimum sensum, cum de nullo particulari Ordine rationabiliter possit intelligi. Adde, virtute ibi includi negationem, quæ distribuit terminum subsequentem. Secus vero esset, si diceretur, *A sacris Ordinibus,* quia juxta communem usum soli majores Ordines sacrorum nomine veniunt, ut constat ex Concilio Trident., sess. 23, c. 11 de Reformat., et ex cap. 1 cum aliis, de Temp. ordin., et ex communi modo loquendi Doctorum, et Ecclesiæ.

3. *Suadetur secunda pars conclusionis. — Sylvester. — Rejicitur.* — Ratio vero secundæ partis est, quæ in secunda sectione declarata est; nam sicut suspensio ab officio præscindit a beneficio, ita intra latitudinem officii suspensio ab Ordine abstrahit a jurisdictione. Neque mihi placet, quod Sylvester, verb. *Suspensio,* sequens Panormitanum, in cap. Cum dilectus, de Consuetudine, ait, suspensum ab Ordine per quamdam consecutionem, suspensum esse a jurisdictione spirituali, quia hæc jurisdictio in Ordine fundatur, cum clericorum propria sit. Verumtamen non ita est; supra enim agentes de censuris in communi vidimus, Ordinem non esse necessarium fundamentum jurisdictionis; sed esse, et exerceri posse in foro contentioso ab eo, qui solam primam tonsuram habeat, quæ Ordo Ecclesiasticus non est, neque in suspensione ab Ordine comprehenditur, juxta superius dicta. De potestate etiam absoluta Ecclesiæ posset aliquando jurisdictio per laicum exerceri; non ergo per se fundatur in Ordine, neque usus unius per se requirit usum alterius; ergo etiam per modum connexionis, in suspensione ab Ordine præcise lata non comprehenditur suspensio a jurisdictione. Et confirmatur, nam suspensus, v. gr., ab Ordine Episcopali, non propterea suspenditur a jurisdictione Episcopali, quia talis jurisdictio non fundatur præcise in Ordine, ut patet, tum quia electus in Episcopum, statim ac confirmatus est, exercere potest ea, quæ sunt jurisdictionis, antequam consecratus sit, quamvis tunc exercere non possit ea, quæ sunt peculiaria sui Ordinis, cap. Transmissam, de Elect.; tum etiam quia Episcopalis jurisdictio interdum confertur Abbatibus, vel aliis, qui consecrationem Episcopalem non habent; sicut autem se habet jurisdictio talis ad talem Ordinem, ita simpliciter jurisdictio spiritualis ad Ordinem; non ergo ita per se fundatur in Ordine, ut facta suspensione ab Ordine, virtute fiat a jurisdictione. Confirmatur secundo; nam licet Ecclesia statuisset (quod non fecit) ut nullus posset jurisdictionem spiritualem exercere nisi qui aliquo Ordine sacramentali esset insignitus, nihilominus verum non esset, suspensum ab Ordine esse suspensum a jurisdictione fori contentiosi, quia etiam tunc actus talis jurisdictionis non esset actus Ordinis, a quo solo quis suspenditur ex vi talis censuræ; imo neque Ordo esset fundamentum per se requisitum quasi ex natura rei, seu institutione divina, sed esset conditio necessaria ex constitutione Ecclesiæ, quæ conditio non deesset illi, qui esset ab Ordine suspensus, quia suspensio non tollit Ordinem, sed impedit usum ejus. Si vero Ecclesia statuisset, ut nemo posset jurisdictionem spiritualem exercere, nisi qui haberet Ordinem, et usum Ordinis expeditum, tunc recte inferretur, suspensum ab Ordine, esse etiam a spirituali jurisdictione suspensum; sed quia de facto Ecclesia hoc non statuit, ideo negamus unam suspensionem in alia virtute contineri.

4. *Quis usus jurisdictionis sacramentalis sit huic suspenso interdictus.* — Supererat vero difficultas de jurisdictione in foro pœnitentiæ; nam usus ejus pendet ab Ordine; ergo suspensus ab Ordine saltem est suspensus ab hac jurisdictione. Respondeo primum, non omnem usum talis jurisdictionis pendere ab usu Ordinis; nam delegatio ejus est illius usus, et potest fieri sine usu Ordinis, imo et sine proprio Ordine. Deinde concedo Ordinem quoad illum actum absolvendi sacramentaliter esse aliquo modo impeditum ratione illius censuræ; id tamen est speciale ratione connexionis in ipsomet actu, quæ in aliis non invenitur. An vero illud impedimentum tantum sit, ut reddat absolutionem irritam, vel tantum illicitam, dicam infra tractando de Irregularitate; nam est eadem difficultas.

5. *Hic suspensus non privatur jure eligendi.* — *Glossa exponitur.* — Ex his obiter colligo, suspensum ab Ordine non esse suspensum a jure eligendi, quia eligere suo modo ad jurisdictionem spectat; quia licet non sit omnino propria jurisdictio, est tamen administratio quædam et functio, quæ non convenit ratione Ordinis, sed beneficii, aut dignitatis, aut alterius conditionis similis. Unde etiam moniales possunt habere jus eligendi, cap. Indemnitatibus, de Elect., in 6, cum tamen Ordinis capaces non sint. Atque ita intelligendam censeo sententiam Glossæ, in cap. Presbyterum, verb. *Habere,* 28 dist., qua ait, suspensum ab officio non esse suspensum a jure eligendi; intelligo enim ab officio Ordinis, et ita textum illum interpretor, et ex materia subjecta, et ex antecedentibus, et consequentibus constat. Nam si esset suspensio ab officio absolute, illa etiam privaret usu eligendi, ut probant adducta in priori regula, et est communis sententia cum Glossa, in cap. Cum dilectus, de Consuet., et in cap. Cum inter, de Elect., et videri potest Decius, in cap. Apostolicæ, de Except., in 6.

6. *Quid de suspenso ab aliquo Ordine in particulari.* — Secundo sequitur ex dictis, suspensum ab aliquo Ordine determinato, si in illa specie simpliciter suspendatur, ab omni actu illius Ordinis suspendi, et consequenter ab usu superioris Ordinis, si illum habeat, non vero ab usu inferioris; si vero non simpliciter, sed cum aliqua determinatione in tali Ordine suspendatur, solum ab actu in determinatione expresso suspendi. Omnes partes hujus assertionis cum proportione probatæ sunt in superioribus; solum oportet exemplis eam declarare, et ad praxim eam applicare. Contingit, v. gr., aliquem suspendi ab officio sacerdotis, ut in cap. Litteras, de Tempor. ordin. Talis ergo suspensio cum respectu illius Ordinis absoluta sit, ab omni actu proprio sacerdotis impedit, qualis est celebrare, absolvere, seu confessiones audire, extremam unctionem conferre, baptismumque solemniter per se et quasi ex propria potestate ministrare, solemnem aliquam benedictionem aut consecrationem efficere, et similia, quæ in discursu hujus, et tertii tomi tractavimus, et disputatione 13 de excomm. breviter eas congessimus. Quod ergo talis supensio omnia hæc impediat, probatur, quia respectu hujus Ordinis est totalis, ut patet ex forma ejus, et ex dictis sect. 1.

7. *Suspensus ab officio sacerdotali suspenditur ab Episcopali Ordine.* — *Objectio.* — Atque hinc ulterius fieri videtur, hunc esse suspensum ab Episcopali Ordine, seu consecratione, quæ est communis opinio. Ratio reddi solet, quia Episcopatus est nobilior sacerdotio, et qui privatur minoribus, etiam majoribus privari censetur. Sed et hoc principium non est in universum verum, et prius fundamentum licet sit verum, quatenus Episcopatus includit sacerdotium, non tamen secundum id, quod præcise addit, ut nunc suppono; et ita fieri deberet comparatio. Ratio ergo est, quia hi duo Ordines sunt ita per se subordinati, ut unus ab alio essentialiter pendeat; neque enim potest, non solum licite, verum etiam neque valide, aliquis consecrari Episcopus, nisi sit sacerdos, ut suppono; et ideo juxta generalem regulam in principio positam, qui a sacerdotio suspenditur, consequenter a superiori Ordine, id est Episcopatu suspenditur, quia in per se subordinatis, ablato eo, quod est quasi principium, et fundamentum alterius, reliquum etiam auferri necesse est. Dicet aliquis, subordinationem hic non inveniri inter actus ipsos, sed inter principia, seu characteres; nam licet Episcopus non exerceat actum consecrationis corporis Christi, potest confirmare, aut alias benedictiones Episcopales efficere, vel primam tonsuram, aut minores Ordines dare; ergo ex vi suspensionis a munere sacerdotali solum suspendetur ab illis actibus Episcopalibus quos juxta Ecclesiæ ritum extra Missæ sacrificium efficere non potest, quia in reliquis, cum per suspensionem non tollatur character, et alias in

his actibus non sit subordinatio, non est cur suspensio ab uno actu contineat suspensionem alterius.

8. *Suspensus a minori Ordine quomodo sit a majori.* — *Objectioni occurritur.* — Propter hæc aliqui concedunt, suspensionem minoris Ordinis solum redundare in majorem quoad illos actus, in quibus connexionem habent, non vero in aliis; ut, v. gr., qui suspenditur a diaconatu, consequenter suspendi a sacerdotio, quantum ad altaris ministerium, quia Missa non dicitur sine Evangelio; non tamen suspendi ab aliis actibus presbyterii, qui nullum usum diaconatus requirunt. Estque hæc sententia probabilis. Tamen quod diximus, securius, et verius videtur; et ideo respondetur, quamvis sit subordinatio inter ipsos characteres, tamen illam non esse sine ordine ad actus. Quia character juxta institutionem non est nisi propter actum; et ideo, quamvis per suspensionem non auferatur character ipse in se, quia hoc non est in potestate Ecclesiæ, tamen in existimatione et usu Ecclesia talem personam habet, ac si pro tunc esset inhabilis ad talem actum, ac propterea secundum Ecclesiæ æstimationem, et voluntatem, suspensus ab usu inferioris Ordinis, v. gr., sacerdotii, est consequenter suspensus ab usu superioris Ordinis, scilicet Episcopatus. Et confirmatur simul, et ampliatur; nam suspensus ab Ordine inferiore consequenter est suspensus, seu prohibitus, ne superiorem Ordinem possit recipere, si illum non habet; ergo est etiam suspensus ab usu ejus, si illum habet. Est enim hæc generalis regula Doctorum, censuram, quæ impedit susceptionem alicujus Ordinis nondum habiti, a fortiori impedire usum ejus jam habiti, quia, si impedit radicem, et fructus a fortiori impedit, quando non potest radicem evellere. Antecedens autem patet ex dictis sectione præcedente, et explicatur in hunc modum, quia character inferioris Ordinis est veluti facultas moralis ad suscipiendum Ordinem superiorem; unde receptio superioris Ordinis æstimari et dici potest veluti usus quidam characteris inferioris Ordinis, qui licet videatur magis passivus, quam activus, tamen inter functiones clericales numerari potest; qui ergo suspensus est ab usu Ordinis inferioris, consequenter est suspensus a receptione Ordinis superioris. Estque hæc communis sententia, ut jam referam. Contra quam quidam objiciunt, quia hinc fieri potest, ut pœna excedat delictum; fieri enim potest, ut sit dignum suspensione unius Ordinis, et non plurium. Respondetur hoc pertinere ad prudentiam judicis, scilicet, ut quando delictum hujusmodi est, non suspendat ab inferiori Ordine, sed a superiori; nam suspensio ab inferiori propter concomitantia, quæ includit, gravior pœna est; quod si etiam suspensio superioris Ordinis videatur excedere gravitatem delicti, suspendat ab uno actu, et non a toto Ordine, vel ad tempus breve, et ita semper fieri poterit commensuratio.

9. *Suspensus ab Ordine superiori, non suspenditur ab inferiori.* — At vero e contrario, qui sic suspensus est a sacerdotali Ordine, non propterea est suspensus ab usu inferiorum Ordinum. Ratio est, quia in forma talis suspensionis neque expresse ac formaliter continentur inferiores Ordines, ut supponimus, neque etiam virtute, aut connexione aliqua, quia licet superior Ordo pendeat ab inferiori, non tamen e contrario; potest enim quis habere inferiorem Ordinem, et usum ejus, quamvis superiorem non habeat; ergo potest retinere usum inferioris Ordinis etiamsi a superiore prohibitus sit. Et confirmatur, quia alias suspensio talis esset universalis ab omnibus Ordinibus, quia, si ab aliquo Ordine inferiori suspenderet, pari ratione suspenderet ab omnibus, quia non est major ratio de uno quam de aliis; cum ergo supponat suspendere a superioribus Ordinibus, plane sequitur talem suspensionem fieri universalem; consequens autem est nimia ampliatio pœnæ, quæ potius restringi postulat; tum etiam, quia alias superflua esset illa determinatio, quæ ponitur in tali suspensione, cum dicitur : *Ab Ordine sacerdotali*, quia nihil operatur, cum eumdem effectum habere dicatur, ac si dictum esset, *ab omnibus Ordinibus*. Denique etiam in rebus naturalibus, ex negatione, vel carentia majoris potentiæ, vel intensioris gradus, seu actionis, non recte infertur privatio minoris; in moralibus etiam, qui privatur majori facultate, non statim privatur minore, nisi sint connexæ; idem ergo in præsenti dicendum est. Sic igitur suspensus ab Ordine sacerdotali, Evangelium solemniter cantare, et a fortiori reliqua ministeria inferiora facere poterit licite, et absque ulla pœna; idemque est cum proportione in cæteris Ordinibus, ut Sylvest., verb. *Suspensio*, num. 5, Navarr., c. 27, num. 160, et sequentibus, notant.

10. *De suspensione alicujus actus certi*

Ordinis, cap. 2 *et* 3 *de Cler. percussore, et cap.* 2, 55 *dist.* — *Difficultas.* — *Prima sententia.* — Ultima pars secundæ illationis erat de suspensione partiali ab aliquo Ordine. Exemplumque est, si sacerdos suspendatur *ab officio celebrandi*, seu (quod idem est) *ab altari*, ut sæpe fit; sic enim suspensus, excepto munere sacrificandi, alios actus sacerdotalis officii licite exercere potest, argument. text. in cap. Significavit, de Corpore vitiat., uti Abbas, et Doctores notant. Difficultas vero circa hanc partem est, an, licet considerata tali forma suspensionis verum habeat regula posita, nihilominus propter connexionem actuum contingat, suspensionem, quæ expresse fit ab uno actu tantum, alios comprehendere. Dicunt enim frequenter jurisperiti, suspensum ab uno actu inferiori, consequenter suspensum esse ab actibus superioribus; unde inferunt, Episcopum suspensum a minoribus Ordinibus conferendis, esse suspensum a majoribus; et suspensum a majoribus conferendis, suspensum esse a consecratione Episcopi; e contrario vero (aiunt) suspensum a superiori actu, non propterea esse suspensum ab inferiori. Fundamentum eorum est, quia in his facultatibus ex negatione potentiæ circa inferiorem effectum, recte sequitur negatio potentiæ ad superiorem, non vero e converso; ergo cui aufertur moralis facultas circa inferiorem, aufertur etiam circa superiorem. Item quia in moralibus, cui honor inferior interdicitur, majores quoque interdicti censentur, ut dicitur in l. Relegatorum, § final., ff. de Interd., nam qui indignus est inferiori honore, indignior erit superiore, l. Qui indignus, ff. de Senator.; ergo idem est in præsenti, argum. cap. Cum illorum, de Sent. excomm., in illis verbis : *Cum majora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora.* Atque hæc fuit opinio Gloss., in cap. Eos, de Temp. ord., in 6, verb. *Ordinum;* Abb., in cap. Vel non est compos; et Hostiens., in cap. Cum dilectus, de Temp. ord.; quos Sylvest., et alii Summistæ, verb. *Suspensio,* secuti sunt.

11. *Sententia posita impugnatur exemplis.* — *Evasio.* — *Eluditur.* — *Tertium exemplum.* — Hæc vero sententia difficultatem patitur, tam in regula generali quam ponit, quam in ejus fundamento. Primum patet exemplo de clerico ab altari suspenso, qui non propterea ab aliis functionibus sacerdotalibus suspensus habetur, et tamen altaris ministerium omnium sacerdotalium nobilissimum est; cur ergo, qui illo judicatur indignus, non etiam judicatur indignus cæteris? Aliud est ex cap. ult. de Temp. ordin., in 6, ubi Episcopus propter quoddam delictum a collatione clericalis tonsuræ suspenditur, Episcopo collatio Ordinum superiorum. Responderi potest in illo textu addi particulam illam exclusivam, *duntaxat;* ratione cujus illa suspensio non extenditur ad superiora. Sed contra hoc est imprimis, quod supra dixi, in his formis perinde esse præscindere aut tacere, quod expresse excludere vel negare; et ideo dicebamus idem esse dicere *ab officio,* vel *tantum ab officio;* sic ergo si suspensio, *tantum a collatione tonsuræ,* excludit superiora, ne ab eis fiat suspensio, etiam præcisa suspensio a collatione tonsuræ idem operabitur. Et deinde videtur repugnantia, quod præcisa suspensio a collatione tonsuræ includat suspensionem superiorum, et tamen quod per additionem exclusivæ excludantur superiora; nam ut dialectici aiunt, dictio exclusiva non excludit concomitantia; et ideo, si quis suspenderetur sub hac forma, *a diaconatu duntaxat,* intelligerentur excludi inferiores Ordines, non tamen superiores, quia per connexionem et consecutionem continentur in illa; ergo e converso, si dictio exclusiva in præsenti habet vim excludendi superiora, signum est non includi etiam per concomitantiam in inferiori. Tertium exemplum sumi potest ex concessis; nam qui suspenditur a munere, v. gr., confirmandi, non propterea suspenditur a munere consecrandi corpus Domini, cum tamen hoc ministerium longe excellentius sit.

12. Præterea ratio, in qua fundatur illa sententia, et in principiis philosophicis, et in moralibus videtur valde infirma. Nam in philosophia verum non est, causam, quæ caret virtute ad minorem effectum, carere etiam virtute ad perfectiorem; Angelus enim caret virtute sentiendi, non tamen intelligendi; et idem homo caret interdum firmitate memoriæ, et non perspicacia intelligendi, quæ major est. Similiter in moralibus aliquis interdum privatur pecuniis, non tamen honore, quod majus bonum est; et, qui habet plura beneficia, interdum privatur inferiori, et non majori. Sic ergo in præsenti, cum hæc suspensio sit quædam pœna, poterit quis privari aliquo actu minus perfecto, quia illa est sufficiens pœna delicti, et non privari perfectiori actu. Non est ergo solidum illud principium : Indignus est majoribus, qui minoribus judi-

catur indignus, tum quia quando hæc indignitas solum consistit in quadam culpa, fieri potest, ut propter illam fiat aliquis dignus qui privetur minori bono, non vero majori; tum etiam quia, licet comparando unum actum ad alium, sit minus perfectus, tamen libertas et facultas exercendi utrumque major est, quam circa unum tantum etiam perfectiorem. Per suspensionem autem actus minus perfecti minuitur illa potestas efficiendi illum actum; non ergo recte inde infertur suspendi quoad utrumque actum, quia non demeretur minorem actum absolute spectatum, sed solum comparatione utriusque simul. Atque ita non recte applicantur jura in contrarium citata pro illo principio : *Indignus minori honore, a fortiori indignus est majore;* illa enim procedunt, quando absolute et sine ullo alio respectu aliquis est indignus minori honore etiam per se, et præcise sumpto, quod in præsenti non est necessarium.

13. *Discrimen inter suspensionem a collatione minoris Ordinis et a susceptione ejusdem.* — Accedit tandem, quod exempla seu corollaria, quæ contraria sententia proponit, nullo jure fundata sunt, nec per sese videntur rationi consentanea. Cur enim, si Episcopus suspenditur, ne subdiaconatum, v. gr., conferat, consequenter privatus censeri debet, ne diaconos, aut sacerdotes ordinet? cum hi omnes actus ab eadem potestate procedant, quæ in se integra semper manet, et alioqui exercitium, vel collatio unius non pendeat per se ab alio, sed possit major Ordo conferri habenti jam minorem, absque collatione minoris alteri facta. Et aliunde contingere etiam possit, ut culpa, propter quam talis suspensio imponitur, sit digna privatione minoris actus, et non majoris, ut satis declaratum est; ideoque possit etiam contingere, vel potius debeat, ut judex, qui talem pœnam imposuit, solum de illo actu privare intenderit, quem expressit. Nec est eadem ratio de suspensione ab usu, vel receptione talium Ordinum, et a collatione eorum; nam Ordines diversi respectu ejusdem subjecti habent ordinem per se in suo esse, et consequenter etiam in usu, quia major supponit minorem ; et ideo necesse est, ut qui suspenditur ne minorem suscipiat, a fortiori suspendatur, ne ad majora quasi per saltum transeat. Et similiter usus Ordinis supponit esse talis Ordinis; et ideo, qui a suscipiendo aliquo Ordine, quem non habet, suspenditur, consequenter suspenditur ab usu ejus, si jam illum habet. Ac denique susceptio superioris Ordinis non fit sine aliquo usu inferioris; et ideo qui ab inferiori Ordine suspenditur, consequenter impeditur a susceptione ulterioris Ordinis, si illum non habet, vel ab usu ejus, si jam illum habet. At vero quoad collationem, absolute loquendo, non invenitur hæc colligatio seu subordinatio inter Ordines; nam, licet respectu ejusdem recipientis nemo possit jure illi conferre superiorem Ordinem, nisi vel prius ei conferat, vel saltem supponat inferiorem, tamen absolute, et respectu conferentis, non oportet, ut, si majorem Ordinem confert, det etiam minorem, ut ostensum est. Aliunde vero activa collatio omnium Ordinum ab eadem indivisibili, et quasi eminenti potestate procedit, quæ, dum unum actum exercet, non efficit alium, neque e converso; et ideo, licet impediatur, ne unum actum illorum exerceat, sive majorem, sive minorem, non sequitur simul suspendi ne exerceat alium. Hinc denique in jure, quando Episcopus a collatione duorum vel trium Ordinum suspenditur, non unius tantum fit mentio, sed omnium, ut in c. Litteras, de Temp. ord., *diaconii et presbyterii.* Si autem expresso inferiori intelligeretur etiam facta suspensio a collatione superioris, non oporteret illum exprimere.

14. *Communis sententia ad verum sensum reducitur.* — Propter has rationes censeo, hanc sententiam communem non posse jure procedere, nisi solum quando inter ipsos actus est subordinatio, ita ut perfectior sine minori non possit legitime, et secundum Ecclesiæ ritum exerceri. Quod præter omnia dicta optime confirmatur ex cap. Ex litteris, de Excess. Prælat., ubi circa finem sic dicitur : *Ipsum indignum altaris ministerio reputamus;* subditur : *Cum igitur Pontificale officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri, mandamus, quatenus, ut Episcopatui cedat, moneatis eumdem;* ubi non ex dignitate, aut perfectione, sed ex connexione Pontifex argumentatur. Et rationes factæ in re morali plane convincunt; maxime, cum pœnæ restringendæ potius sint, quam ampliandæ, nisi ratio urgens, aut alia juris principia aliud facere compellant; quod in præsenti dici non potest. Aliqui vero limitant hanc sententiam, dicentes determinationem hujus suspensionis ex proportione ad delictum esse sumendam, quando in ea punitur in quo deliquit; ut, v. gr., si Episcopus deliquit in ministratione diaconatus, et propterea

suspenditur a collatione Ordinis vel diaconatus, tunc intelligi præcise ab illo Ordine conferendo suspendi; secus vero esse, si vel non servatur illa proportio inter pœnam et culpam, sed sunt quasi disparatæ omnino; ut si propter adulterium, verbi gratia, suspendatur, tunc procedere communem sententiam, quod suspensus ab inferiori Ordine, est etiam suspensus a superiore.

15. *Limitatio rejicitur.* — *Regula generalis.* — Sed hæc distinctio nec satis fundata est quoad singula membra, nec quoad concordiam eorum inter se. Probatur, quia regula illa posita in priori membro incertissima est; interdum enim invenimus in jure suspendi Episcopum tantum in eo actu, quem male exercuit, ut in prima tonsura, cap. ult. de Tempor. ordinat., in 6; in diaconatu et presbyterio, in cap. Litteras, de Tempor. ordinat.; aliquando vero propter unum Ordinem male collatum, scilicet diaconatus, suspenditur a collatione omnium Ordinum, in cap. Vel non est compos, eodem titulo, quod notavit Glossa in cap. Eos, de Tempor. ord., in 6, verb. *Ordinum: Quod si Papa voluisset, eum tantum illo, quem contulit, privare, expressisset;* censet igitur non esse satis, quod delictum fuerit circa unum Ordinem tantum, ut suspensio censeatur esse ab illo tantum, nisi hoc exprimatur; satis autem exprimitur, non solum quando expresse additur exclusiva, ut in dicto capite ultimo, sed etiam, quando præcise talis Ordo exprimitur, ut in dicto cap. Litteras, quæ jura ad hoc ipsum citat eadem Glossa; unde videtur idem nobiscum sentire. Si autem verba sententiæ generaliora sint, non determinabuntur ex solo delicto, tum propter ea, quæ late supra diximus in simili puncto; tum etiam quia, licet materia delicti fuerit unus tantum Ordo, potest ex circumstantiis delictum esse tam grave, ut generaliorem suspensionem mereatur, et patet ex dicto cap. Vel non est compos; et a simili ex cap. Qui et divinis, 12, quæst. 2. Ubi quidam solum qui sacram communionem quibusdam excommunicatis ministravit, *ab officio protinus Ecclesiastico pellitur;* igitur primum illud membrum, et regula in illo contenta nullo fundata est in jure. Contra secundum autem membrum procedunt omnia, quæ contra priorem sententiam dicta sunt; nam licet delictum sit (ut ita dicam) disparatum, si judex definivit pœnam ejus ad suspensionem collationis unius Ordinis, non est cur ad plura extendatur, neque ad plures actus, nisi cum illo fuerint connexi. Hæc ergo sola regula potest in hac materia tanquam certa designare, ut verbis sententiæ vel legis standum sit, solumque illum actum Ordinis prohibeat, qui in determinatione suspensionis exprimitur, vel qui cum eo fuerit necessario connexus, ut satis explicatum est. Et hanc regulam significavit Abbas, in cap. Cum dilectus, de Consuetudine, n. 20, et Navarr., in Sum., c. 27, n. 160.

Suspensio a jurisdictione, quem effectum habeat.

16. *De suspensione a jurisdictione simpliciter.* — *Navarrus, Abbas.* — *Per suspensionem a jurisdictione suspenditur etiam quis ab actu Ordinis ad illam requisito.* — Tertio principaliter possumus ex dictis inferre, quem effectum habeat suspensio a jurisdictione, quando ad illam determinatur. Aut enim suspensio est a jurisdictione simpliciter, aut a determinato actu, seu parte jurisdictionis. Si fiat priori modo, tunc suspensio est a tota spirituali jurisdictione, argumento eorum quæ hactenus diximus, quia dictio illa indefinita ob suam indifferentiam totum comprehendit, et æquivalet universali. Qui autem sint actus hujus jurisdictionis, jam in superioribus dictum est; et videri potest Gloss. in cap. Transmissam, de Elect. Per hanc autem suspensionem non prohibentur actus Ordinis, qui jurisdictionem non requirunt, propter easdem rationes, quibus diximus suspensionem ab Ordine non includere suspensionem a jurisdictione; nam sicut jurisdictio non supponit necessario Ordinem, ita etiam Ordo non semper requirit jurisdictionem ad suos actus efficiendos. Atque ita notavit citata Glossa in dict. cap. Transmissam, et sumitur ex textu ibi, et ex cap. Aqua, de Consecrat. Ecclesiæ vel altaris. Notavit Navarr., in Summa, cap. 27, n. 160; Abbas, in cap. Cum dilectus, de Consuet., n. 20. Solum adverto, hoc simpliciter procedere in actionibus Ordinis, qui nullam jurisdictionem requirunt, ut sacrum facere, etc. Alii vero sunt actus Ordinis, qui requirunt jurisdictionem, vel ut valide, vel ut licite fiant, et ab his manet quis prohibitus per talem suspensionem per quamdam consecutionem, non tamen eodem modo, sed cum proportione. Ubi enim jurisdictio est de substantia actus, ut est in sola absolutione sacramentali, actus erit nullus, si fiat cum tali suspensione, quia deest

potestas necessaria ad valorem ejus; ubi autem fuerit jurisdictio de justitia actus (ut sic dicam), erit prohibitus ne licite fiat, factus tamen validus erit. Sic peccabit parochus suspensus quælibet sacramenta ministrando suis ovibus ut ordinarius pastor, et Episcopus suspensus conferendo Ordines suis subditis, quia non solum potestate ordinis, sed etiam jurisdictionis utitur; sicut peccaret dando alteri Episcopo licentiam ad ordinandum in suo Episcopatu, vel dando subdito licentiam ut ab alio ordinetur, quia hi sunt actus jurisdictionis; nam multo magis exercet jurisdictionem per se ordinando.

17. *De suspensione a parte jurisdictionis.* — At vero, quando suspensio non fertur simpliciter, sed cum determinatione certi actus, seu partis jurisdictionis, ut a collatione beneficiorum, cap. Gravis, de Præbendis, cap. unico, *Ne Sede vacante*, in 6, Clement. 1, § Si quis, de Statu monach.; a confirmatione Episcopi, cap. 2 de Translat. Episcop., cap. Provide, de Elect., in 6, et sæpe alias, ut videri potest Glossa in Clement. *Cupientes*, de Pœnis: tunc applicanda et servanda est regula posita, ut solum ab eo actu, seu parte jurisdictionis aliquis suspensus esse intelligatur, qui per verba determinantia suspensionem significatur, nisi fortasse habeat cum alio actu necessariam connexionem, ita ut sine illo fieri non possit; nam tunc ob eam causam etiam alius actus in tali suspensione comprehendetur. Quod eadem ratione in jurisdictione ac in Ordine procedit.

18. *Violatio suspensionis qualis culpa sit.* — Ex dictis sequitur sacerdotem sic suspensum partiali suspensione graviter peccare functionem illam spiritualem exercendo, a qua suspensus est, non vero aliam. Probatur prior pars, quia hæc etiam suspensio includit prohibitionem per legem seu præceptum Ecclesiæ, cujus materia ex suo genere gravis est; ergo ex genere suo illa transgressio est mortale peccatum; et quoad hoc eadem est ratio de suspensione totali, et partiali, cujus materia sit sufficienter gravis. Ratio vero alterius partis est, quia reliqui actus non contenti in tali suspensione non sunt prohibiti; ergo non est unde sit malum illos exercere; nam suspensio circa alios actus, cum non sit culpa, sed pœna, non facit indignum vel inhabilem ad alios actus, quantumvis sacros, exercendos, qui non sunt in ipsa suspensione comprehensi. An vero illi priores actus, qui contra suspensionem illicite fiunt, validi sint, declaratum jam est, partim in proxime dictis, partim ex dictis de excommunicatione majori.

Quæ pœna dictæ culpæ respondeat.

19. *De pœna ob transgressionem suspensionis a jurisdictione.* — *De pœna ob violationem suspensionis ab Ordine.* — De pœna vero jure imposita propter hoc peccatum fungendi officio, a quo quis suspensus est, idem proportionaliter seu respective dicendum hic est, quod de suspensione totali ab officio diximus. Itaque, si suspensio sit a jurisdictione tantum, vel a quolibet actu jurisdictionis, nulla irregularitas, vel alia specialis pœna est in jure imposita propter ejus transgressionem, sed puniri debet arbitrio judicis, ut in aliis dictum est. Si vero suspensio sit ab Ordine, sive sit a toto Ordine, sive ab uno, vel alio, sive ab uno alicujus Ordinis, irregularitas incurritur Ordinem ex officio exercendo contra talem suspensionem respective. Ratio est, quia jura, quæ de hac irregularitate loquuntur, non tantum agunt de suspensione totali ab officio, vel ab Ordine, sed etiam de partiali; nec solum de simpliciter lata, sed etiam de ea, quæ fertur ad certum tempus. Ita sumitur ex cap. Is cui, de Sent. excom. Ubi ex eo quod alicui est interdicta celebratio in Ecclesia, infertur fieri irregularem in ea celebrando; idem ergo est in omnibus similibus. Item quando aliquis est suspensus a toto officio, ut irregularitatem incurrat, sufficit unum actum Ordinis exercere, juxta cap. 1 de Re judic., in 6, et cap. 1 de Sent. excom., in 6, ubi Glossa et Doctores id notant; sufficit ergo violatio talis suspensionis in aliqua parte ejus; ergo licet suspensio sit imposita in sola illa parte, si in illa violetur, id satis est ad talem irregularitatem incurrendam. Et ita Doctores agentes de hac irregularitate, nihil distinguunt inter suspensionem totalem, et partialem.

20. Præter hanc vero pœnam nullam aliam invenio propter hoc delictum ipso jure impositam. Solum in c. 2, 55 dist., præcipitur, ut qui suspensus ab altari Missas fecerit, *Ecclesiæ communione privetur, et ab omnium fratrum communione noverit se alienum.* Ubi videtur etiam imponi excommunicatio. Sed in primis illa pœna non est usu recepta in universa Ecclesia, et canon ille est Concilii Arelat. provincialis. Deinde dici potest, illa verba, *communione privetur,* non esse cen-

suræ latæ, sed ferendæ, et juxta illa esse intelligenda sequentia. Quod si dicatur, hæc verba non esse in originali, sed solum hæc : *Ab omnium fratrum charitate noverit se alienum*, responderi potest, per illa solum exaggerari gravitatem delicti, non novam censuram imponi. At obstant illa verba : *Ut severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ*. Propter quæ Glossa dicit, ibi imponi aliam pœnam, quia *si celebraverit post excommunicationem, deponetur*. Ubi et excommunicationem admittit juxta lectionem Gratiani, et addit depositionem; qui nomine fratrum intelligit Coepiscopos, a quorum gremio excluditur qui deponitur, per quam depositionem aliqui irregularitatem intelligunt. Sed hoc totum incertum est, et e converso certum est, aliam pœnam saltem ipso facto non esse in usu.

DISPUTATIO XXVII.

DE EFFECTIBUS SUSPENSIONIS A BENEFICIO.

Quanquam hæc species suspensionis diversa sit a præcedenti, tamen forma et modus illam ferendi ejusdem rationis est, et ideo applicando cum proportione principia posita in disputatione præcedenti, facillimum erit intelligere, quæ ad effectus hujus suspensionis pertinent. Dupliciter igitur hæc suspensio, sicut præcedens, ferri potest, scilicet vel simpliciter, vel cum determinatione alicujus beneficii, vel partis ejus. De utraque ergo forma sigillatim dicemus, et explicabimus varios modos, quibus de his speciebus suspensionis jura loquuntur, in quorum intelligentia præcipua pars hujus doctrinæ posita est.

SECTIO I.

Quid sit suspensio a beneficio simpliciter lata, et quos effectus habeat.

1. *Ratio dubitandi.* — Quoniam in beneficio duo sunt : unum est functio aliqua spiritualis, ad quam beneficium obligare solet; aliud est temporale emolumentum, ad quod suscipiendum beneficium confert jus ex se perpetuum : dubitari imprimis potest, an suspensio a beneficio impediat utrumque, vel alterum tantum. Et ratio dubitandi esse potest, quia ex illis duobus primum pertinet ad Ecclesiasticum officium; ergo, si hæc suspensio utrumque impedit, habebit hæc censura effectum utriusque suspensionis ab officio et beneficio, quod esse non potest, quia species hæ sunt impermixtæ. Quæ ratio etiam probat suspensionem hanc non posse impedire tantum illud primum spirituale, quod in beneficio invenitur. Si autem solum secundum impedit, sequitur non esse hanc propriam censuram suspensionis, neque illi convenire definitionem suspensionis superius datam, quia non impedit aliquam Ecclesiasticam functionem; nam percipere fructus beneficii non est functio Ecclesiastica, sed stipendium illius.

2. *Suspensio a beneficio solum privat fructibus beneficii.* — Nihilominus dicendum est, effectum hujus suspensionis solum esse impedire dominum seu possessorem beneficii, ne uti possit jure illo percipiendi fructus Ecclesiasticos, quod habet ratione officii, et in quo ratio beneficii consistit. Hoc patet in primis ex communi sententia omnium, quos referemus. Deinde ex proprietate verborum juxta usum canonum, ad quam proprietatem verba hæc restringenda sunt, et limitanda, cum sit materia odiosa et pœnalis. Nam in jure beneficium contra officium distinguitur, quod patet maxime ex omnibus illis, quæ de hac censura loquuntur et supra citata sunt; hac enim de causa distincte proponunt suspensionem ab officio, et a beneficio, et ab utroque simul. Nec solum hæc duo generatim sumpta, sed etiam prout conjunguntur in præbenda Ecclesiastica, quæ et aliquod ministerium habet, et proventus, distinguuntur, ut patet ex cap. finali de Rescript., in 6, ubi beneficium Ecclesiasticum propter officium dari dicitur, non ut propter aliud extrinsecum vel accidentarium, sed ad quod ipsa præbenda obligat; ergo ex his duobus, quæ in præbenda conjunguntur, beneficium proprie non est, nisi jus ipsum percipiendi fructus, quod ex officio nascitur seu propter officium collatum est. Unde Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 3 de Reform., beneficia ad divinum cultum, atque Ecclesiastica munia obeunda dicit esse constituta; ubi etiam distinguit beneficia ab Ecclesiasticis muneribus, quæ nomine officii significari solent. Igitur, cum a beneficio quispiam suspendi dicitur, in ea proprietate beneficium sumendum est; ergo effectus hujus suspensionis erit impedire hoc jus percipiendi fructus, ne in actum suum prodire possit. Probatur consequentia, nam per illam determinationem, *a beneficio*, ad ipsum suspensio limitatur, sicut dictum est de suspensione ab officio. Rursus hæc suspensio non tollit beneficium ipsum, ut receptum est et supra a nobis probatum.

Unde sic suspensus a beneficio, si nimium pertinax sit, vel nova crimina committat, solet beneficio privari, c. Cupientes, § Cæterum, de Elect., in 6, et in cap. Sicut, de Cohabitat. cleric. et mulierum, ubi contra Innocentium id notat Abbas, num. 4; ergo signum manifestum est per suspensionem solam non fuisse sublatum ipsum beneficium. Superest ergo, ut suspensio a beneficio impediat solum jus beneficii, ne quis possit eo uti ad fructus recipiendos, ita ut nihil aliud sit a beneficio suspendi, quam fructus beneficii suos non facere. Atque ita docent Canonistæ in citatis juribus, et in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualit., ubi Abbas, n. 6.

Suspensionem a beneficio, officii usum non impedire.

3. *Rationi dubitandi in contrarium satisfit.* — Atque hinc sequitur primo, suspensionem a beneficio præcise, sive addatur dictio exclusiva *tantum,* sive solum taceatur officium et omnis actus ejus, non operari suspensionem ab officio, nec impedire aliquem actum ejus, imo (quod amplius est) non tollere obligationem, quæ antea inerat, tale officium exercendi. Priorem partem docuit Glossa, in cap. Cum Vintoniensis, de Elect., verb. *Admiserant;* et Gloss., in cap. Cupientes, eodem titulo, in 6, verb. *Beneficiis;* quibus locis alii Doctores idem sentiunt. Et probatur ex dictis, quia nomine beneficii in rigore non significatur officium; sed in lege seu sententia pœnali nomen in rigore tantum sumendum est : ergo. Item quando suspensio ad beneficium determinatur, et tacetur officium, consequenter excluditur, quia censura non operatur, nisi quantum exprimitur, ut in superioribus dictum est, et omnia ibi adducta hic a fortiori procedunt. Ad rationem vero dubitandi, nimirum huic suspensioni non convenire definitionem suspensionis superius datam, quia non privat Ecclesiasticis functionibus, dicendum est, functionem Ecclesiasticam in ea definitione late sumi pro usu cujuscumque juris Ecclesiastici, ut in ipsa definitione declaratum est; hæc autem suspensio revera impedit usum juris beneficii, quod potestas quædam Ecclesiastica dici potest.

4. *Suspensio a beneficio non tollit obligationem officii.* — Posterior pars nonnullam habet majorem difficultatem, quia, cum beneficium detur propter officium, nemo videtur ad officium obligari, nisi qui beneficio fruitur; si ergo aliquis per suspensionem privatur stipendio seu fructibus beneficii, non potest manere ad officium explendum obligatus; sicut, si beneficium aliquod Ecclesiasticum erigatur cum onere quotidie, v. gr., faciendi sacrum, et successu temporis res, in quibus fundatum est, pereant, vel infructuosæ reddantur, ita ut cessent fructus beneficii, consequenter etiam cessabit obligatio ad Missas dicendas; ergo similiter in præsenti. Nihilominus partem illam etiam docent Glossæ et Doctores citati; estque per se valde consentanea rationi, quia per suspensionem non aufertur beneficium, ut dictum est, sed tantum fructus beneficii; ergo, si beneficium secum affert obligationem alicujus officii, suspensio non tollit illam. Patet consequentia, quia illa obligatio intrinsece conjuncta est cum beneficio ipso, quod de se confert sufficiens stipendium seu sustentationem ratione talis muneris seu obligationis; quod autem suspensus non percipiat tales fructus, culpa ejus est; nam hoc in pœnam ei imponitur; ergo propterea non debet immunis fieri ab obligatione. Patet consequentia, tum quia (si ita loqui licet) ex parte beneficii seu fidelium jam sufficiens stipendium accepit; tum etiam quia ex culpa non debet reportare hoc commodum, ut obligatione liberetur in eorum incommodum, qui officiis seu actibus illius obligationis providerunt; tum etiam quia censura imponit onus, non tollit; alioqui levis pœna esset, si tollendo commodum, tolleret etiam onus; ratio ergo hujus pœnæ in hoc posita est, quod tollat præcise emolumentum temporale, relinquendo integram muneris obligationem.

5. *Rationi in contrarium satisfit.* — *Objectio.* — *Solvitur.* — Ac propterea non procedit ratio in contrarium facta, quia, licet detur beneficium propter officium, tamen in pœnam potest quis privari emolumento beneficii, et quia non privatur titulo beneficii, relinqui cum obligatione ipsi beneficio annexa. Sicut enim, postquam aliquis expleta obligatione beneficii fecit fructus suos, potest nihilominus in pœnam illis privari, licet propter officium illos acceperit, ita etiam potest quasi præveniri et puniri, ne fructus recipiat, et nihilominus officium faciat. Et ideo non est simile, quod affertur, quando absque impositione pœnæ res beneficii infructuosæ fiunt, ut per se notum est. Dices : ergo est acerbior pœna suspensio a beneficio tantum, quam ab officio

et beneficio simul, quia per priorem aufertur commodum manente onere; per posteriorem vero aufertur onus simul cum commodo. Respondetur, quamvis obligatio ad faciendum officium sit onus, tamen facultas expedita et libera ad illud exercendum non est onus, sed honor, qui magnus existimatur; per suspensionem autem ab officio non obligatio tantum, sed facultas etiam aufertur eo modo, quo per Ecclesiam auferri potest, et ideo ex eo capite multum augetur illa pœna. Nec vero etiam per illam suspensionem liberatur quis omnino ab obligatione, quæ ratione sui beneficii sibi antea inerat, quamdiu idem beneficium retinet, præsertim si curatum sit, vel ad tale munus obligans, quod per alium impleri possit, nam præterquam quod tenetur ad officium canonicum recitandum, ut supra dixi, etiam tenetur curare, ut saltem per alium illud munus expleatur, et de fructibus beneficii ei provideatur, nisi superior seu Episcopus id sufficienter providerit, ut regulariter fit in suspensionibus ab ipso latis. In suspensionibus vero, quæ ipso jure incurruntur, sæpe erit necessaria ipsiusmet beneficiati cura seu sollicitudo, et ad hanc dicimus teneri ratione beneficii, quod retinet, quia non debet ob ejus culpam Ecclesia detrimentum pati.

6. *Num possit suspensus a beneficio alium substituere in officio qui de fructibus beneficii alatur.* — Sed quæret aliquis, an is, qui est suspensus a beneficio, satisfaciat suo muneri, si alius loco illius substituatur, qui de fructibus beneficii alatur. Respondetur, si id fiat auctoritate superioris seu Episcopi, posse excusari, ut sumitur ex dicta Gloss., verb. *Beneficii,* in cap. Cupientes, de Elect., in 6; ipse tamen superior sine rationabili causa id facere non debet, præsertim quando beneficium habet curam animarum annexam, argumento cap. Inter quatuor, de Cleric. non resid. Nam cum alius teneatur, non est cur sine justa causa, et ipse eo onere liberetur, commodum quodammodo ex sua culpa reportans, et Ecclesia suo proprio pastore et ministro privetur; igitur, si rationabilis causa non intercedat, ipse compelli debet, ut personaliter inserviat, etiam sub pœna privationis beneficii, si necessarium sit, argumento cap. er venit, 1, de Appellat. An vero in sustentationem possit ei dari aliquid de fructibus beneficii, saltem ea pars, quæ alteri danda esset, si loco ipsius substitueretur, dicemus in sequentibus.

Ad quid teneatur, quamve pœnam incurrat agens contra suspensionem a beneficio.

7. Secundo principaliter sequitur ex dictis, ex genere suo graviter peccare eum, qui, cum suspensus a beneficio sit, fructus beneficii usurpat, et teneri ad restituendum illos absque alia judicis sententia. Hoc totum patet ex dictis in simili effectu excommunicationis majoris; nam idem est in re effectus, quamvis diversæ sint rationes formales. Quapropter omnia, quæ ibi diximus, hic habent locum, scilicet et peccare hunc, quia usurpat aliena, quod est contra justitiam, et ideo grave esse peccatum ex suo genere, ac propterea obligans etiam ad restitutionem, quia nemo potest juste retinere, quod suum non est, nisi per accidens excusetur ob impotentiam vel aliam gravem causam ex ibi numeratis. Quia hæc pœna non spoliat hominem rebus suis, quarum dominium jam acquisierat, quod fieri non solet absque sententia ab homine lata; sed impedit, ne fructuum dominium acquirat, quod ipso jure absque interventu alterius sententiæ fieri solet. Quo etiam fit, ut, licet suspensio sit occulta, eamdem obligationem inducat. Quia censura hæc, sicut excommunicatio, secum affert executionem, quantum ad impediendum acquisitionem dominii; ex quo effectu omnis alia obligatio nascitur. Neque in hoc aliquid remissum est per Extravagant. *Ad evitanda,* tum quia ibi solum de excommunicatione agitur, non de fructuum perceptione; tum etiam quia ei, qui censura ligatus est, nullum beneficium vel privilegium per illam est concessum.

8. *Quam pœnam incurrat.* — Sed quæres, an, qui violat hanc censuram, usurpando hujusmodi fructus, in aliquam, vel censuram, vel aliam Ecclesiasticam pœnam incidat. Respondetur, in primis hunc non fieri irregularem, quod etiam supra diximus tractando de excommunicatione, et est hic eadem ratio, quia in jure non legimus irregularitatem latam in violatorem censuræ, nisi propter ministerium in divinis, a quo per censuram interdictus est; irregularitas autem, nisi in jure sit expressa, non incurritur. Propter quod etiam supra diximus, exercendo actum solius jurisdictionis contra suspensionem, non incurri irregularitatem; ergo multo minus incurretur propter fructus beneficii male usurpatos; nam minus hoc habet de Ecclesiastico ministerio. Et ita docuit Glossa recepta in Clement. 2, verb. *Suspensus,* de Vita

et honestat. cleric. Rursus neque aliam censuram vel pœnam invenio jure ipso latam propter hoc delictum; quapropter nulla incurritur ipso facto. Aliquando vero imponitur in pœnam hujus delicti privatio perpetua ipsorum beneficiorum, ut videre licet in c. 1, § ult., et in cap. Cupientes, vers. *Cæterum*, de Elect., in 6. Existimo tamen in primis illam pœnam, eo quod ibi vel alibi imponatur, non esse extendendam ad omnem suspensionem, quia ibi ex speciali causa imponitur, et est quasi aggravatio pœnæ illius delicti, neque est ullum verbum, quo significetur, talem pœnam generalem esse in omnes transgressores cujuscumque similis suspensionis. Deinde, licet ibi, præsertim in posteriori textu, dicatur *ipso jure*, existimo non incurri illam pœnam usque ad sententiam judicis saltem declaratoriam criminis, quia hoc sufficit ad vim illorum verborum in his pœnis, quas, regulariter loquendo, nemo cogitur in seipso exequi, donec condemnetur, de quo alias.

Quid nomine beneficii in hac suspensione comprehendatur.

9. *Quid de illo qui plura habet beneficia.*— Duo tamen ulterius supersunt declaranda. Primum est, quid nomine beneficii intelligendum sit. Aliud, quid nomine fructuum. Circa primum si sic suspensus a beneficio unum tantum habeat, clarum est de illo esse sermonem; si vero habeat plura, tunc oritur ambiguitas, an de omnibus id intelligendum sit. Nam videtur ita esse affirmandum, quia suspensio ab officio simpliciter lata intelligitur de omni officio; et ab Ordine, ab omni Ordine; et a jurisdictione, ab omni jurisdictione; ergo suspensio a beneficio, ab omni beneficio intelligenda est. Ratio enim militat eadem, scilicet, quod ille indefinitus terminus æquivalet universali : tum quia est materia quasi doctrinalis seu legalis; tum propter indifferentiam, quia non posset magis determinari ad unum, quam ad aliud; tum denique quia ibi est negatio inclusa, quia suspensio habet rationem privationis; cum ergo dicitur aliquis suspendi a beneficio, perinde est, ac si diceretur, non possit fructus beneficii accipere; ergo illa negatio distribuit terminum *beneficii*, ac si dictum esset : Nullius beneficii fructus accipere possit. In contrarium vero est, quia nomen *beneficium*, singulariter prolatum, unum tantum significat in rigore; ita vero accipiendum est, quia materia est pœnalis et odiosa. Accedit, quod majorem vim habere videtur, cum dicitur in jure, quod aliquis sit suspensus a beneficiis, quam cum dicitur a beneficio; ergo, quamvis in illa plurali locutione dicamus suspensionem fieri ab omnibus beneficiis, propter rationem factam, tamen in altera singulari solum videtur sermo esse de uno, ut a priori distinguatur.

10. *Conclusio.* — *Objectio.* — *Solutio.* — Ad hoc responderi posset negando fundamentum ejus, quia in jure non invenitur talis forma suspendendi a beneficio, quin ex adjunctis constet, de quo sit sermo. Et idem servandum est in sententiis ab homine; alioqui periculum esse potest, ne censura sit nulla propter incertitudinem, argument. l. In ambiguo, ff. de Rebus, et l. Duo sunt Titii, ff. de Testam. tutela, ut in simili cum Panormitano dixit Navarrus, cap. 27, num. 161, de hac forma : *Suspendo te ob officio vel beneficio.* Nihilominus in præsenti id dicere non possumus, quia non est locutio tam ambigua, quin possit habere definitum et usitatum sensum. Et ideo ex suppositione talis formæ, quæ nec ex verbis, nec ex circumstantiis recipit determinationem, dico esse universalem ab omni beneficio, quod reus possidet. Hoc enim probat ratio facta, quod in his rebus sermo absolutus et indefinitus æquivalet universali. Dices, hoc esse verum in favorabilibus, non in pœnalibus; hæc enim restringenda sunt, ut sumitur ex l. 2, ff. de Liber. et posthum., et facit reg. *In pœnis*, de Reg. jur., in 6, et reg. *In obscuris*, eod., ubi dicitur, in obscuris minimum esse sequendum. Cum ergo hæc verba obscura sint, optime interpretabimur, suspensionem solum esse ab uno beneficio, scilicet minimo eorum, quæ talis persona habuerit. Respondetur hanc interpretationem videri potuisse probabilem, si illa locutio esset pure indefinita, et particularis. Quia vero virtute includit negationem, ut declaravi, licet formaliter indefinita appareat, ideo dicimus habere vim universalis etiam in materia pœnali. Unde, licet locutio nude sumpta aliquantulum sit obscura, tamen attentius inspecta satis constat non posse ad minimam coarctari. Regula autem juris intelligenda est, nisi ex adjunctis alia interpretatio sufficienter constet, ut etiam Glossa ibi animadvertit.

11. *Quorumdam determinatio dictæ suspensionis rejicitur.*— Addunt vero auctores, ex causa sumi posse interdum determinationem. Et quidam hoc metiuntur ex gravitate

culpæ; nam, si illa sit digna privatione omnium beneficiorum, ita erit intelligenda suspensio; si vero non sit adeo gravis, erit unius tantum. Sed hæc regula in superioribus rejecta est, et præterea in præsenti obstat, quia eadem ratione si beneficium sit unum tantum, tamen valde pingue et æquivalens multis, stante eadem gravitate culpæ, non deberet suspendere a toto illo, sed a parte ejus. Item, si quis possideret tria beneficia, et culpa non censeretur sufficiens ad suspensionem omnium, et alioqui suspensio ab uno solo non videretur æquivalens pœna, tunc suspensio ex vi eorumdem verborum futura esset a duobus beneficiis, atque ita per eadem verba unus suspenderetur ab uno beneficio, alius a duobus, alius a tribus, quod ridiculum est, essetque id arbitrio ipsiusmet rei judicandum; nam, si judex non declarat, non tenetur reus alterius judicio stare; si autem declarat, cessat dubitatio, de qua agimus.

12. *Aliorum regula ad determinationem probatur.* — Alii constituunt regulam, ut quando causa suspensionis est de se indifferens ad quamvis Ecclesiam, et omnem clerum, tunc suspensio universalis sit, quia non habet unde determinetur; si vero causa suspensionis ad specialem Ecclesiam pertineat, tunc suspensio a beneficio intelligitur esse a beneficio, quod in tali Ecclesia quis habet, vel, si plura ibi obtineat, ab omnibus illis. Quam regulam tradidit Glossa in Clement. 2, de Vita et honest. cleric., v. *Beneficiorum,* et eamdem approbat Abb., in cap. Pastoralis, § Verum, de Appell., n. 20. Et necessario approbanda est quoad posterius membrum (primum enim jam satis probatum est), quia ipsum jus, seu Pontifex Summus voluit, ut pœna in hujusmodi causa lata sic limitaretur, in c. Si compromissarius, de Elect., in 6. Cum enim in Concilio Lateran., part. 1, c. 3, clerici, qui eligunt indignum, a beneficiis per triennium suspendantur, Bonifacius VIII in dicto c. interpretatur illam pœnam intelligendam esse de illis beneficiis, quæ sic peccans in illa Ecclesia obtinet, *quam taliter eligendo noscitur offendisse.* Ubi Glossa, verb. *Restringitur,* dicit necessariam fuisse in illo puncto Pontificis interpretationem, quia indefinita locutio Concilii oppositum insinuabat. Et ideo Nicolaus III, volens similem pœnam in simili causa imponere in c. Cupientes, v. *Cæterum,* de Elect., in 6, expresse addit illam restrictionem, dicens : *Omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum ex tunc inchoandum volumus eo ipso fore suspensos.* Et simile habetur in cap. 2, vers. *Et nihilominus,* de Reb. Eccl. non alien., in 6. Unde dici posset, illam restrictionem additam esse a Bonifacio in illa speciali lege Concilii Lateran., non tamen propterea generalem regulam constituisse, ut omnis pœna in simili causa ita restricta intelligatur, etiamsi absolute lata sit. Tamen probabilius est ibi esse generalem regulam constitutam, ut in similibus causis similem pœnam cum illa restrictione intelligamus, etiamsi expresse adjecta non sit, tum quia Pontifex non solum illam legem Concilii Lateranensis, sed etiam aliam similem Concilii Lugdun., quæ habetur in cap. ult., § 1, de Elect., in 6, eodem modo interpretatus est; tum etiam quia cum restrictio pœnæ favorabilis sit, et a Pontifice tradatur, et satis insinuetur pro generali regula tradi, non est quod a nobis limitetur. Præsertim cum et jure usitatum sit, et rationi sit consentaneum, ut qui aliquam Ecclesiam in aliquo offendit, in his tantum, quæ ad illam Ecclesiam pertinent, puniatur, quia id satis esse solet ad condignam punitionem delicti, nisi aliud in sententia exprimatur.

13. *Corollarium datæ regulæ.* — Et juxta hanc regulam intelligere possumus, quoties similis ratio subintelligendi determinationem occurrerit, cum simili etiam restrictione accipiendam esse; ut, v. gr., si Canonicus, vel Episcopus sub eo nomine, quod beneficium significet, puniatur in suspensione sui beneficii, intelligi debet solum de illo beneficio, sub cujus appellatione condemnatus est, tum quia sæpe prædicata determinantur a subjectis, et in communi modo loquendi illa locutio illum sensum generare solet; tum etiam quia regulariter hujusmodi pœna videtur injungi propter injuriam, quam suæ dignitati infert qui sic deliquit; et ideo in illius fructibus specialiter puniri solet. Ad hunc igitur modum circumstantiæ aliæ expendendæ sunt, ut ex eis appareat, an de aliquo beneficio in particulari sit sermo; quia, si nullæ sunt, et absoluta est locutio, universalem sensum reddit, ut diximus.

14. *Idem est suspendi a beneficio, et a beneficiis.* — Unde obiter colligo, per se loquendo, nihil referre, quod suspensio fiat a beneficio in singulari, vel a beneficiis in plurali, sicut non differret in suspensione ab

officio, sic dicere, vel ab officiis, quanquam hoc sit minus usitatum, quia non est tam frequens habere plura Ecclesiastica officia, sicut plura beneficia. Ratio vero est, quia utraque locutio æquivalet universali, nisi aliunde determinetur; sed addita distributione, perinde est dicere, *ab omni beneficio,* ac dicere, *ab omnibus beneficiis :* ergo. Verum est in locutione singulari facilius fieri determinationem ad unum ex materia et circumstantiis, quam si sit locutio pluralis, ut patet in exemplo posito de Episcopo, vel Canonico, qui sub hujusmodi appellatione a beneficio suspenditur; tunc enim, si in singulari fiat, habet locum illa interpretatio; si autem fiat in plurali a beneficiis, non habebit locum, sed potius reddet sensum universalem, scilicet ab omnibus beneficiis, nisi aliunde fiat coarctatio ad beneficia alicujus certæ Ecclesiæ juxta regulam dicti c. Si compromissarius. In cujus etiam casu et similibus parum referre videtur, quod suspensio fiat in singulari a beneficio; quia tunc etiam efficit sensum universalem respectu talis Ecclesiæ, id est ab omni beneficio, quod in tali Ecclesia habetur, propter eamdem rationem cum proportione applicatam.

15. *Corollarium. An suspensio a beneficio comprehendat pensiones.* — Sequitur deinde, quando locutio hæc formaliter, aut æquivalenter est universalis, omne genus beneficii Ecclesiastici sub se comprehendere, sive simplex sit, sive dignitas, vel Rectoria, etc., quia ab omnibus his solet suspensio in jure fieri, et omnia sub appellatione beneficii proprie comprehenduntur; ergo si suspensio est universalis, omnia complectitur. Quæres, an etiam pensiones. Respondeo : supposita distinctione supra data de pensione ex titulo spirituali, vel sine illo, de priori certum est comprehendi, quia est beneficium, ut ibi dixi. De posteriori autem videtur idem sequi ex ibi dictis; quia non minus privat hæc suspensio fructibus Ecclesiasticis, quam excommunicatio. Sed oppositum hic credo verius, tum quia pœna non est extendenda ultra proprietatem vocis sine cogente fundamento; hæc autem pensio non est beneficium proprie, nec est jus, vel ratio, quæ cogat ad hanc extensionem. Excommunicatio enim privat omni communicatione spirituali, et percipere quoslibet fructus Ecclesiasticos est aliqua communicatio spiritualis ; hic autem non habet locum hæc ratio. Excommunicatio item est gravior censura, et magis odiosa, et ita de illa sunt communiores doctrinæ, et jura favent; quæ omnia in præsenti desunt.

16. *Suspensio a beneficio an comprehendat Episcopatum.* — Sed quæres, an comprehendatur etiam Episcopatus, quia non solet venire nomine beneficii absolute dicti, cap. Felicis, de Pœnis, in 6. Respondeo, si hoc fundamentum esset validum, etiam posse excludi dignitatem, et Rectorias, qui in c. ult. de Precar., et c. ult., eod., in 6, ita accipitur. Quoad hoc ergo eadem est ratio de hac censura, quæ de excommunicatione, ut beneficium late sumatur, ut comprehendit ab Episcopali dignitate usque ad infima beneficia, quia hic est usus juris, et judicium in hac parte, ex omnium sententia. Solum est differentia quoad personas, quia si suspensio feratur in universali contra hoc vel illud facientes, non comprehendit Episcopos, et eorum superiores, ut habetur in c. Quia periculosum, de Sent. excom., in 6. Dicet aliquis, illud non esse extendendum ad suspensionem a beneficio; sic enim ibi dicitur : *Quia periculosum est Episcopis, et eorum superioribus propter executionem Pontificalis officii, quod frequenter incumbit,* etc.; cum ergo Pontificale officium non suspendatur per suspensionem a beneficio, videtur illa ratio non obstare, quominus hæc suspensio generalis comprehendat etiam Episcopos. Respondeo, in dicto c. Si compromissarius, expresse declarari jus illud cap. Quia periculosum, extendi ad suspensionem a beneficio, ut ibi Glossa notavit; et congruentes reddit rationes, quæ ibi videri possunt.

Suspensio a beneficio an extendatur ad omnia loca.

17. Tertio principaliter sequitur ex dictis hanc suspensionem latam absque speciali loci determinatione, etiam quoad illam circumstantiam universaliter intelligendam esse, id est ab omni beneficio, ubicumque illud sit, vel possideatur. Probatur eadem ratione, quia locutio illa indifferens æquivalet universali. Idem patet ex dictis de suspensione ab officio. Hoc autem intelligendum est, nisi aliunde ex materia, vel causa, de qua agitur, constet sermonem esse in particulari de aliquibus beneficiis talis vel talis Ecclesiæ, juxta d. cap. Si compromissarius. Unde hic etiam solet constitui discrimen inter suspensionem latam a Papa, vel a particulari Episcopo, quod illa sic lata omnia beneficia comprehen-

dit, in quocumque territorio existant, quia ejus jurisdictio universalis est. At vero de lata a particulari Episcopo, dicunt aliqui esse universalem proportionaliter, id est, quoad beneficia, quæ clericus in illo Episcopio obtinet, non vero quoad alia, si extra illud territorium illa obtineat, quia nemo potest jus dicere, aut sententiam ferre, quæ aliquid extra territorium operetur. Sed loquendo de possibili, nulla est differentia. Nam et Papa potest suspendere a beneficiis, quæ quis habet in una diœcesi, vel in una tantum Ecclesia, et per se justum est, et in jure frequens, ut videre est in Gloss. sæpe citata in Clement. *Cupientes,* de Pœnis. Et e contrario Episcopus potest subditum suspendere ab omnibus beneficiis, quæ ubique, etiam in aliis diœcesibus habet, si qualitas delicti id mereatur. Ita docuit Abbas in cap. Pastoralis, § Verum, de Appell., n. 20, cum Antonino, quem refert, estque communis opinio. Ratio est, quia ille actus non excedit jurisdictionem Episcopi particularis, quia sententia seu pœna non fertur de beneficio seu in beneficium, sed fertur in personam, et illa est quæ privatur jure quod habet, seu impeditur, ne illo utatur; ipsa autem persona est intra territorium hujus Episcopi, eique subjecta, et in illo habet omne jus cujuslibet beneficii, etiamsi tale jus sit ad fructus percipiendos in alio territorio, vel Episcopatu. Nam beneficium est jus quoddam quasi inhærens personæ, quæ illud habet, ut notavit idem Abbas, in c. Postulasti, de Foro compet., n. 7, et de aliis juribus incorporalibus idem dicunt jurisperiti cum Glossa in l. 3, ff. Pro socio; ergo Episcopus, qui fert sententiam suspensionis in personam sibi subjectam, potest etiam in illa impedire omne jus, quod ipsi inhæret; ergo potest suspendere illam ab omni beneficio, etiamsi Ecclesia, vel locus beneficii extra territorium sit.

18. *Exemplo assertio confirmatur.* — Et confirmatur, quia Episcopus potest clericum sibi subjectum deponere, et privare omnibus beneficiis, etiam his, quæ in alia diœcesi habet, ex cap. Postulastis, de Foro compet., ubi dicitur, Episcopum posse condemnare clericum sibi subjectum in privatione beneficii existentis in alia diœcesi, licet executio facienda sit per Episcopum, in cujus diœcesi est illud beneficium, quia executio respicit locum, in quo est res, circa quam fit; ita ergo in præsenti suspensio fieri poterit universalis a proprio Episcopo particulari, quamvis executio circa fructus percipiendos in alia diœcesi per Episcopum loci facienda sit. In quo erit aliqua differentia inter Papam, et Episcopum particularem; nunc vero de illa non agimus, sed solum de suspensione ipsa. Imo hæc differentia procedit quoad externam et forensem executionem et privationem fructuum; nam quoad internam (ut sic dicam) et in foro conscientiæ, ipsa censura secum affert executionem, et privat ipso jure fructibus, et dominio futurorum fructuum, ubicumque cadant.

19. *Potest Episcopus subditum ab officio pro omni loco suspendere.* — Simileque est de suspensione ab officio; nam et Pontifex, et Episcopus possunt subditum suspendere ab officio, vel parte ejus, et in uno, et in omni loco, intra, vel extra diœcesim, et ob rationem factam. Quamvis inter has suspensiones conetur in hoc assignare differentiam Glossa, in c. Cupientes, v. *In ipsa Ecclesia,* de Elect., in 6; sed nulla fere est, nisi forte in hoc, quod suspensus a beneficio in uno loco, ab illo est suspensus ubique; nam fructus ejus in uno tantum loco percipiuntur, et ideo si ibi illis privatur, ubique illis carebit. Ab officio autem, v. g., concionandi, potest quis suspendi in uno loco, et non in aliis; nam illa actio in diversis locis exerceri potest, et privatio in uno non necessario redundat in omnia, ut per se clarum est. Neque etiam est necessaria distinctio, quam aliqui fingunt inter suspensionem a jure, vel ab homine, si in eodem puncto de potestate sistamus; nam sicut Pontifex et communi jure, et per sententiam ab homine, prædictam universalem suspensionem ferre potest, ita etiam Episcopus particularis non solum per sententiam specialem, quod omnes admittunt, sed etiam per generalem, vel per statutum potest similem suspensionem ferre, quia non est illi prohibitum per Summum Pontificem, neque ex natura rei, aut ex divino jure ejus potestas limitata est ad ferendam suspensionem per sententiam particularem, et non alio modo, ut per se notum est; unde enim inferri, aut probari potest talis limitatio? Et alioqui culpa, per generalem sententiam, aut statutum prohibita, potest esse digna illa pœna; ergo potest per Episcopum illo modo ferri, quia etiam in eo modo ferendi non excedit jurisdictionem suam, ut ratio supra facta hic etiam probat.

20. *Episcopus simpliciter a beneficio suspendens, an intelligatur suspendere ab his,*

quæ sunt extra diœcesim. — Abbatis opinio. — Resolutio. — Quamvis autem hæc de potestate sint vera, nihilominus in usu nonnulli sentiunt, sententiam ab Episcopo prolatam, si amplius non declaretur, interpretandam esse, ut suspendat solum a beneficiis in suo territorio sitis. Abbas in dicto c. Postulasti, de Foro comp., et citat dictum c. Si compromissarius. Quod de hoc casu non loquitur, ut constat; insinuat tamen argumentum a simili; nam sicut suspensio lata pro causa, seu crimine pertinente ad specialem Ecclesiam, licet absolute feratur, intelligitur solum ferri a beneficiis illius Ecclesiæ, ita sententia lata a particulari Episcopo, nisi aliud in ea explicetur, intelligitur a beneficiis pertinentibus ad talem Episcopum, seu ad territorium ejus, quia sicut prior causa ad particularem Episcopatum pertinere censetur. Quæ ratio æque procedit in suspensione lata ab Episcopo per sententiam, et per statutum; non vero habet locum in Summo Pontifice, quia ejus jurisdictio universalis est; et ideo ex ea parte non limitatur sententia, nisi aliunde ex verbis, vel ex causa limitationem accipiat. Atque hæc opinio favorabilis est, eamque adjuvant illa principia generalia juris, quod odia, et pœnæ restringendæ sunt, quoad commode fieri possit; hæc autem restrictio videtur satis commoda, et juri consentanea. Tamen quia ex jure non satis probatur, ut mihi quidem videtur, ideo consulendam esse censeo consuetudinem, quæ est optima legum et verborum interpres. Si ergo ita usu receptum est inter Ecclesiasticos judices particulares, ita erit interpretanda; et si res est dubia, existimo sententiam Panormit. esse satis probabilem, quam unusquisque potest in praxi sequi; et ideo, ut supra monui, debent Episcopi, dum hujusmodi censuras ferunt, satis voluntatem suam explicare.

Suspensio a beneficio quanto tempore duret.

21. *Conclusio. — Quamdiu duret suspensio ob contumaciam. — Quid de suspensione pro delicto commisso.* — Quarto principaliter sequitur ex dictis, quando hæc censura ex parte circumstantiæ temporis simpliciter fertur, et absque ulla determinatione, semper, et continue durare, ac privare hominem fructibus beneficii, aut beneficiorum, quæ tempore, quo lata est, obtinebat, donec per superiorem tollatur. Hæc veritas eodem modo, quo aliæ similes supra positæ, probanda est; nam ex eisdem principiis sequitur, quia verba indefinite prolata vim universalem habent; ergo si absolute fertur suspensio absque determinatione temporis, sensus et voluntas inferentis est, ut semper duret, donec per habentem potestatem auferatur. Atque ita sensit Abbas in c. Ex litteris, de Constitut., n. 10, quem alii sequuntur. Ut autem hoc amplius explicetur, oportet advertere, hanc suspensionem, sicut alias, ferri posse et pro contumacia, ut ab ea recedatur, et pro delicto commisso. Quando fertur priori modo, durat, quamdiu durat contumacia, si a superiore non revocetur; quod licet regulariter fieri non debeat, fieri tamen non repugnat, ut supra de censuris in communi diximus. At vero cessante contumacia, cessare debet talis suspensio, sicut dictum est de censuris in communi; nam quoad hoc est eadem ratio de omnibus, quia cessante causa adæquata, cessare debet effectus. An vero tunc suspensio ipso jure cesset, vel auferenda sit per absolutionem, dicemus inferius in propria disputatione. Quando vero fertur hæc suspensio propter commissum delictum, aut fertur ad certum tempus, aut simpliciter. Prior modus est frequens in jure, c. 1, Cupientes, c. Si compromissarius, de Elect., in 6, et aliis; et tunc suspensio privat fructibus beneficii toto illo tempore continuo, ex quo lata est, usque ad terminum præfixum, ut et ex verbis ipsis, et ex juribus evidenter probatur; et finito illo tempore per sese finitur absque alia absolutione, vel revocatione. Quia cum hæc non sit censura, non indiget absolutione, cumque a principio limitatum terminum acceperit, non indiget revocatione, quia ipsamet termini designatio fuit virtualis quædam revocatio pro ulteriori tempore. Tandem hæc suspensio sæpe fertur pro commisso crimine, et absque certa temporis limitatione, ut in c. 2 de Translat. Episcopi, et in c. Vel non est compos, de Temp. ordin., et in aliis, et tunc est quodammodo perpetua, sicut in simili diximus de suspensione ab officio. Quia vero non est depositio simpliciter, nec privat beneficio, ideo virtute, vel formaliter continet conditionem, ut duret, quamdiu a judice, vel a superiore ablata non fuerit.

22. *Per hanc suspensionem privatur quis futuris fructibus beneficii jam habiti.* — Deinde est circa hoc advertendum, suspensionem a beneficio suspendere ab illo beneficio, quod quis habet, cum ipsa fertur; nam

ipsa statim ac lata est, incipit operari, ut colligi potest ex c. Cupientes, § Cæterum, de Electione, in 6, et notavit Glossa, in c. Provida, eodem titulo; nam sicut excommunicatio, ita et suspensio secum affert executionem, c. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Duos autem censetur habere respectus, scilicet, ad beneficium, et ad fructus, propter quos dicitur respicere præsens, et futurum. Præsens, quia suspendit a beneficio, quod homo tunc habet, quando suspenditur; nam qui beneficium non habet, non est proprie capax hujus pœnæ, licet alias fieri possit inhabilis ad beneficium; futurum, quia privat fructibus percipiendis, non perceptis, nisi anticipate percepti sint quasi mutuo antequam essent debiti: nam illi obnoxii sunt restitutioni, quia mutuatio illa non impedit effectum censuræ, sed facta intelligitur sub conditione faciendi illos fructus suos; quod suspensio impedivit. Sicut e converso, quamvis tempore suspensionis clericus nondum realiter percepisset fructus beneficii, quos usque ad illum terminum suos fecerat, et pro eis sufficienter servierat, non privatur illis per suspensionem, quæ respicit tantum futurum tempus, non quoad realem possessionem solam, sed quoad dominium, seu jus proximum ad tales fructus impediendum; at vero circa illos fructus jam erat jus acquisitum, et per accidens est, quod in realem possessionem nondum venerint; et ideo circa illos nihil operatur suspensio. Sic ergo suspensio circa præterita non nocet, nec retrotrahitur, ut dixit Navarr., lib. 1 Consiliorum, consil. 29, num. 5, de Tempore ordin.

23. *An privetur ne novum beneficium acquirere possit.* — Quæri vero potest, an hæc suspensio a beneficio cadat in beneficium futurum, impediendo acquisitionem. Respondetur, si suspensio non sit tantum ab uno, vel a determinato beneficio, neque in determinato loco, sed simpliciter a beneficio, id est, ab omni beneficio, ubique, licet per se et directe a percipiendis fructibus obtentorum beneficiorum impediat, tamen consequenter ex vi illius prohibet novi beneficii impetrationem seu collationem. Argumento eorum, quæ diximus de suspensione ab officio; nam qui ab aliquo opere, vel usu simpliciter interdictus est, consequenter est prohibitus, ne possit ei conferri id, quod est principium talis actus, seu quod ad illum ordinatur, ut in prædicto cap. ult., de Clerico excommun. ministr., dicitur; sed in præsenti per hanc suspensionem, quis est absolute interdictus, ne fructus Ecclesiasticos suos faciat; ergo consequenter est prohibitus, ne beneficium acquirat; hoc enim ad illum actum ordinatur, et est quasi principium ejus. Et hæc est sententia communis cum Glossa ult., quæ id colligit ex textu cap. Per inquisitionem, de Elect.; nam ibi quidam, qui male eligendo alium in Episcopum, *se reddiderat indignum Ecclesiasticis beneficiis,* privari mandatur alio beneficio, ad quod ipse postea electus fuerat; illa autem indignitas, ut Glossa notat, præcipue erat, quod ratione illius malæ electionis suspensus fuerat a beneficiis, juxta c. Cum in cunctis, eodem titulo, c. Cupientes, verb. *Cæterum,* eodem titulo, in 6, ubi id notat Glossa, verb. *Beneficiis.* Idemque proportionaliter erit intelligendum, si aliquis sit suspensus ab omnibus beneficiis in aliqua Ecclesia, juxta cap. Si compromissarius, de Elect., in 6; nam ille in eadem Ecclesia beneficium de novo suscipere non potest, propter eamdem rationem; tamen in alio loco poterit, ut notavit Glossa ult. in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Et ratio est, quia nec directe id prohibitum est illi sic suspenso, nec indirecte, seu per consecutionem superius factam, cum illa suspensio non simpliciter, sed in loco tantum illum actum prohibeat. Idemque est ob eamdem rationem, quando aliquis ab uno determinato beneficio suspensus est, quia illi etiam non est interdicta simpliciter acquisitio fructuum Ecclesiasticorum, sed tantum eorum, quæ ad titulum talis beneficii spectant.

24. *Collatio suspenso a beneficio facta non irrita, sed irritanda.* — Addo insuper, eum etiam, qui simpliciter ab omni beneficio suspensus est, non ita esse prohibitum, seu impeditum a novo beneficio acquirendo, ut collatio ei facta ipso jure nulla sit, sed solum ut a legitimo judice, vel superiore sit irritanda; nam ratio facta ex c. Si celebrat, de Clerico excommun. ministr., non plus probat. Quia, ut supra notavi, in illo textu non dicitur electio irrita, sed irritanda; ergo ex illo non potest in præsenti puncto amplius colligi; secluso autem fundamento illius juris, nullum aliud est, ex quo probari possit, prædictam collationem esse nullam. Neque in dicto c. Per inquisitionem, de Elect., id significatur; solum enim præcipitur, ut qui sic in præpositum electus fuerit, *ab officio præpositura penitus amoveatur;* quæ verba potius significant, illum quamvis male electum, revera tamen fuisse præpositum effectum, privandum

vero fuisse præpositura propter prædictum defectum.

25. *Clericus nullum habens beneficium, si crimen committat, ob quod lata est suspensio beneficii, an impediatur, ne accipiat. — Prior resolutio.* — Sed objiciet aliquis : nam si hæc suspensio habeat hunc effectum, sequitur, clericum nullum habentem beneficium, si committat crimen, pro quo ipso jure lata est absoluta suspensio a beneficio, quamvis non privetur fructibus alicujus beneficii, quia nullum habet, tamen prædicto modo impediri, ut non possit ei beneficium conferri. Consequens videtur esse contra illud axioma, quod nemo suspenditur ab eo, quod non habet; et contra Glossam in Extravag. *Injuncta nobis,* verb. *Suspensio,* de Electione, communiter probatam : ergo. Sequela probatur, quia omnis censura, vel pœna propter crimen imposita, licet non operetur in singulis hominibus, quantum potest, ob eorum incapacitatem, operatur in unoquoque, quantum in se est capax; ergo si hæc suspensio habet hunc effectum, efficiet illum in eo, qui beneficio caret, etiamsi non faciat alios effectus propter incapacitatem subjecti. Duobus modis responderi potest : primo, negando sequelam, quia hic effectus non est quasi principalis, et directe intentus per hanc pœnam, sed accessorius per consecutionem quamdam, ut dixi; et ideo cessante principali effectu, cessat ille accessorius. Neque est mirum, quod solum propter carentiam beneficii, non incidat in hanc partem pœnæ, quam incurreret propter idem crimen, si beneficium haberet; hoc (inquam) mirum non est, quia hæc pœna specialiter fertur contra beneficiatos Ecclesiæ, qui ejus fructibus aluntur; et ideo speciali modo ac titulo videntur illam offendere, cum talia crimina committunt.

26. Secundo et verisimilius respondetur concedendo sequelam; non enim video, cur illo modo non possit suspendi a beneficio, qui beneficium nondum habet, quia suspensio non est talis privatio, quæ necessario supponat id, quod aufert, sed quæ impediat etiam, ne habeatur, seu acquiratur id, quod alias acquiri posset. Unde satis est, quod supponat potentiam proximam ad obtinendum beneficium, ut ejus consecutionem prohibeat, ne fructus ejus percipi possint, a quibus suspensio fit. Quod si suspensio potest hunc habere effectum, cum universaliter imponitur a beneficio, non video, cur non debeat ita operari in eo, qui beneficio caret. Nam quod dicitur, hanc suspensionem latam esse in beneficiatos, non video, quo jure probari possit, quia suspensio clericorum pœna esse dicitur, non præbendatorum. Unde si lex specialiter id non declaret, sed simpliciter suspensionem ferat in eos, qui tale crimen commiserint, omnes clericos comprehendit; ergo in unoquoque operabitur id, quod potest; potest autem eum, qui beneficium non habet, impedire, ne illud suscipiat; ergo id operabitur in eo talis suspensio. Et declaratur, quia si talis clericus obtineat beneficium post commissum tale delictum, sine dubio erit suspensus a fructibus ejus, quia lex non operatur tantum in puncto, quo fit delictum, sed pro toto tempore, pro quo illud punit; nec est verisimile privare fructibus toto illo tempore, quia principio habebat beneficium, et non privari alium, saltem ex quo tempore illud habuit; ergo signum est illam legem pœnalem operari etiam in eum, qui non habebat beneficium tempore delicti; et inde etiam constat, acquisitionem beneficii fuisse iniquam, quia est ad actum per sacros canones tunc interdictum. Cum vero dicitur suspensio directe privare fructibus, et consequenter impedire acquisitionem beneficii, respectu ejusdem beneficii verum est; tamen non est necesse, quod illa privatio fructuum sit quoad efficaciam (ut sic dicam), sed quoad sufficientiam, id est, non est necesse, ut actu privet, sed quantum est de se, si persona jus illorum habeat. Denique, licet non privet, reddit personam inhabilem ad percipiendos fructus, dum censura durat. Ita ergo hæc pœna locum habet etiam in eo, qui nullum beneficium actu obtinet, dummodo clericus sit. Quod tandem confirmatur a simili de suspensione ab officio; nam qui simpliciter ab officio suspensus est, licet actu non habeat officium, a cujus usu suspendatur, prohibitus est, ne pro tunc Ecclesiasticum officium acquirat; et qui suspensus est ab Ordine, licet nullum habeat Ordinem, sed tantum sit clericus primæ tonsuræ, est impeditus, ne Ordinem suscipere possit, quamvis ab executione præexistentis Ordinis non impediatur, quia nullum habet, quia prima tonsura Ordo non est; idem ergo est in præsenti in suspensione a beneficio.

Quibus fructibus privet suspensio a beneficio.

27. *An comprehendantur quotidianæ distributiones.* — Ex dictis constat, suspensionem a beneficio, vel beneficiis, absolute omnibus

fructibus ejus vel eorum respective privare, quia eo ipso, quod partem fructuum non determinat, est absoluta locutio æquivalens universali, vel negatio, quæ omnia destruit. Declarandum vero superest, quæ sint ea, quæ sub his fructibus comprehenduntur, et per suspensionem hanc tolluntur. In quo primo certum est, comprehendi omnes redditus temporales qui ratione beneficii conferuntur, cujuscumque conditionis sint, et quocumque nomine dentur, id est, sive sint pecuniæ, sive fructus terræ, sive animalia se moventia. Rursus sive dentur per modum decimarum, primitiarum, aut oblationum, sive ut proventus, vel pensiones ex fundis, seu aliis bonis immobilibus ipsius beneficii. Etenim hæc omnia in redditibus beneficii computantur, et ratione officii, ad quod beneficium obligat, atque adeo ob titulum beneficii dantur; ergo omnes sunt fructus beneficii, ut omnes docent in titulo de Decimis, et de Parochiis; ergo illis omnibus privat dicta suspensio. De quotidianis autem distributionibus, quæ propter diurnas Horas, et officium dari solent, difficultas esse potest, quia hæc non comprehenduntur nomine fructuum, ut ex c. unico de Clerico non residente, in 6, tradunt multi Canonistæ, quos refert, et sequitur Covarruv., lib. 3 Variar., c. 13, n. 5. Quidquid tamen sit de illa locutione, quoad alios effectus, seu in aliis rebus, in præsenti non dubito, quin distributiones etiam quotidianæ sub hoc effectu suspensionis comprehendantur, ut sentit Glossa in Clement. 2, de Vita et honest. cleric., verb. *Suspensus,* quam alii sequuntur. Et ratio est, quia etiam hæ distributiones dantur ratione beneficii; quanquam enim immediate dentur propter assistentiam, vel ministerium ad aliquod divinum officium, tamen hoc non est præter rationem beneficii, quod ex institutione sua propter officium datur; et præterea illud officium non esset sufficiens ratio ad lucrandas distributiones, nisi ex titulo beneficii fierent; sunt ergo illæ distributiones, veluti pars quædam beneficii; cum ergo suspensio fiat a toto beneficio, ab his etiam distributionibus obtinendis impedit.

28. *An comprehendantur stipendia voluntarie a fidelibus oblata propter opera personalia.* — Major dubitandi ratio esse potest de aliis stipendiis, seu distributionibus, quæ non pertinent per se ad fructus beneficii, nec dantur propter ordinarium ministerium ejus, sed propter alia opera personalia illi annexa, ex pia voluntate, vel dispositione fidelium, ut sunt anniversaria, stipendia Missarum, et similia; nam hæc, cum non proveniant ex titulo, operibus propriis ipsius beneficii, sed ratione operæ personalis lucrifiant, non videntur tolli ex vi hujusmodi suspensionis. Sed hoc ad summum procedit, quando hæ distributiones, seu stipendia non sunt ullo modo annexa ipsi beneficio, sed extraordinarie offeruntur a fidelibus tanquam eleemosynæ ratione Missæ, vel alterius divini officii; tunc enim quamvis contingat dari parocho, v. gr., eo quod tale beneficium habeat, nam consuetudo esse solet, ut illi potius, quam alii offerantur, nihilominus ibi beneficium concurrit veluti occasio quædam; proprie tamen illi non possunt computari in fructibus, qui per se pertinent ad beneficium; et ideo de his verum existimo non comprehendi sub absoluta suspensione a beneficio. At vero quando hæc sunt moraliter per se conjuncta beneficio, consuetudine et superiorum auctoritate, undecumque originem duxerint, existimo jam computari tanquam fructus beneficii, et ex illius titulo promanare; ideoque sub prædicta suspensione comprehendi. Nam licet in rigore distributiones quotidianæ non sint, eis tamen æquiparantur, præsertim in pœnalibus, ut ex quadam Glossa notavit Navarrus, lib. 4 Consil., tit. de Cleric. non resid., consil. 13.

Quibus actionibus beneficii privet suspensio ab illo.

29. Ulterius vero dubitari potest, an præter hujusmodi res sint etiam aliquæ actiones, quibus sic suspensus a beneficio privetur, quia illæ aliquo modo ad fructus beneficii pertinent. In quo dicendum est, aliquas esse hujusmodi actiones. In primis sunt omnes illæ, quæ ad fructus percipiendos, seu augendos, vel alio modo pertractandos ordinantur; ut est locare beneficium, aut bona ejus, vendere fructus et in universum tota temporalis beneficii administratio; illa enim prohibita est ei, qui a beneficio suspensus est, ut colligitur ex c. 1, § ult., de Elect., in 6, verbis illis : *Ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit;* illa verba non solum significare videntur privationem fructuum, sed etiam prohibitionem se ingerendi ad negotia tractanda, quæ ad illos pertinent; potestque hic applicari regula c. Si celebrat, de Clerico excommun. ministr., cui aliquid

vetitum est, etiam illa esse prohibita, quæ ad illud ordinantur; cum ergo suspensus sit prohibitus a fructuum perceptione, consequenter est separatus ab administratione temporali beneficii, quæ ad fructuum perceptionem ordinatur. Atque ita sentiunt Doctores cum Innocentio et Abbate, in cap. Ex tua, de Cleric. non resid., et in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia, et in cap. Pastoralis, § Verum, de Appel., et in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., et in c. Apostolicæ, de Excep., ubi Glossa penult., et Felinus, in c. Intelleximus, de Judiciis, num. 10. Quod adeo verum esse sentiunt, ut talem administrationem a suspenso usurpatam invalidam esse, seu contractus invalidos efficere dicant in iis, quæ præjudicium aliquod Ecclesiæ afferre, et bona ejus, aut jura immutare, vel minuere possint, ut alienationem alicujus rei Ecclesiæ, vel aliquid hujusmodi. Unde fit, ut qui tali Ecclesiæ debitor est, si hujusmodi beneficiato suspenso illud solvat, non satisfaciat, sed possit ab illo repeti, quia ei solvit, qui jam tunc non habebat potestatem recipiendi, seu res talis Ecclesiæ administrandi, et sic de aliis. Oportebit tamen, ut talis suspensio manifesta sit, et hodie ob Extravag. *Ad evitanda,* ut sic suspensus nominatim denunciatus sit; nam alioqui nemo tenetur illum vitare; et ideo quilibet poterit Ecclesiastica negotia cum illo transigere, neque propterea culpari poterit; ergo a fortiori valida erunt, quæ ita fient, licet ex parte suspensi non sine peccato per se fiant. Atque idem dicendum censeo de permutatione beneficii; nam hæc actio maxime procedit ex dominio in ipsum beneficium, et est unus ex præcipuis usibus ejus; et non immerito dici potest fructus beneficii; et ideo qui est simpliciter a beneficio suspensus, ab hoc etiam actu suspensus est; unde idem consequenter dicendum est de donatione beneficii, et omnibus actibus similibus.

30. *An suspensus a beneficio Episcopatus possit beneficia conferre. — Quorumdam responsio. — Improbatur.* — Sed occurrit objectio; nam sequitur, Episcopum a suo beneficio suspensum non posse beneficia conferre; consequens est falsum, quia conferre beneficia est actus officii et jurisdictionis juxta Glossam in cap. Transmissam, de Elect., in 6; per suspensionem autem a beneficio non suspenditur quis ab officio, et actibus ejus, ut dictum est : ergo. Sequela probatur, quia conferre beneficia censetur inter fructus Episcopatus, ut dixit Glossa ultima, in c. Cum olim, de Major. et obedient. Aliqui respondent, conferre beneficium non esse fructum pretio æstimabilem; suspensionem autem solum privare rebus pretio æstimabilibus. Sed contra, quia etiam permutare beneficium non est aliquid pecunia æstimabile secundum jus Ecclesiasticum, licet natura sua dici possit æstimabile, ut in simili notavit Navarr., in commentario de Usuris, ad c. Si fœneraveris, 14, quæst. 3, notab. 9, num. 17; quomodo etiam conferre beneficium dici potest natura sua æstimabile pretio, quamvis jure non sit; ergo quoad hoc æqualis est ratio inter illos actus. Præterea gratis videtur adjecta illa limitatio de fructibus pretio æstimabilibus, cum suspensio a beneficio simpliciter fiat.

31. *Vera responsio.* — Dico ergo improprie dictum esse conferre beneficia pertinere ad fructus Episcopatus; nam revera non ita est, sed pertinet ad officium Episcopatus; est enim quidam actus illius muneris, sicut conferre sacramenta est actus beneficii parochialis. Tamen quia ille actus censetur aliquo modo utilis Episcopo, et redundans in commodum ejus, ideo secundum quamdam vulgarem loquendi rationem dicitur collatio beneficii pertinere ad fructus Episcopatus. Unde est magna differentia inter actum conferendi beneficium ex vi juris, et officii provenientis a superiori beneficio, et inter actum permutandi vel donandi proprium beneficium; nam ille prior non est actus dominii, sed muneris; et ideo non est actus beneficii, ut beneficium est, sed ut officium; posterior vero non est actus muneris, sed dominii; unde est actus beneficii, ut beneficium est, seu ut est quædam res propria, non vero est actus præbendæ, ut officium in se includit, quod per se notum est; et ideo non est similis ratio de his actibus.

32. *An suspensus a beneficio privetur actu eligendi, qui ratione beneficii ei competit.* — Atque hinc expeditur aliud dubium, quod hic solet excitari de actu eligendi, si conveniat ratione beneficii, an quis illo privetur, eo quod a tali beneficio suspensus sit. Videri enim potest ita esse asserendum; nam si collatio beneficii fructus Episcopatus dicitur, cur non etiam electio dicetur fructus illius beneficii? Ergo concludetur sub prohibitione fructuum. Atque in hanc partem citatur Glossa per textus ibi, in cap. Cum dilectus, de Consuet., et in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualitat.; sed illa jura non loquuntur in

speciali de suspensione a beneficio, sed absolute de suspensis; unde facile possint exponi de suspensis omnino, vel ab officio, vel a jure eligendi. Dicendum ergo est suspensum a beneficio posse nihilominus eligere; quia electio non est fructus beneficii, neque actus ejus, ut beneficium est, sed est actus illius officii spiritualis, cui annexum est beneficium; ac propterea sicut per talem suspensionem non suspenditur officium quoad alios actus, ita nec quoad electionem. Quod non male confirmatur ex cap. Cum in curia, § ult., de Election., ex Concil. Lateranensi sub Alexandro III, part. 1, cap. 3, ubi clerici, qui contra formam ibi præscriptam aliquem eligunt, et a beneficiis suspenduntur, et pro tunc eligendi potestate privantur; ergo signum est privationem eligendi non includi in suspensione a beneficio. Quo argumento utuntur, ad hanc sententiam confirmandam, Glossa in cap. Cupientes, § Cæterum, de Electione, in 6; Abbas, in cap. Cum Vintoniensis, de Electione, num. 10, et in cap. Cum dilectus, de Consuetudine, num. 20.

33. *Objectio ex cap. Quisquis, de Elect.* — *Solutio.* — Sed objici potest c. Quisquis, de Elect., ex Concilio Lateran. sub Innocentio III, cap. 25, ubi qui electionem quamdam ipso jure irritam præsumpserint celebrare, *ab officiis, et beneficiis penitus per triennium suspenduntur, eligendi tunc potestate privati.* Ex quibus verbis, si argumentum factum est efficax, etiam posset inferri in suspensione ab officiis non includi suspensionem potestatis eligendi; quod plane falsum est. Illum vero textum, omissa Glossa ibi, quæ ad rem non loquitur, ego sic intelligendum puto, suspensionem ab officio et beneficio ibi non ipso facto imponi, sed per judicem imponendam decerni, ut patet ex illo verbo, *suspendantur;* ab eligendo autem saltem pro illa vice ipso facto suspenduntur; non enim dixit: *Eligendi potestate privetur,* sed *privati,* scilicet ipso facto; et ideo necessarium fuit hanc pœnam distincte explicare. Quod tamen in Concilio Lateran., sub Alexandro III, non ita est; utraque suspensio tanquam distincta ipso facto imponitur, ut patet; nam eodem verbo, et tenore dicitur : *Noverint se privatos potestate tunc eligendi, et per triennium a beneficiis suspensos.* Igitur in fructibus beneficiorum, quibus suspensio hæc privat, non comprehenduntur actiones propriæ ipsius officii, etiamsi illæ honores potius existimentur, quam onera, et quamvis temporale aliquod commodum secundum hominum existimationem secum afferre videantur. Duo vero alia dubia, quæ de fructibus hic attingi possunt, in sectione sequente expedientur.

SECTIO II.

Quid sit, et quem effectum habeat suspensio quæ a beneficio solum ex parte fit.

1. *Suspensio partialis a beneficio duplex.* — Suppono duobus modis posse suspensionem esse partialem. Primo comparatione facta ad multitudinem beneficiorum. Secundo per comparationem ad fructus ejusdem beneficii. Priori modo contingit, quando eadem persona habens plura beneficia, ab uno, vel a quibusdam suspenditur, et non ab aliis, vel quia suspenditur a beneficiis, quæ habet in uno loco, vel Ecclesia; et non ab his, quæ alibi habet, juxta cap. Cupientes, et cap. Si compromissarius, de Electione, in 6, vel quia, licet plura beneficia habeat in una Ecclesia, ab uno, et non ab aliis suspenditur. Et quocumque istorum modorum fiat, habet rationem censuræ simpliciter, et potest dici suspensio major, non comparativa, sed absoluta locutione, ut supra declaratum est. Respectu vero beneficii dicitur suspensio partialis, quæ a parte fructuum, et non ab omnibus privat; ita enim interdum fieri annotavit Glossa in Clementina *Cupientes*, de Pœnis, et sumi potest ex Clementina 2 de Vita et honestate cleric., et ex Clementina 2 de Ætat. et qualit.

2. Et de hoc genere suspensionis aliqui negant esse proprie censuram, imo nec suspensionem simpliciter, sed tantum secundum quid, eo quod sub nulla ratione sit suspensio in totum, sed tantum in parte; reliquæ enim suspensiones partiales quamvis respectu personæ tales sint, tamen respectu Ecclesiæ, seu loci dici possunt totales; vel licet respectu loci sit suspensio partialis, respectu beneficii est totalis; at vero hæc, quam nunc consideramus, mere partialis est; et ideo non videtur esse simpliciter suspensio, sed tantum secundum quid. Verum hoc spectat ad modum loquendi; nam moraliter rem considerando, hæc suspensio potest esse majoris momenti, quam alia, quæ sit totalis; unde non est dubium, quin sit pœna, et interdum valde gravis, et si pro contumacia feratur, non video quid illi desit, ut sit propriissima censura. Non est enim de ratione censuræ, ut sit privatio totalis, nisi respectu sui objecti, ut sic

dicam; quomodo excommunicatio minor est talis privatio respectu usus passivi sacramentorum, quamvis non sit respectu totius usus, seu communicationis; sic ergo illa suspensio omnino privat tali parte, v. gr., dimidia, aut tertia, vel alia simili, vel privat distributionibus, aut primitiis, vel redditibus talium possessionum, vel quid simile. Hæc ergo suspensio vera etiam censura esse potest, et dici simpliciter suspensio, quanquam si pars illa, qua privat, minima sit, non male dicatur suspensio minor, ut in superioribus diximus.

Effectus partialis suspensionis a beneficio exponitur.

3. Atque hinc facile constat resolutio alterius partis de effectu hujus suspensionis; cum enim multiplex sit hæc partialis suspensio, unaquæque illum habet effectum, quem verba ipsa determinantia suspensionem declarant, et non alium. Quia talia verba de se sunt efficacia; et id operantur, quod significant, et non amplius; quia effectus non potest excedere virtutem causæ; et quia limitatio illa, quæ per determinationem fit, est exclusio aliorum effectuum, ut in superioribus est dictum; eadem namque proportione hæc intelligenda sunt, qua cætera declaravimus. Unde, quando suspensio est partialis respectu personæ, vel loci, cum sit totalis respectu beneficii, aut beneficiorum, privat illorum fructibus cum proportione ad totalem, nam respective eodem modo ponderanda sunt verba. Quando vero suspensio omnino est partialis, id est a parte beneficii, tunc designatio partis est exclusio aliarum; tamen respectu talis partis poterit considerari illa suspensio per modum integræ privationis, et ita respectu illius eamdem proportionem servat.

4. *Suspensio a beneficiis, quæ quis obtinet, est partialis. — Nec per illam prohibetur quis acquirere novum beneficium.— Nec illam incurrit qui beneficium actu non habet.* — Quia vero in superioribus diximus suspensionem ab omnibus beneficiis simpliciter latam, atque adeo totalem, prohibere novam beneficii consecutionem, advertendum est, quod, licet aliquis suspendatur ab omnibus beneficiis, si tamen id fiat cum additione hujus particulæ, *Quæ obtinet,* ut in Clement. 2, de Vita et hon. cleric., illam non esse suspensionem totalem, sed partialem, cum suspensio simpliciter non tantum præsentia, sed etiam futura respiciat; illa vero suspensio per illam particulam, *Quæ obtinet,* ad præsentia determinetur. Unde ex adjectione illius particulæ, quæ in illo textu fit, optime colligitur, quando illa non additur, sed suspensio a beneficiis simpliciter fertur, universaliorem esse suspensionem. Quo fit, ut per illam suspensionem sic limitatam non prohibeatur quis a susceptione novi beneficii, quandoquidem non est simpliciter suspensus a fructibus Ecclesiasticis, sed a talibus; ergo respectu aliorum nihil prohibet. Fit etiam inde, ut, qui beneficium Ecclesiasticum non habet, illam suspensionem non incurrat, quia solum suspendit a beneficiis, quæ aliquis habet. Et utrumque insinuatur in illa Clementina 2, dum statim additur alia pœna pro illo, qui beneficium Ecclesiasticum non habet, scilicet, quod per sex menses inhabilis ad illud obtinendum reddatur; quæ pœna genus quoddam suspensionis esse censetur; proprius vero dicetur inhabilitas quædam, ut ex supra dictis constat, ex quibus etiam clara sunt omnia, quæ de his effectibus desiderari possunt.

An suspensus a beneficio alendus sit ex fructibus ejus.

5. Duo vero declaranda supersunt, quæ utrique suspensioni a beneficio totali et partiali communia sunt, servata proportione. Primum est, quid agendum sit, si clericus indigeat ad suam sustentationem illis fructibus beneficii, vel eorum parte, quibus per suspensionem privatur, an cogendus sit mendicare, vel illi subveniendum sit. Simile dubium tractavi supra de excommunicatione majori; unde solum addendum est, quando suspensio fertur pro contumacia (in quo cum excommunicatione convenit) eamdem esse de utraque rationem. Quia quantumcumque sic suspensus indigeat, illi subveniendum non est de fructibus beneficii; sua enim voluntate, et culpa quasi continue durante, eam patitur necessitatem, qua facile liberari poterit recedendo a contumacia; sic enim absolvetur, et fructibus beneficii frui incipiet. Nec est inconveniens, quod talis clericus cogatur mendicare; non enim cogitur simpliciter, sed ex suppositione suæ pravæ voluntatis; minusque inconveniens illud est, quam quod ex sua iniquitate commodum reportet in vilipendium Ecclesiasticæ obedientiæ et disciplinæ. At vero, quando suspensio fertur in puram

pœnam commissi delicti, tunc propter decentiam ordinis clericalis, et quia jam non est in potestate illius personæ facere, quo illa pœna tollatur, nam quantumcumque resipiscat, et Ecclesiæ obediat, sustinebit illam, ideo ex illis fructibus ei commode subveniendum est. Non tamen arbitrio, vel auctoritate propria, sed superioris, nisi suspensio sit tantum ipso jure contracta, et sic occulta, vel alia rationabilis causa occurrat; tunc enim arbitrio prudenti poterit ex suo beneficio ali sufficienter, juxta superius dicta in simili effectu excommunicationis majoris. Et hæc resolutio communis est Panormitani, et aliorum, in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., et alios retuli citato loco.

6. *Possintne recuperari fructus per suspensionem amissi.* — Aliud dubium est, an qui ob suspensionem hanc fructibus beneficii privatus est, illos aliquando recuperare possit; quod etiam in dicto loco tractavimus, et eodem modo expediendum est. Si ergo sententia et valida, et justa fuerit, fructus per illam ablati recuperari non possunt per se, ac seclusa dispensatione, quia privatio de se est perpetua, nullumque jus ad talia bona relinquit. Quod etiam de suspensione, quæ imponitur, ut recedatur a contumacia, verum est, nam fructus amissi tempore contumaciæ non recuperantur postea propter subsequentem pœnitentiam et absolutionem. Quia illa privatio fuit condigna pœna contumaciæ, et illud comparatur tanquam justa, et pura pœna, quæ privat simpliciter jure perpetuo ad hujusmodi fructus. Alioqui si cum absolutione fructus restituerentur, parum cogeret et puniret talis censura.

7. At vero si contingat in aliquem ferri sententiam suspensionis ipso jure nullam, vel sententiam declaratoriam criminis habentis annexam hanc censuram ipso facto incurrendam, fundatam in falsis testimoniis, et contra facti veritatem, et ob eam privari aliquem fructibus beneficii sui, jus semper retinet ad recuperandos illos fructus, vel per eumdem judicem, aut superiorem, si tempore, et modo competenti de nullitate sententiæ, vel clara injustitia constiterit; aut certe, si propter injustam vim, aut defectum probationis ea via non potuerit, occulte poterit ea retinere, vel observare, si occasio se obtulerit id faciendi absque scandalo, vel alterius injuria. Hoc enim, per se loquendo, in omni materia justitiæ licitum est; quanquam in præsenti difficilius possit in praxi fieri, eo quod hujusmodi fructus, si semel auferantur, in pauperes, et alios pios usus expenduntur. Nihilominus quod diximus, de jure verum est; modus autem, vel occasio executionis ad factum pertinet, quod prudentiæ et conscientiæ ejus, qui injustam læsionem passus est, relinquitur. Idemque dicendum censeo quoties per talem suspensionem injustitiam contra commutativam quis passus est, quia jus habet recuperandi fructus, quia injustitia non infert damnum auferendo jus recuperandi illud, si fieri possit. De quo videantur supra dicta de excommunicatione, nam est eadem ratio.

DISPUTATIO XXVIII.

DE CAUSIS SUSPENSIONIS.

Explicata essentia, et effectibus hujus censuræ, dicendum superest de causis ejus. Quam materiam, cum late de censuris in communi eam tractaverimus, hic brevissime expedire possumus, solum applicando ea, quæ ex generali ratione censuræ ipsi conveniunt, et si quid proprium et peculiare habet annotando. Concurrunt autem aliquo modo, vel secundum quamdam limitationem, ad hanc censuram omnia genera causarum; et ideo per singula breviter discurremus.

SECTIO I.

Quis possit censuram seu pœnam suspensionis ferre.

1. De potestate instituendi hanc censuram et de institutione ejus eadem ratio est, quæ de qualibet censura in communi; nam potestas a Christo manavit; institutio ab Ecclesia fuit, initium quidem habens ab Apostolis, ut ex canonibus eorum, præcipue 24 et sequentibus intelligitur; consummata vero, et ad certam formam discursu temporum redacta est, ut constat ex decretis nuper citatis, et ex dictis supra, disput. 2. His ergo omissis, de causa, quæ proxime potest ferre censuram, est regula generalis :

2. *Regula generalis.* — *Potestas hæc et ordinaria et delegata esse potest.* — Omnis et solus, ille, qui potest excommunicare, potest suspendere. Ita communiter Summistæ, verb. *Suspensio;* Antonin., tract. de Suspens.; Navarr., cap. 27, n. 159. Ratio est, quia unica, et eadem est potestas jurisdictionis, quæ ad censuras ferendas sufficiens est, et licet posset per Ecclesiam committi jurisdictio ad hunc

actum, et non ad alium, tamen regulariter id non fit, quia omnes hæ censuræ ad eumdem finem ordinantur, et sese mutuo juvant ad comprimendam rebellium contumaciam; et ideo qui potestatem habet ad excommunicandum, habet etiam ad suspendendum, et e converso. Majoris tamen claritatis gratia possumus distinguere potestatem hanc in ordinariam et delegatam. Prior est in Episcopis, et aliis, qui jurisdictionem Episcopalem participant; et in his certum est hanc jurisdictionem nunquam dividi, quia ejus quasi adæquatum objectum non est hæc, vel illa censura, sed censura simpliciter; imo, si de illa potestate absolute, et secundum se loquamur, non solum hoc habet pro adæquato objecto, sed pastorale regimen ordinarium Ecclesiæ, non in solo interiori foro, sed in exteriori, quod quidem regimen omnes illos actus includit, juxta modum gubernationis, quem Ecclesia sibi instituit. At vero jurisdictio delegata potest quidem pro voluntate delegantis ad unum actum, et non ad alium committi, quia non sunt ita essentialiter connexi, quin possint separari. Hoc tamen, cum voluntarium sit, sub scientiam non cadit; ideoque solum dicere possumus, primum hoc regulariter non fieri, quia nec necessarium est, nec expedit ad finem hujusmodi delegationis seu commissionis. Deinde hanc potestatem delegatam in eis tantum reperiri, quibus committitur ab habente ordinariam, et in eo gradu et mensura, qua committitur.

3. *Suspensio et a jure et ab homine ferri potest. — De suspensione a jure. — Quæ conditiones requirantur in homine ferente suspensionem.* — Ex quibus infertur, hanc censuram interdum ferri a jure, interdum vero ab homine immediate; his enim duobus modis diximus ferri posse censuram, et de excommunicatione etiam in particulari id declaravimus. Eadem autem est ratio in præsenti. Et de suspensione quidem a jure multa exempla et decreta in superioribus disputationibus citavimus. Ad discernendum autem, quando jus ipsum suspensionem imponat ipso facto incurrendam, quando vero solum designet suspensionem imponendam a judice, servandæ sunt regulæ traditæ de censuris in communi; quibus hic nihil addendum occurrit. Suspensiones autem ipsas, vel omnes, vel præcipuas, quæ jure communi et Pontificio hactenus latæ sunt, inferius disp. ult. hujus materiæ in particulari declarabimus. De suspensione autem ab homine, quod sæpius ita feratur, ex perpetuo usu Ecclesiæ manifestum est. Quæ autem conditiones requirantur ex parte hominis, ut eam ferre possit, de censura in communi satis declaratum est; eædem enim in ferente suspensionem requiruntur. Nimirum quod sit vir, et non fœmina. Atque ita exposuimus cap. Dilecta, de Major. et obedient., ubi affirmari videtur Abbatissam quamdam suspensionis sententiam tulisse; non tamen dicitur valide tulisse, neque etiam illam fuisse veram sententiam suspensionis, sed aliud præcepti genus; unde ibidem Pontifex præcipit Prælato, ut per censuras compellat obedire illi Abbatissæ in his, quæ juste præcipiebat. Deinde requiritur, ut baptizatus sit, et clericus, et distincta persona ab eo, in quem suspensio fertur, et jurisdictionem habens Ecclesiasticam fori contentiosi, et expeditam ad operandum; ita ut qui suspendit, excommunicatus, aut suspensus ipse non sit; quæ omnia cum multis aliis, quæ ad illa concurrunt, illic fuse explicata sunt.

4. *Possitne Episcopus suspendere clericum sine Capitulo.* — Solum potest hic quæri, an Episcopus sine Capitulo possit clericum suspendere. Breviter tamen dico, olim ordinatum fuisse, ne Episcopus in clericum ferret sententiam nisi præsentibus clericis, cap. penult., 15, quæst. 7. Et additur : *Alioqui irrita erit sententia Episcopi.* Sed illud receptum non est; imo cum illud decretum fuerit Concilii Provincialis Carthag. IV, non constat unquam fuisse in universa Ecclesia admissum. Postea vero Alexander III, in cap. 1 de Excessibus, mandat, ne sine judicio Capituli presbyteros attentent suspendere, vel Ecclesiam eorum interdicere. Ubi primum expendo non loqui de omnibus clericis, sed de presbyteris, neque esse in lege exorbitante extensionem faciendam. Secundo non loqui de excommunicatione, licet Glossa male extensionem faciat contra textum paulo inferius, et contra principia de odiis non extendendis ultra vim verborum. Tertio hinc omnes limitant textum illum ad suspensionem, quæ fertur in puram vindictam delicti commissi; nam illa, quæ est censura, et medicinalis pœna, habet eamdem rationem quam excommunicatio, et quasi pertinet ad potestatem præcipiendi, quæ non est deneganda Episcopo. Quarto in illo textu non adduntur verba irritantia, et ideo ex vi illius, licet Episcopus male faceret suspendendo presbyterum sine Capitulo, si tamen faceret, factum

teneret. Aliæ denique limitationes adhibentur, quas examinare omitto, quia opinor solemnitatem illam non esse usu receptam, sed potius consuetudine esse contra illam præscriptum, juxta cap. 3 de Consuet., in 6, ideoque libere posse Episcopos sua jurisdictione uti; quod Panormitan. et alii ibi sentiunt. Quantum vero extendatur hæc jurisdictio unius Episcopi ad subditos alterius, qui in suo territorio versantur, vel ratione delicti, vel ratione quasi domicilii, sufficienter attigimus de censuris in communi.

SECTIO II.

In quas singulares personas possit suspensio cadere.

1. *Suspensio non nisi in clericum ferri potest.* — In subjecto hujus censuræ imprimis considerari debent omnia, quæ supra in simili de censuris in communi sunt dicta, quæ hic repetere non est necesse. Deinde supponendum est hanc censuram (in quo ab excommunicatione differt) non solum in personas singulares, sed etiam in communitatem ferri posse. Et ideo de his duobus membris sigillatim dicemus. Circa primum statuendum est, suspensionis proprium esse, ut is, qui suspenditur, clericus esse debeat; nam hæc pœna clericorum propria est, ut supra diximus, quia materia ejus clericorum est propria; tota enim illa materia sub officiis et beneficiis Ecclesiasticis continetur; hæc autem omnia in solis clericis inveniuntur. Et ita docent communiter Summistæ, Navarr., in cap. 27, num. 150 et 151; Sylvester, verb. *Suspensio,* in princ.; et Angelus, verb. *Suspensio,* 1, in princ., Cajet., eodem verbo. Et consentiunt Canonistæ, cum Glossa, in cap. Quicumque, verb. *Ministros,* de Sent. excomm., in 6. Innocentius, in cap. ult. de Excessib. Prælat.; et Abbas, in c. Dura, de Crimine fal., num. 10. Et colligitur, vel inductione facta ex omnibus locis juris canonici, in quibus hæc censura fertur, vel ferenda præcipitur; ubique enim tantum ad clericos dirigitur.

2. *Objectio. — Confirmatio. — Solutio objectionis.* — Objici tamen contra hoc potest Extravagans unica de Censibus, inter communes, ubi sic dicitur : *Alioquin ex tunc recipiens, si clericus fuerit, tantum ab officio et beneficio sit eo ipso suspensus; si vero laicus, tamdiu ingressum Ecclesiæ sibi noverit interdictum, et communione Eucharistiæ noverit se ipso facto suspensum, donec,* etc.; datur ergo aliqua suspensio laicis communis. Item Abbas et alii dicunt genus quoddam suspensionis esse a participatione passiva sacramentorum, quæ laicis communis est; et ideo fortasse dixit Armilla, verb. *Suspensio,* num. 17, omnem illum posse suspendi, qui potest excommmunicari. Et augetur difficultas ex superius dictis, nam suspensio non tantum privat usu officii vel Ordinis jam obtenti, sed etiam obtinendi seu recipiendi novum Ordinem; et similiter suspensio a beneficio non solum privat fructibus beneficii habiti, sed etiam impedit novum obtinere beneficium; ergo, quantum ad hæc poterit laicus ab officio vel beneficio suspendi, quia potest impediri, ne ordinetur, et consequenter ne officium, vel beneficium Ecclesiasticum recipiat. Respondetur, Extravagantem illam in ea distinctione, quam facit, potius confirmare maxime dictam sententiam; nam loquens de suspensione ab officio vel beneficio, quæ est propria censura, de qua nunc agimus, illam solis clericis attribuit, et ad hoc præmittit distinctionem inter clericos et laicos; quod etiam expresse fit in cap. Dura, de Crimine falsi, et in cap. Tuarum, de Privilegiis. Cum ergo in dicta Extravagante laici dicuntur suspendi a communione, latius sumitur verbum suspendendi pro quacumque prohibitione; unde non significat specialem censuram, sed quamdam partem minoris excommunicationis; quomodo etiam supra diximus separationem ab usu passivo sacramentorum non esse proprie censuram suspensionis, sed excommunicationem minorem. Quare Armilla, vel falsum dicit, vel æquivoce utitur verbo *suspendendi*, cum ibi esset sermo de censura suspensionis.

3. *Confirmatio enodatur.* — Ad alteram partem respondetur, censuram suspensionis per se, et directe non ferri nisi in usum Ecclesiastici officii, aut beneficii, quantum ad perceptionem fructuum; mediate vero et consecutione quadam impedire perceptionem ulterioris Ordinis, aut beneficii. Nam impedimentum, quod per se respicit futurum Ordinem, potius est irregularitas, vel inhabilitas quædam, si latius sumatur. Deinde dici potest propriam suspensionem habere rationem privationis moralis, et ideo supponere saltem potentiam proximam ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica; nam ex vi suspensionis non impeditur ascendere ad superiorem Ordinem, nisi qui jam habet in-

feriorem, qui est veluti potentia proxima ad superiorem; cujus potentiæ usus quidam est ipsa susceptio superioris Ordinis; a primo vero, seu infimo Ordine suscipiendo non suspenditur, nisi qui jam habet primam tonsuram, qui clerici etiam nomine comprehenditur, ut patet ex c. Cum contingat, de Ætate et qualitat., et cap. ult. de Temp. ordin., in 6, et per ipsam primam tonsuram est veluti in potentia proxima ad sacramentales Ordines, ut constat ex usu Ecclesiæ, et sumi potest ex his, quæ tradidit Concilium Trident., sess. 23, cap. 4 et sequent. de Reformat. Quod si illam nomine Ordinum comprehendamus, ut Canonistæ loquuntur, susceptio primi Ordinis sacramentalis erit quidam usus ipsius primæ tonsuræ, sicque clericus primæ tonsuræ per suspensionem ab Ordine impediri poterit, ne aliquem Ordinem sacramentalem suscipiat, quia impeditur ab usu ipsius primæ tonsuræ, per quam jam est in potentia proxima ad talem Ordinem. Sed opinor talem suspensionem ab Ordine non esse in usu. Facilius potest ligari talis clericus per suspensionem etiam generatim latam ab omni jurisdictione Ecclesiastica, etiam si nullam actu habeat, vel ab omni beneficio Ecclesiastico, etiamsi nullum habeat, quia ex vi talis suspensionis prohibitus est, ne, durante tempore suspensionis, tale officium, aut beneficium suscipiat; quod si illud susceperit, factum quidem tenebit, quamvis male faciat, non tamen poterit jurisdictione uti, aut fructus beneficii percipere, donec a suspensione liberetur. Ad hunc ergo modum censura suspensionis, clericorum propria est.

Suspensio an omnibus clericis communis.

4. Dubitari autem potest primo, an omnes clerici suspendi possint. Secludimus autem Summum Pontificem, qui non est capax censuræ, ut supra dictum est. Supponimus jus, rationem, vel causam censuræ, de quo infra, et loquimur de capacitate subjecti. Hæc ergo potest vel absolute, vel comparate considerari. Absolute omnes sunt capaces, etiam Episcopi et Cardinales, quia ordo, vel dignitas magna non reddit illos incapaces pœnæ, vel medicinæ, nec ab omni subjectione humana liberos. Comparatio vero fieri potest, vel ad suspendentem, et sic non quilibet a quolibet, sed unusquisque a suo Prælato, quem jure ordinario, vel ex privilegio habet, suspendi potest, ut Cardinales a solo Papa; Episcopi ab illo, vel Concilio; exempti, a suis Prælatis, etc. Vel fit comparatio ad formam suspensionis, et sic respectu aliquorum necessaria est specialis forma.

5. *Quis possit suspendere receptos in speciales Romanæ Ecclesiæ filios. — Dubii resolutio.* — Circa priorem vero comparationem occurrit speciale dubium, an personæ, quæ per privilegium speciale recipiuntur in proprios et speciales Ecclesiæ Romanæ filios, possint suspendi ab alio, quam a Romano Pontifice, vel legato ab ejus latere destinato, juxta capit. 1 de Verborum significat., in 6. Et ratio dubii est, quia in dicto cap. 1, solum dicitur sic receptos in filios Ecclesiæ Romanæ interdici et excommunicari ab aliis non posse; de suspensione vero nulla ibi fit mentio; sed privilegia non plus valent, quam sonant eorum verba, et verba, quæ implicite, et quasi ex impositione juris aliquid continent, ultra ipsius juris interpretationem extendi non possunt; ergo per illa verba non eximuntur tales personæ ab inferioribus Prælatis quoad suspensionem. Nihilominus Gloss. 161, verb. *Interdici,* suspensionem ibi comprehendi putat, tum quia illa est quoddam interdictum; tum etiam quia omnia illa tria continentur sub appellatione censuræ. Verumtamen hæ rationes mihi non satisfaciunt; nam, licet late utendo his verbis, *Interdico*, et *Suspendo,* unum pro alio interdum sumatur, tamen, juxta propriam significationem jam receptam ad significandas species censurarum, nec interdictum est suspensio, neque e converso. Maxime autem sumi videtur verbum interdicendi in hac proprietate in prædicto textu, ubi agitur et de propria et juridica significatione verborum, et de interpretatione cujusdam privilegii; et ubi verbum interdicendi a verbo excommunicandi distinguitur; et paulo inferius interdictum ab excommunicatione, nulla facta suspensionis mentione. Unde etiam parum refert, quod suspensio æque contineatur sub genere censuræ, ac aliæ duæ, quia in illo textu nulla est mentio censuræ, sed tantum specierum ejus; et argumentum a simili, ut sæpe dixi, in his rebus firmum non est; nam, licet hæ censuræ in aliquibus rebus æquiparentur in jure, non tamen in omnibus, ut paulo inferius ostendemus ex cap. Quia periculosum, de Sent. excomm., in 6. Quapropter in rigore dicendum censeo ex vi illorum verborum prædictas personas non esse exemptas quoad

suspensionem, sicut non sunt exemptæ simpliciter quoad alios actus subjectionis, ut ibidem dicitur, et in cap. Si Papa, § Similiter, de Privileg., in 6. Quia appellatio specialis filiationis, licet ostendat peculiarem amorem, et protectionem, non tamen peculiarem subjectionem, nisi in his quæ ipse Pontifex declarat; ille autem solum declaravit per ea verba exemptionem ab aliis duabus censuris : ergo. Item potuit esse specialis ratio, quia excommunicatio, et interdictum magis privant spiritualibus commodis, quam suspensio; ideoque ad illum specialem amorem filiorum magis pertinuit, quoad illas duas censuras eos sibi reservare. Accedit, quod cum Pontifex vult ab omnibus eximere, omnium mentionem facit, ut patet ex cap. 1, § In eos, de Privileg., in 6.

6. *Qui per generalem sententiam suspendantur.* — Circa posteriorem comparationem ad formam suspendendi quæri potest, an Episcopi per generalem sententiam suspendi possint. Et respondendum est negative, ex cap. Quia periculosum, de Sent. excomm., in 6, ubi idem de interdicto dicitur; de excommunicatione autem nulla fit mentio; et ideo Glossa ibi declarat privilegium illud ad excommunicationem non extendi. Quam approbant communiter interpretes ibi, et Navarr., cap. 27, num. 165. Extenditur autem illud privilegium, non solum ad suspensionem ab officio, sed etiam a beneficio, ut supra declaravimus ex cap. Si compromissarius, de Elect., in 6. Exclusis autem Episcopis, et eorum superioribus, ut in eodem cap. Quia periculosum, dicitur, reliqui omnes inferiores clerici possunt per generalem sententiam suspendi, quia suspensio, sicut quælibet alia censura, potest per generalem clausulam ferri; ergo omnes, qui non sunt specialiter exempti, in illa comprehenduntur. Advertere autem oportet attente ad verba legis, vel sententiæ, et propriam, ac receptam significationem eorum, ut discerni possit, quam sint universalia; si enim simpliciter dicatur : *Quicumque*, vel, *omnis, qui hoc fecerit*, vel, *omnis persona Ecclesiastica*, vel aliquid hujusmodi, distributio est satis universalis, complectens clericos omnes, sive regulares, sive seculares, sive simplices, sive in quacumque dignitate infra Episcopatum constitutos.

7. *An Episcopus electus et confirmatus suspendatur per generalem sententiam.* — Quæri tamen potest, an Episcopus electus et confirmatus nondum consecratus gaudeat privilegio dicto. Videtur enim ita affirmandum, quia ille est verus Episcopus, et actus jurisdictionis exercere potest; et textus indistincte loquitur; ergo non comprehenditur sub clausula generali. Et confirmatur, quia alia privilegia concessa Episcopis extenduntur ad confirmatum, et nondum consecratum, ut illud de eligendo confessore, cap. ult. de Pœnit. et remiss., et aliud de portando altare viatico, et cap. ult. de Privil., in 6. Denique facit, quod favores ampliandi sunt, et privilegia præsertim a principe concessa, quoad fieri possit juxta verborum proprietatem. In contrarium tamen objici potest primo ratio illius cap. Quia periculosum, scilicet, *propter executionem Episcopalis officii, quod frequenter incumbit.* Quæ ratio locum non habet in eo, qui nondum est Pontifex consecratus. Secundo obstare potest, quia nomen Episcopi proprie videtur esse nomen Ordinis, seu consecrationis, sicut nomen sacerdotis aut presbyteri; et hoc modo in prædicto cap. ex prædicta ratione, et ex citato verbo, *Pontificalis officii,* sumi videtur. Tertio facit, quia privilegium exorbitans a jure communi potius restringendum est. Sed hæ rationes habent claram solutionem ex dictis, quia non obstante illa ratione illius textus, privilegium illud extenditur ad suspensionem a beneficio, quamvis illa non impediat pontificale officium, et ideo necessario dicendum est, rationem illam fuisse motivam, seu impulsivam, non tamen adæquatam, sed hanc fundari in Episcopali dignitate; ergo idem in præsenti dicetur. Constat etiam ex aliis juribus citatis, nomine Episcopi significari solere illum, qui jam habet beneficium, Episcopale, quamvis nondum Ordinem habeat. Idem ergo in præsenti dicendum videtur.

8. *An suspensio generatim lata comprehendat regulares.* — Sed quæri potest, an suspensio generatim lata in omnes clericos, comprehendat tam regulares, quam seculares clericos. Cum enim verba sint generalia, seu absoluta, comprehendere videntur omnes veros clericos; at regulares clerici, sunt vere clerici, sicut seculares (loquimur enim de regularibus ordinatis). In contrarium vero est, quia, licet primæva significatio illius vocis ita universalis esse videatur, tamen jam ex usu videtur accommodata ad significandum specialiter secularem clericum. Unde et in jure appellatio clerici solet a religiosis condistingui, ut patet in Clement. 1 de Privil., in princ.; verba autem legis vel sententiæ gene-

ralis sunt accipienda juxta frequentiorem usum, et præsertim in materia pœnali et odiosa, in qua restringenda sunt. Accedit, quod in jure, quando clerici regulares cum secularibus simul comprehenduntur, id speciatim declaratur, ut videre licet in Clement. 2 de Vita et honest. cleric. Verumtamen textus ille, si attente legatur, parum favet posteriori sententiæ, et potest potius in contrarium induci; nam aliud est loqui de religiosis absolute, aliud de clericis religiosis; quanquam enim omnes religiosi Ecclesiasticæ personæ dici possint, non tamen omnes sunt clerici, nisi aliquem Ordinem, vel saltem primam tonsuram susceperint, ut colligi potest, ex c. Duo sunt, 12, quæst. 1, ubi religiosi, licet a laicis distinguantur, si tamen ordinati sunt, non clerici, sed conversi appellantur. Quando ergo lex aliqua disponens aliquid circa clericos vult illud extendere, non solum ad religiosos clericos, sed absolute ad religiosos, necesse est, ut de illis specialem mentionem faciat, quia clarum est appellatione clericorum non venire religiosos, ut sic; et hic est casus illius Clementinæ, ut patet ex illis verbis generalibus, *Et religiosi quilibet.* Nos autem inquirimus, an nomine clericorum veniant religiosi clerici, non quatenus religiosi sunt, sed quatenus clerici; nihil ergo favet textus ille prædictæ sententiæ. Potest autem contra illam retorqueri, quia agens de secularibus clericis expresse id declarat dicens : *Seculares clerici, et religiosi administrationem habentes, et religiosi,* etc. Supponit ergo nomen *clerici* indifferens esse ad seculares, et religiosos. Et sane ille idem titulus de Vita et honest. cleric., et ea omnia, quæ in variis ejus decretis clericis prohibentur, quia sunt ipsi ordini clericali indecentia, non minus sunt prohibita religiosis clericis, quam secularibus; non ergo vera est illa regula, quod nomen clerici usitata significatione (præsertim in jure, quidquid de vulgo sit) secularem tantum clericum comprehendat.

9. *Conclusio.* — Quamobrem vera sententia est, sub tali suspensione religiosos clericos comprehendi, nisi ex tenore, et aliis circumstantiis canonis, vel sententiæ, alia limitatio colligatur. Hoc probant omnia adducta, et præterea, quia si sub specialibus nominibus clericalium Ordinum suspensio feratur, scilicet in omnes sacerdotes, vel in diaconos, aut subdiaconos, etc., qui tale fecerint, nemo (credo) dicet illam pertinere ad seculares tantum, et non ad religiosos in eo Ordine existentes (neque enim dici potest sacerdotis, vel diaconi nomen ex usu determinatum esse ad significandum potius sacerdotem secularem, quam religiosum); ergo idem erit, etiamsi generali nomine *clerici* lex utatur, tum quia sub illa generali appellatione omnes species clericorum comprehenduntur ; tum etiam quia nulla major determinatio fingi potest in communi nomine clerici, sacerdotis, scilicet, vel diaconi. Loquor autem ex vi verb., quia ex aliis principiis solet aliquando hujusmodi sermo ad seculares tantum dirigi, scilicet vel quia materia legis ad eos tantum pertinet, vel quia potestas ferentis mandatum seu statutum solos illos complectitur, ut si sit particularis Episcopi, qui jurisdictionem propriam in religiosos non habeat, vel denique si in lege ipsa verbum aliquod addatur, quo satis significetur mandatum ad religiosos non ferri.

SECTIO III.

An et quomodo suspensio in communitatem ferri possit.

1. *Suspensio ferri potest in communitatem.* — *Duobus modis potest communitas suspendi.* — Posse communitatem suspendi receptum dogma est, quod ex jure evidenter probatur, ut statim ostendam. Ratio vero est, quia ex parte communitatis non est repugnantia, quominus hæc pœna vel censura affici possit, nam et Capitulum potest esse capax culpæ, sicut quælibet congregatio humana; est etiam capax officii, aut beneficii Ecclesiastici, ut per se notum est, et supra tractando de jurisdictione ad ferendas censuras, sufficienter tactum est, et in discursu hujus puncti amplius explicabitur. Ergo etiam est capax privationis, seu suspensionis ab hujusmodi officio et beneficio. Aliunde vero Ecclesia non prohibuit Capitulum affici hac pœna, imo usum ejus probavit et exercuit. Et ratio differentiæ inter illam, et excommunicationem fuit, quia hæc pœna non est adeo spiritualis sicut excommunicatio, id est non privat internis bonis seu Ecclesiasticis auxiliis, quæ ad interiorem animæ salutem ordinantur, et prosunt; et ideo non est in hac pœna illud animarum periculum, propter quod prohibitum est, ne excommunicatio in communitatem feratur; neque est absurdum, ut innocentes aliquando suspensione ligentur, sicut excommunicatione, ut infra dicam. Ut autem hoc amplius explicetur, advertendum est, duobus modis posse communitatem suspendi.

Primo præcise ut communitas est, id est, quatenus est unum corpus politicum, habens actiones proprias, et bona etiam propria, quæ ita pertinent ad totam communitatem, ut ad singulas personas per se non spectent. Secundo potest communitas suspendi, distributive potius, quam collective; ut si clerus hujus civitatis suspendi dicatur, quia omnes et singulæ personæ cleri suspenduntur. Unde posset addi tertius modus ex his duobus coalescens, si videlicet suspensio ita feratur in congregationem aliquam, ut et corpus ejus collective sumptum quoad actiones, aut beneficia ejus suspendat, simulque ad singulas personas talis congregationis descendat, easque a personalibus officiis, aut beneficiis suspendat. Dubitari ergo potest, quo ex his modis suspensio in communitatem feratur, aut ferri possit; nam et de potestate, et de actu inquirendum est.

De potestate ferendi suspensionem in communitatem.

2. *Suspensio ferri potest in communitatem, ut communitas est.* — Dico ergo secundo : suspensio ferri potest in communitatem præcise ut communitas est. Ita convincit ratio supra facta. Et probatur ex jure, descendendo simul ad singulas species suspensionum. Nam de suspensione ab officio quoad actus collationis beneficiorum, habetur in cap. unic. Ne Sede vacante, in 6, cum tamen illa collatio sæpe soli Capitulo ut sic conveniat. Idem sumitur ex cap. Romana, et cap. Si sententia, de Sent. excomm., in 6, et ex Concilio Trident., sess. 24, cap. 16, ubi Capitulum, quod Sede vacante non constituit œconomum et vicarium tempore et modo ibi præscriptis, facultate constituendi illos ministros privatur; quod est quasi ab eo munere pro ea vice suspendi.

3. Suspensio autem ab officio quantum ad actus Ordinis non cadit proprie in Capitulum ut sic, quia illi actus non fiunt per totam communitatem, sed per singularem personam. Potest autem Capitulum delegare interdum hos actus Ordinis quatenus a jurisdictione pendent, ut Sede vacante confessores creare, Episcopum vocare, qui Ordines conferat, et similia juxta c. Is cui, de Elect., in 6, additis c. pen. et ult. de Supplen. neglig. Præl., in 6, et c. Cum nullus, de Temp. ordin., in 6, cum similibus. Igitur quoad hoc poterit etiam Capitulum suspendi, ne has delegationes seu commissiones facere valeat; nam eadem est ratio de his, et de aliis actibus jurisdictionis. A beneficio item suspendi potest Capitulum ut sic, ut aperte colligitur ex c. Quisque, de Elect., in 6, et ex Extrav. 1 de Elect., ubi non solum Capitula Ecclesiarum, sed etiam Conventus monasteriorum, scilicet regularium, ut ibi Glossa exponit, a beneficiis suspenduntur; non solent autem singuli religiosi de conventu propria habere beneficia, sed tota communitas interdum habet aliqua beneficia sibi unita; igitur ab hujusmodi beneficiis suspenditur totus conventus. Unde fit idem operari hujusmodi suspensionem circa Capitulum ut sic, quod in privata persona operatur similis suspensio, proportione servata; nam et privat Capitulum fructibus beneficii, et impedit, ne suos illos efficiat; vel si ab officio fit suspensio, privat usu jurisdictionis, et consequenter impedit, ne actus ejus validi et rati sint.

4. Dico tertio : posset suspendi Capitulum, non solum quatenus unum corpus politicum est, sed etiam ita ut singuli a suis propriis ac personalibus officiis aut beneficiis suspendantur. Probatur, quia cum totum Capitulum ita delinquit, ut sit suspensione dignum, illud delictum ita est totius corporis, ut tamen per singulares personas exerceatur, ut per se constat; potest autem delictum esse et omnium, et singulorum, et adeo grave, ut per solam suspensionem ab officiis vel beneficiis communibus non satis puniatur; ergo potest talis suspensio ferri, quæ non solum totum Capitulum ut sic afficiat, sed etiam singulas personas a beneficiis, vel officiis personalibus suspendat. Et confirmatur, nam, cum Capitulum interdicitur, singulæ personæ interdicuntur, ut infra suo loco videbimus; ergo potest Capitulum ita suspendi, ut singulæ etiam personæ suspendantur; nam licet quoad hoc non sint omnino similes hæ censuræ, ut infra ostendam, in hoc tamen esse possunt, quando est in personis singulis sufficiens causa et ratio suspensionis sic latæ, cum in judice seu superiore non desit potestas ad convenientem et proportionatam pœnam imponendam. Et confirmatur tandem ex cap. Quia sæpe, de Electione, in 6, ubi Capitulum ita suspenditur ab officiis, et beneficiis, ut etiam singulæ personæ suspendantur a suis beneficiis, donec restituant. Verum est tamen, quando suspensio fertur hoc modo, duplicem quodammodo suspensionem per modum unius ferri; nam et suspenditur

Capitulum per modum unius, et præterea fertur universalis suspensio in omnes clericos, ex quibus tale Capitulum constat. Unde etiam colligitur, hanc secundam posse etiam per se ferri sine priori; ita ut non suspendatur Capitulum, ut Capitulum est, seu per modum unius corporis, sed solum multitudo quædam constans ex his hominibus, quæ licet nomine collectivo significetur, ut nomine cleri, vel alio simili, re tamen vera suspensio tunc solum fertur distributive in omnes clericos talis populi, etc. De quo modo suspensionis plura statim dicemus.

De usu ferendi suspensionem in communitatem.

5. *Suspensio in Capitulum simpliciter lata de qua intelligenda. — Quando intelligatur suspensio communitatis in singulas personas redundare.* — Dico quarto : licet hæc vera sint quoad potestatem, nihilominus juxta frequentem usum, suspensio in solum Capitulum ut sic fertur, nisi aliud in jure vel sententia expresse declaretur. Probatur, quia *Capitulum* in rigore non significat singulas personas de Capitulo, sed universitatem ipsam; ergo suspensio Capituli solum communitatem ligat, ut unum corpus est, quia vis illorum verborum non solum hanc interpretationem patitur, sed etiam exigit in omni proprietate; nam dicitur in l. *Sicut municipium,* ff. Quod cujusque univers. nom. : *Non quod universitas debet, singuli debent ;* ergo ita est hujusmodi suspensio et pœna interpretanda. Dixi autem : *Nisi aliud in sententia vel jure declaretur,* quia tunc cum potestas non desit, ut ostensum est, clarum est talem esse suspensionem, et ejus effectum, qualem verba ipsius legis aut sententiæ declarant. Addi potest : *Nisi ex materia, vel circumstantiis aliud constet,* quia perinde est, ac si verbis declaretur; tunc autem talis esse censetur casus (ut in simili de interdicto dicemus) quando contingit suspensionis materiam, vel effectum intentum talem esse, ut non possit comparari, nisi suspensio ad singulas personas redundet.

6. *Exemplo c. Quia sæpe, de Elect., in 6, res illustratur.* — Exemplum est in dict. c. Quia sæpe, de Elect., in 6, ubi sic fertur suspensio : *Decernimus, ut hi, qui de cætero præmissa præsumpserint, eo ipso sint, et tamdiu maneant ab officio et beneficiis quibuscumque suspensi, donec restituerint, quidquid de bonis perceperint supra dictis.* Præmittitur autem in eodem textu, quod quædam Capitula sive conventus, et singulares eorum personæ, Sede vacante, bona Prælati, vel ipsius Sedis occupabant, et inter se dividebant; ergo suspensio inferius lata non solum cadit in conventus ipsos, sed ad singulas personas descendit, quatenus singuli erant participes illius delicti, et ad restituendum tenebantur. Unde illa suspensio fertur in omnes delinquentes, sive sint communitates aliquæ, sive singulares personæ; quod necessarium esse diximus, ut per suspensionem contra communitatem latam singulares etiam personæ suspendantur. Et ideo si aliquæ personæ essent participes illius delicti ut membra communitatis, et non ut privatæ personæ deliquissent, usurpando prædicta bona, illam suspensionem non incurrerent. Atque id semper necessarium videtur, ut suspensio sic extendatur, sicut ex dicendis constabit.

7. *Corollarium.* — Quocirca, si suspensio feratur contra aliquam communitatem, quæ non conficit proprie unum corpus Collegii, quod communi consilio et auctoritate res communes administret, sed tantum est quædam multitudo Ecclesiasticarum personarum, quæ per modum unius collectionis significatur, ut si suspensio feratur in clerum Conimbricensem, talis suspensio propter subjectam materiam non potest ferri in communitatem, ut communitas est, quia neque illa habet actiones, vel administrationes aut beneficia communia, a quibus suspendatur, neque etiam est proprie unum corpus morale, quod suspendi possit. Quamvis ergo suspensio feratur sub illo nomine collectivo, fertur tamen in singulares personas; non aliter quam, si distributive seu indefinite ferretur in clericos hoc vel illud facientes. Unde fit, ut talis suspensio singulas personas a suis officiis vel beneficiis suspendat, non tamen omnes, etiamsi omnes sub collectivo nomine comprehendi videantur, sed solum illas, quæ causam vel delictum, ob quod suspensio lata est, commiserunt, quia, ut jam dicemus, suspensio non incurritur, nisi propter culpam.

8. *Suspensio solum in communitatem clericorum ferri potest. — Variis modis potest communitas suspendi.* — Tandem addendum est, communitatem illam, in quam ferri potest suspensio, debere esse Ecclesiasticam, seu clericorum, quia, quod supra ostendimus, solos clericos esse capaces hujus censuræ, eadem proportione applicandum est ad

communitatem, eisdemque rationibus ostendi potest. Solet autem talis suspensio regulariter fieri cum expressione communitatis, vel in speciali contra tale vel tale Capitulum, vel in generali contra Capitulum conventus, etc., vel definite contra illa tantum, vel sub disjunctione, seu distributione, scilicet contra hoc facientes, sive sint Episcopi, sive Capitula, etc. Addo vero, quamvis hæc distributio expresse et speciatim non fiat, si generatim feratur suspensio contra omnes, qui hoc vel illud fecerint, et actio illa vel delictum, ob quod fertur suspensio, tale sit, ut a Capitulo, vel conventu committi possit, suspensionem etiam ad illa extendi, quia sunt capacia talis suspensionis, et ipsa generaliter lata est, ut supponitur. Quod quidem dubitationem non habet, quando nullum ponitur determinatum nomen personale, sed tantum signum distributivum, cum pronomine universali, ut, *Omnes qui hoc fecerint, Quicumque hoc fecerit,* etc. Quia sub illa distributione propriissime continentur congregationes. At vero, si addatur nomen personale, ut, *omnis homo, omnis clericus, omnis persona Ecclesiastica,* tunc potest esse nonnulla dubitandi ratio, quia Capitulum neque est homo, nec clericus, nec persona; nihilominus tamen censeo etiam sub illa distributione comprehendi, tum quia in præsenti materia secundum communem usum, sub homine, hominum congregatio comprehenditur, ut declaravi supra de censuris in communi; tum etiam quia delictum communitatis non fit, nisi per ipsas personas, saltem ut sunt membra illius communitatis, et ideo sub eadem ratione illas comprehendit.

9. *Duplex suspensio an possit in eumdem ferri.* — *Defunctus an possit suspendi.* — Aliæ dubitationes, quæ hic moveri possent, ex dictis supra de censuris in communi peti possunt, præsertim illa, an, qui semel suspensus est, possit iterum suspendi; non est enim dubium, quin id fieri possit, non solum quando suspensiones sunt diversarum rationum seu effectuum, sed etiam, si ab eisdem rebus suspendant, propter diversas causas vel titulos. Illa vero quæstio, an talis censura possit ferri in defunctum, hic non habet locum, cum defunctus Ecclesiasticas functiones exercere non valeat. Quatenus vero defunctus interdum fruitur aliquo tempore post mortem fructibus beneficii, potest suspensio a beneficio vel lata tempore vitæ ad illud tempus post mortem extendi, vel etiam post mortem ferri per modum puræ pœnæ propter delictum commissum; neutrum enim jurisdictionem humanam excedit.

SECTIO IV.

Utrum suspensio ferri possit solum propter culpam, eamque mortalem.

1. *Prima opinio.* — Hæc est potissima quæstio circa finalem causam hujus censuræ; de qua multi senserunt posse contrahi sine culpa, habentque fundamentum in cap. 1 de Ordin. ab Episc. qui renunc. Episc., ubi qui ignoranter et sine culpa ordinatur ab hujusmodi Episcopo, ob culpam ejus suspenditur. Idem suadet c. Vel non est compos, de Temp. ordin., ubi puer ordinatus in ætate 13 annorum suspenditur ab executione officii diaconi usque ad ætatem legitimam *in injuriam ordinantis,* ut ibi dicitur; non ergo in pœnam ordinati; imo ex textu illo colligi non potest puerum illum deliquisse suscipiendo Ordines, sed solum Episcopum; ergo propter culpam alienam potest aliquis suspendi, præsertim si ex parte etiam ejus, qui suspenditur, interveniat aliqua rationabilis causa, qualis erat in prædicto casu decentia, ne puer tredecim annorum in Ordine sacro ministraret. Et hinc potest generalis ratio sumi, quia suspensio non privat bonis per se pertinentibus ad bonum propriæ animæ sicut excommunicatio, sed privat functionibus per se pertinentibus ad commune bonum; interdum autem potest pertinere ad bonum commune, ut aliquis privetur ad tempus hujusmodi functione sine culpa sua ob aliquam rationabilem causam; ergo potest interdum ita ferri. Et confirmatur, quia ob similem rationem interdictum comprehendit aliquando personas innocentes, ut infra dicemus. Atque ita sentit D. Thom., in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 3, quæst. 2, ad 2; Sylvest., verb. *Suspensio,* num. 4, ubi ait, suspensionem aliquando imponi ex causa sine culpa, *ut patet* (inquit) *ex practica currente.* Idem tenent Canonistæ, unde Abbas, in cap. Si celebrat, de Cleric. excom. ministr., n. 4, ait, suspensionem quamdam ferri propter delictum, aliam propter defectum, aliam propter infamiam; priora duo membra nota sunt ex dictis; tertii exemplum est de publico concubinario, seu publica illius criminis laborante infamia, qui propter vitandum scandalum celebrare prohibetur. Et hoc modo quidam aiunt, aliquem posse suspendi, non solum sine culpa, sed etiam sine causa, scilicet quæ

vere illi insit, quia ejus infamia seu communis opinio sufficiet.

2. *Secunda opinio.* — *Evasio.* — *Eluditur.* — Alii vero censent suspensionem non posse ferri sine culpa propria ejus, qui suspenditur. Ita tenet Navarr., in c. 27, n. 151; et Cajet., in Summ., verb. *Suspensio,* idem supponit; et Aretinus, quem Navarr. citat in c. Cum non ab homine, de Judiciis. Fundamentum est, quia suspensio proprie dicta habet rationem pœnæ; pœna autem non imponitur nisi propter culpam. Respondent, pœnam non imponi semper propter culpam propriam, sed interdum propter alienam, et patet, quando suspenditur communitas propter delictum, cui multi ex communitate non cooperati fuerunt, et nihilominus suspensi manent, licet in eis non sit culpa. Verumtamen, si considerentur superius dicta, hoc exemplum parum ad rem facit; nam suspensio, quæ proprie et præcise in communitatem fertur, non suspendit singulas personas secundum se, sed solam communitatem, quæ tamen suspendi non posset, nisi deliquisset. Quod vero in ejus delicto aliqua ejus membra non participaverint, parum refert, quia non ipsa suspenduntur, sed totum, quo suspenso, consequenter fit, ut partes non possint operationes totius pro tunc efficere, quod non proprie est puniri propter peccatum alienum, sed est aliquo modo participare pœnam totius quod peccavit, quod nullum inconveniens est. Extra hunc vero casum non apparet, quomodo aliquis possit juste suspendi propter culpam alterius, quia nemo potest puniri propter peccatum alterius, proprie loquendo, nisi quatenus unus reputatur res alterius, ut filius patris, vel servus domini, quod in præsenti non videtur posse locum habere.

Quæ suspensio absque propria culpa, quæ vero tantum propter illam feratur.

3. Potest interdum suspensio late dici de omni prohibitione utendi aliqua potestate; et sic verum est suspensionem non semper requirere culpam ejus, qui suspenditur, sed causam posse sufficere; et hoc convincit cap. illud Vel non est compos, cum aliis pro prima sententia allatis. Constat autem illud genus prohibitionis nec esse propriam censuram, cum non sit ob contumaciam, neque etiam propriam pœnam, cum non sit ob culpam; quod verum est, etiam respectu suspendentis, ut statim explicabo. Alio ergo modo possumus loqui de suspensione, prout dicit propriam speciem censuræ vel saltem pœnæ Ecclesiasticæ; et hoc sensu dicimus suspensionem nunquam ferri nisi propter aliquam culpam ejus, qui per illam directe ac per se suspenditur. Hoc videtur sufficienter probari ex dictis, tum hic, tum supra de Censuris in communi, tum ex illis principiis generalibus: *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocare non convenit,* cap. 2, de Constitut., et illud : *Peccata suos auctores tenere debent, nec pœna est ulterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum,* cap. 2 de Iis quæ fiunt a majore parte Capituli. De quibus principiis quomodo in interdicto aut verificentur, aut exceptionem patiantur, infra suo loco videbimus; neque enim est necesse, quæ in interdicto inveniuntur, ad suspensionem omnino applicare, cum non sint ejusdem rationis.

4. *Nemo propter alterius culpam suspenditur, nisi in ipso sufficiens sit causa.* — Quin potius addo suspensionem etiam priori modo, et late sumptam, præsertim ab Ordine, vel officio, nunquam imponi propter alterius culpam solam, sed considerato etiam aliquo defectu ejus, qui suspenditur; et licet non sit culpa, est sufficiens et rationabilis causa talis prohibitionis. Hoc patet ex titulis de Clerico ægrotante, tam in antiquis, quam in 6, ubi propter lepram, vel aliud simile impedimentum removetur sacerdos ab officio altaris; et semper additur ratio, vel propter securitatem, vel propter tollendum scandalum, vel propter aliam similem causam. Idem observavit Panorm., in dict. c. Vel non est compos, num. 4; cum enim in eo textu dicatur, ordinatum in ætate præmatura suspendi in injuriam ordinantis, objicit Abbas, quod propter factum alterius non debuit iste suspendi. Et respondet, licet causa impellens ad talem suspensionem fuerit delictum ordinantis, tamen causam finalem fuisse defectum ætatis ordinati; et hoc ipsum Glossa ibi significavit. Ubi etiam expendo non dixisse Pontificem in eo textu, suspendi ordinatum in pœnam ordinantis, sed *in injuriam ordinantis,* id est, in confusionem ejus, et ut evidentius constet, quantum erraverit, ordinando illum, quem ob defectum ætatis suspendi necesse est. Quod a simili declaratur optime in cap. Decernimus, 16, quæst. 7, ibi : *Ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco ordinari;* idem enim significat in uno loco *injuriam,* atque in alio

ad verecundiam. Atque hoc modo quod circa unam personam fit, redundat in aliqualem pœnam, seu reprehensionem alterius, qui deliquit; non tamen propter illam solam causam fieret, nisi ex parte ejus, qui prohibetur, sufficiens etiam causa intercederet, quam non oportet esse in eo culpabilem, quia talis prohibitio ei non imponitur in pœnam, sed propter quamdam incapacitatem, seu improportionem in ordine ad tale ministerium, cujus decentiæ, ac reverentiæ in hoc præcipue consulitur. Dixi autem præcipue ab Ordine, vel officio, quia a beneficio, id est a fructibus ejus, interdum potest quis ex parte privari propter commune bonum, vel alias causas, sine ullo proprio defectu; illa vero non est suspensio, sed distributio justa talium fructuum, quorum dispensatio ad Pontificem maxime pertinet. In hoc autem servatur proportio, quod etiam suspensio a beneficio nunquam sit sine propria culpa.

5. *Discrimen inter suspensionem ob defectum et ob crimen.* — Unde intelligi potest, illud impedimentum Ordinis participare potius quemdam irregularitatis modum, quam esse propriam suspensionem. Propria enim suspensio, de qua loquimur, est quasi privatio moralis in subjecto de se habili, sine impedimento alterius rationis, et hanc dicimus non imponi sine culpa, quia nisi feratur per modum censuræ, aut pœnæ, non videtur posse cum ratione imponi. Hinc Panormitanus supra distinguit duplicem suspensionem, scilicet, ob defectum, vel ob crimen. Et ne videantur solis nominibus, vel causis differre, constituit in effectibus differentiam; nam qui priori modo suspensus actum Ordinis exercet, non fit irregularis, sicut fieret, si esset posteriori modo suspensus, ut supra diximus. Quam differentiam probat, quia suspenso ob solum defectum non est directe interdicta executio officii, et jure non cavetur, quod ille fiat irregularis. Quæ ratio non caret difficultate; quomodo enim illi non est interdicta executio officii, cum vere ac proprie sit prohibitus in suo Ordine ministrare, ut patet ex dict. cap. Vel non est compos? Nam, quod hæc prohibitio sit ob defectum, non satis est, ut propterea negetur esse directa interdictio. Quod si hoc ita est, unde constat, cum jura dicunt, suspensum ministrantem in suo Ordine fieri irregularem, non comprehendere eum, qui ob defectum suspensus est? Sed nihilominus illa sententia Abbatis fuit etiam Innocentii, eamque sequitur Dominicus in c. Apostolica, 56 d.; Covarr., in Clement. *Si furiosus,* p. 1, § 1, num. 4; et Salzedo in Pract., cap. 26, lit. B., qui alios refert; et est tenenda, quia hæc irregularitas in jure solum invenitur respectu eorum, qui sunt suspensi propter crimen, et ita stricte interpretanda. Et fortasse ratio a priori est, quia, ut dicebam, illa prohibitio ob defectum magis est irregularitas quædam, quam propria suspensio; irregularis autem ob corporis defectum, si ante dispensationem celebret, non incurrit novam irregularitatem, ut bene notavit Turrecr. in dict. c. Apostolica, refertque in dictam sententiam Archidiaconum; et addit ita servari usu Romanæ Ecclesiæ, nam in hujusmodi casibus solum dispensatur in tali defectu, non vero in alia irregularitate contracta in celebratione, quia in jure non est expressa, ut infra latius dicemus. Et tractabimus aliud exemplum tactum a Turrecrem., de publico concubinario, quem dicit non fieri irregularem celebrando. Aliud etiam exemplum hujus suspensionis ex defectu est supra tactum disp. 11, sect. 3, et iterum infra, disput. 31, sect. 1.

Quæ culpa ad suspensionem sufficiat.

6. *Prima sententia.* — *Secunda sententia.* — Difficultas est, an mortalis sit necessaria, aut venialis sufficiat. Cajetan. enim, in Sum., verb. *Suspensio*, absolute ait incurri ex solo veniali peccato; et probat, quia est minor pœna, quam excommunicatio minor, cum hæc privet maximis et valde necessariis bonis, scilicet sacramentis; sed excommunicatio minor incurritur propter peccatum veniale; ergo et suspensio. Et idem sequitur Armilla, verb. *Suspensio,* in principio; nec dissentit Navar., c. 27, num. 151, 159 et 165. Alii vero absolute asserunt, necessariam esse culpam mortalem, ut hæc censura imponi, aut contrahi possit. Quam sententiam tenuit Aretinus, ut Navarr. refert; et eam videtur sequi Soto, in 4, d. 22, quæst. 3, art. 1, concl. 2, estque hoc tempore valde recepta. Quia suspensio, ut est in usu Ecclesiæ, acerbior pœna est, quam ut pro sola veniali culpa secundum æquitatem et Ecclesiasticam pietatem imponi possit. Neque verum est, moraliter et secundum prudentem existimationem loquendo, majorem pœnam esse excommunicationem minorem, quam suspensionem ex genere suo, ut supra declaravimus ex eo quod, licet privet usu maximorum bonorum,

tamen et facile tolli potest, et non inducit damnum irreparabile; suspensio vero et sæpe inducit irreparabile damnum, et difficilius tollitur, et nonnullam infamiam secum affert. Sicut etiam irregularitas non privat perceptione sacramentorum, tamen propter similes circumstantias omnium consensu censetur gravior pœna.

7. *Decisio.* — *Corollarium.* — Sed judicium inter has sententias facile est ex his, quæ in superioribus diximus de suspensione majori et minori, seu gravi et levi. Cum enim secundum justitiæ rationem servari debeat proportio inter pœnam et culpam, suspensio gravis imponi juste non poterit nisi propter gravem, seu mortalem culpam, nam illa sine dubio est gravis pœna. Quis enim dicat posse aliquem privari fructibus sui beneficii per annum propter culpam venialem? Idem autem est de qualibet simili suspensione gravi. At vero si suspensio levis sit, poterit propter peccatum veniale imponi, ut suspensio quoad unum actum electionis, vel quoad distributiones unius horæ, vel unius diei. Quod maxime locum habet in suspensione, quæ ab homine fertur; nam quæ feruntur a jure communi regulariter sunt graviores, et non incurruntur nisi propter peccatum mortale, quia leges Ecclesiasticæ non puniunt tam severe venialia peccata. Nam neque minor excommunicatio incurritur ipso jure propter veniale peccatum nisi in casu communicationis cum excommunicato; quod specialiter videtur factum in odium excommunicationis majoris, ut cum majori rigore servetur. Quocirca (quod attente observandum est) si gravis suspensio ab officio et beneficio in jure imponatur propter aliquod crimen, et aliquis committat illum actum mortalem in specie, peccando solum venialiter, non incurret talem suspensionem in conscientia, sive talis actus sit veniale peccatum ob imperfectam deliberationem, seu levem inadvertentiam, sive ex levitate materiæ, quia priori modo talis actus in genere humani actus est imperfectus; posteriori autem modo est imperfectus in tali specie morali, et incapax talis pœnæ. Diximus autem in superioribus, cum de censuris in communi ageremus, quando lex punit aliquem actum simpliciter, intelligendum id esse de actu perfecto in genere moris, et in specie, quæ per illam vocem simpliciter prolatam significatur; et ratio justitiæ postulat, ut intelligatur de actu moraliter digno tali ac tanta pœna. Statim vero hic sese offerebat quæstio, an suspensio lata sine tali causa vera et in re existente, sed solum præsumpta, vel in exteriori foro probata, vere teneat, et liget eum, in quem fertur. Sed hanc rem copiose tractavimus de censura in communi; et ideo ea repetere necesse non est, sed applicari debent ad hanc particularem censuram ea, quæ in communi sunt dicta.

SECTIO V.

Quis modus servandus sit in suspensione ferenda.

1. *Regula pro forma suspensionis a jure.* — In hac sectione explicanda est formalis causa, qualis in suspensione esse potest. Ad illam vero exponendam distinguere oportet inter suspensionem ipso jure vel ab homine latam; nam ut prior imponatur, et incurratur, nulla alia forma necessaria est, præter verba legis, quibus sufficienter significetur talem censuram seu pœnam ipso facto incurrendam imponi. Est enim certa regula, pro nullo actu vel crimine incurri suspensionem ipso facto, nisi id sit expressum Ecclesiastico jure, cujus sola efficacitate imponitur. Hoc autem jus Ecclesiasticum esse potest aut commune canonicum, sub quo omne jus Pontificium, quod totam Ecclesiam universaliter obligat, comprehendimus, aut speciale alicujus Episcopatus, vel religionis. Supposito ergo tali jure et potestate condendi illud, necesse est, ut verba legis sufficienter ac determinate declarent speciem suspensionis, et modum imponendi illam, quia lex nec potest operari aliquid nisi specificum et determinatum, nec potest plus operari, quam verbis explicet; utrumque autem horum sufficienter est in superioribus declaratum.

De forma suspensionis ab homine.

2. *An præcedere debeat monitio.* — Cum vero suspensio ab homine fertur (sicut de censura etiam in communi dixi) circa modum ferendi illam considerari possunt, scilicet, quid præcedere debeat, quid comitari, seu in illa ferenda servari, quid vero subsequi. Circa primum quæri solet, an suspensionem debeat præcedere admonitio, de qua re etiam diximus late de censuris in communi, neque hic aliquid occurrit addendum. Servanda enim est distinctio de suspensione pro contumacia, quam nos proprie censuram appellamus, et quæ pure fertur in pœnam propter commis-

sum delictum. Et de priori dicendum est, necessarium esse, ut præcedat monitio, ut illo loco late probavimus; et ex ipsis terminis patet, quia nisi præcedat monitio, non potest sequi contumacia; ergo nec suspensio pro contumacia. Posterior autem suspensio sæpe imponitur sine prævia monitione, ut patet ex cap. Tam litteris, de Testib., ubi Papa quosdam suspendit propter quoddam delictum, etiamsi nec monitio ab homine præcessisset, neque a jure per legem aliquam, quæ tale delictum sub tali pœna prohiberet. Et quotidie videmus id fieri in suspensionibus, quæ ab homine feruntur; nam licet sæpe ferantur juxta aliquam legem, et tunc dici posset, quod per eam præcesserit sufficiens monitio, tamen sæpe etiam imponitur suspensio arbitrio judicis, ad tempus aliquod, juxta circumstantias causæ. Ratio vero est, quia quando pœna imponitur propter delictum commissum præcise, sustinenda est, quantumvis homo resipiscat, et ipsum pœniteat prioris delicti; et ideo ad talem pœnam ferendam monitio illa, quæ ad resipiscentiam ordinatur, necessaria non est. Et in hac doctrina conveniunt communiter Doctores et Summistæ, quos in citato loco sufficienter adduxi.

3. *Verba et solemnitas suspensionis exponuntur. — Suspensio etiam in puram pœnam lata non suspenditur per appellationem.* — Circa secundum punctum, quod attinet ad verba, quibus talis censura ferenda est, certum est nulla determinata verba requiri præter ea, quæ sufficienter significent modum, speciem, seu effectum suspensionis, ut notavit Navarrus, in Summa, c. 27, num. 161, et omnes, satisque constat ex dictis supra de censuris in communi, et paulo ante in declarandis effectibus suspensionis; ibi enim vim singulorum verborum, quibus ferri potest, aut solet suspensio, exposuimus. De hac ergo verborum forma nihil addendum superest, præterquam quod necesse est, ut talia verba non sola voce, sed scripto exhibeantur; quanquam hoc non sit de substantia, sed de præcepto, juxta c. 1 de Sent. excom., in 6. Quam rem late declaravimus supra agentes de censuris in communi. Addo etiam, oportere, ut in tali suspensione ferenda serventur aliæ conditiones ad validitatem sententiæ necessariæ, et præsertim illa, ut suspensio non feratur post interpositam appellationem, quia erit nulla, ut est communis sententia in c. 1 de Sent. excom., in 6, ubi videntur suspensio et excommunicatio parificari; et (quidquid sit de aliis rebus) in hoc versatur eadem ratio, quia nullitas provenit ex defectu jurisdictionis, quæ per appellationem suspenditur. Unde si e contrario appellatio sequatur post sententiam suspensionis, non impedit effectum ejus, c. Is cui, de Sent. excom., in 6. Et quamvis Abb., in c. 2 de Cleric. excom. ministr., n. 2, et in cap. Sæpe, de Appellat., num. 16, hoc limitare voluerit ad illam suspensionem, quæ est propriissime censura, et pro contumacia fertur, quia illa, quæ est pure pœna, suspendi potest per appellationem, sicut et aliæ pœnæ, id tamen probandum non videtur, tum quia dict. cap. Is cui, simpliciter loquitur de suspensione absque distinctione; in jure autem nomen suspensionis indifferenter significat eam, quæ pro contumacia, vel pro commisso delicto fertur; tum etiam quia ratio, ob quam suspensio non suspenditur per appellationem, eadem est in utraque, scilicet, quia sententia suspensionis sicut excommunicationis secum trahit executionem, juxta cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., quod tam est verum in suspensione, quæ est pura pœna pro delicto, sicut in ea, quæ pro contumacia fertur.

4. *Denunciatio quid hic operetur.* — Circa tertium de denunciatione jam supra ostendi, Extravag. *Ad evitanda,* ad suspensionem extendi; ideoque licet quoad ipsum suspensum denunciatio non sit necessaria, ut omnes suos effectus operetur, quoad alios necessariam esse, ut eum vitare teneantur. Neque erit satis, quod suspensio sit publica et notoria, quidquid Navarrus, et alii dicant, quia juxta veram et tenendam lectionem illius Extravagantis, hæc exceptio de publica censura solum fit in manifesto clerici percussore, qui non suspensionem, sed excommunicationem incurrit; ideoque in hac suspensionis censura sine ulla exceptione verum est, usque ad denunciationem in particulari et proprio nomine factam non esse suspensum ab aliis vitandum.

5. *Quomodo alii teneantur eum vitare, qui suspensus est.* — Dices : suspensio non est censura privans communicatione hominum; nam in hoc differt ab excommunicatione; ergo ex vi suspensionis nunquam alii tenentur vitare ipsum suspensum, etiamsi denunciatus sit; quid est ergo, quod in illa Extravag. conceditur respectu suspensi non denunciati? Ad hoc Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 163, in fine, absolute affirmat

sicut tenemur vitare excommunicatum in omnibus, ita et suspensum in his, a quibus suspensus est; imo in cap. 1, § Laboret, de Pœnitent., dist. 6, num. 18, ait, gravius esse non vitare suspensum in his, in quibus suspensus est, quam non vitare excommunicatum, quia hoc posterius, *regulariter* (inquit) *est peccatum veniale; non evitare autem suspensum, vel interdictum, in quibus suspensus est, nemo dixit non esse mortale.* Sed contra hoc insto, quia Ecclesia non prohibuit directe fidelibus communicationem cum suspenso, vel interdicto, etiam in actibus, a quibus suspensus vel interdictus est, sicut directe prohibuit communicationem cum excommunicato. De hac enim posteriori prohibitione habemus multa jura, de priori vero nullum. Exemplo item id declarari potest, nam si interdictus ab ingressu Ecclesiæ violet interdictum ingrediendo, et ibi audiendo Missam, non sunt alii prohibiti, quominus ibi esse possint, et eamdem Missam audire; qui ibi sunt, non tenentur exire, vel divinum officium omittere, quia nullus textus est, in quo de interdicto hoc habeatur, sicut de excommunicatione. Et pari ratione, si interdictus celebret in Ecclesia, qui ejus Missam audiunt, per se loquendo, et secluso scandalo et cooperatione, non peccant, quia nullo jure prohibiti sunt, et alioqui actio illa per se mala non est. Ergo eadem ratione, si suspensus ab officio divino illud in Ecclesia canat, qui illud audiunt, contra nullum jus Ecclesiasticum operantur; ergo nec peccant, quia ex alio capite actio illa mala non est, per se loquendo. Denique ob hanc causam Ecclesiastica censura imposita est his, qui communicant cum excommunicato, scilicet excommunicatio minor, quam, vel aliquam aliam non incurrit, qui communicat cum suspenso, etiam in his, a quibus suspensus est. Si autem illa communicatio esset ab Ecclesia prohibita, et regulariter esset gravior culpa, deberet profecto eadem, vel graviori censura puniri.

6. *Dubii resolutio.* — Respondeo, in tantum esse præceptum fidelibus evitare suspensum in his, a quibus suspensus est, in quantum ex natura rei id consequitur ex suspensione ejus, quando non vitare illum, vel communicare cum illo tali modo, seu in talibus actibus, vel esset cooperari ad peccatum, quod ipse committit, agendo contra suam suspensionem, vel esset aliquid operari modo indebito, et sine his circumstantiis, quas talis actus ex natura sua postulat, ut recte fiat; vel etiam quatenus ipse claves Ecclesiæ contemnit. Sic peccat contra claves, qui suspensum ab officio inducit ad celebrandum, vel ad ferendam sententiam in pœnitentiali, vel externo foro; et qui suspensum a beneficio facit participem fructuum Ecclesiasticorum; nam et peccat contra justitiam, et contra obedientiam Ecclesiæ debitam; nam illa prohibitio indirecte saltem in eum redundat. Et hinc etiam verum est quod Navarrus ait, hanc communicationem cum suspenso regulariter esse peccatum mortale, quia moraliter non fit sine cooperatione cum illo ad peccatum mortale, nisi ex accidenti materia sit nimis levis.

7. *Quem favorem contulerit Extravag.* Ad evitanda, *communicantibus cum suspenso non vitando.* — Hinc tandem colligitur responsio ad difficultatem positam, quid nimirum contulerit Extravag. *Ad evitanda,* fidelibus per privilegium non vitandi suspensum non denunciatum; necessario enim dicendum est, contulisse ut propter commodum ipsorum fidelium nunc licitæ sint multæ actiones suspenso non denunciato, si eas faciat ad petitionem aliorum fidelium, et propter eorum vel necessitatem, vel justitiam, quæ antea ipsi non licerent. Inde igitur factum est, ut sic suspensus ab officio non sit omnino privatus jurisdictione in foro interiori, vel exteriori, sicut antea fuisset; si enim hoc concessum non est, inutilis plane est illa concessio, ut ratio facta convincit, præsertim supposito modo obligationis vitandi suspensum, ut explicuimus. Exempla vero hujus rei in superioribus tacta sunt in singulis suspensionibus, et latius dum ageremus de Excommunicatione.

DISPUTATIO XXIX.

DE ABSOLUTIONE, SEU ABLATIONE SUSPENSIONIS.

Supponimus suspensionem talem esse pœnam, quæ licet duret, tandem finiri et auferri possit, ut in ejus definitione declaravimus. Oportet autem præmittere distinctionem illam de suspensione, quæ est pure pœna peccati commissi, et de illa, quæ tanquam propria censura ob contumaciam fertur, nam habent diversos modos cessationis, seu ablationis, et ideo de illis sigillatim explicabimus a quo, et quomodo tolli possint.

SECTIO I.

Quomodo, et a quo auferatur suspensio, quæ pura pœna est ob delictum commissum.

1. *De suspensione ad certum tempus.* — *Corollarium.* — Dicendum primo est, suspensionem ad certum tempus latam, elapso tempore ipso jure tolli. Hæc est communis sententia juris Pontificii interpretum cum Glossa, in cap. Sacro, de Sentent. excomm., verb. *Per mensem,* et Glossa in Clement. 1 de Decimis, verb. *Donec;* Innocentii, Abbatis, et aliorum, in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualit., et D. Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 4, circa fin.; Navarr., cap. 27, num. 161 et 162; Angel., Sylvest., Armill., ac denique omnium Summistarum, verb. *Suspensio.* Et ratio manifesta est, quia suspensio vim habet ex prohibitione Ecclesiæ; sed prohibitio ad certum tempus facta ipso elapso cessat, quia non operatur ultra voluntatem prohibentis; ipse autem suam voluntatem definivit ad certum tempus; ergo, illo elapso, suspensio per se cessabit. Unde fit, ut, qui sic suspensus erat, possit deinceps, vel suo officio fungi, vel fructibus sui beneficii frui absque alia facultate, vel declaratione superioris, nam ablato impedimento, res per seipsam reducitur ad pristinum statum, et unusquisque, qui impeditus non est, uti potest jure suo. Diximus autem in superioribus suspensum non privari officio, vel beneficio suo, sed impediri quoad usum; cum ergo hoc impedimentum cesset elapso tempore, potest illo uti absque alia declaratione, ut iidem auctores, præsertim Innocentius et Abbas, annotarunt. Unde videntur etiam id intelligere in foro exteriori; est autem multo certius in interiori, ut ratio facta sufficienter declarat; quia nullum est positivum jus, quod specialiter obliget ad novam licentiam, vel declarationem a superiore petendam. In foro autem exteriori, præsertim quando suspensio est lata ab homine, videri potest necessaria (propter ejus satisfactionem) aliqua ipsius declaratio. Tamen, si ipse in sententia hoc non expressit, non est, cur hoc onus imponamus; satis est enim, ut, quando oportuerit, constare possit, usque ad elapsum tempus in sententia præfixum non cœpisse eum, qui suspensus erat, uti rebus illis, seu actionibus a quibus erat suspensus.

De modo computandi tempus suspensionis varia dubia.

2. *Primum de inceptione temporis suspensionis.* — *Quid de suspensione duplici titulo.* — Nonnulla vero supersunt minora dubia explicanda. Primum est, quando incipiat hoc tempus talis suspensionis currere. Et dicendum est breviter, incipere ab eo puncto et momento, ex quo censura seu sententia suspensionis lata est, si sit suspensio ab homine, vel si sit a jure, ab eo tempore, quo delictum contra tale jus commissum est. Sumitur ex Glossa ult. cum notatione Archidiaconi, et Joan. Andr., in cap. Proinde, de Elect., in 6. Ratio vero est, quia censura statim operatur ac existit, secum enim affert executionem, cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat.; ergo statim incipit obligare, et ideo in illis quæ ipso jure incurruntur, sæpe additur illa particula, *ex tunc, ipso facto,* vel quid simile; ergo ex tunc etiam incipit computari tempus, pro quo lata est suspensio. Sed quid, si is, qui sic suspenditur, pro eodem tempore simili suspensione ligatus sit? numquid incipiet ligari statim nova suspensione? Quibusdam enim visum est non incipere ligari secunda, donec tempus prioris finiatur, ne hac occasione leviori pœna afficiatur, nam levius est eodem tempore privari eisdem fructibus vel functionibus duplici titulo vel suspensione, quam longiori tempore privari per singulas suspensiones sibi succedentes. Ita refert Zabarella in Clementina 2 de Magistris, et ex parte tenuit Abbas, in cap. Cum in cunctis, § ult., de Electione. Sed oppositum censeo verum, quod tenent Glossa, et Doctores in dicta Clementina 2. Et ratio est, quia sententia censuræ, vel jus statim infert suum effectum in subjecto capaci. Prior autem suspensio non reddit personam incapacem secundæ, ut dictum est; ergo non obstante prima, incipit statim currere tempus secundæ. Et sicut non est inconveniens, ut idem sit ligatus duplici suspensione, ita etiam non inconvenit, quod duplici titulo privetur eisdem fructibus vel functionibus. Quod autem inde fiat pœna aliquomodo levior (id enim negari non potest) accidentarium est, sicut si contingat incidere simul in duas suspensiones ipso jure latas; tunc enim simul current, quia non est major ratio de una, quam de alia.

3. *Dubium secundum.* — *De cursu ejusdem temporis.* — *Resolutio.* — Secundum dubium

est, quomodo computari debeat lapsus seu successio illius temporis, id est, an continue, sicut naturale tempus elabitur, vel secundum aliquam moralem computationem. Nam videri potest hoc secundum, quia quando aliquid prohibetur fieri aliquo tempore, intelligitur de tempore habili, ut in eo talis actio fiat; tempus autem habile ad celebrandum, v. gr., vel ad judicium ferendum, etc., non est totum naturale tempus continuum, nam celebrare licet tempore matutino, et non vespertino, et judicium ferre licet diebus feriatis, non festivis, vel per diem, non autem per noctem : ergo. Nihilominus dicendum est, tempus illud secundum physicum et naturalem cursum continuum temporis computandum esse. Hoc est certum apud omnes, et constat ex usu; et quia nec moraliter nec prudenter posset aliter talis computatio fieri, et ideo in omnibus aliis legibus et pactis ita solent definita tempora computari. Unde ad rationem dubitandi dicitur in primis, in aliquibus suspensionibus quodlibet tempus esse habile ad functionem aliquam exercendam earum, quæ per suspensionem prohibentur; ut in suspensione a beneficio quodlibet tempus est aptum ad percipiendos fructus beneficii; et jus ad redditus ipsos quasi continue successu temporis comparatur, et eodem modo per suspensionem tollitur. In suspensione vero ab officio variæ actiones variis diei temporibus, et nonnullæ indifferenter in quolibet tempore fieri possunt. Quod vero aliquæ habeant certa et definita tempora ex Ecclesiæ consuetudine vel præcepto, nihil refert, tum quia id est accidentarium ad rationem suspensionis, cujus signum est, quia si suspensus ab Ordine celebraret hora vespertina, vel nocturna, dupliciter peccaret, et quia tempore indebito, et quia suspensus celebrat. Tum etiam quia, sicut Philosophi dicunt, quando accidens non potest inesse toti nisi ratione unius partis, tunc ab una parte simpliciter denominat totum : ita hic quamvis actio, v. gr., non possit exerceri nisi in una parte diei, ex eo quod prohibeatur in ea, prohibetur per diem, et proportionali modo per mensem, vel annum; atque ita totum tempus suspensionis vel prohibitionis continuum est.

4. ***Dubium tertium.— Determinatio prædicti temporis.*** — Tertium dubium est, quando vel quomodo terminetur tempus in suspensione præscriptum. In quo in primis dicendum est ad minimum necessarium esse, ut postremus dies assignati temporis attingatur, ita ut si suspensio sit per mensem, ut in cap. 1 de Sentent. excom., in 6, durabit usque ad ultimum diem mensis; si per annum, ut in c. 1 de Sentent. et re judic., in 6, usque ad ultimum diem anni; et sic de aliis. Et ratio est, quia usque ad illum diem non est completum illud tempus. Dubitari vero solet, an dies ille debeat computari inclusive tanquam terminus intrinsecus, vel exclusive tanquam terminus extrinsecus; vel (quod idem fere est) an ille postremus dies debeat totus integerque in illo tempore computari, vel sufficiat illum attigisse. In quo aliqui simpliciter affirmant debere totum illum diem integrum includi in tali tempore; alii vero putant sufficere attigisse illum; alii distinguunt, nam si per accusativum fertur suspensio, ut, *sit suspensus per annum,* diem integrum debere computari, quia significatur tempus completum; si vero feratur in ablativo, ut, *sit suspensus hoc anno,* significari tempus incompletum, et ideo satis esse attigisse postremum diem.

5. *Dubii enodatio.* — Dicendum tamen est, quocumque modo feratur, significari tempus completum, quia suspensio includit negationem, et prohibitionem; quod autem prohibetur fieri, sive hoc die, sive per hunc diem, pro toto die completo prohibetur, quia negatio totum destruit; ita ergo in præsenti suspensio unius mensis, aut anni, aut triennii, quibuscumque verbis feratur, complete durat pro tota illa mensura significati temporis; et illa completa finitur. Computatio autem fieri debet ab eo puncto, in quo fit delictum, vel sententia pronunciatur, usque ad proportionalem horam, in qua dies naturalis, mensis, vel annus completur, sive illa sit prima pars alterius mensis, vel anni naturalis, sive media, sive ultima ejusdem; hæc enim omnia ad moralem computationem accidentaria sunt.

6. *Dubium quartum. — De computatione mensium. — Conclusio.* — Sed hic occurrit quartum speciale dubium de mensibus, quot dierum computandi sint, an triginta unius dierum, quia plures menses tot dies habent, vel tantum viginti octo, quia pœnæ sunt restringendæ, an triginta, quia est numerus medius, et quia vulgari modo ita mensis recipitur, an 30 dierum cum dimidio, quia est duodecima pars anni. In qua varii sunt et excogitari possunt dicendi modi, quos omitto, quia res videtur parvi momenti. Et breviter assero, si suspensio tantum sit unius mensis,

probabile esse 30 dies nomine mensis significari. Quod tenuit Joan. Andr., in cap. Quam sit, de Elect., in 6, ad Glossam, verb. *Mensem*, et habet fundamentum in jure civili, l. Miles, § Quidam, ff. Ad legem Juliam, de Adult. Et rationes factæ sunt probabiles, et alii modi non sunt verisimiles. Quia illa mathematica partitio anni, quæ fit in ultimo dicendi modo, extra communem loquendi modum, et extra rem moralem est, et vix posset exacte fieri. Alii vero duo primi modi nimium augent vel minuunt numerum sine fundamento. Addo vero etiam alium modum computationis esse probabilem, ut scilicet considerato die mensis, in quo fit delictum, vel suspensio inchoatur, tot dies in sequenti mense sumantur ad complendam mensis suspensionem, quot ex præcedenti transacti fuerant, quando incepit suspensio; sic enim complebitur mensis integer secundum ordinariam mensium divisionem; nec videtur posse certius computari. Maxime quia talis lex vel sententia loqui videtur de proximo subsequente mense. Solum potest obstare, quia sequitur, mensem suspensionis semper esse tot dierum, quot habuerit mensis, in quo fit delictum, et consequenter suspensionem esse majorem vel minorem, solum quia sententia profertur, vel delictum fit in diverso mense. Sed hoc accidentarium est, et ideo nullum est inconveniens; maxime cum excessus tam parvus sit, ut moraliter non computetur. Unde in simili Juristæ dicunt, mandatum datum ad aliquid intra mensem agendum, esse illo modo computandum, ut patet ex Gloss. cit. in dict. cap. Quam sit. Addo vero, si suspensio sit duorum mensium, probabilem esse alterum saltem computandum esse 31 dierum, argum. l. Lex, ff. de Reg. jur., quia semper ita sibi succedunt. Si vero sit suspensio trium, vel plurium mensium, unus quidem computari poterit altero ex modis supra dictis, intermedii vero iidem sumendi sunt, qui naturaliter succedunt, quia hic est communis sensus, et loquendi modus; sicut etiam suspensio sex mensium intelligitur esse dimidii anni integri, prout menses succedunt a die inchoatæ suspensionis, argum. cap. Licet, de Suppl. neglig. Prælat.

7. *Dubium quintum. — De computatione anni in annuali suspensione. — De anno bissextili.* — Hinc facile definitur quintum dubium simile, quando pœna est unius anni, quomodo computandus annus sit. Dicendum est enim, ex quacumque parte anni suspensio inchoetur, tantam partem ex sequenti anno adjungendam esse, quanta ad complendum integrum annum, id est, ex 365 diebus constantem, sufficiat. Sed quid de anno bissextili, qui habet 366 dies? estne eodem modo computanda suspensio in illum incidens? De hoc multa Summistæ, in verbo *Suspensio*, et in verb. *Ætas*, et Juristæ, in cap. Quæsivit, de Verb. signific., et in l. Cum hæres, § Stichus, ff. de Statu liberi. Communis tamen sententia est in hujusmodi rebus odiosis et pœnalibus diem illum non computari, neque in anno, neque in mense; itaque si quis annalem suspensionem per 365 dies servet, in altera die jam poterit celebrare, etiamsi ille dies, non sequentis anni, sed ejusdem computetur. Sic enim dicitur in dict. § Stichus, si servo libertas concedatur sub conditione, *si per annum servierit*, illud non esse intelligendum de anno bissextili, sed de anno 365 dierum. Sic ergo in præsenti dicendum est. Atque ita sentit Sylvester, verb. *Ætas*, n. 5, et verb. *Suspensio*, num. 5, in fine, cum Abbate, et aliis quos refert, et cum Glossa in cap. 2, dist. 55. Quæ sententia confirmatur, nam quando suspensio unius anni in pœnam imponitur, intelligitur de anno communi et ordinario, non de extraordinario, tum quia hic est frequentior modus loquendi de anno; tum etiam quia in pœnis interpretandis benigniori semper interpretatione utimur; sed annus bissextilis extraordinarius est, alius vero communis et ordinarius.

8. *Cap. Quæsivit, de Verb., sign. objicitur, et exponitur.* — Unde consequenter fit, si alicui pœna suspensionis mense Februario imponatur, et contingat mensem illum in anno bissextili evenire, expletis 28 diebus absolvi suspensionem, et die 29, jam ei licere eas actiones exercere, a quibus suspensus erat. Et pari ratione, si suspensio erat trium, aut plurium mensium, in ultimo die ultimi mensis jam non erit talis suspensus, quia eadem est proportio plurium mensium ad ultimum diem, quæ totius anni, ad ultimum diem anni. Et ratio utrobique est, quia dies ille vigesimus nonus, qui interpositus fuit, vicem ultimi supplevit. Quod si objiciatur prædictum cap. Quæsivit, ubi dicitur, duos illos dies anni bissextilis quasi pro uno reputari, respondetur, omissis aliis interpretationibus, disjunctive, non conjunctive id esse intelligendum, id est (juxta materiam, de qua ibi agebatur), ut in altero eorum possit festum sancti Matthiæ celebrari, quasi pro

eodem reputari, non vero copulative, ut in uno et altero debeat festum illud celebrari, ac si esset unus tantum. Et simili modo, si alicui esset impositum onus jejunandi ultimo die Februarii, posset tunc in uno vel altero illorum dierum jejunare et implere obligationem, quia hoc modo pro uno reputatur, quia unus eorum tunc de facto est ultimus, alter vero est ultimus mensis ordinarii. Non vero teneretur ille jejunare utroque die, eo quod pro uno reputentur, quia hoc modo, scilicet conjunctim, non vere pro uno reputantur, nam revera sunt duo dies distincti, et in eis multiplicantur jejunia. Unde, quando pars Quadragesimæ in eum mensem bissextilem incidit, uterque dies per se numeratur ad complendum quadragesimum numerum. Et eodem modo recte dicunt communiter Doctores, quando aliquid præcipitur, vel conceditur fieri intra certum terminum dierum, tunc semper illos dies pro duobus computari, quia revera duo sunt. Sic ergo in præsenti, quoad durationem suspensionis hi duo dies non computantur pro uno, sed pro duobus, nec pro utroque copulative, seu conjunctim durare debeat. An vero in gratiis, seu rebus favorabilibus, quando per mensem, vel annum conceduntur, ita computari possint, alterius est considerationis.

9. *Quid de suspenso per mensem Februarii anni bissextilis.* — Dices : si illi duo dies disjunctim pro eodem computantur, ergo ei, qui per mensem Februarii suspensus est, licitum erit eo mense bissextili non servare suspensionem die vigesimo octavo, sed vigesimo nono, ut alteruter eligi possit. Respondetur, negando sequelam; illud enim intelligendum est, nisi aliunde aliquid speciale obstet; hic autem obstat, quia tempus ad suspensionem præscriptum intelligitur debere esse continuum; hæc enim est communis juris intelligentia, ut generatim tractavit Jason in l. Contra majores, C. de Inofficioso testamento, n. 6, et ideo ne interrumpatur suspensio, non licebit tunc diem vigesimum nonum pro vigesimo octavo accipere. Sicut etiam, si suspensio sit annualis, non licebit in illa die vigesima nona eam non servare, eo quod in illo anno pœnali (ut sic dicam) illa non computetur, nec numerum dierum ejus augere debeat; haberent enim locum hæ rationes, nisi necessaria continuitas suspensionis obstaret; et ideo exceptio illius diei semper in ultimum diem anni vel temporis præscripti reservatur. Sicut etiam ob causam proportionalem, quamvis illi dies pro uno computentur, non est licitum die vigesimo septimo Februarii jejunare, et die vigesimo nono festum sancti Matthiæ celebrare, ut traditur in dicto cap. Quæsivit, quia obstat contiguitas, ut sic dicam, necessaria inter vigiliam et festum, inter quæ nunquam licet diem interponere, nisi dies Dominica intercedat.

10. *Suspensio ab homine pro anno bissextili, an comprehendat diem vigesimum nonum Februarii.* — Sed dices tandem, quamvis dicta resolutio vera sit, quando suspensio unius anni vel mensis in communi ponitur, ut est in his quæ sunt a jure, tamen, si suspensio sit ab homine, et signatim imponatur pro futuro mense Februarii, vel pro futuro anno, qui bissextilis est, tunc non habere locum interpretationem positam, quia jam sermo est de tali mense vel anno in particulari. Respondetur : si satis constaret de mente præcipientis, scilicet cogitasse illum de anno bissextili, et advertisse talem esse eum, de quo loquitur, et voluisse pro toto illo suspendere, tunc certum est ita esse servandam suspensionem, nam potest judex ita obligare; unde, si de ejus mente constet, non est dubium, quin obliget. At vero, si de hoc nihil speciale constet, et alias verba sententiæ sint generalia unius anni vel mensis, quamvis dicatur, *primi sequentis anni vel mensis,* juridice erunt interpretanda juxta benigniorem sensum, ut scilicet sermo sit de proximo anno sequente ordinario, ut explicatum est.

11. *Quid si suspensio interrupta fuit.* — *Dubium sextum.* — *Primus dicendi modus.* — *Secundus modus.* — Sexta dubitatio circa hoc punctum esse potest, quando aliquis non servavit suspensionem toto anno vel mense sibi præscripto, quando et quomodo finiatur tempus talis suspensionis. Tres enim modi dicendi excogitari possunt. Primus est, ut in quo sic suspensus suam prohibitionem definito tempore continuo non servavit, iterum inchoare debeat suspensionem et servare illam toto præscripto tempore, neque in illo computanda sit pars illa temporis, in quo suspensionem servavit. Ratio esse potest, quia tempus suspensionis debet esse continuum, ut diximus; et ideo si semel interrumpatur suspensio, non potest prius tempus cum posteriori conjungi, sed debet iterum suspensionis tempus inchoari. Sicut de anno probationis ad professionem requisito, ut ex communi sententia et praxi testatur Navarr., cons. 29 de Regularibus; sic ergo propter rationis

paritatem videtur in præsenti dicendum. Secundus modus dicendi esse potest, tempus quidem illud, in quo, et pro quo non servatur suspensio, non computari, nec deservire, ut expleatur tempus suspensionis impositæ; tamen, si post illud suspensio servetur, debere hoc posterius tempus cum priori conjungi ad complendum suspensionis tempus; ut, v. gr., si quis per annum suspensus, post sex menses observatæ suspensionis, per unum aut duos illam violavit celebrando, etc., satisfaciet, si postea sex alios menses se abstineat, et sic compleat suæ suspensionis tempus; minori enim tempore non poterit satisfacere suæ obligationi, cum ea sit unius integri anni. Quod vero hoc sufficiat, patet, quia, licet temporis continuitas sit per se loquendo necessaria, ut debito modo impleatur suspensio, non est tamen ita necessaria simpliciter, ut si aliquo casu vel culpa interrupta sit, eam de novo inchoare oporteat; esset enim gravissimum onus et quoddam pœnæ augmentum, quod nullo jure ostendi potest.

12. *Tertius ac probabilior dicendi modus.* — Tertius et melior dicendi modus est, suspensionis tempus continue fluere, ex quo inchoatum est, nec interrumpi propterea quod sic suspensus, vel casu aliquo, vel etiam ex malitia aliquid faciat contra prohibitionem ei factam, sed præscripto tempore finiri, licet interim non servetur. Explicatur, quia effectus proximus et immediatus suspensionis non est ipsa realis privatio actionum vel rerum; hæc enim sæpe pendet ex voluntate ipsius suspensi, cum tamen ipsa suspensio ab illa non pendeat; sed immediatus effectus suspensionis est obligatio ad se abstinendum ab illis actionibus, vel etiam inhabilitas et incapacitas earum, quantum ab Ecclesia vel fieri potest vel intenditur. At hæc obligatio vel inhabilitas continue manet in homine suspenso, etiamsi ipse violet suspensionem; cujus signum est, quia in eo, quod non servat, graviter semper peccat, vel etiam irregularis efficitur, si actio est ad illum effectum accommodata; vel si sit actio pendens a jurisdictione, et suspensio sit ab officio, est nulla; ergo suspensio ipsa semper ac continue durat, quantumvis suspensus contra illam agat. Ex quo ulterius fit, ut præscripto tempore finiatur, quia non plus durat, nec plus operatur, quam fuerit imponentis voluntas. Quia absolute illud tempus determinavit, neque addidit conditionem, ut si suspensionem violaverit, longiori tempore protrahatur suspensio; non est ergo, cur nos illam adjungamus. Præsertim cum aliæ pœnæ vel impositæ sint ipso jure vel imponi possint a superiore violantibus suspensionem.

13. *Corollarium.* — Quapropter finito illo suspensionis tempore, non tenetur ille, qui suspensus fuit, tot diebus aut vicibus a suspensionis actibus abstinere, quot illos male exercuit dum fuit suspensus, quia prohibitionis tempus finitum jam fuit; sicut non tenetur quispiam, quasi per modum restitutionis exercere postea actum præceptum vel omittere prohibitum, quando id non servavit pro eo tempore, pro quo latum erat præceptum; ut qui non jejunavit in Quadragesima, non tenetur postea jejunare; vel qui uno die horas canonicas omisit, non tenetur alio eas repetere, quia, quando præceptum designat tempus, ut in eo terminetur obligatio actus, extra illud non obligat, imo nec impleri potest, ut attigit Innocentius, in cap. 1, de Celebr. Missar., et Sylvester, verb. *Jejunium*, num. 22, et alibi latius diximus. Solum est advertenda obligatio restitutionis, quæ interdum manet ratione rei acceptæ aut malæ acceptionis, quæ in præsenti locum habet in suspensione a beneficio; nam, si quis eo tempore, quo suspensus fuit a beneficio, accipit fructus vel aliquam partem eorum respondentem cum proportione alicui parti illius temporis, tenebitur postea ad restituendos illos fructus, vel si aliter restituere non potuerit, tenebitur tanto tempore abstinere a perceptione fructuum, quanto oportuerit ad illum effectum; illud tamen non est, quia suspensio duret, sed quia obligatio ad restituendum manet ex re injuste usurpata.

Quando suspensio tollatur per dispensationem.

14. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : suspensio ad certum tempus, vel etiam in perpetuum explicite lata, per dispensationem superioris tolli potest nondum elapso termino, vel licet illum non habeat. Prior pars certa est et communis. Et ratio est, quia temporis designatio, pro quo suspensio fertur, solum hoc operatur, ut talis pœna tanto tempore duret, si nulla causa superior impediens seu auferens illum intercedat, sed suo veluti ordinario cursui relinquatur; non tamen facit, ut talis pœna pro eo tempore irremissibilis sit, neque aufert a superiore potestatem solvendi subditum a tali pœna. Altera pars de perpetua suspensione eadem ratione cum

proportione applicata probari potest, et quia in hoc differt talis suspensio a depositione verbali, ut infra dicam; ergo saltem per absolutionem vel dispensationem tolli potest.

15. *Tertia conclusio. — Quis possit suspensionem hanc tollere.* — Dico ergo tertio : suspensio simpliciter lata propter delictum commissum absque ulla adjecta conditione vel temporis designatione, potest per absolutionem tolli. Hæc etiam sententia certa est, et constat ex usu, et ex ratione paulo antea facta, et ex natura, seu institutione suspensionis; est enim talis pœna, ut non sit positive perpetua seu irremissibilis, in quo inter alia differt a depositione et degradatione. Ergo suspensio hæc per aliquem modum auferri potest; non aufertur autem per solum lapsum temporis, quia nullum habet designatum ex vi formæ. Explicandum vero superest quis possit hanc gratiam concedere. In quo solum fere necesse est applicare dicta de censuris in communi, distinguendo suspensionem a jure vel ab homine, in ordine ad potestatem ordinariam vel delegatam. Et quidem de potestate delegata hic nihil dicemus, quia ut est ab homine non cadit sub scientiam; ut vero esse potest per privilegia, sufficiunt dicta de censuris in communi, et (Deo dante) in tomo de Religione plura dicemus. De suspensione item lata ab homine in puram pœnam certum est, ab illo solo tolli posse, qui illam tulit, vel superiore, ut est communis sententia Doctorum, in c. Tam litteris, de Testibus, et Summistarum, verb. *Suspensio;* et Antonin., tract. de Suspensione; Navarri, cap. 27, num. 262; et patebit a fortiori ex dicendis; solum itaque de ordinaria potestate et suspensione a jure restat dicendum.

Quis possit suspensionem a jure in pœnam latam auferre.

16. Dico ergo quarto : suspensio a jure lata, sive perpetua, sive ad certum tempus, tantum ab auctore canonis ante tempus elapsum dimitti potest. Ita Glossa, in cap. Cupientes, § Cæterum, verb. *Suspensos,* de Elect., in 6; Abbas, cap. Tam litteris, 33, de Testibus, n. 4, et c. 2 de Solutionibus; Felinus, et alii infra citandi. Ratio est, quia tunc suspensio sumitur absolute ac definite, ut pura pœna in vindictam delicti commissi; pœna autem sic imposita a superiore perpetua est seu stabilis et durante eadem voluntate superioris; ergo per illam solam et non per inferiorem auferri potest. Confirmatur, nam si talis suspensio fertur ad certum tempus, per illam designationem auctor illius juris declarare voluit, ut ante illum terminum non auferretur; atque ita virtualiter reservavit, ne in illo tempore ab alio inferiore auferretur. Quando vero auctor canonis sibi reservat absolutionem, sive tacite, sive expresse, nullus inferior potest absolvere, juxta c. Nuper, de Sentent. excomm. Accedit, quod, si talis pœna ante elapsum terminum ab ordinario Episcopo tolli posset, facile contemneretur, et delicta pro dignitate non punirentur. Quam rationem attigit Glossa, in c. Cupientes, § Cæterum, de Elect., in 6, verb. *Suspensos.* Quam adeo efficacem esse censeo, ut propter illam existimem neque ipsum Summum Pontificem seu auctorem canonis, debere facile a tali suspensione absolvere, neque licite id facere posse absque rationabili causa, sicut dici solet de dispensatione in suis legibus, quia eadem est utriusque ratio, et quia ad bonum commune id maxime expedit. Rursus utraque ratio cum proportione applicata locum habet in suspensione perpetua; nam etiam illa pœna facile contemnetur, si facile sit statim absolutionem ejus obtinere. Imo in minori æstimatione haberetur quam suspensio lata ad certum tempus, si hæc tantum a legislatore, illa vero a quolibet ordinario auferri posset, cum tamen suspensio perpetua gravior pœna sit, quam ad certum tempus. Unde etiam hic habet locum altera ratio, quia jus inferens suspensionem et declarans illam esse perpetuam, tam immutabilem vult esse, sicut ipsum jus; atque ita virtute includit reservationem, ut a nemine tolli possit, nisi ab eo, qui tale jus potuit condere vel auferre.

17. *Quod sit discrimen inter ablationem suspensionis et excommunicationis ad tempus latæ. — Responsio quorumdam rejicitur et vera resolutio inculcatur.* — Sed objicitur contra utramque partem, nam excommunicatio ad tempus lata potest ante illud tempus expletum per quemcumque ordinarium Episcopum auferri; ergo et suspensio; par enim est utriusque ratio. Et in universum, quando auctor canonis sibi non reservat absolutionem censuræ, eam concedere videtur inferiori pastori ordinario, c. Nuper, de Sent. excom.; ergo idem dicendum est de hac suspensione. Ad priorem rationem Covarr., in epitom. 4 Decretalium, 2 part., cap. 6, in princ., n. 16, refert et sequitur communem opinionem

Canonistarum, cum Glossa in Clementina 1 de Decimis, verb. *Donec,* quæ dato antecedenti de excommunicatione ad certum tempus lata, negat idem sequi de hac suspensione; nullam tamen differentiæ rationem assignat; neque, si proprie fiat comparatio, assignari posse existimo. Aut enim loquuntur proprie de excommunicatione majori, et sic repugnat excommunicationem ferri ad tempus; supra enim ostendimus ita esse proprie censuram et medicinalem pœnam, ut nunquam ferri possit in puram vindictam delicti commissi, sed ob contumaciam. Unde solum potest habere pro termino recessum a contumacia. Idemque censeo de excommunicatione minori, prout nunc est in usu Ecclesiæ, ut supra dixi, quia nemo privatur usu omnium sacramentorum, etiam pœnitentiæ, si per illum non stet, quominus absolvatur. Si autem excommunicationem vocent quamcumque prohibitionem, quæ fit de solo usu Eucharistiæ vel alterius sacramenti, ferri quidem potest ad certum tempus, ut in c. Nemo, de Consecratione, d. 1, cum similibus, et finito tempore, ipso jure tollitur seu cessat, sicut suspensio; et ante illud tempus expletum, si sit lata a jure, a nemine tolli poterit, nisi ab auctore ejusdem juris, propter easdem rationes, quas de suspensione adduximus, nisi fortasse ob levitatem rei aliter interdum sentiendum sit, quod etiam in suspensione locum habet, ut statim dicemus. Nulla est ergo differentia. Negandum ergo est antecedens cum proportione sumptum.

18. *Satisfit rationi sumptæ ex cap. Nuper, traduntúrque differentiæ inter suspensionem pœnalem et excommunicationem.* — Ad cap. Nuper, et rationem ex illo sumptam, respondent Panormitanus et alii auctores citati, ibi esse sermonem de excommunicatione, de qua non est eadem ratio, tum quia in illa majus vertitur periculum, et ideo facilius conceditur; tum quia illa pœna medicinalis est, et non absolute imponitur ad certum tempus, sed donec quis resipiscat. Ex quo nascitur alia differentia, quod illa tollitur per absolutionem; hæc autem suspensio, de qua agimus, non potest tolli, nisi per dispensationem. Inter quas est magna differentia notanda, quam alibi latius explicui, quod absolvens ut sic non dat aliquid contra jus, sed potius exequitur jus, per se loquendo, ut recte ait Glossa, dicto cap. Cupientes, et Panormitanus supra, et facit cap. Qua fronte, de Appellationibus, quatenus disponit, excommunicationem esse tollendam eo ipso quod a contumacia receditur. Dispensans vero ex parte diminuit jus; et ideo solet dici dispensatio, *vulneratio juris;* absolutio autem potius est juris executio. Et ideo non valet argumentum ab absolutione ad dispensationem, ut quia in absolutione intelligitur concessum, quod non reservatur, idem de dispensatione censendum sit. Igitur c. Nuper, loquitur de absolutione ab excommunicatione, et ad summum extendi potest ad suspensionem et interdictum, quatenus sunt propriæ censuræ, et per absolutionem propriam tolluntur; non vero ad suspensionem pro certo tempore latam, quæ non est censura, nec potest per absolutionem, sed per dispensationem tolli, ideoque natura sua est reservata, nisi expresse concedatur.

19. *Quis possit auferre suspensionem pro delicto præterito simpliciter latam.— Felini et Panormitani opinio.* — Hinc vero oritur dubium, an idem dicendum sit de suspensione lata pro delicto tantum præterito, indefinite tamen et sine temporis determinatione, neque cum determinatione perpetuitatis, sed absolute. Nam de hoc est controversia, an sequatur conditionem censuræ, vel puræ pœnæ. Panormitanus enim, in c. Tam litteris, quem ibi sequitur Felinus, censet etiam ab hac non posse absolvere Episcopum, nisi positive concedatur, nec esse satis ut non reservetur. Ratio ejus est, quia est perpetua ex intentione ferentis; ideo enim illam absolute et sine ulla conditione vel restrictione fert. Item talis pœna intelligitur ferri secundum jus, et pœna indefinite lata in jure censetur perpetua, leg. Servus, Codic. de Pœnis; notat Glossa in cap. Si autem, de Cohabitat. clericor. et mulier., et multa ad hoc congerit Felinus, in cap. Ex litteris, de Constit., num. 11 et sequent. Item habet hic locum ratio supra tacta, quod talis pœna gravior censetur, quam suspensio lata ad certum tempus, et quæ difficilius tolli possit. Confirmatur, quia generalis regula est, suspensionem, quæ non est pro contumacia, non posse tolli ab inferiori, ut tradunt omnes Summistæ, verb. *Suspensio;* Navarrus, c. 27, num. 162, qui alios refert, et plures referam sectione sequenti. Contrariam sententiam tenuit Glossa in Clementina 1 de Hæret., verb. *Excommunicationis;* distinguit enim inter suspensionem latam ad certum tempus, vel indefinite, et de priori docet sententiam traditam; de posteriori dicit sequi conditionem censurarum, posseque ab Episcopo tolli eo ipso quod non reservatur, quam absolute postea sequutus est idem Panormitanus, in

cap. Quam sit, de Excessib. Prælat., in fine. Et idem sentit Innocentius in c. 2 de Solut. Ubi hujusmodi suspensio indefinite fertur, et putat esse concessam Episcopo eo ipso quod non reservatur. Et multa alia sumi possunt pro hac sententia ex Felino supra, et Covarruvia, qui eam sequitur in 2 part. 4 Decret., cap. 6, in princip., n. 15. Ratio eorum esse videtur, quia talis suspensio differt ab ea, quæ positive fertur perpetua; ergo in hoc maxime differt, quod ex intentione superioris non fertur, ut perpetuo duret, sed ad justum arbitrium superioris; ergo hoc judicium, eo ipso quod non reservatur Papæ, censetur commissum Episcopo.

20. *Quid in hac controversia sentiendum.* — Mihi hæc posterior opinio videtur practice vera, quamvis censeam cum priori opinione distinctionem datam esse formalem, scilicet, suspensionem latam in puram pœnam non posse tolli ab inferiori, nisi concedatur; latam vero ob contumaciam posse, eo ipso quod non reservatur, ut infra dicam. Dico autem suspensionem indefinite latam propter delictum commissum, regulariter ferri pro contumacia, argumento c. Ex litteris, de Constit., et quæ ibi notat Innocentius, et alii, et ideo tunc non censetur perpetua, ut dicitur in dicto c. Ex litteris, poteritque sine dispensatione tolli, si persona sufficienter disponatur, et Ecclesiæ satisfaciat, ideoque sequitur regulam cap. Nuper, quia revera per absolutionem tollitur. Si autem contingat suspensionem pro crimine ferri simpliciter in puram vindictam, tunc revera esset perpetua, et non posset tolli per inferiorem, propter rationem prioris sententiæ. Vix autem credo reperiri in jure similem suspensionem, et Covarruvias supra pro regula ponit, suspensionem indefinite latam censeri restrictam ad tempus, pro quo durat contumacia, et favet non parum dict. cap. Ex litteris. Nec etiam ab homine solet aliter imponi, nam vel taxatur tempus, aut perpetua dicetur, vel si absolute fertur, habet conditionem subintellectam, donec tollatur. Quod maxime colligi poterit ex qualitate delicti, quod non solet esse dignum perpetuæ suspensionis; imponitur tamen sine certo termino, ut aliqua specialis satisfactio, vel emendatio a suspenso exigatur priusquam suspensio tollatur; et ideo talis suspensio regulariter censetur habere conditionem illius, quæ pro contumacia ponitur. Unde Abbas, in dict. cap. Ex litteris, fatetur suspensionem simpliciter a jure latam sine temporis determinatione, sæpe ferri pro contumacia, nam imponitur sub hac forma, *Si hoc feceris, suspensus sis,* vel æquivalenti, quæ sine dubio potest habere dictum sensum, sicut habet in excommunicatione, vel interdicto. Addit præterea idem Panormitanus, quando forma verborum dubia fuerit, præsumendum esse latam esse pro contumacia, quia in pœnis benignior est interpretatio adhibenda; est autem benignior pœna medicinalis, quam vindicativa, cæteris paribus, ut per se constat. Ergo cum illa forma indifferens sit, si aliunde non satis constiterit legislatorem aliud voluisse, præsumendum est concessisse illius pœnæ relaxationem ordinariis Prælatis, quando illam non reservavit, juxta conditionem pœnæ medicinalis. Quin potius addo, etiam suspensionem hanc, quæ interdum videtur ferri pro delicto commisso, non ferri sine ordine ad futuram satisfactionem, vel emendationem, licet non exprimatur, et in hoc sequi conditionem suspensionis pro contumacia; et in dubio ita esse interpretandam, nisi aliud ex circumstantiis constet. Et possunt ad hoc induci c. Si quis Episcopus damnatus, et c. Theugualdum, 11, quæst. 3, ubi prius fertur suspensio absoluta et indefinita, postea vero additur : *Si ausi fuerint aliquid de suo ministerio contingere, nullo modo liceat eis habere spem remissionis, nec locum satisfactionis.* Ubi clare significatur priorem pœnam latam esse sub spe remissionis sub tacita conditione, si exhibeatur debita satisfactio. In hoc ergo dicimus esse similem suspensioni pro contumacia, ac proinde non esse reservatam, nisi formaliter reservetur. Cujus etiam magna conjectura est, quia interdum hæc suspensio reservari solet, ut in dicto cap. Tam litteris, de Testibus, ibi, *Donec mereatur nostram indulgentiam obtinere,* et tamen fuerat suspensio ab officio et beneficio simpliciter lata pro crimine jam commisso. Ad exigendam ergo acerbiorem pœnitentiam et satisfactionem illius, et ut suspensio difficilius tolli posset, additur illa conditio; si ergo non esset addita, non esset reservata, sed subintelligenda fuisset similis conditio in ordine ad proprium Episcopum.

21. *Quis possit auferre suspensionem hanc ferendam secundum jus.* — Ex dictis inferre licet, prædicta locum habere in suspensionibus non solum latis ipso jure, sed etiam ferendis secundum jus. Ut, v. gr., si propter aliquod delictum lex præcipiat imponi suspensionem triennalem (ut c. Cum inhibitio, § ultimo, de Clandest. desponsat.), non poterit

Episcopus illam imponendo minuere, nec in illa imposita dispensare, ut recte Covarruvias supra prosequitur. Quia non potest inferior judex dispensare in lege superioris, nec absolvere reum convictum a pœna legis; ut enim ait Papinianus : *Facti quæstio in arbitrio est judicantis, pœnæ vero prosecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur.* Leg. 1 Digest. ad Senat. consult. Turpil., et Gratianus, 2, quæst. 3, post cap. Si quem. Tradit etiam D. Thom., 2. 2, quæst. 70, art. 5, quæst. 67, art. 4. At vero si lex canonica solum præcipiat indefinite suspensionem ferendam in eum, qui tale delictum commisit, integrum erit judici dum illam fert, pro tanto vel tanto tempore illam taxare; et tunc posset etiam idem judex (ut opinor) illam postea minuere, quia non esset dispensare in lege, sed in sua sententia, unde inferior illo, vel extraneus id non posset. Et eadem ratione si indefinite suspensionem tulisset, sicut lex designat, postea illam posset ad certum tempus limitare, vel post aliquod tempus auferre. Quia intentio legis sic designantis suspensionem, non est, ut ex vi sua perpetua positive et immutabiliter imponatur; hic enim nimius rigor est, qui nec per talem legem explicatur, nec solet esse accommodatus qualitati delicti; recte ergo hæc indefinita suspensio quoad suum terminum juridicum justo judicio subordinata censetur.

22. *Quando Episcopus possit suspensionem a lege taxatam tollere.*—Denique circa aliam regulam addunt communiter Doctores limitationem, scilicet Episcopum non posse suspensionem a lege taxatam pro delicto commisso tollere, nisi delictum sit ex illis, in quibus Episcopus potest dispensare, nam si potest dispensare in crimine, a fortiori in pœna legis; neque enim major jurisdictio ad unum, quam ad aliud requiritur. Imo dispensare in crimine, si jam crimen commissum est, nihil aliud esse potest, quam dispensare, vel relaxare pœnam propter crimen impositam aut imponendam; si vero nondum est crimen commissum, nihil aliud erit dispensare in illo, quam dispensare in lege, ut quamvis non servetur, crimen non committatur; qui autem hoc modo potest in lege dispensare, poterit etiam dispensare in pœna, ac relaxare illam. Habet autem hoc locum (ut bene dicit Abbas) solum *in casibus Episcopo concessis.* Qui autem sint illi casus, tractatur ab ipso et aliis in c. At si clerici, § De adulteriis, de Judiciis; et frequentius docetur non posse Episcopum simpliciter dispensare in legibus Pontificiis, aut Conciliorum, nisi ei concedatur, ut etiam Covarruv. notavit in dicto num. 15, et videri potest Glossa, in c. In quibusdam, de Pœnis, et ibi Doctores, Innocent., c. Delictum, de Tempor. ordin., 10 dist., § De adulteriis, num. 8. Ex hac vero limitatione colligitur, posse non Episcopum absolvere in omni hujusmodi suspensione contracta ipso facto, et ad forum contentiosum non deducta, dummodo occulta sit; nam hoc ei conceditur in Concilio Trident., sess. 24, cap. 6 de Reform. De quo decreto alia essent nobis dicenda, sed ea reservamus in materiam de irregularitate, quia de illa principalius ibi sermo est. Tandem limitari solet dicta sententia ad eas suspensiones, quæ propter gravia delicta incurruntur, quod eatenus verum esse censeo, quatenus in aliis criminibus levioribus Episcopus solet dispensare, et hoc ei in jure conceditur, juxta dictum c. At si clerici, § De adulteriis, atque ita limitatio hæc sub prima generali continetur.

23. Occurrebat hoc loco dicendum, an per privilegia absolvendi a censuris et pœnis detur facultas tollendi suspensionem hanc vindicativam. Nam profecto videtur consequenter dicendum non extendi, nisi in eis detur etiam facultas dispensandi. Sed quia quæstionem hanc in libro de Religione latius tracto, et infra de Irregularitate attingenda est, ideo illam nunc omitto.

SECTIO II.

Quomodo, et a quo tollatur suspensio, quæ ob contumaciam fertur.

1. *Suspensio ob contumaciam in duplici est differentia. — Prima conclusio. — Secunda conclusio. — Tertia conclusio.* — Circa titulum oportet advertere, particulam illam, *ob contumaciam,* ambiguam esse, quod notavit Abbas, in c. Ex litteris, de Constit., num. 10. Potest enim sumi in vi unius specifici delicti; et sic sicut fertur suspensio in puram pœnam propter alia delicta præterita, ita etiam potest ferri propter contumaciam; imo quoties lex prohibet aliquid sub tali suspensione, illa pœna non incurritur sine contumacia seu inobedientia illius legis. Et hoc modo interdum canones considerant majorem vel minorem contumaciam commissam etiam præteritam ad tantam vel tantam suspensionem vel pœnam imponendam, ut patet ex c. Ex tua,

de Cleric. non resident., et in Trident., sess. 6, c. 1 de Reform., et sess. 23, c. 5; non ergo in præsenti sumitur hoc modo, sed pertinet ad dicta in sectione præcedenti. Aliter igitur dicitur ob contumaciam imponi cum tractu successivo in futurum, id est, quamdiu in contumacia perseveratum fuerit, vel donec ab illa recedatur, et ita nunc loquimur. Potest autem sic suspensus in duplici statu considerari. Prior est antequam a contumacia recedatur; posterior, postquam ab illa disceditur, et parti, vel præcepto superioris satisfactum est. De priori statu tria videntur certa. Primum est, durante contumacia non debere dari absolutionem hujusmodi suspensionis, regulariter, ac per se loquendo, quia est contra vigorem Ecclesiasticæ disciplinæ; et ideo in detrimentum vergit boni communis. Dixi autem, *regulariter ac per se loquendo,* quia interdum secundum prudentiam posset aliud expedire, personæ ac negotii circumstantiis perspectis. Secundum est, hujusmodi suspensionem, etiam in eo statu existentem, posse per absolutionem tolli, ita ut factum teneat, etiamsi non juste fiat, juxta c. Venerabilibus, § Ubi autem, cum Glossa, de Sent. excomm., in 6. Tertium est, si hæc suspensio lata sit ab homine, tantum a judice, qui illam tulit, vel a superiore tolli posse; si vero sit a jure, solum ab auctore canonis, vel a superiore, si illum habeat. Omnes hæ assertiones fere constant ex his, quæ de censuris in communi diximus.

2. *Objicitur contra tertiam conclusionem cap. Nuper, de Sententia excommunicationis, in* 6. — Solum circa ultimam oportet advertere, illam videri posse contrariam cuidam communi sententiæ, quæ asserit, suspensionem a jure latam, si reservata non sit, posse ab Episcopo tolli. Quæ opinio præcipue fundatur in illis verbis c. Nuper, de Sententia excomm., in 6 : *Quia conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non reservavit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi,* quæ de excommunicatione ibi dicta sunt; tamen ad suspensionem extenduntur a Glossa in c. Cupientes, § Cæterum, verb. *Suspensos,* de Sententia excomm., in 6. Et præcipue in hac suspensione, quæ propter contumaciam fertur, eam extensionem approbant Panormitanus et alii Doctores, tum in dicto c. Nuper, tum etiam in c. Tam litteris, de Testibus, et in c. 2 de Solution., et consentiunt etiam Summistæ omnes. Soletque probari illa extensio a paritate rationis; ideo enim excommunicatio, dum non reservatur auctori canonis, aliis concedi censetur, quia propter contumaciam fertur; nam idcirco quam primum satisfactionem exhibet, in communionem restituitur, ut sumitur ex cap. Ex litteris, de Constit.; quando vero suspensio propter contumaciam fertur, imitatur quoad hoc naturam excommunicationis, scilicet, ut exhibita satisfactione congrua statim auferatur, argum. dict. c. Ex litteris, et cap. Qua fronte, de Appellat.; ergo simili ratione, sicut excommunicatio non reservata aliis concedi videtur quoad absolutionem, ita etiam suspensio; nam tota ratio illius esse videtur, ut excommunicatio auferatur quam primum possit.

3. *Solvitur objectio.* — Verumtamen hæ probationes, si in rigore loquamur, efficaces non sunt, quia videtur esse longe diversa ratio de excommunicatione et de suspensione; nam excommunicationis absolutio multo magis est ad salutem animæ necessaria, eo quod excommunicatio privat suffragiis et receptione sacramentorum, et ob hanc causam non solum Episcopo, sed etiam ordinario parocho censetur concessa absolutio excommunicationis non reservatæ. Ad quod specialiter expendo in dict. c. Qua fronte, verba illa : *Ne in excommunicatione decedat.* At vero absolutio suspensionis non est ita necessaria, quia non privat suffragiis, neque sacramentorum receptione, unde quod quis in suspensione decedat, per se non est aliquod spirituale incommodum; non est ergo eadem ratio de suspensione, quæ de excommunicatione; ergo propter solam paritatem rationis non recte fit extensio dict. c. Nuper. Adde quod neque auctores videntur ausi fuisse æqualiter eam facere, nam in dict. c. Nuper, æque fit concessio Episcopo et proprio sacerdoti; auctores autem communiter non dicunt posse parochum absolvere a suspensione, sed solum Episcopum aut vicarium ejus, ut videre licet in Navarr., cap. 27, num. 162; ergo signum est non esse parem rationem in utraque censura; nam, si esset, cur non esset etiam æqualis extensio et concessio; difficile ergo est ex dict. c. Nuper, hanc sententiam colligere. Alia vero capitula, Ex litteris, et Qua fronte, non melius id probant; nam ibi solum dicitur, esse absolvendum eum, qui a contumacia recedit; est intelligendum autem, ut per se constat, esse absolvendum ab habente potestatem; quis autem habeat potestatem ibi non explicatur; id autem est, quod inquiri-

mus; eo vel maxime quod in dict. c. Ex litteris, in quo Navarrus majorem vim facit (fortasse quia privationem, de qua ibi est sermo, putat esse suspensionem), in illo (inquam) capite, pœna, quæ refertur, non erat a jure, sed ab homine lata, mandaturque ut absolvat, qui pœnam tulerat; quomodo ergo potest inde probari, quod in suspensione a jure inferior possit absolvere a suspensione lata a superiore?

4. Accedit tandem, quod, licet inferiori concedenda esset hæc potestas, ad summum id intelligendum esset post satisfactionem exhibitam et ablatam contumaciam; cur enim præsumendum est, quando auctor canonis aliquem ob contumaciam suspendit, voluisse concedere inferiori facultatem tollendi illam suspensionem durante contumacia, cum hoc directe repugnet intentioni, quam habet in tali canone ferendo? Quæ ratio ultima mihi convincere videtur, sistendo in illo statu, de quo nunc loquimur; nam de alio post contumaciam ablatam statim dicam; et ideo absolute, et sine limitatione proposui assertionem de suspensione lata a jure, sive reservata sit, sive non. Sententia autem communis, ut verum habeat, intelligenda erit de suspensione illa in eo statu, in quo jam a contumacia recessum est, quamvis nonnulli moderni oppositum sentiant, quod jam examinandum est.

5. *A quo possit auferri suspensio ejus qui a contumacia recessit. — Prima opinio.* — Superest ergo, ut dicam de posteriori statu, nimirum si quis erat suspensus propter contumaciam, et a contumacia recessit, satisfactionemque congruam exhibuit, a quo possit, vel debeat absolvi. In qua re est prima sententia, illum non indigere hominis absolutione, quia ipso facto, seu jure absolutus est. Ita Innocent., in c. Sicut, de Cohabit. cleric. et mulier.; Felin., in c. Ex litteris, de Constit., num. 18; et Covarruvias, in epitome 4 Decr., 2 part., c. 6, in princ., num. 15 et 17. Fundamentum est, quia hæc suspensio æquiparatur suspensioni latæ usque ad certum terminum; nam perinde est limitare tempus sub determinato numero dierum, aut mensium, vel sub certa aliqua conditione, quæ licet non ita determinet numerum dierum, tamen illa completa tempus intentum seu præscriptum finitur. Ut si quis suspenderetur a beneficio sub hac temporis limitatione, *quamdiu duraverit fabrica hujus templi,* non haberet quidem numerum; nihilominus tamen esset sufficienter præscriptum, ut, finita templi fabrica, ipso jure finiretur suspensio; simili ergo modo, quando suspensio propter contumaciam fertur, virtute continet hanc conditionem, seu limitationem, *Donec a contumacia recedas,* ut probatur optime ex cap. Ex litteris, de Constitut.; ergo, expleta illa conditione, finitur tempus, pro quo talis suspensio lata est; ergo cessat etiam ipso jure ipsa suspensio absque alia absolutione. Patet consequentia, tum a paritate rationis, quia in utroque casu finitur terminus suspensionis; tum etiam quia cessante causa, cessat effectus; ergo, cessante contumacia, debet cessare pœna ejus; tum denique ex dict. cap. Ex litteris, ubi quia ablata erat contumacia, mandat Pontifex, ut, qui ab actibus magisterii suspensus erat, ad eosdem admittatur, nulla facta mentione præmittendi absolutionem. Confirmatur, nam si suspensio feratur sub hac conditione, *Donec restituas,* vel simili, ut in cap. Quia sæpe, de Elect., in 6, impleta conditione, cessat suspensio sine alia absolutione; ergo idem in præsenti. Consequentia tenet ex dictis a paritate rationis. Antecedens est Glossæ in dict. cap. Quia sæpe, verb. *Donec,* et in cap. 2 de Censibus, in 6, et in cap. ult. de Offic. ordin., in 6. Et videtur probari in cap. Presbyteri, 2, quæst. 5.

Suspensionem latam ob contumaciam per absolutionem tollendam esse.

6. *Evasio. — Eluditur.* — Secunda opinio est, post satisfactionem seu recessum a contumacia necessariam esse absolutionem. Ita docet expresse Innoc., in cap. Ex litteris, de Constit. Et idem supponunt auctores, qui negant auferri suspensionem absque absolutione; nam hoc maxime verum esse potest in illa, quæ est pro contumacia. Id autem negat Gloss., in cap. Si quorumdam, de Solut.; Sylvest., verb. *Suspensio,* num. 8; Ripa, c. 1 de Judic., num. 5; et ibi Decius, lect. 2, num. 8; Cardinalis, et Immola, Clement. 1 de Decimis. Fundatur autem hæc sententia primo in generali ratione propriæ censuræ, de cujus ratione esse videtur, ut cum propter contumaciam feratur, non nisi per absolutionem tolli possit, ut supra in disput. ult. de censuris ostendimus. Responderi potest hoc esse verum generatim loquendo de absolutione a jure vel ab homine, conditionata vel absoluta; tamen in hujusmodi suspensione includi semper absolutionem conditionatam

ipso jure latam, quæ statim operatur ac conditio impletur; tunc autem impletur, quando a contumacia receditur, quia illa sola erat conditio requisita. Sed contra hoc est, quia licet fortasse non repugnat absolutionem a censura hoc modo tribui, tamen quod ita semper feratur, quoties pro contumacia fertur, gratis et sine fundamento dicitur. Et si considerentur ea, quæ supra de censuris in communi diximus, disput. 8, sect. 1 et 4, multa occurrunt, propter quæ hoc non videatur verisimile.

7. *Solvuntur fundamenta prioris sententiæ.* — Præterea illa principia, in quibus fundatur contraria sententia, male ad propositum applicantur, scilicet, quod cessante causa, cessat effectus, et quod pœna pro contumacia lata non plus durare potest quam contumacia; quæ quidem si valida essent, idem de excommunicatione concluderent; et ideo facilem habent responsionem, quia contumacia est causa seu dispositio necessaria ut feratur censura, non vero ut conservetur; neque enim necessarium est, ut culpa æque diuturna sit, ac pœna, quæ pro illa imponitur. Atque eadem ratione verum non est suspensionem pro contumacia latam esse conditionatam quoad durationem suam, aut virtute includere absolutionem conditionatam ipso facto obtinendam statim ac fuerit contumacia ablata. Nam interrogo, unde habeatur, aut colligatur hæc conditio hoc sensu intellecta; aut enim ex eo, quod suspensio pro contumacia fertur; et hoc non, alias idem dicendum esset de omni propria censura : aut ex aliqua conditione particulari suspensionis, vel ex alio capite; et hoc etiam dici, vel probabili ratione explicari non potest. Præterea quod supra de censura in communi dicebam, in suspensione verum habet, quod, licet pro contumacia feratur, ad bonum commune spectare potest, ut non statim ablata contumacia ipso facto auferatur, tum ut juridice constet Ecclesiæ de satisfactione, quod attigit Innocent. supra dicens, quando dicitur, *quousque satisfaciat, possunt esse multæ dubitationes, quia unus diceret plene satisfecisse, alter negaret;* tum etiam, ut, si necesse sit, condignam pœnitentiam suæ contumaciæ simul cum absolutione quis accipiat; ergo, quamvis aliquis pro contumacia suspendatur, talis lex vel sententia non facit illum sensum conditionatum, ut, si a contumacia recesserit, absolutus maneat ipso facto, sed ut absolvendus sit.

8. *Probatur assertio per analogiam ad excommunicationem.* — *Evasio.* — Et confirmatur; nam similis sententia pro eadem causa, vel cum simili conditione in censura excommunicationis prædictum reddit sensum; cur ergo non idem dicetur de censura suspensionis? Antecedens constat ex cap. Qua fronte, de Appellat., et cap. Ex parte, 1, de Verb. significat., et aliis. Consequentia probatur, tum quia hæ censuræ sæpe æquiparantur in jure, ut in cap. 1 et in cap. Is cui, et in cap. Statutum, de Sent. excomm., in 6. Et specialiter in hoc puncto, de quo agimus, videntur æquiparari in cap. Super eo, et facit etiam cap. Venerabili, de Sent. excomm. Tum etiam, quia nullo jure cautum est, ut sententia suspensionis lata pro contumacia illum conditionatum reddat sensum potius quam excommunicatio eodem modo lata. Proprietas item verborum non magis reddit hunc sensum in una, quam in alia. Denique, quia nulla ratio assignari potest, ob quam excommunicatio pro contumacia non tollatur ipso facto ablata contumacia; tollatur autem suspensio, etiam pro contumacia lata. Respondent aliqui, esse disparem rationem, quia excommunicatio ejicit hominem ab Ecclesia, et præscindit membrum a corpore; et ideo, ut iterum ei uniatur, et in Ecclesiam recipiatur, necessaria est aliqua operatio ministrorum Ecclesiæ; sicut enim a principio nemo recipitur in Ecclesia nisi per ministerium, seu actionem aliquam ipsius Ecclesiæ, ita etiam postquam semel aliquis ejectus est ab Ecclesia, in ea non recipitur nisi per ministerium ejusdem Ecclesiæ. Quæ ratio in suspensione locum non habet, cum per eam non ejiciatur quis ab Ecclesia. Hæc vero responsio, licet apparenter excogitata sit pro materiæ capacitate, tamen ad constituendam tantam diversitatem sine ullo jure non videtur sufficiens, quia excommunicatus non illa ratione dicitur extra Ecclesiam ejici, nisi quia privatur omni communicatione membrorum, et bonorum Ecclesiæ; privatur autem per quamdam prohibitionem, qua cessante, statim excommunicatus ad Ecclesiam restituitur; ergo propter illum finem non erat necessaria actio ministri Ecclesiæ absolventis. Eo vel maxime, quod sufficere posset, receptionem seu reunionem ad Ecclesiam esse proportionatam ejectioni, seu præcisioni; sed hæc ejectio sæpe est per sententiam generalem, et conditionatam, *Si hoc feceris,* etc.; ergo similis restitutio ad Ecclesiam sufficere

posset per sententiam absolutionis generalem vel conditionatam inclusam in ipsa censura pro contumacia lata, et in illo sensu explicata, *Si satisfeceris,* vel, *si a contumacia recesseris, absolutus maneas.*

9. *Idem suadetur argumento ab excommunicatione minori sumpto.* — Præterea excommunicatio minor, prout nunc est in usu Ecclesiæ, non aufertur nisi per absolutionem, quamvis non ejiciat hominem ab Ecclesia, et idem infra ostendemus de interdicto personali lato ob contumaciam ejus, qui interdictus est, et colligi potest ex dict. cap. Qua fronte; ergo signum est necessitatem absolutionis non oriri ex illo capite, sed ex generali ratione censuræ, quæ secum affert illud gravamen, ut non nisi per absolutionem ab homine tollatur. Quin potius, si aliqua censura tollenda esset ipso jure ablata contumacia, deberet certe esse excommunicatio major; nam quia illa magis videtur pendere a contumacia, quam reliquæ, et majus nocumentum animæ affert, faciliorem viam et modum absolutionis videbatur postulare; ergo, si de excommunicatione id statutum non est, nec de suspensione est dicendum.

10. *Nullo jure statui suspensionem hanc ipso jure tolli.* — Superest tamen ut probemus, nullo jure statutum esse, suspensionem ob contumaciam prædicto modo tolli ipso jure. Hoc autem non aliter probamus, quam ostendendo, ex juribus, quæ ad hoc citantur, id non colligi; nam si præter illa essent alia, citarentur ab auctoribus contrariæ sententiæ. Primum ergo allegabatur cap. Ex litteris, de Constit., de quo in primis non constat sermonem in eo esse de suspensione; nam textus absolute loquitur de privatione communionis. Deinde ibi generatim dicitur, privatum communione ob contumaciam, si satisfactionem congruam exhibeat, recipiendum esse; non tamen ibi dicitur esse jam receptum, vel esse recipiendum absque absolutione prævia; et applicata illa regula ad propriam excommunicationem intelligenda est de media absolutione; ergo eodem modo erit intelligenda decisio illius textus, quamvis demus, pœnam illam fuisse suspensionem. Quod optime confirmatur ex dict. cap. Super eo, de Sent. excomm., ubi simul et expresse de excommunicatione, et suspensione pro contumacia latis, eodem verbo dicitur, sic ligatum, *si promittat parere, posse recipi,* scilicet, per absolutionem; nam de excommunicatione necessario ita exponendum est; ergo de suspensione, cum sub eodem verbo et tenore utraque censura comprehendatur. Aliud caput erat, 2, quæst. 5, cap. Presbyter si a plebe. Verumtamen in illo textu non est sermo de suspensione ob contumaciam, sed ob infamiam de quodam delicto, et ideo satisfactio, quæ ibi postulatur, non est quod recedatur a contumacia, sed legitima purgatio, et juramentum cum certa solemnitate, quod tale crimen commissum non fuerit. Et ideo mirum non est, quod talis suspensio ipso jure cesset, exhibita illa satisfactione, quia solum erat imposita propter infamiam, et propter scandalum populi tollendum. Deinde dico ibi non excludi beneficium absolutionis; illa enim suspensio ab homine imponenda est, ut ex textu et Glossa constat; ergo per sententiam absolvendus est. Unde Innoc. supra, textum illum pro hac secunda sententia allegat.

11. *Auctoritati negativæ juris ad idem probandum satisfit.* — Addunt præterea auctoritatem juris negativam, cum argumento ab speciali; nam de excommunicatione majori specialiter cautum est, illam non tolli per solam resipiscentiam absque absolutione, in cap. A nobis, 2, et cap. Quod in dubiis, et cap. Cum desideres, de Sent. excomm.; de suspensione autem hoc non invenimus statutum; ergo signum est illud esse speciale in excommunicatione, et ideo non esse extendendum. Maxime cum pœnæ non sint ampliandæ. Et magis videtur urgere cap. Qua fronte, in quo de excommunicatione et interdicto statuitur absolutionem de illis esse præstandam sub juratoria cautione, non obstante partis contradictione, vel appellatione; de suspensione autem nulla mentio fit. Verumtamen hæc etiam probatio efficax non est, tum quia non omnia, quæ expressius declarantur in jure de una censura, quam de aliis, sunt illi ita specialia, ut aliis non conveniant, ut per se notum videtur ex supra tractatis de censuris in communi, et ex titulo ipso de Sent. excomm.; hæc enim est frequentior, et magis usitata, et maxima censura; et ideo fit sæpius de illa sermo in jure, et in ea proprietates censuræ expressius declarantur; non tamen propterea existimandæ sunt speciales illius, nisi aliunde ex propria ejus ratione constet, quod dici non potest de hac, quam nunc inquirimus. Tum etiam, quia de suspensione non omnino hoc tacetur, sed aliquando conjungitur suspensio excommunicationi quoad effectum absolutionis, ut in

dict. cap. Super eo. Per quod etiam respondetur ad cap. Qua fronte; ibi enim de suspensione non fit sermo, quia fortasse in ordine ad illum effectum obtinendi absolutionem contradicente vel appellante alio, non est eadem ratio de suspensione, quæ est de excommunicatione vel interdicto, quia illius absolutio non est ita necessaria ad bona animæ; tamen non propterea excluditur, quin absolutio a suspensione absolute loquendo necessaria sit. Unde Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 11, num. 5, post longam disputationem concludit cum multis Canonistis, quoad hoc non esse discrimen inter excommunicationem, et suspensionem, licet de utraque oppositum sentiat in eo casu, de quo ibi disputat, scilicet, quando fertur excommunicatio sub ea conditione, *Donec satisfeceris*. Cum autem nos supra de excommunicatione oppositum ostenderimus, idem nunc de suspensione dicere cogimur.

12. *Ratione eadem conclusio suadetur.* — *Evasio eluditur.* — *Solutio alia rejicitur.* — Quod tandem confirmatur, quia alias nunquam esset necessaria absolutio a suspensione pro contumacia lata, saltem loquendo de justa absolutione, ac per se. Consequens est falsum : ergo. Sequela patet, nam vel suspensus recessit a contumacia, vel non; si recessit, jam non indiget absolutione; si non recessit, absolvendus non est, regulariter ac per se loquendo. Et ideo nihil refert, quod aliqui respondent, absolutionem posse dari, etiamsi non recedatur a contumacia, et pro eo statu esse posse necessariam; nam tunc vel non juste datur, vel certe non est danda nisi in aliquo raro et extraordinario casu, cum tamen hæc absolutio juste et frequenter necessaria existimetur. Et præterea, licet in eo casu possit dari ab eo, qui suspensionem tulit ipso jure, vel a superiore, non tamen ab inferiore, ut supra ostendi; at vero Doctores communiter affirmant, posse tolli per absolutionem ab ordinario Episcopo, si sit a jure, et non sit reservata; ergo intelligunt posse post ablatam contumaciam; non ergo est tunc ipso jure ablata. Rursus respondent, absolutionem simpliciter a suspensione non esse necessariam, tamen absolutionem ad cautelam sæpe esse necessariam, et hanc etiam juste posse concedi ab ordinario Prælato; sumuntque argumentum ex cap. Venerabili, de Sent. excomm., in quo de hac absolutione ad cautelam sermo est. Sed hoc non satisfacit, primo quia absolutio etiam ad cautelam non datur, nisi postquam constat, aliquem recessisse a contumacia, si illam habuit, vel saltem nunc illam non habere; non enim dicitur absolutio ad cautelam, propterea quod non æque postulet carentiam contumaciæ, ac absolutio simpliciter, sed propterea quod de censura prius contracta dubitatur, et ad majorem securitatem datur absolutio; ergo absolutio ad cautelam supponit necessitatem absolutionis simpliciter, etiam ablata contumacia; nam sicut se habet absolutio ad cautelam in casu dubio, ita absolutio simpliciter in casu certo. Deinde hoc maxime urget in foro interiori; nam, licet in exteriori possit interdum dubitari, an suspensio cessaverit, necne, tamen in interiori hoc dubium locum non habet, si revera suspensio cessat ablata contumacia ; nam in eo foro satis constat, an contumacia ablata sit, necne. At vero nihil magis est in usu, quam absolutio a suspensione in foro pœnitentiali sub illa conditione, *Si indiges*, quæ est absolutio ad cautelam; ergo signum est suspensionem hanc non tolli per solam resipiscentiam, vel satisfactionem exhibitam.

13. *Declaratur assertio.* — Tandem declaratur, quia hæc suspensio ob contumaciam interdum fertur cum reservatione; ergo supponitur esse necessariam absolutionem ejus; quia non reservatur, nisi absolutio; ergo, si hæc non esset necessaria, nihil esset, quod reservari posset; nam, ablata contumacia, et facta condigna satisfactione, tolleretur censura ipso jure. Dicetur fortasse, quando additur reservatio, tunc specialiter explicari talem suspensionem non fieri sub ea conditione, et modo, ut per solam satisfactionem auferri possit. Vel certe dicetur eam suspensionem tunc non ferri solum pro contumacia, sed etiam in pœnam delicti commissi, et ea intentione, ut propter gravitatem delicti duret talis pœna, donec per absolutionem auferatur. Sed, quanquam hæc vera sint, tamen hic optime declaratur, hanc esse quasi naturam, et conditionem hujus censuræ, quoties pro contumacia fertur, quia reservatio adjuncta non mutat naturam vel modum ejus, sed solum limitat absolvendi potestatem.

14. *An suspensio lata sub conditione, donec restituas, etc., impleta conditione ipso jure auferatur.* — *Discrimen inter suspensionem ob delictum commissum, et ob contumaciam.* — Hæc igitur omnia videntur quidem satis persuadere, suspensionem hanc latam pro contumacia, quando absolute fertur, non au-

ferri ipso jure ablata contumacia, donec per absolutionem hominis tollatur. Quando vero additur illa conditio, *Donec resipiscat*, *satisfaciat, restituat,* vel aliquid simile, tunc res est magis dubia propter quamdam rationem superius allatam, quod talis conditio videtur præscribere terminum, pro quo duratura est suspensio. Nihilominus tamen, consequenter loquendo, videtur idem sentiendum, etiamsi suspensio sub prædicta forma feratur, quia illa eadem conditio virtute includitur in quacumque suspensione, vel censura lata ob contumaciam; et ideo sensus illius non tam est affirmativus, quam negativus, scilicet ut absolvi non possit vel debeat sic suspensus, priusquam satisfaciat; vel, si affirmative explicetur, non est sensus, quod statim sit absolutus, sed quod absolvendus sit. Unde illa conditio non limitat proprie terminum durationis suspensionis, sed terminum, pro quo non est absolutio concedenda. Et in hoc differt plurimum inter suspensionem, quæ est pure pœna ob delictum commissum, vel quæ est censura ob contumaciam; nam illa, quando præfigit terminum, non imponitur nisi pro illo tempore, pro quo censetur sufficiens, et condigna pœna; et ideo terminatur duratio ejus per se, et ipso jure, absque alia absolutione. At vero suspensio, quæ pro contumacia fertur, cum sit propria censura, simpliciter imponitur, ut duret, donec absolutione tollatur; hæc enim est pœna, quæ juxta morem Ecclesiæ proportionata et condigna pro contumacia reputata est; quanquam, quia pœna medicinalis est, auferri debeat per absolutionem, statim ac contumacia receditur juxta canonum institutionem supra declaratam.

15. *A quo possit dari absolutio a suspensione ob contumaciam lata.* — Supposita ergo necessitate absolutionis, superest dubium, a quo possit dari. In quo breviter dicendum est, in suspensione ab homine, jure ordinario absolutionem ab eo tantum dari posse, qui illam tulit, vel a superiore. In suspensione autem a jure, si reservata sit, ab auctore juris, vel a superiore, si autem non sit reservata, ab ordinario etiam tolli poterit, juxta communem sententiam tractatam in priori puncto. Quæ licet ex jure evidenter non probetur, habet nihilominus in eo fundamentum, et usu recepta est, et ideo practice est certa, quia sola consuetudo dat interdum jurisdictionem. Et ita hæc omnia certa sunt, et juxta dicta de censuris in communi intelligenda, et ad potestatem ordinariam, vel delegatam juxta ibi dicta applicanda.

SECTIO III.

Utrum præscripta sit aliqua certa forma absolvendi a suspensione.

1. *Conclusio prima. — In forma absolutionis a suspensione non oportet exprimere causam ejus. — Neque speciem suspensionis.* — Hæc res tractata est sufficienter de censuris in communi, et fere nihil hoc loco addendum occurrit. Dicendum est enim nullam certam formam verborum hic esse præscriptam, aliquam tamen necessariam esse, quæ sufficienter declaret effectum. Unde usitata forma esse solet: *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, in quam incurristi; et restituo te ad executionem tui muneris,* vel, *Ordinis,* vel, *ad tuum beneficium.* Ita sumitur ex Sylvest., Tabien., Angelo, verb. *Absolutio;* et Anton., in tract. de Suspens.; Navar., c. 27, num. 101, et aliis; et patet, quia illa verba sunt satis apta ad significandam absolutionem ab hac censura, et communi usu consentanea. Neque alia sunt necessaria. Nam in primis non oportet exprimere causam, propter quam suspensio incursa est; nam ad indicandum effectum absolutionis, qui est tollere suspensionem, non oportet exprimere causam suspensionis; nam hoc extrinsecum est. Unde in absolutione generali, quam solemus ad cautelam dare ab omni vinculo suspensionis, nullam explicamus causam. Quando autem absolutio est alicujus suspensionis particularis, ut ad illam determinate dirigatur absolutio, sufficit intentio absolventis, quamvis in verbis non fiat determinatio per explicationem causæ. Atque eadem ratione non est necessarium exprimere speciem suspensionis, quia, si absolutio est generalis, sub genere comprehenduntur species omnes, si verba, aut saltem intentio universalis sint, ut cum dicimus, *Absolvo te a peccatis tuis,* omnia peccata in specie intelligimus; idem ergo erit, si dicatur, *Absolvo te a suspensione, quam incurristi;* nam hæc verba, etiamsi videantur indefinita, in hujusmodi locutionibus æquivalent universalibus, ut sæpe in superioribus dictum est; unde si ex generali intentione procedant, erunt sufficientia; majoris tamen claritatis gratia, si a pluribus suspensionibus datur absolutio, congruum est addere signum distributivum, *A vinculo suspensionis.*

2. *Verba usitatæ formæ, restituo te, etc.,*

non sunt de necessitate absolutionis. — *Imo nec de præcepto.* — Utile item est addere illam particulam, *quam incurristi;* nam illa sufficienter determinat genericam vocem. Quanquam neque illam addere existimo necessarium, quia in ipsa absolutione satis includitur, quod is, qui a suspensione absolvitur, illam incurrit; et ideo, quando res est dubia, additur illa conditio, *Si quam incurristi.* Tandem neque illa verba, *Restituo te,* etc., licet claritati inserviant, existimo esse necessaria, quia sine illis significatur sufficienter effectus hujus formæ, et quia is, qui absolvit, non aliter restituit quam tollendo vinculum; illo enim ablato, ex vi officii, seu beneficii, quod antea habebat is, qui absolvitur, manet habilis ad eorum usum; ergo per hanc absolutionem nulla alia restitutio fit per se, ut ita dicam, sed tantum per accidens, scilicet removendo prohibens, quæ remotio satis per verbum absolutionis significatur. Propter quam rationem illa verba, *et restituo te,* etc., videri possunt superflua, quia indicare videntur aliquem alium modum positivæ restitutionis, præter ablationem impedimenti; non tamen reprehendo usum illorum propter Doctorum auctoritatem, et majorem explicationem legitimo sensu illius verbi, *restituo,* qui est per absolutionem suspensum restitui ad pristinum statum, in quo ante suspensionem erat. Addo vero, prædicta verba non solum non esse de necessitate formæ, verum etiam nec de necessitate præcepti; et consuetudo non est tanta, nec tam certa, quæ judicari possit sufficiens, ut induxerit præceptum. Verba ergo substantialia sunt : *Ego te absolvo a suspensione,* vel alia similia, seu æquivalentia. Quod tamen intelligendum est juxta superius dicta de censuris in communi, ubi tractavimus, an debeant esse vocalia, vel sufficiant scripta, et quid de aliis signis dicendum sit.

De solemnitate in forma absolutionis a suspensione.

3. *Secunda conclusio.* — Secundo dicendum est, nullam certam solemnitatem esse ab Ecclesia institutam, quæ ex præcepto servanda sit in hac absolutione ferenda. Probatur, quia nullo jure extat dicta solemnitas, neque etiam in communi usu habetur. Solum ait Navarrus citato loco, in hujusmodi absolutione exigendum esse jusjurandum ab eo, qui absolvitur, scilicet de satisfaciendo, aut de obediendo, citatque c. Super eo, et c. Venerabili, de Sent. excom. Tamen in priori non est sermo de sola suspensione, sed conjuncta cum excommunicatione; et ideo mirum non est, quod, per se loquendo, esset necessarium juramentum, quanquam in eo casu dispensaverit Pontifex, ut *promissio manualis* sine juramento admitteretur. In posteriori autem loco est sermo de absolutione ad cautelam, et quæ in alterius præjudicium cedere poterat; et in omni casu simili verum existimo exigendum esse juramentum, vel aliam sufficientem cautionem, maxime quando res est gravioris momenti; extra hujusmodi autem casum non erit tale juramentum necessarium.

4. *Signa ad cognoscendum quando absolutio detur ab una suspensione vel ab omnibus.* — Hic vero occurrebant quæstiones illæ, an ad hanc absolutionem necessaria sit præsentia localis, vel ferri possit in absentem, et ignorantem, et non voluntarium, vel invitum; verum hæc omnia, et similia eodem modo expedienda sunt, quo in censura in communi. Unde hic etiam oportet advertere, quod ibi tractavimus, fieri posse, ut aliquis sit suspensus pluribus suspensionibus, vel diversarum rationum, vel tantum numero diversis, ut per se notum est; ideoque posse etiam contingere, ut ab una absolvatur, et non ab alia, quia non habent inter se necessariam connexionem, ut ex dictis ibi patet, quia nulla est hic specialis ratio. Et ideo diligenter inspiciendum est, an absolutio limitetur ad unam suspensionem, vel extendatur ad omnes; limitabitur autem ad unam, primo quando in forma absolutionis explicatur causa suspensionis; nam tunc solum tollitur illa, quæ propter talem causam contracta est, et alia, quæ orta fuerit ex diversa causa, manebit. Secundo, si una sit lata ab uno judice, et alia ab alio, si unus absolvat, tollit suspensionem, quam ipse intulit, non aliam, nisi absolvat simpliciter ex facultate alterius; idemque proportionaliter est, si una sit a jure, alia ab homine. Item si una sit propter delictum, et alia propter defectum, priori ablata non tollitur posterior; nam potestatem longe diversam requirit; ut si quis ante legitimam ætatem sine dispensatione ordinatus sit, licet absolvatur a suspensione, quam propter illud delictum incurrit, non tamen manet statim habilis ad ministrandum in Ordine suscepto, donec vel ætatem impleat, vel in illo etiam defectu specialiter dispensetur; nam illa po-

tius est irregularitas quædam, de quo alias. At vero, quando potestas absolventis ad omnes suspensiones extenditur, et ab illo petitur absolutio, vel generatim ab omni suspensione, vel speciatim explicando modos et causas illarum suspensionum, tunc unica, et simplici absolutione omnes tolluntur, sive expresse addatur distributio, sive indefinite concedatur absolutio a suspensione, dummodo simpliciter et absque ulla limitatione detur, quia, cum illa absolutio sit indifferens, nihil operaretur, nisi omnes tolleret, quia non est major ratio de una, quam de alia; nisi fortasse per intentionem operantis limitaretur, quod sine dubio fieri posset; tamen, quando non constat alias de tali intentione, præsumendum est esse consentaneam verbis, et consequenter esse generalem et absolutam, sicut verba ipsa sunt, juxta communem eorum usum, ut diximus.

DISPUTATIO XXX.

DE DIFFERENTIA SUSPENSIONIS A DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

Depositionis nomen æquivocum. — Quamvis depositio et degradatio proprie censuræ non sint, ut in principio hujus materiæ diximus, tamen quia solemnes Ecclesiasticæ pœnæ sunt, et cum censuris, præsertim cum suspensione, maximam affinitatem habent, ad hujus materiæ complementum necessarium est aliquam earum mentionem facere. Atque ad id præstandum hic locus accommodatissimus visus est, ut suspensionis natura, quam hactenus absolute consideravimus, nunc per comparationem ad has pœnas exactius intelligatur. Est autem circa nomen *depositionis* advertendum, æquivocum esse, sicut et verbum *deponere,* a quo deducitur. *Deponere* enim aliquando idem significat, quod rem alicui custodiendam tradere, et res sic tradita *depositum* dicitur; actio vero ipsa tradendi dicetur *depositio;* quomodo frequenter accipitur in utroque jure sub titulis de Deposito. Et inde fortasse derivatum fuit in jure ad significandam testium depositionem, seu testificationem; nam qui testimonium suum profert, quodammodo veritatem sibi cognitam fidei judicis committit. Atque sic accipitur nomen *depositio* in L. 3, C. Si minor se majorem dixerit. Alio vero modo verbum *deponere* significat idem quod auferre, aut derelinquere aliquid, quomodo inter alia dicitur quispiam deponere officium, vel imperium. Et hinc etiam nomen depositionis significat illam actionem per quam aliquis, vel deponit, vel deponitur ab officio, vel a qualibet dignitate. Et quidem, si depositio fiat ab ipsomet, qui deponitur, omnino sponte et voluntarie, non habet rationem pœnæ; si vero quis invitus ab alio deponatur, tunc depositio pœnalis est; et si versetur circa munus, vel dignitatem Ecclesiasticam, erit specialis pœna Ecclesiastica, ad quam significandam in jure canonico accommodata est hæc vox; et in hac significatione nunc de illa generatim tractamus. Nam etiam in hac acceptatione plures habet significationes, et æquivoca esse videtur, ut ex dicendis constabit. Duplex autem significatio hic necessario præmittenda est, quia interdum videtur accipi generice, ut comprehendit degradationem; nam illa etiam depositio quædam est; interdum vero magis specifice, ut significat pœnam quamdam a degradatione, et a suspensione distinctam, quæ depositio verbalis appellatur; nam degradatio, depositio realis esse censetur. Prius igitur de depositione verbali, quæ frequentius depositio vocatur; postea de reali, seu degradatione dicemus.

SECTIO I.

Quomodo suspensio a depositione differat.

1. *In quibus conveniat suspensio cum depositione. — Prima convenientia.* — Ut rationem dubitandi, atque dicendi, seu explicandi differentiam hanc melius aperiamus, oportet incipere ab his, in quibus depositio, et suspensio conveniunt; sunt enim tam multa, ut non videantur distingui, nisi tanquam species, et genus; nam depositio hæc suspensio quædam esse videtur. Conveniunt enim primo, quod utraque est Ecclesiastica pœna, ut per se notum est. Unde utrique etiam communia sunt illa omnia, quæ sunt de ratione pœnæ, nimirum, quod propter culpam proportionatam inferatur, et quod solus ille imponere eam possit, qui jurisdictionem habet in eum, cui imponitur, et similia. Et quamvis depositio talis sit pœna, quæ non habet rationem censuræ, tamen per hoc solum non videtur sufficienter distingui a suspensione generatim sumpta, sed ab aliqua tantum, quia etiam datur aliqua suspensio, quæ non habet propriam et exactam rationem censuræ, ut in superioribus visum est.

2. *Secunda convenientia.* — *Tertia convenientia.* — Secundo conveniunt, quia etiam depositio privat Ecclesiasticis functionibus, quod de suspensione satis ostensum est, et de depositione constat, tum ex dictis de ipsa voce, tum etiam quia in Ecclesia non dicitur quis deponi, cum privatur vel receptione sacramentorum, vel privatis actionibus, aut bonis communibus omnibus fidelibus; hujusmodi enim privationes ad excommunicationem, vel interdictum potius pertinent; depositio ergo privat aliquo munere publico, vel Ecclesiastica dignitate, cum depositio Ecclesiastica pœna sit. Unde etiam fit (quæ potest esse tertia convenientia) ut hæc etiam sit pœna propria clericorum, quod sumitur ex c. Qui semel, 50 dist., et c. 2 de Pœnis, in 6, et aliis statim citandis. Et constat ex eodem principio, scilicet, quod privet muneribus, functionibus, aut dignitatibus Ecclesiasticis, quæ sunt propriæ clericorum; quamvis enim, ut supra dicebam, depositio late sumpta dicatur de quocumque munere temporali, et sic etiam judices seculares, vel alii ministri reipublicæ dicantur a suis muneribus deponi, tamen depositio specialiter sumpta, ut est Ecclesiastica pœna, solum dicit respectum ad Ecclesiastica beneficia, vel munera; et ideo talis depositio clericorum propria est. Atque ita sentit Navarrus, c. 27, num. 151, ubi Panormitanum, Cardinal., et alios citat. Et videri etiam potest Decius in cap. At si clerici, de Judiciis, num. 5; Bernard. Diaz, in Pract., c. 153. Alio tamen modo extenditur ad religiosos, etiamsi clerici non sint, quatenus sunt personæ Ecclesiasticæ, quod etiam suspensioni commune est; sic enim Abbatissæ, et suspendi, et deponi solent.

3. *Quarta convenientia.* — Quarto conveniunt, quod sicut suspensio esse potest ab officio, et beneficio, ita etiam depositio; sumitur ex Abbate in c. Insinuatum, de Simonia, et in c. Quærelam, de Jurejurando, n. 1, ubi ait propter perjurium posse aliquem deponi ab Ordine, et beneficio; supponit ergo utramque speciem depositionis reperiri; citat c. Cum non ab homine, de Judiciis, ubi solum dicitur clericum in perjurio, aut homicidio, aut alio simili crimine deprehensum deponendum esse. At vero, in c. Si Episcopus, dist. 50, specialiter fit mentio de depositione ab officio, et in c. Si quis clericus, 81 dist., et in c. 1 de Homicid., in 6, diserte fertur depositio, *ab Ordine, officio, dignitatibus,* etc., et de utraque intelligi potest, quod Felinus in c. Ex parte, de Accusationibus, n. 4, ait, depositum a beneficio ex illius redditibus fore alendum, ne egeat, quod nos supra etiam diximus de suspensione, quæ est in pœnam delicti commissi, et non ob contumaciam. Quia vero depositio simpliciter dicta magis respicit Ordines, quam beneficia, juxta communem modum loquendi, et quia in depositione a beneficio facillime cernitur differentia, ideo eam breviter possumus expedire, et rationem hujus depositionis a beneficio declarare.

Depositio et suspensio a beneficio quomodo differant.

4. Depositio itaque et suspensio, si utraque sit a beneficio, in hoc potissimum differunt, quod suspensio non privat beneficio, sed perceptione fructuum; depositio autem privat ipso beneficio. Quod patet ex proprietate ipsius vocis, quæ hujusmodi privationem significat, ut dictum est. Unde Abbas supra, eamdem interdum vocat depositionem, interdum vero privationem beneficii. Declaratur, quia depositio hæc in primis est perpetua, et in hoc differt ab omni suspensione ad tempus certum, et ab illa, quæ indefinite fertur, quæ virtualem conditionem includit (ut dixi), ratione cujus dici potest aliquo modo temporalis, licet sub alia consideratione sit perpetua negative. A suspensione autem, quæ positive ut perpetua fertur, in hoc maxime differre videtur, quod suspensio etiam illa privat directe solum fructibus, et usu beneficii, non radice ipsa, ut sic dicam; depositio autem privat radice, nec facile poterit alia differentia cogitari; ergo depositio hæc per se primo privat beneficio ipso. Verum est tamen, quod perpetuo suspensus illo modo, eo ipso videtur beneficio privandus, quia dissonum rationi est, ut beneficium habeat, qui a percipiendis ejus fructibus perpetuo interdictus est. Quia vel habebat beneficium sine obligatione ad officium, quod est contra finem ejus, aut erit debitor officii in perpetuum, quod est etiam contra institutionem beneficii. Nihilominus tamen ex vi suspensionis, quantumvis perpetuæ, non perditur beneficium ipso jure; unde obtenta dispensatione suspensionis illud retinere poterit; per depositionem autem tollitur ipso facto, nec retinere poterit nisi per novam concessionem.

5. *Depositio an reddat inhabilem reum ad novum beneficium.* — Unde obiter expeditur

dubium, an hæc depositio dispensabilis sit. Quod attigit Panormit., in c. Post translationem, de Elect., et in c. Insinuatum, in fine, et in c. De simoniaco, de Simonia, et ibi Felinus, num. 3, et alii, qui non in genere de hac depositione, sed in particulari, ut est pœna simoniæ, vel alterius vitii tractant, quod nunc ad nos non spectat. Ut ergo in genere aliquod responsum demus, oportet prius declarare, an hæc depositio præter privationem beneficii prius possessi, reddat personam inhabilem ad illud, vel alia recipienda. Ad quod breviter dicendum est, depositionem in genere sumptam includere hanc vim, quia includit perpetuitatem positivam quodammodo majorem, quam sit in suspensione etiam perpetua, ut ex usu vocis constat, et in sequentibus latius explicabitur. Si ergo depositio fit simpliciter a beneficio, perpetuo privat omni beneficio, et consequenter ipsa manente reddit personam inhabilem ad beneficium suscipiendum. Si vero sit ab uno tantum beneficio, respectu illius servat eamdem proportionem; tamen respectu aliorum non inducit inhabilitatem, juxta dicta de suspensione, quæ hic cum proportione, et fortiori ratione possunt applicari.

6. *An depositio a beneficio sit dispensabilis.* — Jam vero ad priorem interrogationem respondeo, quantum ad privationem a beneficio, si semel facta est, non esse capacem dispensationis, quia est pœna de se perpetua, quæ simul tota fit, et licet forte postea restituatur beneficium, vel aliud detur, non est propria dispensatio, sed reparatio aut recompensatio prioris damni, quam potest alius facere, si alias persona non sit incapax beneficii. Quantum ergo ad inhabilitatem, clarum est dispensari posse a Pontifice, cum sit juris humani; difficilius autem dispensatur quam suspensio perpetua, et ideo dixi depositionem hanc moraliter esse magis perpetuam. Episcopus autem non potest in illa dispensare nisi in casibus jure concessis, propter dicta supra a fortiori de dispensatione. Unde etiam obiter notari potest, pœnam privationis beneficii sub hac voce latam non includere inhabilitatem ad iterum recipiendum illud, si detur ab illo, qui conferre potest, quia nomen privationis hoc non dicit, et vox pœnalis restringenda est; unde in hoc privationis pœna minor est, quam depositionis, respectu ejusdem beneficii. Si tamen cum privatione addatur inhabilitas, æquivalet depositioni a beneficio respective.

Suspensionis et depositionis ab officio discrimen.

7. *Depositio a jurisdictione. — Depositio ab Ordine in quo conveniat cum suspensione. — Prima convenientia.* — Depositio ab officio, et ab Ordine, et a jurisdictione esse potest, argument. cap. 2 de Pœnis, in 6. Cum est a jurisdictione, non usu tantum, sed ipso munere et dominio (ut sic dicam) jurisdictionis privat, et in hoc differt a suspensione jurisdictionis, eadem proportione qua de depositione a beneficio dictum est, nec de hac depositione plura sunt necessaria. Quæ vero est ab Ordine, in hoc convenit cum suspensione ab Ordine, quod non privat Ordine ipso; nec enim potest, cum per indelebilem characterem imprimatur; quem proinde Ecclesia auferre non potest, ut est certa et communis Theologorum doctrina in 4, dist. 25, quam etiam in 3 tomo tetigimus ad q. 63 D. Thomæ. Unde fit, etiam esse commune huic depositioni cum suspensione, ut, quamvis depositus graviter peccet exercendo actus Ordinis, nihilominus validi sint, quando jurisdictionem non requirunt (ut excludamus absolutionem sacramentalem). Itaque depositus sacerdos vere consecrat, et vere ungit, et Episcopus depositus vere ordinat, vere confirmat, si debita forma, et materia, et legitima intentione utatur, eodem prorsus modo, quo id diximus de suspensione, ex eodem principio, quod hic retinet eamdem Ordinis potestatem, a qua ex divina institutione actus habet suum valorem et efficaciam, si cætera necessaria concurrant.

8. *Secunda convenientia.* — Unde ulterius etiam convenit hæc depositio cum suspensione, quod non privat per se et ex vi sua privilegio clericali, nisi hoc in specialem pœnam expresse adjungatur, quod notavit Abbas in cap. At si clerici, § de Adulteriis, de Judiciis, num. 2, ubi Additio, Felinum et Speculatorem in eamdem sententiam citat. Colligiturque ex illo textu, ubi dicitur, clericum depositum non esse tradendum judici seculari, quia videlicet per solam depositionem non amittit privilegium fori, et ideo, nisi specialiter illo privetur propter novum delictum vel contumaciam, servandum illi est. Unde in c. Cum non ab homine, eodem titulo, clericus criminosus prius deponendus dicitur; postea, si contumax sit, excommunicandus vel anathematizandus; *si vero crescente contumacia, in profundum malorum venerit, cum*

Ecclesia non habeat aliud quod faciat, tunc tradendus est Curiæ seculari; ergo antea per solam depositionem non amiserat privilegium clericale. Quod etiam colligitur ex cap. Tua, de Pœnis, ut latius declarat ibi Abbas.

9. *Tertia convenientia.* — Denique in hoc etiam convenit depositus cum suspenso, quod sicut non privatur privilegio, ita neque onere clericali, quale est pensum diurnum horas canonicas recitandi, si sit clericus in sacris, ut docent Summistæ omnes, verb. *Degradatio,* et notavit Covarruv., lib. 3 Variarum, cap. 13, num. 8, ubi alios refert. Et ratio est, quia hæc obligatio comitatur ipsum Ordinem, etiamsi nullum beneficium aut Ecclesiasticos redditus habeat conjunctos; Ordo autem tam manet in deposito, quam in suspenso. Item a fortiori non privat depositio obligatione servandi castitatem, nec inhabilitate ad matrimonium contrahendum, ut recte notavit Abbas, in c. 1 Qui clerici vel voventes, n. 6, ex c. Dictum, 81 dist.

10. *Voce suspensionis pro depositione et e converso sæpe jura loquuntur.* — Nihilominus depositio et suspensio ab Ordine diversæ pœnæ censentur, juxta usum jurium, ut patet cap. At si clerici, de Judiciis, et cap. 2 de Pœnis, in 6, et Doctoribus his locis, et Summistis in dictis verbis. Usus autem vocum reddit obscuram rationem diversitatis. Suspensio enim sæpe vocatur depositio, ut notat Glossa, cap. Si quis Episcopus, dist. 83, et ex multis canonibus Apostolorum sumitur, et putant multi in rubrica *de Clerico excommunicato, vel deposito ministrante,* depositum appellari omnem illum, qui suspensus est, quia in textibus illius tituli sæpe fit mentio de suspensis; illi ergo etiam in titulo comprehenduntur. Unde in cap. 3 ejusdem tituli aliqua depositio vocatur perpetua, in quo significatur aliam esse non perpetuam, quæ non est aliud quam suspensio. E contrario vero depositio etiam perpetua solet appellari aliquando suspensio, ut ex Innocentio notavit Navarrus, et patet in motu Sixti V de male promotis, et sæpe alias. Nam quia omnis hæc pœna privat usu Ordinum et non ipsis Ordinibus, propter primum dici potest depositio, et propter secundum suspensio. Juxta propriam vero magisque usitatam significationem illarum vocum, depositio significat privationem perpetuam et irremissibilem, suspensio vero minime. Ita Sylvester, verb. *Degradatio;* Navarrus, cap. 17, num. 151; Abbas, in cap. Veritatis, num. 13, de Dolo et contumacia, et sumitur ex illo textu, et cap. 1, 2 et sequent., 50 distinct., cum aliis citatis. Ratio vero est, quia uterque modus pœnæ potest ab Ecclesia imponi, ut ex usu constat, quia nulla est repugnantia, et in delictis potest esse fundamentum, et potestas non deest, quia licet Ecclesia non tollat characterem, potest perpetuo prohibere usum ejus, saltem ne licite fiat, et hoc facit per depositionem, per quam privat, quantum potest, clericum, quem deponit, munere clericali, illum perpetuo removendo, quod non ita facit per suspensionem.

11. *Discrimen inter depositionem et suspensionem positive perpetuam.* — Ex his ergo satis clara est differentia inter depositionem et quamcumque suspensionem ad definitum tempus. Eademque fere versatur cum suspensione indefinite lata, quia hæc licet negative dicatur perpetua, aliquo modo est temporalis et tolli potest, ut dixi; a suspensione vero positive perpetua, et cum hoc addito lata, vix potest distingui, quia habent eosdem effectus; neutra enim privat ipso Ordine, et utraque privat usu totali (de hac enim suspensione tracto), positive perpetuo, et sine spe remissionis, juxta c. Si quis Episcopus damnatus, et c. Theugualdus, 11, quæst. 3; ergo non habent in quo differant. Atque ita certe sentiunt Panormitanus, Sylvester, et alii locis citatis; nam cum distinguunt suspensionem perpetuam a depositione, videntur loqui de suspensione, quam nos indefinitam seu negative perpetuam appellamus. Estque aliquod hujus rei indicium in c. Veritatis, de Dolo et contumacia, ubi prius ponitur absoluta suspensio, postea irremissibilis depositio. Et hoc sensu Navarrus supra ait, suspensionem perpetuam habere rationem depositionis, significans suspensionem partialem non esse depositionem, licet perpetua sit. Sed hoc pertinet ad modum loquendi, et potius depositio illa irremissibilis, de qua loquitur cap. Veritatis, partialis erat, ut notat Abbas ibi, num. 15. Cum proportione ergo videtur esse idem suspensio positive perpetua, et depositio ab Ordine. Hunc ergo sentiendi, et loquendi modum, et probabilem, et facilem esse sentio. Si quis autem dicat, hanc eamdem privationem perpetuam usus Ordinis interdum esse dispensabilem jure ordinario, et tunc vocari proprie suspensionem, interdum vero imponi ut irremissibilem sine spe dispensationis, ita ut licet Pontifex possit dare de plena potestate, regulariter tamen et quasi lege ordinaria non faciat, et tunc vocari de-

positionem. Si quis (inquam) hoc dicat, mea sententia non male sentiet, nec loquetur sine fundamento in jure, ut videre licet, 11, q. 3, per multa capita, et in cap. Veritatis, de Dolo et contumacia. Sed in hoc etiam non potest magna vis fieri, quia interdum de suspensione perpetua dicitur, ut sit sine spe dispensationis, ut patet in motu Sixti V contra male promotos, et Abbas, in dict. cap. Veritatis, notat hæc verba maxime poni ad terrorem. Et ita ipse ibi sentit hæc non differre, vel certe videtur esse tota diversitas in usu vocum, et ideo in hoc contendendum non est.

12. *Discrimen aliud inter easdem pœnas.* — Alio item modo potest suspensio perpetua a depositione distingui, vel potius duplex modus depositionis cum aliqua diversitate in re et quæ ad jurium intelligentiam conducat, et ideo explicandus etiam est. Oportet ergo advertere, quod præter depositionem realem seu degradationem, de qua sectione sequenti dicendum est, duplex depositio verbalis distingui potest; nam quædam est, quæ absolute (ut sic dicam) et per se fit, sine ordine ad aliud; alia, quæ fit in ordine ad degradationem realem; quam divisionem attigit Julius Clarus in Practica criminali, quæst. 74, n. 4; et Bernardus Diaz, in Practica criminal. can., c. 3, num. 7. Inter quas possunt multæ differentiæ assignari, tam ex modo quo fiunt, quam ex effectibus, ut ex dicendis constabit. Ad tollendas ergo verborum æquivocationes, vocemus priorem depositionem absolutam, aliam respectivam, seu illam tantum depositionem, hanc depositionem verbalem; alia vero aut non vocetur depositio, sed degradatio, aut dicatur depositio realis seu actualis. Quando ergo dicitur depositio nihil aliud esse, quam quædam suspensio positive perpetua et irremissibilis, intelligendum id est, de depositione absoluta; nam ab alia multum differt, eodem, scilicet, modo, quo ipsa depositio absoluta ab illa differt. Diversitas autem inter depositionem absolutam et respectivam potissimum est, quod una ordinatur ad degradationem, et non alia. Consistit autem moraliter hic respectus seu differentia in hoc, quod depositus tantum absolute non potest sine nova sententia degradari, et si cum eo respectu depositus est, potest statim ad executionem degradationis pertransiri. Ita colligitur ex cap. 2 de Pœnis, in 6. Præter hanc autem differentiam non habent aliam quoad effectus morales, quos inducunt, quia neutra privat privilegio clericali usque ad realem degradationem, ut etiam de respectiva depositione probant superius adducta; reliqui vero effectus omnes ab utraque fiunt.

An suspensio perpetua, aut depositio ab officio privent ipso jure beneficiis possessis, et ad futura inhabilitent.

13. *Ratio dubitandi.* — Hic vero tractandum est dubium supra remissum, an aliqua depositio verbalis vel perpetua suspensio, privet ipso facto beneficiis possessis, reddantque hominem inhabilem ad alia de novo acquirenda. Videtur enim probabiliter ostendi posse utramque id facere, sive absolute feratur, sive ab officio, sive ab omni Ordine; quod vero una potius quam alia id faciat, nulla ratione probabili ostendi potest. Declaratur, quia si habent hunc effectum, est propter perpetuitatem, quæ utrique communis est; ergo et effectus. Quod autem ex perpetuitate ille effectus nascatur, videtur esse in primis doctrina communis Canonistarum. Nam Immola in cap. Cum dilectus, de Consuet., referens Calderinum ait, suspensionem perpetuam ab officio habere vim privationis, et tunc taliter suspensum esse privatum etiam beneficio. Sic etiam Abbas in cap. Cum bonæ, de Ætat. et qualit., num. 6, referens Hostiensem ait, suspensionem ab officio non extendi ad beneficium, nisi feratur ex impedimento perpetuo. Ex quorum mente hæc conficitur ratio: beneficium datur propter officium; ergo qui perpetuo privatus est officio clericali, consequenter privatus est beneficio, quia ablato fundamento ruunt reliqua. Unde Glossa, 1, quæst. 3, in princip., verb. *Annexa* : *Qui privatur* (inquit) *officio, et beneficio privatur.* Et refert jura, quæ parum conferunt, præter ea verba cap. Eos, 81 dist.: *Sicut se justissime ab officio alienos faciunt, ita beneficio Ecclesiastico privatos esse adjudicamus.*

14. *Quid in hoc dubio sentiendum de depositione aut suspensione perpetua jure latis.* — Nihilominus doctrina hæc limitatione indiget; distinguere ergo oportet inter hanc pœnam a jure latam et ab homine, item inter beneficium jam obtentum et obtinendum. Et dicendum in primis est, per depositionem, vel suspensionem ab ordine vel officio quantumvis perpetuam solo jure latam non amitti ipso facto beneficia jam possessa. Hoc sufficienter probamus, quia nullo jure id cautum est, neque auctores communiter id affirmant. Item quia irregularitas non habet hunc effec-

tum, ut infra ostendemus; ergo nec suspensio vel depositio perpetua solo jure lata, nam hæc irregularitati æquiparantur præsertim in perpetuitate, ex qua dicebatur nasci ille effectus. Item supra ostensum est, suspensionem ab officio non includere suspensionem a beneficio, quia nulla lege id declaratum est, neque pœna est amplianda ultra vim verborum legis, neque connexio beneficii cum officio sufficit, quia vel officium illud potest aliter suppleri vel impedimentum illud auferri, quæ omnia ad præsens accommodari possunt, sicut ad irregularitatem, in qua latius explicabuntur.

15. *Quid de latis ab homine.* — At vero per hanc depositionem ab homine latam valde probabile est simul fieri privationem a beneficio. Hoc sentit Sylvester, verb. *Degradatio,* in princip., dum ait depositionem verbalem fieri per privationem ab officio et beneficio. Idem sentit Panormitanus, dict. c. Veritatis, num. 13, ubi ex illo textu colligendum esse dicit formam et practicam depositionis verbalis; dicitur autem in illo textu : *Tulimus sententiam perpetuæ depositionis in ipsum, et eum tam a Pontificali dignitate, quam ab omni officio sacerdotali privatum sine spe restitutionis aliqua diximus condemnandum.* Hoc etiam recte confirmant ea, quæ pro altera parte adducebantur, nam sine dubio is, qui perpetuo privatur officio Ecclesiastico, dignus est privari etiam beneficio; ergo maxime id fieri debet per hominis condemnationem, ut in dicto cap. Eos, 81 dist., bene indicatur. Unde etiam in irregularitate ita fit: nam licet per illam non amittantur beneficia ipso jure, tamen per sententiam judicis auferuntur, si impetrentur, vel homo condemnetur, priusquam ab irregularitate absolvatur. Ratio autem est, quia lex regulariter non ita severe punit, ut per seipsam cogat hominem statim in se exequi pœnam, maxime illam, quæ propriam ipsius hominis actionem requirit, ut seipsum beneficiis spoliare; id autem per judicem merito fit, quando talis pœna est consentanea et proportionata delicto seu statui, in quo homo ratione delicti constituitur, ut in præsenti contingit. Et quoad hoc recte procedit ratio de connexione beneficii cum officio, ut latius declarabimus in irregularitate.

16. Adverto tamen ex ibi dicendis, quod licet hæc privatio beneficiorum, in usu, seu exercitio hominis, conjuncta sit cum pœna depositionis vel suspensionis perpetuæ ab officio, nihilominus formaliter talis suspensio non includit illam privationem, sicut nec irregularitas illam includit, sed illam secum affert, per hominem tamen exequendam. Depositio autem, si vim verbi attendamus, magis videtur formaliter includere posse dictam privationem, quia vox illa magis indicat privationem totalem et (ut ita dicam) radicalem. Unde si judex solum diceret : Suspendimus eum perpetuo *ab officio et beneficio,* ex vi horum verborum non videretur eum privare ipsis beneficiis, sed fructibus tantum; secus vero erit, si dicat : *Deponimus eum ab omni officio et beneficio;* nam ex vi horum verborum videtur eum privare beneficiis, in qua re consuetudo et communis sensus verborum attendenda sunt. Nos enim hic non explicamus, quibus verbis judex aperire debeat mentem suam, nec quid faciat de facto, sed quid jure possit; quoties enim perpetuo suspendit vel deponit ab officio, potest etiam privare beneficiis; ut vero faciat, uti debet verbis, quæ sufficienter id significent. Unde constat in his sententiis ab homine latis idem dicendum esse quoad beneficia postea obtinenda, quorum acceptio facilius impeditur. An vero per has pœnas ipso jure contractas fiat homo inhabilis ad obtinenda denuo beneficia, dicemus agentes de irregularitate, quoniam de his omnibus videtur esse eadem ratio.

17. *Objicitur cap. 2 de Pœnis. — Respondetur dict. cap. 2.* — Sed objici potest, contra dicta, cap. 2 de Pœnis, in 6, ubi in forma degradationis actualis inter alia dicitur : *Deponimus, degradamus, spoliamus et exuimus te omni Ordine, beneficio et privilegio clericali.* Ex quibus verbis colligi potest, hunc effectum privandi beneficio ita esse proprium degradationis actualis, ut non conveniat verbali; illa enim duo in illo textu distinguuntur, ut prius sit sermo de verbali, et hic effectus ei non tribuitur, sed soli reali. Et potest confirmari, nam prius dicitur *deponimus,* deinde vero, *spoliamus omni beneficio;* ergo hic effectus non fit ex vi depositionis simpliciter dictæ. Denique non efficaciori argumento colligunt inde Doctores, per depositionem verbalem non privari aliquem privilegio clericali, sed hoc esse speciale depositionis, realis scilicet, quia in ejus forma id specialiter exprimitur. Respondeo, in eo capite nec explicari effectus depositionis verbalis, nec formam verborum, per quam fieri debet, et ideo nullum posse inde firmum argumentum sumi ad proban-

dum, an habeat hunc effectum, necne. Nam licet in forma degradationis realis, mentio ejus fiat, non sequitur esse proprium illius, vel in eo distingui a depositione. Quia cum degradatio sit veluti executio quædam verbalis depositionis, quod per hanc fuit jam plene factum, per aliam significatur. Idemque dicerem ex vi illius textus de amissione privilegii clericalis, nisi ex aliis juribus constaret per solam depositionem verbalem illud non amitti. Quod vero in illo textu prius dicatur *deponimus*, et postea addatur, *spoliamus beneficiis*, frivolum argumentum est, quia ibi verbum *deponimus*, non accipitur in ea proprietate, secundum quam illi specialiter respondet depositio verbalis, de qua nunc agimus, sed prout generatim significat idem, quod privare. Unde illa quatuor verba, quæ ibi ad terrorem et exaggerationem coacervantur, quasi synonyma sunt in hac materia, scilicet : *Deponimus, degradamus, spoliamus et exuimus te omni Ordine, beneficio*, etc. Nisi quis malit dicere, per verbum *deponimus*, integre significari totam pœnam, per alia vero quasi per partes declarari illam depositionem consistere in degradatione ab Ordinibus, spoliatione a beneficiis, et ablatione privilegii clericalis. Quæ omnia consummantur quidem et quasi promulgantur in degradatione; in verbali autem depositione contenta fuerant vel formaliter, ut privatio Ordinum et beneficiorum, vel virtute, ut ablatio privilegii clericalis.

De solemnitate in depositione, quæ ad degradationem ordinatur, requisita.

18. *Discrimen primum inter depositionem absolutam et eam quæ fit in ordine ad degradationem. — Prima solemnitas.* — Quia ergo hæ depositiones in effectibus non differunt, sed in fine, quia una est pœna, in qua sistitur, alia est quasi via ad degradationem, ideo introducta fuit in jure alia differentia inter utramque; nam ad illam quæ ordinatur ad degradationem, requiritur specialis solemnitas, quæ ad aliam absolutam depositionem necessaria non est. Prior pars constat ex dict. cap. et aliis statim citandis. Posteriorem docuit Julius Clarus, in Practic. Crim., quæst. 74, referens generali consuetudine ita observari, ex Foller., in Practic. crimin. can. Idem Bern. Diaz., in Pract., cap. 3, num. 7, referens Philip. et Domin., in dict. cap. 2 de Pœnis. Et ratio reddi potest, tum quod pro hac depositione nullo jure præscripta est illa solemnitas; tum quod cessat specialis ratio propter quam in alia introducta est, scilicet, quia sic depositus statim degradandus est, et tradendus judici seculari. Denique quia cum absoluta depositio solo jure interdum feratur ipso facto, non est mirum, quod per simplicem sententiam ferri possit. Oportet autem exponere quænam solemnitas sit illa, quæ in depositione respectiva servanda est. Dicitur ergo in primis, in dict. cap. 2 de Pœnis, in 6, hanc depositionem debere fieri a proprio Episcopo. Unde in primis aliqui colligunt depositionem hanc debere fieri ab Episcopo consecrato, esseque hunc actum ex Ecclesiæ institutione ita deputatum consecrationi Episcopali, ut sine illa fieri non possit, quia est veluti actus Ordinis ejus, juxta Glossam ult. in c. Transmissam, de Elect., ibi receptam per Abbatem, et alios. Hanc vero communem sententiam intelligendam esse existimo de actuali degradatione, non de verbali depositione, etiam illa quæ ad degradationem ordinatur, quia hæc etiam nihil aliud est quam sententia quædam, unde est actus solius jurisdictionis, non Ordinis, ut latius dicam infra in materia de irregularitate. Ad depositionem ergo verbalem sufficit Episcopus jurisdictionem habens, qualis est electus et confirmatus, etiamsi consecratus non sit. Præterea cum ibi dicitur debere hanc depositionem fieri a proprio Episcopo, non excluditur, quin possit fieri ab alieno de licentia proprii, quia hæc jurisdictio, sicut aliæ, delegabilis est. Quin potius, loquendo de depositione verbali, non solum poterit delegari alteri Episcopo, sed etiam simplici clerico, v. gr., vicario Episcopi; quia cum non requiratur consecratio Episcopalis ad hunc actum, ut dictum est, neque in delegato erit necessaria, atque ita hodie dispositum est in Concil. Tridentin., sess. 13, cap. 4, de Reform. Ad degradationem vero actualem necessarius erit Episcopus; tamen hic etiam poterit esse alienus de licentia proprii, ut recte sentit Hostiens. quem Abbas sequitur. Nam sicut unus Episcopus alteri committere potest, ut suos subditos ordinet, ita etiam ut deordinet, seu degradet.

19. *Secunda solemnitas.* — Additur præterea in dict. cap. 2, quando depositio est a solis minoribus Ordinibus, solum proprium Episcopum sufficere, quando vero est ab Ordine sacro, requiri præsentiam aliorum Episcoporum in numero *a sacris canonibus præscripto*. Circa priorem autem partem addunt Glossa, et Doctores, necessarium esse, ut Epi-

scopus id faciat præsente suo clero, seu Capitulo, vel aliquibus personis, quæ ejus nomine adsint, et alioqui sententiam esse irritam, juxta cap. penult., 15, quæst. 7, et cap. 1 de Excessib. Prælat. Quod servandum est, nisi aliud teneat consuetudo, ut eadem Glossa et Doctores dicunt in dict. cap. 2. Circa alteram vero partem inquiri potest, quis sit hic numerus Episcoporum, quod tractatur ibi a Glossa et Doctoribus, et a Panormitan. et aliis in cap. Non potest, de Sentent. et re judic.; Julio Claro, in Practica Crim., lib. 5, q. 74. Et in summa dicunt, ad deponendum Episcopum requiri præsentiam duodecim Episcoporum; ad presbyterum sex; ad diaconum, vel subdiaconum tres, ex cap. Felix, cum cap. Si quis, 15, quæst. 7. In his autem hodie standum est quoad hæreticos limitationi adhibitæ in cap. 1, de Hæreticis, in 6, generatim vero definitioni Concilii Trident., sess. 13, cap. 4 de Reform., ubi statuit, Episcopum per se, vel per vicarium suum posse verbalem depositionem exequi, adhibitis Abbatibus usum mitræ et baculi ex privilegio Sedis Apostolicæ habentibus, si commode possit, vel si non possit, aliis personis gravibus, et in dignitate Ecclesiastica constitutis loco Episcoporum, et in eodem numero; quod intelligendum censeo de depositione sacerdotum et inferiorum; nam de depositione Episcoporum ibi nihil statuitur, vel quia hæc depositio Papæ reservata est, ut omnes docent, et merito, quia ipse solus est (ut ita dicam) proprius Episcopus aliorum Episcoporum; vel quia in depositione Episcopi non erat eadem ratio, tum quia rara est, ideoque necessaria non erat in ea illa moderatio; tum etiam quia propter dignitatem Episcopi non expediebat præsentiam Episcoporum in inferiorum præsentiam commutari.

20. *Ad quid requiratur horum Prælatorum præsentia in depositione.* — *Conclusio.* — Hinc vero inquiri potest, an hi Episcopi, vel Prælati requirantur, ut assessores ad ferendam sententiam. Sylvester enim ex Geminiano ait requiri ut judices, ita ut a singulis sint suffragia petenda, et condemnari non possit clericus nisi major pars consentiat. Idem Julius Clarus supra. Et videtur colligi ex c. 3 de Sentent. et Re judic., ubi Glossa idem notat. Idem videtur insinuari in cap. ult., 15, quæst. 7, ubi requiritur synodale judicium; et in cap. Si quis, et in cap. Felix, dicitur, ut talis causa audiatur a tot Episcopis; unde sine dubio videtur hic fuisse antiquus mos. Nunc autem juxta novum Concili Trident. jus dubitari potest, an illi assistentes habeant suffragium decisivum in tali sententia, vel solum requirantur, ut consultores, seu ad quamdam solemnitatem actus; ita enim aliquibus visum est, licet non negent illam solemnitatem esse de essentia, et omnino necessariam ad sententiæ valorem. Nihilominus tamen dicendum est, etiam nunc illos postulari ut judices assessores. Primo quia jus novum non recedit ab antiquo, nisi quantum in eo exprimitur; sed Concilium solum mutavit qualitatem seu dignitatem personarum, non modum assistendi, vel actum, quem exercere debent : ergo. Minor patet ex illis verbis : *In casibus in quibus aliorum præsentia, in numero a canonibus definito, requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus,* etc. Solum ergo immutat Episcopos in Abbates, reliqua vero integra relinquit. Item propter hanc causam censetur nunc hæc solemnitas essentialis, quia antea erat, et Concilium in hoc nihil innovavit; ergo similiter, etc. Expendo præterea illam verborum reduplicationem : *Adhibitis, et in hoc sibi assistentibus;* nam videntur addita, ne putaretur solam præsentiam requiri, sed etiam cooperationem in judicando, ita ut sint veri assessores. Et fortasse propter hanc causam postulatur in fine capitis, ut si aliæ personæ graves fuerint adhibitæ, juris scientia commendabiles existant. Hæc ergo opinio ex vi Concilii, et generatim loquendo servanda videtur; tamen in casu hæresis servanda erit praxis, juxta cap. 1 de Hæret., in 6.

21. *Discrimen aliud inter easdem depositiones.* — Ultimo colligitur ex dictis aliud discrimen inter utramque depositionem verbalem; nam illa, quæ ad degradationem ordinatur, nunquam imponitur ipso jure, neque incurritur ipso facto, quia requirit prædictam solemnitatem, quæ non potest nisi mediante hominis sententia adhiberi, ut per se notum est. At vero depositio absoluta interdum imponitur ipso jure, ut patet ex c. 1 de Homic., in 6, et cap. 2, 50 distinct., quod etiam commune est perpetuæ suspensioni, ut ex usu constat, ut in hoc etiam appareat non distingui a simplici seu absoluta depositione. Atque hinc colligitur, licet aliquis clericus ipso jure depositus sit, non posse ad realem degradationem contra illum procedi, donec ab homine sit depositus verbaliter cum prædicta solemnitate, quia ita præscribitur in dict. cap. 2 de Pœnis.

22. Tandem ex his constat, quid utraque depositio sit, et quos effectus habeant, et quas causas, tam subjectivas quam efficientes, et quibus modis fiant; propter quæ autem peccata possint imponi, in sequenti sect. attingemus. De modo autem quo auferri possunt, nihil fere dicere oportet, quia depositio verbalis respectiva, et actualis degradatio, moraliter non possunt auferri, quia statim post illas sequitur mors; de potentia vero absoluta Pontificis auferri potest per dispensationem; et in aliquo raro casu posset expedire, ut attingam sect. sequent. Alia vero simplex depositio, seu perpetua suspensio, aliquando ex gravi causa possunt auferri per dispensationem, quæ soli Pontifici Summo reservata est, Abbas in cap. Cum in te, de Re judic., num. 10. Et a fortiori patet ex dictis disputatione præcedenti.

SECTIO II.

Quomodo degradatio a suspensione, et depositione differat.

1. Degradationis vox propria est juris Pontificii, in jure namque civili non est usitata, nec latina est; introducta vero est ad significandam pœnam quamdam privativam clericorum, quando suis Ordinibus, quantum per Ecclesiam fieri potest, privantur. Sunt enim Ordines veluti gradus quidam personarum Ecclesiasticarum; et ideo earum deordinatio (ut sic dicam) degradatio appellata est; alii vero regradationem vocant, quasi retrogradationem; prior autem vox magis usitata est, et aptior ad privationem significandam. Quoniam vero hæc privatio per verbalem, et actualem depositionem fieri solet, utraque etiam degradatio dici solet, ut patet ex cap. 2 de Pœnis, in 6. Imo et depositio simplex seu absoluta, degradatio vocatur in cap. Tuæ, de Pœnis, ut ibi notat Abbas, et in cap. 1 Ne clerici vel voventes, et in textu satis constat. Nunc autem ut simplices terminos habeamus, quibus uti possimus, degradationem appellamus solam ipsam realem depositionem clerici, eamque comparamus prius cum depositione verbali, quæ ad illam ordinatur; ita enim declarabitur quid illa sit, et inde facile constabit, quantum ab omni alia depositione, vel suspensione distinguatur.

2. *In quibus conveniat degradatio cum depositione.* — Comparantur ergo depositio hæc et degradatio, sicut sententia, et sententiæ executio, ut constat ex dict. cap. 2 de Pœnis, in 6; nam per verbalem depositionem profertur sententia, per degradationem mandatur executioni, quoad aliquas actiones, vel effectus, qui per ipsammet sententiam absque hominis actione perfici non possunt. Quo fit, ut degradatio quodammodo includat vel supponat omnia, quæ depositio, addat vero nonnulla. Et ob priorem rationem multa habet cum illa communia. Nam etiam hæc est Ecclesiastica pœna privans Ecclesiasticis functionibus, et ideo clericorum propria; imo in hoc (ut sic dicam) est maxime propria quod degradatio hæc primo dicit respectum ad Ecclesiasticos Ordines, et illorum privatio est per se ac primario, consequenter vero est privatio beneficiorum, aut aliorum Ecclesiasticorum officiorum, seu ministeriorum, ut constat ex ipsius vocis explicatione, et usu, et ex dict. cap. 2 de Pœnis, in 6. Deinde non privat charactere clericali, et consequenter non impedit, quin actus solius Ordinis a degradato facti validi sint, licet ipse peccet faciendo, ut docent Theologi omnes citati in præcedente puncto, et in 3 tomo latius, agendo de ministris sacramentorum in communi, et de Eucharistia in particulari. Denique hinc etiam degradationi convenit, ut non privet illis oneribus, quæ propria sunt, seu ex ordinatione Ecclesiæ consequuntur characterem Ordinis, præsertim sacri, ut sunt obligatio ad servandam castitatem, cum inhabilitate ad matrimonium contrahendum, et obligatio ad horas canonicas recitandas; hoc enim probant, quæ in simili de depositione diximus. Cum enim hæ sint pœnæ, non imponuntur ad tollenda onera, sed ad implenda gravamina, et honores tollendos. Denique degradatio etiam perpetua pœna est, non minus, imo quodammodo magis quam depositio; quamvis enim utraque possit per Summum Pontificem dispensari, ut diximus, difficilius tamen degradatio, tum propter majorem infamiam, tum propter plures effectus ejus.

3. *In quibus conveniat degradatio cum depositione quæ ad illam ordinatur. — Ob quæ crimina possint hæ pœnæ imponi.* — Atque hæc fere omnia communia sunt degradationi etiam cum quacumque depositione, et suspensione perpetua, ut ex dictis satis constat. Ulterius vero conveniunt specialiter degradatio, et depositio verbalis, quæ ad illam ordinatur, quod neutra fertur a jure ipso facto incurrenda, sed per hominis sententiam semper imponuntur, ut ex dictis satis patet. Rursus pro eisdem criminibus imponuntur, quia ve-

luti unam integram pœnam complent, sicut sententia et executio idem crimen respiciunt. Rarius vero ferendæ sunt, quam simplex depositio, quia cum illa sit longe gravior pœna, propter graviora crimen, et extraordinaria ferenda est. Statim vero occurrebat explicandum, propter quæ peccata possit depositio aut degradatio ferri. Quod late tractant Angel., Sylvest., et alii, verb. *Degradatio*, et Canonistæ locis citatis. Breviter vero dicendum est, depositionem omnem ferri in primis posse in casibus a jure expressis, et non in aliis, nisi pro magnis sceleribus, juxta cap. Tuæ, de Pœnis. Quæ autem sint hæc gravia crimina, nulla certa regula præscribitur. Dicunt vero Innocentius, et alii, illa crimina, quæ in jure civili habent impositam pœnam mortis, censeri magna in clericis, atque adeo sufficientia ad pœnam depositionis. Abbas vero, et alii concludunt hoc esse relinquendum judicis arbitrio. De quo videri possunt quæ notat Bern. Diaz de Lugo, in Pract. Crim., cap. 135 et 136.

4. *Tres casus in quibus clericus degradatur, et brachio sæculari traditur.* — *Primus.* — At vero degradatio cum sua depositione solum videtur posse fieri in casibus, in quibus post degradationem clericus traditur brachio sæculari, juxta cap. 2 de Pœnis, in 6, et cap. Novimus, de Verb. signif. Qui autem sint illi casus, magis pertinet scire ad Prælatos, et judices Ecclesiasticos fori contentiosi, quam ad confessores. Solent autem tres præcipue casus numerari ex Glossa in cap. Ad abolendam, de Hæret., scilicet, crimen hæresis, ex dict. cap. Ad abolendam, quod maxime procedit in hæretico relapso, et incorrigibili. Item in crimine falsi, id est, falsificandi litteras Apostolicas, ex cap. Ad falsariorum, de Crimine falsi; quanquam interdum Summus Pontifex eam pœnam moderetur, ut c. Novimus, § ult., de Verb. signif. Tertius casus assignari solet calumnia et contumelia gravis proprio Episcopo illata, ex cap. Si quis sacerdotum, 11, quæst. 1. Quæ tamen Doctores moderantur, ut intelligatur, si ille incorrigibilis sit. Et ideo alii non numerant hunc tertium casum de incorrigibilitate in aliquo speciali crimine, sed absolute de incorrigibilitate, nimirum, in quolibet crimine atroci, et scandaloso. De qua re plura videri possunt in Abbate, cap. At si clerici, de Judic., num. 37, et seq., in cap. Novimus, de Verb. signific., et aliis Doctoribus, eisdem locis, quæ fere in summam redigit Sylvest., verb. *Degradatio*, quæst. 3, 4; et latius Julius Clarus, lib. 5, § ult., quæst. 36, num. 33 et 34; Bern. Diaz, et ibi Salzedo, in Pract., cap. 130 et 140.

5. *Alius degradationis effectus, communis depositionis.* — Præter hæc maxime convenit degradationi, quod hominem reddit infamem, quod quidem quasi per antonomasiam illi tribuitur, tamen simpliciter commune est omni depositioni, et suspensioni perpetuæ proprie sumptæ, ut sumitur ex Abb. in cap. Cum te, de Re judic., num. 10. Probatur ex duplici principio, quod Adrian. P. ponit in cap. Omnes vero, 6, quæst. 1. Unum est : *Omnes, qui culpis exigentibus ad sacerdotium provehi non possunt, infames sunt*; constat enim degradatum, seu depositum culpis exigentibus, ad sacerdotium provehi non posse; nam qui propter suas culpas dignus est, ut a sacerdotio dejiciatur, a fortiori propter easdem est dignus, ne ad sacerdotium provehatur. Unde, qui deponitur ab inferioribus Ordinibus, non potest ad superiores Ordines promoveri, ex vi talis depositionis, ut a fortiori constat ex dictis in simili de suspensione; ergo manet infamis ex vi talis depositionis; et hæc dicitur propria infamia canonica. Aliud principium est, *omnes illos esse infames in Ecclesiastico foro, quos leges civiles infames esse declarant*. Contrahitur autem infamia jure civili, quoties aliquis de gravissimo delicto per sententiam declaratur, et aliquando ex ipso genere pœnæ quod infame est, juxta l. Decuriones, cap. Ex quibus caus. infam. irrog., et cap. Infames, § Porro, 3, quæst. 7, et sumitur ex l. 1, ff. de Iis, quæ notantur infamia. At vero qui deponitur vel degradatur, publica sententia declaratur facinorosus de aliquo publico et gravissimo crimine. Ipsum etiam genus pœnæ infame est, ut a simili declaratur optime ex legibus civilibus, juxta quas miles efficitur infamis cum exautorizatur, eique insignia militaria detrahuntur, juxta l. 2, § Ignominia, ff. de Iis quæ notantur infamia, nam per quamdam analogiam ad illam exautorizationem, degradationem actualem declaravit Pontifex in dict. cap. 2 de Pœnis, in 6. Unde sine dubio major infamia creatur ex actuali degradatione, quam ex sola verbali, et ex hac major, quam ex simplici depositione. Nihilominus tamen omnis depositio infamem reddit propter causas dictas.

Discrimina inter degradationem et depositionem.

6. *Prima ex solemnitate.* — Differt autem actualis degradatio a depositione qualibet in solemnitate. Nam licet illam specialem solemnitatem non requirat, quam ejus verbalis depositio, aliam tamen propriam postulat. Priorem partem docent Angelus et Sylvester, verb. *Degradatio*, cum Panormitano in cap. Qualiter, 2, de Accusationibus, et in cap. 3 de Sentent. et de re judic., num. 10, ubi idem tenet Felinus, num. 6; Geminian., dicto cap. 2 de Pœnis, in 6; Bernardus Diaz, in Pract. Crimin., c. 3, num. 7. Et est communis sententia Juristarum. Quia in dicto cap. 2 solum dicitur, ut degradandus actualiter ad præsentiam Episcopi adducatur, et quod Episcopus suum munus exequatur; ergo non requirit præsentiam aliorum Episcoporum, aut dignitatum, etc., sed prolata sententia coram ipsis, postea solus Episcopus potest publice actualem degradationem complere. Itaque habet usus. Et juxta hæc intelligenda sunt c. 1 de Hæret., in 6, et Concil. Trident., sess. 13, cap. 4 de Reform., cum dicunt, ad degradationem requiri certum numerum Episcoporum, quorum loco alii substituuntur. Loquuntur autem de degradatione ratione verbalis depositionis, quæ illam præcedit, et ad illam proxime ordinatur; loquuntur enim secundum antiquiora jura, ex quibus hoc constat. Posterior item pars constat ex eodem cap. 2 de Pœnis, in 6, ubi specialis solemnitas degradationis describitur sufficienter, nimirum quod degradandus indutus sacris vestibus, et portans instrumenta sacra, id est, vasa, aut librum, seu ea, quæ pertinent ad illum Ordinem, a quo degradatur, ad Episcopi præsentiam adducatur, et ab eo publice illis exuatur, ac tandem radatur, vel tondeatur caput illius, cum aliqua forma et tenore verborum, quæ effectum hujus degradationis declarant. Per quam cæremoniam quoad privationem Ordinis, aut beneficiorum, nihil de novo fit, nam per prolationem sententiæ depositionis erat jam factum, sed illud ipsum quasi solemniter promulgatur, et repræsentatur ad majorem ignominiam et terrorem, et ut persona illa veluti disponatur ad ultimum effectum, quem addit hæc pœna ultra depositionem verbalem. Unde quod Abbas dixit in cap. Inquisitionis, de Accus., num. 6, nullam esse differentiam realem inter degradationem et privationem officii et beneficii, non est absolute verum, sed solum quoad illum effectum; nam simpliciter multum differunt, ut merito dixit Innocentius, quem sine causa ipse impugnat, ut ex dictis patet, et amplius ex dicendis.

7. *Secunda differentia.* — *Sylvester rejicitur.* — *Depositus etiam incorrigibilis non amittit privilegium canonis.* — *Sylvester improbatur.* — Secundo ergo principaliter differunt, quod hæc degradatio privat privilegio clericali, quod non facit sola depositio. Unde immerito Sylvester, verb. *Degradatio*, in princ., proponens quasi verborum formam, per quam depositio verbalis fit, ponit hanc : *Degradamus te privantes officio et beneficio, et privilegio clericali.* Hoc enim postremum non pertinet ad sententiam depositionis ut sic; neque est proferendum usque ad actualem degradationem. Ita colligunt omnes ex dicto cap. 2 de Pœnis, in 6, ubi in ablatione ultimi vestimenti ita dicitur esse proferendum : *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, et exuimus te omni Ordine, beneficio, ac privilegio clericali.* Quia ergo illa forma vera et efficax est, hunc effectum sine dubio habet hæc pœna, et quia hic effectus ultimus assignatur ut illi proprius, depositioni non convenit, ideoque per illum optime ab illa distinguitur. Unde fit, ut percutiens degradatum clericum, non incurrat censuram canonis *Si quis suadente*, quod secus est, si depositum tantum percutiat. Ita tenet Glossa in dicto cap. 2, quam omnes sequuntur, ex illo principio, quod ille privatus est privilegio clericali, non vero hic. At vero Sylvester, num. 8, limitationem addit, nisi post verbalem depositionem sequatur incorrigibilitas, nam tunc etiam amittere putat privilegium, absque alia declaratione Ecclesiastici judicis, juxta cap. Cum non ab homine, de Judiciis, citatque Abbatem, in cap. Ad abolendam, de Hæretic. Sed neque Abbas hoc dicit; neque ex dicto cap. Cum non ab homine, colligitur, sed potius contrarium; nam juxta illud, clericus depositus, et incorrigibilis prius excommunicandus est; et si adhuc sit pertinax, potestati seculari tradendus. Non ergo amittit ipso facto privilegium propter incorrigibilitatem, donec per judicem Ecclesiasticum illo privetur, quod regulariter non fit, nisi per realem degradationem. Et confirmatur, nam incorrigibilitas non habet certum terminum, nec consistit in uno actu, vel contumacia, sed habet latitu-

dinem; pendet ergo ex arbitrio judicis definire, quando aliquis propter illam dignus est privari privilegio Ecclesiastico; non est ergo hoc committendum vulgi opinioni, imo nec judicio secularis judicis, sed Ecclesiastici; ergo donec per sententiam ejus privetur clericus tali privilegio, non potest ab aliis privari; ergo incurrent in canonem *Si quis suadente,* si illum percutiant. Nec sufficiet sententia declaratoria incorrigibilitatis (ut sic dicam), quia nullum est jus, quod imponat hanc pœnam ipso facto, etiam post declarationem illam; requiritur ergo sententia condemnatoria.

8. *Depositus non privatur privilegio fori, secus degradatus.* — Atque idem dicendum est de privatione privilegii fori; nam ante degradationem actualem non potest judex secularis procedere contra hujusmodi clericum etiam depositum. Quod adeo verum censeo, ut, licet depositio verbalis facta sit in ordine ad actualem, donec ipsa actualis executioni mandetur, et proferatur ultima verborum forma supra citata, non possit secularis judex talem personam apprehendere, aut judicare, quia nondum privatus est privilegio clericali, ut ex dicto cap. 2 colligitur, adjunctis aliis, ex quibus constat, depositum verbaliter tantum adhuc esse de Ecclesiastico foro, et a seculari exemptum. Et ideo Ecclesia nunquam consuevit tradere clericum reum brachio seculari usque ad actualem degradationem ejus; neque secundum jus ordinarium existimo aliter fieri posse, quamvis ob necessitatem urgentem possit aliquando aliter fieri, præsertim interveniente Summi Pontificis auctoritate. At vero post degradationem actualem, cum degradatus privilegio clericali privetur, statim efficitur fori sæcularis, veluti necessaria consecutione, quia non debet relinqui nullius fori, et sui juris, et quia per privilegium clericale exemptus fuit a seculari foro, ideo, ablato privilegio, statim revertitur ad antiquum forum. Atque ita et judex secularis potest statim de causa illius cognoscere, et Ecclesia consuevit clericos criminosos, ac rebelles jam degradatos tradere secularibus judicibus. In quo debet observare Ecclesiasticus Prælatus, ut cum (finita degradatione) seculari judici pronunciavit, ut in suum forum recipiat degradatum, *efficaciter pro eo intercedat, ut citra mortis periculum sententiam circa eum moderetur.* Hæc enim fere verba sunt Innocentii III, in cap. Novimus, de Verbor. significat., ex quo textu multa ex dictis sumuntur.

9. *Descriptiones depositionis verbalis et degradationis.* — Atque ex his tandem colligere licet, descriptiones degradationis, et depositionis ad illam ordinatæ; nam de altera, quæ suspensio perpetua est, jam satis constat ex dictis de suspensione. Depositio ergo verbalis est privatio perpetua clericalis muneris per canonicam sententiam cum debita solemnitate prolata. Degradatio autem est perpetua privatio clericalis muneris, et privilegii, effecta post similem sententiam, adjuncta reali actione, et cæremonia per canones instituta. In quibus descriptionibus non ponimus censuram loco generis, ut multi faciunt, quia non putamus has esse censuras, cum non sint medicinales pœnæ, sed vindicativæ tantum. Posset tamen loco generis poni nomen pœnæ; satis tamen ex se notum est, privationem illam esse pœnalem, seu in pœnam impositam. Deinde satis etiam ex dictis declaratæ relinquuntur omnes causæ, et effectus degradationis; nam quoad causam efficientem habet eamdem, quam depositio. Solumque oportet advertere, quod Concilium Tridentinum declaravit, depositionem verbalem posse fieri ab Episcopo per se vel per vicarium suum; realem vero solum per seipsum. In causa vero subjectiva convenit hæc degradatio cum depositione et suspensione, ut dictum est. De materia vero circa quam, seu fine, propter quem privatio hæc fit, et de forma et modo ferendi illam, satis etiam est dictum. Quod vero spectat ad effectus, iidem sunt effectus degradationis, qui depositionis, addita privatione clericalis privilegii, cum majori quadam infamia, ac dedecore, ex qua privatione tanquam ex causa per accidens removente prohibens, sequi solet seculare judicium circa talem personam, et pœnæ, quæ per illud imponuntur; illi tamen non possunt dici effectus degradationis, nisi valde remote, et per accidens.

10. *De ablatione seu remissione pœnæ degradationis.* — De hujus autem pœnæ solutione, et remissione, aut de causis, per quas fieri possit, nihil dicere oportet, quia per se repugnat institutioni, et quasi naturæ talis pœnæ, cum perpetua sit. Ideoque jure ordinario a nemine tolli potest; Summus vero Pontifex per potestatem absolutam poterit illam auferre; raro tamen, vel nunquam id facit. Imo juxta præsentem Ecclesiæ consuetudinem non datur huic remissioni locus; nullus enim degradatur, nisi brachio seculari statim tradatur, a quo pœna mortis mulcta-

tur. Olim vero frequenter videtur fuisse usus hujus degradationis; et ideo aliquando dabatur locus restitutioni, quando scilicet postea constabat, degradationem fuisse injuste factam; et tunc restitutio ad pristinum Ordinem futura erat non tantum verbalis, sed etiam realis, per exteriorem traditionem rerum, seu instrumentorum et vestium, quæ in unoquoque Ordine tradi solent. Ita enim statuitur in Concil. Tolet. IV, c. 27, et refertur in c. Episcopus, 11, q. 3. Nunc autem, ut dixi, hoc locum non habet, quia post degradationem statim sequitur mors. Tamen si contingeret post degradationem constare de falso testimonio, sicut esset mors suspendenda, ita post declarationem nullitatis prioris sententiæ pristinus gradus esset restituendus, dictaque forma servanda esset. Idemque esset, si Pontifex de absoluta potestate alicui jam degradato pœnam mortis remitteret, eumque vellet ad pristinum statum restituere propter magnam fidei, aut contritionis ostensionem, verbi gratia, et spem alicujus magni fructus; quamvis etiam posset tunc Pontifex si vellet, in prædicta forma restitutionis dispensare, cum non sit de substantia Ordinis, ut per se constat.

DISPUTATIO XXXI.

DE SUSPENSIONIBUS IN PARTICULARI, QUÆ IPSO JURE LATÆ SUNT.

Hactenus explicuimus generalem doctrinam de suspensione; superest, ut sicut de excommunicatione fecimus, ita hic suspensiones omnes, quæ ipso jure latæ sunt, explicemus. De suspensionibus autem, quæ ab homine feruntur, nihil dicendum occurrit, quia nihil addunt speciale, quod certum sit, et sub scientiam cadat, præter ea, quæ omnibus suspensionibus generalia sunt. Neque etiam in eis, prout sunt in usu, aliquid occurrit, quod speciali declaratione indigeat. Circa suspensiones autem a jure latas advertendum est, quasdam esse communes omnibus clericis, ut sic; alias vero quorumdam clericorum proprias, ut Episcoporum, vel sacerdotum secularium, vel regularium. Rursus quæ communes sunt omnibus, quædam in ipsa ordinatione contrahuntur, aliæ post ordinationem. De quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Quibus modis, seu propter quas causas clericus suspensus maneat in ordinatione sua.

1. *Principium generale.* — Supponendum est in hac materia, verum habere principium illud in irregularitate tritum, suspensionem nunquam incurri ipso facto, nisi in casibus a jure expressis. Cujus ratio est evidens, quia hæc pœna non incurritur ipso facto ex natura rei tantum, ut per se notum est; neque ex vi sententiæ ab homine latæ, ut nunc supponimus; ergo debet esse virtute alicujus juris positivi; ergo oportet, ut in ipso jure satis sit expressa talis pœna; alioqui si res sit dubia, erit in mitiorem partem interpretanda, juxta communem regulam legis pœnalis.

Prima suspensio in Ordinum susceptione contracta.

2. Hoc supposito varii casus recenseri solent, in quibus clericus suspensus manet, eo quod non recte Ordines suscipiat. Primus est de illo, qui Ordines suscipit ab eo Episcopo qui non potest licite illos dare, eo quod jam Episcopatui renunciavit. Quæ colligitur ex cap. 1 de Ordinat. ab Episcopo qui renunciavit Episcopatui; ubi non simpliciter, sed cum variis distinctionibus et limitationibus loquitur Pontifex. Primo ergo distinguit de Episcopo, qui renunciavit loco tantum, vel qui renunciavit etiam dignitati. Dicitur autem renunciare loco, qui Episcopatum dimittit, quod est officium, seu potestatem jurisdictionis omittere; dignitati autem renunciare dicitur, qui quantum est in se, etiam potestatem Ordinis Episcopalis dimittit, vel potius ejus usu se privat; supponitque Pontifex posse Episcopum etiam hoc modo renunciare Episcopatui, et post factam renunciationem, et acceptatam ejusdem Pontificis Summi auctoritate (hoc enim necessarium est), non posse Episcopum licite proprios actus Episcopalis Ordinis exercere; hanc enim vim habet acceptata renunciatio. Dixi autem non posse licite, quia valide potest; nam character est indelebilis, in quo consistit potestas Ordinis, quæ ad valorem actus sufficit, qui ex jurisdictione non pendet; quanquam ut recte fiat, debeat secundum jus fieri.

3. *An ordinatus ab Episcopo, qui tantum loco renunciavit, sine proprii licentia, sit sus-*

pensus. — De priori ergo membro hujus distinctionis ait Pontifex, ordinatum ab Episcopo, qui tantum loco renunciavit, nullam suspensionem incurrere, quia talis Episcopus rogatus ab alio recte potest Ordines conferre, et ideo alter licite recipit Ordines, et usum eorum. Non declarat autem ibi Pontifex, quid dicendum sit, si talis Episcopus Ordines conferat non rogatus ab alio, sed usurpando jurisdictionem, cui renunciavit. Et ideo multi intelligunt ibi tacite, seu a contrario sensu dici, ordinatum in eo casu manere suspensum, quia illam conditionem videtur Pontifex ponere, ut necessariam ad non incurrendam illam suspensionem. Sed certe si talis suspensio tunc incurritur, non est ex hoc speciali capite, sed quatenus redundat in aliud generalius, scilicet, de ordinato ab Episcopo non suo, de quo infra dicemus. Et ideo fortasse melius dicitur, casum illum merito ibi omissum esse, quia non spectat specialiter ad Episcopum, qui renunciavit Episcopatui, sed communis est omnibus Episcopis usurpantibus jurisdictionem in ministerio ordinandi alios, de quibus postea dicemus, et de ordinatis ab eis, an habeant suspensionem ipso jure impositam.

4. *Episcopus, qui renunciavit loco, et dignitati, potest conferre minores Ordines. — Quid de ordinato ab Abbate, qui renunciavit.* — In altero membro subdistinguit Pontifex; nam vel Ordines collati sunt minores, vel sacri; item vel suscipiuntur ignoranter, vel scienter a tali Episcopo. Est ergo secunda assertio Pontificis, si quis suscipiat Ordines minores a tali Episcopo, nullam suspensionem incurrit. Et reddit rationem, quia Ordines minores etiam a non Episcopo conferri solent; et ideo ex eo, quod aliquis renunciavit Episcopatui, non statim censetur renunciasse huic actui conferendi minores Ordines. Est autem circa litteram hujus textus advertendum, in eo fieri mentionem minorum Ordinum sub hac voce, *usque ad subdiaconatum;* et ideo videtur ex vi illius textus dubium relinqui, an sub hoc membro subdiaconus comprehendatur. Certum tamen est, particulam *usque,* exclusive sumendam esse, ut ibi Glossa, Panormitanus et alii notant, quia subdiaconatus sacer Ordo est, de quo alibi. Sed ratio difficultatem nonnullam habet, nam licet Episcopus, ut Abbas, possit interdum conferre hos Ordines ex privilegio speciali, et concessione Summi Pontificis; tamen ille, qui solam habet dignitatem Episcopalem, ex illius tantum nomine, et titulo potest hujusmodi Ordines conferre; ergo qui renunciavit dignitati Episcopali, jam non potest minores Ordines conferre. Probatur consequentia, quia dignitas Episcopalis unica est, et quasi indivisibilis; renunciatio etiam, quæ de illa fit, absoluta est, et totalis; ergo ex vi illius jam nihil poterit talis Episcopus operari; remoto autem hoc titulo, in eo non manet alius, ut possit tanquam non Episcopus Ordines minores conferre : ergo. Respondetur, hæc pendere ex jure positivo, quia Summus Pontifex declarat, quomodo hujusmodi renunciationem acceptet et intelligat; declarat autem solum fieri, et acceptari quoad illos actus ita proprios dignitatis Episcopalis, ut per simplicem sacerdotem nullo modo exerceri possint. Et videtur Summus Pontifex voluisse statuere, ut Episcopi nunquam ita renuncient Episcopatui, quin eis liceant ea, quæ per inferiores dignitates, Abbates, vel similes exerceri possint, quia hoc videtur spectare ad decentiam Ordinis Episcopalis, qui semper inest personæ, quantumvis ipsa dignitati renunciet. Existimo autem hoc ita esse verum stando in jure communi, ut tamen si expresse Episcopus renunciet dignitati etiam quoad actum conferendi minores Ordines, et Summus Pontifex facultatem concedat ad renunciationem ita faciendam, et eodem modo illam acceptet, tunc non liceat ei illos Ordines conferre, quia tunc ex speciali modo, et concessione Pontificis, non minus renunciatur dignitas Episcopalis quoad minores, quam quoad majores Ordines. Sicut si Abbas hanc facultatem habens conferendi Ordines minores, renunciasset suæ dignitati, et privilegio, jam non posset tales Ordines licite conferre. Hinc vero statim pullulat quæstio, an recipiens minores Ordines ab hujusmodi Abbate, qui suæ dignitati renunciavit, maneat suspensus, ad quam, si paritatem rationis attendamus, affirmative respondendum videtur. Tamen quia nunquam probo hunc modum extendendi legem pœnalem, et quia de hac renunciatione quoad hos Ordines nihil in jure invenio, non censeo suspensionem hanc ad casum illum esse extendendam.

5. *Episcopus, qui loco, et dignitati renunciavit, non potest licite non rogatus minores Ordines conferre.* — Denique circa hanc partem adverto, Summum Pontificem non addidisse in illa eam limitationem, quam posuit in primo membro, scilicet, si talis Episcopus rogatus ab alio minores Ordines conferat; non

quidem, quia illa non sit æque necessaria in hoc secundo membro sicut in primo, ut talis ordinatio licite fiat, quandoquidem jurisdictio, vel licentia proprii Episcopi necessaria est ad quoslibet Ordines, etiam minores, conferendos, vel recipiendos; constat autem eum, qui renunciavit Episcopatui quoad dignitatem, a fortiori renunciasse quoad locum, ideoque jurisdictionem non retinere; indiget ergo facultate proprii Episcopi, ut ordinatio licite fiat. Sed omisit Pontifex illam declarationem propter rationem supra tactam, scilicet, quia ad illum titulum non spectabat; nam si ex ullo alio capite ordinatio peccaminose fiat, et inde contrahatur aliqua censura, illa non provenit ex eo, quod ordinans renunciaverat Episcopatui etiam quoad dignitatem, de qua re ibi agebatur; sed quia sine debita jurisdictione actum Pontificalem exercuit.

6. *Suscipiens sacros Ordines ab Episcopo, qui loco, et dignitati renunciavit, quam pœnam incurrat.* — Tertio loco addit Summus Pontifex, eum, qui suscipit Ordinem sacrum ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, quoad dignitatem, non habiturum executionem officii; et indicat hoc ita esse, sive scienter, sive ignoranter Ordines susceperit, tamen diverso modo; nam si scienter, absolute dicitur carere executione Ordinis tanquam indignus, ita ut solus Pontifex Summus possit cum illo dispensare, ut sequentia indicant; nam de altero membro subjungitur : *Si ignoranter id factum sit, poterit, nisi crassa, et supina fuerit ignorantia, discretus Pontifex dispensare,* id est, ordinarius Episcopus; nam Summus Pontifex in quolibet casu potest dispensare. Circa quem textum oportet in primis exponere, qualis sit hæc pœna in illo imposita, scilicet, an irregularitas sit, vel suspensio; quod utile erit fere ad omnia alia, quæ de suspensionibus juris dicemus. Solum autem potest esse dubium inter illa duo, quia executio officii non tollitur nisi per alteram ex his pœnis, quando non intercedit excommunicatio, et ita tollitur ipso jure, ut dispensabilis sit, ut depositionem, et degradationem excludamus. Videtur ergo potius ibi ferri irregularitas, quam suspensio; primo propter illa verba : *Quia indignum se fecit, executionem officii non habebit*, quæ videntur significare omnimodam privationem, quæ proprie fit per irregularitatem, non per suspensionem; unde suspensus non videtur carere executione officii, sed solum detineri, ne illam exerceat, quamvis illam habeat. Unde in cap. Inquisitionis, de Accusat., per illa verba irregularitas homicidii significatur. Secundo, ibi Pontifex utitur nomine dispensationis, quæ proprie cadit in irregularitatem, in suspensionem autem minime; nam a suspensione datur absolutio, non dispensatio. Accedit, quod ibi Pontifex dat potestatem Episcopo dispensandi in illa pœna, quando Ordo non fuit scienter receptus a tali Episcopo; quod erat necessarium in irregularitate, non autem de suspensione, quia hæc, hoc ipso, quod non reservatur, concessa est Episcopo, juxta cap. Nuper, de Sententia excommunicationis.

7. *Dubii resolutio.* — Nihilominus censeo, pœnam in illo textu latam esse propriam suspensionem, et non irregularitatem. Ita sentiunt Glossa ibi, Panormitanus, et alii. Et suadetur primo, quia illa verba, *Executionem officii non habebit,* propriissime conveniunt suspensioni; nam revera suspensus pro eo tempore, quo suspensus est, non habet officii executionem; nihil est enim aliud non habere executionem, quam esse prohibitum, seu impeditum a tali executione. Unde in dicto cap. Inquisitionis, per verba similia significatur suspensio, quæ incurritur ob Ordinem susceptum ab excommunicato Episcopo, ut infra dicetur. Quapropter licet sub eadem voce includatur ibi irregularitas homicidii, quatenus irregularitas, et suspensio hunc effectum communem habent, tamen propriissime videtur convenire suspensioni, quæ per se respicit usum Ordinis jam suscepti; irregularitas enim per se primo impedit susceptionem Ordinis, executionem autem Ordinis suscepti solum consequenter, ut infra suo loco dicetur. Ergo in præsenti textu merito sub ea voce suspensionem intelligimus. Confirmatur, quia hæc est mitior pœna, et lex pœnalis mitiori modo interpretanda est, si aliud non cogat. Maxime, quia irregularitas videtur esse pœna valde improportionata propter factum, quod non videtur esse adeo grave. Unde propter similia non solet in jure imponi major pœna, quam suspensio, ut videbimus. Accedit, quod sic ordinatus non manet impeditus ab executione omnium Ordinum, quos habet, sed ab illo, vel illis, quos a tali Episcopo suscepit; ita enim omnes intelligunt illam particulam, *executionem officii*, respective, seu juxta subjectam materiam, scilicet, ab officio suscepto per ordinationem a tali Episcopo, quia in eo punitur, in quo deliquit; et solum cen-

setur, illam executionem non habere, quam alius dare non potuit, juxta generalia principia in superioribus posita, et ex sequentibus magis constabit. At vero irregularitas privat executione omnium Ordinum simpliciter; non est ergo sermo ibi de irregularitate. Et hæ rationes applicandæ sunt fere ad omnes suspensiones sequentes; nam eadem est de illis controversia, et auctores varie loquuntur, sed nobis videntur sub hac specie collocandæ.

8. *Suspensionem perpetuam per dispensationem tolli.* — Neque etiam obstat verbum dispensandi; nam licet suspensio, quæ est censura, per absolutionem tollatur, suspensio autem, quæ est tantum pœna, vel impedimentum, per dispensationem tollitur, et hoc habet commune cum irregularitate, ut supra tactum est, et dicetur sæpe in sequentibus. Et patet ex cap. 2 ejusdem tituli, de Ordinatis, etc., et ex Concilio Trident., sess. 24, cap. 6 de Reformat. Dices : licet suspensio perpetua, vel ad certum tempus, intra illud per dispensationem tollatur, tamen illa, quæ indefinite fertur, imitatur eam, quæ est propter contumaciam, et ita per absolutionem tollitur; talis autem videtur suspensio ibi allata, quia simpliciter dicitur : *Executionem officii non habebit.* Respondeo, jam supra dictum esse, hanc formam esse dubiam, et ex circumstantiis illius textus colligi esse perpetuam, tum ex illo verbo, *quia indignum se fecit;* tum quia in particulari casu conceditur dispensatio Episcopo. Addo etiam (quod notandum est pro omnibus supra dictis) duplicem esse suspensionem : unam, quæ tollit usum jam aliquando habitum, et de hac loquuti hactenus sumus, et procedit objectio; aliam, quæ impedit a principio, ne recipiatur, et hæc natura sua est perpetua, et reservata Pontifici jure ordinario, et simillima irregularitati, et talis est suspensio illius textus. Quæ omnia ex dicendis patebunt.

9. *De qua ignorantia loquatur dictum cap. 1 de Ordin. ab Episc. qui renunc. Episc.* — Juxta hæc enim expediendum est aliud dubium, quod oritur circa concessionem, quæ ibi fit in casu ignorantiæ, de qua intelligenda sit, vincibiline, vel invincibili. Nam si de vincibili, obstant illa verba : *Nisi crassa, et supina fuerit ignorantia.* Si autem dicamus, sermonem esse etiam de ignorantia inculpabili, obstat textus in cap. penult. de Clerico excomm. minist., a paritate rationis; obstat item textus in cap. Ut animarum, de Constitut., in 6, ubi dicitur, ignorantes non ligari, nisi eorum ignorantia crassa fuerit, vel supina. Obstat denique, quod supra dictum est, suspensionem non incurri nisi propter culpam; ignorantia autem invincibilis excusat a culpa.

10. *Prima opinio.* — *Rejicitur.* — *Secunda sententia.* — *Improbatur.* — Quidam dixerunt, intelligendum esse illum textum de ignorantia culpabili. Quod sensit Innocentius ibi; et posset explicari vel juxta opinionem eorum, qui dicunt, dari ignorantiam culpabilem sufficientem ad peccatum mortale, quæ minor est, quam crassa, vel supina ignorantia, et de tali ibi esse sermonem, vel de ignorantia venialiter tantum culpabili, secundum opinionem Cajet. asserentis ad suspensionem sufficere peccatum veniale. Sed quia neutra ex his opinionibus nobis probata est in superioribus, ideo neque hæc interpretatio probari potest. Et sane juxta usum Pontificii juris constat, sub ignorantia crassa et supina omnem ignorantiam simpliciter culpabilem comprehendi, et ignorantiam, quæ ab his distinguitur, esse inculpabilem, ut patet ex citato cap. Ut animarum, et ex dicto cap. penult. de Clerico excomm. ministr., et aliis similibus. Et ideo communis interpretatio Glossæ, Abbatis, et aliorum est, textum illum intelligendum esse de ignorantia probabili. Dicunt vero aliqui, excusationem talis ignorantiæ in illo casu non admitti ad impediendam suspensionem, quia supponitur alia culpa recipiendi Ordines ab Episcopo non suo. Ita Glossa ibi in prima responsione. Sed non placet, tum quia divinat; nam textus indistincte loquitur de eo, qui bona fide a tali Episcopo Ordinem sacrum suscipit, sive alias peccet, sive non; tum etiam quia illud aliud genus culpæ sufficere poterit ad aliud genus pœnæ, vel censuræ, si ratione illius lata est, non vero ad illam suspensionem, de qua disputatur.

11. *Tertia sententia.* — Aliter ergo dici potest, primo, ibi esse sermonem de ignorantia invincibili. Secundo, cum illa non incurri hanc suspensionem, quia textus hoc expresse non dicit, et objectiones in contrarium urgent. Tertio, in eo casu non requiri propriissimam dispensationem; nec necessarium esse, textum illum interpretari de dispensatione proprie, et rigorose sumpta, quæ vinculum, et obligationem supponit; sed intelligi latius de interpretatione, publica

auctoritate, et honestate facta; hæc enim illius vocis acceptio non est inusitata, ut constat ex materia de legibus; et quando materia postulat, merito applicari potest. In præsenti autem videtur necessaria, quandoquidem ibi non supponitur vinculum, quod per propriam dispensationem tolli possit, ut videntur rationes factæ probare; supponitur autem sufficiens ratio, ob quam talis interpretatio necessaria sit. Nam cum, per se loquendo, non possit aliquis Ordines, et usum eorum a tali Episcopo recipere, quamvis propter ignorantiam excusetur, merito voluerunt jura, ut donec de illa excusatione legitime constet per sui Prælati declarationem, non possit suscepto Ordine uti. Et ita usque ad talem declarationem potest dici sic ordinatus quodammodo manere suspensus, non quia propriam censuram aut pœnam incurrat, sed quia indiget quadam publica satisfactione, seu quasi purgatione, priusquam publicum illud ministerium usurpet. Et ideo etiam dicetur Prælatus dispensare, quia tollit illud qualecumque impedimentum, et cum auctoritate declarat illum non esse suspensum. Et hic modus dicendi, quamvis auctores non habeat, non videtur improbabilis.

12. *Secunda et communis sententia.* — Communis ergo interpretatio cum Glossa ibi est, textum loqui de ignorantia inculpabili, et propria dispensatione; quia illa suspensio sine culpa contrahitur, quia non est privatio usus jam aliquando habiti, sed impedimentum ne recipiatur. Priori enim modo nemo suspenditur proprie, nisi ob culpam propriam, si suspensio habet rationem pœnæ, vel ob causam etiam propriam, et in ipsomet inventam, si suspensio solum sit per modum cujusdam inhabilitatis, seu irregularitatis ob aliquem defectum, ut citatis locis explicatum est. Posteriori autem modo potest quis manere suspensus, solum propter defectum dantis; quia scilicet non habuit potestatem dandi talem usum, seu executionem Ordinis; nam tunc illa suspensio non est pœna, nec privatio superveniens, sed quasi defectus quidam ipsi generationi conjunctus, qui sæpe provenit ex solo defectu virtutis in causa efficienti. Et ita est in præsenti casu; nam Episcopus sicut indiget charactere, ut characterem imprimat, ita requirit, quod habeat illum characterem habilem (ut sic dicam) ad operandum, ut conferat alteri characterem similiter habilem et expeditum ad suam operationem. Sicut ergo existimatus Episcopus, si reipsa non haberet characterem Episcopalem, non conferret ordinato characterem, ex divina institutione, ita ex Ecclesiastica, si Episcopus habeat characterem absque habitu seu habilitate ad suum ministerium, conferet quidem characterem, quia hoc Ecclesia impedire non potest; non tamen conferet characterem habilem ad operandum; ideoque qui illum recipit, manebit ab executione suspensus, etiamsi culpa caruerit. Quæ suspensio revera est simillima irregularitati; et ideo mirum non est, si interdum sine culpa contrahatur. Neque contra hoc procedit cap. penult. de Clerico excomm. ministr., nam ibi est sermo de irregularitate solum ob culpam imposita. Et similiter cap. Ut animarum periculis, loquitur de vinculo quoad pœnam, præterquam quod ibi non de Pontificiis legibus, sed de statutis ordinariorum sermo est. Aliud solutum jam est, ideoque sententia hæc tanquam communior, securior, et magis consentanea proprietati verborum illius textus sequenda videtur. Et practice fere non differt a superiori interpretatione, cum fatendum sit, sic ordinatum non posse exercere Ordines sine Episcopi dispensatione, qualiscumque illa sit, et Episcopum teneri ad dispensandum, si satis ei de ignorantia constet.

Secunda suspensio ob ordinationem ab alieno Episcopo sine licentia proprii contracta.

13. Secunda suspensio contrahi dicitur ab eo, qui ab alieno Episcopo sine licentia proprii ordinatur. Citatur cap. Eos qui, de Temp. ordin., in 6. Sed ibi non declaratur pœna ordinati, sed ordinantis. Afferuntur etiam cap. 1 et 3, 71 dist., et alia ex 9, quæst. 2, ubi sic dicitur : *Talis ordinatio rata non habebitur,* scilicet, quoad executionem. Sed hæc verba indifferentia sunt, ut de suspensione ipso jure lata, vel ferenda intelligantur. Nam licet in dicto cap. 3, dicatur, *Irrita sit,* in ipso Concilio Nicæno, cap. 17, dicitur, *Irrita erit,* vel secundum aliam translationem, *Irrita habeatur.* Quod recte intelligitur per sententiam. Unde in cap. Quod translationem, de Temp. ordin., in simili casu dicitur : *Interdicenda illis est Ordinis sic suscepti executio.* Verbum enim, *interdicenda,* plane significat actum hominis, atque adeo pœnam ferendam, non latam.

14. *Qualis sit suspensio hæc.* — Est ergo difficultas, qualis sit hæc suspensio. Nam

Glossa in dict. cap. Eos qui, dicit, hujusmodi clericum non incurrere ipso facto suspensionem, quæ sit propria censura, ita ut ministrando in suo Ordine fiat irregularis; addit tamen esse aliquo modo suspensum ipso jure. Et affert praxim Romanæ Curiæ; nam quando Pontifex cum his dispensat, dicere solet dispensare cum Petro ipso jure ab Ordinum executione suspenso; quis autem sit ille modus suspensionis, non declarat. Potest tamen explicari ex Hostiense, et aliis, ut illa dicatur suspensio, non censuræ, sed culpæ, quia ille graviter peccat ministrando in Ordine sic suscepto prius quam Episcopus proprius talem ordinationem ratam habeat; nam sicut non poterat talis persona suscipere illum Ordinem ab alieno Episcopo sine facultate proprii, ita etiam non potest licite illum exercere sine ejusdem facultate, et approbatione. Et quoad hanc partem sententia hæc mihi videtur vera; hæc enim obligatio nascitur ex subjectione, et debita subordinatione Prælato. Quod significavit etiam Armilla, verbo *Ordo,* num. 16. Quoad priorem vero partem negativam licet sententia illa secundum antiquum jus sustineri possit, tamen ex jure novo Pii II in Extrav. *Cum ex sacrorum*, quæ est 6 illius in Bullario, hæc suspensio est vera censura propter tale crimen ipso jure imposita; ideoque sic ordinatus ante absolutionem in suo Ordine ministrans irregularis efficitur. Ita Navarrus, cap. 27, num. 155, et num. 241. Ubi etiam negat hanc esse irregularitatem, et Bernardus Diaz, in Practica, cap. 26; Covarruvias, Soto, et alii, quos ibi refert Salzedo.

15. *Casus in quibus potest quis ordinari ab alieno Episcopo sine licentia proprii. — Secundus.* — Advertendum est autem, hanc suspensionem non incurri nisi propter culpam ejus, qui sic ordinatur; solum enim ut pœna ei imponitur, neque aliud potest ex citatis juribus colligi; et ideo quacumque ratione susceptio talis Ordinis sine culpa sit, non incurretur talis suspensio. Potest autem excusari a culpa primo propter bonam fidem, si ex ignorantia inculpabili putet talem Episcopum habere facultatem ordinandi, vel tales litteras dimissorias esse sufficientes. Ita sumitur ex Navarro, dicto num. 155, qui refert seipsum, in cap. Recepta, de Restitutione spoliatorum, propos. 8, num. 32. Et ad hoc ponderat, in dicta Extrav., verbum *præsumpserit,* quod dolum, vel malitiam indicat. Deinde a fortiori non incurretur talis suspensio in eis casibus, in quibus potest aliquis legitime ab alieno suscipere Ordines sine licentia proprii Episcopi. Sunt autem hi casus, primo, si proprius Episcopus suspensus sit ob hujusmodi crimen ordinandi alienos sine legitima facultate; tunc enim si ejus suspensio manifesta fuerit, ipso jure conceditur ejus subditis, ut possint ab altero ordinari sine licentia sui Prælati; id enim statuitur in dicto cap. Is qui, de Tempore ordin., in 6. Secundo, qui per triennium commoratur cum alio Episcopo tanquam familiaris ei, seu de familia ejus, ab eo potest ordinari sine licentia alterius proprii, ex concessione Concilii Trident., sess. 23, cap. 9. In sessione autem 14, cap. 2, decreverat hoc non licere Episcopis titularibus, etiam prætextu cujuscumque familiaritatis; unde cum hoc expresse, et in specie non revocet in alio decreto, in illo sine dubio loquitur de Episcopis ordinariis. Quibus etiam conditionem apponit, *Dummodo dent illis statim beneficium.*

16. *Tertius.* — Tertio, solet excipi casus, in quo unus Episcopus ordinat subditum alterius sub spe ratihabitionis ejus; tunc enim illa ratihabitio censetur vim legitimæ facultatis habere. Quod sumi potest ex cap. ult., 9, quæst. 2, ubi etiam allegatur factum Epiphanii, qui hoc modo ordinavit in diœcesi sancti Joannis Chrysostomi absque expressa ejus facultate, quod sanctus vir facturus non fuisset, nisi spem ratihabitionis, seu consensus Chrysostomi haberet, et illam sufficere existimaret. Atque ita sentiunt Raymundus, in Summ., tit. de Forma consecr., et Maiolus, lib. 4 de Irregular., c. 2, num. 7, qui alios refert. Hic tamen casus minus est certus, quam præcedentes, quia in his, quæ sunt contra ordinarium jus, et contra alterius jurisdictionem, non est facile hujusmodi ratihabitio admittenda; alioqui daretur occasio multarum perturbationum, si Episcopi hac occasione alienos ordinarent sine licentia proprii. Item, quia quando non intercedit facultas expressa, non potest alienus Episcopus ordinare alienum nomine proprii; ergo nec potest postea proprius Episcopus talem ordinationem ratam habere, tum quia nemo potest ratum habere, quod ipsius nomine non est gestum, ut dicitur in regula 9 de Regulis juris, in 6, et in c. Cum quibus, de Sententia excomm., in 6; tum etiam quia talis ordinatio a principio fuit irrita secundum canones; quod autem ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, ut dicitur in

regula 30, ff. de Regulis juris. Propter quæ multi Doctores prædictam exceptionem admittendam non existimant, quos refert, et sequitur Salzedo supra, qui varie interpretantur dictum c. ultim., 9, quæst. 2. Et sane ibi non omnino videtur approbari talis ratihabitio, quandoquidem congrua pœnitentia, et satisfactio sic ordinatis imponenda dicitur, propter Ecclesiam, quam offenderunt, et miserationis intuitu in suo honore, id est, ad Ordinis executionem admittendi dicuntur.

17. *Tertius modus in aliquo casu admittitur.* — Sed nihilominus non censeo dictam exceptionem omnino esse rejiciendam, quia factum Epiphanii plurimum urget, ut dicamus non peccare Episcopum, qui simili ratihabitione aliquando utitur, præsertim cum in dict. c. Si quis, de Sent. excom., in 6, et in regula 10, de Reg. jur., in 6, dicatur, ratihabitionem retrotrahi, et mandato comparari; ergo, si in aliquo casu hoc principaliter verificari potest, maxime in præsenti, ubi facultas propria Episcopi non est necessaria ad substantiam seu valorem actus ordinandi, sed ad convenientem modum et subordinationem. Unde quando ordinatio in hoc modo fit, potest dici facta aliquo modo nomine proprii Episcopi, cum sub probabili et prudenti spe consensus ejus facta fuerit. Et ideo non potest etiam dici irrita a principio etiam juxta modum loquendi canonum, quia si licite facta est prædicto modo, ut contendimus, nulla suspensio in suscepto Ordine contracta est; ergo ordinatio non fuit irrita. Fateor tamen hujusmodi ratihabitionem non esse facile admittendam, sed ubi tam persona ordinantis quam ordinati cognita est, et extra omnem suspicionem ob vitæ integritatem, sapientiam, ac prudentiam, quæ maxime spectari debent ex parte ipsius ordinantis. Quapropter, si is, qui ordinatur (de quo nunc agimus) absque malitia et deceptione bona fide procedat, credens ordinanti Episcopo alieno dicenti se habere satis cognitam, vel præsumptam sui Episcopi voluntatem seu ratihabitionem, ideoque sibi licere eum ordinare, id satis erit ad eum excusandum a culpa et consequenter a suspensione. Quod si postea proprius Episcopus ordinationem nolit ratam habere, poterit forte suspensionem ferre; suspensio autem illa, quæ ipso jure incurritur, non fuit contracta, quia hæc non pendet ex futuro eventu. Imo etiam ipsa suspensio ab homine lata, quamvis in foro exteriori timenda sit, tamen in conscientia non poterit esse valida in ratione pœnæ et censuræ, si constat bona fide processum esse, ita ut fuerit sufficiens ad excusandum a culpa, quamvis in ratione prohibitionis seu denegationis facultatis ad utendum Ordine suscepto, valida esse possit, quia hæc tunc pendet ex ipsius Episcopi voluntate, quam tamen aliqua justa ratione fundatam esse necesse est.

18. *Quartus, in quo ab alieno potest quis ordinari non incurrendo hanc suspensionem.* — Quarto excipitur a prædicta suspensione incurrenda, qui tantum minores Ordines ab alieno Episcopo suscipit, non tantum si bona fide, sed etiam si peccando id faciat. Non est enim dubium, quin mortaliter peccet is, qui minores Ordines suscipit ab alieno sine licentia proprii, quia id est contra sacros canones, et contra debitam subordinationem, et jurisdictionem proprii Episcopi, et materia non est levis, cum sit susceptio gravissimi sacramenti, et status clericalis. Quo fit, ut postea non possit licite tali Ordine uti, nisi prius proprius Episcopus talem ordinationem ratam habeat, et facultatem concedat, juxta superius dicta. Nihilominus tamen propriam suspensionem ipso jure non incurrit; nec si in suscepto Ordine ministret, irregularis fiet. Ratio est, quia Pius II, in dict. Extravagante, expresse loquitur de sacris Ordinibus, et constitutio maxime pœnalis non debet ultra proprios terminos extendi. Imo expressio unius, alterius exclusio est; nam, si omnes Ordines comprehendere voluisset, de sacris in particulari locutus non fuisset, argument. c. Non me, de Præsumpt., et c. Ad audiendam, de Decimis. Ita Rebuffus, in Practica beneficiali, tit. de Clericis ad sacros Ordines male promotis, Glossa 3, num. 1; Navarr., in Sum., c. 25, n. 70, et lib. 1 Consil., titul. de Temp. ordin., consilio 31, n. 4.

19. *Suspensio lata in cap., 1 de Tempor. ordinat., in 6, etiam ad minores Ordines extenditur. — Non tam ad primam tonsuram. — Suspensio Pii II a Tridentino etiam ad recipientes minores Ordines extensa est.* — Ibi tamen eodem modo exponit c. 1 de Temp. ordinat., in 6, in quo specialiter fuerat lata hæc suspensio ipso jure, et Summo Pontifici reservata contra ultramontanos, qui in Italia ab alio Coepiscopo Ordines suscipiunt, absque sui Episcopi, vel Summi Pontificis speciali licentia; vult autem Navarrus etiam textum illum limitandum esse ad sacros Ordines, quia in principio specialis mentio illorum fit. Tamen in casu illius textus magis dubia res

est, quia, licet in principio explicando rationem motivam Pontifex loquatur de sacris Ordinibus, tamen postea in ipsa lege solum dicit, *ut nullus clericus ordinari præsumat,* et infra : *Eos qui contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus absque spe dispensationis super hoc a Sede Apostolica obtinendæ suspensos*, etc. Unde Glossa ibi generalius textum illum intelligit, quam sequitur Sylvest., verb. *Irregularitas,* 99. Mihique hæc sententia placet, quia textus absolute loquitur de omnibus clericis, qui ordinantur, nec quoad Ordines limitationem adhibet. Quia vero de clericis loquitur, non comprehendet eum, qui primam tonsuram accipit, quia clericus non est, nec prima tonsura in rigore est Ordo. Item, quia est lex pro locis definitis, non extenditur ad alia; in cæteris ergo locis et casibus restrictio Pii II servanda est. Poterit autem sic ordinatus suspendi a proprio Episcopo juxta jura antiqua, et juxta Trident., sess. 14, c. 3 de Reform., ubi addit, *præsertim a sacris Ordinibus.* Unde constat alios etiam comprehendere; nam in fine expresse addit : *Ne in aliquo Ordine ministret, interdicere potest.* Ibi autem non solum loquitur de indebita ordinatione, sed etiam de indignitate personæ; et ideo dicit judicium illud faciendum esse prævio examine, quando legitima approbatio proprii Episcopi non præcessit. At vero idem Concilium, sess. 23, c. 8 de Reform., propter hanc culpam aperte ponit suspensionem ipso facto dicens : *A susceptorum Ordinum executione suspensus sit;* addit autem limitationem, *Quamdiu proprio Ordinario videbitur.* Et ideo Congregatio Cardinalium declaravit hunc fieri irregularem, si ante licentiam sui Episcopi in suscepto Ordine ministret. Unde obiter aperte constat hanc esse suspensionem et non irregularitatem, ut sensit Maiol., lib. 4 de Irregularit., c. 20. Et licet Concilium in principio capitis de sacris Ordinibus loqui videatur, postea absolute loquitur, et ita minores etiam comprehendit, ut eadem Congregatio declaravit.

20. *Tertia suspensio in ordinatione contracta.* — Tertio hic addi potest suspensio lata ipso jure ab eodem Concilio Trid., sess. 7, c. 10 de Reform., in eum, qui vacante Episcopatu, et non arctatus occasione beneficii recepti, vel recipiendi, infra annum cum litteris dimissoriis a Capitulo receptis, ordinatur in sacris. Et ibi etiam additur limitatio, ad beneplacitum futuri Prælati. Pro suscipientibus vero minores Ordines additur alia pœna, scilicet, ut non gaudeant privilegio clericali, præsertim in criminalibus, quæ diversa pœna est; et ideo hi non suspenduntur, ut etiam Congregatio Cardinalium declaravit.

21. *Quarta suspensio.* — Quarto hic potest adjungi suspensio, quam incurrit is, qui a proprio etiam Episcopo, in aliena diœcesi sine licentia Episcopi loci Ordines conferente, eos receperit, juxta Concil. Antiochenum, c. 22, et c. Episcopum, 9, quæst. 2, ubi talis ordinatio irrita esse dicitur; quibus verbis significari solet in jure ordinatio illa, per quam executio Ordinis non confertur; quæ suspensio innovata est, et clarius lata in Concil. Trid., sess. 6, c. 5 de Reformat., et sess. 14, c. 2. Quo fit, ut si quis sine licentia sui Episcopi ab alio Episcopo in aliena diœcesi absque debita licentia ministrante, Ordines suscipiat, duas suspensiones incurrat, unam, quia sine litteris dimissoriis, aliam, quia a tali Episcopo in tali loco Ordines suscipit; posset enim una ab altera separari, et e converso; ideoque non se impediunt, quominus simul contrahantur.

Quinta suspensio ob ordinationem ante legitimam ætatem contracta.

22. *Quæ legitima ætas ad Ordines recipiendos.* — *Solum ob ordinationem in sacris incurritur suspensio hæc.* — Quinta suspensio lata est in eum, qui ante legitimam ætatem ordinatur. Quæ sit legitima ætas ordinandorum, supponendum nunc est ex Concilio Trident., sess. 23, cap. 12 de Reformat., ubi sacris Ordinibus suscipiendis, non vero minoribus certa ætas assignatur. Quo fit, ut hic casus intelligendus sit de suscipiente aliquem sacrum Ordinem ante ætatem legitimam; nam ad inferiores Ordines non est certum tempus ætatis lege præscriptum, præter hoc, quod pueri tempore infantiæ, id est, septimo ætatis anno, et non antea possunt ad clericatus officium per primam tonsuram mancipari, et ab eo tempore usque ad vigesimum secundum ætatis annum possunt reliquos Ordines minores arbitrio Episcopi recipere, ut colligitur ex c. De iis, 28 dist., et ex c. In singulis, 77 dist. Ubi tempora quædam et interstitia designantur, quæ jam in usu non sunt, sed arbitrio Episcopi commissum est, ut de interstitiis expresse habetur in Trident., sess. 23, c. 11 de Reformat., et de ætate insinuatur in c. 12, quatenus de illis tacetur, et c. 6, aperte supponitur ante decimum quartum

annum posse aliquem suscipere omnes minores Ordines; in c. vero 5, quamvis de eorum ætate, qui minores Ordines suscipere volunt, inquirendum esse dicatur, non tamen certa ætas præfigitur, sed id fieri videtur, ut Episcopus possit prudenter arbitrari. Unde quoad hoc potest quispiam aliquo modo peccare, si per deceptionem vel dolum se faciat ordinari in minori ætate, quam Episcopus vellet; tamen propter hoc nulla est specialis pœna imposita, quia res est minoris momenti, quia talis ætas, ut dixi, non est certa lege præscripta.

23. *Suscipiens Ordinem in minori ætate non potest in illo ministrare usque ad legitimam.* — Conclusio ergo posita solum procedit de sacris Ordinibus; et probari solet ex cap. Vel non est compos, de Temp. ordin., ubi de quodam ordinato in diaconum in ætate tredecim annorum ait Pontifex : *Ipsum ab executione officii diaconi usque ad ætatem legitimam suspendimus.* Sed ex illo textu non colligitur, eum, qui sic ordinatus est, esse ipso jure suspensum, sed suspendendum, ut Glossa, et omnes interpretes notant, tum ibi, tum etiam in Clementina *Generalem,* de Ætate et qualit.; Antoninus, 3 part., tit. 14, c. 16, § 15; Major, in 4, dist. 24, quæst. 1, in fine, quamvis non satis clare; et alii, quos refert, et sequitur Covarr. in Clement. *Si furiosus,* p. 1, § 1, n. 4; Bernard. Diaz, in Practica crimin., c. 16. Quæ sententia est vera; ut tamen explicetur advertendum est, duobus modis posse intelligi, ordinatum ante legitimam ætatem manere suspensum. Primo ex vi illius prohibitionis generalis, qua tenetur non suscipere talem Ordinem usque ad talem ætatem; nam in ea includitur, ut non possit tale ministerium exercere usque ad talem ætatem, ut per se notum est; quæ prohibitio non tollitur, propterea quod aliquis ante legitimam ætatem illicite et sine dispensatione ordinatus sit; non enim debet commodum ex sua malitia, vel ex actu illicito reportare; et quoad hoc fatentur omnes etiam ex vi antiqui juris manere hujusmodi ordinatum suspensum, vel potius prohibitum ipso júre, ne in suscepto Ordine ministret usque ad legitimam ætatem. Hæc autem non est proprie loquendo suspensio, ut dicit censuram, seu pœnam Ecclesiasticam, nam præceptum illud, quo omnes prohibentur, ne ante talem ætatem talem Ordinem suscipiant, non est suspensio, sed irregularitas, a qua dictum impedimentum provenit. Quo fit, ut si quis ante ætatem legitimam ministret in Ordine suscepto, licet graviter peccet contra dictam prohibitionem, non tamen fit irregularis ex vi illius, si non est aliter suspensus, quia non aget contra specialem censuram.

24. *Si autem ministret, non fit irregularis ex vi juris antiqui. — Nec per cap. Vel non est compos, incurritur.* — Alio modo intelligi potest, sic ordinatum manere suspensum propria suspensionis censura, quæ optime explicatur ex illo effectu, ut si post illam contractam ministret ex officio, fiat irregularis; et sic probabilius est, ex vi antiqui juris sic ordinatum non contrahere ipso facto suspensionem. Probatur, quia ex nullo jure antiquo colligitur hæc suspensio, nisi ex dict. c. Vel non est compos. Nullum enim aliud refertur, aut invenitur; in illo autem non dicit Pontifex. Declaramus suspensum, sed, *suspendimus in injuriam ordinantis,* propria scilicet suspensione, quam Pontifex addit ultra aliam prohibitionem jam declaratam, alias nihil de novo faceret; non ergo recte diceret, *suspendimus,* jam enim ille per se suspensus erat illo modo. Item non recte diceret, *in injuriam ordinantis,* quia illud genus prohibitionis ex alio principio nascitur, ut vidimus; loquitur ergo de propria suspensione, et illam de novo efficit; ergo signum est, quod antea talis suspensio non incurrebatur ipso facto. Nec vero ex vi illius juris postea incurritur, quia ibi Pontifex non est locutus ut legislator, sed ut judex in illa causa; ergo licet in illa talem sententiam tulerit, non propterea ipso jure similem sententiam latam esse voluit contra omnem ordinatum ante legitimam ætatem. Inde igitur solum colligitur, Pontificem suo facto constituisse veluti exemplar quoddam, quod alii judices possint, aut debeant imitari; vel certe, Pontificem tulisse sententiam secundum ordinarium jus antiquum, quod alii a fortiori servare tenentur; colligitur autem illud jus ex c. Subdiaconus, 77 dist., ubi sic legitur : *Si quis in aliquo Ordine sacerdotali præter constituta tempora ordinatus fuerit, deponatur.* Loquitur autem aperte de temporibus quoad ætatem legitimam; nam immediate præmiserat, ut nullus ante vigesimum annum subdiaconus ordinetur; depositionis autem nomine suspensionem comprehendit, quod usitatum est in jure.

25. *Per Extravag. Pii II, incurritur suspensio hæc ipso facto. — Num incurrat illam bona fide ante legitimam ætatem ordinatus.* — Addendum vero est jam nunc ex jure novo

hanc suspensionem ipso facto incurri per Extravag. Pii II, superius citatam. Quam Pius V et Sixtus V auxerunt, et Clemens VIII confirmavit in constitutionibus infra citandis. Duo autem dubia circa illam occurrunt. Unum est, an qui bona fide ordinatur ante legitimam ætatem, inculpabiliter existimans se jam illam attigisse, nihilominus maneat suspensus, ita ut absolutione indigeat, si postea intelligat se ante tempus fuisse ordinatum. Et ratio dubitandi esse potest, quia ex vi illius Extravagantis incurritur suspensio ipso jure in eo casu, in quo secundum jus antiquum aliquis esset suspendendus ab Ordine; sed secundum antiquum jus suspendendus esset sic ordinatus, etiam si non peccasset in sua ordinatione; ergo nunc etiam est suspensus ipso jure.

26. *Conclusio.* — Nihilominus contrarium tenet Navarrus, in Summ., c. 27, num. 155, et mihi videtur vera sententia. Ad majorem tamen explicationem distinguere hic possumus de ignorantia facti vel juris; Navarrus enim loquitur de ignorantia facti, scilicet ipsius ætatis. Et sic videtur res clara, quia ex verbis illius Extravagantis constat, intentionem Pontificis fuisse punire *excessus* (sic enim loquitur) *qui in hac parte fiunt, et scandala, quæ inde generantur.* Unde sic ait : *Nos eorumdem temeritatem tali castigatione reprimentes*, etc., quæ omnia cessant interveniente prædicta ignorantia. At vero si loquamur de ignorantia juris, primum moraliter fieri non potest, neque ordinarie admitti debet, quod aliquis ordinetur ante legitimam ætatem ex ignorantia inculpabili, vel quia existimet nullum esse jus, quod talem ætatem requirat, vel putet, verbi gratia, nunc sufficere vigesimum annum ætatis ad subdiaconatum, quia, qui ad suscipiendos Ordines accedit, tenetur hoc jus scire; et adeo est commune et vulgare, ut vix possit inculpabiliter ignorari, cum facile possit a peritis interrogari. Nihilominus tamen, si fingeremus casum, in quo hæc ignorantia invincibilis interveniret, excusaret a culpa, et consequenter etiam excusaret a prædicta suspensione, juxta fundamentum positum. Imo sentit Navarrus sufficere quod interveniat ignorantia excusans a præsumptione et temeritate, etiam si non omnino excuset a culpa, quia in Extravag. ponitur verbum *præsumpserit,* quod quidem mihi probabile videtur juxta principia posita.

27. *Quid si quis jus imponens hanc suspensionem ignoret, non autem prohibitionem.* — Secus vero esset, si talis ignorantia juris non esset generalis de toto jure prohibente ordinationem ante talem ætatem, sed specialis de jure imponente hanc pœnam; facile enim potest aliquis sine culpa ignorare totum hoc novum jus, per quod imposita est suspensio ipso facto in prædicto casu, quamvis non ignoret talem ætatem esse jure præscriptam ad talem Ordinem suscipiendum. In eo ergo casu dicendum est, talem ignorantiam non impedire, quominus incurratur hæc suspensio, quia illa non excusat culpam in tali ordinatione, ut per se notum est; ignorantia autem solius pœnæ non excusat, quominus pœna incurratur; maxime in hac pœna, quæ non pro contumacia, sed pro delicto fertur; quod delictum semper includit aliquam inobedientiam contra præceptum Ecclesiæ; ergo quamvis non sciantur omnia præcepta, quæ circa hoc lata sunt, et specialiter ignoretur illud, per quod talis pœna imponitur, nihilominus ratione delicti talis suspensio incurretur, juxta doctrinam generalem superius datam de censuris in communi. Conferet tamen dicta ignorantia ad excusandam irregularitatem, si quis in Ordine sic suscepto ministret; nam licet ille reipsa suspensus maneat, tamen invincibiliter ignorat se esse suspensum ipso facto, ut supponimus; ergo sic ministrando non peccat; ergo non incurrit irregularitatem, quia hæc irregularitas non imponitur, nisi in pœnam delicti, ut satis indicat verbum *præsumpserit,* in prædicta Extravag. positum. Idque confirmari potest ex generali doctrina superius data de censuris; et eam etiam approbat Navarrus supra, et in cap. Accepta, de Restitutione spoliator., proposit. 8, num. 32 et sequentibus, et Covarr., in Clement. *Si furiosus,* p. 1, num. 4, in fine.

28. *Rationi dubitandi satisfit.* — Ad rationem autem in contrarium respondetur, in primis non esse similem rationem, nam suspensio, quæ nunc incurritur ipso jure in hoc casu, est ex se perpetua, quæ non tollitur nisi per absolutionem Pontificis; nam Pius II simpliciter, et sine ulla temporis limitatione fert hujusmodi suspensionem. At vero suspensio illa, quæ jure antiquo ferenda erat, solum durabat usque ad legitimam ætatem, juxta dict. cap. Vel non est compos, atque ita fere nullum novum onus imponebat, sed illud ipsum, quod ex ipso defectu ætatis sequebatur juxta sacros canones, majori quadam

obligatione, et fortasse etiam sub nova pœna irregularitatis incurrenda, si eo tempore ministraret. Et ideo mirum non est, quod tunc illa suspensio imponi posset, etiam illi, qui sine culpa sua sic ordinatus est. Præsertim, quia, ut dicitur in eodem cap. Vel non est compos, imponebatur etiam in injuriam ordinantis; nunc autem ea suspensio, quæ ipso jure imposita est, peculiariter fertur ob delictum ipsius ordinati, ut ex Extravaganti Pii II ponderandum est. Nec mirandum est illam suspensionem ab homine posse imponi sine culpa ordinati, quia non privat illum usu, quem jam haberet; pro illa enim ætate non habebat usum Ordinum, ut dictum est; sed additur solum ad majorem securitatem, et ad aliquam pœnam ordinantis.

29. Aliud dubium est, an hæc pœna locum habeat in eo qui ante legitimam ætatem Episcopus consecratur. Nam in sacris canonibus certum etiam ætatis tempus ad Episcopatum præscribitur, scilicet triginta annorum; consecratio etiam Episcopi juxta communem satisque probabilem sententiam Ordo quidam est, et consequenter inter sacros Ordines numerandus; ergo suspensio lata in eum, qui suscipit Ordinem sacrum ante legitimam ætatem, comprehendet eum, qui ante trigesimum annum fuerit consecratus Episcopus. Nihilominus dicendum est, illam pœnam et constitutionem non extendi ad Episcopos. Primo quidem ob illud principium generale, quod suspensio generatim lata non comprehendit Episcopos, nisi eorum fiat specialis mentio, juxta c. Quia periculosum, de Sent. excom., in 6. Secundo, quia ex multis circumstantiis constat illam Extravagant. non loqui de Episcopo, tum quia licet Episcopatus sit Ordo, tamen ejus collatio propter excellentiam consecratio dicitur potius, quam ordinatio. Tum etiam quia illæ particulæ, *litteræ dimissoriæ, extra tempora*, et similes, non accommodantur Episcopatui.

Sexta suspensio ipso jure lata in eum, qui extra tempora ordinatur.

30. *Cap. Cum quidam, cap. Consultationi, cap. Litteras, de Tempor. ordin.* — Sexta suspensio lata est in eum, qui Ordines suscipit extra tempora ab Ecclesia ad illud opus designata, absque legitima dispensatione. Hæc est recepta sententia, quæ probari solet ex c. 2 de Tempor. ordin. Verba tamen illius textus, quæ ad rem præsentem faciunt, hæc sunt : *Taliter ordinati non deberent permitti in susceptis Ordinibus ministrare; nam apud nos sic ordinati deponerentur.* Quæ omnia verba solum indicant pœnam imponendam, non ipso jure latam. Et similia habentur in cap. Cum quidam, eodem titulo. In c. autem Consultationi, dicitur, digna pœnitentia imposita, hos permitti posse ministrare, ubi non videtur significari suspensionem jam contractam posse tolli, sed suspensionem, quæ ferenda erat, potuisse non ferri, et in aliam pœnitentiam commutari. Citatur etiam cap. Litteras, eodem titulo; sed neque ibi est sermo de hoc casu, sed de alio infra tractando, scilicet de suscipiente plures Ordines sacros eodem die. Præterea in cap. ult., 75 dist., designantur quidem tempora ad ordinandum definita, non tamen pœna aliqua transgressoribus imponitur. Unde licet Sylvester et Angel., verb. *Irregularitas*, cum nonnullis Canonistis dicant, hanc suspensionem ipso jure latam, nobis tamen solum ferenda ab homine colligi videtur ex jure antiquo. Quæ fuit etiam sententia Innocentii, Hostiens., Panormitani, et aliorum, quia nullus est textus, quo sufficienter probetur. Nunc vero talis suspensio expresse posita est propter hoc crimen in dicta Extravagant. Pii II, quæ etiam quoad hanc partem suam vim habet et eodem modo exponenda est. Loquitur enim tantum in sacris Ordinibus, ac merito, quia minores Ordines non habent determinata tempora, ut constat ex cap. De eo, de Temp. ordin.

31. *Suspensio hæc solum ob culpam gravem incurritur. — Suspensio hæc solum impedit usum Ordinis sic suscepti, non inferiorum.* — Ut autem talis suspensio incurratur, necessarium est ut præcedat culpa gravis, sicut de duabus præcedentibus dictum est; nam de his tribus casibus eodem verborum tenore loquitur illa constitutio. Unde, si quis bona fide extra tempora ordinetur, vel credens se habere legitimam facultatem, vel Episcopum illam habere, vel ex alia simili ignorantia inculpabili, tunc, sicut excusaretur a culpa, ita etiam a suspensione. Rursus suspensio hæc semper intelligitur esse proportionata culpæ; unde licet verba illius Extravagant. sint hæc : *A suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint*, nihilominus ea censeo intelligenda de Ordinibus sic male et extra legitima tempora susceptis, nam in eis tantum deliquit. Consequenter vero etiam erit impeditus, ne ulterius ascendat, non vero ne inferiori Ordine utatur, si illum legitime suscepit. Nec

refert, quod illa Extravagans dicit, *a suis Ordinibus*, in plurali, nam loquitur etiam in plurali de omnibus sic ordinatis, et eos dicit suspendi a suis Ordinibus, et intelligitur accommodate, scilicet, unusquisque ab eo Ordine, quem male suscepit, quod verba sequentia magis declarant : *Si suspensione durante in eisdem Ordinibus ministraverint, irregulares fiant,* in eisdem, scilicet, male susceptis a quibus suspensi sunt.

32. *Quis valeat in hac suspensione dispensare.* — Tandem interrogare aliquis potest, quis valeat in hac suspensione dispensare. Nam quidam putant proprium Episcopum, si non sit particeps illius delicti, posse in hoc dispensare ex cap. Consultationi, de Temp. ordin. Sed, ut supra dixi, ibi non est sermo de solutione a censura suspensionis ipso jure lata, sed de commutatione suspensionis ferendæ in aliam pœnam. Rursus in cap. Cum quidam, eodem titulo, significatur solum Papam posse hanc suspensionem tollere; sic enim dicitur : *Ordinatos a susceptis Ordinibus tamdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur.* Ubi significatur suspensionem fuisse ponendam ab Episcopo, semel autem positam solum Papam posse illam auferre. Atque ita Glossa ibi sentit ex vi illius textus, licet in cap. Consultationi, censeat ibi esse moderatam restitutionem illam, et potestatem Episcoporum ampliatam. Uterque vero Abbas ibi dicit, Episcopum quando ponit suspensionem suo jure ordinario, eodem posse illam tollere; ibi tamen reservari Papæ, quia Episcopus ipse ordinarius deliquerat male ordinando, et non ipse imponit pœnam, sed Papa præcipit Metropolitano illam imponere; ideoque sibi dispensationem reservavit, quia neque Episcopus erat dignus ratione suæ culpæ, nec Metropolitanus erat judex ordinarius, sed delegatus; eique commissa fuit punitio, non liberatio, ad majorem delicti punitionem, et fortasse in injuriam ordinantis. Quæ recte procedunt de eo tempore, quo hæc suspensio imponebatur ab homine et non a jure. Nunc autem aliqui existimant Concilium Tridentin., sess. 23, cap. 8, commisisse Ordinario determinationem temporis, pro quo duratura est talis suspensio, et consequenter etiam ejus ablationem illi commisisse. Tamen ibi non loquitur Concilium de eo, qui ordinatur extra tempora, sed sine legitimis litteris dimissoriis; nam verba illa : *Si secus fiat,* etc., tantum referuntur ad ea, quæ in proxima clausula continentur, et non ad capitis initium, ubi fit mentio de ordinationibus statutis temporibus faciendis, quod evidenter patet ex contextu. Huic ergo quæstioni ex doctrina superius data est respondendum; nam hæc suspensio indefinite ponitur, et ita juxta probabilem opinionem post sufficientem punitionem et emendationem ab Episcopo tolli poterit.

Septima suspensio ipso jure lata in eos, qui ficto titulo promoventur.

33. *Cap. Neminem,* 70 *dist.* — *Quid de sic ordinatis absque culpa propria.* — Septima suspensio in eum fertur, qui ficto et ementito titulo ordinatur. Colligitur ex cap. Neminem, et cap. Sanctorum, 70 dist. Nam in priori suspenditur is, *qui absolute ordinatur;* dicitur autem *absolute* ordinari, id est, sine titulo, ut ibi Gloss. et omnes exponunt; et est sermo ibi de omnibus Ordinibus, etiam minoribus, nam verba textus absoluta sunt. Et ita exponunt Glossa, Turrecrem., et alii. In posteriori autem capite expresse dicitur, ut *sine titulo facta ordinatio irrita habeatur;* per quæ verba non satis significare suspensionem ipso jure, nam perinde videtur esse dicere, *irrita habeatur,* ac, *suspendatur.* Tamen quia non dicitur *irritanda,* sed *irrita habenda,* ideo probabilius est illam suspensionem fuisse ipso jure latam, et verba superioris capitis sunt satis clara, scilicet : *Decrevit sancta Synodus vacuam esse talem manuum impositionem, et nullum tale factum valere.* Quantum autem ex illis decretis colligitur, ita erat imposita illa suspensio, ut etiam si quis absque peccato ita ordinaretur, ad præceptum, verbi gratia, sui Episcopi, suspensus maneret *in injuriam ordinantis,* ut ibi dicitur, ita ut fuerit Episcopo ablata potestas conferendi executionem Ordinum, si absque sufficiente titulo Ordines conferret. Verumtamen hoc mutatum est seu moderatum ab Innocentio III, in cap. Cum secundum Apostolum, de Presb., ubi ab ipsis sic ordinatis suspensionem abstulisse videtur, et ordinantibus onus imposuisse illos alendi, *donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.* Quod etiam confirmatum et explicatum est in cap. Si Episcopus, de Præbend., in 6. In Concilio vero Lateran. sub Alexandro III, part. 1, c. 5, addita est limitatio : *Nisi, qui ordinatur, de sua vel paterna hæreditate subsidium possit habere.* Quæ tamen nunc servanda est juxta præscripta in

Concil. Trident., in sess. 21, c. 2 de Reform. Præterea intelligendum hoc videtur, si absque fraude et deceptione vel malitia quispiam se permittat ab Episcopo ordinari, vel ab alio Ordines petat sincere confitendo non habere titulum beneficii aut patrimonii; tunc enim, si nihilominus Episcopus illum ordinet, se voluntarie obligat ad alendum illum, donec de beneficio provideatur, juxta dict. cap. Cum secundum Apostolum. Ipse vero ordinatus tunc non manet suspensus, quia neque ullo jure cautum est, neque est ulla sufficiens ratio, cum ipse non delinquat, et alioqui satis provisum sit illi per dictum jus. Unde congregatio Cardinalium expendens illa verba Concilii Tridentini, sess. 21, c. 2 de Reform.: *Antiquorum canonum pœnas super hoc innovando,* ait, intelligi de pœnis dict. cap. Cum secundum, non antiquiorum.

34. *Ordinatus absque titulo sub pacto non petendi sustentationem ab ordinante, an sit suspensus.* — At vero, quando is, qui sic ordinatur, aliquo dolo vel fraude utitur, ut Ordines obtineat, difficultas est, an suspensionem incurrat. Potest autem multiplex genus peccati in hoc intervenire. Primum est, si cum ipsomet Episcopo ordinante, vel cum alio, qui ipsum ad Ordines præsentat, paciscatur, et cum juramento, vel alio modo firmo se obliget ad nunquam petendam sustentationem, aut beneficium, vel aliquid aliud, unde ali possit. Et in eo casu est expressa decisio textus in capit. penult. de Simonia, illum sic ordinatum manere suspensum ab executione Ordinis sic suscepti, *donec dispensationem a Sede Apostolica obtinere mereatur.* Idem habetur in cap. Per tuas nobis, de Simonia, et additur ibi, hanc suspensionem incurri, etiamsi quis ex ignorantia juris pactum illud fecerit, ita ut *se in hoc nihil illicitum agere existimaverit,* ibidem dicitur. Sed hoc intelligendum existimo, quia illa ignorantia, cum sit juris et in re adeo clara, non præsumitur probabilis. Si autem esse contingeret, videretur excusare, quidquid sit de præsumptione juris, argument. cap. Si quis a simoniacis, 1, quæst. 1.

35. *De ordinato cum falso titulo aut insufficienti, falso probato sufficienti, an incurrat. — Unde colligatur suspensio hæc.* — Aliud genus pacti seu peccati esse potest, si quis fictum titulum patrimonii conficiat, aut mentiendo, aut falso probando habere quod non habet, vel plus habere quam habet, cum tamen id, quod habet, ad sustentationem non sufficiat, vel si ab aliquo fictam donationem accipiat, vel certe si cum eo pactum faciat, quod nunquam talibus bonis fruetur, aut ab eo sustentationem petet, et tunc multis videtur sic ordinatum non manere ipso jure suspensum, quia hic casus non comprehenditur in dict. cap. penult. de Simonia, quia ibi tantum est sermo de illo, qui pactum efficit cum ipsomet ordinante vel præsentante ad Ordines, quia ibi quædam simoniæ species intervenire videtur, quæ in alio casu non intercedit; neque in his rebus valet argumentum a simili, nedum a re adeo dissimili, ad extendendam illam pœnam. Nihilominus contrariam sententiam docet Navarrus, in Sum., cap. 27, num 158, et fundatur solum in dict. cap. penultimo de Simonia, ex paritate rationis. Quod fundamentum plane videtur invalidum ob rationem factam. Sed dici potest, saltem procedere decisionem illius textus, quando quis ab aliquo accipit titulum patrimonii sub pacto occulto iterum dandi, quia tunc ille, qui patrimonium confert, habet vicem præsentatoris ad Ordines, et ideo comprehenditur sub altero membro illius capitis, et sub cap. Per tua nobis, de Simonia. Quod maxime videtur habere locum, si donatio illa vel assignatio patrimonii specialiter facta sit ad hunc finem suscipiendi Ordines illo titulo. Si tamen simpliciter fiat, quamvis alter postea illa utatur ad effectum suscipiendi Ordines, non propterea vere ac proprie dici potest præsentari ab alio ad Ordines suscipiendos, et ideo difficile est legem pœnalem ad illum casum extendere. Quapropter ex alio probabiliori fundamento opinor, hunc, qui per dolum et fraudem quamcumque ficto titulo ordinatur, manere suspensum, scilicet ex vi antiquorum canonum, quos ex dist. 70 citavimus; nam illi non sunt revocati, quoad has personas, per constitutionem Innocent. III obligantis Episcopum ad alendum sic ordinatum sine titulo, ut recte dixit Navarrus, consil. 45 de Temp. ordin., quia in eo casu non potest rationabiliter obligari Episcopus ad alendum sic ordinatos; ergo quoad illum necesse est, ut jus antiquum integrum maneat. Consequentia videtur clara, quia jus novum non derogat antiquum, nisi quantum ad id, in quo obligare potest, et quia illi non debent relinqui extra omnem juris dispositionem. Antecedens vero patet, tum quia fraus et dolus non debent alicui patrocinari; tum etiam quia sine causa imponeretur Episcopo ordinanti onus alendi hujusmodi deceptores, quando-

quidem absque sua culpa potuit ita decipi. Unde a Sixto V, in motu proprio, qui incipit, *Sanctum et salutare,* contra clericos male promotos, hæc suspensio lata est contra omnes, qui sine titulo sufficientis beneficii vel patrimonii se faciunt ordinari, illis verbis : *Eosdem clericos posthac male promotos ab executione Ordinum susceptorum, et ab omni spe, et facultate ascendendi ad alios superiores, suspensos declaramus;* quam suspensionem inferius sibi reservat; nemo autem dicet, aut habere sufficienter titulum, aut non esse male promotum eum, qui his fraudibus utitur ad titulum fingendum. De illa tamen constitutione, quas vires nunc habeat, infra dicam.

36. *An qui litteras dimissorias cum ficto titulo impetravit incurrat pœnas latas contra ordinato sine dimissoriis.* — Quæri vero hic potest primo, an is, qui cum hoc ficto titulo dimissorias litteras a proprio Episcopo habuit, incurrat etiam suspensionem latam contra eos, qui sine litteris dimissoriis ordinantur. Circa hoc Navarr. tractans in speciali de eo, qui ordinatur cum facultate sui Episcopi impetrata ad titulum patrimonii donati, et ante ordinationem renunciati, ait, illum non incurrere prædictam suspensionem, quia illa renunciatio invalida est, etiamsi esset jurata, juxta communem sententiam, quam refert in dicto cap. penult. de Simonia; si autem renunciatio est invalida, donatio patrimonii, et consequenter facultas titulo ejus impetrata, validæ erunt; ergo, qui sic ordinatur, non potest dici ordinari absque litteris dimissoriis; ergo non incurrit alteram suspensionem, quæ in hoc titulo fundabatur. Ex qua ratione per argumentum a contrario, colligo, quoties quis impetrat ab Episcopo suo litteras dimissorias ementito titulo, qui revera nullus est, sed falsis testimoniis comprobatur, vel quolibet alio modo fingitur, si postea ordinetur, duplicem suspensionem incurrere, unam, quia sine validis dimissoriis litteris, aliam, quia sine vero titulo ordinatur; constat enim illas litteras, subreptitie impetratas, invalidas esse. Et ita in dicto motu proprio Sixti V, illæ duæ causæ suspensionis distincte ponuntur, absque veris dimissoriis litteris sui Ordinarii, vel absque titulo sufficientis beneficii, vel patrimonii ordinari; quibus multiplicatis, multiplicantur censuræ, quando unaquæque illarum causarum per se sufficiens erat ad suspensionem inducendam, juxta dicta supra de censuris in communi.

37. *Dimissoriæ impetratæ ad titulum donationis factæ, et ante ordinationem renunciatæ, an sint irritæ.*— In illo autem particulari casu, quem Navarrus attigit, quamvis probabilis sit excusatio ejus, res tamen ipsa satis dubia mihi videtur. Nam esto illa renunciatio sit invalida, videtur tamen sufficere ad dimissorias litteras irritas faciendas, quia sunt subreptitiæ, et contra justam Episcopi voluntatem, quia ipse minime concederet talem facultatem, si de talis tituli conditione plena ei narratio facta fuisset. Quod ita etiam declaro, quia ille titulus spectatus secundum omnia quæ includit, non est sufficiens, neque in jure talis reputatur; cujus argumentum est, quia, qui cum solo illo ordinatur, suspensionem incurrit eo nomine, quod absque titulo sufficienti ordinatus est. At vero quando talis titulus proponitur Episcopo, ut facultatem concedat, proponitur ut sufficiens, et sub ea fide ipse concedit litteras; ergo sunt subreptitiæ, atque adeo nullæ. Adde, non esse ita certum, renunciationem illam esse invalidam, nam donatio non videtur fieri nisi sub illa conditione, et tunc, conditione non impleta, potius donatio ipsa videtur invalida. Quanquam si donatio prius absolute fiat, et postea renunciatio subsequatur, probabile sit, hanc esse invalidam; tunc autem aliæ rationes procedunt, quæ apud me urgentes videntur; et ideo securius existimo in absolutione talis suspensionis utramque causam aperire. Harum enim suspensionum multiplicatio nullum alium effectum habet, vel obligationem inducit, ut ex supra dictis constat; et ideo, cum ad absolutionem obtinendam insufficientia tituli aperienda sit, facillimum erit simul explicare, sub illo titulo litteras dimissorias obtinuisse, et sic ordinatum fuisse.

38. *An possit quis patrimonium, seu beneficium ad cujus titulum ordinatus est, post ordinationem renunciare.* — Hic vero potest ulterius dubitari, an si hæc patrimoniii renunciatio (et idem est de beneficio) fiat post ordinationem, incurratur suspensio ipso jure. Respondeo, de hac re nullam esse antiquo jure prohibitionem factam, nec suspensionem impositam. Concilium autem Trident., dicta sess. 21, c. 2, prohibuit alienari hæc bona, aut remitti sine licentia Episcopi, donec aliunde habeat ordinatus, unde vivere possit. Quod præceptum grave est, et sine dubio obligat in conscientia, et sub mortali ex suo genere; non tamen habet suspensionem, vel aliquam aliam pœnam ipso jure impositam. An vero per illa verba, *Alienari nullatenus*

possit, talis alienatio ipso facto irrita sit, necne, alterius est considerationis. Si tamen spectemus diversum modum, quo Concilium de renunciatione beneficii, et de renunciatione patrimonii loquitur, intelligemus, illam irritari ab ipso Concilio, hanc vero solum prohiberi. Est denique circa illud decretum Concilii Trident. observandum, Pium V, motu proprio anni 1568, qui incipit, *Romanus Pontifex,* extendisse decretum illud, quatenus titulum beneficii, vel patrimonii requirit, etiam ad clericos religiosos, vel religiosorum more viventes, qui professionem, et solemnia vota non emiserunt, et eos aliter ordinatos ipso jure suspendit, et si ministrent, irregulares efficit. Verumtamen hic motus proprius, quantum ad Societatem Jesu pertinebat, revocatus est per Gregorium XIII, in Bullis quibus institutum ejusdem Societatis postea confirmavit.

39. *An ordinatus absque vero titulo possit absolutus sine novo titulo ad altiorem promoveri.* — Ultimo interrogari potest circa hunc casum, an si quis absque vero titulo diaconus, vel subdiaconus factus est, et postea a suspensione est absolutus, possit sine novo titulo patrimonii vel beneficii ad superiorem Ordinem ascendere sine periculo incidendi iterum in eamdem suspensionem. Videtur enim posse, quia postquam aliquis habet unum Ordinem sacrum, ille est sufficiens titulus ad superiorem suscipiendum; imo ex vi unius Ordinis habet quispiam jus ad suscipiendum alium, et ideo ablato impedimento suspensionis nihil aliud videtur requiri. Maxime, quia nullum novum incommodum, aut indecentia incurri videtur ex eo, quod aliquis non habens, unde sustentetur, diaconus potius quam subdiaconus existat. Nihilominus dicendum est, illum non posse sine vero titulo alium Ordinem suscipere. Ratio est, quia jura non prohibent suscipere tantum subdiaconatum sine vero titulo, sed simpliciter prohibent suscipere quemlibet Ordinem sacrum; nec distinguunt inter ordinatum vel non ordinatum inferiori Ordine; ergo nec nos distinguere debemus, ut sumitur ex c. Solitæ, de Major. et obed., et in L. Imperator, ff. de Postulando. Præterea non loquuntur illa jura quasi collective, id est, ut nullus ascendat ad statum sacrorum Ordinum sine vero titulo, alias clarius diceretur, Nemo subdiaconus fiat; sed loquuntur distributive, vel (quod idem est) in plurali, *ad sacros Ordines promoveatur,* ut patet ex juribus citatis, et præsertim ex Trident. Et ita constat, rationem in contrarium factam nullius esse momenti, nec facere illam sententiam practice probabilem, quia unus Ordo non dat jus ad suscipiendum alium nisi debito modo, servatisque canonibus Ecclesiasticis. Quapropter qui aliter ordinatus fuerit, dictam suspensionem incurret. Et hoc confirmat quoddam responsum Cardinalium, quod sic habet : *Si quis ante Concilium erat promotus subdiaconus absque titulo, poterit absque titulo promoveri, modo ad titulum patrimonii promoveatur.*

Octava suspensio ipso jure lata in promotos non reservatis temporum interstitiis.

40. *Primus modus quo lapsus hic contingere potest.* — *Episcopatus susceptio non comprehenditur hac lege.* — Octava suspensio lata censetur in eum, qui non reservatis interstitiis temporum ab Ecclesia præscriptis ordinatur. Qui lapsus variis modis contingit, quos oportet distinguere, ut constet, quid jura antiqua vel nova de hac suspensione disponant. Primus ergo modus est, quando plures Ordines sacri eodem die recipiuntur, quod etiam antiquo jure prohibitum est, ut constat ex c. Dilectus, et c. Litteras, de Temp. ordin., ubi non solum uno die ordinario seu naturali, verum etiam die uno fictione canonica hoc non licere asseritur, id est non esse licitum die sabbathi unum accipere Ordinem sacrum, et mane Dominici diei alterum, etiam continuato jejunio sabbathi usque ad diem Dominicam; quo casu, fictione juris canonici, vespera sabbathi, et mane diei Dominici continuato jejunio tanquam unus dies reputatur, ut ibidem dicitur. Et sumitur ex Leone Papa, epist. 79, c. 1. Et habetur in c. Quod a Patribus, 75 dist. De suspensione vero ordinati sic, dicitur in dict. c. Litteras : *Ab executione officii sacerdotalis, tamdiu volumus manere suspensum donec de illo aliter disponamus.* Unde constat talem suspensionem solum esse ab illo Ordine, qui posteriori loco susceptus est; ac merito, nam prior legitime susceptus fuerat; unde si tres sacri Ordines fuerunt eodem die suscepti, suspensio erit a duobus ultimis, quia illi fuerunt illegitime suscepti. Est autem hic etiam advertendum, Episcopatum non numerari in his juribus inter Ordines sacros, et ideo non incurri hanc suspensionem, etiamsi quis die sabbathi et Dominica continuato jejunio ordinaretur sacerdos, et

consecraretur Episcopus, ut notarunt Joannes Andreas in dicto c. Quod a patribus, et Abbas, in dicto c. Litteras, ubi refert alios etiam addidisse, quod licet die Dominica prius sacerdotalem Ordinem (quod fieri potest continuato jejunio sabbathi) et postea consecrationem Episcopalem susciperet, non facere contra hanc prohibitionem.

41. *An cap. Dilectus, suspensionem ipso jure contineat.* — Dubium autem est inter auctores, an illo c. Litteras, contineatur suspensio ipso jure lata, vel ferenda; de quo Glossa ibi nihil dicit, et Panormit. rem dubiam reliquit. Considerando tamen proprietatem illorum verborum, et quæ supra diximus de interpretatione similium legum pœnalium, videtur inde non colligi sufficienter suspensio ipso jure lata, quia verba illa, *Tamdiu volumus manere suspensum,* factum, et sententiam in eo casu latam, et consequenter ferendam in aliis similibus indicant; non vero continent jus inferens suspensionem ipso facto incurrendam. Nihilominus aliis videtur hanc suspensionem ipso facto incurri. Quod tenet Navarrus in Summa, c. 25, num. 71, et videtur plurimum suaderi ex dict. c., et ex c. Innotuit, de Eo qui furt. ordin. suscepit, ibi : *In susceptis Ordinibus de juris rigore ministrare non debeat.* Quamvis ibi non solum hoc delictum, sed multa alia concurrant, ut infra dicemus; ideoque neque ex illo textu satis probatur; et ideo non caret res dubitatione. Concilium etiam Tridentinum nullam pro hoc delicto pœnam imposuit, licet sess. 23, cap. 13 de Reform., prohibuerit, ne duo sacri Ordines eodem die etiam regularibus conferantur, non obstantibus quibuscumque privilegiis, ac indultis quibusvis concessis. Congregatio tamen Cardinalium hoc habet ibi responsum : *Qui ex consuetudine illius religionis quatuor minores Ordines et subdiaconatum eodem die susceperunt, non sunt suspensi.* Ubi clare supponit, recipiendo plures Ordines sacros eodem die, esse suspensos. Fortasse tamen loquitur juxta constitutionem Sixti V, in qua erat hæc suspensio clara; tamen illa revocata est. Est autem advertendum, etiam esse graviter prohibitum suscipere eodem die minores Ordines et subdiaconatum, non solum ex eodem Concilio Trident., sess. 23, c. 11, sed etiam ex c. 2 de Eo qui furt. ordin. suscep., ubi suspensio etiam fertur; quam Navarrus etiam putat esse ipso jure, sed revera non est, quia Pontifex in dict. c. 2, solum ait : *Mandamus, ut eum ministrare non permittas,* etc. Et hoc videtur supponere Congregatio in illa declaratione, nisi explicetur loqui, ubi consuetudo ita prævaluit, ut legem illam abrogaverit; potest enim sine dubio id facere, ut Navarrus supra dicit cum communi in c. 3 de Temp. ordin., et c. 2 de Eo qui furt. ordin. suscep., per textum ibi, qui licet loquatur de consuetudine recipiendi plures Ordines eodem die, potest extendi ad aliam, quia etiam illa tantum est contra legem humanam, quam vincere potest. Nec Concilium talem consuetudinem peculiarem alicujus regionis revocat, cum id non exprimat, juxta c. 1 de Constitut., in 6, licet oppositum contra Navarrum sentiat Salzedo in Scholio ad Pract. Bernardi, c. 25, in fine, cum Maiolo, lib. 4 de Irregularitat., c. 11. Quod licet esset verum, nihilominus etiam Cardinalium responsum esset verum, quia non tantum concedit ob abrogationem, sed quia lex illa non est latæ sententiæ. In alio autem casu duorum Ordinum sacrorum, licet res sit dubia, nihilominus jura supra citata attente perpensa videntur hanc suspensionem ipso jure imponere. Adverto tandem Navarrum, c. 27, num. 241, vocare hanc irregularitatem; sed non loquitur consequenter, etiamsi se excusare conetur; vel non loquitur de hac censura, sed de pœna, quam contrahit excommunicatus suscipiendo Ordines, de qua infra dicemus; loquendo vero de præsenti casu, revera est suspensio, non irregularitas.

42. *De susceptione duorum Ordinum sacrorum eodem die.* — Post prædictam violationem interstitiorum alia illi proxima est, si quis continuatis diebus plures Ordines sacros suscipiat. De quo casu nihil invenio jure antiquo expresse traditum; neque immerito, quia jam hoc erat satis prohibitum et punitum per illa decreta, in quibus certa jejuniorum tempora seu sabbatha ad Ordines conferendos, et suscipiendos definita sunt; non potest enim aliquis suscipere duos sacros Ordines continuatis diebus, nisi vel utrumque vel alterum illorum extra tempora recipiat. Si enim unum die sabbatho, et alterum die Dominico recipiat, aut id fit continuato jejunio, aut interrupto; si primum, uterque quidem Ordo recipitur intra tempora, tamen in eodem die; si vero secundum, jam secundus Ordo recipitur extra tempora, et ex eo capite id prohibitum est, et suspensionem habet illi prohibitioni annexam, supra explicatam, non vero aliam, quantum est jure antiquo; nam juxta constitutionem Sixti V, aliud

esset dicendum. Sed illa jam non obligat, et ideo ejus declarationem omitto.

43. *De susceptione duorum Ordinum sacrorum diversis diebus non reservatis interstitiis. — De dispensat interstit. — Quæ requiruntur interstitia inter susceptionem minorum Ordinum.* — Tertium delictum multo minus grave quam præcedentia, est, si quis Ordines sacros diversis diebus, et legitimis temporibus accipiat, non servando inter unum et alium eam temporis moram, quam Concilium Trid., dicta sess. 23, cap. 13 et 14, statuit, sine dispensatione, aut indulto Apostolico. Voluit enim Concilium Trident. ut post susceptum unum Ordinem sacrum annus integer elabatur antequam alius suscipiatur; nullam vero pœnam adhibuit, neque ita severe id prohibet, quin arbitrio Episcopi id committat. In quo illud animadverto, quod cum agit de anno imponendo inter subdiaconatum et diaconatum, simpliciter addit : *Nisi aliud Episcopo videatur;* cum vero loquitur de diaconatu, et presbytero, ait : *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* Per hoc tamen non est intelligendum, licitum esse Episcopo in priori casu dispensare sine ulla causa rationabili, quia hoc est contra rationem dispensationis in communi lege, sed solum indicatum est minorem causam in priori casu sufficere, et in illo utilitatem tantum spectandam esse, in alio vero etiam necessitatem. Sixtus autem V, suspensionem ipso facto tulit in eo casu, quæ sublata jam est. Unde a fortiori constat non esse suspensum, qui sine dispensatione subdiaconus fit ante elapsum annum ab ultimo minori Ordine suscepto, licet hodie graviter peccet contra Trident. præceptum, sess. 23, c. 11 de Reform. De minoribus autem Ordinibus inter se multo id certius. Nam in illis nulla certa tempora interstitiorum definita sunt. Nam licet in c. In singulis, 77 dist., quædam tempora designentur, tamen illud jus antiquatum est; licitum est etiam eodem die omnes illos Ordines conferre, aut suscipere, præsertim ubi est consuetudo, ut expresse habetur in dict. c. 2 de Eo qui furtim Ordines suscepit, et ibi notant Glossa, et Doctores, et in c. 3 de Temp. ordin., ex quo textu etiam colligitur. Nunc vero Concilium Trident., dict. sess. 23, c. 11, solum generatim dixit, *ut hi Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo videatur, conferantur.* Quocirca si quispiam arbitrio, et voluntate Episcopi hos Ordines suscipiat eodem die, vel continuis diebus, etc., non est male promotus. Si vero contra Episcopi voluntatem, vel decipiendo illum eos suscipiat, vel eodem die, vel non reservatis interstitiis ab Episcopo designatis, tunc erit male promotus quoad culpam, non quoad censuram.

Nona suspensio ipso jure lata in promotos per saltum.

44. *Ordinari per saltum quid. — An suspensio hæc incurratur ipso jure.* — Nona suspensio lata censetur in eum, qui per saltum Ordinem aliquem suscepit. Sunt enim septem Ordines ita inter se subordinati, ut per minorem ad proxime superiorem ascendendum sit. Unde per saltum quis promoveri dicitur, quando intermisso inferiori Ordine superior sumitur; ut si quis ordinetur lector priusquam ostiarius, vel diaconus priusquam subdiaconus. In eo ergo casu est dubium, an maneat quis suspensus ipso facto ab eo Ordine, quem per saltum accepit. Nam quidam Doctores juris canonici negant, suspensionem hanc incurri, donec aliquis per sententiam suspendatur; ut Archidiaconus, et alii, in c. Sollicitudo, 52 dist., quos refert, et sequitur Bernardus Diaz, in c. 24, et Turrecremata in eodem c. Sollicitudo, art. 4. Qui tamen non negant, eum, qui sic promotus est, non posse licite in suscepto Ordine ministrare, donec Ordinem, quem prætermisit, accipiat, quia sicut non potuit licite superiorem Ordinem suscipere absque inferiori, ita consequenter non potest licite superius ministerium exercere, nisi prius omnes inferiores Ordines habeat, quia illa est dispositio prærequisita ad convenientem usum illius ministerii. Et a fortiori etiam non potest sic ordinatus in diaconum, verbi gratia, licite ad sacerdotium promoveri, priusquam subdiaconatum, quem prætermiserat, accipiat, quia ulterior illa promotio semper erit per saltum, quamdiu quod prætermissum fuit, non suppletur. Unde utraque hæc prohibitio non tam est addita, aut per modum pœnæ prioris delicti, quam ex natura rei consequens, supposita institutione divina de his Ordinibus, eorumque ministeriis. Negant igitur dicti auctores, præter hanc prohibitionem esse ab Ecclesia impositam propriam suspensionis censuram ipso jure incurrendam, quia nullo jure invenitur lata. Nam in dicto c. Sollicitudo, solum dicitur: *A sacerdotali officio eum prohibeas.* Quæ verba vel significant executionem dictæ pro-

hibitionis, vel ad summum suspensionem ferendam. In cap. etiam unico de Clerico per saltum promoto, solum dicitur, ut imponatur pœnitentia, et sic ordinetur in prætermisso Ordine, et tunc permittatur ministrare in superiore jam suscepto. Ex quibus omnibus non potest colligi suspensio ipso jure lata. Et confirmatur, quia alias celebrans aliquis in Ordine sic suscepto, fieret irregularis; quod tamen falsum est.

45. *Secunda sententia et verior.* — *Probatur primo.* — Nihilominus alii tenent, hanc suspensionem incurri ipso facto. Ita tenet Soto, in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 3; Hostiensis, in Sum., tit. de Clerico per saltum promoto, § 1, quem sequitur Navarrus, in Sum., c. 25, num. 71, et c. 27, num. 242; et Gregorius Lopez, in l. 28, tit. 6, partit. 1, et l. 63, tit. 5, part. 1. Qui tamen adhibet limitationem, ut scilicet hæc suspensio incurratur ipso jure, quando scienter, et ambitiose ita quis ordinatus est; secus vero ex negligentia, et incuria. In quo casu videntur loqui dictum c. unic. et c. Sollicitudo; non tamen ipse ostendit, quo jure feratur suspensio latæ sententiæ magis in ordinatum per saltum scienter, quam ex ignorantia culpabili, vel crassa. Unde alii auctores dicunt, illam circumstantiam conferre ad faciliorem, vel difficiliorem dispensationem efficiendam, non vero ad pœnam incurrendam in uno casu, et non in alio. Atque ita sentit Sylv., verb. *Irregularitas,* quæst. 11. Fundamentum esse potest, quia ordinatus per saltum non potest absque dispensatione saltem Episcopi suscipere inferiorem Ordinem prætermissum, ut in dicto c. unico supponitur; ergo signum est, præter prohibitionem supra dictam quasi connaturalem, esse ab Ecclesia suspensum. Patet consequentia, quia quod ille sic ordinatus sit prohibitus ministrare in suscepto Ordine, vel ascendere ad superiorem, solum est ob carentiam Ordinis prætermissi; ex hoc vero capite non prohibetur eumdem Ordinem prætermissum suscipere, ut per se notum est; ergo illa prohibitio tantum potest provenire ex Ecclesiæ suspensione. Nam quod ex irregularitate non proveniat, ex dicendis patebit. Confirmatur, quia sic ordinatus, etiam post acceptum prætermissum Ordinem indiget dispensatione ad ministrandum in superiore prius suscepto, ut ex dicto cap. unico sumitur; ergo signum est eum esse prohibitum ministrare in tali Ordine per Ecclesiæ suspensionem, quia illa prohibitio non potest provenire ex sola natura rei, absque positiva prohibitione, seu censura.

46. *Probatur secundo ex Concilio Tridentino.* — *Confirmatur a posteriori.* — Quod secundo argumentor ex Concilio Tridentino, sess. 23, cap. 14 de Reform., dicente : *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Quæro enim in quo possit dispensare. An ut ascendant ad superiores Ordines, priusquam inferiorem accipiant? At hoc ita repugnat divino juri, et institutioni talium Ordinum, ut nec Summus Pontifex in eo dispensare posse videatur. An potest dispensare, ut possit ministrare in Ordine sic suscepto, antequam prætermissum recipiat? At hoc etiam est falsum, quia illud est per se malum, et prohibitum quasi ex natura rei, supposita institutione talium Ordinum. Ergo intelligit Concilium posse dispensare in hoc, quod prætermissum Ordinem recipiat, et sic in suscepto ministret, et ad superiorem ascendat; ergo supponit Concilium, hoc esse prohibitum ipso facto ei, qui sic ordinatus est; quod non est, nisi per censuram suspensionis, ut ostendimus; supponit ergo hanc ipso facto incurri. Et confirmatur ex mente illorum Doctorum; nam ministrans in Ordine sic suscepto, vel recipiens novum Ordinem, sive superiorem, sive inferiorem, efficitur irregularis; ergo signum est mansisse suspensum ipso facto. Consequentia probatur, quia hic non est aliud genus irregularitatis, quod incurri possit, nisi ob crimen ministrandi, vel suscipiendi Ordinem cum dicta censura. Antecedens vero asseritur quidem a Sylvestro, et Navarro supra; nullo tamen jure id sufficienter probant; nihil enim afferunt nisi dictum cap. Sollicitudo, et dictum cap. unicum, et cap. Sicut neophytus, 48 dist., ex quibus talis irregularitas minime colligitur sufficienter, ut legenti facile patebit. Nonnihil vero favet Concilium Tridentinum supra in illo verbo, *Si non ministraverint.* Docet enim, ordinatum per saltum, si absque dispensatione ministret in Ordine suscepto, manere ita impeditum ad suscipiendos Ordines, qui illi desunt, sive superiorem, sive inferiorem, et ad ministrandum in suscepto, ut solus Papa possit in hoc dispensare; ergo indicat illum factum esse irregularem, quia non potest aliunde illa specialis reservatio provenire. Et hoc etiam supponit prius impedimentum non fuisse irregularitatem. Ubi est obiter advertendum, Concilium nihil distinguere inter eum, qui

ex negligentia, vel ex malitia sic ordinatus est; ideoque nunc generaliter verum esse, Episcopum posse dispensare cum ordinato per saltum, si non ministravit, etiamsi ex scientia, vel superbia ordinatus sit, quia Concilium nihil limitat. Et eadem ratione verum est, non posse dispensare cum illo, si jam ministravit, etiamsi per crassam ignorantiam sic ordinatus fuerit, quia in hoc etiam Concilium nihil distinguit. Unde probabile est, hunc sic ministrantem factum esse irregularem, et consequenter ante ministrationem fuisse suspensum.

47. *A quo Ordine maneat suspensus sic ordinatus per saltum. — Prima opinio.* — Hæc igitur posterior sententia magis probanda videtur, præcipue propter locum Concilii Tridentini, quod ita videtur antiquiora jura interpretari. Clarius vero id sanciverat Sixtus V, si ejus constitutio vires nunc obtineret. Declarandum vero superest, an hæc suspensio sit etiam in Ordinibus antea rite susceptis, vel solum ab illo, quem per saltum accepit. Navarrus enim, cap. 27, num. 242, indefinite dicit, hunc manere suspensum, nihil amplius declarans, ac per hoc significans, illam suspensionem esse totalem. Maiolus, lib. 4 de Irregular., cap. 12, dicit, hunc nec ascendere ad altiores Ordines, nec in susceptis ministrare posse; ubi omnes etiam susceptos comprehendere videtur. Et expresse ita declaravit quædam lex Hispaniæ, tit. 6, l. 28, partit. 1, quæ in hoc non habet legis auctoritatem, sed interpretis. At vero Sylvester, verb. *Irregularitas*, quæst. 11, docet hanc suspensionem solum esse ab Ordine male suscepto. Quod sequitur Bernardus Diaz, in Practica, cap. 29, et Gregorius Lopez, in l. 63, tit. 5, part. Mihi etiam dicendum videtur, impedimentum hoc respectu Ordinum jam susceptorum solum impedire usum Ordinis male suscepti, quia non plus ex jure colligitur; imo hoc etiam satis obscure, et ideo ampliandum non est. Ex hoc tamen sequitur, ut etiam impediat ascendere ad superiores Ordines; nam suspensio a quolibet Ordine, consequenter impedit ascensum durante illa, ut supra visum est; hæc autem est vera suspensio ipso jure imposita, ut supra probatum est. De Ordine item prætermisso fatendum est, relinqui ex tali ordinatione speciale impedimentum sumendi illum sine dispensatione; nam hoc etiam jura adducta probant.

48. *Unde proveniat impedimentum non posse suscipere Ordinem per saltum prætermissum. — Conclusio. — Objectio.* — De hoc autem impedimento merito dubitari potest, an proveniat ex dicta suspensione. Nam videtur magis habere rationem cujusdam irregularitatis, quia, ut infra dicam, irregularitas est, quæ per se impedit susceptionem alicujus Ordinis; nam suspensio per se primo respicit usum Ordinis suscepti; susceptionem autem novi Ordinis tantum prohibet, quatenus connexionem aliquam habet cum usu alterius Ordinis, quæ connexio respicit superiores Ordines, non vero inferiores, quia nunquam potest quis esse impeditus ab usu inferioris Ordinis, et esse expeditus ad superiores, quamvis e converso possit aliquis esse suspensus in uno Ordine, et expeditus ad inferiores. Illa ergo prohibitio suscipiendi Ordinem prætermissum, videtur esse irregularitas quædam. Nihilominus dicendum est, illam non esse propriam irregularitatem, quia non per se inducitur, sed ut annexa priori suspensioni, non quidem propter connexionem in ordine ad usum talium Ordinum, ut ratio facta probat, sed quia nemo ligatus censura, vel suspensione Ordinum, potest licite novum Ordinem suscipere. Dices : hoc principium non est verum, nisi in suspensione totali, quæ suspendit ab usu omnium Ordinum; hæc autem quæ incurritur per hanc ordinationem non est suspensio totalis, sed tantum illius Ordinis qui per saltum receptus est : ergo. Responderi potest negando minorem, quia per se, et vi sua, illa est suspensio simpliciter. Quod maxime procederet juxta opinionem eorum, qui putant suspensionem hanc extendi etiam ad Ordines legitime susceptos. Tamen quia oppositum verum esse supra recensuimus, ideo non potest hæc suspensio dici totalis. Nihilominus tamen illa inhabilitas ad suscipiendum Ordinem prætermissum, solum imponitur, ut annexa tali suspensioni; non enim imponuntur ibi duæ pœnæ, una suspensionis, et altera irregularitatis, sed una suspensio habet duos effectus inter se connexos et ordinatos; ideo enim ille prohibetur suscipere Ordinem prætermissum, ut nunquam possit in suscepto ministrare, donec cum eo dispensetur.

49. *Corollarium.* — Unde obiter infero, statim ac dispensatur cum tali clerico, ut prætermissum Ordinem suscipiat, manere ita liberum a tali suspensione, ut post susceptum prætermissum Ordinem possit tam in illo, quam in alio, quem per saltum suscepit, mi-

nistrare, argumento cap. unic. de Clerico per saltum promoto; ubi dicitur, post pœnitentiam actam ordinandum esse in gradu prætermisso, et sic permittendum in suscepto ministrare. Et e converso, si cum illo dispensetur ad ministrandum in Ordine suscepto, dispensari etiam, ut recipiat Ordinem prætermissum, quia talis dispensatio non potest aliter habere effectum, neque in alio sensu legitime concedi. Existimo etiam, post susceptum prætermissum Ordinem, ex vi ejusdem dispensationis liberum manere, ut possit ad superiores Ordines ascendere, quia hoc non per se prohibebatur, sed solum ratione suspensionis in inferiori Ordine male suscepto; unde tali suspensione ablata, aufertur etiam illa prohibitio. Et ideo fortasse Concilium Trident., sess. 23, cap. 14 de Reform., de hac dispensatione per modum unius simplicis actus locutum est. Hæc autem intelligo per se loquendo, et ex vi juris; nam si superior velit limitare dispensationem ad unum effectum, et non ad alium, tunc verbis ejus standum erit, quando non repugnat juri divino, vel communi, unum effectum ab alio separari.

50. *Quis possit in hac suspensione dispensare.* — Quod si quis inquirat, quis possit hanc dispensationem concedere, respondetur eam esse Episcopalem; quod hodie certum est ex Concilio Tridentino supra. Addit tamen limitationem, *Si non ministraverit,* utique in Ordine male suscepto; ita enim intelligendum est juxta subjectam materiam. Addi etiam potest, nisi ministraverit in Ordine prætermisso; idque dupliciter, vel ante illum susceptum, quod pertinet ad aliud genus irregularitatis infra tractandum, vel etiam post illum susceptum sine legitima dispensatione; nam cum ille sit suspensus a receptione talis Ordinis, postquam illum sine dispensatione suscepit, manet adhuc suspensus ab illius executione; et ideo si in illo ministret, jam non poterit cum illo Episcopus dispensare. Quod potest ex duplici causa provenire, scilicet, vel quia illamet suspensio, quæ inerat, indispensabilior fit, eo quod Episcopus non acceperit potestatem, nisi cum illa limitatione; vel certe quia novum impedimentum irregularitatis superadditur, juxta ea, quæ dicemus sectione sequenti. Soletque hoc posteriori modo intelligi; mihi autem utrumque videtur esse verum, quia ibi duplex est impedimentum : unum contractum per usum Ordinis, a quo quis est suspensus; aliud est suspensio ipsa, quæ ante usum supponebatur; utrumque ergo propria indiget dispensatione, et posset una dari sine alia, ut constat ex dictis; neutram ergo potest dare Episcopus. Non quidem irregularitatis contractæ per talem usum, quia nullibi ei conceditur; neque etiam suspensionis, quæ supponitur ante talem usum, quia concessa est sub illa conditione, *nisi ministraverit,* ut ex Concilio Trid. constat.

51. *Quando possit Episcopus dispensare cum eo qui sic suspensus ministravit.* — *In quo possit Episcopus dispensare cum eo qui tantum sine dispensatione prætermissum Ordinem suscepit.* — Addit vero Navarrus, dict. num. 242, duo : primum si ignoranter ministravit, posse Episcopum dispensare; quod verum censeo, si ignorantia talis sit, ut excuset a culpa. Nam in primis ignorantia excusat hanc irregularitatem, ut supra dictum est. Deinde hinc fit etiam probabile, ut excuset illam veluti reservationem prioris suspensionis, quia hæc facta etiam videtur propter culpam, et propter novam irregularitatem adjunctam. Secundo ait, etiam si scienter ministraverit, posse Episcopum dispensare ad exercendum Ordinem acceptum, licet non ad altiorem suscipiendum; citatque capit. unicum de Clerico per saltum promoto; in quo tamen non fit mentio, quod sacerdos ille ministraverit, et potius supponitur, illum non scienter, sed ignoranter processisse, præterquam quod dispensatio facta ibi videtur a Pontifice, vel ex commissione ejus. Panormitanus etiam, quem ipse Navarrus citat, licet dicat, in eo casu committi Episcopo dispensationem, fatetur in illo intervenisse ignorantiam. Verumtamen ex eodem textu colligi posse, talem ignorantiam fuisse culpabilem, ut patet ex illis verbis : *Condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas ei;* quam Glossa declarat de crassa, et supina, quæ non excusat; Sylvester autem, verb. *Irregularitas,* quæst. 11, eamdem tenens opinionem, æquiparat hunc casum illo de non ordinato ministrante. Sed advertendum est, aliud esse loqui de clerico per saltum promoto ministrante in Ordine, quem prætermisit, antequam illud accipiat, vel de ministrante in quolibet Ordine suscepto. Prior recte æquiparatur cum clerico ministrante in Ordine, quem non habet, de quo infra dicam, nam existimo Concilium non loqui de sic ministrante. Posterior vero non est cur cum illo æquiparetur. Unde cum Concilium absolute loquatur, existimo in dicto casu neque ad

usum Ordinum susceptorum, neque ad aliquem suscipiendum dispensare posse Episcopum. Sed quid si is, qui per saltum promotus fuit, tantum prætermissum Ordinem postea sine dispensatione recipiat? poteritne cum illo Episcopus dispensare, ut ministret in susceptis, et ad superiores ascendat? Respondeo posse dispensare in priori impedimento contracto ex ordinatione per saltum, quia Concilium solum posuit illam conditionem, *nisi ministraverit;* suscipere autem Ordinem prætermissum, non est ministrare. Dices esse actum æquivalentem, et æque prohibitum. Respondeo, in his rebus hoc satis non esse, quia standum est verbis legis, ut nec rigor extendatur, nec favor minuatur. Additur vero ibi aliud impedimentum novæ suspensionis contractæ per susceptionem Ordinis cum censura, et in hac non potest dispensare Episcopus ex vi citati decreti Concil. Trident., quia est suspensio alterius rationis, in qua servanda sunt, quæ in sequenti casu dicentur.

52. *Incurratne suspensionem hanc qui per saltum consecrationem Episcopalem accepit.* — *Notandum.* — Dubitari tandem circa hunc casum potest, an suscipiens per saltum consecrationem Episcopalem, hanc suspensionem incurrat, et irregularitatem, si Pontificale ministerium exerceat. Sed jam supra dictum est, appellatione Ordinum non venire in his legibus consecrationem Episcopalem, neque etiam suspensionem generatim latam Episcopos comprehendere; ideoque certum est hanc suspensionem ad casum illum non extendi. Solum oportet obiter hic advertere, quod Deo dante, latius in sequente tomo dicemus, si quis ita consecretur Episcopus per saltum, ut sacerdotii Ordinem prætermittat, eum non solum manere suspensum, verum etiam non manere consecratum, quia character Episcopalis, si quis est, essentialiter requirit characterem sacerdotalem, vel ab eo non distinguitur; quod secus est in inferioribus Ordinibus; nam licet inferior, vel inferiores prætermittantur, collatio superioris valida est quantum ad impressionem characteris. At vero si in illo saltu non sacerdotalis Ordo, sed alius inferior sit prætermissus, consecratio quidem Episcopalis valida erit, quamvis ex sententia Glossæ ultimæ in cap. unico de Clerico per saltum promoto, Ordinem, quem non habet, aliis conferre non possit. Quod quomodo intelligendum sit, citato loco dicemus.

Decima suspensio jure lata contra promotos ad sacrum Ordinem post matrimonium contractum.

53. *Extravag. Antiquæ, de Voto, Joan. XXII.* — *An sic ordinatus maneat suspensus ab Ordinibus ante matrimonium susceptis.* — Decima suspensio lata est in eum, qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, sacrum Ordinem suscipit, nisi prout sacri canones permittunt. Ita statuit Joannes XXII, in Extrav. *Antiquæ,* de Voto; quæ tam clara est, ut nulla indigeat expositione. Supponitur enim in illa, ordinationem sacram, seu votum continentiæ solemnizatum per sacri Ordinis susceptionem, non dirimere matrimonium ratum prius contractum, quia nec jure divino, nec per sacros canones id statutum est. Quia ergo juxta eosdem canones, et Ecclesiæ usum nullus clericus in sacris uxorem habere debet, aut obligationem reddendi debitum, ideo merito prohibetur, ut quisquis uxorem jam habet, sacrum Ordinem non suscipiat. Quia vero, si illum suscipiat, non potest non manere ordinatus, simulque manet matrimonii vinculo ligatus, ideo saltem suspenditur ab usu Ordinis suscepti, et superiorum susceptione, et ab omni officio, et beneficio Ecclesiastico, ut ibidem additur, imo ut ad hæc non valeat promoveri, quo significatur, illum etiam manere irregularem, de quo suo loco dicemus. Quæri vero potest, an hæc suspensio sit etiam a susceptis Ordinibus ante matrimonium. Respondendum est negative; nam ibi dicitur, *In Ordine sic suscepto.* Et ratio est, quia si Ordines illi sint minores, non repugnat, juxta Ecclesiæ morem, eum, qui uxorem habet, hujusmodi Ordines habere, et in eis aliquando ministrare; et ideo in illis non suspenditur quis propter susceptionem alterius Ordinis. Imo licet aliquis accipiat hos Ordines post matrimonium contractum, non manet ipso jure suspensus ab usu illorum, quia nullo jure id statutum invenitur. Si vero ille Ordo susceptus ante matrimonium sit sacer, jam matrimonium subsequens non erit validum; et ita non habebit locum alius casus, de quo agimus. Solum posset excogitari casus in quo aliquis post subdiaconatum susceptum ex disdensatione Papæ matrimonium contraheret, et deinde sine alia facultate ordinaretur diaconus; tunc autem dicendum esset, ex vi dictæ Extravagantis non manere suspensum ab Ordine subdiaconatus magis quam antea

erat. Talis vero dispensatio, ut existimo, nunquam conceditur, quin separetur quis a ministerio sacri Ordinis.

54. *Quamdiu duret suspensio hæc, et a quo tolli possit, soluto matrimonio.* — *In quibus casibus liceat, vivente uxore, sacrum Ordinem recipere.* — Rursus quæri potest, an talis suspensio duret solum matrimonio durante, vel etiam illo soluto. Respondeo, hoc satis in dicto textu declarari, dum dicitur, *Nec matrimonio soluto*, etc. Potest autem matrimonium tribus modis solvi, si ratum tantum sit. Primus est per mortem alterius conjugis, qui solus communis est matrimonio consummato; et hoc modo, quamvis uxor moriatur, non liberatur a suspensione maritus; imo nec potest cum illo nisi per Pontificem dispensari. Secundo solvitur matrimonium ratum per dispensationem Pontificis, et tunc idem dicendum est, nisi idem Pontifex in suspensione dispenset. Tertio solvitur per professionem in religione approbata; et tunc ex vi illius Extravag. non tollitur ipso facto talis suspensio, tamen potest Diœcesanus Episcopus in ea dispensare, ut in eadem Extravag. dicitur. Quod verum est de jure communi, nam specialibus privilegiis aliter tolli potest illa suspensio per superiores religionum. Additur vero ibi exceptio hæc, *Nisi prout in sacris canonibus noverit convenire;* quæ posita est propter duos casus, in quibus talis ordinatio licita est etiam vivente conjuge, et durante matrimonio. Prior est, si post consummatum matrimonium ex consensu utriusque conjugis uxor ingrediatur religionem, juxta cap. Episcopus benedictionem, 76 dist. Secundus est quando uxor, licet ingredi religionem nolit, tamen separari vult, et votum castitatis emittit, et marito facultatem præbet Ordines suscipiendi, juxta cap. Seriatim, 32 dist., et cap. Conjugatus, de Convers. conjugat. In his ergo casibus cum Ordo sacer licite suscipiatur, nulla incurritur suspensio.

55. *An suspensio hæc semper ob peccaminosam ordinationem contrahatur.* — *Resolutio.* — Ex quo videtur colligi, hanc suspensionem non incurri sine culpa, nam imponitur ut pœna talis delicti. Ubi occurrebat statim quæstio de ignorantia, si quis, bona fide putans uxorem esse mortuam, vel validam religionis professionem fecisse, aut (si id fingere licet) invincibiliter existimans per susceptionem sacri Ordinis solvi matrimonium ratum sine peccato, hoc faceret, an incurreret hanc suspensionem. Nam ex dictis videtur consequi, non incurri; quia non intervenit culpa. Item, quia licet ille in re non ordinetur eo modo quo sacri canones permittunt, tamen in conscientia ita ordinatur. Unde formaliter, ut sic dicam, ordinatio est secundum sacros canones, licet materialiter sit contra; ergo potius exceptio illius legis, quæ favorem continet, ad illum casum extendenda est, quam pœna, quæ est odiosa. In contrarium est, quia ille revera non fuit ordinatus secundum modum a canonibus concessum, quod lex illa requirit. Item non videtur illa suspensio esse tantum propter culpam, sed propter indecentiam; nam in illo casu, intellecta postea veritate, uxori jus suum reddi necessarium est, ut ex fine dictæ Extravagantis colligitur, et aliunde est indecens et indecorum, et præter Ecclesiæ usum, ut qui rei uxoriæ operam dat, in aliquo sacro Ordine ministret. Respondetur ergo propter hanc causam teneri hujusmodi hominem ad abstinendum a ministerio sacro durante matrimonio, nisi uxor voluerit juri suo cedere, et castitatis votum emittere. Si vero postea matrimonium dissolvatur, quacumque ratione contingat, ipso facto tolletur impedimentum, quia ipse suspensionem aliam non contraxit, ut priores rationes probare videntur; et quia in textu dicitur, nemo *præsumat*, et, *si secus fuerit a quoquam attentatum;* quæ verba non cadunt in eum, qui bona fide processit. An vero durante matrimonio illa suspensio habeat veram rationem censuræ, ita ut ministrando fiat irregularis, dicendum censeo non habere, sed simplicis cujusdam Ecclesiastici præcepti, ut alibi tractando de voto sacrarum personarum dicemus.

Undecima suspensio contra eos, qui censura ligati ordinantur.

56. *Cap. 1 de Eo qui furtive Ordin. suscep., expenditur.* — Undecima suspensio lata est in eum, qui excommunicatus, suspensus ab Ordine, vel interdictus, ordinatur. Hanc ponunt sub nomine irregularitatis Panormitanus, cap. 1 de Eo qui furtim Ordines suscepit, num. 2; Antonin., 3 parte, tit. 24, cap. 76, in 7 effectu; Maiolus referens alios, lib. 4, cap. 34; Navarr., cap. 27, num. 241. Idem vero in cap. Consideret, § Cautus, de Pœnit., dist. 5, solum dixit, hunc non accipere Ordinis executionem, quod suspensionem magis indicat, et ita sentit Covarruvias, cap. Alma, part. 1, § 6, num. 6. Et revera

est propria suspensio, ut patebit facile applicando, quæ in principio hujus sectionis dixi, et ex juribus sequentibus. Adducit ergo Covarruvias ad hanc suspensionem probandam, cap. 1 et 2 de Schismat., et cap. 1 et 2 de Episc. qui renunc. Episc.; sed illa jura loquuntur de homine non excommunicato, qui ab Episcopo suspenso, vel aliter ab Ecclesia impedito, Ordines suscepit. Quem casum confundit Covarruv. cum eo, quem nunc tractamus, cum sint longe diversi, et a diversis non fiat illatio. Probari præterea solet ex cap. 1 de Eo qui furt. Ordin. suscep., ubi de illo, qui furtive subdiaconatum susceperat, dicitur, si id fecit sub anathemate prohibitus, non posse ascendere ad sacerdotium sine dispensatione Papæ, quæ tamen committitur Episcopo, si prius regularem habitum suscipiat, et aliquandiu ibi laudabiliter vivat. Ex quo textu aliqui irregularitatem colligunt, quia fertur sub ratione inhabilitatis ad ascendendum ad superiorem Ordinem; sed idem impedimentum declaratur ibidem, cap. 3, per privationem executionis Ordinis suscepti; quare in utroque est sermo de suspensione, ut patet ex supradictis. In illo autem cap. 1 nulla imponitur nova pœna excommunicato suscipienti Ordines, quia ibi non agitur de hoc delicto, sed de furtiva susceptione Ordinum. Ponderatur autem quædam circumstantia, scilicet, an illa furtiva susceptio fuerit etiam contra præceptum Episcopi sub anathemate impositum, non se ingerendi ad Ordines; et tunc non additur nova suspensio, vel irregularitas, sed illa eadem dicitur habere difficiliorem dispensationem, quia sine illa circumstantia committitur absolute Episcopo, cum illa vero non nisi sub conditione, ut religionem intret prius, et in ea laudabiliter vivat. Denique etiam tunc non est verum dicere, excommunicatum recipere Ordines, sed per ordinationem talem incurrit excommunicationem; supponitur ergo ordinatio excommunicationi. Non est ergo illud delictum, de quo nunc loquimur; nec etiam pœna, ut declaratum est. Solum ergo video posse probari suspensionem hanc ex cap. Cum illorum, de Sentent. excomm., ubi expresse ponitur, non tamen in generali, sed specialiter in casu excommunicationis incursæ propter violentam manuum injectionem in clericum. Quia tamen ibi non videtur spectari ad gravitatem illius delicti, et excommunicationis, sed ad generalem culpam suscipiendi Ordines cum excommunicatione, ideo illa pœna et suspensio generalis esse censetur pro omnibus excommunicatis suscipientibus Ordines.

57. *Ob quorum Ordinum susceptionem incurratur suspensio hæc.* — Quæri autem potest, an de omnibus Ordinibus hoc intelligendum sit, vel solum de sacris; nam in multis casibus similibus jura loquuntur de sacris Ordinibus, cap. 1 et ult. de Eo qui furt. Ordin. suscepit., cap. 1 de Tempor. ordin., in 6, cap. ult. de Apostatis. Nihilominus dico, dictum cap. Cum illorum, simpliciter de Ordinibus loqui, et ideo de omnibus esse cum proportione intelligendum; nam hæc suspensio non est ab omnibus Ordinibus simpliciter, sed a sic susceptis, ut ex ipso textu colligitur; et ideo qui excommunicatus suscipit Ordinem sacrum, ab illius executione suspensus est, non tamen ab inferiori; si autem Ordinem minorem suscipiat, in illo manet suspensus. Consequenter etiam durante suspensione impeditus manet, ne ultra possit ascendere, juxta generales regulas superius traditas. Atque ita exposuit clare Antoninus, 3 part., tit. 24, cap. 86, in 6 effectu; et sentiunt Sylvester, verb. *Excommunicatio*, 3, quæst. 14, et verb. *Ordo*, 5, quæst. 6, verb. *Irregularitas*, q. 2; Angelus, num. 22; Covarruvias supra; qui indefinite loquuntur de Ordinibus. Propter primam autem tonsuram non existimo hanc pœnam incurri, qui Ordo non est, nec habet proprium actum, a quo suspendatur. Nec etiam propter Episcopatum, ut in similibus dictum est, et propter eamdem rationem. Hæc autem intelligenda sunt de excommunicato simpliciter, de quo textus loquitur, id est, majori excommunicatione.

58. *An suspensio hæc solum ob peccaminosam ordinationem incurratur.* — *Resolutio.* — Ulterius autem quæri solet, si excommunicatus per ignorantiam ordinetur, nihilominus hanc pœnam incurrat. Nam Covarruv. supra affirmat, citans varias Glossas, et Doctores, et jura, quæ si attente legantur, loquuntur de altero casu ejus qui ab excommunicato Ordines suscipit, qui non est similis, nec in his pœnalibus argumentum a simili est validum. Præterquam quod etiam ille alius casus certus non est, ut jam dicam. Solum ergo potest hæc sententia apparenter probari ex dicto cap. Cum illorum, ubi in casu ignorantiæ facti, vel juris, dicitur necessaria dispensatio, licet committatur Episcopo ergo supponitur censura incursa. Nihilo-

minus existimo, si talis sit ignorantia, quæ excuset a culpa mortali, non incurri hanc censuram in conscientia. Ita Innocentius, in cap. 1 de Schismat.; Panormitanus, in cap. Veritatis, de Dolo et contum., num. 46; Castro, lib. 2 de Lege pœnal., cap. 15; Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 241, ubi tacite exponit dictum, cap. Cum illorum, de ignorantia crassa. Idem sentit Antoninus, 3 part., tit. 24, cap. 76, in 7 effectu, citans Paludanum, 4, dist. 18. Et confirmatur, quia ignorantia invincibilis excusat, ne quis incurrat irregularitatem, etiamsi excommunicatus celebret; ergo etiam excusabit hanc suspensionem. Confirmatur præterea, quia cessante causa adæquata, cessat effectus; sed hæc suspensio adæquate ponitur ut pœna, quæ respicit culpam; ergo cessante culpa, cessat, juxta cap. Apostolicæ, de Clerico excomm. ministr. Nec potest dici cessante culpa incurri hoc impedimentum non ut pœnam, sed ut inhabilitatem quamdam, vel irregularitatem. Hoc enim verisimile non est, tum quia nullum hic fundamentum, etiam indecentiæ, vel alicujus significationis, propter quod hæc inhabilitas tunc imponatur; tum etiam quia talis inhabilitas non est asserenda, nisi sit in jure expressa; quod hic non invenitur. Nam cætera capita, præter cap. Cum illorum, nihil probant, ut dixi, quia non loquuntur in hoc casu. Adde, in cap. 1 et ult. de Eo qui furt. Ordin. suscep. (quæ sunt potissima), manifeste requiri culpam, vel in furtiva seu clandestina susceptione Ordinis, de qua ibi est sermo, et aperte includit culpam, ita ut sine illa vix possit intelligi; vel etiam in contumacia contra prohibitionem ordinantis sub anathemate positam, et censura inde contracta, ut ibidem supponitur; cap. autem Cum illorum, optime exponitur de ignorantia culpabili. Nam in facto tam gravi, ut est violenta percussio clerici, et jure tam manifesto, ut est de excommunicatione, quæ propter illud incurritur, non præsumitur in jure probabilis ignorantia, ut recte ibi notant Hostiens. et Abb., num. 15, advertendo ibi non esse sermonem in foro pœnitentiæ, sed contentioso, et ideo non præsumi illam ignorantiam talem esse, quæ a culpa, vel censura excuset. Quia vero aliquo modo diminuit culpam, ideo quoad dispensationem ibi constituitur discrimen; nam qui scienter sic ordinatus est, si fuerit secularis, spe omnis dispensationis privatur; sic enim intelligo illa verba, *In perpetuum deponendos,* ut sequentia declarant; si autem ex crassa ignorantia, datur spes dispensationis, sed Pontifici reservatur ibidem; si autem sint religiosi scientes, simpliciter suspenduntur; unde non videtur absolutio reservari Papæ, sed relinqui in jure communi. Quando vero intercedit ignorantia, eorum Abbatibus expresse committitur, nisi tam crassa reputetur ignorantia, ut scientiæ æquivaleat, ut latius ibi interpretes, et Covarr. supra.

59. *Qui per vim cogitur ligatus ordinari, non incurrit hanc pœnam. — Modo sufficiat ad excusandum a culpa. —* Unde infero, idem dicendum esse, si quis per vim vel metum cadentem in constantem virum cogatur ordinari, excommunicatus, vel irregularis existens; nam tunc absolutus ab excommunicatione, vel dispensatus in priori irregularitate, non indigebit alia dispensatione. Ita sentit Sylvest., verb. *Irregularitas,* quæst. 7; Tabiena, *Irregularitas,* 4, concl. 15, licet sub dubio, et distinctione; licet contrarium sentiat Maiol., lib. 4, cap. 16, sed sine jure, vel cogente ratione, quia hæc suspensio non incurritur nisi propter culpam; et ideo sicut ignorantia excusans culpam excusat hanc pœnam, ita et necessitas; est enim eadem ratio, et nullum est jus in contrarium. Quod autem aliquis metus, vel necessitas possit in eo casu excusare a culpa, tanquam certum suppono ex dictis de censuris in communi, ubi ostensum est, propter vitandam mortem, aut gravem infamiam posse aliquem censura ligatum immiscere se divinis, secluso scandalo, et contemptu religionis; eadem est autem ratio in hoc actu, quæ est in sacrificando, vel alio simili. Nec vero potest quis in eo casu exterius recipere Ordines, et interius intentionem non habere, quia majus sacrilegium committeret; potest igitur licite et valide et sine suspensione ordinari. Solum ergo oportet advertere in particulari, an coactio, vel metus sit sufficiens ad excusandum a culpa. Et in hoc sensu dicunt aliquando auctores, excommunicatum, vel irregularem non debere, nec posse licite obedire Episcopo volenti eum ordinare, et cogenti etiam per excommunicationem, ut in simili sumitur ex D. Thom., 2. 2, quæst. 100, art. 6, ad 2, et Sylvest., verb. *Ordo,* 3, quæst. 11 et 12; illa enim non videtur sufficiens coactio, quæ excuset, quia præceptum illud in re non obligat, et ideo illa excommunicatio est nulla, et exterius illam sustinere pro aliquo tempore non est grave detrimentum, propter quod

vitandum liceat cum censura sese ingerere ad Ordines suscipiendos. Secus vero esset, si adjungeretur gravis infamia, vel aliud simile detrimentum.

Duodecima suspensio contra ordinatos ab Episcopo excommunicato, vel suspenso.

60. Duodecimus casus est de illo, qui ab Episcopo excommunicato vel suspenso Ordines suscipit, nam executionem Ordinum non recipit, et ideo censetur manere ipso jure suspensus. In hoc casu conveniunt Doctores communiter in cap. 1 et 2 de Schismat., per textus ibi, et per plura alia, quæ habentur, 9, quæst. 1, a principio, dicentia tales ordinationes esse irritas, non quidem quoad substantiam, sed quoad usum Ordinum, ut sæpe exposuimus; quod perinde est ac si diceretur, per illam ordinationem non dari Ordinis executionem, et consequenter sic ordinatum manere suspensum. Idem docent Summistæ, et Navarr., cap. 27, num. 241; Covarr. dict. § 6, num. 6; Maiol., lib. 4, cap. 22; qui interdum irregularitatem hanc vocant. Sed quoad hoc eadem est ratio de illa, quæ de aliis.

61. *An suspensio hæc solum ob culpabilem ordinationem incurratur. — Tertia sententia præfertur.* — Dubium vero est, an si contingat aliquem sine culpa sua ordinari ab excommunicato, suspensus nihilominus maneat. Potest enim id facile contingere per ignorantiam facti, quæ de excommunicatione alterius potest facile esse invincibilis. Videtur enim non incurri, quia est pœna, quæ cessat, excusata culpa. Atque ita senserunt Innocent. et Abb., superiori puncto citati, quos etiam cum aliis refert Covarr. dict. § 6, num. 6. Quibus etiam favet cap. Si qui a simoniacis, 1, quæst. 1, ubi de ordinatis a simoniacis dicitur, si probare potuerint, ex ignorantia (utique inculpabili) id fecisse, in suis gradibus et Ordinibus esse recipiendos. Facit etiam cap. Ordinationem, 9, quæst. 1, ibi : *Nisi probare voluerint se, cum ordinarentur, eos nescisse damnatos.* Nihilominus Covarr., dict. num. 6, contrariam sententiam, ut probabiliorem, et securiorem amplectitur, cum Gloss. in dict. cap. Si qui a simoniacis, 1, quæst. 1, et in cap. Ab excommunicatis, 9, quæst. 1, et aliis Glossis, et Doctoribus, quos refert. Idem Maiol., lib. 4, cap. 16. Fundatur præcipue hæc opinio in dict. cap. 1, et ult., de Eo qui Ordin. ab Episcop. qui renunc. Sed præterquam quod exemplum est dubium, argumentum a simili parum efficax est. Afferuntur præterea dict. cap. Si qui, et cap. Ab excommunicatis, nam in eis significatur, etiam ignorantes probabiliter, indigere dispensatione. Ratio etiam adhiberi potest, quia nemo dat quod non habet; suspensus autem, vel excommunicatus non habet usum Ordinis, et ideo illum non confert. Unde (sicut in suspensione prima dicebamus) hæc non est tunc pœna, nec propria suspensio, quæ sit censura, sed solus effectus, vel potius defectus consequens ex defectu (ut sic dicam) virtutis activæ in ordinante. Et hæc ratio differentiæ posset optime constitui (supposita hac opinione), inter hunc casum, et proxime præcedentem. Hæc ergo sententia magis probanda est, quia jura simpliciter irritant ut possunt hanc ordinationem, non ob culpam ordinati, sed in injuriam ordinantis. Cum enim talis Episcopus non habeat usum Ordinum, nec illum dare permittitur. Non quod intrinsece, et ex natura rei hoc sequatur, pendet namque ex prohibitione Ecclesiæ, sed quod illam congruentiam consideraverint jura, quæ hoc disponunt, quia nemo dat quod non habet. Non excusat ergo ignorantia hanc suspensionem, licet ratione illius facilior sit dispensatio, et Episcopo concedatur.

62. *An sic ordinatus per metum gravem suspensus maneat. — Objectio. — Solutio.* — Dubium vero superest, an idem dicendum sit de coactione et metu cadente in constantem virum. Navarrus enim, dict. num. 241, putat excusare hanc irregularitatem, et idem sentiunt Sylvester, et Tabiena supra, sub dubio, ut retuli. Favetque cap. Constat, 1, quæst. 1, ubi est sermo de ordinatis ab hæreticis. Consequenter autem loquendo idem hic dicendum est, ex eodem fundamento, quod hæc suspensio non est propter culpam ordinati, sed defectus potestatis in ordinante. Qui defectus non tollitur propter metum, imo quodammodo augetur, præsertim si ab ipsomet ordinante incutiatur. Et confirmatur, nam ignorantia excusans a culpa, non impedit hanc suspensionem; ergo neque metus, seu necessitas, nam hic etiam est eadem ratio. Dices, repugnantiam involvi, quod aliquis sciens et videns licite accipiat Ordines, a quibus scit se mansurum suspensum; nam hoc ipsum cedit in irreverentiam ipsorum Ordinum, et hæc differentia assignari hic potest inter ignorantem et coactum; nam ignorans putat se accipere et Ordines, et exe-

cutionem eorum, et ideo talis actus excusatur ab omni culpa; ille vero, qui cogitur, non ignorat potestatem, et conditionem ordinantis, et ideo non poterit licite velle aut permittere se ab illo ordinari ad vitandum grave nocumentum, nisi intelligat posse se integre (ut sic dicam) ab illo ordinari, recipiendo Ordinem, et usum ejus. Sed hoc non cogit, quia non est per se et intrinsece malum scienter recipere Ordinem sine usu ejus, quando id non provenit ex defectu recipientis, sed dantis, nec fit omnino spontanee, sed cum morali violentia ac necessitate. Nam in hoc non fit contra prohibitionem Ecclesiæ, quia hæc non obligat cum tanto rigore, et discrimine; neque ex sola rei natura fit injuria tali sacramento; ipsum enim integrum recipitur, et potest etiam digne recipi; usus autem ejus licet tunc non sit expeditus, non vergit in irreverentiam sacramenti, poteritque facile postea expediri per superiorem, cui necesse est juxta debitum ordinem rationem reddere talis ordinationis, et legitimam excusationem ostendere. Atque hoc solum probat dict. cap. Constat, cujus verba sunt: *Iste talis potest habere colorem aliquem excusationis.* Non quidem ut executionem Ordinis a tali ministro receperit, sed ut Episcopus possit facile cum illo dispensare, sicut etiam potest dispensare cum eo, qui per ignorantiam probabilem a tali ministro ordinatur, ex omnium sententia, ut patet ex Navarro, Sylvestro, et aliis supra, et juribus quæ ab ipsis citantur in cap. 2 de Ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop., et in cap. Statuimus, 2, et cap. Si qui a simoniacis, 1, quæst. 1. Nam licet expresse hoc non asserant, tamen ad favorem ampliandum per rationis similitudinem sufficiunt.

63. *Ordinatus ab excommunicato aut suspenso non denunciato non incurrit.* — Hæc autem omnia intelligenda sunt de ministro non tolerato, sub quo comprehendimus depositum, degradatum, suspensum ab Ordine, interdictum et excommunicatum; nam de his omnibus est eadem ratio. Sed hodie non censentur non tolerati, donec per sententiam nominatim declarati sint, juxta Extravagant. Martini V supra tractatam in materia de excommunicatione. Comprehendimus etiam hic omnes ordinatos ab Episcopo simoniaco, hæretico vel schismatico; nam hi omnes sunt excommunicati vel suspensi ab usu Ordinum, juxta cap. 1 de Schismaticis, cum similibus, et ita omnes comprehenduntur sub dicta regula, et cum eadem limitatione sumpta ex eadem Extravag. Et de suspensione simoniaci plura in sect. 4, quia et latius patet, et in jure speciali odio habetur. Unde Clemens VIII cum in motu anni 1595, constitutionem Sixti V contra male promotos ad terminos juris communis et constitutionem Pii II reduxerit, quoad simoniacorum pœnam voluit in sua vi permanere.

64. *An suspensio hæc locum habeat in consecratione Episcopi. — Conclusio.* — Sed circa hunc casum interrogari potest, an hæc suspensio locum habeat in consecratione Episcopi ab excommunicatis seu non toleratis facta. Affirmat Maiol., l. 4, c. 22; imo addit, etiamsi per ignorantiam consecretur, solum Papam dispensare; citat Albericum et Summam confessorum. Solumque fundatur in cap. Qua diligentia, de Elect., ubi certe nihil probatur, primo quia ibi agitur de schismatico electo a Catholicis, atque ita dubitabatur de electione ob defectum electi, non eligentium. Secundo, quia verba illa, *si a schismatico nullum Ordinem susceperit,* intelliguntur de Ordinibus ante electionem ad Episcopatum. Et Glossa addit: *Nisi probaret se, cum ordinaretur, ordinatorem nescivisse damnatum.* Tertio quoad ignorantiam attinet, probabilius est ibi non intervenisse, cum ibi dicatur, electum abjurasse schisma. Nihilominus quoad suspensionem existimo, Episcopum sic consecratum contrahere illam, quia jura universaliter loquuntur. Et fundatur in principio generali quod hunc casum includit, quia nemo dat quod non habet. Unde hæc non est pœna, nec extenditur per æquiparationem, sed est defectus potestatis in dante. Quoad dispensationem vero, ideo fortasse Episcopus semper indiget dispensatione Papæ, quia illi immediate subjicitur. Si autem haberet Patriarcham vel alium Primatem, quem recognosceret, ut superiorem, quoad similes actus, ab eo posset dispensari in casu ignorantiæ, quia nulla est ratio exceptionem faciendi.

65. *De dispensatione in tractatis suspensionibus.*—Supererat tantum dicendum de modo obtinendi dispensationem in omnibus his casibus. Sed in hoc nihil addendum occurrit, nam interdum in ipso canone fit reservatio Pontifici, interdum conceditur expresse Episcopo, ut suis locis annotatum est, et tunc res est clara. Ubi autem nihil dicitur, generales regulæ supra positæ præ oculis habendæ sunt et suis locis applicandæ.

An contrahantur dictæ suspensiones per delicta occulta.

66. Duo vero occurrunt hic dubia, quæ prætermitti non possunt : unum est generalius de delictis occultis; tamen quia in hoc genere suspensionis ob iniquam Ordinum susceptionem frequentius contingit delictum esse occultum, explicandum hoc loco est, an tunc incurratur hæc pœna. Fuit enim opinio Alfons. de Castro, l. 2 de Lege pœnali, cap. ultim., concl. 3, suspensionem impositam ipso jure ob aliquod crimen non incurri, si crimen illud sit per accidens occultum, quod etiam affirmat de irregularitate et depositione. Ex qua sententia infertur, quando in aliquo ex casibus supra numeratis, defectus illius, qui ordinatur, omnino occultus est, nulla indigere dispensatione vel absolutione, ut sic ordinatus licite possit ministrare, quod prædictus auctor consequenter concedit. Hanc vero sententiam potissimum fundat in illo principio, quod Ecclesia non vindicat occulta crimina, cap. Christianæ, 35, quæst. 5, et cap. Sicut tuis, et cap. Tua nos, de Simonia. Et confirmat ex cap. Inquisitionis, de Accusat., et c. Quæsitum, de Tempor. ordin. In quibus significatur, propter occulta crimina, excepto homicidio vel simonia, neminem esse executione Ordinum privandum, imo nec ascensione ad Ordines superiores, quod clarius dicitur in c. Ex tenore, de Temp. ordin.

67. *Prædicta sententia rejicitur. — Satisfit Castri fundamentis. — Ecclesia potest per legem delicta occulta per accidens vindicare.* — Hanc vero doctrinam, loquendo in foro conscientiæ, ut loquimur, falsam esse opinor et non securam practice. Nam in primis nullus dubitare potest, quin possit Ecclesia per legem punire pœna suspensionis externa crimina etiam occultissima, quod de irregularitate recte contra Castrum notavit Covarruvias in Clementina *Si furiosus,* 2 part., § 3, num. 4. Estque eadem vel major ratio de suspensione et de censura in communi; id late probatum est a nobis supra, disputat. 4, et in excommunicatione est extra omnem controversiam, et omnia ibi adducta a fortiori procedunt in suspensione. Quo fit, ut primum Castri fundamentum invalidissimum sit, nam licet Ecclesia de occultis per se, id est, mere internis, non judicet, quia sunt extra forum ejus; et de occultis per accidens, id est, externis, quæ probari non possunt, non judicet per sententiam hominis, quia hæc requirit sufficientes probationes et testimonia, hæc autem occulta talia sunt ut probari non possint : nihilominus tamen hæc occulta per accidens vindicat et punit per ipsam legem, quia hæc non sunt extra forum Ecclesiæ, et aliunde sunt aliquæ pœnæ accommodatæ, ut per legem ipsam inferantur, quæ ut in conscientia ligent, sufficit testimonium conscientiæ ipsius delinquentis, et hujusmodi pœna est censura quælibet, et consequenter suspensio.

68. *Ob occulta crimina sæpe imponitur irregularitas. — Et ob eadem imponitur etiam suspensio.* — Supposita vero potestate, quod de facto suspensio hæc vel etiam irregularitas inferatur propter crimina occulta, evidenter supponit Concilium Tridentinum, in c. 6, sess. 24, ubi concedit Episcopis facultatem absolvendi a suspensionibus contractis propter crimina occulta; ergo supponit suspensionem vere incurri propter talia crimina. Quæ enim esset necessitas illius dispensationis vel facultatis, si suspensio non incurreretur? Et ibidem æquiparat homicidium cum aliis delictis habentibus suspensionem annexam, quantum ad hoc, quod licet sint occulta, nihilominus ob illa talis censura vel irregularitas incurritur, quanquam differentiam in hoc ponat, quod in homicidio difficilior est dispensatio. At vero de homicidio occulto est res certa, quod sufficit ad irregularitatem contrahendam, ex eodem Concilio, sess. 14, c. 7 de Reform., et ex cap. ult. de Tempor. ordin., et c. Inquisitionis, de Accusationibus; ergo idem est in aliis. Denique quod in casibus specialibus, de quibus in hac sectione egimus, incurratur suspensio etiam si delicta occulta fuerint, probatur, quia jura indistincte loquuntur; ergo non possunt a nobis coarctari ad crimina publica; alias etiam in censura excommunicationis ipso jure lata, eadem limitatio adhiberi posset. Ubi ergo lex non limitat, neque nos limitare possumus. Alia vero jura, quæ allegat Castro, de re longe diversa loquuntur, ut sect. 3 videbimus.

An incurratur irregularitas ministrando in ipsa ordinatione in casibus propositis.

69. *Pars affirmans.* — Quarto, quoniam is, qui ordinatur, solet aliquando statim Episcopo ministrare, vel Epistolam, aut Evangelium solemniter cantare, vel cum eo consecrare, ut faciunt omnes, qui presbyteri ordinantur, dubitari potest, an, si is, qui incurrit suspensionem in ordinatione sua ob aliquem ex nu-

meratis casibus, statim cum Episcopo ministret, irregularitatem incurrat. Quod enim ille fiat irregularis, argumentum est primo, quia vere et proprie ministrat in Ordine jam suscepto; prius enim subdiaconus vel diaconus ordinatur, et tunc incurrit suspensionem, postea vero jam suspensus solemniter canit Epistolam vel Evangelium, quod est proprium ministerium illius Ordinis. Similiter etiam presbyteri prius recipiunt characterem sacerdotalem, postmodum autem vere consecrant; nam licet simul cum Episcopo concelebrent, vere tamen conficiunt, et proprium officium sacerdotalis characteris exercent, juxta ea quæ tradidimus in 3 tom. tertiæ part., circa quæst. 82 D. Thomæ; ergo hi omnes efficiuntur irregulares, nam lex generalis est, suspensum ab aliquo Ordine, si in illo Ordine ministret, irregularem fieri. Et potest a simili confirmari, nam si quis ordinetur in loco interdicto, et in ipsamet ordinatione exerceat solemniter actum Ordinis suscepti, canendo Epistolam aut Evangelium, vel consecrando cum Episcopo, irregularis fit ex vi illius legis, quæ irregularitatem imponit clerico ministranti solemniter in suo Ordine in loco interdicto, ut in specie annotavit Covarruvias, in c. Alma, part. 2, § 3, num. 5. Item est aliud exemplum, si quis furtive suscipiendo Ordines latam excommunicationem (hoc enim exempli gratia supponimus) ipso facto incurrat in ipsa ordinatione, irregularis fiet ex vi generalis canonis ferentis irregularitatem contra eum, qui excommunicatus ordinatur. Quod docuit Glossa, in cap. ultim. de Eo qui furt. ordin. suscept. Et idem sentit Abbas ibi, num. 4, et clarius, cap. 1, num. 4, ut notat et defendit Navarrus, consil. 97 de Simonia, num. 9 et 10, et in Summa, cap. 25, n. 70. Et videtur probari ex dict. cap. 1 et 3 de Eo qui furt. ordin. suscep. Unde a fortiori idem dicendum est, si quis ita ordinatus furtive, ac propterea excommunicatus, Episcopo concelebret, quod nimirum novo titulo irregularitatem incurret, scilicet, quia in suscepto Ordine excommunicatus ministravit; ergo pari ratione idem dicendum erit in casu præsenti. Atque ita docuit Navarr., consil. 8 n. 2, in princ., et 4, in princ., de Cleric. excom. ministr., et Salzedo in Practica criminali, c. 26, circa finem, ubi refert quosdam Theologos ejusdem fuisse sententiæ.

70. *Pars negans suadetur et præfertur.* — *Pii II Extravag. expenditur.* — Nihilominus contraria sententia suaderi potest, quia ministerium illud, quod ordinati omnes cum Episcopo exercent, non censetur, moraliter loquendo, actus distinctus ab ipsa ordinatione; ergo cum ratione ordinationis incurratur suspensio, non potest incurri irregularitas propter alia ministeria, quæ sunt quasi circumstantiæ illius actus. Antecedens notum est, quia tota actio Episcopi a principio usque ad finem officii est unus actus moralis, ad quem reliqui ordinantur. Consequentia vero probatur, tum quia propter cooperationem ad unum et eumdem actum non debet quis simul suspensionem et irregularitatem incurrere; tum maxime quia jura, quæ ferunt irregularitatem in clericum in suo Ordine ministrantem, intelliguntur de ministrante actu distincto ab ordinatione sua; ergo propter ministerium in ipsa ordinatione exhibitum, quod est quasi pars vel accidens ejusdem ordinationis, non incurret prædictam irregularitatem, quia hæc non incurritur, nisi in casu a lege præscripto. Quod autem hic sit sensus illarum legum, ostenditur primo ex ipsa distinctione, quam illæ leges faciunt inter ordinationem et usum Ordinis; sic enim habet Pius II, in supra citata Extravag. : *A suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint, et si hujusmodi suspensione durante in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant.* Et fere similia habet Sixtus V in suo motu proprio. Distinguunt ergo ordinationem ab Ordinis suscepti administratione, tanquam actiones condistinctas; ergo non intelligunt irregularitatem incurri propter ministerium in ipsamet ordinatione exhibitum. Et ad hoc magis persuadendum expendo verbum illud, *durante suspensione,* quod plane significat, suspensionem debere tempore præcedere, et post aliquam ejus durationem Ordinis ministerium subsequi; quod enim in ipsa rei generatione fit, non proprie dicitur ipsa re durante fieri, sed ipsa facta confieri. Nec satis est, si quis respondeat, jam præcedere suspensionem, et durare eo tempore, quod inter unam partem et aliam illius officii intercedit. Hoc (inquam) non satisfacit, quia non est hæc duratio metaphysice, sed morali modo pensanda; ita enim jura loquuntur; moraliter autem sicut tota illa actio una est, ita quidquid in ea faciunt hi, qui ordinantur, dicuntur facere in ordinatione sua, et consequenter in suspensione sua, si ibi suspendi contingat, potius quam *suspensione durante.* Rursus expendo verbum illud, *præsumpserint,* quod significat

specialem temeritatem et audaciam seu contumaciam distinctam ab illa, quæ in tali ordinatione et suspensione committitur; unde non potest verbum illud vere attribui sic ordinato, propter ministerium, quod in ipsa ordinatione cum Episcopo exercet, quia illa non est nova præsumptio, sed est quid moraliter contentum in ipsamet Ordinis susceptione, tali modo et voluntate facta.

71. Unde etiam expendo vim illius conditionalis : *Si in eis ministraverint,* seu *ministrarepræsumpserint;* nam ex vi et proprietate illius, sermo est de ministerio distincto, et moraliter separabili ab Ordinis susceptione, et prorsus voluntarie assumpto post priorem ordinationem; at vero illa concelebratio, quæ fit cum Episcopo, non est ministerium nova voluntate susceptum, nec moraliter separabile ab ipsa ordinatione. Quod evidentius locum habet in presbyteris consecrantibus cum Episcopo, quia non solum non præsumunt aut voluntarie se ingerunt, sed etiam necessitate morali coguntur illud exercere, quia juxta usum Ecclesiæ illa cæremonia est inseparabiliter conjuncta cum ordinatione, et esset magnum scandalum se separare aut illam omittere, præter infamiam et notam, quam inde incurreret ordinatus, id non faciens. Quæ necessitas non videtur esse tanta in subdiacono vel diacono, quantum ad ministerium cantandi solemniter Epistolam aut Evangelium, quia non omnes, sed unus tantum ex his, qui ordinantur, illud facere solet, et ideo facilius posset aliquis sine scandalo aut nota excusari. Sed nihilominus etiam in his sufficienter procedit illa ratio, tum quia si esset tantum unus sic ordinatus, idem fere omnino in eo procederet; per accidens autem est quod sint plures; tum etiam quia etiam quando sunt plures, si quis non se ingerat, sed invitetur et rogetur, licet consultius faciat, se excusando, si facile possit, tamen moraliter non debet ad id obligari, ne aliquam suspicionem aut notam præbeat, nec poterit dici ex præsumptione id facere, tale ministerium acceptando.

72. *Ex jure antiquo confirmatur eadem pars.* — Et confirmatur tota hæc ratio, quia non solum hæc specialia jura, quæ in particulari de hac suspensione in susceptione Ordinum, et ministerio postea subsequuto loquuntur, sed etiam omnia antiqua, quæ irregularem faciunt eum, qui suspensus ministrat, semper loquuntur de suspensione prius contracta, et de usu Ordinum ...sequente per actum omnino distinctum, ut patet ex cap. 1, et cap. Is qui, de Sentent. excom., in 6, ibi : *In suo officio agens sicut prius,* et in cap. 1 de Sent. et re judic., in 6, ibi : *Si suspensione durante damnabiliter ingesserit se divinis.* Et eodem modo loquuntur multa decreta, 11, q. 3. Cum ergo simus in materia pœnali et odiosa, et jura omnia in proprietate sermonis magis inclinent in benignum sensum, videlicet quod hæc irregularitas non contrahatur, nisi per actum moraliter distinctum ab eo, quo suspensio contracta fuit, non debemus ea ad sensum magis rigorosum retorquere.

73. *Ex praxi Cancellariæ idem ostenditur. — Idem argumento Extr. Sixt. V roboratur.* — Accedit præterea, quod in quodam scholio addito ad consil. 8 Navarri circa primam opinionem advertitur juxta stilum Cancellariæ hos non reputari irregulares; nam cum sacerdote ordinato ante legitimam ætatem, si postea non celebravit, non dispensatur tanquam cum irregulari, sed solum absolvitur a suspensione, et eo ipso censetur manere habilis ad celebrandum, quod secus est quando postea celebravit, quia tunc præter absolutionem a suspensione, specialis dispensatio ab irregularitate necessaria reputatur; ergo signum est illam celebrationem cum Episcopo non censeri sufficiens ministerium Ordinis ad incurrendam irregularitatem. Accedit tandem, quod Sixtus V hujusmodi suspensos propter ministrationem irregulares effectos, privabat omnibus officiis et beneficiis Ecclesiasticis, et inhabiles faciebat ad alia recipienda; at nemo dicet stante illa lege in sua vi sacerdotem sic ordinatum et suspensum, etiamsi postea non celebret, ex vi tantum eorum, quæ in ordinatione gessit, esse privatum omnibus beneficiis et officiis et voce activa et passiva, etc.; ergo dicendum non est illum factum esse irregularem. Propter quæ sententia hæc probabilior mihi videtur, quam tenuit Medina fere sine probatione in Summa, lib. 1, c. 11, § 8; Henriquez, lib. 13 de Excommun., cap. 10, E, cap. 13, F, et lib. 14, cap. 3, n. 6, X, ex alio fundamento, quia idem actus non punitur duplici pœna, quod nunc examinare non licet.

74. *Partis affirmantis fundamentum solvitur.* — Ad fundamentum vero contrariæ sententiæ quidam respondent negando illam celebrationem cum Episcopo esse proprium usum Ordinis suscepti, quia non ea intentione et modo fit, ut actum celebrandi quis exerceat, sed solum tanquam appendicem ad Ordi-

num susceptionem, quod significatur in dicto scholio ad Navarrum. Sed tamen negandum non est illam ex se esse veram consecrationem, et consequenter proprium et solemnem actum characteris sacerdotalis; idemque est manifestum in actu cantandi solemniter Epistolam aut Evangelium. Vera ergo responsio est, illud quidem ministerium esse ab Ordine suscepto, tamen non esse illud, propter quod jura ferunt hanc irregularitatem, quia solum illam ferunt propter usum Ordinis, qui omnino extra ipsam primam ordinationem exercetur.

75. *Ad exemplum respondetur.* — Ad primum exemplum responderi potest negando consequentiam, quidquid sit de antecedenti; nam si ibi incurritur irregularitas, ideo est, quia jura absolute faciunt irregularem eum, qui celebrat in loco interdicto, vel solemnem actum Ordinis exercet; nec distinguunt, an exerceat in ordinatione, vel postea. At vero in præsenti jura, quæ ferunt hanc irregularitatem, satis distinguunt, et declarant se loqui de Ordinis usu post seu extra ipsam ordinationem. Deinde negari potest antecedens, de quo suo loco dicemus.

76. *Respondetur secundo exemplo.* — In secundo exemplo falsum esse existimo, quod assumitur; fieri enim non potest, quod aliquis fiat irregularis ex eo præcise, quod prohibitus sub excommunicatione ipso facto ne Ordines suscipiat, nihilominus ordinatur. Nam ille licet per ordinationem excommunicatus maneat, non tamen recipit Ordines excommunicatus, sed potius e contrario jam ordinatus excommunicationem incurrit; cum enim non excommunicetur, nisi quia ordinatur, prius natura ordinatus est, quam excommunicatus; postquam vero excommunicatus est, nihil sacrum agit aut recipit propter quod irregularis sit. Estque optimum simile, quod affert Sylvester, verb. *Irregularitas,* quæst. 13, punct. 2, nam si sub excommunicatione ipso facto prohibitum sit, ne in tali oratorio Missa dicatur, qui ibi primam Missam dixerit, fiet excommunicatus, non irregularis; si autem priusquam absolvatur, dicat secundam, irregularis fiet; quia quando dixit primam, non erat ligatus censura, nec illam contraxit, donec Missam absolvit; et ita jam excommunicatus nihil egit, quo irregularis fieret, quod tamen faceret, si secundam Missam celebraret; et idem dicit in simili Maiol., lib. 2 de Irregular., c. 18, num. 5; ita ergo est omnino in proposito. Neque in illis c. de Eo qui furt. ordin. suscep., contrarium dicitur. Nam ut supra notavi, in primo dicitur, difficilius esse dispensandum cum eo, qui contempto anathemate furtive Ordines suscepit, quam cum eo, qui absque anathemate id fecit; non vero dicitur aliud genus censuræ, vel inhabilitatis contrahi. Et idem dici posset ad aliud cap., quanquam ibi, quia duo Ordines suscepti fuerunt, in diaconatus susceptione recte dicitur irregularitas, vel potius nova suspensio contracta, quia in subdiaconatu jam ille excommunicationem contraxerat.

77. *Tertio exemplo satisfit.* — Denique quod in tertio exemplo additur de eo, qui contra latam excommunicationem ordinatur, et in ipsa ordinatione ministerium exercet, apparentius est quod assumitur; nihilominus tamen etiam id negandum videtur cum Medina supra, ex eodem fundamento, quod illud ministerium non videtur distinctum ab ordinatione ipsa. Ut in dicto exemplo Sylvestri, qui primam Missam dicit in loco prohibito sub excommunicatione, excommunicationem incurrit statim ac substantiale sacrificium perficit, et tamen licet postea orationes ultimas dicat, et alia perficiat, non fit irregularis, quia non censetur novum actum Ordinis exercere post excommunicationem contractam; ita ergo in nostro, et in proposito casu, dicendum censeo.

SECTIO II.

Utrum aliqua suspensio ipso jure lata sit propter pravum usum Ordinis cum violatione censuræ.

1. *Multiplex modus peccandi in Ordinum ministerio absque suspensione.* — Hic solum de clericis Episcopo inferioribus agimus, nam de Episcopis postea dicemus section. 5. Et sicut in suscipiendis Ordinibus variis modis peccatur, ita in eorum ministerio multiplex potest esse abusus. Primus est generalis, scilicet, quod in peccato fiat, juxta ea quæ tractavimus in 3 tomo, disp. 13, sect. 6, et circa hoc nullam invenio suspensionem ipso jure latam, præter ea quæ dicam sect. 4. Alius modus pravitatis est, si clericus utatur Ordine suo ritu insufficiente ad valorem actus seu præter Christi intentionem, ut si tentet sacerdos conficere in aqua, pane hordeaceo; aut si velit baptizare aliis verbis, quam sint in usu Ecclesiæ, aut alio simili modo; et propter hoc etiam peccati genus nullam invenio suspensionem ipso jure latam, sed interdum aliquam irregularitatem, ut propter

rebaptizationem, ut in 3 tomo etiam tactum est, et inferius videbimus. Aliquando etiam fertur excommunicatio ipso jure propter hoc peccatum, ut ex superius tractatis de excommunicatione patet. Tertius modus malitiæ esse potest, si clericus utatur suo Ordine contra specialem prohibitionem Ecclesiæ, quæ per censuras fit. Notanter autem dico, *quæ per censuras fit,* quia quælibet alia prohibitio, quæ simpliciter et absque censura fieri potest per Ecclesiasticum Prælatum, non habet ipso jure suspensionem annexam, nisi ab homine imponatur, quia nullum est de hoc latum decretum. Igitur in hoc genere delicti solent duo vel tres casus numerari.

Prima suspensio propter pravum usum Ordinis examinatur et excluditur.

2. Prima ergo suspensio dicitur esse ipso jure lata in clericos, qui solemniter, et præter modum in jure concessum utuntur Ordine suo in loco interdicto, et censetur hæc suspensio esse ab officio et beneficio. Ita Sylvester, verb. *Interdicto,* 6, num. 3; Angelus, *Interdictum,* 7, num. 7; Armilla, verb. *Interdictum,* num. 58, qui citat Hostiensem, Innocentium, Abbatem, Paludanum. Citatur ab his auctoribus c. Tanta, de Excessibus Prælat. Sed in eo capit. duæ sunt partes seu pœnales sententiæ. Prior est, quam fert Pontifex contra quemdam Episcopum Colubriensem, qui interdictum violaverat; et Pontifex declarat omnes beneficiorum collationes, censurarum prolationes, et similes actiones ab illo factas post violationem interdicti irritas esse et inanes. In quo supponere videtur illum fuisse suspensum a jurisdictione, atque adeo ab aliquo officio. Verumtamen in illa parte nulla est mentio suspensionis ab Ordine, nec etiam a beneficio. Altera pars illius capitis est, in qua præcipit Pontifex, plures alios clericos, qui violaverant interdictum, suspendi ab officio et beneficio. Verba autem textus sunt : *Omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, suspendas auctoritate Apostolica ab officio et beneficio.* Quæ verba, ut per se patet, non continent suspensionem ipso jure latam, sed ferendam. Citari præterea solet cap. Postulasti, § Quæ scivistis, de Cleric. excom. min. Sed ibi supponitur quidem in eo casu excommunicatio lata; et additur hujusmodi violatores interdicti, si clerici seculares sint, esse beneficiis spoliandos; si autem monachi, in arctioribus monasteriis ad agendam pœnitentim esse detrudendos; alia vero pœna ipso facto incurrenda ibi non imponitur; nec ego credo excommunicationem illam fuisse a jure, sed ab homine, quia nec verba textus aliud postulant, nec talis excommunicatio in jure invenitur, nec auctores illius meminerunt.

3. *C. Is qui, de Sent.excom., in* 6.— Rursus citatur c. Is qui, § Quis vero, de Sent. excom., in 6, ubi non suspensio, sed irregularitas Summo Pontifici reservata propter hoc delictum incurri dicitur; additurque hujusmodi sic delinquentem neque eligibilem esse, neque cum aliis ad eligendum admitti debere. Et quidem illud prius, scilicet esse ineligibilem, in ipsa irregularitate includitur; secundum autem minime, quia irregularitas non privat jurisdictione, vel quasi jurisdictione, ut suo loco dicemus. Et ita quoad hanc partem videtur ibi imponi quoddam genus suspensionis, scilicet a potestate eligendi; quamvis si verba textus præcise et limitate intelligantur, ut intelligi debent in materia pœnali, non satis ex eis colligitur suspensio ipso jure; verba enim sunt : *Adeo efficitur ineligibilis, quod neque ad eligendum cum aliis deberet admitti.* In quibus non dicitur illum esse ipso jure suspensum, ita ut si ad eligendum admittatur, actio ejus nulla sit; sed solum dicitur, *non debere admitti;* in quo significatur hominum factum requiri, ut ille ab eligendo excludatur; ideoque pœnam illam non esse talem, quæ ipso jure incurratur, sed quæ imponenda sit. Citatur etiam c. 1 de Postulat. Prælat., in quo Summus Pontifex cujusdam postulationem non admittit, eo quod interdictum violaverat; et ideo persona indigna erat, quæ postulari posset. Sed in primis illa indignitas non est propria suspensio, neque etiam est propria clericorum, sed de laico etiam violante interdictum verificari; et deinde in ipsa irregularitate contenta intelligitur, quia etiam irregularis indignus est ut postuletur; imo ex vi ipsius criminis violandi interdictum, absque alia censura efficitur quis indignus, ut ad Prælaturam Ecclesiasticam postuletur.

4. *Cap. Episcoporum, de Privileg., in* 6. — Præterea citatur cap. Episcoporum, de Privil., in 6, ubi propter illud crimen suspenditur quis ab ingressu Ecclesiæ. Sed illa non est propria suspensio de qua agimus, quæ solis clericis conveniat, sed est communis omnibus laicis; atque ita magis pertinet ad censuram interdicti, de qua postea. Adducitur etiam

cap. Quia diversitatem, de Concess. præbend., ad hoc, ut clericus, qui sic deliquit contra interdictum, non possit conferre beneficium; at hoc ibi non dicitur, sed solum de Episcopo suspenso sermo est, et de illo verum est, si sit suspensus ab officio, non posse conferre beneficium; tamen probandum esset prius ob violationem interdicti manere sic suspensum, quod ibi non dicitur. Igitur nullum in jure textum invenio, quo hæc suspensio lata sit, prout est censura ab irregularitate distincta, sed solum ut in illa includitur.

Secunda etiam suspensio excluditur.

5. Secundus casus similis præcedenti est de clerico, qui celebrat coram excommunicato, vel interdicto, vel illum admittit ad divina, vel ad sepulturam Ecclesiasticam; illum enim aliqui asserunt, suspensum ipso jure manere, ex dict. cap. Episcoporum, de Privil., in 6. Verumtamen, ut dixi, ibi non fertur pœna suspensionis clericorum propria, sed interdicti communis laicis; et præterea intelligenda est illa pœna quoad excommunicatos vitandos juxta Extravagantem *Ad evitanda*, ut latius exposuimus supra, disp. 10, sect. 2, et disp. 12, sect. 1 et 4.

Ultima suspensio ob pravum usum muneris sacerdotalis.

6. Tertius casus specialiter addi solet de clerico tradente Christianæ sepulturæ corpus publici usurarii in tali peccato morientis. Quem casum hic numero, quia hic actus ad Ordinem suo modo pertinere videtur, et prohibitio seu pœna illa tanquam censura quædam est respectu ipsius usurarii. Habetur autem hæc suspensio in cap. Quia in omnibus, de Usuris. Ubi non solum propter sepulturam, sed etiam propter crimen accipiendi oblationes ab usurario manifesto quædam suspensio fertur, his verbis : *Qui autem acceperit, vel Christianæ tradiderit sepulturæ, et quæ accepit reddere compellatur, et donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus.* Ubi duo prohibentur, scilicet, et oblationes suscipere a publico usurario, et illius corpus sepulturæ tradere. Prohibetur etiam ibi sacerdotibus, ne hos usurarios admittant ad communionem altaris; tamen contra facientes oppositum nulla specialis pœna imponitur. In primis vero duobus casibus imponitur pœna suspensionis ab officio, et in primo additur restitutio rerum, quæ in oblationem susceptæ sunt. Verumtamen quoad hanc partem non imponitur pœna ipso jure; neque est ibi aliquod verbum, quo significetur, impediri translationem dominii; solum enim dicitur, *Quæ accepit reddere compellatur;* ergo donec compellatur, non tenebitur restituere ex vi illius legis. Quod addo, quia cum usurarii bona censeantur injuste acquisita, et ideo obnoxia restitutioni, res ab ipso oblatæ poterunt ex hoc capite etiam esse restitutioni obnoxiæ. Si tamen usurarius habeat plura bona, ex quibus restituere possit, cessabit illa obligatio. Et fortasse ideo non explicatur in illo textu, cui cogendus sit sacerdos reddere illa bona oblata, sed id videtur arbitrio judicis relinqui, quia si necessaria sint ad plenam restitutionem usurarum faciendam, reddenda erunt ipsi usurario, ut ea restituat, vel ipsismet quibus debentur, si manifesti sint; alioqui poterunt, ut opinor, applicari pauperibus, quia jam usurarius, quantum in se est, abdicavit a se dominium illorum, et in illius favorem cederet, si ei redderentur; sed de hoc latius alibi.

7. *Sub hac pœna prohibentur oblationes in Missæ offertorio accipi.* — At vero suspensio ipso jure fertur, et propter duas actiones non simul, sed divisim sumptas, ita ut quælibet earum sufficiat ad suspensionem incurrendam, ut patet ex particula disjunctiva, *Qui acceperit, vel tradiderit;* atque ita sunt duæ suspensiones, licet eodem textu contentæ. Unde, si aliquis sacerdos utramque illarum committat, duas suspensiones incurret, ideoque duplici indigebit absolutione, vel una, quæ utramque causam respiciat. Prior ergo actio est recipere oblationes usurarii. Quid autem nomine oblationum intelligendum sit, inquiri potest; tamen hoc alterius considerationis est. Videatur D. Thom., 2. 2, quæst. 85, art. 3, ad 3, ubi oblationem esse ait, quidquid Deo directe offertur, quod latius prosequitur tota quæst. 86. Quod vero ad præsens spectat, tribus modis possunt fieri hæ oblationes. Primo in Missa ad offertorium, prout est in usu. Et hic modus suscipiendi oblationes videtur maxime ibi prohibitus, quia et illæ propriissime oblationes dicuntur, et illas ab usurario recipere majus est Ecclesiæ scandalum.

8. *An prohibeantur accipi stipendia pro divinis officiis ab usurariis.* — Secundo offe-

runtur hæc dona extra Missam non mere gratis, sed tanquam stipendium seu eleemosyna, ut sacrificia vel alia officia divina pro credentibus fiant. Quomodo in c. Sacris, de Sent. excom., prohibentur sacerdotes recipere oblationes pro excommunicato mortuo, antequam absolvatur, etiamsi cum signis contritionis obierit. Et de hoc genere oblationis dubitari potest, an in illo textu comprehendatur, quia oblationes proprie significant dona gratuita, ut D. Thom. supra dicit; hæc autem non gratis dantur, sed ex implicito pacto justitiæ; et ideo non sunt tam propriæ oblationes. Præterea non est prohibitum orare pro usurario publico; non est enim excommunicatus; et ideo licet pro illo sacrificium offerre, ut Deus illum convertat; ergo etiam licebit ab illo stipendium accipere pro Missa dicenda, vel aliquid simile. Quare probabile censeo hoc ibi non prohiberi; quod secus est in excommunicato, a quo non licet hujusmodi oblationes accipere propter prohibitam communicationem cum illo, ut recte Navar., de Oratione, c. 19, num. 67. In illo ergo casu, non incurretur suspensio, imo neque erit malum, per se loquendo, secluso scandalo. Sed quid si recipiantur hæc stipendia pro usurario jam mortuo in suo peccato publico? Respondeo id esse malum ex alio capite, quia ille est publice condemnatus, quantum Ecclesiæ constare potest; et ideo non licet pro illo sacrificium offerre, vel publicas orationes. Tamen ex vi illius decreti non incurretur illa suspensio, propter rationem factam; et præterea, quia ibi non prohibetur sub illa censura suscipere eleemosynam *pro usurario*, sed *ab usurario;* unde nisi oblationes ejus nomine fiant (tunc enim censentur ab ipso fieri) non videntur sub illa prohibitione comprehendi.

9. *Quid si oblationes in subsidium Ecclesiæ aut ejus ministrorum dentur.* — Tertium genus oblationis est, quando simpliciter aliquid offertur Ecclesiæ, vel ministris ejus in eleemosynam et subsidium, et hæ si dentur ministris Ecclesiæ ut tales sunt, et non tantum quia sunt pauperes (ut dari solet eleemosyna religioso vel sacerdoti pauperi), vere computantur inter oblationes Ecclesiasticas, juxta doctrinam D. Thom. supra; et ideo etiam de his procedit dicta prohibitio et pœna. Quod ita sentit Sylvest., verb. *Decima*. Ubi adhibet limitationem, nisi hujusmodi oblationes sint alias debitæ ex consuetudine, vel alio titulo ex his, quos ponit D. Thom. dict. quæst. 86, art. 5, quia usurarius propter suum crimen non debet fieri melioris conditionis, aut liberari obligatione. Et confirmatur, nam ab usurario licet oblationes sic debitas exigere, sicut et alia debita, ut in superioribus dictum est, et notavit Rich., d. 18, art. 6, quæst. 4. Intelligendum est tamen, dummodo usurarius habeat bona, ex quibus tales oblationes solvat, præter ea, quæ restitutioni usurarum obnoxia sunt, quia illa non sunt sua, ut in oblationem dari aut recipi possint, ut etiam Sylvester notavit. Et hæc de illa prima causa hujus suspensionis videntur sufficere. De altera vero causa, scilicet, tradendi usurarium sepulturæ Ecclesiasticæ, plura essent dicenda, nisi in simili tradita essent superius disp. 12, sect. 4, ex quo loco peti potest hujus partis declaratio.

10. *Quomodo habeat locum suspensio hæc post Extravag.* Ad evitanda. — Solum potest circa hoc decretum dubitari, an post Extravag. *Ad evitanda,* habeat locum hæc suspensio. Et ratio dubii esse potest, quia ratione illius Extravagantis non tenemur vitare in sacris, vel in aliis rebus quemquam, nisi sit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor clerici; ergo publicus usurarius, si non sit excommunicatus nominatim, non erit vitandus, vel in oblationibus recipiendis, vel in sepultura sacra. Quidam respondent, per illam Extravagantem solum esse concessum, ne teneamur vitare quempiam titulo censuræ in eum latæ, nisi nominatim denunciatus est; publicum autem usurarium non vitari in illis duobus actibus propter propriam censuram, sed solum in odium criminis et propter scandalum vitandum; ideoque, non obstante dicta Extravagante, durare prohibitionem et pœnam hujus decreti. Sed contra hanc interpretationem videntur aperte facere verba dictæ Extravag. quæ sic habent : *Constituimus, ut nemo posthac teneatur abstinere, et separare se, neque evitare communicationem alicujus, ratione alicujus sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, aut suspensionis, aut prohibitionis ab homine, aut a jure generaliter promulgatæ.* Quod ultimum verbum comprehendit præsentem casum, de quo agimus, quia non tenentur sacerdotes excludere usurarium publicum ab his actibus, nisi ratione prohibitionis generali jure latæ. Et ita censeo dicendum hanc suspensionem non incurri, donec usurarius sit specialiter, et nominatim per sententiam condemnatus, vel saltem de tali crimine declaratus, quia alias nullum com-

mittitur peccatum contra illam prohibitionem, et consequenter nec pœna ejus incurritur. Atque in hunc modum est limitanda hæc suspensio, quam solam ex toto discursu hujus sectionis colligimus.

SECTIO III.

In quibus casibus incurrant clerici suspensionem ipso jure propter peccata contra alia munera vel obligationes sibi proprias.

1. *Prima suspensio clerici propter vestium abusum.* — Post usum Ordinis proxime spectant ad clericos obligationes aliæ, quæ ex Ecclesiasticis muneribus, vel ex decentia talis status oriuntur, et ob culpas, quæ in hoc genere committuntur, suspensiones aliquæ sunt jure ipso latæ, quas breviter examinabimus, atque explicabimus. Prima est de his, qui non utuntur vestitu ad formam eodem jure statutam, nam hi, si beneficium habeant, suspenduntur per sex menses, aut per annum, juxta delicti qualitatem eodem jure expressam. Ita habetur in Clement. 2 de Vita et honest. cleric. Circa quam, quia verba textus sunt clara, solum annoto, quamvis culpa hæc communis esse possit omnibus clericis, suspensionis tamen pœnam non imponi omnibus, sed illis tantum, qui beneficium habent Ecclesiasticum; ita enim in textu expresse dicitur, et ipsa pœna suspensionis a beneficio id exigit; et ideo pro clericis non beneficiatis idem crimen committentibus alia pœna ibi fertur, quæ in textu videri potest. Advertit autem Navarrus, cap. 27, n. 157, eam censuram incurri, quando clericus communiter utitur vestibus illic prohibitis; non vero si semel aut iterum aliqua occasione extraordinaria illis utatur, et citat Cardinalem ibi, num. 27. Denique in hoc plurimum est consideranda consuetudo, et an secundum prudentium hominum arbitrium aliquis peccet mortaliter contra illam prohibitionem, utendo hac vel illa veste; nam si non ita peccat, non existimo incurrere pœnam illam adeo gravem. Multa vero minutatim distinguuntur in illa Clementina, quæ aut non sunt usu recepta, aut non sub ea æstimatione, ut mortale peccatum existimetur tali veste uti, sed ad summum indecentia quædam venialis.

2. *Secunda propter Ecclesiarum gravamen.* — Secunda est de his clericis beneficium habentibus, seu curam alicujus Ecclesiæ, qui eam pro alienis debitis gravant, aut litteras, seu sigilla alicui concedunt, quibus possit Ecclesia obligari, nam qui hoc facere præsumunt, ab administratione spiritualium et temporalium rerum ipso jure suspenduntur in c. 2 extra de Solutionibus. Quæ lex et pœna non comprehendit Episcopos, ut bene ibi Glossa notat ex cap. Quia periculosum, de Sent. excom., in 6, quod de omnibus casibus in hac sectione tractandis dictum intelligatur. Addit vero Angelus, verb. *Suspensio*, 1, num. 10, quem sequitur Sylvest., num. 6, posse Episcopum in hac suspensione dispensare; quod tamen facere non debet, nisi prius immunitati Ecclesiæ fuerit satisfactum juxta cap. Cum olim, de Verb. signific.; quod ipsi nullo jure probant, et ideo censeo generalem regulam traditam supra ad hunc casum esse extendendam.

3. *Tertia in occupantes bona Prælati defuncti.* — Tertius casus est de his, qui vacante Sede alicujus Cathedralis, regularis aut collegiatæ Ecclesiæ, *occupant bona, quæ ad Prælatum defunctum spectant, vel quæ tempore vacationis obveniunt, et in utilitatem Ecclesiæ expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari;* qui suspenduntur *ab officio, et beneficiis quibuscumque, donec plene restituerint quidquid de prædictis bonis acceperint.* Fertur autem illa censura *in Capitulum, collegia, et singulares personas,* quæ talia bona *occupant, inter se dividunt, subripiunt, dilapidant, dissipant, et consumunt.* Habeturque in cap. Quia sæpe, de Elect., in 6. Quid autem bonorum nomine in ea constitutione intelligatur, ex generali appellatione satis constat; comprehenduntur enim omnia bona tam mobilia quam immobilia; tamen ex vi illius juris solum comprehenduntur ea, quæ vel a Prælato defuncto possidebantur, vel vacationis tempore ex fructibus talis Ecclesiæ proveniunt. Tamen in Clement. penult. de Electione, fit extensio, ut sub illis bonis intelligatur comprehendi omne emolumentum, quod provenit ex jurisdictione, et sigillo curiæ Ecclesiasticæ, vel secularis, aut quidquid alias undecumque ad Ecclesiam pertineret, si non vacaret, deductis expensis, et addita limitatione, scilicet: *Nisi vacante Sede jurisdictio cum ejus emolumento ad aliquas singulares personas ex consuetudine, aut aliquo speciali privilegio, aut titulo devolvatur;* nam illi non privantur jure suo propter illam constitutionem, ut in eadem advertitur. In qua limitatione nonnulla advertenda sunt. Primum, illam solum adhiberi circa jurisdictionem, et emo-

lumentum ejus, et ita Clemens in nulla re limitat priorem constitutionem Bonifacii, qui voluit, ut nullo privilegio vel consuetudine obstante prior constitutio observaretur; Clemens autem solum quantum ad eam partem extensionis, quam ipse addit, voluit illam limitationem adjungere. Deinde est considerandum, Clementem non loqui de privilegiis personarum secundum se, *sed ratione dignitatum, quas obtinent;* merito enim voluit dignitatem non privari jurisdictione, quæ ad illam pro eo tempore justa ratione seu titulo pertinet. Quod si is, qui talem habet dignitatem, jurisdictionem juste exercet, etiam emolumento ejus merito frui debet, cum illud detur ratione muneris. Deinde in priori textu adverto solum loqui de Episcopis vel Prælatis alicujus Ecclesiæ collegiatæ, vel regularis, et ideo non extendi ad bona, quæ ad inferiores beneficiatos spectant. Notari vero debet alia lex lata in cap. ult. de Offic. ordin., in 6, per quam quidem nihil derogatur dict. cap. Quia sæpe, ut in fine ejusdem textus dicitur; sed fertur specialis suspensio ab officio et beneficio contra omnes Ecclesiasticas personas Episcopis inferiores, quæ vacantibus dignitatibus, personatibus, prioritatibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, seu ad collationem, ordinationem, præsentationem, vel custodiam pertinentibus eorumdem, bona in ipsis inventa, sive vacationis tempore venientia, occupare, aut in usus suos quoquomodo convertere præsumant, nisi aliquo justo titulo ad illos pertineant.

4. *Quarta suspensio exponitur.* — Quarta suspensio ipso jure fertur in Clement. 2 de Magistris, ubi cancellarius Universitatis, vel ille, ad quem spectat gradum magistratus conferre, ab eo munere per sex menses suspenditur, si cuipiam talem gradum contulerit non prius recepto a tali persona juramento, quod ultra certam summam ibi taxatam, scilicet, trium millium Turonensium argenteorum non expendat. De qua summa pecuniæ videri potest Covarruvias, in Veterum collatione numismatum, c. 3, § 2, num. 8, ubi in summa dicit, Turonensem argenteum quarta parta minorem esse Castellano argenteo, *æstimatur enim* (inquit) *viginti quinque nostris æreis maravedis;* quamobrem juxta illam constitutionem nemo poterit in doctorali gradu, et honore adipiscendo expendere ultra ducentos simplices ducatos Castellæ, qui æquivalent ducentis et viginti cruciatis Lusitanis. Circa illam vero suspensionem duo occurrunt notanda. Unum est, illam non videri proprie Ecclesiasticam censuram, quia non est a beneficio, vel ab officio Ecclesiastico; neque est propria clericorum, præsertim quoad gradus doctoratus in utroque jure, aut medicina et artibus. Unde ait Glossa ult. in dict. Clement., qui violat hanc suspensionem, non fieri irregularem, quia non violat Ecclesiasticam censuram. Deinde observo constitutionem hanc non esse usu receptam in multis academiis; in quibus et tale juramentum non exigitur, et sunt propriæ consuetudines receptæ et approbatæ, juxta quas interdum longe majores fiunt expensæ; nec propterea censetur incurri illa suspensio; ideoque in hac re consuetudini standum est.

5. *Quinta in delinquentes in electione Episcoporum.* — Quinta suspensio lata est contra electores Episcoporum, qui infra octo dies postquam commode potuerint, electionem factam electo non præsentaverint, et in hoc culpabiles extiterint; hi enim ab omnibus beneficiis, quæ in illa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium suspenduntur; et si ad illa intra illud tempus temere se ingesserint, privantur perpetuo ipsis beneficiis. Ita statuitur in cap. Cupientes, § Cæterum, de Elect., in 6. Ubi eadem pœna extenditur ad eligentes, vel opponentes se electioni, qui intra tempus et modum ibi præscriptum ad Sedem Apostolicam non accedunt per se, vel per procuratores, aut per certas personas ad hoc destinatas ad reddendam totius negotii rationem. Ac tandem idem fere decernitur, cum aliquis postulatur, ut in eodem textu videre licet; hic enim casus ampliorem expositionem non requirit, quia fere non sunt jam in usu hujusmodi electiones.

Sexta in compromissarium eligentem indignum.

6. Sexta etiam ad electiones pertinens est de compromissario eligente indignum; ille enim a beneficiis Ecclesiasticis triennio suspenditur ipso jure in c. Si compromissarius, de Elect., in 6, ubi etiam integra declaratio, quæ de hoc casu desiderari potest, traditur. Nam primo explicatur id intelligendum esse de illis beneficiis, quæ in ea Ecclesia elector obtinet, quam per talem electionem offendit. Secundo, quod hæc pœna solum imponitur, quando electio fit ad Episcopatum, vel superiorem dignitatem. Tertio hac pœna non ligari, nec comprehendi

Episcopos, vel superiores, quando ipsi compromissarii sunt, quia generaliter fertur, et generalis suspensio non comprehendit Episcopos vel superiores, juxta cap. Ut animarum, de Sent. excom. Quarto extenditur illa suspensio ad eum, qui alicujus electionem, postulationem, aut provisionem impugnans, in probatione deficit. Addit vero Angelus, verb. *Suspensio*, 4, num. 27, compromissarium eligentem indignum incurrere hanc suspensionem, nisi compromittentes illud habuerint ratum, sentiens si illi ratam habeant, alium non incurrere. Sed illa conditio in eo textu ad hanc rem non ponitur, sed ad aliam longe diversam. Dicitur enim prius in vers. *Si vero*, quando compromissarius eligit indignum, sive dolo, sive ignorantia id faciat, jam functum esse officio suo, ideoque potestatem eligendi ad compromittentes reverti, *nisi etiam illi talem electionem scienter ratam prius habuerint;* et merito talis conditio in eo casu apponitur in pœnam eorum, qui scienter talem electionem approbant. Deinde vero in vers. *Porro*, imponitur dicta pœna suspensionis compromissario male eligenti; additur vero illam pœnam vel similem non extendi ad ipsos compromittentes, nisi etiam ipsi ratam electionem habuerint, quia pœna solum auctorem culpæ tenere debet, ut ibi dicitur; compromittentes autem nihil peccarunt compromittendo in aliquo, licet ille postea male fungatur officio suo. Merito autem additur illa conditio, *Nisi ipsi ratam habeant talem electionem,* quia tunc jam illi sunt participes ejusdem criminis, et ideo etiam debent esse participes alicujus pœnæ. Tantum ergo abest, ut posita illa conditione, quod compromittentes ratam habeant talem electionem, compromissarius non incurrat dictam pœnam, ut Angelus intellexisse videtur, quod potius tunc non solum compromissarius, sed etiam compromittentes pœnam incurrant.

7. *Quid si per ignorantiam culpabilem indignus eligatur.* — Expendendum autem est illud verbum, *Nisi sic, ut præmittitur, ratum habuerint,* id est, *scienter;* sic enim præmissum fuerat in § Si vero. Quare si per ignorantiam indignitatis electi ratam habuerint electionem, non incurrent. Et quidem, si talis ignorantia fuerit invincibilis, res est manifesta, quia tunc nulla committitur culpa; si autem non sit omnino invincibilis, sed aliquo modo voluntaria, dubitari potest, an tunc compromittentes, et electionem ratam habentes talem incurrant pœnam; cum enim non excusentur a culpa, videntur non excusari a pœna. Nihilominus tamen propter verbum, *scienter*, probabile existimo, hos non incurrere pœnam nisi interveniente dolo et malitia, et supposita scientia, quod electio fuit de indigno facta; nam, si interveniat ignorantia, etiamsi vinci fortasse potuisset, et ideo non excuset a culpa, tamen aliquam excusationem affert, quæ juxta intentionem, et verba illius textus, sufficit ad excusandam illam pœnam, alioqui verbum illud, *scienter*, nihil operaretur. Et fortasse ratio fuit, quia illa erat ignorantia facti; ignorantia enim juris hic admitti non potest; quis enim ignorabit non licere electionem indigni ratam habere? Ignorantia autem facti, scilicet, de electi indignitate, facile potest haberi, et præsertim postquam auctoritate compromissarii eligentis illum verisimilior seu probabilior facta erat.

8. Quapropter licet Gloss. ibi, vers. *Eligitur*, etiam de compromissario particulam *scienter*, intelligat, ego de illo aliter judicandum censeo, nam ratio diversa est, et textus de illo diversimode loquitur. Si ergo compromissarius ex ignorantia invincibili eligat indignum, non incurret, cum illa suspensio solum feratur propter culpam, et pœna solum auctorem culpæ tenere debeat, ut ibi dicitur. Si tamen indignum eligat ex culpabili ignorantia, et ex negligentia gravi, quæ ad peccatum mortale sufficiat, dictam suspensionem incurret, quia ibi est culpa sufficiens ad talem pœnam, et in illo textu nunquam postulatur, ut compromissarius scienter eligat indignum ad incurrendam illam, sed simpliciter dicitur: *Si indignum eligat.* Quod satis intelligitur, si eligat voluntarie et culpabiliter indignum. Et ratio etiam differentiæ est, quia postquam illi est concessa potestas eligendi, ad eum spectat de conditione et dignitate electi inquirere; meritoque punitur, si in hoc sit notabiliter negligens; compromittentes vero magis excusabiles sunt, quia de compromissarii diligentia et auctoritate confidunt, et quando oppositum non constat, merito dignum reputant, quem ipse elegit, neque habent illam specialem obligationem inquirendi de dignitate electi.

9. *Quam pœnam incurrant compromittentes consentientes electioni indigni.* — Dubitari vero potest, quænam pœna sit illa, quam compromittentes incurrunt consentientes tali electioni. Aliqui enim putant incurrere eamdem suspensionem, quia ibi fit exceptio, ut

non incurrant illam pœnam, nisi in illo casu; ergo in eo illam incurrunt. Alii vero existimant per illam particulam : *Nisi sic, ut præmittitur, ratum habuerint,* non significari, hos compromittentes, indigni electionem ratam scienter habentes, incurrere pœnam illius suspensionis, sed solum illam pœnam prius positam in § Si vero, scilicet quod privantur potestate iterum eligendi vel compromittendi, quia illa exceptio, *Nisi*, etc., posita in § Porro, non cadit supra verbum *Suspenduntur,* sed supra verbum *Puniuntur,* quod generalius est; et ideo sensus non est, ut in casu illius ratihibitionis suspendantur, sed ut puniantur pœna prius indicata, scilicet privatione electionis, juxta priorem § Si vero, et juxta cap. Quanquam, eodem titulo, ubi declaratur potestatem eligendi in eo casu ad Summum Pontificem devolvi. Et hic sensus mihi magis probatur, quia et mitior est, et satis conformis verbis textus et rationi; nam in ipso compromissario, quod postquam semel elegit indignum, jam non possit iterum eligere, non est pœna, sed est quasi cessatio injuncti muneris, et ideo nova pœna illi imponitur ob talem electionem peccaminose factam; in ipsis vero compromittentibus est peculiaris pœna, quod voce eligendi priventur, quando ratam habuerint talem electionem; et ideo non debent alia suspensione puniri. Tamen juxta hunc etiam sensum procedunt alia, quæ circa particulam *scienter,* expendimus, ut per se patet.

Septima contra eligentes indignum ad Episcopatum, etc.

10. Septimus casus est de his, qui eligunt indignum ad Episcopatum, vel inferiora beneficia, quæ curam animarum habent annexam, nam clerici sic eligentes et potestate eligendi tunc seu pro ea vice privantur, et per triennium ab Ecclesiasticis beneficiis suspenduntur. Ita habetur in c. Cum in cunctis, § Clerici, de Elect. Ferturque hæc pœna in clericos Episcopis inferiores, tum propter regulam superius positam, quod Episcopi non comprehenduntur sub generali suspensione; tum etiam quia ibidem Episcopi in hoc delinquentes aliter puniuntur, privatione potestatis conferendi prædicta officia, aut beneficia, quæ pœna confirmari potest ex cap. Nihil est, eodem titulo, de Elect., ubi etiam pœna suspensionis a beneficio, non latæ, sed ferendæ adjungitur. Deinde illa suspensio limitanda est ad eadem beneficia, quæ hujusmodi electores habent in ea Ecclesia, quam per talem electionem offendunt, juxta dicta in superioribus, et proxime in præcedenti casu ex cap. Si compromissarius. Circa actionem vero, propter quam hæc pœna imponitur, advertendum est, non esse absolute electionem indigni quomodocumque, sed verba textus sunt : *Clerici si contra formam istam quemquam elegerint,* atque ita ex vi illius legis solum illi pœnam illam incurrunt, qui aliquem eligunt non habentem conditiones in illo decreto præscriptas; illæ autem sunt tres. Prima, ut nullus eligatur in Episcopum, *nisi qui trigesimum ætatis annum egerit* (ita enim legitur in Conc. Lateranensi sub Alexandro III, part. 1, c. 3) : in Decretalibus vero legitur *exegerit;* prior tamen lectio videtur magis probanda ex cap. Cum nobis olim, de Elect., ibi, *quod annum ætatis trigesimum attigisset.* Secunda, ut sit ex legitimo matrimonio natus. Tertia, quod vita et scientia commendabilis demonstretur. Ad decanatum vero, et archidiaconatum, et alias præbendas inferiores, quæ curam animarum habent annexam, et ad ipsum regimen parochialis Ecclesiæ requiritur, ut qui eligitur, vigesimum quintum ætatis annum attigerit, et scientia et moribus existat commendatus. Qui ergo indignum elegerit ob defectum alicujus ex his conditionibus, prædictam suspensionem incurret. Si vero aliis modis in electione peccet seu deficiat, non incurret illam pœnam, sed aliis modis puniri poterit arbitrio superiorum, quia hæc lex de illis non loquitur.

11. *Octava suspensio.* — Octava suspensio non dissimilis præcedenti fertur in Extravag. unic. inter communes, de Postulat. Prælat., ubi qui ad Cathedralem Ecclesiam postulant eum, qui vigesimum septimum ætatis annum non attigit, vel qui religiosum mendicantem ad inferiorem Cathedrali Ecclesiam postulant, ea vice potestate postulandi, et eligendi, et a beneficiis, quæ in illa Ecclesia obtinent, per triennium suspenduntur.

Nona in eum, qui defecit in probatione eorum quæ contra electum objecit.

12. *Cap.* 1 *de Elect., in* 6. — Nona fertur in eum, qui in personam electi aliquid opponit, et postea in probatione deficit; suspenditur enim a beneficiis Ecclesiasticis per triennium in cap. 1, § Adjicientes, de Elect., in 6. In quo nonnulla sunt notanda. Primum non esse sermonem de electo ad quodcumque benefi-

cium Ecclesiasticum, sed ad *dignitates, personatus,* et *canonicas,* ut declaratur in § Sed si pars. In c. autem Si compromissarius, in fine, videtur declarari, etiam in Episcopatibus habere locum; et sane merito, cum magis sit punienda calumnia in Episcopum, quam in eum, qui ad inferiorem dignitatem eligitur. Secundo extenditur hic casus ex principio illius cap. et ex dict. cap. Si compromissarius, non solum ad electionem, sed etiam ad postulationem, et quamcumque promissionem. Itaque quacumque ratione aliquis sit provisus, vel præsentatus ad aliquod ex dictis beneficiis Ecclesiasticis, et aliquid in personam ejus opponatur, si opponens deficiat in probatione, dictam suspensionem incurrit. Tertio, quoniam contra electionem opponi potest et in formam ejus, et in personam electam, hæc pœna non imponitur, in eum, qui objicit contra formam, et deficit in probatione; tunc enim solum ad expensas condemnatur; sed ponitur in eum, qui objicit in personam absque probatione; et merito, quia gravius delinquit, propter periculum infamationis, et majorem calumniæ suspicionem; et ideo subditur ibidem, illam suspensionis pœnam imponi, *absque ulla spe remissionis, aut misericordiæ, nisi manifestissimis consisterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis et sufficiens excusaret.* Quorum verborum sensus non est in eo casu non incurri suspensionem ipso facto prout per eam legem fertur apertissime, et sine ulla exceptione; sed est sensus tunc esse dispensandum cum illo, et pro ratione excusationis tempus suspensionis coarctari. Addo vero tam probabilem posse esse excusationem ut Summus Pontifex juste ac merito possit totam suspensionem tollere, et fructus amissos restituere; ut si constiterit bona fide, et probabili spe sufficienter probandi objectionem, atque adeo sine morali culpa id factum fuisse. Imo si hoc in conscientia constet, in eodem foro talis suspensio non incurritur, quia pœna est, et cessat, cessante culpa. Tandem, licet ibi simpliciter feratur triennalis suspensio a beneficiis, tamen ex dict. cap. Si compromissarius, constat limitandam esse ad beneficia illius Ecclesiæ, de cujus provisione, seu electione agitur, ut pœna sit culpæ proportionata.

Decima in eum, qui consentit electioni per abusum potestatis secularis factæ.

13. *Cap. Quisquis, de Elect.* — Decima est de eo, qui ad Ecclesiasticam præbendam per abusum secularis potestatis eligitur, et tali electioni consentit; de quo ita dicitur in cap. Quisquis, de Elect.: *Electionis commodo careat et ineligibilis fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem.* Qui textus citari solet communiter ad probandum suspensionem in eo casu incurri. Sed ea verba non suspensionem, sed privationem, et inhabilitatem inducere videntur. Nam privatio, seu irritatio illius electionis et inhabilitas ad illud beneficium, et ad quamlibet aliam Ecclesiasticam dignitatem non est suspensio ab officio, neque a beneficio, ut per se constat. Unde Panormit. ibi irregularitatem illam appellat; atque ita pœna illius textus, quantum ad electum pertinet, ad præsentem materiam non spectat. Additur vero deinde pœna in electores clericos, qui in illo modo, id est, inducti per abusum secularis potestatis et contra canonicam libertatem electionem faciunt. Nam, præter irritationem electionis, ab officio et beneficio contra eos fertur suspensio. Tamen, si verba textus ponderentur, non fertur ipso jure, sed ferri mandatur; sic enim dicitur: *Ab officiis et beneficiis penitus suspendantur per triennium,* quod etiam ibi Glossa notavit. Objicit vero ex cap. Cum in cunctis, supra tractato. Sed, ut ex supra notatis constat, nulla est difficultas, quia illi textus loquuntur in diversis casibus; et ideo mirum non est, quod diversas pœnas, vel eamdem diversis modis imponant; neque erit difficile congruentes rationes hujus diversitatis invenire. Additur vero in illo textu de his electoribus, *eligendi tunc potestate privati,* quæ verba quoad hanc partem sine dubio imponunt pœnam ipso jure, quæ suspensio quædam dici potest, nam impedit potestatem eligendi quoad unum actum; et hoc solo titulo potest hic casus in præsenti numerari.

14. *Electionem fieri per abusum secularis potestatis, quid. — Quorumdam dictum rejicitur.* — Hic vero quæri posset, quid sit electionem fieri per abusum secularis potestatis. Item, an hoc procedat de electione ad quodlibet beneficium. Item an in omnibus electoribus et electis. Dico breviter, aliud esse electionem fieri a seculari potestate, aliud fieri a clericis, per abusum secularis potestatis; in illo enim textu de hac posteriori sermo

est, nam dicitur, ut electores suspendantur ab officiis et beneficiis; supponitur ergo illos esse clericos. Sentiunt autem aliqui expositores, hanc pœnam a fortiori habere locum in illo, qui dignitatem Ecclesiæ immediate recipit de manu laici, nam ille major abusus est. Dico tamen ex vi hujus textus non ferri specialem pœnam, aut suspensionem pro illo delicto, etiamsi gravius sit. Nec argumentum a simili, vel a majori ratione est efficax in hujusmodi legibus pœnalibus, ut sæpe dixi, quia non necessario puniuntur graviora delicta per eas leges, quibus minora puniuntur, sed singula suis locis; ut illud delictum suscipiendi Ecclesiæ beneficium a laico punitur in cap. Quisquis deinceps, 16, q. 7, de qua alibi. In præsenti ergo, electionem fieri per abusum secularis potestatis, est, quod electio fiat quidem ab electoribus Ecclesiasticis, tamen cum aliquo abusu secularis Principis, ut, v. gr., quod ipse intersit tali electioni, aut aliquod munus in ea exerceat, vel aliquid hujusmodi, ut in eodem cap. notat Gloss. 1, et alia exempla adducunt Innocentius et Abbas.

15. *An vis aut metus gravis excusent hanc censuram.* — Advertit autem dicta Glossa hoc intelligendum esse, quando ipsi electores voluntarie in sua electione admittunt illum abusum secularis potestatis; nam si per vim vel metum cogantur, non incurrent hanc pœnam, et consequenter neque ipsa electio erit ipso jure irrita, si nullum alium habeat defectum; ad quod citat cap. Cum Vintoniensis, de Elect., in 6. Ex quo nihil ad rem præsentem elici potest; melius id probaret ex illis verbis ejusdem textus : *Qui electionem hujusmodi præsumpserit celebrare*, nam illud verbum, *præsumpserit,* indicat modum operandi ex mera libertate plene voluntaria. Contrarium vero quoad hoc sentire videtur Innocentius, nam inter alia exempla illius abusus ponit, quando Ecclesiastici eligunt aliquem minis secularis potestatis; sed fortasse intelligit, quando minæ non sunt tales, ut sufficiant inducere metum gravem, et moralem violentiam; nam, quando hujusmodi sunt, cum actio sit valde involuntaria, non sunt digni electores tam gravi pœna, et saltem in casu illius textus, et juxta verba ejus probabilius existimo non incurri. Nec disputo modo, an electio facta per hujusmodi metum irrita sit, necne; nam esto sit irrita, quando metus incutitur ad extorquendum consensum electorum in talem personam, tamen, quando solum incutitur ad admittendum in electione abusum secularis potestatis, et eo non obstante, libere fit electio, non opinor esse irritam, quia neque ex natura rei id per se constat, neque ex vi dict. cap. Quisquis, ut ponderatum est. Solum ergo incurritur illa suspensio, quando electores voluntarie admittunt talem abusum secularis potestatis; et tunc locum habet illa decisio in omnibus beneficiis Ecclesiæ, sive Episcopatus, sive inferiora sint, quia textus indistincte loquitur, ut bene Abbas ibi notavit. Et eadem ratione locum habet in omnibus electis, et in omnibus electoribus, nisi fortasse excipiendi sint Episcopi, quatenus sub generali clausula suspensionis non comprehenduntur.

16. *Suspensio undecima et duodecima.* — Undecimus casus sumitur ex cap. Exigit, de Censibus, in 6, ubi omnes clerici inferiores Episcopis, qui Ecclesias visitant, aut sunt visitantium familiares, et non servant constitutionem Innocent. IV, in c. Romana, eodem titulo, de non recipiendis pro visitatione, aut debita procuratione, pecuniis aut aliis muneribus, si ea receperint, et infra mensem in duplum non restituant, suspenduntur ab officio et beneficio, donec similem restitutionem faciant Ecclesiæ, a qua aliquid receperint. Duodecimus casus sumi potest ex Extrav. 2, de Privil., ubi fertur sententia suspensionis in eos, qui conferunt, vel recipiunt beneficia eorum, qui pro suis negotiis ad Romanam Curiam profecti sunt, quive in illa, officia aliqua exercent. Ubi solum oportet advertere ibi ferre suspensionem absolute et absque ulla determinatione, quæ neque ex verbis, neque ex materia, neque aliunde potest commode limitari, ideoque suspensionem tam ab officio quam a beneficio complecti. Alia advertemus infra agentes de interdicto.

Decima tertia suspensio contra judices Ecclesiasticos in judicio delinquentes.

17. Decimus tertius casus est de judice Ecclesiastico ordinario, aut delegato, qui per gratiam, vel sordes aliquid in judicio facit contra conscientiam et justitiam in gravamen alterius partis; ille enim ab executione officii per annum suspenditur ipso jure in c. 1, de Sentent. et re judic., in 6, ubi additur, *Si suspensione durante, damnabiliter se ingesserit divinis, irregularitatis laqueo se involvet.* Ex quo constat illam suspensionem non tantum intelligi ab officio judicandi, nam suspensio ab illo solo non impedit celebrationem

divinorum; intelligitur ergo de suspensione ab officio simpliciter tam Ordinis, quam jurisdictionis. Recte autem advertit Glossa illam pœnam non extendi ad Episcopum, etiamsi ordinarius, vel delegatus judex sit, propter principium sæpe positum, quod suspensio generaliter lata non comprehendit Episcopum; ponderanda autem sunt verba, *Ordinarius, aut delegatus,* quia non est ultra illos hæc pœna extendenda, cum pœnæ restringendæ sint; et ideo neque arbiter compromissarius, neque merus executor illam pœnam suspensionis incurrunt, quia neuter eorum est judex ordinarius, vel delegatus, ut ibi notat Gloss., verb. *In judicio,* ex Hostiense et aliis. Observanda etiam sunt illa verba, *Contra conscientiam, et contra justitiam,* quæ opinor copulative esse intelligenda sicut proponuntur; non enim sufficit facere contra conscientiam, si non faciat contra justitiam; potest enim judex ex odio procedere, et in hoc facere contra conscientiam; tamen si gravamen illud, quod alteri parti imponit, revera non est contra justitiam, sed solum quia intra latitudinem justitiæ semper illam gravat quantum potest, nullo favore aut gratia cum illa utendo in his, quæ licite posset, hanc suspensionem non incurrit. E contrario etiam non satis erit agere contra justitiam, si non agat contra conscientiam; quod potest contingere, si per ignorantiam inculpabilem, vel inconsiderationem judex partem aliquam gravet ultra justitiæ æquitatem; tunc enim licet materialiter agat contra justitiam, non tamen formaliter et secundum conscientiam; et ideo suspensionem illam non incurret, tum propter illa verba textus, tum propter rationem generalem, quod, cessante culpa, debet pœna cessare. Cætera in ipso textu clara sunt.

18. *Decima quarta suspensio contra Conservatores. — Glossa rejicitur.* — Decimus quartus casus, qui ad hanc sectionem spectat, sumi potest ex cap. ult. de Offic. deleg., in 6, vers. *Ubi autem,* ubi suspenduntur ipso jure per annum ab officio judices Conservatores, *qui de aliis quam manifestis injuriis et violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem.* In quo textu observare in primis licet, quod licet in principio illius cap., inter eas personas, quæ possunt in Conservatores eligi, primo loco ponantur Episcopi et eorum superiores, nihilominus clausula pœnalis ad illos non extenditur propter cap. Ut animarum periculis, de Sent. excomm., in 6, et ita facile constat, quæ sint personæ, contra quas fertur hæc suspensio; sunt enim omnes personæ Ecclesiasticæ inferiores Episcopis, quæ munus Conservatoris exercent. Actio vero, propter quam hæc suspensio imponitur, est excessus jurisdictionis et muneris sibi commissi in duobus, quæ in dictis verbis satis distincte proponuntur. Explicatur autem modus delinquendi necessarius ad hanc pœnam incurrendam, per illam particulam, *scienter,* per quam ut minimum requiritur, ut culpabiliter et graviter peccando id faciant. Glossa vero ibi addit idem esse, si ex ignorantia culpabili id fiat, citatque cap. Eos, de Temp. ordin., in 6. Sed contrarium existimo verius; non enim sine causa additum est verbum illud, *scienter,* et dict. cap. Eos, potius probat oppositum; nam quando jus vult comprehendere etiam peccantes per ignorantiam, non ponit verbum *scienter,* sed vel simpliciter loquitur, vel sub disjunctione, *Scienter, vel ignoranter,* ut fit in dict. cap. Eos. Quamvis ergo ignorantia crassa non excuset a culpa, excusat tamen a pœna et censura, quando lex, quæ illam ponit, requirit modum peccandi ex certa scientia, qui in præsenti textu per adverbium, *scienter,* significatur. Suspensio autem ibi imposita est ab officio non tantum muneris Conservatoris, sed simpliciter ab officio clericali, ut verba illa simpliciter prolata significant, et patet ex dictis in casu proxime præcedenti, et ex doctrina superius generaliter data de suspensione ab officio. Male autem infert Glossa in illo textu, hanc suspensionem etiam esse a beneficio, nam oppositum potius colligitur ex verbi limitatione, et in superiori etiam doctrina notatum est.

19. *Suspensio contra parochos.* — Alia suspensio sumitur ex Concil. Trident., sess. 24, cap. 1 de Reformat. matrim., ubi parochus vel alius sacerdos, sive secularis, sive regularis, qui alterius parochiæ sponsos, sine parochi licentia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, etiamsi prætextu privilegii, vel immemorabilis consuetudinis id faciat, ipso jure suspenditur, donec ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Non explicat autem Concilium, a quo hujusmodi sacerdotes propter tale crimen suspendantur; cum tamen verisimile non sit, suspendi illum ab omni officio et beneficio, ut verbum illud simplici-

ter prolatum indicare videtur : tum quia peccatum illud non videtur dignum tanta pœna; tum etiam quia illa pœna indifferenter fertur in parochos, et in sacerdotes simplices, tam regulares quam seculares. Et ita videtur suspensio solum esse de re communi omnibus illis. Censeo igitur illam esse suspensionem ab officio sacerdotali, vel ad summum a munere sacerdotali, quia juxta communem intelligentiam canonum ex materia subjecta determinatur pœna, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit. Item, quia, cum sacerdos propter abusum sacerdotalis muneris suspenditur, recte intelligitur suspendi formaliter, quatenus sacerdos est, atque adeo a sacerdotali munere. Aliæ suspensiones hujusmodi, quæ sunt communes aliis clericis cum Episcopis, vel annexæ Episcopalibus, declarabuntur infra, sect. 5.

20. His denique addi posset suspensio, quæ olim ferebatur in Bulla Cœnæ, in fin., contra eos, qui contra tenorem ejus absolvunt transgressores, qui in censuras Bullæ inciderunt, his verbis : *Eisque prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, et audiendi confessiones officia interdicimus*. Non obstante enim hoc ultimo verbo, manifestum est ex materia, et effectibus, illam censuram non esse interdictum, sed suspensionem quamdam ab officio, non quidem totalem, sed quoad illa tria, vel quatuor munera, quæ ibi declarantur, quia suspensio non est ultra verba legis extendenda, ut sæpe diximus. Unde constat sic suspensum posse nihilominus celebrare, quia hoc non est proprie administrare sacramentum, sed sacrificium offerre. Et a fortiori non est prohibitus, quominus alia Ecclesiastica officia facere possit. Hæc autem suspensio absolute fertur simul cum excommunicatione, nullaque additur reservatio; et ideo quoad absolutionem idem videtur de utraque judicium; hanc vero suspensionem hic non numeramus, quia licet a Gregorio XIII posita sit, a successoribus ejus Sixto V, et Clemente VIII, prætermissa est, et ideo jam non incurritur.

SECTIO IV.

Quas suspensiones incurrant clerici propter alia peccata cæteris hominibus communia.

1. *Primus casus de publico peccatore rejicitur.* — Primus casus in hoc ordine numerari potest de clerico publico peccatore in communi, id est, quocumque genere peccati, quod grave ac publicum, et consequenter ex se scandalosum sit. Verumtamen hic casus non habet in jure fundamentum, saltem sub hac generalitate sumptum; et ideo non est, cur hoc loco numeratur. Non enim omne peccatum grave, quantumvis publicum et scandalosum, habet annexam in personam clerici censuram suspensionis; aut enim illam induceret vi sua absque alia Ecclesiæ constitutione, aut ex Ecclesiastico jure; hoc posterius dici non potest, quia nullum invenitur tale jus; neque etiam prius, quia supra ostensum est nullam censuram incurri jure divino aut naturali, sed solo Ecclesiastico jure esse introductam. Et ideo supra diximus, quamvis sacerdos existens in peccato mortali etiam occulto, in tali statu non possit licite celebrare, et ideo ab aliquibus dicatur suspensus quoad se, tamen illud improprie ac large dici, prout suspensio dicitur de quolibet impedimento, non vero ut significat propriam censuram. Cujus signum est duplex. Unum, quod licet celebret, non manet irregularis; aliud, quod, si agat pœnitentiam sui peccati, non indiget absolutione a censura, ut licite celebrare possit. Idem ergo dicendum est de clerico publico peccatore; nam ex vi talis peccati est impeditus, ne licite ministrare possit ratione culpæ et scandali, quod maxime locum habet in sacerdote, et est etiam verisimile in diacono et subdiacono, ut alibi latius diximus; in minoribus autem Ordinibus id locum non habet, per se loquendo. Hoc autem impedimentum, qualecumque illud sit, non est vera censura suspensionis, ut patet ex eisdem signis, tum quia sacerdos sic celebrans non fit irregularis; tum etiam quia si pœnitentiam agat, non indiget alia absolutione a censura. Solum necesse est, ut illa pœnitentia æque nota sit ac fuit peccatum, ut scandalum cesset. Accedit, quod hoc genus impedimenti suo modo commune est laicis, nam laicus peccator publicus non potest ad Eucharistiam accedere licite, et ut publice id faciat, necesse est, ut pœnitentia notoria præcedat. Atque ita sensit in hac parte Covarr., in Clement. *Si furiosus*, part. 1, § 1, n. 5, ubi nonnullos juris Pontificii interpretes allegat. Et in re idem tenet Sylvest., verb. *Irregularitas*, quæst. 27. Ubi generaliter ait clericum ratione peccati non esse proprie suspensum, sed solum longe et quoad se, ideoque non fieri irregularem sic ministrando.

2. Et hoc tempore est receptissima et indubitata hæc sententia, imo nullum auctorem in-

venio oppositum sentientem. Navarrus enim, qui aliquando docet clericum ex peccato publico et notorio incurrere aliquam inhabilitatem Ecclesiasticam, cujus dispensatione indiget ut possit ministrare vel ad superiores Ordines ascendere, primum non loquitur generatim de omnibus peccatis, sed de quibusdam gravioribus et depositione dignis, ut ipse expresse declarat in Summ., cap. 25, num. 73, ex Cardinale, juncto textu in capit. ultim. de Temp. ordin. Deinde quia illa inhabilitas, de qua Navarrus loquitur, non est suspensio, sed irregularitas, ut discrete declaravit in cap. 27, num. 154, et num. 248 et 249; quod tamen an verum sit, infra tractando de irregularitate examinabimus.

3. *Objicitur cap. ultim. de Temp. ordin.* — *Solutio.* — *Objectio.* — Objici autem solet cap. ultim. de Tempor. ordin., ubi dicitur, sacerdotem notatum peccato adulterii, perjurii aut falsi testimonii, non esse impediendum a susceptis vel suscipiendis Ordinibus post peractam pœnitentiam, nisi talia crimina notoria fuerint; ergo, si fuerint notoria, sentit Pontifex non esse admittendum; habet ergo aliquod impedimentum canonicum ratione talis criminis publici. Respondetur, ex illo textu colligere Navarr. illam irregularitatem. Sed de irregularitate infra videbimus. Nunc de suspensione dicimus hinc non colligi aliquam jure ipso latam, quia ibi distinguitur inter peccatorem occultum, et publicum, id est, in judicio convictum vel alias notorium, et de occulto, ut distinguitur ab hujusmodi publico dicitur non esse prohibendum ministrare, si pœnitentiam agat, unde constat non fuisse suspensum, cum speciali censura absolutione non indiguerit; si autem pœnitentiam non egerit, non dicitur esse cogendum, quia donec convincatur in judicio vel res ipsa clamet, cogi non potest, sed dicitur monendus et sub interminatione divini judicii obtestandus, ut non ministret. De publico autem peccatore nihil dicitur; unde solum per argumentum a contrario colligi potest, eum suspendi a ministerio sacro; tamen ad asserendam pœnam ipso jure latam, infirmum est tale argumentum, quia potest committi judici, ut illum suspendat, vel alio modo impediat, ut expedire censuerit. Sicut Concil. Trident., sess. 22, in decreto de observandis in celebratione Missæ, monet Episcopos, ut neminem, qui publice et notorie criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant, quod non spectat ad suspensionem ipso jure, sed ad officium Prælati propter indignitatem talium personarum: sic ergo in præsenti.

Secunda de publico concubinario.

4. *Cap. ult. de Cohabitat. cleric. et mulier.* — *Prima opinio.* — Secundus casus est de clerico publice concubinario, nam licet non omni peccato publico, huic tamen in speciali videtur ipso jure annexa suspensio ab officio celebrandi, si sacerdos sit, ex cap. ultim. de Cohabitat. cleric. et mulier. Ubi proponitur quæstio, an officium clerici fornicarii priusquam pœniteat, audiendum sit; et respondetur, hujusmodi clericum non debere in officiis evitari, quia licet sit suspensus quoad se, non vero quoad alios, et additur : *Nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit;* ergo significatur, quando tale delictum est publicum aliquo ex his modis, clericum esse suspensum, et quoad se et quoad alios, quod nunquam contingit nisi per censuram suspensionis. Et confirmatur ex cap. Si qui sunt presbyteri, 81 dist., ubi Gregorius VII hujusmodi clerico interdicit Ecclesiæ introitum donec pœniteat, et aliis prohibet, ne officium ejus audiant. Idem habetur in cap. Nullius, et cap. Præter, 32 dist., et in cap. ultim., 15, q. 8. Magisque videtur urgere cap. Sacerdotes, dist. 50, nam de hujusmodi sacerdotibus dicitur, *non posse habere honorem secundum canonicæ institutionis auctoritatem;* ubi Glossa ait, non posse sine dispensatione, et in nota marginali additur, hanc dispensationem posse dari ab Episcopo, juxta doctrinam Innocentii in cap. 1 de Cleric. per saltum promot. Unde videtur illa Gloss. supponere, propter hoc crimen contrahi impedimentum canonicum, quamvis non declaret quod illud sit. In verbo autem dispensandi significat esse irregularitatem, quamvis etiam possit ad suspensionem accommodari. Et ita tenent Cardinalis, Hostiensis, Abbas et alii, quos referunt et sequuntur Covarruv., in dict. Clementin. *Si furiosus,* part. 1, § 1, num. 5; Navarrus, in Summa; cap. 25, num. 76, et cap. 27, num 154. Idem tenet Paludan., in 4, dist. 27, quæst. 4, n. 6, et D. Antoninus, 3 part., tit. 27, cap. 3, ubi refert D. Thomam; item Abulensis, in tractatu de Clericis concubinariis, conclus. 7; Sylvest., verb. *Concubinarius,* § 4, et verb.

Suspensio, ubi etiam Angelus, Armilla, et alii; et Villadiego, lib. de Irregularitate, cap. de Suspensione, column. 3; et Bernard. Diaz, in Practica Crim., cap. 73.

5. *Prima diversitas inter auctores ejus.* — Sed in explicanda hac sententia, et modo hujus suspensionis est magna varietas, nam quidam ex eis dicunt, talem esse hanc suspensionem, ut si illa durante clericus concubinarius celebret, fiat irregularis, ita ut solus Papa in hac irregularitate possit dispensare. Et hæc est communior sententia eorum, quos retuli, uno vel alio excepto. Alii vero dicunt, licet talis clericus vere maneat suspensus, non tamen fieri irregularem celebrando. Ita Covarruvias supra, citans pro hac parte Innocentium, Joannem Andream, et alios, quos etiam refert Navarrus, et quoad hoc sequi videtur in cap. Si quando, de Rescript., except. 17, num. 7 et 8. Qui consequenter aiunt, non omnem suspensionem sufficere ad irregularitatem contrahendam, sed illam, quæ est ratione solius delicti, et propter contumaciam vel puram pœnam; est autem alia suspensio, quæ non est propter delictum solum, sed propter infamiam, atque adeo non tam propter pœnam, quam propter indecentiam et scandalum; et sic suspensus juxta hanc sententiam non incurrit irregularitatem, etiamsi cum ea celebret; hujusmodi autem est hæc suspensio clerici publici concubinarii.

6. *Secunda diversitas.* — Præterea est alia diversitas, nam plures dicunt hanc suspensionem talem esse, ut peracta pœnitentia, non duret, sed ipso facto tollatur absque alia absolutione, ita ut post pœnitentiam licitum sit tali clerico in suo Ordine ministrare. Ita Covarruvias cum aliis; Paludanus vero expresse dicit hunc concubinarium non posse absolvi a suspensione, nisi per Episcopum, qui propter hoc, ait, potest eum deponere, et per consequens dispensare, ne deponatur pœnitens, aitque fieri irregularem, si ante hujusmodi relaxationem celebret. Et citat cap. penult. extra de Bigamis, ubi dicitur, clericos habentes plures concubinas non contrahere irregularitatem bigamiæ, ideoque Episcopum posse cum eis dispensare quoad executionem sacerdotalis officii, tanquam simplici fornicatione notatis. Ubi supponitur, et propter hanc notam esse suspensos ab executione officii, et ad eam suspensionem tollendam, necessariam esse dispensationem Episcopi; nam si non esset necessaria, vanum esset dicere posse Episcopum dispensare. Aut enim dispensaturus esset ante peractam pœnitentiam, vel post. Primum dici non potest, cum duret causa suspensionis, et ideo talis dispensatio inutilis esset et invalida; si autem dicatur secundum, plane sequitur, etiam post peractam pœnitentiam durare impedimentum suspensionis, alias supervacanea et impertinens esset dispensatio.

7. At vero Navarrus mediam quamdam viam in hoc amplectitur; ait enim, post pœnitentiam peractam adhuc non posse licite et sine peccato hujusmodi clericum celebrare absque dispensatione Episcopi juxta cap. fin., de Temp. ordin.; non tamen propterea incurrere novam irregularitatem, quia quoad hoc sublata est suspensio per pœnitentiam. Ita docet in Summa, cap. 25, cap. 76 et 77. Ex quo intelligitur juxta sententiam Navarri hunc clericum publice concubinarium et esse suspensum propria censura suspensionis, et irregularem, tali irregularitate, ut in ea possit Episcopus dispensare. Et per pœnitentiam tolli censuram suspensionis, quia tantum est lata, donec pœnitentiam agat, juxta cap. Si qui sunt, 81 dist.; irregularitatem autem non tolli per solam pœnitentiam absque dispensatione; ideoque peccare graviter post pœnitentiam celebrando absque dispensatione, quia irregularem celebrare grave peccatum est. Non tamen contrahere novam irregularitatem, quia jam ablata est censura, et sola irregularitas, quamvis cum illa celebretur, non inducit novam irregularitatem.

8. *Alia diversitas.* — Est præterea alia differentia, nam plerique ex dictis auctoribus extendunt hanc suspensionem ad omnes clericos, etiam in minoribus constitutos, quod expresse tenet Navarrus, dict. c. 25, n. 76, nullum allegans textum, sed solum Archidiaconum et Turrecrematam. D. autem Anton., qui in eadem est sententia, eam confirmat ex cap. Ministri, 81 dist., et cap. Vestra, de Cohabit. cleric. et mulier. Aliis vero videtur hanc suspensionem esse limitandam ad solos ordinatos in sacris, nam de his expresse loquuntur jura citata; de inferioribus vero neque est æqualis ratio, nec etiam textus, qui id sufficienter probet. Nam dictum c. Ministri, quod ex Lucio P. a Gratiano refertur, sumptum potius est, ut in additione Gregoriana notatur, et Ivo etiam in suo decreto refert, ex epist. 2 Clementis, in qua non est sermo quoad illam partem de clericis ordinatis in minoribus Ordinibus, neque etiam de concubinariis, quamvis hoc posterius possit a for-

tiori subintelligi, sed est sermo de diaconis et subdiaconis, qui græce *hypodiaconi* dicuntur, et ab interprete *ministri* quasi per antonomasiam appellantur, ut in principio ejusdem epistolæ notatur in primo tomo Conciliorum; de his ergo clericis ait Clemens, quod si post ordinationem contigerit proprium invadere cubile uxoris, proprio ministerio altaris priventur. Ubi autem apud Gratianum legitur : *Neque sine majoris natu auctoritate minora gerant officia, urceum sane ad altare vel calicem ne suggerant* (propter quæ verba textus ille citatur ab Antonin. et aliis) apud Clementem potius legimus : *Ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, urceum seu calicem ad altare non sufferat.* Unde sensus est, subdiaconum non servantem continentiam etiam cum propria uxore, removendum esse ab officio altaris; permitti vero posse, ut in functionibus minorum Ordinum, his præsertim quæ extra altare fiunt, ministret; ergo ex illo textu juxta veram lectionem et intelligentiam, nihil ad rem præsentem colligitur, ut per se constat. Caput autem Vestra, licet de clericis et presbyteris mentionem faciat, tamen aperte loquitur de his, *qui divina officia peragere aut sacramenta ministrare possunt,* quales non sunt in minoribus Ordinibus constituti; præterquam quod ex illo textu, etiam pro ordinatis in sacris non satis colligitur suspensio ipso jure, ut facile legenti patebit.

9. *Secunda opinio.* — Secunda opinio principalis in hoc puncto est nullum clericum, etiam in sacris ordinatum, incurrere propriam suspensionem propter hoc crimen concubinatus, quantumvis notorium. Hanc opinionem tenet Soto, in 4, d. 1, quæst. 5, art. 9, ad 2, et dist. 13, quæst. 1, art. 9, ubi fatetur jure antiquo latam fuisse suspensionem in hujusmodi clericos, jam vero cessasse, ne ipsi se exponant periculo majoris scandali et ruinæ, quem secutus est Medina in sua Sum., lib. 1, c. 11, § 8. Si autem ab his auctoribus quæratur jus novum, quo antiquum revocatum fuerit, nullum proferunt, sed aiunt per usum seu contrariam consuetudinem hoc jus fuisse sublatum.

10. In hac re duo sunt distinguenda, quæ in antiquis decretis videntur fuisse præcepta. Unum est ex parte clericorum in hoc publico vitio existentium; aliud est ex parte aliorum fidelium, quantum ad vitandos hujusmodi clericos in audienda eorum Missa vel aliis divinis officiis. Quantum ad primum, licet in antiquis decretis probabile sit latam fuisse suspensionem ipso jure in hujusmodi clericos, propter textus quos prima opinio afferebat, tamen nunc verius censeo, hanc suspensionem non incurri ipso jure, quantumvis delictum sit notorium, vel per evidentiam facti, vel per sententiam, aut confessionem coram judice. Hoc probatur optime ex usu et consuetudine Ecclesiæ, ut ex sequentibus magis constabit. Præter hoc vero videtur aperte supponi in Concil. Trident., sess. 25, c. 14 de Reform., ubi varias pœnas imponit hujusmodi clericis concubinariis, et priusquam aliquam incurrant, semel monendi esse dicuntur a suis Prælatis; quod si adhuc perseverent in suo vitio, tunc privantur ipso facto tertia parte fructuum suorum beneficiorum; si vero secundæ monitioni adhuc non paruerint, omnes quidem fructus omnium beneficiorum, aut pensionum ipso facto amittunt, et ab administratione beneficiorum suspendendi dicuntur, non vero ipso facto esse suspensi. Quod si adhuc pertinaces sint, beneficiis perpetuo spoliari et ad alia beneficia indigni reddi mandantur; ac tandem si opus fuerit, excommunicationis gladio plecti; et quoad hos clericos beneficiatos nullam mentionem facit suspensionis ab Ordine, quam ipso facto incurrant. Postea vero de clericis non habentibus beneficia aut pensiones dicit : *Juxta delicti, et contumaciæ perseverantiam, et qualitatem, ab ipso Episcopo, carceris pœna, suspensione ab Ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros canones puniantur.* Hi igitur ab Episcopo suspendendi sunt ab Ordine, quando opus est; ergo juxta mentem Concilii non erant suspensi ipso jure.

11. *Etiam antiquo jure non incurrebatur suspensio ipso facto propter hoc crimen, titul. de Cohabit. cleric. et mulier.* — Ex quo probabiliter defendi posse existimo, etiam juxta antiqua jura nullam esse propriam suspensionem ipso jure latam propter hoc crimen. Nam Concilium ait hos clericos puniendos, *si opus sit, suspensione ab Ordine juxta sacros canones;* ergo supponit juxta eosdem canones non esse ipso jure suspensos. Simile argumentum sumi potest ex multis decretis de Cohabitat. cleric. et mulier.; nam, cap. 2, hi dicuntur excommunicandi post tres admonitiones; in cap. vero 3 dicitur, quod Episcopus per suspensionis et interdicti sententiam debet eos arctius cogere, ut hujusmodi fœminas a se separent; in cap. vero 4 dicitur esse cogendos per suspensionem a beneficio, et si pertinaces

fuerint, etiam per privationem. Et in cap. 5 dicitur quidem de quodam clerico fuisse propter hoc crimen suspensum ab officio. Glossa vero addit, et bene, *ab Episcopo suo,* nam ex verbis sequentibus, in quibus Pontifex requirit litteras, quæ facti seriem contineant, satis constat illam suspensionem fuisse per sententiam latam. Similiter in cap. 6 dicitur hos esse interdicendos ab officio per Episcopum; ergo in omnibus his supponitur, hos non esse interdictos vel suspensos ipso jure.

12. *Ex aliis variis juribus idem ostenditur.* — Præterea ex aliis juribus, quæ citavi, non satis colligitur hæc suspensio. Nam de cap. ult. de Tempor. ordin., jam supra id ostendimus. In c. autem Vestra, de Cohabit. cleric. et mulier., non agitur de suspensione ipsorum concubinariorum, sed de obligatione aliorum fidelium ad vitandos illos in divinis mysteriis vel sacramentis; de qua statim. Et de eadem re est sermo in cap. ultim. ejusdem tituli. Quod autem ibi dicitur, concubinarium clericum esse suspensum quoad se tantum, non vero quoad alios, nisi ejus delictum notorium sit, cum eadem proportione potest intelligi; non enim dicitur suspensus quoad se, quando delictum ejus est occultum, proprie loquendo de suspensione, quæ est censura, sed solum ex intrinseca obligatione, quam secum peccatum adducit; eadem ergo proportione dicitur suspensus quoad alios ratione peccati publici, non ob censuram superadditam, sed ob scandalum aliorum, quod intrinsece secum affert peccatum publicum. Præterea in cap. Nullus, 32 dist., etiam est sermo de prohibitione aliorum fidelium. In c. autem Præter, eadem distinctione, hoc ipsum repetitur, et additur specialis quædam prohibitio sub his verbis : *Præcipimus, et omnino contradicimus, ut Missas non cantent, nec Evangelium aut Epistolam ad Missam legant, neque in presbyterio ad divina officia maneant, nec partem ab Ecclesia suscipiant.* Verumtamen illa pœna neque ipso jure fertur; nullum enim ibi est verbum, quod hoc sufficienter indicet; neque etiam fertur contra concubinarium clericum, sed contra eum, *qui concubinam palam duxerit aut ductam non reliquerit,* quod peccatum longe gravius est, et hoc tempore multo graviori pœna puniretur, quam ibi præscribitur.

13. *Cap. Si qui sunt,* 81 *dist.* — In cap. autem Si qui sunt, 81 dist., potius interdicti, quam suspensionis censura in hujusmodi concubinarios fertur; verba enim sunt : *Interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, et sancti Petri auctoritate, Ecclesiæ introitum, usquedum pœniteant et se emendent;* postea vero prohibetur aliis fidelibus, ne talium clericorum officium audiant, si in sua obstinatione perseverent; at interdictum ab Ecclesiæ ingressu non est suspensio, sed censura distincta, quam infra explicabimus. Non extat autem originale decretum illius constitutionis, quam ex Gregorio VII refert Gratianus, ut possimus certe colligere, quæ pœna illa fuerit. Marianus autem Scotus in fine suorum Chronicorum, ut refertur etiam in 4 tom. Concil., primo refert Gregorium, Synodo facta, vetuisse juxta antiqua decreta, clericos, maxime divino muneri consecratos, mulieres habere, vel cum mulieribus habitare, etc.; inferius autem subdit : *Cum autem clerici magis eligerent anathemati subjacere, quam uxoribus carere, Papa, vel si per alios posset eos castigare, præcipit nullos audire Missam conjugati presbyteri.* In quibus verbis significatur primo, pœnam illam fuisse anathema; deinde præceptum, ut alii non audirent Missam eorum, fuisse novam pœnam; denique utramque latam esse in clericos conjugatos. Postea vero referens verba decreti, eodem modo, quo Gratianus, illa ponit. Itaque ex illo textu nulla suspensio propria colligi potest, et interdictum illud vel anathema sine dubio jam non est in usu. Præterea, in cap. ult., 15, quæst. 8, potius dicit Nicolaus P., *a sacerdote concubinario, quousque judicio Episcoporum reprobetur, communionem suscipi posse ;* quomodo ergo inde colligi potest suspensio ipso jure lata? Denique cap. Sacerdotes, quod majorem probabilitatem præ se fert, non habet verbum, quod cogat, ut intelligamus ibi imponi pœnam ipso facto incurrendam, quia verbum illud, *Non potest sacerdotis habere honorem,* sufficienter intelligitur, si dicamus fieri reum amissionis, et privationis talis honoris; maxime quia ibi additur, *secundum canonicæ institutionis auctoritatem;* alia autem jura canonica non imponunt hanc pœnam ipso facto; ergo neque ibi imponitur. Unde Hugo ibi exponit, non possunt de rigore juris. In quo rigore sane non invenio decretum aliquod antiquum, ex quo sufficienter aliud colligatur. Quare mirum non est, quod nec usu, nec consuetudine recepta fuerit talis suspensio.

14. *Prima differentia primæ sententiæ rejicitur.* — Quod si hæc sententia vera est, nihil immorari oportet circa differentias adnotatas

inter auctores primæ opinionis; omnes enim supponunt aliquid non satis fundatum in jure; et ideo mirum non est, quod in eo explicando inter se non consentiant. Unde, quod attinet ad primum punctum de irregularitate, certe si illa erat vera censura suspensionis, consequenter dicendum fuisset irregularitatem contrahi, celebrando cum illa. Dicere enim suspensionem illam latam esse propter indecentiam, non propter crimen, gratis dictum est, quia nullo jure fundari potest. Nam in dict. cap. Si qui sunt, ubi fertur interdictum, evidenter fertur per modum pœnæ; et si illud esset in sua vi, dubium non esset, quin cum illo celebrans fieret irregularis. Quod autem talis irregularitas admittenda non sit, ut Covarruvias, et alii censent, videtur probabilius, quia in jure nunquam insinuatur, sacerdotem concubinarium, propterea quod in eo statu ante pœnitentiam actam celebraverit, indigere peculiari dispensatione; sed simpliciter significatur post pœnitentiam peractam posse celebrare; nec distinguitur, sive ante celebraverit, sive non. Nunquam etiam visum est, ut dispensatio hujus irregularitatis postuletur; si ergo hæc irregularitas non contrahitur, signum est illam suspensionem non fuisse ipso jure latam, sed ab Episcopis ferendam.

15. *Secunda differentia improbatur.—Rejicitur tertia differentia.* — Rursus circa aliam differentiam de tali suspensione, an tollatur ipso jure per pœnitentiam, vel necessaria sit absolutio, certe si illa fuisset vera censura, probabilius esset indiguisse absolutione, juxta generalem doctrinam superius datam, quia licet aliqua censura feratur, donec quis pœniteat vel resipiscat, non propterea tollitur necessitas absolutionis. Simpliciter vero probabilius est, non esse necessariam talem absolutionem vel dispensationem. Et media illa via, quam Navarrus docuit, nobis non placet. Neque ex cap. penult. de Bigamis, colligitur necessitas hujus dispensationis in foro conscientiæ, sed quia Episcopus potest et debet hujusmodi concubinarios suspendere, et impedire ab executione Ordinis, ideo ad eum spectat talem pœnam relaxare; et ideo in illo textu dicitur posse in illa dispensare, etiamsi clericus plures habuerit concubinas, quia vitium illud non inducit bigamiam, nec irregularitatem ejus. Dicitur autem Episcopus posse dispensare, vel non ferendo illam pœnam, quod fieri potest, quando sufficiens pœnitentia et satisfactio præcessit, vel illam jam latam post breve tempus auferendo. Denique in tertio puncto differentiæ constat a fortiori, si suspensio illa admittatur juxta jus antiquum, probabilius admitti in solis clericis ordinatis in sacris, quam in inferioribus, ut recte probatum est, et a fortiori constat ex dictis. Quid vero dicendum sit de Episcopis, sequenti sectione dicam. Concludimus ergo prohibitionem, quam habet clericus concubinarius ad non celebrandum, non provenire ex aliqua censura Ecclesiastica, sed ex intrinseca malitia talis status. An vero irregularis fiat, vel ratione delicti, vel ratione infamiæ, infra in materia propria videbimus; nunc enim de propria suspensione solum agimus.

16. *An possit audiri Missa publici concubinarii.* — De altera vero prohibitione, qua injungebatur fidelibus, ne Missas horum concubinariorum audirent, dubitari non potest latam olim fuisse in ordine ad correctionem et confessionem sic delinquentium, et ad exemplum aliorum, ut dicitur in cap. Vestra, de Cohabit. clericor. et mulier. Hæc autem prohibitio non oriebatur ex suspensione talium clericorum, sed fuit speciali præcepto imposita; nunc autem præceptum illud non obligat donec talis clericus sit per sententiam nominatim declaratus de tali crimine, juxta Extravagant. *Ad evitanda,* ut tetigi in tomo 3, disp. 18, sect. 1, et disp. 88, sectione ultima.

Suspensio clerici propter vitium contra naturam, an sit lata ipso jure.

17. *Rejicitur.* — Tertius casus suspensionis ipso jure assignari solet propter vitium sodomiæ. Quem casum tractat Covarruvias, in Clement. *Si furiosus,* p. 1, § 1, n. 6, refertque plures Canonistas dicentes, suspensionem contrahi propter hoc vitium, etiamsi occultum sit, adeo ut irregularis fiat, qui post illud peccatum etiam occultissime commissum celebrat ante absolutionem a suspensione; et cum eo sic irregulari nullum nisi Pontificem dispensare posse. Quam opinionem fatetur Covarruvias ex juris rigore probari non posse; tamen ob criminis atrocitatem, et tot Doctorum auctoritatem defendendam esse. Qui tamen in confirmationem ejus affert cap. ult. de Tempor. ordin., et cap. Nisi cum pridem, § 1, de Renunciat. Sed de primo jam ostensum est, nihil probare. In alio vero textu, vers. *Propter conscientiam,* solum supponitur,

aliqua esse crimina, quæ licet occulta sint, officii executionem impediunt etiam post peractam pœnitentiam; de hoc tamen in particulari non fit mentio. Potest tamen inde sumi argumentum, quia, si aliquod vitium impedit executionem Ordinis, ergo maxime hoc. Patet consequentia, quia est gravissimum, et maxime indecens ad divinum officium exercendum. Afferri item potest cap. Ut clericorum, de Vita et honest. cleric., ubi de hoc vitio in specie est sermo, cum dicitur : *Maxime illo, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ;* et infra subditur : *Si quis hac de causa suspensus,* etc. Verumtamen parum etiam probat, tum quia generaliter loquitur de vitio incontinentiæ, etiamsi de illo maxime; tum etiam quia prius dicitur, ut peccantes puniantur, et postea subditur : *Si quis autem suspensus,* utique per judicem sic punitus; non ergo inde colligitur suspensio ipso jure.

18. *Secunda sententia. — Improbatur.* — Est ergo secunda sententia affirmans propter hoc vitium incurri suspensionem, si est publicum, non vero si occultum. Prior pars tribuitur Navarro, cap. 27, num. 248 et 149, sed ille loquitur solum de irregularitate, quæ propter quodlibet enorme crimen publicum incurritur, de qua infra. Posset tamen hæc pars confirmari ex casu præcedenti, si verum esset concubinarium publicum esse suspensum. Sed et antecedens falsum est, et consequentia a simili in hac materia infirma. Alia ergo pars de hoc crimine occulto probatur, quia nec irregularitas, nec suspensio invenitur in jure lata ratione illius. Neque refert, quod tale crimen sit gravius, et detestabilius quam multa alia, propter quæ suspensio ipso jure lata est, quia in legibus pœnalibus argumentum a simili vel a fortiori non est efficax; nam præterquam quod sufficit voluntatem legislatoris esse limitatam, quacumque ratione motus fuerit, et non plus operari, quam velit, sæpe possunt esse plures rationes gravius puniendi ipso jure levius peccatum quam majus, vel quia frequentius, vel quia magis nocivum, etc. Multa item alia, quæ Navarr. supra de irregularitate accumulat, efficacia sunt, et mihi videntur idem de suspensione convincere.

19. *Tertia opinio.* — Quapropter esse potest tertia opinio negans simpliciter propter hoc vitium incurri ipso jure suspensionem, sive illud publicum sit, sive occultum. Et de occulto quidem efficaciter id probatum est; videntur tamen eædem rationes procedere de publico, quia de utroque verum est illud principium, quod propter nullum delictum incurritur ipso facto suspensio, nisi in casibus a jure expressis, quia cum jus ipsum ferre debeat talem suspensionem, necesse est, ut talis casus in jure exprimatur, vel in specie talis delicti, vel saltem in genere sub aliqua communi ratione. At vero nullo ex his modis in jure fertur suspensio ipso facto incurrenda propter hoc peccatum etiam publicum; non enim fertur specifice, et sub proprio nomine, ut etiam dicti auctores sentiunt, ideoque nullum textum afferunt, qui hoc modo eorum sententiam probet. Neque etiam lata est hæc suspensio sub aliqua generali et universali ratione, quæ hoc vitium comprehendat, quia nec etiam hoc modo aliquis textus adducitur, qui hoc probet. Nam cap. ultim. de Tempor. ordin., ad summum probat suspensionem ferendam, non vero ipso jure latam, ut supra ostendi. Nec denique talis suspensio censeri potest in jure lata in aliquo simili vel inferiori vitio, quia, ut dixi, pœna nunquam fertur in jure hoc modo. Unde, qua ratione in hoc crimine occulto ille modus non est sufficiens, neque ex eo sumitur argumentum efficax, ut dictum est, eadem ratione, neque in publico; est enim servanda eadem proportio, eo vel maxime, quod neque contra concubinarium publicum satis probatur hæc suspensio, ipso jure lata; ergo multo minus potest inde, quasi mediate et remote argumentum sumi ad aliud vitium.

20. *Jure antiquo non incurri hanc suspensionem propter hoc crimen etiam publicum. — Quam pœnam incurrat sic delinquens per constitutionem Pii V. — Hanc etiam pœnam incurrunt Episcopi.* — Quocirca, stando in puro rigore antiqui juris, non video sufficiens fundamentum ad asserendum, propter hoc crimen sive publicum, sive occultum, incurri suspensionem ipso jure; neque sola assertio multorum auctorum etiam gravium ad id probandum sufficit, nisi jus afferant, quod talem pœnam statuat, cum ipsi eam imponere non valeant. Unde Leo X, in sua constitutione 11, quam in reformationem Curiæ edidit anno 1515, de hoc vitio solum dicit, ut laicus, vel clericus de illo convictus, pœnis per sacros canones, aut jus civile respective impositis puniatur. Quod veluti declarans Pius V, in sua constitutione 5, solum dixit : *Si clericus fuerit omnibus Ordinibus degradatus, simili pœna subjiciatur,* id est, *curiæ seculari puniendus tradatur.* Usque ad illud

ergo tempus non videtur pœna aliqua jure ipso lata proper hoc crimen. Postea vero idem Pius V, sua constitut. 70, gravissimam pœnam ipso facto incurrendam his verbis imponit : *Omnes et quoscumque presbyteros, et alios clericos sæculares et regulares cujuscumque gradus et dignitatis tam dirum nefas exercentes omni privilegio clericali omnique officio, dignitate, et beneficio Ecclesiastico præsentis canonis auctoritate privamus.* Quæ ultima verba evidenter ostendunt vitium secundum se, et absolute, id est, sive publica notitia, aut infamia notatum sit, sive non, quia lex, quæ per seipsam pœnam infert, factum solum requirit ut operetur, non vero aliam famam vel notitiam, nisi ipsamet lex se limitet ad talem casum, quod in prædicta constitutione non fit. Est præterea constitutio illa et pœna universalissima quoad personas clericorum, nam de laicis nulla ibi mentio fit, ut ex ejus tenore constat. Unde licet alias declaratum sit in jure, ut Episcopi et superiores sub generali lege ferente suspensionem, vel interdictum, non comprehendantur, sub hac nihilominus comprehendi videntur, vel propter illa verba, *cujuscumque gradus, et dignitatis*, vel melius et certius, quia illa pœna non est suspensio, sed irregularitas, vel certe, ut recte notat Navarrus supra, est depositio verbalis ipso jure lata ; quod rarum est, et vix in uno vel alio loco in jure reperitur, ut supra dixi, neque ab alio quam a Summo Pontifice per potestatem supremam fieri potuisset, juxta ea quæ superius de depositione tractavimus. An vero non obstante illorum verborum rigore necessaria sit sententia declaratoria criminis, ut in conscientia pœna illa obliget, ex generalibus principiis de lege pœnali petendum est.

21. *Quale debeat esse peccatum hoc ad pœnam a Pio impositam incurrendam.* — At vero quoad vitium et peccatum, pro quo illa pœna imponitur, nonnulla observanda sunt quantum ad forum conscientiæ spectat. Primum, ut incurratur illa pœna, necessarium esse, ut peccatum illud contra naturam sit in sua specie consummatum, ita ut non sufficiat quælibet pollutio vel immunditia cum alio, nisi intercedat copula intra vas ordinarium illius delicti, quia in eo consummatur tale delictum, ut cum D. Thom. traditur, 2. 2, quæst. 154. Lex autem puniens aliquod delictum, et præsertim per censuras, vel pœnas Ecclesiasticas ipso facto impositas, requirit delictum consummatum in ea specie, ut supra probatum est. Præsertim quando lex simpliciter et absolute loquitur de illo delicto, et maxime si addat verba, et exaggerationem aliquam, quæ talem delicti consummationem declarant, quod in præsenti constitutione observare licet, quæ sic incipit : *Horrendum illud scelus, quo pollutæ fœdatæque civitates a tremendo Dei judicio conflagrarunt*, etc. Deinde non satis est ad contrahendam ipso facto illam pœnam, semel aut iterum vitium illud committere, sed oportet habere frequenter usum seu consuetudinem ejus, quod etiam notavit Navarrus ex ponderatione illius participii, *exercentes,* quod de industria positum fuisse refert, ex testimonio ipsiusmet Datharii Matthæi Contareni, et relatione Gregorii XIII, ideoque vox illa, *exercentes,* in proprio rigore sumenda est ; in quo non significat illum, qui semel aut iterum talem actum facit, sed qui frequenter et quasi ex consuetudine ita operatur, ut prudentis arbitrio dici possit exercens talem actum.

22. *Dubium triplex enodatur.* — Denique, his etiam omnibus concurrentibus, dubitat ibi Navarrus, an constitutio illa quoad hanc pœnam in conscientia obliget, non quod ipsa de se non sufficiat ad obligandum ; hoc enim in dubium verti non potest, quia potestas non deest Summo Pontifici, et intentio ejus hæc fuit, ut ex verbis ipsius legis satis ostenditur, et Pontificem Summum declarasse, idem Navarrus refert. Sed quod dubitatur, est, an sit ita recepta, ut efficaciter obliget. Quam quæstionem ait Navarrus esse de facto, ad quam jurisconsultus non respondet. Sed tria video hic quæri posse. Primum, an hæc lex in conscientia obliget reos occultos, præcipue ad exequendum in se has pœnas, priusquam per sententiam declarentur. Et sic probabile censeo non obligare, sive quia ipsa in particulari non est ita recepta, sive ex principiis generalibus de lege pœnali, de quibus alias. Secundum est, an judices teneantur uti hac lege ad damnandos reos ; et ita omnino affirmandum est, nam est justissima et recepta in exteriori foro, ut Navarrus fatetur. Tertium est, an rei per sententiam declarati teneantur in conscientia ad illas pœnas. Et ita etiam affirmandum censeo, quia hæc ad minimum est vis legis sic imponentis pœnam, nec potest dici non recepta, cum judices illam observent.

Alia suspensio ob vitium simoniæ expenditur.

23. *Cap. ultim. de Simonia.* — *Simonia quid.* — Quartus casus est de vitio simoniæ a clerico commisso, cui suspensio ipso jure annexa est. Quoniam vero simoniæ vitium multiplex est juxta varias ejus materias, duo sunt præcipua capita distinguenda, propter quæ hæc censura imposita est. Unum est de simonia commissa in Ordinibus sacris; aliud de simonia circa beneficia Ecclesiastica. Circa primum tres personæ sunt distinguendæ, quæ possunt simoniaca labe infici in Ordinum collatione, scilicet conferens per simoniam seu propter pecuniam; præsentans alterum ut ordinetur; et ipse qui ordinatur; de his enim omnibus fit mentio in cap. penult. de Simonia, et ibi omnes facto ipso suspenduntur, ut videbimus; de illis ergo sigillatim dicturi sumus. Nec vero nunc est a nobis explicandum, quando in hujusmodi ordinatione vitium simoniæ committatur, id enim spectat ad materiam de simonia, sed supponendum est simoniam in hoc genere committi, quando ex pacto, et per modum emptionis et venditionis aliquis dat vel recipit pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile, ut Ordines conferat, vel recipiat. Hæc enim est essentia hujus vitii simoniæ, nam si aliquid ex consuetudine detur, vel eleemosynæ, non committitur simonia, ut docet D. Thom., 2. 2, quæst. 100, art. 2, ad 4. Unde necessarium est, ut formale, vel virtuale pactum antecedat, et realis ordinatio subsequatur, quia hæc suspensio non contrahitur nisi per actum exteriorem consummatum, ut sæpe de his censuris in superioribus dictum est; et quantum ad præsentem casum spectat, magis in sequentibus explicabitur. Quanquam in hoc servandum est novum jus Concilii Tridentini., sess. 21, c. 1 de Reformat., ubi omni consuetudine revocata collatoribus Ordinum præcipit, nihil accipere quocumque prætextu, *sub pœnis,* (inquit) *a jure statutis ipso facto incurrendis.* Sed non opinor violationem hujus decreti esse proprie simoniam, sed injustitiam, vel inobedientiam, ut in alio opere, Deo dante, dicemus, quare nec pœna hæc, de qua agimus, propterea incurretur, quia solum propter simoniæ vitium fertur.

24. *De conferente Ordines per simoniam, quam suspensionem incurrat.* — *Resolutio.* — Circa personam ergo, quæ Ordines confert per simoniam, dubium non est, quin propter tale peccatum aliquam suspensionem ipso facto incurrat; quæ vero et quanta sit illa suspensio, controversum est. Quidam aiunt sic conferentem manere suspensum a collatione omnium Ordinum, imo simpliciter ab officio et beneficio. Alii aiunt, tantum manere suspensum a collatione illius Ordinis, in quo conferendo simoniam commisit. Rursus aiunt quidam, illum manere perpetuo suspensum, donec cum illo dispensetur, alii, solum per triennium. Sed distinguere oportet propriam censuram suspensionis a censura excommunicationis, et a suspensione illa, quæ veluti materialiter in excommunicatione includitur. Verum est enim propter hoc peccatum manere collatorem excommunicatum ipso facto juxta Extravag. 2 Pauli II de Simonia; unde fit ratione excommunicationis manere suspensum ab omni officio et beneficio, idque non ad definitum tempus, sed donec absolvatur a Romano Pontifice, vel alio habente ab illo facultatem, quia hæc excommunicatio illi reservata est, de qua excommunicatione supra suo loco dictum est. Omissa ergo excommunicatione de propria suspensione dicendum est, hujusmodi collatorem manere ipso jure suspensum non tantum a collatione Ordinis, quem simoniace contulit, sed simpliciter a collatione Ordinum. Ita enim habetur in c. penult. de Simonia, ubi de suscipiente Ordines dicitur manere suspensum ab Ordine sic suscepto; de conferente vero dicitur, *manere suspensum a collatione Ordinum;* ergo evidenter intelligitur, non a collatione illius Ordinis tantum, sed omnium; præter hoc vero non suspenditur ab alio officio, vel beneficio, neque ibi, neque alibi.

25. *Quamdiu duret suspensio hæc in ordinante.* — De duratione vero illius suspensionis difficultas est, quia verba illius textus sic habent : *Ordinator a collatione, præsentator vero ab executione Ordinum per triennium,* etc., ubi obscurum est, an illa particula, *per triennium,* cum utraque persona, vel solum cum proxima, quæ præcessit, construenda sit; nam in uno sensu hæc suspensio collatoris est absoluta et sine limitatione temporis, in alio vero est triennalis. Prior ergo sensus videtur verisimilis ex ipso contextu, quia determinatio solum determinat ea, quæ proxime præcedunt. Sed oppositum verius est ex mente Glossæ ibi, et interpretum; et patet ex ipso contextu, nam tota illa clausula suspensa est, et ideo determinatio illa additur tanquam communis utrique personæ, scilicet conferenti, et præsentanti, nam de tertia

scilicet de suscipiente alia determinatio additur, scilicet, *donec dispensationem obtineat.* Itaque ex vi illius textus, et in casu ejus, dicendum est, suspensionem illam esse triennalem.

26. Nihilominus tamen Canonistæ communiter dicunt, quando simonia est perfecta et consummata per receptionem pretii, aut rei æquivalentis, ordinatorem manere perpetuo suspensum. In eo vero capit. suspensionem fuisse triennalem, quia simonia non fuit propria, nec perfecta, quia collatio pretii non intervenit, sed sola remissio cujusdam obligationis nondum existentis, sed prætensæ; unde potius fuit conservare se indemnem, aut tollere importunam vexationem, quam aliquid recipere. Ita sentiunt Glossa, Innocent., Abbas, et alii, in cap. ult. de Simonia, quos Sylvester sequitur, verb. *Suspensio,* quæst. 7. Juxta hanc ergo opinionem sub disjunctione respondendum erit, nam si simonia fuit impropria, suspensio erit triennalis per illum textum; si propria, erit perpetua. Et hæc posterior pars potissimum probari solet ex c. Per tuas, 3, eodem titulo, de Simonia. Tamen in illo de ordinato, non de ordinante sermo est. Citatur etiam c. Insinuatum, eodem titulo, sed ibi nec sermo est de collatione Ordinis, sed beneficii, neque est sermo de conferente, sed de ipso intruso in beneficium, nec pœna suspensionis ponitur, sed privationis beneficii per judicem faciendæ. Citatur etiam c. De hoc, præsertim in illis verbis: *Si manifestum est promissa recepisse, ab altaris ministerio sunt perpetuo deponendi.* Sed ibi non est sermo de simonia commissa in ordinatione, sed in electione ad Episcopatum; et, ut ex ipsis verbis patet, nec imponitur pœna suspensionis ipso jure, sed pœna depositionis per judicem ferenda. Citatur præterea c. Si quis Episcopus, 1, quæst. 1, ex Concilio Chalced., cap. 2, ubi de hoc ordinatore dicitur, *proprii gradus periculo subjacere.* Sed per illa verba, si recte expendantur, nulla pœna ipso jure imponitur, nam illa solum excommunicatio quædam, quæ per judicem est mandanda executioni. Unde ibi non designatur tempus, neque etiam dicitur, ut illa pœna sit perpetua, sed videtur judicis arbitrio relinqui.

27. *Extensio non admittitur.* — Propter hæc igitur dicendum videtur, quantumvis perfecta sit simonia in collatione Ordinum commissa, ipso jure tantum incurri propter illam, triennalem suspensionem, juxta dict. c. Penult. Quod sine causa exponitur de impropria simonia. Nam esto aliquod pretium ibi collatum non fuerit, ipsa promissio, seu obligatio erat res pretio æstimabilis, et consequenter ad simoniam sufficiens. Adde, quod, si ex illo jure non habemus, quam suspensionem incurrat collator Ordinum per simoniam propriam, et rigorosam, ex nullo alio habetur, non solum quantum ad durationem, ut ostensum est, sed neque etiam quantum ad speciem suspensionis, ut ex dictis circa prædicta jura, quæ in contrarium citantur, facile constat. Unde liberum erit unicuique dicere hujusmodi collatorem manere suspensum ab officio et beneficio, etc. Denique si propter imperfectionem simoniæ suspensio collatoris temporalis effecta est, cur non etiam suspensio ejus, qui Ordines suscepit? non ergo id factum est, quia illa non fuit propria simonia, sed quia auctori canonis visum est, conferenti Ordines non majorem pœnam imponere quoad durationem, vel propter personæ dignitatem, vel certe quia ejus suspensio aliunde, scilicet in usu, quo privat, gravior esse videtur. Igitur conferens simoniace Ordines, per triennium tantum ipso jure manet suspensus; unde illo transacto, si aliunde ab excommunicatione absolutus sit, absque alia dispensatione vel absolutione Ordines poterit conferre. Neque oportet distinguere quoad hoc inter occultum et publicum simoniacum, nisi ut in sequenti puncto dicetur.

28. *Non solum Episcopi, sed Abbates hac lege comprehenduntur.* — Illud denique est in hac suspensione considerandum, eam præcipue ad Episcopos pertinere, nam in præsenti satis expresse nominantur sub ratione conferentium Ordines; nec enim necesse est, sub proprio nomine dignitatis Episcopalis vel superioris exprimantur, cum ex munere vel officio Episcoporum proprio, cujusmodi est Ordines conferre, designentur. Nec refert, quod nonnulli Abbates Ordines conferant, nam illud est ex privilegio, et quasi secundum quid, et ideo simpliciter per collatores Ordinum Episcopi intelliguntur; quamvis non soli illi, sed etiam Abbates, et quicumque alii, qui ex privilegio minores Ordines conferunt, eamdem pœnam incurrunt, si per simoniam id faciant; nam lex generalis est, et a fortiori hos inferiores comprehendit.

29. *De præsentante alium ad Ordines per simoniam, quam suspensionem incurrat.* — *Quorumdam distinctio de simonia publica, aut*

occulta rejicitur. — Circa alteram personam, scilicet ejus qui præsentat alium per simoniam, nihil novi notandum occurrit; nam ejus pœna et suspensio satis clara est in dict. cap. penult. de Simonia. Suspenditur enim ab executione Ordinum, omnium scilicet quos habuerit; hanc enim vim habet illa absoluta et indefinita locutio; illa vero suspensio tantum est triennalis, ut in eodem textu habetur. Neque oportet hoc limitare ad simoniam impropriam, quia in omni simonia locum habet, ut dictum est in superiori puncto; est enim quoad hoc eadem ratio. Neque etiam distinguere oportet de simonia publica, vel occulta, ut alii faciunt, dicentes, in simonia occulta suspensionem esse triennalem, in publica vero perpetuam; quod idem dicunt de collatore, ut ex Hostiense, Innocent. et Archidiac. refert Panorm., super eumdem textum. Qui tamen eorum sententiam non approbat, et merito, quia textus absolute loquitur, et ubi lex non distinguit, nos non debemus sine alia lege, vel ratione cogente, distinguere. Hic autem cum simus in materia pœnali, et quæ ex voluntate legislatoris pendet, nulla ratio præsumpta cogere potest, ut per se notum est. Neque etiam invenitur aliud jus, in quo hæc suspensio perpetua imponatur propter hoc crimen publicum. Quod quidem de conferente ex dictis in superiori puncto satis patet; de pœna vero præsentantis fere nullo alio loco mentio fit, præter illud, quod generatim sub nomine *mediatoris* statuitur in cap. Si quis Episcopus, 1, quæst. 1, his verbis : *Si quis vero mediator tam cupidis, et nefandis datis, vel acceptis extiterit, et ipse siquidem clericus fuerit, proprio gradu decidat, si vero laicus, aut monachus, anathematizetur.* Jam vero supra exposui in simili per hæc verba non imponi pœnam ipso jure, sed comminari pœnam a judice inferendam, quam esse pœnam depositionis exponit ibi Turrecremata cum aliis, et D. Thom., 2. 2, quæst. 100, art. ult., et est probabilis expositio, et consentanea verbis, quamvis etiam possint illa verba generalius intelligi, ut supra insinuavimus, vel nomen ipsum depositionis potest etiam late sumi, prout interdum accipitur pro suspensione. Si vero intelligatur de propria pœna depositionis, dicendum est illam olim habuisse locum, quando suspensio ipso jure non erat imposita; nunc autem cum non debeat idem delictum bis puniri, postquam aliquis suspensionem latam a jure sustinuit, non debet iterum deponi, nisi fortasse suspensionem sibi impositam non servasse convincatur.

30. *Aliorum distinctio exponitur.* — Alii vero aliter distinguunt de simoniaco publico et occulto, dicentes, occultum simoniacum in hoc casu manere suspensum quoad se, non vero quoad alios; si vero sit publicus, esse utroque modo suspensum scilicet quoad se, et quoad alios. Ita loquitur de conferente, et mediatore, D. Thom., d. art. ult., ad 1 et 2; item Raimund. quem refert, et sequitur Turrecr., in d. c. Si quis Episcopus. Sed hoc in primis non est ita accipiendum, ut per suspensionem quoad se intelligatur solum peccatum mortale; nam hi simoniaci licet occulti sint, veram pœnam suspensionis incurrunt, quia in d. c. ult. absolute fertur ipso jure propter hoc crimen, et ita comprehendit etiam occultum, juxta dicta supra, sect. 1. Dicetur ergo hic non suspensus quoad alios, vel quia non tenetur vitare illos se prodendo, vel quia alii non tenentur vitare ipsum, vel omnino, si ejus defectum ignorent, vel saltem publice, secundum jus antiquum; hodie vero omnino non tenentur, propter Extravag. *Ad evitanda.*

31. *De suscipiente Ordines per simoniam.* — Superest dicendum de tertia persona, scilicet de illo, qui Ordines suscipit per simoniam, de quo etiam certum est manere suspensum ipso jure, ut D. Thom. docet, dict. solut. ad 1; Angel., Sylvest., et alii Summistæ, verb. *Simonia;* Covarr. supra, et quos refert. Citat autem Covarruvias ad hoc probandum c. Præter, § Verum, 32 dist., de quo jam vidimus nullam suspensionem ipso jure continere. Citat etiam c. Eos, 81 d., ubi non est sermo de vitio simoniæ. Affert præterea c. Reperiuntur, 1, quæst. 1, ubi non censura suspensionis, sed anathematis feriuntur ipso jure hujusmodi simoniaci, et si censentur, *suscepti,* dicitur, *honoris gradu priventur, et monasterio sub perenni pœnitentia retrudantur.* Denique citatur c. Tanta, de Simonia, ubi non agitur de pœna ipso jure incurrenda, sed de his, qui possunt admitti ad accusandum simoniacum, *ut ab Ordine* (inquit) *male accepto removeatur.* Quæ verba factum hominis potius, quam legis significant; aliis ergo juribus probandum hoc est, quæ statim afferam.

32. *A quo Ordine suspendatur sic recipiens Ordines.* — *Quid juxta antiquum jus.* — Dissentiunt item auctores in explicanda qualitate hujus suspensionis, et ut Covarruvias

et Sylvester referunt, communior opinio est, incurrere suspensionem absolutam omnium Ordinum, quos habuerit. Aliis vero magis placet tantum incurrere suspensionem Ordinis simoniace suscepti. Dicendum tamen est breviter, juxta antiqua Decretalium jura, tantum incurrere suspensionem ab Ordine sic suscepto. Ita videtur loqui D. Thom., supra, et sumitur ex c. Per tuas, 3, de Simonia, ubi de quodam, qui subdiaconatum simoniace susceperat, dicitur : *Nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare.* Dicetur fortasse, ibi non dici in Ordine sic suscepto, sed simpliciter *in ordine suscepto;* ergo in nullo suscepto potest ministrare; manet ergo suspensus ab omnibus. Respondetur nimis rigorosam esse interpretationem hanc; nam illa particula indefinita, *ab Ordine,* recte determinatur juxta subjectam materiam. Cum ergo ibi sit sermo de Ordine illicite suscepto, de illo recte intelligitur illa pœna, quod satis etiam declarat illa particula, *ab Ordine suscepto;* refertur enim ad præcedentem narrationem. Denique cum hæc intelligentia sit satis accommodata, et legitima, in materia odiosa præferenda est. Clarissime tamen hoc probat cap. penult. ejusdem tituli, ubi de præsentante aliquem ad Ordines simoniace dicitur, per triennium fore suspensum ab executione Ordinum; de ipso vero ordinato immediate subjungitur, *ab Ordine suscepto,* etc. Loquitur ergo tantum de Ordine simoniace suscepto; alias dixisset ab executione Ordinum, sicut de præsentatore proxime dixerat.

33. *Quid juxta jus novum Extravag. 2 de Simonia.* — At vero secundum novum jus Pauli II, in Extravag. 2 de Simonia, inter communes, satis probabile est, hanc pœnam fuisse ampliatam, ita ut qui unum Ordinem simoniace suscipit, ab omnibus, quos habet, suspensus maneat; verba enim illius sunt : *Apostolica auctoritate declaramus, ut omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, a suorum sint Ordinum executione suspensi.* Et similis constitutio Martini V, et sub eisdem fere verbis, habetur in Concilio Constant., sess. 43; ibi ergo locutio pluralis, et absoluta, et relativum illud, *suorum,* absque ulla mentione susceptorum Ordinum, indicant satis sermonem esse de omnibus Ordinibus. Illa item verba, *Apostolica auctoritate declaramus,* etiam significant aliquid novi ibi statui; at vero si tantum inferretur suspensio ab Ordine suscepto, non esset illud novum, sed antiquum. Non nego tamen, etiam textum illum posse probabiliter intelligi juxta antiqua jura; sæpe enim Pontifices, quamvis jus novum non statuant, sed renovent, et confirment antiquum, Apostolica auctoritate loquuntur, seque id facere declarant. Nomen autem illud plurale, *a suorum Ordinum,* etc., respondet plurali locutioni, quæ proxime præcesserat de omnibus, qui simoniace ordinati fuerant; unde non oportet intelligere, ut singuli maneant suspensi a suis Ordinibus, sed accommodando singula singulis, ita ut omnes, quasi collective, maneant suspensi a suis Ordinibus; unusquisque tamen ab illo Ordine, quem simoniace suscepit. Quæ interpretatio, si viris doctis probaretur, non esset contemnenda. Quia vero contraria opinio etiam secundum jus antiquum communior est, et prior interpretatio videtur magis plana et sincera, ideo securiorem opinor esse partem illam.

De suspensione ejus, qui a simoniaco Episcopo, licet non simoniace, Ordines recepit.

34. Addendum præterea est, et suspensionem etiam incurri accipiendo Ordines ab Episcopo simoniaco, sunt enim hæc duo distincta, accipere a simoniaco; et accipere simoniace; nam hoc posterius committitur, quando ipsa ordinatio per simoniam fit; illud vero prius, quando Episcopus ordinans alias supponitur simoniacus, licet in tali ordinatione hoc vitium non misceatur; hi ergo duo tituli separari possunt, et si interdum conjungantur, accidentarium est. Recipere ergo Ordines simoniace, per se est delictum simoniæ, etiam in ordinato, nisi intercedat ignorantia; et ideo mirum non est, si propterea suspendatur; recipere autem a simoniaco, non tamen simoniace, per se non pertinebat ad vitium simoniæ, et nihilominus in illius vitii detestationem suspenditur is, qui a tali ministro Ordines accipit, c. Si qui a simoniacis, 1, quæst. 1, ibi : *Eorum ordinationem irritam esse decernimus,* scilicet quoad usum Ordinis conferendum, ut sæpe expositum est. Ipse vero ordinans propter hoc crimen deponendus dicitur in c. De cætero, 1, quæst. 1. Et ultra hoc si suspensus, vel excommunicatus supponatur ratione simoniæ, irregularis fiet, juxta principia supra posita.

35. *Bona fide sic ordinatus non incurrit, etiam ignorantia juris. — Sylvestri limitatio. — Rejicitur.* — Additur vero in dicto cap. Si

qui, hanc suspensionem non incurri ab ordinato, nisi ordinatus voluntarie participet in temeritate ordinantis: nam si bona fide ordinetur ignorans simoniam ejus, non suspenditur, quod expresse etiam habetur in cap. Per tuas, 2, de Simonia. Loquuntur autem hæc jura de ignorantia facti, et ideo Sylvest., verb. *Suspensio,* quæst. 7, ad illam limitanda censuit, quia *ignorantia juris* (inquit) *non excusat.* Sed in hoc jam in superioribus diximus, licet in foro exteriori ignorantia juris regulariter non præsumatur probabilis, nec sufficiens ad excusandum, tamen revera posse esse invincibilem, et excusare a culpa; in præsenti ergo si talis sit, etiam excusabit a suspensione propter rationem factam. Deinde addit Sylvester, etiam quando intercessit ignorantia facti, si quis postea audiat suum ordinatorem fuisse simoniacum, ita ut illi saltem dubium, vel scrupulum generet, posse quidem in suscepto Ordine ministrare, non tamen ultra ascendere, seu ordinari ab eodem, donec scrupulum deponat; quod si certo intellexit illum fuisse simoniacum, non posse etiam in suscepto Ordine ministrare, donec per Papam dispensetur, juxta Gloss. 1, in dict. cap. Si qui a simoniacis, ex illis verbis ejusdem textus : *Talium ordinationem misericorditer sustinemus,* quæ videntur dispensatoriæ; sed hæc limitatio falsa est, quia ille sic ordinatus a principio non contraxit suspensionem; ergo nec postea illam contrahet propter supervenientem scientiam. Antecedens patet ex ipso textu; nam solus ille manet suspensus, qui scienter a simoniaco Ordines suscipit; ergo qui ignoranter, et bona fide id facit, non contrahit illam. Prima vero consequentia probatur, quia sola scientia non sufficit ad suspensionem inducendam, quia non est aliqua culpa.

36. *Alia divi Thomæ limitatio.* — Aliter limitare hoc videtur D. Thom., 2. 2, q. 100, art. ult., ad 2, ubi ait, duobus modis posse Episcopum esse simoniacum : primo in ordinatione, seu consecratione sua, quia nimirum per simoniam illam adeptus est; secundo per alia peccata simoniæ, quæ postea commisit. Quando priori modo est Episcopus suspensus, ait D. Thom. eum, qui ab illo ordinatur, etiam per ignorantiam, manere suspensum, quia ille Episcopus est suspensus ab executione sui Ordinis quoad se et alios; et ideo non potest conferre alteri executionem Ordinis, etiamsi alter bona fide ordinetur, quia nemo dat quod non habet, sicut in superioribus diximus de illo, qui per ignorantiam ordinatur ab excommunicato. At vero quando Episcopus alio modo est simoniacus, aut est occultus, ait D. Thomas, aut publicus; si sit occultus, licet sit suspensus quoad se, non tamen quod alios; et ideo qui ab illo bona fide ordinatur, non manebit suspensus; si vero sit publicus, est suspensus quoad se, et alios; et ideo nemini potest dare Ordinis executionem.

37. *Limitatio rejicitur.* — *Alia limitatio improbatur.* — Adverto tamen loqui nos posse de simoniaco præcise, ut est in tali vitio, vel ut ratione illius aliquam censuram contraxit. Priori modo in hoc puncto consideratur, et hoc præciso titulo contrahitur suspensio recipiendo ab illo Ordines, sive simonia ejus fuerit in acquirendo Episcopatu seu consecratione sua, sive in alia materia, quia jura nihil in hoc distinguunt, nec nobis dant occasionem distinguendi, quia omnem simoniam, præsertim in Episcopo, detestantur. Eodemque modo admittunt indistincte excusationem ignorantiæ, et non est a nobis restringenda, cum favores potius ampliandi sint, quam odia. Sic ergo licet simonia Episcopi fuerit in promotione sua, si ignoretur ab ordinato, non contrahet suspensionem. At si in Episcopo simoniaco spectemus, quod ratione illius vitii excommunicatus, vel suspensus est, sic verum est, ordinatum ab illo etiam ignoranter non recipere ab illo Ordinis executionem, juxta superius dicta; et ita potest intelligi primum membrum primæ distinctionis D. Thom.; an vero propter alias simonias incurrat Episcopus tales censuras, infra dicemus. Alia vero distinctio de publico, vel occulto, in tantum potest hic habere locum, in quantum acta a publico ministro ex publico officio non vitiantur propter occultum crimen, vel impedimentum, ut supra traditum est. Hoc autem principium etiam applicari potest ad Episcopum occulte per simoniam promotum, habet enim eamdem rationem.

38. *Possitne quis a suo Episcopo simoniaco omnino occulto Ordines suscipere.* — *Prima opinio.* — *Secunda opinio.* — Et juxta hæc expedienda est alia dubitatio, quam attigerunt D. Thomas, dicta sol. ad 2, et Glossa, in dict. cap. Si qui, an si quis noverit suum Episcopum esse simoniacum, ita tamen occultum, ut id probari non possit, ab eo Ordines suscipere valeat absque periculo suspensionis. Aliqui enim dixerunt, illum posse a

tali Episcopo Ordines suscipere, præsertim si ab eo præcipiatur, aut si non possit ab alio Episcopo ordinari; addunt tamen, eum sic ordinatum non posse in Ordinibus sic susceptis ministrare absque dispensatione, quam debet occulte procurare, ne Episcopum de occulto crimine infamet. Sed hæc duo non sunt consequenter dicta, ut recte D. Thom. notavit. Nam vel ille peccat recipiendo Ordines a tali Episcopo, et sic nulla ratione debet ab eo Ordines suscipere, aut ei in hoc obedire; aut non peccat, et sic non manet suspensus, juxta dicta, et consequenter non indiget dispensatione ad ministrandum in Ordine sic suscepto. Alii dixerunt in eo casu non posse subditum recipere Ordines a tali Episcopo, etiamsi ille sub excommunicatione præcipiat, quia est res illicita, et prohibita in dicto cap. Si qui a simoniacis, et cap. De cætero, et Per tuas. Et in hanc partem tandem inclinat Glossa, verb. *Probare;* et ex parte idem tenet D. Thom., scilicet, quando talis Episcopus simoniace promotus est, quia tunc licet sit occultus, est suspensus quoad se et alios; unde illicite operatur ordinando, et non licet communicare cum illo in opere illicito Ordines ab illo recipiendo; ideoque si quis ita ordinetur, manebit suspensus. Quod secus est (ait D. Thom.) quando Episcopus alio quocumque modo est simoniacus occultus; potest enim quis licite ab eo suscipere Ordines, etiamsi sciat vitium illius, nec propterea manebit suspensus, aut indigebit dispensatione, quia talis Episcopus non est suspensus quoad alios, sed quoad se tantum. Sed, ut dixi, jura in hoc nihil distinguunt; imo in dicto cap. Per tuas, verba sunt : *Episcopum multis modis fuisse simoniacum;* quibus significatur quemlibet modum sufficere.

39. *Vera resolutio.* — Unde utendum potius videtur distinctione data, quod aliud est considerare in Episcopo simoniaco simoniæ vitium, aliud vero excommunicationem, vel suspensionem, qua ligatus est propter tale vitium. Priori igitur titulo nemo tenetur illum vitare, nisi sit publicus simoniacus, etiam secundum antiqua jura, ut supra dictum est, quod maxime habet nunc verum post Extrav. *Ad evitanda*, ut supra in simili de concubinario dictum est; et ideo licet aliquis sciat tale vitium occultum ejus, non tenebitur illum vitare in suscipiendis ab ipso Ordinibus, quare si illos suscipiat, suspensus non erit. At vero posteriori titulo, per se loquendo, et secundum jus antiquum, necessarium erat talem simoniacum etiam occultum vitare ratione censuræ; et ideo, per se etiam loquendo, non poterat quis sciens ejus vitium, et censuram, ab eo Ordines suscipere, quin illos sic suscipiens, suspensus maneret. Dico autem *per se loquendo,* quia etiam secundum jus antiquum excommunicatus occultus in occultis tantum vitandus erat, non vero in publicis actionibus; et ideo si quis non posset sine gravi incommodo, aut sine publica nota, vel infamia, non suscipere Ordines a tali Episcopo parato ad dandum, vel potius inducente ad recipiendum, tunc nulla esset culpa ab illo recipere Ordines, quia talis communicatio cum illo non erat prohibita, neque erat cooperatio ad actionem vitiosam ejus, sed erat bene uti mala actione ejus. Et consequenter ille sic ordinatus non maneret suspensus, eadem ratione, qua de eo, qui ignoranter ordinatur, idem diximus, scilicet, quia cum ille sit minister ab Ecclesia toleratus, et titulo publici officii Ordines ministret, propter occultum defectum non impeditur, quominus valide suum publicum ministerium exerceat, etiam quantum ad conferendam Ordinis executionem. Unde si alias recipiens excusatur a culpa propter articulum necessitatis et genus quoddam coactionis, non est cur maneat suspensus. Ad quod etiam sumi potest argumentum ex cap. Constat, 1, quæst. 1. Quod quidem certius nunc est secundum novum jus Extrav. *Ad evitanda;* nam quamdiu talis Episcopus de tali crimine publice, et nominatim declaratus ac denunciatus non est, nemo illum vitare tenetur in Ordinum collatione, etiamsi privatim sciat illum esse ob simoniam excommunicatum, vel suspensum. An vero juxta hoc jus novum possit quis non solum recipere Ordines a tali Episcopo, si ille se offerat, sed etiam illum inducere, et ab illo petere, et consequenter an ille possit dare licite, quando non valet prius absolutionem obtinere, juxta principia generalia superius posita definiendum est.

40. *An ordinatus simoniace per invincibilem ignorantiam sit suspensus. — Opinio affirmativa. — Vera sententia.* — Ultima dubitatio circa hanc partem est de ordinato simoniace absque peccato simoniæ, quod ipse committat, incurratne hanc suspensionem, ut, v. gr., si ipso ignorante ejus amicus per simoniam ab Episcopo obtineat, ut Ordines ei conferat. Non enim desunt qui dicant, hujusmodi sic ordinatum manere ipso jure suspensum, etiamsi illa ignorantia inculpabilis fuerit. Ita

tenet Sylvester, verb. *Suspensio*, quæst. 7, ubi ait, manere solum suspensum ab Ordine sic suscepto; in quo distinguit hunc ab eo, qui scienter per simoniam ordinatur, quod tamen discrimen nullo jure probat. Potest tamen probari hæc opinio ex cap. Per tuas, 3, de Simonia. Ubi de quodam sic ordinato per ignorantiam ait Pontifex : *Nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine ministrare.* Item adjungi potest cap. Præsentium, 1, quæst. 5, ubi quidam per ignorantiam ordinatus simoniace, quia parentes dederunt pecuniam, ipso nesciente, a tali Ordine suscepto suspenditur. Nihilominus dicendum censeo, quoties is, qui ordinatur, non committit simoniam, etiamsi ipso ignorante committatur in sua ordinatione, non manere suspensum etiam ab Ordine sic suscepto. Ita tenet Navarr., in Summa, cap. 26, num. 68, citans Bellameram, et Cardinalem Alexandrinum. Et ratio est illa generalis, quia hæc suspensio est pœna imposita propter culpam; et ideo cessante culpa etiam per ignorantiam cessat pœna, arg. cap. Apostolicæ, de Clerico excomm. ministr., ibi : *Vos reddit ignorantia probabilis excusatos*, scilicet a quadam pœnali suspensione. Et facit etiam cap. Ut animarum, de Constit., in 6, et cap. Cum cessante, de Appell. Et in specie confirmatur ex cap. De simoniaco, de Simonia, ubi expresse dicitur : *Qui ipsis ignorantibus simoniace ordinantur, possunt, quia simoniaci non sunt, in suis Ordinibus remanere.* Item potest sumi argumentum a simili ex dicto cap. Per tuas, 2.

41. *Objectio. — Solvitur. — Respondetur ad cap. Per tuas, 3, de Sim. — Exponitur cap. Præsentium, 2, quæst. 5.* — Dices : ordinatus per ignorantiam ab Episcopo simoniaco suspenso, suspensus manet; ergo et in præsenti fiet. Respondetur negando consequentiam, quia in eo casu non ordinatur quis ab Episcopo jam suspenso, ut ob eam causam non recipiat ab illo Ordinis executionem, sed per talem ordinationem efficitur ordinator suspensus, cum antea non esset; ergo potuit dare executionem Ordinis, quam habebat, quamvis simul ipse illam perdiderit sic ordinando. Unde cum alias ordinatus non committat crimen, ob quod privetur tali executione, non est unde suspensionem incurrat; secus vero est in superioribus casibus; nam in illis omnibus aut ordinatus criminosus est, aut ordinator suspensus esse supponitur. Ad cap. ergo Per tuas, 3, ejusdem tituli, dicendum est, illam non fuisse ignorantiam facti, sed juris; nam ut ex casu textus constat, ipsemet ordinandus actum simoniacum efficit, per quem sibi ad Ordines suscipiendos viam paraverit; non tamen intellexit in eo facto se aliquid illicitum fecisse, ut ibidem dicitur; quæ manifesta est ignorantia juris. Unde ulterius dicitur, illam ignorantiam vel reipsa non fuisse probabilem, et inculpabilem, vel certe non fuisse hujusmodi præsumptam, ac propterea illum non fuisse judicatum immunem a culpa simoniæ. Quod verum esse censemus, quoties ignorantia ipsa, etiamsi sit facti, culpabilis fuerit; et hoc probat optime aliud cap. Præsentium, ibi : *Culpam istam nesciens, et coactus commisit.* Et a simili sumitur ex dictis cap. Apostolicæ, et Ut animarum, quæ loquuntur de ignorantia crassa, vel supina, sub qua comprehendunt omnem ignorantiam, quæ ad peccandum mortaliter sufficit, ut contra nonnullos modernos in superioribus dixi.

De suspensione ob simoniacam collationem beneficii.

42. Circa alteram partem de simonia in collatione beneficiorum commissa, D. Thomas, 2. 2, quæst. 100, art. ult., ad 1, tam de dante, quam recipiente beneficium simoniace, dicit, si crimen sit occultum, manere suspensum quoad se tantum; si vero sit publicum, esse ipso jure suspensum et quoad se, et quoad alios, et idem dicit de mediatore hujus simoniæ; non tamen declarat, qualis sit illa suspensio, nec quo jure introducta sit. Eam vero sententiam sequuntur ibi Cajetanus, et Soto, lib. 9 de Justitia, quæst. 8, art. 1, ad 1. Nonnulli vero Summistæ declarant, eum, qui recipit beneficium, manere ipso jure suspensum a tali beneficio. At vero Innocentius, et Panormitanus, quos refert et sequitur Covarruvias, in dict. Clement. *Si furiosus*, part. 1, § 1, num. 7, sentiunt, hunc manere suspensum ab Ordine, si crimen fuerit publicum; aiunt enim fieri irregularem, si celebret sic suspensus; constat autem, irregularitatem non incurri propter celebrationem cum suspensione a beneficio tantum, quandoquidem illa suspensio non privat Ordinis executione. Quod etiam tenet Villadiego de Irregular., cap. De simoniacis.

43. *De conferente simoniace beneficium, an sit ipso jure suspensus.* — Verumtamen, quod

sæpe admonui, distinguere oportet propriam suspensionem, ut est censura distincta ab excommunicatione, ab illa, quæ in ipsamet excommunicatione includitur. Hoc posteriori modo certum est, hujusmodi simoniacum esse suspensum ab omni officio, beneficio et Ordine, quia excommunicatus est, saltem post Paulum II, et Martinum V. Et hac ratione etiam est verum, simoniacum fieri irregularem, si celebret non absolutus ab hac excommunicatione. At vero loquendo de speciali censura suspensionis, ut hic loquimur, in primis contra conferentem simoniace hujusmodi beneficium nullam reperio suspensionem ipso jure impositam. Et quidem si sit occultus simoniacus, omnes concedunt; nam licet dicant, illum esse suspensum quoad se, non tamen intelligunt de propria censura suspensionis, sed de impedimento, quod secum affert quodlibet peccatum mortale. Unde fit, ut necessario debeat id intelligi de suspensione a ministerio Ordinum, non a collatione beneficiorum, quia peccatum mortale non impedit, quominus absque novo peccato possit collatio beneficii fieri, sicut et alii actus jurisdictionis, maxime quando peccatum est occultum, ex quo nullum scandalum potest sequi, ut alibi latius dixi. Quando vero tale peccatum simoniæ publicum est, potest esse nonnullum dubium propter communem sententiam Doctorum; nihilominus tamen etiam tunc non invenio hanc censuram latam aliquo jure. Aut enim dicitur hic simoniacus publicus manere ipso jure suspensus, solum quia peccatum publicum est, et hoc non; supra enim ostendimus, non omnem clericum publicum peccatorem esse ipso jure suspensum; vel quia in tali specie, seu genere peccati publicus peccator est, et de hoc rursus interrogo, an intelligatur specialiter de tali peccato simoniæ commisso in collatione beneficii; et hoc etiam nulla specialis constitutio talem pœnam ferens circa hoc delictum invenitur, aut a dictis auctoribus citatur. An vero intelligatur de quovis peccato simoniæ publico; et ad hoc, solum afferuntur illa jura, quæ de concubinariis publicis supra adducta sunt, præsertim cap. Præter, § Verum, 32, ubi dicitur, hos non esse admittendos ad Ecclesiastica ministeria; quod potius significat per Ecclesiæ Prælatos esse suspendendos, quam ipso jure esse suspensos. Itaque de his quoad hanc pœnam idem sentiendum est, quod de publicis concubinariis. Unde fit, multo certius esse hos non manere suspensos a collatione beneficiorum; nam si quæ suspensio contrahitur propter hæc peccata graviora publica, solum est ab usu Ordinis, et sacris ministeriis, ut ex prædictis juribus constat.

44. *Suscipiens per simoniam beneficium non est suspensus ab officio.* — Ex quibus, idem dicendum est de suscipiente beneficium per simoniam, quantum ad suspensionem ab Ordine; nam si crimen sit occultum, omnes concedunt non manere suspensum ab Ordine, ut patet ex D. Thom. supra; Angelo, verb. *Simonia,* 6; Sylvestro. verb. *Suspensio,* q. 7. Quanquam dicant, tunc manere suspensum quoad se; quod aliqui ita declarant, ut si ante actam pœnitentiam celebret, maneat irregularis; post peractam vero pœnitentiam celebrare possit absque alia dispensatione. et absolutione; verumtamen illud prius nullo jure probant magis de hoc vitio, quam de aliis supra tractatis. Similiter si hoc crimen sit publicum, dicunt ita manere clericum suspensum ab Ordine, ut etiam post peractam pœnitentiam sine dispensatione celebrare non possit. Verum de hoc etiam supra ostendimus non probari ex illis juribus, quæ communia sunt huic vitio cum aliis. Quæ vero de hoc vitio specialiter citantur, minus probant, qualia sunt cap. 1 et 2, 1, quæst. 1, ubi solum dicitur, *hunc corripiendum esse, et a Sanctæ Ecclesiæ liminibus submovendum, et digno anathematis vinculo percutiendum, et si perseverans fuerit, perpetua damnatione mulctandum;* quæ omnia nec suspensionem propriam continent, nec pœnam latam, sed ferendam. Et similia sunt multa sub tit. de Simonia, et 1, quæst. 1.

45. *An sit suspensus a beneficio, quod sic acquirit.* — Quantum vero ad suspensionem a beneficio, sermo esse potest vel de beneficio per simoniam comparato, vel de aliis, quæ prius legitime habebantur. Quantum ad primum, dicendum est, illum non proprie manere suspensum a tali beneficio, sed omnino non acquirere tale beneficium, quia collatio seu provisio ejus omnino nulla fuit, juxta Extravagant. Pauli II, et decretum Martini V, supra citata. Ex quo a fortiori fit, ut hic simoniacus suos non faciat fructus talis beneficii, sed eos in conscientia et sub *animæ suæ periculo,* ut ibidem dicitur, restituere teneatur. Ubi est obiter advertendum cum Cajetano in Summa, verb. *Excommunicatio,* cap. 72, hoc non solum procedere in beneficiis proprie dictis, quæ conferunt jus ad proventus ra-

tione officii; sed etiam in aliis prælationibus spiritualibus seu Ecclesiasticis, quæ nullum habent beneficium adjunctum, ut sunt prælationes in religionibus; nam etiam qui ad hæc eligitur vel illa suscipit per simoniam, manet non solum suspensus a tali officio, sed omnino carens illo; nam omnis hujusmodi electio et confirmatio irrita esse declaratur in dictis decretis. Quod adeo verum est, ut etiamsi per ignorantiam suscipientis beneficium, et bona fide ex parte ejus, collatio simoniace facta sit, retineri beneficium non possit, juxta sacros canones, ut dicitur in cap. Sicut tuis, de Simonia, et declaratur ac limitatur, nisi receptor beneficii non solum non consenserit, sed etiam prius expresse contradixerit. De quo latius alibi, nam hoc ad censuram suspensionis non spectat.

46. *An maneat suspensus a beneficiis antea habitis.* — De suspensione vero ab aliis beneficiis, licet Sylvest., Angelus et alii dicant, hunc simoniacum in susceptione unius beneficii manere suspensum ab omnibus aliis beneficiis, quæ legitime possidebat, nullo tamen jure id probant sufficienter, et ideo oppositum credo verius, seclusa excommunicatione. Afferunt c. De simoniaco, de Simonia, ubi neque est sermo de simonia commissa in susceptione beneficii, sed in susceptione Ordinis, neque etiam fit mentio de suspensione aliqua jure lata. Item citatur cap. Præsentium, 1, quæst. 5, ubi etiam est sermo de simonia in ordinatione commissa et de pœna ejus, et ideo non fertur suspensio ab omnibus Ordinibus, sed tantum ab Ordine simoniace suscepto; unde nec proportionale argumentum inde sumi potest. Cum ergo nulla censura sit admittenda ipso jure, nisi in eo sit satis expressa, fit, ut hæc sine alia probatione non sit a nobis admittenda. Et inde a fortiori sequitur, ex vi hujus delicti non manere aliquem inhabilem ad alia beneficia postea recipienda, nisi ratione excommunicationis, et ideo si hæc sit ablata per absolutionem, absque alia dispensatione poterit quis novum beneficium obtinere.

Alii casus breviter explicantur.

47. *Suspensio contra juramentum emittentes de tenendo schismate, cap. 1 de Schismate.* — Quinta suspensio sumitur ex cap. 1 de Schismaticis, ubi qui juramentum præbent sponte de tenendo schismate, a sacris Ordinibus et dignitate suspenduntur. Et quia de hoc textu dixi plura supra tractando de excommunicatione, hic solum expendo, ad incurrendam hanc suspensionem non satis esse tenere schisma, nisi de hoc juramentum præstetur, et non quomodocumque, sed sponte, id est, absque timore vel ignorantia, ut ex prædicto textu constat.

48. *Casus de clerico in duello pugnante rejicitur.* — Sextus casus adjungi posset ex Sylvestro, Angelo, Tabiena et aliis, verbo *Suspensio,* de clerico alium ad duellum provocante, vel duellum ab alio oblatum acceptante, quem dicunt ipso jure manere suspensum, ex cap. 1 de Clericis pugnant. in duello. Verumtamen, ut recte advertit Navarrus, cap. 27, num. 156, in eo textu non dicitur, hunc esse suspensum ipso jure, sed de rigore juris merito esse deponendum; solum ergo designatur pœna per judicem imponenda. Imo additur, Episcopum posse cum tali pœna misericorditer dispensare, dummodo ex ipso duello homicidium vel membrorum diminutio non fuerit subsecuta; nam tunc jam oritur irregularitas, in qua solus Papa potest dispensare. Unde intelligitur, talem depositionem non esse imponendam propter solam provocationem vel acceptationem duelli, nisi usque ad realem pugnam progressum sit; hoc enim videtur in textu supponi, cum dicitur : *Duellum susceperit, sive victor, sive victus fuerit.* Imo etiam post pugnam illa depositio, de qua ibi est sermo, non videtur proprie et rigorose, sed pro suspensione accipi, quia in rigorosa depositione nunquam potest Episcopus dispensare, cum Papa ipse raro dispenset. Denique hæc procedunt juxta illud jus antiquum, et de propria suspensione, ut ab excommunicatione distinguitur. Nam juxta jus novum Concilii Tridentini, sess. 25, c. 19 de Reform., hujusmodi clericus pugnans in duello excommunicatus manet ipso jure, eaque ratione ab officio et beneficio suspensus.

49. *Alius casus de raptoribus rejicitur.* — Tandem addi hic potest casus alius ex Concilio Tridentino, sess. 24, c. 6 de Reformat. matrimon., ubi cum pœna excommunicationis, et aliæ contra raptores ferantur in hæc verba : *Raptor ac omnes illi auxilium, consilium, et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapàces;* postea subjungitur : *Et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant.* Quæ verba et depositionem et suspensionem significare possunt. Et dubium est, an particula illa, *ipso jure,* construenda sit cum sola

dictione seu pœna immediata, scilicet excommunicationis, an cum omnibus aliis pœnis. Sed quidquid hoc sit quoad infamiam et incapacitatem, de quibus ibi, quoad suspensionem existimo esse ipso jure, quia verba illa, *decidant a proprio gradu,* sumpta videntur ex c. Eos, 36, q. 2, et ibi ferendam pœnam significant, ut constat ex c. de Puellis, eadem causa et quæstione.

SECTIO V.

Quas suspensiones incurrant ipso jure Episcopi et Ecclesiarum capitula.

1. *Prima suspensio.*— Quoniam generalibus suspensionibus Episcopi non comprehenduntur, ideo breviter annotare oportet, suspensiones illas, quæ vel specialiter in illos solos vel in eos simul cum aliis, facta eorum speciali mentione, latæ sunt. Prima causa suspensionis Episcopalis est illicita Ordinum collatio, sub quo genere plures comprehenduntur species : una est de simoniaca collatione, de qua in sectione præcedente diximus propter connexionem materiæ; nam per se huc spectabat. Quamvis interdum extendatur ad Prælatos inferiores, minores Ordines simoniace conferentes.

2. *Secunda suspensio ob illicitam Ordinum collationem.* — Ergo illo casu omisso, suspenditur Episcopus, quoties ordinatus propter malam promotionem suspenditur. Sic suspenduntur ipso jure Episcopi, qui ordinant ante tempora seu ante legitimam ætatem, et qui ordinant non suos sine licentia proprii, vel etiam qui ordinant indignum seu irregularem, aut illegitimum, aut eum, qui publicam pœnitentiam egit, vel denique qui ordinant illiteratum, ut addunt Sylvester et alii. Quæ omnia ex jure antiquo colligi solent. Primum ex cap. ultim. seu Nullus, de Temp. ordin., in 6, ubi per unum annum suspenditur Episcopus a collatione clericalis tonsuræ duntaxat, si infanti conferre præsumat clericalem tonsuram, et additur limitatio : *Nisi forte religionem intraret.* Quæ exceptio videtur involvere repugnantiam, quia infantes in præsenti materia intelligi debent, qui septimum saltem ætatis annum non attigerunt, quos in ea ætate repugnat religionem intrare. Dicendum vero est olim solitum fuisse hujusmodi infantes etiam ante illam ætatem religioni a parentibus offerri seu dicari, et hoc in eo textu significari, maxime si ab illa ætate recipiebant religionis habitum, quamvis non statim, nec usque ad convenientem ætatem professionem emitterent. Tunc enim in favorem religionis voluit Pontifex, ut in quacumque ætate habitum religionis susciperent, posset eis saltem prima tonsura conferri. Excepto ergo illo casu suspenditur Episcopus infanti conferens primam tonsuram. Idemque ibidem statuitur de conjugatis, cum duplici limitatione, nisi religionem intraverint, vel statuant ad sacros Ordines promoveri, eo modo, quo secundum canones fieri potest. Idem statuitur ibi de illiteratis absque ulla exceptione. Itaque non permittit jus illud etiam primam tonsuram conferri homini prorsus illiterato, quanquam cum proportione hoc intelligendum sit juxta illius Ordinis seu initii Ordinum exigentiam, servata constitutione Concilii Tridentini, sess. 23, cap. 4 de Reformat. Denique eadem suspensio extenditur ibidem ad Episcopum sic ordinantem hominem diœcesis alienæ absque sui superioris licentia. Quæ omnia et species ac duratio suspensionis satis clara sunt ibi.

3. *An suspensio dicti cap. ultim. extendatur ad collationem aliorum Ordinum cum similibus defectibus.*—Solum dubitari potest, an suspensio illa extendenda sit cum proportione ad collationem cujuscumque Ordinis factam personæ habenti proportionalem defectum. Nam Sylvester et alii Summistæ, ex hoc textu colligunt, manere suspensum Episcopum conferentem quemlibet Ordinem habenti aliquod ex dictis quatuor impedimentis, scilicet defectum ætatis, litteraturæ, vel quia est non subditus, vel conjugatus. Et idem sentit D. Antoninus, 3 part., tit. 28, cap. 4, et indicat Soto, in 4, d. 25, quæst. 1, art. 2, circa finem, et videtur verisimile ex æquali vel etiam majori ratione; plus enim peccatur servata proportione conferendo superiorem Ordinem indigno vel incapaci ejus, quam inferiorem. Unde cum in illo textu solum imponatur in pœnam suspensio collationis primæ tonsuræ, juxta prædictam sententiam erit hoc proportionaliter intelligendum, ut pro unoquoque Ordine sic male collato intelligatur ferri suspensio ab annua collatione illius Ordinis, ut in eo, in quo quis peccaverit, puniatur, quæ est ratio illius textus. Sed objici potest, quia videtur hæc nimia extensio et amplificatio legis pœnalis, in qua, ut sæpe dixi, argumentum a simili, imo et a majori seu a fortiori ratione validum non est. Et præsertim est nimia licentia, augere pœnam taxatam in lege, propterea quod delictum sit majus, cum proportione ad delictum, cum

hoc totum pendeat ex voluntate legislatoris, de qua non constat ex sola illa proportione a nobis considerata. Eo vel maxime quod in collatione primæ tonsuræ, laici transferuntur ad ordinem clericalem; unde est veluti janua ad clerum (ut sic dicam), et ideo in hoc ingressu seu assumptione laicorum ad clericatum voluit Pontifex specialem cautionem adhibere. Quæ ratio non invenitur in quacumque alia ordinatione, per quam ille, qui jam clericus est, ad superiorem Ordinem in illo statu ascendit; non ergo licet pœnam illius legis ad alios Ordines extendere.

4. *Ex aliis juribus colligitur suspensio ob collationem minorum alieno.* — Nihilominus tamen addendum est, in aliis juribus esse latam pœnam suspensionis unius anni contra eos Episcopos, qui male promovent clericos ad quoscumque Ordines. Nam in cap. Eos qui, de Temp. ordin., in 6, suspenduntur Episcopi, qui ordinant clericos alienæ parochiæ, nisi de suorum superiorum licentia. Fertur autem cum hac limitatione, *si scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare.* Itaque si id faciant bona fide, non incurrunt, imo etiamsi ex ignorantia vel negligentia culpabili decipi se sinant, nisi ignorantia affectata sit, ut in textu dicitur; qualis erit, si probabiliter dubitans licentiam esse subreptitiam, nullam vult facere diligentiam. Quod vero additur, *vel alio figmento quæsito,* explicatio vel amplificatio esse videtur præcedentis particulæ *scienter*. Duobus enim modis potest Episcopus ordinare clericum, quem scit esse alterius diœcesis : uno modo sine honesto titulo etiam apparente, ductus affectu, et utens (ut sic dicam) absoluta potestate, et tunc clarum est, maxime incurrere hanc censuram. Alio modo potest id facere sub aliquo titulo, v. gr., quia urget aliqua necessitas, nec potest tam cito proprius Episcopus adiri, et præsumitur, sine alio majori fundamento, quod ratum habebit. In quo casu licet ignorantia facti non intercedat quantum ad hoc quod talis persona est alienæ jurisdictionis, tamen intervenit quodammodo ignorantia juris, quia eo non obstante, existimatur in eo casu licitum esse illum ordinare; vel etiam potest illa dici ignorantia facti, quantum ad hoc quod creditur esse ibi licentia præsumpta vel tacita. Hoc ergo genus ignorantiæ vel tituli colorati non sufficit ad excusandum. Quod intelligendum est, quando mala fides intercedit, vel ignorantia affectata, quæ illi æquivaleat. Hoc enim significat fictio, seu figmentum in re morali. Est autem illa suspensio solum per annum; tamen est a collatione omnium Ordinum : hoc enim significat, ut supra vidimus, illa locutio absoluta, *a collatione Ordinum.*

5. *Ob primæ tonsuræ collationem non incurritur censura hæc, quæ ab omni Ordine suspendit.* — Incurriturque hæc pœna propter collationem cujuscumque Ordinis ultra primam tonsuram; nam propter hanc non incurritur, ut constat, tum ex alio textu supra tractato in c. Nullus; tum etiam quia hic suspenditur, qui ordinaverit clericum; collatio autem primæ tonsuræ neque est ordinatio simpliciter, neque ordinatio clerici, sed laici; collatio autem cujuscumque alterius Ordinis etiam minoris supponit clericum, saltem per primam tonsuram; et est ordinatio simpliciter, et ideo sufficit ad hanc pœnam incurrendam. Nec mirum videri debet, quod propter unum Ordinem sic male collatum inferatur suspensio a collatione omnium Ordinum, eo quod videatur talis pœna excedere culpam, quia licet secundum quamdam extensionem excedat, tamen secundum meritum et proportionem non excedit. Estque hoc usitatum in jure, ut patet ex cap. Vel non est compos, de Temp. ord., cum similibus. Atque ita exponit hanc pœnam Glossa in dict. cap. Eos qui. Non desunt tamen, qui putent illam pœnam et indefinitam locutionem determinandam esse ad materiam, in qua peccatur, id est, ad Ordines sic male collatos, arg. cap. Si compromissarius, de Elect. Quod sentit Dominicus ibi, quem alii sequuntur. Mihi tamen prior expositio planior videtur, et conformior his, quæ in superioribus de hujusmodi suspensionibus generatim diximus. Ad hanc etiam pœnam confirmandam citari solet cap. Si quis, d. 58, ubi punitur Episcopus, qui monachum ordinat sine licentia sui Prælati; tamen ibi non imponitur pœna suspensionis, sed cujusdam excommunicationis his verbis : *Episcopus, qui hoc fecerit, a cæterorum communione sejunctus, suæ plebis communione contentus sit.* Quæ pœna nunc non est usitata.

6. At vero proper alios tres defectus, scilicet litteraturæ, ætatis et conjugii, non invenio suspensionem ipso jure latam in eum, qui Ordines sic confert, loquendo de jure communi. Nam in cap. 2 de Temp. ordin., suspendendus dicitur Episcopus, qui extra tempora ab Ecclesia statuta Ordines confert; non vero fertur suspensio ipso jure. Et similiter in cap.

Vel non est compos, eodem titulo, decernitur suspensio ferenda, non lata, in eum, qui ordinat aliquem ante legitimam ætatem. Atque eadem lata fuerat in Concilio Arelat. III, c. 1, juncto 3, ubi eadem pœna extenditur ad eum, qui ordinat irregularem, bigamum, viduæ maritum, aut publicum pœnitentem. In Concilio Aurelianensi III, c. 6, solum sex mensium suspensio pro hujusmodi delicto imponi præcipiebatur. Et in cap. 7, quod refertur d. 74, cap. 1, in Episcopum ordinantem invitum et reluctantem annua suspensio fertur his verbis : *Annuali pœnitentiæ subditus, Missas facere non præsumat.* Ex quibus suspensionem ipso jure latam colligunt Sylvest., verb. *Ord.*, 3, quæst. 10; Maiol., lib. 4 de Irregul., c. 10. Qui etiam citat cap. Honoratus, et cap. Ubi, dist. 74. Sed in priori reprehenditur vitium, nihil tamen de pœna agitur; in alio vero potius Siricius supponit contrarium, et comminatur suspensionem, si iterum fiat delictum. Denique Pius II, qui male promotos suspendit, de ordinatoribus nihil dixit. Et præsertim de ordinantibus illiteratos vel conjugatos nihil invenio specialiter sancitum. At vero Concilium Tridentinum, sess. 14, c. 2, specialiter suspendit per annum ab exercitio Pontificalium Episcopos titulares, qui ad aliquem Ordinem vel primam tonsuram promovent quempiam, absque ejus proprii Prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, prætextu cujusvis familiaritatis, privilegii, etc., et in sess. 23, cap. 8 de Reformat., extendit sermonem ad omnes Episcopos, eosque suspendit a collatione Ordinum per annum, si non subditum ordinent, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Generalius autem et rigorosius Sixtus V in hujusmodi ordinantes suspensionem tulit, sed revocata est per Clementem VIII, ut supra notavimus.

In Episcopos prave utentes pastorali munere.

7. *Primus casus ex cap. ult., dist.* 18, *et cap. unic.*, 10, *quæst.* 3. — Secundo principaliter feruntur plures suspensiones in jure in Episcopos propter varios defectus, vel in electionibus, vel in usu jurisdictionis, vel in administratione rerum Ecclesiæ, vel in aliis rebus ad pastorale munus pertinentibus. Primus ergo casus in hoc ordine sumi solet ab Angelo et aliis Summistis ex cap. ult., d. 18, ubi præcipitur Episcopo, ut dum provinciale Concilium cogitur, infra sex menses post celebratum Concilium convocet totam diœcesim, ut ei promulgentur, quæ in Concilio statuta fuerint. Sed ibi non imponitur pœna suspensionis, sed cujusdam excommunicationis duorum mensium; tamen Glossa, quoniam illa temporis determinatio excommunicationi repugnat, per excommunicationem, suspensionem intelligit. Et similis textus habetur in cap. unico, 10, quæst. 3. Quæ jura sunt Concilii Toletani XVI, c. 7, in collectione Loaysæ, ubi hæc pœna vocatur excommunicatio duorum mensium. Sed quæcumque illa fuerit, jam non est in usu etiam in Hispania, ubi Concilium illud coactum est; imo forte nunquam fuit in Ecclesia universaliter recepta.

8. *Secundus casus cap. Provida, de Elect., in* 6. — Secunda suspensio sumitur ex cap. Provida, de Elect., in 6, ubi per annum suspenduntur Episcopi, qui non servant constitutionem quamdam Concilii Lugdunensis, quæ habetur in cap. Quamvis, eodem titulo, per quam prohibetur Episcopis, vel Archiepiscopis, ne in causis spectantibus ad electionem Episcoporum, postquam ad Sedem Apostolicam appellatum est, se intromittant, etiamsi partes ab appellatione voluntarie recedant, nisi prius facta diligentia eis constiterit nullam fraudem vel pravitatem in tali negotio intercessisse. Et quamvis in d. cap. Provida, non fiat mentio de Episcopis, sed de judicibus inferioribus, ad quos via ordinaria talium negotiorum cognitio spectat, tamen ex multis circumstantiis constat illos judices esse non posse nisi Episcopos, vel illis superiores, scilicet Archiepiscopos, Patriarchas, etc. Quos omnes hoc loco nomine Episcoporum comprehendimus. Assumptum patet, primo quia electio Episcoporum res est gravissima; unde causæ pertinentes ad illam inter majores annumerantur, ut dicitur in dict. cap. Quamvis; ergo ordinaria de illis cognitio non potest nisi ad Episcopos pertinere, qui dicuntur inferiores judices comparatione Summi Pontificis, post illum vero sunt superiores. Secundo, quia ibidem dicitur, hos judices cognoscendo de his causis ad confirmandos et consecrandos electos procedere; at hoc Episcoporum munus est. Denique suspensio, quæ ibi imponitur, solum est ab Episcoporum confirmatione, ac consecratione, quæ suspensio in solis Episcopis locum habet. Unde est etiam considerandum, hanc suspensionem non incurri per violationem illius constitutionis Concilii Lugdunensis, donec ad confirmationem talis electionis, et

consecrationem sic electi procedatur. Unde, licet Episcopus post appellationem interpositam in tali causa cognoscat, præter formam præscriptam in dicto cap. Quamvis, non incurret hanc suspensionem, donec confirmet electionem, et consecret electum, quidquid Angelus, et Sylvester dicant, quia prædict. cap. Provida, solum suspendit confirmantes, et consecrantes eosdem; non ergo cognoscentes de causa, si ad prædictos actus non perveniant, sed solum acta in tali causa erunt irrita et inania, ut in eodem textu dicitur. Nonnullam tamen dubitationem habet, an, si Episcopus confirmet, non tamen consecret, vel e converso, talem suspensionem incurrat; nam ibi uterque actus simul et conjunctim videtur postulari. Respondeo probabilem quidem esse hanc partem, nihilominus probabilius videri, quemlibet ex illis actibus sufficere ad suspensionem sibi proportionatam incurrendam, id est ab usu seu exercitio actus male exerciti, juxta regulam in eodem textu positam, *ut in eo, in quo peccaverint, puniantur*.

9. *Tertia suspensio in Episcopos alienantes Ecclesiæ bona.* — Tertia suspensio sumitur ex cap. Hoc consultissimo, de Rebus Eccles. non alien., in 6, ubi suspenduntur Prælati Ecclesiarum, qui bona immobilia Ecclesiarum sibi commissarum laicis subjiciunt sine consensu Capituli, et speciali licentia Sedis Apostolicæ, nisi modo, et in casibus a jure permissis. Nam in primis tales contractus irritantur; deinde ipsi Prælati ab officio, et ab administratione ipso facto suspenduntur, et inferiores clerici a perceptione beneficiorum, quæ in tali Ecclesia obtinent per triennium suspenduntur, si scientes aliquid contra illam constitutionem attentari, id superiori non denunciaverint. Quæ suspensio annumerari poterat eis, quæ tractatæ sunt, sect. 3; huc tamen reservata est, quia est veluti annexa huic casui Episcopali, et non indiget alia expositione, nisi quod illi tunc incurrerent talem suspensionem, quando et sufficienter cognoverint delictum, et illud probare potuerint, et sine magno incommodo, seu morali periculo alicujus gravis nocumenti, illud potuerint denunciare, juxta superius tractata in simili in disp. 20. Suspensio autem hæc, quæ Prælatis imponitur, non est triennalis, sed absolute fertur, ita ut duret, donec per superiorem tollatur. Est autem talis suspensio simpliciter ab officio, a beneficio autem non simpliciter, sed solum ab administratione rerum temporalium talis Ecclesiæ sic gravatæ; ita enim moderandam censeo illam pœnam juxta materiam subjectam, et regulam illius textus, et aliorum similium. Dico autem illam non esse suspensionem a beneficio, quia ibi non exprimitur clare, nec implicite continetur, juxta principia superius posita.

10. *An contrahant hanc censuram Prælati inferiores habentes quasi Episcopalem jurisdictionem.* — Dubitari vero hic potest, an soli Episcopi, et superiores illis contrahant hanc censuram, vel etiam inferiores Prælati participantes jurisdictionem Episcopalem, et habentes Ecclesias Capitulares, scilicet Collegiatas, vel regulares sibi commissas. Videntur enim etiam hic comprehendi, quia in eos conveniunt omnia verba illius textus, qui fortasse non sine mysterio usus est potius nomine *Prælatorum*, quam *Episcoporum*, ut hos etiam comprehenderet. Item, quia lex illa non minus erat necessaria his Prælatis, quam Episcopis. In contrarium vero objici potest, quia si suspensio illa communis est aliis præter Episcopos, ergo non est propria Episcoporum; ergo cum in ea non fiat specialis mentio Episcoporum, non comprehendet illos, juxta cap. Quia periculosum, de Sentent. excom., in 6. Respondetur priorem partem sine dubio esse veram, ut probant priores rationes. Ad objectionem vero in contrarium respondetur negando sequelam, nam potius Episcopi primario ac per se illa lege comprehenduntur, inferiores vero Prælati quatenus munus Episcopale participant in administratione suarum Ecclesiarum. Unde, licet illa lex alios, qui Episcopi non sunt, comprehendat, non est ex illis generalibus legibus, de quibus loquitur cap. Quia periculosum, nam per se primo et quasi per antonomasiam est propria Episcoporum, licet communicetur aliis quasi per participationem, et analogiam quamdam.

11. *Quarta suspensio contra Prælatos occupantes bona Ecclesiarum vacantium.* — Quarta suspensio sumitur ex cap. Præsenti, de Offic. ordin., in 6, ubi suspenduntur Episcopi cum aliis inferioribus Prælatis, qui sibi usurpant sine justo titulo bona dignitatum, personatuum, prioratuum, vel quarumcumque Ecclesiarum vacantium, et ad ipsorum curam, seu provisionem pertinentium. Quem casum quantum ad inferiores spectat, supra, sect. 3, declaravimus; quantum vero pertinent ad Episcopos, si recte expendantur, non fertur ibi contra eos censura suspensionis, sed in-

terdicti; suspenduntur enim ibi Episcopi ab ingressu Ecclesiæ, donec restituant; suspensio autem ab ingressu Ecclesiæ, ut supra dixi, non est propria censura suspensionis, sed interdicti. Unde in cap. Exigit, de Censib., in 6, ex quo solet alia similis suspensio Episcoporum desumi, non utitur Pontifex verbo suspendendi, sed interdicendi. Agitur enim ibi de non recipiendis in pecunia procurationibus nec muneribus ab Ecclesiarum visitatoribus, eorumque familiaribus; quæ si aliqui receperint, duplum ejus quod receperint, Ecclesiæ, a qua receperint, infra mensem reddere præcipiuntur, et subditur : *Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes ingressum Ecclesiæ sibi sentiant interdictum.* Similisque pœna fertur in Extravag. unic. de Reb. Eccles. non alien., ubi Episcopus, vel Abbas Ecclesiæ, bona alienans contra illam constitutionem, ab ingressu Ecclesiæ interdicitur; quæ etiam non est censura suspensionis, sed interdicti. Statim vero subjungitur ibi alia suspensio, quæ posset hic distincte numerari; nam si in illo interdicto per sex menses obduratio animi perseveraverit, ab administratione suæ Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus suspenditur absolute et simpliciter, et absque temporis limitatione.

12. *Quinta suspensio. — Sexta suspensio. — Septima. — Octava.* — Quinta suspensio sumitur ex Extravag. 2 Pauli II, in Bullario Rom., ubi Episcopus commissarius, vel delegatus in causa alienationis rerum Ecclesiasticarum, *si per gratiam, timorem, aut sordes in detrimentum Ecclesiæ utatur potestate sibi commissa, ab executione officii per annum suspenditur, ita ut, si damnabiliter se ingerat divinis suspensione durante, irregularitatem incurrat, quam solus Papa possit auferre.* De qua constitutione diximus supra agentes de excommunicationibus reservatis Papæ, et ibi dicta hic cum proportione applicanda sunt. Alia vero suspensio, quæ sumi potest ex Extravag. *Ambitiosæ,* de Reb. Eccles. non alien., et potest hic esse sexta, declarabitur melius infra in materia de Interdicto. Item numerari hic posset alia suspensio lata a Joanne XXII, in Extravag. *Salvator,* de Præbend.; tamen quia solum attingit specialem causam Episcopatus Tolosani, illam omitto, sicut etiam attigi supra tractando de excommunicationibus reservatis. Legitur alia suspensio quoad Pium V, Constitutione sua 58, quæ incipit *Quanta.* Quæ quidem primo fertur in Episcopos; extenditur autem ad quoscumque beneficiorum collatores, sive singulares personæ sint, sive Capitula. Ratio vero incurrendi illam suspensionem est, si admittant resignationes beneficiorum contra formam ibi præscriptam; suspensio vero est a collatione vel institutione beneficii, quæ tali personæ convenit. Quam rem supra etiam attigimus agentes de excommunicationibus Papæ reservatis, disp. 22, sect. 5.

In Episcopos aliis modis delinquentes.

13. *Prima in Episcopos foventes usuras. — Contra quod usuræ vitium censura hæc sit lata.* — Tertio feruntur variæ suspensiones in Episcopos propter alia delicta. In quo ordine prima sumitur ex cap. 1 de Usuris, in 6, ubi Patriarchæ, Archiepiscopi, et Episcopi ipso facto suspenduntur, si domos suas locent vel sub alio titulo concedant ad fœnus et usuram exercendam hominibus alienigenis, vel aliis non oriundis de terris ipsorum, tam illicitam negotiationem publice exercentes, vel etiam si eos in terris suis habitare permittant. Circa quam prohibitionem et censuram nonnulla consideranda sunt. Primum est peccatum illud, in cujus odium illa constitutio facta est, esse peccatum usuræ, non quomodocumque exercitum, sed quasi ex officio et per modum publicæ negotiationis. Nam licet usuræ vitium absolute et in universum detestandum sit, tamen Ecclesiastica jura quæ pœnas statuunt contra hos usurarios, vel eos coercere intendunt, denegando illis aliqua subsidia aliorum fidelium, ut suavius procedant, de publicis fœneratoribus tantum loquuntur, ut patet in prædicto textu, et in Concilio Lateranensi sub Alexandro III, part. 1, cap. 25. Quanquam, ut locum habeat constitutio dict. cap. 1, non est necesse ut prius hanc negotiationem publice exercuerint; sed satis est, ut ex tunc exercere velint, ut patet ex illis verbis, *Exercentes aut exercere volentes.* Non quod interiorem usuram, seu voluntatem fœnerandi hoc jus puniat; hoc enim et est contra generale principium, quod Ecclesia non judicat de occultis, et contra specialem decisionem illius decreti, quæ solum est contra usurarios publicos, ut constat ex verbis ejus; sed sermo est de voluntate exterius et publice contestata, ita ut aliquis publice profiteatur se velle hanc negotiationem exercere, et ad hunc finem velle

vivere in hac civitate, vel locare domum, etc. Unde cum statim in illo textu dicitur, hujusmodi publicos usurarios non esse permittendos, vel inter usurarios jam computantur publice profitentes se velle eam negotiationem exercere; vel sensus est, ut non permittantur illi, qui jam sunt, vel esse volunt publice usurarii.

14. *De quibus usurariis loquatur dict. cap. 1.* — Rursus considerandum est in prædicto textu non de omnibus his usurariis, sed de alienigenis, et non oriundis in talibus terris, sermonem esse. Itaque si quis locet domum indigenæ terræ publico fœneratori, non incurret censuras illius canonis, neque aget contra prohibitionem ejus, quidquid sit de alio genere culpæ contra jus naturale, de quo alibi. Ratio est, quia verba illius textus expresse limitant legem illam ad prædictas personas. Cur autem id fecerit Gregorius X, multæ rationes considerantur ibi in Glossa, verb. *Alienigenis*. Nobis sufficiat Pontifici visum esse, per hoc sufficienter provideri publicæ necessitati; nam si externi et alienigenæ abigantur, seu non admittantur, non erit difficile domesticos, et indigenas aliis modis facilioribus corrigere. Præsertim quia frequenter videmus hujusmodi artem per alienigenas exerceri, quod credibile est observatum esse illo tempore ab auctore canonis; leges autem humanæ considerant id quod frequentius accidit; et ideo contra illas personas specialiter lata est lex.

15. *Quæ actiones prohibeantur Episcopis contra hos usurarios. — Quæ personæ incurrant censuras et pœnas dict. c. 1. — Quæ suspensio sit quæ in dict. cap. 1 fertur.* — Tertio est considerandum duo ibi præcipue prohiberi : unum est, ne his usurariis peregrinis domus locentur, vel quocumque modo concedantur, aut semel concessæ, haberi permittantur. Secundum est, ne terram inhabitare permittantur, sed ab illa ejiciantur. Primum horum pertinet non solum ad publicas personas, sed etiam ad privatas; secundum vero specialiter spectat ad personas publicas, ad quas pertinet regimen Reipublicæ, nam privatæ personæ non possunt quemlibet quantumvis criminosum a terra, vel civitate ejicere. Quarto advertendum est, legem illam generalem esse, et comprehendere, tam personas singulares, quam collegia, seu universitates; tamen censuram, quæ eis imponitur, esse diversam; nam Patriarchæ, Archiepiscopi, et Episcopi suspenduntur; inferiores vero, seu reliqui omnes, tam laici quam Ecclesiastici, excommunicantur; communitates vero interdicuntur. Ultimo observare licet, hic haberi exemplum suspensionis latæ simpliciter, et sine ulla determinatione officii vel beneficii. Unde ne incerta maneat suspensio, vel ne nimis ample, aut rigorose explicetur, posset quis juxta subjectam materiam, illam limitare, ut scilicet intelligatur de suspensione a jurisdictione. Verius tamen credo intelligendam esse de suspensione ab officio et beneficio. Tum quia hoc sonant verba in omni proprietate sumpta; tum etiam quia non solum male utendo jurisdictione, sed etiam locando proprias domos possunt illam incurrere; tum denique quia non est illa pœna nimis rigorosa in peccato adeo publico, et communi bono contrario, majorque est pœna excommunicationis, quæ pro aliis personis fertur.

16. *In Episcopos munere Inquisitorum abutentes. — Duplex prohibitio hujus canonis.* — Secunda suspensio sumitur ex Clement. 1, § Verum, de Hæret., ubi suspenduntur per triennium ab officio, et Episcopi, et superiores, *qui odii, gratiæ, amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, contra justitiam, et conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super hujusmodi pravitatem (scilicet hæresis), aut obtentu eodem pravitatem ipsam, vel impedimentum officii sui,* scilicet Inquisitionis, *alicui imponendo.* Quod quidem præceptum commune est aliis Inquisitoribus, qui non sunt Episcopi; illis vero non imponitur censura suspensionis, sed excommunicationis, ut patet in textu. Hic vero statim occurrebat declarandum, quomodo hæc censura feratur propter malitiam mere internam, qualis est odium, etc.; sed hoc sufficienter tractatum est in superioribus, ut diximus, non ferri propter malitiam internam, sed propter injustitiam ex tali pravo animo procedentem, de qua re latius in materia de Legibus. Hic ergo solum occurrit advertendum, duas esse partes, et quasi materias illius peccati, scilicet malitiose contra aliquem procedere causa hæresis, vel in alia, quæ Inquisitores in executione officii Inquisitionis impediat. Ad officium autem Inquisitoris primo et per se pertinet cognoscere de his, qui delinquunt in peccato hæresis; tamen etiam extenditur ad alia crimina, quæ non sunt hæresis, inferunt tamen quamdam suspicionem propter aliquam affinitatem, vel participationem. Quoad

primam ergo partem videtur limitanda hæc censura ad propriam pravitatem hæresis, ita ut si Episcopus, vel Inquisitor delinquant procedendo injuste ex odio in aliis delictis, quæ non sunt hæresis, non incurrent has censuras, quia textus loquitur de pravitate hæresis, et illa crimina non sunt hæresis; et pœnalis lex ad verborum proprietatem restringenda est. At vero posterior pars absolute intelligenda est de toto officio Inquisitoris circa quodlibet crimen versetur, quia verba textus non sunt limitata, sed simpliciter loquuntur de officio Inquisitoris. In utroque autem casu necesse est, ut ex odio, vel amore procedant, sicut in textu dicitur. Unde si ex negligentia, aut ex metu delinquant, non incurrent, ut recte ibi colligit Gloss., quam Antonin., 3 parte, cap. 24, § 7, Sylvest., Navarr., et alii sequuntur, et Cajetan., cap. 3. Qui etiam ex textu advertit, necessarium esse, ut contra justitiam et conscientiam delinquant, ita ut sit peccatum ex certa scientia; nam si esset ex ignorantia, non sufficeret; et e contrario, si esset ex conscientia erronea, et in re non esset injustitia, multo minus sufficeret.

17. *In Episcopos delinquentes contra clericorum immunitatem.*—Tertia suspensio sumi videtur ex Clement. 2, de Pœnis, ubi Prælati Ecclesiæ, qui procurant, ut clerici capiantur a dominis temporalibus, ut beneficia renuncient, vel ut citati ad Apostolicam Sedem ab homine, vel a jure, ire ad ipsam non possint, per triennium suspenduntur a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum. Dixi autem *sumi videtur,* quia dubitare quis potest, an hæc suspensio ad Episcopos pertineat, cum eorum expressa mentio non fiat; valde enim generalis est *Prælatorum* appellatio; et ideo ex vi illius non videntur Episcopi comprehendi, juxta cap. Quia periculosum, de Sentent. excomm., in 6. Nihilominus verisimilius videtur, hac lege etiam Episcopos comprehendi; imo illos ibi præcipue, et quasi per antonomasiam significari nomine *Prælatorum.* Quod Glossa, et Abbas tanquam certum supponere videntur, nullam de hoc facientes quæstionem. Nam et ipsa vox *Prælatorum* simpliciter dicta præcipue solet Episcopos significare; et materia illius constitutionis maxime potest ad Episcopos pertinere, et pro eis esse necessaria. Et præterea pro inferioribus clericis alia gravior pœna ibidem ponitur, scilicet privatio omnium beneficiorum; ergo suspensionis pœna imponitur pro superioribus Prælatis, atque adeo pro Episcopis. Dixi autem videri hic fieri hanc suspensionem, quia dubitari potest, an ipso jure feratur. Verba enim textus sunt, *Sit suspensus,* quæ aliqui putant non indicare censuram latam, sed ferendam, quia sunt de futuro. Mihi autem videntur habere vim ferendi ipso jure, quia non sunt ita de futuro, ut postulent actum hominis, qualia sunt, *fiat suspensus,* aut, *suspendatur;* sed sunt de inesse, seu solum respiciunt futurum, ut indicant suspensionem pro illo tempore duraturam, magisque sunt imperativi modi efficaciter imponentis censuram, quam de futuro.

18. *Quam pœnam incurrant Prælati inferiores hoc crimen committentes.* — Merito autem dubitari potest, an Prælati inferiores Episcopis, qui illud crimen committunt, incurrant hanc pœnam suspensionis, vel aliam privationis beneficiorum; hi enim comparatione Episcoporum sunt inferiores; ibi autem de inferioribus sine limitatione dicitur, ut sint privati beneficiis suis. Præterea ibi non dicitur, *inferiores clerici,* sed simpliciter *inferiores;* ergo intelligitur respective ad præcedentia ; ergo comprehendit inferiores etiam Prælatos. Nihilominus existimo hanc suspensionem non esse omnino propriam Episcoporum, sed extendi ad inferiores Prælatos tam regulares quam seculares, et præsertim ad eos, qui participant Episcopalem jurisdictionem. Nam nomen Prælatorum simpliciter dictum hos omnes comprehendit, et nomine *inferiorum,* quod postea subjungitur, respective quidem intelligendi sunt, non Prælati inferiores, ut aliqui exponere videntur, alias illa pœna non extenderetur ad alios clericos, qui non sunt Prælati, sed intelliguntur inferiores in dignitate, id est, omnes qui Prælati non sunt, vel, quod in idem redit, inferiores, id est, subditi ipsorum Prælatorum.

19. *Quæ personæ incurrant pœnam dict. Clement., et ob quod crimen.* — Est autem circa causam hujus suspensionis advertendum, cum in hoc crimine duæ personæ concurrere supponantur, scilicet capiens clericum seu carceri tradens injuste per potestatem laicam, et id procurans, in illo textu pœnam non ferri contra temporales dominos capientes hujusmodi, sed contra procurantes, non omnes, sed eos, qui sunt Ecclesiasticæ personæ. Nam etiam laici possunt hujusmodi capturam procurare; et tamen nulla speciali pœna afficiuntur, ut ex textu constat, et ex ipsa pœna; nam illi non sunt suspensionis capaces. Et

ratio fortasse fuit, quia delictum illud habet specialem deformitatem in personis Ecclesiasticis, et ideo speciali pœna afficiuntur, nam pro aliis est sufficiens excommunicationis pœna, quam incurrunt ex vi canonis *Si quis suadente.* Hinc vero colligitur, si Episcopus procuret clericum incarcerari ab alio Episcopo, utente titulo jurisdictionis spiritualis, ob easdem injustas causas, scilicet, ut renunciet beneficium, vel impediatur, ne ad Sedem Apostolicam citatus accedat, non incurrere hanc censuram, quia solum fertur in eum, qui hoc procurat, *per potestatem secularem dominorum temporalium,* ut ex textu aperte constat. Dico autem *utente jurisdictione spirituali,* quia si Episcopus esset simul dominus temporalis, et sub ea ratione induceretur ab altero Episcopo, ut dominio temporali utendo, clericum incarceraret ob aliquem ex prædictis finibus, tunc sine dubio incurreret hanc censuram, ut sentit ibi Glossa, verb. *Dominium,* et Panormitan., in princip. Et ratio est, quia textus absolute loquitur de dominis temporalibus; quod autem hoc dominium sit conjunctum cum dignitate Episcopali in eadem persona, non impedit, quominus ille sit vere dominus temporalis.

20. *Quid de Episcopo qui simul est dominus temporalis, et ut sic clericum capit.* — Sed quid dicendum est de ipsomet Episcopo, qui simul est dominus temporalis, qui non procurat, ut alius temporalis dominus clericum capiat, sed ipsemet illum capit, ut dominus temporalis? numquid incurret hanc censuram? Videtur enim non incurrere, tum quia censura lata est contra procurantes, non contra capientes; tum etiam quia lata est contra personas Ecclesiasticas; ille autem tunc non se gerit ut Ecclesiastica persona, sed ut dominus temporalis. Nihilominus tamen non videtur separabilis transgressio hujus legis ab illo delicto; nam dominus temporalis, qui clericum capit aut detinet prædicto modo, necessario procurat ut capiatur, præcipiendo aut mittendo ministros suos; omnia enim hæc sub verbo procurandi comprehenduntur. Neque est necesse, ut ipsa procuratio semper fiat apud ipsum dominum seu superiorem. Quod autem id faciat ut utens potestate et dominio temporali, nihil refert, si ipsemet persona Ecclesiastica sit, quia non est necesse, ut id procuret ut Episcopus, sed solum ut ille, qui procurat, sit Episcopus, ut ex textu constat, et per se est satis notum. Quin potius licet fingeremus hujusmodi dominum temporalem, qui simul est Prælatus, per se ipsum, et non per alium, sic capere vel incarcerare clericum, nihilominus incurreret hanc censuram, quia per se et apud se, ut ita dicam, satis procurat hujusmodi violentiam seu capturam.

21. *Quando compleatur causa hujus censuræ.* — Tandem inquiri potest, quando compleatur hoc delictum, ita ut incurratur censura, an scilicet sufficiat captura ipsa, vel oporteat sequi effectum per illam intentum. Nam quod procuratio sola non sufficiat, nisi saltem ad incarcerationem perveniatur, manifestum est, tum ex regula generali, quod censura requirit delictum completum, tum ex textu ipso, quia non imponit hanc pœnam nisi supposita injuria facta clericis contra cap. Si quis suadente. Quæ injuria in illo casu non est alia nisi incarceratio et injusta detentio. Hinc vero fieri videtur, statim post talem incarcerationem incurri suspensionem, sicut incurritur excommunicatio, nam textus dicit: *Præter sententiam canonis, quam incurrunt, sint suspensi,* etc. Item, quia in illo textu fertur hæc pœna contra procurantes talem capturam; ergo non est necessarium alium expectare effectum. Nihilominus dicendum censeo, non incurri hanc censurum, nisi perveniatur ad effectum per censuram intentum, id est, nisi clericus sic captus beneficio resignet propter talem vim, aut nisi eam ob causam non compareat ante Apostolicam Sedem tempore sibi præscripto. Ita tenet Bernard. Diaz de Lugo, in Practica criminali, cap. 104. Et præter generalem regulam, quod delictum debet esse consummatum, colligitur ex textu, ubi in principio sic dicitur : *Ecclesiasticos capere, captosque donec sua resignent beneficia, aut ne citati ad Apostolicam Sedem venire valeant, ausu sacrilego detinere non verentur.* Et infra subditur, procurantes hæc fieri, manere suspensos; ergo non satis est captura, nisi sit cum detentione usque ad resignationem beneficii vel usque ad impotentiam comparendi debito tempore.

22. *Aliæ suspensiones in Episcopos, Extravagant. 2 de Elect., Joannis XXII.* — Quarta suspensio sumitur ex Extravag. 2 de Elect., Joannis XXII, ubi Episcopus, qui non servat Extravagantem illam quoad perceptionem fructuum primi vel secundi anni sui Episcopatus eo modo, quo ibi statuitur, a Pontificalibus et ingressu Ecclesiæ suspenditur; eadem Extravagans habetur sub titulo Ne Sede vacante, inter communes; et circa eam solum occurrit notandum sub uno verbo in latiori

significatione sumpto duplicem censuram ferri; nam illa suspensio ab ingressu Ecclesiæ, ut sæpe dixi, interdictum potius est, quam suspensio, argum. Extravag. *Ambitiose,* de Rebus Eccles. non alienan. Illud præterea est in illo textu advertendum, verba illa : *Donec prædicta cum integritate restituerint,* etc., conjungenda esse non solum cum proxime præcedentibus verbis, sed etiam cum superioribus, quibus dicta suspensio fertur, nam omnia illa verba suspensa sunt usque ad perfectum sensum illius clausulæ, quæ unica tantum est. Atque ita illa suspensio non fertur ut perpetua, sed ut non auferenda, nisi sub illa conditione, *donec restitutio fiat.*

23. *Extravag.* 1 *de Elect.* — Quinta sumi potest ex Extrav. 1 de Elect., inter communes, ubi Episcopi, Abbates vel Prælati religionum, qui ab Apostolica Sede confirmationem recipiunt aut ab ea promoventur, si absque litteris authenticis ejusdem Sedis administrationem suarum Ecclesiarum recipiant, ab administratione fructuum earumdem Ecclesiarum suspenduntur. Quamvis enim ibi non utatur Pontifex verbo suspensionis, tamen re ipsa suspensionem imponit per effectus ejus, dum irritat omnia gesta in hujusmodi regimine per tales Prælatos, eosque proventibus privat. Atque ibidem subditur alia suspensio contra Capitula, vel conventus talium Ecclesiarum, qui hujusmodi Episcopos, vel superiores sine talibus litteris recipiunt; suspenduntur autem a beneficiis, donec ab eadem Sede Apostolica gratiam recipiant. Ubi obscurum manet, an singulæ personæ de Capitulo a suis beneficiis suspendantur, vel a communibus beneficiis, ut sic dicam, totum Capitulum. Sed de hac re supra egimus generalem doctrinam tradendo.

24. *In Episcopos concubinarios.* — Sexta sumi potest ex Concilio Tridentino, sess. 25, c. 14 de Reformat., ubi Episcopus si (quod absit) concubinarius sit, et a Synodo Provinciali admonitus, se non emendaverit, ipso facto suspenditur. Ubi non requiritur trina admonitio, sed una tantum; tamen nisi ea præmittatur, quod raro fiet, quia raro talia Concilia celebrantur, non incurretur. Quando vero censendus sit Episcopus non emendari post admonitionem, ut statim hanc suspensionem incurrat, in similibus superius tactum est; nam cum teneatur statim et sine dilatione emendationem exhibere, nisi statim etiam et absque morali dilatione tollat occasionem delicti et scandali, si adsit, ipso facto illam suspensionem incurret. Quæ suspensio absolute fertur, et sine limitatione temporis, officii aut beneficii, et ideo ex se omnia complectitur.

25. Atque ex his fere explicatæ sunt suspensiones, quæ adversus Capitula Ecclesiarum jure latæ sunt, nam in præcedente quinta unam attigimus, et aliam supra in prima suspensione. Alia item sumi potest ex c. Quia sæpe, de Electione, in 6, quam supra declaravi sect. 3, casu 3.

SECTIO VI.

Quæ suspensiones sint ipso jure latæ, specialiter contra religiosos.

1. *Prima contra apostatas Ordinem sacrum recipientes, cap. ultim. de Apostatis.* —Prima sumitur ex cap. ultimo de Apostatis, felturque in religiosos apostatas, qui in apostasia perseverantes, Ordinem sacrum suscipiunt; nam ab illo suspenduntur. Circa quam est notandum, hanc pœnam non fundari in aliqua priori censura quam incurrant apostatæ, sed præcise in ipso apostasiæ vitio, cui est annexa ex vi illius juris hæc inhabilitas seu quasi irregularitas ad Ordines, quamdiu illud durat; hoc enim significant illa verba textus, *aliquem sacrum Ordinem in apostasia recipiens.* Unde licet apostata ut sic non sit excommunicatus antiquo jure, hanc suspensionem incurrit suscipiens Ordinem, et modo si excommunicatus sit, vel propter dimissionem habitus, juxta cap. 2 Ne clerici vel monachi, in 6, vel propter ipsam apostasiam, juxta indulta religionum, duplicem suspensionem incurrit, si ita ordinetur, unam quia excommunicatus, aliam quia apostata ordinatur; nam hæ duæ pœnæ non sunt incompossibiles, ut una aliam excludat; nec una in aliam commutata est, sed unaquæque propter suam rationem absolute imposita. Unde, licet ab excommunicatione absolveretur, priusquam ad religionem rediret, et interim ordinaretur, aliam suspensionem vitaret, non vero præsentem.

2. *An incurratur suspensio hæc suscipiendo minores Ordines. — Prima opinio. — Vera sententia. — Cap. Placuit, dist.* 50, *cap. ult., dist.* 50. — Hoc supposito dubitari primo potest, an hæc suspensio incurratur suscipiendo tantum minores Ordines in apostasia. Communis enim opinio affirmat, ut refert et sequitur Panormitanus, dict. cap. ultim., et

significant Antonin., 3 part., tit. 27, cap. 4, Sylvester, verb. *Ordo,* 5, quæst. 6, quatenus de Ordine absolute loquuntur, et uterque citat extra eodem *Apostata,* nullum tamen invenio decretum ita incipiens sub titulo de Apostatis, vel de Sentent. excomm.; videntur ergo citare dict. cap. ultim. de Apostatis, et errorem esse typographorum. Eamdem opinionem tenet Maiol., lib. 2 de Irregul., c. 1, num. 15, qui alia jura refert. Addit vero Panormitan., suspensionem contractam per receptionem Ordinis sacri, esse Pontifici reservatam, aliam vero esse Episcopalem. Et fundari in hoc videtur, quod in dicto capite ultimo sola prior reservatur. Sed hinc certe melius inferret solam priorem incurri. Dico ergo hanc suspensionem non incurri propter solam receptionem minorum Ordinum. Probatur, quia vel ex vi dicti capitis ultimi, vel alterius; neutrum dici potest; ergo non incurritur, quia, ut sæpe dixi, suspensio non incurritur ipso facto, nisi sit in jure lata. Minor ergo quoad priorem partem probatur, quia ibi expresse dicitur, *aliquem sacrum Ordinem.* Et lex pœnalis non est extendenda, maxime ubi non est similitudo rationis; longe enim gravius est suscipere Ordinem sacrum in illo pravo statu, quam minorem. Confirmatur argumento insinuato contra Panormitanum, quia sola suspensio Ordinis sacri censetur reservata Pontifici ex vi illius textus, quia de illa sola ibi est mentio facta; ergo eadem ratione illa sola lata est ex vi illius textus, quia etiam quoad impositionem, tantum illius mentio facta est. Altera pars probatur, quia duo tantum alia jura citantur ad hanc rem. Primum est cap. Placuit, d. 50; sed ibi non de hoc agitur, sed de his, qui publicam pœnitentiam egerunt, qui dicuntur non admitti ad clerum, et de his dicitur in casu necessitatis admitti posse ad minores Ordines. Secundum est cap. ult., eadem dist., ubi de his apostatis dicitur : *Jubemus ad clericatus officium non admitti.* Quæ verba pœnam ferendam, non latam continent. Præterquam quod illud decretum est Concilii provincialis Arelat. II, c. 25, quod nec universaliter obligat, nec fortasse propriam irregularitatem inducere poterat. Ac denique ibi solum jubentur hi non ordinari; non dicitur autem, ut, si ordinati fuerint, suspensi maneant.

3. *Quid impediat suspensio hæc.* — Dubium secundum est, quid impediat suspensio hæc. Primum certum est, impedire usum Ordinis sic suscepti, ita enim dicitur in textu. Unde secundo est certum, non impedire usum alterius Ordinis prius rite suscepti, quia in textu additur illa determinatio. Tertio constat impedire ascensum ad superiores, licet aliqui Canonistæ contradicant; sed hæc est communior sententia Panormitani et aliorum, et satis constat ex generali doctrina superius data.

4. *Religiosus transiens indebite ad aliam religionem, an incurrat. — Opinio negans. — Sententia affirmans.* — Tertio dubitari solet, an religiosus transiens indebite ad aliam religionem hanc suspensionem incurrat. Dico indebite, nam si transeat ex facultate vel dispensatione sufficiente, nulla est quæstio, cum ille nullo modo dici possit apostata. Imo licet transeat indebite quoad modum, ut, v. gr., quia transivit ad arctiorem sine licentia petita, si tamen jam professus est alibi et professio valuit, certum est non incurrere hoc impedimentum, quia nullo modo est apostata. Et ita declaratur in cap. Ex parte, de Temp. ordin. Dubium ergo est, quando transitus est iniquus et occultus, ita ut semper quis teneatur ad suam religionem redire. Quidam ergo asserunt etiam tunc non incurrere hanc suspensionem, licet in eo statu ordinetur; significat Glossa in dicto cap. ultim., quia indistincte respondet. Et Panormitanus etiam exponit de transeunte in casu non concesso. Idem Maiol., dicto num. 15. Et videtur sententia communis, quia communiter hic non censetur apostata, quia non deficit a religione, ut sic. Et licet aliqui Canonistæ vocent illum apostatam, dicunt saltem, non esse illam propriissimam apostasiam; lex autem pœnalis restringenda est ad significationem maxime propriam et rigorosam. Sed hæc quæstio pendet ex alia, an sit vere apostata transfuga ab una religione ad aliam, in qua juxta institutionem et indulta Apostolica non potest valide profiteri, et consequenter nec permanere, quam in opere de religione, quod præ manibus habemus, ex professo tractamus, cum aliis multis de apostasia a religione, ex quibus intelligentia hujus suspensionis pendet. Nunc breviter assero illum esse vere apostatam et incurrere in pœnam hujus legis. Quod tenet Glossa, dicto cap. Ex parte, verb. *Libere*, de Tempor. ordin., et ibi Abbas, et alii. Ratio mea est, quia relinquens statum suum religiosum, et alium valide non assumens, absolute dimittit religiosum statum, et ideo est verus apostata, et ita appellatur simpliciter a Pontificibus, et ut talis punitur, ut latius dicto loco.

5. *Dubium. — Ratio dubii. — Conclusio. — Ratio dubitandi enodatur.* — Quartum dubium est, an, si religiosus, qui prius apostata fuit, post reconciliationem, absolutionem et reditum ad suam religionem, ordinetur sine dispensatione, maneat suspensus. Et ratio dubitandi sumitur ex illis verbis textus : *Quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati et receperit pœnitentiam,* etc. Ubi expresse videtur hoc definiri. Et potest ita explicari, quia per illud crimen contrahitur quoddam genus irregularitatis seu inhabilitatis ad Ordines suscipiendos; ergo licet peccatum sit ablatum vel alia censura, donec in illa irregularitate vel inhabilitate dispensatum sit, non potest quispiam Ordines assumere, et si assumat, manebit suspensus. Nihilominus dicendum est in eo casu non incurri suspensionem hanc, sed eo ipso quod aliquis est ab apostasia liber et ab aliis censuris, posse ordinari absque nova dispensatione, et recipere non solum Ordinem, sed etiam Ordinis executionem. Ita notavit additio ad Abbatem in dict. cap., ex Innocentio et aliis Doctoribus ibi. Et colligi potest ex illo verbo text. : *In apostasia sacrum Ordinem recipiens;* nam qui apostasiam commisit, si jam ab illa recessit, non potest dici, in illa Ordines recipere. Ratio autem dubitandi in contrarium procedit ex mala intelligentia textus. Non enim est sensus, quod qui fuit apostata, quantumvis fuerit reconciliatus Abbati vel pœnitentiam egerit, maneat suspensus recipiendo Ordines, sed sensus est, quod qui receperit Ordines in apostasia manens et antequam de illa pœnitentiam egerit, Ordines susceperit maneat suspensus, et ab ea suspensione non liberetur, etiamsi postea reconcilietur vel pœnitentiam agat apostasiæ, nisi etiam dispensationem a suspensione obtinuerit. Et hoc modo et non alio imposita est illa prohibitio.

Secunda, circa professionem religiosorum.

6. *Cap. Non solum, de Regularibus, in 6. — Cap. Constitutionem, eodem. — Quod subjectum suspensionis hujus. — Conclusio.* — Secunda suspensio habetur in cap. Non solum, et cap. Constitutionem, de Regularibus, in 6, ubi in priori religiosi ordinum Prædicatorum et Minorum suspenduntur a receptione quorumlibet ad professionem suæ religionis, si aliquem ante completum probationis annum ad professionem recipiant. In alio vero Capitulo extenditur pœna ad omnes ordines mendicantes. Circa quam suspensionem solum video dubitari posse, an feratur in Capitulum, vel etiam in singulas personas. Et ratio dubii esse potest, quia potestas recipiendi ad professionem ordinarie in religionibus residet apud Capitulum; nam, licet professio fiat in manibus solius Prælati, tamen potestas recipiendi est in toto Capitulo; hæc autem suspensio proxime fertur in eum, qui hanc habet potestatem; ergo immediate fertur in ipsum Capitulum. Diximus autem supra, propter suspensionem Capituli non suspendi singulas personas nisi in quantum sunt membra ipsius Capituli. Atque ita fiet, ut licet Capitulum unius domus sit hac ratione suspensus, particulares personæ, si ad alias domos inhabitandas transferantur, illic possent suffragium habere in Capitulo ad hujusmodi actum, quia non sunt suspensi nisi ut partes alterius Capituli, quod jam esse desierunt. Nihilominus probabilius credo, et Prælatum præcipue, et singulas personas, quæ in tali receptione suffragium habuere, manere suspensas, quia verba Pontificis non ad Capitulum tantum, sed ad singulas personas diriguntur, ut patet ex illis verbis : *Vosque a receptione,* etc. Et signum etiam est, quia eisdem, quibus hanc suspensionem imponit, prius in virtute obedientiæ, et sub pœna excommunicationis mandaverat, ne id facerent; at vero pœna excommunicationis non habet locum erga Capitulum ; ergo signum est totum sermonem immediate dirigi ad singulas personas; ad Capitulum autem quatenus ex illis constat.

7. *An ordo Minimorum et Societatis Jesu hac constitutione comprehendantur.* — Hic etiam dubitari posset, an hæc constitutio et suspensio locum habeat in ordine Minimorum et in Societate Jesu, quæ inter ordines mendicantium non erant, quando illa constitutio lata est; illa autem constitutio solum videtur comprehendere ordines mendicantium, qui tunc erant instituti. Respondeo hoc non obstare, quominus illa constitutio ad prædictas religiones se extendat; nam lex, quæ perpetua est, non tantum obligat eos, qui nati erant eo tempore quo ipsa fertur, sed etiam eos, qui nascuntur toto tempore quo ipsa durat. Est autem hæc lex perpetua, et ideo ex hac parte obligare potest quamcumque religionem mendicantem postea institutam aut approbatam. Aliunde vero ex defectu materiæ non habet locum hæc constitutio in Societate, moraliter loquendo, quia in ea nullus

ad professionem suscipitur, imo neque ad simplicia vota ejusdem religionis, etiam post unum tantum annum probationis, nedum ante illum completum. Nihilominus tamen, si Generalis, apud quem est hæc potestas, aliquem ad professionem admittere tentaret ante expletum unum probationis annum, hanc (ut opinor) suspensionem incurreret, quia jus proprium illius religionis, licet plus temporis exigat, et in hoc aliquid addat juri communi, tamen quantum ad necessitatem unius anni, non tollit, sed supponit jus commune; et ideo qui illud violat, etiam incurret pœnam jure latam. Quod secus esset, si post completum annum, ante completum biennium ad professionem aliquis admitteretur; nam licet demus Prælatum male agere, non tamen incurret hanc suspensionem, quia non violat jus commune, sed proprium; hæc autem pœna solum est lata in eos, qui jus commune violant. Neque propter similitudinem, vel proportionem extendenda est, quia, ut sæpe dixi, in pœnalibus legibus hoc locum non habet. Et eadem ratione existimo non posse hanc suspensionem extendi ad superiorem, qui in eadem religione novitium admitteret ad simplicia vota ejusdem religionis ante expletum biennium. An vero idem dicendum sit, si eadem vota admittantur ante unum annum probationis, majoris est considerationis, quam remittimus in dictum opus de Religione, ubi de hoc ex professo disserimus.

Tertia et quarta, circa usum temporalium bonorum.

8. Tertia suspensio contra religiosos fertur in Clementina 1 de Rebus Eccles. non alien. Ubi religiosus præsidens alicui monasterio, prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi cuivis, concedens alicui ad vitam, vel ad certum tempus jura, redditus, aut possessiones ejusdem religionis sine sufficienti necessitate, aut utilitate, et consensu superioris, ab officio ipso facto suspenditur, absque ulla alia determinatione temporis, vel officii. Ubi circa causam hujus suspensionis solum est advertendum non extendi ad locationem seu venditionem fructuum, quæ ad breve tempus fit, ut in eodem textu explicatur; sed intelligi de alienatione ad vitam, vel ad tempus diuturnum, quale esset ultra triennium, secundum jura, et communem interpretationem. Circa pœnam vero ipsam dubitari posset, an illa particula, *Ab officio,* limitanda sit ad officium, de quo ibi est sermo. Sed certe nulla est ratio vel conjectura sufficiens ad eam interpretationem adhibendam; et ideo verba ut sonant censeo simpliciter esse intelligenda. Sed de hoc etiam plura in citato opere de Religione.

9. *Clement. 1 de Decimis.* — Quarta suspensio sumitur ex Clementina 1 de Decimis, ubi religiosi, qui sibi appropriant, vel inique usurpant decimas ad se non pertinentes, vel in hoc defraudantes Ecclesias aliquo ex modis, qui ibi narrantur, si intra duos menses non satisfecerint, ab officii, et beneficii administratione suspenduntur, donec restituant. Quod si officia aut beneficia non habeant, ipso facto excommunicantur, ita ut absolvi non possint, donec satisfaciant. Ubi circa verbum *præsumpserint,* ponderandum est quod sæpe dixi, an scilicet si hujusmodi actio fiat ex aliqua ignorantia, quia religiosi putant se habere privilegium, vel excusari antiqua consuetudine, nam tunc cessat præsumptio, etiamsi ignorantia admodum probabilis non sit. Similiter ponderanda sunt verba, *appropriare, usurpare, retinere, prohibere,* etc.; nam propter horum verborum proprietatem non satis erit quocumque modo non solvere, nisi vel *prohibitio, vel appropriatio*, interveniat, ita ut vel dicant, non esse debita, et sub ea ratione ea retineant, vel etiamsi sint debita, ea nihilominus solvi prohibeant. Rursus expendendum est illud verbum, *Religiosi quicumque;* comprehendit enim non solum viros, sed etiam fœminas, ut sæpe in superioribus dictum est in similibus. Et quoad hanc partem videntur includi etiam religiosi Militares, quia concensio hæc quoad hanc partem favorabilis est Ecclesiis, et ideo extendenda quantum proprietas verbi patitur; suppono autem illos esse vere religiosos. Est autem illud verbum formaliter intelligendum de religiosis in suo statu viventibus; nam, si transacti sint ad Ecclesiam secularem, ut ejus bona et fructus dispensent, ibi non comprehenduntur sub hac censura, ut recte docent Sylvester, excomm. 9, casu 36, et Navarr., cap. 27, num. 138, contra Summam Rosellam, verb. *Excommun.*, casu 39. Tandem advertendum est hanc pœnam non simpliciter ferri, sed sub hac conditione: *Nisi intra mensem per requisitionem eorum, quorum intererit, factam, non satisfecerint;* quæ requisitio in præsenti una sufficit, quia non est monitio canonica.

Quinta, circa religiosum habitum.

10. *Clement.* 1 de *Statu monach.* — Quinta suspensio sumitur ex Clement. 1, § Si quis autem, de Statu monach., ubi religiosus non utens habitu et vestitu ad formam ibi præscriptam, si Abbas vel Prior non habens Abbatem fuerit, a beneficiorum collatione per annum suspenditur; si inferior aliquam administrationem habens, eadem per annum privatur; si vero nullam habet, inhabilis fit ad illam, vel beneficium intra annum recipiendum. Quæ suspensio ibidem extenditur ad similem religiosum, qui venationi aut aucupationi clamorosæ, vel alias cum canibus, aut avibus ex proposito interfuerit. Circa quam pœnam primum adverto non de omnibus religiosis aut monachis ibi sermonem esse, sed solum de Monachis nigris (ut ibi dicitur), id est, ordinis S. Benedicti. Ideoque extendenda non est ad alios religiosos, ut Gloss. ibidem advertit. Notanda enim sunt singula verba, quæ ibi ponuntur in explicanda causa hujus suspensionis; nam in priori parte dicitur, *Si præsumpserit portare,* etc., juxta quæ verba requiritur, ut aliquis cum sufficienti advertentia et per modum ordinarii habitus, illo utatur sibi prohibito. Similiter in altera parte dicitur, *Ex proposito interfuerit.* Unde intelligitur, si casu contingat aliquem in hujusmodi venatione aliquantulum interesse, posse ab hac censura excusari.

Sexta in Prælatos non restituentes bona.

11. *Clement.* 1 *de Privilegiis.* — *Causæ hujus suspensionis.* — Sexta suspensio fertur in Clement. 1, § Quibus, de Privilegiis, in qua fertur sententia suspensionis absolute et simpliciter in Prælatos religionum, qui de his, quæ occasione quorumdam excessuum suorum religiosorum ibi prohibitorum ad eos quoquo modo pervenerint, Ecclesiis, aut personis Ecclesiasticis læsis, seu damnificatis intra mensem postquam requisiti fuerint, non satisfecerint. Itaque ad incurrendam hanc suspensionem multa concurrere debent ex parte causæ, propter quam incurritur. Primum, quod isti Prælati aliquid acceperint; quod intelligo, sive pro monasterio religionis, sive etiam pro personis privatis acceperint; nam textus simpliciter et generatim loquitur. Secundum, ut id quod accipitur, illis detur occasione excessuum ibi prohibitorum suis religiosis; quales sunt, ne, cum intersunt condendis testamentis, a restitutionibus faciendis, aut legatis matricibus Ecclesiis relinquendis, testatores retrahant. Item ne legata aut debita, vel male ablata incerta sibi, aut aliis singularibus sui ordinis fratribus, vel conventibus in aliorum præjudicium fieri, aut erogari procurent, etc., et alia quæ ibi numerantur. Tertium est, ut hujusmodi Prælati ad quos hæc bona sic usurpata pervenerunt, super ea requirantur ab his personis in quorum præjudicium usurpata sunt. Quartum, ut post hanc requisitionem per mensem sint in mora satisfaciendi, quo tempore elapso suspensionem incurrunt usque ad satisfactionem debitam. Quæ suspensio, cum simpliciter feratur, ab omni officio et administratione suspendit, juxta superius dicta. Ex quibus constat hanc suspensionem non ferri contra omnes singulares religiosos, qui illos excessus committunt, et in principio illius Clementinæ numerantur, ut Sylvest., et Angel., verb. *Suspensio,* falso docent; nam hi omnes ea causa ibi excommunicantur; suspensio autem solum fertur in Prælatos, qui modo explicato delinquunt.

Septima in confessores.

12. *Clement. Cupientes, de Pœnis.* — *Nota.* — *Causa hujus censuræ.* — Septima suspensio sumitur ex Clement. *Cupientes,* de Pœnis, ubi omnibus religiosis, qui confessiones audiunt, vel populo concionantur, præcipitur, ut, si a rectoribus Ecclesiarum, vel eorum vicariis requirantur, populum admoneant inter concionandum certis diebus ibi designatis, ut decimas solvant, et pœnitentium conscientias super hoc onerent; quod si concionatores religiosi sic requisiti scienter omiserint hoc populo suadere, contra eos non fertur suspensio, ut quidam putant, sed solum præcipitur eorum Prælatis, ut eos puniant, et statuta pœnalia contra eos faciant. Sed qui in audiendis confessionibus *scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de solvendis hujusmodi decimis, ab officio prædicationis ipso facto* suspenduntur, *donec confitentibus eisdem conscientiam circa eamdem rem fecerint, si commode potuerint.* In quo textu genus quidem seu modus suspensionis satis clarus est. Est autem animadversione dignum, quod cum delictum hoc sit ex negligentia in confessione, suspensio non sit a munere audiendi confessiones, sed concionandi, ut intelligamus non semper necessa-

rium esse, aliquem in eadem materia puniri, in qua deliquit, sed pendere hoc ex voluntate legislatoris. Et fortasse occasio hic fuit, ut possent hi in eodem confessionis officio supplere quod negligenter omiserant; hoc enim onus eis imponitur, quod implere non possent, si ab officio audiendi confessiones suspenderentur. Rursus circa causam hujus suspensionis multæ circumstantiæ observandæ sunt. Prima quod hujusmodi religiosi sint requisiti a rectoribus Ecclesiarum. Secunda, ut *scienter* hoc facere omittant; nam si ex aliqua inadvertentia id relinquant, non sufficiet. Tertia, quod circa confitentes hanc diligentiam omittant. Quod potest probabiliter exponi formaliter de confitentibus, ut confitentes sunt, id est, quatenus in confessione ipsa aliquam notitiam hujus obligationis, vel occasionem hujus admonitionis præbent, nam si pœnitens nullam mentionem hujus rei faciat, non videtur obligari confessor, ut de illa re pœnitentem admoneat. Sed quia Pontifex simpliciter, et absolute loqui videtur, addendum censeo, præter illum casum, obligari confessorem ad hoc, quoties ab Ecclesiæ rectore requiritur, nisi alias ei certo constaret hunc pœnitentem particularem nulla obligatione teneri.

13. *Pœna in violantem suspensionem hanc.* — Additur vero ulterius in prædicto textu pœna excommunicationis ipso facto incurrenda in prædictum religiosum sic suspensum, qui non obstante dicta suspensione concionari audet, prædicta negligentia non prius purgata; quo satis significatur tamdiu durare suspensionem illam, et non amplius. Ac denique additur limitatio quædam ex parte personarum, scilicet, ut pœna vel constitutio non extendatur ad religiosos monasteriorum, vel rectores Ecclesiarum decimas percipientium; eos enim tanquam in re propria delinquentes noluit Pontifex punire.

Aliæ suspensiones religiosorum.

14. Ultimo loco addi hic possunt suspensiones nonnullæ, quæ sunt communes religiosis cum aliis clericis, ut est illa quæ circa honestatem habitus fertur in Clement. 2 de Vita et honest. cleric., et quæ circa matrimonii benedictionem, et contractum, sine facultate administratum, fertur in Concil. Trid., sess. 24, cap. 1 de Reform. matrim., quæ in superioribus declaratæ sunt. Item huc spectat suspensio Capituli religiosorum, quod pro receptione alicujus aliquid ex pactione recipit, juxta Extravag. 1 de Simonia, inter communes. Ubi illa suspensio Papæ reservatur. Sed textum illum supra exposuimus agentes de excommunicatione, quæ ibi principalius fertur pro his actionibus quæ ad singulas personas pertinent, et de illo genere culpæ, quia longiorem difficultatem postulat, in dicto opere de religione latius dicemus. Et ideo de suspensione hæc dixisse sufficiat.

DISPUTATIO XXXII.

DE INTERDICTO IN COMMUNI QUOAD ESSENTIAM, ET SPECIES EJUS.

De hac censura eadem methodo et ordine, quo de aliis disputabimus. Prius enim de natura et specifica ratione interdicti, postea de singulis interdictis ipso jure latis dicemus. In priori vero parte prius essentialem rationem interdicti, et varios modos seu species ejus, deinde effectus, postea causas, ac tandem ejus absolutionem, seu relaxationem declarabimus. Et quia cessatio a divinis interdicto annexa est, ideo brevem etiam de illa tractatum in fine adjungemus. Disputant autem de hac materia ex Scholasticis pauci, magnaque cum brevitate in 4, dist. 18, et 21; latius Summistæ, præsertim Angelus, Sylvester, et Antoninus, 3 part., tit. 26; et Jurisperiti, præsertim Navarrus, et Covarruvias, quos sæpe in sequentibus referemus, et in tomo 14 tractatuum Juristarum habentur nonnulli de hac materia. In hac ergo disputatione solum definitionem et divisionem interdicti trademus.

SECTIO I.

Quid interdictum sit, et quomodo ab aliis censuris differat.

1. *Ratio dubitandi.* — Difficultas hujus dubitationis consistit in explicanda propria differentia interdicti ab aliis duabus censuris. Supponimus enim ex dictis in principio hujus operis, interdictum esse censuram quamdam, et consequenter per genus illud differre ab omnibus aliis pœnis, impedimentis, seu inhabilitatibus Ecclesiasticis, quæ censuræ non sunt. Tamen ab excommunicatione, et suspensione non videtur posse differre, quia cum illis convenit in ratione privationis Ecclesiasticorum bonorum, vel quæ illis annexa sunt; nullum autem videtur posse excogitari

Ecclesiasticum bonum, quo non privent excommunicatio, vel suspensio; ergo non apparet, quomodo possit esse censura ab his distincta; sed ad summum differt ab illis vel tanquam pars a toto, vel sicut excommunicatio minor a majore, vel alio modo simili. In contrarium vero est, quia supra ostendimus ex jure tres esse species censuræ, quarum una est interdictum.

2. *Ratio nominis.* — Ut nominis ambiguitas tollatur, suppono verbum interdicendi aliquando generaliter sumi pro quacumque prohibitione a superiore facta; quomodo sunt apud Juristas tituli *de Interdictis,* in *Codice* et *Institut.* Ubi in secundo dicitur non solum dari interdicta prohibitoria, sed etiam restitutoria, et exhibitoria, quia licet interdicere quadam ratione significet idem quod prohibere, tamen ratione alia etiam significare potest dicere jus inter aliquos, et ideo *obtinuit usus* (dicitur ibi) *ut decretum inter duos dictum, interdictum dicatur.* In qua significatione utitur hac voce Pontifex in c. Pastoralis, de Causa possess. et prop., ubi Glossa ait : *Interdictum olim erat quædam formata et solemnis conceptio verborum, quibus prætor aliquid fieri jubebat, vel prohibebat.* Sed omissa hac significatione juris civilis propria, quamvis a Cicerone etiam et Latinis interdum usurpata, frequentior est illa, qua *interdictum* prohibitionem significat; et sic etiam jure civili, *interdictum,* significat pœnam, qua aliquis vel patria, vel aliorum bonorum usu privatur; quomodo etiam est titulus ff. *de Interdictis, et relegatis.* Et aliquando in jure canonico, ut in superioribus sæpe notavimus, vox interdicendi in hac significatione sumitur, et effectibus cujuslibet censuræ accommodatur; sicut e converso verbum suspendendi aliquando huic censuræ interdicti adaptatur. Jam vero usu Ecclesiæ nomen interdicti accommodatum est ad significandam quamdam specialem Ecclesiasticam pœnam privativam quorumdam bonorum Ecclesiasticorum, quæ per modum censuræ imponitur.

3. *Variæ definitiones.* — Interdictum ergo in hac acceptione sumptum ita solet definiri : *Est censura Ecclesiastica, qua homo a perceptione quorumdam sacramentorum, et a divinis officiis, et ab Ecclesiastica sepultura separatur.* Ita Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, ex cap. Non est vobis, de Sponsal., et cap. Quod in te, de Pœnitentiis et remiss. Ex quibus colliguntur quidem effectus interdicti, qui in prædicta definitione insinuantur, non tamen ipsa definitio. Quæ, si recte attendatur, tota convenit excommunicationi, quamvis non sit illi adæquata ; et ideo ex vi illius definitionis non vitatur, quod in principio objiciebamus, interdictum esse quamdam minus gravem excommunicationem, veluti mediam inter majorem et minorem supra declaratas. Accedit, quod illa definitio non videtur dari de interdicto in communi, quod a personali et locali abstrahit. Et ideo alii præscindunt hominem a tali definitione, et indefinite vel passive aiunt, interdictum esse censuram Ecclesiasticam, qua prohibentur divina officia, etc., ut Navarrus, cap. 27, num. 164, qui in reliquis particulis fere convenit cum prædicta definitione. Covarruvias vero in dict. cap. Alma, 2 part., § 1, num. 2, magis æquivoce usus est voce suspensionis, dicens, *Interdictum esse suspensionem a divinorum officiorum sacramentorumque activa et passiva celebratione respectu alicujus loci, aut personarum facta, Ecclesiasticam etiam prohibentem sepulturam.* Usus est enim nomine suspensionis pro nomine prohibitionis vel privationis, non sine æquivocatione, cum de differentia inter suspensionem et interdictum agamus. In reliquis vero particulis, non solum genus, sed etiam species interdicti complectitur. Alii differentiam interdicti constituunt in hoc, quod prohibitio ejus directe non fertur ad personas, sed ad locum, prohibens in illo usum vel ministerium talium rerum sacrarum; personas vero non prohibet nisi vel ratione loci, vel in ordine ad locum, ut cum alicui interdicitur ingressus Ecclesiæ, vel celebratio in Ecclesia. Sed quamvis in multis interdictis hoc verum sit, et in eis declaretur differentia ab aliis censuris, tamen non est generaliter verum; datur enim aliquod interdictum personale, quo simpliciter persona interdicitur, non tantum in ordine ad hunc, vel illum locum, sed omnino.

4. *Propria definitio.* — *Ad rationem dubit.* — Videtur ergo propria ratio interdicti in hoc posita, quod sit : *Censura Ecclesiastica prohibens usum quarumdam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenus talis est.* In qua definitione abstrahimus a loco et a personis, quoniam etiam interdictum abstrahit, ut postea declarabimus. Abstrahimus etiam ab usu activo et passivo, quoniam interdictum in genere ab hoc etiam præscindit, et interdum utroque modo, interdum altero ferri potest. Addita est particula, *ut fidelibus*

communem, ad separandum interdictum a suspensione, quæ privat aliquo usu, non ut communi, sed ut proprio alicujus potestatis Ecclesiæ, seu ut ministerio ex officio, quod est materiale ad interdictum. Et ideo suspensio per se solum privat usu activo, interdictum indifferenter. Hinc etiam suspensio per se privat clericos; interdictum commune est de se. Dictum vero præterea est, *quatenus talis est*, ut separetur hæc censura ab excommunicatione; nam excommunicatio privat quidem usu talium rerum sacrarum, non tamen quatenus est usus rei sacræ, sed quatenus est communicatio cum aliis fidelibus; interdictum vero formaliter privat usu talis rei sacræ per se ac independenter a communicatione cum aliis. Inter excommunicationem vero et interdictum intercedit alia, scilicet, quod excommunicatio privat non solum communicatione in divinis, sed etiam in humanis; interdictum vero solum privat usu sacrarum rerum. Dixi autem, *quarumdam rerum sacrarum*, quia interdictum non privat omnibus rebus sacris, sed illis, quæ in jure expressæ sunt, et modo etiam in jure declarato, quod aliqui in definitione ponunt, sed non oportet eam onerare. Quæ autem illæ sint, videbimus infra agentes de effectu interdicti. Ex quo pendet distinctior cognitio hujus censuræ, quia tota ratio ejus in ordine ad illum consistit. Ex quo etiam satis responsum est ad rationem dubitandi; concludit enim materialiter quidem habere has censuras plures effectus communes, non tamen sub eadem ratione, ac propterea in multis aliis differunt, quod satis est, ut sint diversæ pœnæ ac censuræ.

SECTIO II.

Quotuplex sit interdictum.

1. *Prima divisio interdicti in locale et personale. — Locus quomodo capax interdicti.* — Primo ac præcipue dividitur interdictum in locale et personale. Quæ divisio sumitur ex cap. Præsenti, cap. Si sententia, et cap. Si civitas, de Sentent. excom., in 6, et aliis quæ superiore sectione citavi, et quæ infra referemus agentes de singulis interdictis. Locale interdictum dicitur, quod directe fertur ad locum, quia in eo interdicuntur fieri divina officia secundum modum a canonibus præscriptum. Quod si inquiras, quomodo locus, qui res inanimata est, sit capax censuræ, quæ videtur esse propria pœna et prohibitio rationalis personæ. Dicendum est primum, etiam loca sacra, eo modo, quo sunt capacia cujusdam sanctificationis, esse etiam capacia cujusdam irregularitatis seu inhabilitatis, ut sacra in eis peragantur, quomodo contingit Ecclesiam pollui, ut alibi tractavimus; ad hunc ergo modum dici potest locus capax hujus censuræ. Secundo et magis ad rem dicitur, licet hoc interdictum dicatur locale, quia prohibitio ejus proxime versatur circa locum et intra illum, ut sic dicam, continetur, tamen illam prohibitionem ad homines dirigi, qui in eo loco prohibentur divina audire, facere aut recipere, quamvis non prohibeantur simpliciter seu extra talem locum. Atque ita hæc censura semper est pœna alicujus vel aliquorum hominum, proprie quidem illius, ob cujus culpam interdictum ponitur, late vero et quasi per communicationem etiam illorum, quibus talis locus interdicitur. Non ergo dicitur interdictum locale, quia non sit pœna et gravamen personarum, sed quia directe cadit in locum, et per illum in personas redundat.

2. Interdictum autem personale immediate dirigitur ad personam, eique interdicit certum quemdam usum divinarum rerum, differtque a præcedenti, quod non terminatur ad certum locum. Nam si persona interdicta est simpliciter, prohibita est, ne alicubi talibus divinis uti valeat, ut latius videbimus declarando effectus. Dico autem, *si sit simpliciter interdicta*, nam, si ei tantum sit interdictus Ecclesiæ ingressus, non ubique, sed tantum in Ecclesia est illi prohibita divinorum celebratio, argument. c. Is cui, de Sent. excom., in 6.

3. *Divisionis sufficientia.* — Atque hinc tandem constat divisionem illam sufficientem esse, quia præter personas vel loca nihil in jure interdici consuevit. Et ratio reddi potest, quia omnia sacra, quæ hac censura interdicuntur, sunt quorumdam sacramentorum usus et divinorum officiorum, ac sepulturæ sacræ participatio; hæc autem et in sacro loco, et in homine, vel ab homine, vel per hominem fieri debent, et ideo his duobus tantum modis, et non aliis interdicuntur. Quidam nihilominus huic divisioni addunt tertium membrum, scilicet, interdicti, quod simul locale et personale sit, ut videre licet in Sylvestro et Angelo, verb. *Interdictum*, et Navarr., cap. 27, num. 166. Verumtamen (sicut in simili dixi tractando de suspensione) superfluum est addere hæc membra, quæ

tantum sunt collectiones aliorum. Unde Navarrus fatetur, de hoc interdicto complexo, ut sic dicam, judicandum esse ex aliis duobus. Et ideo ad doctrinam tradendam illud membrum nihil deservit. Et ob eamdem causam non fuit necessarium hic addere interdictum, quod deambulatorium vocant, cujus fit mentio in cap. Non est vobis, de Spons., et in cap. Dilectis filiis, de Appellat., ferturque hoc modo : *Interdicimus Petrum et quemcumque locum, ubi ille præsens fuerit,* vel quod in re idem est : *Ubicumque Petrus fuerit, ille locus interdictus sit.* Hoc enim interdictum locale est, vel certe plura localia successive, prout talis persona successive mutat loca. Et includit etiam personale, vel formaliter, ut in priori forma, vel virtute, ut in posteriori, sicut ex dicendis magis patebit. Sed dicet aliquis : officia sacra etiam requirunt tempus; cur ergo non datur etiam interdictum temporale, quo tempus per se primo interdicatur. Respondetur, tempus non directe interdici, sed personam, vel locum, pro tali, vel tali tempore; unde licet aliqua prohibeantur fieri in aliquo tempore propter specialem circumstantiam ejus, semper ad personas directe refertur prohibitio.

Secunda divisio interdicti localis in generale et speciale.

4. *Angeli divisio rejicitur.* — Secundo potest utrumque ex his interdictis dividi in generale vel speciale, seu universale et singulare. Et primum quantum ad interdictum locale sumitur hæc divisio ex dicto cap. Præsenti, de Sentent. excom, in 6, ubi expresse solum fit mentio generalis interdicti; unde alterum membrum satis insinuatur. Utrumque autem expresse ponitur et declaratur in c. Cum in partibus, de Verb. signif. Generale ergo interdictum appellatur, quod in aliquem locum quasi generalem, et plura partialia loca complectentem dirigitur. In quo potest esse latitudo, nam potest interdici regnum, et provincia, et diœcesis, et civitas, vel villa, aut castrum, ut dicitur in dicto cap. Cum in partibus, et ibi Glossa notat. Quamvis enim unum horum comparatione alterius dici possit particulare vel potius minus generale, tamen absolute omnia sunt generalia, quia servant eamdem proportionem respectu locorum, ad quæ feruntur ; nam omnia illa loca habent aliquam universalitatem seu collectionem et totam illam prohibet interdictum quod in tali loco generatim ponitur. Unde necessaria non est distinctio Angeli, qui separat interdictum particulare, a generali et singulari, vocans particulare illud, quod est unius tantum civitatis vel oppidi, generale vero, quod est totius diœcesis vel provinciæ. Nam hæc distinctio non habet fundamentum in jure, et licet hæc differant secundum magis et minus, ut declaravimus, tamen utrumque est simpliciter generale, ut expresse constat ex dicto cap. Cum in partibus. Igitur speciale interdictum est, quo specialis locus, nimirum hæc vel illa Ecclesia interdicitur. Refertque multum ad jura et privilegia explicanda, intelligere, an interdictum locale, generale vel speciale sit, quia diversas causas requirunt, et diversos effectus interdum habent, ut postea videbimus.

5. *Quale sit interdictum unius parochiæ.— Prima sententia.* — Et ideo inquiri hic solet, an interdictum positum in tota parochia civitatis vel oppidi, in quo sunt plures parochiæ, dicendum sit generale vel particulare. Nam auctores dissentiunt. Covarruvias, dicto § 1, num. 9, dicit esse particulare, refertque Abbatem, Calderinum, Nicolaum Plovium, et alios. Et videtur probari ex dicto cap. Cum in partibus, ubi ad interdictum generale videtur requiri, ut saltem sit in toto oppido vel castro; non est autem hujusmodi, quod in una tantum parochia ponitur, ut per se notum est. In cap. vero Cum inter, de Consuetudine, quod etiam Covarruvias affert, solum habetur interdictum civitatis esse generale, non vero quod hoc sit necessarium ad generale interdictum. Similiter auctores, quos citat, nihil specialiter loquuntur de parochia, sed fere eodem modo loquuntur, quo c. Cum in partibus. Favet vero huic sententiæ Felin., in cap. Sane, 2, de Offic. deleg., num. 3, quatenus ait, propter pecuniarium debitum posse parochiam interdici, quod verum non esset, nisi illud interdictum esse particulare.

6. *Secunda sententia.* — Nihilominus contrariam sententiam tenet Navarr., cap. 27, num. 166, qui etiam citat in suam sententiam dictum cap. Cum in partibus; sed, ut dixi, ibi nulla est mentio de parochia, sed de castro aut villa, et similiter loquuntur Gloss. ibi, Abbas, et Doctores, et Sylvest., *Interdictum,* 1, quæst. 10; et Antonin., 3 part., tit. 26, c. 2; et Cald., tractatu de Interdicto, part. 1, num. 11 et sequent.; et Nicolaus Plovius, tractatu de Interdicto, in princip. Qui tamen in duobus favent huic sententiæ. Primo, quia

quoties loquuntur de particulari interdicto, exempla adhibent quando ponitur in determinata vel determinatis Ecclesiis. Secundo, quia dicunt interdictum esse generale, quoties omnino interdicitur aliquis locus, in quo possunt esse plures Ecclesiæ, licet actu non sint. Unde certum est, si interdicatur parvum oppidum, ubi tantum est una Ecclesia, interdictum esse generale. Ex quo sumitur argumentum, quia tale oppidum solum est una parochia, et latior esse solet una parochia unius civitatis, quam unum oppidum integrum, et una parochia, licet non habeat nisi unam Ecclesiam parochialem, potest habere plures Ecclesias simpliciter regulares vel seculares.

7. *Distinctione dubium deciditur.* — Hæc sententia absolute videtur probabilior, sed quia nomen parochiæ æquivocum est, et pro templo solo Ecclesiæ parochialis, vel pro toto ambitu parochiæ, priori modo sumpta parochia, si sola illa interdicatur, erit interdictum particulare, et si in hoc sensu loquutus est Covarruv., verum dixit. Et aliqui putant in eodem veram esse sententiam Felini supra relatam, et non in alia; sed de hoc dicam disputatione sequenti explicando Extravag. *Provide,* de Sentent. excommun., quæ non loquitur de generali vel particulari interdicto, sed sub alia verborum forma, et ex cujus intelligentia pendet illius quæstionis decisio. At vero interdictum totius parochiæ simpliciter est generale, quatenus comprehendit totum ambitum seu districtum parochiæ, quia tale interdictum habet objectum, ut sic dicam, collectivum, et illud respicit tanquam totum quoddam, quod generaliter prohibet; quod autem illud sit pars civitatis, est accidentarium ad rationem generalis interdicti.

8. Dixi autem esse hoc interdictum simpliciter generale, quia majus dubium esse potest, quando in aliquo privilegio vel canone, est sermo de interdicto generali terræ, nam ratione illius additi, *terræ*, videtur necessario requiri, ut sit generale in toto oppido, qualecumque illud sit; et de hoc videtur esse sermo in dict. cap. Cum in partibus, ubi agitur de sensu cujusdam privilegii, quo conceditur, ut, cum generale interdictum terræ fuerit, liceat hoc vel illud, etc., et exponitur, nomine *terræ* non solum regnum vel provinciam, sed etiam villam et castrum comprehendi. Ubi Glossa advertit, nomine *terræ* comprehendi tam magnam, quam parvam, dummodo tota intelligatur. Unde licet in hac civitate interdicatur tota parochia sancti Joannis, non poterit illud dici interdictum generale hujus terræ, licet alioqui absolute et sine addito generale sit, quod quidem est notatione dignum, nam est hoc valde consentaneum dicto textui, et necessarium ad intelligenda varia rescripta.

9. *Interdictum generale esse potest licet una Ecclesia excipiatur.* — Sed quid si interdicatur hæc civitas, excipiatur tamen una vel altera Ecclesia? eritne generale, an particulare interdictum? Gloss. cit., in dict. c. Cum in partibus, significat de ratione generalis interdicti esse, ut nullus particularis locus excipiatur. Et Sylvester, dict. quæst. 2, ait generale dici, quia totum aliquod sine exceptione comprehendit. Et Nicol. Plovius, n. 2 supra, ait, speciale interdictum esse, in quo aliquæ Ecclesiæ excipiuntur. Mihi tamen videtur tale interdictum esse generale; idque colligo ex aliis auctoribus citatis, qui, licet expresse hoc non attingant, dicunt tamen ad interdictum particulare necessarium esse, ut particularis locus seu Ecclesia interdicatur, quod in illo interdicto non fit; non est ergo particulare; erit ergo generale. Præterea illud interdictum habet generale objectum, quod de se plura loca quasi collective complectitur; ergo ratione illius est generale, præsertim quia particularis exceptio et quasi privilegium non tollit absolutam generalitatem, nam simpliciter verum est dicere talem civitatem esse interdictam. Nec fortasse auctores citati censuerunt contrarium, sed solum voluerunt, ut interdictum ex se generaliter feratur in totum locum; quod vero illi adjungatur exceptio, est per accidens, nec mutat rationem ejus. Unde, cum aiunt speciale interdictum esse, in quo aliquæ Ecclesiæ excipiuntur, intelligi debet, non de exceptione ab interdicto, sed de exceptione a communi celebratione, quæ per ipsum interdictum fit; id est, quando particularis Ecclesia excipitur, ne in ea celebrentur divina, tunc interdictum est speciale.

10. *Interdictum omnium templorum quale sit.* — Tandem dubitari hic potest, quale sit interdictum, in quo nec universaliter totus locus aut tota civitas, nec solum una vel duæ Ecclesiæ, sed omnia templa interdicuntur. Soto supra sentit, si omnes Ecclesiæ interdicantur nulla excepta, esse interdictum generale. Et ratio esse potest, quia ad generalitatem interdicti non videtur spectandus locus quasi materialiter sumptus, sed in ordine ad

functiones sacras, quatenus publice in Ecclesia fiunt; ad has autem solum Ecclesiæ seu templa destinata sunt; ergo interdicere omnes Ecclesias alicujus loci, est simpliciter interdicere totum illum locum; erit ergo illud interdictum generale. Nihilominus contraria sententia est certa et communis, quam ex Archidiacono et Calderino refert Sylvest., dict. quæst. 3, et sequitur; idemque tenent Covarr., Navarr. et Anton. supra, et in speciali tractatu de Interdicto. Et ratio est, quia tunc non interdicitur civitas, aut castrum, vel aliquid simile, quod necessarium est ad generale interdictum locale, ut colligitur ex decretis citatis. Item tale interdictum non fertur directe ac per se in totum aliquem locum generalem, sed in plures particulares determinatos, et ideo est particulare, vel, ut ita dicam, virtute est plura particularia interdicta; sicut, quando excommunicantur plures homines, excommunicatio particularis est, vel sunt potius plures excommunicationes juxta numerum personarum. Nec refert, quod divina officia in Ecclesiis tantum fieri soleant, nam in necessitate fieri possunt extra illas, et absolute loquendo, possunt alia loca talis oppidi ad illud munus destinari, quæ ex vi illius censuræ interdicta non sunt, et hoc est satis, ut tale interdictum generale non sit.

Tertia divisio interdicti personalis in generale et speciale.

11. *Angelus impugnatur. — Discrimen et convenientia interdicti respectu excommunicationis.* — Tertia divisio similis præcedenti est de interdicto personali in generale et speciale; quam etiam trimembrem constituit Angelus, vocans generale illud, quod fertur contra communitatem aliquam, ut contra civitatem, oppidum, etc., in quo omnes alii conveniunt; particulare vero seu speciale vocat, quo interdicuntur plures personæ determinatæ; singulare autem appellat, quando vel unica tantum persona interdicitur, vel indeterminate quicumque aliquod certum opus fecerit; ita colligitur ex illo, verbo *Interdictum,* 1, num. 7 et 11. Verumtamen hic distinguendi modus nullum fundamentum habet; sed speciale interdictum est, quoties in singularem personam fertur, sive illa sit una, sive plures, et sive certa, sive incerta. Atque ita solum sunt necessaria duo membra, quæ differunt in objectis, nam generale interdictum respicit aliquod corpus politicum collectivum plurium personarum, et personas singulas solum ut sunt partes talis communitatis, juxta c. Si sententia, de Sent. excom., in 6. Particulare autem interdictum personale est, quod in determinatam, vel determinatas personas fertur; parum enim refert, quod in unam, vel plures feratur, dummodo ad singulas per se, et ad omnes, ut aiunt, per modum plurium tendat, sicut diximus de locali, quod in hoc eamdem proportionem servat, ut Panormitanus, et alii indicarunt in dict. cap. Cum in partibus, et Sylvester, ac reliqui Summistæ. Unde etiam in hoc partim differt, partim convenit hoc interdictum cum excommunicatione; differt quidem, quia excommunicatio non potest ferri in universitatem, et ita non datur excommunicatio generalis sicut interdictum; convenit autem in ratione particularis censuræ, ut sic dicam; nam, sicut excommunicatio potest ferri in unam, vel plures personas certas, vel incertas, et nihilominus semper est specialis seu singularis, una, vel plures, eodem modo se habet interdictum particulare.

12. *Collegii interdictum quale sit.* — Nonnulla vero supersunt dubia. Primum est, an, quando interdicitur collegium, quod est pars alicujus universitatis, seu populi, sit interdictum generale, vel particulare. Sylvest., *Interdictum,* primo, in fine, dicit esse particulare, ut si in hac civitate interdicatur Academia tota, quia non interdicitur, inquit, totum corpus civitatis, sed pars ejus. Contrarium tamen censeo verum, quod aperte sentit Navarrus, dict. num. 166. Et ratio est, quia tale interdictum non fertur in determinatam personam, unam, vel plures, sed in quoddam totum politicum, quod collectivo nomine optime significatur; est ergo generale ex vi objecti sui, cui est omnino accidentale, quod illud corpus sit pars alterius corporis politici. Et declaratur optime per comparationem ad excommunicationem, nam illud objectum tale est, ut excommunicatio non posset in illud ferri; cujus ratio non est alia, nisi quia non datur excommunicatio generalis; ergo, cum interdictum in idem corpus fertur, generale est.

13. *Quid interdicatur per generale interdictum personale. — Conclusio.* — Secundum dubium huic annexum est, quid interdicatur per generale interdictum, an singulæ personæ, vel totum corpus politicum ut sic; non quidem totum, quia effectus hujus censuræ

non habent locum in illud, quia recipere, vel conferre sacramenta, audire, vel cantare divina officia, sepeliri, aut sepelire, actiones et passiones sunt singularum personarum, non alicujus corporis mystici. Si autem singulæ personæ interdicuntur, nihil interest inter hoc interdictum generale, et illud personale, quod in plures personas fertur; sive enim comprehendantur nomine collectivo, ut, v. gr., nomine collegii, sive nomine communi distributo, ut omnes collegiales, sive nominibus propriis, ut Petri, vel Pauli, etc., in re idem est effectus, scilicet quod singulæ personæ interdictæ manent. Dicendum nihilominus est per interdictum generale manere interdictas singulas personas, quæ sunt partes illius communitatis, in quam fertur, et non alias, neque totum corpus aliquam in singulis partibus, ut tales sunt. Tota hæc assertio habetur satis expresse in dict. c. Si sententia, ejusque pars ultima sufficienter probatur ratione facta, quæ in prædicto etiam textu habetur. Secunda etiam est facilis, quia sententia vel pœna non extenditur extra illum, in quem fertur; ergo cum tale interdictum fertur in aliquod corpus politicum, extra illud non extenditur; sed corpus illud non complectitur nisi illas personas, quæ sunt partes ejus; ergo præter illas nullam aliam interdicit. Ex quo recte infertur in prædicto textu, interdicto clero alicujus loci, non propterea interdici populum, neque e converso, quia populus non est pars cleri, ut per se patet, neque etiam clerus censetur pars populi, ut in illo textu supponitur.

14. *Interdicto populo, an clerus interdicatur.* — *Resolutio.* — In quo posset quispiam hæsitare, quia nomen populus ita est collectivum, ut non minus clericos, quam laicos complectatur, nam ex omnibus consurgit, ut late disputat Decius, in c. 1 de Præben., ubi de hoc. Sicut etiam si interdicatur familia alicujus Principis, Cardinalis, vel Episcopi, quæ constet ex laicis et clericis, utrique interdicti manent, ut omnes docent, Sylvester, Tabiena, et alii, et videri potest Maiol., lib. 3 de Irregul., c. 20. Possunt ergo aliquando clerici et laici interdici ut partes unius corporis, et exemplum adductum, et ratio convincunt, quia potest corpus politicum ex omnibus illis componi. Unde miror, cur Sylvest., *Interdictum*, 2, num. 17, admittens exemplum illud de familia, addat, si interdicantur Doctores alicujus civitatis, non comprehendi clericos Doctores, citans Glossam in d. c. Si sententia, quæ nihil tale dicit, neque est probabile; maxime quia sub illa forma interdictum potius est particulare quam generale, nam illa forma distributiva potius est, quam collectiva; sub illa autem distributione æque comprehenduntur clerici et laici, quia nomen Doctoris commune est. Quod si reducatur ad formam collectivam, ut si universitas interdicatur, in qua et clerici, et laici sunt Doctores, manifestum est utrosque interdici. Respondeo igitur hoc non negari in d. c. Si sententia, sed dici nomine populi intelligi laicum populum; nam licet ex rigorosa vocis significatione illa vox comprehendat omnes homines hujus congregationis, cujuscumque ordinis sint, et in jure civili fortasse aliquando ita sumatur, ut patet ex § Constat, Instit. de Jure natur., tamen juxta usum Ecclesiæ, et canonici juris, populus simpliciter dictus solet a clero distingui, et pro laico accipi, quia habent quasi jura omnino diversa. Ac denique in illo capite explicatum est, in generali interdicto nomine populi ita esse accipiendum, nisi aliud in ipsa sententia declaretur.

15. *Ratio assertionis quoad primam partem.* — *Qui sub hoc nomine, populus, comprehendantur.* — Prima vero pars assertionis probatur in textu illis verbis, *Ne sententia effectu careat,* quod plane sequeretur, si tale interdictum singulas personas non ligaret, quia si non ligat personas extraneas, nec totum ipsum, ut sic, nihil aliud superest, quod ligare possit. Unde fit necessario debere ligare omnes, qui sunt partes illius communitatis, tum quia non est major ratio de una quam de alia; tum etiam quia interdictum generale est, et ita omnes complectitur, cum nullum excipiat; intelligo autem per se, et ex vi talis interdicti. Nam, si lator ejus velit aliquem excipere, non censeo repugnare, ut simili proportione de interdicto locali dixi. Et simili ratione potest aliquis excipi ob privilegium, si illud habeat; an vero possit habere aliquam aliam conditionem, quæ illum excuset, videbimus infra agentes de subjecto interdicti. Debent ergo singulæ personæ talis communitatis interdictæ, in se, ut ita dicam, sentire omnes effectus interdicti per propriam et quasi personalem prohibitionem sibi factam. Ideoque ad intelligendum quas personas liget hoc interdictum, attente consideranda sunt verba sententiæ, vel legis, qua interdictum fertur; et deinde spectandum est, an talis vel talis persona sit pars illius com-

munitatis, quæ tali nomine collectivo in lege vel sententia posito significatur; nam, si est pars, comprehenditur, non vero alias. Ut, v. gr., si absolute interdicatur hic populus, quamvis sint aliquæ personæ habitantes in suburbiis, etiam distantibus aliquantulum a civitate, tali interdicto comprehenduntur, quia revera sunt cives, et consequenter partes hujus populi; nec per se loquendo, excipiuntur nobiles, aut ignobiles, si vere sunt cives, quia de hoc non habent generale privilegium; secus vero erit, si habeant speciale, saltem ex consuetudine. At vero, si aliquis in hac civitate habitat ut hospes, etiamsi longo tempore habitet, non ligabitur per solum interdictum generale in populum latum, quia revera non est pars communitatis, quæ per se primo per interdictum ligatur. Qua ratione scholastici, verbi gratia, hic habitantes, etiamsi populus Conimbricensis interdicatur, non erunt interdicti, quæ est communis et certa sententia.

16. *Dubium de habente duo domicilia.* — Sed dubitari solet, quid dicendum sit, si quis habeat duo domicilia, unum in loco, ubi totus populus est generaliter interdictus, alius in loco non subjecto interdicto. Calder., tractatu de Interdicto, affirmat illum manere interdictum, fortasse quia interdictum est quædam prohibitio, quæ satis est ut uno titulo imponatur, ut obliget; sufficiens autem titulus est habere domicilium ibi; quod vero etiam alibi habeat, non potest excusare. Contrarium tamen tenet Sylvester, *Interdictum*, 2, num. 13, quia non est major ratio, cur sentiat onus unius communitatis, quam libertatem alterius, cum utriusque æque sit pars; et alioqui potius est in partem favorabilem inclinandum. Et propter hoc huic parti magis assentior. Limitandam tamen censerem, nisi actu habitet in populo interdicto; nam pro tunc est major ratio, cur sentiat onus illius populi, illique conformetur.

17. *Quæ personæ veniant nomine cleri, cum ille interdicitur.* — Aliud dubium est, an, cum clerus interdicitur, comprehendantur omnes Ecclesiasticæ personæ, id est, quæ gaudent privilegio clericali, ut sunt religiosi omnes etiam novitii, et conversi, etiam fœminæ. Ita tenet communis sententia, quam refert et sequitur Covarr., in c. Alma, p. 2, § 1, n. 8; oppositum tamen tenet Sylvest., *Interdictum*, 5, num. 17, quem Maiolus, et nonnulli alii sequuntur. Et fundamentum ejus est, quia in odiosis nomine cleri non veniunt religiosi, etiamsi in favorabilibus veniant. Potestque confirmari, quia si interdicantur religiosi, non veniunt clerici sæculares, etiamsi lato modo religiosi sint, ut notatur in Rubrica de Regul.; ergo similiter e contrario. Sed huic sententiæ videtur obstare d. c. Si sententia, ubi totam communitatem oppidi, vel civitatis in duas partes distinguit, populum scilicet, et clerum; ergo sub altera earum comprehenduntur religiosi; sed non sub populo, quia hoc minus favorabile est ipsis religiosis, alioqui interdicto populo intelligerentur religiosi interdicti, quod dici non potest, ut recte Sylvest. supra, num. 9; ergo quoad hoc comprehenduntur sub clero; nam sub neutra parte eos includere, videtur, et a ratione, et a dict. textu alienum. Confirmatur, nam cum in eo dicitur, interdicto populo non comprehendi clerum, sub clero comprehenduntur religiosi; ergo cum dicitur sub clero non interdici populum, non comprehendit religiosos sub populo, sed sub clero. Hæc controversia solum est de usu vocis, de qua non habemus in jure specialem declarationem, et ideo nihil potest constanter dici, quia vox utriusque significationis est capax. Et sine dubio sæpe sumitur pro solo clero sæculari, interdum pro toto Ecclesiastico cœtu; et ideo circumstantiæ sententiæ, et materia spectandæ sunt ad verum sensum intelligendum. Ubi autem res fuerit dubia, sequenda est regula, ut pœna mitiori modo exponatur.

18. *Respondetur ad rationem dubitandi initio factam.* — Sic igitur satis constat, quomodo interdictum personale generale singulas personas comprehendat. Ad rationem autem dubitandi in principio positam respondetur, multam quidem esse similitudinem inter interdictum personale generale, et particulare distributum circa easdem personas, quantum ad effectum, quem in eis infert, ut argumentum convincit, et ex dicendis infra de effectibus interdicti magis constabit. Nihilominus tamen dicendum est, illa interdicta esse diversa quoad rationes formales suas, nam, quando est generale, est una censura, quæ fertur in hoc totum; quando vero est particulare distributum, sunt plura interdicta personalia. Et ideo illud prius non comprehendit personas nisi ut partes hujus communitatis; aliud vero comprehendit singulas absolute, et independenter ab omni simili respectu. Ex qua differentia, licet speculativa videatur, oriuntur aliæ morales, quas postea ex professo tractabimus, videlicet,

quod per interdictum generale ligatur interdum persona, quæ est pars communitatis, sine culpa sua; per interdictum autem personale nemo ligatur sine personali culpa. Rursus interdictum generale auferri potest a persona, manens in toto, si illa persona desinat esse pars totius; interdictum autem personale non aufertur a persona, nisi relaxetur aliquo modo, ut infra latius.

Tertium dubium.

19. *An interdicto generali loco omnia particularia loca ejus interdicantur. — Interdictum loci generalis habet suum effectum in locis particularibus.* — Ex dictis in hoc dubio resolvendum est tertium, quod de generali interdicto locali tractari potest, scilicet, an interdicto aliquo generali loco quasi collective sumpto, interdicantur omnia loca particularia ejus, et quomodo id intelligendum sit. In quo in primis certum est, tale interdictum in locis particularibus habere suum effectum, quia actiones, quæ interdicuntur, non exercentur in loco in genere seu confuse sumpto, sed in hoc vel illo loco determinato, sicut de personis dicebamus; est enim eadem ratio proportionalis. Quo fit, ut suo modo locum habeat in interdicto locali, etiam particulari, quia etiam per illud non interdicitur aliquis locus, qui a philosophis vocatur proprius, qualis erit, v. gr., altare ad sacrificandum, chorus ad canendum officium; sed interdicitur aliquis locus communis (loquimur regulariter et moraliter), scilicet, Ecclesia, v. gr., in qua solent esse varia loca propria, ut multa altaria, vel capellæ; necesse est ergo, ut illud etiam interdictum quoad effectum seu praxim, ad propria, seu particularia loca descendat, et in eis servetur.

20. *Objectio. — Qui locus in jure particularis censeatur. — Quis locus dicatur communis.* — Dices : ergo destruitur divisio supra posita localis interdicti in generalem et particularem, quia utrumque versatur circa locum communem, in quo solum possunt differre secundum magis et minus, quomodo interdicta etiam generalia inter se differunt; et sic ad summum erit differentia respectiva, ita ut particulare dicatur, qui versatur circa locum minus communem. Respondetur, in hac re esse magis attendendam juris dispositionem, et usum, quam physicam diversitatem. In jure ergo ille locus censetur proprius, et particularis in ordine ad hunc effectum, qui non solet per partes interdici, sed vel totus, vel nihil, ut est particularis Ecclesia, vel templum, etiamsi alioqui respectu sacrorum, quæ in illo exerceri possunt, includat alia loca physice magis propria, quæ respectu alterius loci ita sunt partialia, ut moraliter nullam habeant rationem loci totalis. At vero communis locus quoad hunc effectum dicitur, qui de se plura complectitur, vel complecti potest loca totalia, quæ per se et particulariter interdici possunt, et solent, ut sunt diversa templa, vel oratoria, quæ in suo ordine sunt loca totalia; et ideo locus ille communis censetur quasi collectivum quid plura tota complectens. Et ita consistit optime superior divisio, et nihilominus doctrina hic tradita cum proportione ad utrumque membrum applicatur.

21. *Interdicto communi loco interdicuntur partialia sub eo contenta. — Qua ratione dignoscantur loca particularia interdicta.* — Secundo dicendum est, interdicto aliquo communi loco, interdici omnia particularia, vel partialia loca sub illo comprehensa, et nullum aliud. Probatur ex proportione sæpe dicta ad interdictum personale, quia non est major ratio de uno loco particulari, quam de alio in eodem toto comprehensis; ergo si interdictum fertur in totum, et descendit ad particularia, necesse est, ut descendat ad omnia in toto contenta. Non vero ad alia, quia censura non excedit terminos sententiæ vel legis, ut sæpe dictum est. Difficultas vero est in explicando, quæ loca particularia, vel partialia intelligi debeant comprehensa, seu conjuncta totali loco in sententia interdicti nominato. Cui difficultati in genere duo tantum respondere possumus. Primum est consulendum esse jus, ut, si in eo casu aliquid disponit, juxta tale jus sententiam interpretemur; vel, si casus non sit omnino idem, consideretur, an sit similis, et eadem ratione intelligendus. Secundum est, ubi jus nihil disponit, verborum proprietatem esse observandam, et magis receptam et usitatam eorum significationem, quæ in hujusmodi rebus moralibus plurimum valet. Et ex his principiis generalibus definienda sunt particularia, ex quibus gratia exempli aliqua usitata proponemus, ut ex illis facile possint similia resolvi.

22. *An interdicta civitate intelligatur interdicta Cathedralis Ecclesia.* — Primum sit, quando interdicitur diœcesis tota, vel civitas ejus, in qua est Ecclesia Cathedralis, an intelligatur ipsa etiam Ecclesia Cathedralis in-

terdicta, nam de aliis nulla est dubitatio; de Cathedrali vero id negat Covarr. supra, num. 4, citans Staphilæum, lib. de Litteris gratiæ et justitiæ, fol. 156, argumento textus in cap. Quamvis, de Præbendis, in 6, ubi dicitur nomine Ecclesiarum non comprehendi Cathedralem in casu odioso, nisi exprimatur. Sed in primis non recte applicatur ille textus ad interdictum generale, in quo non omnes Ecclesiæ, sed totum corpus diœcesis vel civitatis interdicitur, et nemo probabiliter dicet in illo toto non includi caput. Addo nimium enervari tale interdictum, si dicatur excludi Cathedralis Ecclesia; quæ est ratio textus in cap. Si civitas, statim tractanda. Quare quoad hanc partem falsam censo hanc sententiam. At vero si interdictum esset speciale sub generali nomine, et distributione Ecclesiarum civitatis, vel diœcesis, esset utcumque probabilis illa opinio. Mihi tamen non videtur recte probari ex illo cap. Quamvis, sed potius per argumentum ab speciali oppositum colligi, nam ibi dicitur : *Quanquam sub nomine Ecclesiarum civitatis includatur alias Ecclesia Cathedralis.* Et postea dicitur, *propter ipsius honorem nolumus hoc casu includi,* scilicet in speciali casu illius textus, nimirum, ut cum alicui fit gratia, ut de aliquo beneficio provideatur in aliqua Ecclesiarum diœcesis, vel civitatis, tunc non comprehendatur Cathedralis; ergo extra illum casum, et si qui sunt alii expressi in jure, semper comprehenditur. Casus autem interdicti nullibi est exceptus quoad hoc in jure; ergo ex illo textu potius colligitur debere comprehendi Cathedralem Ecclesiam sub illa generalitate in sententia interdicti. Neque ex illa licet illationem facere ad omnem materiam odiosam, quia ibi non est propter materiam odiosam, sed quia Papa declarat se nolle ampliorem gratiam concedere, nam statim dicit in simili fere casu sub generali nomine Ecclesiarum Provinciæ comprehendi Cathedrales, etiam Metropolitanam, propter gratiæ amplitudinem. Quapropter etiam sub ea forma interdicti non censeo illam sententiam admittendam, quia non habet fundamentum, et alias pugnat cum verborum proprietate.

23. *An interdicta civitate loca extra muros interdicantur. — Regula ad cognoscendum quando ædificia sint continentia.* — Secundum exemplum seu dubium est, quando interdicitur civitas, muris circumdata, an loca extra muros interdicta censeantur. Et resolutio est etiam illa interdicta manere, si sunt suburbia, vel ædificia, quæ continentia appellantur, quia, licet non sint tam vicina, ut suburbium faciant, non sunt multum distantia, sed ad eamdem civitatem pertinere censentur, ut sunt nonnullæ Ecclesiæ, quæ vulgo eremitoria appellantur, vel monasteria, vel suburbana prædia. Ita declaratum est in cap. Si civitas, ubi ponderandum est verbum illud, *Intelligi volumus;* nam ex vi verborum videbantur hæc non comprehendi nomine civitatis; tamen ne interdictum contemptui habeatur, et reddatur inefficax, voluit jus hæc omnia comprehendi. Quia, si cives possent in suburbio, vel proximis locis divina audire, non multum tali interdicto gravarentur, ex quo facile fieri poterat, ut illud contemnerent; et ideo illa interpretatio generalior a jure tradita est; nam, licet materia videatur odiosa respectu subditorum, tamen est favorabilis Ecclesiasticæ disciplinæ. Ex qua ratione sumenda est regula ad judicandum, quando ædificia censenda sint continentia, vel quibus terminis concludenda sit illa distantia, quam tale interdictum complectitur; nam, cum non sit per legem taxata, necessario debet arbitrari juxta prudens judicium, vel judicis, si declarare velit, ut Glossa et Doctores in dict. cap. dicunt, vel, si nolit, Doctorum et sapientum hominum, qui spectare debent, an in tali loco sic distante respectu talis populi procedat prædicta ratio, quod si ibi celebrentur divina, oriatur occasio contemnendi interdictum; tunc enim interpretabimur, talem locum esse interdictum, non vero alias. Unde non obstabit quod talis locus vel Ecclesia ad talem civitatem non pertineat, sed alterius dominii et jurisdictionis sit, imo nec quod sit alterius diœcesis, in qua judex, qui interdictum tulit, jurisdictionem non habet, ut recte notavit Covarr., dict. § 1, num. 8, circa fin., cum aliis, quos refert, et Sylvester, verb. *Interdictum,* 2, num. 5. Et ratio est, quia dispositio illius juris absoluta est, nihilque distinguit inter suburbia aut ædificia continentia ejusdem vel alterius dominii aut jurisdictionis; et ratio legis procedit in utrisque; ergo et dispositio illa hæc omnia complectitur.

24. *Objectio. — Responsio quorumdam improbatur. — A priori respondendi modus.* — Dices : quomodo potest Ecclesiasticus Judex interdicere locum sibi non subjectum? Respondent aliqui, talem locum tunc non esse interdictum ab homine, sed a jure; sicut

quando aliquis excommunicatur ab homine, alii cum illo communicare prohibentur, non ab homine, sed a jure. Sed melius dicitur, quoad hunc actum illum locum esse subjectum tali judici per connexionem ad alium principalem locum hoc jure declaratam; ut ita illud interdictum, quod unum est, ab homine sit, et non partim a jure, partim ab homine. Intelligendum autem hoc est seclusis privilegiis; nam, si talis locus specialiter sit exemptus quoad hunc effectum, jam tunc illo titulo, et non ratione distantiæ immunis erit; quod etiam de quacumque Ecclesia in civitate contenta dici potest. Quid autem dicendum sit, quando tale ædificium fit post latum interdictum; quid etiam si illo durante destruatur, dicemus postea agentes de causis, et de ablatione interdicti.

25. *Interdicto templo interdicuntur etiam capellæ, cæmeterium illi contigua.* — Atque ex hoc exemplo interdicti generalis infertur in eodem cap. Si civitas, proportionalis expositio interdicti particularis alicujus templi. De illo enim quæri posset, an eo ipso interdicantur capellæ, cæmiterium, etc. Et respondetur ibi affirmative, sub ea conditione, quod ea partialia loca contigua sint templo interdicto. Et ratio est, quia censentur unum corpus sacrum cum illo efficere. Ratio etiam prioris partis hic suo modo locum habet, quod interdictum posset aliquis facile contemni. At quando cæmiterium vel capella non est contigua, declaratur ibi non comprehendi, quia non efficit unum locum cum illo, qui determinate interdicitur. Neque tunc altera ratio de vilipendio interdicti ad hanc partem accommodatur; quia quando interdictum est particulare, auctor ejus non vult, ut majorem vim habeat, quam ex prohibitione unius loci consequitur, ideoque, si locus sit distinctus, qualis est omnis ille, qui non est contiguus, quantumvis sit vicinus, non comprehenditur sub tali interdicto.

26. *Interdicta civitate a proprio Episcopo interdicitur etiam parochia alienæ jurisdictionis.* — His etiam annexum est alterum dubium, an per interdictum generale vel particulare loci, interdici possit Ecclesia exempta a jurisdictione ejus, qui interdictum tulit; ut, verbi gratia, in civitate Episcopali contingit esse parochiam immediate subjectam Prælato inferiori exempto, ut hic Conimbricæ, vel superiori et Metropolitano, ut Salmanticæ; cum ergo interdicitur illa civitas a suo Episcopo, dubitatum est, an illa etiam parochia interdicatur. Dicendum vero est, per interdictum generale sine dubio comprehendi, juxta superius tradita, nam si loca distantia, si continentia sint, comprehenduntur, etiamsi alterius jurisdictionis existant, multo magis loca in eadem civitate inclusa; ratio enim cap. Si civitas, fortius in illis procedit. Et propter eamdem rationem nulla Ecclesia religiosorum, quantumvis alias exempti sint, excipitur ab observantia interdicti generalis ab Ordinario positi in tota civitate, ut statuit Concilium Trident., sess. 25, cap. 12 de Regularibus, et cap. 22 extendit illud decretum cum aliis ad omnes religiones, quas ibi speciatim numerat. At vero e contrario per interdictum speciale non poterit illa Ecclesia interdici per talem Episcopum, sed solum per illum, cui subjecta est, quia alius non habet directam jurisdictionem in illam, neque etiam per consecutionem, aut aliam juris interpretationem, illam obtinet. Solum posset excogitari casus, in quo talis Ecclesia esset contigua alteri Ecclesiæ subjectæ tali Episcopo, nam tunc, licet non directe, indirecte et consequenter posset comprehendi talis Ecclesia per interdictum speciale positum in alia sibi conjuncta.

27. *Speciale interdictum unius templi non comprehendit illi contiguum pariete communi vel cæmeterio. — Interdictum speciale, si in partem accessoriam templo ferretur, non censeretur templum interdici.* — Sed in hoc dicendum est, si fingamus duas Ecclesias esse contiguas, vel medio cæmeterio, vel quia habent parietem communem, si una non sit capella alterius, sed omnino sint distinctæ, non comprehendi unam per speciale interdictum alterius. Ratio est, quia contiguitas non tollit distinctionem; tale autem interdictum solum fertur in unum determinatum locum. Idem colligitur ex dict. cap. Si civitas, ubi, ut aliquis locus per interdictum speciale interdicatur simul cum Ecclesia principaliter interdicta, duo requiruntur : unum est ut sit capella, vel cæmeterium ejus, id est, locus illi annexus; aliud est, ut sit illi contiguus; sicut ergo non sufficit prima conditio sine posteriori, ita neque e converso. Unde, si duæ Ecclesiæ vicinæ communicarent in cæmeterio, ita ut illud inter se dividerent in certo termino, interdicta una Ecclesia, solum esset interdicta una pars cæmeterii ad illam pertinentis, non vero alia pars, quæ ad illam non pertinet, quia non est cæmeterium ejus, etiamsi sit contiguum vel physice con-

tinuum cæmeterio suo. At vero quando una Ecclesia ita est alteri contigua, ut sit illi annexa, principali interdicta, etiam erit interdicta annexa, quia est veluti capella ejus, et ita in ea procedit dispositio cap. Si civitas. Et locum etiam habet illa regula juris, accessorium sequi principale. Non potest autem moraliter contingere, ut tales Ecclesiæ sint diversarum jurisdictionum; tamen si hoc fingeretur, etiam tunc procederet regula posita, propter rationem proportionalem datam de interdicto generali; nam in hoc etiam absoluta et sine exceptione est interpretatio capituli Si civitas; e contrario vero non videtur moraliter accidere, ut interdictum speciale directe feratur in Ecclesiam accessoriam alteri; quia talis Ecclesia comparatur ad aliam ut capella et pars; interdictum autem ferri non solet in partem. Si tamen fingamus ita ferri, revera non maneret ex vi illius interdicti alia principalis Ecclesia interdicta, quia non est illi annexa, sed e converso, et principale non sequitur accessorium. Item non est capella nec cæmiterium ejus. Denique comparatur ad illam, ut commune ad particulare, inter quæ non est conversio; sicut si poneremus unum altare vel capellam alicujus Ecclesiæ directe tantum interdici, non maneret propterea interdicta tota Ecclesia.

28. *Dubium.* — Atque hæc exempla videntur sufficere, ut ex eis intelligatur, quid comprehendat interdictum generale vel particulare. Doctores vero et Summistæ addunt alias quæstiones, quæ in sola vocis ambiguitate positæ sunt. Contingit enim propter delictum domini, terram ejus interdici; dubitant ergo, si ille habeat plures terras, titulis æqualibus dominii, vel inæqualibus, scilicet, unam titulo dominii, aliam pignoris, emphyteusis, etc., an omnes, vel quæ illarum interdictæ sint, ut videre licet in Sylvestro, *Interdictum,* 2, num. 3 et 4, et Antonino, 2 part., tit. 26, cap. 2, et Interpretibus juris Canonici in dict. cap. Si sententia, et Si civitas. Sed hic de re nulla est quæstio, sed solum de sententiæ incertitudine, orta ex communi termino, nec satis contracto ad individuam significationem. Et ideo primum omnium generales regulæ applicandæ sunt et servandæ; consideranda est enim proprietas vocis, et circumstantiæ tam materiæ quam personæ, et occasionis interdicti ferendi, etc. Et si pensatis omnibus adhuc manet indefinita et incerta locutio, sententia censuræ erit nulla, utpote ambigua et incerta; si vero ex verbis et circumstantiis constare potuerit sufficienter, de qua terra sit sermo, illa erit interdicta.

29. *Secunda regula. — Improbatur quorumdam opinio.* — Ad hoc autem judicium ferendum deservient nonnulla indicia circa proprietates locutionum, quæ vel ex dictis auctoribus sumuntur, vel excogitari possunt. Primum, quando locutio est in singulari sine signo distribuente, nunquam comprehendit plures terras non continuas, seu quæ unum corpus politicum non componunt, quod sub propria significatione talis vocis cadere possit. Ratio est clara, quia terminus in singulari numero multa in rigore non comprehendit, nisi copulative, si distribuatur, vel collective, si in ea significatione sumi possit. Propter quod dixi, *nisi terra sit continua,* quia tunc optime comprehenditur tota nomine singulari, significatione collectiva. Idemque est, quando, licet non sit continua, componit unum corpus politicum, ut unum Regnum, unam Provinciam, etc. Et ideo, quando neutrum horum intervenit, jura, quæ ferunt hanc censuram, si volunt plures terras comprehendere, in plurali loquuntur, ut patet ex Extrav. *Super gentes,* de Consuet., ubi etiam distributio additur, quæ mihi in rigore non videtur necessaria; nam si in plurali dicatur, *Interdicimus terras, civitates, aut oppida Petri,* licet habeat plura quam duo, omnia in rigore sermonis comprehendi videntur, quia illa pluralis locutio relata ad talem personam juxta moralem locutionem comprehendit omnia. Secundum, quando dicitur terra, vel civitas Petri, etc., in rigore sermonis significatur illa, cujus ipse est dominus, ut ex latina significatione constat. Unde, si plures terras æque possideat sub dominio suo, per se loquendo talis locutio ambigua est, ac propterea sententia nulla. Dico autem *per se,* quia si per antonomasiam soleat illa vox accipi pro principialiori, et quæ est veluti caput sui status, vel illa, in qua habet domicilium, vel diutius habitat, vel (juxta subjectam materiam) illa, in qua commisit delictum, pro quo fertur interdictum, tunc ex adjunctis, et communi usu vocis tolletur ambiguitas, et tunc constat terram subjici tali interdicto. Cavendum autem est hoc loco quod aliqui dicunt, quando interdicuntur terræ alicujus committentis delictum, comprehendi etiam terras illorum, qui cum illo in delicto communicarunt. Est enim hoc aperte

falsum, nisi in ipsa sententia fiat expresse extensio ad cooperatores delicti, et terras eorum. Quia pœna non est extendenda ultra terminos ejus, quando talis extensio in jure non est expressa; sed ex vi verborum sententia lata in aliquem delinquentem non extenditur ad coadjutorem vel cooperatorem, nisi exprimatur. Quod maxime verum est, quando censura fertur contra singularem personam, prout contingit in prædicto casu; nam, quando interdicuntur terræ alicujus, ille est, qui singulariter punitur; et præterea terræ aliorum cooperantium non sunt illius; ergo in rigore non comprehenduntur sub illa locutione, neque ex aliquo textu potest talis extensio colligi. Sylvester vero supra favet huic sententiæ, quatenus ait, interdicta terra alicujus, interdici terram, quæ illi favit in crimine. Sed hoc etiam censeo falsum, nisi etiam illa terra sit illius, nam aliud est esse adjutricem, aliud esse subditam, et verba illa significant in rigore hoc posterius, non illud prius; et non sunt extendenda extra propriam significationem.

30. *Tertia regula.* — Tertia regula est: quando aliquis possidet plures terras inæqualibus titulis, si locutio sit singularis, intelligetur de illa, qui propriissime est sua, id est, cujus est absolutus dominus, licet habeat alias in emphyteusim, vel usumfructum, etc. Si vero locutio sit pluralis, comprehenduntur omnes juxta vim verbi, quod adjungitur et modum possessionis talis terræ; ut si verba sint, *terræ aut regna Petri,* quia hæc absolute significant dominium, non comprehendent terras, quas possidet solum loco pignoris, aut quas tenet aut gubernat nomine alterius; comprehendent autem omnes, quarum habet qualecumque dominium, vel etiam usumfructum, ut quas possidet maritus eo quod sint uxoris, vel quas habet in emphyteusim, etc. Quia hæc omnia solent dici alicujus, in communi usu loquendi. At vero, si verba sententiæ dicerent, *omnes terras possessas, vel gubernatas a tali persona,* tunc comprehenderentur etiam aliæ, juxta verbi exigentiam. Addit vero Sylvester, si aliqua ex illis terris sit etiam alterius domini innocentis, ita ut pro indiviso uterque sit dominus, talem terram non comprehendi illo interdicto, *ne innocens,* inquit *puniatur,* arg. cap. ult., 1, quæst. 4, quod parum ad causam facit; neque illa ratio in materia interdicti est efficax, cum sæpe in hac censura contingat quosdam gravari propter aliorum crimen, ob aliquam conjunctionem cum illo. Propter quod dubito de veritate illius dicti, nam si talis persona illam tantum terram haberet, et judex illam interdiceret illo titulo, et sub illa forma verborum, *terram Petri interdicto subjicimus,* sententia non esset invalida, imo neque injusta, etiamsi essent alii domini illius terræ pro indiviso, quia licet alter sit innocens, non est inconveniens, ut gravetur interdicto, nec disciplina Ecclesiastica debet impediri propter consortium alterius in dominio; ergo similiter dicendum est in præsenti, quamvis non sola illa terra, sed simul cum aliis supponatur interdicto. Nihilominus alia ratione posset illa sententia defendi, quia terra, quæ est multorum pro indiviso, simpliciter non dicitur esse alicujus illorum, sed omnium simul, quia nullus eorum est absolutus dominus, sed partialis, quamvis non partis determinatæ, sed totius; et ideo non videtur comprehendi sub illis verbis absolute prolatis et generalibus. Non dubito tamen, quin possit judex talem terram supponere interdicto, propter peccatum unius, ut ratio facta probat, et latius infra dicemus. Et ideo, si interdictum specialiter versetur circa talem terram, vel ille, propter cujus delictum fertur, non habeat aliam, idque judex non ignoret, tunc interdictum habebit effectum in illam, quia potestas non deest, et voluntas judicis jam satis explicatur.

An interdictum personale semper in usu conjunctum sit cum locali.

31. ***Interdictum particulare ferri potest sine generali ejusdem generis, et e converso.— Quatuor complicationes interdicti localis et personalis.*** — Ultimo dubitatur circa interdictum locale et personale, esto distincta sint, an in usu etiam separentur vel conjungantur semper, ita ut nunquam feratur locale sine personali, et e converso, nec generale sine aliquo particulari, et e contrario. Possunt autem hic plures comparationes fieri, scilicet personalium inter se et localium inter se, et in his constat interdictum particulare ferri sine generali tam personale quam locale, quia censura unius personæ ex vi sua non extenditur ad communitatem, et idem est de particulari loco respectu communis. At vero e contrario videtur generale interdictum semper includere particulare cum proportione; tamen jam dixi hoc ad summum esse verum

materialiter, et quoad effectus interdicti, non vero quoad rationem formalem et moralem modum ejus, ut satis explicui, et infra amplius declarabitur, explicando quæ differentia in hoc sit inter eos qui dederunt vel non dederunt causam interdicto. His ergo comparationibus omissis, personale et locale interdictum quatuor modis possunt inter se conferri, scilicet generale cum generali, et particulare cum particulari, vel generale personale cum particulari personali.

32. *Interdictum generale locale confertur cum generali personali.* — Prima ergo regula sit : interdictum generale locale non infert personale generale, neque e converso; loquimur per se et ex vi illorum, nam per accidens judex vel lex possunt illa conjungere. Et sic est conclusio certa, et sumitur ex cap. Si sententia, de Sentent. excomm. Et ratio est, quia per interdictum locale solum prohibentur homines generatim illic celebrare vel audire divina, non vero extra illum locum, ut dicitur in prædict. cap.; ergo ex vi illius non interdicuntur personæ talis loci generatim, quia per interdictum generale personale prohibentur personæ simpliciter respectu cujuscumque loci, ut ibidem significatur, et infra latius videbimus. Similiter e converso ex vi interdicti generalis alicujus populi nullus locus ibi simpliciter interdicitur, quia quælibet aliæ personæ possunt ibi facere et audire divina, quia censura non transcendit terminos seu res significatas per verba legis aut sententiæ; interdictum autem locale solum est, quando locus ipse absolute et directe prohibetur, ita ut nec personæ ibi habitantes, neque extraneæ, etiam ex universa Ecclesia, possint facere, vel audire ibi divina.

33. *Cap. 1 de Usuris, in 6.* — Confirmatur ex c. 1 de Usuris, in 6, ubi prius ponitur interdictum personale generale, et propter contumaciam semestrem in illo, additur generale interdictum locale; ergo supponitur hoc non esse conjunctum cum illo. Item supponitur ex dicto cap. Si sententia, et ex proportione ad interdictum locale generale, nam quoad hoc est eadem ratio : sicut interdictum locale excludit ab hoc loco omnes personas, non tamen omnes personas hujus loci ab omni alio loco, ita interdictum personale generale excludit quidem has personas ab omni loco, non tamen impedit ipsum locum absolute et respectu omnium; nulio enim jure hoc ostendi potest. Præterea hoc aliter colligi potest ex dict. c. Si sententia, quatenus ibi dicitur, interdicto clero, non esse interdictum populum. Unde bene ibi Glossa infert, interdicto clero, non esse interdictam Ecclesiam, quia populus ab aliis clericis potest in illa audire officia; ergo multo minus interdicto populo, erit interdicta Ecclesia; magis enim conjuncta est Ecclesia cum ipso clero, quam cum populo. Imo, nec si ambo interdicantur, locus erit interdictus, nam semper militat eadem ratio. Atque hanc sententiam tenuit Navarr., c. 27, num. 167; et Soto, dist. 22, q. 3, art. 1; et auctor Compendii Mendicantium, verb. *Interdictum,* 3, § 13; et ex Canonistis Glossa in dict. cap. Si sententia, verb. *In clerum,* et verb. *Interdicti,* quam interpretes communiter sequuntur. Covarruvias autem, lib. 2 Variar. resol., cap. 8, circa finem, et dicto cap. Alma, part. 2, § 1, num. 7, inclinat in contrariam sententiam, et sequitur Sylvestrum, Antoninum et quosdam alios quos refert. Et præcipue fundatur in cap. Quod nonnullis, de Privileg. Sed non recte, quia illud caput manifeste loquitur de interdicto locali, quod vocatur commune terræ interdictum, ut aperte Glossa ibi sentit, et expressius ibi Panormitanus dicens, quod ibi per privilegium conceditur, nunc esse jus commune, c. Alma mater. Addit Covarruv. conjecturam, quia illo loco possent celebrari divina publice et solemniter, et possent pulsari campanæ, si ipse locus non esset interdictus; hoc autem esset in ludibrium ipsius interdicti, nec possent personæ interdictæ moraliter excludi, imo esset quodammodo invitare illas; sed hæc omnia sunt accidentaria, per se autem omnia illa licent in tali loco; clerici autem cavere debent, ne personas interdictas admittant, et consequenter non debent dare signa, quæ ad vocandum populum dari solent; si tamen aliquod esset in usu proprium clericorum ad vocandos illos, illud dari posset. In modo etiam celebrandi juxta loci commoditatem et dispositionem se gerere tenebuntur; nam, si Ecclesia aliquantulum distaret, nec esset periculum, quod interdicti audire possent, libere poterunt celebrare; sin minus, tenebuntur submissa voce et januis clausis, etc., celebrare, non quia circumstantia vel impedimentum loci postulet, sed propter vitandos interdictos.

34. *Qui causam interdicto dedit, nullibi potest divinis interesse.* —Secunda regula sit : interdictum personale particulare non infert locale particulare; e contrario autem recte

infert, saltem quoad substantiam et effectum. Prior pars manifesta est ex ratione proxime facta, quia prohibitio personarum non infert aliquem locum esse simpliciter prohibitum, quod tam est verum de quolibet particulari loco, sicut de generali. Ut probetur altera pars, suppono primo, nullum locum etiam particularem posse supponi interdicto, nisi propter delictum alicujus personæ, quod satis constare potest ex dictis supra de censuris in communi; nam cum hæc sit gravis pœna, debet supponere culpam saltem in aliquo, quod infra latius tractabo. Secundo suppono, quando locus interdicitur ob delictum alicujus, illum, qui sua culpa dedit causam interdicto, neque ibi, neque alibi posse interesse divinis, ut colligitur ex dicto cap. Si sententia, ibi : *Qui culpabiles non existunt, possunt extra ipsam licite interesse divinis;* ergo qui existunt culpabiles, etiam extra locum interdictum non possunt interesse divinis; quamvis enim ibi sit sermo de interdicto generali, tamen cum proportione est eadem ratio de particulari; atque ita omnes intelligunt. Hinc ergo concluditur, interdictum particulare locale virtute semper includere particulare etiam personale, quia ex vi illius semper aliqua vel aliquæ personæ manent simpliciter exclusæ a divinis in omni loco; sed hæc est propria ratio interdicti personalis particularis : ergo.

35. Atque hinc a fortiori sequitur tertia regula, nimirum interdictum generale locale virtute semper includere interdictum personale particulare, non tamen e converso. Prior pars constat ex præcedenti regula, nam si interdictum locale particulare aliud infert, multo magis generale. De quo est expressior textus in dict. cap. Si sententia. Et ratio est eadem. Secunda etiam pars est manifesta ; nam si interdictum personale etiam generale non infert interdictum generale loci, multo minus interdictum speciale personale illud infert.

36. Ex quo sequitur tandem quarta et ultima regula, scilicet interdictum generale personale non includere virtute interdictum locale etiam particulare, sicut neque e contrario. Ratio prioris partis est manifesta ex dictis in prima regula, quia ex vi cujuscumque interdicti personalis nullus locus est per se prohibitus, quominus in eo personæ non interdictæ possint facere vel audire divina; ergo nullus locus particularis manet simpliciter interdictus ex vi cujuscumque interdicti personalis, quantumvis generalis. Et ratio differentiæ quoad hoc inter locale et personale interdictum est, quod nullum interdictum fundatur in defectu loci sive generalis, sive particularis; fundatur autem omne interdictum, etiam locale, in delicto alicujus vel aliquarum personarum, quæ acerbius semper puniuntur; et ideo particulare interdictum personæ alicujus per se et ex vi institutionis semper est conjunctum cum quolibet locali. At vero e contrario quantumvis personæ interdicantur, etiam generatim, nullus locus specialiter prohibetur, quia neque est in illo specialis causa ipsius interdicti, neque in illum directe dirigitur interdictum ipsum. Dicunt vero aliqui, omne interdictum personæ esse interdictum loci, quia ratione personæ interdicitur locus, si in illo ipsa sit; imo hæc videtur esse directa intentio talis interdicti. Sed respondetur, falsum hoc esse, nisi ubi interdictum est deambulatorium, quod jam diximus utrumque comprehendere. At cum est personale ex intentione directa, solam personam interdicit; quod si ipsa sit in loco communi, v. gr., in oppido, non propterea oppidum est interdictum; si autem sit in templo, impediet quidem, ne tunc fiant divina, sicut impediet excommunicatus; non tamen propterea est locus interdictus, quia illo excluso, sine alia relaxatione poterunt ibi celebrari divina. Altera item pars facillima est, quia ex vi interdicti generalis loci non manet populus generaliter interdictus; ergo multo minus manebit propter interdictum particulare loci. Ratio autem utriusque est, quia culpa, ob quam fertur locale interdictum, non est in toto populo. Imo, licet contingeret, omnes personas populi esse culpabiles in tali delicto, singulæ quidem essent specialiter interdictæ, tamen in populum ipsum non esset latum generale interdictum.

Aliæ interdicti divisiones proponuntur.

37. *Divisio interdicti in totale et partiale.* — Quarta divisio interdicti addi potest in totale et partiale; totale voco illud, quod simpliciter fertur quoad omnes effectus interdicti, quale erit, quoties interdictum in locum seu personam profertur absolute, et sine ulla determinatione, ut notavit Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 170. Partiale autem erit, quando solum fertur quoad unum vel alium effectum, quale erit, quoties verba juris vel sententiæ ita illud limitaverint, ut si

dicant : *Ab ingressu Ecclesiæ,* juxta cap. Is qui, de Sentent. excom.; vel si tantum privet Ecclesiastica sepultura, argument. cap. 2 de Torneamentis, et idem est in similibus, ut notavit Covarruv. referens alios, in c. Alma, part. 2, § 1, num. 3, circa finem. Quæ divisio et doctrina est conformis illi, quam supra de suspensione tradidimus, et juxta illam est proportionaliter intelligenda; ideoque non oportet hic plura addere, sed ex his quæ de effectibus dicemus, res tota exacte constabit.

38. *Quinto dividitur in interdictum a jure et ab homine. — Ultimo in interdictum latum per modum censuræ, et tanquam pura pœna.* — Quinta divisio interdicti erit, quia aliud est a jure, aliud ab homine, quæ per se nota est, nam ab homine quotidie fertur; in quibus autem casibus feratur a jure, infra videbimus. Solum ergo hic applicanda sunt supra dicta de censuris in communi, et quæ infra dicemus de causis interdicti. Sexto et ultimo dividi potest interdictum in illud, quod per modum censuræ fertur propter contumaciam, et quod fertur tanquam pura pœna. Cujus divisionis sensus constat ex dictis in simili de suspensione, et ex doctrina de censuris in communi. Res autem magis in particulari constabit ex his, quæ dicemus de causis et de relaxatione interdicti.

DISPUTATIO XXXIII.

DE PRIMO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST SACRAMENTORUM PRIVATIO.

Priusquam de causis interdicti dicamus, visum est dicere de effectibus, quoniam et ad intelligendam exactius rationem interdicti, et ad faciliorem causarum cognitionem hæc disputatio confert. Omnes autem effectus interdicti ad tria capita revocantur, quæ sunt, privatio activa et passiva quorumdam sacramentorum, privatio activa et passiva divinorum officiorum, et similis privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Atque hi tres effectus communes sunt proportionaliter omni interdicto, tam locali quam personali, et utrique tam generali quam particulari. Et hæc intelliguntur per *interdictionem divinorum,* quando sub hac forma fertur interdictum, ut colligitur ex cap. Ex rescripto, de Jurejurando. Et in particulari explicatur in aliis juribus, quæ infra referemus expresse; tamen habentur hi effecut sin cap. Si civitas, et cap. Si sententia, et cap. Alma mater, de Sentent. excom., in 6. Hos ergo tres effectus sigillatim explicabimus, eosque ad singula interdicta applicabimus. Solet autem addi quartus effectus, qui est prohibitio ab ingressu Ecclesiæ, de quo peculiariter videbimus, an sit effectus communis omni interdicto, an potius constituat peculiare interdictum.

SECTIO I.

Quorum sacramentorum usus per interdictum prohibeatur.

1. *Ratio dubitandi. — Conclusio.* — Ratio dubitandi esse potest, quia in dicto cap. Si sententia, absolute dicitur, personas interdictas non debere Ecclesiastica accipere sacramenta. Quæ absoluta propositio æquivalet universali; nulla ergo sacramenta debent recipere, sed omnia sunt illis interdicta. Dicendum vero est, hanc prohibitionem implicite continere conditionem seu limitationem, scilicet nisi in casibus aut sacramentis a jure exceptis. Ita declaratur in cap. Alma mater, de Sentent. excommun., ibi : *Certis casibus et sacramentis exceptis.* Et quamvis loquatur de interdicto locali, tamen eadem proportionali ratione in cæteris procedit. Et hæc est communis sententia Doctorum in hoc loco, et Theologorum, et Summistarum, quos in re clara referre non est necesse. Videndum ergo superest, quæ sacramenta permittantur, nam cætera erunt prohibita.

De baptismo.

2. *Baptismus potest interdicti tempore solemniter ministrari. — Ad baptismi solemnitatem satis est quod aqua sit benedicta.* — Primo ergo excipitur baptismus, qui nullo interdicto prohibetur, quia est necessarium remedium ad salutem. Et quidem de personali interdicto, et quantum ad susceptionem hujus sacramenti id non oportuit jure caveri, quia ante baptismum susceptum nulla persona est capax interdicti, quia non est capax censuræ, ut supra suo loco diximus, et ideo non potuit Ecclesia interdicere directe alicui personæ, ne baptismum suscipiat; potuit tamen fidelibus prohibere, ne in tali loco baptismum administrent, vel etiam ipsis personis absolute interdicere activam administrationem hujus sacramenti. Quod autem id non faciat per interdictum generale loci, constat ex cap. Responso, de Sent. excomm., et

ex cap. Non est verbis, de Sponsalibus; est tamen advertendum, in illis locis specialiter excipi baptismum parvulorum, per quod additum indicari videtur, baptismum adultorum esse illo tempore interdictum. Verumtamen vel illa locutio non est sumenda tanquam restrictio, sed tanquam denominatio quædam baptismi, qui veluti per antonomasiam ita vocatur, quia parvulis est maxime necessarius, aut certe illa restrictio ablata est in c. Quoniam, de Sentent. excom., in 6, ibi : *Nedum pueris, sed adultis propter periculum moræ exhiberi potest licite tempore interdicti.* Nam licet adultus possit per baptismum flaminis salvari, tamen Ecclesia noluit ejus salutem in eo discrimine constituere, ut contritio vel amor Dei super omnia necessario illi habendus sit; neque etiam voluit uberiori fructu sacramenti, quoad gratiæ augmentum, et plenam remissionem culpæ et pœnæ quempiam privare. Colligitur præterea ex dict. cap. Quoniam, sacramentum hoc non solum privatim, sed etiam solemniter ministrari posse in loco interdicto, tum quia non postulat accidentariam necessitatem, ut administrari possit; sed quovis tempore dari permittit propter intrinsecam causam seu necessitatem, quæ est *moræ periculum;* quoties autem baptismus conceditur extra articulum necessitatis, solemnitas ejus concessa intelligitur; imo hæc nunquam licite dimittitur, nisi ob accidentariam necessitatem. Tum etiam quia in illo textu supponitur, hujusmodi baptismum dandum esse cum unctione chrismatis; hæc autem unctio pertinet ad solemnitatem baptismi, et ex hac cæremonia alias licitas esse concludimus, quia non est major ratio de una, quam de alia, et quia illa unctio non nisi in plena adhibetur solemnitate. Quod etiam credimus jure antiquo et communi fuisse concessum; quando enim jus aliquid simpliciter concedit, et non limitat modum aut formam, intelligitur illud concedere secundum communem et usitatum ritum. Præsertim quia in hac materia, quando aliud vult, id exprimit, ut patet ex cap. Alma, de Sentent. excom., in 6. Et hæc sententia communis est, ut videre licet in Sylvestro, *Interdictum,* 5, num. 9; Navarro, cap. 27, n. 178; Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 2, n. 7. Atque hinc fit, ut ea, quæ sunt quasi præparatoria ad solemnitatem baptismi, etiam liceant, qualia sunt catechismus; nam ordinatur ad convenientem dispositionem baptizati; item benedictio fontis seu aquæ, si facta non sit, licet oppositum censeat Covarruvias, num. 6, cum Paludano, in 4, dist. 7, quia benedictio fontis non est necessaria ad baptismum. Dico tamen satis esse, quod ad solemnitatem baptismi spectat, ut aqua sit benedicta; probatur recte a simili ex dicto cap. Quoniam, ut paulo inferius videbimus. Crediderim tamen, hujusmodi solemnitatem et benedictionem, quatenus ad divinum officium spectat, faciendam esse cum circumstantiis præscriptis in cap. Alma, de quibus postea.

3. *Per interdictum particulare loci non prohibetur administratio baptismi in eo. — Non tenetur parochus, cujus parochia est specialiter interdicta, aliam adire ad baptizandum.* — Hinc colligo, hujus sacramenti administrationem per se non prohiberi in loco interdicto per interdictum particulare. Ita Calderinus, tract. de Interdicto, et Covarruvias supra, et Burgasius, de Sententia interdicti, n. 27. Et ratio est, quia prædicta jura simpliciter excipiunt baptismum. Verum est cap. Responso, et cap. Non est nobis, speciatim loqui de interdicto generali provinciæ aut civitatis, propter quod nonnulli Canonistæ tenuerunt hoc non esse extendendum ad interdictum particulare. Et favet illis, quod ex interdicto particulari non oritur tanta necessitas administrandi hoc sacramentum in loco interdicto, sicut ex generali, quia per hoc omnia loca prohibentur, et ideo si quærendus esset locus non interdictus, difficilis redderetur administratio talis sacramenti; at vero quando interdictum est particulare, potest facile, relicto illo loco, in alio non interdicto ministrari sacramentum. Unde etiam Covarruvias limitationem addit, *nisi commode sacramenta alibi ministrari possint.* Nam tunc putat non licere baptismum in Ecclesia specialiter interdicta ministrare. Quando ergo est moralis necessitas, certum est corollarium illatum a paritate rationis. Erit autem illa necessitas, si in populo non sit nisi una Ecclesia, et illa sit interdicta; vel, si sint plures, si omnes sint particulariter interdictæ; nam solemnis baptismus in Ecclesia ministrandus est et juxta Clementinam unicam de baptismo. Addo vero, ex vi talis interdicti per se non prohiberi baptismum in loco interdicto, tum quia si id licet in ea necessitate, non est propter exceptionem a generali prohibitione; nam hæc exceptio non est expressa in jure sub hac speciali ratione. Secluso autem jure, non esset illa sufficiens causa, ut id licite fie-

ret, si esset generalis lex in contrarium; ergo ideo tunc licet, quia nulla est lex prohibens baptismi administrationem per aliquod interdictum locale. Tum etiam quia in dicto cap. Quoniam, absolute dicitur, tempore interdicti licitum esse ministrare hoc sacramentum, neque distinguit de interdicto particulari aut generali, per quod jus explicanda sunt cætera; nam quoad hoc sub generali comprehendunt particulare, quia ita se habet ad suum objectum seu locum, sicut generale ad suum. Nec refert, quod tunc baptismus absque magna difficultate possit dari alibi; id enim non inducit obligationem, si alius locus non est prohibitus, nec censeo esse obligandum parochum, cujus parochia interdicta est, ut ad baptizandum suum subditum eat ad aliam Ecclesiam vel parochiam, etiam vicinam, cum sua quoad hunc effectum interdicta non sit. Dixi autem *per se,* quia si sequatur scandalum, ex eo quod id fiat in loco interdicto, cum fieri possit in non interdicto, tunc id non licebit; tamen ex alio capite, quod est per accidens, nec erit illa tunc violatio censuræ, sed charitatis. Et ita sentit Sylvester, *Interdictum,* 5, quæst. 7, num. 9.

4. *Num personaliter interdictus possit personaliter ministrare. — Refellitur quorumdam sententia.* — Secundo sequitur ex dictis, ministerium baptismatis non esse simpliciter prohibitum ei, qui personaliter interdictus est; nam constat, in casu necessitatis posse ab eo fieri. Difficultas autem est, an hoc ministerium per se sit prohibitum ex vi interdicti personalis, solumque permittatur in casu necessitatis proximi; an vero e contrario, quia hoc sacramentum ex se necessarium est, ideo absolute non prohibeatur per interdictum personale; ideoque non peccet persona interdicta baptizando, etiam solemniter, licet sint alii non interdicti, qui hoc ministerium præstare possint. De qua re pauca invenio in specie dicta a Doctoribus. Quidam autem generatim de censuris aiunt, hominem ligatum censura majori, non posse baptizare extra articulum necessitatis, in eo vero posse, non tamen solemniter, quia solemnitas non est necessaria, et solum propter necessitatem conceditur quod alias per censuram prohibitum est. Ad hoc autem citantur varii textus, qui vel in specie loquuntur de excommunicatione, ut cap. ult. de Clerico excom. ministr., et cap. penult. de Sent. excom.; non potest autem ex effectu unius censuræ inferri effectus alterius, cum in effectibus maxime differant. Vel certe jura, quæ loquuntur specialiter de interdicto, non loquuntur specialiter de baptismo, sed generatim de usu divinorum, vel celebratione, aut auditione divinorum officiorum, ut patet ex c. Si sententia, et c. Si civitas, et c. Is cui, de Sententia excom., in 6, cum similibus. Jam autem ostendimus, hanc verborum generalitatem esse intelligendam juxta materiam subjectam, et moderationem in aliis juribus expressam; nam cum eadem amplitudine est ibi sermo de perceptione sacramentorum, et de interdicto locali, in quibus certum est adhibendam esse exceptionem baptismi; idem ergo erit de interdicto personali.

5. *Secunda sententia. — Vera sententia, et explicatio superioris.* — Propter hoc ergo videri potest probabile, interdictum personale non habere hunc effectum interdicendi ministerium sacramenti baptismi. Possumusque ad hanc formam rationem redigere : non habet plures effectus interdictum personale circa personam, quam habeat locale circa locum; sed interdictum locale non prohibet baptismum dari in loco interdicto; ergo interdictum personale non prohibet personam interdictam ministrare baptismum. Major probari potest ex citatis juribus; nam generatim, et pariformiter loquuntur de effectibus utriusque interdicti, neque invenitur aliquod jus, quod speciale aliquid statuat circa hoc de interdicto personali. Et addi potest congruentia, quia sicut baptismus propter necessitatem suam ubique dari potest, ita etiam a qualibet persona ex vi institutionis suæ; et sicut ad decentiam et reverentiam ejus spectat (licet non ad substantiam) ut in loco sacro detur, ita etiam quod a persona sacra ministretur; ergo sicut hac ratione non interdicitur locus sacer quoad ministerium baptismatis, ita nec persona sacra quoad illius administrationem. Et declaratur proportio; nam interdicta generaliter terra, vel specialiter Ecclesia, potest ibi solemniter celebrari baptismus, præsertim si supponamus ibi non esse aliam Ecclesiam; ergo interdicto generaliter clero, vel specialiter hoc clerico, ubi alius non est, nihilominus potest ibi solemniter dari baptismus, quia est eadem ratio, et citatum c. Quoniam, absolute dicit, *tempore interdicti;* ergo tunc ministrari poterit etiam solemniter a persona interdicta, quia non est alia persona sacra, quæ id muneris præstare possit; ergo signum est id non fieri licitum propter necessitatem baptismi,

quia hæc non sufficit, ut baptismus, alias prohibitus, solemniter detur; signum ergo est id esse licitum, quia per se, et ex vi talis interdicti non est prohibitum. Atque hanc opinionem indicare videtur Sylvest., verb. *Interdictum,* quæst. 2; cum enim dixisset, clericum interdictum peccare, et violare censuram exercendo aliquem actum Ordinis, excipit cæremonias baptismi et pœnitentiæ.

6. Ut vero hæc sententia probabilis sit, limitanda est ad interdictum generale, cui aliquis causam non dedit, quod non immediate, ac per se, sed per quamdam redundantiam seu communicationem talem personam innocentem interdicit, ut sumitur ex c. Si sententia, de Sent. excom., in 6. Et ideo quoad has personas optime procedit ratio, et proportio adducta inter locale et personale interdictum. At vero quando persona est specialiter interdicta, vel directe, vel virtute, quia causam dedit interdicto generali, sive personali, sive locali, tunc aliter sentiendum censeo; nam ratio facta cessat, et alia jura non favent, sed potius obstare possunt, ut melius in sequenti puncto explicabo; nam quoad hoc eadem est ratio de confirmatione, et de baptismo solemniter dato. Dicendum ergo censeo, personam interdictam tantum generaliter, et absque culpa propria, posse ministrare baptismum solemniter, quia non solum ratione necessitatis licet illi ministrare hoc sacramentum, et quia absolute non est illi prohibitum. Persona autem specialiter interdicta solum ob necessitatem hoc facere potest; et ideo non solemniter, sed privatim tantum hoc ei licet. Neque in hoc comparari debet persona cum loco specialiter interdicto, quia locus semper interdicitur ratione culpæ alterius, persona autem ob propriam, quando vel interdicitur per interdictum particulare, vel per generale, aut locale, cui causam dedit.

De confirmatione et chrismate.

7. De confirmationis sacramento idem dicendum est, quod de baptismo, quia quoad hoc negotium facta sunt paria in cap. Responso, de Sent. excom., et habetur etiam in c. Quoniam, eodem titulo, in 6. Et in priori loco sermo est de interdicto generali loci, de quo propterea indubitatum est non habere hunc effectum in loco interdicto, neque prohibere, quominus in illo loco, et in qualibet parte ejus, alias apta ad hoc ministerium, hoc sacramentum administrari possit. Cujus ratio primaria voluntas est instituentis; illum autem movere potuit, quod confirmatio est veluti complementum quoddam status Christiani hominis, cujus professio est baptismus. Accedere etiam potuit, quod hi, qui confirmantur, sunt parvuli, et innocentes; et ideo in eorum commodum merito potuit hic favor ampliari, quanquam de facto non pro illis solis, sed etiam pro omnibus adultis hæc concessio facta sit, ut habetur in dict. cap. Quoniam. Ubi etiam pro ratione redditur *moræ periculum,* quia pro magno incommodo habitum est, ut vel infantes exponantur periculo moriendi sine fructu hujus sacramenti, vel adulti cogantur aliquamdiu vivere sine auxilio, et ope illius, cum tamen illo maxime indigeant ad resistendum tentationibus, præsertim contra fidem. In eodem etiam c. Quoniam, hoc non limitatur ad interdictum loci generale; sed simpliciter dicitur, *tempore interdicti.* Propter quod, et propter alia, quæ dixi supra de baptismo, censeo etiam in Ecclesia specialiter interdicta posse hoc sacramentum ministrari, quia hæc duo sacramenta paria facta sunt in jure quoad hoc negotium. Unde aliæ congruentiæ adductæ de baptismo hic applicari possunt.

8. *Confirmatio, etiam in loco interdicto, solemniter conferri potest et debet. — Chrisma potest confici in loco interdicto in die Cœnæ Domini.* — Atque hinc sequitur, sacramentum hoc, etiamsi in loco interdicto detur, cum omni sua solemnitate dari posse, imo et debere, tum quia hoc sacramentum, cum non sit necessitatis, regulariter loquendo, non debet aliter administrari; tum etiam quia in jure simpliciter conceditur; et ita non licet per modum exceptionis a lege prohibente hunc actum in specie, sed per modum actus non prohibiti in tota sua specie. Est ergo hoc ministerium simpliciter concessum in omni loco secundum cæremoniam et ritum communem, quo fieri solet in Ecclesia. Imo additur in dicto c. Quoniam, ob eamdem causam posse chrisma confici in tali loco interdicto in die Cœnæ Domini, quia sicut philosophia dicit: *Qui dat formam, dat et consequentia ad formam,* ita ratio moralis docet, eum qui aliquid concedit, etiam concedere ea, quæ ad illud necessaria sunt. Quod principium plane supponunt sæpe leges etiam civiles, ut videre licet in l. Ad rem, et l. Ad legatum, ff. de Procurator. Quia ergo chrisma ab Episcopo confectum necessarium est ad confirmationis sacramentum præstandum, et juxta morem

Ecclesiæ tantum in die Cœnæ confici potest, et veteri chrismate amplius non est utendum, ideo concesso confirmationis sacramento, necesse fuit chrismatis etiam confectionem concedi. At vero quoniam hæc confectio chrismatis officium quoddam Ecclesiasticum, seu pars ejus existit, dubitari potest, an dum fit in loco interdicto, servandæ sint illæ circumstantiæ, quæ de aliis officiis præscribuntur in jure; de qua re dicemus inferius agentes de divinis officiis in loco interdicto prohibitis vel concessis.

9. *Per interdictum personale non prohibetur receptio confirmationis. — Regula generalis.* — Jam vero hic occurrit quæstio de interdicto personali, an in illo etiam excipiendum sit hoc sacramentum, ita ut per hanc censuram non prohibeatur personæ interdictæ usus hujus sacramenti; et hic habet locum quæstio etiam de passivo usu, quia qui confirmandus est, jam supponitur baptizatus, et consequenter capax censuræ, et prohibitionis. Dico ergo per interdictum generale personale neminem excludi a participatione hujus sacramenti, nisi qui causam interdicto dedit. Prior pars habetur in d. c. Quanto, quod simpliciter dicit, *tempore interdicti,* non distinguens de interdicto civitatis, quoad terram, vel quoad populum. Alterius vero partis, seu exceptionis sensus est, eum, qui ligatur hoc interdicto, quia sua culpa causam illi dedit, nec posse se ingerere, nec admitti ad tale sacramentum recipiendum, nisi prius vel satisfecerit, vel, si hoc non possit, cautionem dederit saltem juratoriam, si aliam non possit. Quod in specie de hoc sacramento non invenio in jure expressum; tamen a fortiori sumitur ex c. Alma mater, de Sent. excom., in 6, ubi de his, qui dederunt causam interdicto generali loci, dicitur non esse admittendos ad pœnitentiæ sacramentum, nisi satisfactione, aut cautione præmissa. Videtur autem necessaria, ac generalis regula, quos Ecclesia non admittit ad pœnitentiæ sacramentum propter censuram, vel indispositionem eorum (de baptizatis agimus), ad nullum aliud sacramentum eos admittere, quia in hujusmodi homine pœnitentia est veluti præparatio, et dispositio ad alia sacramenta; unde qui est indignus, seu incapax in foro Ecclesiæ sacramento pœnitentiæ, a fortiori est incapax cujuslibet alterius sacramenti. Ergo in nostro casu qui sic dedit causam huic interdicto generali personali, non potest admitti ad sacramentum pœnitentiæ, nisi præmissa illa conditione; nam est eadem, vel major ratio de hoc interdicto, ac de locali, quia est æque grave, et magis directe respicit personas. Item quia dictum c. Alma, simpliciter loquitur, *tempore interdicti,* et prius solum excipit excommunicatos, et postea eos, qui dederunt causam interdicto. Certum ergo videtur, illam legem procedere etiam de interdicto generali personali; ergo ob aliud principium positum extendenda etiam est ad sacramentum confirmationis, quod scilicet personæ sic interdictæ et culpatæ admitti ad illud non debeant, sive id sit propter indignitatem, quam censentur habere, saltem in foro Ecclesiæ, sive quia jus voluit talem censuram in eis aliquid efficacius operari propter culpam eorum, quod probabilius videtur.

10. *Interdicto speciali et personali ligatus non potest recipere confirmationem, nec ad ipsam admitti.* — Ex quo ulterius concluditur, quoties aliquis interdicto speciali et personali ligatus est, non posse admitti, neque ipsum posse licite recipere hoc sacramentum, donec Ecclesiæ satisfaciat, et per formam ab ea præscriptam admittatur. Ratio est clara ex dictis, quia nunquam aliquis specialiter interdicitur, nisi propter propriam culpam, vel contumaciam; ergo si is, qui ligatur generali interdicto, cui ipse per propriam culpam causam dedit, recipere non potest hoc sacramentum, nisi præmissa juris forma, multo magis dicendum id est de specialiter interdicto. An vero necessarium sit præmitti absolutionem, seu relaxationem interdicti, vel sufficiat satisfactio, quæ in d. c. Alma mater, postulatur, ita ut ipso facto censeatur ablata prohibitio interdicti, saltem quoad hunc effectum, dicam infra tractando de relaxatione interdicti; interim videri possunt Glossa et Doctores, in c. Præsenti, verb. *Generaliter,* de Sent. excom., in 6.

11. Tandem juxta doctrinam datam intelligendam censeo decisionem textus in c. Episcoporum, de Privileg., in 6, ubi in hoc pares fieri videntur excommunicati, et interdicti, *quod ad Ecclesiastica sacramenta non admittantur;* nam si hoc sumendum est sine ulla exceptione, intelligendum est de interdictis personaliter et specialiter, vel directe, vel saltem indirecte, et virtute. Estque hoc consentaneum illi textui, in quo sermo est de interdicto locali, et postea transfertur sermo ad personas interdictas, quæ in illo interdicto sunt, et illi causam dederunt; propter quod

dicebamus supra, interdictum locale semper includere virtute aliquod personale. Si quis autem velit de omnibus quomodocumque interdictis textum illum exponere, necessario debet subintelligere conditionem, *nisi in casibus a jure expressis,* juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt.

12. *Ligatus generali interdicto, cui causam non dedit, solemniter conferre potest confirmationem. — Non ita vero si causam dedit interdicto.* — Jam vero superest dicendum de activa administratione hujus sacramenti, an prohibita sit personæ specialiter, vel generaliter interdictæ, sive per proprium interdictum personale, sive per locale, cui causam dedit. Estque eadem quæstio de confectione chrismatis, eodemque modo definienda juxta superius dicta. Igitur si persona tantum est interdicta generali interdicto, cui causam non dedit, idem de illa censendum est quoad hoc sacramentum, quod de solemni administratione baptismi, quia hæc duo sacramenta æquiparata sunt in jure quoad hoc, ut comprehendantur, vel non comprehendantur in interdicto; et ideo quæ in simili puncto diximus de baptismo, hic applicari possunt. At vero si persona sit interdicta specialiter, sive directe per proprium particulare interdictum, sive per generale, cui dedit causam, probabilissimum censeo, non posse, propter generalem prohibitionem administrandi divina, quæ habetur in d. c. Si sententia, et in c. Clerici, et in c. Latores, de Clerico excom. ministr., in quibus interdicti etiam in hoc æquiparantur excommunicatis, quod etiam intelligendum videtur, ut supra exponebam, de interdictis ob propriam culpam; illi enim merito possunt excommunicatis comparari. Sicut ergo excommunicatis non licet sacramentum confirmationis ministrare, ita nec proprie et specialiter interdictis. Præterea, quia licet velimus hic subjungere conditionem, *nisi in casibus a jure expressis,* non inveniemus talem exceptionem in jure factam vel formaliter, vel æquivalenter, sed potius oppositam. Quod non formaliter, patet, quia nullum est jus, quod eis expresse concedat, vel talem exceptionem in propriis terminis, vel in specie faciat. Non etiam æquivalenter, quia in jure nunquam fit exceptio de interdicto personali particulari, neque etiam de interdicto generali, nec de quolibet locali respectu personarum, quæ causam dederunt interdicto; sed solum respectu earum, quæ cum sint innocentes, quasi concomitanter comprehenduntur interdicto; vel de loco ipso, qui perinde se habere videntur; cum autem in his sit ratio longe dissimilis, non potest dici una exceptio aliam per æquivalentiam comprehendere. Denique quod oppositum potius in jure insinuetur, patet ex dictis de passiva receptione hujus sacramenti, quia per hanc censuram non minus interdicitur administratio, quam receptio; sed in jure declaratum est, receptionem non esse licitam personis sic interdictis, ut ostendimus; ergo idem censendum est de activa administratione. Unde cum sacramentum hoc nec sit necessarium, nec possit nisi solemniter, et ex officio ministrari, simpliciter concludendum est, ministerium ejus nunquam licere personis sic interdictis.

De sacramento pœnitentiæ.

13. *Sacramentum pœnitentiæ tempore interdicti recipi, et conferri potest.* — De hoc etiam sacramento quantum ad receptionem ejus expressa est in jure exceptio in cap. Alma mater, de Sentent. excom., in 6. Circa quod advertendum est, ante illud caput non inveniri expressum in jure, hoc sacramentum dari posse omnibus peccatoribus tempore interdicti absque speciali necessitate periculi mortis instantis; nam de illo casu id supponitur in cap. Permittimus, de Sent. excom., et cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss. In dicto autem cap. Alma mater, declaratum, seu concessum est, ut cuilibet homini possit hoc sacramentum tempore interdicti concedi; quia necessitas ipsius sacramenti conjuncta cum periculis, et facilitate hominum ad peccandum, visa est ratio sufficiens ad hanc facultatem concedendam cum limitationibus, quæ ibidem adjunguntur, et statim exponentur.

14. *Quodcumque sit interdict. — Nisi persona illi causam dedit.* — Secundo observandum est, licet in principio illius capitis videatur Romanus Pontifex tantum loqui de interdicto generali loci, tamen postea in ipsa concessione absolute dicere, *Tempore interdicti.* Et, ne quis existimet hoc verbum esse referendum ad initium capitis, et juxta illud restringendum, postea in fine illius clausulæ adduntur hæc verba : *Ubi civitas, vel locus alius, seu universitas interdicti existunt.* In quibus tria interdicta continentur, scilicet interdictum locale, tam generale quam particulare, et interdictum personale generale.

In illis ergo omnibus licitum est sacramentum pœnitentiæ accipere, quando persona causam interdicto non dedit, aut alia censura non obstat, ut statim dicam. Et quidem de interdicto generali loci id habetur expresse in textu; de particulari vero etiam locali tum ex illa particula, *vel locus alius,* tum ex paritate rationis, quando persona non magis fuit in culpa, cur interdictum particulare poneretur, quam generale. Eademque ratio est de interdicto personali generali, quod in textu significatur per illam particulam, *seu universitas.*

15. *Prima limitatio propositæ assertionis. — Refellitur quorumdam sententia.* — Tertio observandæ sunt duæ limitationes, quæ in textu ponuntur. Prima, *Dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo, nolumus ad eamdem,* scilicet pœnitentiam. Circa quam dubitari potest, an sit sermo de excommunicatis tantum propter causam interdicti, vel quocumque alio nomine. Quidam priori modo intelligunt, ut Sylvester, verb. *Interdictum,* 5, num. 9, et Tabiena, num. 6, et Armilla, num. 45, et ratio esse potest, quia per se non est prohibitum excommunicatum absolvere quocumque tempore in foro pœnitentiæ, absolvendo illum prius ab excommunicatione; alioqui neque in articulo mortis licitum erit excommunicatum absolvere a peccatis, non prius absolvendo a censura. Alii vero censent verba illa intelligenda esse absolute de quacumque excommunicatione, ita ut textus ille prohibeat absolvere tempore interdicti a censura excommunicationis, et ideo etiam prohibeat excommunicatum a peccatis absolvere, quia verba textus absoluta sunt, et sine limitatione, et ideo non sunt sine cogente ratione restringenda. Item, quia ad absolvendum ab excommunicatione requiruntur aliquæ cæremoniæ, quæ inter divina officia computantur juxta cap. A nobis, secundo, de Sentent. excommunicationis. Verumtamen hæc ratio licet habere possit locum in absolutione solemni, quæ in exteriori foro certis cæremoniis fit, tamen in absolutione, quæ in foro interiori fieri potest, non procedit; quia sine illis precibus, vel cæremoniis fieri potest, et eisdem fere verbis, quibus datur absolutio sacramentalis, dari potest. Ut autem excommunicato tribui possit pœnitentiæ sacramentum, sufficit absolutio excommunicationis illo posteriori modo data; ergo non est verisimile propter illam rationem prohiberi in illo textu, ne excommunicatus in foro pœnitentiæ absolvatur, et a peccatis, et ab excommunicatione. Unde Panormitan. in cap. finali de Excessib. Prælatorum, num. 5, dicit non esse prohibitum tempore interdicti absolvere ab excommunicatione, saltem quando absolutio non datur cum solemnitate præscripta in dicto cap. A nobis; secus enim censet, quando cum illa fit, de quo postea dicam; ad rem enim præsentem illud prius sufficit.

16. *Non prohibetur privata absolutio ab excommunicatione tempore interdicti.* — Censeo igitur, in dicto cap. Alma, non prohiberi absolutionem ab excommunicatione privatim concessam tempore interdicti, si alioqui excommunicatio non sit reservata, neque aliud impedimentum interveniat, præter interdictum, quia ante dictum cap. Alma, hoc non erat prohibitum; imo videbatur concessum concessa facultate absolvendi a peccatis mortalibus, juxta cap. Nuper, de Sentent. excom. Neque in dicto cap. Alma, fit nova prohibitio, sed solum non conceditur in hoc speciale privilegium. Quapropter, vel textus ille intelligendus est de absolutione solemni et in foro exteriori, vel exponendus est de excommunicatione lata ob causam, et culpam, in qua fundatur etiam interdictum; vel certe (quod probabilissimum mihi est) loquitur de excommunicatione reservata, ita ut illud relativum, *Quos admitti,* etc., sit restrictivum eorum excommunicatorum, quos simpliciter nominaverat; quem sensum Glossa ibi tetigisse videtur.

17. *Secunda limitatio. — Utrum validum sit sacramentum pœnitentiæ collatum specialiter interdicto.* — Alia limitatio est de illis, propter quorum culpam latum est interdictum; quibus non est concedenda pœnitentia, nisi prius satisfecerint modo ibi præscripto, et jam a nobis in superiori puncto explicato. Ex qua limitatione a fortiori colligimus, eum, qui personali, et particulari interdicto ligatus est, non posse sacramentum pœnitentiæ recipere; quia hujusmodi interdictum nunquam fertur. An vero sacramentum pœnitentiæ collatum personæ sic interdictæ specialiter, seu ratione propriæ culpæ validum sit, idem judicium est, quo de excommunicato; quia quoad hanc prohibitionem eodem modo se habent, ut recte notavit Glossa in cap. Præsenti, verb. *Generaliter,* de Sentent. excommunicationis, in 6.

18. *Sacramentum pœnitentiæ potest mi-*

nistrari in loco interdicto. — Sed quæret aliquis, an tempore interdicti localis possit hoc sacramentum ministrari etiam in loco interdicto. Et quidem, quando interdictum est generale loci, non videtur habere dubium, quia tunc tota terra est interdicta, et non oportet extra illam, vel ad locum distantem ire ad hoc sacramentum suscipiendum; et hoc est, quod directe concedit cap. Alma mater, alias nihil novum quoad hoc sacramentum induxisset. At vero quando Ecclesia tantum vel alius similis locus est specialiter interdictus, quidam censent non esse in eo sacramentum pœnitentiæ administrandum, quia commode potest extra Ecclesiam in alio loco non interdicto dari. Sed hoc non satis est, nisi ostendatur prohibitio, quia non sufficit antiqua generalis; quia in dicto cap. Alma mater, videtur limitata etiam circa interdictum particulare loci, ut supra expendi; quæ limitatio nulla fuisset, nisi liceret etiam in tali loco sic interdicto pœnitentiam administrare, quia extra illum antea etiam licebat. Accedit, quod hæc sacramenta, quæ tempore interdicti permittuntur, fieri possunt cum omni decentia, vel requisita, vel magis conveniente; ad hanc autem spectat quod sacramentum pœnitentiæ detur in Ecclesia, vel in loco sacro; et ideo probabilius credam per se concedi, ut hoc sacramentum dari possit in Ecclesia specialiter interdicta, quod etiam confirmant dicta in simili de baptismo et confirmatione.

19. *Qui causam interdicto non dedit, potest pœnitent. sacr. ministrare. — Non vero qui causam interdict. dedit.*—Dicendum superest de activo ministerio hujus sacramenti. De quo primo constat non prohiberi per ullum interdictum locale ei, qui causam illi non dedit. Probatur, tum ex dictis de aliis sacramentis, tum etiam quia per hoc interdictum non arcentur a divinis personæ, quæ illi causam non dederunt, nisi in ordine ad talem locum; sed ministerium hujus sacramenti jam non est prohibitum in loco interdicto per dictum cap. Alma; ergo. Secundo existimo probabilius personas innocentes non privari hoc ministerio per interdictum generale personale. Probatur, tum ex dictis de confirmatione, nam hoc sacramentum magis necessarium est, tum quia eadem exceptio de illo fit in jure; et præterea fit absolute de usu talis sacramenti, unde comprehenditur tam activus quam passivus, quia unus sine alio esse non potest, et ita eadem est utriusque ratio. Tertio, persona specialiter interdicta, vel directe, vel indirecte, quia causam dedit interdicto generali, privata est ministerio activo hujus sacramenti. Probatur satis ex dictis de baptismo. Semper tamen excipitur casus necessitatis proximi, in quo etiam excommunicatus potest pœnitentiam dare; interdictus autem specialiter, ad summum æquiparatur excommunicato.

20. *An sacramentum ministratum a nominatim interdicto validum. — Pars negans. — Quid in hoc dubio sentiendum.* — Sed quæri potest, an sit irritum hoc sacramentum a persona sic interdicta ministratum. Loquor autem per se, et ex vi censuræ; nam ex prava dispositione pœnitentis facile poterit hoc sacramentum esse nullum, juxta specialem proprietatem ejus; de qua alibi. Difficultas ergo propria erit, si pœnitens bona fide accedat. Deinde supponendum est confessorem esse nominatim interdictum, ac denunciatum, alias juxta Extravag. *Ad evitanda,* nondum erit privatus usu potestatis suæ in ordine ad alios; et ideo sacramentum validum erit, licet peccet ministrando. Difficultas ergo est, an interdictum ut sic non solum prohibeat usum, sed etiam tollat jurisdictionem; nam si non tollit, erit validum sacramentum, per se loquendo; si vero tollit, erit nullum. An vero tollat, necne, non invenio in jure expressum, nec a Doctoribus satis definitum. Affirmans vero pars suaderi potest, quia hæc censura privat rebus divinis quantum potest, nisi in jure limitetur : ergo. In contrarium vero est, quia interdictum non tollit jurisdictionem; unde censura lata a persona interdicta, vel absolutio ab illa, et alii actus similes valent. Res profecto mihi dubia est : ideo moneo, ut talis absolutio omnino caveatur. An vero in rigore nulla sit, id est, an hæc censura tollat jurisdictionem, dicam infra tractando similem quæstionem de irregularitate, in quem locum aliam etiam similem de suspensione ab Ordine remisi, quia horum omnium videtur esse fere eadem ratio.

De Eucharistia.

21. *Eucharistia per modum viatici potest dari tempore interdicti. — Quomodo applicanda sit assertio ad interdictum locale. — Idem dicendum respectu peregre navigaturi, et similium.* — Distinguendi sunt duo modi recipiendi, vel ministrandi hoc sacramentum. Unus est per modum viatici ob periculum

mortis, alius est extra illam necessitatem. De priori generalis regula cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., est : *Ubicumque in jure pœnitentia morientibus non negatur, viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, comprehendit, quod nec ipsum discedentibus denegetur.* Cum ergo per interdictum jure antiquo et novo pœnitentia non sit morientibus deneganda, etiam viaticum negandum non est. Est tamen notanda differentia inter generale, et particulare interdictum, tam locale quam personale, quod stante interdicto generali locali, potest hoc viaticum infirmis, seu morientibus tribui, etiam in locis interdictis, quia hoc est moraliter necessarium, eo quod tota civitas, vel locus, v. gr., interdictus sit; et ideo sicut hoc conceditur de pœnitentia, ita etiam de Eucharistia. At vero, quando locus est specialiter interdictus, non solum necessarium non est, verum etiam nec moraliter accidit, ut Eucharistia detur in loco interdicto, quia talis locus solet esse Ecclesia; infirmus autem, cui viaticum ministratur, non solet esse in Ecclesia; potest tamen ex Ecclesia interdicta viaticum ad illum deferri. Si contingeret etiam infirmum in tali Ecclesia ægrotare, vel in hospitali tali Ecclesiæ conjuncto, qui simul cum illa interdictus sit, poterit illi in eodem loco hoc sacramentum ministrari. Similiter, quando periculum non esset mortis naturalis, sed violentæ, aut si navigatio longa esset inchoanda, in quo articulo potest is, qui sacramento indiget, ad Ecclesiam accedere, non oportet sacramentum extra Ecclesiam deferre, sed in ea, licet interdicta sit, est ministrandum, quia etiam tunc datur per modum viatici, respectu cujus per se non est prohibitio, neque interdictio; præsertim, quia magis expedit Eucharistiam in Ecclesia dispensare, etiam si interdicta sit, quam in alio profano loco. Quanquam, si plures essent Ecclesiæ, seu loca sacra, consulendum potius esset, ut id fieret in Ecclesia non interdicta, quam in interdicta.

22. *Quid de ligato personali interdicto particulari.* — De personali etiam interdicto advertendum est, si generale illud sit, et particularis persona, quæ illo ligatur, non dedit causam interdicto, absolute posse communicare absque alia prævia satisfactione, vel absolutione a censura, quia cum ipse non deliquerit, non est de quo satisfactio ab illa sit danda, et cum interdictum generale sit, et non liget hanc personam, nisi ex generali ratione, sicut necessarium non est tale interdictum tolli, ut viaticum detur, ita etiam non est necessarium, ut aliqua absolutio a tali censura præcedat. Secus vero est, quando quis dedit causam tali interdicto; tunc enim præmittenda est satisfactio, quæ ad pœnitentiam concedendam necessaria est, juxta cap. Alma, tum quia hoc sacramentum per se illud supponit, tum etiam quia in præsenti eadem est utriusque concessio. Unde si contingeret posse dari alicui viaticum, et non absolutionem, quia, v. gr., adest diaconus, et non sacerdos, tunc idem modus satisfactionis esset ab illo exigendus, ut probatur satis ex dicto cap. Alma, juncto cap. Quod in te.

23. Atque hoc idem a fortiori locum habet in eo, qui speciali interdicto personali ligatus est; nam ille semper supponitur dedisse causam tali interdicto. Quapropter etiam absolvi debet a tali censura, vel ante absolutionem a peccatis, vel ante viaticum, si prior absolutio dari non potuit, quia omnis censura, quæ per se et directe privat sacramentis, prius tollenda est, quam sacramenta recipiantur. Item quia jam diximus interdictum hoc æquiparari excommunicationi. Quo etiam fit, ut in articulo, omnis, qui potest ministrare sacramentum, possit etiam interdictum auferre quantum ad talem personam, sicut etiam potest auferre excommunicationem. De quo latius infra dicemus.

De activa administratione viatici tempore interdicti.

24. *Sacerdos qui generali interdicto causam non dedit, viaticum ministrare potest.* — *Dubium.* — *Resolvitur.* — Ex quibus intelligitur, quid dicendum sit de activa administratione viatici tempore interdicti. Censeo enim quemlibet sacerdotem, qui non dedit causam interdicto, nec particulari interdicto ligatus est, posse in eo eventu viaticum ministrare, si alioqui jus habet administrandi, quod supponimus. Hoc manifestum est in quolibet interdicto locali; nam illud non impedit hujusmodi personam, nisi quatenus impedit locum, et respective in ordine ad illum; sed tale interdictum non impedit locum in ordine ad viaticum præstandum; ergo neque hujusmodi personam. De interdicto vero personali generali id patet, tum, a paritate rationis, tum maxime quia tale interdictum æque comprehendit omnes personas, quæ causam non dederunt; ergo vel nullam im-

pedit ab hoc ministerio, vel omnes, quia non est major ratio de una quam de alia; suppono enim esse æquales in jure ministrandi. Non potest autem impedire omnes; nam repugnat hoc, si receptio conceditur; ergo nullam impedit. Solum interrogari potest, si in aliquo populo clerus sit interdictus, et solus sit unus parochus, ad quem ex officio pertineat viaticum ministrare, an possit hoc committere aliis sacerdotibus, et illi possint admittere, et exercere, etiamsi generatim interdicti sint. Respondeo: probabilius censeo posse, quia non video specialem prohibitionem, et generalis non sufficit, quia in exceptione viatici totum hoc ministerium includi debet, quia moraliter necessarium est, et quia nihil referre videtur, quod ministerium per ipsum proprium parochum fiat, vel per alium delegatum ab ipso, cum uterque sit æque generatim interdictus. Et ex dictis etiam de pœnitentia, et de aliis sacramentis hoc sequitur.

25. *Sacerdos interdicto ligatus, cui ipse causam dedit, non potest viaticum ministrare si sit alius non specialiter interdictus.* — At vero clericus, qui personaliter interdictus est, vel directe, vel indirecte, quia causam dedit interdicto, non potest, per se loquendo, hoc ministerium usurpare, nisi prius a tali censura absolvatur, quia per talem censuram maxime interdicitur ministerium sacramentorum; et de hoc particulari neque formaliter, neque virtute fit exceptio, ut supra in similibus declaravi. Dixi autem per se loquendo, quia, si sint alii sacerdotes non interdicti specialiter, qui viaticum deferre possint, tunc ille, qui interdictus est, non potest illud ministerium usurpare. At vero, si deesset minister alius idoneus, tunc ob necessitatem poterit sacerdos specialiter interdictus illi succurrere; posset excommunicatus, ut aliis locis late diximus.

26. *An parochus specialiter interdictus possit in hoc sacerdoti simplici suum ministerium committere. — An hujusmodi parochus possit hoc ministerium diacono committere.* — Sed quid si parochus sit specialiter interdictus, et solum sint alii sacerdotes simplices? tenebiturne illis committere vices suas, vel alii possunt sua autoritate se intromittere, eo quod pastor censura ligatus non videatur posse, aut per se facere, aut auctoritatem dare? Respondetur primum non posse alium sibi hoc jus usurpare, quia impedimentum alterius non confert aliis tale jus. Deinde in eo casu non debet parochus per se ministrare sacramentum, quia revera non est necessitas, et alioqui habet absolutam prohibitionem. Debet ergo per alium id facere, potestque et licite, et valide talem facultatem alteri concedere, quia illa concessio non est actus Ordinis, sed jurisdictionis; interdictum autem non impedit jurisdictionis actus, qui non involvunt immediatum usum Ordinis. Propter quod etiam in sacramento pœnitentiæ, potest parochus interdictus ministerium illud, et vices suas alteri committere, eique jurisdictionem in illo foro dare. In quo est differentia notanda intèr interdictum hoc speciale, et excommunicationem, quod parochus excommunicatus non potest alteri jurisdictionem committere, quia hic est quidam usus jurisdictionis; excommunicatio autem privat omni usu jurisdictionis; interdictum autem non ita. Sed quæres tandem, si parochus interdictus non habeat alium sacerdotem, sed diaconum tantum, cui hoc ministerium committat, tenebitur nihilominus non per se facere, sed per diaconum? Respondetur: minime, tum quia jam fere non est in usu Ecclesiæ, ut hoc ministerium committatur diacono, nisi deficiente omnino sacerdote; tum etiam quia hoc spectat ad majorem reverentiam sacramenti, et ad quamdam solemnitatem illius ministerii, quæ servanda est, ut jam dicam.

27. *An tempore interdicti ad ægrotos viaticum cum solemnitate sit deferendum.* — Ultimo dubitari potest, an tempore interdicti viaticum sit ad ægrotos deferendum cum solemnitate et pompa in Ecclesia usitata, an vero servandæ sint circumstantiæ cap. Alma mater, pro exigentia seu proportione illius actionis. Respondeo ex communi sententia, deferendum esse cum omni comitatu, et honore consueto, et debito, juxta cap. Sane, de Celebrat. Missarum; ita Syivest., Angel., et alii Summistæ, et Navarr., num. 179, et Covarr., d. c. Alma, part. 2, § 2, num. 7. Et a fortiori patet ex dictis de baptismo et confirmatione; nam si illa sacramenta solemniter ministrari tunc possunt, multo magis Eucharistia; nam illi longe major reverentia debetur, et ad hunc finem totus ille honor ordinatur. Unde rationes aliæ de aliis sacramentis factæ a fortiori in hoc locum habent.

28. *In prædicto casu non omittenda campanarum pulsatio.* — Solum dubitari potest de campanarum pulsatione; nam hæc specialiter videtur prohibita in d. c. Alma. Respondetur etiam esse licitam, nam in d. c. solum

mandatur, ut Missæ, et alia divina officia dicantur campanis non pulsatis; deferre autem viaticum, non est Missam dicere, aut aliud divinum officium, quod audire eo tempore prohibitum sit; et ideo illa prohibitio ad hanc actionem non extenditur. Quod etiam ex fine talis prohibitionis colligi potest; nam signum cimbalorum datur ad excitandam vel congregandam plebem; quia ergo ad Missas, et divina officia audienda publice et indiscriminatim non est populus admittendus, ideo nec est illo signo publico convocandus. At vero ad sanctissimum sacramentum comitandum, et venerandum, omnes concurrere possunt, et admitti; non est ergo prohibitum prædicto signo illos vocare, et ad reverentiam excitandam. Quia vero in aliquibus locis consuetum est, ut in illa actione campanæ pulsentur cum quadam significatione alacritatis et gaudii, consulendum videtur, ut tempore generalis interdicti illa peculiaris significatio omittatur.

29. *Quantum debeat esse mortis periculum, ut tempore interdicti Eucharistia infirmis deferri possit.* — Poterat tandem hoc loco tractari, quanta debet esse necessitas, et quale mortis periculum, ut sufficiat ad hoc ministerium tempore interdicti præstandum. Sed de hac re videnda sunt, quæ superiori tomo dixi de articulo et periculo mortis, et ad hunc locum sunt applicanda, ex principio posito, quod quoties potest pœnitentia dari propter occasionem mortis, potest etiam Eucharistia. Addo vero non esse necessarium expectare evidens periculum mortis, aut quod infirmitas nimium aggravetur, sed satis esse, quod sit ex suo genere gravis. Itaque quoties judicio docti medici, infirmitas, vel occasio est ita gravis, ut prudenter quis faciat se ad mortem præparando, petendo viaticum, illi est dandum, quia ista nihil aliud petunt, nisi quod intercedat vera occasio suscipiendi viaticum; cumque hoc ad favorem pertineat, est ampliandum quantum prudenter possit. Unde a fortiori constat idem dicendum esse de quacumque occasione probabili mortis violentæ, et multo magis quando illa certo instat, ut in damnatis ad mortem; suppono enim illis jure non denegari Eucharistiam, ut breviter tetigi in tertio tomo, disp. 69, sect. 3, in fine, et videri possunt, quæ citat Covarr., dict. cap. Alma, part. 2, § 3, d. 3, et l. 2 Variarum, cap. 1, num. 11.

De communi usu Eucharistiæ.

30. *Sacerdotalis usus Eucharistiæ.* — Superest, ut dicamus de usu hujus sacramenti, quando non datur per modum viatici. In quo distinguere possumus duplicem usum, scilicet in sacrificio, vel extra; et priorem vocare possumus sacerdotalem, alium vero laicum. De priori nunc non agimus, quia non est separabilis a Missæ sacrificio, quia nec sacrificium sine tali communione, nec talis communio extra sacrificium fit. Quapropter tunc licet illa communio, quando licet sacrificare; et e converso qui sacrificare non potest tempore interdicti, nec communicare illo modo potest. Quando autem et quomodo sacrificium illud permissum sit tempore interdicti, dicemus disputatione sequenti.

31. *De usu laico Eucharistiæ regula generalis.* — *Occurrit objectioni.* — De communi ergo, seu laico usu Eucharistiæ regula generalis est, jure communi prohibitam esse omnibus ex vi interdicti, juxta modum ejus. Ratio est, quia omne interdictum prohibet sacramentorum usum in his, quæ jure non excipiuntur; sed usus Eucharistiæ non est exceptus extra sacrificium, nisi quando datur per modum viatici; ergo extra illum articulum manet sub generali juris prohibitione, ut recte concludit Panormitanus secutus Calderinum, in cap. Quod in te, de Pœnis et remiss., num. 2. Dices : in cap. Alma, conceditur, ut pœnitentia possit sanis administrari, non obstante interdicto, et in dict. c. Quod in te, dicitur sub pœnitentia comprehendi Eucharistiam ; ergo favor ille cap. Alma mater, extendendus est ad Eucharistiam, quæ sanis datur. Respondetur negando minorem; verba enim cap. Quod in te, hæc sunt : *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus.* Non ergo sub pœnitentia absolute sumpta voluit Pontifex Eucharistiam seu usum ejus comprehendi et concedi, quia hoc nec ex proprietate verborum, nec ex aliqua universali ratione haberi poterat; sed specialiter sub pœnitentia morientium voluit comprehendi viaticum, quia in illo articulo habent illa sacramenta necessariam quamdam conjunctionem. Et ideo concessio illa, quæ de pœnitentia fit in d. c. Alma, pro omnibus etiam sanis, extendi non potest ad communem Eucharistiæ usum.

32. *Tempore interdicti dari nec recipi po-*

test Eucharistia extra periculum mortis. — Ex his ergo fit, ut quando interdictum est generale loci, Eucharistia nec dari, nec recipi possit prædicto modo in toto illo loco interdicto, a quibuscumque personis cujuscumque loci, aut ordinis, seclusis privilegiis, aut specialibus exceptionibus, de quibus statim. Et idem proportionaliter est de interdicto particulari loci quoad illum specialem locum. At vero extra illa loca communicare poterunt omnes personæ, quæ directe vel indirecte non fuerint personaliter interdictæ. Ratio est, quia hæc est vis et institutio interdicti localis, ut constat ex dict. c. Si civitas, et ex aliis juribus supra citatis. Secundo sequitur, quando interdictum est generale personarum, omnes de populo, qui sub illo generatim comprehenduntur, prohiberi absolute Eucharistiam sumere, seu in quocumque loco, quia hæc etiam est vis interdicti personalis generalis, ut ex eisdem juribus constat, et supra declaratum est. De interdicto autem personali particulari a fortiori hoc idem procedit, cum supra dictum sit etiam per modum viatici dari aut recipi non posse, per se loquendo, nisi ablato tali interdicto. Quod idem intelligimus de personis interdictis, ut causam dederint cuilibet interdicto generali, quia tanquam specialiter interdictæ reputantur.

33. *Exceptio regulæ generalis. — An jure communi aliquæ personæ a dicta regula excipiantur. — Prima opinio.* — Ab hac tamen generali regula excipiuntur illi, qui ad communicandum eo tempore, vel loco, speciale privilegium habent, ut sunt communiter religiosi et moniales. Multi etiam viri nobiles habere solent hæc privilegia, et per bullam etiam Cruciatæ conceditur, et per alias, quarum tenor attendendus est et servandus. Dubitari autem potest, an jure communi excipiantur aliquæ personæ Ecclesiasticæ ab hac generali regula. Dicunt enim aliqui, quando locus, vel Ecclesia per generalem censuram interdicuntur, clericos ad talem Ecclesiam pertinentes, quique ibi possunt officiis divinis interesse, juxta cap. Alma mater, posse etiam ibi Eucharistiam sumere. Ita Sylvest., verb. *Interdictum,* 5, num. 9, citans Geminianum, in dict. cap. Alma. Alioqui (ait Sylvester) stante eodem interdicto posset hodie alicui licere communicare, cui heri non licebat; ut si heri erat diaconus tantum, et jam ordinatus est sacerdos. Sed hoc nullum inconveniens est, tum quia est mutatus status personæ; tum etiam quia non est sermo de eadem communione; illi enim sic de novo ordinato sacerdoti licita est de novo communio sacerdotalis, seu sacrificalis, ut sic dicam, quia novam potestatem sacrificandi accepit; de alia vero communione eadem quæstio manet. Fundamentum ergo illius sententiæ sumi debet ex cap. Alma, ubi conceditur clericis Missas et divina officia celebrare cum circumstantiis, de quibus infra; ergo etiam eis conceditur, ut possint Eucharistiam accipere; nam hæc est veluti pars divinorum officiorum.

34. *Opposita sententia communis.* — Hæc vero sententia communiter non approbatur, ut colligitur ex Covarruvia, dict. cap. Alma, part. 2, § 5, num. 6; Navarro, cap. 27, num. 178, et ex aliis, quos ipsi referunt, et ex Panormitano supra. Et fundamentum est, quia illa concessio cap. Alma, ex vi et proprietate terminorum non extenditur ad communionem laicam Eucharistiæ, quia illa nec est sacrificium, nec pars ejus, nec etiam est divinum officium, prout ibi accipitur, nec pars illius; sicut enim inter effectus interdicti distinctos est privatio sacramentorum a privatione divinorum officiorum, ut ex discursu hujus, et sequentis disputationis, constabit, ita concessio seu relaxatio unius effectus per se distincta est, et non comprehendit alium effectum. At vero communio hæc, licet clericis vel sacerdotibus detur, ex se laica est, et ita in jure appellatur, ut alibi tractavimus; ergo non comprehenditur in dicta concessione. Et confirmatur, quia ibi Pontifex solum concedit clericis tanquam ministris Ecclesiæ, quod possint facere divina, sicut prius; sed communicare non est officium ministrorum, neque prius id faciebant tanquam ministri. Et rationes, quibus ibi Pontifex motus esse dicitur ad concedendum illud ministerium, locum non habent in recipienda Eucharistia laicorum more; ergo non est illa concessio ad hunc casum extendenda.

35. *Quid in hæc controversia sentiendum. — Tom. 3, disputat. 69, sect. 3.* — Inter has sententias non est facile judicium ferre, ut etiam sensit Calderinus in suo tractatu de Interdicto, et Paludanus, in 4, dist. 18, q. 8, num. 30, qui dicit Papam esse super hoc consulendum. Quamdiu tamen ejus judicium non habemus, probabiliter potest defendi prima sententia ex alio fundamento, nimirum quod cui conceditur facultas assistendi Missæ sacrificio, conceditur etiam, ut de illo partici-

pare, seu communicare possit, nisi expresse excipiatur, seu denegetur. Quamvis enim qui Missam audit, non statim obligetur ad communicandum in illa, ut alibi latius probavimus, quod verum est non solum de laicis, sed etiam de clericis, nihilominus est valde consentaneum huic sacrificio, et modo, quo in Ecclesia offertur, ut qui assistunt, de illo suo modo participent, sicut illud suo modo offerunt; et ideo usitatum olim in Ecclesia fuit, ut assistentes in Missa communicarent, quod maxime in clericis observatum, et aliquando etiam præceptum fuit. Unde de se ait Trid. Synodus, sess. 22, c. 6 : *Optaret, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent;* ergo verisimile est, ut quando Ecclesia alicui aufert interdictum, quantum ad prohibitionem assistendi huic sacrificio, concedere etiam, ut de illo participare possit, si alias specialiter non prohibet, quia in illa absoluta concessione continetur, ut possit quantum voluerit, et valuerit, uberrimum fructum illius sacrificii participare; certum est autem accepturum uberiorem, si in tali sacrificio communicet. Præterea expendo verba illa cap. Alma : *Dicantur divina officia sicut prius;* nam prius ita dicebantur, ut ministri de sacrificio communicare possent, si vellent, et hæc, ut dicebam, erat antiqua consuetudo; et hanc nunc desiderat Ecclesia, quamvis non præcipiat; ergo ex vi illorum verborum conceditur ministris, ut divina faciant modo consueto, vel de facto, vel saltem de licentia, vel (ut ita dicam) de consilio Ecclesiæ, seu, quod idem est, conceditur illis, ut saltem possint participare sicut prius. Denique favores ampliandi sunt, et hic sensus est satis consentaneus verbis, ut expensum est, et rationi textus, ut patet ex illis verbis : *Ex districtione hujusmodi statutorum crescit indevotio populi, et infinita pericula animarum surgunt.* Hæ namque duæ rationes maxime locum habent in privatione, seu dilatione communionis, et majorem habent vim in clero, et personis Ecclesiasticis; ergo non est, cur hæc amplificatio hujus gratiæ nimia esse videatur.

36. *Corollarium superioris doctrinæ, et ampliatio cap. Alma.* — Ex qua sententia sequitur optima ampliatio ad cap. Alma, dum concedit omnibus laicis, ut in quatuor festivitatibus, Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et Assumptionis Virginis, possint interesse divinis, consequenter concedere, ut possint Eucharistiam sumere. Licet oppositum sentiat Antonin., 3 part., tit. 26, c. 4; Sylvest. (plane non satis consequenter), *Interdictum,* 5, quæst. 2; Soto, 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, post 4 concl.; Covarr. supra. Qui solum fundantur, quia in illo capitulo hoc expresse non conceditur. Nobis autem ex ratione facta videtur concedi virtute, idque satis esse. Et præterea expendo illa verba : *Participationem permittimus divinorum;* nam hæc verba in rigore non solum ad assistendum, sed etiam ad communicandum, id est, ad participandum quantum sunt capaces, faciunt facultatem. Accedit, quod quibus Pontifex voluit hoc negare, eos expressit subjungens in hunc modum : *Sic tamen, quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.* Quæ verba intelligi possunt de oblationibus fidelium, ad quas faciendas solent ad altare accedere, ut refert Paludanus supra; non tamen video cur non potius sint de communione intelligenda; nam illa est propter quam maxime solet ad altare accedi. Et sumi potest argumentum ex cap. Quia in omnibus, de Usuris, ubi de publicis usurariis dicitur : *Nec ad communionem admittantur altaris, nec oblationes eorum quisquam accipiat.* Expendo enim, quod nomen altaris cum communione potius, quam cum oblatione conjunctum est. Quamvis ergo non negem per verba illa cap. Alma, prohiberi hujusmodi interdictis, et peccatoribus omne ministerium altaris, et omnem actionem, vel receptionem sacram, quæ circa altare fit, dico tamen, ibi etiam Eucharistiæ communionem comprehendi, ac proinde aliis vel non interdictis, vel qui interdicto per suum excessum causam non dederunt, non prohiberi, sicut neque aliud altaris ministerium, cum alias et capaces et digni sint. Atque hæc probabiliter sint dicta pro hac parte, quæ pia et favorabilis videtur; nihilominus communis sententia non difficile defendi potest, et in praxi servanda est Ecclesiæ consuetudo.

37. *An ad implendum præceptum annuæ communionis possit quis tempore interdicti communicare.* — Tandem hinc obiter expeditur alia quæstio, an scilicet propter implendum præceptum de annua communione, possit quis, aut debeat tempore interdicti communicare, possitque illi Eucharistia dari. Aliqui enim simpliciter affirmant, quia tunc jam illud est sacramentum necessitatis. Antoninus vero et alii simpliciter negant. Di-

cendum est, jure antiquo id non licuisse, quia solum concedebatur propter viatici necessitatem, ut supra ostensum est; necessitas autem præcepti Ecclesiastici neque est similis, neque æqualis; imo jam tunc non esset necessitas, quia per unam prohibitionem cessat obligatio alterius præcepti ejusdem Ecclesiæ; sicut in die festo cessat obligatio audiendi Missam posito interdicto, et prohibitione ejus. Idemque dicendum erit nunc juxta communem priorem sententiam. Defendendo autem posteriorem, consequenter dicendum est, posito jure novo dicti cap. Alma, aliud verum esse, quia una ex illis quatuor festivitatibus est Pascha, pro qua specialiter obligat præceptum annuæ communionis; sed dictum est ex vi illius juris ablatam esse prohibitionem interdicti quoad communionem; ergo obligabit tunc præceptum, cum jam omne impedimentum ablatum sit. Neque est inconveniens, ut ex uno favore pullulet aliunde alia obligatio, quando illud est per accidens, et solum quasi removendo prohibens; præsertim, quia illa obligatio communicandi neque odiosa neque onerosa censeri debet, sed potius favorabilis. Neque ab hac sententia est alienus Navarrus supra, quamvis dicat consulendum esse Summum Pontificem.

De extrema unctione.

38. *Tempore interdicti, nec etiam ob mortis periculum, dari potest extrema unctio.* — De hoc sacramento est expressa et absoluta prohibitio in cap. Quod in te, de Pœnitentia et remiss., cujus verba sunt : *Licet per generale interdictum omnibus denegetur tam unctio quam Ecclesiastica sepultura*, etc. Ubi significatur non fieri de novo illam prohibitionem, sed jam factam supponi; et licet in particulari non inveniatur in antiquioribus juribus, satis est, quod a prohibitione generali divinorum non inveniatur excepta. Additurque in eo capite, quasi per declarationem specialem, non esse excipiendam. Quod jus per nullum posterius revocatum, aut limitatum invenitur. Est autem notanda triplex distributio ibi formaliter, vel virtute contenta. Prima est temporis, seu occasionis, aut necessitatis ministrandi hoc sacramentum; nam absolute prohibetur, ita ut propter extremum mortis periculum ægrotantibus dandum non sit; et ita intelligunt Doctores omnes. Et ratio est clara, quia proprium, et quasi intrinsecum tempus, in quo dandum est sacramentum, est, quando mors instat ex gravi morbo; ergo si prohibetur, pro illo articulo maxime prohibetur. Et in hoc est facta differentia inter hoc sacramentum et Eucharistiam, quia non est ita necessarium, sicut illa.

39. *Idque intelligendum non solum de accidentali solemnitate, sed de substantiali sacramento. — Respondetur cuidam objectioni.* — Secunda distributio est modi, ut sic dicam, conferendi hoc sacramentum, quia in hoc non est distinguere sicut in baptismo, quod detur cum solemnitate vel sine illa, quia neutro modo dari potest; simpliciter enim prohibetur quoad substantialem solemnitatem, ut sic dicam, sive habeat accidentalem adjunctam, sive non; multum enim differt a baptismo in necessitate. Et præterea in hoc etiam differt quoad substantialem solemnitatem, quia semper requirit sacerdotem ministrum, qui ex officio illud conferat, qui in baptismo non semper est necessarius. Accedit, quod illa sacramenta, quæ tempore interdicti specialiter permittuntur, etiam cum accidentali solemnitate dari possunt; ergo e converso cum hoc sacramentum prohibetur, simpliciter et quoad substantiam prohibetur. Denique nomen unctionis, ipsam substantiam sacramenti significat. Dices : cur potius prohibetur unctio, quam confirmatio? nam si necessitatem simpliciter spectemus, non est magis necessaria confirmatio, quam unctio; si vero utilitatem, non est minus necessaria unctio morituris, quam confirmatio victuris. Respondetur, non esse facile rationem reddere, quæ Innocentium III moverit, qui fuit auctor utriusque decreti; fortasse tamen non tanti æstimasse necessitatem unctionis, sicut confirmationis, quia sine confirmatione non censetur aliquis perfecte Christianus, et sæpe accidere potest, ut multi, verbi gratia, pueri ante usum rationis absque aliis sacramentis, præter baptismum et confirmationem moriantur; alii vero, qui sunt capaces unctionis, et supponuntur jam perfecti quod statum Christianorum per baptismum et confirmationem, et quoad propriam et personalem necessitatem eis subvenitur per pœnitentiam et Eucharistiam, et ideo non tanta videtur eorum necessitas. Accedit, quod sacramentum confirmationis omnino ordinatur ad internum animæ bonum; unctio vero etiam ad salutem corporis; et ideo ex hac parte minor ejus quodammodo necessitas visa est, et ejus

interdictio magis necessaria ad vigorem et terrorem hujus censuræ, tum quia homines magis timere solent (de vulgo et multitudine hominum loquimur) detrimenta corporis, quam spiritus; tum etiam quia si hæc omnia sacramenta concederentur tempore interdicti, quoad hanc partem contemneretur.

40. *Omnibus personis cujuscumque conditionis prohibetur extrema unctio tempore interdicti.* — Tertia distributio est personarum, quæ ibi formalius continetur in illa particula *omnibus,* quæ ex se tam clericos, quam laicos comprehendit. Accedit præterea, quod cum in citatis verbis duo conjungantur, scilicet unctio et sepultura sacra, quoad sepulturam statim excipiuntur clerici, ut infra videbimus; ergo quoad unctionem comprehensi relinquuntur, ut recte ibi notat Abbas, num. 9, et communis sententia, idemque est de religiosis et quibuscumque aliis, quia verba universalissima sunt, quæ nemo jure limitare potest, nisi in alio decreto talis limitatio vel exceptio adjuncta sit; *nam ubi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum,* ut dicitur in Clementina *Exivi,* § Porro, de Verborum significationibus.

41. *Paludanus confutatur.* — Quapropter immerito Paludanus, dist. 18, q. 8, num. 28, ab hac sententia communi recessit, dicens clericis et religiosis dari posse unctionem, sumens argumentum ex eodem cap. Quod in te, quia ibi (inquit) conceditur his Ecclesiasticis personis Ecclesiastica sepultura; ergo sub illa comprehenditur unctio, quæ est veluti præparatio ad illam; credendum est enim, eum, qui concedit sepulturam soli corpori proficuam, unctionem animæ necessariam non negare. Sed potius inde oppositum colligitur; nam cum ex duobus propositis et generaliter vetitis, unum tantum Pontifex concedat et de altero taceat, illud tacendo negavit, ut in simili argumentatur Gregorius, hom. 18 in Evangelia, et refertur in cap. Nonne, de Præsumptionibus. Non ergo unum sub alio comprehenditur, alias nec in principio oportuisset unctionem distincte exprimere; cumque minus sit sepultura, quam unctio, non recte ex concessione minoris infertur, etiam id, quod majus est, esse concessum. Cur autem Pontifex (hoc enim argumentum Paludani postulare videtur) concesserit Ecclesiasticis personis sepulturam Ecclesiasticam, et non sacram unctionem, dicendum est, negari unctionem propter rationes superius factas; sepulturam vero concedi propter status decentiam, ut inferius latius dicemus. Addendum vero est, per hæc non excludi specialia privilegia, quæ aliquæ religiones pro suis religiosis vel familiaribus a Sede Apostolica habere possunt.

42. *Doctrina data ad interdictum locale applicatur.* — Ultimo tamen advertendum est dictum cap. Quod in te, speciatim loqui de interdicto generali loci, et ita ex illo textu immediate tantum haberi, in toto illo loco interdicto non posse hoc sacramentum ministrari, quanquam personæ illius loci, si alibi ægrotent, vel se illuc deferri faciant, possint ibi hoc sacramentum accipere, si causam interdicto non dedere, juxta superius dicta. Hoc autem servata proportione in interdicto particulari loci servandum est, quia est eadem vel major ratio, procedit generalis prohibitio, quod in loco interdicto nulla sacramenta administrantur, juxta c. Responso, de Sent. excomm.

43. *Applicatur ad interdictum personale.* — Ad interdictum etiam generale personale, et a fortiori ad speciale, commutata (ut sic dicam) proportione, eadem regula applicanda est; nam omnes personæ sic interdictæ, etiamsi causam non dederint interdicto, hoc sacramentum accipere non possunt, neque in eo loco, neque in alio, nisi prius a tali interdicto aliquo modo liberentur, quia tale interdictum, ut supra vidimus, omnes et singulares personas afficit et in eis habet suum effectum; hic autem est generalis sacramentorum prohibitio juxta jura supra citata. Atque hæc omnia procedunt juxta antiquum jus. Dubitari vero potest, an juxta novum jus in cap. Alma mater, liceat hoc sacramentum ministrare in quatuor festivitatibus ibi exceptis. Sed dico breviter quoad hanc partem nihil esse innovatum illo jure, quia de hac re nulla ibi mentio fit, neque in specie, neque in genere.

De Ordine.

44. *Non potest laicis sacramentum Ordinis conferri tempore interdicti. — Quid de clericis.* — De hoc sacramento non invenio aliquid in propria specie in jure declaratum, et ideo nonnulla est diversitas inter auctores. Et in primis quoad personas laicas, omnes conveniunt non posse tempore interdicti sacramentum hoc eis conferri. Ratio est, quia prohibitio est generalis, juxta dictum cap. Responso, et de sacramento Ordinis nulla facta est ex-

ceptio : ergo. Nihilominus tamen circa personas Ecclesiasticas aliqui dicunt eos, qui jam habent aliquem Ordinem inferiorem, posse non obstante interdicto ad superiorem promoveri. Ita Innocentius, in cap. Non est vobis, de Sponsalibus, qui de omnibus clericis loquitur, et ideo ex illius sententia etiam hi, qui solum primam tonsuram habent, poterunt Ordinibus initiari. Ratio est, quia clerici sunt.

45. *Secunda et vera sententia. — Extra locum interdicti potest suscipere Ordines, qui illi causam non dedit.* — Nihilominus contraria sententia vera est, quam tenent Panormitanus, in dict. cap. Non est vobis; Paludanus, dist. 18, quæst. 8, num. 29; Covarruv., dict. cap. Alma, part. 2, § 3, num. 4, et omnes Summistæ. Et ratio est, quia ista exceptio nullo jure fundatur. Neque illa ratio Innocentii satis intelligitur; aut enim agimus de interdicto locali aut de personali : si de locali, sicut per illud non sunt absolute interdicti clerici, ita nec laici, et sicut locus est interdictus in ordine ad laicos, ita et in ordine ad clericos in his, quæ illis non sunt jure concessa; nullo autem jure est illis concessum, ut possint ad superiores Ordines promoveri in tali loco, vel quod quispiam possit in eodem loco Ordines conferre, nisi prius ab eodem loco interdictum auferat vel suspendat, si ad hoc potestatem habet. Quod patet ex dict. cap. Alma, in quo postrema et major extensio hujus concessionis facta est, et tamen ibi hoc non conceditur, ut ex textu constat. Hæc autem intelligenda sunt de omnibus Ordinibus, quæ sunt sacramentum, et consequenter etiam de consecratione Episcopali. De prima vero tonsura et de benedictione Abbatis vel virginis, quæ non sunt sacramenta, sed sacramentalia, non est eadem ratio. Sed ita de illis judicandum est, sicut de divinis officiis, de quibus infra. Si vero loquamur de interdicto personali, aut illud esset solius populi laici, vel solius clerici, vel utriusque : de primo verum est per illud non prohiberi clericos, quin ulterius ordinari possint, quia non sunt interdicti; tamen eadem proportione, de secundo interdicto verum est, per illud prohiberi clericos, ne ulterius ordinari possint, non vero prohiberi laicos, quin denuo possint Ordinibus initiari, quia non sunt interdicti. Si vero loquamur de tertio interdicto, ex vi illius nec laici, nec clerici ordinari possunt, quia omnes sunt interdicti; nulla est ergo exceptio nec differentia quoad hoc inter Ecclesiasticos et laicos, si proportio servetur. Unde nihil etiam oportet hic distinguere inter personale interdictum generale et particulare, neque inter eos, qui dederunt vel non dederunt causam interdicto; omnes enim simpliciter prohibiti sunt, quamdiu interdicto ligantur. Solum oportet advertere in interdicto locali eos, qui sua culpa causam dederunt, simpliciter prohiberi ordinari vel ordinare, non tantum in loco interdicto, sed ubique, quia illi consequenter sunt personaliter interdicti, ut superius declaratum est.

De matrimonio.

46. *Sponsalia de futuro non prohibentur fieri tempore interdicti.* — In matrimonio tria distinguere possumus, scilicet sponsalia de futuro, substantiam matrimonii, et Ecclesiasticam solemnitatem cum sacerdotali benedictione, quæ subsequi solet et debet. De sponsalibus certum est licite et valide fieri posse tempore interdicti, sive in loco interdicto, sive inter personas interdictas, quia illud neque est sacramentum, neque aliquid sacrum aut divinum officium, sed est tantum quidam humanus contractus; ideo non continetur in his, quæ per interdictum prohibentur.

47. *Covarruv. opinio.* — Secundo est certum benedictiones nuptiales esse prohibitas tempore interdicti, quia inter divina officia computantur; imo habent adjunctum Missæ sacrificium et solemnes preces a sacerdote in Ecclesia factas; hæc vero divina officia prohibita sunt tempore interdicti, ut postea videbimus. Et in hoc conveniunt omnes Doctores statim citandi. Quanquam Covarr., in dict. cap. Alma, part. 2, § 2, num. 7, censet, si solemnitas matrimonii fiat cum his circumstantiis, cum quibus Missa dici potest in loco interdicto, juxta cap. Alma, non esse malum, neque prohibitum ita fieri. Quia ibi conceditur, ut Missæ divinaque officia dici possint sicut prius, campanis non pulsatis, et januis clausis, et interdictis ac excommunicatis exclusis; sed hæc benedictio et solemnitas est quoddam sacrum officium cuidam Missæ annexum seu conjunctum; ergo cum eisdem circumstantiis licebit.

48. Obstat vero huic sententiæ, quia illa officia solum conceduntur clericis; nam, per se loquendo, debent excludi laici, ut infra videbimus; sed hoc officium per se et intrinsece requirit præsentiam laicorum, scilicet sponsi et sponsæ. Responderi potest, hoc esse

accidentarium, et saltem id licere, quando sponsus et sponsa aliunde habent privilegium audiendi divina officia tempore interdicti. Sed contra, nam potius hoc est per accidens, scilicet habere tale privilegium; per se autem est, quod talis actus intrinsece requirat personas laicas, et ideo non videtur comprehensus sub illis officiis, quæ in dicto cap. Alma, permittuntur; nam illa supponuntur esse talia, ut inter solos clericos dici possint. Quæ ratio videtur efficax, supponendo laicos esse excludendos a divinis officiis; nihilominus tamen probabilem censeo opinionem Covarruviæ cum ea moderatione, quod sponsus et sponsa alioqui possint interesse divinis, ut ex dicendis sequenti disputatione clarius constabit.

49. *Matrimonium tempore interdicti celebratum est validum.* — Tertio est certum, matrimonium, si tempore interdicti fiat, servatis conditionibus alias requisitis, vel ex se, vel ex novo jure Concilii Tridentini, validum esse. Hæc est communis sententia, quam probat Gloss., dict. cap. Alma, verb. *Sacramentis,* quia matrimonium non est sacramentum dans gratiam. Sed assumptum est erroneum in fide, ut nunc suppono, et impertinens ad inferendum consequens; quid enim obstat dare gratiam, ut valeat sacramentum? Alias Ordo datus tempore interdicti vel personæ interdictæ, non esset validus, quia est sacramentum dans gratiam. Ratio ergo solum est, quia interdictum nihil aufert, quod sit de veritate talis sacramenti. Confirmatur, quia supra ostensum est, matrimonium inter excommunicatos contractum validum esse; ergo etiam erit validum ab interdictis contractum, etiamsi ob excessus proprios interdicti sint, quia isti ad summum comparantur excommunicatis in usu sacramentorum, ut supra dictum est. Ergo a fortiori matrimonium contractum in loco interdicto validum erit, quia minus potest circumstantia loci quam personæ, matrimonium invalidum reddere.

50. *An matrimonium licite contrahatur interdicti tempore. — Sententia affirmativa. — Refellitur fundamentum.* — Difficultas ergo superest, an licitum sit matrimonium contrahere non obstante interdicto; multi enim Doctores simpliciter affirmant, Sylvester, verb. *Interdictum,* 5, n. 9, cum Innocentio, cap. ult. de Excessibus Prælat., n. 6, clarius in c. Non est, de Sponsal., ubi Panormitanus dicit esse communem, et rationem indicant, quia inter infideles licite contrahitur matrimonium; ergo et inter fideles etiam interdictos. Quæ ratio idem concluderet de excommunicatis; non est ergo bona illatio, quia inter fideles matrimonium est sacramentum, non vero inter infideles. Item quia fideles subjecti sunt ritibus et prohibitionibus Ecclesiæ, non tamen infideles. Eamdem vero sententiam tenent Covarruv., dicto num. 7, et Navarr., cap. 27, n. 179, ubi etiam asserunt inter interdictos personaliter et specialiter posse licite matrimonium contrahi. Fundamentum esse videtur, quia licet matrimonium sit sacramentum, tamen est etiam contractus humanus; imo substantialiter est contractus, et ratio sacramenti est illi adjuncta; contractus autem humani non sunt prohibiti per interdictum; ergo nec matrimonium est prohibitum. Et confirmatur, nam hac ratione dicitur in jure, matrimonium quocumque tempore contrahi posse, in cap. Appellamus, de Feriis. Neque hoc caput restrictum aut derogatum est per Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 1 de Reformatione matrimonii, quia licet ex vi illius decreti requiratur præsentia parochi et duorum testium, tamen quocumque tempore illa forma contrahendi adhiberi poterit.

51. *Excluditur supra posita sententia.* — Nihilominus fundamenta hujus sententiæ videntur esse infirma, et aliunde obstare generalem regulam prohibentem usum sacramentorum tempore interdicti in cap. Responso, de Sentent. excomm., et in cap. Alma, generaliter dicitur, nulla esse ministranda sacramenta, certis casibus et sacramentis exceptis. Sed matrimonium nullo jure exceptum est; ergo est simpliciter prohibitum. Nec videtur quicquam referre, quod sit contractus; nam hoc non tollit, quin sit etiam sacramentum. Quæ ratio sacramenti principalior est, et alia ratio contractus per illam elevatur, et ideo sequitur, ut ita dicam, forum, vel prohibitionem, aut concessionem ejus. Unde quod in alio cap. Capellanus, dicitur, satis juridice exponetur, quod omni tempore non prohibito potest matrimonium contrahi, vel certe, quod licet possit omni tempore, non tamen omni loco, neque inter quascumque personas, sed circumstantiis servatis, quas jura disponunt. Eo vel maxime, quod in illo textu non dicitur matrimonium omni tempore contrahi posse, sed *quocumque tempore contrahi* (id est, validum esse) *consensu interveniente legitimo de præsenti.* Quapropter in rigore juris videtur verior contraria sententia.

52. *Negans sententia probatur percurrendo omnes species interdicti. — Probatur in interdicto personali particulari. — Occurritur objectioni.* — Et in primis de interdictis personaliter et specialiter (sub quibus comprehendo omnes, qui interdicto causam dederunt) videtur sane probabilius non posse licite matrimonium contrahere; nam illos omnino separat Ecclesia a participatione sacramentorum. Et confirmari potest, nam excommunicatus non potest licite matrimonium contrahere; ergo nec interdictus specialiter; nam æquiparantur quoad separationem a sacramentis. Dices, excommunicationem prohibere etiam contractus et in hoc differre ab interdicto. Sed contra primo, quia excommunicatus contrahens matrimonium non solum peccat ut communicans in humanis, sed etiam ut participans in divinis, alias solum venialiter peccaret; cum tamen constet peccare mortaliter; sed interdictus specialiter æque est exclusus a participatione divinorum : ergo. Deinde sumi videtur efficax argumentum ab excommunicatione minori; nam illa non privat communicatione humana, nec contractibus, et nihilominus qui sola illa ligatus est, non potest sine gravi crimine matrimonium contrahere, quia est separatus a participatione sacramentorum, juxta cap. ult. de Clerico excommunicato ministrante; ergo a fortiori idem dicendum est de specialiter interdicto; nam est gravior censura et quoad hoc eumdem effectum habet secundum jura.

53. *Eadem sententia in interdicto generali personali ostenditur.* — Deinde videtur idem dicendum de interdicto generali personali; nam etiam, qui illo tantum sine culpa propria ligati sunt, non videntur posse matrimonium contrahere, quia nullo jure excipiuntur; et alioqui est generalis prohibitio præterquam in solis casibus a jure expressis, juxta cap. Si sententia, de Sentent. excomm., in 6, ubi de interdictis per generale ac personale interdictum dicitur : *Non debent alicubi (casibus expressis a jure duntaxat exceptis) audire divina vel Ecclesiastica recipere sacramenta.* Ubi Gloss., verb. *Expressis,* solum allegat jura de baptismo, et confirmatione, et viatico loquentia. Et in dicto c. Alma, etiam dicitur, *certis casibus et sacramentis exceptis,* ubi Glossa de matrimonio solum dicit, *tenet etiam matrimonium;* non vero ait, licet.

54. *Idem de interdicto locali suadetur. — Non licet parocho assistere matrimonio in loco interdicto.* — Denique idem consequenter, et cum proportione videtur dicendum de interdicto locali; nimirum ex vi illius non licere in loco interdicto matrimonium contrahere, propter similem rationem. Nec video probabilem causam hoc permittendi, cum neque sit tanta necessitas statim matrimonium contrahendi, nec sit difficile extra locum interdictum illud contrahere. Et quidem cum præsentia parochi, vel sacerdotis habentis ejus licentiam hodie necessaria sit, male ille faciet, si in loco interdicto illi assistat, et suum qualecumque ministerium exhibeat. Atque hæc quidem videntur vera in rigore juris. Si tamen opinio contraria ita prævaluit, usuque recepta est, ut contrariam consuetudinem induxisse censeatur, ratione consuetudinis dici poterit exceptio introducta; ideoque jam ita valere, ac si jure esset facta. De hac vero consuetudine, quia ad factum spectat, mihi satis non constat, et in personalibus interdictis non credo illam esse, et maxime in specialibus; in localibus autem generalibus facilius posset tolerari.

SECTIO II.

Quale peccatum sit violare interdictum in materia sacramentorum.

1. *Violatio interdicti in materia sacramentorum peccaminosa, ex suo genere.* — Hanc violationem ex se peccaminosam esse, aperte sequitur ex dictis sectione præcedente, quia est contra Ecclesiæ prohibitionem, et censuram. Dico autem, ex se, quia ex accidenti excusari potest, vel per ignorantiam, vel per justam necessitatem. In quo servandæ sunt regulæ traditæ de censuris in communi, et ad præsens applicandæ; nihil enim amplius circa hoc addendum occurrit.

2. *Violatio interdicti in materia sacramentorum ex suo genere mortalis. — Excluditur distinctio ab aliquibus data.* — Difficultas vero est de gravitate culpæ. In qua censeo, ex genere suo esse mortalem, quia materia sacramentorum gravissima est, et prohibitio Ecclesiæ est absoluta, habens vim proprii præcepti pertinentis ad virtutem religionis; unde contrarium peccatum est sacrilegium, quod constat ex genere suo, et in materia gravi mortale esse. Nec distinctio, quæ in hac materia interdicti dari solet ab aliquibus inter personas laicas, et Ecclesiasticas (de qua videbimus disputatione sequente), ad præsentem materiam recte accommodatur, quia

materia sacramentorum, tam respectu clericorum, quam respectu laicorum gravis est, si ad utrosque cum debita proportione accommodetur, id est, administratio sacramentorum ad clericos, receptio vero etiam ad laicos. Neque etiam censeo ad præsentem causam referre, quod clericis sit imposita aliqua pœna propter hoc peccatum, non vero laicis; nam, esto hoc ita sit, quod infra videbimus, nihilominus gravitas culpæ non pendet ex Ecclesiastica pœna; prohibitio enim comedendi, v. gr., carnes, aut bis in die jejunii, nullam habet pœnam Ecclesiæ ipso jure adjunctam, et nihilominus transgressio illius ex suo genere peccatum mortale est; ergo similiter prohibitio recipiendi aliquod sacramentum in tali statu, erit peccatum mortale ex genere suo, etiamsi non habeat pœnam Ecclesiæ adjunctam, quia culpa est prior, et per se non pendet ex pœna, sed ex materia, et præcepto. Solet autem pœna interdum esse indicium a posteriori gravitatis præcepti, et actionis; quando vero alias de hac satis constat, impositio pœnæ necessaria non est. Tandem confirmatur, nam excommunicatio minor, quia separat a perceptione sacramentorum, obligat sub mortali omnes tam clericos quam laicos, ne ligati a censura sacramentum aliquod recipiant, et transgressio illius ex suo genere est peccatum mortale, quamvis non habeat aliam pœnam ipso jure impositam, ut supra declaratum est; ergo majore ratione idem dicendum est de interdicto, quod ex se gravior censura est.

3. *Omne interdictum personale speciale, in materia sacramentorum, ex se est grave peccatum. — Quid si recipiat sacramentum matrimonii.* — Quia vero peccatum mortale ex genere, in individuo potest esse veniale, et quia, cum interdicta sint varia, in eis potest esse inæqualitas etiam in gravitate hujus obligationis, vel transgressionis, ideo necesse est positam generalem regulam ad singula interdicta applicare, omittendo in omnibus excusationes, vel diminutiones culpæ, quæ oriri possunt ex parte operantis, ut sunt indeliberatio, inadvertentia, et similes, quia nihil habent speciale in hac materia, sed applicandæ sunt generales regulæ de actibus humanis. Primo igitur, maxime est indubitata regula proposita in interdicto personali speciali formaliter, vel æquivalenter, id est, in omni illo, quo persona interdicitur propter propriam culpam, quia illud est, quod cum majori rigore obligat. Et ideo in jure nulla fere fit exceptio de hoc interdicto, ut vidimus. Item illa est justa pœna talis personæ interdictæ propter propriam culpam, estque ipso jure illata, vel ex justo præcepto judicis, si ab homine sit, et non requirit specialem actionem ipsius rei, qua sibi ipsi malum aliquod inferat, sed solum quod abstineat a tali actione, vel receptione; ergo obligat in conscientia juxta materiæ exigentiam; ergo obligat sub mortali, cum materia sit gravis. Quapropter in hujusmodi persona, receptio sacramenti cujuslibet et in individuo semper est peccatum mortale absque ulla exceptione. Nisi velit quis excipere sacramentum matrimonii, quod non censeo necessarium, quia aut est vera opinio dicens hoc sacramentum esse prohibitum personæ sic interdictæ, et juxta illam etiam est peccatum mortale illud contrahere, quia materia est valde gravis. Vel supponitur contraria sententia, saltem ut probabilis practice, et tunc non est exceptio a regula posita, sed ab ipsa prohibitione, ideoque non tantum non erit peccatum mortale, verum etiam nec veniale, quia nulla transgressio censuræ est.

4. *Quid de solemni benedictione matrimonii.* — De solemni autem benedictione matrimonii dubitari potest, an sit sufficiens materia peccati mortalis in hujusmodi personis sic interdictis; nam, cum non sit sacramentum, sed solum cæremonia quædam, videtur res levior, quam ut ad peccatum mortale sufficiat. Respondetur : primum de sacerdote seu ministro Ecclesiæ non est dubium, quin mortaliter peccet admittendo personas sic interdictas ad talem benedictionem, vel dando illam, si ipse interdictus sit. Ratio est, quia ex officio tenetur utrumque cavere, et actio ipsa est satis gravis, cum sit quoddam officium, et ministerium publicum, quod Ecclesia observat tanquam cæremoniam gravem. De ipsis vero contrahentibus judicandum videtur, sicut de aliis officiis Ecclesiasticis quatenus prohibentur laicis sic interdictis; de quibus dicemus disputatione sequenti; nunc autem videtur in hac speciali materia hoc esse peccatum mortale, quia est actio satis gravis, ut dixi, et directe prohibita his personis; ipsæ vero ad eam concurrunt, non solum assistendo, sed etiam cooperando specialiter, seu recipiendo.

5. *De violatione interdicti generalis, sive localis, sive personalis.* — In secundo ordine hujus obligationis sunt personæ generaliter

interdictæ; et videtur ejusdem gravitatis esse, sive interdictum sit personale, sive locale, quatenus utrumque interdicit, aut separat personam absque propria culpa ejus. Nihilominus tamen est aliqualis differentia in eo quod personale interdicit personam simpliciter, et ubique; locale vero tantum prohibet in tali loco interdicto, sive generaliter, sive specialiter. Ex hac vero differentia nascitur alia notanda, scilicet, quod per interdictum generale personale prohibetur cuilibet personæ interdictæ usus sacramentorum secundum se, seu quoad substantiam; per interdictum autem locale solum interdicitur hic usus quoad circumstantiam quamdam, scilicet, ne in tali loco fiant. Unde videtur prior prohibitio esse gravior, atque etiam major respectu personarum. De interdicto ergo personali, etiam generali, existimo obligare sub mortali, et ministrum sacramentorum, ne det sacramenta personis sic interdictis, nec ipse ea ministret, si interdictus sit; et omnes alios, ne sic interdicti ea recipiant, nisi in casibus permissis. Ratio est supra tacta, quæ hic cum proportione applicari potest, quia hoc interdictum est quasi quoddam præceptum generale cadens super omnes has personas, et directe ac per se separans omnes et singulas ab usu sacramentorum; idque a fortiori patebit ex dicendis.

6. *Ministri Ecclesiæ peccant mortaliter dando sacramenta in loco interdicto.* — Deinde non dubito, quin ministri Ecclesiæ peccent mortaliter dando sacramenta in loco interdicto extra casus permissos, quia hæc etiam est censura gravis, cujus observantia ad Ecclesiasticam disciplinam necessaria est, et hæc maxime pertinet ad Ecclesiæ ministros; ergo eos graviter obligat ad ejus observationem; ergo in materia gravi, qualis est ministerium sacramentorum, obligabit eos etiam sub mortali. De ipsis vero laicis, quia magis indirecte ad eos spectant talia præcepta, et circumstantiarum observatio, videtur res minus certa. Nihilominus tamen etiam respectu illorum censeo hanc obligationem esse gravem, quia interdictio loci est quædam prohibitio generalis respectu omnium fidelium; quæ vere ac per se pertinet ad omnes, licet ad quosdam principalius, quam ad alios; et alioqui illa circumstantia in ordine ad actiones adeo graves, quales sunt sacramenta, est res magni momenti in Ecclesia secundum prudentem omnium æstimationem. Item, facere sacrum in loco non permisso, ob hanc causam est peccatum mortale, ut alibi ostendimus. Item, comedere carnes tempore prohibito, est peccatum mortale; ergo et communicare, v. gr., in loco interdicto, seu prohibito; nam utraque est circumstantia quodammodo extrinseca; tamen ex utraque fit, ut actio sic facta sit simpliciter prohibita; et in præsenti actio est gravior, et magis sacra : ergo, etc. Neque occurrit objectio alicujus momenti. Quæri autem hic posset, an recipere sacramentum a persona interdicta simile peccatum sit. Sed hoc dubium cum aliis similibus expedietur melius disputatione sequenti.

SECTIO III.

Quam pœnam incurrat violans interdictum in materia sacramentorum.

1. *Prima generalis regula.* — Duæ regulæ generales statuendæ sunt. Prima : clerici violantes interdictum in sacramentorum ministerio, irregulares fiunt, easque pœnas, quas illi, qui violant interdictum celebrando, incurrunt. Hanc regulam constituunt Doctores communiter, quam probant ex cap. 1 de Sent. et re judic., in 6, et cap. 1 de Sent. excomm., in 6. Quæ duo capita loquuntur solum de censura suspensionis, et statuunt, suspensum ab officio, qui se ingerit divinis, fieri irregularem, ut supra declaravimus; his autem materiis pœnalibus, ut sæpe diximus, non sumitur argumentum efficax a simili seu ab una censura ad aliam, et præsertim in pœna irregularitatis, quæ non incurritur nisi in casibus a jure expressis, ut in ipso jure cautum est. Sed dicitur, interdictum secum afferre suspensionem a divinis formaliter, vel virtute, et hac ratione irregularitatem illam etiam extendi ad ministros Ecclesiæ violantes interdictum, quatenus per illud suspensi sunt. Sicut de excommunicato etiam probavimus fieri irregularem ministrando, quia per excommunicationem suspensus est a divinis, quod non intelligitur de propria, et distincta censura suspensionis, sed quatenus materialiter (ut sic dicam) in excommunicatione includitur; ergo, si in interdicto etiam includitur, idem erit de illo dicendum. Ut autem probetur includi, citari solet textus in cap. ult. de Excessibus Prælat. Sed ex illo solum colligitur, graviter peccasse quemdam Episcopum violando quoddam interdictum, aliosque ad illius violationem cogendo. Melius id probatur ex cap. Is cui, de Sent. excom.,

in 6, ubi dicitur, eum, cui Ecclesiæ ingressus est interdictus, si in ea se ingerat, *divinis in suo officio ministrando, sicut prius, irregularem fieri.* Et ratio redditur, quia ei, cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, etiam est interdicta divinorum celebratio in ipsa Ecclesia. Ex qua ratione aperte colligitur in ea supponi, per violationem interdicti in ministerio divinorum ex officio, irregularitatem incurri.

2. *Tria maxime notanda circa cap. Is cui.* — *Primum.* — Sunt autem in verbis illis nonnulla notanda. Primum est, hæc verba interdicendi, vel suspendendi non semper accipi in jure ut distincta, id est, ut significantia diversos effectus distinctarum censurarum; nam in illo textu quod in principio vocatur interdictum ab ingressu Ecclesiæ, in fine appellatur suspensio ab ingressu Ecclesiæ, et ibi dicitur celebratio divinorum interdicta, id est, prohibita. Unde intelligitur, quod omnis prohibitio ministrandi divina ex officio, facta ex vi alicujus censuræ Ecclesiasticæ, ejusdem rationis, seu efficaciæ censetur in jure quoad hunc effectum incurrendi irregularitatem, si contra illam agatur; parumque referre, quod suspensio, aut interdictio appelletur.

3. *Secundum.* — *Tertium.* — Secundo adverto illam particulam, *celebrationem divinorum,* et ex ea colligo, quando dicitur in jure, irregularem fieri illum, qui celebrando violat interdictum, ut habetur in c. Is qui, § Is vero, de Sent. excomm., in 6, id non restringi ad solam celebrationem per Missæ sacrificium, sed extendi ad omnem celebrationem divinorum ex officio factam; in qua certum est includi ministrationem sacramentorum ex officio. Noto tertio, ex illo textu colligi, hanc regulam habere locum tam in interdicto locali quam personali. Nam in primis illud interdictum ab ingressu Ecclesiæ, quantum ad præsens spectat, æquivalet locali, quia per illud non prohibetur huic personæ celebratio divinorum absolute, et simpliciter, sed in Ecclesia, ut in eodem textu expresse limitatur; ergo, cum per quodlibet interdictum locale interdicatur divinorum celebratio in loco interdicto, qui illud violat celebrando sacramenta in tali loco, eamdem irregularitatem incurrit. Atque ita expresse dicitur de interdicto locali, et de celebratione absolute in dict. § Is vero. Rursus interdictum illud ingrediendi Ecclesiam, directe personale est, non locale, ut ex ipsis verbis constat, et tamen, quia in illo includitur suspensio talis personæ a divinis in Ecclesia celebrandis, per ejus violationem incurritur irregularitas; ergo a fortiori, quando persona directe interdicitur, non ab uno actu, et respectu unius loci, sed simpliciter et absolute, violando tale interdictum per ministrationem sacramentorum ex officio, prædicta irregularitas incurretur, quia suspensio a tali ministerio multo magis includitur in tali interdicto. Hoc ergo modo sufficienter mihi videtur probari ex jure hæc irregularitas.

4. *An irregularitas extendatur ad eos qui causam interdicto non dederunt.* — *Ab ea pœna excipiuntur privilegiati.* — Solum posset quis contendere dictam irregularitatem coarctandam esse ad personas interdictas propter propriam culpam, seu quæ suis excessibus causam dederunt, ut generale vel speciale interdictum poneretur; quia illud interdictum ingrediendi Ecclesiam, de quo est sermo in cap. Is cui, tale est, ut non imponatur nisi propter propriam culpam, ut infra videbimus. Respondetur, quidquid de hoc sit, limitationem illam non esse admittendam. Primo quia in dict. § Is vero, simpliciter est sermo de celebrante in loco interdicto, neque additur limitatio de dante causam interdicto; imo additur exceptio, *Nisi privilegiatus existat super hoc, vel a jure sit ei concessum.* Quæ exceptio declarat, illa lege comprehendi omnes, etiamsi non dederint causam interdicto, tum quia una exceptio firmat generalem regulam in omnibus aliis; tum etiam quia manifestum est eos, qui dant causam interdicto, non posse super hoc esse privilegiatos, aut a jure habere concessionem; ergo signum est sermonem esse de omnibus celebrantibus in loco interdicto, etiamsi eidem causam non dederint, et ab hac generalitate solum excipi privilegiatos ab homine, ut sic dicam, vel a jure. Deinde in dict. cap. Is cui, pro ratione non redditur, quia propter culpam suam est interdictus, sed solum quia celebratio divinorum in Ecclesia ei est interdicta, et ideo simpliciter accipiendum, nec restringendum est, ut omnes Doctores intelligunt, quos ex parte refert Covarruvias, dict. cap. Alma, part. 2, § 2, num. 2, et in sequentibus indicabimus.

Qua violatione interdicti contrahatur irregularitas.

5. *Excipiuntur aliqui casus.* — *Occurritur objectioni.* — Sed quæres primo, quæ vio-

latio interdicti, vel quibus modis fieri possit ita ut sufficiat ad hanc irregularitatem contrahendam. Respondeo, tres esse generales modos et simplices hujus violationis, et ex eis posse componi alios quasi mixtos. Primus est, si persona interdicta aliquando sacramentum conferat alteri non interdicto, nec in loco interdicto; loquor autem de ministerio ex officio, et extra casus in jure permissos, quia alias non est violatio, cum non agatur contra prohibitionem; hic autem agimus de violatione, et ideo necessarium non erit hoc iterum repetere. Unde etiam addo, excipiendos esse casus, qui ex ipso veluti naturali jure excepti sunt, ut, verbi gratia, esse potest casus necessitatis, aut propriæ, aut aliorum propriæ; si, verbi gratia, censura interdicti occulta sit, utpote per factum occultum ipso jure vel per sententiam generalem contracta, et aliunde adjungatur, ut ministerium sacramenti vitari non possit sine magno scandalo, aut infamia; tunc enim, sicut administratio sine culpa fit, juxta principia supra posita de censuris in communi, ita etiam irregularitas excusatur, nam de hac irregularitate generaliter verum est, non incurri sine culpa mortali, quia ut gravis pœna imponitur. Eadem necessitas accidere posset ex parte aliorum, ut si Episcopus interdictus Ordines conferret propter aliquam urgentem necessitatem, quæ licet raro contingat, tamen in aliqua insula, vel loco remoto accidere posset. Unde hunc casum necessitatis excepit Abbas, in cap. Non est, de Sponsalibus, num. 8, quem sequitur Villadiego, tract. de Irregular., et mihi probatur eorum sententia, quamvis oppositam teneat Covarruvias, dict. 2 part., § 3, num. 4, secutus Sylvestrum, verb. *Interdictum*, 5, quæst. 7, *quia talis exceptio* (inquit) *in jure non habetur.* Respondetur tamen primo ex Panormitano, haberi in simili, nam quia confirmatio per interdictum non prohibetur, et ad confirmationem est necessarium chrisma, ideo declaravit jus etiam confectionem chrismatis interdicto non prohiberi ; ergo similiter, cum interdictum non prohibeat omnia ministeria clericorum, quæ sine illis exerceri non possunt, ubi vera necessitas illorum fuerit, non erit prohibita illorum ordinatio. Secundo dicitur, non oportere omnem hujusmodi declarationem expresse et in specie factam esse in jure, nam aliquando fundari potest in naturali jure, vel ordine charitatis, aut in hoc generali principio, quod prohibitiones Ecclesiasticæ non obligant cum tanto rigore, quin propter gravem necessitatem cesset et quasi suspendatur earum obligatio. Hæc autem prohibitio interdicti Ecclesiastica est, ut constat ex dictis de censuris in communi, et in simili de excommunicatione; hæc item necessitas, de qua agimus, est gravis, et pertinens ad commune bonum Ecclesiæ : ergo.

6. *Secundus modus quo incurritur irregularitas. — Eamdem irregularitatem incurrent Episcopi.* — Secundus modus hujus violationis est, si persona non interdicta alteri etiam non interdictæ sacramentum conferat in loco interdicto. Atque hi duo modi expressius continentur in prædictis juribus, et præsertim posterior, qui cum eisdem declarationibus, et limitationibus intelligendus est, cum quibus præcedens, propter easdem rationes, quia hæc etiam transgressio debet esse peccaminosa. Est tamen advertendum, quod licet jus novum permittat divina officia celebrare in loco interdicto certis quibusdam diebus, vel cum præscripto modo et circumstantiis, in dict. cap. Alma, tamen etiam illo modo non permitti quorumcumque sacramentorum administrationem in tali loco; sed vel eorum, quæ supra declaravimus, vel aliorum divinorum officiorum, de quibus in sequenti disputatione dicemus; ideoque, licet aliquis servatis circumstantiis ibi positis, nempe januis clausis, etc., vel alio quovis modo occultiori, sacramentum non permissum, ut Ordinem, vel extremam unctionem, etc., in tali loco ministraret, irregularitatem non fugeret, quia talis actio semper manet interdicta, etiam cum tali modo, et pœna hæc propter talem actionem absolute imposita est. Addunt denique citati Doctores, non solum inferiores sacerdotes, sed etiam Episcopum incurrere hanc irregularitatem, sic violando hujusmodi interdictum, latum a jure, vel a Pontifice. Quod est certissimum, argum. cap. ult. de Excess. Prælator., quia Episcopus est inferior et subditus. Est hoc verum de interdicto imposito a quolibet alio, etiam a seipso, sicut supra dicebamus teneri ad vitandum excommunicatum a se ligatum. Quia, posito interdicto, et ex jure communi obligatur ad observationem ejus; quanquam, cum interdictum impositum est ab ipsomet Episcopo, possit ab eodem suspendi pro aliquo tempore, vel quoad illum actum; et tunc non peccabit Ordines conferendo in tali loco, ut recte notavit Calderinus in tractatu de Interdicto.

7. *Qui solum violat interdictum conferendo sacramentum personæ interdictæ non fit irregularis.* — Tertius modus hujus violationis interdicti est, si minister Ecclesiasticus conferat sacramentum personæ interdictæ, etiam in loco non interdicto, et hunc modum non invenio expressum in prædictis juribus; nihilominus tamen aliqui sentiunt illum etiam sufficere ad hanc irregularitatem incurrendam, quia causa illius irregularitatis adæquata non est hic vel ille modus violandi interdictum, sed absolute quæcumque violatio per administrationem divinorum ex officio, ut ex citatis juribus colligi videtur.

8. Sed nihilominus non censeo illam transgressionem sufficere ad irregularitatem contrahendam, quia in his rebus non est facienda extensio, neque argumentum a simili, et ideo non invenio auctorem gravem, qui hoc expresse et in particulari affirmet. Præterea qui dat sacramentum aliquod excommunicato, non incurrit irregularitatem, ut supra suo loco diximus; ergo neque qui dat sacramentum interdicto, quia est eadem vel major ratio, si gravitatem peccati, et censuræ spectemus; in jure vero non est magis expressa irregularitas in uno casu, quam in alio, cum tamen, si censura se teneat ex parte ministri, id est, si ipse excommunicatus vel interdictus sit, æque incurrat irregularitatem ministrando. Et in hoc est clara differentia inter hanc censuram, quando ligat dantem sacramentum, vel eum cui datur; nam in priori casu ipse minister est suspensus ab officio, et est principalis violator interdicti, et ideo merito fit irregularis. In posteriori vero casu minister ipse non est suspensus, sed solum alius est prohibitus, ne recipiat.

9. *Occurritur objectionibus. — Admittens personam interdictam ad sacramenta, ab ingressu Ecclesiæ interdicitur.* — Dices : etiam per interdictum locale non est sacerdos suspensus a ministerio sacramentorum, sed locus ipse est prohibitus. Respondebis, etiam sacerdotem suspendi, ne ibi ministret sacramentum. At eodem modo dici poterit suspendi per interdictum personale alterius, ne illi conferat sacramentum; neutra tamen est vera suspensio. Respondeo verum quidem hoc esse; nihilominus tamen in jure latam esse irregularitatem in eum, qui violat interdictum locale, non vero in eum qui violat personale per solam communicationem cum alio, ut sic dicam. Quod si ratio petatur, cur jus posuerit hanc irregularitatem in uno casu potius quam in alio, cum non videatur minor culpa dare sacramentum personæ interdictæ, quam dare in loco interdicto, respondeo, primum hoc maxime pendere ex voluntate legislatoris; et fortasse non occurrit occasio, vel necessitas ita puniendi unam transgressionem, sicut aliam; localia enim interdicta frequentiora sunt, et eorum violatio solet esse magis publica et scandalosa; et ideo circa illam magis fuit illa pœna necessaria. Accedit, quod qui celebrat in loco interdicto, directe et principaliter agit contra censuram Ecclesiasticam. At vero qui confert sacramentum personæ interdictæ non est principalis transgressor, sed ipse qui recipit; minister vero solum delinquit quasi cooperando, seu communicando cum alio; et ideo non est in eo tanta causa irregularitatis. Denique propter hanc causam videtur imposita in jure alia pœna propter hunc modum violationis interdicti magis quodammodo accommodata, scilicet interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ut sumitur ex cap. Episcoporum, de Privileg., in 6, ubi qui admittit personam interdictam ad sacramenta, ab ingressu Ecclesiæ interdicitur, donec ad arbitrium ejus, cujus sententia violatur, satisfecerit competenter. Quem textum supra declaravimus agentes de excommunicatione; nam illa pœna utrique censuræ communis est, quam etiam incurrunt violantes interdictum prioribus modis positis; atque etiam aliis, quos sequenti disputatione tractabimus.

10. *Id vero intelligendum de publice interdictis.* — Est autem advertendum circa hunc textum, in eo esse sermonem de publice interdictis, quod nunc intelligendum est de nominatim interdictis, ac denunciatis, juxta Extravag. *Ad evitanda,* et ideo non violat interdictum, qui dat sacramentum personæ interdictæ, cujus censura specialiter et nominatim denunciata non est. Atque idem cum proportione servandum est in interdicto locali, quia, nisi sit publice denunciatum, non incurretur irregularitas celebrando sacramenta in loco interdicto, quia sicut non tenemur vitare personam non denunciatam, ita nec locum. Quod secus est in primo modo violationis; nam quando ipsamet persona interdicta est, statim et absque alia denunciatione tenetur servare interdictum, quia nullus favor ei fit; et ideo si ministret sacramenta, eamdem irregularitatem incurret, juxta dicta de aliis censuris; est enim eadem in præsenti ratio.

11. *Quartus modus violandi interdictum, ex duobus primis compositus.* — Quartus modus ex duobus primis compositus erit, si persona interdicta in loco interdicto sacramentum administret, et addo etiam, quod illud conferat personæ interdictæ; de quo nihil novi dicendum occurrit, quia ex simplicibus judicandum de illo est. Solum potest dubitari, an in eo casu duplex incurratur irregularitas; cum enim peccatum sit unum tantum, licet sit gravius propter plures circumstantias, non videtur causa plurium irregularitatum.

12. *Quando per unum singularem actum plures irregularitates incurrantur.* — Contrarium nihilominus sentiendum est, quia quando diversi tituli concurrunt ad censuram incurrendam, ita ut unusquisque illorum per se sufficiat, et ipsi sint diversarum rationum moralium, diversas inferunt censuras, argumento cap. Officii, de Sent. excom., et Clem. 1 de Sepult., ubi Cardinalis Zabarella, n. 29, referens alios, ita censet, in simili puncto de censura, quod disputat. 4 tractavimus; idem ergo est de irregularitate; hæc enim pœna iterabilis est, sicut et censura; sed in hoc facto concurrunt duæ causæ diversarum rationum, et singulæ per se sufficiunt; ergo unaquæque inducit suam irregularitatem, ita ut, si ad dispensationem obtinendam unus tantum titulus explicetur, v. gr., quod in loco interdicto aliquem ordinavit, adhuc maneat altera irregularitas ex alio titulo contracta, scilicet, quia cum esset ipse interdictus, tale sacramentum ministravit; ideoque ad plenam dispensationem obtinendam necessarium sit utramque causam declarare, argumento dict. cap. Officii.

13. Et confirmatur, nam si diversis actionibus et temporibus aliquis commisisset illa duo delicta, nunc ordinando in loco interdicto ipse non interdictus, postea vero ipse jam interdictus ordinando in loco non interdicto, sine dubio duplicem irregularitatem incurreret, quia est duplex causa sufficiens, et omnino diversa, et effectus est multiplicabilis; ergo idem erit, etiamsi illæ duæ causæ simul et unica actione materiali concurrant, quia semper manet diversitas moralis et formalis, et leges, imponentes hanc pœnam, eamdem efficacitatem habent in utroque casu, et malitiæ morales licet in eodem actu materiali conjungantur, diversæ manent ex circumstantiis morali specie diversis, et unaquæque suam pœnam integram meretur. Quod tandem ita declaratur; nam, si propter illas diversas violationes interdicti essent impositæ pœnæ diversarum rationum, ut, v. gr., excommunicatio propter ministrationem sacramenti in loco interdicto, irregularitas propter tale ministerium factum a persona interdicta, etc., qui una actione utrumque interdictum violaret, excommunicatus et irregularis maneret, quia utrique pœnæ dat sufficientem causam, et non est major ratio de una quam de alia; ergo idem est, etiamsi pœnæ sint ejusdem rationis; nam est eadem ratio, supposito quod talis pœna est multiplicabilis in eodem subjecto.

14. *In quo casu conferens sacramentum præter dictas duas irregularitates triplicatum incurrat interdictum ab ingressu Ecclesiæ.* — Atque hinc colligo, si addatur altera circumstantia, nimirum quod sacramentum detur personæ interdictæ, præter dictas irregularitates simul incurri interdictum ab ingressu Ecclesiæ. Imo hoc interdictum triplicatum videtur incurri propter violationem hanc, si triplicem illum modum, seu tres circumstantias simul involvat, quia etiam pœna interdicti multiplicabilis est, et propter unamquamque ex illis circumstantiis per se solam est imposita, ut dixi. Non oportet autem de nomine contendere, si quis importune admiscens metaphysicam disputationem neget illa esse plura interdicta, vel irregularitates, sed unam cum diversis respectibus, sicut multi de relationibus loquuntur; inutilis enim est hæc disputatio, dummodo id, quod ad mores spectat, constet, nimirum has pœnas ita incurri propter dictas circumstantias, ut ad dispensationem integram obtinendam non sufficiat, unam causam sine alia explicare; et quod dispensatione habita ex una causa, adhuc maneat ex alia, et e converso, quod est sufficiens argumentum moralis distinctionis.

15. Præter has pœnas sunt aliæ impositæ, quæ colliguntur ex dictis capitulis Is qui, et Is cui, cum similibus, scilicet, quod iste violator interdicti sit inhabilis ut eligatur, vel postuletur, quod sit privatus Ecclesiastica sepultura, et aliæ similes. Quarum explicatio pendet ex iis quæ dicturi sumus de secundo effectu interdicti, et ideo melius tractabuntur in disputatione sequenti.

16. *Prædictas pœnas etiam incurri solemnem cæremoniam alicujus sacramenti exercendo.* — Advertenda tamen sunt nonnulla circa prædictas pœnas. Primum est non solum incurri propter administrationem sacra-

menti quoad substantiam, sed etiam propter publicam et solemnem cæremoniam, seu ritum alicujus sacramenti, sive antecedat, sive comitetur, sive subsequi soleat sacramentum. Exemplum primi est in collatione primæ tonsuræ, quæ revera sacramentum non est, sed præambulum quoddam ad sacramentales Ordines; tamen quia est cæremonia quædam Ecclesiastica, quæ solemni ritu datur, et ex officio est annexa ejus collatio Ordini Episcopali, vel aliquando et ex privilegio sacerdotali cum dignitate Abbatis vel similis conjuncta, et ideo violatio interdicti per hoc ministerium sufficit ad prædictas pœnas incurrendas juxta communem sententiam. Unde constat a fortiori, collationem cujuscumque minoris Ordinis sufficere, cum juxta veram sententiam sacramentum sit. Idem dicendum est de confectione chrismatis et benedictione olei, quæ sunt præparationes materiæ ad plura sacramenta.

17. *Exercere baptismi solemnitatem tempore interdicti quando licitum sit.* — Exemplum secundi erit in cæremoniis, seu solemnitatibus baptismi, quæ per se comitari solent substantiam baptismi; aliquando vero prius datur privatim baptismus propter necessitatem, et postea publica solemnitas expletur. Dico ergo, hoc solum ministerium, factum in casu a jure non permisso, sufficere ad easdem pœnas incurrendas. Quia vero baptismus solemnis non est prohibitus per interdictum, ut supra dixi, ideo non opinor violari interdictum, etiamsi baptismi solemnitas sola, post baptismum prius collatum, in loco interdicto celebretur. Si tamen persona specialiter interdicta, vel ob propriam culpam, illud ministerium exhiberet, irregularis fieret; nam illud non est jure permissum. In extrema vero unctione, si contingeret, v. gr., unum sacerdotem in loco interdicto celeriter propter timorem mortis dare extremam unctionem tantum quoad substantiam sacramenti, alium vero sacerdotem statim publico et solemni ritu supplere cæremonias illius sacramenti, non solum prior, sed etiam hic posterior irregularis fieret.

18. Exemplum tertii membri est in solemni benedictione nuptiarum, quæ dari solet post sacramentum illud prius receptum, et sufficit etiam ad dictas pœnas incurrendas, si sacerdos contra interdictum tale ministerium exhibeat, quatenus ex officio sacerdotali Ordini annexum est. Ratio omnium est, quia hæc omnia comprehenduntur sub administratione sacramentorum ex officio, vel clarius, sub celebratione divinorum, de qua in tota hac generalitate jura loquuntur.

19. *In quo casu subservientes ministranti sacramentum incurrant dictas pœnas.* — Secundo est advertendum aliquos extendere has pœnas non solum ad ministrum sacramentorum, sed etiam ad eos, qui illis cooperantur, seu subserviunt in tali ministerio, ut sunt, verbi gratia, assistentes Episcopo Ordines conferenti in loco interdicto, ut videre licet in Covarruvia, dicto § 3, in fine. Sed est advertendum hujusmodi assistentes, seu servientes, ex vi cooperationis ad sacramentum non incurrere has pœnas, quia, quantum ad hoc caput spectat, non sunt impositæ servientibus, seu cooperantibus, sed ministrantibus sacramenta. Si tamen contingat cooperationem illam includere aliquod ministerium sacrum, per se annexum alicui Ordini, præsertim sacro, jam ex illo capite poterunt hujusmodi pœnæ incurri, ut dicetur latius explicando secundum effectum, cui magis opponitur talis interdicti violatio.

20. Tertio in his pœnis observandæ sunt singulæ particulæ seu voces textuum, in quibus hujusmodi pœnæ feruntur, ut sunt in dicto cap. Is qui, § Is vero, particula *scienter,* et in cap. Episcoporum, eadem particula *scienter,* et verbum *præsumpserint,* et verbum *contempserint,* et similia, quorum vis semper expendenda est ad intelligendum, an pœna seu irregularitas incurratur. Quam vim autem habeant similia verba, satis dictum est in aliis censuris, præsertim de excommunicatione; et ideo hic repetere non est necesse. Ponderanda item sunt verba, quæ continent exceptiones, ut sunt illa dicti cap. Is qui, dict. § Is vero, *Nisi super hoc privilegiatus existat,* ubi expendenda est particula *super hoc.* Non enim sufficiunt communia privilegia exemptionum, quæ religiosi communiter habent, ut in sequentibus videbimus, sed necesse est, ut circa interdictum specialiter sit privilegium concessum. Item, additur exceptio, *Nisi a jure sit concessum,* vel, ut dicitur in cap. Episcoporum, de Privil., *Nisi quatenus eis a jure conceditur.* Denique in dicto cap. Is cui, hoc ipsum indicatur in illa particula, *contra interdictum.* Nam qui operatur ex juris concessione, non agit contra interdictum; et eadem ratione in hac particula includitur omnis legitima causa, quæ a culpa excusat; nam in conscientia excusat etiam a prædicta pœna et irregularitate.

21. *Propter usum sacramenti non exigentem ministerium Ordinis clericalis, nulla imponitur pœna.* — Secunda regula generalis est. Propter usum sacramenti, qui non requirit proprium ministerium alicujus Ordinis clericalis, nulla est pœna jure ipso imposita, sive clericis, sive laicis. Probatio hujus est, quia nullum invenitur jus imponens hujusmodi pœnam, una vel alia exceptione addita circa particulares personas, et cum specialibus circumstantiis. Declaratur autem hæc regula magis in particulari, quia hic usus duplex esse potest : unus est activus, qui tantum in duobus sacramentis inveniri potest absque usu alicujus Ordinis, scilicet in matrimonio et in baptismo sine solemnitate collato. Nam in matrimonio ipsi contrahentes sunt ministri quoad substantiam sacramenti, de quibus dubium est, an peccent contrahendo tempore interdicti; tamen, licet supponamus peccare, nullam censuram aut Ecclesiasticam pœnam ipso facto incurrunt. Imo, nec parochus, cujus præsentia nunc necessaria est juxta Concilium Tridentinum, aliquam pœnam vel irregularitatem incurrit, quia illa præsentia non est actus alicujus Ordinis, ut in superioribus etiam tetigi. Similiter baptismi collatio et prohibita non est, et quamvis esset, ad hanc irregularitatem non sufficeret, quando absque solemnitate fit, quia non est actus Ordinis, quamvis contingat fieri ab eo, qui Ordinem habet; et hæc irregularitas non contrahitur nisi per actum alicujus Ordinis, quem exercet is, qui talem Ordinem habet, cum sit interdictus, vel in loco interdicto, ut constat ex illis verbis : *In suo officio ministrando sicut prius,* quæ habentur in citatis juribus, et in simili sunt explicata superius agendo de excommunicatione; et attigit Covarruvias in dicto c. Alma, part. 2, § 2, num. 3.

22. *Propter receptionem sacramenti nulla incurritur pœna.* — *Excipiuntur duo casus.* — Atque hinc etiam constat, propter usum passivum, seu receptionem sacramentorum nullam hujusmodi pœnam incurri, quia recipere sacramentum non est actus alicujus Ordinis, etiamsi a clerico fiat. Excipitur tamen sumptio Eucharistiæ sub utraque specie, quæ fit a sacerdote sacrificante; illa enim est actus Ordinis, non tamen præcise quatenus assumptio, sed quatenus est consumptio, et quasi consummatio sacrificii, quæ est proprius actus Ordinis, qui tunc exercetur. Excipi etiam posset participatio illa sacramenti Eucharistiæ sub specie vini, quæ fit a diacono ministrante Summo Pontifici solemniter celebranti; nam ille modus communicationis videtur esse proprius actus Ordinis diaconatus; proprie tamen id non tam est propter susceptionem sacramenti, quam propter totum illud ministerium, quod per modum unius fit, et est proprius actus illius Ordinis.

23. *Recipiens Ordines, aut in ipsa ordinatione ministrans, non incurrit irregularitatem.* — Præterea fit exceptio de sacramento Ordinis, quæ dupliciter fieri potest : primo ratione receptionis talis sacramenti præcise; secundo ratione alicujus actus concomitantis. Prior modus suaderi potest, tum quia excommunicatus recipiens Ordines fit irregularis, vel saltem suspensus; ergo et interdictus. Confirmatur, quia suscipiens superiorem Ordinem utitur inferiori, sine quo alium non potest suscipere, ut supra dictum est; ergo etiam hoc titulo fit irregularis. Secundo potest incurri hæc irregularitas per actum concomitantem ipsam ordinationem, ut est consecratio in sacerdotibus, canere Epistolam, vel Evangelium, in diacono, vel subdiacono, quando in ipsa ordinatione eis committitur, quod sentit Covarr., dict. § 3, num. 5, quia ille est actus Ordinis. Neutro tamen modo videtur exceptio admittenda, quia non est satis in jure expressa. Unde ad priorem partem respondeo, illam pœnam non esse ad interdictum extendendam, quia jura solum loquuntur de excommunicatione, et hic non valet argumentum a simili, præsertim cum excommunicatio gravior censura sit. Ad confirmationem respondetur, suscipere superiorem Ordinem non esse proprie ministrare, in inferiori, quia ministrare dicit actionem, et ita intelligenda sunt jura cum proprietate in materia præsertim pœnali. Ad alteram partem respondeo, etiam in illis casibus non incurri, propter ea quæ dixi supra, tractando de suspensione, de illo, qui suspensus in sua ordinatione, statim in eadem actum Ordinis exercet. Et quamvis sit nonnulla differentia, quia ibi suspensio contrahitur in ipso actu susceptionis Ordinis, hic autem interdictum supponitur ante susceptionem Ordinis, et ideo major ratio esse videtur contrahendi irregularitatem, nihilominus in hoc videtur esse eadem ratio, quod illa moraliter non censetur ministratio in Ordine suscepto, sed tantum indebita Ordinis susceptio; nam aliud est tanquam accessorium, quod non reputatur actio distincta, neque magis punitur, quam

ipsum principale quod comitatur. Præsertim, quia etiam jura, quæ loquuntur de persona interdicta exercente officium Ordinis, illis verbis loquuntur, quæ indicant ministerium illud debere esse moraliter distinctum ab ipsa ordinatione, ut patet ex illis verbis, *in suo officio ministrando sicut prius,* et similibus. Propter quæ censeo hanc partem esse probabilem, de qua iterum redibit sermo in disputatione sequenti.

24. *Religiosi ac moniales generale interdictum non servantes excommunicantur.* — Præter has exceptiones, quæ ex parte sacramentorum notantur, ex parte personarum fieri solent aliæ; nam religiosi, et moniales, qui generale interdictum non servant, excommunicantur ipso jure in Clement. 1 de Sent. excom., et in Clementina 3, specialiter excommunicantur fratres Minores, qui personas sui tertii ordinis tempore interdicti admittunt ad divina, et in Clement. 2, eodem titulo, excommunicantur domini temporales, qui in terris suis cogunt aliquem ad divina facienda tempore interdicti. Hæc enim pœna cum proportione applicanda est ad sacramentorum usum; nam ille etiam, ut diximus, sub celebratione divinorum comprehenditur; tamen, quia illa pœna generalior est, in sequenti disputatione exactius declarabitur.

DISPUTATIO XXXIV.

DE SECUNDO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST DIVINORUM OFFICIORUM PROHIBITIO.

Quam late pateat secundus effectus interdicti generalis. — De hoc effectu disputare non oportet, an sit, sed supponere, esse per se et maxime proprium effectum interdicti, ut constat ex definitione interdicti, supra tradita, et ex omnibus juribus, quæ de interdicto loquuntur, ut c. Si civitas, c. Si sententia, et c. Alma, de Sent. excom., in 6, c. Episcoporum, de Privilegiis, in 6, c. Non est vobis, de Sponsalib., Clementina 1 de Sent. excom. Est autem hic effectus communis omnibus interdictis cum proportione, nam, si sit generale loci, non solum in templis, vel oratoriis, sed etiam in domibus, viis, et vicinis agris, ac denique in tota illa terra, quæ generaliter interdicitur, habet hunc effectum respectu omnium hominum cujuscumque loci, vel diœcesis, ut ex eisdem juribus constat, et ex c. Licet, et c. ult. de Privil., in 6, cum similibus. Si vero interdictum loci sit speciale, in illo definito loco habet cum proportione eumdem effectum. Denique, si personale sit, generale et speciale, in persona, vel personis idem cum proportione operatur respectu locorum omnium, ex eisdem juribus, cum aliis, quæ de his interdictis in disputatione prima tractavimus. Hoc ergo supposito, tria præcipue, vel quatuor declaranda supersunt. Primum, quæ divina officia, præter sacramenta, et quis eorum usus interdicto prohibeantur. Secundo, quale peccatum sit violatio interdicti quoad hanc partem. Tertio, quæ pœna sit ob eam rem ipso jure imposita.

SECTIO I.

An, et quomodo Missæ sacrificium per interdictum generale loci prohibeatur.

1. Inter divina officia primum ac præcipuum locum tenet sacrificium Missæ; unde certum est usum hujus sacrificii maxime interdici per hanc censuram, ut constat ex citatis juribus; ex quibus etiam intelligitur prohibitionem hanc non simpliciter, sed cum moderatione sumendam esse, scilicet ne consueto more, et libertate fiat, sed modo a jure præscripto. Quod in singulis interdictis diverso modo, et ratione verum est; et ideo sigillatim explicandum.

2. *Sacrificium Missæ tempore interdicti nunquam fuit omnino prohibitum.* — Per interdictum ergo generale loci nunquam videtur fuisse omnino prohibitum Missæ sacrificium, quia cum viaticum nunquam sit morientibus denegandum, semper oportet Eucharistiæ sacramentum saltem pro infirmis in Ecclesia conservare. Ex quo fit consequens, ut semper etiam potuerit congruenti tempore renovari; nam hæc veluti intrinseca et necessaria connexione sese consequuntur; et primum pertinet ad animarum salutem, et observationem divini præcepti; secundum autem ad debitam sacramenti reverentiam spectat. Et ideo neutrum debuit, vel etiam potuit per interdictum simpliciter prohiberi. Cum ergo Eucharistiæ sacramentum nonnisi in sacrificio Missæ renovari possit, quia in solo illo confici potest, fit consequens, ut nec sacrificium Missæ fuerit omnino prohibitum, sed permissum saltem quantum ad hunc finem necessarium erat. Quia vero, seclusa dispositione juris positivi, hoc arbitrium erat pro ratione necessitatis, ideo, ut melior ordo servaretur, statutum postea fuit in c. Permittimus, de Sententia excom., ut semel in heb-

domada posset Missæ sacrificium dici tempore interdicti in singulis Ecclesiis causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur, cum circumstantiis, et conditionibus statim explicandis.

3. *Jure antiquo quid concessum. — Quid jure novo.* — Postea vero propter magna incommoda, quæ ex carentia tanti sacrificii sequebantur, hunc rigorem interdicti Ecclesia temperavit, et permisit, *ut singulis diebus in Ecclesiis, et monasteriis Missæ celebrentur, et alia dicantur divina officia sicut prius; submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis.* Quæ sunt verba c. Alma, de Sent. excom., in 6, et quoad dictas circumstantias eadem habebantur in dicto cap. Permittimus. Et breviter sunt sigillatim explicanda.

4. Et in primis dubitari potest, quid nomine Ecclesiarum hoc loco intelligendum sit; nam ex quo sub disjunctione ponuntur *Ecclesiæ* vel *monasteria,* nomine Ecclesiarum non videntur intelligi omnia loca sacra, in quibus solet hoc sacrum confici, alioqui non oporteret monasteria specialiter adjungere; significari ergo videntur illa voce templa, quæ sunt sub cura secularium clericorum, et auctoritate Episcopi publice sunt exposita et approbata, ut in eis tam sacrificium, quam alia divina officia celebrentur.

5. *Dubium. — Nomine Ecclesiarum comprehenduntur sacella hospitalium.* — Hinc vero oritur dubium, an extra hujusmodi Ecclesias, vel monasteria liceat Missæ sacrificium eo tempore celebrare. Nam illa constitutio solum in his locis hoc permittere videtur, ut ex textu constat, et notarunt ibi aliqui interpretes, et sentit Covarruvias ibi, 2 part., § 4, num. 2. Addit tamen nomine Ecclesiarum comprehendi etiam hospitalia, in quibus est sacer locus auctoritate Episcopi approbatus ad hoc ministerium, tum quia ratio hujus concessionis in illis maxime militat; tum etiam quia in favorabilibus merito hæc nomine Ecclesiarum comprehenduntur. Addit præterea ibi comprehendi monasteria monialium; nam ex vi verbi manifestum est, vocem *monasteriis,* simpliciter dictam, hæc etiam comprehendere; necessitas etiam in eis quodammodo major est, ut possint sacrificio Missæ interesse. Qui etiam advertit, sermonem esse de Ecclesiis, et monasteriis existentibus in loco generatim interdicto, quia illa moderatio non extenditur ad loca specialiter interdicta, ut infra videbimus.

6. *An dicto casu nomine Ecclesiarum veniant privata oratoria. — Prima opinio.* — Quæritur autem ulterius, an in privatis oratoriis, quæ solent esse in communibus domibus, possint tempore interdicti Missæ celebrari, præsertim nunc, quando talia oratoria esse debent ab Ordinariis designata et approbata juxta Concilium Tridentinum, sess. 22, decreto de observandis in Missæ celebratione. Nam, quia materia favorabilis est, videntur hæc oratoria posse nomine Ecclesiarum comprehendi, quia favores ampliandi sunt. Nihilominus dictus auctor contrarium significat, quia solum ad monasteria monialium, et hospitalia facit ampliationem, alia loca tacite excludens. Præsertim, cum generalem regulam statuat, extra loca ibi signata non posse divina celebrari. Et potest hoc confirmari, tum quia, juxta communem usum, non solent hæc loca nomine Ecclesiarum intelligi, unde Concilium Tridentinum, citato loco, hæc oratoria etiam ad divinum tantum cultum dedicata, et ab Ordinariis designata, ab Ecclesiis condistinguit; tum etiam quia cap. Alma, præter Ecclesias exprimens monasteria, satis significavit nolle permittere omnia loca, sed ea tantum, quæ videntur æque digna, ut in hoc privilegio æquiparentur, quod de privatis oratoriis dicere non possumus.

7. *Secunda opinio et verior.* — Contrarium vero videtur posse sumi ex Navarro, c. 27, num. 175, quatenus dicit, quando jura permittunt divina officia cum hac moderatione, *in Ecclesiis, vel monasteriis,* non addere hanc particulam, ut limitationem ad excludenda alia loca, sed potius ut ampliationem, quia permittendo hæc loca, in quibus laici solent sacra audire, multo magis permittunt alia loca, in quibus laici interesse non solent; nam principalis, inquit, scopus prohibendi divina officia est, ne audiantur a laicis.

8. Sed quidquid sit de aliis divinis officiis, de quibus infra dicemus, in Missæ sacrificio ratio illa non videtur locum habere. Primo, quia de illa verum non est, propter laicos principaliter fuisse prohibitum, ne ab eis audiretur; nam olim æque erat prohibitum pro laicis et clericis; et non solum prohibebatur audiri, sed simpliciter fieri extra casum necessitatis, supra explicatum. Cum ergo jus novum solum permittat fieri in certis, ac determinatis locis, integra manet prohibitio quoad cætera loca. Secundo, quia nullus est locus aptus ad hoc sacrificium conficiendum,

in quo laici non possint et soleant assistere et audire; ergo respectu hujus sacrificii non videtur habere locum ille modus ampliationis; imo, quia omnis alius locus, præter Ecclesiam et monasteria, est jure communi quasi ineptus ad hoc ministerium, ideo illis tantum locis concessum videtur hoc privilegium.

9. Nihilominus hæc posterior opinio viris doctissimis probatur, et quoniam favorabilis est, et favorem ampliat, mihi etiam probanda videtur. Vel dicendo, nomen Ecclesiæ amplissime sumptum (ut in re favorabili sumendum est) comprehendere omnia loca approbata ad Missæ sacrificium perficiendum. Vel dicendo (quod verisimilius videtur) in eo textu nominatas esse Ecclesias et monasteria, quia sunt frequentiora loca, in quibus divina officia celebrari solent; non vero ut ad illa sola concessio limitaretur. Nam primaria illius legis intentio non fuit his locis nominatis privilegium concedere, sed sacrificium ipsum permittere sicut prius, cum conditionibus ibi positis; ergo ubicumque antea fieri poterat, potest etiam nunc, illis conditionibus servatis.

10. *Prædicta concessio intelligi debet respectu cujusque sacerdotis non personaliter interdicti.* — Secundo expendenda est absoluta permissio celebrandi Missarum solemnia cum illa adjectione, *sicut prius,* nam hic duo colliguntur. Unum est, non solum esse licitum singulis diebus in singulis Ecclesiis semel sacrificare, sed etiam toties, quoties aliis diebus fieri solebat, atque adeo omnes sacerdotes, alias non prohibitos, seu personaliter interdictos, posse eo tempore cum dictis circumstantiis in talibus locis sacrificare. Quia licet in textu hoc expresse non declaretur, sed indefinite dicatur, quod liceat in Ecclesiis singulis diebus Missarum solemnia celebrare, tamen hoc ipso quod hæc concessio non limitatur, omnibus indifferenter conceditur; et addendo, *sicut prius,* hoc amplius, et evidentius declaratur.

11. *Non est limitanda dicta concessio ad officium proprium illius diei.* — Unde colligunt omnes, quoscumque clericos, sive illius loci, sive alterius, qui ibi inveniantur, posse tempore interdicti sacrificia ibi facere sicut prius, ut patet ex Navarro, c. 27, num. 174, cum aliis, quos citat, et ex Covarruvia, cap. Alma, part. 2, § 4, num. 4, qui excipit clericos conjugatos, qui quoad hoc tanquam laici reputantur, de quo paulo inferius dicetur. Aliud quod colligitur est quodcumque Missæ officium posse eo tempore celebrari, quod supra animadvertit Covarruvias, numero tertio, contra quosdam Canonistas, qui dixerunt, tantum licere dicere Missam diei, quorum sententia improbabilis est, quia illa limitatio in textu non habet fundamentum, et ex absoluta concessione et adjectione illius particulæ, *sicut prius,* contrarium potius colligitur; et ita communius sentiunt Doctores, quos ibidem Covarruvias refert. Addi etiam posset, ex his verbis colligi omnem solemnitatem hujus sacrificii in Ecclesia usitatam licitam esse tempore interdicti, præter eas quatuor conditiones, quæ ibidem adjunguntur. Nam cum prius fiat generalis concessio, et postea addantur quatuor illæ limitationes, per illasmet declaratum est, quoad alia omnia generalissimam esse concessionem; nam exceptio, ut aiunt, firmat regulam in contrarium. Sed hoc habet difficultatem inferius tractandam.

Conditiones servandæ in sacro faciendo in prædicto casu.

12. *Prima conditio ut submissa voce fiat, ne ab externis audiatur.* — Tertio expendenda est particula, *submissa voce,* per quam excluditur, ne Missa solemni cantu dicatur. Et quia finis hujus circumstantiæ est, ut divina officia extra Ecclesiam, atque adeo a personis prohibitis audiri non possint, ideo ea vocis submissio tenenda erit, quæ ad hunc finem necessaria fuerit, ut ibi communiter advertitur, et sumitur ex c. Quod in te, de Pœnitentiis et remissionibus, ibi : *Et voce ita demissa, quod exterius audiri non possit.* Non ergo prohibetur, quin Missæ officium tam alta voce proferri possit, ut et a ministris, et ab aliis, qui intra Ecclesiam legitime assistunt, audiri possit, et in hoc omnes etiam conveniunt, neque aliqua occurrit difficultas.

13. *Secunda ut januis clausis fiat. — Non tamen requiritur ut januæ ita sint obseratæ ut ab externis aperiri nequeant. — Adhibere ostiarium laudabile est, non tamen necessarium.* — Quarto notanda est secunda conditio, scilicet, *januis clausis.* Circa quam primo adverti potest, finem hujus circumstantiæ esse, ne orationes, aut alia divina officia exterius audiantur, quod facile contingere posset, si januæ essent apertæ, quantumvis Missa submissa voce diceretur, loquendo regulariter et prout communiter dici solet. Deinde,

ne Missæ sacrificium, et aliæ Ecclesiasticæ cæremoniæ ab existentibus extra Ecclesiam, atque adeo a personis prohibitis videri possint. Unde necesse est, ut januæ integræ sint, ita ut et auditum, et visum impedire possint. Unde in Clement. 1 de Sent. excom., graviter reprehenduntur, qui Ecclesiæ januis latenter perforatis, aut in eis factis fenestris interdictum violare præsumunt. Tertius finis hujus circumstantiæ esse potest, ne personæ prohibitæ ingredi valeant; ad hunc autem finem videtur necessarium, ut januæ ita sint interius clausæ, ut exterius aperiri non possint; quod tamen neque est in usu, neque in textu exprimitur. Sed sufficere censetur, quod portæ ita junctæ sint, ut et visum, et auditum et transitum impediant, nisi aperiantur, quamvis non sint ita obseratæ, ut volenti ingredi resistant; hoc enim etiam magnum esset incommodum, cum multi de populo facultatem habeant ingrediendi. Solet autem in nonnullis Ecclesiis ostiarius ad januam adhiberi, qui ingredientes admoneat, et prohibitos, seu facultatem non habentes repellat, quam providentiam censeo esse laudabilem, non tamen in præcepto, quia nullibi illud invenio, neque ex natura rei sequitur ex aliis, quæ præcepta sunt, quia generalis admonitio et denunciatio interdicti, per se loquendo, sufficit, et ipsæ januæ clausæ per se significant, et admonent, ne ingrediantur ii, qui facultatem non habent. Quod si aliquis prohibitus nihilominus ingressus fuerit, satis erit illum expellere, cum primum in notitiam ministrorum devenerit, neque ad majorem diligentiam, moraliter loquendo, tenentur.

14. *Omnes januæ prædicto tempore claudendæ.* — Advertendum præterea est, si templum plures portas habeat, non satis esse unam, vel aliam etiam principalem claudere, sed necesse est omnes, tum quia ad prædictos fines id necessarium est; tum etiam, quia propterea dicitur in textu, *januis clausis*. Quæ locutio pluralis æquivalet universali, maxime cum includat virtute hanc negationem, non aperta Ecclesiæ janua. Interdum vero solet Ecclesia, præsertim in monasteriis, hospitalibus, vel etiam in Cathedralibus, vel aliis similibus templis, præter eas januas, quæ sunt in viis publicis, habere aliquam ad interius claustrum, de qua dubitari potest, an necesse sit illam etiam claudi. Nam in illa cessare videntur omnes rationes et fines hujus circumstantiæ, præsertim, quia satis videtur illa porta esse clausa muris, et portis ipsius claustri, quibus ipsa concluditur. In contrarium vero obstant generalia verba legis, quæ magis attendenda videntur, quam finis legis. Eo vel maxime, quod sæpe intra claustrum ingredi possunt personæ, quibus licitum non est sacris interesse. Unde hanc regulam censeo esse servandam, nimirum, quod si claustrum ita sit post Ecclesiam contentum, ut ad illud non pateat aditus, nisi per Ecclesiæ januas, satis censeatur clausa Ecclesia, si januæ, quæ publicas vias respiciunt, clausæ sint; quando vero aliunde pateat aditus ad ipsum claustrum, qui aditus tempore interdicti non solet esse specialiter impeditus, tunc necesse est, ut januæ etiam quæ claustrum respiciunt clausæ sint, quia ratione finis et ratione verborum legis comprehenduntur.

15. *Utrum liceat facere sacrum solius capellæ porta clausa.* — *Excluditur quorumdam opinio.* — Et ad eumdem modum respondendum est, si quis interroget, an liceat in Capella Ecclesiæ Missam dicere apertis Ecclesiæ januis, porta vero ipsius Capellæ clausa; nam si ita Capella occludatur, ut nec videri, nec, moraliter loquendo, possint Missæ exterius audiri, id satis est, quia et ad finem legis hoc sufficit, et in verbis ejus nihil est, quod cogat ad id intelligendum de januis totius Ecclesiæ, sed (respective) illius loci, ubi fit sacrificium, vel divinum officium. Imo addunt aliqui, si locus Capellæ ita sit remotus, ut nullum sit morale periculum, ut ab aliquo possit audiri vel videri Missa, etiam si januæ apertæ sint, tum necessarium non esse eas claudere. Quod videtur a simili posse sumi ex Navarro, num. 174, ut infra videbimus. Et ratio esse potest, quia tunc cessat finis legis. Sed hoc ego non probo, quia illud est accidentarium, et semper necesse est verba legis tenere, et servare in aliquo probabili sensu; nam cessante fine legis in particulari, non statim cessat obligatio legis. Ut non liceret tempore interdicti Missam dicere solemni cantu, etiamsi esset Ecclesia ita remota a populo, ut nullum esset periculum quod ab externis audiri posset; ac denique quia nunquam potest esse ita certum, nullum esse tale periculum, ut ob eam rem hujus præcepti obligatio cessare judicetur. Clausæ ergo debent esse januæ, vel proxime, vel remote, prout moraliter ac prudenter satis existimetur.

Tertia conditio, ut campanæ non pulsentur.

16. *Quid nomine campanarum intelligatur.* — Quinto notanda est alia conditio requisita, scilicet ut sacrificium fiat sine pulsatione campanarum. Quod in primis intelligitur de pulsatione, quæ Missam antecedit, et publice fit ad populum convocandum, ut omnes intelligunt, et usus probat. Ejusque ratio primaria videtur esse, quia cum communis populus ad talia officia admittendus non sit, nec etiam est vocandus illo publico signo, quo vocari solitus est. Atque ex hac ratione confirmantur dicta in superiori puncto; ideo enim non vocatur populus, quia admitti non debet; ergo signum est ex vi hujus capitis non concedi populo, ut interesse possit. Nam si soli excommunicati, et interdicti, excludendi essent, nihil esset, cur campanæ non essent pulsandæ; nam excommunicati et interdicti pauci sunt, et eorum impedimentum est satis notum, et constat eos non vocari, quamvis signum publicum detur, ut constat aperte quando illi soli sunt excommunicati et interdicti absque interdictione loci. Deinde ex eadem ratione intelligimus sub appellatione campanarum comprehendi quodlibet signum publicum, quo solent ad celebrationem divinorum populi convocari. Quia ubi est eadem ratio, eadem videtur esse juris dispositio; valde enim materiale est, quod signum detur per cymbalum, vel per tubam, vel voce præconis, quæ campanis æquiparatur in Clementina 2 de Sententia excommunicationis, quia convocatio et significatio est eadem.

17. *Prædicta prohibitio non extenditur nisi ad signum campanæ. — Publice potest tuba dari signum Canonicis, et iis qui debent interesse divinis officiis.* — Aliqui tamen hoc ita extendunt, ut dicant, nullum esse dandum publicum signum, quo populo constet, divina tunc esse facienda. Veruntamen si tale signum non sit campanæ, quod in specie prohibitum est, et alioqui ex more et usu constet non dari ad convocandum populum, sed solum ad admonendum clerum, quod jam sit hora, in qua divina sunt celebranda modo jure permisso, non video illud esse hic prohibitum, quia neque verba neque ratio textus tali signo accommodantur. Imo video in gravissimis Ecclesiis, in quibus viri et timorati, et valde docti congregantur, hanc consuetudinem observari. Neque immerito; nam canonici, et alii beneficiati Ecclesiarum non solum possunt, sed etiam debent divinis officiis interesse tempore interdicti, alioqui distributionibus quotidianis privandi sunt, æque ac in tempore non interdicto, ut statuitur in dicto cap. Alma; ergo merito possunt in Ecclesiis institui specialia signa illi tempori accommodata, quibus clerus admoneatur. Nihilque refert, quod populus intelligat tunc divina celebrari, tum quia hoc non est prohibitum; tum etiam, quia dum id intelligit per signum speciale, verbi gratia, alicujus tubæ, et non per commune signum campanæ, simul intelligit ex vi talis signi populum non vocari, sed potius excludi, nisi privilegium habeat.

18. *Quis campanarum usus sit prohibitus tempore interdicti.* — Ex prædicta etiam ratione constat, quod notavit Covarruvias, dicto § 4, numero 5, usum campanarum non esse simpliciter prohibitum tempore interdicti, sed solum illum, qui est ad convocandum populum ad divina officia, non vero ad concionem, verbi gratia, salutationem Angelicam, significandas horas diei, et similia, quia non est illa pulsatio per se prohibita, sed solum ut circumstantia divini officii.

19. *An violetur interdictum si campanæ pulsentur, nec tamen divina celebrentur.* — Sed quid, si detur signum quasi vacuum et sine re, nimirum, quia pulsantur campanæ illis horis, in quibus divina celebrari solent, quamvis ibi celebranda non sint; solent enim, verbi gratia, in aliquibus Ecclesiis vel monasteriis pulsari campanæ ad Matutinum, vel etiam ad Missam, quamvis non dicantur; tunc enim non videtur talis pulsatio prohibita, quia revera non est circumstantia celebrationis, nec etiam est verum signum, sed apparens. Nihilominus aliqui existimant hoc etiam esse prohibitum, ut videre licet in Calderino, tractatu de Interdicto, part. 1. Indicant etiam Navarrus, num. 177, et Sylvester, *Interdictum*, 5, num. 7, quatenus dicunt, interdicti tempore nullo modo licere pulsare campanas pro signo celebrationis divinorum officiorum. Quæ sententia erit vera ratione scandali, quia populus per hoc intelligit interdictum illo modo violari; per se autem ac formaliter talis actio non videtur contra legem interdicti; quia interdictum, ut dicebam, non prohibet per se pulsationem campanarum, sed prohibet celebrationem divinorum cum pulsatione campanarum; ibi autem non fit celebratio divinorum. Tum etiam quia signum campanæ datum ad res non sacras non est prohibitum; ergo nec datum ad res non

veras, sed tantum fictas, et apparentes. Denique (quod ponderandum videtur) si quis tempore interdicti faceret pulsari campanam ad Missam, publice faciendam, et animo illam dicendi, si postea mutaret animum et illam non diceret, quamvis peccasset graviter mente, non tamen censeretur exterior transgressor interdicti, simpliciter et absolute, neque incurreret censuram latam contra hujusmodi transgressorem interdicti; ergo pulsatio per se sola non sufficiet ad hanc transgressionem proprie ac formaliter loquendo, quamvis sufficere possit ad culpam gravem ratione scandali.

20. *Quid de pulsatione parvæ campanæ in Missa.* — Tandem inquiri potest in hoc puncto an per hanc particulam sit prohibitus usus seu signum parvæ campanæ, quod in Missa dari solet; nam in illo cessat ratio hujus prohibitionis, quia illud signum non datur ad convocandum populum, sed ad excitandum mentes audientium, ut sacrificio attentius assistant, et adorent corpus et sanguinem Domini, qui finis honestus videtur etiam tempore interdicti. Nihilominus omnes auctores docent hoc etiam esse prohibitum, ut Calderinus, Covarruvias et Navarrus supra, aliique Summistæ. Nam in textu dicitur, *Campanis etiam non pulsatis,* quæ locutio universali negativæ æquivalet. Ratio vero est, quia vel hæ etiam parvulæ campanæ, regulariter loquendo, facile exterius audiuntur, et ita per eas etiam convocantur alii; vel certe non est illa ratio adæquata, quin etiam prohibeantur hæ propter aliquam solemnitatem tollendam. Quod a simili colligere licet ex cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., ubi organa, et alia signa solemnitatis, vel lætitiæ prohibentur. Unde, licet in illis conditionibus de hoc non fiat expressa mentio, tamen in hoc verbo, et multo magis in illo, *submissa voce,* sufficienter continetur.

Quarta conditio, ut interdicti personaliter, et qui interdicto causam dederunt, excludantur.

21. Sexto additur, *Excommunicatis et interdictis exclusis.* Et quidem prior pars, quæ ad excommunicatos spectat, non est hujus loci propria, quia non solum interdicti tempore, sed quolibet alio, a divinis officiis et præsertim a sacrificio Missæ excludendi sunt, juxta superius dicta in propria materia. Posterior autem pars intelligitur de omnibus personaliter interdictis, sub quibus comprehenduntur etiam personæ, quæ interdicto generali causam dederunt, et quæ ad perpetrandum delictum, cujus occasione interdictum latum fuit, consilium, auxilium vel favorem præbuerunt, ut dicitur in cap. Licet, de Privilegiis, in 6; nam illæ virtute, seu consequenter etiam sunt personaliter interdictæ per ipsummet interdictum locale, ut supra diximus.

22. *Utrum excludi etiam debeant laici non excommunicati, nec interdicti.* — *Ratio dubitandi.* — Dubium vero grave hic occurrit, an debeant excludi omnes laici, qui interdicti et excommunicati non sint; nam ex prædictis verbis colligi potest, omnes non excommunicatos vel interdictos, cujuscumque conditionis sint, excludendos non esse, quia exceptio firmat regulam in contrarium; sed hic Pontifex solum excipit excommunicatos et interdictos; ergo admittit omnes alios. Præterea, ut supra expendebamus, concedit facultatem absolutam offerendi sacrificium sicut prius, solumque hoc limitat illis quatuor conditionibus appositis; sed quamvis laici non interdicti vel excommunicati adsint, omnes illæ conditiones servari poterunt; ergo sicut prius licebat facere sacrificium præsentibus laicis, etiam nunc licet servatis prædictis conditionibus. Denique ratio illius moderationis in eo expressa, scilicet ne *indevotio populi crescat,* videtur hanc ampliationem postulare; alioqui eadem occasio indevotionis populi remaneret. Et hanc sententiam videtur probare Frederic., cons. 70.

23. Nihilominus contraria sententia et auctoritate et consuetudine est communiter recepta, ut videre licet in omnibus interpretibus, cap. Alma, ubi Covarruvias, part. 2, § 4, num. 4, et in Calderino, Antonino et in aliis in tractatibus de interdicto, et Summistis, verb. *Interdictum,* Navarr., n. 173. Et videtur hæc sententia declarata a Bonifacio VIII, qui auctor fuit cap. Alma, in cap. Licet, de Privileg., in 6, ubi sic inquit : *Licet vobis concessum existat, ut interdicti tempore januis clausis, excommunicatis, et interdictis exclusis, voce submissa divina celebrare possitis, ad ea tamen aliquos etiamsi aliunde venerint, nisi super hoc privilegiati existant, recipere nulla ratione debetis.*

24. *Objectio prima contra primum fundamentum propositæ opinionis.* — Sed hic textus licet communiter ad hoc allegetur, tanquam omnino clarus, non caret difficultate; quia

aliud est agere de privilegio concesso personis in particulari, vel in communi alicui religioni, aliud vero de communi jure moderante locale interdictum et effectus ejus limitante. Nam cap. Licet, loquitur in priori specie, ut ex verbis ejus constat, et ex titulo sub quo continetur, et in illa habet ejus decisio evidentem rationem; nam privilegium uni concessum, alteri non prodest, neque extenditur ultra verba ejus. Et ideo quamvis mihi factum sit privilegium faciendi sacrum in loco interdicto, non ideo mihi concessum est aliquem ad sacrum audiendum admittere qui alias prohibitus erat. Quia hoc est valde diversum, nec in alio formaliter aut virtute continetur; nec ego possum alteri privilegium meum communicare. At vero nos nunc non agimus de privilegio personali, sed de lege moderante effectum interdicti localis, qualis fuit constitutio cap. Alma, per quod non fuere personæ aliquæ privilegiatæ, sed locus ipse habilis factus est, ut in eo fierent sacrificia sicut prius, servatis solum illis quatuor conditionibus; ergo, cum laici non essent antea prohibiti audire sacrum in tali loco, nisi in quantum ipse locus quasi inhabilis fiebat ad tale interdictum, ablata hac inhabilitate per hanc legem, omnes fruentur beneficio ejus.

25. *Confirmatur eadem objectio.* — Et confirmatur a simili; nam sistendo in terminis cap. Licet, non solum laici, verum etiam clerici non privilegiati aliunde venientes non poterunt admitti ad celebranda ibi divina, quia in eis procedit eadem ratio, nimirum, quod privilegium aliis factum non extenditur ad extraneos. At vero juxta cap. Alma, omnes clerici etiam extranei admitti possunt in quacumque Ecclesia, ut supra dictum est; quia ibi non conceditur privilegium personis, sed in ipso loco fit quædam interdicti moderatio; ergo ex dict. cap. Licet, non sumitur efficax argumentum. Quam difficultatem videtur ibi sensisse Glossa, verb. *Exclusis.* Ubi in primis rationem illius decretalis fundat solum in hoc, quod unius privilegium alteri non prodest, et postea dubitat quem usum habeat nunc illa decretalis, cum de jure communi liceat illo modo celebrare tempore interdicti; et respondet, non obstante jure communi, posse interdum, saltem auctoritate Papæ, poni interdictum prohibens celebrationem etiam secundum illam formam juris communis, et tunc si aliqui ex privilegio nihilominus celebrent, non possent alios admittere, et tunc haberet locum decisio illius cap. Licet.

26. *Clement. 2 de Sentent. excomm.— Objectio secunda contra secundum fundamentum.* — Solet præterea citari textus in Clement. 2 de Sentent. excomm., ubi Papa excommunicat eos, qui ad divina audienda vocant, tempore interdicti, non solum excommunicatos et interdictos, sed etiam alios, ut patet ex illis verbis : *Aut qui modo prædicto ad officia eadem audienda aliquos, excommunicationis præsertim, vel interdicti ligatos sententia, evocare præsumpserint.* Expendenda est enim illa particula, *præsertim*, ampliat enim ad alios præter ibi nominatos; ergo signum est aliis etiam non ligatis excommunicatione, vel interdicto, non licere interesse divinis tempore interdicti generalis; nam si liceret eis, non excommunicarentur alii, qui eos evocarent. Minus autem efficax est hæc probatio, quam præcedens, quia ponderata non est illa dictio, *prædicto modo*. Modus autem evocationis superius narratus fuerat, quod quidam nobiles in suis terris Ecclesiastico interdicto suppositis Missas et alia divina officia publice et solemniter faciebant celebrare, ad officia eadem celebranda nunc hos nunc illos vocantes, et subditur : *Hisque non contenti excessibus per campanarum non solum pulsationem, sed et voce præconia populos ut ad audiendas Missas hujusmodi veniant, faciunt evocare.* Unde constat non quomodocumque vocantes, sed illis modis publicis, scilicet, *voce præconia, et pulsatione campanarum*, nec ad quascumque Missas, sed ad hujusmodi, id est, publice et solemniter dictas vocantes excommunicari. Quapropter qui nunc vocaret laicum non privilegiatum, alio modo rogando, vel inducendo illum ad Missam audiendam, quæ modo a jure præscripto dicitur, sine dubio non incurreret illam excommunicationem; e contrario vero, qui modo prædicto, et ad Missas dicto modo publico et solemni celebratas audiendas vocaret homines etiam privilegiatos, imo etiam clericos, illam excommunicationem incurreret, quia ageret contra illam prohibitionem, quæ non respicit qualitatem, ut sic dicam, vel conditionem personarum quæ vocantur, sed modum vocationis et terminum; nam uterque est in contemptum interdicti, et contra formam a jure præscriptam. Ex illo ergo textu nullo modo colligi potest, illicitum esse laicis audire Missam tempore interdicti, quæ juxta formam juris dicitur, quia inde etiam non

colligitur, esse illicitum vocare privatim et secreto laicum ad hujusmodi Missam audiendam, nam ibi propter hoc non est excommunicatio lata, ut ostensum est.

27. *Tertium argumentum. — Objectio.* — Aliter probatur hæc sententia, quia, si, hoc liceret laicis, non indigerent privilegio ut interesse possint sacrificio tempore interdicti celebrato; usus autem probat indigere privilegio, nam communiter conceditur et postulatur; ergo signum est hoc eis non licere. Hæc vero probatio pertinet ad factum, non vero ostendit jus, quo hoc prohibeatur; et factum illud potest interdum procedere ex scrupulo vel dubitatione, ut privilegio obtento major sit securitas, et ideo in aliis etiam materiis argumentum illud non est efficax.

28. *Tempore interdicti excludendi sunt laici etiam non interdicti vel excommunicati.*— His vero non obstantibus communis sententia omnino retinenda est. Primo ac præcipue, quia hic videtur esse communis sensus Ecclesiæ, ut ostendit consuetudo, quæ est optima legum interpres. Secundo id aperte supponitur in Clem. 3, de Sent. excom., ubi in primis narratur factum, nimirum quod fratres Minores tempore interdicti ad divina officia audienda admittebant fratres et sorores sui tertii ordinis, alias vero personas excludebant, ex quo nascebatur scandalum, et deinde præcipitur sub excommunicatione eisdem Minoribus, ut hujusmodi homines tertii ordinis non admittant, etiamsi ad hoc, vel ipsi, vel illi privilegium habeant. Ex quo in primis constat ibi non esse sermonem de excommunicatis vel interdictis, sed de quibuscumque laicis non privilegiatis, tum quia alias nullum esset scandalum, quod excommunicati et interdicti ejicerentur, et non alii; tum etiam quia Papa supponit, posse habere privilegium ad divina audienda, quod excommunicatis vel interdictis non datur. Deinde clarum est ex hoc textu, approbare Pontificem quod alii laici ejiciantur, quandoquidem ad tollendum scandalum, quod ex illa differentia personarum oriebatur, non mandat alios extraneos admitti, sed potius præcipit eos etiam repelli, qui quodammodo proprii videbantur; et, quod mirum est, ut ibi Glossa notat, etiamsi privilegium habeant, per quod possint in aliis Ecclesiis admitti, non vult eis prodesse pro Ecclesiis ipsorum Minorum, ob scandalum vitandum. Ergo manifeste ibi supponitur hoc esse prohibitum laicis, et in particulari et pro talibus Ecclesiis prohibetur iis, qui de tertio ordine dicuntur. Supponitur etiam privilegium esse ad hoc necessarium, et quod illud sit in sua vi, id est, a Pontifice non revocatum vel coarctatum. Atque hoc modo tertium etiam argumentum supra factum ex privilegio efficax est, quando alias ex jure colligitur tale privilegium esse simpliciter necessarium. Et hoc etiam modo potest induci dictum cap. Licet. Nam ibi etiam supponitur hujusmodi privilegium esse necessarium.

29. *Respondetur primæ objectioni.* — Quod autem in objectione supra facta supponebatur, ibi esse sermonem de personali privilegio concesso celebrantibus Missam, certum non est; nam verba Pontificis sunt : *Licet vobis concessum existat.* Quæ intelligi possunt de concessione ab eodem Pontifice facta per cap. Alma, quæ existimatur tanquam generale privilegium respectu juris antiquioris, et ideo potuit sub illo titulo collocari. Quam expositionem probabilem putat Glossa ibi, verb. *Exclusis,* quamvis prius, verb. *Exclusis,* oppositum supposuerit. Et nonnihil favet consonantia verborum utriusque textus; nam in uno dicitur : *Licet vobis concessum sit;* in alio vero dicitur : *Concedimus quod tempore interdicti,* etc. Addo vero ulterius, quacumque ratione intelligatur illa concessio cap. Licet, urgens inde sumi argumentum. Nam in dict. c. Alma, neque fit absoluta moderatio interdicti respectu loci, ut in eadem objectione supponebamus, neque fit ulla concessio respectu audientium, sed solum respectu celebrantium seu dicentium divina officia, ut patet ex illis verbis : *Adjecimus propterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, et monasteriis Missæ celebrentur, et alia dicantur divina officia, sicut prius.* Ergo, servata proportione, declaratio cap. Licet, optime cadit in concessionem cap. Alma, quod scilicet laici ex vi illius textus admittendi non sint, quandoquidem nulla ibi facta est illis concessio.

30. *Satisfit confirmationi ejusdem objectionis.* — Ad objectionem autem, quæ videbatur difficilis, quod eadem ratione non essent admittendi clerici aliunde venientes, quia juxta tenorem cap. Licet, admittendi non sunt, respondetur, si teneamus, narrationem c. Licet, referri ad concessionem cap. Alma, negandum esse assumptum; si vero dicamus esse sermonem de concessione per speciale privilegium aliquibus personis vel alicui congregationi facta, neganda est consequentia. In cap. enim Licet (juxta hanc expositionem), sermo est de speciali privilegio quibusdam personis

concesso, quod ad alias extendi non potest. At vero in c. Alma, sermo est de concessione facta toti ordini clericali, ut supra ponderatum est. Et ideo nihil refert quod clerici sint alterius loci seu diœcesis; nam omnibus concessum est, ut possint in loco interdicto celebrare, juxta formam cap. Alma.

31. *Satisfit rationi dubitandi initio positæ. — Occurritur cuidam objectioni.* — Unde ad aliam rationem in principio positam respondetur primo, argumentum illud, quod est a contrario sensu, non semper esse validum, quando aliud ex jure colligitur, ut est in præsenti. Dico autem illa verba, *Excommunicatis et interdictis exclusis*, posita esse præcipue propter clericos et alios privilegiatos, quibus neque Ordo, nec privilegium sufficit, ut interesse possint, si ipsi interdicti sint. Et ideo non recte infertur, omnes laicos, censura non impeditos, interesse posse, cum illa expressio non sit posita propter solos laicos. Ad aliam vero partem, quod ibi facta est concessio generalis celebrandi sicut prius, adjunctis solis quatuor conditionibus, respondetur, id esse verum ex parte celebrantium, non vero ex parte assistentium, de quibus ibi nulla fit mentio, neque aliquod novum privilegium eis conceditur, quia non oportebat prohibitionem interdicti adeo enervari seu relaxari. Nam alias ex vi interdicti localis nullus excluderetur a divinis officiis, quia excommunicati et interdicti per sese et ex vi propriæ censuræ exclusi jam erant. Dices : si in c. Alma, nihil novum conceditur assistentibus divinis officiis, ergo nec clericis, qui tantum assistunt, et nullo modo cooperantur ad divina officia. Respondetur, id esse accidentarium; nam per se loquendo, ipsi sunt ministri, ipsisque generaliter conceditur, ut facere divina possint; ergo multo magis ut assistant; unde cum duobus modis possit participari sacrificium Missæ, scilicet, ministrando, vel tantum assistendo, prior prohibitus non est ex vi interdicti, servatis circumstantiis juris, et sub illo comprehendimus non tantum sacerdotis oblationem, sed etiam omne ministerium, quod ex officio convenit clericis, et hac ratione ipsi exclusi non sunt. Posterior autem modus assistendi tantum est simpliciter prohibitus, et ideo excluduntur laici per se loquendo.

32. *Laicus potest in necessitate ministrare sacrum facienti.* — Dico autem, per se, primo quidem ad excludendum casum necessitatis; nam, si sacerdos velit facere sacrum tempore interdicti, et neminem habeat, qui ministret nisi laicum, poterit illo uti ad tale ministerium, et ipse poterit sine culpa assistere, dummodo alias inhabilis non sit, id est, excommunicatus, aut interdictus, seu causam dederit interdicto. Atque hæc est communis sententia in dicto c. Alma, ubi Covarruvias, dict. num. 5, et Navarrus, num. 81. Et ratio est, quia licet hoc non sit concessum laico ratione sui, est tamen concessum ratione sacerdotis. Nam cum huic concessum sit sacrificare, consequenter conceditur adjutorium illud, quod juxta communem usum Ecclesiæ moraliter necessarium est.

33. *Cum persona habente privilegium adesse possunt divinis officiis domestici eam comitantes.* — Dixi etiam, per se, ad excludenda privilegia, ratione quorum sæpe possunt laici assistere, et ideo hæc exceptio in ipsis juribus additur. Declaraturque in dicto cap. Licet, de Privilegiis, per privilegium concessum singulari personæ ad audiendam Missam tempore interdicti, admitti posse cum ea familiares domesticos ejus, qui eam comitantur. Ubi ponderanda est illa particula, *cum ea*, nam solum hoc extenditur ad ipsos propter ministerium, quod exhibent privilegiatæ personæ, comitando et honorando illam, unde si hujusmodi familiares per se et separatim eant ad divina, non sunt admittendi, ut omnes ibi notant. Et ob eamdem rem additur in eodem cap. Licet, quando privilegium concessum est collegio seu communitati, tunc hujusmodi familiares collegii, nisi ad eos expresse extendatur privilegium, illo non gaudere, quia nimirum hi familiares non solent comitari collegium ipsum vel conventum euntem ad divina celebranda vel audienda. Quod etiam intelligendum est, quando privilegium est collegio ut sic concessum; nam secus esset si omnibus de collegio concederetur; nam tunc jam privilegium esset singulorum, et consequenter extenderetur ad familiares ipsorum. Quod semper intelligendum est, dummodo ipsi alias inhabiles non sint, id est, interdicti, etc. Nam hæc exceptio semper generalis est in tota hac materia, adeo ut in ipsis etiam personis, quibus directe conceditur privilegium, locum habeat, nisi aliud expresse in ipso privilegio poneretur, quod quidem nunquam fit.

34. *Omnibus omnino laicis prohibetur tempore interdicti audire Missam.* — Ex dictis sequitur non solum excommunicatos et interdictos, sed etiam omnes laicos non habentes privilegium, esse a divino sacrificio exclu-

dendos per Ecclesiæ ministros, nam ad eorum officium spectat omnes prohibitos repellere, et facere, ut censuræ Ecclesiasticæ serventur, et ideo non oportuit hoc specialiter declarari in illo decreto. Quæri autem potest, an hoc extendatur non solum ad omnes ratione utentes, de quibus non est dubium, cum lex nihil distinguat, sed etiam ad alios. Non enim desunt, qui hanc prohibitionem extendant ad infantes nondum ratione utentes, et a fortiori ad amentes et similes. Quia licet isti non sint capaces prohibitionis, quæ ipsos obliget, alii autem, præsertim ministri Ecclesiæ, prohiberi possunt, ne illos adesse permittant. Quod sentit Sylvest., verb. *Interdictum*, 2, q. 17, ut illi tribuit Covarruv.; at in communibus exemplaribus Sylvestri deest particula *non*, quæ omnino mutat sensum, nam illa ablata nihil ibi tractat de infantibus, qui non sunt doli capaces, sed tantum de his, qui ratione jam utuntur et doli capaces sunt, quanquam secundum contextum videatur negatio deesse, et consequenter illam fuisse mentem Sylvestri, et eamdem opinionem tenet Navarrus, cap. 27, n. 169; Corduba, in Summa Hispana, quæst. 60.

35. *Prædicta prohibitio comprehendit solos laicos ratione utentes.* — At vero Covarruvias supra, dicto num. 5, primo hoc negat de illis hominibus seu infantibus, qui omnino rationis usum non habent, quia officia divina non prohibentur, nisi celebranda vel audienda, ad quod requiritur aliqua intelligentia seu rationis usus. Addit deinde non oportere, ut hujusmodi infantes sint doli capaces, sed satis esse, ut aliquo modo intelligant ibi celebrari divina, ut communiter esse solent pueri post septimum ætatis annum. Et prima quidem pars mihi absolute probatur, quia non prohibetur hic quælibet assistentia, sed humana et rationalis; nam altera impertinens est ad divinorum celebrationem. Dico autem assistentiam humanam prohiberi, quia non est necessaria sensibilis auditio aut visio. Nam cæcus aut surdus intelligens sacrum fieri, nullo modo est admittendus sine privilegio, quia illud est moraliter audire Missam. Illa vero distinctio inter infantes doli capaces, et non capaces, percipientes tamen aliquo modo res divinas, licet fortasse utendo illo termino, *doli capax*, more Juristarum, admitti possit, tamen nos in præsenti non admittimus medium inter infantem nondum utentem ratione et puerum jam utentem. Nam, si ita utitur ratione, ut peccare sciat, excludendus est a loco interdicto, et ipse tenetur abstinere, quia jam est capax hujus præcepti Ecclesiastici, et Theologico more jam dici potest doli capax. Si vero nondum habet usum rationis, ita ut sciat discernere inter bonum et malum, non tenetur hac obligatione, et consequenter neque alii ipsum expellere tenentur, et si adsit, non audit divina humano ac morali modo, de quo est prohibitio.

36. Præterea interrogari potest, an hæc prohibitio sit de tota Missa et omnibus partibus. Respondeo principaliter quidem intelligi de substantia sacrificii; tamen etiam extenditur ad totam solemnitatem ejus, prout in Ecclesia fieri consuevit, etiam ad Missam catechumenorum, ut vocant, quia hoc totum jam comprehenditur nomine Missæ, præsertim quia jura expressius loquuntur de Missarum solemniis. Nec refert, quod quis intra Ecclesiam assistat, vel extra, dummodo moralem præsentiam habeat, sive per fenestram, sive alio simili modo, argumento Clement. 1 de Sentent. excomm., ut supra ponderavimus.

37. *An interdictis sit prohibitus Ecclesiæ ingressus.* — Tandem interrogabit aliquis, an personis interdictis sit prohibitus Ecclesiæ ingressus, etiam cum divina officia in illa non celebrantur. Respondeo non esse prohibitum, de quo infra latius. Ratio est, quia nullo jure id cautum est generaliter de interdicto, sed id specialiter exprimitur, quando talis prohibitio imponitur, ut patet ex c. Ex rescripto, de Jurejurando, et cap. Is cui, de Sentent. excom., in 6. Quod verum censeo, etiamsi contingat sanctum Eucharistiæ sacramentum esse in Ecclesia ad videndum omnibus propositum, ut solet esse in aliquo speciali die ad frequentem populi orationem seu devotionem deputato, vel sicut etiam ostendi solet populo, quando viaticum delatum est infirmo et ad Ecclesiam reducitur. Nam conspectus Eucharistiæ, ut Navarr. notavit, num. 179, non est per se prohibitus, sed solum in Missa, quatenus scilicet prohibitum est videre quamcumque partem vel cæremoniam illius sacrificii; non vero quia sit prohibitum videre ipsum sacramentum etiam in Ecclesia, nullo enim jure ostendi potest talis prohibitio.

In quibus festivitatibus et quomodo suspendatur interdictum.

38. *Quinam admitti possint ad sacrum quatuor festivitatibus permissum.* — *A quibus*

actionibus sint prohibiti in his festivitatibus qui interdicto causam dederunt. — Oblationes ab interdicto factæ in Missa, non sunt accipiendæ. — Tandem advertenda est ultima exceptio, quæ additur in dict. cap. Alma, de quatuor festivitatibus, Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes et Assumptionis Virginis gloriosæ; in quibus permittuntur Missæ celebrari cum tota solemnitate consueta, et fere sine ulla ex præcedentibus limitationibus. Nam licet ibi declaretur excommunicatos esse excludendos, tamen ea limitatio non est ex vi interdicti, sed ex vi ipsius excommunicationis. Unde ibidem additur interdictos non esse excludendos, ex quo a fortiori constat alios quoscumque laicos, qui interdicti non sunt, admittendos esse, sive sint de loco interdicto, sive de quocumque alio. Solum de his, propter quorum excessum interdictum est prolatum, adjungitur non esse permittendos, ut ad altare appropinquent. Quod potest intelligi vel secundum propinquitatem localem tantum, et hoc magis ad decentiam, quam ad necessitatem pertinere videtur, vel secundum aliquam actionem, scilicet, ut non admittantur ad oblationem faciendam, vel ad communicandum. Et hoc ultimum mihi maxime probatur; nam, ut supra dixi, aliis etiam interdictis generaliter et absque propria culpa conceditur, ut illis diebus possint Eucharistiam sumere, quod ibi principaliter comprehendi credimus sub participatione divinorum; ab hac ergo præcipue excluduntur isti delinquentes, cum ab altari removentur, et merito, quia supponuntur esse contumaces, ut patet ex illis verbis : *Ut ipsi ad humilitatis gratiam et reconciliationis affectum facilius inclinentur.* Nam et propter hanc causam tunc non tollitur interdictum, quamvis propter solemnitatem talium festivitatum suspendatur quoad hunc effectum, tam loci, quam personarum, ut bene Navarr., cap. 27, n. 185, cum Gloss., in cap. Ut privilegia, verb. *Semel,* de Privilegiis. Alius item sensus de remotione ab altari quoad oblationem faciendam mihi non displicet; nam licet non omnino sit prohibitum recipere oblationem a persona interdicta etiam specialiter et propter propriam culpam, quia nullibi invenitur expressa talis prohibitio, ut notavit Navarrus, num. 174, in fin., ex Calderino in tractatu de Interdicto, nihilominus oblatio facta ad altare, et in Missa, prohibita est ex vi interdicti etiam localis et a fortiori personalis, multoque magis specialis, seu propter propriam culpam lati, quia, ut supra dicebamus, tota Missæ solemnitas, et quælibet pars ejus prohibita est ex vi interdicti; ergo et oblatio prout facta in Missa. Quamvis ergo in illis diebus interdictum suspendatur quoad alia, tamen quoad hunc effectum offerendi ad altare, merito potuit non suspendi respectu eorum, qui contumaces esse supponuntur in delicto, propter quod interdicti sunt, quia oblatio et acceptatio ejus ex parte Ecclesiæ esset signum reconciliationis et amicitiæ. Unde etiam Navarrus supra, loquens de oblationibus factis pro defunctis interdictis, ait, esse recipiendas, si decesserunt pœnitentes; ergo a contumacibus recipiendæ non sunt, et præsertim ad altare. Hæc ergo duo vera sunt, et primum non debet excludi; nam etiam decet hujusmodi contumaces longe ab altari separari, tum ut ipsi erubescant, tum ut alii timeant.

39. *Nomen festivitatis quomodo intelligendum quidve complectatur.* — De his vero festivitatibus quomodo intelligendæ sint, et quando incipiant aut finiantur, multa tractari solent, quæ melius dicentur sectione sequenti, quia communia sunt aliis divinis officiis. Unum vero est hujus loci proprium, scilicet, an tres primæ festivitates singulæ sint unius diei tantum vel plurium. Et ratio dubii est, quia Ecclesia non per unum diem tantum, sed per plures festivos et solemnes talia mysteria celebrat; textus autem non dicit in diebus, sed in festivitatibus; omnes autem dies Paschæ et Pentecostes, qui ex præcepto observantur, absolute dici possunt festivitas Paschæ, etc. Nihilominus contraria sententia communis est et amplectenda; potestque in hunc modum declarari. Quia festum Nativitatis simpliciter dictum solum primum diem illius festivitatis significat, tum ex vi rei significatæ, quia illo die natus est Christus, tum secundum communem usum et celebritatem, quia aliis diebus potius agitur festum Sanctorum Stephani, Joannis et Innocentum. Et hinc ulterius colligimus eodem modo sumendum esse festum Paschæ et Pentecostes, tum quia textus eodem modo loquitur de his tribus festivitatibus; tum etiam quia non est major ratio de aliis, quia in Ecclesia non est minus solemne festum Nativitatis quam Paschæ et Pentecostes. Item, sicut mysterium Nativitatis, ita etiam alia duo singulis diebus tantum effecta sunt; propria ergo festivitas tantum est primi diei. Quod vero Ecclesia pluribus diebus illud mysterium celebret, non sufficit, alias tota etiam octava sub illa solemnitate

comprehendenda esset, quod improbabile ab omnibus reputatur. Atque hanc sententiam docuit Sylvest. cum Archidiacono, *Interdict.*, 5, q. 2, num. 3; Tabiena, num. 2; Antonin., 3 part., tit. 37, cap. 4; Navarr., cap. 27, num. 182, et idem sentit Gloss., in dict. cap. Alma, verb. *Assumptionis*.

40. *Excluditur opinio Soti. — Aliud Soti dictum expenditur.* — Soto autem, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, post 4 concl., duo habet in hac materia notanda : unum est festa illa finiri, *in ultimo completorio* (ut ait) *ultimo die Paschatis,* quod nulla ratione, vel auctoritate probat. Sed ductus videtur vulgari appellatione, qua nomen Paschæ omnibus illis diebus attribui solet. Juvari etiam potest illo axiomate, quod privilegia amplianda sint, præsertim ea, quæ conceduntur a principe, et in publicum favorem, ac commune bonum. Sed hæc non sufficiunt, ut a communi sententia discedamus, propter ea quæ adduximus. Nec enim sufficit vulgaris locutio, cum textus proprie loquatur de festivitatibus, in quibus talia mysteria celebrantur, non de octavis, nec semper licet quamcumque extensionem facere, et præter vim verborum, et præsertim contra communem intelligentiam. Aliud singulare, quod Soto habet, est, in festo Paschatis comprehendi etiam vigiliam, ab eo tempore, in quo jam potest Missa diei celebrari, ad quod nullum textum, nec auctorem allegat. Et Petrus Polanco, in Directorio confessorum, pag. 150, subindicans Sotum ait, secundum aliquos posse id fieri, quod non reprobat. Motivum autem Soti fuisse videtur, quia celebritas Paschæ incipit a Missa vigiliæ, quando cantatur Gloria, et pulsantur campanæ. Possumus etiam adjungere, quod aliæ festivitates incipiunt ab hora vesperarum in Ecclesia consueta, ut infra videbimus; in Paschate autem vesperæ dicuntur in ipsa Missa ; ergo illud festum quoad hunc effectum incipiet ab illa Missa.

41. Verumtamen difficilis etiam videri potest hæc ampliatio, tum quia est valde singularis in re gravi, sine textu, vel ratione cogente, tum etiam quia ex vi concessionis cap. Alma, unus dies tantum conceditur in singulis festivitatibus supra dictis, in quo possit Missa solemniter ac publice dici ; per illam autem extensionem jam concedimus duos dies. Unde licet Missa vigiliæ quasi per anticipationem sit de mysterio resurrectionis, id non satis videtur ad illam extensionem faciendam ; nam etiam Missa secundi diei, quæ est prima octavæ, est de eodem mysterio, quod in eo die etiam celebratur; tamen quia revera non est ipsum festum Paschæ, sed aliquid concomitans ad augmentum solemnitatis, ideo non comprehenditur; ergo idem dicendum est de illa anticipata celebritate. Propter hæc videtur dubia hæc sententia; tamen si usus non admodum repugnat, non erit illicitum in praxi adhærere. Præsertim quod ante Sotum, Paludan., 4, dist. 7, q. 3, art. 2, num. 11, illam attingit, et non rejicit, imo ad vigiliam etiam Pentecostes illam extendit, quod nimium est.

42. *In festo Corporis Christi interdictum suspenditur.* — Est autem hoc loco ulterius advertendum concessionem harum festivitatum ampliatam postea esse ad festum Corporis Christi per Martinum V et Eugenium IV, ut referunt Angelus, verb. *Interdictum,* 6, num. 16 ; et Sylvest., *Interdictum,* 5, q. 2; et Antoninus et Navarrus supra, et habentur hæ constitutiones in Bullario Romano in ultima constitutione Martini V *Ineffabile sacramentum,* et in 4 Eugenii IV *Excellentissimum,* et in eis hoc specialiter additur, quod non solum pro die festo Corporis Christi, sed etiam pro tota octava fit prædicta interdicti suspensio, quod est valde notandum pro his, quæ de aliis solemnitatibus diximus, scilicet non extendi ad aliquem diem octavarum, quia quando Pontifices hujusmodi concessionem faciunt, eam declarant.

43. *Alia ampliatio ejusdem concessionis pro festo et octava Conceptionis Virginis.* — Præter has exceptiones jure communi factas, refertur alia ex privilegio concessa a Leone X pro festo Conceptionis Virginis, et ejus octava, pro sola Hispania, ut refertur in Supplemento Minorum, concess. 67, et in eorum Compendio, verb. *Conceptio*, § 12, et verb. *Interdictum,* 2, § 8. Addunt vero Navarr., cap. 26, num. 282, et ex illo Covarr., d. § 5, num. 2, concessionem non fuisse absolutam, sed pro his Ecclesiis, in quibus dicitur officium Conceptionis ordinatum per Leonardum, et Missa, cujus introitus est *Egredimini,* etc. Quod si vera est hæc limitatio, jam non erit utilis illa extensio, quia illa officia non sunt in usu post Pii V ordinationem, nisi forte alicubi ex privilegio retineantur. Tamen de illa limitatione mihi non constat, nec in privilegio Leonis habetur, ut refertur in Suppl., fol. 24, concess. 67. Quæri autem potest, an hoc privilegium revocatum sit per Concilium Trid., sess. 25, cap. 12 de Regularibus. Respondeo

tamen non esse derogatum, tum quia Concilium non addit clausulam derogatoriam, sed simpliciter præcipit, ut mandante Episcopo interdicta serventur, et publicentur a regularibus; tum etiam quia illud privilegium non videtur esse speciale regularibus, nec in illorum favorem, sed esse in honorem Virginis, et pro tota Hispania; quare potius ipsi Episcopi, si de tali privilegio eis satis constet, tenentur pro illis diebus interdictum suspendere.

44. *Alia ejusdem concessionis extensio rejicitur.* — Tandem addit Covarr., dict. § 5, num. 4, hanc exceptionem extendi ad diem, in qua contingit regem aliquem ingredi de novo civitatem aliquam, quæ interdicta sit. Quod solum probat ex Joanne Staphilo, lib. de Litteris gratiæ et justitiæ, fol. 157, col. 1, qui nullum jus ad hoc confirmandum adduxit, sed solum conjecturam, quod dignitati regiæ deferendum est, juxta c. Solitæ, de Majorit. et obedientia. Sed hæc est congrua ratio, ut qui interdictum posuit, illud suspendat; non tamen ut possit ipso jure suspensum affirmari, cum nullo jure cautum sit; alioqui multo magis dicendum esset in die desponsationis regis, aut nativitatis principis, multoque magis in die mortis vel sepulturæ personæ regiæ suspendi interdictum, quia majoris momenti sunt hujusmodi occasiones, ut dignitati regiæ deferendum videatur; in his ergo, quæ ex jure pendent, parum valent congruentiæ, nisi prius jus ostendatur.

SECTIO II.

Quomodo sacrificium Missæ per alia interdicta prohibeatur.

1. *Tempore specialis interdicti localis licitum est sacrum facere ad renovandam Eucharistiam. — Privilegium Episcopis concessum in cap. Quod nonnullis, de Privilegiis, arctatur ad interdictum generale.* — Explicuimus latius hunc effectum in generali interdicto locali, quia de illo præcipue loquitur cap. Alma, quod ampliore explicatione indigebat· quæ vero dicta sunt, facile possunt ad alia interdicta applicari cum debita proportione seu moderatione. Igitur in speciali interdicto loci, si in eo Eucharistia servatur, non prohibetur Missa privata, et cum debitis circumstantiis ad renovandam illam, quod semel in hebdomada licere declaravit cap. Permittimus, de Sent. excom., et ad speciale interdictum extenditur, ut cum Hostiensi notavit Navarr., cap. 27, num. 173, et merito, tum quia textus absolute loquitur, *Tempore interdicti,* tum etiam quia ratio concessionis id exigit. At vero reliqua omnia, quæ in cap. Alma, concessa sunt, et in superioribus sunt declarata, in hoc interdicto locum non habent, ut notavit Glos. ibid., verb. *Ecclesiis,* quam esse communiter receptam testatur Navarr., num. 173, et idem habet Covarr. referens plures auctores supra, § 4, num. 1. Ratio est, quia dict. cap. Alma, expresse loquitur de interdicto generali; et ideo extendi non debet ad speciale, tum quia in rigore et secundum commune jus est diversum interdictum, tum etiam quia ratio illa, et publica necessitas, quæ movit Pontificem ad id concedendum pro interdicto generali loci, non habet locum in speciali interdicto, ut per se constat. Atque ob eamdem causam privilegium, quod Episcopis conceditur in cap. Quod nonnullis, de Privilegiis, ut possint tempore interdicti celebrare fere juxta formam cap. Alma mater, etiam non extenditur ad locum specialiter interdictum, quia textus ille expresse dicit: *Cum commune terræ interdictum fuerit;* loquitur ergo de interdicto generali; ergo extendendum non est privilegium ad interdictum speciale. Quo fit, ut jam nunc privilegium illud nihil operetur, quia per jus commune dicti cap. Alma, idem concessum est omnibus sacerdotibus; hoc autem speciale est in Episcopis, quod possunt in altari portatili celebrare, aut facere sibi celebrari in quolibet loco interdicto servatis dictis circumstantiis, conjungendo cum dict. c. Quod nonnullis, cap. ult. de Privileg., in 6. Atque ita etiam notavit Sylvest., *Interdictum,* 5, quæst. 5, vers. 5, ubi refert simile privilegium datum esse fratribus Prædicatoribus et Minoribus; et idem habet Covarr., § 2, n. 7, citantque cap. In his, de Privileg. Sed ibi solum dicitur, eos posse cum altari portatili, ubicumque fuerint, celebrare sine præjudicio juris parochialis; de loco autem interdicto ibi nihil dicitur. Unde ex vi illius solius juris revera non possent celebrare in loco etiam generaliter interdicto in altari portatili, quia privilegium generaliter prolatum intelligendum est de loco habili; conjungendo tamen cum illo privilegio alia circa interdictum generale, vel saltem concessionem c. Alma, poterunt uti illo privilegio in loco generatim interdicto, non vero in specialiter interdicto, ut iidem auctores merito docent, quia nec jus

commune, nec aliud speciale privilegium de illo loquitur.

De prohibitione Missæ per interdictum personale.

2. *Conclusio.* — De personali autem interdicto certum est, ex vi illius, personis omnibus, tam generatim quam specialiter interdictis, prohibitum esse, tam celebrare quam ministrare, vel assistere Missæ sacrificio in quocumque loco sive interdicto, sive non interdicto, juxta cap. Si civitas, et cap. Si sententia, de Sent. excomm., in 6, et c. 3 et 4 de Clerico excom. minist. Nec quoad hoc interdictum facta est in novo jure aliqua relaxatio, vel suspensio, præter unam statim explicandam. Unde sacerdos interdictus nullibi celebrare potest, etiam cum circumstantiis præscriptis in jure, dicto cap. Alma, ut notavit Covarr. supra, § 4, num. 3, quia jura loquuntur de interdicto locali, non de personali, quod distinctum est, et in eo non procedunt rationes cap. Alma. Solum ponitur limitatio supra tractata in dict. cap. Alma, scilicet, ut in festivitatibus supra numeratis possint interesse sacrificio personæ interdictæ, quod quidem generaliter interdictis absolute conceditur, specialiter vero interdictis solum cum moderatione ibidem declarata, ut ad altare non accedant, quam in superioribus declaratam reliquimus.

3. *An personæ non interdictæ licitum sit Missam ab interdicto denunciato audire.* — *Prima opinio.* — Dubitari vero hic potest, an personæ non interdictæ prohibitum sit audire Missam sacerdotis interdicti. In quo unum est certum, si ille non sit nominatim denunciatus, licitum esse ejus Missam audire juxta Extravag. *Ad evitanda,* et a fortiori patet ex dictis de excommunicatione. Dubium vero est, si jam sit nominatim denunciatus; tunc enim dicunt aliqui illicitum esse Missam ejus audire, tum quia non licet audire Missam sacerdotis excommunicati denunciati, tum etiam quia nec Missam sacerdotis suspensi licet audire, ut sumitur ex cap. ult. de Cohabitatione cleric. et mulier. Tertio addere possumus, minus esse audire Missam in loco interdicto, quam a persona interdicta; ergo si illud non licet, neque hoc licebit.

4. *Fundamenta superioris opinionis solvuntur.* — Sed hæ rationes non videntur sufficientes ad ostendendam prohibitionem, quæ ex jure positivo pendet. Nam in primis excommunicatio privat communione; et ideo non licet excommunicati Missam audire, quia esset cum illo in sacris communicare. De suspensione autem falsum est quod assumitur, quia per se et ex vi censuræ suspensionis non est prohibitum audire Missam hominis suspensi, ut supra ostendi ex eodem principio, quod suspensio non privat communione. Et ideo, nisi in aliquo casu fiat specialis prohibitio, de quo supra diximus tractando textum illum capitul. ult. de Cohabitatione cleric. et mulier., ex vi solius suspensionis nulla est hujusmodi prohibitio. Unde potius potest retorqueri argumentum, ut idem dicendum sit de interdicto personæ, cum non privet communione cum illa.

5. *Vera sententia.* — Ac propterea etiam non est efficax argumentum sumptum ab interdicto locali, quia directa prohibitio hujus interdicti est, non celebrare, nec interesse divinis in tali loco, nisi in casibus a jure expressis. Interdictum autem personale fertur pro ipsa persona interdicta, ne faciat, vel audiat divina; non tamen prohibet alios, ne cum illa communicent, aut ejus actionibus assistant; nullum etiam jus ostendi potest, in quo talis prohibitio fiat, vel implicite contineatur. Quapropter dicendum censeo, cooperationem cum persona interdicta ad rem divinam faciendam, ex natura rei esse prohibitam supposita tali censura; solam autem præsentiam seu auditionem Missæ, quam talis persona dicit, absque inductione, vel consilio, minime prohibitam esse, quia, ut dixi, nullum est jus specialiter prohibens; et ex vi censuræ non sequitur, nisi quod necessarium est, ne ad malum cooperemur.

6. *An coram persona interdicta possit Missa celebrari.* — *Conclusio.* — Rursus vero inquiri potest, an e contrario possint divina fieri a personis non interdictis, si adsint interdictæ. Nam ex resolutione præcedenti videtur sequi, id non esse prohibitum. Quia illa tantum est quædam communicatio et permissio, non autem cooperatio, quia ego non induco alium ut intersit, sed tantum permitto, ut suppono; ergo eadem ratione hoc non erit malum seu prohibitum. Dicendum est tamen in hoc esse specialem rationem; nam jura semper admonent, ut personæ interdictæ excludantur, ut patet ex cap. Permittimus, de Sent. excomm., et ex cap. Alma, eodem titulo, in 6, cum similibus. Et ideo certum est ministros Ecclesiæ teneri rem divinam non

facere coram persona interdicta, et facere quantum in se est, moraliter loquendo, ut expellatur. Unde quoad hoc non est eadem ratio de hoc et præcedenti casu, tum propter specialem juris prohibitionem, tum propter specialem rationem ejus. Quia ad Ecclesiæ ministros spectat ex proprio officio expellere indignos a participatione divinorum, et removere eos, quos Ecclesia removet, ac denique procurare, ut censuræ Ecclesiasticæ observentur; et ideo merito peculiaris obligatio eis imponitur excludendi interdictos, quando celebrant. At vero e converso non ita spectat ad laicos audientes Missam hoc munus removendi a divinis eos, qui censura ligati sunt; et præterea quamvis laicus exeat, ne audiat Missam sacerdotis interdicti celebrantis, non propterea censuræ violatio impedietur, quod tamen cum effectu impeditur, quando e converso persona interdicta excluditur, ne Missæ intersit.

7. *Quid si persona interdicta, dum sacra fiunt, exire nolit ab Ecclesia. — Prima opinio.* — Difficultas vero est, si persona interdicta exire nolit etiam semel atque iterum admonita, quid faciendum sit. In quo certum est, licitum esse eam per vim expellere, si commode et sine magno scandalo fieri potest, quia hoc non est vim inferre, sed jura Ecclesiæ defendere. Et ideo etiam personam Ecclesiasticam licet hoc modo cogere, ut supra tactum est, explicando canonem *Si quis suadente.* At vero, si ea vis non sufficiat, aut adhiberi non possit, dicunt aliqui Missam potius esse omittendam, quam coram persona interdicta faciendam, et si jam inchoata sit, non esse finiendam, nisi jam consecratio, vel saltem canon inceptus sit, sicut supra de excommunicato dicebamus; nam putant quoad hoc eamdem esse rationem de excommunicato et interdicto. Quod sentit Ancharranus, in Clem. 2 de Sentent. excommun., num. 6, et videtur posse sumi ex verbis illius textus, ibi : *Ex quo frequenter contingit, quod ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta,* ex eo scilicet, quod excommunicati vel interdicti exire nolunt, etiam admoniti, ut paulo superius ibi fuerat narratum.

8. *Secunda opinio.* — Contraria vera opinio videtur sumi ex auctoritate negativa aliorum Doctorum, quæ licet alias non sit efficax, in re tam gravi, et quæ pendet ex jure positivo, et consuetudine, magnum indicium est non esse talem obligationem. Unde Glossa dict. Clementin. 2, verb. *Inexpleta,* tacite interpretatur illam disjunctivam propositionem textus, ut ratione excommunicatorum verificetur, quomodo etiam Panormitanus loquitur. Sic etiam Navarrus, Comment. de Oratione, cap. 16, num. 59, de excommunicato loquitur, et num. 60, de interdicto locali, de interdicto autem personali nihil dicit. Præterea Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, dupliciter ait clericum violare interdictum celebrando, scilicet, si ipse interdictus sit, vel in loco interdicto celebret; de celebratione autem coram interdicto nihil dicit; et eodem modo loquuntur alii auctores, ut patet ex Sylvestro, verb. *Interdictum,* 5, et aliis eodem, qui nullam mentionem hujus effectus faciunt. Denique nec jura omnia, quæ loquuntur de interdicto, talem prohibitionem indicant, ut declarabimus; non sunt autem pœnæ, vel prohibitiones augendæ sine jure. Nec argumentum a simili ab excommunicatis ad interdictos est validum, tum quia in his pœnis argumentum a simili est infirmum; tum etiam quia non est simile, quia excommunicatio gravior est censura, et plura prohibet, et per se vetat communicationem longe aliter quam interdictum; unde personis interdictis interdum permittitur adesse divinis, excommunicatis autem nunquam, ut patet ex dict. cap. Alma.

9. *Quid in hoc dubio sentiendum, quando sacrum in loco interdicto fit.* — Distinctione ergo utendum videtur, quia aut sacerdos celebrat in loco interdicto, vel in loco de se habili. In priori casu si ingrediatur persona interdicta nominatim, et non possit expelli, cessandum est modo supra dicto. Et fortasse in eo casu loquitur Ancharran. Probaturque ex cap. Alma, ibi, *excommunicatis, et interdictis exclusis,* non enim dicit, *admonitis,* sed *exclusis,* et in hoc pares facit interdictos excommunicatis. Unde formatur ratio; nam dicere sacrum in loco interdicto per se est jure prohibitum; ergo solum licet cum moderatione, et sub conditione cap. Alma; sed ibi non derogatur antiquo juri nisi sub illa conditione, ut interdicti excludantur; ergo quacumque ratione illa conditio impleri non possit, etiam per iniquitatem, vel vim, non est locus moderationi cap. Alma, manetque in sua vi prohibitio interdicti localis; ab illa enim magis nascitur hæc obligatio, quam ab interdicto personali, quamvis hoc sit occasio, ob quam cessat facultas ibi celebrandi. Hoc docuit in specie omnino simili Navarrus, de Oratione, cap. 16, num. 60, dicens, quando

inchoata Missa supervenit interdictum generale, et non possunt valvæ occludi, debere Missam cœptam omitti, si ad canonem non pervenerit. Cujus ratio solum est, quia non impletur conditio in juris privilegio (ut sic dicam) postulata; eadem autem ratio procedit in præsenti conditione, ut declaratum est. Tandem dict. Clementin. 2, optime potest intelligi juxta hunc casum et doctrinam; nam illa particula, *In ipsis Ecclesiis,* plane refertur ad Ecclesias suppositas generali interdicto loci. Unde infero sacerdotes tunc celebrantes non exclusis interdictis fieri irregulares, non quia celebrant coram persona interdicta, de hoc enim nulla est irregularitas in jure, argum. cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6, sed quia celebrant in loco interdicto sine facultate legitima, et consequenter contra cap. Is qui, § Is vero.

10. *Quid dicendum si Missa dicatur in loco non interdicto.* — In posteriori autem casu, quando scilicet locus non est interdictus, sed tantum adest persona interdicta, et per vim cogi non potest, probabile mihi videtur non debere sacerdotem ob eam causam omittere Missam; quod non assero sine formidine, quia non invenio casum expresse tractatum et definitum ab auctoribus, censeo tamen practice probabile. Quia nulla est de hoc juris prohibitio, nec cogens ratio. Prior pars constat ex dictis, quia omnia jura, quæ petunt ut excludantur interdicti, tractant de celebratione in loco interdicto, ut patet ex dict. cap. Alma, et dict. Clement. 2, et cap. Cum in partibus, de Verb. signific., cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss.; nullum autem jus est, quod præcipiat omittere sacrum propter solum personale interdictum. Dicunt vero aliqui, per omne interdictum etiam personale interdici locum saltem mediate, quia interdicitur Ecclesia, in qua fuerit præsens persona interdicta. Sed hoc nullo jure fundatum est. Nam potius in cap. Si sententia, de Sent. excom., in 6, dicitur, interdicto loco non interdici populum; unde omnes inferunt, interdicto populo etiam locum non esse interdictum. Alias omne interdictum personale esset deambulatorium, quia omnis locus ubi esset talis persona, esset interdictus, quod est contra omnes Doctores. Et hinc facile patet altera pars, quia secluso jure, nulla potest esse urgens ratio in hac materia, quæ tota pendet a jure. Quin potius cum materia sit pœnalis, extendenda non est sine jure. Item seclusa cooperatione, contemptu, et abusu proprii muneris et officii, interdictum per se non obligat ad vitandam communicationem; sed hic non est cooperatio, nec contemptus, ut supponitur, nec abusus proprii muneris, quia supponimus clericum facere quod in se est ad expellendum interdictum; ergo præsentia ejus non potest nocere, nec est communicatio prohibita. Unde in cap. Responso, de Sent. excomm., solum prohibetur Episcopus, ne cives interdictos convocet ad celebrandum divinum officium contra formam interdicti. Et in cap. Episcoporum, de Privileg., in 6, prohibentur omnes Ecclesiasticæ personæ, ne ad celebrationem divinorum publice interdictos admittant; in dicto autem casu nec convocatur, nec admittitur interdictus, sed permittitur, seu toleratur, quia vitari non potest; hoc autem prohibitum non invenitur. Secluso ergo scandalo, vel alio accidentario incommodo, non videntur ob eam causam omittenda divina officia.

SECTIO III.

Quæ alia divina officia prohibita sint per interdictum.

1. *Alia divina officia præter Missam prohibentur per interdictum.* — Certum est non solum sacrificium Missæ, sed etiam alia divina officia interdicto prohiberi, ut ex eisdem juribus constat, cap. Si civitas, et cap. Si sententia, et cap. Cum in partibus, cap. Præsenti, et cap. ult. de Sent. excomm., in 6, cap. Episcoporum, et cap. Licet, de Privil., in 6, cum similibus. Præterea certum est hunc effectum cum proportione in aliis declarata ad singulas species interdicti esse applicandum, ut ex eisdem juribus elicitur. Itaque in loco generaliter interdicto hæc officia fieri non possunt in Ecclesia, nec extra illam intra totum ambitum, et terminos, quibus tale interdictum concluditur, neque audiri ibi possunt talia officia a quibuscumque personis cujuscumque loci et conditionis, seclusis privilegiis, et exceptionibus juris, de quibus infra. Atque eodem proportionali modo prohibentur hæc officia fieri, vel audiri in loco specialiter interdicto. Per interdictum autem personale, generale vel speciale, prohibentur personæ interdictæ, ne hæc officia faciant, vel illis intersint ubique locorum, eodem modo, quo de Missa diximus; nam jura æque de omnibus loquuntur. Duo ergo hic explicanda supersunt. Primum est, quænam sint hæc divina officia, præter Missam,

quæ interdicuntur. Secundum, quid in hac prohibitione moderatum seu concessum sit per novum jus cap. Alma.

Quæ divina officia sint prohibita per interdictum.

2. *Nominis divina officia significatio.* — Circa primum advertendum est, in juribus quæ de hac materia tractant, interdum divinorum nomine comprehendi vel sacramenta, vel sacrificia et quælibet alia divina officia, ut patet ex cap. Si sententia, in princ., et in § Cæterum, et in cap. Is cui, de Sent. excom., in 6, et expressius in cap. Non est vobis, de Sponsal.; aliquando vero divinorum celebrationem condistingui a receptione sacramentorum, et comprehendere tantum Missæ sacrificium, cum aliis divinis officiis, ut in eodem cap. Si sententia, § Cum vero, et in cap. Episcoporum, de Privil., in 6. Nunc autem strictius loquimur de divinis officiis; nam administratio sacramentorum specialem habet rationem et prohibitionem, ut vidimus; sacrificium autem Missæ notius est, et excellentius inter omnia divina officia; et ideo de illis specialiter est a nobis dictum. Hic ergo sumimus divina officia quæ sunt in Ecclesia præter sacramenta, et sacrificium; nam plura officia per interdictum prohibentur, ut colligitur ex cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss., et ex cap. Alma, et aliis juribus, in quibus universalis negativa ponitur, quod nulla divina officia tempore interdicti celebranda sint; constat autem horas canonicas, et similia, nomine divinorum officiorum in Ecclesia intelligi.

3. *Rejicitur præcedens opinio.* — Difficultas ergo est, quantum extendatur hæc prohibitio. Quidam asserunt omnia officia sacra, quæ in Missali aut breviario Romano continentur, sub hac prohibitione comprehendi, nam illa sunt quædam divina officia, et prohibitio generalis est. Quod sentit Sylvester., *Interdictum*, 5, quæst. 3, et Angel., num. 4, quamvis illi non dicunt nomine divini officii in præsenti materia comprehendi totum id, quod in breviario, et Missali continetur, sed solum illud, quod est in breviario, vel Missali; sunt enim in breviario multa, quæ sine dubio non interdicuntur, ut benedictio mensæ, itinerarium, et similia, et in Missali nonnullæ benedictiones, de quibus infra. Sed in hac sententia et manet eadem obscuritas in judicando, quodnam sit in Missali, vel breviario Romano divinum officium cadens sub hac prohibitione, quod vero non. Et præterea etiam illa exclusiva non videtur vera, nam extra breviarium, et Missale sunt multa divina officia in Pontificali, vel in manuali, quod vocant, quæ sub hanc prohibitionem cadunt.

4. *Secunda opinio.* — Alii ergo reducunt hæc divina officia ad duo capita, scilicet ad horas canonicas, et sacramentalia; sub priori capite comprehendendo omnes partes dictarum horarum, et omnia illa, quæ aliquando horis canonicis adjunguntur, ut est etiam officium parvum Beatæ Virginis, officium defunctorum, psalmi graduales, et septem psalmi pœnitentiales cum litaniis. Sub posteriori autem capite comprehendendo omnes cæremonias sacras, quæ vel ad solemnem ritum sacramentorum pertinent, vel ad præparationem materiæ, ut est benedictio olei chrismatis, vel fontis; ad quæ etiam potest reduci prima tonsura, quamvis per illam non tam materia, quam subjectum præparetur; idemque est, si pertineat ad subsequentem solemnitatem sacramenti, ut est benedictio solemnis matrimonii. Præterea consecratio aut benedictio templi paramentorum, vel sacrorum vasorum; quæ omnia ad ministerium sacramentorum et sacrificii ordinantur. Rursus omnis alia publica consecratio, aut benedictio, quæ ad aliquam sanctificationem fidelium ministerio et auctoritate Ecclesiæ faciendam ordinatur, ut est solemnis benedictio aquæ, et, ut multi volunt, solemnis etiam benedictio Episcopalis, et similes. Reliqua vero omnia, quæ hujusmodi non sunt, sub hac prohibitione non comprehenduntur. Atque hæc sententia fortasse in re vera est, eamque insinuavit Navar., cap. 27, num. 172, ubi definit, divina officia in præsenti esse, officia sacra ordinata in Missali, breviario, aut Pontificali Romano, aut in aliis legitime instituta ad usum Ordinum, et aliorum sacramentorum, vel sacramentalia, aut ad horas canonicas. Solum displicet in hac sententia, quod potius enumeratione et coacervatione quadam, quam aliqua certa ratione traditur, et ideo non satis distincte res ipsa declaratur.

5. *Notanda pro dubii resolutione.* — *Concio non est officium divinum.* — Ut ergo hoc exponamus, advertendum est, in divino officio duo posse considerari, scilicet substantiam orationis seu deprecationis, et modum dicendi talem orationem, vel deprecationem.

Suppono enim hujusmodi officium divinum semper consistere in aliqua actione exteriori; nam actiones sacræ pure mentales, licet quoad Deum divina officia sint, Ecclesia tamen de eis non disponit. Suppono deinde, licet hujusmodi officium divinum interdum includat cæremonias, quæ consistunt in actionibus, vel aliis ritibus, aut vestimentis, etc., formaliter tamen, ut sic dicam, consistere in verbis, id est, in deprecatione aliqua, vel laudatione divina; necesse est enim, ut divinum officium ad Deum proxime dirigatur, et per expressam significationem populo Ecclesiastico accommodatam fiat. Et ideo concio (ut hoc obiter dicam) non est officium divinum, quia non ad Deum immediate, sed ad populum instruendum, vel excitandum ordinatur. In divino ergo officio substantia ejus est aliqua deprecatio, vel oratio ad Deum, ita ut licet interdum ordinetur ad benedictionem vel consecrationem alicujus rei, semper tamen fiat cum oratione ad Deum, sub oratione comprehendendo omnem laudem Dei, et omnem benedictionem, quæ in nomine ejus fit. Modus autem est, quod tale officium fiat publice et solemniter, seu quod fiat modo Ecclesiastico aut communi. Voco autem Ecclesiasticum modum illum, quem Ecclesia suo nomine, et a ministris ab ipsa deputatis ex ipsorum officio, et pro communi usu populi Christiani servandum instituit; communem autem modum appello quamcumque privatam recitationem, quæ a qualibet persona fieri potest, etiam usurpando illa verba, vel orationes, quas Ecclesia ad publicum usum ordinavit. Et quidem, quando hæc officia fiunt priori modo, possunt proprio et speciali modo dici non tantum divina, sed etiam Ecclesiastica. Posteriori autem modo facta, sacra etiam et divina sunt, sed tamen privata.

6. *Dubii decisio.* — Dico ergo officia divina, quæ Ecclesiastico interdicto prohibentur, esse illa, quæ proprie dicuntur Ecclesiastica, quæ in substantia sua divina sunt, et in modo includunt illam publicam, et quasi communem rationem, atque ita in re semper continentur in supra enumeratis, requirunt tamen modum prædictum, quia privata officia non prohibentur, etiamsi eadem dicantur, quæ in Breviario continentur.

7. *Corollarium primum.* — Atque hinc infertur, quoties aliquod officium fit in Ecclesia a ministris ejus tali modo, ut non possit ita fieri, nisi a clerico ad illud munus specialiter consecrato, aut deputato, tale officium prohibitum esse ex vi interdicti. Ita sentiunt omnes, qui de hac materia scribunt, Sylvester, Angelus, Navarr., et alii Summistæ, et Abbas, in cap. ult. de Excessibus Prælatorum, num. 1; Anchar., in cap. Alma, num. 7. Et ratio est, quia tunc faciunt ministri Ecclesiæ officium illud nomine et auctoritate totius Ecclesiæ, et ad publicum et communem usum ejus; hunc autem usum præcipue intendit Ecclesia prohibere per interdictum, ut ex prædictis juribus constat. Colligetur autem hic modus, tum ex publica actione, et voce seu cantu; tum ex apparatu, et vestimentis, quorum usus solum licet ministris ordinatis, ut si cum superpellicio, aut stola, vel aliis superioribus vestimentis officium dicatur.

8. *Corollarium secundum. — Interdictum non prohibet adorationem crucis in die veneris Sancti sine publicis precibus.* — Hinc e contrario solet inferri, officia illa, quæ ex modo suo non sunt deputata alicui Ordini clericali, non esse prohibita tempore interdicti, sive secrete, sive publice fiant, quia tunc non fiunt tanquam Ecclesiastica officia, et communia, sed ut privata. Hinc prohibita non est mensæ benedictio, neque orationes Ecclesiæ, pro itinere institutæ, neque aliæ quæcumque privatæ orationes, licet publice etiam in Ecclesia fiant. Licitum etiam est publicum signum dare statutis horis ad salutandam Virginem; et in die veneris Sancti licita est adoratio Crucis publica, non obstante interdicto, ut ait Navarr., num. 176, dummodo fiat sine publicis precibus seu laudibus divinis ab Ecclesia pro eo die et actu institutis; nam illæ revera sunt quædam pars officii illius diei, quod sane est officium divinum et Ecclesiasticum, atque adeo interdicto prohibitum. Alia exempla addit ibi Navarr., verbi gratia, introducere mulierem post partum in Ecclesiam, quod intelligendum est, si fiat absque ulla solemnitate sacerdotali, id est, absque stola, et ornatu sacerdotis, ut ipsemet Navarrus dicit ex Calderino in tractatu de Interdicto; et ad hunc modum sunt alia intelligenda, quæ magis ex dicendis constabunt.

9. *Qua ratione interdicto prohiberi censetur recitatio horarum canonicarum. — Quæ benedictiones prohibeantur interdicti tempore.* — Hæc autem illatio limitanda videtur aliquo modo; nam horæ canonicæ, quamvis sint officium clericorum, non sunt tamen ita illo-

rum propriæ, ut aliquis Ordo necessarius sit ad eas publice recitandas, seu canendas in Ecclesia; et tamen ex vi interdicti prohibitum est illas publice in Ecclesia canere. Unde moniales, si tempore interdicti more consueto in suis Ecclesiis horas canonicas dicerent, directe contra interdictum agerent; ergo officia divina non comprehendunt tantum actiones, vel deprecationes sacras alicui Ordini clericali deputatas. Addere ergo oportet vel exceptionem horarum canonicarum, quandocumque publice et pro universo populo dicuntur, vel certe si horæ canonicæ sub illa generali regula comprehendantur, dicendum est, illas per se et primario deputatas Ordini clericali; et hoc satis esse, ut a quibuscumque personis Ecclesiasticis publico more dicantur, prohibitæ per interdictum intelligantur. Hinc etiam infertur, omnem sacram benedictionem ab Ecclesia institutam cum peculiaribus cæremoniis, et deprecationibus, ac deputatam (ut communiter esse solet) Ordini sacerdotali, comprehendi sub hac generali appellatione divinorum officiorum, quæ per interdictum prohibita sunt; quamvis Navarrus videatur aliquas exceptiones ponere, de quibus postea videbimus. Illam vero generalem illationem constituit Maiolus, lib. 3 de Irregular., c. 20, num. 3, et videtur plane subinferri ex priori regula posita; nam omne illud est sacrum officium, et publicum, et sacro Ordini deputatum, et ideo fit a ministro in persona Ecclesiæ; nihil ergo deest, ut sub latitudine divinorum, seu Ecclesiasticorum officiorum comprehendatur.

Quænam divinorum officiorum celebratio jure concedatur tempore generalis interdicti loci.

10. *Regula generalis pro jure antiquo. — Prima exceptio ex cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss.* — Circa secundum punctum majoris claritatis causa dicemus prius de interdicto generali loci, postea de aliis. Circa illud ergo advertendum est, antiquo jure prohibitionem hanc fuisse fere generalem omnino, ut ex juribus supra citatis constat. Dico autem, *fere,* propter duas exceptiones, quæ vix hoc nomen merentur. Prima sumitur ex cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss., ubi concedebatur clericis etiam sæcularibus, ut, *in conventualibus Ecclesiis bini et bini, vel simul tres, horas canonicas possent legere, non cantare,* vel, ut alia lectio habet, *potius, quam cantare, excommunicatis, et interdictis exclusis, et voce ita demissa, ut exterius audiri non possent.* Per quæ verba non quælibet divina officia, sed tantum horæ canonicæ permittebantur dici cum illis circumstantiis, ut patet ex verborum limitatione. Item ipsæ horæ canonicæ non absolute, neque in quacumque multitudine personarum, sed in numero ibi definito concedebantur; nimirum, ut possent a pluribus alternis versibus, seu duos veluti choros constituentibus dici, ita tamen, ut solum possent esse bini et bini, aut simul tres. Quod variis modis potest intelligi, scilicet, quod possent esse bini in uno choro, et bini in alio, ita ut quatuor essent, qui possent simul totum chorum conficere; aut bini, et bini, id est, ut duo simul tantum recitare possent alternis versibus; hi autem binarii possent esse plures in Ecclesia, quantuscumque esset numerus clericorum. Et uterque sensus potest facile sustineri, licet posterior magis genuinus esse videatur. Unde addebatur, *vel simul tres,* quod non potest commode ita intelligi, ut possent esse tres simul in uno choro, et tres in alio, ita ut sex simul possent dicere officium; hoc enim in textu nullo modo significatur. Est ergo hæc extensio prioris concessionis, ut non tantum bini, sed etiam terni possint canonicum officium dicere. Quod autem unusquisque solus possit horas canonicas recitare tempore interdicti, imo etiamsi ipse interdictus sit, non oportuit in jure declarari, quia hoc semper licuit. Imo etiam præceptum est iis, qui secluso interdicto ad hoc munus tenebantur, ut patet ex dictis supra in simili de excommunicato, qui non liberatur onere dicendi officium canonicum propter censuram excommunicationis; multo ergo minus liberatur propter censuram interdicti.

11. *Objectio.* — Sed dices : etiam licuit semper sacerdotibus, aut quibuscumque clericis, vel personis dicere horas canonicas alternis versibus, scilicet saltem binis et binis, dummodo id facerent caute, ita ut a prohibitis non audirentur. Imo etiam quod extra Ecclesiam id liceat, sentiunt communiter Doctores, ut ex Calderino adducit Sylvester, *Interdictum,* 5, quæst. 5, et Nicolaus Plovius, tractat. de Interdicto, regula 31, quos sequitur Covarruvias citans Hostiensem supra, § 2, num. 7, et Navarrus, c. 27, num. 175, ubi tamen refert Calderinum, et Sylvestrum in contrarium, atque etiam Angelum, sed immerito; nam Angelus, *Interdictum,* 6, num. 12, ex-

presse dicit per hunc modum recitandi horas cum socio non violari interdictum, etiamsi fiat extra Ecclesiam, nisi id faciant studiose ut audiantur a laicis, et a personis prohibitis. Quod ad litteram sumpsit Sylvester, et idem fere dicit Calderinus, quamvis ille majorem scrupulum injicere videatur; nam saltem propter periculum, quod audiri possent ab aliis, non audet dicere id non esse contra interdictum. At vero Villadiego, tractatu de Irregularitate, simpliciter negat hoc licere, propter rationem insinuatam, quod cap. Quod in te, specialiter concedit sacerdotibus, *ut in Ecclesia,* etc.; ergo nec extra Ecclesiam id licet, neque in Ecclesia liceret, nisi in illo textu concederetur.

12. *In quovis loco interdicto licitum est sacerdotibus recitare horas canonicas.* — Dico tamen in primis, hoc licitum esse in quocumque loco generatim interdicto, et in quacumque parte ejus, vel quia (ut Navarrus ait) illa determinatio, *in Ecclesia,* non tam est ad restringendum, quam ad ampliandum, quia, si in Ecclesia hoc conceditur, ubi solet populus convenire ad horas canonicas audiendas, multo magis in aliis locis, ubi convenire non solet; nam hoc officium canonicum ideo non dicitur communi more, ne a populo audiatur, non ut absolute non dicatur. Quæ declaratio melius hic accommodatur, quam superius ad Missæ sacrificium. Tum, quia illud multo magis prohibitum fuit semper; non enim poterat dici, quantumvis privatim, sicut dici possunt horæ canonicæ; tum etiam quia illud sacrificium non potest fieri, nisi in præscripto loco, et determinato, ad quem, moraliter loquendo, semper solent aliqui convenire ad audiendum sacrum, plures, vel pauciores pro loci opportunitate. Unde mihi valde probabile videtur, etiam absque illa juris declaratione, seu ante illam, semper licuisse hoc modo dicere officium canonicum clericis binis, vel ternis, privatim, et in quocumque loco, dummodo caveant periculum, ne alii prohibiti audire possint. Ratio est, quia privata recitatio horarum nunquam fuit prohibita; nam singuli non solum possunt, sed etiam tenentur dicere. Quod autem duo simul vel tres dicant, non excedit modum privati modi orandi (in quo etiam multum differt hoc officium a sacrificio, quod semper est officium ex se publicum), et ideo ille modus recitandi horas nunquam videtur prohibitus.

13. *In Ecclesia interdicta quatuor ad summum recitare possunt horas canonicas.* — *Extra Ecclesiam vero plures quam quatuor.* — Igitur cap. illud Quod in te, licet per modum concessionis loquatur, tamen quoad hanc partem potius videtur continere declarationem quamdam, quam novum privilegium. Fortasse enim dubitari poterat, an in Ecclesia possent clerici illo modo dicere officia, quamvis extra illam possent, quia ratione loci videbatur fieri illa oratio publica, quæ alias domi facta esset privata; et ideo declarat, vel concedit Pontifex, ut etiam in Ecclesia ita fieri possit. Videtur etiam ibi præscribi forma, quam tunc in Ecclesia excedere non licebat, scilicet, ut tantum duo, vel tres, vel ad summum quatuor (juxta quemdam sensum probabilem supra datum) et non plures possent etiam in Ecclesia officium dicere. Extra Ecclesiam vero, et nunc licet (ut infra dicam) et semper credo licuisse plures quam quatuor vel sex simul officium dicere in privata domo, ac separatim, absque periculo, quod a personis prohibitis audiri possint, quia ille modus dicendi semper manet privatus, et de se non ordinatus, ut a populo audiatur; et ideo per se non est prohibitus; quod secus esset, si a pluribus diceretur in Ecclesia, ratione loci, ut recte Navarrus insinuavit.

14. *Secunda exceptio.* — *Regulares tempore interdicti generalis possunt celebrare divina januis clausis.* — Secunda exceptio jure antiquo probata est, nisi ex speciali privilegio aliud sit concessum; quæ ita generatim habetur in multis ex juribus supra citatis, et in ipsa natura positivæ prohibitionis videtur inclusa. In speciali vero dicitur in dicto c. Quod in te, *regularibus secundum privilegium Sedis Apostolicæ fuisse indultum, ut cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis januis clausis, etc., celebrare divina.* Quod jam nunc communi lege statutum est, ut infra declarabimus; et ideo necessarium non est immorari in explicando de quibus regularibus id intelligatur. Alia etiam privilegia concessa Episcopis, et mendicantibus, in superiori sectione tacta sunt, quia magis pertinent ad sacrificium Missæ, quam ad alia officia divina. Alia etiam concessa Templariis tractat Covarruv., dict. § 2, num. 7, sed jam necessaria non sunt.

15. *Quid concedatur jure novo cap. Alma.* — Igitur jure novo cap. Alma, idem concessum est de divinis officiis, quod de sacrificio Missæ; scilicet ut in Ecclesiis et monasteriis possint singulis diebus alia divina officia

dici, sicut prius, cum illis quatuor conditionibus supra declaratis; de quibus, quantum ad hæc divina officia spectat, nihil addendum occurrit. Solum adverto, ibi quoad hanc partem (et idem est suo modo de sacrificio Missæ) non tantum concedi licentiam, sed absolute præscribi, ut hæc divina officia fiant, ut indicant illa verba : *Adjicimus præterea, quod alia dicantur divina officia sicut prius,* etc., non quod ibi nova imponatur obligatio, sed quod ubi erat, relinquatur quoad hoc, ut divina officia dicantur sicut prius. Et hæc est ratio, ob quam ibi adjungitur, privandos esse quotidianis distributionibus Canonicos, qui tempore interdicti horis canonicis non interfuerint. Et idem est proportionaliter de aliis omnibus, qui adesse tenentur; nam eamdem culpam, vel pœnam incurrent, si eo tempore desint, quam in quolibet alio, cæteris paribus.

16. *Dubium enodatur.* — Sed potest inquiri, quænam officia divina fieri permittantur singulis diebus cum prædictis conditionibus. Ad quod respondeo, omnia divina officia, quæ per interdictum prohibentur, permitti. Probatur, quia textus loquitur universaliter, ut patet ex illis verbis : *Missæ celebrentur, et alia divina dicantur officia sicut prius.* Illud enim relativum, *alia,* omnia indifferenter refert; et illa particula, *sicut prius,* eamdem distributionem virtualiter includit; nam prius omnia dici poterant; atque hoc videntur omnes tanquam apertum supponere, quia ex textu aperte colligitur.

17. *Notandum.* — Solum oportet advertere, ita sumi hoc loco diurna officia, ut sacramentorum administratio, vel receptio non comprehendatur; nam, ut constat ex contextu capitis, prius de sacramentis disponitur; et postea de Missa, et aliis divinis officiis; sumuntur ergo condistincte a sacramentis, de quibus servanda sunt dicta superiori disputatione. Solum potest hic addi limitatio ex dictis supra de benedictione matrimonii, scilicet, ut benedictiones illæ (nam inter divina officia computantur) quæ circa personas laicas directe versantur, intelligantur exceptæ, nisi personæ ipsæ alias privilegium habeant; alioqui etiam cum his circumstantiis celebrari non poterunt, cum personæ laicæ non admittantur. Quæri autem potest, an sit idem de benedictione, vel consecratione, quæ incipit in persona laica, et terminatur ad Ecclesiasticam, ut est collatio primæ tonsuræ, et consecratio virginis. Quidam enim affirmant idem esse dicendum. Sed certe contrarium videtur probabile, quia per illammet consecrationem fit persona suo modo Ecclesiastica; et ita officium illud non fit omnino coram persona laica, quandoquidem in progressu, vel termino ejus jam illa est persona Ecclesiastica seu privilegiata. Ad hæc vero divina officia, de quibus nunc agimus, applicanda sunt cum proportione omnia, quæ de Missa diximus, nam simul in textu conjunguntur.

Explicantur aliqua dubia circa celebrationem divinorum officiorum in festis a jure exceptis.

18. *Primum dubium. — Quando inchoetur tempus ad divina officia in his festivitatibus.* — Tertio observandum est de his etiam divinis officiis concedi, ut in quatuor festivitatibus anni supra numeratis solemniter et absque illis quatuor restrictionibus celebrentur, sicut de Missa diximus. Quod extenditur etiam ad festivitatem et octavam Corporis Domini, et cætera omnia, quæ ibi dicta sunt, hic locum habent. Quædam vero dubia, quæ in Missa locum non habebant, in hunc locum reservavimus. Primum est, quando inchoetur tempus prædictarum festivitatum quoad hanc concessionem. Nam quoad Missæ sacrificium tunc incipit, quando in quolibet die licitum est inchoare Missæ sacrificium, quia quando in aliquo die simpliciter conceditur aliqua actio, concedi censetur omne tempus illius diei alias habile ad illam actionem. Quando autem sit legitimum tempus ad inchoandam aliquam actionem, alibi est a nobis declaratum.

19. *Quibus horis fieri debeant divina officia tempore interdicti permissa.* — Atque hinc certum est, ut minimum licere in his festivitatibus a duodecima hora noctis officium divinum illi tempori accommodatum, quale est Matutinum, cum solemnitate dicere; et sic cæteras horas canonicas, et quælibet divina officia suis convenientibus temporibus inchoare. Patet, quia ab illo tempore incipit in rigore dies ille prout naturalis est, et totus ille est festivus, et in illo jam obligat præceptum servandi festum, et nonnulla ex mysteriis, quæ illis diebus celebrantur, in illo tempore, vel circa illud contigerunt, ut Nativitas Domini, et Resurrectio. Propter quod usitatum est in Ecclesia etiam Missas illis noctibus celebrare, quod maxime in Nativitate Domini usus retinuit. Et ideo non est du-

bium, quin possint etiam tunc dici in loco generaliter interdicto; in nocte vero Resurrectionis licet olim fuerit usitatum, jam fere mutata est consuetudo; ubi tamen in totum, vel ex parte fuerit retenta, observari poterit non obstante interdicto, quia quoad hoc omnia licent, quæ sine interdicto licebant. Et in hoc videtur fuisse fundatus Soto, cum dixit, anticipationem illam Missæ noctis Resurrectionis, quæ, per consuetudinem ab Ecclesia approbatam, facta est usque ad horam nonam vel decimam diei Sabbathi sancti, servari posse non obstante interdicto, de qua supra dictum est.

20. *Festa in quibus suspenditur interdictum, incipiunt a tempore vesperarum.* — Solum ergo restat quærendum, an illa festa incipiant ante ipsum naturalem diem. In quo dicendum est, incipere a tempore vesperarum uniuscujusque festivitatis. Ita docuit Glossa in dict. c. Alma, verb. *Assumptionis,* quam ibi alii sequuntur, et Covarruv., 2 part., § 5, num. 5. Item Calderinus, et alii in tractatibus de Interdicto, et Summistæ, verb. *Interdictum,* Navarr., num. 184; Soto, in 4, d. 22, quæst. 3, art. 4. Et ratio est, quia Ecclesiasticæ festivitates quoad divina officia a vesperis præcedentis diei inchoantur, ut patet ex Leone Papa, epist. 79, alias 81, c. 1, ubi agens de Dominica Resurrectionis ait : *Cui a vespera Sabbathi initium constat adscribi;* et in c. 1 de Feriis, idem dicitur de omnibus Dominicis diebus, et aliis festivitatibus; id sumitur ex c. 2, adjuncta Gloss., et in Clement. unica de Reliquiis et veneratione Sanctorum, in fine. Idem supponitur de festo Corporis Christi. Cum ergo c. Alma, de his festivitatibus loquatur in ordine ad divina officia, non est dubium, quin de eis loquatur, prout Ecclesiastico more a primis vesperis computantur.

21. *Secundum dubium.* — *Quando hæ festivitates finiantur.* — Statim vero insurgit secundum dubium, quando hæ festivitates finiantur quoad hanc interdicti suspensionem. Nec jam inquirimus, an durent per plures paschales dies; sed supponimus solum durare per primum diem festivitatis, præter festum Corporis Christi, quod octavam comprehendit quoad hunc effectum, ut supra notatum est. Sed quærimus, in qua hora diei hæc suspensio interdicti finiatur. Nam Glossa in dict. cap. Alma, dicit absolvi hora vesperarum talis diei, et Completorium jam non posse dici solemniter, ac de more, sed cum illis conditionibus, quas interdictum requirit; quam secutus est Calderinus in dict. tractatu, et alii, quos Covarruvias refert. Fundari autem potest, vel in c. 2 de Feriis, ubi dicitur, Dominicam diem inchoari a vespera, et terminari ad vesperam; vel in ratione, quia cum hæc concessio tantum fiat pro die festo, tantum videtur fieri pro uno die naturali, vel si fiat pro tota octava, fit pro octo diebus naturalibus; ergo sicut a vespera inchoatur, ita debent ad vesperam finiri.

22. *Communis opinio et vera.* — Dicunt nihilominus fere omnes alii Doctores in dict. cap. Alma, suspensionem illam interdicti extendi usque ad Completorium, ita ut illud etiam possit cum solemnitate dici. De quo mihi non est dubium, sive quia Completorium solet in jure sub vespertino officio comprehendi, ut notavit Glossa in cap. ult., 92 dist., sive quia illa concessio præcipue est, ut officium talis festivitatis solemniter dicatur. Unde cum absoluta sit, ad totum officium extenditur; officium autem integrum festivitatis, sicut duas vesperas, ita etiam duo Completoria comprehendit. Præsertim, quia favores ampliandi sunt, et non restringendi. Et hoc etiam confirmat consuetudo. Et nonnihil favet dicta Clement. unica de Reliquiis et veneratione Sanctorum, ut ibi notat Glossa, verb. *In primis,* nam indulgentiæ ibi concessæ pro singulis horis, etiam in ultimo Completorio diei octavi locum habent juxta communem sensum, et consuetudinem Ecclesiæ. Neque obstat c. 1 de Feriis, quia (præterquam quod sub utrisque vesperis potest Completorium comprehendi) caput illud jam non est in usu quoad multa; nam ibi dicitur ita computari Dominicam diem a vespera in vesperam, ut eo tempore ab omni servili opere abstinendum sit; cum tamen constet obligationem cessandi ab opere servili non incipere a vespere Sabbathi, et durare non tantum usque ad vesperam Dominici diei, sed per totum diem. Nec etiam ratio illa de die naturali est alicujus momenti, quia jus non loquitur de die naturali, sed de die festo.

23. *Tertium dubium.* — *An finito Completorio interdicti suspensio finiatur.* — *Communis opinio.* — *Difficultas circa communem opinionem.* — Hinc vero suboritur dubium tertium, nam prædicti auctores tantum extendunt hanc concessionem usque ad horam Completorii, quo finito, aiunt suspensionem interdicti cessare, et dandum esse signum, ut deinceps servetur. Et qui hoc magis amplificant, ad

summum dicunt, unamquamque Ecclesiam, vel monasterium posse in hoc servare suam consuetudinem circa horam dicendi Completorium. Nam si in monasterio, v. gr., tardius dici soleat, quam in Ecclesia matrice, quamvis in hac dictum sit, et signum interdicti datum, poterit in monasterio dici hora ibi consueta, et cum solemnitate in jure concessa. Non caret tamen difficultate hæc sententia, quia illa suspensio interdicti non tantum est quoad horas canonicas, sed etiam quoad quælibet alia divina officia, ut statim dicemus; ergo, quamvis tempus horarum canonicarum finitum sit, si oporteret aliquod aliud divinum officium facere, durante reliquo tempore illius diei festi, poterit fieri cum eadem solemnitate, ut, v. gr., si oporteret publice litanias dicere, aut processionem solemnem facere, aut Episcopalem benedictionem solemniter concedere, vel aliquid simile. Probatur consequentia, quia cap. Alma, absolute concedit hæc fieri solemniter in his festivitatibus; sed festivitas non finitur hora Completorii, sed durat toto illo die naturali usque ad mediam noctem; ergo per se toto illo tempore durat suspensio interdicti, ut, quantum est ex hoc capite, possint illo tempore divina officia dici absque circumstantiis interdicti; nam quod regulariter non occurrat occasio dicendi solemniter aliquod divinum officium eo nocturno tempore, accidentarium est. Præterea in his clericis, qui privatim dicunt horas canonicas, posset esse frequens occasio utendi hac libertate; nam, si fortasse postponant horas illius diei usque ad illam noctem, poterunt libere illas dicere etiamsi ab aliis audiantur. Confirmatur denique illa ratione, quod favor principis latissime est interpretandus; maxime cum verba in rigore hanc interpretationem admittant.

24. *Communis opinio defenditur.* — Nihilominus tamen in re gravi et morali non videtur discedendum a communi sententia, quam usus etiam probat. Et fundata videtur in hoc, quod illa concessio facta est propter divinum officium illius festivitatis, et ideo in ordine ad illud est festivitas computanda; sicut ergo ob hanc rationem incipit a primis vesperis, ita finitur in secundo Completorio. Et præterea, quia alias posset tempore noctis talis festivitatis dici etiam solemniter Matutinum sequentis diei, quod in multis Ecclesiis anticipatur, et in principio noctis dicitur. Quod tamen videtur esse præter intentionem illius legis. Et sequela patet, quia, si toto illo tempore noctis duret suspensio interdicti, quodlibet divinum officium posset in eo fieri juxta ea, quæ statim dicemus. Unde quoad hunc saltem effectum videtur mihi omnino servanda communis opinio, et propter hunc videtur maxime introducta consuetudo illi conformis.

25. *Quartum dubium, quæ divina officia sint permissa in dictis festivitatibus.*—Quarto dubitari potest, quæ divina officia sint permissa in his festivitatibus. Respondetur, omnia illa, quæ singulis diebus fieri permittuntur cum quatuor circumstantiis supra declaratis, his diebus permitti fieri absque illis, et cum solemnitate publica; sive sint septem horæ canonicæ, sive benedictiones, aut consecrationes solemnes aquæ, vestimentorum, altarium, etc. Ita sentiunt communiter ibi interpretes, quos sequitur Covarruvias, part. 2, § 5, num. 6; et Navar., cap. 27, num. 184, 185, 186, juncto n. 171, et num. 177; et Sylvest., *Interdictum,* 5, quæst. 2; Tabiena, num. 1, et alii. Ratio est, quia illa concessio generalis est, et sine limitatione; non est ergo limitanda, maxime cum favorabilis sit. Nam, licet talis suspensio interdicti fiat in honorem talis festi, et ideo præcipue intendatur, ut officia Missæ et horarum canonicarum illius festivitatis solemniter dicantur, tamen concessio ipsa absolute fit, et hoc etiam redundat in majorem festi honorem, et solemnitatem. Et confirmatur, quia eisdem verbis, quibus in illo capite conceditur, ut divina officia possint celebrari aliis diebus cum circumstantiis interdicti, conceditur postea ut his festivitatibus possint sine illis celebrari.

26. *Quintum dubium, an solemnis nuptiarum benedictio illis diebus dari permittatur.* — Quinto vero dubitari potest, an solemnis benedictio nuptiarum illis diebus dubitari possit, quia, disput. præced., sect. 1, circa finem, diximus, non posse hanc actionem fieri aliis diebus etiam cum circumstantiis interdicti. Respondeo tamen ex vi interdicti non prohiberi, quin in prædictis diebus festis fiat. Ratio est, quia hoc est unum ex officiis, et ideo sub universali concessione comprehenditur. Aliunde vero ibi etiam fit concessio laicis, ut possint divinis officiis interesse illis diebus, atque ita cessat impedimentum, ratione cujus diximus supra non posse hanc benedictionem dari aliis diebus, etiam cum circumstantiis interdicti, quia sponsi ipsi laici sunt, et necessario debent interesse. Tamen,

sicut ibi diximus, quando sponsi habent privilegium, vel licentiam audiendi divina tempore interdicti, posse illis solemnem benedictionem dari, ita hic a fortiori dicendum est, cum hæc facultas eis sit concessa per hanc clausulam cap. Alma. Dixi autem, *ex vi interdicti;* nam si sit alia prohibitio, illa non tollitur per hoc caput, ut est in festo Nativitatis et Paschatis; nam benedictio nuptiarum absque interdicto prohibita est a Dominica prima Adventus, usque ad Epiphaniam, et a primo die Quadragesimæ usque ad octavam Paschæ, juxta Concilium Trident., sess. 24, cap. 10 de Reform. matrimonii. Quod notavit Covarr., dict. § 5, num. 6, et Soto, dist. 22, quæst. 1, 3, post 4 conclus. Qui specialiter dixit in festo Assumptionis posse benedictionem hanc dari solemniter, quia solum loquitur juxta cap. Alma. Covarr. vero addit festum Corporis Christi. Uterque vero omisit festum Pentecostes, quia loquuntur juxta jura antiqua; nunc vero juxta Concil. Trident. etiam prohibitum non est.

27. *Sextum dubium, an liceat his diebus fontem benedicere. — Excluditur limitatio.* — Sexto quæri potest, an liceat in his festivitatibus fontem baptismatis benedicere. Nam Covarr. existimat non licere, nisi tantum in die Resurrectionis, quia tempore interdicti non licet hujusmodi officium facere aliis diebus, etiam servatis circumstantiis interdicti, cum illa benedictio non sit simpliciter necessaria ad baptisma; et ideo ait non esse simile de confectione chrismatis; nam hæc est simpliciter necessaria ad sacramentum confirmationis. Hæc vero sententia falsa mihi videtur. Tum, quia nullo jure, vel auctoritate fundatur, et alioqui est restrictio legis favorabilis, quæ non est facile admittenda sine ratione cogente, quæ hic nulla est; tum etiam quia illa benedictio fontis non est sacramentum, sed quoddam ex aliis divinis officiis; ergo comprehenditur in concessione generali. Præterea id quod assumit Covarruvias falsum esse credimus; nam benedictio fontis fieri potest tempore generalis interdicti, quibuscumque diebus, in quibus alias fieri poterat, servatis circumstantiis interdicti, ut supra dixi, quia est necessaria ad integram solemnitatem baptismi, quæ solemnitas permissa est tempore interdicti. Quod si in illis solemnitatibus hoc non liceret, non video, cur Covarruvias excipiat diem Resurrectionis, cum concessio æqualiter fiat omnibus, nisi fortasse, quia solemnis benedictio fontis specialiter pertinet ad officium illius diei; sed revera jam nunc non pertinet, sed ad officium Vigiliæ, quomodo etiam spectat ad officium Pentecostes. Paludanus vero, in 4, dist. 7, quæst. 3, art. 2, indicat, propter hanc rationem posse hanc solemnem benedictionem fieri publice et sine circumstantiis interdicti, non solum in ipsis festivitatibus, sed etiam in Vigiliis Paschæ, et Pentecostes, quia officium Vigiliæ est de solemnitate Paschali, et Pentecostes, in quo opinandum est juxta supra tractata de inchoatione horum festorum.

28. *Septimum dubium, an in his festivitatibus liceat sacramenta recipere, aut ministrare. — Conclusio. — Regulæ generales.* — Septimo dubitari solet, an in illis diebus liceat sacramenta recipere, aut ministrare etiam illis, qui nullum habent circa hoc privilegium. Sed hæc res et in superiori disputat., section. 1, sufficienter tacta est, et ex ibi dictis etiam est resoluta. Diximus enim, in priori parte illius cap. Alma, in § Adjicimus, in qua conceditur, ut singulis diebus possint Missæ vel divina officia fieri cum supra dictis circumstantiis, non esse sermonem de ministerio sacramentorum; inferius autem in § In festivitatibus, quem nunc exponimus, sermo est de divinis officiis eodem sensu, quo in § Adjicimus, id est, prout distinguitur ab usu sacramentorum; ergo ex vi hujus concessionis non datur specialis licentia recipiendi sacramenta. Est enim in hac materia generalis regula observanda, quoties suspenditur interdictum, tantum quoad illum effectum suspendi qui in concessione declaratur; sicut etiam tantum suspensio durat pro tempore in concessione expresso, quia isti effectus non sunt ita connexi, quin possit unus sine alio prohiberi aut concedi. Et ideo si concessio est limitata ad unum, non extenditur ad alios, quandoquidem nec formaliter, et immediate, nec virtute, aut mediate propter connexionem, alios effectus complectitur. Et hæc videtur esse communis resolutio, ut videre est in Covarr. ibi, § 5, num. 6, Navarr., cap. 27, num. 184.

29. *Certius est in iis diebus posse quemvis assistere dispensationi Eucharistiæ in Missa.* — Ab hac tamen generali regula excipiendum est Eucharistiæ sacramentum, si vera est opinio, quam superiori disputatione probabiliter defendimus, ex vi concessionis illius cap. Alma, licere clericis ministrantibus, vel assistentibus sacrificio Missæ tempore interdicti, ibi communicare quocumque die,

cum Sylvestro id affirmante, et Paludan. idem probabiliter sentiente; quidquid enim licet clericis non sacrificantibus, sed assistentibus tantum, licet etiam laicis, quantum ad præsens spectat, ex his festivitatibus. Nam ratio est eadem, quia illa extensio ad clericos fundatur in connexione, quam, per se loquendo, et ex intentione Ecclesiæ, habet communio cum assistentia ad sacrificium, connexionem, inquam, non necessariam, sed ad melius esse, ex qua probabiliter colligebamus hanc generalem regulam, cui conceditur privilegium audiendi Missam tempore interdicti, consequenter concedi, ut possit in illa communicare ex sacrificatis participando. Ibi etiam pro hac parte expendimus verba illius capituli; propter quæ censemus hanc opinionem piam et probabilem, quamvis propter communem opinionem videatur jam introducta contraria consuetudo, a qua facile recedendum non est. Illud autem, quod attingit Soto, 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, post 4 conclus., magis indubitatum est, nimirum si aliqui communicent in his festivitatibus ex privilegio, alios non habentes privilegium posse assistere dispensationi sacramenti; quia *cum populo* (inquit) *concedatur tunc publice interesse sacrificio Missæ, non est cur dubitetur, quin liceat interesse sumptioni Eucharistiæ, cum non sit nisi pars sacrificii.* Loquitur autem non de sumptione sacerdotis, sed alterius personæ privilegiatæ, et illam vocat partem sacrificii, et non male, lato modo loquendo de tota illa actione, quæ inter sacrificandum fit. Qua ratione sic intellecta nos usi sumus ad inferendum probabiliter, hanc participationem sacrificii assistentibus concedi. Illa tamen ratio in rigore solum probat licere communicare ex ipso sacrificio, vel assistere communioni, quæ in ipsomet sacrificio dispensatur.

30. *Octavum dubium, an liceat tunc assistere sumptioni Eucharistiæ, quæ fit ex formulis præconsecratis. — Non licet tunc ex præconsecratis communicare.* — Dubitari tamen potest octavo, an liceat assistere dispensationi hujus sacramenti, quæ extra sacrificium fit ex præconsecratis, ut cum in aliquo altari sacerdos assistit ad dispensandum hoc sacramentum, et non ad sacrificandum, quia tunc illa dispensatio non est pars sacrificii, sed pure sacramentalis; ergo non comprehenditur sub divinis officiis, quibus licet assistere in his festivitatibus ex vi hujus concessionis; ergo non licebit aliis fidelibus non privilegiatis huic dispensationi Eucharistiæ assistere. Et quidem in eo casu videtur probabilior communis sententia, scilicet non esse licitam hujusmodi communionem in his festivitatibus, quia nec est divinum officium, prout ibi sumitur, nec pars sacrificii, et ita posset communis illa opinio satis commode limitari, si auctores ejus vellent; nimirum ut procedat de Eucharistiæ sacramento, per sese considerato, et ut extra sacrificium dispensari potest; non vero ut in ipso sacrificio fit, participando ex illo pro modo et conditione offerentis. Unde, si in privilegiis interdum distincte conceditur facultas audiendi Missam, et communicandi tempore interdicti, id fit, ut simpliciter communicari liceat, sive in sacrificio, sive extra illud.

31. *Potest quilibet assistere dispensationi Eucharistiæ extra Missam tempore interdicti. — Excepto sacramento Ordinis.* — De aliis vero non dubito, quin possint assistere dispensationi talis sacramenti, etiam extra sacrificium factæ; non quidem ex peculiari concessione cap. Alma; nam ibi nulla est, ut argumentum factum probat; sed ex communi jure, vel potius ex non prohibitione juris communis, quia tempore interdicti non est prohibitum videri et adorari Corpus Christi, nisi in Missa, ut supra cum Navarr. notavimus; assistendo autem illi communioni fere nihil aliud fit. Item, quia non est prohibitum fidelibus assistere tempore interdicti administrationi illius sacramenti, quod eodem tempore licite ministratur; nam, si baptismus solemniter tunc ministretur, quilibet alias non prohibiti vel excommunicati possunt ibi assistere; imo ipsa solemnitas hoc fere secum affert. Idemque est in sacramento confirmationis; idem erit ergo in præsenti, vel in sacramento extremæ unctionis, si ex privilegio alicui detur; de matrimonio vero non est dubium; nec etiam de pœnitentia, dummodo non sit periculum audiendi confessionem. Solum in sacramento Ordinis ministrando est specialis ratio exceptionis, quia inter sacrificandum ministratur. Et ideo, nisi aliis liceat sacrificio assistere, non licebit assistere ordinationi in eo factæ; tamen quoties illius prius licuerit, etiam hoc posterius licitum erit. Unde, si in prædictis festivitatibus Episcopus publice Ordines conferat, quibuscumque fidelibus licebit illi officio assistere, etiamsi administrationem cujusdam sacramenti conjunctam habeat.

32. Ratio generalis est, quia, quoties jura

prohibent audire divina officia, non comprehendunt sacramenta; hæc enim prohibent dare vel recipere, non vero assistere illis, aut ea videre vel audire. Hujus autem juris ratio esse potest, quia dispensatio alicujus sacramenti non est divinum officium per se commune omnibus fidelibus, id est, quod fiat nomine omnium, et cui alii quasi per se assistant, suo modo participando et communicando in tali officio; sed est peculiare ministerium, quod per se transigitur inter dantem, et recipientem, ad quod aliorum præsentia est (ut sic dicam) accidentaria, et quasi concomitans; et ideo non est magis prohibita ex vi interdicti, quam assistere in Ecclesia, aut videre Eucharistiam, vel quid simile. Atque ex his satis videtur constare, quæ officia, et quibus diebus sint vel non sint prohibita ex vi generalis interdicti loci.

De prohibitione divinorum officiorum in aliis interdictis

33. *De speciali interdicto locali.* — Nono superest, ut breviter dicamus de aliis interdictis quoad hæc eadem officia divina. Et primum de interdicto speciali locali dicendum est, jure antiquo esse prohibitum et facere et audire in illo omnia divina officia, quæ superius explicata sunt, et quæ prohibentur in tota aliqua terra per interdictum generale. Hoc patet ex eisdem juribus sæpe citatis; et quia quoad hoc eadem est proportio, seu eadem efficacia interdicti singulariter lati, circa locum, in quem fertur. Hoc autem antiquum jus respectu interdicti specialis loci immutatum non est per cap. Alma, ut constat ex dictis supra de sacrificio Missæ; nam eodem modo loquitur caput illud de Missa et de aliis divinis officiis; notavitque hoc Covarruvias, dict. § 5, num. 2. Et ideo de hoc interdicto quoad hunc effectum nihil superest dicendum.

34. *De interdicto personali. — An liceat personis non interdictis hæc officia audire, si ab interdictis dicantur, et e converso.* — Idemque fere est de interdicto personali, tam generali, quem speciali, servata proportione. Nam per interdictum hoc prohibentur omnes personæ, quæ illo ligantur, ne hæc officia facere, aut eis interesse possint, quocumque in loco, ut ex eisdem juribus constat. Neque in hoc aliqua moderatio facta est præter illam specialem cap. Alma. Ubi in illis quatuor festivitatibus, interdicti permittuntur interesse divinis cum limitatione ibi contenta, et a nobis supra declarata circa sacrificium Missæ. An vero liceat personis non interdictis audire hæc officia, si ab interdictis dicantur, et e converso an clerici non interdicti possint ea dicere, quamvis personæ interdictæ adsint, si eas excludere non valeant, dictum supra est de sacrificio Missæ, et idem est hic proportionaliter sentiendum.

SECTIO IV.

Quam grave peccatum sit in Ecclesiaticis personis violare interdictum circa divina officia, et quibus modis id fiat et puniatur.

1. *Quinam Ecclesiasticarum personarum nomine comprehendantur. — Clerici conjugati ibi etiam comprehenduntur. — Comprehenduntur etiam religiosi et moniales.* — Ut de hac re distinctius dicamus, oportet in primis distinguere duo genera personarum, quæ possunt interdictum violare, scilicet Ecclesiasticarum et laicarum. Sub laicis comprehenduntur omnes non Ecclesiastici, de quibus postea. Sub Ecclesiasticis ergo comprehenduntur in primis clerici omnes, a prima tonsura usque ad quemlibet superiorem Ordinem. Censet autem Covarruv., d. cap. Alma, part. 2, § 4, num. 5, excipiendos clericos conjugatos, etiam cum unica, et virgine, quia in cap. unico de Clericis conjug., in 6, dicitur, hoc clericos gaudere quidem privilegio canonis et fori, si tonsuram, et vestes clericales deferant, in cæteris autem non gaudere privilegio clericali, etiamsi tonsuram et habitum deferant. Et Concil. Trident., sess. 23, cap. 6, de Reform., addit, ut præter tonsuram et habitum, ad alicujus Ecclesiæ servitium vel ministerium ab Episcopo sint deputati, eidemque Ecclesiæ serviant vel ministrent. Ex hoc ergo infert hos clericos quoad observationem interdicti nullo gaudere privilegio, quia illud nec est canonis, scilicet, *Si quis suadente*, nec fori, ut per se constat, et est privilegium clericorum proprium, quia illo non gaudent laici; ergo illo non fruuntur hujusmodi clerici; ergo in præsenti materia perinde reputandi sunt, atque laici. Sed, licet hæc ratio probabilis sit, nihilominus ego non censeo illos esse excipiendos, si habeant conditiones omnes a Concilio Trident. requisitas; cujus rationem statim declarabo, et ex illa patebit responsio ad rationem Covarr. Sub hoc etiam membro comprehenduntur religiosi omnes, etiamsi Ordinem non habeant, imo

et moniales, ex omnium sententia, quod ex dicendis evidentius constabit. Nunc ratio est, quia celebrare divina officia publice et in communi, vel in illis aliquo modo ministrare, ad omnes has personas pertinent quasi ex officio seu ratione status; et ideo quoad hoc munus omnes hæ personæ reputantur tanquam clerici, vel tanquam personæ Ecclesiasticæ, prout revera sunt.

2. Et ex hac ratione probatur id, quod dicebam de clericis conjugatis, in quibus concurrunt omnia a Concilio Tridentino requisita. Nam illi, si sunt deputati ab Episcopo alicui Ecclesiæ, et in illa ministrant tanquam clerici, etiam sunt ministri ex officio, et ratione status sic acceptantur ab Ecclesia; ergo quantum ad hunc finem, seu ad præsentem materiam vere se gerunt ut personæ Ecclesiasticæ; ergo in hoc numero computandi sunt, non tam propter privilegium quam propter officium, et ministerium, cum tali statu et Ordine conjunctum. Unde ut statim videbimus, hæc personarum distinctio non fit præcipue propter privilegium, sed maxime propter onus et obligationem, quæ revera cadit in hujusmodi clericos prædictas conditiones habentes. Et ideo mirum non est, quod etiam gaudeant aliqua facultate, vel licentia, quæ cum ipso onere conjuncta est, juxta dicta in 1 sect.

3. Deinde adverto, posse clericos interdum violare interdictum modo aliquo communi laicis, et tunc non se gerunt ut clerici, ideoque hic modum illum non consideramus, sed quæ de laicis infra dicemus, illis communia sunt; præterea suppono clericum non violare interdictum per actus solius jurisdictionis, quia non prohibentur. Solum ergo quod ad præsens attinet, violare illud possunt vel exercendo actus Ordinis prohibitos, vel modo prohibito per interdictum, vel ministando in illis aliquo modo proprio Ecclesiasticarum personarum.

Prima assertio.

4. *Probatur conclusio percurrendo omnes species interdicti.* — Dico ergo primo : in Ecclesiasticis personis violare quodcumque interdictum celebrando divina officia, ex genere suo est peccatum mortale. Est communis conclusio, quam (licet Cajetan., verb. *Interdictum,* dubitet) omnes Summistæ ut claram supponunt; et Soto, d. 22, quæst. 3, art. 1, concl. 5, et Navarr., c. 27, num. 187. Et probatur manifeste; nam jura directe et graviter prohibent has actiones Ecclesiasticis personis ex vi interdicti; materia autem illius prohibitionis gravis est, ut per se constat; modus etiam prohibendi gravis est, scilicet et verbis rigorosum præceptum indicantibus, et interdum sub gravissimis pœnis; ergo tale præceptum obligat sub mortali. Deinde probatur inductione in singulis interdictis. Et primo de interdicto speciali personali, quod in præsenti videtur gravius obligare, est res manifesta, quia illa est censura gravissima huic personæ imposita propter culpam suam; ergo in materia sacra et gravi illam violare, est ex genere suo peccatum mortale. Item ob hanc causam, quoties jura aliquid videntur remittere de rigore interdicti, semper aliquam exceptionem faciunt earum personarum, quæ sua culpa causam dederunt interdicto, quia nimirum illæ sunt personaliter et specialiter interdictæ; sentiunt ergo hanc obligationem in talibus personis esse gravissimam.

5. In secundo ordine videntur esse illi, qui personaliter interdicti sunt generali interdicto, inter quas et alias hæc est differentia, quod non propter propriam culpam ligatæ sunt; at censura, et prohibitio, eadem est; ergo in eadem materia eamdem gravem obligationem inducit. Nam quod prohibitio illa posita sit propter culpam propriam, vel alienam, non est differentia sufficiens, ut illius transgressio in uno sit peccatum mortale, et non in alio. Quia præceptum justum suam totam vim et efficaciam habet, etiamsi aliquid onerosum prohibeat vel mandet propter commune bonum, absque ulla culpa ejus, cui imponitur.

6. Tertio hinc facile fit gradus ad interdictum speciale loci, tum respectu eorum, qui causam illi dederunt; nam in illis habet vim personalis et specialis; tum etiam respectu aliorum, quia in eos habet vim quamdam generalis interdicti, non quidem absolute ligantis personas, sed quoad non celebranda divina in tali loco, vel tempore; ergo respective tam gravem obligationem inducit hoc interdictum in singulis personis respectu talis loci, sicut interdictum generale personale respectu omnium locorum. Imo ex parte videtur esse gravior propter majorem determinationem, et specialitatem prohibitionis.

7. *Quia culpa gravis est, ideo censura punitur, non e converso.* — Tandem hæc ratio cum proportione accommodari potest ad interdictum generale loci; quia vero post cap. Alma, illius transgressio tantum consistit in

modo, ideo in hac parte videtur esse levior. Nihilominus tamen non dubito, quin illa etiam sit gravis materia, et sufficiens ad peccatum mortale, quia in rebus moralibus modus interdum valde necessarius est ad honestatem morum, et ad commune bonum. Nam celebrare, v. gr., cum vestibus sacris ad modum pertinet; et tamen obligatio servandi talem modum gravissima est; et multa similia diximus agentes de sacramentis; ita ergo est in præsenti. Eo vel maxime, quod ille modus, licet non sit de substantia divini officii, quod celebratur, nunc tamen est veluti de substantia hujus interdicti, quod servari præcipitur; et ideo, sicut Ecclesia quantum est ex se intendit obligare graviter ad illius interdicti observationem, ita maxime obligat clericos, et religiosos ad illum modum observandum; quoad hoc ergo semper manet illa obligatio sub mortali. Alioquìn interdictum illud fere totam suam vim amisisset contra intentionem cap. Alma, in illis verbis : *Cæteris, quæ circa observationem interdictorum a nostris sunt prædecessoribus instituta, in suo robore duraturis.* Unde in Clement. 1 de Sent. excom., de quibusdam violantibus hoc interdictum prædicto modo dicitur : *Non absque damno Cathedralium et parochialium Ecclesiarum, et scandalo plurimorum dirumpendo nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, generalia locorum interdicta præsumptione damnabili violare præsumunt.* Quæ verba manifeste indicant peccatum mortale etiam ante illam Clementinam; nam post illam evidens est, cum propter illam culpam imponat excommunicationis pœnam. Quod est signum illam culpam ante etiam fuisse gravem; non enim culpa gravis est, quia propter eam excommunicatio imponitur, sed e converso, quia ipsa gravis est, ideo censura punitur. Et simile argumentum potest sumi ex Clement. 2, eodem titulo, et ex aliis textibus statim afferendis.

8. Quamvis autem hæc assertio ita generatim proposita certa sit, in particulari sæpe est difficile judicare, an sit mortale, necne, quod tamen discernere est necessarium, tum propter conscientias, tum etiam propter judicium ferendum de pœna Ecclesiastica. Neque agimus de excusatione peccati mortalis ob indeliberationem, seu inadvertentiam; nam hoc nihil habet hic speciale, sed applicanda est generalis doctrina; solum ergo ex parte materiæ possunt nonnulla dubitari.

Enodantur aliqua dubia.

9. *Primum dubium, an exercens actum minoris Ordinis contra formam interdicti, peccet mortaliter.* — Primum est, an exercere actum alicujus Ordinis minoris contra interdictum aliquo ex modis prædictis sit sufficiens ad materiam peccati mortalis. Nam Soto, dict. art. 1, explicando 5 concl., videtur hoc limitare ad actum alicujus Ordinis sacri. Sed ille non loquitur de gravitate culpæ, sed de irregularitate, de quo infra. Contrarium vero supponere videtur Sylvest., *Interdictum,* 5, quæst. 3 et 4, in princip., et quæst. 5, vers. 1 et 4, nam dicit prohibitionem Ecclesiæ esse generalem de omnibus etiam minoribus; et transgressionem ejus per talem actum, seu usum Ordinis minoris, esse sufficientem ad irregularitatem contrahendam, quæ, quando incurritur per modum pœnæ, videtur esse sufficiens indicium peccati mortalis; quia est gravissima pœna. Et quidquid sit de irregularitate mihi videtur illa gravis satis materia pro culpa mortali, cum sit actio sacra, ad quam ex officio minister est consecratus; cum ergo Ecclesia directe interdicat illud ministerium, non caret gravi culpa qui illud præceptum transgreditur. Eo vel maxime, quod hoc ministerium semper sit cum aliqua cooperatione ad sacrificium Missæ, vel aliud sacrum officium, propter quod maxime interdicitur; et ideo, per se loquendo, hæc est sufficiens materia, nisi actio esset tam parva, et ita solitaria seu præcisa ab alia cooperatione, ut moraliter quasi nihil reputaretur. Addendum etiam hic est, quod supra notavimus agendo de excommunicatione, secundum præsentem consuetudinem vix dari usum minorum Ordinum, ita proprium clericorum, ut non possit per laicos exerceri; et ideo, quantum ad praxim attinet, hæc quæstio fere jam locum non habet, nisi quatenus est communis laicis, de quibus infra dicturi sumus.

10. *Secundum dubium, an canere divinum officium in Ecclesia contra interdicti prohibitionem sit mortale.* — Secundum dubium est, an publice canere in Ecclesia divinum officium, vel aliquam partem ejus contra interdictum sit sufficiens materia peccati mortalis; ut, v. gr., quod religiosus in choro dicat completorium, aut vesperas cum aliis; et ratio dubii est, quia illud etiam potest interdum facere laicus; et ideo non videtur hoc in clerico habere specialem gravitatem. Respondetur, quidquid sit de laico, de quo infra, in

clerico hoc esse peccatum mortale, quando ut clericus seu persona Ecclesiastica ad illud officium deputata, tale munus exercet; prout esse intelligitur, quando aliquis ut pars illius cleri seu communitatis Ecclesiasticæ illud officium celebrat; sicut concurrunt religiosi in choro cantantes; et clerici seculares, qui ratione beneficii, vel alio simili titulo in choro assistunt; nam ad hos omnes pertinet directe illa prohibitio celebrandi tale officium. et materia de se est gravis. Oportebit tamen, ut pars aliqua notabilis officii dicatur, qualis erit, v. gr., una hora canonica, vel magna pars ejus; nam dicere unum versum, imo etiam unum psalmum, non videtur esse mortale, secluso scandalo. Dicere autem publice orationem divini officii, præmisso *Dominus vobiscum,* gravis materia esse videtur, quia et est actus Ordinis sacri proprius, et licet quantitate, ut sic dicam, non sit magnus, tamen qualitate reputatur valde gravis.

11. *Quid de benedictione aquæ, solemni aspersione, ac Episcopi benedictione solemniter data.* — Et per hæc, quæ in his duobus dubiis dicta sunt, potest judicium ferri de aliis similibus; ut, v. gr., de benedictione aquæ, aut aspersione solemni, quæ fieri solet diebus Dominicis, an per se sit sufficiens materia peccati mortalis; item de benedictione Episcopali solemniter data, et similibus. Dicendum est enim esse sufficientem materiam, per se loquendo; nam, licet actus videantur esse breves, tamen sunt actus annexi Ordinibus sacris; et sunt actus in suo ordine graves, et magnæ auctoritatis. Et ideo semper loquimur de his, ut solemniter factis; nam quod sacerdos ingrediens cum aliis Ecclesiam interdictam eos aspergat aqua benedicta, nullum peccatum est, quia neque illud est officium divinum, neque proprie est actus Ordinis; unde non est per interdictum prohibitus. Idemque est de privata benedictione Episcopi, quam domi suæ, vel per viam incedens tribuit; non enim est ex actibus sacris, qui per interdictum prohibentur.

12. *Tertium, dubium, an celebrare in Ecclesia interdicta, non servata aliqua circumstantia debita, sit mortale.* — Tertio potest dubitari circa interdictum generale loci, an prætermittere unam tantum circumstantiam ex his, quæ præcipiuntur, sit sufficiens materia peccati mortalis, ut, v. gr., an dicere Missam in Ecclesia apertis januis et servatis aliis conditionibus sit peccatum mortale. In quo Doctores communiter sentiunt hujusmodi transgressionem sufficere ad peccatum mortale, ut colligitur ex his, quæ tradunt Covarr., dict. § 4, num. 6, vers. 14; Sylvest., *Interdictum,* 5, quæst. 5, in princ.; Tabiena, n. 2; Armilla, num. 43; qui citant Hostiensem, Joannem Andream, Calderinum, et alios. Et favet dicta Clement. 1 de Sent. excom., ubi interdictum in una sola conditione violabatur, nimirum, quia januis non omnino apertis, sed perforatis, seu fenestris in eis factis divina officia celebrantur; et nihilominus transgressio exaggeratur ut valde gravis. Ratio vero esse videtur, quia forma illius interdicti ita constituitur nunc ex illis conditionibus, ut, qualibet ablata, tota forma et quasi substantia interdicti destruatur. Item, quia ad finem interdicti, qui est gravare populum, eumque a divinis excludere, quælibet ex illis circumstantiis est valde necessaria; et ideo est materia gravis illius præcepti; cujus indicium etiam est, quod in omnibus juribus, in quibus hæc officia tempore interdicti permittuntur, semper adjiciuntur expresse omnes illæ conditiones. Neque satis erit, quod prætermissa una conditione, v. gr., quod januæ sint clausæ, alia via caveatur, ne officia a personis prohibitis audiantur; quia hic est finis præcepti, non materia; tenemur autem non solum finem, sed etiam materiam præcepti observare; imo potius materiam, quam finem. Vel (quod idem fere est) lex hæc interdicti non solum cavit, ne divina officia audirentur, sed etiam ne audiri possint quantum est ex modo quo fieri permittuntur, ut sumitur ex cap. Quod in te, de Pœnitentiis et remiss.. et ideo observatio illius modi quoad omnes et singulas circumstantias gravis materia est. Atque hæc sententia verissima est, et conformis communi sensui, et existimationi Ecclesiæ, quæ in his rebus moralibus magnum pondus habet.

13. *Duo notanda pro majori declaratione resolutionis. — Primum. — Secundum.* — Solum videntur advertenda duo. Primum est, gravitatem hanc non consistere in sola circumstantia, sed in officio dicto sine tali circumstantia; nam inde fit, ut totum officium dicatur modo indebito; et quia officium est res gravissima, ideo etiam illa transgressio gravis est. At vero si fieret contra circumstantiam absque officio subsecuto, illa per se non esset materia gravis hujus transgressionis; ut, v. gr., si pulsarentur campanæ ad Missam, et aperiretur janua et convocaretur populus, si postea Missa non diceretur, per se

et ex vi interdicti, non esset illa gravis transgressio exterior, quandoquidem in principali materia et per se prohibita non violatur. Dico autem, *exterior*, nam, si id fieret animo faciendi sacrum, interius quidem jam peccatum esset grave; mutata vero intentione externum peccatum non esset consummatum. Unde si a principio fieret absque tali intentione, solum ad aliquam ostentationem, vel alios fines, per se loquendo, non esset transgressio mortalis contra interdictum; ratione autem scandali, moraliter loquendo, semper erit peccatum mortale. Hinc etiam secundo advertimus, necessarium esse ad hanc gravitatem culpæ, ut totum aliquod officium, vel magna pars ejus sine tali circumstantia fiat; nam, si, v. gr., solum dum fit offertorium, vel in ultima parte Missæ post consumptum sacramentum sit aperta janua Ecclesiæ, non opinor illam esse materiam peccati mortalis. Imo, si id casu contingat, et non omnino voluntarie, nullum erit peccatum; ut, verbi gratia, si aliquis ingrediens Ecclesiam tempore interdicti januam apertam relinquat, non tenetur sacerdos, qui Missam dicit, statim sistere, donec janua claudatur; et licet interim, dum clauditur, Epistolam aut Evangelium dicat, nihil peccabit, quia per illum non stat, et alioquin non decet tam facile interrumpere sacrum ministerium; satis ergo est, ut caveat, ne nimia sit dilatio, et si oportuerit, ut signo aliquo id admoneat, loci et temporis opportunitatem aut decentiam servando.

Secunda assertio.

14. Dico secundo : clerici, qui violant interdictum exercendo actum proprium sui Ordinis, eo modo, quo a laicis exerceri non potest, irregulares fiunt, et alias censuras et inhabilitates in jure expressas incurrunt. Hoc est quasi axioma in hac materia, ut notarunt Glossa et Doctores, in cap. Episcoporum, de Privil., in 6, et in c. Is cui, de Sent. excom., in 6; Abbas, cum aliis, in cap. Postulastis, num. 5, de Clerico excom. ministr.; Covarr. supra, § 2, num. 2; Navarrus, c. 27, n. 187; Soto, d. 22, quæst. 3, art. 1, concl. 5; Richardus, in 4. d. 13, art. 4, quæst. 1. Colligitur ex c. Is qui, § Is vero, de Sent. excom., in 6, ubi sermo est de illo, *qui scienter in loco celebrat supposito interdicto,* quod etiam de generali omnes intelligunt; nam ita loquuntur jura de quolibet loco prohibito per interdictum generale; a fortiori autem comprehenditur interdictum speciale loci, ut ex vi etiam verborum constat. Et eadem ratione comprehenditur ibi omne interdictum sive ab homine, sive a jure latum sit, quia lex generalis est. Quamvis nunc propter Extravag. *Ad evitanda,* necessarium sit ad incurrendam hanc irregularitatem, ut locus nominatim declaratus seu denunciatus sit interdictus. Ex illa autem particula, *is qui,* aperte constat pœnam esse generalem, et comprehendere omnem clericum sive regularem sive sæcularem; præsertim cum addatur exceptio, nisi jure vel privilegio super hoc aliud concessum sit; comprehendit ergo omnem personam, quæ hujusmodi concessionem non habet. In interdicto autem ab homine sufficit, ut validum sit, licet fortasse sit inutile seu inique latum, juxta generalem doctrinam datam de censuris in communi.

15. *Violans interdictum ex ignorantia etiam culpabili, vitat pœnam hanc.* — Propter particulam autem, *scienter,* excusabitur in primis ab hac irregularitate, qui ex ignorantia probabili hoc facit. Deinde probabiliter opinor excusari omnem illum, qui directe bona fide id facit, etiamsi fortasse negligens sit etiam ex gravi culpa, dummodo ignorantia affectata non sit, quia alias illa particula, *scienter,* nihil operatur, quia ignorantia invincibilis per se habet excusare, ut sæpius in superioribus diximus. Rursus, quamvis verbum *celebrat,* absolute prolatum, videatur de sacrificio Missæ quasi per antonomasiam dici, nihilominus proprie et in rigore comprehendit cujuscumque divini officii celebrationem. Et ita sumitur in præsenti textu juxta omnium expositionem, consentaneam proprietati verborum, et aliis juribus, quæ statim referemus. Additur præterea in illo textu solum Pontificem Summum posse in hac irregularitate dispensare; quod intelligendum est nunc juxta limitationem de irregularibus occultis Episcopo commissis per Concil. Trident., sess. 24, c. 6 de Reform.

16. *Privantur etiam dicti clerici electione passiva et activa Ecclesiastica.* — *Videantur supra notata in materia de suspensione, circa hoc caput et superiora.* — *Quæ culpa requiratur ad eam irregularitatem incurrendam.* — Denique additur in eodem textu alia pœna his verbis : *Et adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Per quæ verba irregularitati adjungitur quædam suspensio, nam ex vi irregularitatis fit quidem aliquis inhabilis ut eligatur, argu-

mento textus in cap. Si celebrat, de Clerico excom. ministr., ibi : *Quia ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis Patribus est privatus.* Sic enim in præsenti dicere possumus, si irregularis eligatur (electione nimirum Ecclesiastica), aliquo modo eligi ad usum Ordinum, a quorum perceptione est prohibitus, et ideo talis electio prohibita etiam est; specialiter vero ex vi hujus textus videtur iste irregularis ita ineligibilis fieri, ut electio ejus irrita sit; hoc enim in rigore significat vox illa, *ineligibilis.* Et confirmari etiam potest ex c. 1 de Postulat. Prælat., ubi postulatio personæ, quæ interdictum violaverat, repellitur *ut indigna.* Quod verbum videtur in rigore significare esse nullam, sicut electio indigna nulla est. Et quoad hoc est eadem ratio de postulatione et electione, ut ex eodem textu colligitur, et ex Glossa, Panormitano, et aliis. At vero irregularitas ex se non privat potestate eligendi, quia non privat usu jurisdictionis; et ideo dum in dicto § Is vero, additur, hujusmodi irregularem non esse admittendum ad eligendum, nova pœna adjungitur, quæ non potest esse, nisi suspensio quædam. Et ita est intelligenda Gloss. ibi, quæ dicit, hunc amittere potestatem eligendi activam et passivam. Alia vero Gloss. in dict. c. 1 de Postulat. Prælatorum, verb. *Personam,* expresse ait, hunc esse suspensum, et ideo eligere non posse. Subjungit vero etiam non posse beneficium conferre, nec excommunicare. Quod colligitur ex c. ult. de Excessibus Prælatorum, ubi omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, et excommunicationes, seu interdicti sententias a quodam Episcopo post violationem interdicti factas, decernuntur irritæ et inanes. Hanc vero suspensionem dicit Soto esse ab officio et beneficio; et idem supponit Cajetanus, in verb. *Interdicti violatio.* Ego vero non invenio in jure circa hoc suspensionem a beneficio, sed solum ab officio; ex qua non infertur alia. Atque hinc obiter intelligitur has pœnas privationis passivæ et activæ electionis non esse dependentes ab irregularitate, sed per se impositas; ita ut illas incurrant etiam qui irregulares fieri non possunt, ut de monialibus notavit Navarr., cum Calderino, dict. num. 187. Quæ autem transgressio interdicti sufficiat ad hanc irregularitatem, et alias pœnas dictas incurrendas, disputatur late a Doctoribus; breviter tamen dicendum est, violationem hanc scienter factam, cum culpa mortali, quacumque ratione committatur celebrando ex officio in loco interdicto, contra formam a jure præscriptam, satis esse ad has pœnas incurrendas. Quia illa est gravis violatio et celebratio simpliciter prohibita in loco interdicto, et in illo textu nihil aliud requiritur; quid vero significemus per illam particulam, *ex officio,* in puncto sequenti declarabitur. Quod vero talis culpa in foro saltem conscientiæ necessaria sit, probatur, quia hæc irregularitas imponitur, ut pœna gravissima, et ideo non incurritur nisi intercedente gravi culpa, quamvis alia irregularitas, quæ non est pœna, soleat contrahi sine culpa, ut in simili dictum est latius tractando de excommunicatione. Est etiam hujus rei optimum signum, quod cum hac irregularitate conjunguntur aliæ pœnæ et censuræ, quas certum est non incurri sine culpa mortali. Aliqui vero extendunt hanc irregularitatem non solum ad eum, qui celebrat, sed etiam ad eum, qui auctor est ut alius celebret, et ad superiorem, qui id facere permittit. Ita sentit Maiolus, l. 3, de Irregular., c. 20, num. 7, et c. 23, num. 9.

17. *Excluditur quorumdam sententia.* — Verumtamen non existimo hoc esse verum ex vi illius § Is vero, quia ibi de celebrante loquitur, et non de aliis; et in materia pœnali non est admittenda extensio, ut supra de censuris et excommunicatione diximus, et quoad hoc est eadem ratio de irregularitate. Nec etiam in aliis juribus invenio illam extensionem factam, et ideo illam non admitto. Solum invenio in cap. Episcoporum, de Privil., in 6, mentionem fieri de his, qui celebrant vel faciunt celebrare divina in locis interdictis, et in eos præter alias pœnas a jure statutas, novam pœnam imponi interdicti ab ingressu Ecclesiæ, de quo interdicto quid sit, et quam vim habeat, postea generatim dicemus; illa vero pœna non est propria clericorum, sed laicos etiam comprehendit, si celebrare faciant vel alia ibi prohibita, quatenus ab eis fieri possunt, ut ex ipso textu constat. Irregularitas autem de qua agimus, solum in clericos fertur, si celebrant, non vero si celebrare faciant.

18. *Notandum circa cap. Episcoporum.* — Obiter vero in illo cap. Episcoporum, notanda sunt illa verba : *Præsumpserint et donec satisfecerint,* etc., ut intelligatur quando incurratur, et quantum duret illa specialis pœna juxta vim et proprietatem illorum verborum, quam sæpe in superioribus declaravimus.

Similis huic est alia pœna excommunicationis, quæ fertur in Clementin. 2 de Sentent. excomm., contra dominos temporales, qui cogunt aliquem ad celebranda divina in suis terris interdicto suppositis, quem textum late exposuimus supra, disputat. 17, sect. 4. In Clementina etiam 1 et 3, eodem titulo, habentur speciales pœnæ excommunicationis latæ in religiosos non servantes hoc interdictum locale, vel celebrando in loco interdicto, vel etiam alios admittendo, quæ in superioribus tactæ sunt, et tractando etiam de excommunicatione.

19. *De aliis pœnis in ipsos a jure impositis.* — Præter has autem pœnas, quæ ipso jure feruntur, sunt aliæ, quæ ferendæ sunt juxta modum in jure præscriptum. Nam in c. Auctoritate, de Privileg., in 6, in genere dicitur, hos transgressores per locorum ordinarios esse compescendos. Deinde in c. Postulastis, § Quæsivistis, de Cleric. excomm. ministr., de clericis hoc interdictum violantibus dicitur, esse beneficiis spoliandos. De monachis vero et monialibus, esse in arctiora monasteria ad agendam pœnitentiam detrudendos. Verumtamen, ut ex textu constat, ibi non est sermo de quibuscumque violatoribus hujus interdicti, sed de his, qui adeo pertinaces erant in eo delicto, ut etiam propter eam causam excommunicati (scilicet ab homine) in eadem contumacia cum interdicti contemptu perdurabant. Et ita censeo verum, quod significat ibi Glossa, verb. *Spoliandi,* ante hujusmodi contumaciam, secundum illud jus, non esse dignos tali pœna, licet oppositum videatur insinuare Navarrus, cap. 27, num. 187, et multi alii, qui absque ulla limitatione dicunt violatores interdicti his pœni esse afficiendos, ut patet etiam ex Panormitano ibi, num. 5; et Covarruv. supra, § 2, num. 2.

20. Denique addunt hi auctores cum Glossa in dict. c. Postulastis, verb. *Celebrare,* hujusmodi clericos posse per Episcopum deponi, citatque illa Glossa, c. Latoris, eodem titulo, de Clerico excomm. ministr. Quod recte perpensum, loquitur de interdicto personali, non de locali; tamen ex paritate rationis videtur sumi argumentum, quod hic habet majorem efficaciam, quam in aliis, quia omne interdictum, ad personam relatum, respective seu proportionaliter reducitur ad personale; inducit enim censuram et prohibitionem ejusdem rationis. Tamen suppositis quæ diximus, ex alio generali principio videtur illa sententia magis certa. Nam illud delictum post tot censuras et pœnas, et cum tanta contumacia et contemptu est gravissimum, et ideo depositione dignum.

Eamdem irregularitatem incurrere violatores interdicti personalis.

21. *Cap. Is cui, de Sentent. excomm., in 6, expenditur.* — Ex his ulterius infertur, eamdem irregularitatem incurri violando interdictum personale, sive speciale sive generale, probaturque a simili ex dictis de locali, propter rationem paulo antea factam. Efficacius tamen probatur ex cap. Is cui, de Sentent. excom., in 6, ubi dicitur : *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat in suo agens officio sicut prius.* Et additur ratio : *Cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta;* in quo textu primum est advertendum, illud interdictum, de quo in eo agitur, non esse locale, sed personale; nam quando quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, ipsa non manet interdicta, tum quia in ea possunt celebrari et audiri divina ab aliis; tum etiam quia talis persona interdicitur respectu omnium Ecclesiarum, et tamen non omnes sunt interdictæ; est ergo illud interdictum personale; recte ergo ex illo colligitur, per hujusmodi violationem interdicti personalis incurri irregularitatem. Nec refert, quod illud non sit interdictum simpliciter, ut sic dicam, sed limitatum ad talem locum, nimirum Ecclesiam; nam potius inde a minori sumitur argumentum. Nam, si ob violatum interdictum personale secundum quid incurritur irregularitas, multo magis incurretur ob violatum interdictum personale simpliciter. Item ob rationem textus, quæ non fundatur in speciali ratione talis interdicti, sed quia per illud est prohibita celebratio divinorum in Ecclesia. Quæ ratio habet locum in omni interdicto personali; imo in aliis directe et immediate, in illo vero quasi implicite seu *per consequens,* ut dicitur in textu.

22. Posset autem aliquis cogitare, textum illum limitandum esse ad interdictum speciale, seu quod fertur in aliquem propter propriam ejus culpam, quia hoc modo interdici solet aliquis ab Ecclesiæ ingressu. Et ideo pœnam hanc non esse extendendam ad interdictum personale generale, quia illud non videtur cum tanto rigore obligare, si non feratur in

aliquem propter propriam ejus culpam. Sed hoc non ita est, quia in illo textu absolute est sermo de interdicto personæ; neque enim interdictum ab ingressu Ecclesiæ necessario limitatur ad speciale; posset enim aliquis populus generaliter interdici ab ingressu Ecclesiæ, nam si potest interdici simpliciter, cur non etiam secundum quid? Et simili argumento convincitur, posse aliquem sine propria culpa interdici ab ingressu Ecclesiæ et a celebratione in illa, si nimirum clerus hoc modo generaliter interdicatur, et tunc etiam in persona sic generatim interdicta haberet locum decisio dicti cap. Is cui; nam ille simpliciter est interdictus ab ingressu Ecclesiæ. Nec refert, quod ille sit interdictus propter propriam culpam, vel sine illa : tum quia hoc in textu non limitatur; tum etiam quia hoc non variat substantiam censuræ et prohibitionis, licet fortasse aliquid conferat ad gravitatem ejus; tum denique quia in violatione interdicti localis, ut aliquis irregularitatem incurrat violando illud, non est necesse, ut propter propriam culpam fuerit interdictus; ergo neque in interdicto personali necessarium erit, cum a nullo jure hoc declaratum sit. Non me latet, Covarruviam, dicta relect., part. 2, § 1, num. 3, interpretari illud cap. Is cui, de interdicto ingressus Ecclesiæ lato in aliquem ob contumaciam ejus, vel propter crimen, quod sensit etiam Bernardus Diaz. Qui fundantur in verbis textus, quæ exponere necesse est.

23. Adduntur ergo in dicto cap. Is cui, hæc verba : *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia vel cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* In quibus verbis illud relativum, *talis,* duobus modis intelligi potest : primo, ut referat simpliciter hominem interdictum ab ingressu Ecclesiæ; et ita intelligunt prædicti auctores, et consequenter volunt, illud interdictum habere hunc effectum privandi sepultura Ecclesiastica, quod habet suam difficultatem disputatione sequenti tractandam. Et juxta hunc sensum consequenter dicunt, in illis verbis loqui Pontificem de homine interdicto propter propriam culpam, quia pœnitentia non postulatur, nisi supposita culpa. Tamen non propterea necesse est, ut in toto textu sit sermo de solo interdicto lato in aliquem propter propriam culpam ejus. Unde Bernardus Diaz solum dixit in illis posterioribus verbis esse sermonem de interdicto propter contumaciam. Atque ita ex illis solum colligimus, interdictum ab ingressu Ecclesiæ non privare sepultura Ecclesiastica, nisi quando latum est propter propriam contumaciam vel culpam. Quia, si tunc etiam cessat talis effectus illo pœnitentiam agente, multo magis non habebit locum in eo, qui non indiget pœnitentia. Unde etiam possent illa verba universaliter intelligi, tamen subintellecta alia conditione, nisi pœnituerit, si pœnitentia indiguerit, vel certe nisi pœnituerit, id est, nisi vere pœnitens mortuus fuerit, et hujus rei specialiter signa dederit, ut sequenti disputatione dicemus.

24. Alio vero modo potest intelligi illud relativum, *talis,* ut non referat simpliciter personam interdictam, sed illam, de qua sermo præcesserat, scilicet quæ celebrando in Ecclesia interdictum violaverat. Ex quo sensu non sequitur, hanc pœnam privationis sepulturæ esse intrinsecum effectum illius interdicti ab ingressu Ecclesiæ, sed esse novam pœnam impositam ob interdicti violationem. Et similiter juxta hunc sensum non sequitur, in illo textu esse sermonem tantum de persona interdicta propter propriam culpam, quia pœnitentia, quæ in illis verbis postulatur, non tam est de culpa, propter quam latum est interdictum, quam de culpa commissa in transgressione interdicti; nam sine pœnitentia vel satisfactione pro illa, non est talis persona ab interdicto vel pœna privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, quam propter illam incurrit, liberanda. Fitque hæc expositio apparenter ex textu; nam prius statuit pœnam irregularitatis in transgressorem talis interdicti, et immediate post subdit : *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat,* etc. Ubi expendo et particulam *talis,* quæ non solum personam, sed etiam qualitatem ejus refert; ideoque indicare videtur personam affectam eo crimine, et de quo proxime fuerat facta mentio. Et præterea expendo particulam *quoque,* quæ copulativa est, et ita videtur priori pœnæ adjungere posteriorem ob idem delictum. Concludo igitur, illam irregularitatem incurri propter transgressionem personalis delicti, sive sit latum propter propriam culpam, sive non, sive per generale, sive per speciale interdictum; nam quoad personalem prohibitionem hæc duo æquiparantur ex cap. Si sententia, de Sent. excom., in 6. Huc accedunt omnia jura, quæ probant suspensum ab officio fieri irregularem ministrando in divinis; nam omnes hoc intelligunt de suspensione vel propria, vel communi cujuscumque censuræ.

25. *Incurritur dicta irregularitas quamvis interdicti personales non fuerunt ob propriam culpam.* — Hoc ergo supposito, eodem fere modo exponenda est illa irregularitas, quo alia, quæ incurritur propter violationem interdicti localis. Nam in primis ex parte personarum generalis est, ut patet ex illis verbis, *Is cui,* etc.; propria tamen clericorum, ut constat ex peccato propter quod incurritur, quod est ingerere se divinis *in suo officio agendo sicut prius,* prout ibi dicitur, quod est proprium clericorum, quia laici non habent aliquid divinum et Ecclesiasticum ex officio. Unde etiam colligitur, ipsos clericos non incurrere hanc censuram, nisi ministrando ex officio in aliquo divino ministerio, ad quod sunt consecrati; ideoque neque exercendo quemcumque actum solius jurisdictionis hanc irregularitatem incurrunt, tum quia illud non est ingerere se divinis sicut prius; tum etiam quia illud ministerium non est prohibitum ex vi interdicti personalis, ut patet ex dictis. Neque etiam illam incurrunt, si solum se ingerant ita ministrando, sicut laicus posset ministrare, ut, v. gr., privatim serviendo sacerdoti facienti sacrum, vel aliquid simile.

26. Circa hoc vero dubitari potest, an incurrat hanc irregularitatem clericus personaliter interdictus publice cantans in choro cum aliis horas canonicas; nam illud potest etiam facere laicus. In contrarium vero est, quia hæc etiam celebratio divinorum officiorum, quæ fit in horis canonicis vel aliis divinis officiis decantandis, est prohibita per interdictum personale, et per se loquendo ex vi institutionis pertinet ad officium clericorum; ergo qui hoc modo concurrit ad divinum officium, se ingerit divinis in suo agens officio sicut prius; ergo id satis est ad incurrendam irregularitatem. Nihilominus dicendum est, nisi id faciat cum aliqua solemnitate vel modo, qui Ecclesiasticum Ordinem requirat, non incurrere irregularitatem. Omnes enim intelligunt illam particulam, *in officio suo,* de officio clericali pertinente ad aliquem Ordinem. Unde est communis doctrina, ad incurrendam irregularitatem tria requiri. Primum, ut is qui ministrat, ordinatus sit. Secundum, ut actus, quem exercet, requirat Ordinem. Tertium, ut talis actus sub interdicto comprehendatur. Pro qua plures refert auctores Covarruvias, dicta part. 2, § 2, n. 3, et in simili eam explicuimus supra agentes de excommunicatione et de suspensione. Unde multa alia, quæ ibi diximus, hic applicanda sunt, nam fere eodem modo in præsenti proceditur.

27. Atque hinc intelligitur, religiosos cantantes in choro tempore interdicti non fieri irregulares, nisi sacerdotale officium in choro exerceant, aut in altari officium proprium alicujus Ordinis. Quo etiam fit, ut monachi, qui nullum Ordinem habent, nunquam incurrant hanc irregularitatem propter quodcumque ministerium ab eis exhibitum in celebratione divinorum officiorum, quod notavit Navarr., cap. 27, num. 187. An vero ministrantes in Ordinibus minoribus hanc irregularitatem incurrant, quamvis Soto loco supra citato absolute neget, communis tamen sententia est in contrarium, quia jus absolute loquitur de officio clericali, et nullibi restringit sermonem ad clericum ordinatum in sacris, ut patet ex cap. Is qui, et cap. Is cui. Et ideo in rigore juris hæc sententia probabilior est; quamvis in praxi secundum communem consuetudinem Ecclesiæ vix locum habeat, ut supra dixi.

28. Rursus interrogari hic potest, an clericus violans hoc modo interdictum personale incurrat alias pœnas suspensionis et privationis vocis activæ et passivæ, quas diximus incurri per transgressionem et violationem interdicti localis; nam in dict. cap. Is cui, illæ non continentur. Nihilominus auctores communiter videntur illas intelligere indifferenter, ut videre licet in Covarruvia, dict. §, num. 1 et 2; Soto, dict. conclus. 5; Navarro, cap. 25, num. 93 et 94; quæ sententia vera videtur propter rationem supra tactam, quod obligatio hujus censuræ eadem est comparata ad personam, quæ per illam ligatur, sive ligetur in ordine ad unum locum, sive ad omnia. Excipio tamen illas pœnas excommunicationis, quæ in Clementin. 2, de Sentent. excomm., feruntur contra quosdam religiosos violantes interdictum, quia illæ solum habent locum in interdicto generali loci, de quo jura illa in specie loquuntur, et ad ejus propriam et specialem rationem respiciunt, nimirum ad vitandum commune scandalum, aut ne illa censura contemnatur aut minus timeatur, et ideo non censeo excommunicationem illam esse extendendam ad interdicta personalia, in quibus ratio illa locum non habet.

29. *Cap. Episcoporum, de Privileg., in* 6, *exponitur.* — Tandem inquiri potest, an incurrant hanc irregularitatem clerici celebrantes coram aliis personaliter interdictis, esto ipsi interdicti non sint; jam enim supra vidi-

mus, etiam hoc modo graviter peccare posse contra personale interdictum, et ideo pœnam etiam hujus delicti explicare oportet. Dicendum ergo est, hunc non fieri irregularem, quia talis irregularitas non est in jure expressa. Nam dictum cap. Is cui, loquitur de celebrante, cum ipse interdictus sit; non vero de celebrante coram persona interdicta, cum ipse interdictus non sit. Imo, in cap. Is qui, eodem titulo, dicitur non fieri irregularem eum, qui coram excommunicato celebrat, quia non est expressum in jure; ergo a fortiori idem dicendum est de illo, qui celebrat coram interdicto. In cap. autem Episcoporum, de Privileg., in 6, specialiter prohibetur, ne aliquis interdictos ad divina officia admittat, et contra eos qui hoc violant, fertur specialis pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Advertit autem Navarrus, cap. 25, num. 94, et cap. 27, num. 157, illam legem et pœnam non esse generalem ad omnes personas, sed tantum ad exemptas a jurisdictione ordinaria; nam hic est communis sensus illius capitis expositorum ibi, et aliorum Doctorum, quos ipse citat; et est textui consentaneus, ut patet ex illis verbis : *Quantumcumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicæ privilegiis communiti,* et ex intentione et occasione illius legis; nam Episcoporum querelæ non erant de sibi subjectis, quos ipsi poterant coercere, sed de exemptis, in quos non habebant potestatem; et ideo contra illos specialiter illa pœna lata est, quæ non est extendenda, juxta principia juris; neque invenio aliam pœnam ipso jure latam propter hoc delictum.

SECTIO V.

Utrum laici peccent mortaliter violando interdictum, et quam pœnam incurrant.

1. *Quorumdam sententiæ.* — Quod hæc transgressio sit saltem veniale peccatum in laicis, omnes pro comperto supponunt, ut videbimus. Multi autem negant esse mortale, nam Cajetanus, verb. *Interdicti violatio,* dicit violationem interdicti esse propriam clericorum; imo etiam ait, clericos ipsos non violare interdictum, nisi exercendo aliquem actum Ordinis; sed hoc posterius plane falsum est, alias religiosi non ordinati, et moniales non violarent interdictum publice celebrando, seu canendo divinum officium; quod falsum esse constat ex dictis. Illud vero prius admittit Navarrus, cap. 27, num. 187, saltem quoad interdictum locale, et cum quibusdam limitationibus infra declarandis. Et idem fere tenet Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 1, conclus. 6. Unde in sententia horum auctorum laici sine dolo aut violentia, vel cooperatione cum clericis, audiendo sacrum, vel divina officia, non peccant saltem mortaliter.

2. *Prima conclusio.* — Nihilominus dico primo : laici ex suo genere graviter peccant violando personale interdictum, non solum speciale, sed etiam generale. Ita tenent Panormitanus et alii, cap. ult. de Excessibus. Soto supra dicit esse fere certum; idemque admittit Navarrus. Et probatur, quia interdictum personale est censura Ecclesiastica directe imposita ipsi personæ; ergo quod illa persona sit clericus vel laicus, non impedit, quominus illa censura inducat totam obligationem, quam Ecclesia per absolutam prohibitionem imponere potest, juxta materiæ qualitatem seu capacitatem; sed hæc materia gravis est, cum ad communicationem rerum divinarum spectet; ergo prohibitio directe imposita personæ, sicut fit per interdictum personale, in tali materia obligat ex suo genere ad mortale. Et confirmatur a simili de excommunicatione, quæ laicos etiam obligat sub mortali ad non audienda divina, quia includit et directe imponit hanc prohibitionem; ergo idem faciet interdictum personale; nam, licet excommunicatio quoad alia sit gravior censura, tamen quoad hoc non excedit; imo interdictum in hoc superat, quod specialius et formalius est ad hunc effectum institutum. Et potest hoc amplius urgere; nam excommunicatio non solum excommunicatum ipsum, sed etiam alios obligat sub mortali, ne in divinis cum excommunicato communicent, propter materiæ gravitatem; ergo multo magis obligabit hæc censura eum, qui directe illa ligatur, circa eamdem materiam sub eadem gravitate.

3. *Posita conclusio in personali interdict. tam generali quam speciali procedit.* — Et hæ rationes convincunt non solum de interdicto personali speciali, sed etiam de generali. Tum quia utrumque continet prohibitionem directe impositam ipsis personis singularibus, juxta cap. Si sententia, de Sententia excomm., in 6; tum etiam quia prohibitio, quæ imponitur cæteris fidelibus non communicandi in divinis cum excommunicato, satis generalis est, et sine culpa ipsorum fidelium eis imposita; et nihilominus obligat sub mortali, quia est prohibitio justa, et communi bono necessaria, et in gravi ma-

teria; sed hæc omnia efficacius locum habent in interdicto generali personali : ergo. Quare quoad hanc assertionem non invenio probabilitatem in contraria sententia. Solum oportet recte explicare, per quas actiones violetur hoc interdictum a laico; solum enim violatur recipiendo, vel agendo aliquid per interdictum prohibitum, ut supra explicatum est; et juxta qualitatem actionis, vel receptionis erit gravitas culpæ.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : laici etiam peccant graviter ex genere suo violando interdictum locale, non solum speciale, sed etiam generale. Ita tenent Innocentius, Hostiensis, et alii, quos refert Sylvester, *Interdictum,* 9, quæst. 7, et quamvis ipse limitet ad casum, quando hoc fit ex contemptu, talem limitationem non censeo admittendam, nisi per contemptum intelligat voluntatem audiendi divina non obstante interdicto ex certa scientia, seu absque ignorantia probabili. Probatur autem primo, quia etiam per interdictum locale directe prohibentur laici, ne in loco interdicto divinis intersint; ergo violando hoc præceptum ex genere suo peccant mortaliter. Consequentia probatur eisdem rationibus, quia materia est gravis, et præceptum Ecclesiasticum est absolutum, et illi proportionatum. Et auctores contrariæ sententiæ vim hujus illationis vidisse et non negasse videntur; etenim ideo in antecedente contrarium fundamentum posuerunt, scilicet, prohibitionem interdicti localis non dirigi ad laicos, sed tantum ad clericos, ut isti locum custodiant. Probatur ergo antecedens ex jure; nam sæpe in illo dicitur aut certe supponitur non licere laicis interesse divinis in loco interdicto; est igitur hoc illis prohibitum, quia cum non sit per se malum, non potest fieri illicitum nisi ex prohibitione. Antecedens patet ex cap. Si sententia, de Sent. excomm., ubi dicitur civitate interdicta licitum esse civibus, qui culpam interdicto non dederunt, extra ipsam interesse divinis; ergo supponitur intra ipsam non esse licitum. Idem etiam colligitur ex cap. Licet, de Privilegiis, in 6, ibi : *Cum conceditur singulari personæ, ut modo permisso tempore interdicto celebrare valeat, vel audire divina.* Si ergo concedi necesse est, signum est, esse prohibitum. Idemque sumitur ex cap. Ut privilegia, de Privilegiis, cum similibus. Et idem probant omnia jura, quæ dicunt laicos non esse admittendos ad audienda divina in loco interdicto, nisi privilegiati existant. Quod supra tractavimus agendo de Missa; nam jura ibi adducta de omnibus divinis officiis loquuntur. Præterea, si clerici possunt et debent laicos excludere, ergo ipsi tenentur non adesse; alioquin esset veluti bellum justum ex utraque parte, si illi tenerentur alios expellere, hi vero non tenerentur exire.

5. Dices, teneri, si expellantur, non vero alias. Sed contra; nam sequitur, si clerici sint negligentes in expellendo alios, non peccare etiam venialiter audiendo divina, quia non sunt prohibiti; nec eis præcipitur, ut sua voluntate non intersint, sed solum ut ejecti non resistant. Unde etiam fit, ut si absque fraude et dolo latenter ingrediantur, et intersint divinis, nihil peccent, quia nullo jure hoc prohibitum est eis. Respondet Soto, venialiter peccare, propterea quod interpretative faciunt contra clericorum intentionem; sed hoc profecto nulla culpa est, si alioquin non est per se prohibitum ipsis laicis interesse, sed solum ut pareant clericis ejicientibus, quia per hoc non præcipitur eis, ut operentur secundum intentionem clericorum, aut ne caute, et per media non prava, effugiant ejectionem. Quin potius, licet mentiendo se habere bullam, aut privilegium, decipiant sacerdotes, ut illos admittant ad divina, non peccabunt mortaliter, ut Navarrus et alii volunt, quia mendacium illud, nec est contra præceptum eis specialiter impositum, neque est perniciosum ipsis sacerdotibus, cum ipsi nihil peccent, neque aliquo jure, vel re alicujus momenti priventur; nec etiam est contra res divinas saltem in re gravi juxta ipsorum sententiam; sentiunt enim laicum interesse divinis in loco interdicto non esse materiam gravem. Quod si dicatur, tale mendacium esse contra vigorem interdicti, et contra intentionem Ecclesiæ, quæ maxime intendit gravare populum hac censura, eum expellendo a divinis, quod frustra fieret, si per hujusmodi fraudes possint laici vitare effectum interdicti sine culpa mortali. Respondetur hanc rationem optime probare hoc esse peccatum mortale, eamdem tamen sufficienter ostendere, Ecclesiæ intentionem esse obligare laicos, ne divinis se ingerant in loco interdicto; nam, si prohibet sub mortali, ne per mendacia se ingerant, eadem ratione prohibet, ne sua voluntate, vel per quæcumque alia media se ingerant sine privilegio. Patet consequentia, quia non est facta specialis prohibitio se ingerendi per mendacium; ergo, quia hoc ipsum, scilicet ingerere se di-

vinis, per se prohibitum illis est, ideo per mendacium est magis prohibitum; et similiter mendacium illud non ideo est mortale, quia mendacium est, sed quia ordinatur ad rem graviter prohibitam juxta Ecclesiæ intentionem. Tandem ita hoc declaro, nam hæc prohibitio non est tanquam pœna, quam nemo sustinere cogitur, donec ab alio imponatur, sed est obligatio quædam ex censura proveniens, et consequenter urgens modo censuris accommodato, qui est, ut homo sese abstineat etiamsi ab aliis non cogatur; ergo si laici tenentur non adesse divinis a clericis exclusi vel admoniti, ipsi etiam per sese tenentur non se ingerere, etiamsi non ejiciantur vel moneantur, quia ex vi hujus censuræ redundat in eos hoc gravamen.

6. *Excluditur tertia evasio.* — Dices, rationes convincere, aliquam esse prohibitionem impositam laicis ex vi hujus censuræ, quod alii auctores absolute non negabant; alias nec peccatum veniale admitterent in hujusmodi trangressione per se loquendo, et exclusis extrinsecis circumstantiis. Dicent tamen esse hanc prohibitionem solum indirectam, et quasi per redundantiam quamdam, et ideo non inducere gravem obligationem. Sed hoc etiam non video, quam firmo fundamento dicatur; nam interdictum per se et immediate prohibet dicere et audire divina in loco interdicto; cujus signum est, quia quando conceditur ut dici possint, semper adduntur circumstantiæ necessariæ, ut ab aliis non audiantur; ergo signum est hanc etiam esse directam et per se prohibitionem. Deinde, esto illud ita sit, non refert ad tollendam gravem obligationem, si alias materia est illius capax; nam etiam excommunicatio majori ratione dicetur non obligare alios, ne cum excommunicato communicent, nisi indirecte, et per quamdam redundantiam; hoc tamen non tollit, quin hæc obligatio in illis gravis sit, quoad communicationem in divinis, quia materia est gravis. Et ratio est clara, quia tam ad virtutem obedientiæ quam religionis, in qua est talis materia, satis est, quod superior vere præcipiat; quod autem sit directe, vel indirecte, seu ex primaria, vel secundaria intentione, non tollit absolutam efficaciam et obligationem præcepti, quamvis indicet unum esse principalius intentum, quam aliud.

7. *Refellitur ultima evasio.* — Sed dici tandem potest, hanc prohibitionem, licet sit proprie imposita laicis, non obligare eos ad mortale in hac materia, quia illi non sunt prohibiti audire divina absolute, sed solum in tali loco, ut constat ex dict. cap. Si sententia. Violatio autem illius circumstantiæ solius in tali usu divinorum officiorum videtur esse materia levis. Sed hæc ratio frivola est, alias idem probaret de receptione sacramentorum in loco interdicto; imo et de activa celebratione, quia hæc etiam non est prohibita absolute clericis, sed solum in tali loco. Confiteor, quia si esset prohibitum, hodie communicare, vel audire sacrum, illa ex vi materiæ esset gravis prohibitio, sicut est de esu talis cibi in tali die; ergo idem est de circumstantia loci. Et ratio est supra tacta, quia prohibitio circumstantiæ redundat in totum actum, et gravamen illud, quod Ecclesia intendit inferre, pendet ex illius circumstantiæ observatione.

8. Deinde id, quod in dicta responsione sumitur, non est universaliter verum; nam si laicus assistat divinis officiis canendo in illis more clericorum, sine dubio peccat mortaliter, ut etiam Navarrus fatetur cum Calderino, tractatu de Interdicto, membro 6, quanquam non agat actum prohibitum nisi in tali loco; nec vero peccat solum propter cooperationem cum aliis, sed quia ipsa materia gravis est, et multum repugnans intentioni Ecclesiæ ponentis interdictum. Imo in rigore illa non est cooperatio, etiam si sit simultanea operatio; præsertim si clerici essent plures, qui possent dicere officium, etiamsi laici cum eis non canant.

9. Concludo igitur hoc esse peccatum mortale ex genere; cujus argumentum sufficiens est, quod in tali materia potest esse mortale peccatum sine extrinseca circumstantia extrahente actum ad aliud genus vitii, vel peccati, ut patet in exemplo proxime proposito. Idem autem censeo de actu audiendi Missam in loco interdicto, quia etiam illa est gravis actio, et aliqualis concursus ad ipsum sacrificium, quod suo modo offerunt, qui illi assistunt. In aliis vero divinis officis facile admitterem, posse hoc peccatum esse veniale ex levitate materiæ; non quia illa gravia non sint, sed quia sola assistentia personæ laicæ est minima quædam participatio illius actionis, et ideo si aliunde assistentia non esset ad magnam partem divini officii, secluso contemptu, posset a mortali excusari. Neque etiam dubito, quin facilior sit hæc excusatio in his, qui culpam non dederunt, quam in contumacibus; et quod aliqua materia sit

gravis respectu horum, quæ comparatione aliorum sit levis. Sæpe etiam accidere potest, ut hæc culpa sit levis ex quadam pia intentione, licet indiscreta; quod prudenter pensandum est secundum occurrentes circumstantias.

10. *Quæ denunciatio interdicti requiratur ad hanc culpam.* — Ut autem nunc hæc culpa locum habeat, necessarium est, ut interdictum denunciatum sit, ob Extravagant. *Ad evitanda.* Aliqui etiam addunt oportere, ut ab Ecclesia matrice servetur, si interdictum generale sit, argumento Clementinæ 1 de Sententia excomm. Sed non opinor esse hoc necessarium, nam sufficit censuram esse denunciatam juxta prædictam Extravagantem, ut unusquisque eam servare teneatur in eo quod ad ipsum spectat. Unde, si in aliquo casu Ecclesia principalis interdictum non servaverit, poterit id conferre ad evitandam excommunicationem latam in illa Clementina 1 de Sententia excommun., quia illa solum fertur in religiosos, qui in sua Ecclesia non servant interdictum, quando Ecclesia loci illud servat; non vero conferet ad tollendam obligationem servandæ censuræ sufficienter denunciatæ, quod recte sentit ibi Glossa, verb. *Subjacere;* et idem sentit, licet subobscure, Covarruvias, dicto § 2, n. 3.

11. *Alia conditio ut obligatio servandi interdictum teneat.* — Additur etiam in jure, ut hæc obligatio servandi interdictum in aliis oriatur, necessarium esse, ut ab his, propter quos latum est, servetur, ut sumitur ex cap. Petisti, de Privilegiis. Per eos autem, propter quos interdictum dicitur esse positum, non intelligentur illi, qui causam dederunt interdicto; nam eorum transgressio et contumacia non debet esse occasio relaxandi interdictum; quod in eorum profectum redundaret; sed intelliguntur illi, in quorum gratiam positum est interdictum; nam si ipsi non servant, non merentur, ut Ecclesia alios prohibeat a divinis in gratiam eorum. Atque ita non liberantur alii hoc onere ex facto aliorum, quod per sese consideratum inordinatum fuerat, sed ex benigna interpretatione, et concessione Ecclesiæ, ut in eodem jure declaratur. Unde, si interdictum in unius gratiam positum esset, satis est quod ille non servet. Si autem esset latum in gratiam multorum, oportebit, ut saltem a majori parte non servetur. Necesse est etiam, ut interdictum non observent perseveranter, seu tali modo ut animum perseverandi significent; nam una vel alia transgressio per occasionem non satis est, ut simpliciter dicantur non servare interdictum, et consequenter, nec ut ea de causa suspendatur vel tollatur; atque hunc in modum intelligunt textum illum Doctores communiter. Estque hæc exceptio ad omnes alias prohibitiones hujus interdicti localis applicanda, nam potius est quædam revocatio, vel suspensio interdicti, illa occasione facta a jure, et ideo cessant omnes prohibitiones non solum ad laicos, sed etiam ad clericos pertinentes. Quapropter idem dicendum erit in omnibus casibus, in quibus interdictum jure vel ab homine suspenditur, pro ratione suspensionis, ut supra tactum est, et in sequentibus latius dicetur.

12. *In quibus casibus possit laicus interesse divinis tempore interdicti.* — Quomodo autem ratione privilegii, vel ob aliam occasionem possit laicus aliquando interesse divinis, in superioribus sufficienter tactum est; omnis enim casus ad tres reducitur. Primus est, quando quis habet privilegium a Romano Pontifice concessum; solus enim ille id concedere potest, ut dixit Glossa, in c. Ad hæc, de Appellat., in fine, ubi etiam Panormitanus, num. 4, et alii idem sentiunt. Quod latius examinabimus infra agentes de suspensione interdicti. Secundus casus est, quando laicus est familiaris alterius singularis personæ, quæ privilegium habet, eamque comitatur, juxta cap. Licet, de Privilegiis. Tertius est, quando clericus indiget aliquo ministerio laici, ut sacrum officium peragat modo sibi licito, ut in superioribus declaratum est.

Tertia conclusio.

13. Ultimo dicendum est, ob meram transgressionem interdicti, quam laici committunt se ingerendo divinis officiis, nullam pœnam, vel censuram incurrere. Probatur, quia nulla in jure invenitur. Dixi autem, *Ob meram transgressionem,* etc., nam si laicus aliquo speciali modo concurrat ad celebrationem contra interdictum, vel speciali pertinacia interdictum violet, sic sunt aliqui casus in jure expressi, in quibus ob eam causam specialem censuram incurrit, juxta Clement. 2 de Sententia excommunicationis. Ubi excommunicantur ipso facto laici, qui cogunt quempiam celebrare divina officia in loco interdicto, vel prohibitos publice vocant, ut divinis officiis in loco interdicto celebratis intersint;

vel prohibent, ne interdicti, qui Missæ intersunt, exeant postquam a celebrantibus moniti sunt; et tandem excommunicantur etiam ipsi interdicti, qui post similem monitionem non exeunt, quos omnes casus supra late exposuimus agentes de excommunicatione. Unde laicus nunquam fit irregularis immediate propter violationem interdicti, ut notavit Covarruvias, in cap. Alma, part. 1, § 1, num. 3, quia in jure non est expressum; et a fortiori patet ex supra dictis, quod clerici etiam ipsi, si ad divina concurrant non modo proprio clericorum, sed communi laicorum, non fiunt irregulares.

DISPUTATIO XXXV.

DE TERTIO EFFECTU INTERDICTI, QUI EST ECCLESIASTICÆ SEPULTURÆ, VEL INGRESSUS ECCLESIÆ PRIVATIO.

Tertius effectus interdicti, quem in superioribus supposuimus, est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, qui nunc superest declarandus; cum eo vero conjungimus alium, qui licet universalis non sit, interdum adjungi solet, et habet proportionem quamdam cum priori, quia per unum privatur vivus, ne Ecclesiam ingrediatur, per alium vero privatur defunctus, ne in eam inferatur. Utrumque ergo in hac disputatione expedimus.

SECTIO I.

Utrum omne interdictum generale loci privet ibi Ecclesiastica sepultura.

1. Hic effectus expressus est in jure; est autem singulis interdictis applicandus cum proportione illis accommodata, et moderationibus vel exceptionibus in jure ipso declaratis, quæ in interdicto generali loci plures sunt; et ideo de illo prius in particulari dicemus, et consequenter de aliis.

2. *Prima conclusio. — Etiam in infantibus habet locum conclusio.* — Dico ergo primo : per interdictum generale loci prohibitum est, ne aliquis in illo loco Ecclesiasticam sepulturam accipiat, nisi sint personæ, quæ a jure vel ab homine privilegium, seu exceptionem super hoc habeant. Conclusio est expressa in cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss., et sumitur ex cap. Cum et plantare, § Quod si, et cap. Ut privilegia, de Privilegiis, et cap. Episcoporum, eodem titulo, in 6, et Clementina 1 de Sepulturis. Ratio solum est, quia ita statutum est ob majorem rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ; et ut fideles magis gravati interdicto majori diligentia ejus causam tollendam procurent. Hoc autem adeo verum est, ut non solum adultis fidelibus, sed etiam infantibus baptizatis hujusmodi sepultura deneganda sit. Quia jura simpliciter, et absolute loquuntur; et hic actus æque locum habet in infantibus, ac in adultis, quia corpus, quod sepelitur, mere passive se habet, et ex parte ejus rationis actus non requiritur, et ideo quoad hanc prohibitionem æque sunt apta corpora infantium, ac adultorum. Imo hæc prohibitio ad ipsos viventes proprie refertur, eisque prohibet, ne in tali loco sepulturam alicui tradant; obligat ergo, ne infantibus etiam sepultura Ecclesiastica detur. In quo est magnum discrimen inter hanc prohibitionem, et aliam de audiendis officiis, quia illa requirit actum rationis; quod bene notavit Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 4, num. 5.

3. *Quid sit sepultura Ecclesiastica. — E loco interdicto possunt deferri corpora, et alibi sepeliri.* — Quid autem nomine Ecclesiasticæ sepulturæ intelligendum sit, diximus supra agentes de simili effectu excommunicationis. Addimus autem in assertione, per hanc censuram privari fideles Ecclesiastica sepultura *in tali loco,* quia simpliciter non prohibentur, quin suorum defunctorum corpora extra talem locum, ejusque confinia (juxta superius explicata disputat. 1) deferre possint, ibique Ecclesiasticæ sepulturæ illa tradere, ut explicatum satis est in aliis effectibus hujus interdicti. Ratio enim universalis est omnibus effectibus, scilicet, quia hæc censura non fertur in personas absolute, sed solum per respectum ad locum, qui interdicitur. Quod in hoc effectu, sicut in aliis intelligendum est, sistendo præcise in vi interdicti localis; nam quatenus in eos, qui culpam tali interdicto dederunt, efficaciam habet interdicti personalis, alia ratio et regula servanda est infra de interdicto personali tradenda, scilicet nullibi posse habere Ecclesiasticam sepulturam, ut clare colligitur ex cap. Si civitas, de Sent. excomm., et est communis sententia, tam ibi, quam in dicto cap. Quod in te, et apud Summistas, ac Theologos, qui hanc materiam attigerunt, dist. 18 et 22.

4. *Limitatio conclusionis. — Quantum se extendat clericorum privilegium circa hanc pœnam.* — Addimus præterea in conclusione

limitationem, quæ communis etiam est omnibus his effectibus interdicti, quæ fere eisdem verbis in juribus citatis et hic specialiter additur. Et in primis in cap. Quod in te, clerici ab hoc gravamine eximuntur, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, seu (quod perinde est) personaliter interdicti non sint, vel ob aliam causam, et per aliam legem sepultura privati sint; hic enim præcise fit exceptio ab interdicto locali. Requiritur etiam ibi, ut *servaverint interdictum,* quia non merentur tali privilegio gaudere, qui Ecclesiasticam censuram violarunt, maxime cum violatores interdicti, si clerici sint, hac pœna soleant puniri, juxta cap. Is cui, de Sentent. excomm. Existimo tamen intelligendum hoc esse de violatione interdicti clericorum propria; nam et textus loquitur de clericis, quatenus clerici sunt, et in materia pœnali verba sunt stricte interpretanda, et quia aliæ pœnæ jure impositæ clericis ob violationem interdicti semper intelliguntur de violatione clericorum propria, ut supra vidimus; hæc autem est veluti quædam pœna. Quamvis ergo clericus in loco interdicto in aliquo officio sacro contra interdictum facto ministerium exhibuisset, quod per laicum fieri posset, nihilominus hoc privilegio gauderet. Quo item gaudent omnes ordinati clerici a prima tonsura usque ad supremum Ordinem; omnes enim simpliciter clerici sunt, dummodo in eis aliæ conditiones concurrant necessariæ ad gaudendum communibus privilegiis clericorum, vel secundum jus commune, in cap. unico de Clericis conjugatis, in 6, vel secundum jus Concilii Trident., sess. 23, cap. 6, quod in superiori disputatione, sect. 2, explicuimus.

5. *Clerici conjugati non gaudent hoc privilegio nisi contraria vigeat consuetudo.* — Unde etiam fit, clericos conjugatos non gaudere hoc privilegio, quia solum gaudent privilegio fori et canonis *Si quis suadente,* et notarunt Covarruvias supra, et Navarrus, cap. 27, num. 173 et 174, qui hoc limitat, nisi contrarium habeat consuetudo præscripta in clericis conjugatis cum unica virgine, unde indicat generalem regulam, nimirum, quoties sic clerici conjugati licite admittuntur ad divina tempore interdicti ad modum aliorum clericorum, licite etiam sepeliri in loco sacro; quam regulam veram censeo, quia et est eadem ratio utriusque effectus, et quia illi, quoad hoc negotium interdicti, adhuc manent et computantur in clericorum numero. Præterea non gaudent hoc privilegio degradati seu realiter depositi, quia inter clericos non computantur; quod secus erit, si depositio sit tantum verbalis, quia hæc non tollit privilegia, ut supra vidimus.

6. *Gaudent hoc privilegio omnes personæ Ecclesiasticæ.* — Comprehenduntur vero nomine clericorum omnes personæ Ecclesiasticæ, quæ licite divinis intersunt, et suo modo illa celebrant tempore hujus interdicti, de quibus supra dictum est; et usus ipse ac consuetudo ita explicare videtur hoc privilegium. Et ratio etiam id exigit; nam, si in his, quæ spectant ad rigorosam observationem interdicti, clericorum nomine omnes hæ personæ comprehenduntur, etiam in hoc favore comprehendi debent.

7. *Limitatur prædictum quatuor conditionibus.* — *Prima conditio.* — Tandem additur ibi moderatio servanda in usu hujus privilegii. Et requirit quatuor conditiones: prima, ut sepultura detur in *cœmeterio Ecclesiæ;* unde non videtur concedi, ut intra Ecclesiam sepeliri possint; non enim sine causa fit illa loci specificatio. Nam cum omnis locus sacer esset denegatus ex vi interdicti, et solum concedatur minus nobilis, et accessorius locus, non videtur concedi principalis, sed potius tacite denegari. Unde etiam est regula Juristarum superius tacta, nomine Ecclesiæ comprehendi cœmeterium, non vero e contrario, quia accessorium sequitur principale, et non e contrario. Hæc vero interpretatio, quamvis appareat rigori verborum consentanea, nimis tamen rigorosa existit. Estque difficile creditu solum illum locum concedi clericis in sepulturam, qui minus decens videtur statui et dignitati eorum; et ideo fortasse nomine cœmeterii significatus est omnis locus aliquo modo sacer ad fidelium sepulturam destinatus; nam quia olim frequentius sepeliri solebant fideles in cœmeteriis, ideo ex frequentiori usu omnis locus Ecclesiasticæ sepulturæ sub illa voce comprehensus est. Atque hæc interpretatio sicut favorabilis est, ita communiter recepta videtur. Et fundari optime potest in Clementina 1 de Sepulturis.

8. *Secunda conditio.* — *Dubium deciditur.* — Secunda conditio est, ut fiat sine pulsatione campanarum. In qua idem servandum est, quod supra in simili adnotavimus de divinis officiis. Tertia, ut fiat cessantibus solemnitatibus omnibus. Quod intelligendum est de solemnitatibus Ecclesiasticis, quibus

divina officia peragi, et corpora mortuorum deferri solent; nam alia, quæ pertinent ad humanum honorem, non pertinent ad prohibitionem interdicti. Quarta est, ut cum silentio tumulentur. Circa quam dubitari potest, an prohibeatur non solum cantus, sed etiam Psalmorum, aut officii mortuorum recitatio. In quo distinguendum censeo vel ex vi illius juris, vel ex vi capituli Alma. Item de recitatione officii intra Ecclesiam, vel per viam cum defertur corpus defuncti, aut cum in cœmeterio tumulatur. Ex vi ergo illius juris videtur quidem prohiberi non solum cantus, sed etiam omnis publica recitatio Ecclesiastici officii submissa voce facta, qualis nunc permittitur ex cap. Alma; hoc enim in rigore significat verbum illud, *Sub silentio;* quando enim jura volunt concedere celebrationem Ecclesiastici officii, non utuntur verbis similibus, sed expresse concedunt, ut possint divina officia dici voce submissa; hic autem omnino silentium postulatur.

9. *Pro clerico sepeliendo quævis officia intra Ecclesiam fieri possunt. — Pro laicis mortuis Missæ dici possunt tempore interdicti.* — Quapropter ex vi hujus concessionis non posset dici Missa, nec responsoria cum vestibus sacris, et solemni aspersione aquæ benedictæ, etc. Tamen supposita concessione cap. Alma, licite possunt intra Ecclesiam dici Missæ, et quælibet alia officia sacra pro defuncto clerico sepeliendo, cum circumstantiis ibi requisitis; quia ex vi illius juris possunt quælibet officia divina celebrari illo modo in Ecclesia generatim interdicta; ergo et Missæ, et officium defunctorum; ergo, conjungendo simul hæc duo jura, poterit clericus sepeliri cum hujusmodi officio. Et eadem ratione in illis festivitatibus, in quibus ibidem conceditur cum tota solemnitate divina officia celebrare, licebit etiam cum eadem officium mortuorum dicere in sepultura clerici, quia, licet ex vi cap. Alma, sepultura non liceat, ut statim dicemus, tamen supposita concessione sepulturæ, alio jure facta, licitum est adjungere officium, vel solemnitatem in alio jure per se concessam; unde quoad partem derogatum est illud jus antiquum per hoc novum. Sicut etiam censeo, licet nunc non liceat sepelire laicos in loco sacro tempore interdicti, licere tamen pro eis Missas, et officia divina facere cum moderatione cap. Alma, quia illa concessio generalis est de omnibus divinis officiis, et pro quacumque causa justa, vel persona non excommunicata.

10. *Nec per viam in deferendo corpore, nec in cœmeterio possunt recitari officia vel Psalmi.* — Hinc vero colligo, non licere hoc divinum officium, vel Psalmos alternis choris Ecclesiastico more dicere per vias deferendo corpus defuncti; neque etiam in cœmeterio, dum sepelitur, sepulturam benedici, etc., si cœmeterium sit apertum et publicum, ita ut januis claudi non possit. Ratio est, quia ex vi dicti cap. Quod in te, hoc est prohibitum, et per cap. Alma, non est concessum, quia non possunt servari conditiones requisitæ ad divina officia facienda, præcipue illa, quod fiant januis clausis. Item, quia est contra finem, ob quem illæ conditiones requiruntur, scilicet, ut officia illa a personis prohibitis non audiantur; illæ enim nullo modo vitari poterunt, moraliter loquendo, si per vias, vel in cœmeterio publico talia officia dicantur. Intelligendum autem hoc est de Ecclesiasticis officiis, quæ a clericis publico ritu dici solent, ut supra declaravimus; nam preces privatæ, quæ a laicis dici possunt, recitari tunc poterunt, quia non sunt prohibita tempore interdicti. Si tamen intra Ecclesiam corpus sepelitur, juxta opinionem probabilem supra positam, tunc licebit quælibet officia divina facere cum moderatione cap. Alma, dum corpus traditur Ecclesiasticæ sepulturæ. Atque tota hæc doctrina consentanea est his, quæ tradunt D. Anton., in tract. de Interdict., et Sylvest., verb. *Interdictum,* 5, quæst. 8, et alii.

An privilegium per verba generalia concessum comprehendat hunc effectum Ecclesiasticæ sepulturæ.

11. *Pars affirmans.* — Ultimo addimus dictam limitationem propter alia privilegia specialia, quæ super hoc concedi possunt, et solent. De quo, quia ad factum spectat, solum possumus admonere, ut unusquisque consulat sua privilegia, et verba illorum, atque id servet, ut intelligat, quid sibi concessum sit. Inquiri autem posset, quis valeat hujusmodi privilegium concedere, et specialiter de Episcopo; nam de Summo Pontifice nullum est dubium; sed de hoc dicemus commodius infra agentes de suspensione interdicti. Circa verba autem ipsorum privilegiorum dubitari solet, an si per generalia verba concedatur alicui, ut possit interesse divinis officiis, censeatur concessa Ecclesiatica sepultura; et similis quæstio est, an ex vi

cap. Alma, liceat in dictis festivitatibus ibi privilegiatis corpora laicorum sepelire publico, et solemni ritu. Videtur enim in utroque dubio affirmandum esse; quia sepultura Ecclesiastica est unum ex divinis officiis; ergo comprehenditur sub generali concessione, maxime cum favores ampliandi sint. Atque hanc sententiam in utroque casu proposito tenuit Angelus, verb. *Interdictum*, num. 35 et 36, secutus Calderinum; idem Sylvester, verb. *Interdictum*, 5, quæst. 2 et 8. Et fundatur primo, quia sepultura Ecclesiastica præcipue prohibetur ratione divini officii; et ideo postquam divinum officium permissum est, etiam sepultura Ecclesiastica censetur permissa. Secundo, quia cui communicamus vivo, possumus etiam communicare defuncto, argumento cap. A nobis, 2, de Sententia excomm.; ergo cum vivens admittitur ad divina officia, ei consequenter conceditur, ut post mortem habeat Ecclesiasticam sepulturam.

12. *Occurritur objectioni.* — Quod si objicias, sequi ex hac sententia, licere nunc sepelire tempore interdicti fideles quibuscumque diebus, cum moderatione cap. Alma, quia si divina officia cum illa permittuntur, etiam permittetur Ecclesiastica sepultura, juxta primum fundamentum hic positum. Respondebunt negando consequentiam, quia licet divina officia clericis permittantur, tamen ex vi cap. Alma, non permittitur laicis eis interesse; et ideo nec post mortem eis conceditur Ecclesiastica sepultura, quia quibus non communicamus vivis, nec communicamus defunctis. At vero si privilegium habeant audiendi divina, jam cum eis communicatur vivis; et ideo quocumque die poterunt in loco sacro sepeliri, servatis conditionibus cap. Alma mater. Hæc sententia, ut Covarruvias dixit, est benigna; in rigore tamen juris non videtur vera.

13. *Sententia negans præfertur.* — *Nomine officii divini non comprehenditur sepultura Ecclesiastica.* — Dicendum ergo censeo, relaxationem, vel suspensionem interdicti, vel privilegium, si sit præcise ad audienda divina, ex vi verborum non extendi ad Ecclesiasticam sepulturam. Hæc est communior sententia Juristarum cum Glossa, in Clementina 1 de Sepulturis, in princip.; et Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 5, num. 6, eam sequi videtur, licet non omnino constanter; eamdem tenet Maiolus, lib. 3 de Irregularitate, cap. 23, num. 8. Ratio præcipua est, quia hi tres effectus privationis sacramentorum, divinorum officiorum, et sepulturæ Ecclesiasticæ, distincte numerantur in jure, cap. Si civitas, de Sentent. excomm., et cap. Episcoporum, de Privilegiis, eodem libro. Unde constat esse distinctos, et in rigore verborum unum sub alio non comprehendi; ergo nullum est fundamentum, ut privilegium, vel legem quantumvis favorabilem ab uno ad alium extendamus, quia ampla beneficii interpretatio contineri semper debet sub verborum proprietate. Præterea falsum est, sepulturam sacram ut sic contineri sub divino officio, aut solum propter divinum officium prohiberi; ergo licet quis admittatur ad divina officia, non propterea ei conceditur Ecclesiastica sepultura. Consequentia est clara, quia si illa sunt diversa, et unumquodque per se prohibetur, et non unum dependet ab alio, restitutio unius, nec formaliter, nec virtute est restitutio alterius; sicut in superioribus dicebamus, concesso usu sacramentorum, non concedi divina officia, neque e converso, nisi ubi est aliqua connexio. Antecedens vero patet quoad priorem partem, quia sepultura sacra nihil aliud est, quam participatio loci sacri post mortem; officium autem divinum consistit in aliqua publica oratione, vel sacrificio, vel cæremoniis ejus. Et patet etiam e contrario, quia si quis esset prohibitus a divinis officiis, et in jure non esset expressum, non esset ideo privatus Ecclesiastica sepultura; sicut nunc qui est interdictus a divinis officiis, non est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quia hæc sunt diversa, et non necessario connexa; ergo et e contrario, qui ad unum restituitur, non propterea restituitur ad aliud. Denique utrumque videtur in jure expressum; nam in cap. Quod in te, de Pœnit. et remiss., admittuntur clerici ad Ecclesiasticam sepulturam, sine divino tamen officio ex vi illius textus, ut supra declaravi; et ita constat, Ecclesiasticam sepulturam per se concedi absque divino officio. E contrario vero in cap. Cum et plantare, § Quod si, de Privilegiis, permittuntur divina officia in Ecclesia interdicta per quoddam privilegium; negatur tamen nihilominus Ecclesiastica sepultura. Et ita etiam constat, sepulturam non tantum propter divinum officium, sed per se negari; imo etiam constat, sub concessione divinorum officiorum non comprehendi Ecclesiasticam sepulturam; falsum ergo est solum propter officia prohiberi.

14. *Occurritur objectioni.* — Dices : prohibito alicui ingressu Ecclesiæ, prohibentur divina officia in Ecclesia, cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6; ergo et e contrario, si alicui conceduntur divina officia in Ecclesia, conceditur etiam ingressus in Ecclesiam; ergo si alicui conceditur participatio divinorum officiorum in Ecclesia, etiam post mortem eidem conceditur ingressus in Ecclesiam et permanere in illa, etiam post mortem, quod fit per sepulturam sacram. Respondetur, committi æquivocationem in illatione; nam in primis aliud est loqui de præsentia, aliud de participatione divinorum officiorum; participant enim etiam absentes de fructu sacrificii, vel divini officii, si pro eis offeratur, seu dicatur. Unde non solum quicumque laici non privilegiati, sed etiam interdicti, si excommunicati non sint, possunt esse participes sacrificiorum, et divinorum officiorum, licet eis interesse non possint. Non ergo recte fit illatio a participatione ad præsentiam; et ideo non est simile, quod affertur; nam cui conceditur celebratio vel assistentia divini officii in Ecclesia etiam conceditur ingressus, quia necessario præsupponitur; quando vero conceditur absoluta celebratio divinorum officiorum in tali loco, vel pro tali defuncto, non propterea conceditur illi sepultura in tali loco, quia hæc non necessario præsupponitur, ut per se notum est. Unde sæpe aliquis habet jus, ut pro ipso dicatur officium post mortem in aliquo loco, non tamen ut ibi sepeliatur.

15. *Ad dicendum officium, vel Missam pro quovis non requiritur privilegium. — Coram cadavere privilegiati possunt sacra celebrari.* — Ex quo etiam certum esse censeo, ad dicendum nunc officium, vel sacrificium offerendum pro quocumque defuncto non excommunicato nullum privilegium esse necessarium, cum tamen ad admittendum illum ad sepulturam necessarium sit. Ratio est, quia illa oblatio, vel participatio non est prohibita ex vi interdicti. Addo vero non esse improbabile, quod ex vi privilegii audiendi divina officia, possit corpus alicujus post mortem ad Ecclesiam deferri, ut in ejus præsentia exequiæ, et divina officia dicantur, dummodo illis finitis extra locum sacrum sepeliatur. Et in dicendis officiis servetur moderatio cap. Alma, extra illas festivitates privilegiatas; nam in illis poterunt talia officia publice, et de more fieri. Imo in illis diebus absque alio privilegio poterit hoc fieri cum quolibet defuncto non excommunicato, quia si esset vivus, posset admitti ad divina officia, et post mortem ex vi illius præsentiæ ad hoc tantum quodammodo admittitur, et non ad Ecclesiasticam sepulturam.

16. *An possint coram non privilegiati cadavere.* — Quin etiam dici potest, semper posse fieri non obstante interdicto, cum quocumque fideli non excommunicato, absque alio privilegio, servata ex parte divinorum officiorum moderatione cap. Alma, quia corporalis præsentia cadaveris ad divina officia nullibi prohibita est ex vi interdicti, sed sola Ecclesiastica sepultura, quæ est res diversa, et separabilis ab altera. Sub prohibitione autem, per quam laici excluduntur a divinis, non videtur contineri, quod defunctorum corpora non possint in Ecclesiam deferri, ut illis præsentibus officia dicantur, quia ut supra dicebamus de infantibus, ibi solum prohibetur præsentia humana, quæ includat actum rationabilem, qui per verbum audiendi divina indicatur, cujus capax non est corpus defuncti. Est ergo hoc probabile, mihi tamen dubium, tum propter usum, tum etiam quia saltem per quamdam analogiam illa censetur quædam præsentia humana eo modo quo ille censetur idem homo; et ad moralem æstimationem, quæ in his rebus maxime consideratur, multum valet hæc analogia, et communis apprehensio; tamen supposito privilegio, videtur tolli omne dubium.

17. *Explicatur axioma : Cui communicamus vivo, etiam possumus communicare defuncto.* — Atque hinc constat, quam vim possit habere in præsenti illud axioma : *Cui communicamus vivo, etiam possumus communicare defuncto;* et in quo sensu male applicetur. Ad concludendum ergo id, quod alia opinio intendit de sepultura Ecclesiastica, non recte applicatur, quia debet intelligi respectu earumdem rerum, et supposita capacitate; nam a diversis non fit illatio, hæc autem tria distincta, et diversa prohibentur; et ideo licet in uno, id est in officiis divinis communicemus vivo, non sequitur in alio, id est, in sepultura communicare defuncto; sicut nec sequitur, cum eodem vivo si communicamus in officiis, communicare in sacramentis, nisi utrumque concedatur; item alicujus communicationis est capax homo vivus, cujus non est capax defunctus, et e converso. In auditione enim officiorum non communicat defunctus, nec in sepultura communicat vivus, nisi quatenus jus, vel facultas illius homini,

dum vivit, conceditur, ut illa post mortem utatur; et hoc privilegium fuisset in præsenti necessarium. Solum ergo potest inferri ex illo principio, eum, qui dum vivit, habet privilegium sepulturæ, posse illo post mortem gaudere, vel etiam admitti potest juxta dicta, eum, qui habuit privilegium assistendi divinis officiis, etiam post mortem posse suo modo eis interesse, dummodo sepulturæ Ecclesiasticæ non tradatur, quamvis hoc fortasse non sit in usu, quia non multum curant homines de illa funerali præsentia, si corpus non est dandum Ecclesiasticæ sepulturæ. Et per hæc satis responsum est ad fundamenta contrariæ sententiæ.

18. *Advertendum.* — Solum superest advertendum, hæc omnia procedere, quando privilegium loquitur in particulari de divinis officiis, seu auditione illorum; nam si generalius concedat tali personæ ut admittatur ad divina, illa sane videtur generalior suspensio interdicti quoad omnes effectus ejus, respectu talis personæ. Cujus argumentum sumo ex c. Si sententia, de Sententia excommunicationis, ibi : *Uno interdicto ipsorum alius licite admittitur ad divina,* id est, alius interdictus non est; per illa ergo verba significatur exclusio, vel suspensio (juxta subjectam materiam) omnium effectuum interdicti.

De pœna, et culpa violantium interdictum quoad sepulturam Ecclesiasticam.

19. *De pœna.* — Ultimo (ne specialem quæstionem de hoc facere oporteat) addendum est, gravem pœnam esse in jure ipso impositam his, qui interdictum violant quoad hunc effectum, quod est sufficiens indicium illam esse gravem culpam. Prior pars constat ex Clementina 1 de Sepulturis, ubi excommunicatio ipso jure fertur in eos, qui in loco interdicto aliquem sepeliunt. Quam censuram attigi supra disputatione 23, sectione 5, et latius disputatione 12, sectione 4, ubi eamdem pœnam declaravimus, prout incurritur sepeliendo excommunicatum in loco sacro; nam eadem est ratio de utroque casu; neque hic aliquid addendum occurrit, cum eisdem omnino verbis censura illa in utroque casu feratur.

20. *De culpa.* — Præter hanc pœnam non invenio aliam ipso jure latam propter hanc transgressionem; nam si clerici propriam operam in tali funere exhibeant, proprium munus alicujus Ordinis exercendo, irregulares fient, non tamen propter sepulturam, sed propter executionem Ordinis contra interdictum, quæ est alia specialis culpa; propter sepulturam ergo non est alia pœna ipso jure lata; illa vero sufficit ad indicandam culpam mortalem in hac transgressione (quæ erat altera pars proposita), quia excommunicatio major non imponitur propter leviorem culpam. Est autem hæc culpa adeo gravis, non propter excommunicationem, sed potius quia ipsa tam gravis est, ideo est digna excommunicatione; est ergo gravis culpa, quia est in materia gravi, et contra absolutam Ecclesiæ prohibitionem; crescit tamen ex majori contumacia, quando additur excommunicatio.

21. *Mortuus sepultus non incurrit hanc pœnam. Et ideo non est exhumandus.* — Denique advertendum est, hanc pœnam solum referri ad vivos, quia in eis tantum est culpa; mortuus enim, qui sepelitur, per se non est particeps ejus; et ideo non est dignus participatione pœnæ. Ex quo infero, si de facto in loco sacro fideles sepeliantur, sive bona, sive mala fide sepelientium, non esse exhumandos, sed ibi relinquendos, quod docuit Angelus, *Interdictum,* 6, num. 33, et alii. Potest autem dupliciter intelligi : primo, si auferatur interdictum, non esse exhumandos; et hoc per se notum est, quia jam tunc sublatum est impedimentum, ut dixit Glossa cum Innocentio, in cap. Si civitas, de Sentent. excomm., in 6, verb. *Sepeliri.* Nam tunc etiamsi qui fideles propter interdictum sepulti essent extra locum sacrum, ad illum essent transferendi, ut etiam dixit Glossa cum Innocentio, et Hostiensi, in dicta Clementina 1, verbo *Eis,* de Sepulturis. Alio modo potest intelligi, quod etiam durante interdicto exhumandi non sunt; et in hoc etiam sensu credo id esse verum. Tum quia Ecclesia solum prohibet actum sepeliendi, non vero effectum, seu terminum ejus, postquam jam est factus; non enim prohibet fidelium corpora semel sepulta in loco sacro, in eo manere, licet interdictus sit, dummodo personæ ipsæ non fuerint speciali censura affectæ; de quo infra videbimus. Unde licet factum illud sepeliendi male factum fuerit, factum tamen tenet; neque est ulla lex, quæ obliget ad irritandum illud, ut sic dicam, corpus sepultum exhumando; unde cum materia sit odiosa, benignius accipienda est.

22. *Respondetur objectioni.* — Sed contra, quia eadem ratione personæ prohibitæ semel ingressæ, et admissæ ad audienda divina

tempore interdicti, non essent postea excludendæ, quod est aperte falsum. Item prohibito antecedente, prohibetur id quod est consequens, argum. cap. Is cui, de Sentent. excomm., in 6. Quæ ratio etiam in præsenti procedit. Respondetur negando consequentiam, quia audire, vel assistere divinis est actus habens (ut inquiunt) tractum successivum, qui continue durat, et in quo continue peccatur, quamdiu divina fiunt; et ideo semper vitandus est ille actus, et expellenda persona prohibita, quoties actus interrumpi, et persona excludi potuerit. At vero sepultura Ecclesiastica non est hujusmodi; actio enim illa sepeliendi in loco sacro, quæ prohibita est, non tamdiu durat, quamdiu corpus sepultum manet; et in hoc sensu non habet tractum successivum pro toto illo tempore, sed finitur consummato effectu. Et ideo lex, quæ illum actum prohibebat, jam non obligat, cum jam non duret actio, quam prohibet, et alias non præcipiat effectum revocari.

23. *Explicatur axioma, prohibito antecedente, prohiberi consequens.* — Illud autem axioma, prohibito antecedente prohiberi consequens, est verum secundum modum dependentiæ consequentis ab antecedente; nam si illa sit dependentia ab actione, seu re prohibita continue durante, seu in conservari, ut aiunt, tunc semper est prohibitum consequens ratione antecedentis. Tamen si dependentia tantum sit in fieri, et transacta actione maneat terminus, tunc non est semper prohibita permanentia termini in se, sed solum in antecedente, id est in actione, ne fiat; tamen si semel fiat, non prohibetur permanere; ut prohibita fornicatione, in illa prohibetur habere filium ex illa genitum; tamen si semel ita generatus sit, non est prohibitum habere illum, aut præceptum, illum de medio tollere. Sic ergo est in præsenti, idemque est quoties vel in ipso termino non manet aliquid deforme, vel contra rationem, ut est habere rem alienam in furto, vel nisi in ipsa lege aliud expressum sit; neutrum autem reperitur in præsenti, ut declaratum est; et alioqui habet nescio quid inhumanitatis, vel rigoris, exhumare corpus defuncti, ceditque in ignominiam, vel dedecus ejus, censebiturque moraliter non parva pœna illius; et ideo ubi a lege non exprimitur, a nobis adjungenda non est.

SECTIO II.

Quomodo interdictum speciale loci privet ibi Ecclesiastica sepultura.

1. Ex dictis facile erit hunc effectum in speciali loco interdicto declarare; nam ad illum fere omnia dicta accommodanda sunt, paucis animadversis. Etenim jura superius citata, quæ de hoc effectu loquuntur, in communi de interdicto locali, et non de solo generali mentionem faciunt; imo in cap. Si civitas, versic. *Ratione,* de Sententia excommunicationis, in 6, videtur esse in particulari sermo de interdicto speciali alicujus Ecclesiæ. Et ratio a fortiori procedit, quia non minus prohibetur locus specialiter interdictus; solum enim differunt in extensione quoad terminos loci, non vero quoad effectus. Imo in hoc excedit interdictum speciale, quod in eo non habent locum aliqua privilegia concessa tempore interdicti generalis, præsertim moderatio cap. Alma, ut supra visum est.

2. *An privilegium clericis concessum in cap. Quod in te, locum habeat in speciali interdicto. — Prima opinio. — Secunda opinio.* — Quo fit, ut licet alia, quæ diximus de interdicto generali, in speciali locum habeant, illud nihilominus dubium maneat, quod spectat ad privilegium clericorum concessum in cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., an scilicet ad interdictum speciale extendi debeat. Nam ille textus loqui videtur de interdicto generali; et ideo extendi non debet ad speciale, in quo non est eadem necessitas, aut ratio, ut supra in simili dictum est. Atque ita sentit Joannes Andreas. Oppositum vero absolute docuit Hostiensis; fundatur enim in proportione inter generale, et speciale interdictum, quia non plus unum operatur in suo loco, quam alius in suo; et ideo specialis sub generali continetur tanquam pars sub toto. Quod fundamentum mihi non probatur, propter contrariam rationem tactam, et latius explicatam circa moderationem cap. Alma.

3. *Tertia opinio.* — Alii ergo distinctione utuntur cum Panormitano ibidem; nam clerici (inquiunt) Ecclesiæ specialiter interdictæ poterunt in ea sepeliri; non vero alienus clericus, seu alterius Ecclesiæ. Et hanc opinionem sequitur Covarruvias, dicta relect., part. 2, § 2, num 7, et Sylvester, *Interdictum,* 3, quæst. ult., qui addit, si in illo loco non sit

alia Ecclesia, nisi interdicta, tunc posse in ea sepeliri clericum peregrinum vel alterius Ecclesiæ ibi defunctum, quamvis ipse non expresse loquatur de clerico peregrino alterius Ecclesiæ, sed de illis clericis, qui alias Ecclesias non habent. Sed est eadem ratio de omnibus, vel quia moraliter non possunt deferri ad propria loca, vel quia secundum præsentem statum quoad usum rerum sacrarum æstimantur tanquam incolæ illius loci. Addit etiam, si contingat plures esse Ecclesias, et omnes esse specialiter interdictas, non oportere illa distinctione uti, sed quemlibet clericum cujuslibet Ecclesiæ illarum, posse in qualibet earum sepeliri, quia non magis violatur interdictum uno modo, quam alio.

4. *Interdictum speciale potest æquivalere generali, vel in ratione specialis manere.* — Ex hac vero doctrina Sylvestri, quæ probabilis est, colligere possumus distinctionem aliam fortasse magis accommodatam, scilicet contingere posse interdictum speciale quoad hunc effectum æquivalere universali, vel permanere omnino in ratione particularis. Prior modus erit, si contingat omnes Ecclesias civitatis esse specialiter interdictas cum omnibus cœmeteriis ad fidelium sepulturam destinatis, vel si una tantum sit Ecclesia in populo, et illa sit interdicta; in his enim casibus perinde se habent clerici quantum ad carentiam loci sacri, in quo sepeliantur, ac si interdum esset generale. Posterior autem modus erit, si in populo sint plures Ecclesiæ, et una tantum vel altera sit interdicta. In hoc ergo posteriori casu nulli clerici sive alterius, sive ejusdem Ecclesiæ, possunt licite sepeliri in tali Ecclesia interdicta, quia cap. Quod in te, expresse loquitur de interdicto generali; unde ex vi formalium verborum non comprehendit speciale. Et alioqui nulla est probabilis causa, vel ratio extendendi concessionem illam ad illum casum, quia sunt alia loca sacra in quibus facile possunt clerici tunc sepeliri; cur ergo concedetur eis, ut in loco interdicto sepeliantur? At vero in priori casu probabiliter fit extensio hujus privilegii ad tale interdictum, quia licet non comprehendatur sub verbis formalibus illius decreti, comprehendi tamen videtur sub intentione Pontificis; voluit enim, ut omnino possent clerici tempore interdicti in loco sacro sepeliri; ergo cum in prædicto casu moraliter non possint, verisimile est Pontificem sub voluntate et conceptione sua casum illum comprehendisse; satisque ad hoc esse, quod interdictum illud virtute, seu reductive, generale sit quoad hoc impedimentum.

5. *Satisfit objectioni.* — Dices : ergo simili modo posset extendi concessio c. Alma; videtur enim esse eadem ratio, quod tamen simpliciter est a nobis negatum in superioribus. Respondetur, fortasse id non esse magnum inconveniens, si res fuisset usu et auctoritate Doctorum comprobata; quia tamen non ita est, nolumus rem novam introducere, et negamus similitudinem rationis. Nam in cap. Alma, non conceditur privilegium in gratiam aliquarum personarum, sed propter commune Ecclesiæ bonum, ut in principio ejusdem textus dicitur, ideoque adhibetur moderatio ipsi interdicto generali, quæ ad prædictum finem visa est sufficiens, quia interdicto speciali regulariter non est necessaria. Et quod in aliquo raro casu esse possit vel necessaria, vel valde conveniens, non consideratur a lege. At vero in cap. Quod in te, conceditur privilegium in favorem clericorum, ut patet ex illis verbis, *Concedimus tamen ex gratia, ut clerici,* etc., et per se non consideratur, quod interdictum sit generale, nisi quatenus per illud interdicuntur omnia loca, et clerici constituuntur in necessitate hujus concessionis; et ideo quoties interdictum eumdem effectum habuerit, seu clericos in tali necessitate constituerit, generale quoad præsentem effectum judicabitur. Et ideo tunc sepeliri poterunt in tali loco quicumque clerici, sive ejusdem, sive alterius Ecclesiæ, quia privilegium in hoc nihil distinguit. Cætera, quæ de generali interdicto diximus, ad speciale applicanda sunt.

SECTIO III.

An personale interdictum privet Ecclesiastica sepultura.

1. *De personali speciali.* — *Qui causam interdicti dederunt, censentur specialiter interdicto.* — Secundo etiam constat ex dictis, quid dicendum sit de interdicto personali. Nam si illud speciale sit, sine dubio privat personam interdictam Ecclesiastica sepultura, Clementina 1 de Sepulturis, ibi, *Vel nominatim interdictas.* Et ibidem habetur in cap. Episcoporum, de Privilegiis, in 6, a qua lege communi non excipiuntur clerici per cap. Quod in te, quia in eo solum est sermo de interdicto locali, et de personis alias non prohibitis; nam privilegium illud solum res-

picit et moderatur loci prohibitionem respectu clericorum. Si autem ipsi propriam et personalem interdictionem habeant, hæc non tollitur quantum ad hunc effectum ex vi illius concessionis. Unde si clericus culpa sua fuit causa, ut interdictum locale poneretur, non poterit etiam illo privilegio frui, quia tunc est personaliter interdictus, ut supra declaravimus. Et ideo in similibus concessionibus semper intelliguntur exceptæ personæ, quæ dederunt causam interdicto, ut in superioribus visum est, et ex eodem textu fit optima conjectura; nam ibi excipiuntur clerici, qui non servaverunt interdictum, ut illo privilegio non fruantur; ergo multo magis intelliguntur excepti, qui causam interdicto dederunt; et in universum qui personaliter ac specialiter interdicti sunt.

2. *De interdicto generali personali. — Persona non interdicta nominatim non est privanda Ecclesiastica sepultura. — Respondetur primæ objectioni.* — Addunt vero aliqui, etiam hæc habere locum in interdicto generali personali, argumento cap. Si sententia, de Sententia excomm., in 6, ubi hoc interdictum generale singulas personas ligare dicitur. Verumtamen ille textus posset in contrarium retorqueri, quia dicit personas sic ligatas hoc interdicto generali non posse alicubi audire divina vel Ecclesiastica recipere sacramenta. Unde cum hi duo effectus specialiter exprimantur, et tertius taceatur, videtur indicari, interdictum generale non habere hunc effectum in personis sic tantum interdictis. Accedit, quod in Clementina 1 de Sepulturis, ubi excommunicatio fertur contra violantes interdictum, quoad hunc effectum, de interdicto personali solum dicitur : *Aut nominatim interdictis;* ubi Glossa advertit, ex illo textu, et ex similibus colligi, posse personam interdictam non nominatim, in loco sacro sepeliri, dummodo locus ipse interdictus non sit. Quod etiam confirmat cap. Ut privilegia, de Privilegiis, ibi : *Nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti;* et alia jura, quæ in prædicta Glossa citantur. Unde quod dicitur in cap. Episcoporum, de Privilegiis, in 6, de excommunicatis, et interdictis, respectu sepulturæ sacræ, intelligendum videtur de interdictis specialiter, quia ibi non conditur novum jus quoad effectus interdicti, sed solum quoad novam pœnam quibusdam transgressoribus impositam; et ideo illud jus intelligendum videtur juxta antiquiora, quæ solum loquuntur de nominatim interdictis. Hæc ergo sententia etiam de jure antiquo videtur mihi valde probabilis, quamvis cap. illud Episcoporum, rem possit facere dubiam. Jure autem novo Extravagantis *Ad evitanda,* existimo auferri omne dubium, quia nisi persona sit nominatim interdicta, non est privanda Ecclesiastica sepultura, ut constat ex generali concessione illius Extravagantis supra explicata. Nec satis esse censeo, quod populus sit nominatim interdictus, quia illa nominatio est valde generalis respectu singularum personarum talis populi. Dices : in dicta Extravagante solum postulatur, ut interdictum sit latum contra certam personam, collegium aut universitatem. Respondeo, id esse intelligendum respective; nam ut servetur respectu collegii vel universitatis, ut sic, sufficit, quod collegium vel universitas sit nominatim interdicta; ut vero servetur respectu singularum personarum, oportet, ut singulæ sint nominatim interdictæ; et ita ex illo textu potius sumitur argumentum in contrarium.

3. *Respondetur secundæ.* — Dices : ut interdictum locale servandum sit, satis est, quod contra certum locum sit generaliter latum nominatim. Respondeo, licet illud interdictum dicatur generale propter amplitudinem loci respectu specialis, tamen revera omnino ferri circa rem determinatam et particularem, quæ solum includit partialia loca, tanquam partes integrantes totum locum interdictum, qui proprie non est aliquod totum collectivum, sed singulare determinatum constans ex multis partibus, sicut aliæ res corporales. At vero interdictum generale populi, licet respectu totius communitatis sit satis determinatum, non vero respectu singularum personarum, quia illud totum est collectivum tantum, et ideo valde confusum, et tanquam generale quid respectu singularium.

4. *Respondetur tertiæ. — Duplex differentia notanda.* — Dices tandem : ergo neque in sacramentis ministrandis, neque in admittendo ad divina officia tenebimur vitare personas generatim interdictas, quia per tale interdictum nunquam nominatim interdicuntur. Respondeo concedendo sequelam. Est tamen differentia, quod in aliis effectibus hoc non habet locum jure antiquo; quod tamen valde probabile est de effectibus Ecclesiasticæ sepulturæ; et ideo nunc simpliciter hoc certius est de hoc effectu, quam de aliis. Aliud discrimen est, quod in aliis effectibus ipsi personaliter interdicti tenentur sese a

divinis separare, quia per Extravagantem *Ad evitanda,* nullos favor eis fit, et alioqui talis prohibitio directe in eos cadit, et inde potest redundare in alios saltem per modum vitandi cooperationem, juxta dicta superius circa eamdem Extravagantem. In hac vero privatione Ecclesiasticæ sepulturæ nulla prohibitio directe pertinet ad ipsum defunctum, ut per se constat. Et ideo si ex parte vivorum cessat prohibitio, talis effectus nullum locum habet ex vi solius interdicti generalis, donec persona sit nominatim interdicta.

5. *De culpa et pœna violantium interdictum personale quoad sepulturam Ecclesiasticam.* — Atque hinc tandem facile constat, quid dicendum sit de culpa et pœna violantium interdictum personale quoad hunc effectum; nam in dicta Clementina 1 de Sepulturis, manifeste extenditur excommunicatio ibi lata ad eos, qui personas nominatim interdictas scienter sepelire præsumunt. Unde manifestum est ibi intervenire peccatum mortale. Qui autem sepeliunt personam tantum generatim interdictam, sine dubio non incurrunt illam excommunicationem, etiam seclusa Extravag. *Ad evitanda,* quia proprie et in rigore non potest dici persona, quæ sepelitur, nominatim interdicta, propterea quod populus ejus sit nominatim interdictus. Quod vero in eo actu non peccetur mortaliter, non colligitur ex illo textu, quia poterat esse peccatum, et non puniri excommunicatione; sequitur tamen probabiliter, præsertim conjungendo alia jura, ut vidimus; et maxime nunc post Extravagantem *Ad evitanda,* credimus in eo actu nullam esse culpam.

6. *Personale interdictum speciale non inducit hanc pœnam in personam non nominatim interdictam.* — Notandum vero ulterius est, etiamsi interdictum personale sit speciale, non incurri hanc excommunicationem, si persona non sit per judicem specialiter et nominatim interdicta, seu declarata, ut patet tam ex dicta Clementina 1, quam ex Extrav. *Ad evitanda.* Est tamen differentia, quia, stando in jure antiquo, licet non incurreretur excommunicatio in eo casu, nihilominus grave esset peccatum, personam specialiter interdictam in loco sacro sepelire, quacumque ratione de censura ejus sufficienter constaret, juxta dicta in præcedenti puncto; nunc vero si persona interdicta nominatim declarata, seu denunciata non sit, neque incurritur excommunicatio, neque culpa, quia Extravag. *Ad evitanda,* omnem abstulit obligationem. In citato autem cap. Episcoporum, additur illa pœna; interdicuntur enim ab ingressu Ecclesiæ personæ sepelientes in loco sacro personam interdictam. Quod etiam intelligendum est de persona nominatim denunciata, seu declarata interdicta, saltem propter Extrav. *Ad evitanda,* quidquid sit de jure antiquo. An vero si talis persona de facto sepeliatur, exhumanda sit, donec absolvatur, idem dicendum censeo, quod de persona excommunicata, quia quoad hunc effectum æquiparantur in jure, sicut etiam de aliis in superioribus adnotavimus; videri ergo debent, quæ circa hoc de excommunicatis diximus.

SECTIO IV.

An ingressus Ecclesiæ prohibitus sit ex vi interdicti, vel hoc constituat aliam interdicti speciem.

1. *Per interdictum locale non prohibetur ingressus Ecclesiæ.* — Quæstio hæc solum habet locum in interdicto personali; nam per locale certum est nunquam prohiberi ingressum Ecclesiæ absolute, sed tantum ad divina officia in ea audienda, vel participanda, quod in omnibus juribus sæpe citatis satis clarum est; neque ullus auctorum contrarium dicit, et usus ita habet; nam ad concionem audiendam, ad privatim orandum, et similia, licitum est ingredi Ecclesiam interdictam.

2. *Quid de personali. — Ratio dubitandi. — Interdictum personale non privare ab Ecclesiæ ingressu. — Vera sententia.* — De interdicto ergo personali est nonnulla dubitatio; nam jura interdum dicunt, personas privari ingressu Ecclesiæ per interdictum, cap. 1 et cap. Is cui, de Sententia excomm., in 6; ergo videtur hic effectus communis omni personali interdicto absolute probato; nam vel est novum genus interdicti, vel communis effectus. Primum non videtur dicendum, quia pari ratione dici posset esse novum genus censuræ distinctum a reliquis; ergo dicendum est esse effectum communem interdicti personalis. Atque ita tenuit Burgasius in tractatu de Irregularitate, part. 6, num. 21. Nobis tamen contraria sententia certa videtur, primo, quia nullum est jus, quod plures effectus tribuat interdicto personali, quam locali, servata proportione; imo eamdem esse utriusque rationem colligi potest ex cap. Si civitas, et cap. Si sententia, de Sententia excomm., in 6, cum similibus. Sed interdictum locale, etiam speciale alicujus Ecclesiæ non privat ingressu in illam, ut dictum est; ergo nec interdictum

personale absolute latum prohibet personam, quominus ingredi possit in Ecclesiam, dummodo ad divina non accedat. Secundo, supra ostensum est, excommunicato non esse prohibitum ingredi in Ecclesiam ; ergo neque interdicto, quia non est minus separatus a divinis excommunicatus, quam interdictus. Tertio, quia quando jura interdicunt aliquem ab Ecclesiæ ingressu, id exprimunt, ut in citatis juribus; quando ergo hunc effectum non declarant, illum non faciunt. Confirmatur, quia quando solum illum determinant effectum, illum solum efficiunt, et nullum alium, qui cum hoc non sit intrinsece connexus, propter generalem regulam supra traditam tam de suspensionis quam de interdicti sententia, quod effectus ejus non excedunt verba ejus.

Quale sit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, et quem habeat effectum.

3. *Prima opinio. — Rejicitur. — Excluditur quædam evasio.* — Propter difficultatem tamen tactam oportet exponere, quale sit hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ, et quem effectum habeat; ad hunc enim præcipue finem hanc dubitationem proposuimus. Quidam ergo existimant illam pœnam esse quoddam genus suspensionis, quia in dictis cap. 1 et cap. Is cui, de Sententia excom., in 6, et in cap. ult. de Offic. ordin., in 6, per verbum suspensionis fertur. Verumtamen, nisi sit de nomine quæstio, illa non pertinet proprie ad specificam censuram suspensionis, sed potius interdicti. Quia illa non est pœna clericorum propria, qualis est suspensio; nec privat actu proprio alicujus Ecclesiasticæ potestatis per se ac necessario. Respondent aliqui, hanc censuram, quando fertur in clericos, etiam privare illos usu potestatis Ecclesiasticæ saltem quoad potestatem Ordinis, et consequenter usu jurisdictionis in foro pœnitentiæ intra Ecclesiam, quia non possunt ibi celebrare, aut sacramenta ministrare, alioqui irregulares fiunt; ideoque censuram hanc, prout cadit in clericos, esse veram suspensionem, licet in laicis sit quoddam interdictum, ut patet ex capit. Latorem, 33, quæst. 2. Sed hoc non recte dicitur, tum quia censura non variat suam rationem propter solam varietatem subjectorum; hæc autem censura generatim lata æque comprehendit laicos et clericos; ergo in omnibus habet eamdem rationem censuræ. Non potest autem in omnibus habere rationem suspensionis; habet ergo rationem interdicti; tum etiam quia talis censura in clericum lata, non solum privat illum exercitio Ordinum, sed etiam auditione divinorum officiorum in Ecclesia, quamvis non sub eadem pœna irregularitatis, sed more laicorum. Privat etiam sepultura Ecclesiastica, ut patet ex dicto capit. Is cui; suspensio autem non habet hos effectus. Denique interdictum etiam personale latum in clericum privat illum usu Ordinum sub pœna irregularitatis, et tamen non propterea talis censura in tali persona est propria suspensio. Illo igitur argumento solum concluditur, has censuras habere interdum aliquos effectus communes; inde vero non fit, unam esse alteram, ut supra declaravimus. Adde, loquendo etiam de clericis, in eodem capit. Is cui, sæpe vocari hanc pœnam interdictum : *Is* (inquit) *cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi,* etc. Et infra : *Talis quoque, si hoc interdicto durante,* etc. Idem habetur in c. Episcoporum, de Privilegiis, in 6, et in cap. Sacro, de Sent. excomm. Quod ergo aliquando effectus hujus censuræ per verbum suspendendi explicetur, non refert, quia, ut in superioribus adnotavimus, hæc verba, cum sint privativa, seu prohibitiva, interdum sumuntur late, ut communia sunt multis censuris, aliquando vero proprie et specifice; in illis ergo juribus priori modo sumitur verbum suspendendi pro prohibitione ab ingressu Ecclesiæ, ut patet ex subjecta materia, juxta quam sunt jura interpretanda, cap. Intelligentia, cum ibi notatis, de Verb. signific.

4. *Resolutio quæstionis.* — Dicendum ergo est, pœnam illam esse quoddam peculiare genus interdicti, quia est censura quædam, ut in dictis juribus aperte supponitur; propterea enim definitur, fieri irregularem sacerdotem, si illam violando celebret. Est autem censura privans fideles aliqua participatione divinorum, non propter communicationem cum aliis, sed per se; convenit ergo huic censuræ ratio interdicti. Continetur autem sub speciebus supra numeratis, quatenus interdictum personale est et non locale. Differt autem ab aliis personalibus, quia non est totale interdictum, sed partiale, et quia forte addit aliquem effectum, quem non habent alia interdicta personalia.

5. *In quibus conveniat interdictum hoc cum*

aliis personalibus, et quibus differat. — Primum declaratur, quia alia interdicta personalia privant simpliciter participatione divinorum in omni loco, juxta c. Si sententia, de Sententia excomm. Hoc autem solum privat participatione divinorum in Ecclesia. Quod probat quoad utramque partem dictum capitulum Is cui, ubi dicitur, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus, per consequens esse interdictam divinorum celebrationem in ipsa. Cujus ratio est, tum quia celebratio in Ecclesia supponit necessario ingressum in ipsam; tum maxime quia hoc interdictum præcipue ferri videtur propter prohibendam sacrorum administrationem in Ecclesia. Quæ ratio æque procedit de quacumque participatione divinorum officiorum in Ecclesia, ut omnes Doctores advertunt in dict. cap. Is cui, et Innocentius, in cap. Sacro, de Sententia excom., num. 2; et ibidem Panormitanus, Felinus, et alii; Sylvester, v. *Suspensio,* num. 5, et verb. *Interdictum,* 6, quæst. 5; et Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 1, num. 3. Qui addit, adeo verum esse, hoc interdictum ferri propter prohibenda divina in Ecclesia, ut alioqui, cessante hac participatione divinorum, hujusmodi ingressum non prohibeat, quod infra videbimus. Nunc satis est, hoc interdictum convenire cum aliis personalibus in hoc, quod privat omni participatione divinorum in Ecclesia, ita ut sic interdictus nec celebrare in ea possit, nec sepeliri, nec dare aut recipere sacramenta, nec ministerium aliquod sacrum exercere, nec Missam aut aliud divinum officium audire. Unde quoad hoc participat hoc interdictum ea, quæ in superioribus diximus de interdicto personali, tam quoad peccatum et pœnam transgressionis, ut patet ex dict. cap. Is cui, quam quoad privilegia, ut æquitas rationis postulat. Unde privilegium, quod conceditur, in cap. Alma, personis interdictis, ut in quatuor festivitatibus possint interesse divinis, etiam extenditur ad personas interdictas ab ingressu Ecclesiæ; poterunt enim illis diebus in Ecclesia interesse divinis, non tamen celebrare aut ministrare, quia hoc in dicto cap. Alma, non conceditur.

6. *Primum discrimen inter hoc interdictum et alia personalia.* — Altera vero pars continet primam differentiam inter hoc interdictum et alia personalia, scilicet limitationem hujus prohibitionis ad Ecclesiam. Et probatur sufficienter ex dict. cap. Is cui, ibi, *In ipsa,* et iterum, *In ea;* addendo enim hanc limitationem satis indicavit Pontifex, prohibitionem hanc ad illum locum limitari. Et ita intellexit Glossa ibi, et omnes interpretes; et Innocentius et Covarruvias supra; et Abbas, in cap. Cum dilectus, de Consuetudine, num. 20; et Navarrus, cap. 27, num. 170, ubi alios refert. Qui etiam explicant, quid nomine Ecclesiæ intelligendum sit, quod in superioribus jam tetigimus. Et resolutio est, per Ecclesiam intelligi quodlibet templum auctoritate Episcopi publice deputatum ad sacra facienda, sive illud sit benedictum, sive non; nam hæc est significatio illius vocis secundum communem usum Ecclesiæ, et sumitur ex cap. pen. de Immun. Eccles. Celebratio ergo, vel participatio divinorum in tali Ecclesia interdicitur per hanc censuram, non vero extra illam. Ratio est, quia per nullam censuram plus prohibetur, quam verba legis, vel sententiæ contineant, ut supra diximus. Sed ex vi verborum, per quæ fertur hæc pœna, non fit prohibitio divinorum simpliciter, sed cum determinatione Ecclesiæ; ergo non est extendenda prohibitio; ergo extra Ecclesiam omnia alia, quæ antea licebant tali personæ, postea licent, ut est facere sacrum in privato oratorio approbato, recipere sacramentum unctionis in domo sua, et quælibet alia sacramenta extra Ecclesiam, ut recte docent iidem auctores, et Navarr., cap. 25, n. 75, et Sylvest., *Interdictum,* 6, quæst. 5, qui eodem modo est intelligendus, verb. *Suspensio,* num. 5, circa finem. Neque aliud colligitur ex c. Latorem, 33, quæst. 2, nam tota illa prohibitio, de qua ibi est sermo, intelligenda est cum eadem limitatione, scilicet in Ecclesia.

7. *An sic interdictus possit extra Ecclesiam existens audire Missam quæ intra illam celebratur.* — *Occurritur objectioni.* — Quæri autem potest, an sic interdictus extra Ecclesiam existens, possit audire divina, quæ intra illam fiunt. Videtur enim tunc non violare suum interdictum, quia non ingreditur Ecclesiam; directe autem solum est interdictus a tali ingressu. Item alias si e contrario Missa diceretur extra Ecclesiam, peccaret persona sic interdicta illam audiens ex Ecclesia, ut servetur commutata proportio. Consequens autem videtur falsum, quia ex vi hujus interdicti solum in Ecclesia prohibentur divina. Nihilominus dicendum videtur, non esse licitum personæ sic interdictæ audire Missam vel officia divina, quæ in Ecclesia dicuntur, etiamsi possit ea audire extra Ecclesiam existens. Ratio est, quia ex vi illius interdicti

hoc principaliter prohibetur; ideo enim alicui interdicitur ingressus Ecclesiæ, ut divinorum, quæ in ea fiunt, particeps non fiat. Dices : hunc esse finem præcepti, et ideo, quamvis in aliquo particulari actu non servetur, non propterea violari censuram, si alias non agitur contra materiam prohibitam. Respondeo, non esse finem extrinsecum, sed ita intrinsecum, ut contineatur etiam sub materia præcepti prohibita; ita enim interpretantur jura supra citata interdictum hoc ab ingressu Ecclesiæ, ut formaliter seu virtute contineat prohibitionem omnium divinorum, non simpliciter, sed in tali loco. Dicere etiam possumus, eum, qui sic audit divina in Ecclesia, licet non ingrediatur corpore, ingredi animo et sensu, cum tamen hoc totum prohibitum sit ex vi illius interdicti. Et per hoc responsum est ad primam dubitandi rationem. Ad secundam vero pendet responsio ex his, quæ dicemus circa alteram differentiam.

8. *Corollaria præcedentis conclusionis.* — Et juxta hanc doctrinam recte dicit Sylvest., *Interdict.,* 6, quæst. 6, si diaconus, v. gr., interdictus ab ingressu Ecclesiæ Evangelium solemniter cantet, extra Ecclesiam ipse existens, ministrando tamen sacerdoti dicenti Missam intra Ecclesiam, irregularitatem incurrere, quia licet corporaliter videatur ministerium illud extra Ecclesiam exercere, tamen moraliter intra Ecclesiam ministrare censetur, quia sacrum ipsum, cui ministrat, intra Ecclesiam fit, et ad illud cooperatur. At vero recte jam addit Sylvest., si sacerdos extra Ecclesiam sacrum faciat, et diaconus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, ex Ecclesia illi ministret cantando solemniter intra Ecclesiam Evangelium vel Epistolam, etiam tunc fieri irregularem, quia licet hæc Missa extra Ecclesiam dicatur, et actio ministri, quatenus est cooperatio ad illam, videatur ordinari extra Ecclesiam, tamen secundum se fit revera in Ecclesia, estque solemnis administratio Ordinis contra censuram Ecclesiæ; et ideo sufficit ad irregularitatem incurrendam. Addit vero in his casibus etiam sacerdotem facientem sacrum fieri irregularem, etiamsi ipse interdictus non esset, quia participat cum ministris in crimine. Sed hoc falsum est, quia nulla talis irregularitas est in jure lata contra sic participantes, sed solum contra ipsum clericum violantem censuram, qua ipse est ligatus, ut patet ex dict. cap. Is cui; nisi ergo ipse sacerdos ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit, hanc irregularitatem non incurrit. Et tunc necesse est, ut intra Ecclesiam sacrum faciat. Nam si extra Ecclesiam diceret, licet diaconus, v. gr., intra Ecclesiam caneret Evangelium, sacerdos non fieret irregularis, quia principalis actus ejus extra Ecclesiam fit.

9. *An sic interdictus possit dicere vel audire Missam in cœmeterio. — Prima opinio. — Vera sententia. — Evasioni occurritur.* — Ulterius vero circa hanc partem inquiri potest, an sic interdictus possit in cœmeterio Missam dicere, vel eam, aut alia divina officia audire, si ibi dicantur. Aliqui enim affirmant, posse, et citant Glossam, c. Is cui, de Sent. excom., in 6, verb. *Cœmeterio,* quæ revera id non dicit. Potest autem suaderi, quia cœmeterium in rigore non est Ecclesia; ergo interdicto ingressu Ecclesiæ præcise, non interdicitur cœmeterii ingressus; præsertim cum in materia pœnali, ac propterea odiosa, verba sunt stricte intelligenda. Oppositam vero sententiam tenet Abbas in cap. Cum Ecclesia, de Immunitat. Eccles. Et potest fundari in dict. cap. Is cui, nam ibi dicitur, hujusmodi personam sic interdictam, si in eo statu moriatur, non posse sepeliri in cœmeterio. Respondent aliqui, hoc ideo esse, quia per tale interdictum privatur persona Ecclesiastica sepultura, qualis est etiam illa, quæ fit in cœmeterio Ecclesiæ. Sed hæc responsio non satisfacit; nam, ex vi hujus interdicti, non privatur quispiam sepultura Ecclesiastica, nisi quatenus privatus est sacro usu Ecclesiæ; si ergo ex vi illorum verborum sub eo interdicto non includitur cœmeterium quoad sacros usus viventium, neque etiam includetur quoad usum sepulturæ; vel e converso, si quoad hunc posteriorem usum includitur, ut prædicto textu dicitur, etiam includitur quoad alia officia divina. Quia illud non est peculiari extensione, quæ aliis verbis quoad usum sepulturæ facta sit, nullibi enim legitur talis extensio, sed ex vi ipsius interdicti ab ingressu Ecclesiæ talis effectus sequi censetur. Ratio autem esse videtur, quam ibi tangit Glossa, quia nomine Ecclesiæ cœmeterium comprehenditur tanquam accessorium sub principali, ut colligitur ex cap. Si civitas, de Sentent. excomm., in 6, ubi, interdicta Ecclesia, dicitur consequenter esse interdictum cœmeterium; ergo similiter in præsenti, cum quis interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, eadem ratione interdictus est ab ingressu cœmeterii; nam eadem ratio hic procedit, scilicet, quod accessorium comprehenditur sub principali. Sicut etiam sic

interdictus celebrans in quacumque capella Ecclesiæ, sine dubio peccaret et irregularis fieret, quia qui totum prohibet, quamlibet etiam partem interdicit. At vero quoad hoc æquiparantur cœmeterium et capella, argumento dicti cap. Si civitas.

10. *An sic interdicto sit prohibitum cœmeterium separatum ab Ecclesia. — Pars affirmans. — Pars negans.* — Insurgit vero difficultas ex hac ratione, quia ad summum procedit de cœmeterio Ecclesiæ contiguo, non vero de separato. Nam in dict. c. Si civitas, dicitur, interdicta Ecclesia interdici cœmeterium contiguum, non vero non contiguum; ergo pari ratione idem erit dicendum in præsenti. Est autem ratio, quia cœmeterium, quod non est contiguum, non comparatur ad Ecclesiam, ut quid accessorium, sed tantum quidam locus per se distinctus; ideoque non comprehenditur nomine Ecclesiæ, quod secus est in cœmeterio contiguo. Nihilominus Glossa in dict. cap. Is cui, dicit, in hoc interdicto non oportere distinguere de cœmeterio contiguo vel non contiguo, et habet fundamentum in illo textu, quatenus absolute dicit hominem sic interdictum non debere in cœmeterio sepeliri, nihil distinguens de cœmeterio contiguo vel non contiguo; ergo in neutro potest sepeliri sic interdictus; ergo eadem ratione non potest talis persona interdicta ingredi cœmeterium etiam non contiguum Ecclesiæ ad quælibet alia divina officia celebranda vel participanda, atque ita Glossa prædicta indifferenter loquitur, dicens, cœmeterium quodlibet esse interdictum tali personæ. Ut vero respondeat ad dict. cap. Si civitas, constituit differentiam inter locale interdictum ipsius Ecclesiæ, et interdictum personale ab ingressu Ecclesiæ; nam illud quasi inhæret loco, et ideo afficit etiam locum sacrum contiguum, non vero disjunctum; hoc vero afficit personam, eamque privat usu loci sacri, ideoque non refert locorum contiguitas vel disjunctio. Præsertim, quia alias illuderetur interdictum, si posset quis sepeliri in cœmeterio non contiguo.

11. *Excluditur Glossæ responsio.* — Sed hæc responsio non videtur satisfacere, quia, licet hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ cadat directe in personam, tamen non simpliciter illam interdicit, sed solum respectu loci expressi in sententia vel lege; hic autem locus solum est Ecclesia, ut supponimus, et de hoc inquirimus, quid nomine Ecclesiæ comprehendatur; ex dict. autem cap. Si civitas, colligitur comprehendi cœmeterium contiguum, non vero disjunctum; quod non provenit ex eo quod interdictum illud locale est, sed ex ratione supra tacta, quod cœmeterium contiguum est quid accessorium Ecclesiæ, non vero disjunctum, quæ ratio etiam in præsenti locum habet; ergo differentia illa nihil ad præsens refert. Neque etiam hinc sequitur eludi hoc interdictum, quia ipsum de se est limitatum ad talem locum; et ideo, si in illo servetur, non illuditur, etiamsi actus similis extra illum locum exerceri valeat, sicut non illuditur hoc interdictum etiamsi quis possit celebrare in oratorio privato.

12. *Resolutio quæstionis.* — Est ergo res hæc utrinque satis dubia. Censeo tamen in primis, ex vi hujus interdicti non prohiberi aliquem, quominus possit celebrare divina, aut ea participare, aut iis interesse si fiant in cœmeterio non contiguo alicui Ecclesiæ. Hoc probat optime ratio proxime facta, quia in toto rigore tale cœmeterium non comprehenditur nomine Ecclesiæ, neque est ulla ratio, ob quam ad illud fiat talis extensio. Eo vel maxime, quod talis locus non est deputatus ad alios usus sacros præterquam ad sepulturam Ecclesiasticam; ideoque respectu aliorum divinorum officiorum fere se habet sicut alia loca privata, quamvis habeat majorem quamdam decentiam, eo quod aliquo modo locus sacer sit; tamen hoc non est satis, ut sub illo interdicto comprehendatur quantum ad alios actus. Nam etiam privatum oratorium est aliquo modo locus sacer, et nihilominus Ecclesiæ nomine non comprehenditur.

13. *Ex vi hujus interdicti prohibetur Ecclesiastica sepultura etiam in cœmeterio non contiguo. — Prima expositio cap. Is cui.* — Nihilominus tamen addo secundo, ex vi hujus interdicti prohiberi Ecclesiasticam sepulturam etiam in cœmeterio non contiguo. Hoc probat mihi absoluta decisio dict. cap. Is cui, ut supra expendimus. Oportet tamen recolere duplicem interpretationem illius textus, quam in fine superioris disputationis tetigimus. Una est, ut hæc pœna non referatur ad omnem personam interdictam ab ingressu Ecclesiæ, sed ad illam tantum, quæ violavit hoc interdictum celebrando in Ecclesia. Juxta quam interpretationem nullum argumentum ex illo loco ad rem præsentem desumi potest; nam dicemus in illo textu non declarari hunc esse effectum hujus interdicti, sed imponi ut specialem pœnam celebranti contra hoc interdictum, atque ita ruit totum fundamentum se-

cundæ sententiæ propositæ. Imo juxta hanc expositionem ex illo textu non colligitur, hoc interdictum ab ingressu Ecclesiæ habere hunc effectum privandi Ecclesiastica sepultura, sed id colligi debet ex illa generali regula supra tradita, quod hoc interdictum habet omnes effectus interdicti personalis, non ubique, sed in Ecclesia; unde solum fit privare etiam sepultura in Ecclesia, non tamen in quolibet alio loco sacro seu cœmeterio.

14. *Alia ejusdem capitis expositio.* — Hæc vero interpretatio illius textus singularis est; alia vero expositio est communiter recepta, et ideo magis probanda, scilicet, ibi declarari hunc, ut effectum talis interdicti, quod magis est consentaneum verbis textus, tum quia illa relatio et conjunctio, *talis quoque*, etc., plane refertur ad personam sic interdictam, de qua ut sic principaliter erat sermo in textu, et non quatenus novum crimen commisit; tum etiam quia illa conditio, *si tali interdicto durante*, etc., frustra poneretur, si non esset sermo de effectu interdicti, sed de pœna ob transgressionem; nam hæc posset executioni mandari, etiamsi interdictum non duraret. Igitur in illa parte declaratur hic tanquam specialis effectus interdicti; declaratur autem sub ea conditione, *nisi pœnituerit*, quam citato loco disputationis præcedentis satis explicuimus. Cum ergo ibi absolute dicatur, *in Ecclesia vel cœmeterio*, quodlibet cœmeterium comprehenditur, etiam non contiguum. Quomodo autem hæc assertio cum præcedenti cohæreat, explicandum superest; cur enim potius quoad hunc effectum fit extensio ad cœmeterium disjunctum, quam quoad alios? Item respondere oportet ad c. Si civitas, nam repugnare videtur, saltem argumento sumpto a paritate rationis.

15. *Cur interdicto ab ingressu Ecclesiæ prohibeatur sepultura in cœmeterio separato, non vero in illo sacra audire.* — Dico igitur, hanc fuisse specialem declarationem illius textus quoad hunc effectum, quæ non fundatur in illo principio, quod accessorium sequitur naturam principalis et sub illo comprehenditur; nam hoc non habet locum in cœmeterio separato, ut recte probatum est; imo neque ad contiguum hic recte applicatur, ut postea dicam; sed fundatur in hoc, quod quantum ad usum sepulturæ, perinde se habet quodlibet cœmeterium, sive conjunctum, sive separatum, ac ipsa Ecclesia, quia per se et directe est locus institutus ac deputatus ad hunc sacrum usum, sicut Ecclesia ad alios; et ideo, quantum ad hanc prohibitionem reputatur tanquam Ecclesia. Unde etiam secundum communem modum loquendi sepultura in tali loco dicitur Ecclesiastica; ob hanc ergo causam facta est illa extensio quoad hunc usum sepulturæ. Ex qua non sumitur argumentum ad alios actus; imo ex speciali declaratione hic facta colligi potest non esse idem de reliquis.

16. *Ex vi interdicti ab ingressu Ecclesiæ non prohibetur ingressus in cœmeterio etiam contiguo. — Excluditur fundamentum contrariæ sententiæ.* — Atque hinc ulterius infero, ex vi hujus interdicti ab ingressu Ecclesiæ non privari aliquem ingressu cœmeterii etiam contigui Ecclesiæ, nec celebratione divinorum officiorum in ipso. Quod sensit Philippus Franc., in dict. cap. Is cui, et nonnihil favet cap. Latorem, 33, quæst. 2, ubi quidam interdictus ab ingressu Ecclesiæ ad fores ejus assistere, et ibi Deum precari permittitur; ergo non intelligitur exclusus ab Ecclesiæ cœmeterio. Ratio est illa generalis, quod verba pœnalia restringenda sunt quantum proprietas eorum patitur, nisi vel aliter in jure declaratum sit, vel alia necessaria ratio cogat. Hic autem in rigore nomine Ecclesiæ non significatur cœmeterium, nec est jus aliquod, aut sufficiens ratio, quæ cogat ad illam extensionem faciendam : ergo. Probatur minor, quia, si esset aliquod jus, maxime esset dictum c. Is cui, ubi declaratur cœmeterium comprehendi quoad effectum privationis sepulturæ; ostendimus autem, hoc esse speciale in illo effectu, ideoque non esse extendendum ad alios; alioqui etiam in cœmeterio non contiguo esset prohibitus talis ingressus, quod falsum esse ostendi; igitur ex illo textu colligi non potest hæc extensio ad cœmeterium etiam contiguum Ecclesiæ. Rursus, si aliqua ratio cogeret, esset maxime illa, quod accessorium sequitur principale; at hoc verum in favorabilibus, non autem in pœnalibus et odiosis.

17. *Occurritur objectioni.* — Dices : licet hoc videatur odiosum respectu personæ, quæ interdicitur, tamen respectu Ecclesiæ est favor; hoc ergo satis est, ut fiat extensio. Ob similem enim rationem in dict. c. Si civitas, interdicta Ecclesia, dicitur esse interdictum cœmeterium contiguum. Respondetur nullum favorem Ecclesiæ ab ipsa intentum in hoc inveniri, quia, quando ipsa interdicit aliquem ab ingressu Ecclesiæ, id solum intendit, quod verbis declarat ; quod si plus voluisset, ex-

pressisset seu declarasset. Nec pertinet, per se loquendo, ad favorem Ecclesiæ, ut pœnalia verba extendantur, alioqui eo titulo semper essent pœnæ late intelligendæ, contra juris regulam. Nec cap. Si civitas, in ea ratione fundatur, sed alia speciali, scilicet, *ne vilipendi valeat sententia interdicti,* quæ ratio habet locum in interdicto locali, de quo ibi est sermo, non vero in personali, quale id est, de quo agimus, quia cum afficiat personam solum in ordine ad talem locum, quamvis extra illum in loco etiam vicino et contiguo celebrare possit, non propterea contemnitur aut vilipenditur interdictum.

18. *Capella quoad hunc effectum nomine Ecclesiæ venit.* — Non oportet tamen hoc extendere ad capellas Ecclesiæ, ut supra objiciebatur, quia capellæ revera sunt partes Ecclesiæ, et ideo sub ipso toto comprehenduntur, quando ingressus Ecclesiæ interdicitur; secus vero est de cœmeterio, non enim est pars Ecclesiæ, sed omnino extra illam; et in rigore nomine Ecclesiæ non comprehenditur quoad pœnalia, nisi ubi id specialiter declaratum est.

Explicatur alia differentia inter hoc interdictum et reliqua.

19. *Prima sententia circa effectus hujus interdicti.* — Ultimo loco explicanda superest alia differentia, quam supra insinuavimus inter hoc interdictum et reliqua. Est autem differentia, quia alia interdicta non privant hominem ab ingressu Ecclesiæ, ut supra visum est; diximus enim, quando divina officia non celebrantur, posse unumquemque, non obstante interdicto, ingredi Ecclesiam et in ea privatas orationes fundere. At vero hoc interdictum privat hominem ingressu Ecclesiæ, ut verba ipsa sonant. In hac autem differentia non conveniunt Doctores; multi enim sentiunt, ex vi hujus interdicti ab ingressu Ecclesiæ solum prohiberi ingressum Ecclesiæ ad celebranda, audienda vel recipienda divina; non vero ad privatas orationes fundendas, vel ad alias orationes. Ita sentit Covarr., in cap. Alma, part. 2, § 1, num. 3, citans Calderinum, Ancharranum, Dominicum et Francum pro hac sententia. Quam etiam tenet Navarr., in Summ., cap. 25, num. 75, citans Archidiaconum et communem in dict. cap. Is cui, et cap. 27, num. 170, referens alios et sumens argumentum ab excommunicatione, quæ major est censura, et tamen non privat ingressu ab Ecclesiæ propter privatam orationem. Tenet etiam Angelus, verb. *Suspensio,* 3, num. 6; Sylvest., verb. *Suspensio,* q. 5, circa finem, dicitque colligi ex ratione textus in dict. cap. Is cui, nimirum ex illis verbis : *Cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta;* nam hinc videtur colligi, privatam orationem non esse ibi interdictam. Et huc etiam videtur tendere ratio, quam Navarr. affert, quod prohibitio ingressus Ecclesiæ respicit solum divina officia, ne ea quis faciat vel audiat in Ecclesia. Quod quidem de celebratione constat ex cap. Is qui; de auditione vero exprimitur in cap. Præsenti, 5, q. 2.

20. *Secunda sententia.— Ugolin., tabul.* 6, *cap.* 16, *quæst.* 3, *num.* 1, *et part.* 1, *per tot.* — Contrariam tamen sententiam tenet Sylvest., verb. *Interdictum,* 6, quæst. 6, cum Monaldo et Venuccio, quos refert; idem tenuit Innocentius, in c. Sacro, n. 2, de Sent. excom.; Abbas, in c. Cum Ecclesia, num. 5, de Immunit. Eccles.; et Calder., tract. de Interdicto Eccles., m. 2, vers. *Sed quæritur;* et Felin., in c. A nobis, num. 6, de Excep. Fundamentum esse potest, quia verba illa, *ab ingressu Ecclesiæ,* totam hanc vim habere videntur. Et ideo argumentum ab excommunicatione, vel aliis censuris sumptum efficax non videtur; nam, licet aliæ censuræ simpliciter graviores sint, hæc tamen potest habere aliquid speciale, in quo alias superet, cum ipsa specialis sit, et per verba specialia feratur, quæ prædictam vim habere videntur. Nec apparet aliquod fundamentum sufficiens ad limitandam hanc prohibitionem ad illa duo capita, scilicet, facere, vel audire divina officia in Ecclesia, quia in dicto capit. Is cui, solum dicitur, prohibito ingressu Ecclesiæ, *consequenter prohiberi celebrationem divinorum in ea;* non vero excludit, quin alia prohibeantur; sed illius effectus meminit, quia intentioni illius cap. deserviebat, scilicet ad explicandam irregularitatem, quæ propter violationem hujus censuræ incurritur; nam hæc propter solam celebrationem divinorum ex officio incurritur, non vero propter alias actiones contra hoc interdictum, etiamsi ex vi illius prohibitæ sint; imo Panormitanus, supra, ponderat verbum illud, *per consequens;* nam ex eo intelligimus ipsum ingressum Ecclesiæ per se ac simpliciter esse prohibitum, consequenter vero celebrationem, quæ talem ingressum prærequirit.

21. *Cap. Præsenti,* 5, *quæst.* 2, *expenditur.*

— Caput autem Præsenti, 5, quæst. 2, in primis non videtur in proprio sensu adduci; nam verba ejus sunt : *Interdicta Ecclesiam intrandi licentia, et omnia divina officia audiendi.* Quæ duas habent partes, et in priori fertur interdictum ab ingressu Ecclesiæ; in posteriori vero nova pœna generalior ferri videtur; non enim additum est, *in ea,* sed simpliciter prohibetur audire divina officia, quod (ex vi talium verborum) intelligitur ubicumque dicantur, quæ prohibitio non continebatur in interdicto ab ingressu Ecclesiæ, ut constat. Vel certe, si quis omnino velit posteriora verba conjungenda esse prioribus, et referenda esse ad Ecclesiam, dicendum est, illud non fuisse interdictum simpliciter ab ingressu Ecclesiæ, sed solum ex parte, seu cum limitatione, scilicet intrandi ad audienda divina officia. Ex quo non licet inferre, quoties interdictum ab ingressu Ecclesiæ fertur, licet absolute et simpliciter feratur, non prohiberi nisi actum audiendi, vel celebrandi officia. Alioqui nec receptio sacramentorum in Ecclesia esset prohibita, quia recipere sacramentum non est audire, vel celebrare divina officia.

22. Præterea, quod hæc prohibitio extendatur etiam ad orationes privatas in Ecclesia, videtur apparenter colligi ex c. Latorem, 33, quæst. 2, ibi : *Per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores basilicæ stans, orans, et deprecans Deum perseveret.* In quibus manifeste est sermo de privata oratione; et illa permittitur fundi ante fores Ecclesiæ; ergo supponitur prohibita intra Ecclesiam ex vi talis censuræ. Illa enim particula adversativa, *sed ante fores,* etc., satis declarat, prohibito ingressu Ecclesiæ, illam etiam deprecationem intra illam esse prohibitam, quæ ad fores Ecclesiæ facienda dicitur. Quod aliter sic urgeo : nam, cum dicitur, ut sic interdictus stet ad fores Ecclesiæ, et ibi deprecetur, vel intelligitur quod stet ad divina officia audienda, et deprecandum in eis; et hoc dici non potest, cum id prohibitum sit ex vi talis interdicti, quod supra ostensum est, et sumi potest ex dict. c. Præsenti, juxta communem intellectum; vel intelligitur, ut stet ibi ad deprecandum absque auditione divinorum, et hoc superflue adderetur, nisi talis deprecatio prohiberetur fieri intra Ecclesiam ex vi illius interdicti.

23. *Inter duas propositas sententias judicium fertur.* — Quamvis ergo prior sententia et communior et favorabilior sit, et propterea sim ad eam propensus, et forte in praxi possit probabiliter, et secure servari, nihilominus in rigore juris posteriorem sententiam veram esse opinor, quia fundamenta ejus solidiora sunt, et nullum fundamentum video sufficiens in ratione, vel jure, ad limitandam illo modo prohibitionem ab ingressu Ecclesiæ absolute factam, et dictum c. Latorem, apud me non parum facit, ut illa limitatio non admittatur. Adverto tamen, cum prohibetur ingressus Ecclesiæ, intelligendum id esse formaliter, ut sic dicam, de ingressu in Ecclesiam, ut Ecclesia est, id est, ad utendum ea tanquam loco sacro, et solemniter instituto ad orandum Deum, vel alia sacra facienda. Unde non opinor (etiamsi Abbas, et nonnulli alii contrarium sentiant), ex vi hujus interdicti esse prohibitum omnem ingressum in Ecclesiam solum quasi materialiter sumptum, scilicet vel ad transeundum per eam, ut recte dicit Innocentius supra, vel ad loquendum, aut disputandum, vel quidpiam simile, quia tunc non utitur aliquis Ecclesia, nisi ut quodam communi loco; jura autem loquuntur de Ecclesia quoad sacrum aliquem usum.

24. *Hoc interdictum non prohibet ingredi Ecclesiam ad audiendam concionem.* — Quid vero dicendum sit de audienda concione intra Ecclesiam, juxta priorem opinionem satis constat, juxta posteriorem vero res est magis dubia. Dicendum vero censeo hoc non esse prohibitum, quia nullo jure hoc significatur; et quia, licet actio illa aliquo modo sacra sit, non tamen ita proprie ac per se pertinet ad munus Ecclesiæ, quatenus templum est Deo dicatum, sicut pertinet oratio, et aliæ actiones similes; item quia verbum Dei nunquam prohibetur, est enim ad conversionem maxime necessarium. De aliis vero actibus, qui pertinent ad jurisdictionem Ecclesiasticam exterioris fori, ut sunt eligere, absolvere a censura, et similes, certum est per se non prohiberi in Ecclesia ex vi hujus censuræ, quia respectu illorum etiam se habet Ecclesia mere materialiter, et alioquin tales actus non prohibentur ex vi Ecclesiastici interdicti, ut ex superioribus constat.

DISPUTATIO XXXVI.

DE CAUSIS INTERDICTI.

Post effectuum considerationem sequitur ut de causis dicamus. Supponimus autem in hac censura locum habere quatuor communia

causarum genera, quæ de censuris in communi declaravimus, de quibus in hac disputatione sigillatim dicemus, quia suppositis, quæ in superioribus tractata sunt, breviter possunt expediri.

SECTIO I.

Quis possit censuram interdicti ferre.

1. *Prima regula generalis.* — Duæ regulæ generales in superioribus traditæ, hic applicandæ sunt. Prima est interdictum posse et ab homine, et a jure ferri. De homine id constat communi usu Ecclesiæ, et ex dictis supra de potestate ferendi has censuras, nam hæc potestas in hominibus residet, et ex multis juribus, quæ hoc supponunt, ut cap. ultimum de Sent. excommun., in 6, cum similibus. Denique est res indubitata, et de fide. De jure etiam id constat ex eisdem principiis; et inferius afferemus, et declarabimus varia interdicta, quæ ipso jure lata sunt.

2. Secunda regula est, eum posse hanc censuram interdicti ferre, qui potest excommunicare, vel suspendere; quæ insinuatur in c. Cum Ecclesiarum, de Offic. ordin. Ubi quoad hoc excommunicatio, et interdictum æquiparantur. Et communiter recipitur, ut videre licet in Sylvestro, *Interdictum,* 3, quæst. 3; Covarr., in c. Alma, part. 2, § 2, num. 6; Navarr., c. 27, num. 168; Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, conclus. 2. Ratio tradita est supra disp. 28 de Susp., sect. 1, quæ ibi videri potest, nam eadem omnino hic locum habet. Solum est hic advertendum, hanc regulam intelligendam esse de interdicto absolute, non descendendo ad determinatam speciem interdicti localis. Nam multi Prælati videntur in Ecclesia habere potestatem ferendi censuras, et interdictum personale, qui non possunt ferre interdictum locale, quod de Prælatis religionum notavit Soto supra; de quibus saltem constat non esse in usu, ut ferant interdictum locale, nisi fortasse ubi in aliquo oppido habent jurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi, et quasi Episcopalem. Ratio autem esse videtur, quia jurisdictio horum Prælatorum magis est in personas, quam in territoria, aut loca; et ideo magis possunt ferre censuras in personas, quam in loca; agimus autem de potestate ordinaria, et non delegata.

3. Atque hæc ratio maxime convincit de interdicto generali loci. De interdicto enim speciali in propriis Ecclesiis, vel domibus non videtur eadem ratio, quia talia loca regulariter exempta sunt et eorum jurisdictioni subjecta; cur ergo non poterunt in eis tale interdictum ponere? Sed, quidquid sit de absoluta potestate, et jurisdictione, usu non est receptum, ut talia interdicta ab his Prælatis ponantur, vel quia sunt media improportionata ad modum, et finem religiosi regiminis; vel quia generaret scandalum in populo, et res esset Episcopis et aliis Prælatis Ecclesiarum odiosa. Et ob has fortasse causas eis etiam non est data hujusmodi potestas, et jurisdictio, vel per contrariam consuetudinem eam amiserunt.

4. *Quis possit interdictum ipso jure ferre. — Ab homine dupliciter ferri potest. — Quis illam habeat ordinariam.* — Ex his regulis sequitur, quoad interdicta a jure eum posse ipso jure interdictum ferre, qui potest condere canonicum jus, et sub censuris ad illud obligare. De qua potestate, et de habentibus illam satis diximus tractando de censuris in communi. Similiter, quod spectat ad hominem, duobus modis potest homo habere hanc potestatem, scilicet ordinariam et delegatam, sicut de censura in communi diximus, et in particulari de interdicto probari potest ex c. Sane, 2, de Offic. deleg., et ex c. Episcoporum, de Privil., in 6. Et ratio est eadem, quia hæc potestas non potest esse in hominibus, quin in aliquo sit tanquam propria et ex officio, quod est esse ordinariam; et inde fit, ut etiam delegari possit, quia nec ex parte potestatis repugnat quin delegabilis sit, nec ex parte judicis ordinarii, quin delegare eam possit. Est autem hæc potestas ordinaria in Episcopis, ut constat ex dict. c. Episcoporum, et aliis citatis, et ex c. Cum et plantare, § Excommunicatos, de Privil. Et ratio est, quia illi habent ordinariam et principalem jurisdictionem Ecclesiasticam fori contentiosi. Constat autem sub Episcopis a fortiori comprehendi eorum superiores, præsertim Pontificem, Concilium generale, et alios, de quibus supra de censuris in communi satis dictum est. Comprehenduntur etiam illi, qui participant Episcopalem jurisdictionem, ut sunt aliqui Abbates, cap. Sede vacante, etc., de quibus eodem loco dictum est.

5. *An illam habeat Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sede non vacante. — Conclusio.* — Specialiter autem hic dubitari solet, an Capitulum Cathedralis Ecclesiæ possit censuram illam ferre, etiam quando Sedes non vacat.

Et ratio dubitandi potest sumi ex c. Cum inter, de Consuet., ibi : *Super eo quod dicti canonici generale interdictum ab Episcopo vestro, vel a vobis* (id est, a Decano, et Capitulo) *in civitate Cenomanensi positum non servabant,* etc. Quæ verba supponunt, interdictum non tantum ab Episcopo, sed etiam a Capitulo solere ferri, constatque ex eodem textu tale interdictum fuisse validum. Nam Pontifex servari illud præcipit, non obstante consuetudine contraria. Dicendum vero est Capitulum jure ordinario non habere potestatem ferendi interdictum; quod sentiunt communiter Canonistæ in cap. Quæsivit, de His quæ fiunt a majori parte Capituli, et Panormitanus in dict. cap. Cum inter, et Joannes de Lignan., in tractatu de Interdicto; Covarr., dict. num. 6, colligiturque ex dict. cap. Quæsivit, ubi dicitur interdictum a canonico vel canonicis positum sine consensu Episcopi non esse ab Episcopo servandum, vel permittendum ab aliis servari. Et ratio est, quia vivente Episcopo Capitulum non habet ordinarie jurisdictionem fori contentiosi in territorium, et civitatem Episcopalem. Propter dictum cap. Cum inter, addendum est cum eisdem Doctoribus, ex consuetudine, vel privilegio aliquando habere Capitulum hanc potestatem. Quod confirmari etiam potest ex c. Si canonici, et cap. Quamvis, de Offic. ordin., in 6, ubi de cessatione a divinis est sermo, et forma, ac modus eam imponendi præscribitur; de qua forma, an servanda etiam sit in interdicto, infra dicetur. Potest autem ex dict. cap. Cum inter, animadverti differentia inter Episcopum et Capitulum, etiam quando potest ferre interdictum; Episcopus enim potest ferre interdictum generale in totum Episcopatum, Capitulum vero solum in civitatem Episcopalem, ut patet ex verbis textus supra citatis. Et ratio esse videtur, quia nec privilegium, nec consuetudo amplius extenderentur rationabiliter; et ideo nunquam extendi solent.

6. *An Episcopus possit sine consensu Capituli interdicere.* — Rursus inquiri potest, an e converso possit Episcopus interdictum ferre sine consensu Capituli. Aliqui Doctores absolute negant, ob c. 1 de Excess. Prælat., ibi : *Aut sine judicio Capituli eorum Ecclesias interdicere,* etc. Sed in primis textus ille non loquitur generaliter de omni interdicto, sed de illo, quod in clericos vel eorum Ecclesias fertur; nam in favorem clericorum specialiter decretum illud conditum est, ut constat ex principio ipsius cap., et ratione ejus. Unde generalius posset hoc probari ex cap. Quæsivit, de His quæ fiunt a majori parte Capituli, ibi : *Interdictum sine tuo, et aliorum consensu fratrum positum observare non debes,* etc. Ubi uterque consensus videtur requiri, quamvis non satis explicetur utrumque esse necessarium. At vero supra annotavimus, tractando de suspensione, hæc et similia jura contraria consuetudine, et Episcoporum præscriptione derogata esse; atque ita potest Episcopus sine consensu Capituli interdictum ferre tam in clericos quam in alios, quod etiam satis confirmat cap. 3 de Consuetudine, in 6, et juvat cap. 3, extra eodem. Et hæc sufficiunt de ordinaria potestate.

7. De potestate vero delegata, seu ex commissione, si de facto inquiratur, qui illam habeant, non est res, quæ sub scientiam cadat; nam pendet ex voluntate delegantis. Si vero de capacitate agatur, qui scilicet sint capaces hujus potestatis, et a quibus delegari possit, hoc satis tractatum est de censuris in communi, nec aliquid speciale hic occurrit. Cætera vero, quæ hic desiderari possent, complebuntur sectione sequenti, propter habitudinem, quæ inter eum, qui interdicere, et eum, qui interdici potest, intervenit.

SECTIO II.

Qui possint interdici.

1. *De interdicto locali.* — Suppositis divisionibus interdicti superius traditis, dicendum est primo, locum tam generalem, quam particularem interdici posse. Hoc satis constat ex doctrina data circa ipsas divisiones. Quæri autem potest primo, an universa Ecclesia interdici possit, vel, quod idem est, universa terra; nam, quantum ad spacia locorum, Ecclesia ex se per universum mundum extenditur. Certum est igitur, neminem præter Romanum Pontificem posse universam Ecclesiam interdicere; neque etiam Concilium generale sine approbatione, et consensu ipsius Pontificis, saltem ipso vivente, quia nullus habet absolutam jurisdictionem in universam Ecclesiam præter ipsum Pontificem; interdictum autem sine jurisdictione poni non potest. Dico autem, *ipso vivente*, quia vacante Sede Apostolica, generale Concilium rite congregatum universalem hanc jurisdictionem habet, quoad vim directivam et coercivam, saltem pro eo tempore; de quo alias. Summus ergo Pontifex

potest in universam Ecclesiam interdictum indicere, divisive, seu distributive, id est, in quamcumque Ecclesiæ partem, quia in quacumque habet sufficientem jurisdictionem, et ubique potest subesse aliquando legitima causa utendi illa, ut per se clarum est. Collective autem loquendo de tota Ecclesia, quamvis nude et quasi speculative considerando, vel potestatem ex parte Pontificis, vel capacitatem ex parte loci, ex neutro capite repugnet tale interdictum, quia potestas Pontificia universalissima est, et in ipso loco non potest fingi repugnantia propter solam amplitudinem ejus, nihilominus tamen, moraliter loquendo, tale interdictum est impossibile, quia nec potest occurrere legitima causa ad illud imponendum, neque esse in Ecclesiæ ædificationem, sed potius in destructionem.

2. *Quantus locus possit interdici ab Episcopis.* — Deinde interrogari potest, quantus locus interdici possit ab Episcopis summo Pontifice inferioribus. Hæc autem loci quantitas non potest mensurari per locales terminos physicos, ut sic dicam, nam hoc modo ex parte loci non repugnat amplissimum quemque locum interdici, ut ex superiori puncto facile constat. Solum ergo tractari potest de terminis jurisdictionis. Et hoc modo, certum est, totam diœcesim cujuscumque Episcopi posse ab eo interdici, non tantum divisive quamcumque partem ejus, sed etiam collective simul totam, quia habet Episcopus sufficientem jurisdictionem in totam diœcesim ad hunc effectum, et aliquando potest intervenire sufficiens causa, quamvis rara sit, nam gravissima et valde generalis esse debet. Neque oportet excipere loca exempta inter diœcesim contenta, quia illa etiam generali interdicto comprehenduntur, ut constat ex cap. Cum inter, de Consuetudine, et ex aliis supra tractatis.

3. *Num Episcopus interdictum generale extra terminos suæ diœcesis extendere possit.* — *Corollarium.* — Solum ergo superest interrogandum, an possit Episcopus particularis generalem interdicti sententiam extra terminos suæ diœcesis extendere ex vi ordinariæ jurisdictionis; nam de delegata a superiore, et habente jurisdictionem magis universalem, nulla est difficultas. Ad hoc autem breviter dicendum est, per se, directe non posse, quia extra suam diœcesim jurisdictionem non habet; sententia autem sine jurisdictione lata nulla est. Indirecte autem, et quantum necesse est, ut interdictum latum in totam diœcesim propriam non contemnatur, aliquantulum extendi potest extra terminos propriæ diœcesis, virtute juris communis, quod hanc extensionem fecit, vel totum illum locum subjecit, quantum ad hunc effectum, Episcopali jurisdictioni in cap. Si civitas, de Sent. exc., in 6, ut in disput. 1 hujus materiæ latius diximus. Dices : aliquando potest Episcopus interdicere personam existentem in aliena diœcesi; ergo et locum. Item potest interdicere subditum alterius diœcesis, si in propria versetur, et in ea delinquat; ergo etiam poterit locum alterius diœcesis interdicere, si suus subditus in eo versetur, et in eo delinquat. Ad priorem partem respondetur negando consequentiam, quia persona potest mutare locum, et manere sub jurisdictione ejusdem Episcopi, si non mutet domicilium; et in eo casu potest Episcopus subditum suum in aliena diœcesi existentem interdicere, quia in illum retinet jurisdictionem, ut latius diximus de censuris in communi. Secus autem est de loco, quia in illum nullam jurisdictionem habet. Similiter ad aliam partem negatur consequentia, quia persona delinquens in alterius diœcesi fit ei subdita ratione delicti; locus autem, in quo alienus subditus peccat, non propterea subjicitur Episcopo ipsius delinquentis, sed potius ipse delinquens subditur Episcopo loci, quia in ipso, et non in loco existit causa, et culpa delicti. Quæ ratio, etiam in interdicto speciali loci, locum habet, et ideo in illo etiam tota hæc doctrina procedit. Est etiam alia ratio, quia interdictum loci non tam est gravamen loci quam personarum, quæ ad locum pertinent; non potest autem unus Episcopus propter delictum sui subditi, personas sibi non subditas gravare interdicendo locum ipsorum in aliena diœcesi existentem, etiamsi in illa proprius subditus peccet. Atque hæc ratio (ut hoc obiter expediamus) etiam probat, quamvis unus Episcopus possit personale interdictum speciale ferre extra propriam diœcesim, non tamen generale, quia ferret illud in personas sibi non subditas, quod facere non potest.

4. *An per interdictum particulare loca non sacra possint interdici.* — *Rationes dubitandi.* — Tandem dubitari potest, an loca non sacra, seu rebus divinis non deputata interdici possint. Quod quidem dubium non habet in interdicto generali, nam ex dictis superius disput. 32 constat, interdicto generaliter aliquo loco, interdici omnia particularia loca

etiam non sacra. De interdicto autem particulari oritur nonnulla dubitatio ex consuetudine Ecclesiæ, quia per illud nunquam solet interdici nisi aliquod templum seu Ecclesia. In contrarium vero est, quia non videtur ulla ratio, cur non possit locus non sacer per se solus interdici, sicut interdicitur ut pars alicujus loci universalis. Et revera hoc ita est, si nudam potestatem et absolutam non repugnantiam consideremus. Tamen, moraliter loquendo, id non fit, quia esset inutile, et supervacaneum, locum alias non deputatum ad divina officia particulariter interdicere, si loca sacra ad illud munus destinata maneant libera; quod non ita est in interdicto generali, quia interdicendo omnia loca ad divina officia, gravior multo fit interdictio Ecclesiarum, cum etiam extra illas non possint divina celebrari. Quod si quis fingat interdici in primis Ecclesiam vel Ecclesias, deinde vero interdici speciatim aliqua loca particularia, præsertim privata oratoria, aut totam aliquam domum, etc., facile concedam hoc recte fieri posse, quia interdum habere potest et causam et utilitatem moralem, et aliunde non est repugnantia; quod si hoc non est in usu, ideo est, quia facilius feruntur generalia interdicta localia. Et hæc de loco.

De interdicto personaliter.

5. *Regula generalis.* — Dico secundo : omnes personæ, quæ excommunicari possunt, possent etiam interdici, quantum est ex parte personæ, si reliqua concurrant, id est, causa et jurisdictio sufficiens. Ita Sylvest., *Interdictum*, 3, in principio; Navarrus, cap. 27, num. 168, et reliqui omnes. Et ratio est, quia ex parte fidelium eadem est capacitas ad quamcumque censuram, si ex parte judicis, seu sententiæ aut legis omnia etiam necessaria concurrant. Videantur supra dicta de censuris in communi.

6. *Etiam confuse et sine culpa propria.* — Sed præter hæc communia, quædam specialia notanda sunt. Primum est, Episcopos non posse interdici per sententiam, seu generalem legem, per quam interdicuntur omnes, qui hoc vel illud delictum fecerint, quia ita statutum est in cap. Quia periculosum, de Sent. excomm., in 6, quem textum supra agentes de suspensione late exposuimus, quia in hoc æquiparantur suspensio et interdictum. Secundum est, non solum particulares personas, sed etiam communitates interdici posse, in quo etiam differt interdictum ab excommunicatione, et cum suspensione convenit; quæ est sententia communis et certa, sumiturque ex cap. Si sententia, de Sententia excomm., in 6, et ex dictis supra inter explicandam divisionem interdicti; et infra afferemus varia jura, in quibus hujusmodi interdictum ipso facto incurrendum in communitatem fertur. Quomodo autem tale interdictum liget singulas personas, vel communitatem, in superioribus explicatum est; nam quantum ad actus, seu effectus, qui non possunt exerceri nisi per particulares personas, ligat singulas, ne inutile sit interdictum, ut dicitur in dict. cap. Si sententia, quamvis non ligat illas per sese, seu ratione sui, sed ut partes sunt talis communitatis. Hinc etiam proprium est hujus censuræ, ut non solum ferri possit in personam certam unam vel plures, sed etiam confuse, et generatim in multitudinem aliquam personarum, singulas ligando quoad actiones proprias et personales, quod in suspensione non invenitur. Imo etiam eas interdicendo sine culpa earum, vel totius communitatis ut sic, ut postea videbimus, quod etiam in suspensione non contingit, quia necessaria saltem est culpa communitatis.

7. *Resolutio.* — Hinc vero nascitur dubium, an hoc generali modo possint interdici infantes, seu perpetui amentes; nam per particulare interdictum personale certum est non posse, quia tale interdictum non fertur nisi propter propriam culpam, cujus hæ personæ capaces non sunt. Interdictum autem generale potest ligare aliquem sine propria culpa, et ideo de illo est specialis dubitatio. Nam propter hanc rationem Navarr. in Summa, c. 27, num. 168, absolute dicit hos infantes comprehendi interdicto generali. Sed circa hanc dubitationem videnda sunt supra dicta de personis, quæ excludendæ sunt a loco interdicto, tempore divinorum officiorum, ubi diximus, non esse necessarium excludere has personas usu rationis carentes. Eadem ergo ratione hic dicendum censeo, has personas non ligari hujusmodi interdicto, quia hæc censura est veluti privatio quædam moralis divinorum; privatio autem supponit capacitatem in eo, qui privatur; cum ergo hi non sint capaces divinorum officiorum, privari non possunt, vel ligari hac censura. Præterea, quia vel isti ligantur, eo quod directe obligentur; et hoc dici non potest, quia illi non sunt capaces obligationis; vel ex eo quod alii, scilicet ministri Ecclesiæ, obligentur ad

vitandos illos in divinis officiis; et hoc etiam non est verum, quia ministri Ecclesiæ non obligantur ad vitandum alium, nisi supposito quod ille ligatus sit. Atque ita sentit Sylvester, *Interdictum,* 2, particul. 17, nam dicit, interdicto populo, interdici impuberes, si sint doli capaces; unde secus esse sentit, si non sint doli capaces. Item Covarruvias, cap. Alma, 2 part., § 4, num. 5, qui tamen addit, non tantum impuberes doli capaces, sed etiam minorem usum rationis habentes, si jam sciunt discernere divina, esse etiam capaces interdicti. Sed jam in superioribus dixi, necessarium esse usum rationis, qui ad peccandum sufficiat, et hoc probant rationes factæ; quicumque autem habet hunc rationis usum, dicitur in præsenti doli capax, et ideo non oportet medium illud distinguere inter infantes non utentes ratione, et doli capaces. Eamdem sententiam tenet Corduba, in Summa Hispan., quæst. 60, qui addit, hos infantes carentes usu rationis, cum non comprehendantur interdicto personali, posse audire Missam, et divina officia in loco non interdicto. Sed in hoc non sibi constat, quia puer carens usu rationis, de quo agimus, nullibi potest vere, ac moraliter audire divina; et ideo nullibi prohibetur assistere eo modo, quo materialiter, seu corporaliter potest; neque est magis capax prohibitionis, quæ in personas resultat ex interdicto generali locali, quam prohibitionis, quæ fit per interdictum personale.

8. *Secundum dubium.—An per interdictum generale infantes priventur Ecclesiastica sepultura. — Conclusio.* — Speciale vero dubium hic habet, an hujusmodi infantes priventur saltem Ecclesiastica sepultura propter interdictum generale personale. Et ratio dubitandi est, quia propter interdictum generale locale privantur sepultura; ergo et propter personale; nam est eadem, vel major ratio, quia personale interdictum magis directe respicit personas, et quia privatio sepulturæ non requirit usum rationis in eo, qui privatur. Nihilominus respondetur, hos infantes non comprehendi hoc interdicto, etiam quoad hunc effectum. Est autem ratio differentiæ, quia interdictum personale afficit personas, locum autem ipsum habilem relinquit, ut sic dicam; et ideo cum tale interdictum per se, ac directe non liget has personas, non est cur a loco non interdicto expellantur quoad sepulturam Ecclesiasticam. At vero locale interdictum afficit locum, et absolute prohibet in illo fieri Ecclesiasticam sepulturam, qualis erit, etiamsi infans sepeliatur; et ideo non est similis ratio. Est item differentia in ipso interdicto locali quoad hunc effectum, vel alios, quia hic effectus exercetur circa corpus inanime, et ita non requirit usum rationis ex parte illius; ex parte autem viventium æque potest eos obligare ad non sepeliendum infantium corpora, sicut adultorum.

9. *Tertium dubium de infante, qui durante interdicto pervenit ad usum rationis. — Conclusio.* — Hic vero tertio inquiri potest, si tempore, quo interdictum latum est, infans nondum utatur ratione, durante vero interdicto ad usum rationis perveniat, an statim incipiat interdicto ligari. Itemque dubitari potest de persona, quæ tempore, quo lata est sententia, nondum erat pars communitatis, durante vero interdicto, illi conjungitur; et proportionale dubium locum habet in interdicto locali, si nova capella, vel novum cœmeterium adjungatur Ecclesiæ interdictæ. Ad quod breviter dicendum est, in eo casu puerum statim ac ratione uti incipit, simul etiam incipere interdicto ligari. Quæ est communis opinio Canonistarum, qui idem dicunt de infantibus de novo natis durante interdicto per plures annos, cum Glossa, in cap. Si sententia, de Sententia excom., in 6, verb. *Non competant,* et Panormitano, in cap. Quoniam, de Offic. ordin., in princ., et cap. Cum in partibus, de Verborum signif., in princ. Idemque dicendum est de eo, qui durante interdicto, de novo fit membrum communitatis interdictæ, ut notavit Sylvester, *Interdictum,* 2, vers. 9.

10. *Conclusio etiam in locali interdicto procedit.* — Ratio est, quia jam ille est capax interdicti, et aliunde est, vel fit pars communitatis, quæ universe interdicta est, et ideo statim participat vinculum ejus; nam ad hoc nec requiritur culpa in tali persona, neque etiam oportet, ut a principio ligata fuerit; nam sententia prius lata eamdem vim semper habet, et quasi continue influit in totam illam communitatem. Et in hoc est differentia inter generale interdictum communitatis, et speciale, etiamsi hoc in plures, vel omnes personas de collegio feratur; nunquam enim extenditur ad alias personas, etiamsi de novo illi communitati adjungantur, quia non communitas ut sic, sed singulæ personæ ligatæ fuerant, quod secus est in interdicto generali. Atque eadem ratione idem dicendum est de interdicto locali, quoad partem adjectam loco

interdicto, si revera ejus efficiatur pars, sitque minus præcipua, et quasi accessoria, quia eadem proportionalis ratio in illa locum habet. Quod verum est tam in interdicto particulari loci quam in generali, quia uterque locus est quoddam totum, et utrique fieri potest alicujus partis adjectio, qua facta nihilominus semper idem locus manet, in quem per se, ac directe latum est interdictum; et ideo semper totus ille locus interdictus manet. Nam, ut dixit Bartholus, in l. Si converterit, § Nulla, ff. de Pignoratitia actione, locus adjectus alteri, si unus cum eo efficiatur, cui adjicitur, legibus ejus, cui adjectus est, gubernatur. Oportet autem, ut locus addatur loco; nam si addatur personæ, non fit unus locus, nec propterea communicatur interdictum; ut licet regnum Lusitaniæ sit additum regi Castellæ, nihilominus interdicto regno Castellæ, non esset interdictum regnum Lusitaniæ, quia non est additum regnum regno, ita ut ex utroque factum sit unum politicum corpus. Necesse est etiam, ut maneat idem locus, vel idem populus, morali, et humano modo loquendo; nam si tanta sit additio, ut vincat, et superet pars addita et non interdicta, vel etiam tanta sit mutatio ut neuter locus manere censeatur, sed novus consurgere, non solum non afficietur interdicto id, quod additur, verum potius totum interdictum cessabit, quia destructum est subjectum ejus.

11. *Quartum dubium. — Num per generale interdictum personale possit quis seipsum interdicere. — Ratio dubitandi.* — Ultimo circa personam quæ interdicitur, dubitari potest, an per interdictum generale personale possit quis seipsum interdicere. Quod dubium non habet locum in interdicto speciali; jam enim de censura in communi ostendimus, neminem posse seipsum censura ligare. Quod maxime verum est de censura directe lata in seipsum, qualis est omnis censura personalis. At vero mediate et per redundantiam, prout fieret per interdictum generale, non videtur hoc repugnare, quia qui immediate interdicitur, quid distinctum est a persona ferente interdictum, saltem ut totum a parte; ergo hoc satis est, ut possit aliquis et ferre interdictum in aliquam communitatem, a quo illo modo distinguitur, ut Episcopus in totum clerum, et simul possit ligari interdicto illo tanquam pars illius communitatis. Et confirmatur a contrario, nam communitas interdicere potest aliquod membrum suum, ut supra de censura in communi dictum est; ergo et pars potest interdicere communitatem, et quasi per consequens, et concomitanter, seipsum ut partem ejus, sicut rex suis legibus obligat regnum, et concomitanter seipsum, et Pontifex concedendo indulgentiam communitati, concedit sibi.

12. *Conclusio.* — Respondetur nihilominus, hoc non posse fieri, sed quotiescumque aliquis interdicit communitatem, cujus ipse videtur esse pars sub aliqua ratione, non interdicit illam ut talem seu ut ipsum comprehendit, sed sub alia magis particulari; ut quando Episcopus interdicit suum clerum, respicit illum ut corpus distinctum a se; alioqui etiam Papa interdicendo, v. gr., generale Concilium, posset hoc modo seipsum interdicere, quod plane falsum est. Ratio vero est, quia ligare aliquem interdicto pertinet ad jurisdictionem coercivam; nemo autem potest habere hanc jurisdictionem in seipsum, nec directe, nec per redundantiam, quia repugnat actui talis jurisdictionis, qui de se coactionem includit. Item ille qui interdicit, debet esse superior; nemo autem habet jurisdictionem superioris in totam aliquam communitatem includendo seipsum, ut per se satis constat, et ita facile solvuntur rationes dubitandi in contrarium objectæ.

SECTIO III.

Quam ob causam ferri possit interdictum.

1. *Conclusio prima.* — In hac sectione explicanda est causa finalis interdicti, cujus cognitio maxime pendet ex causa seu culpa, propter quam ferri potest. Nam cætera omnia, quæ de hac causa dici poterant, per se et ex superioribus satis nota sunt. Nam cum unaquæque res sit propter suum effectum, omnes effectus proprii interdicti possunt dici finis ejus; tamen cum hi effectus sint pœnales, non sunt propter se intenti, sed propter alia, scilicet propter punitionem vel emendationem delicti. Cum ergo in superioribus dictum sufficienter sit de ejus effectibus, solum superest declarandum, quæ sit causa, ob quam et interdictum, et effectus ejus possunt imponi. Quia vero in diversis speciebus interdicti diversæ causæ requiruntur, ideo de singulis melius dicemus; nam in communi solum dicere possumus ea, quæ communia sunt omnibus censuris, nimirum, interdictum cum sit pœna, et ex suo genere gravissima, non posse ferri, nisi propter culpam sibi pro-

portionatam, ut supra in proprio loco ostendimus.

2. Dico ergo primo : interdictum personale speciale non potest in aliquem ferri nisi propter propriam culpam ejus, quam oportet esse mortalem, si interdictum simpliciter et absolute feratur; posset autem sufficere venialis, si interdictum nimis limitatum et leve imponeretur. Prima pars communis est et probatur facile, quia interdictum cum sit pœna, requirit culpam; sed cum in aliquem in particulari imponitur, est propria et specialis pœna illius tantum; ergo requirit culpam ejus, alias nec rationabiliter, nec juste talis pœna imponeretur.

3. Secunda pars et per se et ex dictis in simili de suspensione et excommunicatione nota est; nam sine dubio interdictum integrum est gravissima pœna, quia privat hominem maximis bonis, scilicet spiritualibus, ad quæ habet jus; ergo non potest juste ferri propter levem culpam. Ultima vero pars declaratur, quia potest interdictum ferri non in totum, sed ex parte, ut dictum est de ingressu Ecclesiæ, et possit similiter ferri interdictum ab usu communionis ad breve tempus; ergo interdictum sic limitatum posset ferri propter solam venialem culpam. Patet consequentia, quia tale interdictum non est gravior pœna, quam sit excommunicatio minor; sed hæc ferri potest pro veniali culpa; ergo et tale interdictum, quanquam verum sit raro ferri hujusmodi interdictum.

4. *Conclusio secunda.* — Dico secundo : interdictum personale generale longe graviorem causam et culpam requirit, quam speciale; non tamen eam exigit in omnibus personis, quæ tali interdicto ligantur, sed in corpore morali, ut tale est, vel in magna parte personarum ejus, vel in capite. Tota assertio sumpta est ex communi doctrina. Et probatur prima pars, quia pœna esse debet proportionata culpæ; sed hoc interdictum longe gravius est, quam speciale, quia non solum unam et aliam personam, sed totam communitatem plurimum gravat; ergo requirit longe graviorem causam. Unde cum propria causa pœnæ sit culpa, etiam requirit graviorem culpam. Secunda pars expressa est in cap. Si sententia, de Sentent. excom., in 6, et constat in simili ex dictis de suspensione communitatis. Nec potest aliter censura ferri in communitatem, ut sic; nam si tantum possent personæ delinquentes ligari, oporteret singulorum causas seu culpas examinare, et tunc de singulis sententiam ferre. Item ob eam causam non potest excommunicatio ferri in communitatem, quia nemo potest sine propria culpa excommunicari; ergo hoc ipso quod interdictum ferri potest generatim in communitatem, fit consequens, ut per illud ligari possint etiam qui non peccarunt.

5. *Cujus culpa sufficiat ad interdictum personale generale. — Tres gradus hujus delicti. — Secundus. — Tertius.* — In tertia vero parte explicatur, cujusnam culpa sufficiat ad hoc interdictum ferendum, et, ut manifestum supponitur, non cujuscumque privatæ personæ delictum sufficere ad hoc generale interdictum ferendum, quia pœna debet esse proportionata culpæ; pœna autem communis non est proportionata culpæ privatæ, sed excedens; ergo contra rationem est, ut propter contumaciam vel delictum unius vel alterius privatæ personæ, tota communitas patiatur. Oportet ergo, ut delictum aliquo modo sit commune, in quo possunt esse tres gradus in conclusione explicati : unus est, si rector vel dominus populi causam dederit interdicto, prout habetur in dict. cap. Si sententia. Et ratio est, quia delictum capitis est quodammodo commune, et quia sicut talis culpa capitis quodammodo redundat in corpus propter conjunctionem, et quia potestas superioris est quodammodo totius communitatis, ita e converso talis pœna totius corporis redundat in caput et auget afflictionem ejus, quia subditi aliquid moraliter sunt ipsius domini seu Prælati. Secundus gradus est, quando delictum ipsum procedit a communitate, ut talis est, scilicet a Capitulo, a collegio, etc. Quod etiam est certissimum, quia tunc delictum est maxime publicum et commune, et quia tunc proprie pœna fertur in eum, qui deliquit. Nec vero necesse est, ut omnes de universitate formaliter, ut sic dicam, conveniant in illam congregationem, ex cujus consensu proxime fit delictum; sed satis est, quod talis congregatio totam universitatem repræsentet; ut interdicitur tota respublica propter delictum commissum publico concilio Senatorum, etc., quia illud concilium est vel ipsius capitis, vel certe totius corporis, quod illi congregationi commisit vices suas, et ita est in illa repræsentative seu virtute. Atque eadem ratione necesse non est, ut omnes particulares personæ talis congregationis consentiant, sed sufficit, ut totum corpus operetur. Tertius gradus est, si majori ex parte tale delictum in personis illius communitatis inveniatur,

quamvis non fiat nomine communitatis vel ex aliqua publica potestate; et hoc non est adeo certum, quia tale delictum absolute non est commune, et posset cum proportione puniri interdicendo specialiter plures personas communitatis. Et ideo ita videtur hic gradus explicandus, ut implicite saltem aliquem ex superioribus includat, et ad hoc declarandum illum proposuimus. Si enim princeps vel respublica nec expresse, nec tacite consentiat tali delicto, sed faciat quod potest et debet ad illud impediendum, non videtur illa sufficiens ratio ferendi generale interdictum personale, ut ratio facta probat. At vero si in hujusmodi casu gubernator aut respublica non resistat, sed negligenter se gerat, tacite censetur consentire aut inique illud permittere; ideoque illa jam est sufficiens causa hujusmodi interdicti, quia in principem seu communitatem redundat.

6. *Conclusio tertia.*—Dico tertio : interdictum locale generale, ut juste feratur, requirit causam gravissimam, quæ non solum peccatum mortale contineat, sed etiam sit generalis ex peccato aliquo modo publico seu communi procedens. Ita sentiunt communiter Doctores, ut patet ex Sylvestro, verb. *Interdictum,* 3, quæst. 5; Angelo, *Interdictum,* 3, num. 5; Navarro, cap. 27, num. 168; Covarruvia, in cap. Alma, part. 2, § 1, num. 4 et 5; Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 1. Et probatur fere eodem modo, quo præcedens conclusio; nam hoc interdictum etiam est censura et pœna gravissima ; ergo necessario requirit culpam gravem et mortalem; imo recte dicunt dicti auctores, ad hoc interdictum ferendum graviorem causam postulari, quam ad ferendam excommunicationem, quia est pœna, quæ redundat in totam communitatem, quam privat quodammodo divino cultu publico, quo solent homines maxime ad devotionem excitari; ex quo multa alia incommoda sequuntur, quæ recensentur in cap. Alma, et in Extravagant. *Provide,* de Sentent. excomm., et sæpe alias. Rursus causa hujus interdicti non potest inveniri in illa re, quæ immediate afficitur tali interdicto; est enim locus, qui directe interdicitur ; at ille non est capax culpæ, quæ est proxima causa interdicti. Necesse est ergo, ut talis causa sit in aliquo homine, ad quem locus ille, qui interdicitur, aliquo modo pertineat; non enim potest locus interdici propter peccatum personæ omnino extraneæ, alioqui pœna nullo modo redundaret in auctorem delicti, sed tantum in alios. Præterea non satis est, quod sic delinquens sit aliqua persona privata illius loci, quia pœna hæc redundat in totam universitatem, quæ non debet ita gravari propter unius privati delictum. Necesse est igitur, ut tale delictum sit ipsius principis, seu gubernatoris, aut totius communitatis eo modo, quo interdicto generali personali declaratum est. Nam interdictum locale in hoc cum illo convenit, quod ita gravat communitatem, ut se extendat etiam ad innocentes, qui nullam causam dederunt; nam illi etiam non possunt in loco interdicto divinis interesse, etc., et ideo oportet, ut causa aliquo modo communis sit. Atque ita in cap. Non est vobis, de Sponsal., propter peccatum regis regnum ejus interdicto subjicitur, et in cap. Si sententia, de Sent. excom., in 6, habetur, propter peccatum domini vel rectoris interdici posse civitatem.

7. *An ob peccatum spiritualis pastoris ferri possit interdictum generale loci.* — Dubitari tamen solet, an propter peccatum spiritualis pastoris, ut Episcopi, v. gr., possit poni hoc interdictum generale loci. Quidam negant, nisi Episcopus sit etiam temporalis dominus illius loci. Sed hoc nec jure, nec ratione fundatum est; nam in cap. Sane, 2, de Officio deleg., dicitur, judicem delegatum Pontificis, si ei Episcopus obedire nolit, posse propter ejus contumaciam terram ejus jurisdictioni subjectam interdicto supponere. Neque est ulla ratio, ob quam conjunctio seu subjectio temporalis ad hoc sufficiat, non vero spiritualis. Atque ita notavit Abbas, in dict. cap. Sane, num. 6, et ibi Felinus, Decius, et alii, et Covarruvias supra.

8. *An propter temporale debitum possit imponi interdictum generale locale. — Num possit imponi particulare.* — Dubium vero est, an propter debitum temporale solvendum possit hoc interdictum poni, quando Episcopus vel princeps est contumax in non solvendo. Respondetur breviter, auctoritate Summi Pontificis poni posse, quia etiam illa contumacia potest esse grave delictum talis principis; sine licentia autem Pontificis non posse, quia ita cautum est in Extravagant. *Provide,* de Sentent. excomm., ubi nec potestate ordinaria, nec delegata, tale interdictum ferri permittitur propter dictam causam, nisi *de licentia speciali et expressa Apostolicæ Sedis, per ipsius Sedis patentes litteras apparente;* et interdictum alias latum, *irritum* et *inane dicitur*. An vero illa decisio extendatur ad interdictum locale particulare, incertum

est; frequenter enim auctores censent, ibi tantum esse sermonem de interdicto generali; ideoque in particulari Ecclesia posse poni interdictum propter hujusmodi causam sine speciali licentia Pontificis. Ita Navarrus, dicto num. 168, qui citat Calderinum, et Dominicum, et Stephanum; et Sylvester refert Archidiaconum; contrarium tamen tenet Covarruvias. Cui sententiæ videntur favere verba textus, quæ generalia sunt, præsertim si vox illa, *locus,* in sua generalitate sumatur; tamen si recte expendantur verba textus, ibi *locus* non ita sumitur, sed pro parvo oppido, ut Glossa etiam intellexisse videtur. Et ideo probabilius est, ibi tantum esse sermonem de interdicto generali, quia omnia verba textus in illud tantum proprie conveniunt. Unde nec ad interdictum generale personale illum textum extendendum censerem, quamvis videatur esse fere similis ratio; tamen hoc non sufficit, quando verba legis limitata sunt. Atque ita intellexit textum illum Panormit., in cap. Cum in partibus, de Verb. signif.

9. *Conclusio quarta.* — Ultimo dicendum est, interdictum locale particulare etiam requirere culpam gravem, et aliquo modo communem, quamvis minorem, quam interdictum generale. Hoc ultimum per se notum est, quia hoc interdictum multo minus gravis pœna est, quam generale. Primum vero declaratur, quia hoc interdictum est gravius ex suo genere, quam interdictum particulare personale, quia redundat in gravamen plurium personarum, etiam innocentium ; ergo requirit graviorem causam. Unde fit, nec ferri posse propter peccatum, quod mortale non sit, nec etiam propter peccatum omnino privatum unius personæ particularis, cum pœna sit aliquo modo communis; igitur servanda est proportio inter hanc pœnam et culpam, ut in reliquis; quod arbitrio prudentis relinquendum est.

Solvitur difficultas quædam circa præcedentes conclusiones.

10. Una vero superest difficultas, præsertim circa tres ultimas assertiones. Quia non videtur justa pœna, quæ non solum in eos, qui peccarunt, sed etiam in innocentes redundat. Item quia ex hoc genere censuræ magna incommoda videntur sequi populo Christiano in rebus spiritualibus, quæ non videntur permittenda, nedum inferenda propter emendandum alicujus delictum; præsertim cum commune bonum præferendum sit cuicumque particulari. Magisque urget hæc difficultas, quando hæc censura non infertur, ut recedatur a contumacia, sed simpliciter pro delicto commisso; nam pœna, quæ sic imponitur, non est ad emendationem, sed ad vindictam; videtur autem non expedire, privare aliquem spiritualibus bonis in vindictam peccati; multoque magis improportionatum videtur privare totam aliquem communitatem eisdem bonis in vindictam alieni peccati.

11. *Respondetur ad difficultatem.* — Respondetur, quando interdictum fertur, ut recedatur a contumacia, esse non solum licitum, verum etiam valde expediens, dummodo ex causa legitima, et proportionata, et prudenti ac moderato modo fiat, quia est medium efficax ad reprimendum inobedientes Ecclesiæ, et ad defendendam Ecclesiæ auctoritatem et potestatem. Nec refert, quod aliqua incommoda sequantur, quia non sunt substantialia, sed accidentalia, et propter majus bonum permitti possunt; nulla enim fere est medicinalis pœna, quæ non afferat aliquod detrimentum; toleratur tamen propter utilitatem medicinæ. Nec etiam obstat, quod gravamen hujus pœnæ interdum redundet in innocentes : tum quia satis est, quod sint partes illius communitatis, cui aliquo modo attribuitur delictum, propter quod fertur interdictum; tum maxime quia cum Ecclesia præcipue ferre soleat hanc censuram propter suam auctoritatem et dignitatem tuendam, mirum non est, quod interdum permittat privata incommoda propter hoc bonum commune, quod majus est.

12. *An generale interdictum ferri possit in puram pœnam. — Prima opinio affirmans. — Excluditur responsio.* — At vero si interdum feratur pro delicto commisso ut pura pœna, nonnulla major est difficultas; nam quod ita ferri possit, communiter affirmari videtur, ut notavi supra, disputat. 3, sect. 4. Et indicat Navarrus, cap. 27, num. 164 et 165. Quo supposito responderi potest, pœnam interdicti non esse spiritualem; ideoque non esse inconveniens, ut prædicto modo feratur. Ita significat Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 1, num. 4, et probat, quia interdictum proprie animam non afficit, nec privat communione suffragiorum Ecclesiæ. Sed hæc responsio mihi non probatur; nam imprimis omnis censura est spiritualis pœna, ut supra ostendimus agendo de censuris in communi. Deinde manifestum videtur, illa bona, quibus

hæc censura privat, non solum esse spiritualia utcumque, vel spiritualibus annexa, sed etiam per se multum conferre ad spirituale bonum animæ; hujusmodi enim est sacramentorum usus, et sacrificii, aliorum divinorum officiorum participatio; est ergo interdictum et pœna spiritualis, quatenus censura est, et privans bonis pertinentibus ad spiritualem salutem, saltem causaliter, quatenus talis censura est. Et ideo potest aliter responderi ex Glossa, in cap. Si sententia, de Sententia excommunicationis, in 6, verb. *Interdicti,* dicente, pœna spirituali posse aliquem puniri pro delicto alterius. Quod confirmat ex his, quæ Gratianus late tractat, 1, quæst. 4, et 24, quæst. 3. Et ratio reddi potest, quia tunc illa non est proprie pœna ejus innocentis, qui illam patitur, sed alterius, qui deliquit, qui in alio sibi conjuncto punitur, et per illum affligitur. Item quia licet bona, quibus hæc censura privat, spiritualia sint, non tamen sunt simpliciter necessaria, et aliis modis compensari possunt.

13. *Interdictum generale non fertur in puram pœnam.* — Sed nihilominus hactenus probatum satis non est, interdictum locale vel personale generale ferri posse juxta usum Ecclesiæ, ut puram pœnam delicti commissi, quia neque in jure tale interdictum latum invenio, neque a judicibus Ecclesiasticis aliquando ita fertur. Hoc posterius constat ex usu; prius vero probatum est in dicta sect. 4. Et textus, quos in contrarium Navarrus adducit, nihil probant, scilicet, cap. 2 de Constitutionibus, in 6, ubi solum dicitur, statuto Episcopi non ligari ignorantes, quod ad rem præsentem nihil facit; et cap. Quanquam, de Censibus, in 6, ubi quoddam interdictum ipso jure fertur, non tamen sine contumacia, et donec ab illa recedatur, ut magis patebit infra tractando de singulis interdictis; ubi etiam constabit, nunquam aliter ferri interdictum in jure. Facilius ergo et fortasse melius responderi posset negando, hæc interdicta ferri in puram pœnam seu vindictam; nam quod id certe non expediat, ratio facta multum suadet, maxime cum id non videatur necessarium ad Ecclesiæ auctoritatem et potestatem tuendam. De interdicto autem particulari personali id facilius concedi posset, quia id non redundat in damnum innocentum, et alioqui potest interdum conferre ad confusionem ejus, qui ita punitur, et ut in futurum cautior fiat, sicut aliquis interdum privatur communione aut ingressu Ecclesiæ pro aliquo tempore, ut patet in cap. 1 de Sentent. excomm., in 6, et ex supra tractatis disputando de excommunicatione minori, et alia addemus disputatione sequenti.

14. Ultimo dubitari poterat, an sententia interdicti lati sine legitima causa, atque adeo injusta, valida sit. Sed de hac re videantur dicta de censuris in communi; nulla enim superest specialis difficultas.

SECTIO IV.

Quæ forma servanda sit in sententia interdicti ferenda.

1. *Quid de substantia hujus formæ.* — Duo possunt inquiri, quid pertineat ad substantiam hujus formæ; quid vero ad accidentalem solemnitatem ejus. Circa priorem partem videnda sunt dicta de censuris in communi et hic cum proportione applicanda; nam de substantia hujus formæ solum sunt verba, quibus talis censura cum sufficiente specificatione et determinatione feratur. Nam sine verbis (sub quibus signa æquivalentia comprehendimus), non potest humanus judex aliquid operari; per illa vero efficaciter operatur, supposita potestate, et aliis requisitis. Quia vero hæc verba practica sunt, et operativa, et operationes sunt circa singularia, ideo necesse est, ut in talibus verbis sit significatio sufficienter determinata, tum in specie censuræ, tum in individua persona vel loco, in quem fertur; nam si in hoc maneret incerta vel indifferens, nihil operaretur. Præter hæc autem nihil aliud, nec certa aliqua verborum forma præscripta est, ut feratur interdictum, sicut de omni censura Ecclesiastica diximus.

2. *An verbum Interdico, sit de substantia formæ. — Conclusio. — Limitatio interdicti exprimi debet in ipsa forma.* — Quæri vero potest, an sit necessarium uti hoc verbo, *Interdico.* Quidam enim ita opinantur, ut refert et ex parte sequitur Maiolus, lib. 3 de Irregularit., cap. 20, num. 10, qui nescio quam differentiam in hoc invenit inter personale interdictum particularis personæ, et reliqua. Sed ego nullam invenio, quia non magis est præscripta verborum forma in interdicto generali quam in particulari; unde in nullo censeo esse necessarium illud formale verbum, *Interdico.* Sicut in cæteris non est necessarium verbum *Excommunico,* aut *Suspendo;* imo aliquando fertur censura interdicti per verbum *Suspendo,* ut de interdicto ab ingressu Ecclesiæ supra diximus. Potest etiam ferri

per verbum *Separo, Prohibeo,* vel aliud simile, dummodo ex aliis verbis adjunctis, vel ex materia subjecta, et circumstantiis satis significetur, sermonem esse de hac censura in tali modo, vel specie ejus, et in tali individuo. Atque eadem ratione, si interdictum feratur limitatum quoad effectus, vel tempus, in forma id exprimi necesse est; nam, si absolute feratur quantum ad hæc duo, et omnes effectus interdicti operabitur, et quantum est ex vi talis sententiæ, vel juris, semper durat, donec auferatur. Quæ duo ita hic explicanda et probanda sunt, sicut similia de suspensione diximus; et priorem partem in hac ipsa materia sæpe tetigimus; de posteriori autem dicemus infra agentes de interdicti relaxatione.

3. *De solemnitate accidentali.— Triplex genus solemnitatis accidentalis.— Antecedens.— Concomitans. — Subsequens.* — Superest dicendum de altera parte proposita, scilicet de solemnitate accidentali. In qua tria, prout in aliis fecimus, distinguimus, nimirum, quod antecedit, comitatur, vel subsequitur sententiam. Antecedens solemnitas dici potest monitio, quæ præcedere debet, de qua sufficienter diximus tractando de censuris in communi. Et resolutio est, quoties interdictum fertur per modum censuræ ad reprimendam contumaciam, monitionem debere præcedere. Si autem aliquando feratur ut pura pœna propter delictum præteritum, tunc non esse necessariam monitionem. Quæ autem admonitio in priori casu accidentalis sit, quæ vero substantialis, eodem loco satis explicatum est. Solemnitas concomitans dicitur illa, quæ in sententia ferenda servanda est juxta cap. 1 de Sentent. excomm., in 6, cujus decisio in hac etiam censura locum habet, et supra de censuris in communi sufficienter tractata est. Et ad hanc partem revocari possunt omnia, quæ spectant ad judiciarium ordinem rite servandum; quamvis inter ea nonnulla dici possint substantialia, quia ex eis valor sententiæ pendet, vel quia ita expressum in jure est, vel quia jurisdictio judicis a tali circumstantia pendet, ut si sententiam ferat post legitimam appellationem interpositam. De quibus omnibus dicto loco satis dictum est. Solemnitas subsequens dicitur denunciatio hujus censuræ. De qua propter dicta de censuris in communi, in interdicto habet nonnullam difficultatem quomodo necessaria sit, ut liget vel personam, contra quam talis censura fertur, vel alias, quam explicabimus commodius in fine sequentis disputationis.

DISPUTATIO XXXVII.

DE OMNIBUS INTERDICTIS JURE IPSO LATIS.

Priusquam de relaxatione interdicti dicamus, visum est singula interdicta, quæ in jure lata inveniuntur, declarare, quoniam et disputatio hæc nonnullam connexionem habet cum præcedenti, et illa expedita (quod breviter fieri potest) facilius omnium interdictorum relaxatio declarabitur. Exponemus ergo prius singula decreta hanc censuram imponentia; postea vero quomodo tale interdictum jure latum ipso facto liget, explicabimus.

SECTIO I.

Quæ, et quot interdicta ipso jure lata inveniantur.

1. Quoniam hæc censura rarius in jure fertur, quam superiores, ideo non oportebit per singulos libros, seu tomos juris discurrere, sed solum per species interdicti personalis et localis, generalis et particularis; nam in singulis inveniuntur particulares casus, in quibus per jura feruntur.

Interdicta specialia personalia.

2. *Primum contra judices non servantes formam præscriptam in ferendis censuris. — Quatuor adnotanda.*— Primum interdictum in hac specie sumitur ex cap. 1 de Sentent. excomm., in 6, ubi Ecclesiasticus judex, qui in ferendis censuris non servat formam ibi præscriptam, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, et divinis officiis suspenditur. In quo textu nonnulla breviter sunt notanda. Primum est verbum illud, *Si quis judicum hujus constitutionis temerarius violator existat;* nam juxta illud necesse est, ut ex certa scientia, et directa voluntate, vel certe ex tanta negligentia, quæ illi moraliter æquivaleat, et non ex aliqua inadvertentia talis transgressio contingat; hoc enim requiritur, ut aliquis dicatur *temerarius violator;* quod in aliis censuris sæpe notavimus, et ex ibi dictis explicandum est. Secundum est, licet pœna illa feratur per verbum suspendendi, tamen quatenus suspendit ab ingressu Ecclesiæ, non esse censuram suspensionis, sed interdicti, quia ex effectu, et ex materia necessario determinatur verbum ad hanc significationem, ut in superioribus notavi. Verisimile

tamen est quatenus ibi exprimitur suspensio a divinis officiis, non tantum id intelligi intra Ecclesiam, sed etiam extra illam, quia ad hoc videtur illa particula specialiter adjecta, alioqui nihil operaretur; et quia illa privatio divinorum officiorum non tantum active, sed etiam passive intelligenda est, ideo illa non est suspensio, sed interdictum. Tertium est, quamvis illa pœna feratur in transgressores illius legis, atque adeo in contumaces contra monitionem in ipsa lege inclusam, nihilominus non ferri proprie, ut recedatur a contumacia, sed in vindictam delicti; nam fertur per determinatum tempus, intra quod non est quis absolvendus ab interdicto quantumvis satisfaciat, et pœnitentiam agat. Quartum est, hanc censuram non extendi ad Episcopos, quia eorum non fit expressa mentio, juxta regulam cap. Quia periculosum, de Sentent. excomm., in 6.

3. *Secundum contra eum, qui excommunicat. non præmissa competenti monitione.* — Secundo fertur similis censura in cap. Sacro, de Sent. excom., ubi per mensem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, qui excommunicationis sententiam profert in aliquem nisi competenti admonitione præmissa, et personis præsentibus idoneis, per quas possit admonitio probari. Ubi etiam ponitur verbum illud, *Si contra præsumpserint,* quod æquivalet alteri, *Si temerarius violator existat;* hic tamen non additur verbum illud, *Et divinis officiis;* et ideo est pura interdictio ingressus Ecclesiæ, et consequenter divinorum officiorum tantum in illa; expressiusque hic proponitur hæc pœna nomine interdicti. Quod in hoc etiam differt a præcedente, quia non extenditur ad alias censuras, seu ad judices omittentes hujusmodi admonitionem in quibuscumque censuris ferendis, sed in sola excommunicatione, quia de illa solum loquitur textus ille, et extendendus non est. Qualis autem esse debeat illa admonitio, superius in proprio loco dictum est, et facile intelligi potest ex cap. Constitutionem, de Sentent. excomm., in 6.

4. *Tertium contra Episcopos usurpantes bona Ecclesiarum, etc.* — Tertio fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesiæ in cap. Præsenti, de Offic. ord., in 6, specialiter contra Episcopos, et eorum superiores, qui usurpant bona Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium, vel fructus eorum, ad ipsorum utilitatem pertinentes, vel ad eos, qui in talibus beneficiis succedunt. Est autem hoc interdictum simpliciter ab ingressu Ecclesiæ *quousque restitutionem fecerint de prædictis.* De quo textu, quia contra inferiores Prælatos propria censura suspensionis in eo fertur, diximus inter explicandum suspensiones juris, et ideo plura hic addere non est necesse.

5. *Quartum contra violantes interdictum. — De quo interdicto sit sermo in 1 part. textus.* — Quarto fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesiæ contra omnes, quantumcumque exemptos, vel cujuscumque ordinis, aut religionis existant, qui violant interdictum locale ab homine, vel a jure latum, *scienter celebrando, vel faciendo celebrare divina in civitatibus, castris, villis, seu locis aliis interdictis, nisi quatenus eis a jure conceditur.* Atque etiam contra eos, *qui excommunicatos publice vel interdictos ad divina officia seu Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt.* Ita habetur in c. Episcoporum, de Privil., in 6, circa quem textum supra, disput. 2 de hac materia, sect. 3, cum Navarr., Covarr., cap. Alma, part. 1, § 6, num. 9, notavimus, non intelligi generaliter de omnibus personis Ecclesiasticis, sed specialiter de exemptis a jurisdictione ordinaria Episcoporum. Dubitari autem potest circa priorem partem, an in ea sit tantum sermo de interdicto locali generali, vel de quocumque. Nam, juxta quamdam interpretationem in simili datam superiori disput. ad Extravag. *Provide,* videntur illa verba restringenda ad interdictum generale. In contrarium autem est, quia illa verba, *Seu locis aliis interdictis,* videntur valde universalia, et comprehendere quæcumque loca, etiam particularia interdicta. Res quidem est dubia; nihilominus probabilius videtur, sermonem ibi tantum esse de interdicto generali loci, tum propter rationem tactam, quod verba optime ad hunc sensum limitantur, et cum sint pœnalia, coarctanda sunt; tum etiam ex ratione, et motivo legislatoris, quod in principio textus tangitur, scilicet, *propter abusum exemptorum non servantium interdicta,* et querimonias Episcoporum inde ortas. Nam hæc ratio solum in interdictis generalibus locum habet, ut constat ex ipso usu, et ex Clement. 1 de Sentent. excomm.

6. *Notandum circa posteriorem partem textus. — Limitatio præcedentis interdicti quoad posteriorem partem.* — Circa posteriorem partem advertendum est proprie ibi ferri hanc pœnam contra participantes cum publice excommunicatis vel interdictis; non vero cum suspensis, quia de his ibi non fit mentio.

Item illud *publice,* nunc intelligendum est juxta Extravag. *Ad evitanda*, ut ex superioribus constat. Non distinguitur autem de excommunicatis a jure, vel ab homine; et ideo omnes comprehenduntur, ut ibi expositores notant, quia nulla est ratio coarctandi absoluta et indefinita verba legis, quæ ex se universalia sunt, præsertim cum negationem includant. Excommunicatorum autem nomine intelligendi sunt ligati majori excommunicatione, tum quia, juxta interpretationem juris, excommunicatio absolute sumpta pro majori sumitur; tum etiam quia quamvis ligatus minori excommunicatione teneatur abstinere a sacramentorum participatione, alii autem non tenentur ex vi censuræ illum vitare; ideoque, quamvis aliquis det sacramentum hujusmodi excommunicato, non violat censuram, et ideo neque hanc pœnam incurrit, etiamsi fortasse alias peccare possit dando sanctum canibus, vel cooperando peccato alterius. Præterea hæc pœna non fertur contra omnes participantes in quibuscumque rebus, sed in tribus rebus sacris, scilicet, *divinis officiis, sacramentis,* et *Ecclesiastica sepultura,* ac denique non de quacumque participatione in his eisdem rebus, sed de illa, quæ specialiter significatur per verbum illud, *admittant,* nam hic actus specialiter videtur pertinere ad eos, ad quorum curam spectat prohibere, vel admittere aliquem ad hujusmodi actus. Unde, si religiosus recipiat sacramentum a persona excommunicata alioqui celebrante, vel corpus ejus ad sepulturam comitetur, non videtur hanc pœnam incurrere, quia ipse proprie non admittit, quamvis cooperetur; secus vero est, si religiosus scienter ministret sacramentum excommunicato denunciato; nam qui ministrat, vere admittit alium ad usum sacramentorum.

7. *Quintum contra Prælatos qui recipiunt aliquid contra constitutionem Innocentii IV.* — Quinto fertur simile interdictum ab ingressu Ecclesiæ contra Episcopum, et superiores Prælatos, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam recipiunt aliquid contra constitutionem Innocentii IV, in cap. Romana, de Censibus, in 6, ferturque hoc interdictum in c. Exigit, eodem titulo et libro, non tamen absolute, sed sub ea conditione, *Si intra mensem duplum ejus, quod receperint, non restituerint.* In Extravaganti autem unica de Censibus, inter communes, extenditur hæc conditio, seu tempus restitutionis hujus ad duos menses. Et ibidem extenditur illud interdictum ad omnes de familia visitatoris, qui per se, vel alios aliquid recipiunt ab iis, qui visitandi sunt, præter id quod illis est jure concessum; hæc vero jura a nobis superius sunt exposita, cum de suspensionibus ageremus, quia ibi simul fertur pœna suspensionis in inferiores Prælatos simile delictum committentes.

8. *Sextum contra judices Ecclesiasticos qui Romæ degentes privant beneficiis.* — Sexto fertur sententia interdicti absolute, et sine restrictione ulla, contra Ecclesiasticos judices, qui officiales Romanæ curiæ, vel alios, qui ad eamdem curiam pro suis negotiis profecti sunt, privant suis beneficiis Ecclesiasticis, et aliis ea conferunt; eademque censura extenditur ad eos qui ea recipiunt. Ubi solum adverto, ibi non tantum ferri censuram interdicti, sed etiam excommunicationis et suspensionis; ideoque, licet censuræ illæ ferantur contra omnes *quacumque dignitate præfulgeant,* quia tamen generalibus verbis feruntur, ideo verisimiliter posse exponi cum distributione accommoda, ita ut excommunicatio comprehendat Episcopos, et superiores, non vero interdictum, quia hoc generaliter latum non comprehendit Episcopos, sicut nec suspensio. Item adverto, ibi reservari Summo Pontifici absolutionem ab excommunicatione ibi lata; de suspensione vero, et interdicto nihil dici; ideoque non esse reservationem illam extendendam, cum odiosa sit. Cætera pertinentia ad illum textum videantur supra in materia de excommunicatione.

9. *Septimum in eum qui recipit de manu laici Ecclesiasticam dignitatem, cap. Si quis deinceps,* 16, *quæst.* 7. — Septimo fertur interdictum in eum, qui Episcopatum, vel Abbatiam vel quamcumque inferiorem Ecclesiasticam dignitatem de manu laicæ personæ susceperit. Ita habetur in cap. Si quis deinceps, 16, quæst. 7. Circa quod noto, illam pœnam non simpliciter ferri, sed sub ea conditione, *Quousque locum resipiscendo non deseruerit.* Ex quo satis constat, interdictum illud latum esse, ut a contumacia recedatur. An vero tunc cesset ipso jure, vel necessaria sit absolutio, postea dicemus. Illud vero certum videtur, si quis talem dignitatem a laico acceptam de facto non occupet, id est cathedram, seu possessionem non accipiat, nec munus exerceat, hoc interdictum non incurrere. Sed tunc primum illud incurrit, quando locum occupat, quia tunc veluti consummat

inobedientiam, et contumaciam, propter quam illud interdictum fertur. Secundo notanda sunt verba, quibus fertur illud interdictum, scilicet, *Gratiam beati Petri, et introitum Ecclesiæ interdicimus.* Quæ aliqui ita interpretantur, ut ibi notat Glossa, *Interdicimus,* id est, *Interdicendum dicimus;* sed hæc non est interpretatio, sed corruptio textus; satis enim constat illam formam ferendi censuram continere censuram latam, et non tantum ferendam. Et ita sentit Sylvester, *Interdictum,* 4, circa finem. Obscurum vero est, quid sit interdicere gratiam beati Petri; non videntur autem illa verba significare specialem effectum interdicti, sed solum indicare justam indignationem Apostolicæ Sedis in hujusmodi delinquentes. Denique extenditur in eodem textu illud interdictum ad ipsos laicos, qui hujusmodi dignitates Ecclesiasticas conferunt.

10. *Octavum interdictum Extravag. Ambitiosæ, de Rebus Ecclesiæ non alienand.* — Octavo interdicitur Episcopus, vel Abbas, qui bona Ecclesiæ inconsulto Romano Pontifice, aut non servata forma Extravagantis *Ambitiosæ,* de Rebus Eccles. non alienand., alienaverit, ut in eadem Extravag. habetur. Incertum autem est, an illa constitutio quoad pœnas recepta sit, de qua re supra diximus disp. 23, sect. 6, et de materia videri potest Navarr. in commentario de Alienatione rerum Ecclesiasticarum.

11. *Nonum interdictum Extravag. unica, Ne Sede vacante.* — Nonum interdictum fertur in Extrav. unica, Ne Sede vacante aliquid innovetur, contra Episcopos et Superiores, qui contra præscriptum illius decreti aliqua bona beneficiorum vacantium usurpant, si intra mensem ea cum effectu non restituunt his, ad quos pertinent. In qua solum sunt notanda illa verba, *A Pontificalibus, et ingressu Ecclesiæ, noverit se suspensum.* Nam prior pars continet veram censuram suspensionis, ratione cujus non potest Episcopus sic ligatus Pontificalia exercere etiam extra Ecclesiam, ut supra notavimus agentes de suspensione. Posterior autem pars continet proprium interdictum, ut sæpe dictum est.

12. Decimum interdictum ab ingressu Ecclesiæ fertur contra omnes clericos in sacris qui in crimine fornicationis jacent, in cap. Si qui sunt, 81 distinct., de quo videantur dicta in simili de suspensione; ac tandem Pius IV in Bulla confirmationis Concilii Tridentini, simile interdictum fert in Prælatos commentaria edentes in Concilium Tridentinum, de quo dictum est supra inter excommunicationes.

Interdicta generalia personarum.

13. *Primum interdictum ex cap. 1 de Usur., in 6. — Secundum in cap. unic. de Injur., in 6. — Tertium interdictum Extravag. Salvator, de Præbendis. — Quartum interdictum Extravag. unic., Ne Sede vacante. — Quintum interdictum ex cap. Si clericis, de Immun. Eccles.* — Primum hujus ordinis interdictum afferri potest ex cap. 1 de Usuris, in 6. Ubi collegia et universitates usurariis alienigenis habitationem concedentes interdicuntur. Sed textus ille in disputationibus de excommunicatione expositus est. Secundum fertur in cap. unico de Injur., in 6, contra universitates concedentes, vel extendentes repressalias contra clericos, aut ipsorum bona, nisi intra mensem eas revocaverint. In quo casu etiam fertur excommunicatio contra particulares personas, quam in proprio loco exposuimus, ubi omnia, quæ hic desiderari poterant, dicta sunt. Tertio fertur simile interdictum in Extravag. *Salvator,* de Præbendis, inter communes, contra universitates, quæ ex certa scientia præsumpserint resistere statutis ibi a Summo Pontifice circa divisionem Episcopatus Tolosani. De qua, quia causa est valde particularis, plura non dicimus, sicut etiam de excommunicatione et suspensione, ibi latis, in superioribus fecimus. Quarto fertur simile interdictum contra Capitulum, universitatem, vel collegium, quod non observat constitutionem Joannis XXII, circa fructus vacantium beneficiorum, in Extravagant. unica, Ne Sede vacante aliquid innovetur; eademque habetur in Extravaganti *Suscepti regiminis,* Joannis XXII, quæ eadem est, eamque supra etiam exposuimus tractando de excommunicatione et suspensione. Quinto addi hic potest interdictum latum in cap. Clericis, de Immun. Eccles., in 6, contra universitates agentes contra decisionem illius textus. Verumtamen decretum illud revocatum est per Clementinam 1 de Immunitat. Eccles., ut ibi notat Glossa, et supra etiam advertimus agentes de excommunicationibus Papæ reservatis; et ideo nihil amplius de illo dicere necesse est.

14. *Sextum interdictum contra appellantes ad Concilium futurum. — Septimum interdictum ex Concilio Trident.* — Sexto afferri potest aliud interdictum ex Bulla Cœnæ Domini,

ubi in clausula 2, *interdicuntur universitates, collegia, et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, quæ ab ordinationibus, sententiis seu mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis ad futurum Concilium appellant.* De qua clausula videnda sunt dicta supra in expositione Bullæ; eadem enim hic applicari debent; eademque reservatio in hoc interdictum cadit, quia reservatio generaliter fit *a prædictis sententiis.* Quanquam excommunicatio, quæ postea fertur in eos, qui absolvunt contra tenorem illius Bullæ, non videatur comprehendere eum, qui absolvit ab hoc interdicto, quia limitatur ad eos, *qui beneficium absolutionis impendunt talibus excommunicatione, vel anathemate illaqueatis, vel eorum alicui;* de universitatis vero interdicto nihil dicit. Septimum interdictum sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 7, cap. 10, ubi Capitulis Ecclesiarum præcipitur, ne Sede vacante infra annum a die vacationis litteras dimissorias ad Ordines recipiendos, alicui, *qui beneficii Ecclesiastici recepti, vel recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedat.* Et subditur: *Si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto.*

15. Octavum afferri potest ex c. Quanquam, de Censib., in 6. Quod fert excommunicationem supra tractatam contra exigentes tributa ab Ecclesiasticis personis. Et subdit: *Si autem collegium, vel universitas civitatis, castri seu loci alterius cujuscumque* (supple hoc fecerit), *ipsa civitas, castrum, vel locus interdicti sententiam ipso facto incurrant.* Dixit autem Calderinus hanc pœnam non esse consuetudine receptam. Sylvester vero, *Interdictum,* 4, cum Archidiacono dicit esse communem sententiam; imo ait oppositam consuetudinem non potuisse introduci, utpote contrariam Ecclesiasticæ immunitati, et in illo textu reprobatam. Sed licet sit hoc verum de consuetudine exigendi tributa, tamen de derogante pœnam non ita est. Itaque de potestate non dubito, de facto mihi non constat; consulatur ergo consuetudo, et videantur dicta de illo textu inter excommunicationem.

16. *Interdictum locale generale latum in universitatem ob ejus crimen, an sit etiam personale.* — Ultimo addunt aliqui, ubicumque in jure (et eadem ratio est ab homine) fertur interdictum locale generale propter crimen universitatis, ferri etiam interdictum generale personale in ipsam universitatem. Ita Sylvest., *Interdictum,* 4, quæst. 2, qui nullam probationem adducit; nec Navarrus, qui eamdem sententiam sequitur c. 27, num. 169. Videntur autem fundari in hoc, quod interdictum locale habet vim et efficaciam personalis, respectu ejus, propter cujus crimen fertur, seu qui causam dedit interdicto; quod supra a nobis probatum est; ergo, si tota universitas dedit causam interdicto locali, ipsa etiam personaliter interdicitur. Quæ ratio, si efficax est, etiam procedit de interdicto locali particulari, si propter delictum populi feratur. Dicti autem auctores videntur specialiter locuti de interdicto generali, quia propter crimen totius populi non solet tantum particularis locus interdici. Unde recte constituunt differentiam inter hoc locale interdictum latum ob delictum domini, vel ob delictum universitatis, quia illud prius non habet vim generalis personalis respectu populi, nisi exprimatur. Quod expresse habetur in c. Si sententia, de Sent. excom., in 6. Et ratio est, quia tunc populus non dedit causam interdicto, sed solus dominus; et ideo solus ille ex vi illius censuræ personaliter interdicitur. Secus vero est, quando populus ipse dedit causam tali interdicto.

17. *Interdictum generale loci ob delictum communitatis, est etiam personale particulare.* — Atque hæc sententia sic declarata et probata verisimilis est. Quia vero contingit, quamvis populus deliquerit, et dederit causam interdicto, plures de tali populo esse innocentes in tali delicto, ideo addendum videtur, per tale interdictum generale loci non interdici personaliter omnes de tali populo, sed eos tantum, qui causam interdicto dederunt; atque ideo interdictum personale ibi virtute inclusum non tam esse generale quam particulare multiplicatum, seu extensum ad omnes personas, quæ causam dederunt interdicto. Ratio, quæ me movet, est, quia interdictum illud non fertur directe in ipsum populum, sed in locum ejus; ergo ex vi et forma interdicti non extenditur ad ipsas personas, juxta dict. cap. Si sententia; extensio autem virtualis solum est ad eos, qui culpabiles extiterunt, ut ex eodem c. Si sententia, constat; ergo non est extendenda ad innocentes. Nec vero satis est, quod tale delictum dicatur esse totius populi, seu communitatis; nam illud solum est secundum quamdam moralem attributionem; sub qua ratione directe, et ex intentione legis, vel judicis per locale interdictum generale, ut sic, et non per personale punitur; re tamen vera delictum non est executioni mandatum a toto

populo secundum totum, ut sic dicam, sed tantum per aliqua membra sua; ergo solum illi, qui revera culpabiles existunt, manent specialiter interdicti personaliter ex vi talis interdicti.

Interdicta generalia localia.

18. *Primum interdictum generale loci contra hostiliter insequentes Cardinales.* — Nonnulla etiam ex his inveniuntur ipso jure lata. Et primum sumi potest ex c. Felicis, de Pœnis, in 6, quod editum est contra eos, qui Cardinales Ecclesiæ Romanæ hostiliter insequuntur; contra quos gravis censura excommunicationis cum aliis gravissimis pœnis feruntur, et in fine extenditur excommunicatio ad principes, gubernatores, etc., officiales eorum, qui contra prædictos malefactores prædictam constitutionem non fecerint observare. Tandemque subjungitur : *Civitas vero quævis alia, præter urbem, quæ talia facienti, vel facientibus, seu præsumentibus in his consilium, vel auxilium dederit, aut favorem, vel intra mensem saltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormitas exegerit, et facultas ei affuerit) non duxerit puniendos, Pontificali ut supra sit eo ipso dignitate privata, et nihilominus remaneat interdicta.* De cujus textus materia dictum est inter explicandas excommunicationes, propter eas, quæ in illo feruntur.

19. *An respublica hoc crimen perpetrans huic interdicto subjaceat.* — Unde hic solum potest inquiri, an hoc interdictum extendatur ad provinciam, vel totum alicujus reipublicæ terminum, si ipsa respublica tale delictum commiserit. Ad quod breviter dicendum est, censuram non esse ultra verba legis extendendam; ideoque si Senatus talis reipublicæ in illud delictum conspiraverit, proxime et immediate solam civitatem, in qua talis Senatus residet, manere interdictam ex vi hujus legis. Quod si aliæ civitates tali reipublicæ subjectæ, vel non subjectæ, communi etiam consensu ei auxilium dederint, singulæ quidem civitates manebunt interdictæ, non tamen absolute tota provincia, vel universi populi ejus, quia textus solum de civitate loquitur. Imo si villa, vel inferior populus simile delictum commiserit, locus ejus non manebit subjectus tali interdicto, quia solum est latum contra civitates, non vero contra inferiores populos, et argumentum a similitudine rationis in hac materia non est efficax; præsertim cum difficile non sit, specialem rationem in civitate invenire; nam inferiores populi, et raro audebunt per se tale crimen aggredi, et facilius possunt aliis modis coerceri.

20. *Secundum interdictum contra inferentes Episcopo injuriam. — Advertendum circa verba textus. — Interdicti deambulatorii secunda ratio.* — Secundo fertur simile interdictum in Clementina 1 de Pœnis. Quæ edita est contra eos, qui personam cujuscumque Pontificis corporali injuria afficere audent, in quos fertur anathema. Et subditur : *Terra quoque ipsius (dum tamen ultra unam diœcesim non contineat) usque ad condignam satisfactionem ejusdem, necnon locus, aut loca, in quibus captus Episcopus detinebitur, quamdiu detensio ipsa in eisdem duraverit, Ecclesiastico subjaceant interdicto.* De quo decreto videri possunt dicta in materia de excommunicatione. Nunc solum circa priorem partem horum verborum advertendum est, in eis supponi, eum, qui sic deliquit in personam Episcopi, esse dominum, vel rectorem illius terræ; hanc enim vim habent illa verba, *terra ipsius;* unde, si privata persona alicujus terræ hujusmodi committat crimen, non propterea terra ipsa subjacebit interdicto. Quia vero ibi additur limitatio, dummodo terra ultra unam diœcesim, id est, Episcopatum non contineat, constat in primis totam diœcesim interdici, si tota illius sit; sin minus, illam solum partem, quæ illius fuerit, quia solum interdicitur terra ipsius. Quod, si sub dominio suo plures diœceses complectatur, subditur inferius, manere interdictam diœcesim, in qua talis dominus suum principale domicilium habet, et præterea illam, in qua fuerit delictum commissum, si sua fuerit, et duas alias, quæ sub ipso sint eidem loco viciniores. Circa alteram vero partem advertendum est, interdictum illud esse deambulatorium, quod supra diximus esse locale unius vel plurium locorum successive; et ideo ibi fortasse dictum est, *locus, aut loca;* non enim potest Episcopus simul detineri captus in multis locis; successive autem potest, et ille locus, quo denuo transfertur, denuo interdictus manet. Nomine autem loci, nec diœcesis hic intelligitur, nec sola domus, v. gr., in qua detinetur, quia illa nimis ampla, hæc nimis restricta significatio est; sed intelligitur populus ille, in quo Episcopus detinetur; hæc enim est usitata illius vocis significatio.

21. *Tertium contra inferentem injuriam suo Episcopo.* — Ulterius in eodem textu, versic. *Civitas,* additur interdictum, quod possumus hic tertio loco ponere; nam civitas, quæ hoc crimen in suum Episcopum commiserit, simili interdicto subjicitur; ubi proprietas illius vocis, *civitas,* expendenda est, et servanda eodem modo, quo in primo casu adnotavimus. Deinde advertenda est differentia inter hoc interdictum, et proxime declaratum; nam illud fertur propter delictum domini, de quo procedit decisio textus in c. Si sententia, de Sent. excom., in 6; hoc vero est propter delictum communitatis, ad quod applicanda sunt dicta in fine præcedentis puncti.

22. *Quartum interdictum contra non observantes modum ad electionem Papæ præscriptum.* — Quarto fertur hujusmodi interdictum in c. Ubi periculum, de Elect., in 6, ubi præscribitur modus, quo Summi Pontificis electio facienda est in aliqua civitate, in qua cum sua curia residebat; et infra in § Præterea, dominis, rectoribus, et aliis officialibus talis civitatis præcipitur, ut ea omnia, quæ ibi præscribuntur, faciant observari; et gravissimæ censuræ in eos feruntur, qui contra hoc delinquunt, et postea subjungitur : *Civitas vero prædicta non solum sit interdicto supposita, sed et Pontificali dignitate privata.* Quod interdictum non fertur proprie propter delictum civitatis, sed propter delictum domini, vel rectoris, aut officialium, ad quos scilicet pertinet civitatis regimen, eorum nimirum, qui excommunicationem incurrunt. De quibus dictum est supra in materia de excommunicatione; et ideo hic plura addere non est necesse.

23. *Quintum interdictum contra prohibentes Pontificis legatis terras aliquas ingredi.* — Quinto fertur simile interdictum in Extravag. *Super gentes,* de Consuet., inter communes. Quæ lata est contra eos, qui prætextu cujusdam consuetudinis legatos Pontificis terras aliquas ingredi non permittunt, in quos fertur imprimis excommunicationis sententia; deinde *regna, terra, et loca quælibet subjecta eisdem Ecclesiis supponuntur interdicto, quamdiu in hujusmodi contumacia duxerint persistendum.* Ubi nihil addendum occurrit his, quæ in materia de excommunicatione de hoc textu dicta sunt.

24. *Sextum interdictum contra admittentes alienigenas ad habitandum et fœnerandum in terris suis.* — Sexto fertur simile interdictum in c. 1 de Usuris, in 6, in quo præcipitur, ut nullus admittat usurarios alienigenas ad habitandum, et exercendum usuras in terris suis; et in eos, qui contrarium faciunt, censuræ excommunicationis, suspensionis et interdicti respective feruntur. Quæ supra in locis suis explicatæ sunt; postea vero subditur : *Quam* (scilicet censuram) *si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum, quamdiu in eis iidem usurarii commorantur, ex tunc Ecclesiastico subjaceant interdicto.* Ubi solum advertere oportet, hoc interdictum tantum ferri, quando personæ ita contumaces Ecclesiasticæ sunt, ut satis in textu ipso declaratur. Non vero durat tale interdictum, quamdiu contumacia durat, sed quamdiu usurarii in terra permanent.

Interdicta localia particularia.

25. *Primum interdictum.* — Primo enumerari hic possunt nonnulla ex interdictis localibus, quæ inter generalia posuimus, quatenus indifferenter feruntur in quemcumque locum, ubi hoc, vel illud accideret; nam, si contingat talem locum esse particularem, interdictum ipsum etiam erit particulare. Exemplum est in casu Clementinæ 1 de Pœnis, ubi interdicitur locus, in quo Episcopus per vim, et injuriam captus detinetur; nam, si contingat talem locum esse castrum, vel Ecclesiam ab omni populo remotam, interdictum illud erit particulare.

26. *Secundum interdictum.* — *An obligatio hujus restitutionis nascatur, ante judicis sententiam.* — Secundo huc spectat casus c. 1 de Sepulturis, in 6. Ubi religiosi et alii clerici gravissime prohibentur, ne aliquos inducant ad jurandum vel promittendum eligere sepulturam in suis Ecclesiis, vel non mutare electionem factam; alioqui si secus actum fuerit, ii, qui sic elegerint, prohibentur in talibus Ecclesiis sepeliri. Quod si nihilominus religiosi, vel clerici eos sepeliant, ad restituenda corpora, si petantur, et ad restituenda omnia emolumenta, quæ inde ad eos pervenerunt, intra decem dies obligantur. Et additur : *Quam* (scilicet restitutionem), *nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non et cœmeteria earumdem ex tunc eo ipso sint et tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.* Circa quem textum dubitari potest, an illa obligatio restituendi intelligenda sit ante, vel

post judicis condemnationem; nam, cum sit pœna quædam, non videtur antea obligare. Nihilominus dicendum est, statim obligare sine alia sententia, etiam declaratoria criminis, tum quia de corpore restituendo dicitur, *Si petatur,* de aliis vero emolumentis hoc non dicitur, sed simpliciter imponitur obligatio; ergo signum est, absolute, et sine conditione imponi; tum etiam quia definitur tempus decem dierum, quod ex omnium sententia a die talis sepulturæ computandum est. Denique verba ipsa, scilicet, *ipsos obligatos esse censemus,* satis significant, hanc legem per sese talem imponere obligationem. Quod in hujusmodi pœnis facile fieri potest, vel irritando pacta, aut devotiones, et impediendo dominii translationem, vel certe simpliciter præcipiendo illam obligationem.

27. *Quid si unus aut alter clericus partem restituat, quæ sibi obvenit. — Non incurritur interdictum si bona fide sepelierint prædicti defuncti corpus.* — Sed quid, si unus, vel alter clericus non restituat partem suam? numquid orietur interdictum, etiamsi alii restituant? Videtur enim nimis grave, quod propter unius culpam privatam Ecclesia interdicto supponatur. In contrarium vero est, quia lex illa requirit restitutionem *integraliter faciendam.* Et rursus, *ut fiat restitutio plenaria omnium.* Quapropter, si, quod omittitur, sit aliquid grave, ita ut ad peccatum mortale sufficiat, existimo id sufficere, ut interdictum insurgat, quia verba textus sunt satis expressa, et culpa gravis sufficit ad hanc pœnam, etiamsi particularis persona sit, quia etiam interdictum est particulare. Præsertim, quia talis culpa non est omnino privata, quia crimen fuit religiosorum omnium, vel clericorum, qui ad sepulturam concurrerunt, præsertim ejus ad quem Ecclesiæ cura pertinebat; et ideo ad eos etiam spectat curare, ut restitutio integre fiat. Et ideo cujusvis partis gravis omissio commune delictum talium personarum, vel rectoris Ecclesiæ reputatur. Existimo tamen, si unus religiosus, vel clericus privatim committat delictum inducendi alium ad talem promissionem, vel juramentum, et postea clerici, vel religiosi hoc ignorantes eum sepeliant, et non restituant, non incurri interdictum, quia bona fide sepelierunt; textus autem dicit, *si præsumpserint sepelire.*

28. *Per effusionem sanguinis vel seminis non interdicitur Ecclesia. — Ecclesia pro simonia consecrata, non est interdicta. — Ecclesia pro quæstu cupiditatis ædificata non est interdicta. — Excluduntur quatuor alii casus juris in quibus videri poterat ferri interdictum.— Primus ex cap. Præcepta, de Cons., dist.* 1. — *Secundus ex c. Placuit, de Cons., d.* 1, *rejicitur.* — Ultimo numerant hoc loco Sylvester, et alii Summistæ, casus, in quibus Ecclesia polluitur per effusionem sanguinis, vel seminis; sed immerito impedimentum hoc numerant inter interdicta; est enim alterius rationis longe diversæ. Unde et diversum modum reconciliationis requirit. De quo in 3 tomo dictum est. Addit etiam Armilla, verb. *Interdictum,* num. 22, alios casus. Unus est, quando Ecclesia est per simoniam consecrata ex c. Ecclesia, 1, quæst. 4, cujus verba sunt : *Ecclesia, quæ pactione consecrata fuerit, potius execrata, quam consecrata dici debet.* Quæ verba, si quid probant, potius est illam Ecclesiam non manere consecratam, quam manere interdictam; certum est tamen manere consecratam, si forma Ecclesiæ servata fuit, ut ex dictis in 3 tom. constat; quare non credo manere interdictam, quia neque illo, neque alio jure hoc satis expressum est. Unde illa verba dicta videntur per exaggerationem in odium criminis simoniæ, ut ibi Gratianus, et Glossa interpretantur. Alius casus huic similis est, si Ecclesia non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis fuit ædificata, ex c. Si quis basilicam, de Consecrat., dist. 1. Sed ibi solum dicitur, ut nullus Episcopus talem Ecclesiam audeat consecrare, per quæ verba nullum interdictum ipso jure fertur. Similis casus est, quem adducit ex c. Præcepta, de Consecr., dist. 1, de Ecclesia, quæ sine auctoritate Pontificis, seu Episcopi dedicata est; sed ibi etiam non fertur interdictum ipso jure, sed approbatur factum cujusdam Episcopi, qui Missas fieri prohibuerat in tali Ecclesia. Imo, si talis Ecclesia legitime non sit dedicata, ex generali prohibitione Ecclesiæ, non licet in ea facere sacrificium; tamen illa neque est censura, nec pœna, sed est generalis prohibitio, seu loci inhabilitas. Unde, qui in tali Ecclesia Missam dixerit, licet alias graviter peccet, non violat censuram, nec irregularitatem incurrit. Neque est dissimilis casus in c. Placuit, de Consecrat., dist. 1. Ubi prohibentur quidem erigi altaria, tanquam memoriæ Martyrum, in quibus nullæ reliquiæ Martyrum conditæ probantur. Et postulatur, ut talia monumenta non permittantur, nisi ubi reliquiæ certæ sunt, aut ubi origo alicujus habitationis, vel

possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Hæc enim prohibitio merito facta est ad tollendam omnem superstitionem; de interdicto vero ibi nulla est mentio.

29. *Tertius casus ex cap. 1 et 2, de Jure patron., excluditur.— Quartus casus ex cap. Quicumque, de Hæreticis, in 6, improbatur.* — Affert præterea cap. 1 et 2 de Jure patron. Sed ibi etiam non fertur interdictum ipso jure; solum enim statuitur, ut si divisiones insurgant inter patronos, ita ut presbyteri non possint convenienter divina officia celebrare, Episcopus ea ibi facere prohibeat, et, si opus fuerit, reliquias tollat et ostia claudat. Quod totum in primis non est censura, imo nec pœna, sed quædam justa prohibitio propter decentiam loci sacri et divinorum officiorum; et deinde, licet esset interdictum, non esset a jure, sed ab homine ferendum. Ultimus casus, quem adducit, est ex cap. Quicumque, de Hæreticis, in 6, qui est de loco sacro, in quo corpus hæretici sepelitur; sed ibi non dicitur, ut talis locus simpliciter interdictus maneat, sed solum, ut perpetua careat sepultura. Quæ verba simul cum excommunicatione ibi lata exposuimus supra agentes de excommunicatione, et ideo de his interdictis a jure hæc sufficiunt.

SECTIO II.

Utrum interdictum jure latum obliget ante judicis denunciationem.

1. Hoc dubium tractari potest vel ex vi juris antiqui ante Extravagant. *Ad evitanda,* vel post illam; nam de priori tempore omnes videntur supponere tale interdictum statim ligare omnes ipso facto, quia hæc est vis legis censuræ latæ ipso jure. At vero post dictam Extravag. censentur talia interdicta non obligare usque ad denunciationem; ita Maiolus, lib. 3 de Irregular., cap. 20, in fine; Armilla, verb. *Interdictum,* num. 21, et alii. Quæ doctrina ita in genere sumpta vera est, indiget tamen aliqua declaratione et distinctione.

2. *Prima conclusio.*—Primo ergo dicendum est, si interdictum jure latum sit particulare personale, illud statim ligare personam, in quam fertur, alios vero non teneri ad vitandum illam, donec denuncietur. Hoc manifestum est ex dictis de censuris in communi; nam illa constitutio non contulit favorem ipsis delinquentibus, sed aliis, qui cum eis communicare possunt; ergo non impedit, quominus ipsos contumaces jura ligent quantum intendunt et verba eorum præ se ferunt; tenentur ergo ipsi interdicti abstinere quantum in ipsis est; aliis vero conceditur privilegium, ut non teneantur eos tractare tanquam interdictos.

3. *Secunda conclusio. — Ut interdictum consequatur effectum, requiritur et sufficit, ut ea communitas nominatim denuncietur.* — Secundo idem videtur dicendum de personis interdictis a jure per interdictum generale. Et quidem, quod alii non teneantur eos vitare, donec denunciati sint, res est clara. Quæri vero potest, an oporteat singulas personas nominatim esse denunciatas, an sufficiat ipsum interdictum esse denunciatum contra talem communitatem, vel collegium, etc. Nam verba Extravagantis videntur priorem modum denunciationis exigere, et cum materia favorabilis sit, videntur illa verba restringenda, ut favor sit major. In contrarium vero est, quia hoc modo fere est moraliter impossibilis denunciatio, et ita hoc interdictum redderetur inutile respectu aliorum. Item, quia in interdicto locali generali non requiritur expressa denunciatio singularium partium loci. Hoc ergo posterius videtur probabilius, nimirum et requiri, et sufficere, ut illa communitas, quæ interdictum contraxit, nominatim et in particulari denuncietur, dummodo postea evidenter constet hanc personam esse membrum illius communitatis.

4. *Dubium. — Responsio. — Si delictum sit occultum, neque communitatem, nec ullam personam ejus ligabit generale interdictum.* — Ex parte vero ipsarum personarum, quæ interdicuntur, dubitari etiam potest, an possint expectare saltem denunciationem similem ipsius interdicti, ut se ligatas et interdictas agnoscant. In quo certum mihi videtur, per Extravagant. *Ad evitanda,* hoc eis concessum non esse, quia constitutio illa nullum privilegium concedit eis, qui ligantur, sive ob propriam culpam, sive ob alienam ligentur. Tamen ex jure antiquo et veluti ex natura rei hoc dubitari potest, quia, cum hoc interdictum in totam aliquam communitatem feratur, videtur necessaria publica quædam notitia, quæ ad totam illam communitatem de se possit pervenire, ut illam ligare possit, quæ notitia non nisi per publicam denunciationem datur. Dico tamen non videri necessariam simpliciter talem denunciationem, quia licet publica notitia necessaria sit, ut argumentum probat, tamen hæc haberi potest per eviden-

tiam facti de se publicam et communitati notam, quæ sufficit, cum jura plus non requirant, nec ratio aliqua cogat. Ex his vero infero, si delictum seu factum, propter quod interdictum jure latum est, sit occultum, nondum populum esse interdictum, quia nondum factum illud est sufficienter promulgatum, ut interdictum insurgat. Quocirca etiamsi aliquis vel aliqui de illa communitate delictum secrete noverint, non propterea interdicti sunt, neque ipsi pro talibus se gerere tenentur, quia ipsi non ligantur per se, sed ut membra communitatis; ergo donec interdictum liget et impositum sit respectu communitatis, non ligat hujusmodi singulares personas. Quod quidem posset habere nonnullam dubitationem respectu illius personæ, quæ in particulari delinquit et dat causam interdicto, quia respectu illius tale interdictum habet vim interdicti specialis, ut supra dictum est. Nihilominus tamen etiam respectu illius hoc censeo verum, quia formaliter illa persona etiam non ligatur nisi per interdictum generale, ut sic; et ideo donec illud teneat in ordine ad suum primarium objectum, ut sic dicam, quod est communitas, neminem in particulari ligat, quia nondum in se subsistit seu factum est.

5. *Tertia conclusio.* — Tertio ex dictis constat, quid dicendum sit de interdicto locali, tam generali quam speciali respective. Nunc enim post Extravagant. *Ad evitanda,* tale interdictum nullum est donec denuncietur, quia nullus hominum tenetur sese abstinere a tali loco quoad divina ante sufficientem denunciationem, ut constat ex citata constitutione et ex omnium sententia. Tota autem ratio hujus interdicti consistit in separandis fidelibus a tali loco quoad divina; nam locus ipse non potest sese separare et abstinere. In quo differt hoc interdictum a personali. Necesse est item denunciationem fieri illius loci in particulari et nominatim, qui adæquate interdicitur, ut ex eadem Extravag. constat. Dico autem *adæquate,* quia sufficit, ut uno nomine collectivo vel quasi collectivo totus locus comprehendatur, ut singulæ Ecclesiæ vel partes interdictæ maneant, ut per se notum est et ex usu satis constat. An vero ante dictam Extravagant. requireretur hæc denunciatio, idem dicendum censeo, quod de interdicto generali, scilicet, absolute non fuisse necessariam; publicam vero notitiam delicti seu facti proportionatam interdicto semper fuisse requisitam, propter eamdem rationem, quæ hic applicari potest, cum aliis, per quas in 3 tomo ostendimus Ecclesiam non pollui per delictum vel factum occultum; est enim hic eadem proportionalis ratio.

DISPUTATIO XXXVIII.

DE RELAXATIONE INTERDICTI.

Omnia, quæ ad hanc disputationem pertinent, ad duo capita revocari possunt. Primum est, quando et quomodo necessaria sit hæc relaxatio, ut interdictum auferatur. Secundum est, quando illa est necessaria, quomodo et a quo fieri debet.

SECTIO I.

Utrum necessaria semper sit relaxatio vel absolutio interdicti, ut illud cesset.

1. *Nullum interdictum fertur, ut perpetuo duret.* — Supponimus in hac quæstione, interdictum non esse perpetuum, sed auferri posse seu cessare; inquirimus autem modum. Illud autem suppositum certissimum est, constatque satis ex usu Ecclesiæ. Et ratio reddi potest, quia cum hæc censura sit spiritualis pœna privans nonnullis bonis pertinentibus ad spirituale commodum animarum, non expedit esse perpetuam, alioqui magis esset in destructionem, quam in utilitatem. Item, quia vel interdictum fertur per modum censuræ, ut recedatur a contumacia, et tunc ex generali ratione censuræ constat non posse esse perpetuam; vel fertur solum ut pœna pro delicto commisso et tunc vel fertur pro definito tempore, et sic constat non esse perpetuum, neque ultra illud tempus extendi, vel fertur indefinite, et sine temporis limitatione, et hoc modo nunquam, ut existimo, invenietur in jure latum, nisi adjecta aliqua conditione, scilicet donec restituat, vel satisfaciat, vel alia simili; per quam satis ostenditur, interdictum non ferri, ut perpetuo duret, sed ut tollatur, impleta illa conditione; imo hoc ipso, quod talis conditio ponitur, est signum, tale interdictum non tam esse positum in pœnam, quam ut a contumacia recedatur. Quod si talis conditio expresse non apponeretur, vel in interdicto lato a jure, vel ab homine, virtute seu implicite esset subintelligenda, si causa interdicti est capax illius, id est, si habet, ut aiunt, tractum successivum, seu (quod idem est) si semper pendet in futurum, ut contingit, quando interdictum fertur,

ut aliquid restituatur, vel ut cesset vis illata Ecclesiæ, vel aliquid simile; si vero causa interdicti sit actio jam omnino præterita, saltem habebit subintellectam hanc conditionem, donec auferatur ab habente potestatem, quia nunquam fertur, nec ferri potest ea intentione, ut perpetuo duret.

2. *Interdictum pro delicto præterito non tollitur, nisi per relaxationem vel absolutionem.* — Atque ex his intelligere licet, quid certum sit, quidve dubium in quæstione proposita. Nam primo certum est, si contingat interdictum ferri pro delicto pure præterito absque ulla adjecta conditione, quæ pendeat ex voluntate ejus, qui interdicitur, et absque temporis limitatione, tunc tale interdictum auferri non posse, nisi per relaxationem superioris habentis potestatem. Probatur, quia tale interdictum est pura pœna, et non est limitata ad certum tempus; ergo de se est indefinita seu perpetua negative, id est, de se non habens certum tempus; ergo non est unde possit finiri aut tolli, nisi ex voluntate superioris. Unde non involvit aliam conditionem nisi illam, donec auferatur, vel usque ad beneplacitum ferentis, sicut de suspensione in simili forma lata dicebamus. Hic autem modus interdicti ita simpliciter lati ob præteritum actum, nec a jure, neque ab homine solet ferri, quantum mihi ex usu et ex experientia constat. Unde propter hunc solum interdicti modum parum necessaria erit interdicti absolutio seu relaxatio.

3. *Interdictum latum pro tempore definito, cessat eo tempore elapso. Secunda conclusio.* — *Antea vero non nisi per relaxationem.* — Secundo certum est : quando interdictum fertur, ut pura pœna pro peccato præterito et pro tempore definito, ut fertur interdictum ab ingressu Ecclesiæ per mensem, tunc non est necessaria interdicti absolutio elapso illo tempore, sed ipso facto cessabit, sicut in simili diximus de suspensione. Est enim eadem ratio, atque ita idem in utroque casu docent Doctores ibi citati, et Sylvester, verb. *Interdictum*, 3, quæst. 9, et alii statim referendi. Et probatur, quia lex aut sententia non plus operatur, quam verba ejus significent; ergo verba limitantur ad certum tempus, pro illo interdicunt et non pro ulteriori tempore; ergo illo elapso, pro futuro tempore non erit necessaria absolutio. Quia ubi non est interdictum, neque absolutio necessaria est; pro illo autem ulteriori tempore non fuit interdictum latum; ergo neque absolutio pro illo necessaria erit. Unde aperte constat, aliter sentiendum esse, si agatur de ablatione talis interdicti ante elapsum illud tempus, pro quo latum est; sic enim auferri non potest absque relaxatione habentis potestatem, ob contrariam rationem, quia pro toto illo tempore lex seu sententia operatur, cum verba ejus id præ se ferant et efficacia sint; ergo ut impediatur seu tollatur talis effectus, necessaria est contraria voluntas habentis potestatem, quæ tale interdictum relaxet.

4. *An interdictum sub conditione, ipsa impleta, per se auferatur.— Prima sententia.* — Difficultas vero superest, quando interdictum fertur, ut recedatur a contumacia, vel sub hac conditione tacita, vel expressa, *donec satisfaciat*, vel *restituat*, etc., an tunc necessaria sit absolutio vel relaxatio interdicti. Multi enim censent non esse necessariam; nam si conditio non est impleta, interdictum non est tollendum, imo nec relaxari potest, cum duret contumacia, nisi forte per absolutam voluntatem ejus, qui possit revocare sententiam aut in lege dispensare; si autem conditio est impleta, ipso facto cessat interdictum, quia ille terminus positus est in ipsa lege; ergo ultra illum non operatur, sicut dictum est, quando lex certam temporis durationem præscribit. Nam perinde esse videtur limitare durationem censuræ per expressum terminum temporis vel per quamcumque aliam æquivalentem conditionem. Atque ita sentiunt Glossæ fere in omnibus juribus citatis disputatione præcedenti, sect. 1; nam ubicumque jura ferunt interdictum cum illa vel simili determinatione, *donec satisfecerit*, ait Glossa, impleta conditione interdictum esse sublatum absque alia relaxatione; et idem sentiunt ibi communiter interpretes, et specialiter Abbas in cap. Non est vobis, de Sponsalibus, et in cap. ultim. de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, et tenet Sylvest., *Interdictum*, 3, q. 9; Covarruv., in cap. Alma, part. 1, § 11, n. 8, cum aliis supra relatis in simili quæstione de suspensione.

5. *Vera sententia.* — Hæc vero sententia quantumcumque probabilis sit propter Doctorum auctoritatem, nobis probari non potest. Nam in universum censemus, nullam propriam censuram auferri, nisi per absolutionem seu relaxationem ejus, qui jurisdictionem habet, quod etiam de suspensione diximus cum Abbate et Innocentio in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualitate. Idem ergo nunc opina-

mur de censura interdicti, soletque ad hoc citari cap. Presbyter, 22, quæst. 5, qui textus de suspensione loquitur, et in utramque partem ab auctoribus adducitur, parumque probat, quia non agit de censura ob contumaciam, sed de prohibitione a superiori facta ob infamiam.

6. Præterea probari potest a paritate rationis in excommunicatione; hæc enim maxime fertur ob contumaciam, donec ab illa recedatur, sive hæc conditio expresse declaretur, sive non; parum enim hoc refert, cum in intrinseca ratione talis censuræ includatur; et nihilominus impleta illa conditione, requiritur absolutio excommunicationis, ut constat ex cap. Cum desideres, et in cap. A nobis, 2, et in cap. Quod in dubiis, de Sentent. excom.; ergo idem dicendum est de censura interdicti. Probatur consequentia, tum quia videtur esse eadem ratio, et in his, in quibus non apparet manifestum discrimen, solent hæ censuræ in jure æquiparari, cap. Is cui, cum similibus, de Sentent. excom., in 6; tum etiam quia in dictis juribus hoc non dicitur de excommunicatione propter aliquam specialem rationem ejus, sed potius in dict cap. Cum desideres, insinuatur hæc ratio, *quia licet ei, quem læsit, satisfecisse taliter videatur, Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur,* quæ ratio cum proportione applicari potest ad censuram interdicti. Propter quod Joannes Andreas, quem Panormitanus refert in dicto cap. Cum bonæ, n. 5, dixit, necessariam esse satisfactionem judicialem, id est (ut ego intelligo), a judice receptam et approbatam judicialiter, quæ approbatio continet relaxationem interdicti, saltem tacitam et implicitam; nam ad hoc fieri debet, ut judex, talem satisfactionem recipiendo, vinculum tollat, alioqui non esset per se necessaria ut tolleretur censura, sed ad summum, ut in aliorum notitiam deveniret. Atque eodem modo interpretor quod dixit Glossa in Clement. 1 de Decimis, quam multi Canonistæ sequuntur, quando censura hujusmodi fertur sub illa conditione, *donec satisfecerit,* vel alia simili, necessariam esse declarationem judicis. Nam si intelligant, judicem non auferre censuram, sed denunciare ablatam, quia impleta fuit conditio, nobis non probatur; alioqui idem dici posset de excommunicatione; oportet ergo, ut Ecclesia vel minister ejus ita declaret satisfactionem esse impletam, ut eam acceptet, et absolutionem conferat, et hoc est, quod significatur in dicto cap. Cum desideres; et in dicto cap. A nobis, generaliter dicitur : *Vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissione dissolvitur; vinculum autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur;* quæ ratio etiam in vinculo interdicti locum habet.

7. *Cap. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordin. — Occurritur evasioni.* — Et confirmari potest ex cap. Cum ab Ecclesiarum, de Officio ordin., ubi prius in generali sic dicitur : *Cum ab Ecclesiarum Prælatis Ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet, et firma consistere, et usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari.* Quæ verba, ut ex eorum tenore constat, indifferentia sunt, et communia sententiæ excommunicationis et interdicti. Unde ex illis statim expresse infertur, sententiam interdicti et excommunicationis a quodam plebano rationabiliter latam, inviolabiliter fuisse observatam. Ac tandem concluditur : *Et eam sine congrua satisfactione, et absque justa plebani conscientia non relaxet;* ergo in hac æquiparat sententiam excommunicationis et interdicti; et sensit non sufficere satisfactionem sine relaxatione ejus, qui sententiam tulit, vel ex ejus consensu. Nec refert dicere, forte illam sententiam interdicti non fuisse latam sub conditione, *donec satisfecerit,* sed simpliciter : tum quia hoc voluntarie dicitur et sine fundamento; tum etiam quia parum refert, quod illa conditio fuerit expressa, necne; nam satis constat, sententiam illam fuisse latam, ut recederetur a contumacia, et satisfactio fieret, in quo intrinseca dicta conditio imbibitur. Idemque probat textus in cap. Quanquam, de Censibus, in 6, ubi censuræ et interdicta feruntur contra exigentes injusta tributa ab Ecclesiasticis personis, et in fine subditur : *Nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem vel interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie restituerint et de transgressione satisfecerint competenter;* ubi sermo est de interdicto lato pro contumacia, sicut est excommunicatio, et quoad hoc æquiparantur, ut post impletam restituendi conditionem, et exhibitam vel oblatam competentem satisfactionem, absolutio vel relaxatio postulatur; optime ergo in his juribus fundatur ratio sumpta ex æquiparatione harum censurarum.

8. *Duplici confirmatione ex juribus allatis sumpta eadem sententia confirmatur. — Prima.* — Ac præterea ex verbis eorumdem

jurium duplicem confirmationem ejusdem sententiæ sumo. Prima est a posteriori, seu ab inconvenienti, quia si in interdicto lato, ut recedatur a contumacia, non est necessaria relaxatio, certe moraliter loquendo, nunquam est necessaria. Consequens autem est contra morem loquendi horum, et aliorum jurium, imo et contra communem usum Ecclesiæ. Sequela patet, quia interdictum latum non pro contumacia tollenda, sed tantum in pœnam, moraliter nunquam fertur simpliciter, sed pro tempore determinato; et tunc non requirit absolutionem, sed lapsum temporis, ut diximus; et ante completum tempus raro conceditur ejus absolutio, magisque per modum dispensationis, seu extraordinariæ gratiæ, quam ordinariæ, et usitatæ relaxationis; solum ergo superest interdictum pro contumacia, seu, quod idem est, ad extorquendam satisfactionem, vel restitutionem, aut aliquid hujusmodi; ergo si in hoc etiam non requiritur relaxatio, nunquam est moraliter necessaria. Altera confirmatio est ex congruentia, quæ ibi insinuatur, ob quam Ecclesia merito sibi reservat hanc relaxationem, sine qua non vult censeri ablatum vinculum, quod ipsa posuit : quia expedit, ut prius ipsa Ecclesia convenientem satisfactionem imponat, et, si opus fuerit, pœnam augeat juxta gravitatem, et durationem contumaciæ, sicut de excommunicatione diximus. Et in hoc est magnum discrimen inter hanc censuram latam ob contumaciam, vel in pœnam ad definitum tempus; nam quando fertur hoc posteriori modo, jam culpa tota commissa est, et castigatio condigna est ab Ecclesia imposita, et ideo non amplius ligat, quam usque ad pœnæ complementum; quando autem fertur priori modo, culpa est quasi in continua successione et augmento; et quo diuturnior est contumacia, eo digna est majori satisfactione et supplicio. Et ideo absolute ligat usque ad absolutionem ab Ecclesia. Ad hanc enim referenda est omnis conditio, sub qua fertur hæc censura, sive implicite, sive explicite ponatur; non enim adhibetur, ut ipso facto tollatur impleta conditione, sed, ut per Ecclesiasticum judicem tollenda sit. Atque ita semel responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ.

An per mutationem loci relaxetur ejus interdictum.

9. *Ratio dubitandi.* — Difficultas vero superest, an hæc regula patiatur aliquam exceptionem. Et solet in tribus casibus tractari : primus est de interdicto locali, an per loci mutationem cesset aliquando. Nam ex principiis supra positis de censuris in communi videtur affirmandum, quia destructo subjecto tollitur censura tanquam accidens illi inhærens. In contrarium vero est, quia in hoc interdicto non videtur habere locum talis ac tanta mutatio, aut destructio loci ipsius.

10. *Resolutio quoad interdictum generale.* — In hoc distinguendum in primis est de generali interdicto locali, et particulari. Nam generale per se primo fertur in totam aliquam civitatem, vel provinciam; consequenter vero in partialia loca ejus; ab illa ergo re, in quam per se primo fertur hoc interdictum, non potest, moraliter loquendo, auferri per destructionem ejus, quia vel non contingit totum illum locum destrui, præsertim si amplissimus sit; vel, licet destruatur civitas, vel villa, semper manet solum illud, in quo sunt ruinæ civitatis, quod manere potest interdictum, ut a simili constabit ex interdicto particulari. Posset tamen dubitari, an moralis alienatio, aut venditio sufficiat, ut ipso facto locus non maneat interdictus, ut, verbi gratia, si terra sit interdicta propter peccatum domini, et interim dominus terram illam omnino alienet; videtur enim tunc ipso facto tolli interdictum, quia jam non manet illa terra sub eo respectu, sub quo interdicta fuit. Sicut e contrario, si talis dominus de novo aliquam terram acquirat, illa statim fieret interdicta ex vi prioris sententiæ, per quam tota terra talis domini interdicta fuit.

11. *Si terra interdicta alienetur, adhuc retinet interdictum. — Locus de novo acquisitus a domino, cujus terra est interdicta, non manet interdictus.* — Nihilominus tamen communis sententia est, in eo casu non auferri interdictum propter alienationem. Quam tenuit Sylvester, *Interdictum,* 2, num. 3, cum Calderino, tractatu de Interdicto, membr. 2, et Geminiano cum aliis, in cap. Si sententia, de Sentent. excomm., in 6. Quorum ratio est, quia hoc interdictum est veluti onus quoddam loci interdicti; cum autem res alienatur, transit cum suo onere, argument. cap. Ex litteris, de Pignorib., et cap. Pastoralis, de Decimis. Addi etiam potest, hunc modum eludendi interdictum posse cedere in præjudicium, et vilipendium Ecclesiasticæ potestatis, et ideo nec talis modus tollendi interdictum est in usu, nec permittendus est.

Quanquam ergo terra illa non fuerit interdicta, nisi quia erat talis domini, non tamen interdictum semel latum dependet ab illa conditione quasi in fieri, et conservari; sed ille respectus, scilicet, fuisse talis domini tempore, quo latum est interdictum, sufficit, ut semper duret, donec per relaxationem Ecclesiæ auferatur. Atque eadem ratione e contrario dicendum est, locum de novo emptum, vel aliter acquisitum a tali domino, non eo ipso manere interdictum, si non fiat pars loci prius interdicti, sed solum ejusdem domini, quia a principio talis locus non fuit comprehensus in sententia interdicti. Quod tamen intelligendum est, ut notavit Sylvester, nisi per sententiam interdicta sit omnis terra talis personæ, possessa, vel possidenda; nam tunc se haberet sicut interdictum deambulatorium, de quo statim dicendum.

12. *Pars quovis modo separata a loco generaliter interdicto adhuc manet interdicta.* — De partibus vero loci generaliter interdicti dubitari potest, quando aliqua pars ita separatur a toto loco interdicto, ut omnino jam non sit, nec censeatur pars ejus; tunc enim videri potest, locum illum non manere interdictum, quia non est in illum per se primo latum interdictum, sed solum quatenus est pars totius loci per se primo interdicti; ergo hoc ipso, quod desinit esse pars, desinit etiam esse interdicta, sicut in simili statim dicemus de interdicto locali speciali. Sed nihilominus rationes factæ de loco totali videntur æque procedere de partiali; et ideo fortasse auctores citati nihil quoad hoc inter ea distinguunt. Accedit præterea, quod nulla separatio intelligi potest, quæ sufficiat ad hunc effectum tollendum; aut enim illa est separatio physica, aut moralis. Prior non habet hic locum, quia pars loci interdicti non est physice, seu localiter separabilis a toto loco interdicto, quia non est aliqua res mobilis, sed locus immobilis, ut physico more loquamur. Nam licet destruantur ædificia, quæ ibi sunt, manet solum, et quamvis per possibile, vel impossibile hoc materiale solum, seu hæc individua terra alio transferretur, semper manebit idem locus immobilis æque propinquus generali loco interdicto; ergo propter separationem physicam seu localem nunquam potest talis pars liberari interdicto. Separationem autem moralem appello illam, quæ fit per alienationem, ut dicitur civitas separari a regno Castellæ, v. gr., si alienetur, et vendatur Regi Galliæ; hujusmodi autem separatio non sufficit, quia ostensum est in toto non sufficere; ergo nec in parte satis erit. Est enim eadem ratio, scilicet, durationem jurisdictionis, seu dominii non esse necessariam, ut interdictum perseveret; sed in præsenti sufficit, ut talis loci pars sit toti aliquo modo realiter et localiter conjuncta; nam si sint loca omnino sejuncta, et separata, revera interdictum illorum multiplex est, quamvis per modum unius feratur, quando talia sunt sub dominio unius personæ; quod essentiale non est, ut interdictum semel latum perseveret, ut diximus.

13. *Deciditur dubium quoad interdictum particulare. — Si totum ædificium in alium locum mutetur, non manebit interdictum. — Si templum in loco interdicto reædificetur, manebit interdictum.* — Eadem proportione ratiocinandum est de interdicto locali speciali. Nam in primis probabilius censeo, per destructionem loci, v. gr., templi interdicti non omnino extingui interdictum, quia remanet aliquid, in quo possent vel sepeliri corpora defunctorum, vel etiam erecto altari sacra celebrari, seclusis aliis incommodis; quoad hæc ergo non manet ille locus immunis ab interdicto. Quia interdictum hoc etiam non pendet ex ædificio, seu tecto, aut parietibus, cum etiam loca quælibet, ut viæ, et plateæ, interdici possint; quamvis ergo interdicatur specialis locus, in quo est ædificium, non tamen solum ædificium, sed etiam pavimentum ipsum interdicitur; et ideo in eo saltem perseverat interdictum, sicut in simili dicemus statim de interdicto personali. Quin potius addo, si illa duo inter se comparentur, solum, et ædificium, potius ædificium propter solum, quam e converso interdictum; nam si fingamus totum illud ædificium destrui, et alio transferri, ita ut ex eisdem lapidibus et lignis, in eadem forma compositis, in alio situ distante ædificaretur simile templum, illud jam non esset interdictum, quia ratione soli non est illud templum, quod interdicto specialiter subjectum fuit, et hoc videtur esse, quod principaliter interdicitur, quia illud est quasi fundamentum, et basis talis loci, vel potius quia illud est id, quod est immobile in loco, sub quo respectu fertur præcipue interdictum locale, ut paulo antea dicebamus. Atque ob hanc causam, quamvis destructa Ecclesia, et iterum ædificata in eodem omnino situ, materiali et vulgari modo diversum templum censeatur, tamen et sub quadam physica ratione censetur idem

locus, et sub morali respectu quasi idem templum existimatur, ideoque eisdem privilegiis gaudet, ut est communis Jurisperitorum sententia. De qua videri potest Felinus, in cap. Cum dilecta, de Rescriptis, num. 97, et Jason, in leg. Inter stipulantem, § Sacram, num. 30, ff. de Verbor. obligat. Sic ergo in præsenti, si templum in eodem solo reædificetur durante interdicto, manebit interdictum ratione soli, quia semper est moraliter idem locus, qui interdictus fuit. Et eadem proportione loquendum est de loco partiali talis Ecclesiæ specialiter interdictæ; nulla enim videtur possibilis destructio, aut separatio, per quam illa pars interdicto liberetur, quia necesse est, ut semper maneat solum æque conjunctum illi Ecclesiæ; nam cœmeterium etiam interdicitur interdicta Ecclesia, et a fortiori manebit interdicta illa pars templi, etiamsi sola area maneat. Imo etiamsi quis fingat illam partem moraliter separari, ita ut jam non sit pars templi, nec cœmeterium ejus, nihilominus censeo, semper locum illum manere interdictum, donec relaxatio fiat, propter rationem factam de interdicto generali, quæ hic applicari potest, nec minui unquam ipso facto propter aliquam loci mutationem absque relaxatione.

14. *A præcedenti doctrina excipitur interdictum deambulatorium.* — Solum videtur necessario facienda exceptio in interdicto deambulatorio; per illud enim interdicitur locus, in quo talis persona detinetur, seu existit; ergo hoc ipso, quod persona ab illo loco transfertur, tollitur interdictum illius loci, absque alia relaxatione; sicut e converso alius locus, in quem persona transit, incipit esse interdictus absque nova sententia. Quia prior ad hunc effectum extenditur, et quasi transfert interdictum ab uno loco in alium; nam intentio ferentis, juxta communem usum, et sensum hujus interdicti, non est, ut tale interdictum ita perambulet omnia illa loca, ut in omnibus simul permaneat, sed solum in eo, in quo est talis persona. Atque ita hanc conditionem requirit ut necessariam, non solum ut interdictum in loco oriatur, sed etiam ut perseveret; ac propterea hoc est speciale in tali casu. Et congruentia reddi potest, quia tale interdictum non fertur in odium ipsius loci, ut sic dicam, sed in odium talis detentionis, seu alterius facti talis personæ in quolibet loco. Et ideo nullus illorum locorum interdicitur simpliciter, sed solum pro eo tempore, in quo talis persona in eo detinetur, vel aliquid simile in eo fit. Secus vero est, quando propter contumaciam personæ locus interdicitur independenter a præsentia ejus, vel alia actione in tali loco; tunc enim donec relaxetur interdictum, vel persona ipsa absolvatur, non tollitur interdictum.

An interdictum generale personale cesset, destructa communitate.

15. *Dissoluta communitate interdicta tollitur interdictum personale generale.* — Secundus casus est de interdicto generali personali, quod hanc habet specialem rationem, ut feratur in totum illud corpus, ut est unum moraliter, seu politice, videlicet unum collegium, vel unus populus, etc., de quo, tempore optime contingere potest, ut omnino dissolvatur, et consequenter destruatur sub tali ratione; tunc ergo verum censeo, tale interdictum cessare, seu carere effectu ob destructionem subjecti, in quo per se primo latum erat. Et tunc est optima illa ratio, quia erat veluti affectio ejus, quæ destruitur destructa re, quam afficit, juxta illud : *Destructis nobis, destruuntur ea, quæ sunt in nobis.* Unde cum dicimus, perseverare interdictum donec auferatur, semper intelligimus, perseverante re capace interdicti, vel alicujus effectus ejus. Non satis est, quod maneant illi homines, ex quibus collegium, v. gr., componebatur, si jam revera collegiales non sunt, nec collegium conficiunt, quia illi non erant per se interdicti, neque ut Petrus vel Paulus, sed ut partes talis corporis politici, et quasi consequenter ad interdictionem ejus; sub illa autem ratione non manent.

16. *Persona quæ desinit esse membrum communitatis interdictæ non ligatur interdicto. — Qui de novo fit pars communitatis generaliter interdictæ manet interdictus.* — Atque hinc ulterius fit, posse hoc interdictum cessare ipso facto in qualibet persona illius communitatis per separationem ab illa, etiamsi interdictum maneat in tota communitate; ut, v. gr., si collegium sit interdictum, et aliquis omnino dimittat societatem et habitum illius collegii, jam non participat interdictum illud. Idemque est, si interdicto populo aliquis inde mutet domicilium, vel quacumque via de illa communitate esse desinat. Ratio est, quia illa persona non est per se interdicta, sed quasi per participationem

ex toto, cui erat unita; ergo ablata illa unione, jam non participat illam conditionem totius. Item jam non gaudet privilegiis illius communitatis; ergo nec debet onera participare, , aut secum ferre. Item jam non comprehenditur sub verbis sententiæ, vel legis, quæ per se primo solum interdicunt communitatem, personas vero solum concomitanter ut partes ejus; ergo ablata ratione partis, aufertur tota ratio, et fundamentum hujus censuræ. Tandem qui post interdictum latum denuo conjungitur tali communitati, statim participat interdictum ejus, ut in superioribus ostensum est; ergo et e converso, qui ab ea separatur, hoc ipso desinit interdictum participare. Est enim hujusmodi interdictum quasi lex quædam illi communitati imposita; ideo non obligat nisi membra ejus; igitur eo ipso, quod desinit esse membrum talis communitatis, desinit etiam hujusmodi interdicto ligari. Atque hæc est communis sententia Canonistarum in cap. Si sententia, de Sent. excomm., et Summistarum, verb. *Interdictum,* præsertim Sylvestri, *Interdictum,* 2, num. 10, 11 et 12, ubi refert Calderinum, qui hoc late tractat in tractatu de Interdicto, membr. 2, et idem tenet Covarruvias, lib. 2 Variar., cap. 8, num. 10.

17. *Occurritur duplici objectioni.* — Neque contra hoc urget argumentum, quod sumi posset ex dictis de interdicto locali; est enim diversa ratio quia locus etiam generalis non interdicitur per modum unius corporis politici, quod proprio nomine collectivo significari solet, sed tanquam totum quoddam integrale, cujus partes non sunt ab ipso separabiles, ut fuse declaravimus; per interdictum autem personale generale primario interdicitur corpus quoddam politicum, cujus membra possunt ab illo moraliter separari. Similiter etiam hoc non repugnat generali regulæ, quod interdictum non cessat donec relaxetur : tum quia hoc semper verum est respectu illius rei, quæ per se, ac primario interdicitur; tum etiam quia illud etiam procedit durante re, quæ interdicitur, et sub ea ratione, qua interdicitur; hic vero eo modo, quo per hanc censuram ligantur singulæ personæ, non permanet id, quod interdicitur secundario, et concomitanter, quando talis persona a communitate separatur, quia non interdicebatur ut talis persona, sed ut pars talis communitatis.

18. *Qui causam dedit interdicto, quamvis a communitate recedat, eo ligatur. — Per ingressum religionis non liberatur quis speciali interdicto.* — Sed quid, si is, qui mutat domicilium, seu a communitate separatur, causam dedit interdicto? Videtur enim sequi ex dictis, etiam illum liberari ab hoc interdicto per talem separationem, quia etiam ille non interdicitur nisi ut membrum universitatis. Nihilominus omnes dicti auctores hunc excipiunt dicentes, secum ferre interdictum, quamtumvis a communitate recedat. Et ratio optima est, quia respectu illius tale interdictum non est generale, sed habet vim specialis, quod non per participationem a communitate, sed per se afficit talem personam; imo quodammodo tale interdictum redundat in communitatem ex tali persona, nam illius causa interdicitur. Denique talis persona interdicta est propter contumaciam suam; et ideo non expedit, ut perseverante contumacia, possit interdicto liberari a tali communitate recedendo; secus vero est de his, qui cum innocentes sint, hoc interdicto afficiuntur, solum quia partes sunt communitatis. Excipit tamen Sylvester supra, num. 12, eum, qui separatur a populo interdicto per ingressum, vel professionem religionis; putat enim, illum liberari interdicto, etiamsi fuerit in culpa, quia religio (ait) est maxima pœna, et mors civilis. Sed nisi ex privilegiis religionis id habeatur, ex jure communi, aut ex dicta ratione non satis probatur quis omni Ecclesiastica censura ipso facto liberari, si in eum specialiter lata sit; hoc autem interdictum habet vim specialis censuræ respectu ejus, qui in culpa fuit.

19. *Si populus interdictus ob peccatum domini desinat esse illius domini, an cesset interdictum.* — Tandem posset e contrario dubitari, an, si populus est interdictus propter peccatum domini, et desinat esse illius domini, hoc ipso cesset interdictum in tali populo, quia non videbatur interdici nisi ut corpus talis capitis, ut sic dicam; ergo ablato hoc respectu cessat interdictum; sicut de singulis personis dicebamus, ablata ratione partis, sub qua interdicebantur, cessare in eis interdictum. Dicendum vero est, in eo casu non tolli interdictum illius populi ipso facto. Ratio est, quia qui per se primo interdicitur, est talis populus, et ille idem manet etiam sub ratione talis corporis publici, etiamsi non maneat sub eodem domino vel gubernatore. Unde licet subjectio ad talem dominum fuerit necessaria conditio, ut propter ejus delictum populus interdicto subjiceretur,

tamen non fuit quasi formaliter constituens illud corpus, quod subjicitur interdicto; ac propterea interdictum illud semel latum non pendet in conservari ab illa conditione, nec potest aliter, quam per propriam relaxationem auferri, nisi totus populus dissipetur.

An qui ligatus personali interdicto particulari moritur, antequam absolvatur, ipso facto liberetur interdicto.

20. *Prima sententia. — Impugnatur præcedens opinio.* — Tertius casus est de interdicto personali particulari, et est difficultas, quando is, qui erat interdictus, ante absolutionem consecutam moritur vere pœnitens; tunc enim aliqui putant, ipso facto liberari interdicto, nec indigere relaxatione. Quod videtur probari ex cap. Is cui, de Sententia excomm., in 6, ubi de eo, cui est ingressus Ecclesiæ interdictus, dicitur : *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri;* ergo e converso, si pœnituerit, sepeliri poterit absque alia relaxatione; ergo omnino sublatum fuit interdictum; nam quoad alios effectus per destructionem subjecti destructum fuit, quia corpus defuncti non est capax aliorum divinorum officiorum, vel sacramentorum, quibus privat interdictum. Anima vero non privatur ratione interdicti suffragiis vel aliis Ecclesiasticis bonis, quorum particeps esse potest; et ideo interdictum ad illam semel a corpore separatam nullo modo extenditur. Atque ita sentit Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 1, n. 3. Sed contra, nam sequitur, illum ægrotum, eo ipso quod ille, dum viveret, pœnitentiam egit, liberatum fuisse illo interdicto, etiam quoad alios effectus talis interdicti; poterat ergo ille pœnitens, etiam dum viveret, ingredi Ecclesiam, et in ea communicare, vel alia divina participare, quia nulla videtur esse ratio, ob quam ille per pœnitentiam liberetur ab interdicto quoad effectum, quem habet in corpore defuncti post mortem ejus, et non quoad effectus, quod habet in vivente. Hoc autem consequens repugnat his, quæ diximus, et rationi, quia censura non tollitur per pœnitentiam, etiamsi propter contumaciam lata sit, sed tollitur per Ecclesiæ absolutionem.

21. *Secunda sententia.* — Et ideo Joannes Andreas, Ancharranus, Geminianus et Philippus Francus existimant, in eo casu necessarium esse, ut post mortem pœnitentis interdictum relaxetur quoad viventes; illi enim sunt, qui proprie obligantur, ut non tradant sepulturæ corpus defuncti, qui ligatus censura absque absolutione decessit; eorum autem obligatio non tollitur ipso facto per pœnitentiam alterius, argum. cap. A nobis, 2, de Sententia excommunicationis; jam enim ostendimus, quoad hoc excommunicationem et interdictum æquiparari. Sensus ergo illius cap. Is cui (omissis aliis expositionibus in superioribus tactis), est, quando aliquis interdictus signa pœnitentiæ exhibuit, relaxari debere interdictum, vel etiam posse a quolibet sacerdote, ut sepultura non negetur. Nam quia interdum solent jura privare sepultura Ecclesiastica propter peccatum, etiamsi ante mortem pœnitentia præcedat, ut patet ex cap. 1 de Torneamentis, et ex cap. 2 de Raptoribus, ideo specialiter expressum est in eo textu, ut propter tale delictum, vel interdictum, si pœnitentia præcedat, sepultura Ecclesiastica non denegetur; id tamen intelligendum est servato debito ordine, quod nimirum relaxatio interdicti præcedat, propter rationes supra datas, quæ tunc etiam locum habent.

22. *Cap. Is cui, tam de interdicto ob contumaciam quam in puram pœnam intelligitur.* — Unde obiter colligo, decisionem illius textus non solum habere locum in interdicto lato ob contumaciam (quod Covarruvias sentire videtur), sed etiam in lato in puram pœnam, sive simpliciter, sive ad certum tempus latum sit; nam textus absolute loquitur de illo, cui est Ecclesiæ ingressus interdictus; nec restringit ad casum contumaciæ; ergo nec nos restringere debemus. Item prior pars illius textus, quæ rigorem continet, quatenus dicit irregularem fieri eum, qui tali interdicto ligatus in Ecclesia celebrat, comprehendit non solum eum, qui ob contumaciam interdicitur, sed etiam in pœnam, vel ad certum tempus, ut constat ex supra dictis et ex omnium sententia; ergo etiam posterior pars, quæ favorem continet, cum eadem amplitudine debet intelligi. Si quis ergo propter crimen aliquando per mensem vel annum ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit, quamvis ante elapsum illud tempus decedat, si vere pœnitens moriatur, non debet Ecclesiastica sepultura privari ex vi hujus textus. Cum autem constat, tale interdictum non tolli ipso facto propter pœnitentiam, manifestum est tunc esse tollendum, et hanc facultatem in

illo textu concedit; hæc ergo videtur esse legitima interpretatio illius textus pro quocumque interdicto.

SECTIO II.

Quis possit interdictum relaxare.

1. Reliqua, quæ de relaxatione interdicti desiderari valent, brevissime possunt expediri. Nam de effectibus ejus nihil dicere necesse est, nec de causa finali, quæ in idem coincidunt, quia constat, proprium effectum hujus absolutionis esse tollere hanc censuram, et restituere homini omnia illa bona, seu moralem aptitudinem ad illa, quæ interdictum tollebat vel impediebat; et propter hanc præcipue causam dari, quamvis requirat causam motivam, vel pœnitentiam, et satisfactionem ejus, qui causam dederat interdicto; vel aliam justam rationem ad majus commune bonum, vel ejus, qui interdictus fuerat, pertinentem. De causa etiam materiali nihil dicere oportet; nam hæc eadem est, quæ ipsius censuræ, quia privatio et habitus circa idem versantur. Solum ergo pauca dicenda supersunt de causa efficiente, et de modo seu forma ferendi hanc absolutionem.

2. *Is tollere potest interdictum qui tulit sententiam, vel ejus superior.* — Circa priorem causam recolenda sunt dicta de censuris in communi, et ad hanc particularem applicanda; nam, si interdictum ab homine latum sit per particularem sententiam, solus ille, qui eam tulit, vel ejus superior, vel alius ex commissione ejus potest illam auferre, quod late ibi declaravimus, neque hic occurrit aliquid speciale dignum animadversione. Atque ita sentit Sylvester, *Interdictum,* 3, num. 16, et alii Summistæ eodem verbo, et Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 4, concl. 3, et juris interpretes communiter in cap. Si sententia, et Si civitas, de Sententia excomm., in 6. Si autem interdictum sit a jure latum, distinguendum est de illo, quod fertur in pœnam tantum delicti commissi, vel ob contumaciam. Illud prius regulariter fertur ad certum tempus, quo elapso per se finitur; si autem ante elapsum tempus tollendum sit, existimo non posse tolli, nisi a legislatore vel ejus superiore, vel ab eo, qui potestatem habet dispensandi in tali lege. Quod supra in simili diximus de suspensione cum Navarro et aliis, quos ipse refert, cap. 27, num. 162. Est eadem ratio de hac censura, quando similiter in pœnam fertur; videantur ergo ibi dicta, et huic loco applicentur.

3. Unde idem dicendum est de interdicto simpliciter lato absque temporis limitatione, si in puram pœnam feratur, et non ut a contumacia recedatur, quamvis illud, ut supra dixi, raro contingat, solumque ita interpretandum sit, quando fertur ob delictum pure præteritum, quod non habet tractum successivum in futurum; neque etiam aliqua conditio additur, quæ in futurum pendeat; quod vix credo posse fieri in hac censura, et ideo circa hoc non immoror; tamen si fiat, servanda sunt et applicanda dicta de suspensione, simili modo lata.

4. *Interdictum potest ferri cum reservatione. — Quod excommunicatio reservata feratur, non est signum interdictum ob idem crimen latum esse reservatum. — Quis possit ab interdicto absolvere.* — Superest, ut dicamus de absolutione ab interdicto, quod fertur ob contumaciam. Quod dupliciter ferri potest : primo cum reservatione, ut constat ex casibus præcedenti disputatione numeratis; nam saltem interdictum latum in bulla Cœnæ Domini reservatum est, quanquam Soto, supra, art. 1, in fine 3 conclus., absolute dicat, nullum esse interdictum juris Summo Pontifici reservatum, quod forte est verum de facto de interdictis latis in corpore juris, non tamen de omnibus, et multo certius est posse interdicta ferri a jure cum reservatione, sicut possunt ferri ab homine vel per particularem vel per generalem sententiam. Adverti tamen oportet non satis esse, quod excommunicatio, verbi gratia, personæ, quæ causam dedit interdicto communitatis vel loci, reservata sit, ut interdictum etiam censeatur reservatum, quamvis oppositum existimaverit Sylvester, secutus Archidiaconum, *Interdictum,* 3, num. 16, sine fundamento. Quia excommunicatio et interdictum diversæ censuræ sunt, et quamvis pro eodem delicto simul ferantur, vel respectu diversorum, ut sunt communitas vel locus, et persona privata, vel etiam respectu ejusdem, potest una reservari, et non alia, quia non habent in hoc necessariam connexionem. Unde potius eo ipso quod in una censura exprimitur reservatio, et in alia tacetur, ab ea tacite excluditur, juxta c. Nonne, de Præsumpt., et ita tenuit Joann. Andr., ut idem Sylvest. refert, et sentit Gloss. in Clem. 1, § Verum, verb. *Excommunicationis,* de Hæret. Necessarium ergo est, ut reser-

vatio in censuram interdicti directe cadat. Illa vero supposita certum est, tale interdictum tolli non posse, nisi ab eo, qui sibi illud reservavit, ut per se constat et ex supra dictis de censuris in communi. Unde obiter confirmari potest, quod præcedenti sectione diximus, interdictum latum ob contumaciam non auferri ipso facto propter pœnitentiam vel satisfactionem, alias nullius momenti esset reservatio; solum hic adde Episcopos posse absolvere ab his interdictis reservatis Pontifici, si casus occultus sit, per Concilium Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform. Nam licet in priori parte illius textus, quæ est de dispensatione, solum sit sermo de irregularitate et suspensione, et ideo illa non extendatur ad interdictum quod non est censura, nec absolutione tollitur, sed dispensatione, ut si in puram pœnam sit pro certo impositum personæ; nihilominus in posteriori parte, quæ est de absolutione, sermo est absolutus de omnibus casibus reservatis; et ideo hanc etiam censuram comprehendit.

5. *Quodvis interdictum locale non reservatum tolli potest solum ab habente jurisdictionem Episcopalem.* — Alio modo potest ferri hoc interdictum a jure simpliciter et sine reservatione. Et tunc est difficultas, an inferior possit absolvere a tali interdicto. In qua difficultate ulterius distinguendum est de interdicto locali et personali; nam illud prius, sive generale, sive particulare, nunquam videtur posse tolli, nisi auctoritate Episcopi illius loci, vel qui in illo participet Episcopalem jurisdictionem. Ab his autem tolli posse videtur, etiam si jure Pontificio latum sit, dummodo non sit reservatum. Hæc posterior pars probatur ex regula cap. Nuper, de Sententia excomm.: *Quod legislator non reservavit, aliis ordinariis judicibus concessisse videtur.* Quem textum statim magis expendemus. Respectu autem loci solus Episcopus, vel qui Episcopalem jurisdictionem participat, est ordinarius judex, habetque jurisdictionem in foro contentioso, quæ ad hujusmodi relaxationem necessaria est.

6. *Idem dicendum de personali generali.* — Atque hæc eadem ratio idem convincit de interdicto generali personali, quia etiam respectu communitatis ordinarius judex in Ecclesiastico foro externo est Episcopus. Nec respectu communitatis, ut sic, habet locum jurisdictio in foro interiori sacramenti pœnitentiæ, ut ratione illius concessa censeatur jurisdictio ad tollendam hanc censuram, quia communitas ut sic non est capax sacramenti pœnitentiæ. Et hinc ulterius colligo, non posse singulas personas populi generaliter interdicti liberari a participatione talis interdicti per parochum, aut alium similem inferiorem clericum. Ratio est, quia respectu talis interdicti nullam habet jurisdictionem, eo quod non feratur per se in personas singulas, sed in communitatem. Item, quia secundum ordinariam legem Ecclesiæ repugnat universitatem ut sic manere interdictam, et tamen personas singulas persistentes membra communitatis liberari, et absolvi a tali interdicto; quamvis enim alicui fortasse hoc possit interdum concedi, id tamen erit per modum privilegii aut dispensationis, non vero ordinario jure; ergo non potest hoc fieri auctoritate alicujus inferioris, qui potestatem non habet ad tollendum totum interdictum. Et confirmatur, quia alias fieri posset, ut tale interdictum sigillatim auferretur ab omnibus personis illius populi, manente interdicto toto populo ut sic, quod repugnat; alioqui tale interdictum inutile esset, argument. cap. Si sententia, de Sententia excomm. Neque in his invenio difficultatem, quæ communia esse videntur, ut patet ex Geminiano, Philippo Franco, et in cap. Si sententia, de Sententia excomm., in 6; et Ancharrano, in Clement. unica de Rebus Eccles. non alien., num. 12; Soto, Sylvestro et aliis Summistis.

7. *Quid de personali speciali.* — *Ratio dubitandi.* — De interdicto denique personali speciali facile concluditur ex dictis posse ab Episcopo tolli; an vero possit etiam auferri a quolibet proprio sacerdote, seu ordinario confessore, qui possit absolvere a peccatis mortalibus, dubitari potest. Pars enim negativa videtur concludi ex dictis; nam gravius est hoc interdictum respectu talis personæ, quam sit interdictum communitatis respectu singularum personarum, quia particulare interdictum non ponitur sine propria culpa talis personæ, per generale autem interdictum ligatur persona sine propria culpa; ergo si hoc vinculum, quod sine propria culpa contrahitur, ab inferiori sacerdote auferri non potest, multo minus poterit illud auferri, quod propter propriam culpam positum est. Et confirmatur, quia alias posset parochus absolvere a generali interdicto eum, propter cujus culpam positum est, cum tamen non possit absolvere alios innocentes, quod, quam sit absurdum, per se satis patet. Sequela probatur, quia interdictum illud respectu ejus,

qui causam dedit, habet vim interdicti particularis personalis, ut supra diximus.

8. *Ratio in contrarium. — Quorumdam responsio. — Excluditur.* — In contrarium vero urget dictum cap. Nuper, de Sententia excomm., ubi absolutio excommunicationis non reservatæ censetur concessa non solum Episcopo, sed etiam proprio sacerdoti; ergo idem dicendum est de absolutione interdicti personalis particularis; nam hæ duæ censuræ quoad hæc æquiparantur, juxta Glossam in cap. Præsenti, verb. *Generaliter*, de Sent. excom., in 6. Respondent aliqui, non esse parem rationem, quia excommunicatio impedit sacramentalem absolutionem; et ideo, quando reservata non est, committitur illi, qui potest sacramentaliter absolvere, ut possit suum munus exercere et subditum curare. At vero interdictum non impedit receptionem sacramenti pœnitentiæ, maxime post cap. Alma, et ideo absolutio a tali interdicto non est per se prævia ad absolutionem sacramentalem; ac propterea non est, cur cuicumque ordinario confessori concedatur. Hæc tamen differentia, licet in generali interdicto habere posset locum, non tamen in particulari, quia hoc interdum etiam impedit absolutionem sacramentalem, ut supra suo loco notavimus ex ipsomet cap. Alma; ergo potius hinc confirmatur æquiparatio interdicti cum excommunicatione, quæ cum favorabilis sit, extendenda est. Præsertim, quia non tam est consideranda materialis illa censura, ut sic dicam, de qua Pontifex ibi loquitur, quam formalis ratio et intentio illorum verborum : *Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso aliis concessisse videtur,* ubi illud relativum, *ejus*, non refert excommunicationem, sed juris sententiam, qua aliquis ligatur, quæ in interdicto etiam locum habet. Et præterea si sub his verbis non comprehenditur interdictum particulare personale, neque etiam comprehendetur cum proportione interdictum locale, vel personale generale; atque ita non poterit Episcopus relaxare aliquod interdictum jure Pontificio latum, etiam si reservatum non sit, quod est contra sententiam communem, ut videre est apud Sylvestrum, *Interdictum*, 3, quæst. 10, et alios Summistas, et Soto.

9. *Interdictum particulare personale non reservatum tolli potest a sacerdote a quo potest excommunicatio.* — Propter has ergo posteriores rationes, quamvis dicti auctores absolute dicant, solum Episcopum vel Prælatum participantem jurisdictionem ejus posse absolvere ab interdicto jure lato, nihilominus probabilius censeo hoc interdictum particulare personale, si reservatum non sit, ab eodem sacerdote tolli posse, a quo potest auferri excommunicatio juris non reservata, dummodo sit propter contumaciam latum, ut diximus. Item necesse est, ut causa interdicti tollatur, et sufficiens satisfactio fiat, vel cautio detur, juxta dicta de excommunicatione.

10. *Respondetur ad rationem dubitandi. — Satisfit superiori objectioni.* — Ratio vero dubitandi in contrarium posita facile solvitur negando similitudinem rationis, propter differentiam insinuatam, quod interdictum generale non excludit innocentes a receptione sacramenti pœnitentiæ. Dices : quod hoc ita sit jure novo, tamen juxta antiquum excludebantur; decisio autem cap. Nuper, antiquior est, quam concessio cap. Alma, et ideo per jus antiquum interpretanda est. Sit ergo alia ratio, quia interdictum generale, licet comparatum ad personam innocentem, videatur levius, seu relaxatione dignius, tamen in se ac simpliciter gravius est; et, quia per se primo non respicit privatas personas, sed corpus commune, ideo ejus relaxatio superiorem requirit potestatem; quia vero a singulis personis auferri non potest, nisi in se, ac simpliciter tollatur, inde fit, ut, etiam respectu cujuscumque particularis personæ difficilius tollatur, quam particulare interdictum. Nec refert, quod propter propriam culpam latum sit; nam propterea requirimus, ut culpa tollatur, et satisfactio exhibeatur. Neque etiam admittimus hoc posse extendi (ut in quadam confirmatione inferebatur) ad eum qui causam dedit interdicto generali, sive personali, sive locali; is enim absolvi non potest, nisi ab eo, a quo tale interdictum simpliciter tolli potest, quia, licet respectu illius personæ, quasi eminenter habeat virtutem et efficaciam interdicti particularis personalis, tamen simpliciter ac formaliter est majus illo; ac propterea auferri non potest ab inferiori sacerdote, sed solum ab Episcopo.

SECTIO III.

Quæ forma servanda in relaxando interdicto.

1. *De substantiali forma. — De accidentali forma.* — Quod attinet ad substantialem for-

mam hujus revocationis, nulla sunt verba determinata, sed illa sufficiunt et necessaria sunt, quæ voluntatem tollendi illud in habente potestatem significent, ut omnes Summistæ, et Doctores docent. Qui tamen aiunt aliqua verba esse necessaria, nec sufficere alia signa, per facta, vel aliquid hujusmodi, quod commune est aliis censuris; tamen cum eadem limitatione id accipiendum censeo; facta enim vel similia signa per se sumpta non sufficiunt; tamen si conjungantur aliquibus verbis, cum illis possunt complere perfectam significationem, satisque expressam, ut absolutio habeat effectum. Communis casus, seu exemplum est: nam, si Episcopus non servet interdictum a se latum, id satis non est, ut censeatur auferre interdictum, argumento c. Cum desideres, de Sent. excom., quia illa absolutio nullo modo est verbalis; et ideo solum Summo Pontifici licet illo modo revocare censuram, quia non est astrictus ordinario juri. At vero, si talis Episcopus dicat, intentionis suæ esse interdictum relaxare, cum primum illud non servaverit, illud satis erit ad relaxandum interdictum. Quod docuit Sylvester cum Calderino, *Interdictum*, 3, q. 9, et mihi placet (licet aliqui dubitent), quia licet factum illud per se non sufficiat, tamen, cum verbis conjunctum, est sufficiens signum, et dici potest verbalis relaxatio. Sicut, si per verba interrogaretur, an vellet interdictum relaxare, et annueret solis signis, satis in rigore esset, quantum spectat ad substantiam formæ, quamvis non directe faceret Episcopus utens his signis vel ambiguis, vel incertis. Quod vero attinet ad accidentalia, nullam specialem solemnitatem invenio circa hoc a jure præscriptam; et ideo nihil hic addere oportet præter dicta de censuris in communi, et de suspensione. Advertit tamen Sylvester, *Interdictum*, 3, quæst. 8, in fine, et 9, in principio, revocationem interdicti debere fieri cum juramento, quod probat ex cap. Alma, ubi nihil de hoc in speciali habetur; et ideo servanda sunt, quæ in dictis locis, et tractando de excommunicatione adnotavimus.

2. *An in interdicto locum habeat absolutio ad cautelam. — Responsio. — Advertendum.* — Duo tamen hic addenda supersunt. Unum est, an in interdicto locum habeat relaxatio, seu absolutio ad cautelam, sicut in excommunicatione. Quod tractant Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 2, num. 5, et Navarrus, in cap. Cum contingat, de Rescriptis, remed. 6, et juris interpretes, in cap. Præsenti, de Sentent. excomm., in 6. In quo textu habetur hujus quæstionis resolutio, quantum attinet ad interdictum generale loci; dicitur enim ibi, in hujusmodi interdicto, *non habere locum beneficium relaxationis ad cautelam.* Cujus ratio sufficiens est juris institutio, a qua hæc omnia maxime pendent; fortasse tamen propter gravitatem hujus censuræ, quæ valde publica est, voluit jus, ut quando nulla esse dicitur, debeat aut declarari nulla, aut simpliciter tolli. Addit vero Navarrus quamdam limitationem, videlicet, quando relaxatio petitur simpliciter ad instantiam partis, ob cujus culpam positum dicitur, præstita cautione de parendo juri, tunc relaxandum esse interdictum, antequam de justitia, vel nullitate constet. Quod probat ex decisionibus Rotæ, et aliis auctoribus, et ex cap. Qua fronte, de Appellat., quod, mea sententia, non multum probat, quia in illo est sermo de interdicto personali, non de locali generali. Sed in ea re usum, et communem sententiam Jurisperitorum servandam censeo; existimo autem eos non loqui de propria relaxatione ad cautelam, sed de absoluta relaxatione, quæ tunc fieri debet ad instantiam partis, sicut in simili casu, præstita cautione, absolutio etiam ab excommunicatione simpliciter danda est, juxta cap. Cum contingat, de Offic. delegat. Adverto tamen non satis esse, ut cautionem, vel satisfactionem offerant illi, qui fuerunt veluti secundaria causa interdicti per auxilium, favorem, vel aliquid hujusmodi, sed necessarium esse, ut principalis auctor hoc præstet; nam ad omnem relaxationem interdicti hoc requiritur, ut colligitur ex cap. Alma, et notavit Sylvester, *Interdictum*, 3, quæst. ult.

3. *Absolutio ad cautelam habet locum in omni interdicto, excepto generali loci.* — De aliis vero interdictis non invenio in jure definitionem adeo expressam; ex dict. autem cap. Præsenti, per argumentum ab speciali colligere licet, in omnibus aliis interdictis locum habere beneficium relaxationis ad cautelam. Non enim sine causa additum est ibi verbum illud, *Generaliter in civitates, castra,* etc.; positum ergo est ad excludendum interdictum particulare locale, ut Covarruvias notat ex decisione Rotæ, et ex pluribus auctoribus, qui de interdicto particulari loci loquuntur. Et ratio est, quia hoc beneficium communiter conceditur in quacumque censura; ergo, ubi specialiter non negatur, con-

cessum manet. Quæ ratio æqualiter procedit in interdicto personali particulari; de quo videtur clarius loqui Navarrus; id tamen expresse tenet Sylvester, *Interdictum*, 3, q. 9, et Angelus, *Interdictum*, 8, num. 9, qui alios auctores referunt. Et addunt congruentiam, quia hoc interdictum privat receptione sacramentorum, in quo assimilatur excommunicationi; et ideo debet etiam in illo modo relaxationis assimilari. Et ad hoc confirmandum est optimum dict. cap. Qua fronte, præsertim in versiculo ultimo, scilicet : *De his etiam, qui conqueruntur se irrationabiliter excommunicationi, vel interdicto suppositos, illud idem dicimus* (scilicet esse absolvendos), *etiamsi ii, qui hujusmodi protulerunt sententiam* (utique tam interdicti quam excommunicationis), *ad Sedem Apostolicam duxerunt appellandum.* Hoc ipsum confirmari potest ex cap. Venerabilis, de Sentent. excommunic., ubi sententia suspensionis dicitur relaxari ad cautelam, quod tamen frequentius expedire potest in interdicto personali particulari.

4. De interdicto autem generali personali dicti auctores nihil expresse dicunt; quin potius Sylvester, Angelus, Navarr. et Covarruvias absolute dicunt, interdictum generale non posse hoc modo relaxari, sine distinctione de personali, vel locali. Quia vero in dict. cap. Præsenti, sermo est tantum de locali interdicto, dicendum est, ex vi illius textus non negari beneficium relaxationis ad cautelam in interdicto personali etiam generali, quia, cum denegatio hujus beneficii favorem non contineat, sed potius rigorem, ultra vim verborum extendenda non est. Quod si ex vi illius textus non negatur, non video cur neganda sit ex vi juris, nisi forte praxis, et consuetudo aliud habeat; nam illa est optima legum interpres, et interdum illas extendit propter paritatem rationis, quæ fortasse videbitur esse inter generale interdictum personale et locale.

5. *Interdictum post ejus sententiam latam non suspenditur per appellationem. — Omne interdictum potest suspendi ab illo qui illud tulit. — Satisfit argumento Panormitani in contrarium.* — Ultimum dubium est, an interdictum suspendi possit. In quo nonnulla sunt certa. Unum est, interdictum non suspendi per appellationem interpositam post latam interdicti sententiam. Ita enim expresse cavetur in cap. Is cui, de Sentent. excomm., ubi in hoc interdictum excommunicationi æquiparatur; ubi est sermo de suspensione ab ingressu Ecclesiæ, quæ, ut sæpe dixi, est interdictum quoddam; eadem autem ratio est de quolibet alio interdicto. In cap. autem Ad hæc quoniam, de Appellat., absolute idem dicitur de quolibet interdicto. Secundo est certum, interdictum generale, tam locale quam personale, et interdictum etiam locale particulare suspendi posse ad tempus, vel simpliciter, vel quoad aliquem effectum, ab eo qui illud tulit. Ita docent communiter Canonistæ in dict. cap. Ad hæc. Quos refert, et sequitur Covarruv., in cap. Alma, part. 2, § 2, num. 4, contra Abbatem, et Decium, quos ibidem refert; quanquam Abbas fateatur hanc sententiam in praxi servari posse. Eamdem tenuit Navarr., cap. 27, num. 165, ubi idem dicit de excommunicatione, et in hanc sententiam allegat Decium. Tenet etiam Sylvester, *Interdictum*, 3, quæst. 8, qui citat Innocentium, et Hostiensem. Idem Angelus, *Interdictum*, 8, num. 3, qui refert alios, et quædam jura, scilicet, cap. Ad hæc, 3, et cap. Directe, et cap. Præterea, de Appell., quæ nihil omnino ad rem præsentem faciunt. Melius id probatur ex cap. Dilectis, de Appel., ibi, *cujus effectum ad tempus duxerat suspendendum;* et significat Pontifex tam validam esse illam suspensionem, ut, si durante tempore suspensionis appellatio interponatur ad Summum Pontificem, non possit ulterius judex ad pristinum statum sententiam revocare, ita ut effectum exequatur. Sed hæc quæstio a Panormitano, et aliis auctoribus citatis late disputatur, qui varie textum illum exponunt, quæ ad nos nunc non pertinet. Fundamentum enim hujus sententiæ non est quia per aliquod jus hoc specialiter conceditur, sed quia nullo jure prohibetur; nam hoc ipso tota sententia, et effectus censuræ pendet ex voluntate ferentis; ergo sicut potest simpliciter eam auferre, ita potest ad tempus suspendere. Unde non est efficax Panormitani argumentum, quia non minus est efficax appellatio interposita, quam voluntas ferentis. Si ergo appellatio non suspendit; nec judex potest suspendere. Respondetur enim, supposito jure positivo, non esse ita efficacem appellationem, sicut voluntatem judicis, quia de appellatione habemus expressam prohibitionem, non vero de judice.

6. *Evasio. — Eluditur. — Episcopus suspendere nequit interdictum ab homine a Papa positum.* — Sed aiunt : quamvis in voluntate judicis sit ferre sententiam censuræ, tamen,

illa lata, non est in voluntate ejus impedire executionem; ergo non potest illam suspendere, sed necesse est, ut vel illam revocet, vel quod illa habeat effectum suum, quia sententia censuræ secum affert executionem, cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat. Respondetur : quamvis sententia censuræ in hoc sensu secum afferat executionem, quod per se ipsa, absque alio medio instrumento, seu executore, efficax est ad inducendum suum effectum, nihilominus in hac ipsa actuali executione pendet ex voluntate ferentis, et ideo per illam potest suspendi quoad actualem effectum. Et propterea diximus, hanc suspensionem fieri posse ab eo, qui eam tulit, quia inferior hoc non potest, cum non habeat jurisdictionem, nec ab illo pendeat effectus sententiæ, vel voluntatis superioris. Unde inferunt Sylvest. et alii, Episcopum non posse suspendere interdictum a Summo Pontifice positum; quod verum est de interdicto ab homine, vel reservato; nam, si fit a jure Pontificio absque reservatione, videtur posse suspendi ab Episcopo ex legitima causa ex commissione illi facta eodem jure ad relaxandum tale interdictum, ut supra vidimus. Unde hæc videtur generalis regula, eum posse suspendere interdictum, qui potest auferre, nam uterque actus ex eadem potestate nascitur.

7. *An interdictum personale speciale possit suspendi.* — Atque hæc omnia communia sunt tribus interdictis supra numeratis, respectu earum personarum, quæ sine culpa sua interdicto ligantur, vel ad illud servandum obligantur; nam eadem est quoad hæc de omnibus ratio. Quoad eas vero personas, quæ causam interdicto dederunt, magis æquiparantur hæc interdicta cum interdicto personali particulari, de quo est major dubitatio an possit suspendi. Nam Sylvest. supra negat tale interdictum posse suspendi, nisi per solum Summum Pontificem, nam ille, inquit, dispensare in hoc potest, cum sit juris humani; imo addit, si adhuc duret culpa, pro qua latum est interdictum, non posse Pontificem dispensare quantum ad celebrationem, sed solum quoad alia.

8. *Respondetur affirmative.* — *Notandum.* — Verius tamen est, etiam hoc interdictum posse suspendi ab eo, qui illud tulit. Quod a fortiori sentit Navarr., cum idem de excommunicatione asserat, et expresse id docet Covarr. Et ratio est eadem, quæ de aliis interdictis, quia hoc nullo jure prohibetur, et alioqui veluti ex natura rei effectus sententiæ pendet ex voluntate ferentis. Quare nulla ad hoc requiritur juris dispensatio, quæ Summo Pontifici reservata sit; quia hic non agimus de privilegio perpetuo celebrandi, aut participandi divina tempore interdicti, quod Summus Pontifex solus concedere potest; sed de suspensione alicujus effectus, qui a voluntate ferentis pendet. Quocirca, non solum potest suspendi hoc interdictum postquam quis a contumacia recessit, tunc enim potius tollendum est, sed etiam ea durante, quia sæpe possunt occurrere rationabiles causæ ad hujusmodi suspensionem faciendam, ut per se patet. Neque solum quoad alios effectus, sed etiam quoad celebrationem Missæ potest hujusmodi interdictum suspendi, non quia per hoc concedatur, ut sine peccato celebret qui est in peccato; sed solum ut talis suspensio efficiat, ne per Ecclesiam specialiter prohibitus, seu interdictus sit. Quo etiam fiet (quod Sylvest. non advertit) ut, licet fortasse peccet celebrando, non tamen irregularis fiat, quia pro tunc non agit contra censuram. Poterit etiam contingere, ut non peccet, si coram Deo sit bene dispositus, et ab iniquitate recessit, quamvis apud Ecclesiam nondum satisfacere potuerit.

9. *Occurritur objectioni.* — Hic vero se offerebat objectio, quia hoc interdictum personale, et excommunicatio æquiparantur; sed excommunicatio non potest suspendi; ergo neque hoc interdictum. Ad quam Navarrus respondet negando minorem. Sed quia opposita est communis sententia, et magis consentanea juri, ut supra vidimus, negamus has censuras æquiparari in omnibus et specialiter in hoc, quia jura significant id esse speciale in excommunicatione, cap. Cum desideres, de Sentent. excommunicationis, cum aliis; nam excommunicatio acerbior est pœna, et quoad hanc partem magis odiosa; et ideo volunt jura, ut vel omnino auferatur, vel omnino suum effectum habeat.

DISPUTATIO XXXIX.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

Inter spirituales pœnas, et inter alia remedia, quibus Ecclesia uti solet ad corripiendos filios inobedientes, et contumaces, una est, quæ cessatio a divinis appellatur, ut constat ex juribus, quæ inferius referemus, et ex quotidiano usu Ecclesiæ. Unde non est quod

disputemus, an hæc cessatio sit licita, vel expediens; utrumque enim satis confirmat Ecclesiæ usus. Et ad illud prius sufficit, quod non est contraria alicui præcepto divino; nam licet ex divino jure sit, ut divina officia in Ecclesia celebrentur, non tamen illud obligat, ut ubique, et semper fiat; et ideo aliquando, seu in aliquo loco cessare, nec est per se malum, neque extra materiam Ecclesiastici præcepti. Ad secundum autem, scilicet, ut hoc sit expediens, multa concurrere necesse est, quæ judices Ecclesiastici prudenter observare debent, et in sequentibus explicabuntur. Hæc ergo cessatio, si censura est, sub interdicto comprehenditur, ne numerus specierum censuræ augeatur contra responsum Pontificis in cap. Quærenti, de Verb. significat. Si vero non est censura, maximam habet cum interdicto affinitatem; et ideo disputatio hæc optime huic loco accommodatur. Nam per se necessaria est hujus pœnæ cognitio ad res morales, et ad hujus materiæ complementum, et per comparationem ad interdictum facillime intelligitur. Et ideo Doctores, qui fere cum interdicto hanc pœnam involvunt, pauca de illa dicunt, quos quidem imitabimur; curabimus autem distincte rem totam exponere. Et primo videbimus quid cessatio sit. Deinde, quos effectus, et causas habeat, et quomodo tollenda sit.

SECTIO I.

Quid et quotuplex sit cessatio a divinis, et quomodo ab interdicto differat.

1. *Ratio nominis.* — Quod ad nomen attinet, constat cessationem a divinis sic dictam esse, quia eo tempore, quo hæc pœna fertur, cessant ministri Ecclesiæ a publica celebratione divinorum officiorum, et sacramentorum administratione. Et ideo dici solet hæc cessatio suspensio quædam organorum Ecclesiasticorum, per allusionem ad illud Psal. 136 : *In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra,* quia hoc est veluti maximum signum afflictionis, quam Ecclesia patitur, quando omnia divina officia ita suspendit, ut notavit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 2. Ex quibus constat, appellationem hanc ab effectu sumptam esse; nam illa cessatio effectus est hujus pœnæ; ipsa autem pœna consistit in illo vinculo, quo astringuntur ministri Ecclesiæ, et obligantur ad cessandum a divinis. Et de hoc vinculo præcipue inquirimus quid sit.

2. *An cessatio sit censura.* — ***Prima opinio.*** — *Secunda opinio.* — *Excluditur fundamentum Navarri.* — *Excluditur evasio quædam.* — Ad hoc autem declarandum primo videndum est, an hoc vinculum seu pœna sit propria censura; nam auctores in hoc varii sunt. Covarruv., in cap. Alma, part. 2, § 2, in princip., eam vocat juris Pontificii censuram; eodem fere modo loquitur Soto, dict. q. 3, art. 1, ubi quinque numerat censuras, quarum una est cessatio a divinis. Et videtur hoc efficaciter probari ex definitione censuræ in principio hujus operis posita; nam hæc cessatio est pœna Ecclesiastica, et privat spiritualibus functionibus, et ponitur propter contumaciam, ut ab illa recedatur, atque ita etiam est medicinalis pœna, quæ per ordinariam potestatem Ecclesiæ tollitur, sicut imponitur; ergo nihil illi deest ad veram rationem censuræ. Alii nihilominus negant hanc pœnam esse censuram. Ita tenet Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 164 et 188; nullam autem aliam rationem affert, nisi quia cessatio non est, nisi ipsa omissio officiorum, juxta Panormitanum in cap. Dilectis, de Appellationibus, num. 18. Quam rationem et sensum propositionis assumptæ vix percipio; nam hæc pœna, prout ab Ecclesia imponitur, non est ipsa actualis omissio divinorum officiorum; potest enim aliquando Ecclesiasticus judex juste præscribere cessationem, et nihilominus ministros Ecclesiæ de facto non omittere divina officia, in quo graviter peccant, quod est signum, sententiam fuisse validam et pœnam revera impositam; cum ergo omissio divinorum de facto non sit subsecuta, non consistit hæc pœna formaliter in ipsa omissione facti, sed in vinculo impediente actionem, ex quo sequi debet talis omissio. Si autem respondeatur, per omissionem intelligi vinculum omittendi, male inde infertur non esse censuram; nam etiam interdictum est vinculum omittendi divina ; imo et omnes censuræ cum proportione sunt vincula, quæ obligant ad aliquas omissiones seu privationes.

3. *Excluditur Soti interpretatio.* — Nec minus obscurum est dictum Panormitani, quod Navarr. allegat, et Sylvester sequitur, *Interdictum,* 1, quæst. 1; ait enim, hoc differre inter cessationem et interdictum, quod interdictum est quid juris, cessatio autem solum est quid facti. Quod dictum Soto, dicto art. 2, ita interpretari videtur, ut cessatio dicatur esse quid facti, quia nunquam fertur ipso jure, sed semper ab homine; interdictum

vero esse quid juris, quia etiam ipso jure fertur. Sed non fuit hæc mens Panormitani, quia omne interdictum, etiam quod ab homine fertur, censet esse quid juris; nam et de sententia interdicti absolute loquitur, et ratio, quam reddit, generalis est, scilicet, quia per talem sententiam locus supponitur interdicto, ita ut ille, qui celebrat, irregularis fiat. Unde e converso non ideo ait cessationem esse quid facti, quia non fertur ipso jure, sed quia solum est ipsa suspensio organorum, in quo significat sententiam Navarri, et eamdem habet difficultatem. Adde, quod, licet de facto nulla cessatio a divinis inveniatur ipso jure lata, tamen non repugnat ferri aliquo statuto vel lege; ergo ex se etiam in illo sensu potest esse quid juris. Alius ergo fuit sensus Panormitani, quem infra declarabimus.

4. *Vera resolutio. — Cessatio a divinis nunquam fertur directe in personas.* — In hac re mihi est moraliter certum, cessationem non esse censuram omnino distinctam ab illis tribus, quas hactenus tractavimus, propter cap. Quærenti, de Verborum signif., prout latius expendi et probavi in disput. 1, sect. 3, hujus libri. In quo displicet mihi opinio Soti, cui consentit Covarruv. dicens, cessationem esse aliam censuram interdicto similem; nam si censura est, non est alia, sed eadem, quia manifestum est nec suspensionem, nec excommunicationem esse; quod si interdictum non est, nec censura est, quia quod sub nulla specie invenitur, nec sub genere existit. Videndum ergo superest, an cessatio sit interdictum. Quod, ut distinctius fiat, et relatæ opiniones magis intelligantur et judicium de eis feramus, adverto, cessationem a divinis nunquam ferri directe et absolute in personas, sed in loca tantum. In quo differt ab interdicto generatim sumpto. Ita sumitur ex omnibus Summistis, verb. *Cessatio a divinis,* et ex Panormit., Navarr., Covarr. et Soto, locis citatis, et aliis auctoribus, quos ipsi referunt. Nam, licet priorem partem negantem expresse non ponant, tamen solum faciunt mentionem cessationis localis, ut sic dicam, solumque distinguunt eam in ordine ad loca. Unde plane sentiunt nullam esse cessationem personalem. Et eodem modo hoc sumitur ex juribus, quæ de hac cessatione loquuntur; semper enim mentionem faciunt solius cessationis localis, ut paulo post referemus. Ratio etiam id persuadet, quia ex vi cessationis nunquam prohibentur personæ ubique celebrare divina, sed tantum in aliquo loco, quem respicit cessatio, ut constat ex usu Ecclesiæ. Item, quia talis cessatio in nullo differret ab interdicto personali, quia hoc interdictum obligat personam, ut ubique cesset a divinis officiis publicis, nam a privata recitatione officii canonici non removet, quam omissionem etiam cessatio non inducit, imo neque illam permittit, si alias erat obligatio recitandi; nulla est ergo cessatio a divinis directe et absolute cadens in personas, quæ sit aliquid distinctum ab interdicto personali.

5. *Cessatio a divinis altera est particularis, generalis altera. — In quo differant inter se generalis et particularis cessatio.* — Rursus cessatio loci in particularem et generalem distinguitur. De generali loquitur Clementina 1 de Verbor. signif., et de eadem tacite exponere videtur alia jura, scilicet, c. Irrefragabili, § Cæterum, de Offic. ordin., et cap. Si canonici, et cap. Quamvis, eodem titulo, in 6, in quibus est sermo de cessatione, quæ ponitur a Canonicis seu a Capitulo vel collegio habentibus ad hoc potestatem ex consuetudine vel alio modo, quæ potestas interdum se extendit ad ponendam cessationem generalem in civitatibus vel terris, ut in dict. Clementin. dicitur. De speciali vero videtur esse sermo in c. Dilectis, de Appellat., ubi solum in Ecclesia Altisiod. dicitur cessatio lata, quod posset intelligi de tota civitate, ut aliqui exponunt, sed proprius intelligitur tantum de Ecclesia matrice, ut exponit Glossa in dict. Clementin. 1, verb. *Generalibus.* Differunt autem hæ duæ cessationes imprimis in locis, circa quæ versantur, eodem modo, quo similia interdicta distinguuntur, ut Sylvest., verb. *Cessatio,* dicit, et Panormitanus, et alii indicant.

6. *Notandum.* — Inter has autem duas cessationes quidam ita distinguunt, ut cessationem particularem negent esse propriam censuram, generalem autem dicant esse eamdem censuram cum interdicto. Quam opinionem aliqui tribuunt Sylvest. supra, num. 1, quia dicit cessationem generalem æquiparari interdicto, non vero particularem. Sed revera id non tenet; nam inferius ait, illam æquiparationem non intelligi in omnibus, sed solum in casu expresso in dicta Clementina, scilicet, in hoc, quod religiosi sub excommunicationis sententia ipso jure lata eodem modo obligantur ad servandas cessationes generales, sicut generalia interdicta. Sine causa ergo aliqui ex eo textu colligunt cessationem generalem esse censuram seu speciem

interdicti generalis; sed potius oppositum potest probabiliter colligi, tum quia distincte de illis fit sermo; tum etiam quia non contentus Pontifex universali præcepto tradito quoad interdicta generalia, illud extendit ad cessationes generales; ergo intellexit cessationem generalem non esse interdictum, nec speciem ejus; nam, si esset species, sub genere comprehensa fuisset, neque ulla postea facta fuisset extensio. Item sine causa Sylvest. ex hoc textu colligit differentiam inter cessationem generalem vel particularem quoad æquiparationem cum interdicto; nam revera nulla colligitur, si cum proportione loquamur. Nam in illo textu non est sermo de interdicto particulari, sed tantum de generali; unde mirum non est, quod extensio fiat ad cessationem generalem, et non ad particularem, et quod in hoc æquiparentur interdicto generali cessatio generalis, et non particularis. Non vero inde sequitur, cessationem particularem non æquiparari interdicto proportionato, scilicet particulari; nam in illo textu nihil de hoc dicitur, et oppositum colligi potest quantum ad præceptum et censuram ibi latam, scilicet, quod sicut non incurrit illam excommunicationem religiosus violans interdictum particularis Ecclesiæ, ita nec violans cessationem particularem, quod valde notandum est.

7. *Refutatur opinio distinguens inter cessationem generalem et particularem.* — Ex his ergo satis constat, opinionem illam, distinguentem cessationem generalem et particularem in ratione censuræ vel interdicti, nullo jure fundatam esse; imo, si attendamus modum loquendi juris in dict. cap. Dilectis, de Appellat., potius cessatio particularis dici posset species interdicti, et hac ratione propria censura; sic enim ibi dicitur: *Interdictum hujusmodi promulgavit, ut Episcopo in civitate præsente a divinis in Altisiodorensi Ecclesia cessaretur.* Ubi particularis cessatio interdictum appellatur, et Glossa ibi intelligit de proprio interdicto, et Abbas ibi. Et videtur probari, quia Pontifex non semel tantum, sed sæpe in eo textu pœnam illam interdictum appellavit; quam tamen ex eodem textu, et ex Glossa citata in dicta Clementina 1 de Sent. excomm., constat fuisse quamdam cessationem a divinis. Unde posset aliquis occasionem sumere dicendi e contrario cessationem particularem esse censuram et proprium interdictum, generalem autem minime, propter dictam Clementinam. Verum hæc sententia neque auctorem habet, nec probabilitatem, quia apud omnes est indubitatum majus esse vinculum cessationis generalis, quam particularis, quia cessatio generalis includit quidquid particularis, et addit aliquid, saltem extensive quoad loca; quoad alios vero effectus aut personas in nulla re superatur a cessatione particulari; nec quidquam potest cum probabilitate assignari; ergo nulla ratione dici potest cessationem particularem esse veram censuram interdicti, et non cessationem generalem. Videtur ergo concludi a fortiori ex dict. cap. Dilectis, cessationem generalem esse interdictum, atque adeo hanc pœnam non addere novam censuram, sed esse quamdam speciem interdicti, quæ propter diversos seu plures effectus speciali nomine appellatur. Atque ita loquitur absolute de cessatione Maiolus, lib. 3, cap. 20, dicens, cessationem esse quamdam speciem interdicti, et ait hoc indifferenter de utraque, quamvis statim aliam differentiam inter eas constituat, non satis consequenter, ut jam dicam.

Præcipuum discrimen inter cessationem a divinis et interdictum.

8. Obstat vero contra hunc dicendi modum discrimen aliud, quod communiter assignari solet inter cessationem a divinis et interdictum, quod hic necessario examinandum est. Nam si illud est verum, optime declarat, cessationem a divinis nec interdictum esse, neque omnino censura. Est autem discrimen, quia interdictum ita afficit locum, ut qui in illo celebraverit in casu aut modo non concesso, irregularis fiat, ut in superioribus probatum est. At vero cessatio non habet hunc effectum; nam licet quis peccet celebrando in loco, ubi cessatur a divinis, non fit irregularis. Quæ sententia quoad cessationem particularem est communis Canonistarum, ut constat ex Glossa 2, in cap. Si Canonici, de Offic. ordin., in 6; Hostiense, in c. Irrefragabili, de Offic. ordin., n. 11; Panorm., in dict. cap. Dilectis, quem cum Innocentio, Bonifacio, et aliis refert, et quoad hoc sequitur Covarr. supra, num. 4; et Navarrus, dicto num. 188; et eam tenuit Sylvester, verb. *Interdictum*, 1, § 1, et verb. *Cessatio*, § ultim.; et Angelus ibidem. Quorum fundamentum est, quia cessatio particularis non est interdictum particulare, et consequenter nullum interdictum est; sed in jure tantum est cautum, ut, qui

celebrat in loco interdicto, irregularis fiat; ergo, qui celebrat in loco, ubi est particularis cessatio, non est interdictus, ex alio principio juris, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis, juxta cap. Is cui, de Sentent. excommunicationis, in 6.

9. *Quorumdam sententia de cessatione generali. —Excluditur fundamentum horum auctorum.* — De cessatione autem generali non est ita concors sententia; nam Joannes Andreas, dicto cap. Si canonici, et ibi Innocent., Anchar., et alii, et Calderin., tract. de Interdicto, docent, eum, qui celebrat tempore cessationis generalis, fieri irregularem, quamvis de particulari aliud sentiant. Et hanc partem sequitur Maiolus, dicto cap. 20, citans Antoninum in tractatu de Censuris, cap. 89. Idemque tenet in 3 part., tit. 26, cap. 3, et Villadiego, tractatu de Irregularit., cap. de Interdicto, in fine, et in hanc partem inclinat Covarruv. supra. Qui auctores solum fundantur in æquiparatione illa inter cessationem generalem et interdictum generale, quæ fit in Clementin. 1 de Sentent. excomm. Quod fundamentum inefficax est, ut ex supra dictis constat, quia ibi non æquiparantur eo quod cessatio sit interdictum; sed potius, quia non est interdictum, ad illam facta est extensio ex voluntate Pontificis. Rursus non æquiparantur in omnibus, sed in observatione ibi statuta; ibi autem non imponitur transgressoribus pœna irregularitatis, sed excommunicationis, quæ longe diversa est. Unde is, qui celebrat in loco generaliter interdicto, non fiet irregularis ex vi illius Clementinæ, si alibi decretum non est; cum ergo de cessatione etiam generali alibi decretum non sit, nihil ex hac æquiparatione concludi potest. Atque hoc videtur advertisse Paludanus, in 4, dist. 18, quæst. 8, art. 3, num. 38, cum dixit, ibi æquiparata esse interdictum et cessationem generalem quoad pœnam excommunicationis ipso facto violantibus impositam, *cum tamen* (inquit) *olim contra cessationem faciens non fieret irregularis.* Quæ verba sunt æquivoca, et ex eis posset quis colligere olim quidem ita fuisse, nunc autem aliter esse. Non est tamen hic sensus; sed, licet olim non fuerint æquiparata in irregularitate, ibi simili pœna excommunicationis puniri, servata nihilominus antiqua dissimilitudine. Et sic verum est, quod idem auctor subdit : *Sed circa cessationem solum hoc est innovatum, et nihil aliud;* non enim necesse est, ut, si duo delicta in una lege habent aliquam pœnam communem, ideo aliæ pœnæ in aliis legibus impositæ uni ex illis delictis extendantur ad aliud.

10. *Prædicta sententia rejicitur. — Excluditur evasio.* — Unde dicta opinio non consequenter loquitur, distinctionem quoad hoc faciens inter cessationem particularem et generalem; nam fundamentum illud, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis, æque procedit in cessatione generali, sicut in particulari, quia in neutra invenitur talis irregularitas in jure expressa. Quod si dicant, satis esse quod sit expressa in interdicto generali, ut ibi intelligatur inclusa generalis cessatio, idem dicere debent de cessatione particulari respectu interdicti particularis, quod scilicet sub illo intelligatur inclusa. Imo necesse est, ut dicant, etiam ante dictam Clementinam 1 de Sententia excommunicationis, fuisse cessationem generalem inclusam sub interdicto generali in antiquis juribus, quoad hunc effectum, quia si antea non includebatur, ex vi Clementinæ non includitur, ut ostensum est; si autem includebatur, a fortiori dicendum est, cessationem particularem inclusam esse in interdicto particulari; nam, si rationem spectemus, est eadem cum proportione. Si autem spectemus jus, habemus aliquod fundamentum hujus inclusionis, quoad cessationem particularem, in dicto cap. Dilectis; quoad cessationem vero generalem nullum est aliud; nam ex dicta Clementina nullum sumi potest, ut ostendi. Quapropter magis consequenter de utraque cessatione loquuntur negando hanc irregularitatem Panormitanus, et alii antiqui Canonistæ supra citati, quos sequuntur Sylvest., et Navarr., et Paludan., supra, et idem sensit Soto, dict. art. 6.

11. *Dubium circa communis opinionis fundamentum.* — Unum tamen mihi superest dubium circa fundamentum hujus communis sententiæ ad utramque cessationem applicatum, nimirum, quod in jure non est irregularitas expressa contra celebrantes divina officia tempore cessationis. Nam, licet verum sit non esse expressam sub nomine cessationis, dici tamen potest esse expressam sub nomine interdicti; et id satis esse, quia cessatio est interdictum quoddam. Quando enim in jure dicitur, irregularitatem non incurri nisi in casibus a jure expressis, non est intelligendum necessarium esse, ut sub specifico nomine exprimantur; sed satis est, quod sint expressi sub locutione generali, seu indefinita, quæ illi

æquivaleat. Nam etiam non invenitur in jure expressum, quod violans celebrando interdictum particulare locale, fiat irregularis, sed solum quod celebrans in loco interdicto, et hoc satis est, ut sub hoc genere comprehendantur species; ergo similiter si cessatio (ut est probabile) est species interdicti, illa sufficienter est in jure expressa sub illo genere; ergo necesse est, ut dicti auctores ostendant cessationem non esse speciem interdicti, quod ipsi non faciunt, imo potius id supponunt. Quin etiam Navarr. ex hac differentia quoad irregularitatem maxime probat cessationem non esse interdictum, in quo committitur circulus. Alii vero probant cessationem non esse interdictum, quia plures effectus habet, seu magis privat, seu cessare facit a divinis officiis, ut patebit infra ex effectibus ejus; quæ differentia videtur esse nimis accidentalis, solumque probare cessationem esse quoddam majus seu maximum interdictum.

12. *Responsio præcipuæ difficultatis. — Interdictum et cessatio a divinis neutrum sub altero continetur in jure. — Satisfit rationi supra positæ.* — Fateor quidem difficile esse aliquid in his omnibus cum solido fundamento affirmare, quia neque ex sola ratione sumi potest, neque in jure aliquid in hoc est sufficienter declaratum. Tamen cum in juris intelligentia magnam auctoritatem habeant ejus interpretes, ex communi eorum consensu accipimus, cessationem, et interdictum in jure ita esse diversa, ut neutrum sub altero ex vi et proprietate verborum comprehendatur, nec tanquam æqualia, nec tanquam inferius sub superiore. Quod principium (mea sententia) non parum efficaciter probat textus in tacta Clement. 1 de Sent. excom., ut supra est a nobis consideratum. Præterea ad hoc principium probandum optima est conjectura, qua Navarrus utitur, quia, cum conceditur privilegium ad audiendam Missam tempore interdicti, non intelligitur concessum ad illam audiendam tempore cessationis a divinis, ut constat ex communi omnium intelligentia; et infra etiam dicemus, non omnia, quæ nunc sunt concessa per c. Alma, tempore interdicti, extendi ad cessationem a divinis. Item e contrario aliquis potest interdum cessationem præcipere, qui non potest interdictum ponere, ut notat Glossa 2, in dict. c. Si canonici, de Offic. ordinat., in 6, unde privilegium ad ponendam cessationem per se non extenditur ad ponendum interdictum; sunt ergo hæc in rigore juris ita diversa, ut unum sub alio non comprehendatur. Neque contra hoc obstat modus loquendi dict. c. Dilectis, quia majus pondus habet communis usus totius juris; et quia, ut jam diximus, sæpe verbum *interdicendi,* aut *interdicti,* generatim sumitur pro quacumque prohibitione; potuit ergo in illo textu ita accipi, vel certe, cum tempore interdicti suo modo a divinis cessetur, intelligere possumus, de sola cessatione accommodata ad interdictum ibi esse sermonem. Ex hoc autem principio in jure fundato, optime colligitur discrimen paulo antea positum quoad irregularitatem transgressoris, manetque solidum illud fundamentum, quod talis irregularitas quoad cessationem a divinis non est expressa in jure; quia si alicubi, maxime ubi fertur de interdicto; non autem ibi, quia cessatio sub interdicto non intelligitur. Nam si in favoribus et privilegiis non admittitur hæc extensio, multo minus in pœna et rigore admittenda est.

13. *Cessatio ab interdicto essentiali discrimine differt. — Occurritur objectioni. — Panormitani dictum exponitur.* — Rursus vero a posteriori ex hoc effectu infero, cessationem non solum nomine, sed reipsa, et essentiali differentia differre ab interdicto. Quia ex effectibus optime causas distinguimus. Item, quia cessatio non interdicit personam, ut per se notum est, quia non fertur simpliciter in personam, ut supra dixi, et statim amplius exponetur; nec etiam interdicit locum, si proprie de interdicto loquamur, alias, qui celebraret ibi, fieret irregularis tanquam celebrans in loco interdicto. Unde ita potest explicari hæc differentia, quod interdictum locale videtur esse veluti quædam affectio ipsius loci, quem inhabilem reddit ad divina officia sic in eo celebranda, et ideo cautum est, ut irregularis fiat, qui in eo contra jus celebrat; cessatio autem non est affectio loci, sed simplex quædam prohibitio ipsis ministris Ecclesiæ facta respectu talis loci. Dices : ergo solum ministri, vel incolæ illius loci tenebuntur abstinere a divinis in illo loco, non vero exteri, quia personalis prohibitio non extenditur ad ipsos, et alias locus non est interdictus. Respondetur negando sequelam; falsum est enim prohibitionem personalem non posse extendi ad ipsos, ut existentes, et operantes in tali territorio, aut plebe; nam, si quis tenetur servare consuetudinem loci, in quo existit, tene-

bitur etiam servare præcepta, quæ pro tali loco posita sunt. Et in hoc sensu intelligo potuisse dici a Panormitano, interdictum esse quid juris, cessationem autem quid facti; non quod cessatio ante actualem cessationem, quæ ad factum pertinet, non imponat vinculum et obligationem cessandi, id enim aperte falsum est, ut supra probavi; sed quod cessatio solum inducat prohibitionem ipsius facti, seu omissionis, nullosque alios juris effectus inducat vi sua. Interdictum autem inducit juris effectus, ut sunt irregularitas, et alii similes. Et hanc interpretationem notavit Covarruvias, supra, num. 1. Rursus hinc colligo, intensive, ut sic dicam, majus vinculum esse interdictum, quam cessationem a divinis; quandoquidem majori pœna illius transgressio punitur; quamvis extensive quoad aliquos effectus excedat cessatio, propter quod sæpe adjungitur interdicto, ut infra videbimus.

14. *Conclusio.* — *Vide Mandosium in sua Praxi, Comm.* 33, *quæ est ultima, verb. Interdici.* — Tandem ex his concludo, cessationem non esse speciem censuræ, sed simplicem prohibitionem. Hæc sequitur ex dictis, tum quia ostensum est non esse interdictum, tum quia declaratum est non habere effectum irregularitatis, licet violetur celebrando, qui est inseparabilis a censura. Et per hunc effectum optime explicatur differentia inter generalem prohibitionem et censuram, quam indicarunt Innocentius, Cardinalis Zabarella, et Speculator, quos refert et sequitur Maiolus, supra, num. 10. Confirmatur a simili; nam hac ratione celebrans in Ecclesia violata per sanguinis effusionem, non fit irregularis, quia illa non est censura, sed quædam loci irregularitas, vel nuda prohibitio, ut notavit Innocentius, in cap. ult. de Excess. Prælat., n. 7. Et e converso, ex carentia illius effectus optime infertur illam non esse censuram. Similes sunt prohibitiones celebrandi in aliqua Ecclesia, quæ fiunt in c. 1 et 2, de Jure patronatus. Similiter licet Prælatus simpliciter prohibeat aliquem celebrare, vel confessiones audire, non statim censetur suspensionis censuram ferre, cujus signum a posteriori est, quia subditus contra voluntatem superioris celebrando, quamvis peccet, non tamen semper fit irregularis; ergo est distinctio inter simplicem prohibitionem et censuram. Quæ in hoc consistit, quod simplex prohibitio non inducit illos proprios effectus juris, quos inducit censura, propter quod censura existimatur veluti quædam moralis affectio juris, tales habens effectus, quæ inest personæ, quæ propterea secum illam defert etiam extra territorium imponentis; simplex autem prohibitio est solum præceptum quoddam extrinsecum, quod suis terminis concluditur. Quæ omnia recte accommodantur cessationi, ut simplex prohibitio dicatur, et non censura. Ac tandem censura per se ac formaliter est pœna; simplex autem prohibitio, per se ac formaliter nec includit, nec requirit rationem pœnæ, quia ad illam sufficit ratio præcepti. Unde nec cessatio a divinis per se ac directe pœna est, quia licet nunquam ponatur nisi occasione culpæ, tamen, cum æque comprehendat innocentes ac nocentes quoad proximam obligationem suam, magis poni videtur ut signum afflictionis Ecclesiæ, et ut generale quoddam gravamen, per modum cujusdam præcepti impositum, quam per modum pœnæ, quamvis inde etiam resultet aliqua pœna in personas culpabiles. Unde insurgit alia consideratio, nam interdictum licet locale sit, semper specialiter ac principaliter afficit personas, quæ interdicto causam dederunt, ideoque illas ubique arcet a divinis, et pro illis privilegia non valent. At vero cessatio non ligat speciali modo personas, quæ causam dederunt, nec illas excludit ubique a divinis quantum est ex se; ergo signum est non esse interdictum, nec censuram, nam hæc semper fortius ligat eos, qui causam dederunt, quam innocentes.

15. *Satisfit argumentis pro contraria sententia positis.* — Et per hæc tandem responsum est sufficienter ad fundamentum contrariæ sententiæ; facile enim est ex dictis cessationem excludere a definitione censuræ supra data, vel quia formaliter non est pœna, sed prohibitio simplex, vel quia non est propria privatio spiritualium bonorum moraliter afficiens subjectum modo supra explicato, sed extrinseca tantum prohibitio. Denique argumentum illud a definitione parum urget, quia hujusmodi definitiones non sunt, vel per se notæ, vel communi consensu constantes; unde facile potuissemus particulam aliquam addere, per quam expressius excluderetur cessatio; propter vitandam tamen prolixitatem definitionis id omisimus, et in hunc locum explicandum remisimus.

SECTIO II.

Quos effectus habeat cessatio a divinis.

1. Hactenus solum explicavimus communem rationem, et quasi genus hujus vinculi. Nunc specifica ratio ejus explicanda est, quod optime fiet in ordine ad effectus, sicut in censuris fecimus, quia in hoc similitudinem habet cessatio cum censuris. Possumus autem duos ordines effectuum hic distinguere. Primus est proximus et immediatus, qui est privatio divinorum, quam ipsum nomen cessationis a divinis præ se fert. Secundus est mediatus et remotus, qui est pœna, quam incurrunt, qui non cessant a divinis eo tempore prohibito. Præterea advertendum est in primo ordine effectuum sub nomine divinorum comprehendi tria illa, quæ de interdicto declaravimus, scilicet divina officia, sub quibus et Missæ celebratio, et horarum canonicorum publica recitatio, et omnes aliæ solemnes benedictiones, vel cæremoniæ, quæ in Ecclesia fiunt, continentur; item et sacramenta, et Ecclesiastica sepultura.

De privatione divinorum officiorum.

2. *Per cessationem a divinis quæ officia divina prohibeantur. — Per hoc præceptum etiam laici prohibentur audire divina.* — Quod ergo ad divina officia spectat, generalis omnium privatio per hanc prohibitionem imponitur, ut verba ipsa cessationis a divinis præ se ferunt, et Doctores interpretantur, et quotidianus Ecclesiæ usus. Intelligendum autem est de publicis officiis, et orationibus Ecclesiæ; nam privatæ orationes, etiam in templis, non sunt prohibitæ ex vi hujus præcepti, et ideo dicitur hæc cessatio ministrorum seu organorum Ecclesiæ. Imo in his nunquam censentur prohibitæ horæ canonicæ privatim dictæ, etiam quatenus a personis Ecclesiasticis ex obligatione, et ex officio dicuntur; nam, licet ab ipsis dicantur, ut a ministris Ecclesiæ, et nomine ejus, semper tamen computantur quoad hoc inter orationes privatas, suntque veluti intrinsecum, et privatum onus ministrorum Ecclesiæ, quo nunquam liberantur propter censuras, vel similes privationes, sed solum publica recitatione. Quamvis autem hæc cessatio dicatur privatio ministrorum, tamen non solum illi prohibentur celebrare, aut dicere hæc officia, sed etiam laici prohibentur ea audire etiamsi in tali loco fiant; quanquam enim non tam directe pertineat hæc prohibitio ad illos, sicut ad Ecclesiæ ministros, tamen consequenter ad eos derivatur, tum quia, si celebratio prohibetur, etiam participatio celebrationis, quæ est veluti quid accessorium, quod principale comitatur; tum etiam quia illa cessatio simpliciter ponitur pro toto populo; explicatur autem specialiter ministris, quia ad illos pertinet hoc ministerium, et illis cessantibus, alios etiam cessare necesse est. Tamen si illi cessare nolint, etiam injuste et contra præceptum, reliqui tenebuntur eos vitare in divinis, seu non adesse, non solum quia tenentur non consentire et suo modo cooperari pravitati, sed etiam quia per se illos comprehendit prohibitio. Unde, etiamsi aliquis sacerdos ex privilegio celebret tempore cessationis, alii nullo fruentes privilegio non possunt sacrificio ejus interesse, ut constat ex communi usu, et praxi Ecclesiæ. Atque in his videntur Doctores convenire.

3. *An circa hanc prohibitionem moderatio aliqua in jure sit.* — Dubitant tamen, an huic generali prohibitioni moderatio aliqua in jure adhibita sit. Et, quoniam sub nomine cessationis nulla in jure invenitur, dubitari solum potest, an illæ, quæ factæ sunt circa interdictum generale, vel jure antiquo c. Quod in te, de Pœnit. et remiss., vel jure novo c. Alma. Quidam sentiunt concessionem c. Quod in te, ex tunc habuisse locum in cessatione a divinis, ita ut, illa non obstante, possint clerici in conventualibus Ecclesiis bini et bini horas canonicas submissa voce recitare, januis clausis, et interdictis exclusis, et campanis non pulsatis; hoc indicat Soto, d. 22, quæst. 3, art. 1, post quartam conclusionem, quatenus ait, olim in hac privatione divinorum officiorum nullam fere fuisse differentiam inter cessationem, et interdictum; et Covarr., in c. Alma, p. 2, § 4, num. 7, versic. *Hinc patet,* docet, decisionem illam c. Quod in te, extendi ad cessationem a divinis; quod tamen nulla ratione confirmat, sed illud infert ex eo quod dixerat aliam concessionem ibi factam circa usum sacramentorum tempore interdicti extendi ad cessationem, quod eamdem habet difficultatem infra examinandam.

4. *Corollarium hujus sententiæ.* — Atque hinc ulterius concludi videtur, etiam novam concessionem c. Alma, extendendam esse ad cessationem a divinis, quia quoad hoc non est major ratio de intelligentia veteris, quam

novi juris. Nam vel cessatio æquiparatur interdicto in his effectibus, et propterea sub interdicto in his concessionibus comprehenditur, vel non; si primum, tam in nova, quam in veteri concessione comprehendetur; si secundum, in neutra. Quod autem primum sit dicendum ratio suadere videtur, quam tangit Pontifex in dict. c. Alma, ubi ex eo quod in loco interdicto nulla celebrentur divina officia, magna sequuntur incommoda, quæ ibi numerat, ait opportunum fuisse illam amplificationem facere; ergo tota ratio illius legis fuit propter incommoda cessandi a divinis; ergo multo magis procedit eadem lex in ipsa cessatione, quia ex paritate rationis optimum fit argumentum in materia favorabili, præsertim si favor ad commune bonum, et spirituale pertineat, ut Canonistæ frequenter docent in c. Ex tenore, Qui filii sint legitimi, et plures alii, quos Covarr. refert. Qui maxime hoc procedere dicunt, quando ratio est in ipsa lege expressa.

5. Accedit, hic non solum esse æqualem rationem, sed majorem, quia interdictum, ut supra dicebamus, majorem obligationem inducit, estque propria censura; si ergo illud temperatum est, multo magis cessatio. Quam rationem indicavit Palud., tenens hanc sententiam, 4, dist. 18, quæst. 8, art. 3, n. 38; et Navarr., in Sum., c. 27, n. 189; et Villadiego, de Irregular., c. de Interdicto; et pro eadem citat Covarr., Joannem de Friburgo, in Summa Confessorum, lib. 2, tit. 33, quæst. 221. Sed ibi non loquitur de constitutione c. Alma, sed ait, quando ex consuetudine quarumdam Ecclesiarum cessatur a divinis propter aliquam injuriam Ecclesiæ factam, suspendi quidem organa ministrorum Ecclesiæ et sonitum campanarum, et nihilominus presbyteros cum canonicis in Ecclesia submissa voce celebrare divina officia, et fere omnia alia expedire sicut prius : *Quod* (inquit) *non fieret, si esset Ecclesia interdicta.* In quibus ultimis verbis significat plus licere in hoc negotio tempore cessationis, quam tempore interdicti, et consequenter non provenire ex extensione cap. Alma, sed aliunde, nimirum, quia cessatio aliquid minus est, quam interdictum. Significat etiam, illud non solum procedere in cessatione generali, sed etiam in cessatione particularis Ecclesiæ, cum tamen concessio c. Alma, solum in interdicto generali locum habeat; citatque Innocentium et Hostiensem locis citatis.

6. *Secunda sententia. — Refutatur, —* Nihilominus Covarruvias, supra, in rigore juris, oppositam opinionem veriorem censet quoad concessionem cap. Alma. Unde ipse in præsenti dubitatione distinguere videtur inter concessionem antiqui juris et novi, ut illa extendatur ad cessationem, non vero hæc. Non video tamen quomodo hæc cohæreant; nam utrumque jus agit de interdicto generali et locali; qua ergo ratione dici potest in uno jure sub interdicto intelligi cessationem, et non in alio, cum materia, et verba, et omnia alia, quæ considerari possent in utroque jure, ejusdem rationis sint? Igitur, vel de utraque moderatione, tam antiqua quam nova, hoc negandum est, vel de utraque affirmandum.

7. *Circa prædictam prohibitionem nulla moderatio in jure hactenus adhibita est. —* Censeo igitur circa hunc effectum nullam esse hactenus moderationem in jure adhibitam. Atque ita censuit gravissima congregatio Doctorum utriusque juris, et Theologorum, quæ anno 1556, circa materiam hanc Salmanticæ facta est. Cujus videtur mentionem facere Soto, in dicto art. 2. Quam sententiam satis confirmat Ecclesiæ consuetudo; plus enim cessatur a divinis tempore cessationis, quam tempore interdicti; neque moderationes omnes c. Alma, in praxi servantur in cessatione a divinis; si autem essent licitæ, non fuissent tam facile omissæ, nec ministri Ecclesiæ tantum favorem contempsissent. Præterea, si jus ipsum consulamus, nullum est decretum, in quo de cessatione sub propria ratione et nomine moderatio adhibeatur; sed absolute loquuntur de cessatione, et illam simpliciter poni præsupponunt, cum tamen cessatio simpliciter dicta totalem privationem significet. Quin potius in c. Non est nobis, de Spons., quod de hac cessatione loqui videtur (ut etiam intelligunt Innocentius et Panormitanus), cum distributione dicitur : *Nulla divina officia permittatis ibi celebrare, præter baptismum parvulorum, et pœnitentias morientium;* ergo in his juribus nullum habet fundamentum talis moderatio. Aliunde vero jura, quæ adhibent moderationem, loquuntur de interdicto, sub quo non comprehenditur cessatio, juxta usitatum modum loquendi juris, ut supra ostendimus. Accedit tandem conjectura, quæ fortasse movit Summum Pontificem, ne hujusmodi moderationem ad cessationem extendat, quia alias nihil peculiare adderet cessatio præter interdictum; nam, si liceret nunc ministris Ecclesiæ tempore cessationis dicere officia

januis clausis, et cum aliis circumstantiis juris, quid quæso amplius prohiberet nunc cessatio, quam interdictum? Item, si nunc possent canonici, v. gr., tempore cessationis illo modo dicere officium in choro, possent etiam distributiones accipere juxta cap. Alma; ad quid ergo necessaria est restitutio, quæ præcipitur in cap. Si canonici, § Si autem, de Offic. ordin., in 6, quam infra declarabimus? Igitur moderari illo modo cessationem a divinis fuisset illam e medio tollere; at hoc noluerunt, ut constat ex Clement. 1 de Sentent. excom., et probat etiam consuetudo; nam post interdictum addi solet cessatio, non certe alia ratione, nisi quia ea non permittit quæ non obstante interdicto conceduntur.

8. *Respondetur ad fundamentum primæ sententiæ.* — Atque hæc ratio evertit fundamentum prioris sententiæ. Primum enim negamus jure antiquo factam esse moderationem, quod ex communi differentia cessationis, et interdicti, et ex modo loquendi antiquorum jurium colligimus. Nec fortasse Soto, qui in contrarium citatur, id sensit; cum enim dicit, olim æquale fere fuisse interdictum cum cessatione quoad privationem divinorum officiorum, non videtur loqui de jure, sed de facto, ut patet ex ratione, quam subdit dicens : *Cum tempore interdicti interesse sacris non liceret, clerus ipse ab eis celebrandis omnino abstinebat.* Ubi non dicit jure ad hoc astrictum fuisse; sed occasione sumpta ex populi impedimento, id solitum facere fuisse. Quod tamen unde ipse collegerit, non video; nam cap. Quod in te, et cap. Non est vobis, quæ ad hoc ipse citat, nihil dicunt. Deinde non facit ea absolute æqualia, sed cum diminutione illius particulæ, *fere*.

9. Rursus hinc consequenter negamus novam moderationem cap. Alma, ad cessationem extendi, propter paritatem rationis, et Ecclesiæ usum etiam post illam constitutionem. Cujus ratio non movit Pontificem ad tollendum omnino ab Ecclesia usum alicujus cessationis simpliciter a divinis, sed ad moderandas interdictiones divinorum officiorum; et ideo non adhibuit moderationem in cessatione ut sic, sed in interdicto. Unde non obstat, quod ex omnimoda cessatione a divinis sequi possint illa incommoda, quæ ibi narrantur : tum quia illa fuerunt sufficientia ad moderandas prohibitiones, non vero ad tollendum omnino e medio omnem totalem cessationem; tum etiam quia illi malo aliis modis occurrendum est in cessatione a divinis, quod etiam est ab Ecclesia provisum, ut sequenti sectione videbimus. Nec denique refert, quod vinculum interdicti intensive, ut sic dicam, majus sit, quia, hoc non obstante, potest cessatio esse extensive major; quod esse non posset, si eamdem moderationem acciperet. Et præterea, quamvis interdictum videatur majus in ratione censuræ, tamen est frequentius, et facilius ponitur. Et ob hanc etiam causam magis indigebat moderatione.

10. *Excluditur sententia auctoris Summæ confessorum.* — Unde non video de qua cessatione loquatur auctor Summæ confessorum, et alii quos citat; nam eam ab interdicto distinguunt, et nihilominus dicunt, tempore talis cessationis posse divina officia submissa voce celebrari; in nullo enim jure invenio talem cessationis modum, nec intelligo quid sit. Quod si forte loquantur de cessatione particulari tantum unius Ecclesiæ, falsum etiam est quod asserunt, quia multo certius est in cessatione particulari non posse id fieri etiam ex concessione cap. Alma, quia illa non extenditur ad interdictum particulare, ut supra visum est; ergo multo minus ad cessationem particularem, quandoquidem ibi non est sermo de cessatione, sed de interdicto, et, si aliquo modo posset cessatio comprehendi, solum esset ob aliquam proportionem cum interdicto ejusdem ordinis.

11. *Nullum privilegium circa celebrationem vel auditionem divinorum tempore interdicti extenditur ad cessationem.* — *Excluditur quorumdam opinio.* — Deinde colligo ex dictis, nullum privilegium, etiam in jure concessum circa celebrationem, vel auditionem divinorum tempore interdicti, extendi ad cessationem a divinis, nisi specialiter exprimatur. Quod quidem omnes Doctores facile concedunt de privilegiis specialibus, ut Covarruvias supra late refert et docet, ac Navarrus sequitur. De generalibus vero privilegiis quidam Doctores aliter loquuntur dicentes, privilegia generalia a jure concessa circa interdicta ad cessationes extendi; qualia sunt de Templariis in cap. Cum et plantare, de Privil., et de Episcopis, in cap. Quod nonnullis, eodem titulo, et de aliis religiosis, in cap. Ut privilegia, eodem titulo. Ita sentit Joannes Andreas, in cap. Dilectis, de Appel., et videtur Covarr. consentire; Navarr. autem absolute et generatim id negat de quocumque privilegio, et mihi videtur eamdem

esse omnium rationem, quia privilegia non plus concedunt, quam verbis suis juridice intellectis exprimant; quod non minus, imo quodammodo magis verum est in privilegiis jure contentis, quam extra; sed verbum, *Interdictum*, non significat cessationem, secundum usum juris, neque illam comprehendit; ergo in nullo privilegio posito debet aut potest ad cessationem extendi. Item, hoc privilegium respectu cessationis multo magis exorbitat a jure communi quam respectu interdicti; ergo nulla ratione potest illo modo extendi. Tandem illa distinctio nullo nititur fundamento; cur ergo gratis admittenda est?

An in cessatione a divinis vigeat privilegium cap. Alma, pro 4 festivitatibus.

12. *Ratio dubitandi pro parte affirmat.* — *Doctores Salmanticenses.* — Superest vero hic speciale dubium, an in cessatione a divinis locum habeat concessio cap. Alma, saltem quantum ad eam partem, in qua præcipit, ut in quatuor festivitatibus officia solemniter celebrentur. Ratio dubitandi est, quia in ea parte concessio illa non limitatur ad tempus interdicti, sed simpliciter id statuitur quasi in privilegium illorum dierum; sic enim dicitur : *In festivitatibus vero Natalis Domini, Paschæ, et Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur,* etc. Est ergo illud veluti quoddam absolutum præceptum negativum, quod hæc non possunt illis diebus prohiberi; ergo in omni proprietate et rigore extenduntur illa verba ad cessationem, et aliunde nulla propterea fit propria correctio in jure, cessantque aliæ rationes supra allatæ, quia solum inde sequitur, ut cessatio in illis diebus suspendenda sit, quod nullum est incommodum, nec contra aliquod jus, et aliunde est valde consentaneum sanctitati illorum dierum. Atque hujus opinionis feruntur fuisse Doctores Salmanticenses, et ita in facti contingentia servatum fuisse anno 1584. Tenet etiam Covarruvias, in cap. Alma, part. 2, § 5, num. 3.

13. *Rationes pro parte contraria.* — *Sententia negans probabilior.* — *Limitatio.* — Aliunde vero obstant omnia, quæ de interpretatione cap. Alma, diximus quantum ad reliquam partem totam concessionis in eo factæ. Non enim videtur verisimile quamdam partem illius concessionis extendi ad cessationem a divinis, et non aliam. Sicut enim in prioribus clausulis fit quædam interdicti moderatio, ita in hac, de qua agimus, fit quædam interdicti suspensio; ergo in neutro loco sub nomine interdicti comprehenditur cessatio. Nec videntur sufficienter expendi verba citata hujus clausulæ, quia sunt intelligenda juxta subjectam materiam. Cum ergo dicitur, *In festivitatibus vero*, etc., subintelligitur, tempore interdicti generalis loci; nam de illo solum erat propositus sermo a principio capitis, ut patet ex illis verbis : *Concedimus quod tempore interdicti*, etc., et in fine concluditur: *Cæteris quæ circa observationem interdictorum*, etc.; ergo totus etiam sermo intermedius intelligitur de tempore interdicti; ergo etiam hæc suspensio, quæ pro illis quatuor festivitatibus fit, cum ea limitatione concessa est; et ideo non habet locum in interdicto particularis Ecclesiæ, quia in illo textu solum est sermo de interdicto generali; ergo eadem ratione non habet locum in cessatione a divinis, quia jam satis ostensum est cessationem sub interdicto non comprehendi. Atque ita evertitur fundamentum contrariæ sententiæ, ac propterea in rigore juris hæc posterior pars vera videtur. Nam aliæ conjecturæ, quas affert Covarruv. non habent probabilitatem, nec procedunt consequenter ad superius dicta; nam similitudo rationis non sufficit, si verba privilegii vel concessionis non magis comprehendunt suspensionem, quam alias moderationes, præsertim cum ostensum sit, majorem fuisse occasionem ad moderandum, vel suspendendum interdictum, quam cessationem. Nihilominus tamen, si contraria consuetudo alicubi recepta fuerit propter auctoritatem aliquorum Doctorum sequentium priorem interpretationem dictorum verborum, potest in praxi probabiliter sustineri.

Explicantur alia minutiora.

14. *An tempore cessationis possint clerici bini recitare privatim.* — *Sententia negans probabilis et in praxi secura.* — *Contraria tamen probabiliter defendi potest.* — Alia interrogari possunt circa hæc officia, quæ minutiora sunt, et breviter possunt expediri. Quale est illud, an tempore cessationis a divinis possint clerici bini recitare officium canonicum, præsertim extra Ecclesiam, et omnino privatim, ubi ab aliis audiri non possint. Nonnulli enim Doctores de hac re Salmanticæ consulti responderunt, id fieri

non posse; et fortasse moti sunt, quia ex vi cessationis non tantum prohibemur dicere, sed etiam audire divina; quamvis autem prohibitio dicendi non comprehendat privatam recitationem, prohibet tamen auditionem, etiam privatæ recitationis. Unde nullus etiam laicus potest eo tempore audire sacerdotem privatim recitantem. Duplici ergo ex capite non poterunt clerici bini dicere officia : primo, quia jam non est omnino privata, sed aliquo modo publica illa recitatio. Secundo, quia, licet unicuique eorum licitum sit recitare, non tamen alium audire. Estque hæc pars probabilis; contraria tamen est secura, et in praxi servari potest. Non quidem ob privilegium cap. Quod in te, sed quia censeo, illam recitationem satis esse privatam, cum sit inter duos tantum, neque esse ibi distinguendam auditionem a recitatione, quia utrumque fit per modum unius; nam ex illis duabus personis veluti conficitur unus integer minister illius actionis; et ideo, sicut clericus non prohibetur recitando audire seipsum, ita neque socium audire. Item quia de hac re nulla est expressa in jure prohibitio, et tota hæc cessatio dirigatur ad officia Ecclesiastica quatenus ita publice fiunt, ut ad populi participationem, seu auditionem ordinentur, sub quibus in rigore non comprehenditur recitatio officii inter duos sacerdotes; propter quod hanc partem eligendam censeo, quæ modernis etiam scriptoribus probatur.

15. *An per cessationem omnia divina officia prohibeantur. — Simpliciter lata omnia divina officia prohibet.* — Alia interrogatio est, an per cessationem a divinis prohibeantur semper omnia divina officia. Quod est quærere, an hæc cessatio sit semper totalis, vel possit etiam esse partialis ad eum modum, quo de suspensione et interdicto distinximus. Videtur enim fieri posse, ut aliquando præcipiatur cessari ab horis canonicis, non vero a Missæ sacrificio, aut e contrario, quia hæc inter se connexa non sunt, et modus prohibitionis pendet ex voluntate ferentis. In contrarium vero est, quia ratio cessationis videtur consistere in quadam totali privatione, quæ non suscipit magis, nec minus. Quæ posterior ratio convincit, quoties cessatio a divinis simpliciter fertur, totalem esse, et omnia divina officia simpliciter prohibere, ac denique omnes effectus cessationis habere, quia verba absoluta hanc habent vim, maxime in his pœnis privativis, quæ negationem includunt. Unde omnia jura, quæ de hac cessatione loquuntur, de hujusmodi etiam totali privatione intelliguntur; ergo eodem modo intelligenda est sententia quoties simpliciter fertur.

16. *Potest tamen Episcopus ferre quoad aliqua tantum. — Excluditur quorumdam sententia.* — At vero, loquendo de possibili, nihil videtur repugnare, quod in hoc genere prohibitionis detur privatio partialis, ut prior ratio convincit. In jure autem nullum habemus hujus rei exemplum, quia nullam habemus cessationem ipso jure latam, ut supra dixi. Si autem judex in sententia adderet determinationem limitantem cessationem ad unum genus officii tantum, sine dubio non plus operaretur, quia sententia judicis non operatur, nisi juxta voluntatem ejus; et hæc non plus efficit, quam verbis exprimat, ut sæpe in similibus diximus. Dicunt vero aliqui hoc posse facere Summum Pontificem, quia est supra omne jus; non vero inferiores Episcopos, quia juri communi subjiciuntur, et non possunt modum censurarum vel pœnarum jure præscriptum immutare; in jure autem non invenitur talis modus cessationis partialis, sed totalis tantum. Ego tamen non invenio in jure communi ubi positive, ut sic dicam, præscriptum sit, ut hæc cessatio solum integra et totalis ponatur, sed solum invenio in eo fieri mentionem cessationis absolute, et sine limitatione, ut in cap. Si canonici, de Officio ordin., in 6, et aliis supra citatis. Et in aliquo casu præcipit, ut cessatio totalis ponatur, ut in cap. Non est vobis, de Sponsalibus. In cap. autem 1 de Jure patron. videtur indicari quædam cessatio partialis in particulari Ecclesia, cum dicitur : *Præcipiatur ab Episcopo, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur.* Nam ex vi horum verborum non videntur ibi prohiberi sacramenta, vel horæ canonicæ; quamvis probabile sit prohibitionem esse absolutam de usu talis Ecclesiæ ad officia divina ; nam in cap. 2, dicitur : *Ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, ut sacrum mysterium nullus ibi celebret.* Probabile ergo est in jure non fieri mentionem partialis cessationis; ex hoc autem inferri non potest, hanc cessationem partialem esse jure communi prohibitam, quia nec talis prohibitio expresse ponitur, nec quoad hanc partem præscripta est certa forma necessario servanda in cessatione ferenda, sed solum quoad alias circumstantias sectione sequenti explicandas. Unde in hoc etiam sensu dici potest cessatio esse quid facti, et non juris,

quia quoad substantiam suam, non est instituta per determinatam juris formam, sed introducta est per voluntatem Prælati, vel alterius habentis potestatem ex privilegio, vel consuetudine, jure permittente. Quapropter non censeo hoc excedere ordinariam potestatem Episcoporum; nam, qui potest totum prohibere, potest et partem solam, quando aliud specialiter non obstat, quod hic non invenimus. Verum est, ordinarie et juxta communem consuetudinem Ecclesiæ hoc non fieri, quia moraliter non est necessarium, cum cessatio poni non soleat, nisi post alia remedia, et quando jam expedit omnino divina organa suspendere; nam, quando partialis prohibitio sufficit, per interdicta fieri solet, et hic ordinarius usus tam a Pontifice quam ab aliis Episcopis servari solet.

17. *Campanarum pulsatio, an prohibeatur tempore cessationis.* — Denique interrogari potest, an hæc cessatio prohibeat etiam campanarum pulsationem. Dico tamen in hoc nihil esse a jure præscriptum, et ideo ex vi verborum in tantum hæc prohiberi in quantum aliquo modo pertinet ad divinum officium, id est, quatenus est signum convocans populum Christianum ad illud audiendum; hac enim ratione prohibetur etiam per interdictum; ideoque ut minimum, quantum hic usus prohibetur ex vi interdicti, tantum videtur prohiberi ex vi cessationis; nam, licet prohibitiones hæ sint distinctæ, tamen, quoad materiam hanc divinorum officiorum quæ prohibent, conveniunt et æquiparantur. Quapropter signum campanæ ad concionem, Angelicam salutationem, et similia, quæ officia divina non sunt, non est prohibitum ex vi cessationis. Nihilominus tamen, si consuetudine receptum sit, ut major privatio hujusmodi usus propter cessationem observetur ab Ecclesia matrice, seu principali illius loci, illa est a cæteris consuetudo servanda. Quod interdum esse poterit sub obligatione, vel propter modum consuetudinis, vel propter scandalum.

De privatione sacramentorum.

18. *Communis sententia. — Cessatio non prohibet baptismum parvulorum, nec pœnitentiam morientium. — Nec Eucharistiam per modum viatici.* — Certum est hanc etiam privationem contineri sub effectu cessationis a divinis, quoniam sacramenta, et usus eorum, divina etiam sunt. Imo generatim loquendo, comprehenduntur sub divinis officiis, ut ponderavit Panormitanus ex illo textu in cap. Non est vobis, de Sponsal. Difficultas vero est, an sit aliqua exceptio in hoc facienda, et quænam illa sit. In qua re omnes conveniunt excipi in primis baptismum parvulorum, et pœnitentiam morientium, ex dict. cap. Non est vobis, cujus verba sunt : *Nulla divina officia, præter baptismum parvulorum, et pœnitentiam morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Dici vero potest, Pontificem eo loco non dedisse formam generalem imponendi cessationem, nec explicasse effectus ejus; sed solum præcepisse, ut in certo quodam casu talis modus cessationis poneretur. Imo, addendo expresse exceptionem, indicasse videtur, si absolute præcepisset cessationem imponi, et exceptionem non declarasset, nihil excipiendum fuisse. Nihilominus tamen omnes Doctores intelligunt, illam exceptionem fuisse additam ad majorem claritatem, non tamen ex speciali benignitate et concessione, sed ex communi jure, et perpetua observatione Ecclesiæ valde consentanea divino juri, quia illa duo sacramenta sunt necessaria ad salutem fidelium, ut nullo tempore ab Ecclesia negentur. Unde fit, etiam Eucharistiam morientium, ut sic dicam, seu per modum viatici, non prohiberi ex vi cessationis, tum quia etiam Eucharistia est suo modo necessaria jure divino; tum maxime, quia in cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., declaratum est, quoties in jure præscribitur, ut morientibus pœnitentia non negetur, viaticum etiam comprehendi, quod vere pœnitentibus negandum non est.

19. *Tempore cessationis potest fieri sacrum semel in hebdomada. — Occurritur objectioni.* — Ex quo necessaria consecutione morali colligitur, permissum esse sacerdotibus hoc tempore illum usum Eucharistiæ, et sacrificii Missæ, qui vel ex jure vel ex facto necessarius est ad ministrandum viaticum morientibus. Ex jure appello necessarium usum illum, de quo mentio fit in cap. Permittimus, de Sentent. excomm., ubi semel in hebdomada confici permittitur corpus Domini tempore interdicti, ut renovari possit, et pro infirmis custodiri; idem ergo fieri posse diximus tempore cessationis, non quia cessatio sub interdicto comprehendatur, sed ex morali necessitate æquali; nam sicut tempore interdicti servanda est Eucharistia pro infirmis, ita et tempore cessationis, quando-

quidem ministranda est. Ex hoc autem consequenter sequitur, ut sit etiam renovanda, si cessatio duret; nam hoc spectat ad reverentiam ipsius sacramenti; et ideo nec debet, nec potest omnino ab Ecclesia prohiberi. Atque hinc rursus concludo, hanc renovationem fieri posse octavo quoque die, sicut in illo textu declaratur, cumque non possit renovari, nisi in Missæ sacrificio, fit consequens, ut illud etiam offerri possit. Dices, in illo textu solum dici, *Permittimus*, et, *tempore interdicti*. In priori autem verbo significatur tam frequentem renovationem non esse necessariam, sed permissam, idque non in quolibet tempore prohibito, sed per interdictum; ergo licet tempore cessationis licita sit renovatio absolute necessaria ad reverentiam sacramenti, non tamen ita frequens, quia per plures dies sine periculo differri potest. Respondeo, tempus hujus dilationis, vel renovationis arbitrarium esse; neque enim lege aliqua aut ex sola rei natura satis definitum est; pendet ergo ex prudentia; nam, servata reverentia debita sacramenti, juxta qualitatem loci et circumstantiarum aliquando potest magis differri, nonnunquam vero necesse est frequentius fieri. Ut ergo aliquid esset circa hoc stabile pro tempore interdicti, declaratum fuit in illo cap. Permittimus, sufficere, ut hæc renovatio semel in hebdomada fiat. In hoc enim sensu positum est dicto loco verbum *Permittimus;* non enim positum est verbum præceptivum, quia noluit Pontifex obligare, ut renovatio sacramenti per plures dies non differatur, sed solum approbare illam frequentiam, et prohibere, ne tempore illo frequentius fiat sacrificium ad hunc finem. Quod quidem jus respectu interdicti jam non est necessarium propter concessionem cap. Alma. Respectu vero cessationis, quamvis illud jus eam non comprehendat, ut argumentum convincit, tamen ex illo sumimus, determinationem temporis prudenter fieri juxta formam illius capitis etiam tempore cessationis. Nam in primis inde colligimus, non posse tempore cessationis fieri sacrum ad finem renovandi Eucharistiam, frequentius quam semel in hebdomada, quia, si tempore interdicti hoc non licebat juxta antiquum jus, signum est, aliam majorem frequentiam non esse moraliter necessariam ad reverentiam sacramenti; ergo neque nunc erit licita tempore cessationis. Rursus cum illa frequentia approbata fuerit, merito credere possumus illam esse valde convenientem ad decentiam sacramenti; ergo possumus nunc illa etiam uti tempore cessationis; nam, cum hoc sit arbitrarium, optime faciemus utendo arbitrio, quod jus ipsum aliquando probavit.

20. *Quovis etiam die potest fieri sacrum, si opus sit conferre viaticum, et non sit Eucharistia. — Satisfit objectioni.* — Potest tamen aliquando contingere Eucharistiam non esse pro infirmis reservatam, et aliquem esse in eo necessitatis articulo, ut moriturus credatur sine viatico, nisi de novo consecretur; et hanc vocavi facti necessitatem, existimoque esse sufficientem, ut tempore cessationis Missa dicatur. Quia ibi concurrunt duo jura, divinum communicandi in articulo mortis, et humanum prohibens sacrificare hoc tempore; ergo illud prius præferendum est, cum non sit aliqua urgens causa, vel necessitas, ob quam posterius præferatur. Dices præceptum divinum obligare infirmum existentem in necessitate, non vero sacerdotem, qui propter illum communicandum sacrificaturus est. Respondeo aliquando posse contingere, ut etiam ipse sacerdos sit in extremo periculo mortis vel naturalis vel violentæ, et communicare non possit nisi sacrificando. Deinde etiam sacerdos tenetur naturali jure charitatis subvenire proximo in ea necessitate existenti, ministrando ei viaticum, si commode potest; non est autem verisimile, Ecclesiam hoc ei prohibuisse in illo articulo cum tanto rigore, ac discrimine proximi. Denique qui aliquem actum concedit, non prohibet ea, quæ moraliter sunt necessaria ad talem actum; Ecclesia autem concedit, ut tempore cessationis viaticum ministretur morientibus; ergo ubi id fieri non possit sine sacrificio, hoc etiam facere non prohibet.

21. *Advertendum pro his exceptionibus.* — Adverto tamen, in hoc, et superiori casu, necessarium esse, ut sacrificium fiat cum ea moderatione, ut, quantum fieri possit, cessatio servetur in omnibus, quæ ad illum finem necessaria non sunt, quia cum prohibitio cessationis per se obliget, et solum propter hunc finem in tali casu veluti suspendatur, aut limitetur, solum intelligitur limitari in his, quæ ad illum finem necessaria sunt, scilicet, quoad sacramenti consecrationem, et sacrificii oblationem cum debitis cæremoniis et quasi intrinseca solemnitate; reliqua vero prohibita manent; et ideo debet fieri sine populi convocatione et secreto, ac denique cum aliis circumstantiis positis in d. cap. Permit-

timus, cum similibus; nam illæ circumstantiæ veluti ex natura rei sunt necessariæ, supposita hac prohibitione generali. Sicut etiam tempore cessationis potest deferri Eucharistia infirmis cum pompa necessaria ad reverentiam tanti sacramenti, et dato etiam vel delato signo campanæ, quo fideles ad comitandum sacramentum convocentur; nullum tamen officium divinum dicendum est, quia hoc per se est prohibitum, et alias ad actum concessum convenienter agendum necessarium non est.

22. *Baptismus adultorum an sit etiam ministrandus tempore cessationis. — Conclusio.* — De his vero, et aliis sacramentis nonnulla dubia supersunt. Primum est de baptismo adultorum, an sit permissus tempore cessationis. Et est ratio dubii, quia in illo c. Non est vobis, solum permittitur baptismus parvulorum; ergo aliud tacite negatur. Item, quia baptismus non est ita necessarius adultis, sicut parvulis; ergo nec propter similitudinem rationis potest illa concessio extendi. Nihilominus probabilius censeo, etiam adultis posse ministrari baptismum tempore cessationis. Quod sentit Gloss. in cap. Quoniam, de Sentent. excomm., in 6, et Panorm., in dict. cap. Non est vobis; et in primis, si adultus sit in periculo mortis, res videtur indubitata, quia non est illi minus præceptum baptisma jure divino, quam Eucharistia, neque est minus necessarium, quam sit sacramentum pœnitentiæ peccatori jam baptizato. Deinde, quia propter periculum vitæ, ut dicitur in dict. cap. Quoniam, semper hoc sacramentum reputatur necessarium; et propterea parvulis non tantum dari potest tempore cessationis, quando illi sunt in mortis periculo, sed absolute quolibet convenienti tempore; ergo eadem ratione dandum erit adultis etiam seclusa occasione mortis, quia quoad reliqua, magis illo indigent, propter majorem necessitatem gratiæ ad vitanda peccata, exercenda merita, etc. Denique in eo textu, quod pro aliis notandum est, non est nominatus baptismus parvulorum, quia solis parvulis eo tempore dandum sit, sed quia juxta morem Ecclesiæ in pueritia dandum est, ita ut licet adultus baptizetur, ille possit dici baptismus parvuli, non facto (ut sic dicam), sed jure; nam in pueritia dari poterat, et debebat, si convenienti tempore sumeretur. Ex quo sumi potest confirmatio; nam, si baptismus dandus est infanti tali tempore, cur negandus est adulto? Fingamus enim cessationem positam esse tempore infantiæ alicujus, et durasse usque ad adultam ætatem; numquid, si parentes negligentes fuerunt in eo baptizando tempore infantiæ, baptizari non poterit in adulta ætate, aut amittet jus suum propter solum ætatis augmentum? Certe id non est verisimile. Hæc ergo pars videtur probabilior, et rationes dubitandi in contrarium solutæ sunt.

23. *An cessationis tempore possit baptismus cum solemnitate ministrari.* — Secundum dubium est, an in his casibus possit baptismus cum solemnitate ministrari, vel tantum privatim; nam id solum videtur concedi quod necessarium homini est; sola autem substantia sacramenti est absolute necessaria. Nihilominus respondeo, baptismum cum tota sua solemnitate concedi, tum quia quoties jus de baptismo absolute loquitur, intelligitur de baptismo solemni ritu ministrato, quia, per se loquendo, non debet aliter ministrari; tum maxime, quia non solum conceditur quod est homini necessarium, sed etiam quod decet ipsum sacramentum; non enim hoc minus necessarium est. Et ad hoc faciunt quæ in simili diximus agendo de interdicto. Et hoc aperte sensit Abb., dict. cap. Non est vobis, num. 8, ubi ex hac concessione infert, etiam esse concessam confectionem chrismatis, quia sine chrismate non fit baptismus. Quod non est verum, nisi de baptismo solemniter ministrato.

24. *An confirmatio tempore cessationis ministrari possit. — Decisio.* — Tertio dubitari potest de sacramento confirmationis; nam de hoc nihil in jure invenimus, quia, licet in d. cap. Quoniam, de Sentent. excomm., in 6, dicatur, confirmationem ministrari posse tempore interdicti, tamen jam dictum est in his privilegiis seu concessionibus nomine interdicti non comprehendi cessationem; aliunde vero in dict. cap. Non est vobis, non excipitur confirmatio. Nihilominus tamen multi Doctores graves, qui de hac materia consilium Salmanticæ fecerunt anno 1556, quoad hanc partem censuerunt, posse confirmationem dari tempore cessationis. Eamdemque sententiam insinuat Panormitanus, paulo antea citatus; dicit enim quatuor sacramenta concedi tempore interdicti, et tertium dicit esse confectionem chrismatis, sub qua comprehendere videtur usum ejus per confirmationem; nam pura confectio vel alius usus ejus sacramentum non est. Nec refert, quod dicat, *tempore interdicti;* nam infra exponit, in casu illius textus non esse interdic-

tum proprie, sed cessationem a divinis. Hæc ergo pars propter auctoritatem probabilis est; difficile autem est eam probare textu, vel ratione. Ut enim consequenter loquamur, non possumus dicere concessionem interdicti extendi ad cessationem; dicere vero possumus, concessionem baptismi extendi ad confirmationem, et hunc esse sensum dict. cap. Quoniam, cum periculum moræ, quod est in baptismo, commune faciat confirmationi. Et ratio esse potest, quia confirmatio censetur esse veluti perfectio quædam et complementum baptismi, sicut dictum est supra agendo de interdicto. Ex quo etiam fit, ut decisio cap. Quoniam, de confectione chrismatis in die cœnæ Domini, non obstante interdicto, etiam in cessatione a divinis locum habeat; non propter extensionem interdicti ad cessationem, sed quia illa decisio, supposito priori principio, non pendet ex novo jure positivo, sed ex natura rei sequitur ex alio principio in jure posito, quod, qui concedit actum, consequenter concedit quæ sunt prævia et necessaria ad actum.

25. *An tempore cessationis pœnitentia extra periculum mortis ministrari possit.* — Quarto dubitari potest, an sacramentum pœnitentiæ possit tempore cessationis ministrari extra mortis periculum. Nam in dict. cap. Non est vobis, solum excipitur pœnitentia morientium. Nihilominus citati auctores Salmanticenses, ut ferunt, docuerunt etiam hoc sacramentum posse eo tempore ministrari. Quam sententiam tenet etiam expresse Covarr., in cap. Alma, part. 2, § 4, n. 7, verb. *Utcumque tamen sit.* Mihi autem non constat in quo priores Doctores fundati fuerint; Covarr. autem fundari videtur in cap. Alma, ubi conceditur, ut tempore interdicti sacramentum hoc dari possit quibuscumque, qui per censuram, vel pertinaciam, seu defectum dispositionis impediti non sunt. Nam licet concessio illius capitis (ait Covarr.) non in omnibus extendatur ad cessationem a divinis, tamen in his permissionibus, quæ non pertinent ad ordinariam divinorum officiorum celebrationem, extendi debet, et præsertim in hoc, quod pœnitentiæ sacramentum ministretur etiam sanis, quia solum est quædam juris veteris extensio.

26. *Covarruviæ fundamentum et opinio rejicitur.— Sententia negans præfertur.— Limitatio.* — Verumtamen ex hoc ipso principio difficilis mihi fit hæc opinio; nam si hæc fuit extensio, ergo jure antiquo non licebat ministrare sacramentum pœnitentiæ tempore cessationis extra articulum necessitatis; imo supra diximus, etiam de tempore interdicti nihil circa hoc statutum inveniri in jure veteri; et sane, cum in cap. Alma, hoc tanquam novum specialiter concedatur, satis significatur antea non licuisse; ergo a fortiori dicendum est ex vi juris antiqui hoc non licuisse tempore cessationis. Est autem in superioribus ostensum, jus antiquum integrum manere quantum ad cessationem a divinis, eo quod interdictum et cessatio in jure distincta sint, et nulla nova moderatio loquatur de cessatione, sed tantum de interdicto. Quæ ratio æque probat de illa extensione cap. Alma, quoad hoc sacramentum pœnitentiæ; nec Covarr. affert rationem aliquam ob quam hæc permissio extendatur ad cessationem, potius quam permissio spectans ad divinorum celebrationem. Nam utraque ita est extensio, ut sit etiam correctio antiqui juris; ergo in hoc pares sunt; cum ergo sub interdicto intelligamus cessationem in prima clausula, et non in secunda, solum video dici posse, pœnitentiam esse magis necessariam, quam alia divina officia, et ideo in illa magis admittendam esse hanc benignam interpretationem, quæ pia est, et satis expediens ad animarum salutem; tamen hoc non obstante, oppositum censeo verius in rigore juris; consuetudo autem præcipue fundata in doctorum virorum auctoritate, et a pastoribus tolerata, poterit excusare.

27. *Prohibetur etiam Ordo, extrema unctio, Eucharistia extra viaticum, et matrimonii solemnitas.* — Ultimo dubitari potest de aliis sacramentis, quod ex dictis breviter expediri potest. Certum est enim Ordinem et extremam unctionem dari non posse, nec Eucharistiam extra viaticum. Hæc enim a fortiori sequuntur ex dictis in proximo dubio et ex dictis etiam de interdicto. Idemque dicendum est de solemnitate matrimonii; de ipso vero matrimonio quoad substantiam, idem dicendum est tempore cessationis, quod de tempore interdicti; non quia cessatio sub interdicto claudatur, quod semper negamus, sed quia in utraque prohibitione æquale dubium est, an matrimonium privatim, et sine solemnitate Ecclesiastica et benedictione contractum, sequatur quoad hoc naturam sacramenti vel humani contractus; et ideo videnda sunt superius dicta, et hic applicanda.

De privatione Ecclesiasticæ sepulturæ.

28. *Non potest fieri Ecclesiasticum officium quo tempore corpus sepelitur.* — Hic est postremus effectus cessationis a divinis. In quo duo distinguenda sunt. Unum est ipsa Ecclesiastica sepultura, seu depositio cadaveris in locum sacrum. Aliud, Ecclesiasticum officium, quod juxta Ecclesiæ consuetudinem fieri solet, dum corpus hominis fidelis traditur sepulturæ. Quoad hoc ergo secundum certum est, tempore cessationis a divinis non posse illo modo corpora fidelium tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, quia cessatio absolute prohibet omnia Ecclesiastica officia, cap. Non est vobis, de Sponsal., cum aliis supra citatis; sed hoc est unum ex divinis officiis; ergo hoc etiam prohibitum est ex vi cessationis. Et ita in hoc nulla est controversia inter Doctores. Nec etiam est dubitatio quin nullum juris privilegium nullave exceptio pertinens ad similem effectum interdicti quoad hoc locum habeat in præsenti; præterquam quod supra ostendimus, etiam in ipso interdicto non esse jure concessa privilegia quoad hanc partem; consulantur ibi dicta, et ad hunc locum cum proportione applicentur.

29. *Utrum cessatio privet Ecclesiastica sepultura. — Communis sententia.* — De primo vero est difficultas, an sit prohibita sepultura Ecclesiastica quoad ipsum locum sacrum, per cessationem a divinis. In qua re communis sententia affirmare videtur, propterea quod cessatio a divinis privat omnibus, quibus privat interdictum; sed interdictum privat Ecclesiastica sepultura; ergo et cessatio. Major nullo jure probatur, sed solum communi Doctorum consensu. Addunt vero quidam, hoc limitandum esse ad laicos; nam clericis concedi potest sepultura Ecclesiastica propter cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., ubi hoc privilegium clericis conceditur. Sed hæc limitatio non habet fundamentum in illo textu; loquitur enim solum de interdicto, et jam sæpe diximus privilegia concessa tempore interdicti, ex vi verborum non extendi ad cessationem. Alii limitant hoc solum ad presbyteros, ut possint sepeliri saltem in cœmeterio Ecclesiæ, quia cum cessatio strictius obliget quam interdictum, non debet illud privilegium cap. Quod in te, extendi æque in cessatione ac interdicto; est autem rationi consentaneum, ut aliquo modo concedatur saltem presbyteris, qui sunt perfectissimi inter simplices clericos, ut videlicet in cœmeterio possint sepeliri, licet non intra Ecclesiam.

30. *Excluditur quorumdam limitatio.* — Sed hoc arbitrium voluntarium est ex pia quadam consideratione sine juris fundamento, cum tamen hæc omnia in illo fundentur. Quapropter supposito priori principio, quod cessatio privat Ecclesiastica sepultura, consequenter loquendo, nulla est facienda exceptio ex vi juris, quia nulla invenitur, quæ de cessatione loquatur, et non sufficit loqui de interdicto.

31. *Refutatur sententia communis.* — Major difficultas est in ipsa generali assertione, quod cessatio privet fideles sive clericos sive laicos Ecclesiastica sepultura quoad ipsum locum sacrum, quia nec jure, nec ratione, nec sufficienti auctoritate fundari potest; ideoque non est pro libito asserendum, vel credendum, cum ad pœnam, et rigorem pertineat. De ratione per se notum est, quia omnis hæc prohibitio pendet ex jure positivo. Probatur ergo prima pars, quia in primis nullum est jus, quod in particulari declaret hunc effectum, seu prohibeat sepulturam; nam si esset, ab aliquo auctorum, vel Doctorum hoc asserentium citaretur, quod non fit; neque in omnibus decretis supra adductis, quæ de cessatione mentionem faciunt, hoc legitur. Deinde, neque sub generalibus verbis comprehenditur, quia solum in illis decretis dicitur cessandum esse eo tempore ab omnibus divinis officiis, ut patet præcipue ex cap. Non est vobis, de Sponsalib.; at vero hæc traditio sepulturæ in loco sacro, si absque alio divino officio fiat, per se non est divinum officium in rigore et proprietate; ergo non comprehenditur sub generali prohibitione, quæ cum odium, et rigorem contineat, stricte interpretanda est. Et confirmatur, nam supra tractando de hoc effectu interdicti, diximus cum communi sententia, privilegia, quæ tantum concedunt participationem divinorum officiorum tempore interdicti, ex vi verborum non concedere locum sacrum in sepulturam, quia non est divinum officium; ergo a fortiori e contrario cessatio, quæ solum prohibet omnia divina officia, non propterea vetat dari locum sacrum in sepulturam absque sacro officio.

32. *Axioma, in quo communis opinio fundatur, rejicitur.* — Præterea, illud axioma, quod cessatio privat omnibus rebus sacris, quibus privat interdictum, in nullo jure habetur, ut patebit intuenti omnia supra citata.

Neque in similitudine rationis fundari potest; nam interdictum afficit, ut supra diximus, locum ipsum, eumque reddit quasi inhabilem ad talia munia, inter quæ unum est receptio, vel sepultura corporis fidelis, quod extra illum locum posset optime sepeliri in loco sacro; at vero cessatio non afficit locum, sed tantum personas prohibet in ordine ad locum; et ideo ex qualitate loci, ut sic dicam, non sequitur hic effectus, nec etiam sequitur ex prohibitione imposita personis, cum illa limitetur ad Ecclesiastica officia : ergo. Denique nec ex communi consensu Doctorum vere probatur illud axioma; nam, licet Doctores Canonistæ interdum dicant, interdictum locale generale, et cessationem generalem æquiparari, plerique tamen eorum statim addunt, non æquiparari in omnibus, et quoad hunc particularem effectum nunquam expresse et in specie ea æquiparari dicunt, ut patet ex Panormit., dict. cap. Non est vobis; Innoc., in cap. Dilectis, de Appel., et in cap. Irrefragabilis, de Offic. ordin., cum aliis, eisdem locis; et ex Covarr., dict. § 2 et 4, cum aliis, quos refert. Neque in Summistis invenietur in particulari illa æquiparatio, aut illud principium generale, quod cessatio habeat omnes effectus, quos habet interdictum, ut patet ex Sylvest., Angel., Tab. et aliis, verb. *Cessatio.* Ac tandem Navarr., in Sum., num. 188, definiens cessationem, solum dicit, esse desistentiam a divinis officiis, et ab administratione sacramentorum; de sepultura autem Ecclesiastica nihil dicit, affirmans illam esse communem juris interpretum sententiam; ergo recte etiam dictum est hunc effectum nulla sufficienti auctoritate fundari.

33. *Occurritur objectioni.* — Dices : si argumentum factum est efficax, etiam cessatio non privabit sacramentis, quia hæc etiam solent a divinis officiis distingui in jure, cap. Si civitas, de Sententia excomm., in 6, et cap. Episcoporum, de Privilegiis. Respondetur, quamvis officium divinum aliquando accipiatur stricte pro officio publice orandi vel sacrificandi, juxta supra tractata de interdicto, tamen habere etiam generalem significationem, secundum quam in omni proprietate comprehendit ministerium sacramentorum, quia illud est aliquod officium sacrum et divinum. Constat autem hoc modo accipi officium in cessatione a divinis, tum ex omnium sententia; tum ex dict. cap. Non est vobis, de Sponsalibus, ibi, *nulla divina officia præter baptismum parvulorum, et pœnitentias morientium,* etc.; nam illa particula exceptiva, *præter,* aperte declarat, baptismum parvulorum, et pœnitentias morientium fuisse ibi comprehendenda sub divinis officiis, nisi exciperentur, et consequenter alia ministeria sacramentorum, quæ non excipiuntur, sub illa cessatione comprehendi. At vero locus sacer, seu depositio corporis in illo in neutra significatione ex dictis comprehenditur sub officiis divinis, quia, seclusa concomitantia alterius divini officii, illa actio revera non est divinum aut Ecclesiasticum officium, sed est tantum opus quoddam pietatis aut misericordiæ.

34. *Pura cessatio a divinis non privat Ecclesiastica sepultura.* — Quapropter sententiam hanc in omni rigore veram esse censeo, ubi cessatio ab interdicto separatur; frequenter enim hæc sunt permixta, et cessatio non fertur nisi supposito interdicto; et ideo tunc non solet hic effectus distingui, et vulgus existimat cessationem privare Ecclesiastica sepultura, æque ac interdictum. Si tamen fiat pura cessatio absque interdicto, ut de illa loquuntur jura, sic ratio facta mihi demonstrat non habere hunc effectum.

De pœna violantium cessationem a divinis.

35. Ultimo dicendum superest de effectu magis remoto, qui est pœna; hæc enim quodammodo est effectus, licet per accidens, quia occasione talis prohibitionis incurritur, licet per se, et directe non intendatur per talem prohibitionem. Possumus autem hic considerare vel pœnam ejus, qui causam dedit cessationis, vel ejus, qui injuste cessationem tulit, vel ejus, qui cessationem juste latam violavit. De primis duabus dicam sectione sequenti, quia magis pertinent ad causam interdicti; de tertia vero aliquid diximus sectione præcedenti, ubi ostendimus non incurri irregularitatem propter violationem cessationis.

36. *Religiosi non servantes cessationem generalem excommunicantur.* — *Quatuor adnotanda circa prædictam pœnam.* — *Paludani limitatio excluditur.* — Nunc solum superest addendum, in Clem. 1 de Sententia excommunic., latam esse excommunicationis pœnam ipso facto incurrendam contra religiosos non servantes cessationem generalem. In quo textu breviter hæc notanda sunt. Primum, hanc pœnam non ferri contra mere laicos, nec contra clericos sæculares, sed so-

lum contra religiosos, et secundum hunc respectum esse particularem; respectu vero ipsorum religiosorum esse omnino universalem, ut patet ex illis verbis : *Religiosi quicumque tam exempti quam non exempti, cujuscumque ordinis et conditionis existant.* Secundo, quod tunc obligat illa lex, quando hi religiosi viderint, aut sciverint Cathedralem, matricem, seu parochialem loci Ecclesiam cessationem servare; hæc enim sunt fere verba illius textus satis per se clara. Tertio, nulla particularis actio declaratur, propter quam incurratur hæc pœna, sed solum generaliter dicitur : *Non servantes.* Unde quælibet violatio cessationis, quæ ad peccatum mortale sufficit, erit satis ad incurrendam hanc pœnam. Quarto, locum habet hæc pœna, non solum in cessationibus latis a Papa vel Episcopis, sed etiam in his, quæ feruntur a Conciliis provincialibus per sententias vel statuta; imo in his etiam, quæ Capitula, collegia, vel conventus secularium aut regularium Ecclesiarum, sibi vendicant ex consuetudine vel privilegio; totum enim hoc expresse declaratur in textu. Unde aperte deceptus est Paludanus, in 4, dist. 18, quæst. 8, num. 38, dicens illam excommunicationem non habere locum in cessationibus, quæ ponuntur a Prælatis, nisi sint etiam interdicta; sed solum in cessationibus Capitulorum, quæ non habent aliud remedium. Sed aperte constat ex textu, in vers. *Quod etiam,* distincte et clare fieri extensionem hujus pœnæ ad cessationes positas a Conciliis vel Prælatis, ut ab interdictis distinguuntur. Atque ita notavit Covarruvias contra Paludanum, in cap. Alma, part. 2, § 2, num. 3, et Navarr., in Summa, cap. 27, num. 145, in fine, et num. 189, referens Bonifacium et alios juristas, et alia advertit circa illum textum, quæ in superioribus circa interdictum notata sunt. Idem sentit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 2, qui tamen citat Sylvestrum in contrarium, in verb. *Cessatio,* num. 5; sed ibi loquitur de cessatione particulari, propter cujus violationem ait non incurri hanc excommunicationem, quod verissimum est; nam textus expresse loquitur de cessatione generali, et sub ea conditione, *ut Ecclesiæ matrix, vel parochialis loci,* ut latius idem Sylvester declarat, *Excommunicatio,* 9, n. 90 et sequent.

37. *Satisfit duplici dubio.* — Tandem adverti potest in Conc. Trid., sess. 25, cap. 12 de Reform. regular., præcipi regularibus, ut in Ecclesiis suis servent, et publicari faciant censuras, et interdicta, etiam ab ordinariis Prælatis promulgata, et ipsis præcipientibus. Unde dubitari potest, an hoc præceptum extendatur ad cessationem, quæ non est censura, nec interdictum. Item, an extendatur ad cessationem, quæ non ponitur a Prælato, sed ab aliquo Capitulo. In utroque tamen censeo respondendum esse negative, quia verba sunt stricte intelligenda; et ideo juri communi quoad hoc standum est, et præterea consideranda sunt privilegia postea concessa; nam hæc ex vi illius decreti Conc. Trid. non sunt revocata. Præter hanc vero pœnam nulla alia est ipso jure lata, quæ inter effectus cessationis valeat numerari.

SECTIO III.

Quas ob causas, et quomodo ferenda sit cessatio a divinis.

1. *De causa materiali cessationis.* — Hic potissimum immorandum est, in explicando modo ferendi cessationem; nam cæteræ causæ breviter expediri possunt. De materiali enim dicimus esse aut locum, prout in interdicto, aut certo homines in ordine ad locum, in quo divina facere prohibentur. Vel certe dicere possumus homines esse materiam veluti subjectivam, locum circa quam. Solum ergo quæri posset, an cessatio hæc licite ferri possit pro universa Ecclesia. Aliquibus enim videtur hæc esse contra jus divinum, quod videtur obligare, ut saltem alicubi offeratur quotidie sacrificium in Ecclesia. Sed non video, ubi hoc jus divinum latum sit; et ideo de absoluta potentia Summi Pontificis non existimo hoc repugnare, si causa subesset; credo tamen moraliter subesse non posse, et ideo talis cessatio, sicut hactenus nunquam lata est, ita neque expediet unquam.

2. *De causa efficiente cessationis.* — De efficiente dicendum est, qui potest ferre interdictum, posse etiam cessationem ponere. Ita sentiunt Sylvester, Angel. et alii, verb. *Cessatio;* Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 2; Covarruvias, c. Alma, part. 2, § 2, num. 6, et colligitur ex citatis juribus. Ratio vero est, quia jurisdictio Episcopalis, et communis ac publica fori contentiosi Ecclesiastici ad hoc sufficit. Navarrus autem, cap. 27, num. 189, sentit solum Papam posse cessationem ponere post interdictum. Et fundari videtur, quia solus Papa potest restringere concessionem cap. Alma, quod per talem cessationem fieri

videtur. Dicendum vero est, hoc posse etiam Episcopos, quia pertinet ad ordinariam potestatem eorum etiam jure antiquo, et nullibi est ablata. Et ita habet usus. Neque hoc prohibuit cap. Alma, quia cessatio est novum vinculum distinctum. Unde, licet manendo intra limites censuræ interdicti, solus Papa possit illud restringere contra decisionem cap. Alma, tamen supra illud cessationem addere etiam Episcopi possunt. Sub quibus comprehendimus Capitulum Sede vacante, ut notavit Glossa, in cap. Si canonici, de Offic. ordin., et judices ab his delegati, juxta generalem doctrinam supra traditam.

3. Additur vero in Clem. 1 de Sententia excomm., non solum provinciale Concilium, sed etiam aliquod Capitulum, vel collegium posse cessationem ponere. Quod etiam sumitur ex dict. c. Si canonici, et c. Quamvis, de Offic. ordin. Hoc tamen posterius difficile est, quia tales communitates non possunt censuras, nec leges ferre. Propter quod Glossa ibi et Panormitanus, dict. cap. Dilectis, n. 18, putant id esse intelligendum, ubi ex consuetudine legitime præscripta acquisitum fuerit illud jus ; nam alioqui ordinarium non est, ut constat ex cap. Quæsivit, de His quæ fiunt a majori parte Capituli.

4. *De causa finali cessationis. — Cessatio ut recte feratur supponere debet gravissimum peccatum et publicum.* — Tertia causa cessationis est finis, qui si sit proximus et per se, idem est, quod effectus; si vero sit remotus et primario intentus, est rigor Ecclesiasticæ disciplinæ, ut rebelles tandem recedant a contumacia. In hoc enim convenit hoc vinculum cum aliis propriis censuris, quod non fertur in puram pœnam et vindictam delicti; id enim plane repugnat, tum quia cessatio privat bonis maxime spiritualibus, quibus non debent privari fideles ob solam vindictam, nisi interveniat etiam contumacia, ut ab ea recedant; tum etiam quia hæc cessatio æque vel quodammodo magis ligat innocentes; et ideo potius est quasi terror quidam Ecclesiasticæ potestatis, quam propria vindicta seu pœna, ut in prima sectione latius declaravi. Hinc vero fit cessationem, ut juste feratur, necessario supponere delictum, illudque gravissimum, quia nec contumacia esse potest sine delicto, nec medium adeo acerbum, et periculosum assumendum est ad eum finem sine gravissima causa. Unde, quamvis necesse non sit tale delictum inveniri in omnibus illis personis, quæ per cessationem ligantur, necesse est tamen, ut publicum delictum sit, et contrarium communi bono ipsius Ecclesiæ, seu Ecclesiasticæ potestatis, ut citata jura insinuant, et ratio facta convincit, et a fortiori constat ex dictis supra de interdicto; nam quoad hoc intervenit similitudo inter hæc duo. Quocirca, si tractemus de causa quasi per accidens, quæ potius est occasio ferendi cessationem, id in summa dicere possumus, quod dicitur in cap. Irrefragabilis, § Cæterum, de Offic. ordin., debere esse causam manifestam et rationabilem; circa quam etiam servanda sunt, quæ statim in sequenti puncto adnotabimus.

5. *Quæ forma servanda sit in ferenda cessatione a divinis.* — Ultimo ergo loco dicendum superest de forma servanda in ferenda hujusmodi cessatione; circa quam primo servanda sunt ea , quæ de forma ferendi censuram in communi adnotavimus; nam quæ ibi diximus esse substantialia, in hac etiam sententia ferenda æque necessaria sunt, quia non oriuntur ex speciali ratione censuræ, sed ex generali ratione sententiæ; unde, quæ ibidem diximus de sententia injusta, vel nulla, hic accommodari possunt. Quæ vero pertinent ad solemnitatem accidentalem præscriptam maxime in cap. 1 de Sent. excomm., in 6, in rigore et ex vi illius textus non videntur requiri in hac cessatione, quia illa solum præcipiuntur servari in excommunicatione ferenda, et extenduntur ad solam suspensionem et interdictum, sub quibus in rigore non comprehenditur cessatio. Nihilominus tamen videtur consuetudine receptum, ut illa etiam forma servetur in hac sententia ferenda, vel propter similitudinem rationis, quæ sumitur ex principio illius textus : *Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis,* nam etiam cessatio medicinalis esse debet; vel certe ex aliis decretis, quæ mox declarabimus.

6. *Conditiones servandæ, ut cessatio juste feratur.* — Secundo ergo advertunt auctores, in cessatione ferenda servandas esse decem conditiones, quas colligunt ex cap. Si canonici, et cap. Quamvis, de Offic. ordin., in 6, circa quos textus oportet advertere, eos non loqui de omni cessatione generatim, sed specialiter de illa, quæ fertur ab aliquo collegio, vel Capitulo, ex privilegio, vel consuetudine; non vero de illa, quæ fertur ab Episcopis, seu ordinariis judicibus. Unde quædam ex conditionibus ibi positis ita sunt propriæ

priorum cessationum, ut non possint posterioribus accommodari; aliæ vero omnibus possunt esse communes; tamen ex vi illorum textuum non æque exiguntur in utrisque, quia, ut dixi, non de omnibus generatim loquuntur; sed ex quadam rationis paritate, et æquitate, illæ conditiones, quæ generales esse possunt, pro omnibus admittuntur, juxta communem modum loquendi Doctorum; quod censeo verum, si sit consuetudine receptum, et non alias, quia sola similitudo rationis non sufficit, ut ex sequentibus constabit.

7. *Prima conditio. — Secunda conditio. — Tertia conditio. — Quarta et quinta conditio. — Quæ sit causa rationabilis ferendi hanc cessationem.* — Prima ergo conditio est, ut, antequam cessatio feratur, causa cessationis in instrumento publico, seu authentico scripto referatur, id est, per scripturam confectam a publico tabellione, aut per patentes litteras authentico sigillo munitas. Secunda conditio est, ut hoc instrumentum, seu patentes litteræ ei tradantur, contra quem cessatio intenditur. Hæ duæ conditiones ponuntur in cap. Si canonici, et in illis virtute includuntur aliæ duæ, quæ ab auctoribus distincte numerantur. Una est, ut cessatio sit ponenda ab eo, vel ab his, qui vel a jure, vel a consuetudine, aut privilegio ad hoc habent auctoritatem. Alia est, ut causa sit *canonica;* ita enim in illo textu appellatur, sub qua voce, ut ibi Glossa notavit, includuntur illa duo, quæ expressa ponuntur in cap. Irrefragabilis, § Cæterum, de Offic. ordin., scilicet, ut causa sit manifesta, et rationabilis. Manifesta quidem, quia cessatio est valde publica, et in publicum gravamen Ecclesiæ; et ideo necesse est, ut manifestam contineat causam. Quod adeo verum est, ut nulla consuetudo in contrarium possit prævalere, ut auctores statim citandi dicunt, quia esset talis consuetudo valde onerosa, ideoque perniciosa Ecclesiæ; et ideo prævalere non potest, juxta cap. 1 et cap. Cum venerabilis, de Consuet. Rationabilis autem causa esse debet, tum ex generali ratione, quod ad omnem honestam actionem hoc necessarium est, et multo magis ad justam prohibitionem vel pœnam; tum etiam quia in hoc includitur, ut causa hæc esse debeat proportionata, quia non pro quacumque offensa, sed pro gravi injuria ferri debet, ut ibi notat Glossa ponens exempla, si fiant statuta contra libertatem Ecclesiasticam, si talliæ ut collectæ clericis imponantur, si clericus vel canonicus per sæcularem ballivum detineatur. Ex quibus facile erit de similibus judicare.

8. *Notandum circa primas duas conditiones. — Aliud notandum.* — Atque ita conficiuntur quinque conditiones earum decem, quas auctores ponunt; proprie tamen ad præsens tantum pertinent duæ primæ; nam aliæ tres, quæ magis substantiales sunt, ad duas causas proxime præcedentes pertinent, ut videmus. Circa duas vero conditiones primas observare licet, illas communes esse posse omni cessationi, a quocumque feratur, esseque simillimas illis, quæ in censura ferenda præscribuntur in dict. cap. 1 de Sententia excomm., in 6, et ideo probabile est servandas esse etiam a Prælatis vel ordinariis judicibus volentibus cessationem ponere. Observo etiam ex vi illius textus non poni has conditiones, ut substantiales; nullum enim verbum ibi ponitur, quod declaret ex defectu harum conditionum sententiam esse irritam, sed solum esse injuste latam, et, qui illam fert, incurrere pœnam ibi præscriptam et infra declarandam. Nec in eo capite alia conditio adjungitur, sed reprobatur abusus quorumdam, qui ad majorem populi horrorem, cum ferebatur sententia cessationis, imagines Virginis, et aliorum Sanctorum prosternebant in terra, et urticis, spinisque supponebant, quod erat imprudens factum, ac detestabile sacrilegium.

9. *Sexta conditio. — Septima conditio. — Octava conditio. — Opus est ut major pars suffragiorum conveniat in cessatione ponenda.* — Aliæ quinque conditiones sumuntur ex dict. cap. Quamvis, eodem titulo. Sexta ergo conditio est, ut ad cessationem hanc ferendam omnes, qui sunt de Capitulo evocentur, *prout sunt* (dicitur ibi) *pro electionis negotio evocandi,* ubi Glossa advertit, in hoc servandam esse consuetudinem, ut vel solum præsentes, vel etiam absentes ex locis magis vel minus remotis convocandi sint. Ita enim erit hoc observandum in cessatione ferenda, tamque erit necessarium ad valorem ejus, quantum ex jure vel consuetudine ad electionem fuerit; nam in textu illo æquiparantur. Septima conditio est, ut post convocationem circa collationem ferendam diligenter deliberent. Quam deliberationem ita Glossa exponit, ut ad cessationem ferendam requiratur tractatus, sicut ad alienationem perpetuam rerum immobilium Ecclesiæ, juxta cap. ultim. de Rebus Ecclesiæ non alienandis, in 6; tamen ex vi verborum illius textus nulla specialis

solemnitas ad hoc necessaria est, præter naturam et diligentem considerationem, ad quam spectat, ut omnium judicia et suffragia audiantur circa causam cessationis, an legitima sit, necne, et circa cessationem ipsam, an poni expediat, necne, supposita tali causa; et ideo Sylvester, Angel., Soto et alii hanc conditionem in duas distinguunt, ita ut septima conditio sit, quod tractetur de causa et convenientia cessationis. Octava vero sit, quod de ipsa cessatione deliberetur, id est, suffragia ferantur, quod per se constat esse magis necessarium. Unde recte advertit Soto necessarium esse, ut major pars suffragiorum conveniat in cessatione ponenda, quod est manifestum, tum quia in eodem textu hæc actio comparatur electioni, quæ a Capitulo fit; electio autem, ut ordinario jure valida sit, debet fieri majori parte Capituli, juxta cap. Coram, de Elect.; tum etiam quia ex natura rei videtur hoc esse necessarium supposito modo ferendi talem sententiam, scilicet, a pluribus, ut efficientibus unum corpus morale; nam, si inter se dissideant, ut minimum requiri debet majoris partis consensus, ut talis actio toti corpori tribuatur.

10. *Notandum circa tres positas conditiones.* — Circa has vero tres conditiones observare licet, non habere locum in cessatione, quæ fertur ab Episcopo, vel alio judice ordinario. Nam, cum ibi sententia feratur ab una persona tantum, non habet locum convocatio, vel consultatio plurium. Extendi tamen potest ad cessationem, quæ fertur a Capitulo, Sede vacante, quia, licet eam ferat potestate, et jure ordinario, quia in his succedit in locum Prælati, tamen et ob similitudinem rationis, et ex vi verborum textus habet locum extensio, quia dictum c. Quamvis, absolute loquitur de Capitulis, et c. Si canonici, dicit, *Si ex consuetudine, vel alias,* sub qua posteriori particula potest comprehendi quilibet modus habendi hanc jurisdictionem. Verum est, cum Capitulum Sede vacante exerceat hos actus per vicarium ad hanc jurisdictionem exercendam creatum juxta Conc. Trid., tunc ab ipso solo posse ferri cessationem, sicut a vicario Episcopi; neque habere locum has conditiones.

11. *Nona conditio.* — *Præmitti debet monitio ut cessatio valida feratur.* — Nona conditio est, ut moneatur persona, propter cujus injuriam videtur facienda cessatio, ut irrogatam injuriam, vel offensam emendet. Et explicatur distincte in dicto cap. Quamvis, hanc monitionem esse faciendam post prædictas vocationem et deliberationem de cessando habitas. Quod merito ita cautum est, ut admonitio majori auctoritate, et consequenter cum majori spe fructus fiat. Unde merito additur, si persona sic admonita emendetur, seu satisfaciat, vel si per ipsosmet capitulares stet quominus emendatio fiat, cessationem ferri non posse, quod necessario est consequens ad hanc monitionem, alioqui frustra fieret. Et hæc conditio locum habere potest in quocumque Prælato ferente cessationem, et videtur per se necessaria ex vi et quasi natura talis prohibitionis, nam sicut in hoc convenit cum censura, quod fertur, ut a contumacia recedatur, ita etiam in hoc, quod præviam monitionem requirit. Quod vero fiat tali tempore et modo, id specialiter hac lege præscribitur, et videtur necessarium, ut recte fiat, non tamen ut sententia valida sit, dummodo sufficiens monitio præcedat; hæc enim simpliciter videtur necessaria juxta ea quæ in simili de censura diximus.

12. *Decima conditio.* — *Si partes in concordiam veniant, potest tolli cessatio sine recursu ad Papam.* — Ultima conditio est, ut post cessationem positam, nisi partes intra mensem in concordiam veniant, et cessatio cesset, teneantur, tam qui cessationem ponunt, quam illi, quorum causa ponitur, per se, vel per procuratores idoneos cum munimentis, et actis ad negotium spectantibus ad Sedem Apostolicam accedere, ut quid agendum sit ab illa declaretur. Circa quam conditionem dubitatum est, an transacto illo mense possit cessatio tolli, antequam per Sedem Apostolicam tollatur, si partes in concordiam veniant; quibusdam enim visum est non posse tolli, quia jam causa derivata est ad Sedem Apostolicam, et quia expresse in illo textu solum conceditur tempus unius mensis, ut hæc concordia fiat, et cessatio tollatur. Melius tamen intellexit textum illum Soto supra, dicens, quocumque tempore posse concordiam fieri, et cessationem tolli; nam hoc est, quod Pontifex intendit, et non gravare Ecclesiam reservando sibi relaxationem talis cessationis, neque in illo textu est ullum verbum, ex quo talis reservatio colligi possit. Unde mensis ille conceditur quasi ad deliberandum, et tanquam permissio quædam illius discordiæ, et durationis cessationis; accessus autem ad Romanam Sedem post illud tempus præcipitur, ut vexatio det intellectum, et ita compellantur, vel timore, vel tædio affecti,

ad pacem procurandam, et cessationem tollendam. Unde quoties hic finis obtentus fuerit, necessarium non est ulterius in litis prosecutione apud Sedem Apostolicam progredi. Quod insinuavit Sylv., verb. *Cessatio,* dicens, recurrendum esse post mensem ad Sedem Apostolicam, ut discutiatur quid super hoc sit agendum, nisi interim per mutuam concordiam cesset cessatio.

13. *Ut dictæ conditiones sint de substantia cessationis.— Sententia affirmans probabilis, non tamen extenditur ad cessationes ordinariorum Prælatorum.* — Tria vero circa has conditiones et causas declaranda supersunt. Primum est, an omnes istæ conditiones sint de substantia cessationis, ita ut, qualibet deficiente, sit nulla. Nam Joan. Andr., in d. c. Quamvis, absolute affirmat, quem sequi videntur Ang. et Sylvest. referentes alios; nam absolute aiunt, his non servatis cessationem non servari. Sed, ut jam dixi, in c. Si canonici, nullum est verbum indicans substantialem necessitatem; in c. vero Quamvis, in finalibus verbis hoc insinuatur, cum dicitur : *Parte insuper a divinis cessante, suprascripta, tam in cessando, quam in veniendo, sive mittendo ad Sedem Apostolicam, non servante, non servetur cessatio, sed ea non obstante, ut prius in ipsa Ecclesia celebretur.* Nam ex his verbis duo colliguntur manifeste : primum est, si in ponenda cessatione (hoc enim est quod dicitur, *parte cessante*) non serventur conditiones ibi præscriptæ, cessationem esse nullam, nam si servanda non est, et ea non obstante, celebrandum est, profecto nullum effectum habet, atque nulla est. Unde in hoc solum dubitari potest, an hoc intelligendum sit de solis conditionibus additis in eo capite, vel etiam de aliis positis in c. Si canonici, quia ibi solum dicitur : *Suprascripta non servando.* Nihilominus tamen, quia in principio cap. refertur constitutio Gregorii X, in d. cap. Si canonici, et denuo confirmatur addendo alias conditiones, ideo illa ultima verba videntur referri ad totam formam ferendi cessationem ex utroque decreto resultantem. Et ita videntur intellexisse Joan. Andr. et alii auctores, et mihi videtur satis probabilis sententia; eam tamen non censeo extendendam ad cessationes ordinariorum Prælatorum, cum de illis non sit sermo, et sit res valde rigorosa; sed, ut dixi, consulenda erit, et servanda consuetudo.

14. *Quando tollatur cessatio ob defectum conditionis recurrendi ad Papam. — Improbatur.* — Aliud, quod ex dictis verbis colligitur est, quamvis cessatio sit juste, et cum omnibus conditionibus posita, si pars, quæ illam posuit, non servaverit ultimam conditionem positam recurrendi post mensem ad Sedem Apostolicam, cessationem ipso jure tolli transacto mense, et parte illa in mora existente. Oportebit autem, ut sentio, manifeste constare partem illam esse in mora culpabili; quia, dum hoc non ita constat, semper retinet jus suum, præsertim cum cessatio valida fuerit. Quæri autem potest, an idem sit dicendum, si altera pars, ob cujus culpam cessatio ponitur, in simili mora fuerit. Respondetur, minime id dici posse, tum quia in textu non habetur; tum etiam quia non est similis ratio; alioqui ex sua inobedientia commodum reportaret. Nam quod cessatio tollatur, id est quod illa pars maxime intendit. Addunt præterea Sylvester et Angelus, cessationem non esse servandam ab aliis, si pars, quæ illam posuit, eam non servet; sed hoc in illo textu non habetur, neque in alio, quem ego viderim, neque etiam apparet ratio, cur potius hoc dicamus in cessatione, quam in interdicto vel excommunicatione.

15. *Quam pœnam incurrat ferens cessationem sine causa. — Prædicta pœna solum imponitur Capitulis.* — Secundo declarandum est, quam pœnam incurrat is, qui sine legitima causa cessationem posuerit; olim enim nulla propter hoc erat certa pœna statuta ipso jure, sed arbitrio superioris imponenda erat juxta dictum § Cæterum ; postea vero in dict. c. Si canonici, in pœnam præscribitur, ut si Capitulum fuerit, quod cessationem posuit, quidquid canonici de fructibus illius Ecclesiæ tempore cessationis perceperint, restituant; et quidquid eisdem ex bonis talis Ecclesiæ dandum fuisset, non detur, sed ipsi Ecclesiæ cedat ; ac denique ut parti, contra quam cessatur, de damnis, et injuriis satisfacere teneantur. Ubi potest dubitari, an obligatio ad has restitutiones statim oriatur ipso facto, vel necessaria sit judicis condemnatio; nam ex textu non satis colligitur illud prius, et ideo videtur dicendum posterius, juxta generalem regulam legum pœnalium. Dicendum vero est, hanc obligationem majori ex parte non esse propriam pœnam, sed ex intrinseca justitiæ ratione ortam. Nam, si illi sine causa cessant a divinis officiis, non juste recipiunt fructus, et cum faciant injuriam alteri, ex natura rei tenentur ad satisfactionem. Itaque attente considerandum erit, pensatis circumstantiis singularum personarum, an

obligatio hæc oriatur ex aliquo titulo justitiæ; nam tunc, quantum ad conscientiam spectat, non est necessaria sententia judicis; tamen, si ultra hoc aliquid fuerit pœnale, vel redundans in personas innocentes ex errore totius communitatis, non existimo teneri ad hanc restitutionem, prius quam condemnentur. Addunt vero Sylvest. et Angelus cum Geminiano, hanc pœnam extendi ad omnes cessationem imponentes sine justa causa, etiamsi textus tantum de Capitulis loquatur. Quod existimo verum quantum ad obligationem restituendi ortam ex actione injuriosa; quantum vero ad pœnalem, arbitrio superioris standum erit, quia non oportet extendere legem pœnalem ultra personas, de quibus loquitur.

16. *Quam pœnam incurrat qui cessationi causam dedit.* — Ultimo declarandum est, quando cessatio juste lata est, quam pœnam incurrat is, qui causam dedit. Respondetur, primum teneri ad omne interesse personis, et Ecclesiæ, cui debitum officium ejus culpa est subtractum. Deinde, arbitrio superioris condemnandum esse in aliqua quantitate convertenda in augmentum divini cultus. Unde constat, priorem partem restituendam esse statim, quia non est propria pœna, sed recompensatio damni illati; aliam vero partem requirere judicis condemnationem, ut in textu expresse dicitur. Ex quo recte confirmantur, quæ in proximo puncto diximus.

SECTIO IV.

A quo, et quomodo tollenda sit cessatio a divinis.

1. *Quis possit cessationem tollere.* — Cum cessatio nunquam sit a jure, ut supra dixi, sed ab homine, in modo relaxationis ejus servanda sunt principia posita circa ablationem censuræ ab homine impositæ. Itaque solum tolli potest ab eo, qui illam posuit, vel successore ejus, si ille decessit, vel etiam a superiore; reliqui enim jurisdictionem non habent, nisi per delegationem committatur, quod etiam fieri potest; quæ omnia clara sunt ex dictis. Denique in modo tollendi nulla est præscripta forma. Solum oportet, ut judex voluntatem suam sufficientibus verbis explicet, sicut de aliis diximus, est enim eadem ratio. An vero sufficiat solum factum ejus, qui cessationem tulit, non servando illam, jam diximus superiori sectione, non sufficere.

2. *An cessatio aliquando per se tollatur.* — Quæri vero potest, an sine hujusmodi relaxatione interdum ipso facto ac per se tollatur cessatio. Dicunt enim aliqui, si lata sit ad certum tempus, vel sub conditione, donec hoc vel illud fiat, elapso tempore, vel impleta conditione, statim per se cessare. Dico tamen repugnare huic cessationi ferri ad determinatum tempus, quia solum ferri potest, ut recedatur a contumacia. In quo nullum est certum, ac præfixum tempus; nam, quocumque assignato, si prius tollatur contumacia, tollenda erit cessatio. Semper ergo fertur sub illa conditione tacita, vel expressa, *donec fiat satisfactio;* ergo vel dicendum est semper cessare per se facta satisfactione, et consequenter nunquam esse necessariam relaxationem, nisi forte quando judex ob aliam causam rationabilem voluerit eam tollere, etiam durante contumacia; vel dicendum est, nunquam per se cessare, donec a judice revocetur, quia non est major ratio de una, quam de alia. Primum autem horum non est probabile; repugnat enim communi usui Ecclesiæ: secundum ergo dicendum est. Et hoc censeo verum, sicut de propriis censuris dixi, est enim hic eadem ratio. Unde hæc sententia licet feratur in eum finem, non tamen est prohibitio conditionalis, sed absoluta, quæ tollenda est a judice, quando necessitas illius cessaverit. An vero in aliquo casu speciali jus ipsum tollat cessationem, circa finem præcedentis sectionis dictum est.

3. *An cessatio suspendi queat per appellationem. — Panormitan. refutatur. — Conclusio.* — Quæri vero potest, an cessatio interdum suspendi possit. Quod potest intelligi, vel per appellationem, vel per voluntatem judicis. Prius punctum attigit Panormitanus, in d. c. Dilectis, et negat posse suspendi per appellationem, licet interdictum possit. Et rationem differentiæ reddit, quia cessatio est quid facti, interdictum autem quid juris. Sed aut loquitur de appellatione subsequente sententiam, vel antecedente. De priori falsum est dicere, suspendere interdictum, ut constat ex c. Is cui, de Sent. excom. Magisque posset dubitari, an suspendat cessationem, quia non est censura; tamen idem vere de illa dicitur, quia secum affert executionem, in quo assimilatur censuræ. Si vero loquamur de appellatione antecedente, illa non proprie suspendit, sed impedit interdictum, ita ut si feratur, nullum sit ex defectu jurisdictionis, ut supra visum est. Idem autem videtur dicendum de cessatione, ex eodem principio,

quod appellatio illa etiam subtrahit jurisdictionem, ut sensit bene Covarr. supra.

4. *De suspensione ex voluntate ferentis.* — Suspensio autem ex voluntate ferentis cessationem, aut intelligi potest de tota cessatione per aliquod tempus; et sic non videtur habere dubium, quia est veluti absolutio ad reincidentiam. Aut esse potest suspensio ex parte quoad aliquos effectus, vel personas, non auferendo omnino necessitatem. Et sic res est magis dubia. Tamen probabilius videtur posse fieri, quia per se, et quasi ex natura rei nulla apparet repugnantia, et aliunde qui potest tollere totum, potest etiam tollere partem. Item, quia hæc solum est quædam prohibitio ejus, qui potest dispensare, vel respectu alicujus auferre, qui eam tulit, si causa rationabilis interveniat, et aliunde non impediatur. Hic autem nullum est impedimentum; deberet enim esse aliquo jure latum; nullum autem est jus Pontificium hoc prohibens ordinariis Prælatis. Præsertim quia cum cessatio sit potius quid facti quam juris, non est in jure cautum, quod nunquam coarctetur aut suspendatur. Dices, in c. Non est vobis, de Sponsalibus, expresse dici : *Nulla divina officia permittatis aliquatenus celebrare.* Respondetur primum, ibi non esse sermonem de omni cessatione, sed de quadam, quam in quodam speciali facto Summus Pontifex sua auctoritate poni mandabat, in qua merito potuit potestatem dispensandi, vel limitandi illam inferioribus auferre. Deinde, licet daremus id generaliter intelligi, dicendum esset explicari jus ordinarium cessationis generalis, non tamen ideo prohiberi Prælatis, quin ex justa causa possint effectum ejus suspendere, et limitare.

DISPUTATIO XL.

DE IRREGULARITATE IN GENERALI.

1. Quamvis irregularitas censura non sit, est tamen actus clavium, et similitudinem habet cum censuris, ideoque hic tractatus ad hujus operis consummationem necessarius est. Scripserunt autem de hac re Scholastici aliqua in 4, dist. 22 et 25. In jure etiam canonico nullus invenitur proprius titulus de irregularitate, quamvis in multis decretis pœna hæc propter varia delicta imponatur, in quibus locis materia hæc ab expositoribus tractatur, præsertim a Covar. in Clement. *Si furiosus*, et ab aliis in cap. Is qui, de Sent. excom., in 6; a Gratiano vero, et interpretibus attinguntur multa, dist. 26 et seq. Speciales vero tractatus de hac re scripserunt Maiolus, Paulus Burgasius, Villadiego, et Nicolaus Plovius, et hic refertur in tom. 14 Tractatuum, ubi etiam habetur alius D. Antonini, qui sumptus est ex 3 part., tit. 28. Omnes etiam Summistæ materiam tractarunt in verb. *Irregularitas,* et Navarr., c. 27, n. 190 et sequent., et Summa confessorum, lib. 2, tit. 1, a quæst. 21. Solus Cajetanus in sua Summa irregularitatem fere prætermisit, quia irregularitas, inquit, non culpa, sed pœna est, nec spectans ad confessores, quia pariter absolvuntur a peccato regulares, et irregulares. Sed quanquam irregularitas per se non impediat absolutionem, nihilominus ejus notitia necessaria est confessori, ut sciat vincula omnia seu impedimenta, quibus pœnitens potest esse affectus, et obligationes, quæ inde oriuntur. Sicut etiam suspensio per se non impedit, quin suspensus absolvi possit a peccatis, et nihilominus ejus notitia necessaria est confessoribus.

2. In hac ergo materia primo generalem doctrinam de irregularitate trademus, essentiam, causas, effectus, divisiones, et modum illam auferendi, explicando, quod in duabus primis disputationibus absolvemus ; in reliquis vero de singulis irregularitatibus dicemus. Nam, licet aliqui impossibile existimaverint, omnes irregularitates numerari possunt, quia necesse est illas in jure contineri, juxta cap. Is qui, de Sent. excom., in 6. Unde, sicut auctorum studio omnes excommunicationes juris numeratæ sunt, et expositæ, ita etiam eorumdem adjuti diligentia, conabimur omnes irregularitates explicare.

SECTIO I.

Quid sit irregularitas, et qua potestate introducta sit.

1. *Significatio vocis irregularitatis.* — Primo circa nominis etymologiam, constat irregularitatem a regula, seu regulare, dictam esse, addita præpositione, *in,* quæ vim habet significandi privationem; est enim irregulare quod intra regulam non continetur, ex quo sumpta est vox abstracta, irregularitas, ad significandum impedimentum, ratione cujus homo fit incapax illius gradus, vel actionis, quæ aliis communis est, atque ita extra generalem regulam constituitur. In qua significatione adeo generali impedimenta legalia,

quæ erant in lege veteri, dici solent communiter irregularitates legales; et in hac amplitudine censuræ omnes, multaque alia impedimenta possent dici irregularitates; tamen ex usu Ecclesiæ usurpata est hæc vox ad significandam specialem quamdam inhabilitatem, ratione cujus fidelis excluditur, ne ad clericatum assumatur, quod est extra regulam fieri. Ita exponunt hanc vocem communiter scribentes in hac materia. Quanquam Abul., Matth., quæst. 11, 6, dicat, hanc notam seu maculam vocari irregularitatem a causa, non ab effectu, scilicet, quia causatur per hoc quod agitur contra regulam Ecclesiasticæ disciplinæ. Sed hoc non est semper necessarium ad irregularitatem, ut videbimus. Aliter Nicolaus Plovius, num. 1, inquit, irregularitatem dici, quasi contra regulam Ecclesiæ natum, sive propter factum vel defectum extra Ecclesiam positum. Sed illud prius et violentum est et nimis restrictum; posterius vero cum communi interpretatione coincidit, dummodo extra Ecclesiam exponatur, id est, extra Ecclesiasticam regulam seu ordinem.

2. *Definitio irregularitatis.* — Supposita ergo vocis significatione, in explicanda re, quid scilicet sit irregularitas, varii sunt auctores, ut videre licet fere in omnibus allegatis, et Hostiens., in cap. 2 de Cleric. excom. ministr.; Alberto Trocio, de Vero et perfecto clerico, cap. 2, num. 2; Soto, 4, dist. 22, art. 1, et dist. 25, quæst. 1, art. 2; Ledesma, 2 part. 4, quæst. 26, art. 2; Viguerio, cap. 16, § 6, versic. 6; Archidiacono, in cap. 1 de Sent. et re judic., num. 5; Cardin., in Clem. 1 de Homicid., num. 16 et 17. Quorum omnium verba referre et inter se conferre, rejiciendo superflua in aliquibus, et in aliis addendo quæ desunt, prolixum esset et infructuosum. Et ideo breviter sic definienda videtur irregularitas : *Est inhabilitas seu impedimentum canonicum ex se directe ac primario impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, et consequenter etiam usum eorum.* Hæc definitio sumitur ex citatis auctoribus, nam in re hoc dicunt, licet variis verbis. Ponitur autem loco generis, *inhabilitas aut impedimentum,* quia et omnis irregularitas impedimentum est, et multa alia sunt impedimenta, quæ non sunt irregularitates, ut explicando cæteras particulas loco differentiæ positas declarabitur. Non est autem positum loco generis, quod sit pœna, quia non est hoc de ratione irregularitatis, neque omni irregularitati convenit; imo si aliqua id habet, est accidentarium ad essentiam ejus. Et eadem ratione non est positum, quod sit censura, quia omnis censura pœna est, et ideo si esse pœnam non est de ratione irregularitatis, multo minus esse poterit, ut sit censura ; imo cum aliqua irregularitas possit esse pœna, nulla tamen est proprie censura, ut ex dicendis amplius constabit.

3. *Incapacitas ad Ordines orta ex jure divino non est irregularitas. — Peccatum non est irregularitas.* — Addimus vero hoc impedimentum debere esse canonicum seu Ecclesiasticum; quoniam ut sect. 4, late dicturi sumus, irregularitas jure humano introducta est; certum est autem non potuisse introduci jure civili, aut temporali potestate, quæ de spiritualibus rebus, ut sunt Ordines Ecclesiastici, et clericorum status, nihil per se disponere potest; est ergo jure canonico introductum. Per hoc autem excluditur in primis omnis incapacitas ad Ordines suscipiendos, quæ ex divino jure orta est. Omnis enim homo non baptizatus est inhabilis ad Ordines, nam incapacitas est inhabilitas; illa vero irregularitas non est; quia illud non est impedimentum canonicum, sed divinum. Similiter fœmina est inhabilis ad Ordines, et tamen irregularis proprie non est, ob eamdem causam. Quam ita etiam explicare possumus, nam hæ inhabilitates sunt veluti negationes quædam et impotentiæ; irregularitas autem esse debet per modum privationis, ita ut in subjecto supponat capacitatem, et illud privet morali modo exercitio seu usu talis capacitatis. Nec vero omne impedimentum, quod capacitatem supponit, vera irregularitas est; nam peccatum mortale impedit suo modo susceptionem Ordinum, saltem sacrorum, quia non potest, qui illud habet, illos digne et sine novo peccato suscipere, ut sumitur ex cap. ult. de Temp. ord.; et D. Thom. in 4, dist. 24, quæst. 1, art. 3, de omnibus Ordinibus id affirmat, et merito, supponendo quemlibet illorum esse verum sacramentum; et tamen peccatum mortale non est irregularitas, nam irregularitas per se non est culpa, quamvis posset esse culpæ effectus, et peccatum non habet ex aliqua Ecclesiastica lege, quod tale impedimentum sit, sed natura sua, et ideo per illam particulam optime rejicitur a definitione. Quapropter necessarium non est addere, irregularitatem esse tale impedimentum, ut etiam post pœnitentiam impediat, ut per hoc significetur, peccatum, quod per pœnitentiam aufertur, non esse irregu-

laritatem. Licet enim hoc verum sit, ut disputatione sequente, sect. 1, dicemus, tamen in definitione hac non est necessarium, quia peccatum sufficienter excluditur per dictam particulam, et in definitione non sunt omnia inculcanda.

4. *Impedimentum natura sua impediens Ordines non est irregularitas. — Indecentia quam jus supponit, licet reddat ordinationem peccaminosam, non est irregularitas.* — Denique per illam particulam excluduntur quæcumque alia impedimenta, quæ absque ulla institutione humana natura sua impediunt susceptionem Ordinum, vel usum eorum, ut, v. gr., si homo careat membris necessariis ad ministerium Ordinis, vel aliquid simile. Oportet autem advertere hoc impedimentum aliquando tale esse, ut omnino impediat Ordines, ita ut valide recipi non possint, de quo jam generatim dictum est. In particulari autem tractare de his impedimentis, quæ irritant susceptionem Ordinum, non est hujus loci; nam quædam sunt certa, ut sunt supra posita, scilicet defectus baptismi, aut sexus fœmineus, item defectus intentionis seu voluntatis, qualis est in homine invito, vel in adulto dormiente, qui nunquam de Ordinibus deliberavit. Alia vero sunt dubia, ut de perpetuo amente, aut trunco manibus, vel quocumque alio, qui habeat impotentiam perpetuam ad usum Ordinum, de quibus omnibus, nobis dicere satis nunc est, si sunt impedimenta irritantia Ordines, vel natura sua, vel divino jure, non esse irregularitates. Aliqua vero sunt impedimenta, quæ licet non reddant hominem omnino incapacem, reddunt tamen aliquo modo ineptum, ut decenter et digne ordinari possit, quæ indecentia in rebus ipsis existit; non enim introducitur ab humano jure, sed potius ab Ecclesia considerata est ad tale jus introducendum, quia non sine causa, et fundamento in re ipsa illud introducit, argumento Regulæ, *Sine culpa,* de Reg. jur., in 6, cap. 2 de Constitut., cap. Quæsivit, de His quæ fiunt a major. part. Cap., l. Quisquis, § 1, C. Ad leg. Jul. Majest., l. Sancimus, C. de Pœnis, et dicemus late sectione sequente. Hæc vero indecentia, quæ ante jus positivum supponitur, interdum potest esse tanta, ut ex se reddat ordinationem peccaminosam, vel ex parte suscipientis, vel ex parte dantis, ut est ignorantia, etc., et hæc etiam sub hac ratione non est irregularitas, quia est plusquam canonicum impedimentum, et quasi incapacitas quædam, et idem est de similibus. Alia vero est indecentia, quæ ex se sola non est sufficiens, ut reddat susceptionem Ordinum illicitam intrinsece, ut est, v. gr., defectus natalium; adjuncto autem canonico jure, talis conditio impedit omnino susceptionem Ordinum. In hoc ergo sensu dicitur irregularitas esse impedimentum canonicum.

5. *Irregularitas non est censura. — Speculator rejicitur.* — Additur vero in definitione, *directe impediens,* etc., quia, ut diximus agentes de censuris, hæc impedimenta canonica sunt veluti privationes quædam, quæ non nisi per ordinem ad positiva explicari, et inter se distingui possunt. Et quia sunt etiam Ecclesiasticæ prohibitiones, et morales impotentiæ, ideo per ordinem ad actus seu effectus declarantur. Irregularitas ergo est juridica quædam ineptitudo ad recipiendos Ordines, et ideo dicitur directe impedire Ordinum susceptionem. Unde intelligi potest illa particula, *directe,* posita ad distinguendam irregularitatem a censuris; nam illæ etiam sunt impedimenta canonica respectu aliquarum rerum vel actionum Ecclesiasticarum; tamen directe non impediunt susceptionem Ordinum, sed excommunicatio privat communicatione fidelium, interdictum auditione divinorum, suspensio muneribus sacris, et ideo nulla illarum irregularitas est. In quo graviter erravit Speculator, qui, ut Navarrus refert, dixit, omnem illum, qui censura ligatus est, esse irregularem; nam, licet hoc dici possit, latissime illa voce utendo ad significandum omnem exclusum a quolibet generali canone vel regula, non tamen in proprietate juris canonici, in quo neque irregularitas censura est, ut supra est dictum, neque etiam censuræ sunt irregularitates, ut ex eodem principio sequitur, et ex dicendis magis constabit.

6. *Dubium. — Sylvestri responsio. — Rejicitur.* — Superest vero difficultas, quia aliquæ censuræ privant directe susceptione Ordinum, et usu illorum. Propter hoc Navarr. addendum putavit in definitione, *quatenus Ordines sunt,* ut per hanc particulam excludantur censuræ. Quod quidem respectu excommunicationis optime satisfacit; nam excommunicatio major privat quidem directe et vi sua receptione et usu Ordinum, non tamen formaliter ut tales sunt, sed quatenus sunt communicationes quædam cum aliis fidelibus, nec sine communicatione fieri possunt. Excommunicatio item minor directe non pri-

vat usu Ordinis, nisi quatenus habet adjunctam receptionem alicujus sacramenti, ut in proprio loco diximus. Quamvis autem privet susceptione sacramentorum, et consequenter Ordinum, non tamen quatenus Ordines sunt, sed vel quatenus sunt communicationes, ut dictum est, vel etiam quatenus sunt sacramentum, ut sic, et consequenter tantum ac secundario quatenus sunt Ordines, quo titulo posset etiam per illam particulam (si addatur) excludi peccatum mortale. Non videtur autem illa particula sufficiens ad suspensionem ab officio excludendam, quia non videtur posse negari, quin directe privet usu Ordinum. Respondet Navarr. privare quidem usu Ordinum, non tamen quatenus Ordines sunt, sed quatenus sunt officia Ecclesiastica. Sed licet hoc apparenter dici possit de suspensione, quæ adæquate suspendit ab officio, non tamen de suspensione, quæ specialiter est ab Ordine, quia usus Ordinis essentialiter est Ecclesiasticum officium, et tale officium; hæc vero suspensio, ab hoc officio Ecclesiastico, ut tale est, suspendit, ideoque non suspendit ab alio, et ideo non videtur posse privare magis directe Ordinum ministerio. Unde hoc fortasse argumento coacti, Sylvester, et nonnulli alii Summistæ dixerunt, irregularitatem differre a suspensione tanquam includens, et inclusum, quia irregularitas includit suspensionem quatenus privat usu Ordinum, et aliquid addit, scilicet, carentiam Ordinis, quo non privat suspensio. Sed hi auctores et supponunt falsum; supra enim ostensum est suspensionem etiam impedire novi Ordinis susceptionem; et non declarant rei essentiam et definitionem. Nam si intelligant irregularitatem formaliter includere suspensionem, falsum docent, quia hæc sunt impedimenta canonica in jure formaliter diversa. Si vero solum intelligunt materialiter irregularitatem aliquid efficere, quod facit etiam suspensio, verum dicunt, sed non declarant, quo diverso modo illud efficiat, nec quomodo hæc differentia in definitione contineatur, quod necessarium est.

7. *Aliorum responsio.* — Propter hæc ergo alii censent necessarium esse in definitione addere particulam, *perpetuum ex se*, ut per illam distinguatur irregularitas ab omni censura. Nam per effectus nude seu materialiter sumptos non potest satis, et in universum distingui, ut videtur probare discursus factus; ergo oportet, ut veluti genere potius quam specie ab eis distinguatur. Sic enim suspensio per genus suum ab irregularitate distinguitur, quia nimirum censura est, irregularitas autem non est censura; ergo et e converso irregularitas distinguetur a censura per genus suum proprium seu proximum. Nam impedimentum canonicum est quasi remotum et universale genus, quod immediate distingui potest in censuram, et illud impedimentum, quod censura non sit; est autem de ratione censuræ, ut sit impedimentum de se non perpetuum, quia est medicinalis, et consequenter auferenda, si homo recipiscat, ut in superioribus visum est; optime ergo impedimentum de se perpetuum immediate condistinguetur a censura (sive divisio sit adæquata, sive non), et sub hoc proximo genere continebitur immediate irregularitas, et per illud distinguetur a suspensione, si illa particula in definitione addatur. Et consequenter, licet conveniat cum suspensione in dicto effectu, differt tamen in modo, quia efficit illum ut perpetuum.

8. *Refellitur.* — Nihilominus hæc particula a nobis prætermissa est, tum quia Doctores communiter illam non addunt, et definitiones sumendæ sunt, quoad fieri possit, ex communi sensu sapientum, et præsertim in his rebus moralibus, quæ ex jure pendent, in quibus periculosum est definitionem statuere, ut dicitur in l. Omnis definitio, ff. de Reg. jur. Tum etiam quia ex illa particula possunt oriri aliæ difficultates, vel ambiguitates, ut an defectus ætatis sit irregularitas, cum non sit perpetuus, et an infirmitas non perpetua possit inducere irregularitatem, et similia, quæ non sunt in definitione inculcanda. Tum præterea quia illa particula necessaria non est ad prædictam difficultatem solvendam, ut ostendam. Tum denique quia per illam non omnino satisfit difficultati positæ, quia potest dari suspensio perpetua, quæ per illam particulam non excluditur. Idemque argumentum est de depositione verbali a jure lata, quia est impedimentum canonicum, et perpetuum usum Ordinum auferens. Dico autem, a jure lata, quia illa quæ fertur ab homine, per hoc satis distinguitur ab irregularitate, quæ ut infra dicam, non fertur ab homine. Unde cum dicitur esse impedimentum canonicum, potest cum hoc rigore intelligi, id est, jure canonico ipso facto impositum. Hoc autem commune est depositioni ab eodem jure eodem modo imposita.

9. *Aliquorum evasio.* — *Eluditur.* — Respondent vero aliqui, concedendo suspensio-

nem perpetuam et depositionem verbalem absolutam non distingui ab irregularitate, et ita in jure sæpe ferri irregularitatem, per verbum depositionis, seu *deponatur;* sed de comparatione depositionis cum suspensione perpetua satis in superioribus diximus. Quod vero ad irregularitatem attinet, difficilis est illa responsio. Primo quia in jure (juxta communem interpretationem) hæ pœnæ, sicut diversa habent nomina, ita distinctæ censentur, et variis delictis vel causis accommodantur. Ut enim dicitur in l. Si idem, C. de Codicillis : *Si idem codicilli, quod instrumenta possent, cur his instrumentis diversum vocabulum mandatur?* ita nos in præsenti argumentari possumus. Secundo, quia sola diversitas, quod imponatur a jure vel ab homine, non variat rationem pœnæ, aut Ecclesiastici impedimenti, ut exemplis constat, in excommunicatione majori a jure, vel ab homine lata, et similibus. Ratione item patet, quia homo vel jus sunt causæ extrinsecæ efficientes, quæ non variant per se effectus, si in aliis omnibus conveniunt. Præsertim quia homo seu judex est quædam animata lex, quæ eamdem suspensionem, vel depositionem imponit, quam lex ipsa solet imponere; si ergo illamet pœna a jure posita est irregularitas, cur non etiam ab homine imposita? Tertio, quia in multis aliis differunt. Nam omnis suspensio et depositio semper est pœna, et sub hac ratione tantum imponitur; irregularitas autem sæpe non est pœna, ut omnes fatentur, et nunquam est tantum pœna; imo neque unquam fortasse sub ea ratione primario imponitur, sed tantum accessorie minus principaliter, ut infra ostendemus. Deinde omnis suspensio etiam perpetua, est propria clericorum, ut supra ostensum est; irregularitas autem de se complectitur laicos; imo accidentarium illi est, quod persona, cui advenit, Ordines habeat. Præterea inter suspensionem perpetuam a jure, et irregularitatem, est alia differentia manifesta, quod irregularis celebrans non contrahit aliam irregularitatem, ut infra dicam; suspensus autem celebrando efficitur irregularis, ut supra dictum est. Unde Sixtus V, in Motu proprio contra male promotos, cum in eos perpetuam suspensionem tulisset, subjungit, eos sic celebrantes fieri irregulares; in quo non inducit novum jus, sed supponit antiquum, ut ex verborum tenore satis constat. Quin etiam Pius II similem suspensionem tulerat in quosdam male promotos, et qui illam contrahebant, et ita ministrabant ex officio, fiebant irregulares, ut ibidem dicitur, et tradit Navarr. in Summa, cap. 25, n. 70, et Villadiego, tract. de Irregularitate. Hæc ergo omnia satis indicant esse aliquam differentiam moralem inter hæc duo, etiamsi præcise considerentur ut ipso jure lata; ergo, si definitio posita cum particula *perpetuum,* adhuc communis est suspensioni perpetuæ, et depositioni jure latis, conveniens non est nec sufficiens.

10. *Vera dubii resolutio.* — Respondeo igitur, irregularitatem sufficienter distingui a suspensione seu depositione per illam particulam, *directe ac primario impediens acceptionem Ordinum.* Quod ut declarem, adverto, suspensionem (in tota ejus latitudine acceptam) in hoc per se differre ab irregularitate, quod suspensio solum respicit actus, eorumque usus prohibet; irregularitas vero quantum est ex se, ipsam capacitatem Ordinum aufert, et constituit hominem extra ordinem eorum, qui ad clericatum assumi possunt. Ita enim (ut hoc obiter dicamus) accipienda est illa particula, *Ordinum Ecclesiasticorum,* ut includit non solum sacramentales Ordines, sed etiam primam tonsuram, quam nunquam impedire potest suspensio, quia cum suspensio solis clericis possit imponi, necessario supponit primam tonsuram; irregularitas vero illam impedit, atque adeo totum clericalem statum; sic ergo per illam particulam excluditur omnis suspensio. Circa depositionem vero stricte sumptam, seu degradationem, advertendum est in moralibus longe aliud esse non admittere personam ad aliquem gradum, et ejicere illum a tali gradu postquam admissus est, quod moraliter contumeliosius est, majoremque pœnam indicat, juxta commune proverbium, *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes,* quod etiam allegavit Pontifex in cap. Quemadmodum, de Jurejurando. Unde, sicut Theologi dicunt, hominem lapsum differre ab homine in puris naturalibus sicut nudatum a nudo, ideoque carentiam originalis justitiæ habere in homine lapso majorem rationem privationis et mali, ita concipiendam censeo, servata proportione, differentiam inter irregularitatem, et depositionem quamcumque; nam irregularitas impedit acceptionem Ordinum; depositio vero privat (eo modo quo jure humano fieri potest) Ordinibus jam acceptis, ita ut non usum tantum suspendat, sed ipsam etiam potentiam quodammodo tollere videatur, ut supra in propria disputa-

tione declaratum est. Recte ergo per illam particulam excluditur etiam ab hac definitione depositio, quia non privat acceptione Ordinum, sed privat, quantum potest, Ordinibus acceptis, quod formaliter ac moraliter diversum est.

11. *Alia difficultas. — Enodatur.* — Sed tunc oritur alia difficultas, nam hoc modo explicata definitio non convenit omni irregularitati, ut patet de illa, quam sacerdos, v. gr., incurrit, nam illa non impedit acceptionem Ordinum, quia jam ille homo non est capax Ordinum, a quorum acceptione impediatur; ergo illi irregularitati non convenit hæc definitio. Propter hoc communiter poni solet sub disjunctione in hac definitione, *impediens acceptionem Ordinum, vel usum acceptorum,* ut possit definitio dictæ irregularitati convenire ratione posterioris membri. Sed difficile tunc est explicare, quomodo eadem definitio ratione ejusdem membri non conveniat suspensioni perpetuæ a jure latæ. Ut omittam differentiam per disjunctionem datam, non recte explicare unam communem rationem irregularitatis, sed plures species ejus, quia illa duo membra per se sumpta formaliter diversa sunt, et pœnas seu impedimenta canonica formaliter diversa constituere possunt. Propter hanc ergo causam illam disjunctionem omisi, et addidi in definitione illam particulam, *de se,* nam omnis irregularitas vi sua, et quantum in se est, impedit directe et primario acceptionem Ordinum; quod autem in aliqua persona cum effectu non impediat, quia ipsa jam est incapax acceptione Ordinum, est per accidens, et non variat rationem et naturam irregularitatis. Potestque hic juvare regula dialecticorum, *Verba in definitionibus non dicere actum, sed aptitudinem,* juxta quam posset in eodem sensu explicari communis definitio, etiam non addita illa particula, *de se;* tamen ad majorem explicationem non nocet. Rursus vero addidi illas duas particulas, *primario,* et *consequenter,* ut significarem non æque primo respicere utrumque effectum, quod etiam recte probatur difficultate et objectionibus factis. Proprium ergo quasi objectum irregularitatis, seu habitus, quo privat, est acceptio Ordinis, seu Ordo ut accipiendus; et hoc est quod primario facit, si subjectum est capax; consequenter vero impedit usum Ordinum, quia qui prohibetur Ordines accipere, multo magis prohibetur eis uti. Unde, quando supervenit post Ordinem jam acceptum, quia acceptionem impedire non potest, impedit usum Ordinis accepti, non quidem, quia ad hoc per se primo instituta sit, sicut suspensio, sed quia consequenter saltem habet hanc vim, quia exequitur ubi potest, etiam si circa primarium effectum quodammodo impediatur. Sicut in matrimonio, affinitas, in primo et secundo gradu per fornicationem contracta, formaliter ac per se est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum, et consequenter impediens usum ejus; si autem superveniat post matrimonium contractum, quia illud dirimere non potest, impedit usum ejus. Nec vero diligens hæc inquisitio, et distinctio inter irregularitatem et suspensionem frustra est, aut tantum speculativa; sed multum ad mores refert, an ille effectus sit ab irregularitate vel a suspensione, tum ad intelligendum a quo possit tale impedimentum tolli, tum etiam ad alios effectus morales, vel censuras, quæ inde possint sequi, vel non sequi, exercendo Ordines cum tali impedimento.

12. Per hæc ergo satis est explicata essentia irregularitatis. Solum superest advertendum, cum dicimus, irregularitatem impedire acceptionem Ordinum, id posse intelligi aut distributive, id est, omnium Ordinum, aut indefinite seu abstracte, scilicet, Ordinum, sive omnium, sive plurium, sive unius tantum. Et quamvis possit priori modo accipi, definiendo irregularitatem, quæ per antonomasiam simpliciter talis est, tamen ut servata proportione omnis irregularitas comprehendatur, posteriori modo intelligi potest; explicabitur autem melius in sect. 2 et 3. Tunc autem necesse est posteriorem particulam cum proportione accipere; nam si irregularitas privat susceptione omnium Ordinum, privat etiam omnium usu; si vero solum privat acceptione unius Ordinis, etiam privabit usu ejus, non vero aliorum, si accepti jam sint. Atque hoc modo intellecta definitio nullam (ut opinor) pati potest exceptionem aut difficultatem.

SECTIO II.

Quos effectus habeat irregularitas.

1. *Primarius effectus irregularitatis quis. — Prima assertio. — Ordo susceptus ab irregulari tenet. — Respondetur objectioni. — Replicatio enodatur.* — Ex hac quæstione pendet intelligentia fere omnium, quæ de definitione diximus. Nam cum detur per

habitudinem ad hos effectus, sine illis non potest exacte intelligi. Primarius ergo effectus irregularitatis est impedire acceptionem Ordinum. Ita enim explicant verba canonum, quibus irregularitas fertur aut declaratur, qualia, *Non aspiret ad Ordines*, cap. Curandum, dist. 34, seu, *Ad ministerium Ecclesiasticum admitti non potest*, cap. Si cujus uxorem, dist. 34. Quærendum statim occurrit, quale et quantum sit hoc impedimentum. Respondeo, non esse tale, ut irritet Ordinem susceptum; nam si quis irregularis ordinetur, dummodo cætera necessaria concurrant, vere ordinatus manet. Quod docent omnes, estque per se satis constans ex dictis de censuris; nam Ecclesia non potest impedire valorem sacramenti, si ad illud adhibentur omnia, quæ Christus instituit; hic autem per irregularitatem nihil tollitur necessarium ad valorem sacramenti, quia neque ab ordinante tollitur potestas, neque a suscipiente capacitas; et alioqui possunt materia et forma applicari. Dices : poterit Ecclesia inhabilitare personam ad Ordinem, sicut inhabilitat ad matrimonium; idem ergo videtur facere per irregularitatem. Respondeo, non posse inhabilitare personam, neque quoad hoc esse eamdem rationem, quæ est in matrimonio, nam in matrimonio supponitur ratio contractus, qui naturalis est, et effective fieri debet per voluntates humanas, quarum efficacitatem impedire potest superior potestas, ne validum et ratum contractum facere possint; et hoc modo potest consequenter inhabilitare personas ad tale sacramentum. Ordo vero, licet requirat intentionem in suscipiente adulto, non tamen ab ipso fit, neque supponit contractum aliquem naturalem, sed est ex sola institutione divina, ideoque non potest Ecclesia inhabilem reddere personam ad hoc sacramentum, quam Christus inhabilem non fecit. Irregularitas ergo non est impedimentum inhabilitans aut irritans, sed prohibens. Dices : saltem prima tonsura, cum sit ex institutione Ecclesiæ, ex ejusdem auctoritate poterit esse irrita ab irregulari suscepta. Respondeo, concedendo id fieri potuisse ab Ecclesia. Non constat autem id factum esse, quia Ecclesia non aliter prohibuit irregulari susceptionem primæ tonsuræ, quam subsequentium Ordinum; unde, sicut alius Ordo susceptus ab irregulari non iteratur, ita nec prima tonsura.

2. *Irregularis suscipiens Ordines graviter peccat.* — *Assertio secunda.* — Secundo dicendum est, graviter peccare irregularem suscipiendo quemcumque Ordinem, a cujus susceptione per irregularitatem removetur. Probatur, quia agit contra Ecclesiæ præceptum in re sacra et valde gravi. Quapropter peccatum hoc non solum mortale est in susceptione sacri Ordinis, sed etiam cujuslibet minoris, quia omnes sunt res valde sacræ et verum sacramentum; et ideo cujuslibet Ordinis susceptio est sufficiens materia peccati mortalis in persona irregulari. Nam in excommunicato etiam sola minori excommunicatione, esset sufficiens materia peccati mortalis, quia est separatus a susceptione omnium sacramentorum; ergo a fortiori idem erit in irregulari, cujus prohibitio gravior est et formalior, ut ita dicam. Imo addo ulterius, solius primæ tonsuræ susceptionem esse peccatum mortale in persona irregulari; nam licet illa non sit sacramentum, nihilominus est res valde gravis, quatenus est prima dispositio ad Ordines, quæ jam constituit hominem in statu clericali, a quo per irregularitatem separatus est, et reddit illum capacem jurisdictionis Ecclesiasticæ et beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ omnia sunt magni momenti. Unde Episcopus simpliciter suspensus a collatione omnium Ordinum mortaliter peccat dando primam tonsuram ; ergo et irregularis illam recipiens. Hæc autem intelligenda sunt per se, nam ex accidenti potest homo excusari ab hac culpa, circa quod videnda sunt, quæ de Censuris in communi diximus, et ad irregularitatem applicanda ; nam eadem ratione et proportione in ea locum habent.

3. *An propter hoc peccatum incurratur aliqua pœna ipso jure.* — Superest vero difficultas, an propter hoc peccatum aliqua pœna ipso jure incurratur, vel irregularitas. Videtur enim incurri, nam excommunicatus, vel suspensus, ministrans sacramentum ex officio, fit irregularis; ergo multo magis irregularis suscipiens Ordines fiet irregularis, quia non est minor prohibitio hominis irregularis quam suspensi. Neque enim impediet prior irregularitas secundam, quia excommunicatus potest novam excommunicationem contrahere, et irregularis uno titulo, v. gr., quia illegitimus, potest novam homicidii, vel bigamiæ irregularitatem contrahere; ergo similiter in præsenti potest propter novam ordinationem novam irregularitatem incurrere. Nihilominus dicendum est non incurri, non quia imponi non potuerit, quod solum probat ratio facta, sed quia nullo jure lata

legitur, et irregularitas non est, nisi sit in jure expressa, cap. Is cui, de Sent. excomm. An vero suspensio propter hoc crimen incurratur præter intrinsecum impedimentum, quod ipsamet irregularitas secum affert, etiam in Ordine jam suscepto, supra tractatum est.

4. *Peccare graviter irregularem, in Ordine ex officio ministrantem.* — *Assertio tertia.* — Tertio cum eadem proportione dicendum est peccare graviter irregularem ministrando in Ordine ex officio. Est communis sententia cum Innocentio, cap. Si celebrat, de Cleric. excomm. minist., num. 3; Cardinal., Clem. unica de Homicidio; Sylvest., *Ordo,* 3, q. 2, et verb. *Irregularitas;* Navarr., cap. 27, num. 194; Covarruv., 1 part., § 1, num. 3; Villadiego, c. 3, num. 14; Burgos., in princ. Sumiturque ex cap. ultim. de Temp. ordin., et cap. Inquisitionis, 1, de Accusat. Ratio etiam est clara ex definitione irregularitatis; prohibet enim usum Ordinis, licet secundario, quæ prohibitio gravis est, et in materia gravi; ergo ex genere suo peccatum grave est illam violare. Intelligitur autem hoc cum proportione; nam si irregularitas sit absoluta seu totalis, prohibitio extenditur ad usum omnium Ordinum; si vero tantum sit ex parte, prohibebit tantum illum actum, cui ponit impedimentum, ut explicabitur sectione sequenti.

5. *Sylvestri dictum expenditur.* — Addit etiam Sylvester, ad hoc nihil referre, quod irregularitas præcesserit, vel sequatur ordinationem; quod verum est formaliter loquendo. Et secundum quidem per se patet. Primum vero sumitur ex cap. Nisi cum pridem, § Personæ, de Renunciat., ibi : *Cum eo poterit non minus utiliter, quam laudabiliter dispensari.* Quæ verba supponunt dispensationem esse necessariam ad ministrandum in Ordine sic suscepto. Ratio etiam est clara, quia ordinatio indebita non abstulit vim præexistenti irregularitati. Nec obstat, quod in eodem textu dicitur, illum irregularem ante dispensationem *laudabiliter et regulariter ministrasse;* nam vel referenda sunt ad alia ministeria Episcopalia, quæ non includunt actum Ordinis; unde Glossa exponit, id est, utiliter; vel intelligitur in foro hominum, non Dei, quia, ut ibi dicitur, culpa, et causa latebat, et in reliquis optime se gerebat in munere suo. Unde etiam poterat intervenire excusatio culpæ coram Deo, ratione scandali aut infamiæ gravis vitandæ. Nam quoad hanc et similes excusationes, eadem ratio est de irregularitate, quæ de censuris. Dixi autem *formaliter loquendo,* quia interdum idem defectus, si antecedat ordinationem, inducit irregularitatem simpliciter; si vero superveniat, tantum secundum quid, ut dicam sectione sequenti, quod aliunde provenit, et ad rem præsentem materiale est.

6. *Irregularis ministrans quam pœnam incurrat.* — Sed quid de pœna ipso jure imposita propter hanc culpam? Respondeo nullam censuram inveniri propter hoc latam, ut constat ex supra tractatis de censuris, et ita auctores hoc potius supponunt quam disputant. Disputant autem de irregularitate. Idem tamen dicendum est, ex sententia omnium, quia nullibi etiam invenitur in jure expressa, quia jura solum loquuntur de ministrante ligato censura, quæ non possunt extendi ad irregularitatem, nisi cum illa aliqua censura, vel propria suspensio conjuncta sit. Cur autem jura non ita puniant hoc delictum, sicut violationem censuræ per simile ministerium, in eis non declaratur. Fortasse judicarunt satis esse talem clericum contemnentem censuram illo modo, dignum esse, ut per irregularitatem a clero exterminetur; qui jam vero irregularis est, satis exclusus a jure reputatur; et ideo si adhuc se immisceat, coactio judicis potius quam nova pœna juris postulatur.

7. *Corollarium ultimum.* — Addimus ultimo in hoc puncto, hæc procedere in omni irregularitate, sive contracta sit propter delictum, sive non, ut aperte sentit Navarrus. Unde obiter licet colligere, quam sit falsa sententia, quæ affirmat, irregularitatem, quæ est pœna delicti, esse propriam censuram, quia alias celebrans cum tali irregularitate novam irregularitatem contraheret, et quoties celebraret, novas multiplicaret irregularitates; quod absurdum est, et contra omnium sententiam, et contra stilum obtinendi dispensationem a tali irregularitate. Solum enim dispensari solet in ipsa irregularitate primo contracta, et per hoc censetur persona manere sufficienter expedita, sive cum priori irregularitate celebraverit, sive non, quod tamen non ita esset, si per celebrationem nova irregularitas contraheretur. Supra enim diximus, eum, qui pluribus excommunicationibus propter plures actus ligatus est, non liberari simpliciter a vinculo excommunicationis, explicando unam, et causam ejus,

ejusque absolutionem obtinendo, quia potest una excommunicatio sine alia tolli, atque ita tunc fit. Sic igitur servata proportione in irregularitate contingit, ut latius infra in propriis locis dicemus.

Irregularitatem non prohibere quemcumque actum sacrum. Assertio quarta.

8. Quarto dicendum est : per irregularitatem non prohibetur actus, quantumvis sacer, qui per laicum exerceri potest, et prout ab eo fieri potest. Hæc assertio colligitur ex eisdem auctoribus; omnes enim cum irregularitatem definiunt, solum dicunt per illam prohiberi actus Ordinum; actus autem, qui a laicis fieri possunt, non sunt actus Ordinum, ut per se constat; ergo illi non prohibentur ex vi irregularitatis. Præterea ex definitione nostra id evidentius sequitur; nam irregularitas per se primo privat ipsis Ordinibus ut accipiendis, actibus vero solum consequenter; ergo solum prohibet actus sacros, quatenus ab Ordinibus oriri possunt et debent; ergo nullum actûm prohibet, qui per laicum exerceri possit. Denique nullum est jus, ex quo talis prohibitio colligi possit.

9. *Non esse prohibitum irregulari recipere sacramenta. — Corollarium primum.* — Atque hinc sequitur, non esse prohibitum homini irregulari recipere quæcumque sacramenta (Ordinem excipio, de quo jam dictum est), quæ illorum administrationem seu effectionem ex officio non requirat. Quod ideo addo, quia sacerdos irregularis separatus est a communione sub utraque specie, seu sacerdotali propria, non quia illi prohibita sit Eucharistiæ perceptio, sed quia non potest illo modo Eucharistiam recipere nisi offerendo et sacrificando, a quo ministerio remotus est. Unde sicut sacerdos ligatus excommunicatione minori, quæ non separat ab activa, sed a passiva tantum participatione sacramentorum, nihilominus peccat celebrando, ut dicitur in cap. Si celebrat, de Cleric. excom. minist., quia actio illa adjunctam habet sacramenti receptionem, ita e contrario irregularitas ex se solum separat ab activa administratione sacramenti, consequenter vero separat ab illa receptione, quæ necessario activum ministerium ex officio supponit. Quin potius censeo, non posse irregularem seipsum communicare, etiam ex præconsecratis ab alio sacerdote, quia illa dispensatio activa Eucharistiæ etiam est proprium ministerium sacerdotis ex officio, quod non potest usurpare irregularis respectu aliorum, neque respectu suiipsius, est enim eadem ratio. Quæ sunt intelligenda juxta declarationem positam assertione præcedenti, scilicet, servata proportione ad modum irregularitatis, et seclusa excusatione accidentaria, ut scandali, etc.

10. *An irregularis sacramentum pœnitentiæ recipere queat. — Vera sententia. — Destruitur fundamentum contrariæ sententiæ.* — Dubitarunt autem aliqui circa hanc assertionem de susceptione sacramenti pœnitentiæ, ut quidam putarint, non licere irregulari, ut refert Card. in Clem. *Dudum*, de Sepult., propter Extr. *Inter cunctas*, de Privil., § Observent, ubi significatur, neminem posse a peccato absolvere, cui est annexa irregularitas, nisi etiam possit irregularitatem tollere. *Nam inconveniens existimamus* (dicitur ibi) *ut a peccato absolvat, qui pœnitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis pœnam, peccati sequelam, removere non potest*, ex quo inferebant, etiam peccatorem irregularem non posse absolvi a peccato, nisi etiam irregularitas ab eo tollatur. Nihilominus certum est, posse aliquem absolvi a peccatis, irregularitate manente. Quæ est communis sententia in 4, dist. 25, et Canonistarum, in cap. ult. de Temporib. ordinat., ex quo textu id etiam colligit Innocent. in capit. Nisi cum pridem, § Personæ, de Renunc., num. 8, et ibidem Immola, num. 15 et 16. Idem supponit Cajet., verb. *Irregularitas*, ubi alii Summistæ, et Navarrus, dict. cap. 27, n. 191, citans Cardinalem in dict. Clem. *Dudum*, § Ac deinde, quæst. 8, de Sepult. Et ratio est, quia irregularitas non excludit a participatione passiva sacramentorum, quæ laicis sunt communia; hujusmodi autem est absolutio a peccatis. Unde obiter intelligitur, peccatum habens adjunctam irregularitatem non propterea esse reservatum illi soli, qui habet potestatem dispensandi in irregularitate, quia cum possit tolli manente irregularitate, absolutio illius non habet connexionem cum dispensatione irregularitatis; et ideo ex hoc titulo non sequitur reservatio, neque ex alio jure, quod illam constituat, nullum enim extat. Quapropter ad fundamentum contrariæ sententiæ negatur assumptum; nam sæpe potest absolvere a peccato, qui non potest tollere irregularitatem qua punitur, ut iidem auctores citati docent, et Covarr., in cap. Alma, 1 part., § 6, num. 6, ubi ad Extrav.

Inter cunctas, respondet, intelligendam esse de absolutione ab irregularitate, non a culpa. Sed difficile est expositionem textui accommodare, quia expresse illa duo distinguit, *peccati absolutionem et remotionem irregularitatis*, et inconveniens reputat unum concedi illi, cui alterum negatur. Videtur ergo ibi Pontifex noluisse concedere privilegium absolvendi ab hujusmodi peccatis habentibus annexam irregularitatem, his religiosis, de quibus ibi loquebatur. Verumtamen neque inde sequitur irregularitatem ex se impedire absolutionem a peccato, neque etiam in universum, neminem posse absolvere a peccato, qui non possit dispensare in irregularitate, sed ad summum id sequitur de religiosis Prædicatoribus, et Minoribus, et quoad illos est jam illa Extravagans revocata, de qua plura diximus supra, in materia de Pœnitentia, agendo de casibus reservatis.

11. *Corollarium secundum.* — Secundo sequitur ex dicta assertione, nullum sacrum ministerium etiam activum, quatenus per laicos exerceri potest, prohiberi clericis irregularibus; hujusmodi est baptismus sine solemnitate in necessitate datus, quod secus est de solemni, ut late Covarr., dict. Clem., part. 1, § 1, et cæteri omnes. Item actus omnes, qui cum solemnitate facti pertinent ad Ordines minores, sine illa vero fiunt a laicis, et similes, de quibus Nicol. Plov., num. 31, reg. 46, et supra, tractando de suspensione, sigillatim et fuse dictum est, nam quoad hoc est eadem ratio utriusque impedimenti. Conveniunt enim quoad hoc in materia prohibita, irregularitas, et suspensio ab Ordine, licet in modo differant. Atque in hoc ordine potest poni privata recitatio divini officii, nam hæc de se communis est laicis, imo etiam fœminis, ideoque irregularitas non tollit onus dicendi hoc officium, quia hæc impedimenta tollunt honores et commoda, non vero onera, ut supra de censuris diximus, cum Gloss., in capit. Presbyterum, 28 dist. Secus vero est de publico, et solemni cantu ejusdem officii, eo modo quo munus illud clericorum est proprium, ut in citato loco de suspensione declaravimus. Denique ob eamdem causam non prohibetur irregularis, quominus privatim ministret sacerdoti ad altare, quia hoc etiam non est ministerium Ordinis. Unde a fortiori prohibitus non est quominus rem sacram audire possit. Addo etiam, sine peccato posse præcipere et auctoritate sua efficere, ut alius sacerdos non irregularis sibi sacrum faciat, quia non est illud facere, neque est actus Ordinis, ut per se notum est, de quo infra in simili redibit sermo.

De actibus jurisdictionis. Assertio quinta.

12. *Potestatem jurisdictionis et usum ejus non tolli per irregularitatem.* — Quinto dicendum est, irregularitatem per se non privare hominem potestate jurisdictionis, neque impedire usum ejus. Hæc assertio communis est Jurisperitorum in cap. Tantæ, de Excess. Prælat., eamque notat Villadieg., cap. 3, num 17, et sequitur ex dictis. Quia potestas jurisdictionis non tantum temporalis (quam omittimus ut manifestam), sed etiam Ecclesiastica distincta est a potestate Ordinis; sed irregularitas ut sic solum excludit ab ordinatione; ergo per se et vi sua non tollit potestatem jurisdictionis. Majorem suppono ex dictis in materia de pœnitentia, de indulgentiis, de censuris. Minor probatur ex dictis de essentia irregularitatis, et quia omnia decreta, quæ de irregularitate loquuntur, Ordinis tantum mentionem faciunt, a quo irregularem excludunt, ut partim constat ex adductis in 1 et 2 conclusione, pluraque afferemus infra, explicando formam ferendi irregularitatem. Consequentia vero probatur, quia verba pœnalia restringenda sunt ad id tantum quod sonant. Atque huc conferre possunt omnia, quibus supra probavimus, ex vi suspensionis ab Ordine non auferri potestatem jurisdictionis, nam a paritate rationis in irregularitate procedunt, quæ in hoc convenit cum prædicta suspensione, quæ tantum separat ab Ordinum executione.

13. Oritur vero hic specialis difficultas, quia jurisdictio Ecclesiastica saltem ex Ecclesiæ institutione supponit aliquem Ordinem, vel clericalem statum; irregularitas vero illo privat quantum potest, et ideo videtur auferre jurisdictionem, quasi ablato fundamento ejus, nam eo ipso videtur hominem reddere incapacem jurisdictionis Ecclesiasticæ. In qua difficultate multa dubia insinuantur, quæ expedienda sunt. Primum est, an irregularitas subsequens tollat jurisdictionem prius habitam. Aliud est, an irregularitas antecedens impediat consequi denuo jurisdictionem Ecclesiasticam. Quæ duo de beneficiis etiam Ecclesiasticis tractari solent; et quia jurisdictio sæpius convenit titulo beneficii, ideo de beneficiis prius dicemus, et consequenter de omni alia jurisdictione.

An per irregularitatem ipso facto amittatur Ecclesiasticum beneficium.

14. Est ergo prima difficultas, utrum propter irregularitatem ipso facto amittatur Ecclesiasticum beneficium. Quod dubium supra de suspensione tractavimus, servata proportione, et retulimus auctores affirmantes, per suspensionem ab officio amitti Ecclesiastici beneficii fructus, quia beneficium datur propter officium, juxta cap. ult. de Rescriptis, in 6; ergo juxta illam sententiam cum proportione dicendum est amitti beneficia propter irregularitatem; nam sicut se habet suspensio a beneficio ad suspensionem ab officio, ita se habet privatio beneficii ad privationem officii seu Ordinis, qualis reputatur irregularitas. Imo quamvis id locum non habeat in suspensione, quæ ex se non est impedimentum perpetuum ad officium exequendum, id videtur dicendum de irregularitate, quæ perpetuum impedimentum est. Quomodo enim potest retinere beneficium, qui perpetuo factus est inhabilis ad officium? Unde propter hanc causam, qui deponitur, privatur beneficiis ipso facto, quia jam est perpetuo dejectus a clero. Sic autem se habet irregularis : ergo. Atque ita sentire videtur Villadiego, de Irregularitate, cap. 1, num. 22. Indicat etiam Covarr., in epitome 4 Decretalium, part. 2, cap. 6, § 8, num. 7, re tamen vera non dicit.

15. Dicendum itaque est, qui post legitimam collationem beneficii irregularitatem contrahit, non privari ipso jure beneficio, vel dignitate, quæcumque illa sit, ex vi ipsius irregularitatis. Hæc est communis sententia, Innocentii in cap. Cum nostris, de Concess. Præbendæ, ante finem Gloss. 1; Panormit. in cap. Tanta, de Excess. Prælat., num. 2, et in cap. Nisi cum pridem, de Renunc., num. 4; Felin., qui plures alios refert in cap. Inquisitionis, de Accusationib., num. 3, et sequentibus. Idem tenet Navarr., cap. 27, num. 251. Solet hæc sententia probari cap. 2 de Cler. non ordin. ministr., quod parum probat, quia vel ibi non est sermo de irregulari, sed de diacono, qui crimen commiserat celebrando sine Ordine sacerdotii, propter quod crimen nulla est in jure irregularitas lata; vel si admittamus ibi ferri aliquam irregularitatem, non tamen simpliciter, sed secundum quid, id est tantum respectu Ordinis sacerdotalis, cujus signum est, quia aperte ibi significatur, illum non mansisse suspensum a diaconatu, sed suspendi præcipitur biennio vel triennio. Unde mirum non est, quod quatenus talis clericus irregularis non mansit, fuerit capax beneficii, eo vel maxime quod ibi non videtur esse sermo de beneficio jam adepto, sed conferendo magis ex dispensatione quadam, quam ex lege communi, ut significant illa verba : *De beneficio autem misericorditer agatur cum eo, ne sustentatione privatus, ad seculi negotia revertatur; ut autem securius possis ei hanc misericordiam facere*, etc. Melius ergo probatur ex cap. Ex litteris, de Excessib. Prælat., ubi Episcopus, qui propter cooperationem aliquam ad homicidium irregularitatem contraxerat, monetur Episcopatui cedere; aut si recuset, illo privari præcipitur; ergo non amiserat Episcopatum propter irregularitatem; eadem autem ratio est de quacumque alia irregularitate, et de quocumque beneficio. Unde in cap. Fraternitati, de Cler. excomm. ministr., de his qui excommunicati celebraverant, et consequenter irregulares effecti fuerant, solum dicitur privandos esse Ecclesiasticis beneficiis, non vero esse ipso jure privatos. Et simile habetur in proximo sequenti cap., § Quæsivistis, de illo qui simili modo induci solet cap. Clericis, Ne clerici vel monachi, ubi, *Honore privetur, et loco;* nam verbum, *privetur,* sententiam expectat. Sed inspecto originali in Concilio Tolet. II, cap. 6, non ita urget ille textus, nam sic habet : *Concessi Ordinis honore privatus, et loco,* sub perpetuo, *damnationis teneatur relegationis ergastulo,* ubi participium, *privatus,* significare potest sententiam latam, maxime quia honor ille refertur ad Ordines, et ita privatio honoris est irregularitas ipsa, privatio autem loci erit privatio beneficii, et utraque sub eodem verbo ponitur, quod est indifferens ad sententiam latam, et ferendam, ut alias dixi; superiora tamen jura sufficiunt.

16. *Conclusionis ratio. — Objectioni occurritur.* — Ratio propria est, quia privatio propriorum bonorum nunquam ipso jure incurritur propter delictum, nisi id aliquo jure exprimatur, quia lex pœnalis semper intelligenda est quoad pœnam ferendam per sententiam, nisi in ipsa lege aliud exprimatur. Sed nulla est lex Ecclesiastica, quæ ipso jure privet beneficiis clericum irregularem, quorum legitimum titulum et dominium habebat : ergo. Minor probatur, quia nullus afferri potest textus, qui aliud probet. Nisi fortasse quis inducat cap. Inquisitionis, de Accusat.,

propter illa verba : *Si tale sit crimen, quod Ordinis executionem suscepti aut retentionem beneficii, post peractam pœnitentiam impediret.* Ponitur exemplum in homicidio et simonia. Verumtamen illa verba nihil ad rem præsentem faciunt, tum quia posterior pars illius disjunctivæ optime intelligi potest de retentione beneficii obtenti post tale crimen commissum, vel acquisito per illud, ut ibidem dicitur de beneficio per simoniam obtento; tum etiam quia ibi solum dicitur, tale crimen impedire retentionem beneficii, non vero privare illo ipso jure, quod valde diversum est, ut statim dicam. Igitur neque in illo textu, neque in alio talis pœna ipso jure lata invenitur ex vi irregularitatis. Ratio autem reddi potest, quia irregularitas sæpe contrahitur sine culpa, et ideo non debuit hæc privatio adjungi, quæ augeret pœnam, cum ad finem irregularitatis non sit necessaria, et alias pœna non sit imponenda sine culpa. Dices : posset saltem hæc privatio adjungi irregularitati ex delicto contractæ. Respondeo potuisse quidem, non tamen id factum esse a Pontificibus; cur autem id non fecerint, non oportet sollicite inquirere, cum hæ sint pœnæ natura sua distinctæ, et una non habeat cum alia necessariam connexionem, neque etiam necesse sit duas pœnas simul pro eodem delicto imponi. Unde sic potest confici ratio, quia irregularitas, in quantum irregularitas, non habet necessariam connexionem cum privatione beneficii ipso facto, ut sufficienter ostenditur in irregularitate, quæ non est pœna; neque etiam irregularitas in quantum pœna, vel talis pœna, secum habet conjunctam alteram pœnam, quia unum delictum sufficienter potest puniri una pœna; qua ratione supra dicebamus, suspensionem ab officio, non necessario secum afferre suspensionem a beneficio, quia sunt pœnæ diversæ et non connexæ : ergo.

17. *Aliquot exceptiones propositæ regulæ.* — Ex hac vero ratione colligunt aliqui exceptiones nonnullas. Interdum enim delictum est adeo grave, ut utraque pœna dignum sit, et tunc interveniente legis auctoritate irregularitas ex tali delicto contracta adjunctam habet beneficii privationem. Primo in peccato hæresis, ut multi putant ex cap. Cum secundum leges, de Hæreticis, lib. 6. Secundo contra vitium simoniæ, ut colligi videtur ex cap. Si quis Episcopus, 1, quæst. 1. Tertio contra homicidium qualificatum, ut est assassinium, de quo expresse id cavetur in cap. 1 de Homicidio, in 6. Item homicidium clerici alicujus Ecclesiæ factum a patrono, vel alia simili persona, juxta cap. In quibusdam, de Pœnis, ibi, *Et beneficiati beneficium prorsus amittant;* quanquam ibi non additur particula, *ipso facto,* sicut in præcedenti textu. Sed hi casus particulares in propriis locis examinandi sunt. Nunc duo circa illos dicenda occurrunt. Unum est, etiam in his casibus (si illos admittamus) non fieri exceptionem a regula proposita, quia etiam tunc privatio beneficii non est effectus irregularitatis, neque ex illa nascitur, sed cum illa, vel etiam post illam per novam legem imposita est, ut simul incurratur, quod per accidens est irregularitati. Unde, si quis dispensationem obtineret a tali irregularitate, nulla facta beneficiorum mentione, non propterea esset liber ab altera pœna, quia, cum sint distinctæ, et per se non connexæ, licet simul imponantur, dispensatio unius non extenditur ad alteram. Secundum advertendum est, etiamsi in illis casibus admittamus dari jura ipso facto privantia beneficiis propter talia delicta, nihilominus illa non amitti usque ad sententiam judicis, saltem declaratoriam de tali delicto, juxta textum in cap. Cum secundum leges, de Hæret., in 6, et doctrinam frequentius receptam a Theologis in materia de lege pœnali, et a Jurisperitis tum ibi, tum alibi, quam ad hoc propositum breviter attigit Felinus in cap. Sciscitatus, de Rescriptis, num. 3, et Covarr., in 4 Decret., part. 2, cap. 6, § 8, num. 7, circa finem, alios referens.

18. *Irregularis an teneatur statim relinquere beneficium.* — Sed quæret aliquis, an teneatur irregularis statim relinquere beneficium suum, et quomodo possit id facere. Aliqui enim ita sentiunt, ut Henric. Boich., in cap. Quæsitum, de Temporib. ordinat., et Felin., in cap. Inquisitionis, de Accusat., num. 2, ubi ait, homicidam non posse cum bona conscientia retinere beneficium, etiam post peractam pœnitentiam, citans Joan. Andream, in cap. Minor, 50 dist., et in cap. penult. de Pœn. Eamdem sententiam sequitur Covarr. supra, sed limitat, ut solum procedat in beneficio postulante ministerium sacri Ordinis, quod irregularis exercere non potest. Fundamentum eorum non sumitur ex aliquo textu, sed solum ex ratione superius tacta, quod cum beneficium detur propter officium, non potest licite retinere, qui non potest exhibere officium debitum. Dico igitur,

ex vi irregularitatis per se et immediate non oriri obligationem in conscientia dimittendi beneficium, antequam illo quis privetur per sententiam judicis, quia nullum est jus, quod hunc effectum irregularitati tribuat. Mediate vero et quasi per accidens poterit aliquando hæc obligatio nasci ex illo justitiæ debito, quo quis tenetur exhibere ministerium, si accipit stipendium, et consequenter non esset obnoxium et obligatum ad ministerium, quod exercere non potest.

19. Quapropter ad imponendam hanc obligationem multa distinguere necesse est. Primum de qualitate beneficii et servitii illi annexi; nam interdum est adeo simplex beneficium, ut solum obliget ad recitandum officium canonicum, ut præstimonium (quod sit gratia exempli dictum). Aliud solum requirit ministerium, quod per alium exerceri potest; et in his et similibus nulla est ratio obligationis dimittendi illud, cum possit irregularis obligationi beneficii satisfacere per se vel per alium. Alia etiam sunt beneficia Ecclesiastica, quæ personalem residentiam cum exercitio alicujus operis postulant, et in his maxime procedit ista sententia; sed limitanda ac declaranda est. Quia non tenetur statim irregularis omittere beneficium, sed potest aliquo tempore retinere, ut dispensationem irregularitatis obtineat, dummodo in ea procuranda nimium negligens non sit, et interim ex redditibus beneficii sufficienter provideat Ecclesiæ, ut saltem per alium ei inserviatur, si necesse sit; hoc enim ad tempus facere propter causam adeo gravem non est contra justitiam. Deinde, si dispensationem obtinere nolit, vel non valeat, potest illud renunciare in manu legitimi superioris in forma consueta. Quæ est communis sententia Juristarum, de qua Panorm., in cap. Nisi, de Renunc., num. 1, et Felin., in cap. Sciscitatus, de Rescript., num. 2 et 3; Covarr. in Clem. *Si furiosus,* part. 2, § 3, n. 7, ubi plures alios refert, tractans etiam, an talis renunciatio valida sit, etiam si impetratio præcesserit, quod ad nos non pertinet. Ratio ergo est, quia talis clericus justo titulo possidet beneficium, et habet liberum usum ejus, nec aliqua lege impeditum, donec condemnetur; ergo potest et licite et valide servata forma juris illud renunciare.

20. *Irregularis, an privetur fructibus beneficii.* — Ulterius vero quæri potest, an hujusmodi irregularis sit saltem privatus fructibus beneficii. Aliqui enim affirmant, nimirum omnes illi, qui putant suspensum ab officio esse etiam suspensum a beneficio, quos supra proprio loco retuli; et de irregularitate tenet Villadiego, c. 3, n. 22; ille autem detur procedere in ea sententia, quod irregularis amittit beneficium ipso jure. Supposito autem contrario fundamento, contraria sententia sine dubio est vera, per se loquendo, et ex vi irregularitatis. Maxime, quia falsum etiam est suspensum ab officio eo ipso esse suspensum a beneficio, ut supra ostendi. Unde fit, hanc privationem fructuum non sequi quasi ex natura rei ex irregularitate, sicut non sequitur ex suspensione ab officio, quia ex vi irregularitatis solum sequitur impedimentum ab executione Ordinis in eo, qui jam ordinatus supponitur; reliqua vero per accidens sunt. Neque etiam est ulla lex, quæ hanc privationem fructuum ipso facto imponat ratione irregularitatis; si vero sit lex, aut statutum, ut non residens, aut non serviens non faciat fructus suos, ob eam privabitur fructibus, quod maxime in distributionibus quotidianis locum habet, ut in simili diximus agentes de suspensione; non tamen præcise ob irregularitatem. Præterea irregularis retinet verum titulum et dominium beneficii, et ratione illius tenetur pensum horarum recitare, quod est magna pars officii clericalis, ut latius Soto, lib. 10 de Justitia, quæst. 5, art. 3, et si munus aliud ad tale beneficium pertinet, tenetur procurare ut saltem per alium id fiat; ergo hoc satis est, ut fructus suos possit facere, stando in jure divino et naturali; ergo cum nullo jure humano illis privetur, illos facit suos.

21. Quod adeo verum censeo, ut licet postea per sententiam judicis beneficio privetur, non possit fructibus privari, quos usque ad illud tempus legitime percepit. Quod recte docuit Calderinus, in Clem. *Constitutionem,* § Cæterum, de Elect., circa finem, et alii quos supra Covar. refert. Qui addunt, hoc intelligendum esse, quando is, qui tale beneficium habet, debitum ministerium vel officium in illo exhibuit. Hinc vero sumpsit occasionem Covar. recedendi ab hac sententia quoad irregulares, eamque limitat, ut tantum locum habeat in aliis delictis, quæ merentur pœnam privationis beneficii, non tamen habent irregularitatem annexam. Ratio ejus est, quia, si non exhibuit debitum ministerium, hoc ipso debet perdere fructus; si vero ministerium exhibuit, per hoc ipsum est dignus majori pœna, ideoque non sunt fructus ei conce-

dendi. Verumtamen citati auctores expresse loquuntur etiam de irregulari, ut patet ex Felino, in c. De quarta, de Præscript., n. 33. Nec ratio facta urget, primo quidem, quia potest canonicum officium per se recitare, ut diximus, et reliquæ parti muneris potest per alium satisfacere; quod si in aliquo negligens fuerit, non statim meretur privationem fructuum, sed poterit alia pœna puniri. An vero in conscientia teneatur aliquam partem fructuum restituere propter hujusmodi negligentiam, nihil ad præsens refert, nam in hoc eadem est ratio de quolibet beneficiato non irregulari. Deinde addo, quod licet irregularis per seipsum exercuerit ministeria, a quibus per irregularitatem remotus erit, non propterea privandus est fructibus beneficii, quia licet in eo augeat culpam, et sit dignus majori pœna, nullum tamen est jus, in quo pro illo crimine talis peculiaris pœna imponatur.

22. *Dubitatio.*— Majorem dubitationem habet, an saltem in illis specialibus delictis, quæ simul cum irregularitate habent annexam privationem beneficii ipso facto, privetur quis fructibus beneficiorum a die commissi delicti, vel saltem post sententiam declaratoriam criminis. Sed hoc nunc ad nos non spectat; et ideo breviter dico, tunc licite percipi fructus usque ad sententiam declaratoriam, quia licite retinetur beneficium usque ad illud tempus. Ut autem ait Felin. supra citans Speculat. et Cardinal., hæc est optima illatio: Licite retinetur beneficium; ergo licite percipiuntur fructus (scilicet, suppositis conditionibus necessariis, ut recitatione officii, etc.). Addo etiam hujusmodi fructus non posse auferri ante sententiam subsecutam, arg. cap. Cum secundum leges. At vero post sententiam probabile est posse privari non tantum beneficio, sed etiam omnibus fructibus ejus, nam licet tales fructus licite possideantur usque ad sententiam, tamen per illam auferuntur, et quoad hunc effectum retrotrahitur sententia usque ad diem criminis, ut Covarr. supra notavit, et ex materia de Hæresi constat, juxta d. c. Cum secundum leges. Hæc vero multis indigent limitationibus, et declarationibus, quæ ad præsentem locum non spectant.

23. *Corollarium primum.* — Ex resolutione facta colligimus primo, per irregularitatem seu ex vi illius non privari quempiam administratione beneficii sui, quominus etiam per seipsum illam exercere possit in his omnibus, quæ Ordinis exercitium non includunt. Patet, quia hujusmodi irregularis retinet beneficium; ergo et usum ejus in his omnibus, quæ contra irregularitatem directe non sunt; hujusmodi autem est dicta administratio, ut constat ex definitione irregularitatis. Item suspensus ab Ordine non est suspensus ab administratione beneficii, vel officii sui, ut supra tactum est; sed irregularitas quantum ad hanc privationem functionum in re nihil aliud includit nisi suspensionem ab Ordine: ergo. Potest ergo hujusmodi beneficiatus œconomum, verbi gratia, constituere, contractus facere, et similia, quæ valida erunt, non obstante irregularitate, quia sunt facta cum sufficienti potestate, et nullo jure sunt impedita.

24. *Corollarium secundum. — Irregularitate non tolli jurisdictionem fori contentiosi. — Quomodo requiratur Ordo ad jurisdictionem fori contentiosi. — Objectio.* — Secundo colligo ex dictis, omnem jurisdictionem fori contentiosi convenientem alicui ratione talis beneficii, atque etiam usum ejus retineri non obstante irregularitate, et consequenter omnes actus talis jurisdictionis factos ab hujusmodi irregulari validos esse, ut sunt excommunicatio, absolutio ab illa, et similes. Probatur, quia irregularitas per se non privat jurisdictione, aut usu ejus, ut supra ostensum est, neque etiam privat beneficio, ut hic diximus; ergo, si beneficium tale est, ut ratione illius competat jurisdictio, illa manet non obstante irregularitate. Neque obstat si quis objiciat, quod hæc jurisdictio postulat Ordinem aliquem, seu statum clericalem, quem videtur removere irregularitas. Respondetur enim in irregulari verum Ordinem manere, et hoc satis esse, ut maneat etiam jurisdictio, et usus ejus, quæ vero titulo tali personæ conveniebant, et nulla lege ablata fuere. Nulla enim lex, quæ ad jurisdictionem Ecclesiasticam, vel usum ejus requirat Ordinem expeditum (ut sic dicam) ad omnes actus suos, etiam ad illos, qui Ordinis non sunt. Sed contra, quia interdum ad actum jurisdictionis requiritur Ordo ex speciali lege Ecclesiæ, ut ad deponendum solemniter clericum requiritur Episcopalis dignitas, cap. 2 de Pœnis; ergo si habeat Ordinem Episcopalem irregularitate impeditum, non poterit illum actum exercere; ita vero se habet jurisdictio Ecclesiastica absolute sumpta ad Ordinem in communi etiam sumptum, sub illo comprehendendo primam tonsuram: ergo. Respondetur

ex superius dictis, aliud esse loqui de degradatione reali, aliud de verbali depositione, quæ illam antecedit, et comparatur ad illam, ut sententiæ prolatio ad executionem. Idemque in utraque considerari posse, an licite, et an valide fiat. Dico ergo depositionem verbalem valide fieri ab Episcopo, etiamsi irregularis sit. Addo insuper, secluso scandalo, ac per se loquendo, etiam sine novo peccato posse fieri, quia ille revera est purus actus jurisdictionis, et non Ordinis, quia solum est cujusdam sententiæ prolatio in exteriori foro, quæ non requirit specialem sanctitatem aut carentiam canonici impedimenti, quod per se tali actui non repugnet. Item quia licet demus ex jure humano requiri personam consecratam in Episcopum, tamen illa consecratio non postulatur ut principium per se illius actus, sed ad summum ut conditio sine qua non; et ideo irregularitas non ita illi repugnat, ut ex illo solo capite fiat actus illicitus. Imo licet Gloss., Panorm. et multi alii in cap. Transmissam, de Electione, asserant, ad hunc actum postulari Episcopum consecratum, nullo tamen jure id satis probatum hactenus reperi. Nam licet ad hanc depositionem jura requirant Episcopi sententiam cum aliis ei assistentibus, nullibi tamen declaratur illum Episcopum debere esse consecratum, cum tamen nomine Episcopi appellari absolute soleat, qui electus et confirmatus est. Unde Concilium Trid., sess. 13, cap. 4 de Reformatione, statuit, ut hujusmodi depositio verbalis etiam a vicario Episcopi fieri possit. In quo licet jus novum condiderit, satis tamen significat illum non esse actum consecrationis Episcopalis, et ideo presbytero committi. Unde hodie saltem dubitari non potest, quin talis sententia ab Episcopo irregulari lata sit valida, et licite pronunciata, quantum est ex parte irregularitatis, cum sit actus puræ jurisdictionis, quia Episcopalem consecrationem non requirit.

25. *Degradatio actualis debet fieri ab Episcopo consecrato et non irregulari. — Præcluditur objectio.* — At vero degradatio actualis sine dubio requirit Episcopum consecratum, in quo Canonistæ conveniunt, etiam illi, qui de priori actu negant, ut Hostiens., Joan. de Lignan., et alii, et significavit satis Conc. Trid., supra dicens, Episcopum, non per vicarium, sed per seipsum debere procedere ad degradationem actualem. Et ideo satis probabile est, Episcopum irregularem non posse licite talem actum exercere, quia non est puræ jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis, non concomitanter tantum, sed etiam elicitive, et consequenter est prohibitus ex vi irregularitatis. Assumptum declaratur, quia ille actus non consistit tantum in prolatione judicis, sed in executione et facto, per quod res consecrata quodammodo execratur, ut sic dicam, in foro Ecclesiæ, et ob hanc causam requirit ministrum consecratum ex Ecclesiæ institutione, quæ in juribus colligitur in c. 2 de Pœnis, in 6, et ex aliis, 15, q. 7, fere per totam; usus tamen et traditio Ecclesiæ hoc magis declaravit. Estque consentanea tali actioni, ut declaratum est. Et quoad hoc etiam valet ratio Panormitani, quia ejusdem potestatis esse videtur dare Ordinem et auferre. Quæ ratio non ita procedit in depositione verbali, quia per illam nondum aufertur Ordo facto, sed jure tantum, sicut aufertur in degradatione actuali, quantum per Ecclesiam potest. Sicut ergo Episcopus irregularis peccat consecrando altare, etc., quia ille actus ita est institutus ab Ecclesia, ut pertineat ad executionem Ordinis Episcopalis, et ideo suspensus ab homine, et consequenter etiam irregularis, est ab illo actu remotus, ac proinde peccat illum exercendo, ita dicendum est de actuali degradatione. Est tamen ille actus validus, etiam si illicite fiat, sicut consecratio calicis valida est, etiamsi Episcopus sit irregularis, vel suspensus, quia hæc impedimenta canonica non irritant actus Ordinis, ut sæpe dictum est. Ergo eadem ratione execratio, quæ per degradationem fit, erit valida, non obstante irregularitate, quia est actus Ordinis. Quod si quis dicat esse actum jurisdictionis, respondebimus primo, jam ostensum esse jurisdictionem ad hos actus necessariam non auferri per irregularitatem. Et deinde addimus illum actum non tam esse exercentis jurisdictionem, quam exequentis, quæ non est propria jurisdictio, multoque minus aufertur per irregularitatem.

26. *Corollarium tertium. — Quomodo parochus irregularis possit exercere ministerium matrimonii. — Conc. Trid.* — Tertio juxta hæc judicandum est de ministerio, quod parochus irregularis exercere potest circa suos subditos : dicendum est enim, omnia illa posse, quæ antea poterat, seclusa administratione sacramentorum, quam per seipsum facere non potest licite, licet facta etiam teneant. Probatur, quia eamdem potestatem habet quam antea, et nihil aliud illi prohibitum est. Specialiter vero explicare

oportet ministerium, quod exercere potest circa pœnitentiam et matrimonium. De pœnitentia dicam in fine ; de matrimonio breviter dicendum est, unum esse necessarium ad valorem matrimonii ex novo jure Concilii Trid., sess. 24, cap. 1 de Reform. matrim., quod est sola præsentia seu assistentia cum aliis testibus, quando fit contractus. Et hoc ministerium non est dubium quin valide et licite possit exerceri a parocho, non obstante irregularitate; nam matrimonium factum coram tali parocho (si alia concurrant) validum est, quia ille est verus parochus, et Concilium nihil aliud requirit; neque in eo actu peccat, quia ille non est actus Ordinis, qui ei prohibitus sit. Et eadem ratione matrimonium factum coram alio sacerdote de licentia irregularis parochi validum est, quia talis licentia valida est; nam est actus jurisdictionis, seu administrationis proprii muneris parochialis, a quo non est prohibitus parochus propter solam irregularitatem. Unde nec peccatum aliquod committit illam dando, neque alius illam accipiendo vel illa utendo. Aliud ministerium est solemnis benedictio nuptiarum, quæ licet sit actus parochialis muneris, tamen ex institutione et usu Ecclesiæ est actus Ordinis sacerdotalis, et ideo non potest exerceri ab irregulari sine gravi culpa, sicut de suspenso diximus, nam in his est eadem ratio quoad prohibitionem et culpam, licet non quoad novam irregularitatem contrahendam, ut supra dictum est.

27. *Corollarium quartum. — Irregularem non privari jure eligendi. — Objectio. — Enodatur.* — Quarto infertur ex dictis, si beneficium conjunctum habeat jus eligendi, vel confirmandi electionem, qui tale beneficium habet, non privari hoc jure, vel usu ejus propter solam irregularitatem supervenientem, donec beneficio privetur. Sumitur ex Navarro, c. 27, n. 244. Probatur ex dictis, quia hoc jus vel est jurisdictio, vel ad illam reducitur, et ipsa electio est veluti administratio quædam pertinens ad tale beneficium, imo inter fructus beneficii computari potest, sicut collatio beneficiorum numeratur inter fructus Episcopatus ; ergo sicut irregularis non privatur jurisdictione, administratione, et fructibus beneficii, ita neque jure eligendi. Et confirmatur ; nam suspensus ab Ordine tantum non suspenditur ab usu et jure eligendi, ut supra visum est; ergo neque irregularis. Unde fit, ut electio facta ab irregulari per se valida sit, utpote facta ab habente potestatem non impeditam, neque ligatam. Fit etiam, ut talis electio licite fiat, quia ex vi irregularitatis non prohibetur, neque aliunde necessario habet malitiam adjunctam. Potest vero objici, quia jus eligendi clericorum proprium est, ut constat ex cap. Sacrosancta, 51, et cap. Massana, 56, de Elect. Imo aliquando requirit Ordinem sacrum, juxta Clem. 2 de Ætat. et qualit., et Trid., sess. 22, cap. 4 de Reform.; ergo electio est aliquo modo actus Ordinis; ergo est prohibita irregulari, sicut alii actus Ordinum. Respondetur, electionem ad spiritualia munera ideo solis Ecclesiasticis personis concedi, quia pertinet ad potestatem spiritualem, quæ laicis non tribuitur. Item jus eligendi, præsertim ad Ecclesiasticum beneficium, sæpius datur ratione alicujus Ecclesiastici beneficii, ut per se constat; et quia tantum clerici possunt Ecclesiastica beneficia obtinere, ideo soli etiam clerici possunt habere tale jus eligendi, non quia electio actus sit Ordinis; unde sine dubio posset Pontifex jus eligendi dare alicui nullum habenti Ordinem, sicut contulit jus præsentandi. Quod vero ad aliquam electionem sacer Ordo requiratur, non est quia sit actus Ordinis, sed vel ut fiat electio a persona digniori qualitate insignita, quomodo in religionibus soli presbyteri solent ad faciendas electiones admitti; vel etiam id fit, ut præbendati Ordinem sacrum suscipere cogantur, ut in dicta Clem. expressa dicitur; ideoque non tantum eligere, sed absolute habere vocem in Capitulo prohibentur, donec saltem subdiaconatum recipiant; non tamen postulatur ab eis, ut irregulares non sint, et ideo ex vi hujus impedimenti non prohibentur eligere. Idemque dicendum est de collatione, et institutione beneficiorum, quia sunt actus jurisdictionis; et a fortiori idem est de præsentatione, qui nec jurisdictionis actus est, sed dominii, qui interdum laico ex vi juris patronatus competit.

28. *Per irregularitatem non amitti jurisdictionem delegatam.* — Ultimo ex dicta resolutione infero, ex vi solius irregularitatis non amitti, vel ligari jurisdictionem fori contentiosi, quam clericus prius habebat ab alio delegatam. Idemque dicendum est de quocumque munere habente jurisdictionem ex commissione alterius, sive illa ordinaria, sive delegata vocetur, etiamsi per proprium beneficium Ecclesiasticum non conferatur. Exempla sunt in vicario Episcopi, et in Legato Pontificis, etc. Ratio est, quia sicut benefi-

cium non amittitur ipso jure, nisi in casibus a jure expressis, ita neque aliquod Ecclesiasticum officium, sive illud sit ordinarium, sive ex commissione; nam omnes rationes factæ æque hoc probant, quia etiam hæc est pœna; et ideo non plus extendenda, quam rigor verborum legis ex necessitate requirat. Nullum autem est jus, per quod irregularis privetur ipso facto his officiis aut jurisdictionibus, potius quam beneficiis; ergo irregularitas non affert secum talem privationem. Item nullum est jus, quod prohibeat irregulari usum talis muneris vel jurisdictionis in his actibus, qui per se non requirunt influxum potestatis Ordinis; ergo non habet irregularitas hunc effectum. Quapropter actus talis jurisdictionis facti ab irregulari et validi sunt, et per se loquendo ac secluso scandalo licite fiunt. Quod si jus Ecclesiasticum requirat aliquam ordinationem in eo, cui conferenda est hæc jurisdictio, non id est, quia potestas Ordinis sit principium talis actus; sed quia ex decentia, illa postulatur tanquam congrua dispositio, quam non omnino excludit irregularitas; et ideo non reddit hominem incapacem ad hanc jurisdictionem retinendam.

Quarta difficultas.

29. *Irregularitas an inhabilitet ad novum beneficium obtinendum. — Prima opinio.* — Jam vero occurrit alia dubitatio, an irregularitas reddat hominem inhabilem ad novum beneficium obtinendum; et consequenter, an irregularis possit tuta conscientia beneficium postea obtentum, et fructus ejus obtinere. Non enim defuerunt auctores, qui dixerint, idem judicium esse ferendum de beneficio obtento et obtinendo; ideoque collationem beneficii irregulari factam validam esse, licet per judicem possit cassari. Ita Sylvester, verb. *Excommunicatio*, 4, num. 4, citans glossam Raymundi, quam etiam refert et sequitur Nicolaus Plovius, num. 39 et 40, reg. 44, et in eam inclinat Felinus, in cap. Inquisitionis, de Accusat., num. 6, ubi ita interpretatur Innocentii doctrinam. Et licet num. 7, ex Abbate contrarium referat, tamen, num. 8, idem repetit, et citat Calderinum. Et addit declarationem per se notam, dummodo aliunde persona non sit incapax, ut si sit infans, etc. Unde formatur ratio, quia secluso speciali jure, irregularis ut sic non est incapax beneficii Ecclesiastici, cum illud retinere possit; nec per irregularitatem fit magis incapax receptionis ejus, quam retentionis, quia sicut retinere non est exequi aliquem Ordinem, ita nec de novo recipere est actus Ordinis, ut per se notum videtur; irregularitas autem solum privat actibus Ordinum; igitur hic effectus non est per se conjunctus cum irregularitate, ejus definitione, et institutione præcise spectata. Neque etiam est ullum jus, quod illi specialiter annectat hanc pœnam; quod tamen esset necessarium ut hæc possit esse pœna ipso facto simul incurrenda cum irregularitate. Imo non satis esset collationem beneficii irregulari factam jure prohiberi, sed necessarium esset expresse irritari; nam lex prohibens actum, non irritat illum, nisi expresse id declaret, ex illis principiis, quod legislator non plus operatur; quam verbis suis exprimat, et verba pœnalia stricte intelligenda sunt. Difficile autem est invenire jus, quod irritam reddat hujusmodi collationem, ut paulo post videbimus. Et confirmatur primo, quia una species irregularitatis contrahitur per corporis defectum; et nihilominus clericus, qui sine culpa sua hanc irregularitatem contrahit, capax est alicujus beneficii, alias cogeretur mendicare, aut actiones clerico indignas exercere; quod est magnum incommodum. Imo ob hanc causam, etiamsi irregularitas sit per crimen contracta, beneficium esse dandum clerico irregulari, significatur in cap. 2 de Clerico non ordin. minist. Confirmatur secundo, quia professio facta ab irregulari valida est, juxta cap. 1 de Filiis presbyter., et cap. 2 de Apostatis, et dicto cap. 2 de Clerico non ordin. ministr., ibi : *Salubrius autem sibi providebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum;* supponit ergo, irregularem esse capacem regularis professionis; cur ergo non erit etiam capax Ecclesiastici beneficii? est enim majus bonum illa professio quam beneficii acceptio. Imo aliquando solet monachus sub nomine beneficii Ecclesiastici comprehendi; de quo videri potest Sylva, de Beneficiis, part. 1, quæst. 2, in fine. Tertio confirmatur, quia collatio beneficii facta a persona irregulari est valida, juxta dicta; ergo et facta in persona irregulari. Patet consequentia, quia in his rebus plus est dare quam recipere, et irregularitas ex se magis separat ab agendo, quam a recipiendo.

30. *Secunda opinio. — Cap. Cum bonæ, de Ætate et qualitate.* — Contraria sententia communis est, ut videri licet in Navarro,

cap. 25, num. 24, et cap. 27, num. 251, et cons. 13, 42 et 44 de Homic., et cons. 97 de Simon., et cons. 16 de Rescript.; Covarr., in cap. Alma, part. 1, § 7, num. 1, et § 8, num. 3, et in reg. *Peccatum,* part. 2, § 8, num. 6 et 7, qui alios referunt; præsertim vero videri possunt Panormitanus in cap. Nisi cum pridem, de Renunc., num. 4, et cap. Tanta, de Excessib. Prælat., num. 2; et Felinus, in cap. 2 de Rescriptis, num. 4. Ad hanc autem sententiam confirmandam varii afferuntur textus, qui expendendi sunt. Primus est in cap. Cum bonæ, de Ætate et qualitate, in quo non est sermo de irregularibus, sed de suspensis per sententiam; et ibi est sermo de suspensione absolute, quæ videtur includere suspensionem a beneficio, quam irregularitas non includit. Et deinde si textus ille aliquid probaret, non minus de beneficio obtento, quam obtinendo procederet, ut patet ex verbis illis : *Non licet eis illa, quæ habuerint, beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere.* Videtur ergo illa fuisse pœna a judice imponenda, ut ex ultimis verbis textus constat. Secundo probatur ex cap. 2 de Clerico non ordin. ministr. Sed neque ille textus id probat, ut constat ex paulo antea dictis, quia neque ex illo satis constat sermonem esse de beneficio obtinendo, neque illam fuisse propriam dispensationem. Tertio affertur cap. Dudum, de Elect., ubi solum dicitur eum, qui in Ordinibus defectum patitur, *impediri per canonum sanctiones, quominus possit ad officium Præposituræ promoveri.* Ubi non explicatur, tale esse hoc impedimentum, ut electionem illam irritam reddat. Quarto citatur c. Cum inter, de Elect., quod nihil probat, quia solum agit de electione facta a suspensis, scilicet, a beneficio vel jurisdictione, ut in superioribus suo loco declaravimus, estque de illo impedimento longe diversa ratio. Quinto citatur cap. 2 de Clerico pugnante in duello, quia in eo dicitur, posse dispensari cum quodam clerico, qui irregularitatem contraxerat, quantum ad beneficium obtinendum. Ex quo loco optime probatur talem collationem esse prohibitam, posseque per judicem irritari, si absque dispensatione sit facta; quod vero sit nulla, non satis probatur ex illo textu. Sexto adjungitur cap. Postulastis, de Clerico excom. ministr., in quo non est sermo de irregulari, sed de excommunicato. Sed in his legibus pœnalibus argumentum a simili non est efficax; maxime cum plures effectus habeat excommunicatio, quos non habeat irregularitas. Potest tamen fieri vis in illatione textus : *Cum ea non fuerint canonice consecuti.* Nam his verbis significatur, illam collationem esse nullam, non propter specialem rationem excommunicationis, sed propter generalem causam collationis non factæ canonice. Quæ ratio locum habet in collatione irregulari facta, quia non est canonice facta, utpote contra canonicum impedimentum. Responderi vero poterit, rationem illam esse intelligendam cum distributione accommoda; omnis enim collatio, quæ non fit secundum canones, potest dici non canonice facta, et tamen non semper est nulla, quia conditiones a canonibus requisitæ non omnes sunt æque necessariæ, argumento textus in cap. Quia nonnullis, de Cleric. non resid. Sicut in simili etiam constat de sententia non canonice lata; intelligitur ergo illa ratio juxta subjectam materiam, scilicet, quia collatio fuit non canonica tali modo, id est, cum impedimento irritante; nunc autem inquirimus, an irregularitas talis sit.

31. Septimo adducitur textus in cap ult. de Clerico excommunic. ministr., ubi in primis dicitur, excommunicatum etiam minori excommunicatione non posse eligi; quod videtur a fortiori dicendum de irregulari, tum propter argumentum a simili, vel potius ab inferiori; nam excommunicatio minor minimum impedimentum canonicum censetur; tum maxime propter rationem textus, scilicet, quia ad illud munus exercendum eligitur, a quo per canones est separatus. Unde sumitur generalis regula, prohibito uno, consequenter prohiberi aliud, quod cum illo connexum est; quam habet Glossa in cap. Studeat, 3, 50 dist. Hæc autem regula majori ratione procedit in irregulari, quia ex vi irregularitatis perpetuo remotus est ab eo ministerio, propter quod datur beneficium Ecclesiasticum. Quæ ratio adeo videtur efficax, ut secluso speciali jure positivo, hæc inhabilitas intrinsece videatur sequi ex irregularitate; nam contra jus naturale est beneficium accipere illum, qui officium non potest implere; nam ille solus ad beneficium idoneus reputatur, qui potest deservire, ut dicitur in cap. Super inordinata, de Præbendis. Sed ut omittam, rationem hanc non procedere universaliter in omnibus beneficiis, neque in omni officio, propter quod beneficium datur; aliquando enim solum datur propter officium recitandi horas canonicas, vel si obligat ad

aliud ministerium, non necessario per propriam personam exercetur; hoc (inquam) omisso, illa omnia ad summum probant, illam beneficii collationem esse irritandam, non vero esse irritam. Nam in dicto capite ultimo non amplius dicitur, nec ratio ejus ad aliud inducitur, ut tractando de excommunicatione minori expendimus. Neque etiam ratio naturalis per se sumpta amplius probat; imo multi existimant, indignum non teneri, etiam ex jure canonico, ad dimittendum statim beneficium sua sponte, donec a superiore cogatur, dummodo possit, et studeat se dignum reddere, et interim aliorum juvamine suo muneri satisfacere. Idem ergo dici potest de irregulari; nam potest dispensationem procurare, atque hoc modo impedimentum tollere. Unde secluso jure positivo, talis receptio beneficii non solum non esset nulla, verum etiam fieri posset aliquando sine peccato, ut si irregularitas esset occulta, et non posset quis expectare dispensationem sine magno dispendio, nimirum amittendi occasionem obtinendi congruum beneficium, cujus esset dignus seclusa irregularitate, eamque auferendam speraret sine gravi dispendio Ecclesiæ, et servitii illi debiti; his enim omnibus concurrentibus, nulla apparet malitia in illo actu.

32. Tandem ad hoc confirmandum adduci potest decretum Concilii Tridentini, sess. 14, cap. 7 de Reformat., ubi de homicida dicitur, *ut nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferre liceat,* etc. Sed neque hoc decretum satis probat, tum quia solum ait, ut conferri non liceat; nullum autem habet verbum irritans; tum etiam quia dicere possumus, ibi non solum imponere irregularitatem, sed etiam perpetuam depositionem ab officio et beneficio.

33. Quapropter ex omnibus fundamentis hujus sententiæ nondum evacuatum est illud quo contraria opinio præcipue nititur, quia pœna, vel inhabilitas, quæ ipso facto contrahatur, admittenda non est, nisi fuerit in jure expressa. Item irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis; ergo pari ratione irregularitas non plures habet effectus quam sint in jure expressi; sed hic effectus inhabilitandi personam ad beneficium Ecclesiasticum, seu irritandi collationem factam, non est in jure expressus : ergo. Item ob hanc causam negamus, irregularitatem ipso jure privare beneficiis jam obtentis, quia non est in jure expressum, etiamsi jus præcipiat ut auferantur. Et ob eamdem causam negamus suspensum ab Ordine esse pro tunc incapacem ad suscipiendum beneficium, ut supra visum est : ergo.

34. *Irregularem non posse accipere de novo beneficium absque dispensatione.* — In hac ergo difficultate dico primo, irregularem non posse licite accipere de novo beneficium absque dispensatione, quia jura multa satis probant hoc esse prohibitum, et eadem ratione est certum, graviter peccare, qui illud confert, cognita irregularitate alterius, vel culpabiliter ignorante, quia et confert illud indigno secundum jura, et hoc est etiam illi directe prohibitum. Excipi vero potest Summus Pontifex; nam si conferat beneficium irregulari sciens et videns, censetur ipso facto dispensare; et ideo si dispensando non peccat, nec conferendo beneficium peccabit.

35. *Collatio facta irregulari, irritanda est per judicem.* — *Dubium deciditur.* — Dico secundo certum, talem collationem a judice irritandam esse, qui potest juste non solum beneficium auferre, sed etiam fructus ejus, in pœnam saltem commissi criminis in receptione talis beneficii. An vero talis collatio ita sit nulla ipso facto, ut in conscientia teneatur quis dimittere beneficium, etiamsi irregularitas sit occultissima, et consequenter in conscientia non faciat fructus suos, sed contra justitiam peccet, tam accipiendo quam retinendo illos, mihi profecto dubium est, censeoque priorem opinionem, quæ hoc negat, esse probabilem in rigore juris, propter omnia adducta, quæ optime confirmantur ex cap. Si soli, de Concess. præben., in 6, ubi dicitur prohibitionem Pontificis non irritare collationem beneficii, nisi expresse constiterit esse irritum, et inane, quod factum fuerit contra ipsam. Hoc ergo satis est, ut quis excusetur a peccato, si in praxi illam sequi voluerit, dummodo advertat, non posse tuta conscientia retinere beneficium manendo in irregularitate, sed debere illius dispensationem procurare; quod si illam obtinere non potuerit, tenebitur beneficium relinquere, saltem cum limitatione posita in præcedenti puncto. Sufficiet vero juxta hanc sententiam, obtinere dispensationem irregularitatis, etiamsi nulla fiat mentio beneficii obtenti, aut fructuum ejus. Et ita declarant dicti auctores, et est consequenter dictum quoad forum conscientiæ; nam in exteriori non sufficiet talis dis-

pensatio postea subsecuta, quominus impetrari possit, et auferri beneficium propter priorem defectum, si detegatur.

36. *Probatur secunda sententia supra posita.* — Nihilominus tamen posterior sententia securior est, et practice probabilior, primo, quia est communiter recepta. Secundo, quia licet jura hoc expresse non declarent, tamen eorum verba hunc sensum possunt admittere, qui licet rigorosus appareat, tamen usus ipse interpretari potuit, hunc esse sensum jurium; verisimile autem est, usum et praxim esse juxta communem sententiam. Tertio potest explicari, quia irregularitas est odiosa in jure, censeturque esse gravissimum impedimentum canonicum in ordine ad totum statum clericalem; ergo verisimile est impedire saltem, ne de novo acquirantur jura, quæ clericorum sint propria; nam licet hic videatur rigor respectu personæ irregularis, respectu status clericalis et disciplinæ Ecclesiasticæ est favor. Quarto addere possumus, hic intervenire defectum voluntatis ex parte conferentis beneficium, quæ sufficit ad annullandam collationem. Et in hoc est differentia inter beneficium prius obtentum, et postea obtinendum, quod prius fuit legitima voluntate collatum, et amplius ab illa non pendet, donec per contrariam voluntatem auferatur; posterius vero pendet a voluntate conferentis; hæc autem voluntas suppositis canonibus non censetur intervenire, quamdiu irregularitas durat, quia justa voluntas collatoris est dare illi secundum canones, seu non habenti canonicum impedimentum, præsertim adeo grave. Et hoc quidem est valde probabile, quando irregularitas occultatur; sicut censetur subreptitia gratia, in cujus petitione aliquid taceatur, quod ad eam concedendam vel negandam secundum jura, et rectam rationem multum conferre posset. Quapropter in beneficiis collatis a Summo Pontifice poterit esse ratio adæquata; nam si Pontifici proposita est irregularitas, cum dat beneficium, eo ipso dispensat; si vero non fuit proposita, hoc ipso est concessio nulla, quia involuntaria, et subreptitia Pontifici. Propter quod fortasse dixit Calderinus, consil. 20, sub titul. de Præbend., et consil. 4, sub tit. de Accusationibus, impetrationem litterarum ad beneficia ab irregulari obtentam esse nullam. De inferioribus vero Episcopis, si eis occultetur irregularitas, procedit etiam ratio facta; si vero illam sciant, et dispensare velint, videndum est, an possint juxta alia jura. Et verisimile est, si non possint dispensare in irregularitate, nec in collatione beneficii posse, nisi in casibus eis expresse concessis. His ergo modis potest hæc opinio sustineri probabiliter, et ex eisdem, et ex eorumdem declaratione satisfactum est principali fundamento alterius sententiæ, quantum a nobis fieri potest. Quid autem nomine beneficii in tota hac materia intelligatur, ex dictis supra in simili de excommunicatione sumendum est, et cum eadem latitudine illud declarant Navarrus et Covarruvias supra.

37. Confirmationes autem pro illa sententia adductæ parum urgentes sunt; tamen quia probare possunt, hanc etiam receptionem beneficii esse licitam, et nullo modo juri contrariam, illis satisfaciendum est. Ad primam respondetur primo, quando irregularitas provenit post ordinationem, regulariter supponere in clerico ordinato aliquod beneficium ad cujus titulum ordinatus est, et illo non privatur propter irregularitatem, et ita non sequitur illud inconveniens, quod cogatur mendicare; quod si contingat, aut ordinatum fuisse sine titulo beneficii, vel alia occasione ad paupertatis statum perveniat, illi sunt casus valde accidentarii, quibus jura non provident, sed per dispensationem superioris provideri potest. Unde in illo cap. 2 de Cler. non ordin. min., potius videtur agi de non auferendo beneficio, quam de conferendo, ut indicant etiam illa verba, *ne sustentatione privatis*, etc.

38. Deinde vero dico, quando irregularitas non est totalis, sed respectu alicujus actus, aut temporis, tunc non reddere clericum incapacem cujuscumque beneficii, sed tantum illius, quod habet annexam obligationem tali irregularitati repugnantem; ut, verbi gratia, in casu dicti capit. mansit ille diaconus irregularis solum quoad sacerdotium; nam in diaconatu ministrare poterat, nisi esset suspensus per triennium, quo tempore finito, non indigebat alia dispensatione; et ideo habilis mansit ad beneficium recipiendum, quod solum ad diaconi ministerium obliget. Eodem modo explicari potest textus in cap. Studeat, 50 dist., ubi irregulari quoad usum sacerdotii præcipitur dari beneficium; quanquam id videatur factum ex speciali dispensatione, ut notat Glossa, et indicant limitationes, quæ in textu adduntur. Similiter ad hoc potest induci textus in cap. Vel non est compos, de Tempore ordin., quamvis fortasse alius sit

sensus ejus, de quo infra. Et ratio est, quia cum hæc prohibitio nascatur ex prohibitione circa exercitium Ordinis, non potest amplius extendi, quam illa, ex qua nascitur. Atque ita sentit Navarrus, cap. 27, num. 252, qui hoc limitat ad irregularitatem, quæ sine peccato contrahitur; tamen ratio facta generaliter probat, si culpa non obstante talis irregularitas non impedit omnem actum Ordinis, sed aliquem; et cap. 2 de Cleric. non ord., et cap. Studeat, aperte loquuntur de irregularitate culpabiliter contracta.

39. Ad secundam confirmationem negatur consequentia, quia nec professio religionis est beneficium Ecclesiasticum in proprietate, ut per se notum est, neque habet similitudinem, aut proportionem cum illo, quantum ad rem præsentem, quia nec requirit Ordinis executionem, neque ipsum Ordinem, neque ordinatur per se ad ministeria clericorum exercenda, sed ad perfectionem acquirendam per observantiam regularem. Sunt quidem aliquæ inhabilitates ad professionem emittendam, quæ illam nullam reddunt, ut defectus ætatis requisitæ secundum jura, etc. Sed illæ sunt alterius rationis, et non pertinent ad irregularitates, de quibus nunc agimus.

40. *Vide Glossam ult. in cap. Cum olim, de Majorit. et obed., et Sylvam, de Beneficiis, 5 part., quæst. 11, num. 7.* — Ad tertiam confirmationem negatur consequentia, quæ si aliquid valeret, non solum probaret collationem beneficii factam irregulari esse validam, sed etiam esse licitam, quod probavimus esse aperte falsum. Et sequela patet, quia irregularis non solum valide, sed etiam licite potest beneficium conferre. Ratio autem est, quia conferre beneficium neque per se, neque ex consequenti prohibitum est per irregularitatem. Non quidem per se, quia non est actus Ordinis, sed solius jurisdictionis; unde fieri potest ab Episcopo nondum consecrato, dummodo electus, et confirmatus sit, juxta cap. Transmissam, et quæ ibi notantur, de Electione. Item conferre beneficium computatur inter fructus, pertinetque ad convenientem Ecclesiæ administrationem, quæ irregularitas non aufert, ut diximus. Non etiam ex consequenti, quia irregularis conferens alteri beneficium, licet det aliquid postulans executionem Ordinum, a quibus ipse suspensus est, tamen non confert sibi, sed alteri, qui supponitur habilis ad Ordinis executionem. Unde quoad hoc magis separat irregularitas a recipiendo, quam ab agendo, quia per receptionem ordinatur persona et obligatur ad executionem Ordinis, non autem per collationem alteri factam.

Alia minutiora dubia enucleantur.

41. *Primo, an irregularis privetur fructibus et administratione beneficii post irregularitatem acquisiti.* — Et juxta hujus dubii resolutionem expedienda sunt alia illi similia, vel cum illo connexa, ut in præcedenti puncto fecimus, ut, v. gr., an hujusmodi clericus irregularis possit recipere, et obtinere fructus beneficii postea obtenti, et an possit administrationem ratione talis beneficii convenientem exercere, et alios actus eligendi, præsentandi, conferendi beneficia, et similes, quorum jus competat ratione talis beneficii post irregularitatem contractam acquisiti; nam de his omnibus consequenter loquendum est ad opiniones proxime tractatas. Si enim teneamus, collationem in conscientia fuisse validam, consequenter dicendum est, omnia illa fieri posse, quia nascuntur ex legitima potestate, cujus usum non impedit irregularitas, si a principio ipsiusmet potestatis acquisitionem non impedivit. Juxta alteram vero sententiam negandum est, irregularem posse tales actus exercere, non quia irregularitas per se illos prohibeat, sed quia impedivit acquisitionem beneficii, ex quo jus, vel potestas ad tales actus manere debebat.

42. *An irregularitas jurisdictionem impediat.* — Tandem juxta eadem principia expediendum est dubium de potestate jurisdictionis. Possumus autem in illo distinguere de potestate ordinaria, vel delegata. Nam de priori certum est, irregularem eodem modo esse incapacem cujuscumque muneris, vel officii, quod ex proprio titulo habeat Ecclesiasticam jurisdictionem, quo est incapax beneficii; quale est Prælatura religionis; quia licet hæc munera non habeant beneficium annexum, habent officium, et titulum spiritualem, quo maxime privatur irregularis; de quo in simili dictum est supra tractando de censuris. Alia vero pars de jurisdictione delegata hic habet specialem difficultatem, an scilicet delegatio jurisdictionis spiritualis facta clerico irregulari sit valida. In qua re non est dubium, quin juxta priorem sententiam, quæ affirmat, collationem beneficii esse validam, dicendum sit, hanc delegationem validam esse. Verumtamen etiam admissa

posteriori sententia, videtur id posse affirmari, quia non fit necessaria illatio a collatione beneficii ad delegationem jurisdictionis, quæ beneficium Ecclesiasticum non est, ut per se constat. Et communis opinio, quæ rigorosa est, non est extendenda in materia pœnali, quia longe minus est recipere jurisdictionem delegatam, quam proprium munus pastorale. Unde si talis jurisdictio sit fori contentiosi, ego non dubito, quin delegatio valida sit, quia præcise ordinatur ad actus, qui per se non requirunt Ordinum executionem. Estque in hoc manifesta differentia inter hanc jurisdictionem, ut ordinariam, vel ut delegatam, quia priori modo semper datur, ut annexa alicui beneficio, vel pastorali muneri, in quo principale est functionum spiritualium ministerium, quod sine usu Ordinum non completur; et ideo si ob hanc causam collatio beneficii impeditur, etiam id, quod accessorium est, obtineri non potest; at vero in delegatione præscinditur unum ab alio, et datur (ut supponimus) sola jurisdictio fori Ecclesiastici, et ideo cessat prædicta ratio, et alioqui nullum est jus, quod irritet, vel directe prohibeat talem delegationem. Per delegationem autem hic intelligo quamcumque jurisdictionem, quæ est ex commissione, et non ex intrinseco titulo, ut sic dicam; nam in omni illa procedit discursus factus, etiamsi aliquando modum ordinariæ jurisdictionis habeat, ut in Legato Pontificis.

43. *Quid de jurisdictione fori pœnitentiæ.* — *Ratio dubitandi.* — Ultimo vero superest explicandum, an hæc doctrina procedat etiam in jurisdictione fori pœnitentiæ, in qua est specialis ratio dubitandi, quia actus illius jurisdictionis per se et essentialiter est actus Ordinis; et ideo directe est prohibitus irregulari; ergo etiam videtur ablatus usus talis jurisdictionis, supponendo quod irregularitas sit perfecta a toto Ordine sacerdotali. Confirmatur, nam suspensio ab Ordine censetur tollere hanc jurisdictionem; sed irregularitas ad minimum æquiparatur illi in impedienda Ordinum executione, juxta doctrinam communem Sylvestri, Navarri, et omnium : ergo. Major sumitur ex Glossa, Joanne Andrea, et communi in cap. Cum dilectus, de Consuet., dicentibus, privatum executione Ordinis consequenter privari usu jurisdictionis inseparabili ab usu Ordinis. Videturque hoc rationi consentaneum, quia accessorium sequitur principale; sed hæc jurisdictio est quasi accessoria ad Ordinem; ergo Ecclesia, quæ removet talem personam ab usu Ordinis, imo ab ipso Ordine prout potest, consequenter intendit talem jurisdictionem auferre. In contrarium vero est primo, quia nullo jure cavetur talis irregularitatis effectus, neque a nobis asserendus est. Secundo, nullus est auctor, qui expresse hoc asserat, nec satis id insinuet, et pœnæ non sunt a nobis augendæ sine cogente fundamento. Tertio, dicta de aliis jurisdictionibus quoad alios actus Ecclesiasticos possunt hic cum proportione applicari.

44. *Prima conclusio.* — *Secunda conclusio.* — *Tertia conclusio.* — Dico ergo in primis, eum, qui habebat jurisdictionem ordinariam in foro pœnitentiæ, non amittere illam absolute et simpliciter ipso facto per irregularitatem. Probatur ex dictis, quia non amittit officium, vel beneficium, nec ab illis suspenditur. Item ab effectu, quia potest delegare talem jurisdictionem. Parochus enim irregularis potest alteri sacerdoti approbato committere, ut confessiones suarum ovium audiat; nam cur non? illa enim delegatio non est actus Ordinis. Item clericus non sacerdos potest habere hanc jurisdictionem, et delegare illam : ergo, etc. Dico secundo, non posse irregularem clericum accipere hanc jurisdictionem ordinariam de novo. Hæc assertio procedit juxta opinionem communem, quia non potest de novo conferri valide beneficium, officium, seu Prælatura; juxta contrariam autem opinionem contrarium esset dicendum, ut patet ex præcedenti assertione. Et in omni opinione excipiendus est summus Pontificatus; nam irregularitas non impedit illius consecutionem, et consequenter nec jurisdictionem ordinariam et primariam in foro pœnitentiæ etiam denuo comparatam, quod in illa dignitate est speciale; nam ista excludit omnem irregularitatem. Dico tertio, etiam clericum habentem hanc jurisdictionem non posse licite uti illa per seipsum absolvendo sacramentaliter a peccatis. Est certum, quia est privatus executione Ordinis, et non potest uti illa jurisdictione, quin utatur Ordine. Unde saltem ex hoc capite graviter peccat. Ex quo fit, peccare etiam pœnitentem, qui illum ad talem actum inducit, per se loquendo, et seclusis excusationibus, juxta latius tractata in 3 tomo, disputatione 58.

45. *Quarta conclusio.* — *Quinta conclusio.* — Dico nihilominus quarto, probabilius videri talem absolutionem, si detur a tali sacerdote,

validam esse, quantum est ex parte ejus, id est, si in pœnitente non inveniat obicem contrarium substantiæ sacramenti. Probatur, quia nihil deest ex parte ministri, quod sit de substantia et valore talis absolutionis; ergo licet sit prohibita, erit valida, sicut est valida consecratio et administratio cujuscumque alterius sacramenti. Probatur consequentia, quia ibi non deest potestas Ordinis, nec jurisdictionis, et prohibitio per se solum est circa usum potestatis Ordinis, et ratione illius redundat in talem usum jurisdictionis; hæc autem prohibitio non est contra substantiam sacramenti, ut dictum est. Nec plus probant priores rationes dubitandi; et ideo non potest cum sufficienti fundamento dici illam jurisdictionem esse suspensam, vel ablatam quoad talem usum, ut probant rationes in contrarium objectæ; et ita judicatum est a viris doctis, cum quibus hanc rem contuli, quia non tractatur a Doctoribus. Quinto censeo, idem esse dicendum de sacerdote habente hanc jurisdictionem delegatam; nam si irregularis fiat, non amittit illam ipso facto; quia nullum est principium ad id asserendum. Unde si absolvat, valida erit absolutio ex eodem fundamento, et si obtineat dispensationem ab irregularitate, non indigebit nova delegatione jurisdictionis, ut licite, et valide absolvat; ergo signum est non amisisse illam. Imo licet post irregularitatem ei jurisdictio delegetur, idem omnino arbitror, quia non est incapax talis jurisdictionis, neque est aliquod jus; quod illam delegationem nullam et irritam faciat. Solum posset esse invalida, si per deceptionem obtineretur, vel per subreptionem, tanquam gratia subreptitie obtenta; quod habebit locum, quando in gratiam sacerdotis conceditur; nam quando datur primario in gratiam pœnitentis, raro censebitur delegatio subreptitia ex hoc capite.

46. *Sexta conclusio. — Septima conclusio.* — Hinc ulterius (quia has quæstiones supra huc remisi) probabilius censeo idem esse dicendum de suspensione ab Ordine; nam si præcisa sit, non impedit executionem jurisdictionis, sed Ordinis tantum, ut supra dixi; et ideo neque hanc jurisdictionem tollit, sed solum concomitanter prohibet talem illius usum, quod non satis est ad irritandum actum. Quod omnibus argumentis factis, et inductione ab aliis actibus jurisdictionis sumpta confirmari potest. Tandem idem judico dicendum de interdicto personali sacerdotis absolventis, quia seclusa excommunicatione, non videtur per se tollere jurisdictionem; nam talis interdictus, si sit ordinarius, potest suam jurisdictionem delegare, et alios actus jurisdictionis valide efficere. Et aliæ rationes hic etiam habent locum, nullumque est jus, quod tribuat hunc effectum tali censuræ, nec auctores illud assignant. Quamdiu ergo aliud non constiterit, non sunt a nobis effectus harum pœnarum augendi.

SECTIO III.

Propter quam causam incurratur irregularitas, et quotuplex illa sit.

1. *Prima regula. — Irregularitas non est semper pœna propria.* — Consideranda in primis occurrit causa motiva, et quasi finalis; nam est prima radix institutionis irregularitatis. Unde ex ordine ad illam oriri solent variæ divisiones irregularitatum, quæ propterea simul cum hac causa explicabuntur. Prima ergo regula est, irregularitatem non semper incurri propter peccatum, sed interdum sufficere indecentiam absque culpa; aliquando vero imponi propter culpam. Tradit D. Thom., 2. 2, quæst. 64, art. 7, ad 3, et quæst. 108, art. 4, ad 2; Richardus, in 4, dist. 25, art. 4, quæst. 3, ad 1, ac omnes scribentes de irregularitate, constabitque late ex discursu materiæ. Ratio vero est, quia irregularitas non est primo et per se in pœnam introducta, sed propter reverentiam Ecclesiasticorum Ordinum et functionum eorum, ut omnia religiose ac decenter peragantur; non solum autem culpa, sed etiam multi alii defectus possunt hanc decentiam impedire. Unde facile solvitur vulgaris objectio, quia nemo debet pati pœnam sine culpa; est enim illud verum formaliter de pœna quatenus pœna est, nam dicit relationem ad culpam; non tamen de quolibet nocumento, aut gravamine, seu privatione boni, quod generali quadam ratione comprehenditur sub malo pœnæ; aliquid enim hujusmodi aliquando incurritur sine culpa, licet non sine causa, et maxime propter commune et excellentius bonum, ut in præsenti est decentia et religio functionum sacrarum.

Prima irregularitatis divisio.

2. *Divisio hæc oritur per ordinem ad causam irregularitatis.* — Hinc ergo oritur

prima divisio irregularitatis; quædam enim est propter indecentiam tantum, alia propter culpam. Circa quam oportet advertere nullam esse irregularitatem in cujus causa non consideretur aliqua indecentia, quia hæc est veluti adæquata causa irregularitatis ut sic; nulla enim alia assignari potest, cum tamen necesse sit, irregularitates omnes, sicut in communi ratione irregularitatis conveniunt, ita in aliqua communi et adæquata causa convenire. Item quia sine aliqua causa proportionata non potest irregularitas imponi, esset enim injusta; hæc autem causa si non includit culpam, necesse est ut saltem indecentiam contineat; si autem continet culpam, a fortiori continet etiam indecentiam, quia nulla potest esse major quam defectus gravis includens culpam. Est ergo hæc indecentia communis omni irregularitati. Quapropter, ut distinctio inter prædicta membra constet, cum præcisione sumenda sunt; nam quædam est irregularitas fundata in sola indecentia absque culpa, alia in indecentia includente culpam. Atque ita hæc divisio, et membrorum sufficientia manifesta est. Hinc vero colligitur, irregularitates has ex vi prædictæ distinctionis non differre formaliter in ratione privationis, seu impedimenti canonici, sed tantum per habitudinem ad causas ex quibus oriuntur, sicut differunt excommunicatio ob violentas manus in clericum injectas, vel ob peccatum hæresis; ita enim quædam irregularitas oritur ex defectu natalium, verbi gratia, in quo nulla est culpa ipsius personæ irregularis, alia vero ex iteratione baptismi, quæ est cum culpa, et sic de aliis. Solum ex hac differentia resultat in una irregularitate relatio, seu respectus pœnæ, qui non invenitur in alia; pœna enim dicit relationem ad culpam, juxta doctrinam D. Thomæ, 1. 2, quæst. 87, art. 1, et in præsenti attigit Covarr. in principio dictæ Relectionis, qui jura et alios auctores refert. Hic autem pœnæ respectus est accidentarius ad rationem irregularitatis, et veluti secundario illi conveniens, ut magis in sequentibus declarabitur.

3. *Nulla irregularitas est censura.* — Tandem advertere oportet, nonnullos auctores ex hac divisione colligere aliam, scilicet, irregularitatem quamdam esse censuram, aliam non esse censuram, vocantes censuram, illam, quæ est pœna, non vero aliam. Ita sensit Soto, in 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, quem moderni aliqui Thomistæ secuti sunt, et Cordub., lib. 5 de Indulg., quæst. 43, dub. 4. Illa vero distinctio neque juri, neque traditioni Doctorum, neque praxi Romanæ Curiæ, nec rationi consentanea est, ut latius ostendimus in disput. 1 hujus libri, ex cap. Quærenti, de Verb. signific., et ex propria ratione censuræ, quæ est ut sit pœna medicinalis ad correctionem imposita, ex cap. Corripiantur, cum aliis, 24, quæst. 3, et ex cap. 1, et cap. Dilecto, cum aliis, de Sent. excomm., in 6, et Trident., sess. 23, cap. 2 de Reformat. Et ideo ex eo solum quod quædam irregularitas pœna est, non colligitur esse censuram, tum quia non est pœna medicinalis, sed ex se perpetua; tum etiam quia in illa irregularitate, quæ est pœna, principalis ratio ejus magis consistit in indecentia et inhabilitate inde contracta, ratio autem pœnæ secundaria est. Et confirmatur, quia, si hæc irregularitas esset censura, celebrans cum illa novam incurreret irregularitatem; generale enim principium est, violatorem censuræ per celebrationem fieri irregularem; quod esse falsum, et contra communem sententiam supra ostensum est. Nomine ergo censuræ generatim posito nunquam comprehenditur irregularitas, ut rectius docuit idem Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 1, art. 4. Atque hæc doctrina, licet fortasse speculative considerata videri possit ad modum loquendi pertinere, tamen in materia morali necessaria est ad intelligenda privilegia, vel rescripta, in quibus aliquid de censuris disponitur; nunquam enim comprehendunt irregularitatem, si solum de censuris generatim loquuntur. Quod olim non ita distincte explicabatur, sed pro certo supponebatur in praxi; nunc autem fortasse propter opinionem post Sotum introductam, solet declarari in bullis et Jubilæis, ut novissime vidimus in solemni et amplissimo Jubilæo a S. D. N. Clemente VIII, ad instantiam Regis Catholici concesso. Potest etiam ad hoc confirmandum expendi locus Concilii Basileen., sess. 24, ubi conceditur fidelibus quædam indulgentia plenaria, et ad illam consequendam datur facultas eligendi confessorem, et illi datur facultas absolvendi ab omnibus censuris etiam Summo Pontifici reservatis; et tamen paulo inferius, quia sub illa concessione non erat inclusa irregularitas, datur facultas non absolvendi (quod notandum est), sed dispensandi in irregularitate occulta, præterquam bigamiæ, et homicidii voluntarii, quarum altera pœnalis est, altera minime; neutra ergo sub censuris comprehenditur.

Secunda divisio irregularitatis in communi.

4. *Ob nullum defectum spiritualem involuntarium incurritur irregularitas.* — Alia vero divisio irregularitatis potest ex prima colligi. Nam quædam irregularitas contrahitur per actum proprium hominis irregularis, alia vero sine ipsius actu. Quæ divisio æque universalis est ac præcedens, membra vero sunt diversa; nam omnis irregularitas, quæ sine proprio actu contrahitur, sine culpa incurritur, quia per solam passionem sine morali actu non committitur culpa actualis, de qua loquimur; nam sola originalis culpa non potest esse fundamentum alicujus irregularitatis, ut per se notum est. Irregularitas autem, quæ contrahitur per proprium actum, potest sine culpa, et cum illa incurri. Et ita hæc pars comprehendit unum membrum integrum divisionis præcedentis et partem alterius. De illa ergo irregularitate, quæ sine proprio actu contrahitur, nihil dicendum vel dubitandum in communi occurrit; semper enim fundatur in aliquo defectu passivo (ut sic dicam), in quo Ecclesiastica lex sufficientem indecentiam consideravit, ratione cujus hanc inhabilitatem apposuit. Subdividitur autem hoc membrum in plura, juxta varias causas seu defectus, propter quos incurritur. Et primo dividi posset, juxta opinionem aliquorum, in irregularitatem ex defectu corporali, vel spirituali, sine proprio actu contractam. Sed non invenio spiritualem defectum non voluntarium, propter quem contrahi possit irregularitas; solum enim posset talis existimari ignorantia, de qua infra dicam vel non esse propriam irregularitatem canonicam, vel non sine hominis voluntate. Idemque est de iterata receptione baptismi, nam si voluntarie fiat, jam non est sine proprio actu; si vero fiat involuntarie per ignorantiam invincibilem, nulla inde contrahitur irregularitas juxta veriorem sententiam, ut in 3 tom. dixi, disput. 31, sect. 6; nulla est ergo irregularitas, quæ ex defectu animæ seu spirituali prorsus involuntario contrahatur, sed omnis illa est ex aliquo defectu ad corpus pertinente; quæ ad duo capita revocatur; hic enim defectus potest pertinere vel ad originem, seu propagationem factam modo indebito, vel ex talibus parentibus ortam, ut esse natum ex vago concubitu, etc.; vel ad corporalem defectum ipsius individui, qualis est in ætate, in mutilatione alicujus membri, vel in aliqua ægritudine notabiliter impediente; de quibus omnibus postea sigillatim dicemus.

An ad irregularitatem, quæ ex proprio actu nascitur, requiratur actus externus.

5. *Ratio dubitandi pro parte negativa.* — *Exemplis eadem ratio dubitandi roboratur.* — *Primum.* — *Ejusdem confirmatio.* — Circa aliam irregularitatem, quæ ex proprio actu nascitur, occurrit statim dubium, an requiratur actus externus, vel sufficiat aliquando mere internus. Et ratio dubitandi est, quia sæpe in privilegiis Pontificis conceditur confessori facultas dispensandi in irregularitate pure mentali, ut Covarruvias refert, num. 4; non potest autem irregularitas vocari pure mentalis, nisi quia ex actu pure mentali contrahitur; supponunt ergo Pontifices dari aliquam irregularitatem hujusmodi, neque credendum est illusoria esse illa privilegia. Ratione probatur, quia interior actus mentalis aliquando non minorem indecentiam infert, quam exterior actus, ut patet de hæresi mentali, et de odio vehementi occidendi inimicum, etc. Ex parte ergo causæ est in his actibus sufficiens ratio irregularitatis. Ex parte item Ecclesiæ non deest potestas, vel quia probabile est Ecclesiam habere jurisdictionem in actus mentales, vel certe quia hic non requiritur jurisdictio in ipsummet actum; nolumus enim hanc irregularitatem imponi in pœnam talis actus, sed solum esse inhabilitatem personæ ob indecentiam talis actus; ad hoc autem sufficit jurisdictio in personam, in qua Ecclesia postulat talem conditionem, v. gr., carentiam talis actus seu immunditiæ, etiam spiritualis, ut sit juridice habilis ad sacros Ordines. Declaratur exemplis; nam Ecclesia facit irregularem eum, qui fuit bigamus ante baptismum, postquam baptizatus est (quod gratia exempli sit dictum), ad quod satis est, ut persona jam baptizata sit de foro Ecclesiæ, quamvis actus, in quo fundatur, factus sit extra Ecclesiæ forum; ergo similiter in præsenti. Aliud exemplum est de indulgentia, quam Pontifex concedere potest propter actum mere internum, quia per indulgentiam non judicat de actu, nec præmium pro illo reddit, sed solum illum requirit ut necessariam conditionem ad exercendum talem actum jurisdictionis circa personam sibi subditam; cur ergo non potest idem dici in præsenti? Confirmatur tandem, quia Ecclesia interdum punit per censuram

et actum habentem talem conditionem internam, et non alias; et aliquando concedit favorem sub conditione pendente ex actu pure mentali, qualis est illa, *nisi sub hac spe peccaverit;* ergo similiter in præsenti potest prohibere exterius sumere vel exequi Ordines cum tali defectu pure mentali; hæc autem prohibitio quod fieri possit, tenuit Glossa ultim. in cap. Perniciose, de Pœnit., dist. 1. Quam sequutus est Bonifacius in Clement. 1 de Homicidio, n. 4, et nonnulli alii juristæ.

6. *Conclusio affirmans. — Rejicitur divisio irregularitatis in magnam et parvam.* — Nihilominus dicendum est nullam esse irregularitatem, quæ propter actum pure mentalem contrahatur. Ita tenet D. Thom., 1. 2, q. 20, art. 5, ad 6; Antonin., 3 part., tit. 26, art. 2; Soto, 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9; Ledesma, 2 part. 4, quæst. 26, art. 2; Corduba, lib. 5 de Indulgentiis, quæst. 43, dub. 2; Navar., in dict. cap. Perniciose, num. 6, notab. 3, et in Summa, cap. 27, num. 192 et 226; Covarr., dict. Clement., 1 p., in princ., num. 4, et 2, in princ., num. 3; Villadiego, de Irregularit., cap. 6, num. 23; Sylvest., verb. *Homicidium,* 3, quæst. 1, et 2 et 8; Nicol. Plovius, num. 17, reg. 27; communis Canonistarum cum Gloss. in cap. Si aliquis, de Homicidio, quæ specialiter loquitur de irregularitate homicidii. Et probari solet ex cap. Sicut ex litterarum, de Homicid., in quo solum dicitur, non fieri irregularem eum, qui ante formationem fœtus est causa abortus. Ut ergo hanc sententiam probemus, ne æquivoce procedamus, relinquenda in primis est quorumdam modernorum divisio, qui irregularitatem in parvam et magnam partiuntur; parvam vocant quodlibet peccatum mortale, quia impedit administrationem divinorum; vocantque parvam, quia per solam pœnitentiam auferri potest. Illa autem vocatur gravis, quæ non aufertur, etiamsi peccatum per pœnitentiam auferatur. Si ergo prior opinio de priori irregularitate loqueretur, abuteretur quidem voce, tamen in re verum diceret, nam per actum mere internum potest homo impediri, ne possit licite aut Ordines sumere, aut aliquem actum illorum exercere. Tamen hoc non est impedimentum canonicum, nec lege humana introductum, quare impropriissime et solum nomine vocatur irregularitas; nec de hoc in præsenti disputamus, sed de propria irregularitate, quæ est impedimentum canonicum.

7. *Suadetur conclusio.* — De qua in primis certum est, de facto nullam esse canonicam legem, quæ hoc impedimentum imponat propter actum pure mentalem. Hoc patebit latius infra discurrendo per singula delicta, propter quæ incurritur irregularitas. Nam si aliquis actus internus ad hunc effectum posset sufficere, maxime esset aliquis peccaminosus, nam propter solam voluntatem aut cogitationem non malam non potest contrahi tanta indecentia, quæ ad hanc inhabilitatem sufficere valeat; at vero jura, quæ irregularitatem imponunt propter aliquos actus, nunquam loquuntur de voluntate, sed de opere aut facto; lex autem lata contra facientem, non extenditur ad volentem tantum, ut recte Navarrus supra notavit, et in cap. Pœnæ, de Pœnit., dist. 1, num. 2 et sequent. Accedit etiam generalis regula juris, Ecclesiam non judicare de internis, quorum cognitor solus Deus est, cap. Erubescant, cum similibus, dist. 32.

8. *Non potest Ecclesia irregularitatem pro actu mere interno imponere.* — Ex quo ulterius probabilius est non posse Ecclesiam similem irregularitatem mentalem imponere, nam ex perpetuo non usu Ecclesiæ probabile argumentum sumitur ad defectum potestatis, in his rebus moralibus, quæ quotidiano usu eveniunt, et essent accommodatæ ad usum, si fieri possent; et ideo si nunquam fiunt, signum est fieri non posse. Unde Alexander Papa, ep. 1, cap. 2, de hac re agens, inquit : *Non potest autem humano condemnari examine, quem Dominus suo reservavit judicio;* et refertur in cap. 1, 15, quæst. 6, et similia sumi possunt ex cap. ult., 15, quæst. 1, et multa alia adduximus supra tractando de censuris. Nec potest in hoc negotio distingui jurisdictio in personam a jurisdictione in actum. Primo, quia vix posset separari a tali irregularitate ratio pœnæ, quia, ut dicebamus, non potest imponi nisi propter actum peccaminosum. Secundo, quia sicut actus mere internus, quatenus est culpabilis, et dignus pœna, non subjacet hominum judicio, ita neque quatenus infert aliquam indecentiam, quia etiam illa indecentia est extra hominum forum, quia est extra cognitionem humanam. Tertio, quia jurisdictio in personam quantum ad exercitium hujus actus, qui est imponere irregularitatem, non convenit nisi mediante actu, seu ratione actus; ergo si actus, omni ratione spectatus, est extra forum humanum, persona etiam in ordine ad talem effectum est extra jurisdictionem humanam.

9. *Rationes dubitandi dissolvuntur. — Delictum mentale ob quod irregularitas contrahitur, quod dicatur.*—Ad rationes ergo in oppositum dicitur, clausulam illam, per quam conceditur privilegium ad dispensandum in irregularitate mentali, in primis jam non esse in usu. Deinde Navarrus et Covarruvias supra existimant illis verbis impropriis significatam esse irregularitatem contractam ex delicto occulto, de quo infra dicemus. Corduba autem addit probabiliter, irregularitatem mentalem vocari eam, quæ licet per actum exteriorem contrahatur, pendet ex aliqua conditione pure mentali, ut quod fiat ex certa scientia, contemptu, odio, præsumptione, pertinacia; nam hoc modo supra ostendimus posse actum exteriorem puniri ab Ecclesia, ut conjunctum alicui interiori, sine quo non incurreretur pœna; quod in censuris declaratum est, et quoad hoc est eadem ratio in irregularitate. Ac proinde regulæ positæ ad explicandas leges ferentes censuras, ad irregularitates applicandæ sunt, esse scilicet ponderanda singula verba, quibus modus peccandi declaratur, ut *scienter*, et similia, quia non contrahitur irregularitas, nisi opus tali modo factum sit, etiamsi talis modus ex actu mere interno pendeat, et sit veluti denominatio ab illo sumpta.

10. *Respondetur primo exemplo. — Satisfit secundo exemplo.* — Ad rationem jam sufficienter responsum est, indecentiam contractam ex culpa mentali esse talem apud Deum, non autem in foro humano, et ideo Ecclesiam non potuisse illam considerare ad inducendam irregularitatem. Et ob hanc causam non est simile primum exemplum de bigamia contracta ex actibus ante baptismum factis. Primo, quia illi actus fuerunt externi, et ideo licet non fuerint de jurisdictione Ecclesiæ, nihilominus subjacent cognitioni Ecclesiæ, et hac ratione potest eorum indecentiam considerare, si fortasse in eis fuit. Secundo, quia illa irregularitas non tam fertur propter actum quam propter significationem vel indecentiam moralem relictam ex actu, quæ permanere potest moraliter in persona jam Ecclesiæ subjecta, etiamsi actus ipsi non fuerint Ecclesiæ subjecti, quod postea examinandum est. Aliud etiam exemplum indulgentiarum non est simile, primo quia jurisdictio ad concedendas indulgentias non tam est fori contentiosi quam pœnitentialis, vel saltem multum de illo participans, eo quod effectus primarius indulgentiæ sit mere internus, et in foro Dei, et ideo mirum non est, si possit concedi sub mentali conditione. Secundo, quia jurisdictio, quæ exercetur in irregularitate ferenda est coactiva, in indulgentiis autem est voluntaria, in qua potest actus mere internus voluntarie subjici usui clavium. Sic enim votum mentale dispensandum offertur Pontifici, et culpa mentalis absolvenda a sacerdote; hoc autem in jurisdictione compulsiva non admittitur, ideoque obligatio confitendi peccata mere interna ex divino jure, quantum ad substantiam suam, procedit. Atque ob hanc etiam causam magnum esset inconveniens, si propter actum pure mentalem aliquis irregularitatem incurreret, nam cogeretur suam culpam extra confessionem manifestare, ut dispensationem irregularitatis posset obtinere.

11. *Diluitur confirmatio.* — Ad ultimam confirmationem negatur consequentia, nam Ecclesia nunquam fert legem respicientem aliquo modo interiorem actum, nisi quatenus ille est circumstantia exterioris, seu moraliter in illum influit; tunc enim puniendo exteriorem, potest consequenter respicere omnes circumstantias ejus. In præsenti vero, celebratio, v. gr., exterior nullo modo procedit ex culpa mentali alias commissa, neque talis actus mentalis est circumstantia ordinationis, aut executionis Ordinis postea subsecutæ; et ideo non potest hoc prohiberi per irregularitatem propter alium actum mentalem disparatum. Secus vero esset si Ecclesia ferret irregularitatem in eum, qui baptizaret, v. gr., sine intentione baptizandi, quod optime facere posset, quamvis illa carentia intentionis pure mentalis sit, quia non ferretur propter carentiam intentionis, sed propter actum externum cum tali carentia factum, quæ jam est circumstantia ejus.

An actus externus in sua specie consummatus requiratur ad irregularitatem.

12. *Conclusio de possibili.* — Secundo dubitari potest, an requiratur opus externum et consummatum ad irregularitatem contrahendam; nam quæ hactenus diximus solum probant requiri actum exteriorem, qui interdum potest esse perfectus, ut homicidium, aliquando vero attentatus tantum, ut aggressio vel sagittatio animo occidendi. Quia vero simile dubium supra de censuris tractatum est, et eamdem rationem decisionis in præsenti habet, ideo dico breviter, aliud esse loqui de possibili, aliud de facto. De possibili dicen-

dum est, Ecclesiam posse pro quocumque actu exterius prodeunte, etiamsi tantum inchoatum peccatum sit in sua specie, irregularitatem ferre, si judicaverit illud sufficere ad inducendam causam seu indecentiam, quæ ad irregularitatem satis sit. Probatur, quia per quamcumque externam inchoationem constituitur actus intra forum Ecclesiæ, et alioqui non repugnat, ut in eo sufficiens indecentia sit ad irregularitatem imponendam : ergo.

13. *Quid de facto.* — At vero loquendo de facto, verba juris observanda sunt, semperque salva proprietate, quantum fieri potuerit, restringenda, juxta vulgarem regulam cap. Pœnæ, cum similibus, de Pœnit., dist. 1. Quocirca, si actus, pro quo irregularitas imponitur, significetur per verbum indicans opus consummatum usque ad effectus consequutionem, non incurritur irregularitas, donec opus ita consummatum sit; ut, v. gr., si irregularitas fertur propter homicidium, non sufficiet velle, aut attentare, aut quæcumque vulnera lethalia infligere, nisi mors sequatur, etiamsi contingat per miraculum impediri, quia talis lex ex vi verborum non fert irregularitatem nisi sub illa conditione; et ideo quacumque causa contingat homicidium non impleri, non incurritur irregularitas. Superius enim de indulgentia diximus, si sub conditione concedatur, et hæc non impleatur per impotentiam, vel quamcumque aliam causam, indulgentiam non comparari; ergo a fortiori idem dicendum est in materia pœnali. Secus vero est, quando verba legis solum requirunt actum inchoatum seu attentatum, nam tunc inducunt effectum, quantum in rigore sonant, servatis principiis positis; atque adeo si exterior actus eatenus fiat, quatenus in lege prohibetur, jam nihil deest, ut irregularitas oriatur. Quomodo autem hoc ad praxim applicandum sit, constabit ex his, quæ de singulis irregularitatibus dicemus. Et juxta hanc doctrinam intelligendi sunt auctores, quando asserunt irregularitatem non incurri nisi per actum consummatum et perfectum, ut videre licet in Burgasio, de Irregularitate, tit. de *Bigamis,* num. 12; et Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9; optime Covarruv. adducens textus utriusque juris in dict. Clement., 2 part., in princip., num. 3, 4, 5 et 6.

An irregularitas hæc solum per actum moralem contrahatur.

14. *Pars affirmans.* — Tertio dubitari potest, an per actum consummatum exterius, et (ut ita dicam) physice, non tamen interius et moraliter, incurratur hæc irregularitas. Videri enim potest vera pars affirmans, quia jam tunc impletur conditio, sub qua irregularitas ponitur, quæ est, *si occideris, si celebraveris excommunicatus,* et similia; ergo id satis est, ut oriatur irregularitas. Patet consequentia, quia voluntas conditionata, posita conditione, transit in absolutam; unde, cum supponatur potestas, habebit effectum. Nam quod actus interior non simul concurrat, vel non perfecte, ad summum efficere potest, ut actus in ratione culpæ excusetur; hoc autem non satis est ad excusandam irregularitatem, quia irregularitas ex se contrahitur sine culpa; solum ergo fiet, ut sicut in illo actu deest ratio culpæ, ita in irregularitate desit ratio pœnæ; tamen irregularitas secundum se consurget in ratione cujusdam inhabilitatis ex actu illo, qui secundum se habet suam indecentiam.

15. *Tripliciter potest fieri actus externus sine interiori.* — *Prima conclusio.* — *Secunda conclusio.* — Tribus modis contingere potest actum perfecte consummari exterius sine interiori : primo quia omnino deest voluntas interna, quæ constituat illum actum voluntarium, moralem et humanum, ut si dormiens vel amens occidat. Secundo, ut non desit voluntas, quæ constituat illum actum liberum prout actus est, desit tamen voluntas, quæ reddat illum actum voluntarium, quatenus culpabilis esse potest, ut si excommunicatus celebret ex naturali oblivione censuræ. Tertio potest esse actus liber et humanus, habere tamen effectum nullo modo voluntarium aut prævisum, ratione cujus imposita est hæc irregularitas, et non ratione actus secundum se, ut si quis libere venationem exercens, casu omnino involuntario hominem interficiat. In primo casu regula generalis est, hanc irregularitatem non incurri propter hujusmodi actum, quia cum tale opus, humanum omnino non sit, non solum a culpa, sed etiam ab omni pœna et legitima indecentia excusat; ergo non potest esse irregularitatis fundamentum. In secundo casu, et cum eadem proportione in tertio, dicendum etiam est regulariter in illis non incurri irregularitatem, de qua loquimur, quia revera

imponitur propter culpam; et ideo, cessante culpa, non insurgit, quia tunc non impletur conditio. In particulari vero observare oportebit in hujusmodi decretis, per quæ irregularitates feruntur, an cessante irregularitate pœnali, insurgat alia, quæ respiciat actum seu effectum actus secundum se, ratione alicujus significationis vel indecentiæ, quam secum affert seclusa culpa, quod opinor in casibus secundi ordinis nunquam reperiri; et ideo in eis potest generalis regula statui, irregularitatem non contrahi sine culpa, sicut eam statuit Soto, dict. art. 9, proxime citato. Quæ confirmari potest ex multis textibus in decreto, d. 50, et expressius in c. Apostolicæ, de Cler. excomm. minist., ubi dicitur, suspensum ex probabili ignorantia celebrantem divina excusatum esse, utique ab irregularitate, ut omnes exponunt; quid enim aliud in eo excusandum erat? Difficultates autem, quæ in actibus hujus secundi ordinis occurrere poterant, maxime versantur circa susceptionem Ordinum, illegitimam quidem secundum se, bona tamen fide factam; eos tamen omnes attigimus et resolvimus agentes de suspensione, ubi diximus illam solum esse carentiam negativam usus Ordinis suscepti, quæ aliquando contrahitur sine culpa, quia alius dare non potuit, quod fieri solet in injuriam ordinantis, ut jura loquuntur. In tertio autem ordine actuum, quamvis etiam sit certum sæpe in illis excusari irregularitatem ob defectum voluntatis, ut probant multa decreta sub titulo homicidii, nihilominus difficultas specialis est, an sit aliquando facienda aliqua exceptio, de qua re melius dicemus agentes de irregularitatibus homicidii, quia in illis solis habet locum hæc difficultas.

An venialis culpa sufficiat ad hanc irregularitatem.

16. *Pars affirmans.* — *Sententia negans.* — Quartum ergo dubium est, quando ad irregularitatem contrahendam necessaria est culpa, an venialis sufficiat. Partem affirmantem videtur sensisse Cajetan., 2. 2, q. 64, art. 8, dicens, per illud homicidium casuale, quod contigit dando operam rei illicitæ, incurri irregularitatem, quia non excusatur quis ab omni culpa, licet excusetur a mortali. Ubi (quidquid sit de veritate exempli, nam ibi etiam potest intervenire excusatio a veniali culpa occisionis), supponit, culpam venialem sufficere ad irregularitatem contrahendam. Idem apertius in Summa, verb. *Irregularitas,* probatque exemplo excommunicationis minoris, quæ propter veniale peccatum incurritur, et tamen privat majori bono quam irregularitas, quia irregularitas solum privat susceptione unius sacramenti Ordinis, et consequenter ejus executione; excommunicatio autem minor privat susceptione omnium sacramentorum. Unde sentire videtur, irregularitatem non solum ex accidenti incurri posse propter peccatum veniale, quando opus ex se est mortale, excusatio tamen intervenit, licet non integra et ab omni culpa, sed etiam directe et per se posse per legem imponi propter actum, qui de se tantum esset veniale peccatum. In hanc sententiam inclinant Armill., verb. *Irregularitas,* num. 4, et Covarr., dict. Clementin., 2 part., § 4, n. 9, quatenus aiunt, culpam levem in præcavendo homicidio sufficere ad irregularitatem contrahendam. Idem tenet Castro, lib. 1 de Lege pœnali, cap. 5, docum. 4, in fin.; et Cordub., lib. 2, q. 26, circa finem, citans Sylvestrum, et alios. Contrariam sententiam insinuat Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 2, § 4; tenent Medin., Cod. de Jejun., q. d. de Necessitate servandi jejun.; Soto, dict. art.; Navarr., cap. 27, num. 252 et 253, et cap. ultim., 14, quæst. 6, num. 21. Et mihi videtur vera. Ut tamen illam explicem, distinguo hic duas quæstiones. Una est, an irregularitas pœnalis (de qua tantum loquimur) ponatur propter culpam ex suo genere venialem; alia est, an posita propter culpam ex suo genere mortalem, incurratur propter actum, qui in individuo est tantum venialis.

17. *Prima conclusio.* — Dico ergo primo: irregularitas nec imponitur, nec videtur posse imponi propter culpam de se venialem. Probatur primo, quia nulla est lex canonica, quæ propter talem culpam talem imponat pœnam. Secundo, quia suspensio gravis non ponitur propter talem culpam, ut supra dixi; at irregularitas æquiparatur, vel excedit, ut jam dicam. Tertio, quia pœna debet esse proportionata; hæc autem videtur nimia. Nec est simile de excommunicatione minori, quia irregularitas omnibus pensatis est longe gravior, quia privat executione Ordinum, eorumque habilitate, et non est medicinalis pœna, sed vindicativa et de se perpetua, et difficilem habet dispensationem. Nam, licet quidam dicant posse dari ab Episcopo, quando incurritur propter veniale, et illud etiam est satis grave onus, et præterea non constat de tali

potestate Episcopi, nisi ubi fuerit in jure expressa.

18. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : probabilius videtur, quoties intervenit excusatio a culpa mortali, licet venialis committatur, non incurri irregularitatem, quæ propter actum, qui de se mortale peccatum est, imponitur. Probatur primo, quia ad rem moralem parum refert, quod culpa sit mortalis in sua specie, sed in individuo; nam pœna pro actu in individuo fertur, et cum eo debet servare æquitatem, ut servetur justitia. Secundo, quia actus, qui ex genere suo est mortale peccatum, non est in individuo veniale nisi vel ex levitate materiæ, vel quia non est simpliciter humanus, sed secundum quid. Si ergo in præsenti sit veniale ex primo capite, non potest esse sufficiens ad irregularitatem, quia neque in tali materia est sufficiens proportio, neque fieri potest, ut verba legis seu conditio ex vi illorum requisita ad irregularitatem, in sola illa materia perfecte compleatur; semper enim talis lex aliquam gravem materiam postulat, ut est homicidium, mutilatio, administratio indebita sacramenti, vel aliquid hujusmodi. Si vero peccatum sit veniale ex altero capite, ille non est actus perfecte humanus; ergo eadem ratione non sufficit, ut per illum censeatur impleta conditio in tali lege requisita ad irregularitatem, quia, ut sæpe ostensum est, leges pœnales simpliciter latæ puniunt actus completos in sua ratione, non physica tantum, sed morali; nam magis illos puniunt, ut morales sunt, quam propter solum physicum effectum; ergo, licet talis actus aliquo modo voluntarius sit, tamen, quia est valde imperfectum voluntarium, et fere non humanum, ad irregularitatem non sufficit. Quod confirmatur ex Navarro, in dict. cap. fin., quia alias quicumque diceret, faceret, consuleret, aut mandaret aliquid, quo facto mors contingeret, vix posset vitare irregularitatem, etiamsi magna circumspectione id faceret, et a fortiori vix posset aliquis aliquem occidere in suæ vitæ defensionem, et non manere irregularis, quia in hujusmodi rebus non est humanum aut non excedere, aut non deficere aliquantulum in diligentia adhibenda. Solent tamen contra hoc objici quædam capita de Homicidio, ubi propter mortem secutam sine peccato mortali irregularitas incurri dicitur. Verumtamen, si illi textus aliquid probant, etiam sine veniali culpa dictam irregularitatem incurri asserunt; quod si fortasse ita est, dicemus illam irregularitatem non esse pœnalem, sed significativam aut mysticam, ut sic dicam. Illi vero textus inferius sunt exacte et in particulari tractandi. Objici etiam solet cap. 1 de Ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop. Sed hic textus late tractatus est supra, disput. 38 de Suspens., sect. 1.

An quodlibet peccatum mortale sufficiat ad hanc irregularitatem.

19. *Duplex quæstionis sensus.* — *Deciditur in priori sensu.* — *Prima sententia circa secundum sensum.* — Quintum dubium est, an quodlibet peccatum mortale sit sufficiens ad irregularitatem. Quod in duplici sensu inquiri potest, primo in ordine ad legem ferendam, secundo in ordine ad pœnam legis jam latæ contrahendam. Priori modo manifestum est, non omnia peccata mortalia esse moraliter sufficientia, ut irregularitates propter illa imponantur, alias oporteret clericos esse impeccabiles, vel in gratia confirmatos. Quamvis ergo peccatum mortale ex se dignum sit multo majori pœna, tamen hæc non esset proportionata, nec prudenter fertur, nisi pro criminibus speciali modo repugnantibus clericatui seu decentiæ illius. Quæ autem hæc sint, solum dicimus, de possibili relinquendum esse prudentiæ legislatoris, de facto vero consulenda esse jura. In altero ergo sensu procedit dubitatio, in qua quidam existimant non sufficere externum peccatum mortale, nisi intercedat etiam contemptus et dolus, quæ sunt speciales conditiones interiores, præter voluntatem peccaminosam exercendi talem actum. Ita sentit Navarr., in cap. Accepta, de Restit. spoliat., ad oppositionem 8, num. 34, et cap. 27, num. 252, referens Panormitanum, in cap. Pastoralis, § Verum, de Appellat., num. 115, et Dominicum, in cap. Solet, de Sent. excom., in 6, dicentes, irregularitatem esse pœnam contemptus. Et simili modo loquitur Felinus, in c. Rodulphus, de Rescript., num. 43. Dominicus etiam in cap. Is cui, de Sentent. excommun., in 6, § 1, num. 1, irregularitatem ait non contrahi sine dolo.

20. *Vera sententia.* — *Auctores contrariæ sententiæ exponuntur.* — Nihilominus dicendum est, eam voluntatem, quæ sufficit ad peccandum mortaliter, sufficere etiam ad contrahendam irregularitatem, si alioqui in exteriori actu est sufficiens integritas, et malitia requisita ex vi verborum legis. Assertio

est certa. Probatur primo ex juribus, quæ docent ad irregularitatem contrahendam sufficere ignorantiam crassam vel supinam, ut in cap. 1 de Ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop., et sæpe alias. Inde enim habetur voluntarium indirectum satis esse ad irregularitatem contrahendam, licet non sit ex contemptu, sed ex negligentia. Secundo ex natura rei hoc sufficit ad incurrendam pœnam, et nihil est in irregularitate, propter quod amplius postuletur, neque per leges Ecclesiasticas postulatur; ergo necessarium non est; neque auctores citati locuti sunt in sensu contrario, sed late minusque proprie voluntatem omnem peccandi mortaliter vocarunt contemptum, et dolum, vel formalem, vel interpretativum, seu virtualem. Quod satis explicuit Felinus; cum enim dixisset excusari quemdam ab irregularitate, quia non contempserat, subdit, *excusare itaque ex probabili ignorantia.* Et Abbas, in cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss., num. 2, latam culpam sufficere ad pœnam juris canonici ait, etsi ad pœnam juris civilis non sufficiat, quia ibi requiritur dolus : *Quantum vero ad irregularitatem,* ait, *lata culpa æquiparatur dolo, quod tene menti, nam studiosa negligentia dolo comparatur, et inducit irregularitatem, quia videtur affectare delictum ex tanta negligentia.*

21. *An per peccatum externum omnino occultum contrahatur. — Prima opinio. — Vera sententia. — Satisfit fundamentis contrariæ sententiæ.* — Alii vero ex parte actus exterioris requirunt specialem conditionem, ut per peccatum mortale irregularitas incurratur, nimirum ut peccatum non sit omnino occultum per accidens, sed aliquo modo probabile. Ita sentit Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. ultim., conclus. 3. Fundatur, quia jura, quæ de hac materia loquuntur, possunt commode ita intelligi, et pœna adeo gravis temperanda est quantum fieri possit, alioqui cogeretur sæpe clericus peccator occultus se infamare abstinendo ab usu Ordinum. Unde in cap. Ex tenore, de Temp. ordin., dicitur in simili casu posse post pœnitentiam peractam clericum ministrare. Nec desunt moderni auctores, quibus hæc opinio probabilis videatur. Similem vero quæstionem tractavi supra, disput. 3, sect. 1, num. 67, ubi censui illam opinionem non esse probabilem; idemque nunc censeo in irregularitate, cum communi sententia Glossarum et Doctorum, quam ipsemet Castro refert in cap. ultim. de Temp. ordin., et in cap. Inquisitionis, de Accusationibus. Quam etiam refert et sequitur Covarr., in Clementin. *Si furiosus*, 2 part., § 3, n. 4, et eamdem supponit Navarrus, c. 27, n. 239 et 254, sumiturque ex eisdem juribus; nam imponunt irregularitatem, ut pœnam incurrendam ipso facto, et inferendam per ipsammet legem ad modum censuræ, et ideo quoad hoc æquiparatur censuris. In hujusmodi autem pœnis, si supponatur actus externus, qui dicitur per se probabilis, ut vindicationi legis humanæ possit esse subjectus, impertinens est quod de facto possit vel non possit probari, cum hæc pœna non pendeat ex actuali probatione, neque ex infamia. Unde jura absolute loquuntur nihil distinguentes inter occultum et publicum, quantum ad irregularitatem, licet interdum distinguant quoad dispensationem, ut Tridentinum, sess. 24, c. 6 de Reformat., in quo potius supponunt per occulta delicta incurri irregularitates. Quod clare etiam significatur in cap. Nisi cum pridem, vers. *Personæ,* de Renunc., ibi : *Si tamen et culpa latet, et causa.* Neque etiam distinguunt hæc jura inter occultum probabile, et omnino; nec ergo nobis distinguere licet, argumento cap. Solitæ, verb. *Nobis,* de Majoritat. et obedient., et l. Imperator, ff. de Postulando, præsertim cum illa distinctio nulla ratione nitatur, ut declaratum est. Per quæ responsum sufficienter est ad motiva contraria; nam leges canonicæ revera non possunt legitime ita exponi, quia illa non esset interpretatio, sed voluntaria additio, quam possemus etiam addere in censuris et in omnibus pœnis privativis, quæ per legem imponi solent ipso facto, quod nullo modo admittendum est sine majori fundamento. Incommodum autem illud de infamatione propria accidentarium est, et ex occulta etiam excommunicatione sequi potest. Tunc igitur excusabitur quis ab executione (ut sic dicam) talis pœnæ, non tamen ab ipsa pœna, ut supra in censuris declaratum est, quibus æquiparatur irregularitas, ut recte indicavit Navarr., supra. Caput autem Ex tenore, non loquitur de crimine, cui est annexa irregularitas, sed quod dignum depositione, si probetur; de qua est longe diversa ratio, quia illa non est pœna lata ipso jure, sed inferenda.

Tertia divisio plures sub se continens.

22. Sexto dubitari potest, quotuplex sit hæc irregularitas, quæ per proprium actum contrahitur, quod est quærere, per quos

actus incurratur hoc impedimentum. Hoc autem in specie tractandum est fuse in sequentibus; nunc satis sit ad consummandam hanc divisionem in genere dicere, hanc irregularitatem aliquando incurri per actum licitum, aliquando per illicitum. Prior autem in duas præcipuas species dividi solet : una vulgo appellatur ex defectu sacramenti, ut est bigamia, quæ contrahitur per usum cujusdam sacramenti cum aliquo defectu in ejus significatione perfecta. Alia vocatur ex defectu lenitatis, quæ oritur ex usu muneris liciti, quod interdum facit hominis occisionem; quod si sub actu morali comprehendamus etiam omissionem vel carentiam actus, ut in rebus moralibus fieri solet, potest hic addi tertia species, quam aliqui vocant ex defectu animi, qualis est ignorantia, quæ licet quodammodo sit a natura, permanet tamen ex quadam omissione vel negligentia hominis, quæ licet fuerit sine culpa, inducit tamen quoddam impedimentum ad Ordines sacros; an vero hæc dicenda sit propria irregularitas, postea dicemus. Aliud autem generale membrum irregularitatis ex actu illicito seu delicto plures habet species; tres tamen videntur præcipuæ : una est ex homicidio; alia est ex administratione Ordinis contra Ecclesiasticam censuram; tertia esse potest iteratio baptismi, vel (ut alii volunt) iteratio sacramenti imprimentis characterem. Quibus addere possumus, si quæ fortasse irregularitas contrahitur ex delicto non tantum vero, sed etiam imposito, si revera infamiam generavit. Atque hæ sunt divisiones irregularitatum, quæ ex auctoribus colliguntur, quamvis unusquisque suo modo illas proponat et ad plura vel pauciora membra reducat. Quædam vero alia divisio ex parte effectus ab eis omittitur, quæ mihi necessaria videtur, quia utilem doctrinam continet.

Ultima divisio.

23. *Irregularitas totalis. — Irregularitas partialis.* — Ultimo ergo dividi potest irregularitas in totalem et partialem; totalis est illa, de qua hactenus præcipue diximus, et sic appellatur, quia ex se privat toto Ordine clericali; hujusmodi est, v. gr., irregularitas homicidii, bigamiæ, etc. Imo per se loquendo hæc videtur esse primaria institutio irregularitatis. Partialis vero irregularitas dicitur, quæ privat aliquo modo Ordinibus, non tamen in totum. Quod variis modis contingit. Primo prohibendo aliquem Ordinem, non vero omnes. Hujusmodi videtur esse ætas, v. gr., viginti annorum; nam qui in illa tantum constitutus est, adhuc est irregularis ad Ordines sacros, non vero ad minores. Potest etiam hæc irregularitas partialis dici ex parte temporis, quia non simpliciter, sed pro tali ætate fertur, et ideo aliqui recusant impedimentum hoc irregularitatem vocare, quia non est perpetua, sed est conditio tantum requisita ex lege humana ad talem actum, sicut etiam ad professionem et matrimonium postulatur certa ætas; sed hæc est solum quæstio de nomine, de qua re infra dicemus. Potest secundo irregularitas esse partialis ex parte effectus, quia interdum privat ascensu ad superiores Ordines, non vero executione inferioris Ordinis jam suscepti. Exemplum est in cap. 2 de Clerico non ordin. ministr., ubi diaconus, quia absque sacerdotali Ordine sacrificare ausus est, ascendere prohibetur ad sacerdotium, et tamen quoad executionem Ordinis diaconatus non fit irregularis. Sic etiam in cap. De his, 3, 50 d., statuitur, ut clerici, qui ab humano sanguine effundendo non abstinent, duobus annis suspendantur, et aliis pœnis afficiantur, non vero ulterius provehantur. Idem sumitur ex cap. ultim., 55 dist., ubi diaconus, cui erutus fuit oculus, inhabilis dicitur ad sacerdotium, non vero ad sui Ordinis executionem.

24. *Alia irregularitatis divisio. — Primus modus irregularitatis partialis.* — Atque ex his juribus fortasse ortum habuit alia irregularitatis divisio, quam indicavit Navarrus, cap. 27, num. 191, cum Cardinali in Clement. unic. de Homicidio, scilicet, quamdam esse irregularitatem, quæ suscipiendis Ordinibus, aliam, quæ a susceptis suspendit, propter quas irregularitates putant dictum esse in illa Clementin. : *Nullam irregularitatem incurrit;* nam, ut ibi Gloss. significavit, illa distributio posita est ad explicandum, illum non manere impeditum ad suscipiendum novum Ordinem, neque ad ministrandum in suscepto. Verumtamen advertendum est, omnem irregularitatem, quantum est ex se, et proportione servata, privare Ordine et usu ejus; contingit autem esse aliquam irregularitatem, quæ non privat omni Ordine, sed aliquo tantum, saltem respectu clericorum, et tunc illa dicitur non privare usu Ordinis suscepti, quia non privat exercitio inferiorum Ordinum, quos susceptos supponit, quando illa contrahitur. Tamen si diaconus, v. gr., sic

irregularis ad sacerdotium, illud inique susciperet, ex vi ejusdem irregularitatis esset perpetuo inhabilis ad usum sacerdotii. Atque ita omnis irregularitas privans Ordine, privat etiam usu ejus, si cum tali irregularitate sumatur, quamvis non necessario privet usu Ordinis suscepti ante talem irregularitatem.

25. *Alius modus ejusdem irregularitatis. — Objectio solvitur. — Dubium.* — Tandem est alius modus partialis irregularitatis, quæ nec privat Ordine, nec omni usu ejus, sed aliquo tantum. Cujus etiam meminit Navarr., dict. num. 191, et Maiolus, lib. 1, c. 2, reg. 5, et sumitur ex c. 2 de Cler. ægrot., ubi sacerdos, cui duo digiti cum medietate palmæ abscissi fuerant, irregularis esse dicitur ad celebrandum, non vero ad alia officia sacerdotis, ut sunt audire confessiones, etc. Quia ille defectus ad reliqua non præbet impedimentum. Dices : ergo datur irregularitas, quæ non impedit aliquem Ordinem suscipere. Respondeo primum negando sequelam, nam fortasse talis sacerdos mansit inhabilis ad Ordinem Episcopalem suscipiendum, ut infra videbimus. Deinde jam supra responsum est hoc esse per accidens, nam ille defectus, quantum in se est, impediret sacerdotium suscipere, nisi invenisset susceptum. Imo fere omnis defectus, qui superveniens alicui Ordini suscepto impedit ascensum ad superiorem, impediret etiam Ordinem inferiorem, nisi susceptum inveniret, etsi sine culpa contrahatur. Quod sensit Navarr., num. 252, et ex discursu materiæ amplius constabit. Sed hinc oritur alia difficultas contra definitionem irregularitatis; nam sequitur, irregularitatem, quæ ex se sufficiens est ad impediendam susceptionem alicujus Ordinis, non impedire usum ejus, si susceptus sit. Respondetur negando sequelam, formaliter de irregularitate loquendo, sed solum sequitur defectum aliquem, qui induceret irregularitatem respectu Ordinis nondum suscepti, aliquando nullam irregularitatem inducere respectu ejusdem, si susceptum inveniat, quod non repugnat definitioni, neque est ullum inconveniens. Vel etiam sequitur (et in idem redit) eumdem defectum in una persona inducere irregularitatem simpliciter, in alia vero secundum quid. Est enim attente considerandum, defectum ipsum, v. gr., oculi, aut digitorum, non esse ipsam irregularitatem, sed illud impedimentum canonicum, quod ratione talis defectus lex Ecclesiastica imponit; sed juxta varias conditiones personarum potest esse diversa ratio moralis imponendi majus, vel minus impedimentum, ratione ejusdem defectus materialis; et ideo fieri potest, ut idem defectus majorem irregularitatem inferat in una persona, quam in alia; hoc autem in particularibus irregularitatibus fusius explicabitur.

SECTIO IV.

Utrum irregularitas solo Ecclesiastico jure imponatur.

1. *Regula generalis. — An aliqua irregularitas sit jure divino introducta. — Ratio dubitandi. — Prima opinio.* — Circa efficientem causam irregularitatis suppono jus Ecclesiasticum habere potestatem ad irregularitates imponendas, multasque esse a solo illo introductas. Primum constat ex dictis in sect. 1 de hac potestate, et in tertia de delictis occultis, et ex frequenti usu juris. Secundum etiam fit evidens per inductionem; irregularitas enim, v. gr., quam excommunicatus incurrit celebrando, quo alio jure introduci poterat nisi humano, cum ipsamet excommunicatio solo humano jure introducta sit? Constat ergo irregularitatem humano jure introductam esse. Dubium vero est, utrum nullo alio jure vel modo introducatur, in quo quatuor principalia occurrunt. Primum est, an jure divino fuerit aliqua irregularitas introducta. Et ratio dubitandi sumitur, quia bigamia saltem videtur esse de jure divino, juxta illud 1 ad Timoth. 3 : *Unius uxoris virum*. Item irregularitas homicidii, ex illo : *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es,* et 2 Reg. 7. Similiter irregularitas ex defectu seu macula sacerdotis videtur esse ex divino jure, juxta illud Lev. 20 et 21 : *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus*. Ratione confirmatur, quia jus divinum præcipit sancta sancte tractare; ergo idem jus aliquos repellere potest a sancto Ordinum ministerio, propter defectum, vel impuritatem aliquam, sicut fœminæ jure divino sunt ineptæ ad Ordines, propter indecentiam status sui ad divina ministeria. Propter hæc quidam admittunt irregularitates aliquas de jure divino. Quod insinuat Abb., in cap. Sicut dignum, de Homicidio, num. 12, et Socin., in cap. Ad audientiam, de Homic., num. 6, et nonnulli moderni abutentes nomine irregularitatis. Palud. etiam, d. 25, quæst. 3, num. 14 et 15, hanc sententiam insinuat, dum ait Petrum et

Paulum fuisse irregulares ex homicidio et mutilatione, Christum tamen cum eis dispensasse.

2. *Vera sententia. — Probatur quoad legem veterem.* — Dicendum vero est nullam propriam irregularitatem esse divino jure introductam. Hæc est certa et communis sententia Theologorum in 4, d. 25, et Canonistarum in cap. Ad audientiam, de Homicidio, ubi Felin., num. 2, plures refert, et in cap. Is qui, de Sent. excom., in 6; Covarr., dict. Clement., 1 part., in princ.; Navarr., c. 27, num. 191; Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 1; Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 1; Ledesm., 1 part. 4, quæst. 26, art. 2; Summist., verb. *Irregularitas,* Villadiego, Burgas., Plovii, et reliquorum; et Paludanus tandem addit, vel Christum dispensasse, vel prohibitionem Ecclesiæ tunc non fuisse; quod postea magis confirmat. Et probatur sufficienter ex dict. cap. Is qui, ubi dicitur, non incurri irregularitatem nisi in casibus a jure expressis; loquitur autem de jure canonico. Ratione vero patet, quia duplex est jus divinum, scilicet, positivum et naturale; rursus jus positivum duplex est, scilicet, contentum in lege veteri, aut in lege nova; nulla autem irregularitas nunc est, quæ ratione divini juris aliquo ex his modis considerati vim habeat. Primo enim jus legis veteris jam non obligat in lege nova, quatenus tale est, juxta doctrinam Pauli ad Galat. 3 et 4, quæ latius tractatur in materia de legibus. Dico autem, *quatenus tale est,* propter præcepta moralia, quæ durant, quia pertinent ad jus naturæ. Præcepta ergo positiva illius legis, qualia fuere judiciaria, et cæremonialia, jam nunc cessarunt, et ideo quamvis verum sit in illa lege fuisse aliquas cæremoniales prohibitiones et impedimenta ad sacerdotes pertinentia, quæ fuerunt veluti quædam irregularitates illi statui accommodatæ, ut constat ex Levitici 21 et 22, et sæpe alias, illa tamen non habent vim in lege nova. Sicut etiam in rebus Deo offerendis variæ conditiones postulantur tunc, ut ex eisdem locis constat, quæ ad præsentem statum nihil referunt.

3. Oportet tamen considerare in illis antiquis præceptis, aliquando rationem legis fuisse moralem, aliquando vero significativam vel præfigurativam alicujus rei futuræ; hoc posterius præcipue inveniebatur in cæremonialibus præceptis, et ideo illa non solum non obligant, verum etiam nec observari possunt, ut notavit D. Thom., 1. 2, quæst. 104, art. 3, et 2. 2, quæst. 87, art. 1. Alia vero præcepta, quæ præcipue nitebantur in congruentia morali, licet ex se non obligent in lege nova, tamen Ecclesia aliquid simile imitatur suo statui et usui accommodatum ex eadem vel simili congruentia morali, ut in solutione decimarum, et similibus, et tunc illud, quod in Ecclesia observatur, non ex divino jure, sed ex Ecclesiastica institutione, aut ex morali aliqua congruentia servatur, ut in simili declaravit Pontifex in c. unico de Purificat. post partum, et eodem modo est intelligendum cap. In aliquibus, § ult., de Decimis. Sic ergo in proposito irregularitates illæ veteris legis generatim ob eam rationem imponebantur, quod ministeria ad Deum pertinentia omni munditia et puritate peragenda sunt, ut in eisdem locis dicitur; in particulari vero continebant rationes præfigurativas vel significativas futurorum. Nunc igitur Ecclesia omissis illis cæremoniis et figuris, illas tantum irregularitates, quæ ad decentiam divini cultus spectant, introduxit ex morali ratione divinæ legis veteris, non autem ex obligatione illius, ut in simili dixit Siricius P., in c. Plurimos, 82 d., et indicavit Gregor., l. 1, epist. 24, et habetur in c. Necesse, 1, quæst. 1.

4. *Probatur quoad legem Evangelicam.* — De jure item Evangelico certum est nihil hujusmodi esse in illo præceptum, quia in lege gratiæ non solum cessarunt antiqua præcepta, sed etiam nulla nova ab ipso Christo immediate data sunt, præter ea, quæ ad fidem et sacramenta spectant, ut est commune dogma Theologorum; nam cætera, quæ ad debitam gubernationem, et convenientem sacrarum rerum administrationem pertinent, Apostolis commissa sunt, juxta verbum Christi, *Pasce oves meas,* et illud Pauli, 1 ad Corint. 11, *Cætera cum venero disponam.* De qua re egimus, de censuris in principio hujus libri, et de sacramentalibus ac cæremoniis in 3 tom. Quod vero spectat ad naturale jus, verum quidem est, supposita institutione divinorum Ordinum, et sanctitate talis ministerii aliqua esse posse impedimenta, quæ ex natura rei obligant hominem, ut eis durantibus, vel non ministret, vel Ordines non recipiat; ut est, v. gr., peccatum mortale in ordine ad celebrationem, vel receptionem sacramentorum, vel magna ignorantia, aut alia ineptitudo ad tale munus; tamen irregularitates Ecclesiasticæ vel hujusmodi non sunt, nam licet considerent indecentiam, non talem, neque tantam, quæ secluso positivo jure

cogeret hominem in conscientia ad separandum a susceptione vel administratione Ordinum, ut patet in bigamia, etc. Vel certe si aliquando tantam continent indecentiam, ut per se obligent, non sub ea ratione habent rationem irregularitatum, sed quatenus ex Ecclesiæ institutione habent aliquid speciale adjunctum quoad modum vel gradum prohibitionis. Ut, v. gr., cæcitas est impedimentum, quod natura sua obligare videtur clericum ad non celebrandum propter periculum; tamen si solam rei naturam spectemus, si inveniretur medium ad vitandum illud periculum, cessaret naturalis prohibitio; instituta autem per Ecclesiam tali irregularitate, nulla ratione licet cum tali impedimento celebrare sine Pontificis dispensatione. Et ad hunc modum contingit in reliquis, ut ex particulari tractatione earum evidentius constabit.

5. *Respondetur ad rationes dubitandi. — Locus Pauli, 1 ad Timot. 3, exponitur. — Aliqua irregularitas est a temporibus Apostolorum, de jure tamen positivo.* — Rationes dubitandi ex dictis solutæ sunt; nam verba Pauli, 1 ad Timoth. 3, ab aliquibus exponuntur de duabus uxoribus simul viventibus. Ita Cajetanus ibi, quia tunc temporis multi plures uxores habebant, imitantes Patres Veteris Testamenti, cum nullibi legamus hoc prohibitum. Quæ fuit expositio Chrysostomi ibi, Hom. 10; Theophylacti, et Theodoreti, qui expresse dicit, non voluisse prohibere Apostolum secundas nuptias etiam sacerdotibus. Alii respondent, verba illa non continere speciale præceptum, sed illam conditionem inter alias ibi numerasse, quæ ad decentiam, et bonos mores Episcopi pertinent. Sicut inferius etiam dicit, Episcopum non debere esse neophytum, et tamen non propterea illam conditionem posuit, ut necessariam, ita ut specialem irregularitatem inducat. Dicunt ergo, Paulum hoc posuisse ut consilium, non ut præceptum inducens irregularitatem, tamen Ecclesiam inde sumpsisse occasionem instituendi illam. Vera tamen responsio est, Paulum ibi loqui de irregularitate bigamiæ; nam id significat Lucius III, in cap. 2 de Bigamis, dicens : *In bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri;* de quo loco, quatenus ad dispensationem attinet, quomodo intelligendus sit, infra dicemus. Quantum vero ad irregularitatem spectat, ita etiam intellexerunt Hieronymus, epist. 83 ad Oceanum, quæ tota est de hac re; et Augustinus, lib. de Bono conjugali, cap. 18; Ambrosius, lib. 3, epist. 25, et in Paulum, ubi etiam Anselmus, D. Th. et alii, quos refert Bellarminus, lib. 1 de Cleric., c. 23, ubi doctissime contra hæreticos hanc expositionem confirmat. Præsertim ex aliis verbis ejusdem Epistolæ, c. 5 : *Vidua eligatur, quæ fuerit unius viri uxor,* quod non potest intelligi simul; nam hoc nunquam fuit consuetum; ergo intelligitur successive; id est, non bigama. Quam ponderationem insinuavit Tertullianus, lib. 1 ad Uxorem, c. 6, et lib. de Monogam., cap. 11. Atque hanc expositionem prætulit Chrysostomus supra, et clarius Hom. 2, et ad Titum, ubi Theophylactus priorem emendare videtur. Denique etiam ex Ecclesiæ traditione, et Apostolorum canonibus constat, Paulum in eo sensu locutum. Nam in canone 16 Apostolorum dicitur, qui secundis nuptiis fuerit copulatus, non posse ad clericatum admitti; et canone 17, idem dicitur de illo, qui viduæ in matrimonio copulatur. Concedo igitur, aliquam irregularitatem a temporibus Apostolorum in Ecclesia reperiri; nego tamen inde sequi, esse a jure divino, aut a Christo institutam; multa enim sunt ab Apostolis ordinata, quæ de jure divino non sunt; propter quod aiebat Paulus, 1 ad Cor. 7 : *Ego dico, non Dominus,* et c. 10 : *Cætera autem, cum venero, disponam.* Et ex canonibus Apostolorum constat, illa fuisse præcepta humana, non divina.

6. *Satisfit locis Veteris Testamenti. — Respondetur rationi.* — Ad loca Veteris Testamenti respondetur, ex illis solum probari similitudinem quamdam congruentiæ, ut dictum est. Nam in facto David constat, non ideo repulsum fuisse a Deo a templi ædificatione, quia per se malum esset, aut lege aliqua prohibitum, hominem bellatorem, et qui sanguinem effuderat, templum ædificare. Solum ergo voluit Deus illo exemplo ostendere, quam sit amicus pacis, quantumque aversetur homicidas. Item ut significaret effusionem sanguinis non decere in templo suo, neque in ministris suis. Adde, in Veteri Testamento non fuisse irregularitatem in ministris illius templi ob sanguinis effusionem, ut notavit D. Thom., in 4, d. 25, quæst. 2, art. 2, q. 3, ad 1; multo ergo minus potuit ab illo Testamento dimanare ad sacerdotes Novi Testamenti. Ad rationem, quæ maxime procedit de jure naturali, fatemur, aliqua impedimenta esse ex ipsa rei natura; dicimus tamen non habere rationem irregularitatis, nisi interveniat Ecclesiastica institutio, ac prohibitio.

Exemplum autem fœminarum, quod ibi adducitur, ineptum est, quia sexus fœmineus per se non spectat ad irregularitatem, sed ad incapacitatem, ut supra tetigi. Ut vero conjunctus esse possit cum sexu virili in eadem persona, si aliquam irregularitatem inducit, illa tantum est de jure humano, de quo infra suo loco.

An irregularitas per hominis sententiam imponi possit. Dubium secundum.

7. *Ratio dubitandi. — Prima sententia.* — Secundum dubium est, cum dicitur irregularitas esse ex solo jure Ecclesiæ, an excludatur etiam hominis sententia, seu executio. Et est ratio dubii, quia omnes censuræ possunt et a jure, et ab homine imponi, ut supra visum est; ergo etiam irregularitas. Patet consequentia, tum quia est eadem ratio, quia non est hæc gravior pœna, quam aliæ omnes, quæ ab homine imponi possunt; tum etiam quia nulla est lex, quæ prohibeat hanc pœnam per hominem imponi, neque est tam acerba, ut excedat meritum cujuscumque delicti, quod per hominem puniri potest. Denique cum judex sit quædam animata lex, imponere potest omnem pœnam, quam lex ponit, nisi prohibitus sit. Fuit igitur aliquorum sententia, irregularitatem frequenter incurri a jure, posse tamen aliquando infligi a judice secundum jura. Ita dicit Scotus, in 4, d. 25, quæst. 1, quem imitatus est Gabriel, lect. 9 in Canonem, lit. D.; Joannes quidam in Lexicon Theologicum, verb. *Irregularitas.* Et in re idem sentiunt, quamvis modum loquendi mutent, qui dicunt, posse quidem judicem pœnam imponere, quæ, a jure lata, esset irregularitas; tamen imposita ab homine non est irregularitas, sed depositio, aut suspensio perpetua, quia irregularitas dicit privationem, connotando quod ab ipso jure immediate manet; sed hæc consideratio jam supra rejecta est.

8. *Vera sententia. — Prima pars assertionis probatur.* — Dico ergo, omnem irregularitatem ita imponi immediate a jure, ut neque hominis sententia indigeat, nec per illam solam imponi possit. Ita sentiunt fere omnes auctores citati, præsertim Soto, d. 22, quæst. 3, art. 1; Ledesma, quæst. 26, art. 2; Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. ult.; Navarrus, c. 27, num. 94; Covarruv., dicta Clement., in princ., num. 3; Villadiego, qui alios refert lib. 1 de Irreg., c. 16, et c. 2, num. 11. Fundantur in illo principio juris, quod habet, irregularitatem non incurri nisi in casibus in jure expressis, juxta c. Is qui, de Sent. excom., in 6. Ex quo (ut assertionem positam per partes declaremus et probemus) colligimus primo, irregularitatem, quæ in jure est expressa, incurri eo modo, quo in jure expressa est. Patet, tum argumento a contrario sensu, seu a fortiori; tum etiam quia jus habet efficaciam tam ad pœnam seu impedimentum, quam ad modum, quo illud imponit, alias inepte et injuste lex uteretur illo modo imponendi illam vel impedimentum, ut per se notum est, quia operari intenderet aliter quam posset. Atque hæc est communis doctrina, de qua videri potest Soto, lib. 1 de Justitia, quæst. 6, et Castro, lib. 1 de Justa hæret. punit., cap. 2, et Simancas, in Catholicis instit., cap. 9, et multa de illa diximus supra in materia de censuris in communi.

9. *Probatur secunda pars ejusdem conclusionis. — Objectio. — Solvitur.* — Secundo infertur ex eodem principio, irregularitatem, quæ ab ipso jure fertur, statim incurri, et operari, seu obligationem inducere, independenter ab executione judicis, et ab ejus sententia, etiam declaratoria criminis. Ita docent citati auctores, et Summistæ, v. *Irregularitas,* et Canonistæ communiter in c. 1 de Re judicata, in 6, et videri etiam potest Decius, consil. 146, et Paulus Burgasius, 1 par. de Irregularitat. Ratio vero est, quia lex ipsa immediate infert irregularitatem, et profert sententiam, ut patet ex verbis, quibus irregularitas in jure ferri solet, quæ denotant, stante tali conditione, eo ipso hominem esse inhabilem, seu impeditum ad susceptionem, vel executionem Ordinum. Dices, aliquando non obstantibus his verbis, requiri sententiam saltem declaratoriam criminis, ut constat ex c. Cum secundum leges, de Hæret., in 6. Unde ergo constat, irregularitatem non esse hujusmodi? Respondeo primo, eodem modo id esse de irregularitate probandum, quo de censuris id ostendimus, nam quoad hoc cum illis convenit; consistit enim in quadam privatione seu prohibitione, quæ per ipsam legem immediate potest imponi, quæ propterea dicitur secum afferre executionem, juxta cap. Pastoralis, § Verum, de Appell. Nec requirit actionem aliquam per hominem exequendam, qualem requirit pœna illa confiscationis bonorum, de qua loquitur c. Cum secundum leges, propter quam requirit sententiam de-

claratoriam. Alia etiam ratio reddi potest, quia irregularitas sæpissime non fertur a jure ut pœna, sed est lex quædam prohibens actum, subsistente tali conditione; vel e converso (et in idem redit) est lex præcipiens talem conditionem servari in actu, ut rite, et recte fiat; quæ leges non pendent ex aliqua sententia, vel declaratione judicis, ut suam obligationem inducant, ut per se constat: ergo. Et jura, quæ irregularitates imponunt propter crimina, sub eadem forma et modo illas imponunt, ut ex discursu jurium constat; postulant ergo talem conditionem ut necessariam ad actum rite et recte faciendum, et sine illa fieri vetant. Sicut enim apponi potest conditio, quæ consistat in carentia defectus inculpabilis, ita etiam et a fortiori exigi potest conditio includens carentiam culpabilis defectus; ergo ex vi ipsius juris prohibetur, qui habet talem defectum, seu culpam, a tali receptione, vel actione; ergo omnia hæc jura inducunt irregularitatem absque ulla sententia. Unde fit, ut qui in casum, seu defectum irregularitatis incidit, statim absque alia sententia vel coactione teneatur in conscientia abstinere ab his actibus, quos irregularitas prohibet, quia habet vim cujusdam præcepti prohibentis, et suo modo inhabilitantis ad talem actum. Dices : nemo cogitur in seipso exequi pœnam contra se latam; sed abstinere a talibus actibus est exequi in se irregularitatis pœnam; ergo non potest aliquis per seipsum ad hoc obligari. Respondetur primo negando majorem, præcipue quando illa pœna non in actione, sed in carentia constitit, ut in censuris constat. Secundo consistere in obligatione abstinendi a talibus actibus, et ideo dicitur talis lex secum afferre executionem; posita autem obligatione, ita tenetur homo in conscientia illam exequi, quamvis ab alio non cogatur, sicut et alia præcepta servare. Quando vero possit homo excusari ab hac obligatione propter urgentem causæ necessitatem, in superioribus sufficienter tactum est; et applicari possunt dicta de censuris.

10. *Suadetur tertia pars assertionis.* — Tertio ex dictis concluditur, ubi jus non imponit irregularitatem, hominem, seu judicem non posse illam imponere. Hoc docent iidem auctores. Et in primis dubium non habet in irregularitate, quæ sine culpa imponitur, quia ibi neque habet locum punitio, neque alia ratio, ob quam possit homo tale impedimentum apponere. Pertinet quidem interdum ad Ecclesiasticum judicem declarare, an aliquis defectus sit sufficiens ad irregularitatem, ut infra videbimus; tamen hæc declaratio et supponit jus ferens irregularitatem, et illi etiam committens declarationem sufficientis causæ, seu defectus, quando neque a jure ipso aliter determinatur, neque in re ipsa habet certum aut definitum modum, sed arbitrio humano judicandum est. De irregularitate vero, quæ est pœna, probatur primo ex intentione Pontificis in illo cap. Is qui; non solum enim intendit negare, delinquentem in casibus ibi numeratis manere irregularem ipso jure, sed etiam non posse ob eam causam fieri irregularem; nam hoc videtur necessarium ad plenam resolutionem quæstionis, quæ ibi supponitur; ratione autem hoc probare non est facile. Aliqui hanc reddunt, quia judex non potest imponere pœnam privativam, nisi per legem statutam, juxta Glossam pen. a Panormitano commendatam in c. ult. de Jure patron., et alia, quæ apud Tiraquellum videri possunt in l. *Si unquam*, v. *Revertatur*, n. 249, de Revocandis donationibus; sed nullum est jus, quod pro aliquo delicto statuat irregularitatem a judice imponendam : ergo. Sed hæc ratio difficilis est, quia sæpe pœna privativa potest imponi arbitrio judicis, ubi lex certam non præscribit, ut constat de suspensione in c. De causis, § Illis, de Officio delegati; et est communis doctrina in c. At si clerici, de Judiciis, ubi Abbas, n. 34; Decius, n. 35. Posset ergo limitari, vel aliter assumi major propositio, quod in pœnis arbitrariis debet judex imitari jus, quatenus designat pœnas a judicibus imponendas; et ideo nunquam videtur posse imponere pœnam, quam jus aliquando, seu in alio proportionali delicto non jubet a judicibus imponi; sed hoc nunquam jus præcipit de irregularitate : ergo. Quæ ratio est bona congruentia, maxime vero videtur fundari in usu Ecclesiæ, qui etiam potest in hunc modum declarari, quia irregularitas, ut potest incurri a laicis, jure ipso incurri debuit, quia laici non puniuntur, per se loquendo, a judice Ecclesiastico; ut vero potest cadere in clericos, quoad effectum habet similitudinem cum suspensione, et ab homine semper imponitur ut suspensio, non ut irregularitas. Cujus signum est, quia tunc demum fit clericus irregularis, si sic suspensus celebrat. Quod fortasse ideo fit, quia suspensio habet puram rationem pœnæ, irregularitas autem involvit rationem indecentiæ, quam jus ipsum considerare debuit. Hæc ergo sufficiunt, ut hæc

pœna non sit ferenda ab homine jure ordinario; non tamen probant absolute repugnare, aut Pontificem non posse, si velit, hanc pœnam in uno vel aliquo facto imponere pro delicto aliquo commisso, licet in jure posita non esset.

Quo jure debeat imponi irregularitas. Dubium tertium.

11. *Jus Ecclesiasticum multiplex.* — *Prima conclusio.* — Tertium dubium est, de quo jure hoc intelligendum sit; suppono autem debere esse a jure Ecclesiastico, quia civile non potest de spiritualibus disponere, ad quæ constat irregularitatem pertinere. Potest autem jus Ecclesiasticum esse multiplex, scilicet vel Pontificium, vel Episcopale per statuta synodalia, vel provincialia, vel etiam nationalia. Potest item esse jus vel scriptum, vel consuetudine introductum. Potest denique esse jus proprium et formale (ut sic dicam), vel per extensionem, aut similitudinem, quando decisio juris in uno casu ad similem extenditur; de quibus omnibus dubitari potest. Dicendumque in primis videtur, nullum jus particularis diœcesis, provinciæ, aut nationis sufficere ad irregularitatem ferendam. Hanc assertionem non inveni hactenus sub his terminis ab auctoribus assertam. Eam tamen colligo ex dict. cap. Is qui, in illis verbis : *Cum id non sit expressum in jure;* nam sine dubio loquitur de jure canonico, ut notavit Hostiensis, in c. Si celebrat, de Clerico excom. minist., numero quinto, et est communis sensus, constatque ex absoluta juris appellatione; nam jus particulare cujuscumque privatæ Ecclesiæ, vel nationis, non appellatur jus simpliciter, præsertim in jure canonico, et a Summo Pontifice, sed appellatur *statutum Episcopi,* aut synodale, vel provinciale, juxta c. 2, cum similibus, de Constitutionibus, in 6.

12. *Interrogatio.* — *Responsio.* — Dices : cur non potest Episcopus legem ferre, ne clericus hoc, vel illud faciat, sub pœna irregularitatis ipso facto incurrendæ, si judicaverit expedire, sicut potest similem legem ferre sub pœna excommunicationis, vel suspensionis? Respondeo, duobus modis ferri hujusmodi pœnas : primo per modum medicinæ, et hic modus repugnat irregularitati, juxta propriam ejus institutionem, quia est inhabilitas de se perpetua, vel simpliciter, vel pro tempore, et modo, quo fertur ; neque pendet ex hominis contumacia, sed sufficit causa, vel actus semel commissus. Secundo modo infertur pœna absolute punitiva delicti, et hoc modo non repugnat quidem ex natura irregularitatis, quod possit in una parte Ecclesiæ imponi pro uno delicto, et non in alia, ut ratio facta probat; tamen de facto non est in usu; nec jus commune videtur id permittere. Et hæc ratio sufficit, sicut dicebamus de irregularitate per hominem non ferenda. Hinc etiam nullæ inveniuntur irregularitates propriæ alicujus Episcopatus, vel nationis, sicut dantur censuræ, seu reservationes Episcopales. Et ideo omnes auctores ad irregularitates cognoscendas semper nos remittunt ad commune jus, ut videre licet in Jurisperitis dicto, cap. Is qui, et in dicto cap. Si celebrat; Navarro, in cap. Non inferenda, 23, quæst. 3, n. 35, et sequent., et in cap. Si quis autem, de Pœnitent., dist. 7, num. 30, et sequent., et aliis superius citatis. Congruentia item reddi potest, quæ supra insinuata est, quia irregularitas non fertur principaliter per modum pœnæ, sed per modum cujusdam impedimenti, vel conditionis necessariæ ad decentiam, et reverentiam sacris Ordinibus debitam, quæ res ad universam Ecclesiam spectat, et ideo illius judicium seu statutum universalis Pastor sibi reservasse videtur. Unde etiam obiter intelliguntur, quantum differat irregularitas a suspensione perpetua, etiam ipso jure lata ; hæc enim non repugnat particulari jure alicujus Ecclesiæ, vel regionis ferri. Colligitur deinde, quoties aliqua irregularitas ex aliquo provinciali Concilio desumitur, in tantum habere vim, in quantum per Pontificem, vel universalem Ecclesiæ morem fuit approbatum, et receptum tanquam canonicum, et universale jus.

13. *Secunda conclusio.* — Secundo dicendum est, irregularitatem solum ferri jure scripto; itaque nulla irregularitas propter solam allegatam consuetudinem, quorumcumque auctorum opinione confirmatam, admittenda est, nisi exhibeatur jus canonicum scriptum, in quo contineatur. Hæc assertio colligitur ex eodem jure, et auctorum interpretatione, quamvis in specie, et distincte hoc non declarent. Cum enim in dicto cap. Is qui, pro regula ponitur, nullam esse irregularitatem, nisi sit in jure expressa, manifeste excluditur omnis alius modus inducendi irregularitatem. Item ob hanc causam sufficiens principium et ratio ad excludendam ab aliquo casu seu delicto irregularitatem est, non esse in jure

contentam; ita enim ubique argumentantur auctores, ut patet ex Hostiense, Abbate, et aliis, in c. Si celebrat, et ex cæteris supra citatis; illa autem collectio bona non esset, si allegari posset traditio, vel alia consuetudo ad irregularitatem sine jure comprobandam. Adde, nullam censuram ipso facto incurri posse, nisi vel in jure expressa sit, vel per hominem imponatur; in irregularitate autem non habet locum impositio per hominem; ergo semper ad jus ipsum recurrendum est. Quin potius de omni pœna seu inhabilitate privativa est generalis regula, nunquam incurri ipso facto, nisi sit in jure expressa, ut tradunt Abbas, et Felinus, in c. Querelam, de Jurejurando, et multi alii, quos refert et sequitur Tiraquellus, in dicto verbo *Revertatur*, n. 247. Estque id valde consentaneum rationi, tum quia odia restringenda sunt, neque facile admittenda; tum etiam quia licet consuetudo possit introducere obligationem legis quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, præsertim ipso jure, seu facto, quia nunquam pœna censetur hoc modo posita, nisi id expresse constet, quod accidere non potest, ubi verba non sunt expressa; quia ergo irregularitas privatio est ipso facto incurrenda, necesse est, ut in jure expressa sit.

14. *Jus Pontificium quod dicatur.* — *Nulla irregularitas de facto invenitur extra corpus juris.* — Advertendum est autem, jus canonicum non solum comprehendere illud, quod proprie, et in rigore appellatur corpus juris, sed etiam omnia alia decreta Pontificia, vel Concilia approbata; ideoque ut irregularitas incurratur, satis erit, quod in quolibet horum decretorum contineatur, quoniam omnia illa ex se habent vim legum obligantium universalem Ecclesiam, et constituentium commune jus; suppono enim esse sufficienter promulgata et recepta. Unde fit, de possibili non repugnare, esse aliquam irregularitatem, quæ in corpore juris non contineatur, et in aliqua constitutione, seu Motu proprio alicujus Pontificis addita sit; quod nonnulli viri docti putant de irregularitate quadam declarata a Sixto V in Motu proprio de Male promotis. Ego vero superius ostendi, irregularitatem illam non esse aliam ab ea, quam jure communi incurrit suspensus ab Ordine, in illo ex officio ministrans. Et in universum existimo, de facto nullam esse irregularitatis speciem, quæ in corpore juris non contineatur, neque novam aliquam inveniri, aut in Concilio Tridentino, aut in Motibus propriis Pontificum. Invenitur quidem sæpe in illis novum fundamentum (ut sic dicam) irregularitatis contrahendæ, quatenus suspensionem, vel aliam censuram imponunt, ratione cujus irregularitatem incurret sic celebrans, quam antea non incurreret. Nihilominus tamen formaliter et proxime illa irregularitas non manat ex novo jure, sed ex antiquo et communi. Et fortasse ratio est, quia in hujusmodi decretis principaliter solent apponi hæ privationes ut pœnæ delictorum; usus autem Ecclesiæ habet, ut prius imponantur censuræ, irregularitas vero reservetur pro his, qui censuras ministrando violant, nisi quando aliud postulat decentia, et religio ipsorum Ordinum, cui sufficienter censetur provisum per jus commune; et ideo extra illud non solent irregularitates multiplicari; quod valde observandum est.

15. *Tertia conclusio.* — Tertio dicendum est, ut irregularitas contrahatur, non satis esse, quod in simili casu, vel minori posita sit, sed necesse est, ut in propria specie talis causæ vel delicti lata sit. Hæc etiam est communis sententia, quæ satis colligitur ex dict. c. Is qui, tum propter verbum illud, *expressum in jure;* nam quod solum per argumentum a simili elicitur, non potest dici in jure expressum. Tum etiam ex casu illius textus; dicitur enim ibi, celebrantem in Ecclesia polluta non manere irregularem, quia id non est in jure expressum; et tamen profecto, si argumentum a simili in hac materia validum esset, illud esset maximum, quia celebrans in Ecclesia interdicta fit irregularis; quamvis autem non sit idem, Ecclesiam esse pollutam et interdictam, sunt tamen valde similia, quia utrumque est quoddam canonicum impedimentum continens prohibitionem Ecclesiasticam, contra quam agere in utroque casu peccatum mortale est. Ergo cum in hoc non valeat argumentum a simili, ex mente Pontificis, signum est nunquam valere; de quo exemplo videri possunt dicta in 3 tomo, disp. 81, sect. 4. Denique non solum in irregularitate hoc locum habet, sed etiam in omni pœna, quæ ipso jure imponitur, ipsoque facto incurrenda est; nunquam enim pœna ipso jure lata pro uno crimine, incurritur in altero, ipso etiam jure, seu facto, quantumcumque simile, aut æquale, aut majus videatur. Quia de facto imposita non est ex vi alterius legis, quia in alio tantum casu loquitur; et extendenda non est, tum quia odia restringenda sunt, tum etiam quia hoc pendet ex voluntate legislato-

ris, quæ tam limitata esse censetur, quam verba ejus. Atque ita docet Hostiensis, in cap. Si celebrat, de Clerico excom. minist., n. 5; Panormitanus, in cap. ult. de Jure Patronat., n. 8, citans Joannem Andream, et communem in regula *Odia*, de Regul. juris, in 6; et alios refert Tiraquellus, loco citato, n. 243; et Covarruvias, in 4 Decretal., 2 p., cap. 8, § 8, n. 8; et Castro, lib. 1 de Lege pœnali, cap. 7, docum. 3.

16. *Expediuntur minutiora dubia. — De iterante active vel passive. — Sacramentum confirmationis. — De iterante sacramentum Ordinis. — De irregulari celebrante. — De celebrante sine vestibus sacris. — De violante Ecclesiam.* — Ex hoc principio definiri possunt varii casus, quos hic in particulari persequi et prolixum, et præter methodum esset, quia in propriis materiis tractandi sunt; indicabo tamen breviter nonnullos. Unus est de iterante sacramentum confirmationis, sive conferendo, sive recipiendo, de quo aliqui dixerunt manere irregularem propter similitudinem cum baptizante. Quam esse sententiam communem Canonistarum affirmat Castro, de Lege pœnali, lib. 1, c. 7, docum. 3, et sequitur Navarr., c. 27, n. 247, et alii, quos retuli in 3 tom., disp. 38, sect. 1, ubi oppositum verum esse definivi ex dict. principio, et auctores asserentes retuli. Similis casus est de iterante sacramentum Ordinis, de quo eædem solent esse ex eodem principio, quia de hoc casu nihil est expressum, et a simili nullum est argumentum. Tertius casus est de irregulari celebrante; nam per argumentum a simili videbatur incurrere irregularitatem; tamen quia non est in jure expressa, non incurritur. Solet item quæri de celebrante sine vestibus sacris, aut sine altari consecrato, aut nimium confracto; nam in his omnibus casibus potest sumi argumentum a simili ex violatione aliarum prohibitionum, quæ per censuras imponuntur. Nihilominus in eis non incurritur irregularitas, quia non est in jure expressa, ut notavit Richardus, in 4, dist. 13, art. 4, quæst. 12 et 13. Præterea idem dicendum est de illo, qui Ecclesiam violat per voluntariam seminis vel sanguinis effusionem; nam licet sacrilegium committat, fortasse gravius, quam sunt nonnulla, quæ irregularitate puniuntur, nihilominus irregularitatem non incurrit, quia id non est in jure expressum, et licet Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 5, art. 4, in fine, aliud dicere videatur, tamen revera non dicit, nam ibi non de irregularitate, sed de excommunicatione loquitur; quanquam æque falsum sit illud assertum de excommunicatione, quia etiam illa excommunicatio non invenitur jure ipso lata. Denique hoc principio sæpe utemur in sequentibus ad casus particulares definiendos.

SECTIO V.

Utrum ad irregularitatem incurrendam oporteat jus esse ita expressum, ut dubium excludat.

1. *Prima opinio. — Secunda opinio.* — Aliqui generaliter opinantur, in casu dubio ex jure judicandum esse aliquem irregularem. Quæ sententia maxime nititur in cap. Ad audientiam, de Homicidio, ubi in quodam casu dubio definit Pontifex, quemdam separandum fuisse a ministerio sacrorum Ordinum, et rationem reddit, *quia in dubiis semitam debemus eligere tutiorem;* quæ ratio in omni simili dubio procedit. Similis decisio habetur in cap. Significasti, 2, eodem titulo. Atque ita sentiunt Paulus Burgasius, de Irregul., part. 1, quæst. 3, n. 10, et multi alii infra referendi. Alii vero distinctione utuntur, nam in foro interiori dicunt esse censendum aliquem irregularem in eo casu, et ita putant esse intelligenda dicta jura, quia principium illud, in quo fundantur, in foro conscientiæ optime locum habet; nam in conscientia tenetur homo vitare periculum omne peccandi, quod faciet si existente illo dubio sese abstineat; si autem se ingerat, exponet se periculo agendi contra irregularitatem, atque adeo peccandi. At vero in foro exteriori negant dicti auctores judicandum esse aliquem irregularem solum propter jus dubium, quia judex ferre debet sententiam ex aliis principiis, videlicet, quod pœnæ et odia restringenda sunt, ideoque in casu dubio reus potius est absolvendus, quam condemnandus, argument. legis Absentem, ff. de Pœnis, et reg. 11, in 6: *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum esse potius quam actori.* Ita opinati sunt Abbas, Hostiens. et Joannes Andreas, quos alii sequuntur in dict. c. Ad audientiam. Idem tenet Armilla, verb. *Irregularitas,* num. 8 et 9; Tabiena, verb. *Irregularitas,* 1, num. 3; et Navarr., cap. 27, num. 193. Additque per forum internum non tantum intelligendum esse forum pœnitentiæ, sed etiam forum consilii, citans Villadiego, de Irregularitate. Tertia denique sententia est in eo casu neminem censendum esse irregularem, neque in foro exteriori, neque interiori. Tenet Innocentius, dict. cap.

Ad audientiam, et Cardinalis in Clementin. 1 de Homicidio; Villadiego, de Irregular., c. 15, in fine; et Covarr., in dict. Clement., 1 part., in princip.; Navarr., in cap. Si quis autem, de Pœnit., dist. 7, num. 35 et sequent. Atque hanc sententiam veram existimo in eo dubio, de quo loquimur.

2. *De quo dubio procedat quæstio. — Probabilitatis quatuor gradus.* — Ut autem rem totam aperiamus, primum oportet distinguere dubium, nam potest esse et juris et facti, id est, an irregularitas sit lata in jure, necne, vel si constat latam esse irregularitatem pro tali delicto, verbi gratia, homicidio, dubitatur, an hoc fuerit homicidium, necne. Quæstio igitur versatur circa dubium juris; ut autem ad jura respondeamus, oportebit etiam dicere de dubio facti. Rursus oportet advertere aliud esse dubitare, aliud vero assentire cum formidine; dubium enim proprium est, quando post diligentem inquisitionem intellectus anceps et quasi suspensus manet, vel omnem suspendendo assensum, vel (quod ad præsens perinde est) judicando solum rem esse dubiam. Assensus autem licet sit cum formidine, est tamen determinatus ad alteram partem, atque ita tollit dubium, et præbet saltem opinionem, in qua possunt esse probabilitatis gradus; nam, si assensus sit improbabilis et temerarius, non meretur nomen opinionis, moraliter loquendo, quia neque ad recte operandum, neque ad excusandum quidquam valet. Intra latitudinem autem probabilitatis quatuor videntur posse distingui gradus; aut enim una tantum pars est probabilis, et hic est unus gradus, aut fit comparatio inter duas probabiles, et sic dantur alii tres gradus, probabiliores, æque et minus probabilis.

3. *Dubium et in re, et in persona existere potest.* — Ulterius advertere oportet, dubium aliquando posse consistere in re ipsa, aliquando vero tantum in persona. In re dico existere, loquendo de dubio juris, quando fundamentum dubii est in jure ipso, vel quia verba ejus sunt ambigua, vel quia sunt aliquæ rationes ad dubitandum an sit tale jus, et post sufficientem inquisitionem non potest certitudo inveniri, et de hoc est præsens quæstio; in persona vero dico esse dubium, quando fundamentum ejus est sola ignorantia vel negligentia hominis, quia in re, v. gr., satis certum est quale sit jus; homo autem hic et nunc dubitat, an per hunc actum contrahatur irregularitas, quia jus ignorat, solumque habet aliqua motiva et rationes ad dubitandum, qui dubitandi modus non variat jus ipsum, sed conscientiam operantis, et ideo magis spectat ad materiam de conscientia; tamen ad materiæ complementum dicemus, quomodo se gerere debeat quis in tali dubio.

4. *Prima conclusio.* — Primo ergo dicendum est. Quoties in jure est dubium, an sit lata irregularitas, judicandum est non esse, tam in interiori foro quam in exteriori. Probatur ex dict. cap. Is qui, quatenus requirit ad irregularitatem, ut sit in jure expressa; quæ enim est ita occulta, ut prudentes et sapientes non possint ferre judicium, an talis irregularitas in jure contineatur, necne, non potest dici in jure expressa, ut per se notum videtur; ergo talis irregularitas simpliciter judicanda est nulla. Quocirca non incommode hic applicari potest vulgaris distinctio de dubio speculativo et practico; nam ante illud cap. Is qui, esse fortasse poterat hoc dubium speculativum, ut in casibus propositis in illo cap. de celebrante in Ecclesia violata vel coram excommunicato; neque erat fortasse tunc aliquod principium certum ad expellendum illud speculativum dubium, sed practice tantum expellendum erat ex aliis principiis, quæ infra insinuabimus. Nunc autem decisio illius cap. Is qui, tollit omne dubium etiam speculativum, colligendo hoc modo ex principiis certis, irregularitatem non incurri nisi in casibus jure expressis; sed irregularitas dubia non est in jure expressa; ergo non incurritur. Major est decisio juris; minor est evidens ex terminis; collectio etiam formalis est; ergo concludunt rem certam. Et quamvis hic collectionis modus proportionem habere videatur cum modo colligendi certitudinem practicam, ex dubio speculativo, tamen revera est discursus speculativus, et certitudinem speculativam concludit, quia procedit ex principiis, quæ sunt in jure, vel in materia ipsa de qua agitur, et non tantum in conscientia operantis; unde concludunt doctrinam omnibus communem, et non solum quid huic vel illi ex dispositione conscientiæ suæ agere liceat. Et juxta hæc posset facile responderi ad prædicta cap. Ad audientiam, et Significasti, quia jam in casu hujus assertionis res non est dubia post decisionem dict. c. Is qui, licet, remota illa, posset dubium speculativum cogitari.

5. *An sublata decisione cap. Is qui, dicta conclusio haberet verum.* — Quæri enim potest quid dicendum esset, stante illo dubio

juris, et non existente decisione dict. cap. Is qui, nam tunc videtur speculativum dubium integrum manere, et consequenter judicandum fore juxta decisiones aliorum textuum dicentium, in dubio servandam esse seu timendam irregularitatem. Nihilominus dico, in eo casu idem debuisse a nobis judicari, sive consulentibus, sive agentibus, tam in foro conscientiæ quam externo, quod judicavit Pontifex in dict. cap. Is qui non enim opinor illum respondisse, aliquid novum et speciale statuendo, sed declarando duo, quæ ex re ipsa et ex vera doctrina morali constare poterant, quibus Pontifex auctoritate sua novam certitudinem adjunxit. Unum fuit, pro illis casibus, de quibus ibi fuerat interrogatus Pontifex, nullam esse irregularitatem in jure expressam; aliud fuit, irregularitatem non esse judicandam validam, nisi fuerit in jure expressa, quod supponit Pontifex, ideoque non videtur illud de novo inducere, sed tanquam verum principium sumere; ergo, etiam remoto illo capite, idem esse a nobis judicandum, quia tunc etiam verum esset illud principium, quod Pontifex supponit. Quod, remoto illo capitulo, aliis modis supra tactis fundari potest, vel quia odia sunt restringenda, et ideo in casu dubio judicandum est pœnam non esse latam, vel quia privatio ipso jure lata non est extendenda ultra casum in lege expressum; irregularitas autem est privatio ipso jure lata, et casus dubius non potest esse in jure expressus, nam si esset expressus, non esset dubius, ut per se constat. Vel denique in eo quod pœna pro uno directe imposita, non est ad alia extendenda, solum propter similitudinem aut æquivalentiam, quæ omnia principia sunt in jure satis certa. Quamobrem etiam contra hoc non obstant alii textus, quia etiam in hoc casu sufficienter tollitur dubium speculativum seu doctrinale; nam omnia hæc principia et illationes moralem habent certitudinem, quæ licet non esset tanta, quanta est post decisionem cap. Is qui, tamen esset sufficiens ad tollendum morale dubium; quanquam verum etiam sit prædicta capita non loqui de dubio juris, sed facti, de quo fortasse est alia ratio, ut mox videbimus.

6. *Quid si non sit ita dubium jus irregularitatem ferens, quin sub opinionibus versetur. — Evasio. — Eluditur.* — Secundo quæri potest, quid dicendum sit, quando res non est adeo dubia, quin sub opinionibus versetur. Respondeo breviter (omissis aliorum placitis, quæ alibi sunt generalius examinanda), si contingat opinionem asserentem talem irregularitatem esse in jure latam, ita esse probabilem, ut contrarium probabilitate carere judicetur, tunc id sufficere, ut talis irregularitas incurratur, et ut ita judicandum sit tam in foro interiori quam in exteriori. Quia in rebus humanis non potest major certitudo prudenter postulari; vix enim aliquid est ita evidens, quin habeat aliquem contradicentem. Solum ergo oportet recte examinare, an opinio ita constans sit, ut contraria non sit probabilis; id enim non ex auctorum numero, sed ex rationum pondere, et in præsenti materia ex verbis jurium recte expensis et ponderatis colligendum est. Quando vero est varietas opinionum probabilium, in universum censeo non incurri irregularitatem, quoties judicio virorum doctorum opinio negans in eo casu incurri irregularitatem probabilis est, etiamsi judicetur minus probabilis speculative. Ratio reddi potest ex principio generali, quod in moralibus licet practice operari juxta opinionem probabilem, etiamsi speculative minus probabilis censeatur, nisi aliquod peculiare incommodum aut periculum inde oriatur, quod in præsenti materia non occurrit. Sed hoc principio pro nunc omisso, evidentior fiat assertio posita ex dict. cap. Is qui; nam quando res est in se adeo obscura et dubia, ut homines docti et probabiliter de illa judicantes, inter se non consentiant, merito censeri potest non satis expressa in jure; ergo irregularitas, quæ sub dicto dubio versatur, non potest dici in jure expressa : ergo. Dices, de hoc ipso esse opiniones, an sit in jure expressa, necne; ergo saltem quando probabilior sententia affirmat esse expressam, id satis est, quia illa est pars tutior, quæ semper eligenda est, ut jura dicunt. Respondeo negando consequentiam, quia eo ipso quod contraria opinio est probabilis, sufficit ad assensum practicum moraliter certum, et consequenter ad tollendum omne periculum, ac proinde non potest altera pars proprie dici tutior; utraque enim est omnino tuta. Potest etiam negari antecedens, nam in eo casu non potest esse controversia, an talis irregularitas sit in jure expressa, necne; sed controversia esse poterit, an talia verba textus significent irregularitatem, necne, vel aliud simile, quod longe diversum est; quantumcumque enim sit probabilis opinio affirmans in tali textu contineri irregularitatem, si tamen id potest cum probabilitate negari,

nunquam potest vere dici talis irregularitas in tali jure esse expressa, nisi apud eos, qui appellant evidens, quidquid ipsi opinantur. Jura vero non hoc modo, sed magno verborum pondere loquuntur, et ideo (ut opinor) plus est esse aliquid in jure expressum, quam sub controversia utrinque probabili in jure contineri, quantumcumque probabilitas in partem affirmantem inclinet. Et ita expendo et intelligo verba dict. cap. Is qui, nam quoad hanc restrictionem et exclusionem dispositio ejus est favorabilis; et ideo verba sunt cum omni rigore et restrictione intelligenda, nam hoc modo ampliatur favor. Vel e converso, quia quantum ad affirmationem ibi inclusam dispositio est odiosa, scilicet, irregularitatem incurri per jura quæ expresse illam imponunt, ideo verba etiam illa sunt in omni rigore intelligenda, ut dispositio quoad fieri possit restringatur.

7. *Quid si dubium tantum sit de existentia juris.—Resolutio.*—Tertio interrogari potest, si contingat non esse dubium de certitudine, sed de existentia juris (ut sic dicam), quid de tali irregularitate judicandum sit. Quod dubium non habet locum in his, quæ continentur in corpore juris; nam de his potest haberi certitudo; sed in Extravagantibus aut Bullis Pontificiis, quæ interdum non extant, nec de illis plena certitudo habetur, sed ab aliquibus fuisse feruntur, qui etiam interdum referunt in eis latam esse censuram, et idem potest esse de irregularitate. Quæritur ergo, an hoc sufficiat, ut talis irregularitas incurratur, si in tali jure dicatur fuisse expressa. Respondeo juxta superius dicta, hunc casum non habere locum, quia diximus, extra corpus juris non solere novas irregularitates introduci, quia semper ac formaliter sub generalibus legibus juris communis continentur. Quia vero mediate potest occasione talis decreti incurri irregularitas, propter novam censuram in eo impositam, ideo ad ferendum judicium de tali irregularitate prius expendendum est, an tale decretum adhuc sit in eo statu, in quo indicat obligationem sub censura ipso facto incurrenda. Et sane quoties jus adeo incertum est, ut dubitetur, an revera latum fuerit, vel an sub tali forma, quæ talem effectum indicat, non potest obligare aut talem effectum efficere, quia non potest dici sufficienter propositum aut promulgatum; et in materia irregularitatis est multo magis insufficiens, quia non potest illud vere dici expressum jus, practice ac moraliter loquendo. Quod si res non sit adeo dubia, sed sub probabilibus opinionibus versetur, tunc quoad irregularitatem, si in tali jure dicatur specialiter lata, servanda est regula in proximo puncto posita, nam est eadem ratio. Atque eadem (ut opinor) locum habet in censuris, et in quacumque pœna ipso jure incurrenda; id enim probant, si recte considerentur, quæ in priori puncto dicta sunt.

Secunda conclusio.

8. Secundo principaliter, dicendum est, personam, quæ ex ignorantia de jure irregularitatis dubitat, non posse contra talem irregularitatem prudenter operari, donec aliquo modo dubium sufficienter expellat. Colligitur ex ratione cap. Ad audientiam, et cap. Significasti, nam ille, qui sic operaretur, exponeret se morali periculo errandi, quod in moralibus perinde est ac voluntarie errare; nam, *qui amat periculum, peribit in illo*. Ut tamen distinctius explicetur, advertendum est, hoc dubium posse contingere, vel ante commissum actum, per quem incurrenda est irregularitas, vel post illum. In priore casu dubium de irregularitate contrahenda, vel nihil, vel parum refert, aut ad honestatem vel malitiam actus, aut ad irregularitatem vitandam, vel contrahendam. Primum patet, nam si actus, per quem irregularitas contrahi dubitatur, est alias licitus, non fiet illicitus propter dubium solum irregularitatis, quia sola irregularitas non facit actum peccaminosum. Solum posset quis excipere ab hac regula clericum, juxta opinionem Cajetani, verb. *Clericorum peccata*, dicentis, clericum faciendo actum, per quem incurritur irregularitas, semper peccare. Nam id neque est verum, nec asseritur a Cajetano, nisi quando actus est clerico prohibitus sub tali pœna. Et ideo clericus, qui dubitat, an per talem actum irregularitatem contrahat, prius dubitat, an talis actus sibi prohibitus sit. Atque hæc est prima ac præcipua ratio peccandi operando cum tali dubio, ideoque si actus reputetur non prohibitus, ex solo dubio irregularitatis non fiet illicitus. Si vero actus, per quem incurritur irregularitas, illicitus est, vel saltem de hoc dubitatur, ex eo capite actus erit malus, non proprie ex dubio irregularitatis, quamvis hinc possit malitia augeri in personis clericorum.

Ignorantia irregularitatis illam non impedit.

9. Altera pars, scilicet, hoc dubium antecedens irregularitatem nihil per se referre ad

illam contrahendam vel vitandam, declaratur ex alio principio notando in hac materia, scilicet, ignorantiam irregularitatis, quantumcumque invincibilis sit, non impedire, quin irregularitas contrahatur. Dico ignorantiam irregularitatis, quia ignorantia culpæ aliquando potest impedire irregularitatem, quæ pro culpa, ut sic, imposita est; de quo supra dixi, et plura dicemus infra agentes de irregularitate homicidii. At vero ignorantia solius irregularitatis non excusat, quominus illa incurratur. Et fundamentum esse potest, quia ignorantia solius pœnæ non excusat illam, quia non excusat culpam, et consequenter nec reatum pœnæ. De qua re videri possunt dicta disput. 4, sect. 6. Cessat enim hic specialis ratio, ob quam ibi diximus, ignorantiam invincibilem excommunicationis seu censuræ proprie dictæ, excusare ne illa incurratur, quia illa est pœna medicinalis, quæ pro contumacia formaliter fertur, et ut ab illa recedatur; irregularitas vero, quando est pœna, non fertur ut medicinalis, sed in vindictam delicti, unde propriam contumaciam non requirit; et ideo hæc sola ignorantia non excusat irregularitatem. Quod a fortiori tenent omnes, qui de censuris id asserunt, quos ibi retuli cum Covarruv., in cap. Alma, 1 part., § 10, num. 9. Et ad hoc ibidem expendi cap. Cum illorum, de Sentent. excomm.

10. *Quid si sit ignorantia de præcepto Ecclesiastico prohibente actum sub irregularitate.* — Major difficultas esse posset, si ignorantia esset absolute de præcepto Ecclesiastico prohibente actum, pro quo imponitur irregularitas, quæ excuset a culpa inobedientiæ Ecclesiæ, et a transgressione legis ejus, quamvis non excuset a culpa simpliciter, ut quando actus, ab Ecclesia prohibitus, est de se malus et contra legem divinam aut naturalem. Tunc enim major ratio excusationis intercedere videtur, quia irregularitas incurritur ex vi solius legis Ecclesiasticæ; hæc autem lex non operatur, nisi in transgressorem suum; ergo, si ignorantia excusat transgressionem talis legis, etiam reddet hominem liberum et immunem a pœna talis legis. Quæ ratio videtur profecto apparens, et probabilis. Nihilominus censeo ignorantiam invincibilem legis Ecclesiasticæ prohibentis, v. gr., homicidium, non excusare homicidam ab irregularitate, ut est communis consensus, et infra ex juribus constabit. In eo vero casu dici posset irregularitatem non esse positam propter solam culpam, sed propter ipsum actum quomodocumque voluntarium. Sed hoc non satisfacit, quoniam alias illa non esset irregularitas homicidii, sed solum ex defectu lenitatis, quod falsum est. Et ideo fatendum est, posse Ecclesiam sua lege pœnam imponere pro ipso actu, quatenus est contra legem divinam, aut naturalem, etiamsi non sit formaliter, seu voluntarie contra legem Ecclesiasticam. Sicut enim judex per sententiam punit sæpe delicta contra solum jus divinum, ita etiam potest legislator per ipsammet legem punire similia delicta, atque ita censenda est facere quoties simpliciter per legem ipsam punit sic delinquentem, et aliud non explicat, neque ex modo ipsius pœnæ, aut ex aliqua alia ratione colligi potest, prout in præsenti contingit. Eo vel maxime quod irregularitas respicit indecentiam, quam actus habet ex se, vel quatenus est contra jus divinum aut naturale, etiamsi præscindatur, seu excusetur transgressio Ecclesiastici præcepti. Quapropter generaliter verum esse existimo, ignorantiam solius præcepti Ecclesiastici, manente culpa contra legem divinam aut naturalem, non excusare irregularitatem.

11. *Operari cum dubio aut timore irregularitatis nil refert ad illam incurrendam, vel vitandam.* — Atque hinc tandem concluditur propositum intentum, nimirum, operari cum dubio vel timore irregularitatis, nihil referre ad illam incurrendam, vel vitandam. Probatur, quia si postea, re satis perspecta, et examinata, constiterit talem actum non esse sufficientem ad incurrendam irregularitatem, non erit contracta propter dubitationem operantis, sed ablato dubio poterit Ordines exercere vel assumere sine alia dispensatione. Quin potius, licet aliquis ex conscientia erronea efficeret actum, credens inde manere irregularem, non fieret; et postea ablata ignorantia, posset libere operari, quia irregularitas non incurritur ex sola conscientia, sed ex vi legis imponentis illam, et ideo non satis est legem esse putatam, si vera non sit. Si autem post effectum opus cum tali dubio, constiterit irregularitatem incurri propter tale opus, nihil obstabit præcedens dubium, quominus illa incurratur, quia, si ignorantia non impedit irregularitatem, multo minus solum dubium. Unde etiamsi sufficiens diligentia adhibita fuisset pro temporis opportunitate ad expellendum dubium, illud etiam satis non esset ad irregularitatem impediendam, si revera propter talem actum sit imposita, quanquam ad formandam con-

scientiam operantis aliquid possit conferre, quamdiu de rei veritate non constiterit, ut statim dicemus, explicando simul quomodo se habere debeat, qui cum tali dubio operatus est, quamdiu non potuerit expellere dubium.

Quid facere debeat quis, quando post actum supervenit vel manet dubium de irregularitate.

12. *Evasio enodatur.* — Superest dicendum de hoc dubio, quando supervenit, vel manet post effectum opus, ex quo irregularitas timetur. In quo certum est, non licere cum tali dubio operari contra irregularitatem, non facta prius sufficienti diligentia morali ad expellendum tale dubium, et cognoscendum, an irregularitas sit connexa tali operi, necne. Ratio est, quia sic operando exponit se quis manifesto periculo errandi, et violandi irregularitatem. Item, qui efficeret actum cum simili dubio, et prohibitione legis, graviter peccaret contra legem; sed irregularitas includit legis prohibitionem : ergo. Dices, illud tantum esse dubium speculativum, cum quo esse potest certitudo practica de honestate operantis. Respondeo, dubium speculativum circa legem, aut irregularitatem, an sit necne, non satis examinatum juxta capacitatem operantis, et rei opportunitatem, semper inferre conscientiam dubiam practice, quæ non potest prudenter deponi, nisi prius adhibeatur sufficiens diligentia ad dubitationem tollendam. Quia quamdiu homo non facit quod in ipso est ad deponendum dubium, illi imputatur quidquid est periculi in tali operatione, et ignorantia, quæ ibi intervenit, vincibilis est, ideoque non potest a culpa excusare. In illo ergo casu primum omnium adhibenda est diligentia ad expellendum dubium; et quamdiu hoc non fit, abstinendum est ab omni opere per irregularitatem prohibito. Quod si facta diligentia, constiterit veram esse irregularitatem, constat vel servandam esse, vel procurandam dispensationem; si vero e converso constiterit nullum esse tale jus, ablatum erit dubium, tam practicum quam speculativum, et cessat omnis necessitas dispensationis.

13. *Quid si facta morali diligentia non possit dubium deponere. — Prima opinio. — Secunda opinio.* — Difficultas vero est, quid homo agere teneatur, si post adhibitam diligentiam non potuit dubium expellere, nec de alterutra parte probabile judicium ferre. Quod præsertim urget, quando hic et nunc occurrit moralis necessitas exercendi Ordines, et tunc non potest fieri omnis diligentia simpliciter possibilis, fit tamen omnis illa, quæ pro loci et temporis opportunitate fieri potest, et nihilominus per illam non potest dubitatio tolli. In quo casu aliqui absolute affirmant teneri hominem ad irregularitatem servandam, et peccare graviter, si cum tali dubio exerceat actionem prohibitam per irregularitatem. Probatur, quia sic operando exponit se periculo celebrandi cum irregularitate; abstinendo autem vitat omne periculum; ergo tenetur abstinere, quia in dubiis tutior pars eligenda est. Item, quia in simili dubio facti tenetur quis abstinere, et servare irregularitatem; ergo etiam in dubio juris a paritate rationis, quæ in dubio facti solum est ut tutior pars eligatur, ne forte fiat quod in re ipsa peccatum est, quod periculum eodem modo imminet in dubio juris. Alii vero per contrarium extremum dicunt, posse hominem practice deponere dubium, et se gerere perinde ac ille, qui nullam habet irregularitatem, quamvis teneatur nacta opportunitate majorem adhibere diligentiam. Ratio est, quia in eo casu, post factam diligentiam, ignorantia, quæ manet, involuntaria est, et ideo practice nullum est periculum peccati; secluso autem hoc periculo, tutissima est illa pars. Explicatur, quia postquam aliquis adhibuit sufficientem diligentiam ad expellendam dubitationem, et non potuit, ignorat sibi esse tale præceptum impositum, et ita ignorat, ut non potuerit ignorantiam depellere; ergo invincibiliter ignorat; ergo hic et nunc non obligatur tali præcepto ; ergo nulli periculo se exponit sic operando.

14. *Objectio. — Solutio. — Replicatio. — Enodatur.* — Dices : illa ignorantia non est positiva, sed negativa tantum, nam ille non judicat invincibiliter se non habere præceptum, sed solum negative se habet nesciens an sit præceptum; et ideo adhuc versatur in periculo, etiam secundum suam existimationem, ne forte in re sit præceptum, et illud violet. Sed contra, nam ex illa ignorantia negativa in universali, optima ratione infertur positiva ignorantia in particulari, per judicium practicum, quo aliquis prudenter judicat, se non obligari hic et nunc tali præcepto, quia nemo obligatur lege, nisi illi sit sufficienter proposita ; sed qui post factam diligentiam sufficientem ad cognoscendum,

an sibi sit tale præceptum impositum, non potuit id assequi, non habet talem legem sufficienter propositam; ergo licet in generali seu speculative maneat dubius, an talis lex lata sit, in particulari est certus se non obligari tali lege. Atque ita cessat fundamentum contrariæ sententiæ, scilicet, quod nemo potest facere absque peccato id, de quo dubitat an sit peccatum; negamus enim in eo casu talem hominem dubitare, an illud hic et nunc sit peccatum, quandoquidem hic et nunc est certus se non obligari præcepto. Dices, satis esse, quod in generali dubitet hunc actum secundum se esse peccatum, quia peccatum, sive secundum se, sive in particulari sumptum, vitandum est; hoc autem dubium manet semper in tali homine, quia cum semper generatim dubitet, an talis lex lata sit, consequenter dubitat, an actio ipsa peccaminosa sit. Respondetur, falsam esse primam illam propositionem generaliter sumptam. Nam si quis non dubitet, an talis actio hic et nunc sibi sit peccaminosa, parum refert quod dubitet, an talis actio secundum se seu materialiter sumpta peccaminosa sit. Neque hæc generalis dubitatio infert necessario illam particularem, nisi quando nulla est facta diligentia ad expellendam dubitationem generalem, nec subest aliqua rationabilis causa operandi cum tali generali dubio, quando expelli non potuit; his autem duobus concurrentibus, sæpe licitum est operari, non obstante tali dubio. Ut qui possidet rem, de qua dubitat an sit aliena, etiam dubitat, an contrectare, vel consumere illam sit actio secundum se injusta, utpote contra jus vel dominium alterius; unde si illam alteri daret, vitaret omne periculum peccati, tam formalis, quam materialis, ut sic dicam; non tamen ad hoc obligatur, quia in dubio nemo cogitur rem, quam possidet, alteri dare; tunc enim, cum melior sit conditio possidentis, potest seipsum alteri præferre, satisque est, quod in particulari sit certus hanc actionem sibi non esse injustam, neque peccaminosam.

15. *Aliquorum evasio præcluditur.* — Quod vero dicunt aliqui hoc solum habere locum in materia justitiæ, non vero aliarum virtutum, falsum est, et sine fundamento dictum, quia non minus est vitandum peccatum in materia justitiæ, quam aliarum virtutum; et, sicut in materia justitiæ occurrere potest sufficiens ratio, ob quam non obstante illo generali dubio, potest in particulari esse certitudo practica de honestate actus, ita in materia aliarum virtutum potest similis ratio occurrere. Ut in materia religionis nemo obligatur voto, de quo dubius est, an illud emiserit, ut recte dixit Soto, lib. 7 de Just., quæst. 3, art. 2; et in materia temperantiæ, qui juste et invincibiliter dubitat, an hodie sit dies jejunii, non est cogendus jejunare; et simile est de observatione festi, et in universum in materia obedientiæ (in qua nunc præcipue versamur) quamdiu quis invincibiliter dubitat, an præceptum sit impositum, et non potest post moralem diligentiam notitiam illius consequi, non est cogendus in conscientia ad observationem talis præcepti, præsertim ubi res præcepta onerosa est et gravis, tum ex illo principio, quod lex non obligat personam, vel (ut alii loquuntur) non ligat illam, donec illi in particulari sit sufficienter proposita, nec per eam stet quominus proponatur. Tum etiam quia esset intolerabile onus, præsertim in legibus positivis, quæ non solent, vel certe non possunt obligare cum tanto rigore. Nam etiam naturalis lex nunquam obligat cum solo hujusmodi dubio. Ut, v. gr., si in aliqua materia verteretur dubium, an talis actus sit prohibitus lege naturæ, necne, et res maneret ita dubia, ut nullum judicium determinate ferri posset (per possibile, vel impossibile), tunc non obligarentur homines ex vi legis naturæ ad abstinendum a tali actu, quia non est eis lex prohibens sufficienter proposita; idem ergo est in lege positiva, idemque erit in irregularitate, quæ solum potest obligare in vi cujusdam humani præcepti. Sicque dixit Gloss., in cap. Cum sunt, de Regul. jur., in 6, in dubio nullum præsumi obligatum, vel obnoxium, ex Authent. Quibus mod. nat. effic. sui, collat. 6.

16. *Probatur eadem opinio. — Evasio eluditur.* — Possumus deinde ex eadem regula argumentari, scilicet, cum sunt partium jura obscura, reo esse favendum; nam hic, de cujus irregularitate dubitatur, se habet ut reus; ergo in casu dubio absolvendus est. Respondent, hoc procedere in foro exteriori, non vero in interiori. Sed non recte, tum quia si talis homo in exteriori foro judicetur non irregularis, cur in interiori se geret ut irregularis? nam internum forum non discrepat ab externo, nisi ubi ex præsumptione sola procedit, præter rei veritatem secreto cognitam. In præsenti autem non ita est, nam in casu dubio veritas latet in utroque foro, ut

supponimus; judicium autem exterioris fori in casu, de quo agimus, fertur ex principio practico, quod præsumitur innocens, qui non probatur nocens, et quod in casu dubio reus absolvendus est potius quam damnandus; at principium hoc æque rationabile est in foro interno : ergo. Confirmatur, quia in his pœnis, quæ jure ipso imponuntur, ipsemet reus est quodammodo sui accusator et defensor, et debet contra se proferre sententiam, et in se exequi pœnam; ergo poterit in conscientia uti eodem principio juris, et cum dubium est jus, se potius absolvat, quam damnet.

17. *Aliorum solutio.* — Propter hoc alii negant antecedens assumptum, et in foro etiam exteriori in eo casu dubio dicunt judicandum esse aliquem irregularem, juxta decisionem dicti cap. Ad audientiam, quæ in foro etiam exteriori procedit, et in principio ipsiusmet textus ponderavit Navarrus, et infra etiam nos dicemus. Eadem autem ratio esse videtur in quolibet alio dubio, quæ est in illo de quo textus hic loquitur. Juxta quam sententiam negandum est, illud principium, in dubiis favendum esse reo, habere locum in pœna irregularitatis, nam potius damnandus est. Ratio autem reddi potest, quia, licet in aliis pœnis, quæ solum sunt privationes, aut exactiones, vel onera, absolvi debeat reus in casu dubio, quia id potest fieri sine ullo periculo, tamen in pœna, quæ includit privationem aliquam sub obligatione peccati, qualis est irregularitas, potius est constringendus, et puniendus reus in casu dubio, quia cum immineat periculum conscientiæ, tutior pars præferenda est favori rei.

18. *Solutio rejicitur.* — Sed hæc sententia in dubio juris mihi est incredibilis. Primo, quia si in foro exteriori non constet esse aliquod jus imponens irregularitatem, quantumcumque res sit dubia, qui fieri potest, ut quispiam judicetur irregularis, cum non possit nisi per jus ipsum judicari? Item ex cap. Is qui, sumitur efficax argumentum saltem a paritate rationis; nam ubi jus est apparens vel simile, non est sufficiens ad indicandam irregularitatem, nisi sit expressum; ergo ubi totum jus est dubium, multo minus sufficiet, quia multo minus expressum est. Præterea inde sequitur pœnam suspensionis vel depositionis ipso jure sive ab officio, sive a beneficio, incurri in conscientia, et in foro exteriori, in simili casu de dubio juris, quia etiam illa pœna includit prohibitionem aliquam in foro conscientiæ sub obligatione culpæ. Sequitur etiam, eum, qui in tali dubio judicatur irregularis, privandum esse beneficiis, quæ possidebat, quia hoc consequitur ad irregularitatem, sicut in casu cap. Ad audientiam, privandus est illis, ut infra dicemus. Hæc autem, et similia continent nimium rigorem sine sufficienti fundamento. Denique differentia ibi assignata supponit falsum fundamentum, nimirum, in hoc esse aliquod peccatum. Unde parum refert, quod irregularitas includat prohibitionem in conscientia obligantem, nam in hoc sequi debet irregularitas conditionem aliorum præceptorum, quæ est, ut non obligent, quamdiu de eis non sufficienter constat. Estque hoc valde consentaneum rationi, maxime in legibus, quæ ipso jure pœnam privativam imponunt; nam propterea quod ex se obligent in conscientia, non imponunt leviorem pœnam, sed graviorem potius; ergo, sicut aliæ leges pœnales non obligant judices ad damnandos reos in casibus dubiis, ita hæ leges, quæ ipso jure pœnam imponunt, non obligant in conscientia, quamdiu de ipsis seu de jure ipso dubitatur.

19. *Posterior sententia præfertur.* — Hæc igitur sententia mihi maxime probatur, præsertim quando dubium de irregularitate, vel suspensione, quæ est pura pœna, post transactum opus suboritur, quia tunc maxime procedunt omnes rationes, quas adduximus. At vero si ipsosmet Ordines suscepit cum dubio irregularitatis, tunc major est dubitandi ratio, quia sicut a principio mala fide tale fecit opus in ordine ad irregularitatem contrahendam, ita non videtur posse liberari ab illo onere conscientiæ dubiæ practice, donec dubium ipsum de irregularitate, quod a principio habuit, re ipsa cognita expellat. Quæ limitatio est probabilis. Quid vero de illa sentiendum sit, dicemus statim agentes de dubio facti. Fundamentum autem contrariæ sententiæ ex dictis solutum est; jam enim constat, quomodo in tali actione nullum sit periculum peccati. Ad exemplum autem de dubio facti patebit latius ex dicendis. Nunc autem respondeo esse disparem rationem, quidquid sit de antecedente, quia irregularitas, licet ex facto oriatur tanquam ex radice vel occasione, per se tamen et proxime oritur ex jure tanquam ex causa efficiente, et ideo si jus sit dubium, non potest inferre talem effectum; stante vero facti dubio, po-

test esse jus certum, et ideo non semper est similis ratio.

SECTIO VI.

Utrum ex facto dubio irregularitas juris contrahatur.

1. *Prima conclusio.* — Hoc dubium annexum est præcedenti, et in hac materia valde necessarium. In quo certum imprimis est aliquando induci irregularitatem, licet factum sit dubium, ita ut teneatur qui dubitat abstinere, donec dispensetur; habetur in dictis cap. Ad audientiam, et Significasti, 2, de Homicidio. Quæ nec de solo interiori foro, nec de solo exteriori, sed de utroque intelligenda sunt, tum propter rationem supra datam, quod ubi non proceditur ex præsumptione, unum forum ab alio non discrepat; tum etiam quia dict. cap. Ad audientiam, aperte loquitur de re, quæ ad externum forum deducta fuerat, ut patet ex illis verbis, *Ad audientiam nostri Apostolatus pervenit;* cap. autem Significasti, loquitur in foro conscientiæ, ut patet ex illis : *Cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur, vel denunciatur ab aliquo, sed per seipsum consilium appetit salutare.* Tum denique, quia regula illa, in qua textus illi fundantur, scilicet, in dubiis tutiorem partem esse sequendam, in utroque foro verum habet; in interiori quidem propter obligationem vitandi periculum peccati, ut in eodem cap. Significasti, indicatur, et in cap. Juvenis, de Sponsalibus; in exteriori vero, quia et est eadem ratio, et jura idem disponunt, ut patet ex cap. Veniens, de Presbytero non baptizato; imo et cap. Juvenis, in eodem foro loqui videtur.

2. *An conclusio procedat in omni dubio facti. — Ratio dubii pro parte affirmativa.* — Difficultas vero superest, an hoc generaliter procedat in quolibet dubio facti, vel specialiter tantum in casu homicidii, in quo prædicta jura loquuntur. Si enim responsum et rationem Pontificis consideremus, videtur ibi regula generalis statui pro omni casu dubio quoad factum, quia Pontifex non respondet statuendo novum jus circa illud factum, sed declarando id, quod ex antiquo jure, et ex vera ratione observandum est, quod jus seu ratio non fundatur in speciali aliqua proprietate homicidii, aut irregularitatis quæ ex eo nascitur, sed in generali ratione dubii facti, et periculi, quod imminet, non sequendo partem tutiorem. Quæ in dubio irregularitatis est abstinere a divinis ministeriis seu Ordinibus, quia in hoc nihil est periculi, in alio vero potest esse maximum; ergo illa resolutio in omni dubio facti æqualiter procedit.

3. *Ratio pro parte negante.* — In contrarium vero est, quia decisioni illorum textuum videtur generalis regula aliorum jurium repugnare, videlicet, in casu dubio etiam quoad factum neminem esse damnandum; nam regula Cum jura, supra citata, non tantum loquitur in dubio juris, sed etiam facti. Unde in l. 168, de Reg. juris, generaliter dicitur, *Favorabiliores rei, quam actores habentur.* Ubi Glossa inter alia exponit illud dictum esse, quia in dubio absolvitur reus. Et ad id nonnulla refert. Et ad idem facit cap. unic. Ut Ecclesiastica beneficia, etc., quatenus ait, *actore non probante, reum esse absolvendum, etiamsi nihil præstiterit,* id est, etiamsi positive non probaverit se esse a delicto immunem; ergo sola negatio probationis est sufficiens ratio absolutionis; sed quoties res manet dubia, manet etiam delictum non probatum; ergo etiamsi altera pars æque dubia, et sine probatione relinquatur, reus est absolvendus; ergo in nostro casu de dubio facti, judicandus est aliquis non irregularis ex vi juris communis. Patet consequentia, quia irregularitas hæc, de qua agimus, pœna quædam est, et ideo sequi debet communem regulam pœnalem; neque excipi debet nisi in casibus expressis. Accedit, quod illa jura maxime servanda videntur in pœnis, quæ ipso jure incurrendæ imponuntur; est enim hic modus imponendi pœnam valde rigorosus, ideoque leniendus est quantum fieri possit. Non ergo cogendus est reus in seipso exequi talem pœnam, donec certus sit de delicto. Nam, si judex non cogitur imponere pœnam, quæ per sententiam imponenda est, donec in suo foro certus sit de delicto, cur reus cogetur in conscientia exequi in se pœnam legis, donec in eodem foro conscientiæ sit certus de delicto? Quamdiu autem res est dubia, nondum est sufficienter probatum delictum in conscientia; ergo in præsenti non tenetur in conscientia abstinere ab executione, vel acceptione Ordinum, quia hoc esset exequi in se pœnam legis propter solum dubium delicti.

4. Unde nihil refert, quod hæc pœna irregularitatis includat prohibitionem per se obligantem in conscientia, quia de hoc ipso est controversia, an scilicet talis prohibitio

oriatur ex facto dubio. Nam cum talis prohibitio per modum pœnæ imponatur, sequi debet naturam pœnæ, quæ est, ut ex solo dubio delicto non oriatur. Atque hac eadem ratione cessat in dubio facti principium illud de tutiori parte eligenda; nam illud solum cadit sub obligatione, quando in altera parte est aliquod periculum peccati; hic autem nullum est, nam ex verissimis principiis certo constare potest, nondum esse exortam prohibitionem, quæ in conscientia obliget ad abstinendum a talibus functionibus; illa autem ablata, cessat periculum peccati.

5. *Exemplis suadetur eadem pars.* — Tandem confirmatur exemplis. Primum esse potest illud de voto supra tactum; nam dubium voti est dubium facti, a quo pendet jus, quia votum est opus ipsius hominis, quamvis late vocari soleat lex particularis, quam homo sibi imponit. Simile est de promissione facta alteri homini, nam si quis dubitet, an vere illam fecerit, non tenetur illam implere, nec bonis suis se spoliare. Aliud est de suspensione, v. gr., a beneficio, quæ cum incurritur, statim obligat in conscientia ad non usurpandos fructus beneficii; durissimum autem propter solum delictum dubium, quod in hominis conscientia non satis probatum est, statim obligare hominem in conscientia ad non accipiendos fructus proprii beneficii. Denique, si aliquis casus reservatur Summo Pontifici, vel alteri Prælato, v. gr., homicidium, et incidat quis in dubium homicidii, talis casus non est censendus reservatus, etiamsi nihil aliud in illa lege exprimatur, quia cum talis lex odiosa sit, verba ejus sunt stricte sumenda; casus autem de homicidio dubio non est de homicidio simpliciter, et ideo non comprehenditur sub reservatione homicidii simpliciter dicti. Neque in eo casu tenetur quis tutiorem partem sequi, qualis videri posset accedere ad Prælatum, quia certissimum est habere jurisdictionem, quia satis certum est, confessionem inferiori factam esse validam, eo quod casus dubius ex vi illorum verborum reservatus non sit. Ergo idem est in omni casu simili, nisi aliud fuerit in alio jure expressum.

6. *Quorumdam sententia.* — Propter has rationes dicunt aliqui, decisionem dicti cap. Ad audientiam, et Significasti, limitandam esse ad casum ibi propositum, et ad modum pœnæ ibi declaratum. Hoc posterius significavit Abbas, in d. c. Significasti, num. 4, dicens, in illo casu dubio præsumi aliquem irregularem, solum quoad cessationem a sacro ministerio, non vero quoad alias pœnas, v. gr., privationis beneficiorum, et similes. Cujus sententia quoad hanc partem communis est, et ex omnibus adductis sufficienter convincitur, tum quia quoad hoc irregularitas est pure pœnalis; tum etiam quia dicta jura cum limitatione loquuntur de irregularitate quoad obligationem abstinendi ab Ordinibus, ideo non sunt extendenda, cum in hoc contineant rigorem. Hinc autem videtur confirmari prior pars; nam jus commune est, ut pœna non extendatur eodem modo ad delictum dubium; ergo, cum decisio illorum textuum discrepet ab hoc jure communi, limitanda est ad casum specialem illorum, scilicet voluisse Pontificem in odium homicidii, et propter specialem indecentiam, quam habet ad ministerium sacrum, statuere et declarare, irregularitatem latam propter homicidium, comprehendere etiam homicidium dubium, quamdiu dubium non expellitur. Nam quod Pontifex potuerit ita legem illam extendere, manifestum est; qua declaratione facta, quamvis factum sit dubium, jus tamen est certum, et ideo cessant jura omnia, quæ dicunt, in casu dubio non esse imponendam ordinariam pœnam; nam intelliguntur, nisi jus ipsum aliud declaraverit. Hujus autem declarationis in illa irregularitate potest specialis ratio assignari, quia fertur propter indecentiam; indecentia autem non solum ex casu certo, sed etiam ex casu dubio oritur, ideoque merito potuit jus certum statui, ut in illo irregularitas incurreretur.

7. *Difficultas circa præcedentem sententiam.* — Hæc sententia difficultatem patitur, quia Clemens III, in dicto cap. Ad audientiam, non videtur novum jus introducere, sed ex generali principio, obligationem, quæ jam existebat, declarare, ut patet ex illis verbis : *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Et eodem modo loquitur Innocentius III, in c. Significasti, 2, ut patet ex illis verbis : *Cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur.* Fundantur ergo hi Pontifices in sola ratione periculi, non in novo jure, quod pro tali casu statuant. Alioqui non tantum immineret periculum, sed esset certa transgressio post statutum illud jus; ante illud vero nullum immineret periculum peccati, si secluso hoc

speciali jure, ex vi solius dubii non oriatur talis obligatio.

8. *Solvitur difficultas, et probatur posita sententia.* — Nihilominus censeo, prædicta jura non obligare nisi in casibus in illis expressis. Hoc significavit Navarrus, dicto c. Si qui autem, num. 41, dicens, tam in foro conscientiæ, quam exteriori, in dubiis tutiorem partem esse eligendam ut præcepti in casibus a jure expressis, sentiens extra illos non semper esse præceptum, sed consilium, ut num. 34 dixerat. Et expresse Sylvester, verb. *Jejunium,* num. 27, in fine, dicens principium illud non esse necessarium sub mortali, sed sufficere eligere tutum. Idemque supponit Soto, in loco citato, et moderni frequentius. Suadetur autem, quia, cum materia sit rigorosa, et valde onerosa, non est extendenda sine evidenti necessitate et ratione. Alioqui ex illis juribus colligenda esset universalis regula, in omni dubio facti necessarium esse ex præcepto sequi partem tutiorem; quod incredibile est ita generatim sumptum. Ut autem textus illi, et res ipsa melius intelligantur, adverto primo hic non esse sermonem de conscientia dubia practice, nam de illa certissimum est, existente tali dubio eligendum esse id, in quo nullum timetur peccatum; quod si sit perplexitas ex aliqua ignorantia, eligendum est illud, quod minus malum censetur, quod tunc practice est judicandum non malum seu non imputabile operanti, quia non potest illud vitare, de quo alias. Est ergo sermo de dubio speculativo, ex quo pendet dictamen conscientiæ, ut est in casu illorum textuum, an Petrus, v. gr., fuerit mortuus ex vulnere inflicto a Paulo, necne. Ex quo infero, quando in illis textibus dicitur una pars securior, et in altera esse aliquid periculi, non esse sermonem de periculo culpæ, quia de hoc ipso versabatur quæstio, an ibi esset periculum culpæ, nemoque dubitavit, quin operari cum periculo culpæ sit malum; peteret ergo Pontifex principium, vel non rectam rationem afferret, si in illo sensu illo principio uteretur. Vocat ergo tutiorem partem illam, quæ pauciora habet incommoda, et minoris momenti, omnibus pensatis; periculum autem, quod imminere dicit, non est aliud, nisi quia accidere posset, ut verus homicida celebraret, aut ordinaretur, quod est contra decentiam ipsius rei, et Ecclesiæ intentionem.

9. *Verus intellectus c. Ad audientiam, et c. Significasti, 2, de Homicidio.* — Ex quo principio sic intellecto, et ex judicio prudentiali in tali materia, nimirum, tutius esse abstinere a ministerio sacro, colligit Pontifex legem, quæ statuit, ut in tali casu ita fiat. Ut autem hoc statuat, necesse non est, ut illud principium, in quo fundatur, *in dubiis tutiorem partem esse eligendam,* sumatur in universum ut necessarium ad vitandam culpam seu tanquam præceptum; satis enim fuerit, quod Pontifex id existimaverit esse convenientius et magis consentaneum prudentiæ, et juxta illud legem statuerit. Et ob eamdem causam necessarium non est, ut id, quod ibi Pontifex statuit ac præcipit, per se esset necessarium ex vi solius rationis naturalis; nam sæpe lex positiva statuit aliquid ex prudentiali ratione, quæ per se sola non induceret necessitatem, est autem sufficiens ad statuendam legem, quæ necessitatem imponat. Sic ergo Pontifex judicavit in hac materia expedire ferri legem de sequenda tutiori parte, quia in hoc, quod dubius de tali facto abstineat, solum illud potest esse incommodum, quod hoc est onerosum tali personæ, et quod aliquando potest contingere, ut ille, qui revera homicida non est, abstinere cogatur; at hoc quasi nihil existimatum sit a Pontifice comparatum cum reverentia debita rebus sacris, et cum periculo, quod aliquando homicida ministret. Hæc autem ratiocinatio per se sola fortasse non esset sufficiens ad obligandum hominem dubium, ut in eo casu abstineret; fuit autem sufficiens, ut Pontifex lege sua id decerneret. Maxime, cum ipse potuerit judicare, esse sufficientem causam ad imponendum hoc onus in tali casu, quod homo sua culpa vel negligentia actionem fecerit simili dubio expositam. Item cum ad Summum Pontificem pertineat cavere omnem indecentiam circa ministeria sacra. Atque hanc existimo esse veram intelligentiam illorum jurium.

10. *Decreta citata præcipue procedere in foro exteriori.* — Unde ulterius colligo, decisiones illorum textuum primo et maxime habere locum in foro exteriori. Quod notavit Navarr., d. c. Si quis autem, num. 38, motus ea ratione, quod jus humanum magis obligare solet in exteriori foro, quam in interiori. Unde etiam Gerson, quem ibi refert, in 2 p., dixit, frequentius aliquem judicari irregularem in exteriori foro quam in interiori. Melius vero id colligimus ex ipsismet textibus. Nam in c. Ad audientiam, verba Pontificis non diriguntur ad ipsummet irregularem, sed ad judicem seu Prælatum, cui

dicitur : *Vos convenit injungere presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Unde satis apparenter dici posset, ex vi illorum verborum non haberi, in eo casu teneri eum, qui dubitat, abstinere, donec ei a superiori injungatur, quia verba illius textus requirunt hominis sententiam seu præceptum. Item quia alias teneretur ab omnibus Ordinibus abstinere, quia irregularitas homicidii ab omnibus separat; et tamen ibi dicitur non esse a minoribus Ordinibus separandum. Cap. autem Significasti, potest eodem modo exponi; nam licet ibi dicatur, non præcessisse accusationem, vel denunciationem, sed solam petitionem consilii salutaris ab ipsomet reo factam, nihilominus responsio Pontificis videtur etiam referri ad externum forum, in quo ille dicitur habendus ut homicida. Atque ita etiam fatetur Navar., supra, num. 36; in n. autem 37, refert Felin. in d. c. Ad audientiam, dicentem, jura illa procedere in foro exteriori, non omnino contentioso, quod incipit ab accusatione, vel denunciatione, sed mixto quodammodo ex interiori, quatenus aliquis seipsum accusat, petens tamen judicium et expeditionem in foro exteriori. Quod quidem facile admitti potest, dummodo non negetur, ut bene advertit Navarr., idem judicium ferendum esse in foro contentioso, si talis causa agitetur, et eodem modo constet de tali dubio, quia et est eadem ratio, et decisio jurium est absoluta et sine distinctione. Imo, cæteris paribus, rigorosius agendum esset cum reo, si judicium esset omnino contentiosum, quia, quo ejus accusatio vel denunciatio minus voluntaria illi est, eo minor fides confessioni ejus adhibenda est, quatenus ad ipsius excusationem spectat, et a contrario sensu ex eodem c. Significasti, colligitur; eademque ratione minori dispensatione et indulgentia dignus esset. Non videtur ergo dubium, quin jura illa præcipue loquantur in foro exteriori, sive misto sive puro. Neque opinor Panormitanum id negasse; cum enim ait, decisiones illorum textuum non esse extendendas ad forum externum, loquitur quoad illas pœnas, quæ per judicem imponi solent pro irregularitate contracta, qualis est privatio beneficiorum, et similes; quoad privationem vero, quam intrinsece habet irregularitas, ut est ab usu Ordinum, aperte concedit habere locum in foro externo, quod ibi vocat quasi pœnitentiale, quia in eo non agitur de nova pœna imponenda, sed de securiori parte eligenda. Et videtur coincidere cum illo, quod Felin. mistum appellavit.

11. *Dicta jura an etiam procedant in interiori foro et in conscientia.* — Non vero negandum est, decreta illa consequenter etiam procedere in foro interiori, maxime post declarationem, seu injunctionem judicis. Nonnihil vero dubitationis habet, an qui dubitat, teneatur in conscientia abstinere prius quam a judice separetur, præsertim si homicidium sit occultum. Nam in illis textibus non sunt aliqua verba, quæ ad hoc cogant; ergo ex vi illorum non est imposita hæc obligatio; sed seclusis illis juribus, ex sola ratione, aut ex aliis juribus non constat : ergo. Et confirmatur a simili ex casu textus in c. Significasti, 1, de Homic. Ubi idem Innocent. III sic concludit : *Ideoque mandamus, quatenus si ita est, ad cautelam injungas eidem pœnitentiam competentem, qua peracta, non impedias quominus in susceptis ministret Ordinibus, et ad majores valeat promoveri.* Unde satis aperte colligitur, ante peractam pœnitentiam impositam illum non potuisse licite vel ministrare in susceptis Ordinibus, vel ad superiores ascendere post mandatum illud, quod fuit quoddam genus suspensionis; et tamen in casu illius textus, qui fuit de homicidio quodam omnino casuali et involuntario, et sine interventu alicujus delicti, si res non esset devoluta ad superiorem, non teneretur ille clericus ex vi suæ conscientiæ, vel pœnitentiam aliquam agere, vel aliquo tempore cessare ab usu Ordinum, cum tamen ad id obligetur post injunctionem superioris. Ubi etiam obiter notare licet in hujusmodi consultationibus aliqua Pontifices præcipere ad majorem cautelam, et ad majorem decentiam et reverentiam sacrorum Ordinum, quæ per sese, et ex vi solius conscientiæ non essent necessaria, licet posito præcepto superioris in conscientia oriatur obligatio. Cur ergo non possumus eodem modo intelligere c. Significasti, et c. Ad audientiam, præsertim cum interpretatio sit favorabilis, et materia onerosa. Unde Marianus Socin., in d. c. Ad audientiam, n. 46, quem refert et approbat Covarr., in d. Clement., p. 2, § 2, n. 5, solum dixit, in dubio quoad forum conscientiæ consulendum esse, ut quis se abstineat a divinis, et se existimet irregularem esse. Quod potest intelligi, esse consulendum, ut melius, et securius, non autem tanquam necessarium ante judicis sententiam, seu præceptum. Non est profecto facile interpretationem hanc valide impugnare.

12. *Vera sententia.* — Nihilominus in re morali et gravi non est deserenda communis sententia, quæ habet, in casu illorum textuum teneri unumquemque in conscientia ad abstinendum ab usu Ordinum, et ita etiam esse in conscientia consulendum, etiamsi res nullo modo devoluta sit ad forum externum; in hoc enim conveniunt Canonistæ, et Navarr. excusat Innocentium, qui solet in contrarium citari, quod non fuerit in tali sensu locutus. Ratio vero reddi potest, quia Pontifices declarant, in illo casu servandam esse irregularitatem; ergo intendunt docere obligationem illam oriri eo modo, quo irregularitas nasci solet, scilicet, ex facto ipso, supposito jure, absque alia judicis sententia. Juvat etiam in dict. cap. Ad audientiam, verbum illud, *Poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus;* indicat enim necessitatem dispensationis, sine qua ille non posset in minoribus Ordinibus ministrare. Juvat etiam in d. cap. Significasti, 2, verbum illud, *A sacerdotali officio abstinere debet;* non enim solum dicitur, quod debet separari, aut non admitti, sed quod ipse debet abstinere; et verbum *debet,* licet aliquam ambiguitatem habeat, tamen regulariter indicat gravem obligationem in conscientia.

13. *Corollarium.* — Ex his denique omnibus infero, decisiones illas non esse extendendas ad omnes casus dubios, obligando homines, ut in eis semper teneantur in conscientia ad judicandum (ut sic dicam) contra seipsos, suscipiendo quodcumque onus, eo quod speculative sit tutius, quia non semper habent locum rationes omnes, quæ ibi moverunt Pontifices. Præcipue vero mihi est certum non extendi ad dubium juris, quia solum agunt de dubio facti; neque est admittenda extensio, cum sit longe dissimilis ratio, quia ubi jus non est certum, non fit illi injuria, neque est morale periculum ejus, quale esse potest, cum jus est certum, et factum solum est dubium. An vero illa decisio extendenda sit ad omnes irregularitates, quæ timeri possunt ex dubio facti, respondeo ex vi, et rigore juris solum nos cogi ad id asserendum in irregularitate, quæ ex homicidio contrahitur. Deinde probabile est, quod Covarr. dixit dict. Clement., 1 part., in princ., num. 3, quoties ea contigerint, quæ in dictis decretalibus traduntur, servandas esse earum decisiones, etiamsi delictum, seu actus non sit omnino ejusdem rationis; quamvis enim hoc posterius Covarr. non exprimat, in hoc tamen sensu loqui videtur, estque probabile, quia hoc modo formaliter intelliguntur decisiones illæ, et non tantum materialiter. Quando vero concurrant omnia, quæ in illis decretis considerantur, prudenter conjectandum est ex materia et circumstantiis actus; et in sequentibus tractando de singulis irregularitatibus plurima in particulari dicemus.

SECTIO VII.

Qui possint irregularitatem contrahere.

1. *Prima regula.* — Post efficientem causam dicendum sequitur de materiali seu subjectiva, circa quam duæ regulæ generales possunt constitui. Prima est, nullum esse capacem irregularitatis, qui per se, et juxta Christi institutionem non sit capax sacramenti Ordinis. Hanc regulam posuit Soto, in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 2, eamque tetigimus supra, sect. 1, circa definitionem irregularitatis; sequitur enim ex dictis ibi, primo, quia irregularitas est privatio quædam; omnis autem privatio supponit capacitatem; habitus enim et privatio versantur circa idem. Denique incapacitas ad recipiendos Ordines ex divino jure statuta est, et impedit non solum licitam, sed etiam validam susceptionem Ordinis; at vero irregularitas nec est ex jure divino, neque impedit, quin Ordo susceptus sit validus, etiamsi cum peccato suscipiatur : ergo.

2. *Fœminam nec esse, nec posse irregularem fieri. — Corollarium primum. — Quorumdam responsio. — Impugnatur. — Evasio. — Diluitur.* — Sequitur primo, fœminam neque esse irregularem ratione sexus, neque etiam esse capacem alterius supervenientis irregularitatis. Fundamentum est, quia fœmina ex divino jure est incapax sacramenti Ordinis, et characteris ejus, ut nunc suppono ex perpetua Ecclesiæ traditione fundata in facto Christi, qui non fœminas, sed viros tantum sacerdotes ordinavit in nocte Cœnæ, eisque solis potestatem remittendi peccata tribuit post resurrectionem, ut ex doctrina Concil. Trident. sæpe in superioribus docuimus, et sumitur ex cap. Nova, de Pœnitent. et remis., ubi Pontifex ait Christum etiam matri suæ claves non dedisse, sed solis Apostolis. Estque hæc certa veritas communi consensu Theologorum recepta in 4, d. 25, ubi videri possunt D. Thom., Soto, et alii; et Castro, contra hæreses, verb. *Mulier;* et Bellarm.,

lib. 1 de Sacrament. in genere, cap. 1 et 25. Hinc ergo fit, ipsam conditionem talis sexus non esse irregularitatem, quia affert absolutam incapacitatem; fit etiam, ut homicidium, bigamia, et similes effectus inventi in fœminis non afferant illis impedimentum irregularitatis, ut Soto supra notavit, et sentit Hostiens., in c. de Cleric. excom. minist., num. 4, dicens, monialem non posse irregularitatem incurrere, ex cap. Postulastis, § Quæsivistis, eod. tit. Et ratio est, quia illæ per se, et quasi natura sua non comprehenduntur in regula ordinandorum; et ideo per leges Ecclesiasticas ab ea non excluduntur. Dicunt vero aliqui, fœminas saltem secundum speciem humanam esse capaces Ordinis, et hoc satis esse, ut sint capaces irregularitatis, quia privatio aliquando respicit subjectum ratione generis, vel speciei, licet sit incapax secundum conditionem individui. Sed hoc ad rem moralem impertinens est, quia hæ privationes considerandæ sunt in ordine ad jura; jura autem, quæ irregularitates imponunt, non loquuntur de specie humana in communi, sed ad individua referuntur, separantque ab Ordinibus eos, qui sunt capaces, scilicet viros, et non fœminas. Dices : aliquando etiam separant fœminas, ut in Concil. Remensi, cap. 2, ut citat Gratian. in cap. Pervenit, de Consec., dist. 2. Respondetur primum aliquando Ecclesiam ferre præceptum de re jure divino statuta, ut major diligentia in ejus observatione adhibeatur. Secundo dicetur, nullum inveniri Ecclesiæ decretum, quo separetur fœmina a recipiendis Ordinibus, aut proprio usu eorum; sed in eo capite specialiter prohibetur, ne fœminis, aut laicis committatur actus, qui per solos presbyteros, aut in necessitate per diaconos recte præstari potest, ut deferre Eucharistiam ad infirmos; de quo ibi sermo est; sicut alia etiam sacra ministeria prohibentur fœminis in cap. Sacrata, dist. 23, de quo videri possunt dicta supra in 3 tom. Atque hæc applicanda sunt ad hermaphroditos, seu androgynos, qui ad fœmineum sexum magis declinant, supposita communi sententia, quod hi etiam sunt Ordinis incapaces; de quibus, quatenus aliquando possunt esse irregulares, infra erit dicendum; ubi etiam dicetur de fœmina, si contingat aliquando sexum mutare, ut evenire dicitur.

3. *Non baptizatus est incapax irregularitatis.* — Secundo principaliter infertur, nullum hominem non baptizatum esse capacem irregularitatis. Probatur ex eodem fundamento, quia non sunt capaces Ordinis, c. 1, et cap. Veniens, de Presbytero non baptizato; quanquam Navarr., num. 205, et Covarr., dict. Clement., 1 part. § 2, impedimentum hoc inter irregularitates numerent; loquuntur tamen late, et minus proprie. Objici tamen potest, quia ante baptismum potest quis esse bigamus, illegitimus et homicida, unde communiter quæri solet, an hæ irregularitates per baptismum tollantur, quæ quæstio supponit eas contrahi ante baptismum. Respondeo, controversiam esse de modo loquendi; retinendum vero esse illum, quem diximus, tanquam omnino proprium; ipsa enim carentia characteris baptismalis non potest dici irregularitas, cum sit omnimoda incapacitas. Unde non baptizatus nunquam fuit comprehensus in regula ordinandorum, seu, ut ita dicam, ordinabilium, ut per irregularitatem ab ea regula excludi potuerit; neque quoad hoc oportet distinguere de infideli, vel fideli aut catechumeno quantumvis justo, quia semper est plusquam irregularis, id est, omnino incapax Ordinis, donec baptizetur. Deinde certum est, aliquos defectus naturales, vel morales inveniri in hominibus non baptizatis, qui baptizatos solent reddere irregulares, ut in exemplis positis manifestum est; dico tamen tales defectus in homine non baptizato, quamdiu in eo statu durat, non inducere propriam irregularitatem, tum quia non est subjectum capax; tum etiam quia illi defectus non habent vim ex se ad inducendam irregularitatem, nisi juventur lege Ecclesiastica; non juvantur autem hac lege circa non baptizatum, quia Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptizatos, ut eos suis legibus comprehendat, ut disp. 5 hujus lib., sect. 1, tetigimus. Postquam vero hi baptizantur, in eodem puncto, in quo incipiunt esse subditi Ecclesiæ, jam sunt capaces irregularitatis, et ideo de illis quæri potest, an non obstante baptismo de novo recepto, ex tunc sint irregulares; quod non tam est quærere an baptismus tollat irregularitatem, quam an impediat, ne contrahatur; vel potius, an actio, vel indecentia ante baptismum contracta, ita maneat post baptismum, ut hominem irregularem efficiat; quod infra suo loco disputabimus.

4. *Corollarium tertium.* — Tertio infertur ex dicta regula, quid dicendum sit de homine quocumque titulo corporis, vel animæ perpetuo impedito a susceptione Ordinum,

ut sunt perpetuo amentes, monstrosi, ita ut careant organis necessariis ad Ordinum ministeria, et similes. Prius enim de tali impedimento statuendum est, an sit contra substantiam Ordinum, necne; nam, si sit prioris generis, non constituit irregularem, sed incapacem Ordinis, et consequenter irregularitatis; si vero sint posterioris Ordinis, non obstat, quominus talis homo sit capax irregularitatis; imo, cum tale impedimentum irregularitas quædam sit, capacitatem ejus supponit.

Secunda regula.

5. *Irregularitas potest in eodem subjecto multiplicari.*—Secunda igitur generalis regula sit, omnem hominem capacem Ordinis, esse etiam capacem irregularitatis, si in terris habeat superiorem. Hæc regula constat ex eodem principio, quod privatio, et habitus versantur circa idem. Item, quia jura, per quæ irregularitates feruntur, comprehendunt omnes homines capaces Ordinum, in quibus tales defectus reperiuntur, qui eisdem hominibus communes esse possint. Denique hinc fit, ut etiam infantes possint esse irregulares, ut revera sunt saltem ratione ætatis, eruntque alio titulo, si sint illegitimi, quia sunt capaces Ordinum quantum ad substantiam eorum, juxta receptam sententiam, quæ ex parte insinuatur in cap. Vel non est compos, de Temp. Ord., et in cap. unic., juncta Glossa, verb. *Discretionis,* de Cleric. per saltum promot., et in cap. Pueri, 1, quæst. 1. Unde a fortiori adulti omnes viri baptizati sunt capaces irregularitatis, quia de se sunt capaces Ordinis, possuntque ab Ecclesia propter justam causam excludi. Solum potest dubitari, an homo jam irregularis sit capax irregularitatis. Sed de hoc videnda sunt dicta in simili dubio de censura; est enim eadem proportionalis ratio; nam sicut excommunicatio, v. gr., potest in eodem multiplicari, multiplicata causa, vel secundum speciem, vel secundum numerum, ita etiam irregularitas; ut qui est illegitimus, potest fieri irregularis per homicidium; et qui unum homicidium commisit, per aliud potest novam irregularitatem contrahere. Quod pro dispensationibus est valde notandum, ut unumquodque vinculum ita solvatur, sicut contractum est, sicut dicitur in l. Prout, 80, § de Solutionibus.

6. *Episcopi an sint capaces irregularitatis, et qua lege comprehendantur.* — Rursus quæri potest de Episcopis, an sint capaces irregularitatis, cum jam non sint capaces alicujus Ordinis. Respondetur tamen, absolute esse capaces, ut frequenter ex jure constat, satisque est, quod priventur Ordinibus, eo modo quo possunt, ut circa definitionem notavimus. Potest autem hic quæri, quod de suspensione supra tractavimus, an per generalem legem ferentem irrregularitatem comprehendantur Episcopi, quamvis eorum expressa mentio non fiat, juxta cap. Quia periculosum, de Sentent. excomm. Dicendum vero est, eos comprehendi, quia in d. cap. non fit mentio irregularitatis, sed tantum suspensionis, et interdicti. Unde, quibus rationibus supra probavimus Episcopos includi in clausula generali quoad excommunicationem, eisdem probari potest comprehendi quoad irregularitatem. Quod etiam confirmari potest ex cap. 1, versic. *Caveant,* cum similibus, de Sentent. excomm., in 6. Contra hanc vero resolutionem videtur sentire Maiol., lib. 1 de Irregularitate, cap. 1, num. 7, ubi sentit decisionem dicti cap. Quia periculosum, extendi ad suspensionem, quæ per irregularitatem fit, ideoque habere locum in veris Episcopis, non vero in his, qui se fingunt Episcopos, ut Pontificalia exerceant, nam illi sine dubio incurrent irregularitatem generaliter latam in cap. 1 de Cleric. non ord. ministr. Et hoc posterius certissimum est. Illud tamen prius mihi non probatur, sed verius censeo irregularitates latas in jure generaliter pro omnibus fidelibus, comprehendere Episcopos, quatenus in eis habere potest locum causa irregularitatis; alias nec irregularitas contra homicidas, neque illa, quæ est contra clericum excommunicatum vel suspensum ministrantem, nec similes, comprehenderent Episcopos, quod plane falsum est. Rationes etiam superius factæ sufficienter hoc probant.

7. *Papa est incapax irregularitatis.* — *Deciditur.* — Addita vero est in prædicta regula exceptio propter Summum Pontificem; nam, licet contingat, v. gr., homicidium committere, irregularis non fiet, quia cum irregularitas sit de jure Pontificio, non potest ipsum Pontificem Summum comprehendere; nam licet possit obligari suis legibus quoad vim directivam, non vero quoad vim coactivam, ut supra tactum est; irregularitas autem pertinet ad vim coactivam legis, ut per se constat. Loquimur enim de propria irregularitate, ut impedimentum canonicum est; naturale enim impedimentum ex infirmitate, vel alia simili causa

proveniens, obligare poterit ipsum ad se abstinendum, quantum naturalis ratio, supposito divino jure, dictaverit, juxta doctrinam D. Thom., 3 part., quæst. 82, art. 3. Nonnullum vero dubium habet, quando irregularitas antecedit electionem, ut si erat illegitimus, aut bigamus, aut homicida, et latebat. Nam, si irregularitas nota esset, posset et deberet repelli ab electione, quia pro illo statu est indignus, ut ad talem dignitatem suscipiatur, ut late ostendit Maiol., lib. 2, cap. 4, a princip. Si autem, irregularitate existente occulta, eligatur, electio erit valida; imo etiamsi esset cognita, et nihilominus Cardinales illum eligerent, etiam peccando, non posset contra illam objici exceptio irregularitatis; ita enim expedit ad commune bonum, et vitanda schismata; et ideo statutum est in cap. Licet, de Elect., et in cap. Ubi periculum, eodem titulo, in 6, ubi Speculator et alii materiam late prosequuntur. Unde ulterius fit, ut ipso facto tollatur ab eo irregularitas propria, quia statim desinit ligari jure Pontificio quoad vim coercivam, unde, sicut est incapax novæ irregularitatis, ita etiam antiquæ seu conservationis ejus. An vero non obstante præcedente irregularitate, possit aliquando etiam licite eligi, vel ad hunc effectum possint Cardinales in irregularitate dispensare, dicemus in disputatione sequente.

8. *Episcopus sub censura prohibitus ne ordinet irregularem, non incurrit ordinando incapacem characteris. — Aut indignum jure divino aut naturale ordinando.* — Ultimo ex his regulis possumus colligere, quando per legem Ecclesiasticam prohibetur Episcopus sub censura ipso facto incurrenda, ne irregularem ordinet, non incurrere talem censuram ordinando fœminam, aut alium simpliciter incapacem characteris Ordinis, ut, v. gr., catechumenum, etiamsi alias esset illegitimus, aut bigamus, etc., tum quia talis persona, ut diximus, non est vere irregularis, neque impedimenta ejus sunt proprie canonica; tum etiam quia illa non est vera ordinatio, sed tantum apparens, nec refert, quod illud majus peccatum sit, quam personam proprie irregularem rite ordinare, quia in legibus pœnalibus attendenda sunt verba legis. Unde similiter colligitur, Episcopum in eo casu non incurrere censuram ordinando hominem solo divino jure aut naturali indignum ordinatione, si impedimentum, quod habet, ex vi Pontificii juris canonicum non sit, et sub aliqua specie propriæ irregularitatis comprehensum, quia verba legis pœnalis in proprietate et rigore sumenda sunt juxta Ecclesiasticum usum. Et ideo multum expedit non abuti nominibus, ex quorum usu pendet intelligentia Ecclesiasticarum legum. Licet ergo is, qui ordinatus est, sit criminosus, aut valde ineptus, vel indoctus, si tamen defectus ejus ex vi alicujus canonis non inducit propriam irregularitatem, ordinator ejus non manebit censura ligatus ex vi talis legis. Quando vero hæc indignitas sit etiam irregularitas, constabit ex dicendis de irregularitatibus in particulari.

SECTIO VIII.

Quæ sit verborum forma, per quæ inducitur irregularitas.

1. *Duo ad irregularitatis formam necessaria.* — Quæstio hæc visa est maxime necessaria, quia ex ejus decisione pendent omnia, quæ de speciebus irregularitatis dicenda sunt. Cum enim diximus irregularitatem tantum incurri in casibus a jure expressis, maxime scire expedit, quibus verbis solet in jure irregularitas exprimi, seu quæ verba legis sufficiant, ut intelligamus irregularitatem ibi satis expresse ferri. Et hæc est forma verborum quam inquirimus; non enim de verbis ab homine proferendis, sed de verbis juris tractamus. Duo ergo in his verbis præcipue consideranda sunt. Primum est, ut significent pœnam vel impedimentum canonicum ipso facto incurrendum, nulla expectata sententia, etiam declaratoria criminis, quia irregularitas non aliter imponi consuevit, ut sect. 4 declaratum est. Secundum est ut verba, quibus tale impedimentum vel pœna declaratur, sint ita propria, ut in specie significent hoc impedimentum, quatenus ab aliis distinguitur. Ratio est, quia hæc verba id efficiunt quod significant. Item quia sunt verba practica, quæ debent in particulari significare quod intendunt, quia effectio circa particularia versatur. Item quia irregularitas debet esse in jure satis expressa.

Prima universalis regula.

2. Ex his ergo principiis, quæ certissima sunt, partim ex jure canonico, cap. Is cui, de Sent. excomm., in 6, partim ex ipsa naturali ratione, colligi possunt nonnullæ universales regulæ. Prima est. Quoties verba legis non significant pœnam ipso facto, sed requirunt

actionem hominis, ut imponatur, in tali lege non est sermo de irregularitate. Patet, quia pœnalis lex nunquam per seipsam operatur absque sententia, vel facto hominis, nisi per verba ejus sufficienter exprimatur, quod maxime verum habet in irregularitate, quam necesse est esse in jure expressam. Hic autem occurrebat statim quæstio, qualia esse debeant verba legis, ut sufficienter declarent legem per seipsam operari. Hoc vero dubium commune est irregularitati cum censuris; et ideo videri possunt, quæ diximus supra, disp. 3, sect. 2. Imo et quæstio communis est omnibus legibus pœnalibus, quam latissime tractat Tiraquell., in l. Si unquam, C. de Revoc. donat., verb. *Revertatur,* per totum.

3. *Vulgaris regula. — Limitatur.* — Quia vero vulgaris regula apud juristas est, quando privatio fertur per verbum præsentis, aut præteriti, significari per ipsam legem statim ferri; quando vero fertur per verba futuri, significari pœnam ferendam, ut late Tiraquellus, supra, num. 21, et alii juristæ, in l. Si quis major, cum Gloss. ibi, C. de Transactionibus, et in l. Si quis in tantum, C. Unde vi, et in c. Tua, de Pœnis, et in c. At si clerici, de Judiciis, ubi Abb., num. 34, et Dec., num. 35 : addenda hic necessario est limitatio, nisi ex aliis verbis adjunctis satis significetur alius sensus pœnæ ipso jure latæ vel ferendæ, ut multis exemplis declaravimus in dicto loco de censuris; et in præsenti materia, verba legis sufficienter significant imponi irregularitatem, si lex dicat, *irregularis erit,* vel *irregularis fiet.* Ratio est, quia in ipso nomine irregularitatis includitur aliquid sufficienter determinans verbum illud ad talem significationem. Sic enim agentes de censuris diximus, si cum verbo de futuro adjungatur particula, *eo ipso, ex tunc, ipso facto,* et similis, per illam determinari significationem verbi de futuro, ut significet censuram ipso facto incurrendam, et ex tunc futuram, seu duraturam. In præsenti ergo, quamvis non addantur expresse hujusmodi particulæ, in ipsa voce, et ratione irregularitatis intrinsece includuntur. Nam, quia censuræ possunt a jure et ab homine ferri, ideo verbum de futuro per se sumptum magis significat ferendam, quam latam, si non addatur particula determinans significationem; non enim potest ex sola ratione censuræ determinari. Irregularitas autem solo jure fertur, et ideo eo ipso, quod nominatur in lege, per seipsam determinat quodcumque verbum etiam de futuro, ut significet sententiam latam, et non tantum ferendam; ut si dicatur, *irregularis erit,* subintelligitur *ex tunc;* vel *irregularis fiet,* subintelligitur *ipso facto,* et sic de aliis, quia illæ particulæ implicite continentur in ipso nomine irregularitatis, ut declaravi. Quocirca, quando in lege ponitur expresse irregularitatis nomen, nulla est difficultas intelligendi, quod sententiam latam contineat.

4. *Exemplis regula data exponitur.* — *Primum exemplum, cap. Si quis Episcopus,* 1, *quæst.* 1. — *Secundum exemplum, ex cap.* 1 *de Ordinatis ab Episcop. qui renunc.* — Quia vero canones, præsertim antiqui, raro utuntur nomine irregularitatis, sed per effectus vel per alias circumlocutiones illam indicant, ideo difficile est discernere, an canon contineat sententiam latam vel ferendam, quia sæpe tales effectus, et descriptio per illos possunt ad aliquod aliud impedimentum canonicum accommodari. Nihilominus tamen proposita regula, et communis doctrina in hoc servanda erit; nam si ex cæteris verbis legis non constat satis expresse sermonem esse de irregularitate, et alioqui pœna imponitur per verbum futuri, et non præsentis aut præteriti, signum est ibi non imponi irregularitatem, sed aliquam censuram vel aliam pœnam. Probatur, quia tunc ex vi nullius vocis declaratur sufficienter, talem pœnam ipso jure imponi; ergo signum est non esse irregularitatem. Ut autem per exempla rem magis declaremus, nonnullas formulas canonum proponere oportet, ex quibus aliqui irregularitatem colligunt, mea tamen sententia ex vi verborum illam non continent. Prima est ex cap. Si quis Episcopus, 1, quæst. 1 : *Proprii gradus periculo subjacebit,* ubi constat verbum esse de futuro, et effectum illum non minus ad suspensionem vel depositionem, quam ad irregularitatem posse referri, ideoque de suspensione potius esse intelligendum, quod clarius constat ex originali in Concilio Chalcedonens., actione 15, can. 2, ubi ad illam pœnam præmittitur conditionalis, *Si convictus fuerit;* hæc enim conditio ad irregularitatem contrahendam necessaria non est. Secunda est in cap. 1 de Ordinatis ab Episcop. qui renunc. Episcop.: *Executionem officii non habebit,* quam pœnam suspensionem esse, nos supra interpretati sumus, quia ad carendum executione officii non plus requiritur, et pœnali legi non amplius dandum est, quam verba requirant. Circa ver-

um autem, *habebit,* licet sit de futuro, quia)i non significat privationem rei jam possessæ, sed negationem accipiendæ, ideo caentiam executionis ex tunc futuram signi.cat, ut supra exposuimus.

5. *Tertium exemplum, cap. Si qui Episcopi, , quæst.* 1. — *Quartum exemplum, cap.)uoniam, dist.* 48. — *Quintum exemplum, ap. Clericus qui, dist.* 46. — Tertia est in . Si qui Episcopi, 1, quæst. 1 : *Ordinationis us ulterius non habebunt,* ubi *ordinationis* ox activam et passivam potest significare; bi tamen active sumitur; loquitur enim Leo 'apa de Episcopis, qui ob indignam ordinaionem ordinandi jure privantur. Unde ibi on est sermo de irregularitate, sed de susensione quadam. Neque ibi cogimur verbum lud, *habebunt,* ita explicare, ut contineat ententiam latam, sed potius ferendam, quia ermo est de Episcopis, qui ante illud crimen us ordinandi habebant; unde non carent illo, isi priventur per sententiam, quia verbum le futuro non amplius cogit, sicut si diceret, *'ure ordinandi priventur.* Quarta sumitur ex ap. Quoniam, dist. 48: *Cesset a clero,* et ibilem : *Præcipitabitur a statu sui cleri.* Quas œnas inter irregularitates refert Maiolus; nihi tamen videtur imprimis ibi non contiieri pœna ipso jure lata. Primo quia verbum, *?ræcipitabitur,* de futuro est, et manifeste ostulat actionem hominis; verbum autem, *Tesset,* ad summum est indifferens; potest nim intelligi, aut quod in actu exercito, ut ic dicam, imperium feratur per ipsammet egem, aut quod imperium ferendum sit per udicem; tamen ex adjunctis constat in hoc ecundo sensu accipi; nam præmittitur : *Si onvictus duobus, vel tribus testibus fuerit,* t subditur : *Cesset a clero,* id est, tali pœna fficiatur. Unde in ipso originali a Concilio Vicæno I, can. 2, clarius dicitur, *Deponendus st;* non est ergo ibi sermo de irregularitate, ed de depositione. Quinta sumi potest ex ap. Clericus qui, dist. 46, ibi, *Ab officio deradetur,* quam etiam Maiolus refert, immerito tamen, quia ibi non est sermo de pœna ata, sed ferenda, ut tam ex verbo, *Degraletur,* quam ex præcedentibus constat, scilicet : *Clericus, qui adulationibus et proditioibus vacare deprehenditur,* scilicet in judicio; imponitur ergo ibi pœna *degradationis,* id est, depositionis vel alicujus suspensionis; nam vox illa secundum antiquum usum hæc omnia significat, et delicta, de quibus ibi agitur, plane requirunt hanc totam latitudinem. Idemque colligi potest inferius ex c. 5 ejusdem dist., ubi de clerico maledico dicitur : *Cogatur ad postulandam veniam; si noluerit, degradetur, neque amplius ad officium absque satisfactione revocetur;* ubi constat degradationem illam non fuisse, qualis nunc fit per exauctorizationem, in ordine ad tradendam personam curiæ seculari, sed extendi ad suspensionem.

6. *Corollarium.* — Unde colligo, quoties pœna in canone ponitur per hoc verbum, *deponatur vel degradetur,* aut raro, aut nunquam esse sermonem de irregularitate. Exempla sunt multa in canonibus Apostolorum, et in cap. Si quis Episcopus, dist. 83, cujus verba sunt, *Ab officio suspendatur,* et Glossa exponit, *id est, deponatur,* et quidquid sit de interpretatione, eadem est ratio de utroque verbo; nam evidenter significant pœnam ferendam, et ab irregularitate distinctam. At vero in cap. Cum illorum, de Sent. excomm., ibi, *A susceptis Ordinibus censemus in perpetuum deponendos,* videri potest, per illa verba describi irregularitatem, quia ibi agitur de pœna eorum, qui excommunicatione ligati Ordines suscipiunt; de quibus ait Pontifex, quod si sint clerici seculares, et scienter Ordines susceperint, perpetuo sunt deponendi; non ergo novam pœnam imponit, sed executionem tantum ipsius irregularitatis præscribit absque spe dispensationis. Quæ interpretatio est probabilis; juxta illam vero dicendum est, ibi non imponi pœnam, sed mandari tantum executionem pœnæ jam impositæ per canones. Verisimilius autem est, præter irregularitatem, quæ jure ipso incurritur, mandari etiam depositionem perpetuam per judicem imponi, quando concurrunt omnes circumstantiæ ibi designatæ, scilicet, quod excommunicatio est qualificata (ut sic dicam), id est, reservata Pontifici, et cum plena cognitione illius, Ordines suscipiuntur. Nam de aliis clericis secularibus, qui ex ignorantia juris vel facti in eo statu ordinantur, ibi supponitur manere irregulares, et non posse per alium quam per Summum Pontificem dispensari; eis vero non imponitur depositio perpetua; signum est ergo pro prioribus esse aliam pœnam a judice imponendam præter irregularitatem. Inferius vero, in versic. *Si autem,* dicitur, monachos dicto modo ordinatos manere suspensos ab executione suscepti Ordinis et officii; quæ pœna ipso facto imponitur, ideoque credi potest susceptionem ibi late sumi pro irregularitate.

Ego vero existimo esse novam pœnam impositam, quando concurrunt dictæ circumstantiæ, cujus signum est, quia non solum ab Ordine, sed etiam ab officio suspensio imponitur, a quo irregularitas non ita generatim separat, quia suspensio ab officio usum etiam jurisdictionis impedit, quem non impedit irregularitas.

7. *Sextum exemplum, ex cap. Quoniam, 47 dist.* — Sexta verborum forma sumi potest ex cap. Quoniam, 47 dist., ibi : *Dejiciatur a clero, et alienus existat a regula.* Ex quibus priora verba aperte significant depositionem, ut Glossa ibi intellexit, quia et verbum de futuro est, et actionem hominis requirit, et præterea ad imponendam illam pœnam probatio postulatur, ut probant illa verba, *Si quis inventus fuerit,* etc. Illa autem postrema verba, *alienus existat a regula,* videntur magis indicare irregularitatem; tamen revera non significant distinctam pœnam; unde alia translatio Concilii Nicæni, can. 18, ita habet : *Abscindatur a clero, et alienus ab Ecclesiastico habeatur gradu,* et ita refertur, 14, q. 4, cap. Quoniam. De eadem etiam depositionis pœna ab homine imponenda sermo est in cap. Episcopus, dist. 41, cum dicitur : *Dejici ab officio suo præcipimus,* et in cap. ult., d. 55, ibi : *Bene fraternitas tua fecit, ab officio eum presbyterii removere.* Et similia multa facile inveniuntur. Solum est observandum, quod licet irregularitas ipso facto incurratur, nihilominus ad officium Prælati pertinet efficere, ut irregularitas ab aliquo contracta observetur et executioni mandetur. Unde fit, ut aliquando possint canones de hac executione loqui; oportet tamen, ut de tali irregularitate ex aliis juribus constet; et ideo semper verum est, ex solis verbis de futuro, quæ irregularitatem aperte non exprimunt, sed potius requirunt actum hominis, non satis posse colligi irregularitatem.

Secunda generalis conclusio.

8. *Exemplis demonstratur conclusio, quoad priorem partem.* — Secundo principaliter, dicendum est, quamvis privatio Ordinum ex vi verborum canonis ipso jure feratur, non semper ferri irregularitatem, nisi vel ex verbis expressis, vel ex aliis indiciis sufficientibus colligatur. Probatur, quia depositio vel suspensio perpetua, ipso jure lata, est pœna ab irregularitate distincta; sed hæc solet in jure vocari Ordinum privatio; ergo talis privatio, etiam ipso jure posita, indifferens est ad irregularitatem, et nonnulla alia impedimenta canonica; ergo, ut significetur irregularitas, necessaria sunt verba, aut indicia specialiora. Quoniam, si verba in proprietate sumpta depositionem vel suspensionem significent, pro illis pœnis, ut ab irregularitate distinguuntur, sumenda sunt, nisi aliud cogat. Imo si sint ambigua, et ex se indifferentia ad irregularitatem vel suspensionem, et ex aliis circumstantiis litteræ aliud non constet, potius de suspensione, quam de irregularitate interpretanda sunt, tum quia illa est mitior pœna; tum etiam quia irregularitas non incurritur nisi in casibus a jure expressis; non potest autem dici in jure expressum, quod verbis adeo ambiguis et generalibus propositum est.

9. Exemplis rem declaremus. Primum quoad priorem partem sumi potest ex cap. 1 de Homicidio, in 6, ibi : *Excommunicationis et depositionis a dignitate, honore, Ordine, officio et beneficio, incurrat sententias ipso facto;* nam ibi non irregularitas fertur, sed depositio. Simile habetur in Extravag. 2 de Simonia. Exempla vero alterius partis sumi possunt ex cap. Teugualdum, 11, quæst. 3, in verbis illis : *Omni judicamus sacerdotii officio manere penitus alienos.* Quæ verba privationem sacerdotii significant, et tamen per ea non fertur irregularitas, sed depositionis pœna ; unde statim subditur, *Prædictis autem depositis,* etc. Aliud exemplum sumi potest ex cap. Qui semel, dist. 50, ubi sic habetur : *Qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci.* Nam licet verbum illud sit de futuro, tamen ex illis particulis adjunctis, *deinceps jam,* videtur determinari ad significandam pœnam ipso facto; nam ex vi illarum significatur, ex tunc, a tempore commissi criminis fore depositum. Unde aliqui existimant illam esse sufficientem formam latæ irregularitatis, præsertim adjunctis illis ultimis verbis, *nullum gradum sacerdotii poterit adipisci.* Ego vero de propria depositione verba intelligo, ut sonant; et valde probabile existimo, ibi non esse depositionem ipso jure latam, sed ferendam, cum Turrecremata et aliis. Quod colligo imprimis ex qualitate criminis, pro quo illa pœna imponitur, scilicet, *pro quolibet lapsu,* carnis (ut omnes exponunt) post ordinationem; incredibile autem tam gravem pœnam fuisse impositam ipso facto pro hu-

jusmodi casu adeo humano, et qui tam frequens esse potest. Unde in cap. Presbyter, dist. 82, sic habetur : *Presbyter si fornicationem fecerit, quanquam secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen*, etc., quam depositionem solum suspensionem quamdam fuisse colligo ex cap. Hi qui, 15, quæst. 8. Quod ergo in dict. cap. Qui semel, dicitur, deinceps fore depositum, ita exponendum est, id est, deinceps deponetur, statim ac de crimine constiterit. Unde quod subditur, *nullum gradum sacerdotii poterit adipisci*, intelligitur post depositionem, seu ex vi illius; atque ita ex vi illius formæ non colligitur irregularitas; atque ad eumdem modum exponendum existimo canonem 14 Apostolorum, in illis verbis, *Eum non amplius celebrare jubemus;* nam separatio a celebratione, et ratione suspensionis, et ratione irregularitatis convenire potest; et ideo potius de suspensione illa pœna interpretanda est, maxime considerato delicto pro quo imponebatur, scilicet, propter transitum clerici ab una parochia in aliam sine licentia Episcopi. Imo etiam incertum est, an illa forma verborum contineat pœnam ipso facto incurrendam, seu præceptum directe impositum ipsi delinquenti, ne ulterius ministret, vel tantum absolute præcipiatur, ut ei talis imponatur pœna, nam verbum, *jubemus*, absolute sumptum, non amplius significat in omni rigore. Unde alia translatio habet, *Hunc ulterius ministrare non patimur*. Atque ita videtur tacite exponi in Concil. Antiocheno II, can. 10. Ex his ergo exemplis poterit de aliis similibus judicium ferri.

De indiciis quibus colligatur irregularitas in jure lata.

10. *Primum indicium.* — Statim vero occurrit inquirendum, quænam sint indicia vel circumstantiæ, ex quibus sufficienter colligi potest, similem pœnam esse irregularitatem, et non aliud impedimentum canonicum, quando irregularitas non proprio nomine ponitur, sed per effectus vel alia generalia verba. Respondetur, varia signa assignari solere, non tamen omnia esse certa. Unum est, si talis pœna auferenda dicatur per dispensationem : nam in hoc irregularitas distinguitur a censuris, quod non per absolutionem sicut illæ, sed per dispensationem tollitur, ut infra dicemus. Sed hoc indicium non est sufficiens, ut supra tetigi in materia de Suspensione; quia tolli per dispensationem, licet proprie non conveniat censuris, non tamen est proprium irregularitatis, sed etiam convenit depositioni tam a jure quam ab homine latæ, et suspensioni, quæ pura pœna est, et ad certum tempus vel perpetuo definite fertur, ut citato loco ostendi.

11. *Secundum indicium.* — Secundum indicium esse potest, si talis privatio feratur sine culpa, quamvis non sine causa. Nam imprimis hoc videtur esse indicium certum, quod tale impedimentum contrahitur ipso facto, posita tali causa seu conditione, quia non ponitur ut pœna; ergo ad illud contrahendum non requiritur vis coactiva judicis, aut ejus sententia vel judicium, nisi interdum ex accidenti, si causa sit dubia. Deinde videtur proprium irregularitatis inter omnia canonica impedimenta, quod possit sine culpa contrahi. Hoc vero indicium imprimis non est adæquatum, quia non omnis irregularitas incurritur sine culpa. Deinde, licet, ubi invenitur, regulariter sit vehemens et fere certum, interdum tamen videtur deficere, quia aliqua suspensio ab executione Ordinum potest contrahi sine culpa, ut in propria materia tactum est. Opinor tamen id nunquam contingere in suspensione, quæ est per privationem usus Ordinis prius legitime obtenti cum libero jure utendi illo, quia nemo privatur hoc jure semel acquisito sine culpa, seclusa irregularitate. Solum ergo contingit per suspensionem, quæ est per præventionem, ut sic dicam, seu per non collationem talis usus simul cum ipso Ordine. Unde hoc non contingit, nisi in ipsamet ordinatione, ob aliquem defectum ordinantis, nam ex impotentia dantis, mirum non est, quod alius non recipiat aliquem usum etiam sine culpa sua. Facta ergo hac exceptione, in reliquis casibus existimo illud indicium esse optimum, supponendo impedimentum, de quo agitur, esse privationem Ordinis, vel usus ejus. Quod ideo assero, quia aliæ inhabilitates Ecclesiasticæ in ordine ad beneficia, vel prælaturas, etiam possunt sine propria culpa contrahi, juxta cap. 1 de Filiis Presbyt., cap. In quibusdam, de Pœnis, cum similibus. Propter quod aliqui has etiam inhabilitates irregularitates vocant; non sunt vero ex his, de quibus nunc agimus.

12. *Tertium indicium.* — Tertium indicium est, quando per legem ponitur impedimentum in Ordinibus, quod post peractam pœnitentiam manet, argumento textus cum Glossa in

cap. Nisi, verbo *Præter,* de Renunc. Sed hoc commune est censuris. Quæ tamen in hoc differunt, quod, per sel oquendo, tollendæ sunt post condignam satisfactionem, quod non ita est in irregularitate. Sed adhuc manet illud indicium commune suspensioni, quæ est pœna vindicativa, vel simpliciter, si perpetua sit, vel pro tempore designato, si habuit certum terminum. Determinabitur autem illud indicium ad irregularitatem, si tale impedimentum commune sit laicis. Ratio est, quia tunc non potest esse depositio aut suspensio, hæ namque propriæ sunt clericorum; ergo est irregularitas, quia nullum aliud impedimentum fingi potest. Confirmatur ex dictis circa definitionem irregularitatis; nam hoc impedimentum, quod extenditur ad laicos, per se ac primario privat ipsis Ordinibus seu acceptione illorum, quod est proprium irregularitatis. Unde hoc potissimum est in verbis canonum considerandum, an directe intendant excludere ab Ordinum susceptione; quod si ex verbis non satis expresse constiterit, indicium infallibile erit, si illa privatio etiam laicos comprehendat, quod variis exemplis statim confirmabimus.

13. *An sit aliqua irregularitas clericorum propria.* — Prius enim interrogare potest aliquis, esto hoc indicium sit certum, an sit adæquatum, quod est quærere, an omnis irregularitas sit communis laicis, vel sit aliqua clericorum propria. Respondeo, si ad formalitatem irregularitatis respiciamus, de se quamlibet irregularitatem esse communem laicis, maxime si sit irregularitas simpliciter et totalis. Si autem respiciamus ad causam irregularitatis, aliquando est ita clericorum propria, ut non possit in laicis inveniri, ut patet in irregularitate, v. gr., quæ contrahitur propter violatam excommunicationem per executionem Ordinis Ecclesiastici; hæc enim causa non potest in homine mere laico reperiri. Et ideo in his irregularitatibus, quæ ob dictam causam sunt propriæ clericorum, aliquando potest esse res magis obscura, an scilicet talis pœna sit vera irregularitas, vel tantum suspensio, si nomen irregularitatis in ipso jure non exprimatur. Existimo tamen, regulariter loquendo, pro hujusmodi casibus esse sufficienter et sub proprio nomine expressam in jure irregularitatem. Si alicubi tamen non fuerit res ita clara, consideranda erunt alia verba.

14. *Nonnullæ irregularitatis formulæ proponuntur.* — *Notandum circa tres ultimas formulas.* — Ex dictis colligere possumus nonnullas dicendi formulas, quæ in jure inveniuntur, sufficienter indicantes irregularitatem, ut sunt omnes illæ, quæ excludunt hominem ab ordinatione seu clericatu. Prima, can. 18 Apostolorum : *Non potest esse clericus.* Secunda, can. 21 : *Ne sit clericus,* scilicet, qui seipsum mutilavit. Unde quod statim, c. 22, de clerico idem crimen committente dicitur, *deponatur,* plane non significat sententiam depositionis, sed executionem irregularitatis contractæ, quam ipsemet criminosus per se observare tenetur, etiamsi ab alio non cogatur. Et ideo in Concil. Nicæn. I, c. 1, ubi canones repetuntur, dicitur: *Abstinere convenit,* vel, ut alia habet translatio, *cessare debet.* Quæ cum aliis habentur dist. 56, cap. Si quis. Tertia, ex can. 60 Apostolorum : *Ad clerum ne promoveatur;* et videtur esse sermo de illo, qui juris infamiam contraxit. Et similia verba habentur in cap. Clericus, 3, 46 dist. Quarta, ex can. 78 Apostolorum : *Ne fiat clericus,* loquitur de energumeno. Quinta, ex c. 1 de Cleric. non ordin. ministr.: *Nunquam ordinetur,* loquitur de omni non ordinato, qui in Ordinibus ficte ministrat. Circa has vero tres ultimas formulas advertere oportet, dari per verba de futuro et præceptiva, quæ per se potius diriguntur ad Prælatos Ecclesiæ, quam ad ipsos criminosos, et ideo videri possent non continere pœnam ipso jure latam, quia requirunt actionem hominis, ad quem dirigitur tale præceptum. Nihilominus tamen hoc non obstat, quominus verba illa sufficiant ad irregularitatem ferendam. Est enim considerandum, illa verba non præcipere impositionem pœnæ, sed executionem, et ideo supponere pœnam jam incursam, seu (quod perinde est) illam efficaciter imponere in actu exercito. Sicut si excommunicatio a canone feratur sub hac forma : *Si quis hoc fecerit, nullus cum eo communicet,* significatur, excommunicationem ferri ipso facto, ut in superioribus dictum est. Ratio vero est, quia executio pœnæ supponit pœnam impositam; ergo quando lex immediate præcipit privationem aliquam ut observandam ex vi sua, simul imponit illam privationem ut pœnam vel impedimentum ipso facto incurrendum, sive id præcipiat ex parte ipsius rei, qui abstinere debet, sive aliorum, qui illum debent vitare; hæc enim duo correlativa sunt, et in uno aliud includitur. Et ideo interdum lex fertur explicando prohibitionem ex parte personæ quasi patientis, interdum vero ex parte ipsius agentis, ut in dictis for-

mis, et clarius in cap. Præcipimus, dist. 34, ex Gregor., lib. 2, epist. 25 : *Præcipimus ne unquam illicitas ordinationes facias;* et infra : *Si quos hujusmodi repereris, non audeas promovere.* Loquitur autem aperte de bigamia et aliis defectibus inducentibus irregularitatem. Similiter in cap. Si laici, dist. 34, dicitur : *Ad ministerium Ecclesiasticum nullo modo adducatur.* Et in cap. sequent.: *Non admittatur ad clerum.*

15. *Per privationem sacerdotii sæpe totalis irregularitas significatur. — Clericus in quo sensu in lege ferente irregularitatem sumatur.* — Sexta forma sumi potest ex c. Curandum, 34 dist., ibi, *non aspiret ad Ordines,* et loquitur de bigamo. Et in originali, Concilio Romano sub Hilario, c. 2, statim additur de simili irregulari, *repellendum esse,* etc. Et in c. 3 de aliis irregularibus dicitur : *Ad sacros Ordines aspirare non audeant.* Septima sumi potest ex cap. ultim., 55 dist., ibi : *Illi non possunt secundum canones sacerdotii jura concedi.* Sicut etiam in can. 16 Apostolorum dicitur : *Non potest esse ex numero sacerdotali.* Octava sumi potest ex cap. Miror, 50 dist., ibi, *sacerdotio privatus;* quanquam enim hoc verbum generale sit, et degradationem vel depositionem significare possit, tamen ex circumstantiis et materia de qua agebatur, scilicet, de homicidio voluntario, satis determinatur ad significandum irregularitatem. In quibus formis advertere licet, sæpe fieri mentionem solius sacerdotii, ideoque non videri verba sufficientia ad inducendam irregularitatem totalem, quæ includat privationem inferiorum Ordinum. Nihilominus tamen dicendum est, regulariter per illa verba significari totalem irregularitatem, vel nomine sacerdotii totum statum clericalem comprehendendo, vel certe quia inferiores Ordines ad sacerdotium ordinantur, et ideo qui a sacerdotio removetur simpliciter ac perpetuo, ad alios etiam Ordines censetur fieri inhabilis, nisi talis sit irregularitas, quæ alios Ordines supponat, et sine crimine contrahatur, ut in superioribus tactum est, et ex dicendis in particulari evidentius constabit. Hunc autem esse sensum dictorum canonum constat ex dicto cap. Miror, ibi, *sacerdotio privatus,* et tamen loquitur de homicida; et similiter loquuntur de bigamo canones Apostolorum, et idem reperietur in aliis. Dico autem *regulariter,* quia aliquando est proprie et in particulari sermo de sacerdotali Ordine, quod ex circumstantiis legis colligendum erit. E contrario vero cum de irregularibus dicitur, non admitti ad clerum, vel ad Ecclesiasticum ministerium, sumendus est clerus proprie prout per Ecclesiasticos Ordines constituitur. Aliquando enim comprehenduntur sub cleri nomine omnes Ecclesiasticæ personæ, in quibus sunt religiosi, etiamsi Ordinem non habeant; quomodo sumitur in cap. Duo sunt, 12, q. 1, et in cap. Si quis suadente, 27, q. 4; proprius vero sumitur pro solis ministris Ecclesiasticis, soletque formaliter a monachatu distingui, ut in cap. Alia, cum multis, 16, q. 1. Atque in hac proprietate sumitur in canonibus, quæ illis verbis irregularitatem imponunt.

16. Ultimo præter dictas formulas numerat alias Maiol., lib. 1, cap. 1, de Irregular., quæ, vel non inveniuntur, ut quomodo citatur ex cap. De laicis, dist. 34; nullum est enim tale caput in illa; dist. 12 autem, q. 2, ubi invenitur, nullum habet verbum quod irregularitatem indicet. Vel non sunt verba juris canonici, sed Gratiani, ut quæ citantur ex d. 81, post cap. 1, vers. *Quolibet,* ibi, *ordinari non debet.* quæ ibi non significant irregularitatem, sed obligationem non ordinandi indignos. Similiaque sunt, quæ citantur ex dist. 42, in princip., ibi : *Prohibendi sunt a sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni.* Vel certe talia sunt verba, quæ censuram potius, vel ad summum pœnam Ecclesiasticam in communi significant, ut in cap. Tanta, d. 86, ibi : *Fixa jam maledictione feriremus.* Quæ vero citantur ex cap. Consequens, dist. 88 : *A clericalibus officiis abstinere cogantur,* suspensionem aperte significant, et ferendam potius quam latam. Sicut etiam illa ex cap. Episcopi, 12, quæst. 1, *communione privetur,* significant excommunicationem ferendam. Denique addit prædictus auctor, sæpe jura canonica uti hac voce, *animadversio,* quæ vox jure civili accipi solet pro pœna debita pro capitali crimine, quomodo videtur accipi in cap. In nonnullis, de Judæis, unde respectu clericorum significare dicitur degradationem, post quam tradendus est clericus brachio seculari, et citat Felin., in dict. cap. In nonnullis, et Hostiens., in cap. In quibusdam, de Pœnis, n. 5, qui nullam mentionem faciunt irregularitatis. Sed Maiolus de suo addidit, vocem illam consequenter significare irregularitatem; sed formaliter non sequitur, nisi aliunde constet, quia degradatio, nec est irregularitas, nec illam secum affert, proprie loquendo. De illa ergo voce, *animadversio Ecclesiastica,* recte concludit Felin. supra, in

fine, cum Dominico, esse ambiguam et valde generalem, et juxta materiam subjectam de illa judicandum esse. Et ego addo, magis significare pœnam ab homine imponendam, quam a jure latam, et ideo raro ad irregularitatem accommodari.

DISPUTATIO XLI.

DE MODIS QUIBUS TOLLITUR IRREGULARITAS, PRÆSERTIM DE DISPENSATIONE EJUS.

Irregularitas pœna auferibilis. — *Major, lib. 1 de Irregularitate, cap. 2, num. 22.* — Antequam ad particulares irregularitates descendamus, necesse est, ut sicut generalem doctrinam de irregularitate, quantum ad ejus institutionem et effectionem tradidimus, ita etiam de modis quibus auferri potest dicamus. Supponimus autem irregularitatem auferri posse, ut constat ex Ecclesiæ usu, et ex eo, quod neque est impotentia simpliciter, neque pœna irremissibilis. Quanquam non desint, qui distinctione utantur, dicentes, quamdam esse irregularitatem magnam, quæ dispensatur, aliam vero maximam, quæ nunquam dispensatur, ut quod cæcus ordinetur. Sed non est necessaria distinctio, quia si defectus talis sit, ut omnino sit indispensabilis, revera non est propria irregularitas, sed erit impotentia aliqua, vel impedimentum jure divino vel naturali impediens, vel simpliciter, vel digne recipere, vel ministrare Ordines. Si vero impedimentum est dispensabile, quod majorem vel minorem requirat causam, et quod frequentius, aut rarius dispensetur, non refert, neque variat rationem irregularitatis. Supposito ergo, quamcumque propriam irregularitatem tolli posse saltem per dispensationem, duo a nobis præcipue videnda sunt. Primum, an possit aliquando sine dispensatione tolli, et consequenter quæ requirantur ad talem dispensationem. Secundum, apud quem sit potestas dispensandi in hoc defectu.

SECTIO I.

Utrum possit irregularitas aliter quam per dispensationem tolli.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi esse potest, quia irregularitas est impedimentum de se perpetuum jure canonico introductum; ergo nunquam potest tolli, nisi per dispensationem in jure. In contrarium vero est, quia censura non tollitur per dispensationem, sed per absolutionem; ergo etiam irregularitas, nam videtur esse eadem ratio. Aliunde vero etiam apparet, neque absolutionem, neque dispensationem esse necessariam vel possibilem, quia vel cessat causa irregularitatis, vel non; si cessat, eo ipso tollitur irregularitas sine alia indulgentia superioris, ex regula illa, *Cessante causa, cessat effectus,* quæ in præsenti maxime locum habere videtur. Quia irregularitas fertur præcipue propter indecentiam; hæc autem aufertur cessante causa; ergo aufertur etiam irregularitas. Unde e contrario si causa non cessavit, non poterit tolli irregularitas etiam per dispensationem, quia semper manet indecentia; non videtur autem posse per dispensationem fieri, ut cum indecentia licite Ordines suscipiantur vel administrentur.

2. *Regula universalis.* — *De ablatione irregularitatis per baptismum.* — *Richardi opinio.* — *Aliorum sententia.* — *Tertia opinio.* — In hac re communis doctrina est, irregularitatem et per dispensationem, et aliis modis tolli posse. Ita Sylvest., verb. *Irregularitas,* in fine, et alii Summistæ, eodem verbo. Qui præcipue tres modos assignant tollendi irregularitatem, scilicet, per baptismum, per religionis ingressum, et per dispensationem. Sed quod ad baptismum attinet, dictum in superioribus est, ante illum nullam esse propriam irregularitatem, et ideo non proprie dici, irregularitatem tolli per baptismum, sed dicendum potius esse, defectum existentem in homine ante baptismum non reddere hominem irregulare post baptismum. Hæc autem regula sub hac generalitate non admittitur ab omnibus. Nam Richardus, Quodlib. 2, 22, absolute negat irregularitatem aliquam tolli per baptismum, etiam illam, quæ propter culpam contrahitur, quia irregularitas, inquit, non contrahitur sub ea ratione qua culpa est, sed sub aliqua alia. Alii generaliter admittunt illam regulam, estque consentanea doctrinæ Hieronym., epist. 83 ad Oceanum. Alii distinctione utuntur, nam de irregularitate, quæ provenit ex peccato, vel ex sequela peccati, quæ est infamia, asserunt non induci in baptismo propter peccata quæ præcesserunt. De alia vero irregularitate, quæ sine peccato contrahitur, oppositum docent. Quæ fuit opinio Hostiensis, Joannis Andreæ, et aliorum, quam videtur sequi Maiol., lib. 1 de Irregul., cap. 2, num. 8, reg. 13. Sed tamen Abbas in cap. Gaudemus, num. 6, de Divortiis, cum aliis, licet admittat primum membrum hujus

distinctionis, secundum subdistinguendum putat, nam in aliquibus admittitur, ut in illa quæ provenit ex bigamia, juxta sententiam Ambrosii, lib. 3, epist. 25; et Augustini, lib. de Bono conjugali, cap. 18. Idemque esse de irregularitate ex defectu natalium affirmat Sylvester supra, quæst. 28. Addunt tamen hi Doctores, aliquam irregularitatem, quæ sine culpa contrahi solet, ut est illa, quæ dicitur ex defectu lenitatis, impediri ratione baptismi. Quod etiam tenet Angelus, verb. *Irregularitas*, 2, et Armil., num. 87. Sed hoc loco non possumus particulares quæstiones tractare aut definire. Et ideo neque possumus regulam omnino generalem constituere, nam hæc pendet ex particularibus quæstionibus. Possumus autem cum hac exceptione generatim dicere, in homine denuo baptizato nullam manere irregularitatem ratione præcedentium actionum aut conditionum, nisi ubi oppositum sufficienter in jure constiterit. In hoc enim videntur fere convenire Doctores citati. Et congrua ratio reddi potest, quia per baptismum denuo regeneratur quis et efficitur quasi novus homo, et ideo per se loquendo ac regulariter, omnis macula et indecentia ab eo tollitur, præsertim illa quæ in culpa fundatur. Deinde omnis irregularitas est de jure positivo; omne autem positivum jus, generatim loquendo, dirigitur ad baptizatos; ergo non est extendendum ad defectus commissos ante baptismum, nisi id fuerit in jure expressum. Hæc igitur generalis regula contra Richardum observanda est. An vero in casu bigamiæ, vel alio, admittenda sit exceptio, suo loco dicemus.

De secundo modo ablationis irregularitatis per ingressum religionis.

3. *Vide Felin., c. Cum deputati, de Judic., num. 2, et Addit. 2, ibid. — Prima sententia. — Secunda sententia. — Tertia sententia et vera.* — Circa secundum modum tollendi irregularitatem per ingressum religionis advertendum est, aliud esse irregularitatem tolli per religionis ingressum ipso facto et sine alia dispensatione, aliud vero irregularitatem ante religionis ingressum contractam, per illius ingressum fieri dispensabilem per religionem ipsam seu Prælatos ejus. Rursus in utroque casu loqui possumus, aut de jure communi, aut ex privilegiis religionum. Hic præsertim loquimur de jure communi, de quo variæ sunt sententiæ. Quidam enim asserunt, omnem irregularitatem tolli per professionem religionis. Quod tenuit Gloss. ult., in c. Cum deputati, de Judiciis, citans cap. Non liceat, 19, quæst. ultim., ubi solum dicitur, filium, qui ingressus est religionem, non posse licite exhæredari a patre propter ingratitudinem quam ante religionem commiserat, quod est longe diversum, nec potest extendi ad irregularitatem cum sufficienti fundamento, ex vi illius textus. Eamdem vero opinionem tenet Glossa in c. ult. de Filiis Presbyt., quæ etiam citat Authenticam de Monach., in princ., quæ communiter ad hoc allegatur; sed immerito, quia non loquitur de ingressu, vel professione religionis, sed de vita et conversatione religiosa; nec loquitur de irregularitate, sed de macula morali, ut recte Glossa ibi exposuit. Quocirca tam universalis regula non videtur in jure fundata; et ideo alii distinguunt de irregularitate contracta ex peccato, vel sine illo, et de posteriori affirmant tolli per ingressum religionis, non vero priorem. Et citatur Gloss., in cap. Quantumlibet, 46 dist., quæ non loquitur generaliter. Id autem asseruit Glossa in cap. 2 de Apostatis, quamvis in fine non videatur esse constans in hac sententia; neque existimo posse aliquam ex illis partibus ex jure generaliter probari. Et ideo alii negant posse aliquid circa hoc universe affirmari, nisi hoc solum, quod illa tantum irregularitas per religionem tollitur, cui hoc est jure concessum, quæ fuit sententia Panorm., in cap. 2 de Apostatis, n. 7, et per se considerata videtur valde probabilis. Quia si alicubi jura loquuntur de hoc modo tollendi irregularitatem, non loquuntur in generali, sed in particulari de una vel alia, ut videre licet in cap. 1 de Filiis Presb., cum similibus. Neque in his rebus argumentum a simili est efficax, ut sæpe dictum est. Unde in aliis juribus significatur, esse necessariam dispensationem, facilius tamen concedendam in favorem religionis, cap. 2 de Apostatis. Ergo nulla potest generalis regula assignari, sed in singulis irregularitatibus consulenda sunt jura. Atque hanc partem secuti sunt Angel. et Sylv., v. *Irregularitas*, in fine, et Arm., n. 88. Addit vero Sot., 4, d. 25, quæst. 1, art. 3, nunc de facto hunc morem in religionibus servari, ut omnis irregularitas per religionis ingressum tollatur, excepta bigamia, et homicidio voluntario, sive, inquit, hoc fuerit obtentum jure communi, sive consuetudine vel privilegio. Cujus quidem assertioni, quantum ad factum seu morem suæ religionis

spectat, fidem adhibere possumus. Quod vero spectat ad jus commune, nullum ita generale reperitur. Privilegia autem religionum consulenda sunt. Utrum autem potuerit sola consuetudine introduci talis dispensatio, generalis quæstio est de potestate jurisdictionis, an per consuetudinem acquiri possit, quæ de variis actibus sæpe in superioribus tractata est, et eodem modo est in præsenti definienda. Nam ubi fuerit talis consuetudo, retinenda est, quia licet per se sola non valeat dare jurisdictionem, est tamen sufficiens signum potestatis concessæ, etiamsi fortasse nunc de expresso privilegio non constet. De hac igitur ratione tollendi irregularitatem circa singulas commodius dicemus ; ubi etiam de privilegiis religiosorum, quæ necessaria fuerint, attingemus; nam alia in proprium opus de religione reservamus.

De ablatione irregularitatis per dispensationem.

4. *Prima conclusio.* — Circa tertium modum dicendum in primis est, irregularitatem tolli posse per propriam dispensationem, non vero per absolutionem. Prior pars communis est, et probatur, quia sicut dispensatio cadit in jus humanum, juxta cap. Proposuit, de Concess. Præbend., ita etiam cadere potest in irregularitatem. An vero aliqua sit excipienda, dicemus infra agentes de bigamia, in qua existimatur hoc habere specialem difficultatem, quia in cap. Super eo, 2, de Bigamis, significatur, in irregularitatem illam non cadere dispensationem ; verumtamen non dicitur esse impossibilem, sed difficilem. Altera pars declaratur, supposita differentia inter illa duo, quæ in hoc consistere videtur, quod absolutio significat actum justitiæ, in quo causa aliqua seu judicium terminatur ; dispensatio vero solum est quædam exceptio a communi lege seu prohibitione; et ideo illa duo habent rationem moralem valde diversam. Ratio ergo, ob quam dispensatio cadit in irregularitatem, et non propria absolutio, est, quia irregularitas habet vim cujusdam absolutæ prohibitionis, vel perpetuæ simpliciter, vel pro tali tempore, seu durante tali statu rerum ; et ideo quantumcunque hominem pœniteat sui delicti, vel causam suam in judicium afferat, nunquam potest ex vi alicujus sententiæ liberari a tali onere. At vero non obstante hac conditione irregularitatis, potest Prælatus, qui potestatem habet supra jus, hominem eximere a tali prohibitione. In quo servandæ sunt regulæ generales de requisitis ad valorem, et honestatem talis dispensationis; nam eadem ratio est de hac, et de qualibet alia, quæ circa humanum jus versetur.

5. *Secunda conclusio. — Varii irregularitatum modi quoad perpetuitatem causæ. — Secundus.* — Secundo dicendum est : ut dispensatio in irregularitate locum habeat, necesse est, ut causa irregularitatis duret; nam illa cessante, per se cessat irregularitas, nec est necessaria dispensatio. Ut hoc explicemus, distinguere possumus varias irregularitates quoad perpetuitatem causæ. Quædam est habens causam omnino immutabilem; hujusmodi est omnis illa, quæ fundatur solum in actu præterito, quatenus semel factus est, quia quod factum est, infectum esse nullo modo potest; et hæc irregularitas est de se perpetua, quamdiu persona durat. Hujusmodi est irregularitas ex defectu natalium, quæ solum fundatur in conceptione sine vero matrimonio. Similis est irregularitas ex homicidio; sufficit enim occidisse, etiamsi per miraculum homo occisus postea resurgeret. Denique idem est in omni irregularitate ex delicto contracta, quia non fundatur in delicto, ut perseverante moraliter seu habitualiter, sed in hoc solum, quod fuerit commissum. Et ob hanc rationem, quantumvis peccatum per pœnitentiam, vel absolutionem tollatur, hæc irregularitas manet, donec per dispensationem tollatur. In his ergo irregularitatibus solum habet locum hic modus auferendi illas a subjecto manente, quia statum causæ necessario semper durat. Aliæ vero sunt irregularitates, quæ et temporalem causam habent, et expresse feruntur solum pro illo tempore, pro quo causa durat: hujusmodi est irregularitas ex defectu ætatis, quæ propterea solum durat, durante tali ætate, et consequenter dispensatio solum habet in ea locum, quamdiu durat causa seu tempus irregularitatis; quo tempore durante posse talem dispensationem concedi, præter rationem supra factam, usus ipse satis confirmat.

6. *Tertius.* — Tertio sunt aliæ irregularitates, quæ habent causam, quæ non consistit tantum in actu præterito, sed in aliqua re vel privatione permanente et durabili, qualis est ægritudo, vel debilitas corporis, aut alius similis defectus, qui aliquando solet esse naturaliter immutabilis, ut est defectus unius, v. g., vel quid simile, et tunc nulla est diffi-

cultas, quin per dispensationem solam auferri possit talis irregularitas, secluso miraculo. Aliquando vero talis causa cessare potest naturaliter, ut si lepra auferatur, vel debile membrum pristinæ saluti restituatur. Et tunc est generalis regula, cessante causa irregularitatis cessare irregularitatem, absque alia dispensatione, juxta illud Ambrosii, ep. 82. *Ubi causa non hæret, vitium non imputatur,* et habetur in cap. Neophytus, dist. 61, et est communis sententia cum Glossa in cap. Post translationem, v. *Cessante,* de Renunc., argumento illius textus, et in cap. Super eo, de Elect. Quibus locis Joannes Andreas, Panormitanus, et alii disputant de sensu illius propositionis vulgaris, *cessante causa cessat effectus,* cap. Cum cessante, de Appell., cum aliis. Omissis tamen eorum doctrinis, et distinctionibus, in præsenti materia sermo est de causa intrinsece (ut sic dicam) constitutiva irregularitatis, quia ponit in subjecto intrinsecam rationem ejus, qua ablata tollitur (ut sic dicam) materia illius irregularitatis. Exemplum afferre possumus ex canone 78 Apostolorum, ubi primum sic dicitur, *Si quis dæmonem habet, ne fiat clericus;* statim vero subjungitur, *Purgatus autem recipiatur, et si sit dignus, fiat.* Idem est de defectu ignorantiæ, si supponamus irregularitatem inducere, nam si ignorantia tollatur, tollitur materia ipsius irregularitatis, argumento cap. Statuimus, 61 dist. Idemque est suo modo in infamia, si vere et omnino auferatur, ut saltem in infamia facti potest contingere. In his ergo casibus non est necessaria dispensatio, nisi quamdiu causa non cessat; illa tamen durante, cum irregularitas duret, ita poterit dispensari sicut quælibet alia.

7. *De ablatione irregularitatis per abrogationem legis illam ferentis.— Tripliciter comparatur abrogatio legis ad causam irregularitatis.* — Unde obiter intelligitur, quid censendum sit de quodam modo auferendi irregularitatem, quem aliqui assignant, per abrogationem legis ferentis irregularitatem; ut si nunc, v. gr., Ecclesia auferret legem, quæ illegitimos facit irregulares, eo ipso auferretur talis irregularitas, quia efficacior est abrogatio, quam dispensatio. Est enim hæc sententia mihi certa quantum ad duo. Primum quoad irregularitates nondum contractas, quia post abrogatam legem non contrahentur, ut per se notum est, cum ex efficacia legis pendeant. Secundum quantum ad irregularitates jam contractas ante tempus abrogationis sine culpa; ut in exemplo posito de illegitimis, abrogata lege, quæ illos facit irregulares, non solum fierent habiles illegitimi, qui postea nascuntur, sed etiam jam nati; et hoc probat optime ratio facta de efficacia abrogationis. Item quia non est major ratio de una quam de alia. De irregularitate vero jam contracta ratione delicti, res videtur dubia, quia illa est pœna jam imposita propter delictum commissum; per abrogationem autem legis pœnalis quoad pœnam quam imponit, licet fiat, ut in posterum talis pœna non incurratur propter tale delictum, non tamen remittitur pœna prius inflicta propter delictum antea commissum; ut si Ecclesia nunc abrogaret legem prohibentem aliquid sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, efficeret quidem, ut in posterum id committens non maneret excommunicatus, non tamen tolleret excommunicationem antea contractam per tale delictum, sed necessaria esset illius absolutio; ita ergo videtur de irregularitate dicendum. Quod profecto est satis apparens, maxime si in abrogatione legis sint aliqua verba, quæ tempus abrogationis respiciant. Nihilominus tamen, si abrogatio simpliciter et absolute fiat, v. gr. quod homicida, aut rebaptizans jam non sit irregularis, probabilior est dicta sententia, quia talis abrogatio favorabilis est, et ideo amplianda; verba autem illa de se indifferentia sunt, et comprehendunt tam illum, qui jam est homicida, quam qui futurus est. Accedit, quod primaria ratio irregularitatis non est punitio, sed decentia rerum sacrarum, et ideo si per abrogationem legis jam non consideratur in illo delicto indecentia aliqua in ordine ad sacros Ordines, non refert, quod delictum ipsum fuerit committendum vel commissum. Secus vero esset, si non immediate abrogaretur lex irregularitatis, sed alia lex ferens censuram, per cujus violationem irregularitas contracta est, nam per talem abrogationem non auferretur irregularitas, quia lex, virtute cujus incurritur, semper integra manet; imo per absolutionem a tali censura non aufertur irregularitas, quia sunt impedimenta diversa.

8. *Rationibus dubitandi fit satis.* — Rationes dubitandi in principio positæ ex dictis solutæ sunt, præter ultimam, quæ intendebat, manente causa non posse irregularitatem dispensari, quia manet indecentia. Dicendum est enim, hanc indecentiam non semper esse tantam, aut talem, ut secluso jure positivo reddat actum illicitum, ideoque, ea non ob-

stante, posse per dispensationem tolli irregularitatem; maxime cum possit intercedere rationabilis causa, per quam illa minor decentia compensetur. Semper tamen, in his præcipue irregularitatibus, quæ ex defectibus animæ vel corporis proveniunt, cavere oportet, ne aliquid admittatur, quod revera sit contra decentiam ministerii sacri.

SECTIO II.

Apud quos sit potestas dispensandi in irregularitate.

1. *Quædam supponuntur ad quæstionis decisionem.* — Supponendum in primis est, potestatem hanc spiritualem ac supernaturalem esse, et a Christo Domino concessam. Nam potestas ferendi leges, et dispensandi in illis, ejusdem ordinis sunt, et potestas ligandi et solvendi respective sumpta. Deinde suppono potestatem hanc jurisdictionis esse; non est enim potestas Ordinis; constat enim in universum dispensationem in lege actum jurisdictionis esse, unde tantum a superiore circa subditos exerceri valet. Potest autem (ut hoc obiter dicamus) hic actus dici jurisdictionis voluntariæ, quia non pertinet ad coactionem, sed potius ad favorem et gratiam : aliquid vero participare potest de jurisdictione coactiva, quatenus per potestatem superioris etiam ab invito auferri potest, quia irregularitas non pendet ex voluntate habentis, sed imponentis illam. Suppono tertio, potestatem hanc alicui convenire ex immediata Christi concessione; aliquibus vero per alterius hominis communicationem. Rursus potestatem hanc in aliquo esse ordinariam, in aliis esse posse delegatam ; nam quoad hæc omnia eadem est ratio de hoc actu jurisdictionis, et de aliis.

2. *Prima conclusio.*—His suppositis, primo certum est Summum Pontificem ex divino jure et immediate a Christo habere ordinariam, universalem, ac supremam potestatem dispensandi in irregularitate. Patet, quia Summus Pontifex habet suam potestatem immediate a Christo; quæ ordinaria est, quia ex vi proprii muneris competit tanquam pastori totius Ecclesiæ. Est etiam suprema, quia soli Christo immediate subest, et a nullo alio pendet, omnes vero alii pendent a Summo Pontifice, etiam quantum ad hunc actum. Propter quod certum etiam est, posse sibi reservare dispensationem cujuscumque irregularitatis, si velit. Denique dicitur hæc potestas universalis, non solum quoad loca, et personas, sed etiam quoad irregularitates, quia nulla est, quæ per Summum Pontificem dispensari non possit. Nam omnis irregularitas est de jure positivo; in toto autem jure positivo potest Papa dispensare, ut ex suprema ejus potestate constat, et ex c. Proposuit, de Concess. præbend. Et c. Significasti, de Electione, et cap. Sunt quidam, 25, quæst. 1. Quæri vero potest, an talis dispensatio requirat causam; sed resolutio est, ut licite fiat, requiri causam, non tamen ut valida sit, juxta generalem doctrinam de dispensatione legis humanæ.

3. *Secunda conclusio.*—Secundo dicendum est, jure ordinario nullum Episcopum posse dispensare in irregularitate secundum se seu generatim sumpta; sed solum in his irregularitatibus dispensare posse, quæ illis conceduntur. Hæc est communior sententia Canonistarum in cap. At si clerici, de Judiciis, et Summistarum, præsertim Angeli, v. *Dispensatio,* n. 5; Sylvest., quæst. 9, 10 et 11, et aliorum Doctorum in c. Cum illorum, de Sent. excom., ex quo textu potest hæc assertio comprobari, et ex multis aliis, quos infra suis locis referemus, quibus constat, Episcopum non posse dispensare in variis irregularitatibus; id enim non provenit ex speciali reservatione, quæ raro vel nunquam in jure adjungitur; provenit ergo ex generali causa, quia Episcopus ex vi sui muneris non habet potestatem dispensandi in irregularitate, nisi ei specialiter concedatur. Ratio est, quia inferior non potest dispensare in lege superioris, nisi ei concedatur; irregularitas autem semper est ex lege superioris comparatione ordinariorum Episcoporum, ut supra ostensum est : ergo. Confirmatur ex dictis supra, disput. 29, sect. 2, de suspensione lata a jure in pœnam delicti commissi, quod non possit Episcopus in illa dispensare, nisi in casibus sibi concessis; nam eadem ratio militat in irregularitate, et omnia ibi dicta possunt hic applicari. Et difficultas, quæ oritur ex c. Nuper, de Sent. excomm., ibi etiam expedita est, et ita sentiunt auctores ibi citati, et ex decreto Concil. Trident., statim tractando amplius confirmari poterit.

Quibus in casibus possint Episcopi in irregularitate dispensare.

4. Jam vero inquirendum occurrit, qui sint illi casus, in quibus Episcopis concessa est

irregularitatis dispensatio. Respondeo, duobus modis posse hos casus designari : primo in particulari et in specie singulas irregularitates ab eis dispensabiles numerando; et de hoc dicemus in discursu totius materiæ, nam tractando de unaquaque irregularitate videbimus, quid circa illam possit Episcopus. Alius modus esse potest per aliquas regulas generales. Possuntque duæ præcipuæ tradi.

5. *Prima generalis regula. — Regulam hanc minime ad praxim applicari posse.* — Prima est de jure antiquo juxta communem doctrinam Canonistarum, tunc posse Episcopum in irregularitate dispensare, quando potest dispensare in ipsamet lege, quæ talem irregularitatem imponit. Hanc enim regulam circa suspensionem supra constituimus; videtur autem habere eamdem rationem in irregularitate, quia non requiritur major potestas ad dispensandum in pœna legis, quam in ipsa lege, ut in citata disputat. de Suspensione tetigi. Hæc autem regula supponit esse aliquam legem, irregularitatem imponentem, quæ possit per Episcopum dispensari, de qua eadem quæstio statim occurrit, quænam sit talis lex. Cui nunc omnino satisfacere non possumus, donec per singulas leges irregularitatem imponentes discurramus. Videtur tamen dicta regula in præsenti materia nihil habere utilitatis. Quia duobus modis intelligi potest dispensari in lege. Primo post commissum actum contrarium ipsi legi, vel post contractum defectum, quem lex vitare studet; et hoc modo dispensare in tali lege nihil aliud est quam dispensare in irregularitate contracta ratione illius; et ideo non potest assignari pro regula, quod tunc possit Episcopus in irregularitate dispensare, quando potest dispensare in lege ferente irregularitatem, quia nihil aliud esset quam idem per idem dicere. Secundo potest dispensari in lege antequam incidatur in ipsam ; et hoc modo nullam esse legem ferentem irregularitatem. in qua possit Episcopus dispensare. Si enim talis lex ferat irregularitatem absque delicto, dispensare in illa nihil aliud esset, quam concedere, ut talis actus vel defectus secum non afferat irregularitatem : quod multo magis esse videtur, quam dispensare in irregularitate jam contracta. Et ideo multo certius est, non posse hoc facere Episcopum, nisi ei specialiter concedatur, existimoque nullam esse hujusmodi concessionem, quia nullo jure constat. Nec videtur rationabilis, nedum necessaria talis potestas. Si autem irregularitas feratur propter delictum, tunc dispensare in tali lege, aut est concedere, ut talis actus possit fieri sine delicto ; et hoc non habet locum in his delictis, propter quæ irregularitas imponitur, quia sunt gravissima crimina, et contraria naturali aut divino juri. Aut est concedere seu prævenire, ut irregularitas non contrahatur, etiamsi talis actus fiat, et hoc majori ratione hic locum non habet, quam in actibus, qui non sunt delicta. Igitur ex regula nulla potestas colligi potest.

Decretum Concilii Tridentini, sess. 14, cap. 6 de Reformat., expenditur.

6. *Secunda regula. — Primum corollarium. — Secundum corollarium. — Interrogationi satisfit.* — Alia regula sumitur ex jure novo Concilii Trident., sess. 24, cap. 6 de Refor., ubi conceditur Episcopis, ut dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. Circa quam regulam optime advertit Romana Congregatio, Episcopos illarum regionum, in quibus Concilium Tridentinum receptum non est, non posse hac uti facultate, quia hæc facultas de novo est per Concilium data, ideo prædictis Episcopis non confertur, quia par debet esse conditio favorum, et onerum ; ubi ergo Concilium non recipitur quoad leges et onera, acceptari non potest quoad favores; non fuit enim mens Concilii aliter eos concedere. Unde etiam obiter constat, quod a principio dicebamus, Episcopos non habere facultatem ad dispensandum in irregularitate, nisi eis concedatur. Unde hic etiam absolute conceditur hæc potestas, sed cum duplici exceptione. Una est de homicidio voluntario, de quo tractabitur infra. Alia est de delicto ad forum contentiosum deducto, quæ videtur non recte cohærere cum ipsa regula. Nam ibi solum conceditur facultas in casibus occultis; quid ergo necesse fuit excipere casus deductos ad forum contentiosum, cum manifestum sit illos non esse occultos? Hoc adnotaverim, ut intelligatur, Concilium non loqui tantum de casibus omnino occultis, qui a nemine sciuntur, sed absolute de occultis, prout a publicis distinguuntur, etiamsi probabilia sint; ob hanc enim causam addit Concilium dictam exceptionem. Nam, si delictum occultum non tantum probabile sit, sed etiam jam sit deductum ad forum con-

tentiosum, hoc ipso reputatur a Concilio sufficienter publicum, ut ejus dispensatio Episcopo non concedatur. Dicitur autem delictum hoc modo publicum statim ac denunciatio seu accusatio de tali delicto coram legitimo judice juridice facta est; nam Concilium non requirit, quod delictum sit probatum, ac declaratum per sententiam judicis, sed tantum quod sit deductum; deducitur autem per denunciationem vel accusationem. Sed quid si fortasse delictum omnino occultum, quodque probari non potest, ad forum contentiosum deferatur, jure vel injuria? poteritne talis irregularitas ab Episcopo dispensari? Respondetur, ex vi verborum Concilii non posse, quia Concilium non distinguit de occulto probabili, vel quod probari non potest. Jam enim supra rejecimus sententiam asserentem, per delictum omnino occultum non incurri irregularitatem, dummodo externum sit. Unde, licet verum sit Concilium hic concedere facultatem ad dispensandum in casibus occultis, etiamsi probabiles sint, non tamen in solis illis, sed etiam in omnino et quomodocumque occultis, quia Concilium absolute loquitur. Cum ergo addat exceptionem eadem generalitate verborum, absolute limitat concessionem ad quoscumque casus quomodocumque delatos. Existimo tamen hoc intelligendum esse, quamdiu crimen delatum ad forum contentiosum in illo versatur, seu quamdiu causæ jus agitatur. Nam si post delationem quispiam juridice absolvatur a tali delicto, eo quod nullo modo probatum fuerit, videtur profecto revocari delictum ad eum statum, in quo antea erat, et æque manere occultum, ideoque esse per Episcopum dispensabile; maxime quando delictum nec plene, nec semiplene probari potuit; nam quando aliqua probatio intercedit, res videtur magis dubia. Quia ex semiplena probatione in foro contentioso facta oritur generaliter publica infamia et publica notitia, imperfecta quidem, tamen qualis sufficiens videtur, ut res non maneat occulta, sicut antea erat; quod secus est quando delictum nullo modo probatum est.

7. *Quis nomine Episcopi in Concilii decreto intelligatur. — An comprehendantur inferiores Prælati habentes quasi Episcopalem jurisdictionem.* — Dubitari vero potest, quid nomine Episcopi in illo decreto intelligendum sit. In quo est certum non satis esse, quod sit Episcopus consecratus, nisi habeat Episcopatum et propriam jurisdictionem ac subditos, quia non conceditur hæc facultas cuilibet Episcopo respectu quorumcumque fidelium, sed tantum respectu subditorum, ut est per se notum, et paulo inferius in eodem decreto declaratur. E contrario vero Episcopum esse electum, et confirmatum, quia ille est simpliciter et absolute Episcopus, et in ordine ad actus jurisdictionis non indiget consecratione. Majus tamen dubium est de inferioribus Prælatis habentibus jurisdictionem ordinariam, et quasi Episcopalem, nam hi solent etiam nomine Episcopi venire in similibus concessionibus ad jurisdictionem pertinentibus; maxime quando sunt exempti, et habent quasi diœcesim propriam. Nihilominus in Congregatione Cardinalium declaratum est, hos inferiores Prælatos non comprehendi sub hoc decreto, sed tantum Episcopos privative seu exclusive quoad omnes alios. Cujus declarationis ratio fuisse videtur, quia hæc concessio ex ea parte, qua derogat juri communi, est odiosa, et ideo limitanda est ad proprietatem verbi *Episcopus*. Et huic declarationi standum est, quia sufficienti testimonio et auctoritate nobis de ea constat. Unde fit, fideles omnes immediate subjectos his Abbatibus seu Prælatis inferioribus, quamvis alias exempti sint, quoad hunc posse subjici Episcopo suæ diœcesis, quia non debent esse pejoris conditionis, quam alii fideles : ergo oportet, ut habeant aliquem Episcopum, a quo possint talem dispensationem obtinere. Item quia Episcopus per se habet jurisdictionem in illa diœcesi quoad omnes actus, in quibus illi non sunt exempti; non sunt autem exempti quoad hunc actum, de quo agimus.

8. *An Episcopus possit per alium hanc dispensationem conferre. — Ratio dubii. — Resolutio.* — Rursus vero dubitari potest, an possit Episcopus hanc dispensationem alii committere, vel solum per seipsum possit illam conferre. Ratio dubii est, quia decretum illud duas habet partes. Prior est de dispensatione in irregularitate ex defectibus occultis. Posterior est de absolutione a casibus reservatis Summo Pontifici. Et in hac posteriori parte additur, *per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum;* in priori vero parte nihil additur, sed simpliciter dicitur, *liceat Episcopis dispensare;* ergo in illa priori parte potestas solis illis conceditur per seipsos. Patet consequentia, nam extensio, quæ in uno casu ponitur, et in alio tacetur, virtualiter excluditur. Neque argu-

ıentum a simili in his rebus est validum, uia sunt facultates distinctæ, et absolutio a eccatis et censuris est magis necessaria ad alutem animæ, quam dispensatio in irreguıritate, ideoque mirum non est, quod cum ıajori amplitudine concedatur. Accedit, quod piscopi quoad hanc facultatem sunt tantum lelegati; non enim habent illam jure ordiıario, sed ex speciali commissione; ergo ıon possunt illam subdelegare, nisi hoc eis pecialiter concedatur. Ob hanc enim causam ıddita est in illa secunda parte decreti, *per e vel vicarium,* et statim in eadem parte xcipitur peccatum hæresis; ergo cum in riori parte non detur facultas delegandi, ıon videntur Episcopi posse committere aliis ıanc facultatem. Nihilominus dicendum est, osse Episcopum per alium dispensare, vices uas illi committendo. Primo, quia nulla ocurrit sufficiens causa, ob quam Concilium ıdeo limitaverit hanc facultatem, cum sæpe xpediat hanc etiam facultatem concedere docto confessario, qui possit dispensationis causam melius in conscientia examinare. Præterea Concilium non limitat hanc facultatem, ut intelligatur concessa Episcopis tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, quod aliis locis facere solet, sed simpliciter eam facultatem Episcopis concedit, ut ex vi illius decreti videatur hæc facultas jam annexa muneri Episcopali quasi jure ordinario; ergo cum non restringatur, erit delegabilis ab Episcopo. Unde quod in secunda parte illius capitis additur, *Per vicarium,* etc., potius videtur restrictio quam ampliatio; nam si nihil adderetur, per quemcumque delegatum posset illa absolutio præstari; per illam vero particulam restrictum est, ut solum possit id fieri per vicarium ad id specialiter deputatum. Quapropter si illa disjunctio ad priorem facultatem dispensandi non accommodatur (ut contextus ipse requirere videtur, non enim sine causa Concilium distinctis verbis, *dispensandi,* et *absolvendi,* utitur, et disjunctionem illam in uno membro ponit, et non in alio), si hoc, inquam, ita est, potius sequitur priorem facultatem dispensandi exerceri posse non solum per vicarium specialiter ad hoc deputatum, sed simpliciter per quemcumque, etiamsi generaliter ei facta sit delegatio. Denique usu ita receptum et interpretatum videtur, ut Episcopi soleant in his casibus vices suas aliis committere; consuetudo autem est optima legum interpres.

9. *Quis possit dispensare cum Episcopo si in irregularitatem sibi concessam incurrat.*— Et juxta hanc resolutionem expediri etiam potest dubium, quod in Congregatione Cardinalium tactum invenio, scilicet, si contingat Episcopum ipsum in hujusmodi irregularitatem occultam incurrere, an possit secum ipse dispensare, vel saltem alteri vices suas committere, ut dispenset. Nam quod hoc posteriori modo fieri possit, ex responsione ejusdem Congregationis colligi videtur; licet enim ibi non proponatur dubium de irregularitate, sed de censuris, tamen inde sumitur sufficiens argumentum a paritate rationis. Nam Congregatio censuit, posse Episcopum deputare confessorem, qui ipsum absolvat cum facultate concessa Episcopis per illud decretum; ergo idem erit de dispensatione; nam utraque potestas de se delegabilis est, et non debet Episcopus esse pejoris conditionis in hoc, quam inferiores clerici. An vero possit Episcopus per seipsum exercere hanc potestatem circa seipsum, generalis quæstio est de actu dispensandi, quam in materia de legibus, et de voto latius tractamus.

10. *Conclusio.* — *Solutio.* — Præterea hinc etiam expeditur aliud dubium tactum in eadem Congregatione, an possit Episcopus dispensare in hujusmodi irregularitate occulta cum subdito absente, qui in aliena diœcesi versatur. Dicendum enim censeo, posse, vel hanc potestatem delegando alicui confessori, vel per seipsum illam exercendo, quia dispensatio optime concedi potest absenti; quod si præsentia ejus, cum quo dispensatur, necessaria non est, neque existentia intra eamdem diœcesim est necessaria, quia actus jurisdictionis voluntariæ, quæ secrete, et sine strepitu et solemnitate judicii exercetur, extra territorium extendi, seu exerceri possunt, ut sæpe in superioribus dictum est. Contra hanc resolutionem objici potest verbum illud Concilii Trident., *in diœcesi sua.* Objici etiam potest responsio prædictæ Congregationis Cardinalium dicentium, in eo casu posse hujusmodi subditum absentem absolvi ab Episcopo illius diœcesis, in qua commoratur, non vero a suo. Reddit autem rationem difficilem, scilicet, quia Concilium loquitur de absolutione sacramentali in foro conscientiæ, quæ requirit præsentiam, exemplo confessionis, quæ non potest fieri per nuncium, vel per litteras. Respondetur potius ex eadem responsione Cardinalium colligi aperte nostram conclusionem; nam expresse

dicunt, in eo casu posse quidem illum subditum absentem absolvi ab alieno Episcopo, in cujus diœcesi commoratur, non vero dispensari. Et ita tacite declarat, verbum illud Concilii Tridentini referendum esse ad posteriorem facultatem absolvendi, in qua ponitur, non vero ad priorem dispensandi. Unde sufficiens ratio differentiæ redditur, quia Concilium Tridentinum in Episcopo requisivit præsentiam ad absolutionem, non vero ad dispensationem. Hujus autem differentiæ ratio hinc videtur oriri, quod potestas dispensandi simpliciter conceditur, et dispensatio ipsa ex se non pertinet ad forum pœnitentiæ; et ideo æque circa absentem, et præsentem exerceri potest. Imo in ordine ad illam, quantumvis subditus sit absens, semper retinet respectum subjectionis ad suum superiorem; ideoque non potest talem dispensationem obtinere ab alieno Episcopo, etiamsi in ejus diœcesi versetur; et contraria ratione potest dispensari a suo Episcopo, tum quia semper retinet eumdem respectum subditi in ordine ad talem actum, qui ex se potest circa absentem exerceri; tum etiam quia non debet privari usu, et fructu hujus potestatis. Secus autem est de absolutione, quæ expresse in eodem Concilio conceditur tantum in foro pœnitentiæ, *imposita pœnitentia salutari.* Et ideo in prædicto casu illi Episcopo conceditur potestas absolvendi respectu talis personæ, ad quem pro tunc spectat judicium in foro pœnitentiæ circa conscientiam illius; ille autem, qui in territorio alieno versatur absens a suo pastore, pro tunc subditur in foro pœnitentiæ pastori illius loci, in quo versatur; ergo ab illo absolvendus est per hanc facultatem, et et non ab alio.

11. *Replicatio. — Enodatur. — Corollaria resolutionis datæ.* — Sed instari potest; nam etiam absolutio ab excommunicatione ferri potest in absentem; ergo poterit Episcopus subditum in alia diœcesi existentem in dictis casibus absolvere a censura, non absolvendo sacramentaliter, et tunc ablata censura, cum peccatum jam non maneat reservatum (est enim sermo de casibus Pontificiis), poterit ab illo absolvi a quocumque sacerdote habente communem jurisdictionem; ergo ratio adducta in prædicta responsione Cardinalium non est solida. Nam absolutio ab excommunicatione, et pœnitentia, quæ in ordine ad illam imponitur, per litteras, vel nuncium fieri possunt. Respondeo, ex vi solius absentiæ ita quidem dicendum esse; quando vero absentia est extra diœcesim, tunc Episcopus non potest absolvere a tali censura, non propter solam rationem absentiæ, ut ratio facta probat, sed quia Concilium Tridentinum non concedit facultatem extra propriam diœcesim, sed tantum intra illam, ut ex verbis ejus expresse constat. Cur autem Concilium limitaverit illam facultatem, non est petendum (ut opinor) ex natura absolutionis a censura, ut ex discursu facto constat, neque etiam ex eo quod ex vi hujus facultatis non possit Episcopus absolvere a censura, nisi in foro sacramenti pœnitentiæ, seu audiendo confessionem sacramentalem, quia ibi non conceditur hæc facultas cum tanta limitatione, neque a nobis restringenda est, cum favores potius sint ampliandi. Verbum autem illud, *in conscientia,* non significat idem, quod in sacramento pœnitentiæ, sed quod obligatio in conscientia, ut ex vi ipsorum verborum patet, quæ addita sunt, ut semper relinquatur Ecclesiasticis judicibus jus puniendi talia delicta in foro contentioso, si aliquando in eo denunciata, atque probata fuerint. Item hanc fuisse mentem Concilii patet, quia alias non debuisset addere illam particulam, *In diœcesi sua,* quia satis clarum erat, Episcopum in sua diœcesi existentem non posse absolvere in foro sacramentali subditum extra diœcesim existentem, vel si Concilium voluit, ut Episcopus, etiamsi existat extra suam diœcesim, non possit ibi absolvere subditum suum (ut revera voluisse videtur ex vi dictorum verborum), hoc ipso satis constat, rationem Concilii non fuisse propter absentiam, cum in eo casu possit subditus esse præsens suo Episcopo extra diœcesim ejus. Ratio ergo Concilii ex aliqua alia consideratione morali sumenda videtur, quia propter majorem pacem, et meliorem ordinem, voluit facultatem hanc limitare, non tantum ad personas, sed etiam ad territoria, seu loca. Quo fit, ut intra suam diœcesim possit Episcopus absolvere immediate per seipsum a tali censura reservata et occulta, subditum absentem in alio oppido ejusdem diœcesis existentem; nihil est enim, quod obstet, cum Concilium dicat, *intra eamdem diœcesim.* E contrario vero sequitur, non posse Episcopum ex vi hujus facultatis absolvere subditum extra diœcesim existentem, etiamsi ipse ibidem existeret, et possit ibi ab aliis peccatis eum absolvere, atque etiam a censuris non reservatis Papæ, propter limitationem Concilii positam, ut explicatum

est. At vero e contrario, si Episcopus existat extra suam diœcesim, videtur posse mittere subdito intra diœcesim existenti absolutionem a censura ex vi hujus facultatis, quia non est necesse verbum illud Concilii, *In diœcesi sua,* referre ad utramque personam, quia neque ex vi verborum id significatur, neque oportet concessionem restringere plusquam verba cogant.

12. *Quid per subditos intelligatur in illo decreto.— Interrogatio. — Responsio.—* Tandem hinc etiam constat, qui sint intelligendi nomine subditorum in illo decreto; illi enim propriissime dicuntur subditi, in quos Episcopi ordinariam jurisdictionem habent. Sed oportet advertere particulam illam, *subditos suos,* non esse positam in prima parte illius cap., de dispensatione in irregularitate, sed in secunda de absolutione a casibus reservatis, in ordine ad quam subditi dicuntur omnes illi, qui in foro sacramentali tali tempore subjiciuntur Episcopo diœcesano, sive ibi habeant firmum domicilium, sive non, ut explicatum est. Non tamen omnes isti censentur subditi in ordine ad dispensationem irregularitatis, ut declaravimus. Et ideo fortasse Concilium nullam mentionem subditorum fecit in illa parte, sed simpliciter dixit : *Liceat Episcopis in irregularitatibus dispensare,* etc. Intelligendum est autem licere hoc Episcopis respective, scilicet, unicuique respectu personarum sui Episcopatus, scilicet, qui ibi habent domicilium, et generaliter dici possunt subditi diœcesano Episcopo in spiritualibus; existimo autem etiam comprehendi personas exemptas ibi commorantes; nam semper sunt aliquo modo subditæ, et quoad hos actus favorabiles possunt se subjicere, si velint, et aliud privilegium non obstat. Unde etiam Prælati inferiores alias exempti, et habentes jurisdictionem quasi Episcopalem possunt quoad hoc se subjicere, ut dispensationem hujusmodi a diœcesano obtineant. Quod si quis quærat, an possit Archiepiscopus in toto suo Archiepiscopatu hac uti facultate, respondeo, simpliciter loquendo, non posse, quia hæc facultas non conceditur ei, ut Archiepiscopus est, sed ut Episcopus, et quia hic est communis sensus talium facultatum, nisi aliud exprimatur. Dico autem, simpliciter loquendo, quia quando Archiepiscopus visitat diœcesim suffraganei, videtur uti posse facultate absolvendi a casibus reservatis ibi concessa, quia tunc quantum ad forum conscientiæ et pœnitentiæ se gerit ut Episcopus, et potest sacramentaliter absolvere æque ac Episcopus ipse. Dispensare autem in irregularitate non videtur posse etiam in tempore, quia hæc non limitatur ad forum conscientiæ tantum, neque ordinatur ad forum sacramentale. Et hæc videntur sufficere de facultate Episcoporum.

13. *An Capitulum possit Sede vacante in his irregularitatibus dispensare.* — Quæri vero potest, an Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante possit uti hac facultate dispensandi in irregularitatibus. Ratio dubii est, quia succedit in jurisdictione Episcopali. Nihilominus dicendum videtur, non succedere in potestate dispensandi in irregularitatibus, in casibus specialiter concessis Episcopis in jure, nisi ipsummet jus, vel sufficiens consuetudo ita declaret talem Episcopi facultatem. Hoc colligo ex ipsomet decreto Concilii Tridentini, adjuncta Cardinalium interpretatione dicente, illam esse facultatem solius Episcopi privative quoad omnes alios; ergo excludit etiam Capitulum Sede vacante. Hæc autem interpretatio non fundatur in aliqua specialitate illius decreti; nulla enim apparet; fundatur ergo in generali regula, quod facultas absolvendi ab irregularitatibus, concessa Episcopo simpliciter dicto, intelligitur de Episcopo tantum cum exclusione aliorum; non ergo succedit Capitulum in usu hujus facultatis. Et ratio congrua est, quia hæc facultas non convenit Episcopo jure ordinario, sed extraordinario; Capitulum autem per se loquendo solum in ordinaria Episcopi jurisdictione succedit.

14. *An Apostolica Sede vacante in aliquo casu collegium Cardinalium hanc habeat potestatem.* —Hic vero occurrebat specialis difficultas, an Apostolica Sede vacante collegium Cardinalium possit irregularitates tollere saltem ad electionem Pontificis faciendam; absolute enim, et quoad omnes personas certum videtur non habere hanc facultatem, quia nullo jure illis concessa est. In ordine vero ad electionem dubitari potest, si aliquis eorum irregularis sit, an possit a toto collegio cum eo dispensari, ut licite eligi possit; nam irregularis non dispensatus non potest eligi, ut supra dictum est, quia pro eo statu est indignus. Atque ita absolute affirmat Maiolus, lib. 2, cap. 4, qui de remedio dispensationis nihil dicit. Videtur tamen probabile, posse talem irregularitatem a collegio tolli; nam contingere potest, ut rationabilis causa dis-

pensandi intercedat, imo quod expediat talem personam eligi, non obstante irregularitate, quia hac ablata, est dignior, etc. Ergo expedit, ut in illo collegio sit potestas ad talem dispensationem faciendam, cum non habeat tunc superiorem, ad quem possit recurrere. Confirmatur, quia delegata potestate ad aliquem actum principalem censetur delegata ad alia accessoria, quæ ad illum ordinantur; ergo in præsenti concessa facultate Cardinalibus ad eligendum, conceditur etiam ad tollendum quodcumque impedimentum, quod solo jure humano fundatur, si justa causa intercedat. Accedit, quod si de facto eligatur persona irregularis, et nihil aliud obstat, electio facta tenet, et dignitas ipsa excludit irregularitatem; ergo a fortiori poterunt, si expediat, præmittere dispensationem, ut electio convenienti modo et ordine fiat. Quapropter hanc partem probabiliorem existimo, sive illa vocetur proprie dispensatio, sive legitima interpretatio, quod in tali casu possit persona licite eligi, non obstante irregularitate, attenta ratione boni communis, quod semper est præferendum.

15. *Qui habeant potestatem delegatam dispensandi in irregularitate.* — Ultimo dubitari potest, quibus conveniat potestas hæc dispensandi in irregularitate, ex delegatione, vel privilegio. Ad quod respondendum est, quæstionem hanc potius ad factum, quam ad jus pertinere; nam jure nulla talis facta est delegatio generalis, prout nunc loquimur; de casibus autem particularibus postea dicemus. Delegatio vero, quæ extra jus fit, cum ad factum pertineat, vix cadit sub scientiam; sed juxta diversa munera vel status personarum, facultates, et privilegia eis concessa consulenda sunt. Solum ergo possumus advertere, hanc commissionem dupliciter fieri posse : uno modo per privilegia perpetua, prout data sunt Prælatis religionum, quæ ipsi scire tenentur; et in opere de religione, quod jam molimur, magna ex parte explicabimus, Deo adjuvante, et in sequentibus in singulis irregularitatibus aliquid adnotabimus. Alio modo potest hæc commissio fieri ad unum actum vel ad tempus; et de hoc modo primum dicere possumus, consideranda esse verba rescripti, et juxta illorum vim de potestate concessa judicandum. Deinde oportet advertere, quoad usum Romanæ Curiæ, plerasque dispensationes, quæ a Sede Apostolica manare putantur, non fieri immediate a Papa, sed committi in partibus, ut veritate examinata, et cognita, Ordinarius, vel confessor dispenset, juxta præscripta in Concilio Tridentino, sess. 22, cap. 5. de Reformat. In eo autem casu, etiamsi Pontifex moriatur re integra, non expirat talis facultas, ut notavit Maiolus, lib. 5, cap. 51, n. 6, cum Sylvestro, verb. *Dispensatio,* quæst. 6, et aliis, quia talis delegatio inter gratias computatur, et ideo non expirat morte concedentis, ut in superioribus dictum est.

SECTIO III.

Quæ forma servanda sit in dispensatione irregularitatis.

1. *Prima conclusio.* — Hactenus explicuimus causam efficientem hujus dispensationis; de motiva autem nihil speciale occurrit notandum, præter ea, quæ communia sunt dispensationi in quocumque jure, nimirum, requiri proportionatam causam, ut licite detur; adde etiam, ut valida sit, quando manat a Prælatis Summo Pontifice inferioribus, ut infra etiam adnotabimus. De materiali etiam causa nihil necesse est dicere, cum nulla alia sit, præter personam irregularem. Solum ergo supersunt pauca dicenda de formali causa, simulque de effectibus constabit.

2. Primo ergo dicendum est, nullam formam, vel solemnitatem esse circa hoc jure præscriptam, ut omnes docent; quapropter ea solum postulanda sunt, quæ ex natura rei requiruntur. Ut ergo dispensatio sufficienter fiat, necessarium in primis est aliquod signum, quo sufficienter voluntas dispensantis ostendatur, quia dispensatio ab illa pendet et sola interior voluntas, nisi manifestetur, nihil operatur inter homines, ut sæpe diximus. Debet item per tale signum sufficienter determinari irregularitas, quæ dispensatur. nisi generalibus verbis concedatur dispensatio ab omni irregularitate, quia cum hoc signum sit practicum et activum, oportet sufficienter determinari, quia actiones sunt circa individua. Quapropter qui plures habet irregularitates, si ab una dispensari vult, necesse est, ut ejus speciem declaret; nam si confuse petat dispensationem a quadam irregularitate, et dispensatio eodem confuso modo concedatur, nihil fiet, quia incertum manet quænam irregularitas dispensetur, nisi concessio referatur ad intentionem petentis, et illa fuerit de tali irregularitate in particulari, quamvis verbo illam non expresserit; tunc enim valida erit dispensatio, quia respectu ejus, qui

dispensatur, sufficienter declaratur voluntas dispensantis, quod satis est. Non est tamen conveniens modus, quia, ut dispensatio convenienter fiat, necesse est gravitatem causæ et irregularitatis in particulari cognoscere. Si autem in eo casu aliquis vult dispensari a multis irregularitatibus, quas habet, necesse est, ut vel illas in particulari proponat, vel saltem confuse petat dispensari a multis, vel ab omnibus irregularitatibus, quas contraxerit; nam potest una irregularitas tolli sine alia, sicut una censura, in hoc enim est eadem ratio, et ideo per dispensationem unius non tolluntur aliæ, si adsint. Quocirca si quis petat dispensationem irregularitatum in certo ac definito numero, ut quatuor irregularitatum, v. gr., et eodem modo dispensatio concedatur, tunc si contingat irregularitatem aliam oblivioni tradi, non manebit dispensata, quia neque explicite, neque implicite in petitione vel concessione continetur, neque ex vi alicujus connexionis tollitur simul cum aliis, sicut solent peccata oblita remitti. Aliud vero erit, si in tali dispensatione addatur confusa clausula includens omnes irregularitates, quas talis persona incurrit; tunc enim etiamsi petens oblitus fuerit alicujus irregularitatis, dispensata manet, quia implicite et confuse fuit in dispensatione inclusa, quod satis est. Idemque erit, quoties dispensans dixerit : *Tecum in irregularitate dispenso,* si ex circumstantiis sufficienter constiterit dispensationem esse generalem datam, quia tunc omnia dispensata manent, etiamsi in memoriam non venerint. Et ita censeo intelligendam doctrinam communem, quam referunt, et sequuntur Navarr., in Sum., c. 26, num. 13, et Maiolus, lib. 5, cap. 51, num. 6.

3. *Effectus dispensationis debet ipsa forma explicari.* — Tandem necesse est, ut qualitas, seu effectus dispensationis sufficienter explicetur; potest enim irregularitas dispensari vel in totum, vel ex parte, id est, quoad unum Ordinem, et non quoad omnes, vel quoad usum Ordinis suscepti, et non quoad Ordinem suscipiendum. Quoties ergo dispensatio irregularitatis absolute, et sine addito conceditur, signum est dispensationem esse totalem, tum quia verba absoluta significant totalem dispensationem. Tum etiam quia nulla est ratio determinandi talem dispensationem ad unum effectum potius, quam ad alium, nisi fortasse potestas dispensationis limitata sit et diminuta; tunc enim dispensatio erit adæquata potestati, et solum ex eo capite poterit limitationem accipere. At vero si dispensatio concedatur cum limitatione, tantum operabitur, quantum verba expresse, vel implicite continuerint; ut si dispensatus quis fuerit ad minores Ordines, non poterit ad sacros promoveri; si autem fuerit dispensatus ad subdiaconatum, non poterit ulterius ascendere, poterit tamen minores Ordines suscipere; virtute enim continentur in illa dispensatione, cum non debeat quis per saltum promoveri. Si autem indefinite dispensetur ad Ordines, multi censent de minoribus tantum intelligi, communis per textum ibi in cap. Litteras, de Filiis presbyterorum, in particulari agentes de irregularitate illegitimorum. Et quia dispensatio odiosa est, ideoque restringenda sunt juxta cap. 1, eodem titulo de Filiis presbyter., in 6. Sed difficile est hanc regulam universaliter acceptare, quia in rebus indefinita æquivalet universali; ideoque juxta materiam subjectam, et maxime juxta receptum verborum sensum, et usum in particulari judicandum est. Rursus si dispensatio concedatur cum hac limitatione, *ad usum susceptorum Ordinum,* ex vi illius non potest quis novum Ordinem suscipere, quia sunt effectus diversi, qui frequenter in dispensationibus separantur, et difficilior esse solet dispensatio ad promotionem, quam cum jam promoto, ad usum tantum, cum ordinatus habet veluti acquisitum jus ad usum Ordinis suscepti, et difficilius sit aliquem privari jure acquisito, quam acquirendo. Atque ita notavit Gloss., in cap. Quicumque pœnitens, dist. 50, et indicatur in illo textu, et in aliis, quos ibi citat. Unde infra videbimus, sæpe Episcopum dispensare in aliqua irregularitate quoad usum suscepti Ordinis, non vero quoad novum Ordinem suscipiendum. At vero si dispensatio sit ad usum in superiori Ordine, v. gr., presbyteratu, etiam extenditur ad usum omnium Ordinum inferiorum; non quia in universum ablato majori impedimento sublatum sit minus, ut quidam putant; non est enim hæc regula certa, ut in superioribus visum est; sed quia in illo effectu superiori, virtute continentur alii, quia is, qui est suspensus in minori Ordine, non admittitur ad usum superioris. Præterea si dispensatio concedatur ad obtinendum beneficium, ex vi talis formæ non videtur extendi ad Ordines, quia non sine causa additur limitatio. Nec per consequentiam potest inferri extensio, eo quod beneficium propter officium datur, tum quia

hæc consecutio non sufficit, ut suspensus a beneficio sit suspensus ab Ordine: ergo neque id sufficiet, ut restitutus ad unum, censeatur restitutus ad aliud; tum etiam quia interdum permittitur beneficium dari ad sustentationem propter Ordinem jam susceptum, ne clericus mendicare cogatur. Nam etiamsi non exerceat Ordinem, potest et canonicum officium recitare, et aliud ministerium cantandi, vel inserviendi Ecclesiæ exercere. Et ob similem rationem dispensationem ad omnes Ordines, si aliud non addatur, non necessario includit dispensationem ad beneficia Ecclesiastica, præsertim illa, quæ prælationem vel jurisdictionem habent, quia etiam tales effectus sunt diversi, et non ita connexi, ut ablato uno censeatur alius ablatus; quod in particulari melius explicabitur in sequentibus.

4. *Etiam de facto potest dispensatio conferri a Papa.* — Ultimo advertendum est, hæc, quæ diximus, procedere in dispensatione verbali, seu expressa. Potest autem aliquando dispensatio fieri facto ipso, quasi in actu exercito; ut si Papa sciens aliquem esse irregularem, illum ordinet, vel litteras dimissorias concedat, cum eo dispensare censetur, quia non est credendus Pontifex agere contra jus, cum possit in jure dispensare. Unde cum talis dispensatio Pontificis, etiam sine causa facta, valida sit, absolute per illud factum dispensare censetur. Quapropter sic ordinatus, non solum Ordinem, sed etiam usum Ordinis sic suscepti recipit, et restitutus ad usum inferiorum Ordinum, propter rationem positam, quod nemini conceditur usus superioris Ordinis sine usu inferiorum. Nihilominus tamen ex vi illius facti non censetur ille homo dispensatus ad ascendendum ad superiores Ordines, quia ut ille actus legitime fiat, hoc necessarium non est, neque aliunde habet connexionem cum tali facto. Denique si tale factum ex ignorantia irregularitatis fiat, non potest esse indicium dispensationis, quia non est indicium voluntatis, quia ignorantia causat involuntarium. Atque ita omnes docent, sumiturque ex his quæ in simili diximus de absolutione a censura per factum Pontificis.

5. *Quid de inferioribus Pontifice.* — *Opinio affirmans.* — Negavimus tamen illo loco Episcopum posse absolvere ab excommunicatione etiam sibi cognita, per solum factum, quod hic majorem dubitationem habet. Nam multi censent, posse Episcopum dispensare in irregularitate sibi cognita, per simile factum, dummodo supponatur in eo potestas. Ita tenet Glossa, in cap. ult., dist. 51, verb. *Qui concubinas*, et Glossa, in cap. Si qui sunt, dist. 81. Et sequitur Navarr., cap. 25, n. 74; et Sylvest., verb. *Irregularitas*, in ultimis verbis, ubi idem censet de Prælato quocumque habente potestatem dispensandi in irregularitate, et mittente ad suscipiendos Ordines subditum, quem scit esse irregularem. Et idem tenet Antonin., in tract. de Irregular., cap. 6. num. 15; Maiol., lib. 5, cap. 15. Ratio est, quia per illud factum indicatur sufficienter voluntas dispensandi, tum quia etiam inferior non præsumitur agere contra jus, si potest jure facere; tum etiam quia si in Pontifice Summo illud est sufficiens signum, id est ex natura talis effectus moraliter considerati; ergo eadem ratione in Episcopo erit sufficiens signum. Aliunde vero non est prohibitum jure positivo Episcopis dispensare hoc modo in irregularitate; nullibi enim extat tale jus; ergo est sufficiens illa dispensatio. Et hinc constituitur differentia inter excommunicationem, et irregularitatem, quia jure Ecclesiastico declaratum est, Episcopum non posse absolvere a censura per actiones excommunicationi contrarias, ut supra suo loco vidimus; quod non est circa dispensationem in irregularitate declaratum. Addit nihilominus Navarr. sententiam hanc procedere in foro conscientiæ, non vero in foro exteriori. In quo censet constituendam esse differentiam inter Papam et inferiores Episcopos. Et reddit rationem, quia dispensatio a Summo Pontifice data sine causa, est valida, non vero data ab Episcopo. Sed hæc ratio solum concludit, quamdiu alias constiterit Episcopum non habuisse legitimam causam dispensandi, vel illam ignorasse, aut non considerasse, talem dispensationem non valere, quod verum existimo. Si autem oppositum constiterit, non video cur talis dispensatio sit rejicienda, etiam in foro exteriori. Solum ergo videtur posse constitui differentia inter forum internum, et externum, in hoc, quod in interno sufficit, ut non constet de causæ defectu, quia subditus præsumit superiorem recte agere; in externo necessarium erit causam probare, si res in examen afferatur, ut latius tractat idem Navarr., in c. Si quando, de Rescr., excep. 10, num. 3, et alia de hac tacita dispensatione, quæ minus practica et moralia sunt, videri posse in Maiolo, supra, num. 8 et 9.

DISPUTATIO XLII.

DE IRREGULARITATE CONTRACTA EX ALIQUO DELICTO CIRCA USUM SACRAMENTORUM.

Explicata doctrina communi, descendimus ad singulas irregularitates, quæ variis modis distribui solent. Quidam illas revocant ad tria membra, scilicet ratione delicti, ratione sacramenti, aut ex defectu, sub quibus varia membra distinguunt, ut videre licet in Soto, dist. 25, quæst. 1, art. 2. Alii dividunt in quinque membra, scilicet, ex defectu animæ et corporis, ex defectu lenitatis et sacramenti, et ex delicto, ut videre est in Navarr., num. 192. Alii vel rejiciunt irregularitatem ex defectu animæ, vel tantum constituunt unam speciem ex defectu personæ, sive illa sit corporis, sive animæ, quod postea examinandum est. Alii omnem irregularitatem dicunt esse ex defectu alicujus boni, unde juxta quatuor bonorum genera, animæ, corporis, famæ et fortunæ, non incommode in quatuor species partiuntur, et sub defectibus animæ, delicta, et nonnullos defectus, qui peccata non sunt, comprehendunt. Sed quia in ordine ad doctrinam moralem magis differunt duo genera irregularitatum ex delicto, vel sine illo, ideo hac partitione uti visum est, et prius dicere de irregularitatibus ex delicto, quas ad tria capita revocabimus. Primum erit de peccatis commissis contra Ordines. Secundum de aliis gravioribus vitiis. Tertium erit speciale de homicidio propter peculiarem illius rationem.

SECTIO I.

Utrum contrahatur irregularitas per indebitam baptismi susceptionem.

1. *Prima conclusio. — Maiolus rejicitur. — Corollarium primum. — Corollarium secundum. — Corollarium tertium.* — Duplex est usus sacramenti, passivus, scilicet, et activus, et de utroque dicemus. Prima ergo assertio sit, per iteratam receptionem baptismi irregularitatem incurri. De hac re late dixi, in tom. 3, disp. 31, sect. 6, ubi ostendi, hanc irregularitatem esse in jure expressam, et non incurri nisi intercedat delictum, ideoque excusari quoties propter ignorantiam, et bonam fidem culpa excusatur, quod etiam nunc verum censeo, licet oppositum teneat Maiol., lib. 3, cap. 14, qui nullum affert jus, in quo talis irregularitas sine culpa sit satis expressa. Addidi etiam, quando quis ita permittit exterius se iterum baptizari, ut non habeat intentionem suscipiendi sacramentum, sed solum se liberandi ab aliquo timore, vel aliquid simile, non incurrere hanc pœnam, sive alioqui peccet in ea permissione, sive non, quia illa non est formalis rebaptizatio ex parte recipientis cum tali intentione; pœna autem illa restringenda est ad formalem rebaptizationem, sicut pœna imposita hæretico ipso jure restringitur ad formalem hæreticum exteriorem, id est, qui ita exterius significat se negare fidem, ut interius etiam neget. Quo fit, ut multo minus incurratur hæc irregularitas, quoties quis recipit secundum baptismum sub intentione conditionata, si fortasse prior baptismus validus non fuit, etiamsi contingat id fieri imprudenter, et sine sufficienti ratione dubitandi, ac denique cum gravi culpa. Nam hæc culpa, vel est diversæ rationis ab illa, quæ est in formali rebaptismo, vel est ita imperfecta in illo ordine, ut simpliciter non possit dicere baptizatio; nam illa conditio apposita in intentione tollit animum et spiritum rebaptizationis. Denique hinc constat, irregularitatem hanc non esse impositam propter veram susceptionem alicujus sacramenti inique factam; nam ille secundus baptismus, per cujus susceptionem contrahitur hæc irregularitas, non est sacramentum; tamen quia est in injuriam prioris baptismi, et fidei, ideo huic crimini adjuncta est talis irregularitas.

2. *Corollarium quartum. — Corollarium quintum.* — Ex quo obiter colligitur, si quis sæpius rebaptizetur, sæpius incurrere hanc irregularitatem, quia quoties multiplicatur culpa, propter quam jure ipso imponitur pœna, toties incurritur similis pœna, ut tractando de Censuris diximus. Et declarari potest, quia si quis post primam rebaptizationem pœnitentiam agens, irregularitatis dispensationem obtineret, postea vero in simile crimen laberetur, iterum etiam irregularitatem contraheret, quia vere violat legem, per quam talis pœna ipso facto imponitur, nam rebaptizatio non dicit tantum secundam baptismi acceptionem, sed tertiam et quartam, et in quocumque numero post primam. Ergo, etiamsi prima irregularitas non fuisset ablata, contraheretur secunda, quia non repugnat habere simul duas censuras vel impedimenta solo numero diversa ex causis distinctis. E contrario vero infero ex dictis, si

contingat aliquem erronea conscientia rebaptizari, putans vere fuisse antea baptizatum, postea vero constet vel omnino non fuisse antea baptizatum, vel ex aliquo defectu essentiali primum baptismum fuisse nullum, illum non esse irregularem, quia nunquam secundo baptizatus est, quia donec sit verus baptismus vere receptus, non potest esse in re ipsa iteratio baptismi; ergo nec pœna ejus. Nec refert, quod quis habuerit animum rebaptismi, quia ille processit tunc ex conscientia erronea, et in effectu non habuit verum actum externum sibi conformem.

3. *Conclusio. — Prima exceptio a conclusione rejicitur. — Maiolus.* — Dico secundo : extra rebaptizationem non contrahitur irregularitas per susceptionem baptismi cum quacumque culpa, dummodo a Catholico ministro accipiatur. Probatur, quia nullus alius est in jure expressus ; solum oportet examinare nonnullas exceptiones. Prima est de suscipiente ficte baptismum, quem manere irregularem affirmat Maiol., lib. 3, cap. 7. Sed non ostendit jus, nec videtur ratione subsistere, quia aut loquitur de fictione contraria valori baptismi, vel tantum effectui ejus. De priori non potest verificari illa sententia, quia sic baptizatus non manet baptizatus; non ergo manet irregularis, sed tam incapax Ordinum sicut antea erat. Nec potest perfecte recedere a tali fictione, donec iterum vere ac legitime baptizetur; quod si hoc faciat, nulla irregularitate impeditus manebit propter prius delictum, quia neque in jure lata est, neque in eo statu erat capax irregularitatis, sicut neque Ordinis. Si vero loquatur de altera fictione, et de propria irregularitate (ut plane loquitur, quia negat tolli per pœnitentiam), oportet, ut ostendat jus, in quo sit expressa; nam impedimentum quod per pœnitentiam non aufertur, et naturale non est, sed legale, admitti non debet, nisi fuerit in jure expressum.

4. *Maioli objectio. — Solvitur.* — Sed objicit, nam qui differt baptismum usque ad mortis periculum, et tunc quasi necessitate compulsus baptizatur, fit irregularis; ergo multo magis qui ficte baptizatur. Antecedens patet ex Concilio Neocæsarien., can. 12, et habetur in can. 1, dist. 57. Consequentia vero probatur, quia majorem facit injuriam sacramento, qui ficte illud recipit, quam qui in necessitate illud digne accipit. Respondetur primo negando consequentiam, quia, ut dixi, argumentum a simili in hac materia nullum est. Et potest facile assignari diversitas rationis; nam in eo casu non repellitur quis ab ordinatione propter indignam baptismi susceptionem, sed propterea quod fides hominis sic baptizati non videtur fuisse voluntaria, sed ex necessitate, ut in eodem textu dicitur; est autem inconveniens, ut is, de cujus vera fide dubitatur, ad clericatum admittatur; quæ ratio non habet locum in quacumque indigna susceptione baptismi propter aliquod peccatum ad mores, et non ad fidem pertinens. Neque in hoc apparet major ratio de indigne suscipiente baptismum, quam de indigne suscipiente absolutionem aut Eucharistiam.

5. *Secunda exceptio, c. 1, 37 dist.* — Ex illo vero antecedente sumi videtur secunda exceptio, scilicet, quando receptio sit in articulo mortis ex necessitate. Hæc enim ex dicto textu videtur sufficienter probari; nam similiter prohibetur ordinatio hominis sic baptizati, illis verbis, *Ordinari non debet.* Confirmatur ex Cornelio P., ep. ad Fabium, apud Eusebium, lib. 6 Hist., c. 32, ubi refert Novatum fuisse sic baptizatum, et quemdam Episcopum maxime desiderasse illum ordinare. *Quoniam* (inquit) *minime licebat quemquam in lecto propter morbum baptizatum, sicut huic contigerat, in clerum assumi.* Unde hunc casum admittunt Antonin., 3 part., tit. 18, cap. 6, § 2; Angel., num. 55; Sylvest., quæst. 21 ; et negari non potest, quia plane est in jure expressus. Non tamen videtur esse formaliter propter culpam, sed propter modum suscipiendi in necessitate ægritudinis, et propter quamdam imperfectæ fidei et conversionis suspicionem, minoremque Ecclesiæ satisfactionem, quæ inde generatur, licet fortasse dilatio culpabilis non præcesserit, sed per occasionem aliam acciderit, et ita in textu nulla fit mentio culpæ (licet Gloss. aliud sentiat), sed occasionis seu necessitatis. Unde posset hæc irregularitas reduci ad eam, quæ est neophytorum, de qua supra; licet in ea specie sit (ut ita dicam) qualificata; habetque locum in adultis; nam infantes nec culpæ, nec illius suspicionis vel infamiæ sunt capaces, ut recte Glossa notavit.

6. *An in duabus limitationibus dict. cap. 1 requiratur dispensatio, et a quo. — Resolutio. — An utraque causa requiratur ad hanc dispensationem.* — Additur vero in eodem cap. 1, in duobus casibus posse hunc ordinari. Primo si purgaverit suspicionem per ostensionem fidei et religionis. Secundo si

necessitas ministrorum urgeat. Quæri autem potest, an requiratur in his casibus dispensatio, et a quo danda sit. Glossa ibi significat non esse necessariam dispensationem, præsertim in priori casu, quia per sequens factum eliditur præcedens præsumptio, et quia in textu non fit mentio dispensationis. Sed hoc nimium videtur, quia illa præsumptio vel suspicio, cum sit juris, debet etiam juridice tolli. Alii ergo requirunt dispensationem Summi Pontificis, ut Maiolus supra, cap. 8. Sed hoc etiam est nimium, quia alias superflua erat illa declaratio; item quia si Episcopi prohibentur ibi ordinare talem personam, ita etiam conceditur pro illis casibus. Dico ergo necessariam esse, et sufficere dispensationem Episcopi, et hunc esse sensum illius limitationis, ut notant ibi Turrecremata et alii; Antoninus, Sylvester et Angelus supra. Sed quæres rursus, an utraque causa simul requiratur, vel singulæ per se sufficiant. Maiolus supra utramque requirit; Glossa vero et clarius Turrecremata quamlibet per se putant sufficere, quia in textu Gratiani disjunctive legitur, *aut;* quamvis in Voto Conciliorum varia sit lectio. Et de prima quidem non dubito, quin per se sufficiat; nam cum impedimentum hoc fundetur in præsumptione, ablatio præsumptionis est sufficiens ratio tollendi illud. De posteriori autem potest esse nonnullum dubium, quia Ecclesia debet habere satisfactionem de dignitate personæ, quæ ordinatur. Dico tamen tantum esse posse, ut sufficiat, quia hæc suspicio, quæ ex tali baptismo nascitur, non est tam vehemens, quin propter aliam urgentem causam maxime pertinentem ad commune bonum possit deponi; hujusmodi autem causa est hominum raritas, quia clericorum ordinatio est maxime necessaria communi bono. Et ideo in multis aliis casibus censetur sufficiens causa dispensandi, ut patet ex textibus, quos Glossa ibidem refert.

7. *An omnis, qui necessitate compulsus baptizatur, sit irregularis.* — Quæret vero ulterius aliquis, an hæc irregularitas extendenda sit ad omnes alios casus, in quibus aliquis necessitate compulsus baptizatur, ut per vim vel metum, quæ non excludat voluntatem baptismi (alias nullus esset locus irregularitati), sed reddat minus liberum et voluntarium. Tunc ergo est dubium, an cum tali baptismo inducatur irregularitas, quia de hoc non habemus jus expressum, et argumentum a simili ex prædicta lege Concilii Neocæsariens. invalidum est. In contrarium vero est, quia hoc non videtur argumentum a simili, sed ex identitate rationis, nam illa lex non fundatur in speciali ratione ægritudinis, sed formaliter in ratione necessitatis, quæ eadem vel major est in consensu per vim et metum extorto; ergo, considerata formali decisione illius textus, comprehendit etiam hunc casum. Atque ita sentit Maiol., cap. 10, cujus opinio quoad hanc partem videtur mihi satis probabilis. Et quidem experientia ipsa docet non expedire ordinare homines sic baptizatos, quia maxime inconstantes in fide inveniuntur, adeo ut non solum ipsi, sed etiam filii, et nepotes eorum cum eis educati, et ab eis instructi, eamdem inconstantiam participare inveniantur, etiam post multas generationes.

8. *Tertia exceptio Maioli.* — *Rejicitur.* — Ultimo extendit Maiol., supra, c. 9, exceptionem hanc, vel certe ponit tertiam generalem de receptione baptismi post culpabilem dilationem; dicit enim solam moram culpabilem, seu dilationem nimiam in suscipiendo baptismo inducere irregularitatem, etiamsi baptismus postea ante ægritudinem suscipiatur. Et non affert aliud jus præter dictum Concil. Neocæsariense, quod ita intelligi dicit a Glossa et Doctoribus. Sed profecto Glossa id non dicit, nec Doctores, quos ego viderim, suntque non pauci. Nec est consentaneum textui, quia de dilatione nec verbum habet, sed solum de ægritudine, et ratio, quam subdit, et supra explicata est, non habet locum in dilatione, si necessitas excludatur. Ratio autem, quam ille auctor excogitavit, scilicet, quia qui sic suscipit baptismum, præsumitur hoc facere, ut habeat majorem peccandi licentiam, et negligere propriam salutem, et consequenter ad baptismum in peccato accedere, hæc inquam ratio et per se insufficiens est sine jure, et ad fundandum tale jus parum urgens; nam licet dilatio baptismi signum esse possit licentioris vitæ, tamen hic ipse accessus ad baptismum est efficacius signum mutationis vitæ, potiusque indicat veram conversionem et mutationem, quam oppositum; non ergo sufficit dilatio, si postea mere libere baptismus suscipiatur, quia tunc non habet locum jus illud, et aliud non invenitur.

9. *Quarta exceptio.* — *Objectio solvitur.* — Quarta exceptio ponitur, si quis in loco, ubi peregrinatur, et est incognitus, baptizatus est. De quo extat canon 24 Concil. Eliber-

tini, et apud Gratianum, c. Omnes, 98 dist.: *Omnes*, inquit, *qui peregre seu in peregrinatione fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.* Ex his tamen verbis constat in primis hoc impedimentum non incurri ratione baptismatis, sed ob ignorationem vitæ, vel morum hominis sic baptizati; sæpe enim mores, qui baptismum præcesserunt, tam pravi esse possunt, ut impediant legitimam Ordinum susceptionem, donec de eorum emendatione sufficienti experimento constet. Fieri etiam potest, ut talis homo rebaptizatus sit, vel alias irregularitates habeat, quæ post baptismum manent; et ideo donec tale dubium, vel suspicio tollatur, non admittitur talis persona ad Ordines. Dices, hoc dubium esse mere negativum, in quo omnis, qui non probatur nocens, innocens est. Respondetur hoc esse verum quoad privatam æstimationem, et bonam de proximo opinionem, et quoad hoc ut nullum malum, vel pœna ei inferatur, non tamen ut alicui sacrum ministerium committatur, vel aliud simile munus aut officium; et ideo juxta Ecclesiæ consuetudinem antiquam, nemo admittebatur ad Ordines, nisi post accuratam inquisitionem, et testimonia vitæ illius, ut habetur in Concilio Carthaginens. IV, can. 22, et apud Cyprianum, epistol. 33, sumiturque ex Leone Papa, epistol. 87. Addo præterea, in eo casu non esse dubium omnino negativum, quia ille modus baptismi in peregrino loco præbet aliquam suspicionem ignotæ vitæ, præsertim cum quis velit in alieno loco, ubi incognitus est, ordinari; propter quod peregrini in universum prohibentur ordinari in alieno loco, sine sufficienti testimonio, cap. Inter, de Clericis peregrin.; Concilio Trid., sess. 23, c. 8 de Reform.; et ubi dubium augetur propter loci suspicionem, majus testimonium, majorque cautio postulatur, ut ex Sylvestro, Anastas. et Gregorio refert Gratianus in tribus capitibus, dist. 98. Constat igitur hanc non esse irregularitatem propriam baptismi, sed reduci ad infamiam seu dubiam famam; unde fit, ut nec sit universalis quoad loca, sed ubi fuerit tale dubium, propter quod in canone additur, *In alienis provinciis.* Neque etiam quoad tempora, quia exhibito, vel comparato bonæ vitæ testimonio, et ablato dubio, cessat impedimentum.

10. *Quinta exceptio.* — Quinta exceptio est, quando de alicujus baptismo dubitatur; nam stante illo dubio, ad Ordines admittendus nemo est. Sumitur ex cap. Placuit, de Infantibus, de Consecr., dist. 4, quatenus dicit, eum, qui non probatur baptizatus certo testimonio, pro non baptizato habendum esse, quia de ejus baptismo dubitatur. In eo ergo casu non poterit quis cum tali impedimento ad Ordines promoveri. Illa vero non est specialis irregularitas aliquo jure lata, nullum enim extat; sed est quædam prohibitio ex natura rei; nam in re tam gravi non debet quis operari cum tali dubio; maxime cum res possit vergere in grave damnum aliorum. Deinde reducitur ad generale impedimentum ex fama dubia ortum. Nam si dubium procedens de dignitate personæ impedit Ordines, multo magis id faciet dubium de capacitate personæ; imo potest hoc reduci ad impedimentum incapacitatis, quam irregularitatis. Quando autem hoc dubium sufficiens sit, sumi potest ex his, quæ in 3 tom., disp. 22, sect. 2, tractavi; nam illud dubium, quod fuerit sufficiens, ut possit aliquis sub conditione rebaptizari, sufficiet etiam, ut non possit ordinari, donec vel tale dubium tollatur, vel baptismus iterum suscipiatur; dubium autem, quod adeo est leve, ut iteratam susceptionem baptismi sub conditione licitam non reddat, neque susceptionem Ordinum impedire poterit, quia primum vere constituit rem moraliter dubiam, non vero secundum.

11. *Sexta exceptio.* — *Exceptio non comprehendit baptizatos in infantia.* — Sexta exceptio est de his, qui baptizantur ab hæreticis, quos eo ipso esse impeditos ad Ordines suscipiendos, colligitur ex cap. Ventum est, 1, quæst. 1, ubi Innocentius I ait legem Ecclesiasticam esse, *ex his, qui ab hæreticis veniunt, et ibi baptizati sunt, neminem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare.* Idem habetur ex cap. Qui in qualibet, 1, quæst. 7. Hoc autem impedimentum multis rationibus potuit imponi. Prima est in odium talis ministri hæretici baptizantis; atque hoc modo interpretatur hanc irregularitatem Maiol., lib. 2, cap. 12, citatque prædicta jura, in quibus nullum verbum est, quo hæc ratio insinuetur. Inde tamen infert, baptizatos ab hæreticis, etiam in infantia, manere irregulares, ita ut pervenientes ad ætatem adultam sine dispensatione ordinari non possint, quamvis talis dispensatio magna facilitate eis concedi debeat, cum adultis nunquam, vel raro concedenda sit; citatque in

hanc sententiam Gloss., in cap. Placuit, 1, quæst. 4, faventque generalia verba textus in dicto cap. Qui in qualibet ætate, etc. Nihilominus censeo, per se loquendo, omnes, qui ante usum rationis baptizantur ab hæreticis, non manere irregulares. Ita enim habetur expresse in dict. cap. Placuit, et in cap. Qui apud, 1, quæst. 4. Et hoc potius tenuit Gloss. ibi, et in dict. c. Qui in qualibet, ubi addit limitationem, *in qualibet ætate adulta*, vel *discretionis*. Et declaratur, nam cum hæc jura videantur opposita, ita sunt concilianda, ut rigor temperetur, et amplietur favor, quantum verba textuum patiuntur; sed hæc expositio et conciliatio favorabilior est, et magis accommodata proprietati legum. Nam priora decreta dicunt, infantem baptizatum ab hæretico posse ordinari; quod si subintelligamus posse ex dispensatione, frivola facimus illa decreta, quia hoc per se notum erat, præterquam quod posse absolute, non est posse ex dispensatione; et præterea, quia verba textus sunt : *Non impediat, non debet impedire*. Melius ergo intelligitur, in alio textu esse sermonem de ætate adulta, quia cum sit lex pœnalis, optime refertur ad eos, qui sunt capaces culpæ. Quod satis etiam insinuant verba illa : *Quibus satis esse debet, quod in Catholicorum numero sunt recepti*. Hæc enim verba indicant rigorem et indignationem in eos, qui crimen hæresis admiserant, vel voluntarie cum hæreticis communicaverant.

12. *Quorumdam limitatio conclusionis positæ. — Improbatur.* — Unde nec dicendum est priora decreta fuisse abrogata per dictum cap. Qui in qualibet, quod editum fuit a Felice III, cum Concilio Romano. Hoc, inquam, admittendum non est, quia ubi leges possunt conciliari, non est admittenda derogatio, præsertim cum non sit expressa, et priora decreta sint etiam auctoritate Romani Pontificis confirmata ut ex gestis Africani Concilii constat. Addunt vero aliqui limitationem, nisi infans baptizatus ab hæretico, postea in ætate adulta consenserit in illius hæresim. Ita refert Turrecrem., dict. cap. Placuit, qui de hoc nihil definit. Favere tamen videntur huic sententiæ verba illa capit. Quidquid : *Posteaquam ad ætatem rationis capacem pervenerunt, agnita veritate falsitatem eorum abhorrentes, ad Ecclesiam Dei Catholicam recepti sunt*. Sed ibi non postulatur, ut postquam hi pueri pervenerunt ad ætatem adultam, nunquam consenserint erroribus eorum, inter quos geniti, et educati fuerint; hoc enim moraliter loquendo, impossibile est; sed postulatur solum ut tandem aliquando agnita veritate errores deserant, et ad Ecclesiam convertantur. Quapropter non censeo esse necessariam illam limitationem quoad hanc irregularitatem; nam de alia, quæ incurritur ex peccato hæresis, postea dicemus.

13. *Irregularitas hæc non fundatur in dubio de baptismo ab hæretico dato.* — Alia ergo ratio hujus irregularitatis esse potest dubitatio, quæ de veritate baptismi ab hæretico collati sæpius habetur, et juxta hanc rationem irregularitas hæc non est distincta ab alia paulo antea tractata de dubio baptismo, sed continet tantum specialem quamdam rationem, ex qua potest oriri tale dubium. Sed non existimo esse hoc fundamentum illius irregularitatis. Primo, quia in jure ponitur ut specialis et distincta ab alia. Secundo, quia hæc ratio tam in infantibus quam in adultis locum habet. Tertio, quia hoc dubium non semper intervenit in baptismo ab hæretico dato. Et quando revera subest tale dubium, non tantum impedit Ordines, sed etiam omnia alia sacramenta, et propria munera hominis Christiani, quia talis homo non admittitur ab Ecclesia ut baptizatus, donec sub conditione iterum abluatur. Declaratur, quia vel hæreticus, qui baptizat, errat formaliter circa essentialem ritum baptismi, vel non; si non errat, non est, cur de veritate talis baptismi dubitetur; nam certissimum de fide est hæreticum verum baptismum conficere, si essentialia adhibeat; de quo non est cur dubitetur eo quod hæreticus sit, cum in hoc non sit hæreticus, ut supponimus. Neque etiam ulla est ratio dubitandi de intentione, nisi aliquod peculiare odium, vel quidpiam simile interveniat, quod contingere potest in quolibet malo ministro, etiamsi hæreticus non sit. Si tamen hæreticus formaliter erret circa essentialia baptismi, talis baptismus ab Ecclesia non recipitur, ut de Paulianistis, et aliis similibus tradit Concil. Nicænum, c. 19, et Concil Arelat. II, cap. 16, et Augustin., contra Hæreses, c. 44, et de Eccles. dogmat., cap. 62.

14. *Sed in delicto suscipiendi baptismum ab hæretico. — Corollarium.* — Superest igitur, ut propria causa hujus irregularitatis sit crimen quod quis committit voluntarie suscipiendo baptismum ab hæretico; et hanc exceptionem admittimus in assertione proposita. Ut enim alibi latius declaravi, peccatum, quod in ipsa actuali susceptione baptismi

committitur, et sub jurisdictionem Ecclesiæ cadit, et materia confessionis esse potest, ideoque etiam potuit ab Ecclesia puniri. Meritoque talis pœna propter illud imposita est; nam qui hoc modo baptismum suscipit, et fautor hæreticorum est, et de hæresi non parum suspectus. Hinc vero colligitur, quoties aliquis sine culpa a tali ministro baptismum suscipit, excusari ab irregularitate, quia irregularitas, quæ pœnalis est, non habet specialem significationem, nec incurritur cessante culpa. Quando autem hoc possit fieri sine culpa, in materia de baptismo explicatum est; et omnes casus revocantur ad ignorantiam probabilem, et justam necessitatem.

SECTIO II.

Utrum, per indebitam alterius sacramenti susceptionem extra Ordines incurratur irregularitas.

1. *Conclusio. — Tripliciter susceptio sacramenti iniqua esse potest.* — Quoniam de sacramento Ordinis specialiter dicendum est, ideo de cæteris specialis statuitur regula, per nullius sacramenti susceptionem, quantumvis indignam et peccaminosam, contrahi irregularitatem ratione delicti. Probatur primo, quia nulla talis irregularitas est in jure expressa. Secundo declaratur ratione, quia tribus modis contingit susceptionem sacramenti esse indebitam : primo quia recipitur sacramentum cum obice ad effectum ejus, quæ culpa adeo est universalis et communis, ut non fuerit expediens, propter illam, irregularitatem imponi. Secundo modo peccatur suscipiendo sacramentum contra specialem prohibitionem Ecclesiasticam per censuras, et de hoc habemus expressum jus, per solam susceptionem sacramenti contra censuram non incurri irregularitatem, in c. Si celebrat, de Cleric excom. minist., ubi dicitur, qui minori excommunicatione ligatus est, irregularis non fieri, quia non a collatione, sed a sola perceptione sacramentorum est remotus. Quæ ratio manifeste supponit, solam perceptionem sacramenti, quantumcumque sit per censuram prohibita, non esse sufficientem rationem irregularitatis, juxta dispositionem juris, ut in superioribus late tractatum est. Tertio modo peccatur suscipiendo sacramentum contra debitum ritum ejus, sive essentialem, sive accidentalem; et de hoc genere culpæ in prædictis sacramentis nihil est in jure dispositum quoad irregularitatis pœnam, quia hic defectus magis punitur in ministrante quam in recipiente.

2. *Inductione conclusio suadetur. — De confirmatione. — De Eucharistia.* — Tertio ostenditur proposita regula inductione facta in quinque sacramentis. Primum est confirmatio, de qua solum potest dubitari, an per iteratam susceptionem ejus incurratur irregularitas; nam id affirmant Navarr., cap. 27, num. 247, et Maiol., lib. 3, cap. 15, qui alios refert, et dicit esse communiorem Canonistarum, cum Gloss., in cap. Dictum est, de Cons., dist. 5, per textum ibi; sed de hac re dictum est in 3 tom., disp. 38, sect 1, ubi sententiam contrariam probabiliorem censui, cum Soto, Covarr., Paludan., et aliis, quia nullo jure fertur hæc irregularitas, et argumentum a simili non sufficit. Secundum sacramentum est Eucharistia, circa quod solum est advertendum, sæpe in hoc sacramento conjunctam esse actionem cum receptione, ut in celebrantibus, et tunc indigno usui illius sacramenti aliquando adjuncta est irregularitas, ideoque distinguere oportet rationem formalem, propter quam est adjuncta; ponitur enim propter indignum ministerium, non propter susceptionem, argumento dict. cap. Si celebrat, quod latius patebit ex dicendis sect. 4. Ubi autem reipsa separatur susceptio a ministerio, nunquam habet in jure adjunctam irregularitatem.

3. *De Pœnitentia. — Discrimen inter publicam et solemnem pœnitentiam. — An per publicam pœnitentiam fiat quis irregularis. — Prima sententia.* — Tertium sacramentum est pœnitentia, circa cujus usum, si præcise ratio sacramenti spectetur, clarum est non inducere irregularitatem; aliquando tamen in jure, qui sunt in actione pœnitentiæ, ab Ordinum susceptione excluduntur, ut patet ex cap. Ex pœnitentibus, d. 50, cum aliis similibus. Illa autem decreta loquuntur de solemni pœnitentia, quæ olim in Ecclesia fiebat, ut omnes expositores, et Summistæ docent. De qua pœnitentia, et irregularitate illi annexa, multa scribit Maiol., lib. 3 de Irregular., cap. 2 et 3. Nihilominus tamen Angel., verb. *Irregularitas,* num. 49, et Sylvest., quæst. 17, cum Innocentio, et Hostiense affirmant, hodie non habere locum hanc irregularitatem. Quorum fundamentum esse videtur, quia licet illa jura non sint formaliter revocata, ut sic dicam, tamen fundamentum eorum sublatum est per non usum, nimirum, solemnis illa pœnitentia. Oportet enim distin-

guere inter publicam, et solemnem pœnitentiam. Publica enim dicitur omnis illa pœnitentia, quæ publice coram omnibus fit; solemnis vero dicebatur olim quæ speciali ritu fiebat in Ecclesia, ut in superiori libro tetigimus, et Bellarmin latius prosequitur, lib. 1 de Pœnitent., cap. 21 et 22, ubi plures differentias constituit inter solemnem, et publicam pœnitentiam, inter quas una est, quod irregularitas non per quamcumque pœnitentiam publicam, sed per solemnem, quæ semel tantum fiebat, incurrebatur. Hoc posterius constat ex Syricio Papa, epist. ad Himerium, cap. 14, et habetur in cap. Illud, d. 50, ubi duo dicuntur, scilicet, post hanc pœnitentiam neminem esse ad Ordines assumendum, et talem pœnitentiæ modum non esse clericis imponendum. Ubi similia habentur ex Leone P., et ex Concil. Carthagin. V, in cap. Confirmandum, et in cap. Alienum. Primum vero, quod scilicet per pœnitentiam non solemnem, sed tantum publicam, non incurratur irregularitas, tenent Antonin., 2 part., tit. 28, cap. 6, § 1; Sylvest. et Angel.; ideoque etiam clericis imponi potest, ut colligitur ex cap. Quæsitum, de Pœnitent. et remiss. Neque obstat, quod in cap. penult., d. 50, ex Concilio Toletano I, cap. 2, dicitur, eum vocari pœnitentem, qui post baptismum propter gravissima crimina publicam pœnitentiam gerens, reconciliandus est, quia in antiquis canonibus publica pœnitentia dicitur de solemni, quasi per antonomasiam, et fere semper additur aliquid, quod solemnitatem pœnitentiæ indicat, ut ibi interponuntur hæc verba, *sub cilicio divino,* vel *sub concilio,* ut alia habet littera. Quia ergo hoc tempore solemnis pœnitentia cessavit, ideo hæc etiam irregularitas dicitur jam non esse in usu, quia licet publicæ pœnitentiæ nunc fieri soleant, ex illis vero nunquam orta est hæc irregularitas.

4. *Secunda sententia. — Resolutio.* — Nihilominus Maiol., lib. 2, cap. 2, in fine, dicit etiam nunc posse hanc irregularitatem ex solemni pœnitentia esse in usu, quamvis facilius dispensetur quam olim; et cap. 3, quamvis in principio dicat per publicam pœnitentiam irregularitatem non incurri, postea vero ita hoc declarat, ut per publicam etiam pœnitentiam impediri Ordinum susceptionem sentiat; tamen in juribus, quæ citat, confundit profecto publicam pœnitentiam cum solemni. Quapropter absolute negandum est, per publicam pœnitentiam impediri aliquem, ne ad Ordines promoveatur, si laicus sit, vel ne Ordines exerceat, si jam sit promotus; nullo enim jure lata invenitur hujusmodi irregularitas. Excipienda tamen est specialis ratio infamiæ, nam si contingat ex tali pœnitentia consurgere gravem infamiam, illa poterit esse impedimentum ad Ordines, non propter speciale jus pertinens ad hos pœnitentes, sed propter alia, quæ generatim infames excludunt, de quibus infra videbimus. Ideoque valde observandum est an pœnitentia ita sit publica, ut tamen causa maneat occulta; nam tunc regulariter vel nulla, vel multo minor infamia generatur, quam si causa etiam cum culpa in publicam notitiam veniat. In quo etiam magna solet esse diversitas, si pœnitentia sit voluntaria, vel si sit coacta. Voco autem voluntariam, sive proprio arbitrio fiat, sive in foro pœnitentiæ sit injuncta, nam utroque modo non solet creare infamiam, vel quia culpa semper latet, et interdum solent viri timorati propter leviores etiam culpas, graves pœnitentias assumere, vel certe licet gravis culpa aut in specie, aut saltem in genere in publicam suspicionem veniat, non cedit in infamiam (nisi fortasse in aliquo casu raro), quia ipsamet emendatio per voluntariam pœnitentiam tollit infamiam, si aliunde non fundetur et foveatur, quod extrinsecum est. Coactam vero pœnitentiam voco quæ in foro contentioso imponitur, et hæc solet magnam infamiam generare, ut infra videbimus.

5. *De extrema unctione. — De matrimonio.* — Quartum sacramentum est extrema unctio, pro cujus indigna sumptione neque irregularitatem, neque aliam pœnam invenio in jure latam. Quintum est matrimonium, in quo nonnulla distinctione hic opus est; contrahitur enim sæpe irregularitas per matrimonium; illa tamen non est ratione delicti, nec propter indignam sumptionem, prout nunc loquimur, sed propter defectum in significatione sacramenti, ut postea circa bigamiam explicabimus. Unde per secundas nuptias mortua prima uxore, vel per matrimonium cum vidua, etiamsi honeste et sine ulla culpa fiant, irregularitas contrahitur. Verum est tamen sæpe imponi propter nuptias illicitas, quales sunt secundæ, vivente prima uxore; tamen etiam tunc non est culpa prima et per se ratio talis irregularitatis; cujus signum est, quia licet culpa per ignorantiam excusetur, irregularitas non impeditur. Maxime vero videri potest talis irregula-

ritas propter culpam imponi, quando quis post solemne votum castitatis matrimonium contrahere tentat, ut infra citato loco videbimus; tamen, si quæ culpa ibi consideratur, non tam est irreverentia in sacramentum matrimonii, illud irrite contrahendo, quam injuria, quæ fit priori matrimonio spirituali per votum solemne contracto, illud, quantum in se est, irritum faciendo, juxta illud Pauli, 1 ad Timoth. 5 : *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ac deinde non ita consideratur culpa, quin etiam consideretur similitudo quædam duplicis matrimonii, licet unum spirituale sit, et aliud carnale, ratione quorum etiam ibi intervenit defectus quidam significationis in illa irregularitate imponenda, in cujus causa, moraliter loquendo, nunquam potest culpa excusari, et ideo non potest ibi satis distingui ratio culpæ vel alterius defectus. An vero excusata culpa in aliquo casu excusetur etiam irregularitas, dicam infra in proprio loco. Satis igitur ex dictis explicata manet generalis regula posita, per indignam susceptionem horum sacramentorum non incurri irregularitatem, circa quam nec specialem exceptionem, nec novam difficultatem invenio.

SECTIO III.

Utrum per illegitimam Ordinum susceptionem aliqua irregularitas contrahatur.

1. *Varii casus hujus regulæ. — Primus.* — Varii numerantur casus ab auctoribus, in quibus fit aliquis irregularis, indebito modo Ordines suscipiendo. Primus est, quando quis Ordines accipit ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui quoad locum et dignitatem, juxta cap. 1, sub illo titulo. Secundus de illo, qui ordinatur ante legitimam ætatem. Tertius de ordinato ab Episcopo alieno sine licentia proprii. Quartus de recipiente Ordines extra tempora sine dispensatione. Quintus de ordinato non servatis interstitiis. Sextus de ordinato per saltum. Sed hos supra de suspensione explicuimus, et sufficienter tractavimus, ubi tres etiam alios enumeravimus de Censuris, quos hic ad irregularitatem applicare necesse est.

2. *An irregularis, qui absque dispensatione ordinatur, aliam irregularitatem incurrat. — Decisio dubii. — Objectio. — Solvitur.* — Septimus casus erat de illo, qui ligatus censura Ordines suscepit, quem etiam diximus non proprie irregularitatem, sed suspensionem incurrere. Hic ergo similis casus ponitur de irregulari, qui sine dispensatione Ordines suscipit; hunc enim novam irregularitatem incurrere, asseruit Archidiaconus, in cap. Apostolicæ, dist. 56, quem refert, et sequitur Maiolus, lib. 4, cap. 33. Sed advertere oportet, duobus modis posse intelligi hunc manere irregularem, seu impeditum ab executione Ordinis sic suscepti. Primo ex vi prioris irregularitatis cum qua Ordines suscepit; et hoc manifestum est, quia illa irregularitas non fuit ablata per iniquam Ordinis susceptionem, ut per se patet, alias ille commodum ex sua iniquitate reportaret. Quamvis ergo irregularitas illa non potuerit impedire valorem Ordinis, et impressionem characteris, manet tamen, et operatur quantum potest, impediendo et reliquos Ordines suscipiendos, et usum susceptorum. Alio vero modo potest intelligi, præter hanc irregularitatem, incurri novam, ita ut dispensatio in priori non sufficiat ad usum talis Ordinis. Et hanc non invenio in jure latam, quia solum loquitur de eo, qui ligatus censura ordinatur; irregularitas autem non est censura. Sicut supra dictum est, irregularem celebrando, aut ministrando sacramentum aliquod ex officio, non incurrere novam irregularitatem, quia hæc solum lata est pro his, qui cum sint censura ligati, administrant; sed eodem modo loquuntur jura de suspensione eorum qui recipiunt Ordines censura ligati; ergo ex vi illorum jurium non incurrunt novum impedimentum. Dices : qui sic ordinatur in aliquo superiori Ordine, eo ipso administrat in ordine inferiori ; quia Ordo superior recipi non potest, nisi cum habitu et ministerio inferioris; ergo novam irregularitatem incurret. Respondetur primo illud non esse proprie ministrare in tali Ordine, quia licet sit aliqualis usus ejus, magis est passivus quam activus, quatenus Ordo inferior est dispositio ad superiorem. Secundo negatur consequentia, quia etiam irregularis ministrans in Ordine, quem habet, non incurrit novam irregularitatem, aut suspensionem. Unde laicus irregularis non incurrit novam irregularitatem recipiendo Ordinem cum prima tonsura, ut idem auctor fatetur, quia hoc non est expressum in jure; ergo idem dicendum est de quocumque clerico irregulari suscipiente superiorem Ordinem, quia etiam de illo non est talis irregularitas in jure expressa, nec continetur in illa generali regula, quod administrans Ordinem ligatus censura fit irregu-

laris. Et confirmatur ex cap. Aliquam, d. 51, ubi irregulares sic ordinati deponi jubentur; sic enim ait Innocent. Papa, *deponatur*, sicut ibidem dicitur, Episcopum ordinantem clericum irregularem deponendum esse, id est, suspendendum; ex vi tamen illius legis neque irregularitatem, neque aliam pœnam incurrit.

3. *Irregularis etsi ordinetur, et in Ordine suscepto ministret, non incurrit novam irregularitatem. — Maioli dictum rejicitur.* — Unde ulterius infertur, licet aliquis irregularis ordinetur, et in Ordine sic suscepto ministret, non incurrere novam irregularitatem. Probatur, quia ille per talem ordinationem non incurrit novam censuram suspensionis, quia hæc etiam lata non invenitur; ergo quamvis in Ordine sic suscepto ministret, non ministrat excommunicatus aut suspensus, sed irregularis tantum; sed propter hoc peccatum non est in jure irregularitas imposita, ut supra dictum est : ergo. Ait tamen Maiolus, in eo casu, irregularitatem ex Episcopali fieri Papalem, citans Gloss., in cap. Latorem, de Cleric. excomm. ministr., quæ de hac re nihil loquitur. Unde etiam ad hoc non invenio in jure fundamentum. Addi hic posset, quod per motum proprium Sixti V contra male promotos, irregularis suscipiendo Ordinem, licet immediate non incurrat novam irregularitatem, incurrit novam censuram perpetuæ suspensionis Papæ reservatam, et si ante absolutionem in suscepto Ordine ministret, novam induet irregularitatem. Sed hoc etiam revocatum est, ut supra notavi.

4. *Nonus casus de ordinato ab Episcopo irregulari. — Ordinatus ab Episcopo irregulari non accipit Ordinis executionem.* — Nonus casus erat de ordinato ab Episcopo excommunicato vel suspenso, quem diximus non manere proprie irregularem, quod idem a fortiori est de ordinato ab Episcopo irregulari, quia non invenitur in jure. Diximus autem ibi, hunc ordinatum ab Episcopo censura ligato, non recipere Ordinis executionem. Quæri ergo hic potest, an idem sit de ordinato ab Episcopo irregulari, videtur enim ex dictis oppositum sequi, quia ex jure antiquo solum ille privatur executione Ordinis, qui ordinatur ab Episcopo censura ligato; sed ille, qui est tantum irregularis, non est censura ligatus; ergo qui ab illo suscipit Ordines, non incurrit hanc pœnam, vel impedimentum. Nihilominus dicendum censeo, hunc non recipere Ordinis executionem, quamvis illa non sit proprie irregularitas, sed suspensio quædam, ut in similibus satis est declaratum. Ratio vero hujus assertionis est, quia jura generaliter disponunt, ut qui non habet usum Ordinis, non possit illum conferre, nec limitantur ad unum, vel alium modum carentiæ, ideoque illa ratione utuntur, quod nemo dat quod non habet; sed Episcopus irregularis non habet usum Ordinum, seu consecrationis suæ; ergo qui ab illo ordinatur, non recipit Ordinis executionem. Quod procedit etiamsi absque culpa ordinetur, quia hoc impedimentum non tam manat ex culpa ordinati quam ex defectu ordinantis, ut in similibus dictum est.

5. *Decimus casus de eo qui furtive Ordines suscepit.* — Decimus casus ponitur, si quis furtive Ordines suscipiat. Potest autem dici Ordines furtive suscipere etiam ille, qui ficto titulo, vel sine veris dimissoriis litteris ordinatur. Sed de his egimus etiam citato loco, et diximus incurrere suspensionem, non propriam irregularitatem. Hic ergo dicitur furari Ordines, qui sine conscientia et voluntate Episcopi ordinantis, non admissus, neque vocatus sese ingerit cum aliis ordinandis, vel certe qui usurpato nomine alterius personæ examinatæ et approbatæ ad Ordines, illius locum occupat; vel e converso qui sub nomine suo facit alium examinare et approbari, et postea ipse proprio nomine vocatus, ad Ordines accedit. In his enim casibus propriissime dicitur aliquis furtive Ordines suscipere, et sic suscipiens, irregularis fieri dicitur ex cap. 1 et ult. de Eo qui furtive Ordin. suscipit, ubi Gloss. et omnes hoc modo exponunt furtivam ordinationem. In cap. autem 1 illorum expresse dicitur, eum, qui furtive diaconatum accepit, non posse ad sacerdotium ascendere absque dispensatione; ergo contraxit aliquod impedimentum canonicum, quod non est nisi irregularitas, cum directe removeat ab Ordinis susceptione. In cap. autem ult. solum dicitur, sic ordinatos de juris rigore in susceptis Ordinibus ministrare non posse, quæ verba magis videntur indicare suspensionem. Verumtamen conjungenda est hæc pœna cum ea, quæ in priori capite ponitur, ut intelligatur uterque effectus ex irregularitate provenire. Considerari etiam potest in casu illius ultimi capitis duo delicta fuisse commissa : unum fuit furtive Ordines suscipere; aliud duos Ordines sacros eodem die accipere. Propter primum ergo incurritur irregularitas; propter

secundum vero propria suspensio, et ideo fortasse illis verbis usus est Pontifex, quæ utrique pœnæ possent accommodari, nam sine dubio pœnæ sunt distinctæ, et diversis indigent dispensationibus, seu una, quæ in utramque causam distincte propositam cadat. Dispensatio autem hujus irregularitatis in eisdem juribus committitur Episcopo cum duplici conditione. Prima est, ut denunciatum non fuerit ab Episcopo, vel Archidiacono, vel alio ministro, sub excommunicationis interminatione ipso facto incurrendæ, ne quis se furtive ingerat; nam in eo casu, qui contempta excommunicatione furtive suscipit Ordines, non potest ab Episcopo dispensari, nisi sub aliqua conditione, quæ est, ut religionem ingrediatur, et condignam pœnitentiam agat, ibique aliquo tempore laudabiliter vivat. Nunc autem juxta communem usum semper Episcopi consueverunt illam admonitionem sub excommunicationis pœna proferre, prout etiam in Pontificali continetur; et ideo jam prima conditio locum non habet, sed pro generali regula statui potest, hanc irregularitatem Papæ esse reservatam, nisi is qui illam incurrit religiosus fiat.

6. *Undecimus casus de eo, qui Ordinem semel assumptum iterum recipit. — In eo casu non incurri irregularitatem.* — Undecimus casus addi solet de illo, qui iterum suscipit Ordinem, quem semel suscepit, ex illo principio, quod per iterationem sacramenti initerabilis, fit irregularis, qui illud recipit. Quod tenuit Div. Antoninus, 3 part., tit. 28, cap. 6, § 3, quem secutus est Navarrus, in Summa, cap. 27, num. 247, et lib. 1 Consiliorum, tit. de Sacramentis non iterandis, consil. 1. Et Maiolus, lib. 3 de Irregular., cap. 15, qui alios refert. Solet autem hæc irregularitas colligi primo ex cap. 1, dist. 68, ubi dicitur : *Sicut semel baptizatus iterum baptizari non debet, ita nec semel consecratus posset iterum consecrari;* ibi tamen de irregularitate nihil dicitur. Citatur etiam textus in cap. Saluberrimum, 1, quæst. 7. Sed ibi non agitur de clericis reordinatis, sed de clericis, qui ab hæresi revertuntur, de quibus dicitur admitti posse in Ordine jam suscepto, non tamen esse ulterius promovendos. Additurque hæc limitatio et conditio, *Si tamen iterata tinctione non fuerint maculati,* ex qua conditione potius colligi posset generalis regula contraria, eos, qui iterata tinctione non fuerint maculati, etiamsi iterata unctione seu consecratione maculati fuerint, admitti debere in susceptis Ordinibus, quia in eo textu illa exceptio firmat regulam in contrarium; atque ita fit, eos ex illo capite non fieri irregulares; nam quod dicitur ibi, *Ad superiores Ordines ascendere non permittuntur,* non est propter iterationem Ordinis, sed propter hæresim, seu propter ordinationem ab hæreticis susceptam. Sed urgentur tandem hæc jura ex paritate rationis; nam æque prohibita est Ordinis iteratio, ac baptismi, ut præter dicta jura constat ex Augustino, lib. 2 contra epist. Parmeniani, cap. 13, et ex D. Thom., 3 part., quæst. 63, et 4 contra Gentes, cap. 59. Verumtamen (ut sæpe dixi) hæc argumentandi ratio insufficiens est ad irregularitatem, juxta cap. Is qui, de Sent. excomm., in 6. Quapropter existimo veriorem esse sententiam, quæ negat in eo casu incurri irregularitatem. Quam tenet Scotus, in 4, dist. 7, quæst. 5, et ibi Paludan., Gabriel, et alii, quos refert et sequitur Covarruv., in Clement. *Si furiosus,* in princip., num. 8, ubi ex professo quidem loquitur de sacramento confirmationis; tamen in fine sentit idem esse de Ordine, quam consecutionem omnes admittunt, et ideo videnda sunt, quæ de iteratione confirmationis diximus in 3 tom., disput. 38, sect. 1, nam ex illis sufficienter hæc sententia confirmatur.

7. *Duodecimus casus de eo qui existens in peccato mortali publico, Ordines suscepit.* — Duodecimo dicitur irregularis, qui existens in peccato mortali publico et manifesto Ordines suscipit. Ita affirmat Maiol., lib. 5, cap. 1, num. 2, ubi idem dicit de ipso ordinante eum, qui est in tali statu. Idque probat ex Concilio Nicæno, cap. 2, et habetur, cap. 1, dist. 48, in quo post sermonem de neophytis, et eorum irregularitate, subjiciuntur hæc verba : *Si vero processu temporis aliquod delictum animæ circa personam reperiatur hujusmodi, et a duobus, vel tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat,* vel (ut Gratianus legit) cesset a clero, ubi Glossa exponit, id est, *non ordinabitur.* Quæ verba irregularitatem indicant. Verumtamen, etiamsi expositionem admittamus, inde non colligitur irregularitatem induci ex tali ordinatione, sed supponi ad illam, ratione peccati, de qua irregularitate qualis sit, disputatione sequenti, sect. 5, videbimus. Deinde illa verba potius indicant depositionem, vel suspensionem, non jure illatam, sed per hominem imponendam, ut eadem Glossa melius exponitur ex cap. ult., dist. 24. Et patet, nam ideo requiritur probatio per

testes, quia per judicem ponenda est pœna; non est ergo irregularitas. Et idem clarius est de ordinatione, de quo solum dicitur, *periclitabitur de statu sui cleri.* Apertior autem est alia translatio ejusdem Concilii ex Arabico, quæ in cap. 3 sic habet : *Quod si Episcopus aliquem cito ordinaverit, in quo aliquod peccatum gravius postea reperiatur, et duo, aut tres testimonium dicant, uterque deponendus est, et ordinatus, et ordinator.*

8. *Tertius decimus casus de ordinato ab Episcopo non baptizato aut non consecrato. — Rejicitur in uno sensu.* — Decimo tertio dicitur irregularis, qui ordinatur ab Episcopo non baptizato, vel non sacerdote, vel in universum non consecrato Episcopo. Ita Maiolus, lib. 4, cap. 27, 28 et 29. Duobus autem modis potest intelligi sic ordinatum manere irregularem : uno modo quantum ad usum Ordinis sic suscepti. Et hoc vel supponit falsum, vel repugnantiam involvit; nam, si supponat illum mansisse ordinatum, falsum est, quia Episcopus non vere consecratus non potest valide ordinare; si autem supponamus illum non recepisse talem Ordinem, repugnat esse irregularem quoad usum ejus. Quia ille non manet privatus usu, sed negatus (ut sic dicam); neque illa est pœna, sed defectus intrinsecus talis actionis. Denique in tali Ordine manet ille, sicut antea erat impotens ad talem usum; non ergo irregularis. Alio ergo modo potest intelligi hæc irregularitas respectu aliorum Ordinum rite susceptorum vel suscipiendorum, ita ut ille propter talem ordinationem, tametsi nullam, impeditus maneat, et ad usum Ordinum, si quos habebat, et ad illummet Ordinem et alios superiores rite suscipiendos. Et in hoc etiam sensu affirmat dictus auctor hunc manere irregularem, sive scienter, sive ignoranter sic ordinatus fuerit; nullum tamen jus adducit, in quo hæc irregularitas lata sit, sed quosdam Doctores.

9. *In altero sensu etiam rejicitur idem casus.* — Nullius tamen auctoritas sufficit ad probandam irregularitatem sine jure, cum ipsum jus nolit eam incurri, nisi ubi fuerit in jure expressa. Et quidem quando intervenit probabilis ignorantia, et bona fides, improbabilis mihi apparet hæc sententia; nam talis irregularitas non potest esse pœna, cum tunc non interveniat culpa. Neque etiam est ob aliquam significationem, neque ob defectum ordinati, quia nullum committit; neque etiam ob defectum ordinantis; satis enim est, ut nihil conferat, quia nihil habet; quod autem inhabilitet etiam personam ad aliam ordinationem sine culpa ejus, præter omnem rationem et æquitatem existit. Quin potius addo contra eumdem auctorem, licet sic ignoranter ordinatus, cum eadem bona fide exercuisset Ordinem, quem vere putat recepisse, adhuc non fieri irregularem; nam, ut infra ostendam, irregularitas propter usum Ordinis non habiti non incurritur sine culpa. At vero quando aliquis scienter ordinaretur a tali Episcopo, gravissimum quidem peccatum committeret, et irregularitate fortasse dignum; tamen quia in jure illam de facto latam non invenio, ideo illam incurri nego ex vi criminis, sed arbitrio superioris aliter puniri poterit. Secus vero erit ex vi infamiæ, si crimen ipsum publicum sit, juxta generalem doctrinam de infamia infra tradendam. Secus item erit, si in Ordine suscepto ille scienter ministraverit, nam tunc habet locum alia irregularitas tractanda sectione sequente. Idem judicium est de illo, qui dubitans, an Episcopus sit vere consecratus, ab illo recipit Ordines; graviter enim in hoc peccat, quia exponit se morali periculo nihil recipiendi; quod autem propterea irregularis maneat, proprie loquendo, non video quo jure statutum sit. Quanquam dum permanet in tali dubio, impeditus maneat, ne possit licite Ordinem sic receptum exercere, quia alias semper operaretur cum eodem periculo. Et ideo in cap. Presbyteris, dist. 68, dicitur, sic ordinatos, iterum ordinandos esse (scilicet sub conditione) ratione dubii, quod aliter vinci non potest; atque hoc modo, et non aliter esse admittendos ad tale ministerium; id tamen non est propter speciale irregularitatis impedimentum, sed quia intrinsece malum est cum simili dubio operari.

10. *De eo qui ordinatur ab Episcopo omnino illiterato an sit irregularis.* — Decimo quarto dicitur manere irregularis seu suspensus clericus, qui ab Episcopo omnino illiterato ordinatur. Ita Maiol., dict. lib. 4, cap. 31. Quod dupliciter probat, quia illiteratus facile potest errare in his, quæ sunt de substantia et valore ordinationis; ergo ordinatus non est certus de sua ordinatione; ergo manet suspensus ab ejus usu. Secundo, quia Episcopus illiteratus est suspensus ab executione sui Ordinis; ergo qui ab illo ordinatur, manet etiam suspensus, juxta regulam superius positam. Sed hæ rationes non faciunt hanc sententiam moraliter probabilem. Nam

prima, etiam si admittatur, non probat irregularitatem, sed quoddam aliud impedimenti genus, de quo jam dictum est. Deinde hoc etiam non probat; nam quantumvis minister Ordinis sit illiteratus, potest ordinato evidenter constare, an adhibuerit materiam, et formam necessariam ad valorem sacramenti, ut per se notum est. Secunda vero ratio assumit falsum, quia nulla est suspensio ipso facto incurrenda propter solam illiteraturam, ut constat ex cap. ult. de Ætate et qualitate, ubi Papa de quodam Episcopo adeo illiterato, ut grammaticam nesciret, non dicit, *eum suspensum declaramus;* sed, *a Pontificalis officii executione duximus amovendum.* Ubi expositores dicunt, Episcopum sic ignorantem esse secundum jus deponendum, non vero esse ipso jure depositum. Nec fuit expediens talem censuram imponi ipso jure, quia incertum valde est, quæ ignorantia sit sufficiens causa ad talem depositionem; et ideo donec a judice declaretur talis causa, et imponatur pœna, non incurritur. Quod maxime procedit juxta novum jus Concilii Constantiensis in ordine ad præsentem irregularitatem. Nam etiamsi illiteratus esset ipso jure suspensus, nunc non tenetur quis illum vitare, donec nominatim declaratus sit.

11. *Ordinatus ab Episcopo idiomatis diversi, an sit irregularis.* — Decimo quinto dicitur esse irregularis, qui ordinatur ab Episcopo idiomatis diversi, ut Græcus a Latino, vel Latinus a Græco. Ita Maiol., in dict. lib. 4, cap. 32, ex cap. Cum secundum, et cap. Ex parte, de Temporib. ordinat. Sed in priori prohibetur quidem similis ordinationis modus, nulla tamen pœna adhibetur. Verba enim Pontificis sunt : *Nolumus de cætero commistiones et consuetudines rituum in Ordinibus observari.* Cum ergo ibi nulla pœna feratur, nulla irregularitas, aut suspensio incurritur ex vi talis ordinationis, etiamsi cum peccato fiat transgrediendo legem illam. In quo ulterius considero, ibi non prohiberi commistionem propter diversum idioma, sed propter diversos ritus Græcorum, et Latinorum, ut ibi expresse advertit Abbas. Alius autem textus immerito citatur, quia non loquitur de hac materia; et per argumentum a simili posset in contrarium adduci. Nam ibi solum dicitur, monachum, qui ex uno ordine ad alium transit, et ibi ordinatur, posse licite susceptum Ordinem exercere, si aliud canonicum impedimentum ei non obsistat, quia nimirum propter illam ordinationem nulla suspensio jure lata est; simili ergo modo in præsenti nos concludimus. Juvat denique cap. Quoniam, de Offic. ordin., ubi præcipitur, ut in eis Episcopatibus, ubi sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide diversos ritus et mores, constituantur vicarii, qui singulis populis ministrent divina officia et sacramenta, juxta uniuscujusque ritum, et non fiat permixtio, et contra violantes illam legem ponitur excommunicatio ipso facto; et, si non resipuerint, dicuntur deponendi; nulla tamen irregularitas, vel depositio ipso jure imponitur, ideoque nulla incurritur in eo casu, ex omnium sententia; idem ergo est in præsenti casu.

12. *An ordinatus a duobus Episcopis simul fiat irregularis. — Quid si divisio illa fuit in substantialibus Ordinibus.* — Decimo sexto dicitur irregularis, qui a duobus Episcopis simul ordinatur, uno proferente formam, et alio ministrante materiam. Ita Maiol., supra, c. 30. Sed impropriissime hæc inter irregularitates numeratur, quia vel illa divisio ministerii fit in his, quæ pertinent ad substantiam sacramenti, et tunc ordinatio nulla est, ideoque qui sic ordinatus est, non potest dici irregularis ad usum Ordinis sic recepti, ut in simili supra probatum est, quia revera nullum Ordinem accepit. Et ita intelligi potest cap. Quorumdam, d. 23, ubi de quibusdam sic ordinatis dicitur, *gradum sacerdotii vel levitici Ordinis, quem perverse adepti sunt, amittant,* ubi videtur ordinatio fuisse nulla, quia Episcopus cum quodam presbytero ita ministerium diviserat, ut Episcopus manus imponeret, presbyter autem formam proferret; hoc enim ibi significari videtur cum dicitur *benedictionem dedisse.* Hoc autem est contra substantiam ordinationis, quia necesse est, ut forma ab ipso ordinante proferatur etiam in minoribus Ordinibus; et in majoribus simul necessarium est, ut idem ordinator per seipsum substantialem materiam applicet, juxta cap. Subdiaconus, d. 23; in Ordinibus autem minoribus non est semper necessarium, ut Episcopus per se immediate tradat materiam, ut de acolythis significatur in c. Acolythus, d. 23, et fatetur D. Th., in 4, d. 25, quæst. 1, art. 1, ad 2. Sed de hoc alibi latius, nam ad præsens satis est, quando divisio secum affert substantialem defectum, non inducere irregularitatem, sed nullitatem. Unde quod dicitur in dict. cap. Quorumdam, clericos illos debere amit-

tere quod adepti sunt, consequenter exponendum erit, id est, declarari, non habere id, quod adipisci tentarunt, ut ibi Glossa significavit. Nec ex tali ordinatione alia incurritur irregularitas ad usum aliorum Ordinum, si qui erant prius legitime recepti, ut ex prædicto textu aperte colligitur, nam in eo solum dicitur ut amittant quod perverse receperunt. Neque etiam incurritur irregularitas impediens receptionem illius Ordinis non rite suscepti, vel superiorem, ut ex eodem textu eadem proportione colligi potest; et quia in nullo alio jure talis irregularitas expressa est.

13. *Qui absque aliqua cæremonia accidentali necessaria ordinatus est, non potest in Ordine ministrare, donec suppleatur.* — Vel divisio illius ministerii est tantum quoad accidentalem solemnitatem, et tunc si Episcopus omnia, quæ sunt de substantia Ordinis, rite perficiat, ordinatio valida erit, etiamsi alteri committat solemnitatem aliquam accidentalem. Quo sensu intelligit Turrecr. cum aliis dict. c. Quorumdam. Et indicavit etiam Cajetan., 3 part., quæst. 67, art. 6, quamvis priorem etiam interpretationem non rejiciat. Et in eo casu nulla est etiam irregularitas imposita sic ordinato, vel ad usum Ordinis sic suscepti, vel ad superiores recipiendos, quia nullo alio jure invenitur, neque in dicto cap. Quorumdam, fertur, nam ibi non jus statuitur, sed solum refertur sententia lata in quodam particulari facto contra quosdam male promotos; neque illa fuit irregularitas, sed depositionis pœna, quod patet ex Concil. Hispalensi II, cap. 5, ex quo textus ille sumptus est, quod sic habet : *Hi non consecrationis titulum, sed ignominiæ potius elogium perceperunt.* Quæ verba priorem sensum indicant, quamvis juxta phrasim antiquorum canonum possint etiam exponi de ordinatione non substantialiter irrita, sed non convenienter facta juxta Ecclesiæ consuetudinem; juxta hunc vero sensum subditur : *Ne sibi licentiam talis usurpatio faciat, decrevimus, ut agradu sacerdotalis, vel levitici Ordinis, quem perverse adepti sunt, depositi, æquo judicio abjiciantur, tales enim merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti.* Quæ omnia verba nullam continent pœnam ipso jure latam, sed ferendam, etiamsi admittamus cadere super ordinationem substantialiter validam; ergo nullum habemus fundamentum ad asserendum in eo casu incurri irregularitatem. Solum est advertendum, quoties contigerit aliquem ordinari sine aliqua cæremonia, et solemnitate accidentali, juxta ritum Ecclesiæ necessaria, ut esset, v. gr., unctio aliqua, vel manus impositio accidentalis, tunc non debere, neque posse licite sic ordinatum uti Ordine suscepto, donec defectus ille suppleatur, argumento textus in cap. unic. de Sacra unctione, in principio, et in cap. 1 et ult. de Sacramentis non iterandis. Id autem non est propter irregularitatem, vel aliquam pœnam ipso jure impositam; hæc enim nulla est, licet arbitrio judicis sit imponenda juxta Gloss. in cap. Quod sicut, § Super eo, v. *Dividatur*, de Elect. Sed provenit ex eo quod ille non censetur integre et sufficienter ordinatus juxta Ecclesiæ ritum, et ideo donec in ipso compleatur, uti non debet Ordine suscepto, sicut baptizatus sine solemnitate non est confirmandus, donec solemnis ritus baptismi circa illum perficiatur. Potest autem in eo casu secrete suppleri defectus ille per Episcopum absque alia dispensatione, et tunc poterit libere uti Ordine suscepto, et ad altiores ascendere, nisi per aliquam hominis sententiam impediatur.

14. Ultimo loco hic dici posset de illo, qui nondum suscepto confirmationis sacramento ordinatus est, an inde contrahat aliquod impedimentum. Sed quia res est facilis, breviter dicendum est, in eo casu recipi characterem Ordinis, et usum ejus, absque novo impedimento ascendendi ad superiores Ordines. Primum certissimum est, quia character confirmationis, sicut non est necessarius ad valorem aliorum sacramentorum, ita neque ad valorem Ordinis. Secundum etiam patet, quia nullo jure tale impedimentum latum est; nec culpa illa adeo gravis, ut tanta pœna censeatur digna. De qua videri possunt dicta in 3 tomo, disput. 38, sect. 1. Dixi autem non contrahere novum impedimentum, quia ipsamet carentia confirmationis aliquale impedimentum est, et illud semper manet, donec tale sacramentum recipiatur.

SECTIO IV.

Utrum, per indignam Ordinis usurpationem incurratur irregularitas.

1. *Sensus quæstionis.*— Dupliciter administrantur sacramenta, primo a ministro, cui per se et ex officio hoc convenit, qui ad illud munus per se consecratus est ; secundo propter necessitatem a quocumque ministrante, quod peculiare est in baptismo, et extenditur ad matrimonium, quatenus ab ipsismet contra-

bentibus efficitur. Hic ergo non est sermo de posteriori modo; suppono enim ex tali ministerio, etiamsi indigne, aut contra Ecclesiasticam prohibitionem fiat, non incurri irregularitatem, quia non invenitur in jure expressa; agimus ergo de priori modo, qui semper pertinet ad ministerium alicujus Ordinis. Quia vero ministerium Ordinum, et sacramentorum collationem, et plura alia officia Ecclesiastica comprehendit, ideo generaliter de toto usu activo seu ministerio Ordinum dicendum est. Dupliciter autem peccari potest in hoc ministerio, scilicet usurpando ministerium Ordinis non habiti, vel male utendo Ordine habito. Hic de priori modo, de posteriori in sequenti sectione dicemus.

2. *Prima expositio c. 2, quoad suspensionem Ordinis jam suscepti.* — Regula igitur generalis sit, irregularitatem incurrere aliquem Ordinem usurpando, id est, ministrando in Ordine quem non habet. Ita colligitur ex c. 1 et 2 de Cler. non ord. ministr. Duplex enim pœna in eo cap. 1 imponi videtur hujusmodi usurpatori Ecclesiastici ministerii. Prior continetur in illis verbis, *Abjiciatur de Ecclesia,* quæ videntur excommunicationem significare, non ipso jure latam, sed ferendam, nam verbum illud, *abjiciatur*, hominis ministerium requirit. Alia continetur in illis verbis, *Nunquam ordinetur,* quæ aperte significant irregularitatem. Advertendum autem est, hanc irregularitatem incurri posse vel a clerico, vel a laico; a clerico quidem, si ministret in superiori Ordine, quem non habet, et de hoc certum est incurrere hanc irregularitatem, ita ut perpetuo promoveri non possit, ut expresse dicitur in dict. cap. 2. De ministerio autem in Ordine jam suscepto dicitur ibidem, tantum manere suspensum ad tempus ad Episcopi arbitrium. Unde videtur quoad hunc effectum illam non esse irregularitatem, sed suspensionem, atque adeo irregularitatem hanc in clerico non esse totalem, sed tantum quoad Ordines nondum susceptos, cum illa vero conjungi temporale impedimentum suspensionis, quoad Ordinem jam susceptum. Imo si attente legatur dict. cap. 2, non videtur imponi suspensio omnium Ordinum prius susceptorum, sed tantum postremi, seu præcipui ex illis. In casu enim illius textus diaconus sacrificandi officium usurpaverat, propter quod prohibetur ad sacerdotium promoveri, suspenditur autem a *diaconatu.* Unde juxta regulas superius datas de suspensione, ille non videtur mansisse suspensus a subdiaconatu et infra, sicque Abbas ibi dicit, illum manere suspensum a diaconatu, de inferioribus vero nihil dicit.

3. *Secunda expositio.* — At vero Hostiensis latius videtur loqui de Ordinibus susceptis; et eodem modo loquitur Angel., v. *Irregularitas*, n. 38; et Sylvest., v. *Dispensatio;* et significat Navar., n. 243, in fine, et clarius Maiol., lib. 4, cap. 13, n. 3, et alii auctores simpliciter dicunt hunc manere irregularem, nulla facta distinctione de promotione ad Ordines non receptos, vel de usu receptorum. Ac denique in dict. cap. 1, absolute irregularitas fertur pro hoc delicto, talisque est respectu laici, ut statim dicam; cur ergo non similis erit respectu clerici? Juxta quam opinionem aliter exponendum est d. c. 2, nimirum, diaconum illum sacrificando mansisse simpliciter irregularem, et suspensionem, de qua ibi est sermo, non fuisse distinctum impedimentum ab irregularitate, sed ex vi illius ortam, ideoque non tantum esse a diaconatu, sed etiam a reliquis inferioribus Ordinibus. Solum ergo est ibi constituta differentia quoad dispensationem, quia illa irregularitas quoad effectum non ascendendi, non committitur Episcopo, sed Papæ reservata manet, ut Hostiensis, Abbas, Angel., Sylvest., Navarr., et communiter omnes docent contra Glossam ibi. Quæ contrarium sensit, quia talis dispensatio non prohibetur Episcopo. Sed melius colligeret, quia ei non conceditur, ideo eam non habere. At vero dispensatio in illa irregularitate quoad alium effectum non utendi Ordinibus susceptis, conceditur Episcopo in illo textu; nominatur autem specialiter diaconatus, non quia in aliis liceat sine dispensatione ministrare, sed ut significetur, concessa potestate dispensandi in illo, concedi etiam ad dispensandum in inferioribus. Nec obstat, quod illa suspensio videtur fuisse ad tempus, ut indicant verba illa, *biennio vel triennio;* non enim ita est, sed est illa suspensio de se perpetua, donec dispensetur. Nec Pontifex in eo loco præscribit, ut suspensio illa tantum per biennium vel triennium duret, sed potius indicat, ut ante illud tempus non detur dispensatio; concedit autem, ut postea dari possit, ad id tamen non obligat, sed arbitrio Episcopi id committit; hoc enim significant illa verba, *Pro tua maneat provisione suspensus,* id est, secundum quod tibi visum fuerit. Et juxta hanc interpretationem consequenter dicendum est, si talis diaconus, non obstante tali impedimento, in suo Ordine

ministret, non incurrere novam irregularitatem, quia illa non est propria suspensio, sed irregularitas; irregularis autem ministrando non incurrit novam irregularitatem, ut supra visum est.

4. *Prior expositio præfertur.* — Hæ opiniones probabiles sunt; mihi tamen prior magis probatur, tum quia tota illa interpretatio c. 2, minus simplex, minusque usitata videtur, cum tamen ad illam opinionem tuendam videatur necessaria; tum etiam quia materia odiosa potius est lenienda, quam restringenda; per illam vero expositionem plus ampliatur pœna, quam verba legis cogant. Recte ergo intelligitur illa pœna quoad Ordines jam susceptos de suspensione solius diaconatus, quia in lege ita limitatur. Intelligitur etiam optime de suspensione ad tempus, ut expresse Panormitan. exposuit, et patet ex illis verbis, *biennio vel triennio.* Quod autem subjungitur, *pro tua provisione,* intelligitur quoad arbitrium inter illos duos terminos, non vero quod etiam ultra triennium possit voluntate Episcopi amplius durare illa suspensio. Atque ita concluditur, irregularitatem, quam contrahit clericus ministrans in Ordine superiori, quem non habet, tantum esse quoad promotionem ad Ordines superiores, habere tamen adjunctam suspensionem temporalem unius tantum Ordinis jam suscepti, scilicet, illius, qui fuerit supremus inter Ordines jam receptos a clerico. Hinc vero consequenter fit, si diaconus, v. gr., ministret in diaconatu ante ablatam suspensionem, irregularem fieri denuo, quia violat propriam suspensionem.

5. *Clericus per saltum promotus qui in prætermisso ministrat, an sit irregularis.* — *Resolutio.* — Sed occurrit obiter dubium de clerico per saltum promoto ad diaconatum, v. gr., qui ministrat in subdiaconatu, quem prætermisit. Ad hoc dubium respondeo, illum in primis manere irregularem quoad talem Ordinem suscipiendum ex dict. c. 1. Unde fit, ut etiam maneat irregularis ad ascendendum ad superiores Ordines; et consequenter sequitur illum esse perpetuo impeditum ab executione diaconatus, quia irregularitas privans subdiaconatu, privat quantum est ex se diaconatu, ut est manifestum in clerico in minoribus constituto, ministrante solemniter in subdiaconatu, quem non habet; ille enim irregularis manet, ne possit ascendere ad subdiaconatum, et consequenter omnino privatur diaconatu; ergo quando tale impedimentum invenit diaconatum jam receptum (quod accidentarium est), cum non possit ipsum characterem expellere, saltem impedit perpetuo usum ejus.

6. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices : ergo majori pœna afficitur diaconus ministrans in subdiaconatu, quem non habet, quam in sacerdotio, quia propter illud delictum perpetuo privatur usu diaconatus, propter hoc vero solum ad tempus. Item propter illud excluditur a susceptione subdiaconatus et sacerdotii, propter hoc vero tantum sacerdotio privatur. Consequens autem videtur inconveniens, quia illud posterius gravius delictum est. Respondetur, illud non esse absurdum, quia in hac pœna attendendum est ad bonum, quo immediate privat, et hoc majus est in privatione sacerdotii, quam subdiaconatus, licet inde consequatur aliud gravius incommodum. Addo, licet ex parte objecti deformius sit sacrificare sine sacerdotio, quam cantare solemniter Epistolam sine subdiaconatu, tamen quando hoc posterius fit post ordinationem per saltum, et post novum impedimentum inde contractum, majorem intervenire contumaciam, et inde posse delictum augeri, et fieri majori pœna dignum in foro Ecclesiæ. Nihilominus tamen verisimile mihi est, in eo casu non incurri specialem illam pœnam suspensionis a diaconatu latam in dicto cap. 2, quia illa specialiter lata est in eum, qui ministravit in Ordine superiori, quem non habet; et ideo non oportet eam extendere ad eum, qui solum ministravit in inferiori Ordine prætermisso, maxime cum alio titulo privatus maneat executione diaconatus, ut dictum est. Quod si hoc ita est, multum minuitur illa pœna, quia per se privat subdiaconatu, superioribus vero tantum consequutione quadam, ideoque obtenta dispensatione ad recipiendum subdiaconatum, et illo recepto, consequenter manet ablatum omne impedimentum circa superiores Ordines exercendos, vel recipiendos. Ut autem talis dispensatio legitima sit, oportebit in petitione dispensationis exprimere impedimentum illud, ut contractum per administrationem in Ordine prætermisso in altera ordinatione per saltum.

7. Sed quid, si sacerdos simplex ministret in Episcopali Ordine, quem non habet, confirmando, ordinando. Respondeo, per illud ministerium incurrit irregularitatem, quia licet inter Canonistas, et Theologos sit dissensio, an Episcopatus sit Ordo, necne, tamen quoad hunc effectum omnes conveniunt ita esse lo

quendum de functionibus Episcopalis consecrationis, sicut de ministerio cujuscumque Ordinis sacri, quia vel Episcopatus revera est Ordo, vel certe reputatur tanquam Ordo, quatenus essentialiter includit characterem sacerdotalem, qui ex vi talis consecrationis extenditur, et quasi elevatur ad illas functiones, quæ sunt propriæ consecrationis Episcopalis. Unde in prædicto casu sacerdos solum manet irregularis, ne in Episcopum consecrari possit; in sacerdotio vero manebit suspensus biennio vel triennio arbitrio Episcopi; ab executione autem inferiorum Ordinum non manebit impeditus, juxta d. c. 2 de Cler. non ordin. ministr., ejusque intellectum, quem sequimur.

8. *Quid si diaconus Pontificalia usurpet, aut subdiaconus sacerdotalia.* — Sed quid, si diaconus Pontificalia usurpet, aut subdiaconus sacerdotalia? numquid manebit ille irregularis quoad promotionem ad sacerdotium, et hic ad diaconatum? Nam hic casus in textu illo non definitur, et ex eo tantum videtur colligi, puniri hunc in eo, in quo deliquit, id est, ut careat eo, quod usurpavit, ut ibi Glossa et Doctores notarunt; ergo in rigore solum impeditur ascendere ad eum Ordinem vel consecrationem, cujus ministerium usurpavit, non vero ad inferiorem, in quo non ministravit, quia hæc privatio non sequitur ex illa; potest enim quis privari superiori Ordine, quamvis non privetur inferiori, ut per se notum est. Sed fortasse quis dicet usurpationem superioris Ordinis esse virtualem quamdam usurpationem Ordinis intermedii, ideoque incurri irregularitatem, quæ impediat ascendere ad utrumque. Sed hoc de virtuali usurpatione fortasse in rigore verum non est, quia licet unus Ordo alium supponat, non tamen se virtualiter includunt, præsertim in suis actionibus et ministeriis. Et præterea, consideratio illa nimis speculativa est, ad extendendam pœnam in lege non expressam; alioqui consequenter dicendum esset, qui in quocumque Ordine, quem non habet, ministrat, manere irregularem simpliciter quoad omnes inferiores Ordines, vel ut non recipiat quos non habet, vel ut eis non utatur, si quos habet; cujus oppositum probabilius esse diximus. Unde ex vi illius cap. 2 videbatur dicendum in dictis casibus solum incurri irregularitatem ad non recipiendum Ordinem, qui usurpatus est; circa intermedium vero non incurri propriam irregularitatem, sed temporalem suspensionem, pro eo scilicet tempore, pro quo manet talis clericus suspensus in suo principali Ordine jam suscepto. Ut, v. gr., si subdiaconus sacerdotium usurpet, ad sacerdotium non poterit absolute promoveri, et quia a subdiaconatu manet suspensus triennio, pro eodem tempore non poterit ad diaconatum ascendere, quia dum quis est ab inferiori Ordine suspensus, non potest ad superiorem promoveri, ut supra visum est; tamen finita illa suspensione, ex vi illius textus non videtur hic manere impeditus, quominus ad diaconatum promoveri possit. Dico autem ex vi illius textus, quia considerata dispositione cap. 1 ejusdem tituli, sic delinquens irregularis efficitur ad quemcumque Ordinem de novo recipiendum, quia ibi absolute dicitur, *Non ordinetur*, quod magis in sequenti puncto declarabitur.

9. *An consecratus Episcopus prætermisso diaconatu, aut alio inferiori Ordine, sit irregularis exercendo Pontificalia.* — Ultimo quæri potest, quid si Episcopus sit consecratus per saltum prætermisso diaconatu, vel inferiori alio Ordine, an fiat irregularis exercendo Pontificalia. Dico autem *prætermisso*, etc., quia si sacerdotium fuisset prætermissum, nulla esset consecratio Episcopalis, et sic ministrando Pontificalia sine dubio incurreretur irregularitas juxta dicta. At in alio casu distinguendum est; aut enim confert Ordinem, quem non habet, aut alium, quem habet, vel exercet quemcumque alium actum Pontificatus. In hoc posteriori casu non manet irregularis ex hoc capite, quia non potest dici ministrare in Ordine, quem non habet; incurret vero aliam, quia ministrat suspensus, nisi dispensatus sit. In alio vero casu videtur incurrere irregularitatem, quia confert Ordinem, quem non habet; quod maxime verum erit juxta opinionem communem, quod talis ordinatio est nulla, quia ad conferendum quemcumque Ordinem necessarium est habere illum, licet non sufficiat sine consecratione Episcopali, de qua latius, in 4, dist. 25, ubi ita sentit D. Thom., quæst. 1; Palud. et alii, et Summistæ, verb. *Ordo;* Maiol., lib. 4, cap. 1, num. 9.

10. *Conclusio.* — Dicendum etiam superest de laicis, an usurpantes hæc ministeria clericorum, hanc etiam irregularitatem incurrant. Quod dubium tetigi in 3 tom., disp. 31, sect. 4, in fine. Ubi improbavi opinionem negantem laicum incurrere hanc irregularitatem, et plures auctores pro hac sententia

retuli, quam omnino veram esse censeo. Hic vero ulterius explicandum occurrit, qualis sit hæc irregularitas, an scilicet totalis sit, ita ut nullum Ordinem suscipere possit qui sic deliquit, an vero aliqua sit limitatio adhibenda. Et ratio dubitandi est, quia clericus non incurrit totalem irregularitatem, ut dictum est, sed tantum quoad promotionem aliquorum Ordinum; ergo cum eadem proportione de laico judicandum est. Considerandumque erit, in quonam Ordine laicus ministraverit; et dicendum, eum manere irregularem quoad receptionem talis Ordinis, et superiorum ejus, non vero quoad receptionem inferiorum, in quibus nihil deliquit. Nam si clericus quoad usum illorum non manet irregularis, cur debet manere laicus ad eorum receptionem? Nihilominus dicendum est, laicum usurpantem quodcumque ministerium sacrorum Ordinum, excludi omnino a clericatu, ita ut nullum vel minimum Ordinem recipere possit. Hæc est communis sententia auctorum, quos supra retuli; et colligitur ex dict. cap. 1, dicente simpliciter, *non ordinetur,* quæ cum sit absolute negativa locutio, universali æquivalet, nec potest a nobis limitari, nisi forte ex parte personæ, et juxta dispositionem alterius legis, scilicet, cap. 2, ejusdem titulo, et juxta communem interpretationem, quæ habet, eum, qui committit hoc crimen, non posse aliquem Ordinem recipere, quem non habet; unde cum laicus nullum habeat, nullum potest recipere. Nec refert, quod hæc pœna major respectu laici esse videatur, tum quia hoc est accidentarium, quia pœna ex se universalis est; tum quia major etiam temeritas videtur esse in laico, quod audeat sese divinis ministeriis ingerere. Atque hoc modo videntur intellexisse irregularitatem hanc fere omnes auctores, quamvis non ita distincte illam explicaverint.

Quæ carentia Ordinis requiratur ad irregularitatem incurrendam.

11. Jam vero explicare necesse est, quid requiratur ad hanc irregularitatem incurrendam. Duo enim concurrere necesse est : primum est carere Ordine; secundum est ministrare in tali Ordine; et circa utrumque aliqua notanda sunt. Circa primum contingere potest, ut Ordo omnino receptus non sit etiam exterius, et tunc nulla excusatio nec ignorantia locum habet. Potest item accidere, ut Ordo sit receptus, sed tamen cum substantiali defectu, et tunc posset ignorantia excusare; per se tamen sufficit ille defectus ad irregularitatem, juxta communem sententiam, quia illa ordinatio nulla fuit. Potestque confirmari ex dict. cap. 2, ibi, *cum non imposuisses ei manus,* si præcise illa verba pro tali cæremonia sumantur, quæ in illo Ordine censetur esse substantialis, ut late Bellarmin., lib. 6 de Ord., cap. 9, et dicitur sequenti tomo. Dico autem, si illa verba ita intelligantur, quia satis convenienter possunt pro tota ordinatione sacerdotali accipi, ut ex contextu constat, et Glossa notavit, et statim dicetur.

12. *Quid si aliqua accidentalis cæremonia prætermissa est. — Prima conclusio. — Secunda conclusio. — Tertia conclusio. — Objectio. — Responsio.* — Denique contingit Ordinem substantialiter esse receptum, et aliquid accidentale prætermissum esse, unctionem scilicet aliquam, vel quid simile, et tunc tria breviter dicenda sunt. Primum, illud, quod defuit, esse caute supplendum. Ita habetur in cap. 1 de Sacramentis non iterandis, licet in casu illius textus dubium sit, an cæremonia prætermissa fuerit accidentalis, scilicet, manuum impositio; nam si Ordo ille fuit subdiaconatus, ut habet vulgaris lectio, fuit accidentalis; si vero fuit diaconatus, ut alii legunt, et habetur in antiqua collatione 3 Decretalium, sic res est dubia, ut constat ex propria materia; sed in præsenti priorem lectionem sequimur. Secundo dicendum est, non esse utendum Ordine, donec suppleatur defectus. Ita colligitur ex eo cap. Licet, cum in eo supponatur potius quam exprimatur. Ratio vero est, quia non censetur absolute data potestas et executio, donec ordinatio perfecta sit. Quæres, quam grave peccatum sit. Respondetur, communiter censeri mortale, et ex suo genere tale est propter rationem factam; tamen ex levitate materiæ, si cæremonia prætermissa esset parvi momenti, poterit excusari. Nihilominus dicendum est tertio, per hanc culpam licet gravem non incurri irregularitatem. Est communis in dict. cap., et apud Summist., verb. *Irregularitas;* Sylvest., num. 14; Angel., num. 39. Ratio, quia nullo jure est expressa. Dices : ille sic ordinatus, propter defectum ordinationis, quamvis accidentarium, est suspensus ab executione Ordinis, donec defectus suppleatur; ergo sic ministrando efficitur irregularis. Respondetur negando antecedens; illa enim non est pro-

pria suspensio, quæ sit canonicum impedimentum, sed est quædam prohibitio, quæ ex natura rei sequitur ex tali defectu; et ideo, licet peccatum aliquod sit sic ministrare, non tamen ea de causa irregularitas vel alia Ecclesiastica pœna incurritur.

13. *An irregularis fiat ministrando in parte quam non habet, qui dimidiatam ordinationem accepit. — Conclusio. — Quid si ministret in parte quam accepit.* — Superest vero dubium, si contingat ordinationem substantialiter dividi, an ministrare dimidiato Ordine (ut sic dicam) sit sufficiens causa irregularitatis. Ut, v. gr., cum ordinatur sacerdos, imprimitur character, et datur potestas ad conficiendum corpus Christi verum per traditionem calicis, etc., cum propria forma. Ponamus ergo aliquem sic ordinari, et postea omitti manuum impositionem, in qua datur potestas absolvendi; tunc dicimus ordinationem esse quasi substantialiter divisam, quia valida est quoad collationem prioris potestatis in corpus Christi verum; invalida autem quoad collationem potestatis clavium. Unde dubium est, an talis clericus absolvendo, seu audiendo confessiones sacramentales, fiat irregularis. Ad quod affirmative respondendum censeo, quia ministrat in Ordine quem non habet. Et ita tenet Maiol., lib. 4, cap. 13, num. 8. Difficultas item est, an sic ordinatus Missam celebrando fiat irregularis. Et ratio dubitandi sumitur ex cap. 2 de Cleric. non ord. minist., ubi irregularis esse dicitur, qui sine manuum impositione Missas celebrare ausus est. Sed jam diximus per manuum impositionem ibi significari totam ordinationem sacerdotis, illumque, de quo ibi sermo est, fuisse mere diaconum; hic autem, de quo agimus, revera est sacerdos quoad primariam potestatem ejus, et ideo illius ministerium exercendo non credo fieri irregularem, quia nullibi est expressa hæc irregularitas, et quia respectu talis ministerii ille defectus accidentarius est.

Ob quod Ordinis ministerium incurratur irregularitas hæc.

14. *Prima conclusio. — Secunda conclusio.* — Circa alteram partem de ministerio necessario ad hanc irregularitatem incurrendam, in primis statuendum est, nullum ministerium, quod aliquo modo per laicos exerceri potest, sufficere ad hanc irregularitatem incurrendam. Propter quod fundamentum diximus in 3 tom., disp. 31, sect. 4, laicum non fieri irregularem baptizando sine solemnitate, etiam quando peccat id faciendo sine necessitate; e contrario vero laicum, vel quemlibet non sacerdotem baptizantem solemniter, etiam in articulo necessitatis, fieri irregularem, quia in priori casu non usurpat actum Ordinis, in posteriori vero usurpat, neque excusatur propter necessitatem, quia hæc esse potest baptismi, non autem solemnitatis ejus. Et hæc regula est communiter recepta, ut patet ex Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 1; Navarr., in Summ., cap. 22, num. 7, et cap. 27, n. 242, et aliis, quos dicto loco retuli. Unde etiam e converso alia regula generalis est, clericum exercendo actum Ordinis, quem habet, nunquam incurrere hanc irregularitatem propter usurpatam jurisdictionem, nam hæc irregularitas solum lata est in eum, qui usurpat potestatem Ordinis. Hinc sacerdos audiens confessionem, et absolvens non subditum, non incurrit irregularitatem, quia non exercet actum Ordinis, quem non habet, sed usurpatæ jurisdictionis. Et simili ratione sacerdos simplex solemniter baptizando sine licentia parochi, aut ungendo, etc., non fit irregularis; nec denique Episcopus ordinans sibi non subditum, vel in aliena diœcesi, sine licentia diœcesani, incurrit hanc pœnam, sed per aliam legem suspenditur. Necessarium ergo est actum alicujus Ordinis usurpare.

15. *An sufficiat usurpare actus minorum Ordinum. — Pars negativa. — Conclusio.* — Inquiri autem potest primo, an sufficiat usurpare actus minorum Ordinum. Partem enim negativam tenet Sylvest., verb. *Irregularitas,* quæst. 12, quod solum probat, quia D. Thom., in 4, dist. 24, quæst. 2, art. 2, ad 9, dicit, actum minorum Ordinum posse licite fieri per laicos, quamvis illi non habeant ad hoc officium. Idem tenet Angel., num. 38. Obstant autem huic sententiæ primo illa verba cap. 1 de Cleric. non ordin. ministr.: *Si aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus;* nam etiam officia minorum Ordinum ad divinum officium pertinent. Obstat secundo, quod clericus excommunicatus ministrans ex officio in minoribus Ordinibus, fit irregularis, ut supra dixi disp. 12, sect. 2; eadem autem ratio in præsenti esse videtur. Propter quod dicendum censeo, quoties aliquis exercet quemcumque Ordinem tanquam ordinatus in eo, cum non sit, fieri irregularem; secus vero esse, quando solum exercet ministerium eo modo, quo secundum consue-

tudinem solet per laicos exerceri, atque ita est dicta sententia intelligenda, ut sensit Navarr., cap. 27, n. 242, referens alios. Quando vero censeatur aliquis ministrare ex officio in aliquo Ordine, sumi potest ex dictis in citata disp. 12, et in 11, sect. 3. Nam ille modus administrandi, et illa actio, quæ sufficit in clero excommunicato ad incurrendam illam irregularitatem, sufficit, ut usurpata a laico seu non ordinato sit sufficiens causa hujus irregularitatis.

16. *Irregularitas hæc non incurritur absque culpa. — Nec per actionem ludicram.* — Addendum vero præterea est, necessarium esse, ut talis actio cum peccato fiat, quia hæc irregularitas maxime pœnalis est, et ideo si culpa cessat, non incurritur. Ac propterea interveniente ignorantia probabili non incurritur hæc irregularitas, ut docent omnes. Deinde requiritur, ut actus serio, et non joco fiat; nam si laicus consecret animo repræsentandi, vel fingendi tantum exterius, non incurreret hanc irregularitatem. Ita Sylvest., Angel. et Navarr., qui allegat cap. Illud, 15, quæst. 1, in quo solum dicitur, eum, qui per jocum percutit, injuriam non facere, quia injuria in affectu facientis consistit. Alii citant cap. Illa, eadem caus. et quæst. Ubi solum dicitur, illa esse vera bona aut mala censenda, quæ ex nostra pendent electione. Itaque advertendum est, aliud esse facere hoc ministerium per jocum, aliud vero sine intentione conficiendi sacramentum, vel aliquid hujusmodi. Prior modus contingit, quando tota actio exterior ludicra est, et solum per modum cujusdam repræsentationis; et tunc verum quidem est nullam incurri irregularitatem, licet actio illa non careat gravi culpa, quia cedit in injuriam et irreverentiam sacramenti. Ut enim recte dixit Glossa, in dict. cap. Illud, per jocum non fit injuria, nisi sit noxius; res autem adeo sacras in jocum afferre, est contra reverentiam eis debitam, et ideo omnes fatentur illud esse grave peccatum. Tamen quia illud vere non est ministrare in Ordine, ideo per hoc delictum non incurritur hæc irregularitas. Addit vero Maiol. excipiendum esse, nisi talis jocus fiat in derisum et contemptum talis ministerii, quia illud est gravissimum delictum, quod reddit operantem saltem de hæresi suspectum, ac proinde irregularem. Sed gravitas delicti non satis est, nisi ostendatur jus propter illud imponens irregularitatem; de hæretico vero vel suspecto de hæresi infra dicemus.

17. *Quid si actio serio fiat, tamen absque intentione faciendi verum ministerium. — Navarri opinio.* — Major difficultas est, quando ministerium in exteriori actione serio agitur, tamen sine intentione interiori faciendi verum ministerium; et de hoc casu non loquuntur tam aperte dicti auctores. Navarrus tamen, dict. num. 242, excusat in foro conscientiæ ab irregularitate clericum primæ tonsuræ solemniter cantantem Epistolam cum manipulo, si nolit id facere tanquam subdiaconus; ergo eadem ratione idem dicendum erit in quolibet alio ministerio. Et potest confirmari, quia censura non incurritur nisi per actum perfectum, qui maxime pendet ex intentione facientis; ergo idem est in irregularitate; sed qui ministrat sine intentione, non exercet perfectum actum in illo Ordine, imo neque verum, quia baptizare sine intentione, non est baptizare, et sic de reliquis ministeriis; ergo qui sic operaretur, non potest dici ministrare in Ordine quem non habet; ergo neque incurrere hanc irregularitatem. Confirmatur secundo exemplis de rebaptizante exterius sine intentione, qui non incurrit irregularitatem, et de profitente exterius hæresim sine animo interno, qui non incurrit excommunicationem hæreticorum.

18. *Navarri opinio rejicitur.* — Nihilominus sententia hæc difficilis est. Primo, quia si loquamur de illis ministeriis, in quibus sacramentum non conficitur, vix potest intelligi, quid operetur talis intentio non exercendi verum actum Ordinis, aut operandi tanquam diaconum vel subdiaconum, si adest voluntas faciendi eumdem actum externum cum eodem ornatu, et solemnitate, et serio quoad totum ritum et modum externum. Aut enim hoc sufficit ad incurrendam hanc irregularitatem, aut impossibile est illam incurrere, quia nemo sciens se non esse subdiaconum, potest intendere operari tanquam verus subdiaconus; ergo non potest aliter intendere hoc ministerium, quam volendo talem ritum externum modo explicato. Ad ministerium etiam sacramentorum applicatur eadem difficultas, quia non ordinatus non potest verum efficere sacramentum; ergo seclusa hæresi vel crassissima ignorantia, nullus sic ministrans potest intendere verum sacramentum, quia scit sibi esse impossibile; ergo frustranea redditur talis irregularitas, neque per illam homines arcerentur ab illo delicto quod lex vitare et punire intendit, nimirum ab usurpatione exteriori ministerii alicujus

Ordinis. In quo est magna differentia inter hanc legem, et eam, quæ punit rebaptizantem, vel hæreticum; nam hæ directe intendunt punire hæresim, vel explodere errorem, et ideo requirunt animum seu intentionem veritati contrariam; hæc vero lex solum intendit punire sacrilegium, quod committitur in usurpatione ministerii alicujus Ordinis, ad quam usurpationem sufficit voluntas faciendi exterius ministerium, etiamsi fiat sine intentione conficiendi sacramentum, quæ moraliter impossibilis est sine errore.

19. *Ad hanc irregularitatem incurrendam sufficit voluntas faciendi exterius actiones prohibitas.* — Accedit præterea, quod nunquam sacramentum ministratur ex officio, quin aliæ actiones sacræ fiant pertinentes ad officium talis Ordinis, in quibus non potest alia intentio postulari, nisi voluntas faciendi illas; ergo hoc satis erit ad incurrendam talem irregularitatem. Ut, v. gr., si quis baptizet solemniter, etiamsi in ritu substantiali non habeat intentionem baptizandi, usurpat tamen totum officium proprium sacerdotis, quod satis est ad incurrendam irregularitatem; nam si quis non sacerdos hoc ministerium usurpet circa puerum jam privatim baptizatum, ex sententia omnium irregularis fiet; ergo idem erit etiamsi ficte baptizet cum simili solemnitate. Idem dico de non sacerdote celebrante Missam sine intentione conficiendi sacramentum, aut offerendi verum sacrificium; nam ille nihilominus divinum officium exercet, et benedicit ut sacerdos, et orat nomine Ecclesiæ ut publicus minister ejus; hoc ergo satis est ad incurrendam irregularitatem. In sacramento etiam confessionis, quod maxime videtur sine accidentali ritu fieri, certum est, illum, qui se fingit sacerdotem, et illud judicium usurpat, hanc irregularitatem incurrere, ut latius tractavi superiori tomo; neque effugit quispiam irregularitatem hanc, eo quod absolutionem proferat sine intentione absolvendi, alioquin iniquissimi homines facile vitarent hanc pœnam, et assequerentur quidquid hoc medio intendere possent. Unde opinor non vitare illam, etiamsi confessionem quis audiat, et absolutionem non conferat, neque habeat animum proferendi illam, quia satis usurpat potestatem clavium audiendo confessionem, ut judex in illo foro, quacumque intentione id faciat. Denique idem est in aliis sacramentis. In matrimonio vero illud est singulare, quod per ministerium circa substantialia sacramenti non potest hæc irregularitas incurri, quia illud per se non spectat ad officium sacerdotis. Et quamvis ex decreto Concilii Tridentini necessaria sit præsentia parochi ad validitatem matrimonii, tamen neque ad illud necessarium est quod sit sacerdos, neque ibi exercet proprie actum Ordinis, sed magis jurisdictionis; et ideo licet laicus in eo actu se fingeret parochum, non incurreret irregularitatem. At vero in accidentali solemnitate illius sacramenti potest incurri hæc irregularitas, scilicet, solemniter benedicendo sponsos sine sacerdotio; et tunc profecto parum videtur referre intentio faciendi verum actum. Itaque si exterius serio usurpatur ministerium Ordinis, hoc satis esse credo ad hanc irregularitatem incurrendam, quidquid sit de alia intentione, et hoc modo esse intelligendam communem sententiam.

20. *Debet tamen hæc ministeria usurpans esse irregularitatis capax. — Non incurrit qui ex privilegio aliquos actus Ordinis sine ipso Ordine exercet.* — Addo denique necessarium esse, ut qui sic operatur, sit capax irregularitatis. Unde fœmina si hoc ministerium usurpet, non fit propterea irregularis, quia non est capax ejus, quod supra animadvertit Maiolus, num. 6. Debuisset tamen idem dicere de non baptizato ministrante, quia etiam non baptizatus non est capax irregularitatis, maxime illius, quæ ob delictum lata est, quia non baptizatus est extra forum Ecclesiæ; unde non est dubium, quin cap. 1 de Cler. non ordin. minist., dicens : *Si quis baptizaverit*, etc., ad membra Ecclesiæ loquatur; nam omnis lex ad eos, qui sub lege sunt, loquitur. Ex quo fit ultimo, ut etiam excusentur hi, qui per Pontificiam dispensationem aliquos actus Ordinum sine ipsis Ordinibus efficere possunt. Quamvis enim in aliquos actus Ordinum non possit cadere hæc dispensatio, ut sunt oblatio sacrificii, absolutio a peccatis, et similes, qui per se pendent ex charactere sacerdotali, et alii qui cum eadem proportione omnino pendent ex consecratione Episcopali tamen, in aliis cadit hæc dispensatio; sic enim presbyter ex dispensatione aliquando confirmat, vel dat minores Ordines, vel fortasse etiam subdiaconatum. Quæ dispensatio facilius habet locum in actionibus, quæ non pertinent ad effectionem sacramentorum, sed ad alia officia Ecclesiastica, ut sunt cantare solemniter Epistolam, vel ministrare in altari modo proprio alicujus Ordinis, sine tali Ordine, aut bene-

dicere solemniter et Episcopali modo, et similia, quæ latius tractantur in 4, dist. 25. Supposita ergo Papæ dispensatione, clarum est cessare irregularitatem, quia cessat culpa, quia illa jam non est Ordinis usurpatio, sed licita administratio similium actuum.

SECTIO V.

Utrum per indignam Ordinis administrationem irregularitas incurratur.

1. *Prima generalis regula.* — In quæstione hac duas regulas generales statuere possumus. Prima est, illum clericum fieri irregularem, qui exercendo Ordinem, censuram violat; sic excommunicatus majori excommunicatione, vel suspensus ab Ordine, vel interdictus personaliter, irregularis efficitur ministrando in suo Ordine sicut prius. Celebrans item in loco interdicto aliter quam illi concessum est, irregularis fit. Quæ omnia constant ex toto titulo de Cleric. excomm. minist., et ex cap. 1 de Sentent. et re judic., in 6, et ex cap. 1, et cap. Is qui, et cap. Is cui, de Sentent. excomm., in 6. Et late tractata sunt disput. 11, sect. 3, et disput. 12, sect. 2, ubi de excommunicatione majori dictum est. Similia etiam diximus de suspensione et interdicto; et ideo in hac irregularitate explicanda hic amplius non immorabimur. Dixi, *exercendo Ordinem*, primo quidem, quia si exerceat actum eo modo, quo sine Ordine exerceri potest, non fit irregularis, ut ibidem late exposui. Item, quia licet sacerdos minori excommunicatione ligatus, celebrando peccet contra illam censuram, non fit irregularis, quia non peccat formaliter exercendo Ordinem, quod actionem significat, sed recipiendo sacramentum, juxta cap. ult. de Cleric. excomm. minist. Per receptionem autem sacramenti nunquam incurritur hæc irregularitas, sed per solam administrationem.

2. *Secunda regula.* — *Casus a Maiolo allati excluduntur.* — *Primus.* — Secunda regula est, per Ordinis administrationem, quantumvis illicitam, quæ contra censuras non sit, nunquam incurri irregularitatem. Probatur, quia nulla talis irregularitas invenitur in jure expressa. Signum etiam est, quia Summistæ, verb. *Irregularitas*, Navarr., cap. 27, a num. 241 usque ad 245, et alii fere auctores nullam talem irregularitatem afferunt propter delictum in usu Ordinum commissum. Maiolus autem, lib. 3, cap. 18 et sequent., videtur casus aliquos enumerare, in quibus hæc generalis regula deficit. Primus est, quando quis exercet Ordinem contra præceptum sui superioris, etiamsi sit nullum et absque ulla censura, dummodo sit notorie et publice impositum. Quod solum probat ex quibusdam Summistis minoris profecto auctoritatis; et quamvis essent maximæ, in hac materia non esset illis adhibenda fides sine jure; nullum autem affertur, nec afferri potest, quo irregularitas feratur propter talem inobedientiam, potius quando prohibitio est publice imposita, quam cum secrete.

3. *Secundus.* — Secundus casus est, quando talis prohibitio posita est sub pœna excommunicationis ipso facto; nam tunc irregularis fit, qui contra illam Ordines exercuerit, argument. cap. 1 de Eo qui furt. Ordin. susc., et citat Speculatorem, ac Sylvest., verb. *Irregularitas*, quæst. 3, ubi non tractat de hoc casu, sed de illo, qui furtive Ordines suscipit contra præceptum superioris, de quo etiam dictum cap. loquitur; et quo sensu de illo loquatur supra dictum est. Quidquid autem sit de vero intellectu illius textus, ex illo non potest efficax argumentum sumi, quia, ut sæpe dictum est, in irregularitatibus non potest sumi argumentum per extensionem a simili. Et ideo non censeo hunc casum esse admittendum, quia sic celebrans non fit irregularis, eo quod violet per talem actum præceptum superioris, ut dictum est; neque fit irregularis in eo casu, quia violet censuram, quia ille pro prima vice non violat censuram, sed contrahit, quod longe diversum est. Estque optimum simile, quod supra, disput. 31 de Suspensione, sect. 1, in fine, de eo qui facit sacrum in loco, ubi prohibitum est celebrari sub excommunicatione ipso facto; nam qui prima vice ibi celebrat, non fit irregularis. Quod exemplum ibidem Maiolus admittit, negat vero hic similitudinem, quia ibi non prohibetur celebratio simpliciter, sed in tali loco, hic vero supponimus celebrationem esse omnino prohibitam. Sed hæc differentia parum refert, quia in dicto exemplo non ideo excusatur irregularitas, quia prohibitio cadit in circumstantiam loci, et non simpliciter in actum. Sed quia per primam violationem incurritur censura, et ideo non violatur; ac propterea per secundam celebrationem jam incurritur irregularitas, si excommunicatio non fuit prius ablata, quia jam tunc violatur censura, ut recte notavit Sylvester cum Anto[illegible]o, ve[illegible]

Irregularitas, quæst. 13; ergo idem dicendum est, etiamsi actus ipse celebrandi, vel ministrandi simpliciter prohibitus sit, quod per primam transgressionem ejus non incurratur irregularitas, sed per secundam celebrationem, quia jam violatur censura, et ita non est novus casus, sed pertinet ad priorem regulam. Nec denique fundari potest hæc irregularitas in sola transgressione cum pertinacia contra prohibitionem qualificatam, ut sic dicam, et in tali materia, quia de hoc nullum potest ostendi jus, et sine jure nullus potest cum probabilitate irregularitatem aliquam fingere.

4. *Tertius casus improbatur.* — Tertius casus est de illo, qui commisit delictum, propter quod suspendendus est secundum jura, licet non sit ipso jure suspensus; nam hic etiam celebrando antequam suspendatur, si accessit simplex præceptum superioris de non celebrando, positum intuitu talis criminis, de quo inquiritur, irregularis fiet. Ita Maiolus supra ex Speculatore, tit. de Dispensat., § Juxta, vers. *Item ordinatus a non suo Episcopo,* qui dicit hunc esse stilum Curiæ. Et ratio est, quia in eo casu talis prohibitio habet vicem suspensionis; et ideo illius transgressio habet eumdem irregularitatis effectum. Et confirmatur ex Concilio Tridentino, sess. 14, cap. 1 de Reformat., ubi dicitur, prohibitionem seu suspensionem Prælati circa Ordinis susceptionem vel usum ita servandam esse, ut nulla licentia, vel restitutio contra Prælati voluntatem suffragari possit. Verumtamen hic casus aut non est admittendus, aut sub priori regula est comprehendendus. Vel enim illa prohibitio imponitur, ut quædam censura, vel tantum ut simplex præceptum. Si ponatur priori modo, etiamsi sit extrajudicialis, et ab homine, dum tamen valida sit, sufficit ad irregularitatem contrahendam, juxta superiorem regulam. Si vero ponatur posteriori modo, non invenio in jure irregularitatem impositam propter talem transgressionem, etiam concurrentibus illis circumstantiis; et ideo non credo illam incurri, quia non sufficit similitudo seu potius analogia, per quam dicitur prohibitio illa habere vicem suspensionis, quia ad irregularitatem plus est necessarium, ut sæpe dictum est. Quin potius, quia in eo casu supponitur causam in eo statu existere, in quo nondum potest pœna legis imponi, quia nondum delictum probatum est, conjectura fit, illam prohibitionem non obligare cum tanto rigore ac obligaret pœna suspensionis, si jam esset imposita, et consequenter propter illius transgressionem non incurri irregularitatem.

5. *Quartus casus improbatur.* — Quartus casus est de sacerdote sacrum faciente sine altari consecrato ab Episcopo, sed propria sponte et auctoritate erecto, vel conficto, ex cap. Nullus presbyter, 1 et 2, de Consecr., dist. 1, ubi clericus in hoc delinquens degradari præcipitur; nam ex illo verbo colligitur tale delictum inducere depositionem, et ejicere jam promotos, et consequenter inducere irregularitatem. Favet etiam Glossa in cap. Nullus presbyter, 2; æquiparat enim illum, qui fingit altare consecratum, quod non est, cum eo qui se fingit sacerdotem, si in utroque casu sacrificet; ergo, sicut in posteriori casu incurritur irregularitas, ita et in præsenti. Atque ita sentit Maiol., lib. 3, cap. 23, num. 2, ex quadam regula, quam posuerat, lib. 1, cap. 3, num. 9, quod omnia crimina, quæ inducunt depositionem, secum etiam afferunt irregularitatem. Quæ quidem regula intellecta de depositione ipso jure lata, est probabilis, non tamen de depositione solummodo ferenda, ut in superioribus ostensum est; nam potius hoc repugnat irregularitati, quæ non ab homine, sed a jure fertur. In prædicto autem casu non imponitur depositio ipso jure, sed ab homine ferenda. Nam in priori textu solum sunt verba comminatoria, *Qui sui particeps voluerit de cætero esse sacerdotii.* Et ibi non agitur de sacerdote consecrante sine altari consecrato, sed de illo, qui Missam dicere præsumit in loco ab Episcopo non sacrato, seu non approbato; pro quo delicto sine dubio irregularitas non incurritur, nullo enim jure habetur, sed arbitrio Prælati aliqua suspensio propter hoc delictum imponi poterit, quantum ex illo textu colligitur. In altero vero cap., verba sunt, *Quod si fecerit, si clericus est, degradetur, si vero laicus, anathematizetur,* quæ verba aperte significant sententiam ferendam, non latam. Et prætere expendo pœnam illam non ferri pro crimine sacrificandi sine altari consecrato per Episcopum; nam crimen illud laicis et clericis dicitur esse commune, et utrisque pœna accommodata imponitur; at vero laicus non potest sacrificare in altari; neque enim ibi agitur de laico fingente se sacerdotem ad hoc ministerium ficte usurpandum, sed agitur de duplici alio delicto. Unum est erigendi in Ecclesia consecrata

altare non sanctificatum a proprio Episcopo, vel de licentia ejus. Aliud est fingere dedicationem, ubi non est, quod juxta contextum videtur etiam referri ad altare, tamen a Glossa latius intelligitur de quacumque re, quæ tanquam sacra fingitur, cum non sit, ut si quis reliquias publice proponat tanquam dedicatas, cum non sint. Dicere autem, sacerdotem in aliquo horum delinquentem fieri irregularem, improbabile profecto est, cum nullo jure sit cautum; ergo quamvis sacerdos sacrificet in altari non consecrato, non propterea fit irregularis, cum de hoc delicto nulla ibi specialis mentio fiat, neque alibi quoad hunc effectum.

6. *Quintus casus reprobatur.* — Quintus casus additur ab eodem auctore, de sacerdote, qui hominem excommunicatum nominatim scienter admittit ad Ecclesiasticam sepulturam; nam illum dicit manere irregularem, ex Clem. 1 de Sepulturis. Ibi tamen hujusmodi sacerdos excommunicatur; de irregularitate vero nulla est mentio; diximus autem supra, quamvis per ministerium sacrum contrahatur excommunicatio, non ideo contrahi irregularitatem per illum actum, quia per tale ministerium non violatur ipsamet excommunicatio; sed præter illud jus, non est aliud quo feratur; ergo non incurritur. Quod melius censuit Speculator, loco superius citato. Potius videri potest similem irregularitatem incurrere clericus, qui in vita, vel in morte favet raptoribus, vel participando eorum rapinis, vel eorum eleemosynas accipiendo, vel eis pœnitentiam concedendo sine debita restitutione, vel cautione, vel sepulturis eorum assistendo; hæc enim quatuor genera actionum specialiter prohibentur clericis, in cap. 2 de Raptoribus, in 6. Et subditur in pœnam transgressoribus, *Ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur.* Quæ verba videntur irregularitatem indicare. Verisimilius tamen mihi est, illa verba non significare pœnam ipso jure, sed a judice imponendam. Sicut etiam, quod subditur, *Et Ecclesiastico beneficio careant,* non intelligitur ipso jure, cùm hoc non addatur in lege, sed quando illo priventur. Est ergo illa pœna suspensionis perpetuæ, vel depositionis a judice imponendæ, ut Panormit. ibi advertit, num. 2.

7. *Sextus casus Maioli rejicitur.* — Sextus casus sumitur ex eodem Maiolo, lib. 3, cap. 25, num. 6, ubi ait irregularitatem incurrere sacerdotem, qui pro persona vivente Missam defunctorum dicit, ea intentione, ut mortem illi impetret. Nam in Concilio Toletano XIII, cap. 7, ut citat Gratianus, vel potius Concilio XVII, cap. 5, sacerdos hoc faciens a proprio deponitur gradu. Verba tamen Concilii sunt, *A proprio deponatur gradu.* Quæ verba sententiam ferendam continent, non latam; et ideo non pertinent ad irregularitatem. Et deinde additur pœna exilii perpetui, et privationis communis, ferenda etiam in eum, qui sic deliquit. Quæ extenditur ad illum, qui sacerdotem ad talia peragenda incitasse perpenditur, de quo multo certius est non manere irregularem (quidquid Maiolus dicat), quia deponendus est. Nec refert, quod delictum sit utrique commune, quia lex non æqualiter illis pœnam imponit, nec sine causa, cum non æqualiter delictum committant. Minusque probabile est, quod ibidem dicit, incurrere etiam illum, qui ministrat cum eadem intentione sacerdoti dicenti Missam illo modo, quia de ministro nihil in eo textu dicitur. Et argumentum, quod ipse sumit ex cap. 2 de Apostatis, non est efficax in materia irregularitatis, ut sæpe dixi. Præsertim, quia rebaptizatio, de qua in illo textu est sermo, magis odiosa est in jure, unde qui in illa ministrat, cooperatur rei nefandæ (ut ibi dicitur), ideoque illa irregularitas ad ipsum extenditur, non semper, sed quando delictum est publicum; hic vero nulla talis extensio fit. Huic pœnæ similis est alia, quam ex dicto Concilio Toletano refert Gratianus, in cap. Quicumque, 26, quæst. 5, ferturque propter delictum denudandi altaria, aut lugubri ornatu ea vestiendi, aut alia ornamenta Ecclesiæ auferendi, solum propter animi sui tristitiam, et non causa religionis aut observandi Ecclesiasticos ritus. Quam pœnam Maiolus etiam interpretatur esse irregularitatem. Sed revera non est. Nam in primis, si per veram pœnitentiam et satisfactionem purgaverit delictum, nulla pœna imponitur; si autem impœnitens fuerit, *loco dignitatis suæ,* et *honore privandus* dicitur, *ignobilitati perpetuæ mancipatus.* Quæ verba et pœnam ab homine ferendam continent, et sine depositione ab Ordine, per privationem alterius dignitatis, aut beneficii verificari possunt.

8. *Septimus Maioli casus non admittitur.* — *Antoninus exponitur.* — Septimo dicitur fieri irregularis clericus, qui prætermisso toto celebrandi et sacrificandi ritu, quem Ecclesia servat, corpus et sanguinem Domini

conficit. Ita Maiolus, libro 3, cap. 26, num. 5, qui nullus jus affert, sed ratione utitur, quia cum tam aperte quispiam abutitur potestate sacerdotali, indignus fit illa, omnique usu ejus. Citat præterea Archiepiscopum Florentinum, tractat. de Censuris et irregularitate, cap. 87, verb. *Tertio nota,* dicentem, sacerdotem prohibitum dicere Missam, si sine illa conficiat corpus Domini, irregularem fieri. Verumtamen prior ratio probat quidem hoc delictum dignum esse tali pœna, si jure imponatur; tamen meritum culpæ non est sufficiens ad probandam pœnam, nisi ostendatur jure lata, quod maxime necessarium est in irregularitate, ut sæpe dixi. Cum ergo in prædicto casu non habeamus tale jus, non possumus irregularitatem novam introducere propter solam culpæ gravitatem. Dictum autem, quod ex Antonino citatur, longe diversum est; nam in eo casu dicit fieri sacerdotem irregularem, non quia conficit corpus Christi sine Missa, sed quia prohibitus dicere Missam, conficit corpus Christi. Nam, etiamsi dicatur illud conficere sine Missa, quia non servat Ecclesiasticum ritum, exercet nihilominus maxime substantiale opus Missæ, quod est consecrare, nam in eo substantia sacrificii posita est, et in eo consistit potissimus usus potestatis sacerdotalis; et ideo, qui illum exercet prohibitus, irregularis fit. Necesse est autem hoc intelligi de sacerdote prohibito per censuram, seu Ecclesiasticam suspensionem, ut supra visum est.

9. *Octavus Maioli casus excluditur.* — Octavo, Episcopus male utendo potestate ordinandi clericos, dicitur fieri irregularis, ut quando aliquem ordinat per saltum, subdiaconum, v. gr., immediate ordinando sacerdotem. Ita Maiolus, lib. 4, cap. 1, num. 10. Quod non probat ex speciali jure, sed ex duobus principiis colligit. Unum est, eum qui facit alium irregularem, manere etiam irregularem, quod dicit esse manifestum in jure, probatque exemplis de eo qui mutilat, vel deformat alium. Aliud principium est, eum, qui per saltum ordinatur, irregularem fieri, ex quibus recte concluditur, ordinatorem etiam manere irregularem. Unde generalius infert, in omnibus casibus, in quibus ordinatus manet irregularis, etiam Episcopum ordinantem irregularem fieri, cum ille discursus in omnibus æque procedat. Sed in primis supra a nobis dictum est, hujusmodi ordinatum per saltum non esse irregularem, sed suspensum. Deinde etiam principium illud generale non est tam facile admittendum, illudque tanquam falsum refellit Navarrus, cap. 47, num. 207, et Covarruv., in Clem. *Si furiosus,* p. 3, in princ., num. 8. Primo, quia in nullo jure continetur, et ex particularibus exemplis, et non admodum certis, non recte infertur generalis regula, maxime in negotio irregularitatis, in qua argumentum a simili non valet. Dico autem exempla non esse admodum certa, quia de illo, qui deformat sine mutilatione, incertum est, an maneat irregularis; de mutilatore autem est certum, quia mutilator est, de quo jura disponunt, non formaliter, quia facit alium irregularem. Præterea aliis exemplis ostendi potest illud principium non esse verum, nam pater generans filium illegitimum facit illum irregularem, ipse vero non efficitur irregularis. Item, qui alium infamat, est causa irregularitatis ejus, ipse tamen non fit irregularis. In prædicto ergo casu non censeo Episcopum sic ordinantem fieri irregularem, quidquid sit de irregularitate ordinati. Sicut etiam, licet ordinatus maneat suspensus, ex eo præcise capite non suspenditur Episcopus ordinans, nisi in illum speciali jure sit lata suspensio, quia non est necesse, vel ex natura rei, vel ex aliquo generali jure, quod suspensio ordinati communicetur seu derivevetur in ordinantem; et ideo Pontifices in hujusmodi decretis pœnalibus distincte contra ordinantes, et ordinatos loquuntur. Idem ergo majori ratione de irregularitatibus sentiendum est, cum magis necessarium sit irregularitatem esse in jure expressam contra eum, qui illam incursurus est.

10. *Ultimus casus Maioli improbatur.* — Ultimo loco hic breviter expendenda est quædam irregularitas, quæ ferri putatur in cap. Licet, de Electione, ubi Cardinalis effectus in Papam a minori, vel non sufficiente numero Cardinalium, id est, a paucioribus, quam a duobus partibus, *si Papatum usurpare conetur, tam ipse, quam ii, qui eum receperint, excommunicationi subjaceant* (ibi dicitur), *et totius sacri Ordinis privatione mulctentur.* Quæ posteriora verba irregularitatem significare videntur. Atque ita illa exponit Maiolus, lib. 4 de Irregularitate, c. 1, n. 5, citans Speculatorem, in c. Ubi periculum, de Elect., in 6. Sed in primis illud delictum potius est abusus jurisdictionis, quam Ordinis. Deinde in illis verbis non invenio sententiam ipso jure latam, nec privationem Ordinis, quæ ipso facto incurratur, sed quæ ferenda sit, ut verbum, *mulctentur,* aperte declarat, et ideo

depositionem potius quam irregularitatem ibi imponi censeo. Idque expresse invenio notatum in Panormitano ibi, num. 7, ubi priorem pœnam excommunicationis intelligit esse ipso jure latam, et merito, ut suo loco tractavimus; posteriorem autem esse depositionem ab Ordine a judice ferendam; nulla ergo ibi fertur irregularitas. Neque præter enumeratas invenio aliquam aliam, quæ ad hoc genus delicti circa usum Ordinum pertineat.

DISPUTATIO XLIII.

DE IRREGULARITATIBUS, QUÆ EX ALIIS DELICTIS, VEL EORUM INFAMIA CONTRAHI POSSUNT.

In disputatione hac non dicam de homicidio, tum quia materiam habet ampliorem; tum etiam quia in ea non sola ratio delicti, sed etiam specialis significatio consideratur. Ex aliis vero delictis duo in specie consideranda occurrunt, scilicet, hæresis, sub qua comprehendo etiam schisma et omnem apostasiam a fide vel ab Ecclesiastica unione, et simonia. Deinde vero generatim dicemus de aliis criminibus, sive occultis, sive publicis. Et quoniam infamia ex criminibus generatur, aut veris, aut existimatis, ideo in fine disputationis, irregularitatem, quæ ex hujusmodi infamia incurri potest, declarabimus.

SECTIO I.

Utrum per crimen hæresis incurratur irregularitas.

1. *Hæreticus proprie quis.* — Omittimus varias divisiones seu acceptiones hæreticorum, quas jurisperiti tradere solent, dicentes quosdam vocari hæreticos, quia male sentiunt circa doctrinam fidei, alios quia de illa dubitant, juxta illud, *dubius in fide infidelis est,* cap. 1 de Hæret. Alios, quia primatum Romanæ Sedis auferre moliuntur, juxta c. 1, dist. 22. Solet etiam hæreticus vocari simoniacus, quia vendendo, et emendo res sacras, male de illis sentire videtur, juxta cap. Quidquid, 1, quæst. 1. Imo et excommunicatus, præsertim si longo tempore excommunicationem contemnat, hæreticus aliquando appellatur, ex cap. 2, 4, quæst. 1. Verumtamen, licet ad intelligenda jura possit hæc declaratio vocabulorum deservire, tamen in præsenti proprie et formaliter de hæreticis agimus; suntque illi, qui post baptismum susceptum, a fide Romanæ Ecclesiæ pertinaciter recesserunt. Quod autem hoc sit in uno, vel altero articulo, vel etiam quod sit doctrinam contrariam asserendo, vel de veritate ac certitudine Catholicæ fidei dubitando, solum pertinet ad materialem distinctionem hæresis. Cætera autem vitia, quæ non ad intellectum, sed ad pravos mores et actiones pertinent, quamvis possint hominem reddere suspectum de hæresi (de quo infra dicemus), non tamen verum hæreticum constituunt, quia, licet ea vitia committens, practice erret, non est necesse, ut judicium falsum habeat circa dogmata fidei. Dixi autem requiri, ut homo sit baptizatus, quia licet fortasse ante baptismum possit aliquis esse hæreticus, ut cathecumenus, qui prius rectam fidem de omnibus articulis concepit, et postea pertinaciter ab aliquo dissentit; quod vitium tam quoad moralem malitiam, quam quoad intellectualem errorem fortasse ejusdem rationis est cum hæresi hominis baptizati; tamen in præsenti illum non vocamus hæreticum, sed simpliciter infidelem, tum quia solum de illis hæreticis agimus, qui jurisdictioni Ecclesiæ subduntur; tum etiam quia jam dictum est, neminem esse capacem propriæ irregularitatis, præsertim illius, quæ contrahitur ratione delicti, nisi post baptismum.

2. *Communis sententia.* — His ergo suppositis communis sententia est, propter crimen hæresis irregularitatem incurri, ita ut neque dum aliquis in hæresi permanet, neque post illius detestationem, veramque pœnitentiam, et absolutionem, possit ordinari absque dispensatione, qui semel in hæresim lapsus est. Ita tenet Maiolus, lib. 5, c. 46, et Franciscus Penna, in Directorio Inquisitorum, 3 p., comm. 162, ad quæst. 113, citantes Anton., tract. de Censuris, et Speculatorem, et idem sequuntur Sylvest., verb. *Irregularitas*, q. 5, et alii Summistæ. Expendere autem oportet jura, ex quibus hæc irregularitas elicitur. Primum est, cap. Saluberrimum, 1, quæst. 7, ubi clerici revertentes ab hæresi recipiuntur quidem in Ordine, quem habebant, non tamen ulterius promoveri permittuntur. Quod confirmatur ex VII Synodo, in cap. Convenientibus, eadem caus. et quæst., et ex cap. Nos consuetudinem, d. 12. In his autem locis nulla mentio laicorum fit, neque etiam suspensionis seu privationis executionis Ordinis jam suscepti. Nihilominus tamen citati auctores docent, laicum nullo modo posse post hæresim ad clericatum promoveri. Et ratio esse videtur, quia hæc promotio non prohi-

betur clericis semel lapsis in hæresim, quia clerici sunt, sed simpliciter prohibetur ratione talis criminis, et ideo comprehendit etiam laicos. Quod colligi potest ex cap. 2, § Hæretici, de Hæreticis, in 6. Item de ipsis clericis addunt citati auctores, non posse in Ordinibus prius susceptis ministrare, nisi ex dispensatione; ita ut, cum in prædictis juribus dicitur clericos revertentes ab hæresi recipi posse in suis Ordinibus, sensus sit, posse in hoc cum eis dispensari, non vero quod ipsi possint sua auctoritate tale ministerium usurpare; promotio autem ad superiores Ordines neque ex dispensatione illis concedenda sit. Atque in hoc sensu videtur consuetudine recepta hæc irregularitas. Quæ etiam supponitur a Clemente VII, in quadam Bulla, quæ refertur in Directorio Inquisitorum, quæ incipit, Cum sicut, ubi concedit Inquisitoribus potestatem dispensandi in hac irregularitate, de qua facultate infra dicemus.

3. *An hæreticus per accidens occultus illam incurrat. — Ratio dubitandi.* — Dubitari vero potest circa hanc irregularitatem, an illam incurat hæreticus occultus per accidens nam de occulto per se, id est, qui in mentalem incidit hæresim, manifestum est, non fieri irregularem, ex generali doctrina tradita de censuris in communi; loquimur ergo de hæretico exteriori, cujus crimen nec jure, nec facto publicum est, etiamsi fortassis sit probabile, seu notum aliquibus. Ratio autem dubitandi est, quia jura citata non videntur satis probare per hoc crimen incurri irregularitatem cum tanto rigore, quia in eis solum dicitur, *hæreticos admitti posse in suis Ordinibus, non autem esse promovendos,* ubi constat sermonem esse de hæreticis publicis. Item cap. Inter sollicitudines, de Purgat. canon. (quod etiam solet adduci in fundamentum hujus irregularitatis, quanquam de illa non satis aperte loquatur), supponit vitium, quod ibi aut puniendum, aut purgandum proponitur, fuisse aliquo modo publicum per infamiam. Denique irregularitas hæc non tam videtur imposita in pœnam talis delicti quam propter vitandum scandalum et periculum Ecclesiæ, si homines inconstantes in fide ad clericatum admittantur. Hoc autem scandalum non oritur nisi quando lapsus est publicus, et cura vitandi hoc periculum ad pastores Ecclesiæ pertinet, potius quam ad ipsosmet peccatores; ipsi enim, si vere et ex corde conversi sint, possunt sperare nullum esse tale periculum; ergo non tenentur ipsi cavere ab Ordinibus, quando crimen est occultum. Unde jura omnia semper dirigunt sermonem ad pastores Ecclesiæ, ut non admittant venientes ab hæresi. Huc accedit, quod auctores graves tractantes de pœnis hæreticorum, non faciunt mentionem irregularitatis, ut patet ex Bernardo Diaz, in Pract., cap. 114, et Julio Claro, lib. 5, § Hæresis, et Castro, toto libro 2 de Justa hæreticorum punitione; videntur ergo non cognoscere hic aliam irregularitatem præter infamiam, quæ non nascitur ex crimine occulto.

4. *Vera sententia.* — Nihilominus contrarium videntur sentire priores auctores, et Navarr., cap. 27, num. 205; ita enim de hac irregularitate loquuntur, sicut de aliis, neque distinguunt inter occultum, et publicum, neque requirunt infamiam vel scandalum, sed tantum crimen, seu defectum animæ, ut Navarr. loquitur. Præterea, vel ad incurrendam hanc irregularitatem requiritur sententia, saltem declaratoria criminis, vel non. Primum non videtur dici posse, tum quia alias hæc non esset propria irregularitas, de cujus ratione est, ut ipso jure absque ulla hominis sententia incurratur; tum etiam quia alias, quamvis delictum esset publicum notorietate facti, non incurretur specialis aliqua irregularitas, sed illa tantum quæ oriri solet ex infamia, qua ablata, etiam illa aufertur absque dispensatione. Accedit, valde probabile esse, hæreticum ipso facto amittere beneficium, etiam ante sententiam declaratoriam criminis; nam licet oppositum teneat Castro, de Justa hæreticorum punitione, c. 9, et Simanch., de Catholicis institutionibus, tit. 46, num. 72, tamen illa prior communior est, magisque consentanea decisionibus Pontificum, ut colligere licet ex his, quæ Franciscus Penna supra refert, et Covarruv., lib. 2 Variarum, cap. 8, num. 4, et Bernard. Diaz cum Salzedo, in Pract. crimin., cap. 114; ergo a fortiori dicendum est, ad incurrendam hanc irregularitatem non esse necessariam sententiam declaratoriam criminis. Quod si hoc ita est, profecto nec notorietas facti erit necessaria; nam quando jus seipso infert pœnam propter delictum, non requirit aliam probationem vel notitiam præter exteriorem commissionem delicti. Dicere autem hanc irregularitatem non imponi ut pœnam hujus delicti, sed propter alias considerationes infamiæ et periculi, gratis dictum est, et præter verba jurium, quæ absolute loquuntur de hæreticis, solum quia hæretici sunt. Eo vel

maxime, quod hæretici eo ipso infames sunt, ut Castro supra late ostendit; eadem ergo ratione sunt ipso jure irregulares. Tandem confirmatur hæc pars ex prædicta concessione Clementis VII, quæ supponit hanc irregularitatem contrahi ex ipso delicto. Reliqua vero, quæ in contrarium afferebantur, ex dictis soluta sunt, et auctores, qui aliquando tacent hanc irregularitatem sub hoc nomine, illam comprehendunt sub generali nomine inhabilitatis ad officia et beneficia Ecclesiastica.

De dispensatione hujus irregularitatis.

5. *Communis sententia.* — Superest, ut de dispensatione hujus irregularitatis pauca notemus; est enim quæstio inter auctores, an aliquis præter Summum Pontificem possit in illa dispensare. Et communis sententia negat, Sylvest., Maiol., Francisc. Penna, et Navarr. supra, et Zanchin., in tractat. de Hæreticis, cap. 38; et Eymeric., in Directorio Inquisitorum, 3 part., quæst. 126, dicit, Inquisitores non posse in hoc dispensare; ex quo aperte sequitur solum Papam posse, quia Inquisitores in hoc negotio ad minimum habent æqualem cum Episcopis potestatem. Refert item Penna, ibidem, comment. 175, Pium V, anno 1567, et Pontificatus sui 2, inhibuisse generali Inquisitori Hispaniæ, ne posset cum clericis lapsis in hæresim dispensare, ut vel ad superiores Ordines ascendant, vel si sacerdotes sint, possint in altaris ministerio deservire. Et per hanc inhibitionem putat esse revocatam concessionem Clementis VII supra citatam, qua tribuit facultatem Inquisitori ad dispensandum in hac irregularitate. Vel certe dici potest, illam concessionem fuisse personalem et non perpetuam, quantum ex tenore ejus colligi potest. Denique certum videtur non fuisse usu receptam, ideoque standum esse juri communi, nisi constet in aliquo esse a Pontificibus immutatum.

6. *Quoad promotionem solus Papa dispensat in hac irregularitate. — Quoad usum susceptorum Ordinum Episcopus. — Excepto sacerdote.* — Est autem commune jus, ut hæc irregularitas quoad promotionem sit indispensabilis, ut supra vidimus; et ideo in hoc solus Papa habet potestatem. Et fortasse etiam dicta concessio Clementis ad hoc non extendebatur; sed id, quod Episcopis in jure datur, Inquisitoribus Clemens concessit. Quoad usum autem Ordinum jam susceptorum non videtur hæc dispensatio Pontifici reservata; nam jura citata dicunt clericum ex hæresi conversum posse recipi in Ordine, quem prius habebat; non potest autem intelligi hoc posse fieri ex dispensatione solius Pontificis, nam hoc modo etiam potest dispensari, ut promoveatur ad altiorem Ordinem; ergo intelligitur id fieri posse ex ordinaria dispensatione Episcoporum. Non apparet autem novum jus, quo hæc facultas Episcopis sublata sit. Imo Pius V, in citata prohibitione (si tamen illa a nobis est admittenda, vel ad Episcopos extendenda), supponit, generalem Inquisitorem habere hanc potestatem, limitat autem illam quoad usum sacerdotii in sacrificio altaris, ut nimirum ad illum concedendum presbytero revertenti ab hæresi non extendatur. Unde quoad hoc etiam verisimilior videtur communis sententia, scilicet, dispensationem ad hunc usum esse Summo Pontifici reservatam. Quod idem existimo de dispensatione cum Episcopo hæretico, quoad usum Pontificalium; maxime cum horum causæ in materia fidei Pontifici reservatæ sint, cap. Inquisitores, de Hæret., in 6.

7. *An ex vi Concil. Trident. possit Episcopus dispensare in hac irregularitate ex delicto occulto. — An jus Concilii in hac parte sit revocatum. — Vide Franciscum Pennam in Directorio Inquisitorum,* 3 *part., comment.* 141, *ad quæst.* 92. — Ultimo circa hoc inquiri potest, quando hæc irregularitas orta est ex delicto occulto, an Episcopi possint in ea dispensare ex vi Concilii Tridentini, sess. 24, c. 6 de Reform. Nam Maiol., lib. 5, cap. 46, num. 6, absolute negat ex illo capite colligi potestatem hanc dispensandi, sed tantum absolvendi. Contrarium vero affirmat Vivald., tractat. de Irregul., num. 80 et 89, quamvis hic auctor non videatur omnino in sententia persistere. Mihi tamen videtur, si jus illud integrum est, in eo hanc facultatem concedi, quia ibi generaliter conceditur facultas dispensandi in irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, et non deducto ad forum contentiosum; postea vero additur facultas absolvendi a casibus reservatis; ac tandem subjungitur, *idem et in hæresis crimine,* quæ verba ad utramque facultatem extendenda sunt, quantum circa utramque difficultatem verificari possunt, quia est favor, ideoque ampliandus, et contextus ipse optime admittit, imo et talem sensum requirit. Cum eadem tamen limitatione, ut hoc possit Episcopus solum per seipsum et non per vicarium. Quod

igitur dubitari potest, solum est, an jus illud fuerit revocatum. In superioribus enim diximus, jus illud quoad potestatem absolvendi a censura et culpa hæresis revocatum esse per Bullam Cœnæ; quoad potestatem vero dispensandi in hac irregularitate non invenio illud revocatum expresse; videri autem potest consequenter ablatum per illam revocationem, argumento textus in cap. Cum illorum, de Sententia excommunicationis, ubi generatim dicitur, Episcopos non habere dispensandi facultatem in his casibus, in quibus absolutio est illis interdicta, *cum majora illis intelliguntur prohibita*, *quibus vetita sunt minora*, ubi Glossa, Panormitanus et alii advertunt, potestatem dispensandi majorem vocari, quam potestatem absolvendi ab excommunicatione, et pro regula statuunt, non posse quem dispensare, ubi non potest absolvere; quamvis e converso possit quis interdum absolvere et non dispensare, quia concesso minori, non propterea conceditur quod majus est. Quod argumentum adeo apud me urgens est, ut considerata restrictissima reservatione peccati hæresis quoad absolutionem, quæ nunc est in usu Ecclesiæ, probabilissimum existimem, etiam quoad dispensationem hujus irregularitatis nunc esse reservatum Summo Pontifici, non solum quoad promotionem, sed etiam quoad exercitium Ordinum. Et ideo fortasse Navarrus et alii moderni loquuntur simpliciter et sine limitatione.

SECTIO II.

Ad quas personas extendatur irregularitas, quæ ob crimen hæresis imponitur.

1. *Prima conclusio. — Apostata omnes pœnas hæreticorum incurrit.* — Principio certum est, hæreticorum nomine hic comprehendi omnes apostatas a fide, quam in baptismo professi sunt. Nam licet in quodam rigore theologico apostata dicatur, qui totam fidem et Christum omnino negat, sive ad paganismum, sive ad judaismum transeat, sive atheus, vel idolorum cultor fiat, hæreticus vero, qui sub nomine Christi aliquid fidei ejus retinet et aliquid negat, tamen quoad propriam rationem culpæ et pertinaciæ omnis hæreticus apostata est, quia omnino recedit ab Ecclesia, totamque supernaturalem fidem amittit, et e converso omnis apostata a fide, quam in baptismo est professus, hæreticus est, quia pertinaciter sequens judicium suum, se ab Ecclesia dividit. Quod adnotavit Cajetanus, 2. 2, quæst. 11, art. 1, et in Summa, verb. *Apostasia*, et alii. Qui conveniunt in assertione posita, nam hujusmodi apostata in omnes incidit hæreticorum pœnas, scilicet, excommunicationis, confiscationis bonorum, et similes, argum. cap. Non potest, 2, quæst. 7, ex Concilio Toletano IV, c. 64, et est communis sententia Innocentii, Hostiensis, et aliorum, in cap. 1 de Apostatis; Eymerici, in 2 part. Directorii, quæst. 49, et ibi Francisci Pennæ, comment. 74; et potest etiam colligi ex c. Contra Christianos, de Hæret., in 6; ergo etiam incurrit pœnam hujus irregularitatis. Unde omnia, quæ dicta sunt de hæretico, eodem modo applicanda sunt ad hujusmodi apostatam fidei, quia et hæreticus est et hæretico deterior.

2. *An qui solum exterius apostata fide, irregularis fiat. — Martinus Vivaldus, tract. de Irregularitate, num. 88, ex Maiolo, lib. 5, cap. 34. — Conclusio.* — Statim vero occurrit dubitatio, si quis exterius, metu, vel humana aliqua cupiditate adductus, fiat apostata, et adoret idola, vel ad paganismum transeat, interius tamen semper fidem retineat, an incidat in hanc irregularitatem. Nam moderni aliqui ita hoc affirmant, ut contrarium dicant esse hæresim Helchesitarum, non satis distinguentes culpam ab irregularitate. Qui enim negaret illam esse gravissimam culpam, cum illis sentiret hæreticis, qui dicebant, non esse peccatum negare Christum in tormentis ore aut externo opere, dummodo corde retineatur, contra Paulum dicentem : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* ad Rom. 10; non sufficit ergo interna fides, sed externa etiam confessio necessaria est ad salutem. Est ergo de fide certum, illam esse gravissimam culpam, ut latius tractatur, 2. 2, quæst. 10 et 12. Quod autem propter hanc culpam eadem irregularitas incurratur, non habet illam certitudinem, nullibi enim definitur. Imo res est, de qua satis dubitari potest; nam juxta communem et veriorem sententiam, hæreticus mere exterior, qui corde non negavit fidem, non incidit in excommunicationem propriam hæreticorum; ergo neque apostata mere exterior; ergo idem dicendum est de utroque quoad irregularitatem, quia non est major ratio de hac pœna, quam de excommunicatione, si utraque fertur propter crimen hæresis. Quia sicut non est hæreticus simpli-

citer, qui exterius tantum hæresim profert sine errore mentis, ita neque est simpliciter apostata, qui exteriori significatione, non tamen corde et animo ad falsam religionem transit. Nihilominus probabilius censeo, propter hoc peccatum incurri irregularitatem. Ad quam probandam adduci solet canon 61 Apostolorum. Sed in eo neque est sermo de omnibus fidelibus, sed de clericis, nec imponitur aliqua pœna ipso jure, sed de clerico timore humano negante nomen Christi dicitur, *ejiciatur*, scilicet, ab Ecclesia per excommunicationem; de negante vero nomen clerici dicitur, *deponatur*. Magis colligitur hæc irregularitas ex Concilio Ancyrano, can. 1, 2 et sequent., et habetur in c. Presbyteros, dist. 50; ibi enim aperte dicitur, eos, qui *ex timore immolaverunt idolis,* aut alio simili signo negaverunt fidem, non posse ad sacrum ministerium accedere. De laicis vero quæritur, quando non ex solo timore, sed ex absoluta coactione et necessitate, quidpiam simile exterius agere coguntur, an possint ad clericatum promoveri; et respondetur posse, quia in eo nihil peccaverunt; supponitur ergo, quando peccando et deficiendo in debita fidei confessione, ex timore id faciunt, non posse promoveri, quod est irregulares fieri. Et ad illam incurrendam sufficere censetur peccatum commissum ex timore humano contra debitam fidei confessionem. Unde pœna illa formaliter non fertur ob infidelitatem aut hæresim, sed ob idololatriam, aut quamcumque aliam similem fidei negationem. Atque ita sentiunt Sylvest., verb. *Irregularitas,* n. 7, et insinuat Angel., n. 27, et Tabiena, *Irregularitas,* n. 7.

3. *De dispensatione in hac irregularitate apostasiæ ex metu.* — De dispensatione vero hujus irregularitatis dicitur in eodem c. Presbyteros, cum presbyteris dispensari posse, ut honorem sedis propriæ retineant, non vero ut in sacerdotali officio ministrent, aut offerant, aut sermonem ad populum habeant. Quod est valde notandum, nam hæc suspensio a munere prædicationis, cum in rigore non sit actus Ordinis, non est intrinseca omni irregularitati, in hac autem specialiter exprimitur. Similiter de diaconis dicitur, post conversionem posse habere aliquem honorem, non tamen ministerium sui officii. *Nisi forte* (additur ibi) *aliqui Episcoporum conscii sint laboris eorum, et humilitatis, et mansuetudinis, et voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere, penes ipsos ergo erit de his potestas.* De inferioribus vero clericis nihil dicitur, à fortiori tamen idem circa illos conceditur. Itaque quoad promotionem ad superiores Ordines, vel omnino ad Ordines, hæc irregularitas indispensabilis est, nisi per Pontificem; quoad usum vero in Ordinibus susceptis usque ad diaconatum, conceditur potestas Episcopo ex gravi aliqua causa; presbyterii autem dispensatio, etiam quoad usum, reservata est Summo Pontifici.

4. *De dispensatione irregularitatis apostasiæ sponte incursæ. — Quorumdam dictum rejicitur. — Maioli dictum improbatur.* — Atque hæc procedunt circa hos, qui per timorem lapsi sunt. Nam de his, qui sua sponte per cupiditatem, vel alium similem respectum hoc modo peccant, dicitur inferius in eodem capite, *indignos quidem esse humanitate, eis tamen benevolentiam commodari,* ubi Glossa declarat, *dabitur ei sustentatio.* Tamen illa ultima pars illius textus sumpta est ex Concilio Nicæno I, can. 11, ubi gravis pœnitentia his lapsis imponitur, et post longum tempus ad communionem admittuntur; et hæc est benignitas, quæ illis commodatur. Unde a fortiori constat horum irregularitatem omnino indispensabilem esse infra Summi Pontificis potestatem. Atque ita sentiunt auctores citati. Non probo autem quod Angelus et Sylvester aiunt, cum laicis, qui ex timore ceciderunt, posse Episcopum dispensare; quia nulla dispensatio quoad promotionem ibi conceditur Episcopo; laico autem non potest dispensatio concedi, nisi ut promoveatur. Unde etiam non probo quod Maiolus supra dicit, in hoc casu facilius dispensari cum laico, ut promoveatur, quam cum clerico ut Ordines exerceat; nullo enim jure hoc probari potest, loquendo de clericis infra sacerdotes; cumque in hoc nihil speciale jus disponat, ex generali regula et consuetudine juris semper est difficilior dispensatio ad promotionem, quam ad usum. Huc accedit, quod statuit de apostatis Concilium Elibertinum, cap. 56, ubi post decennium et non antea dicuntur apostatæ admittendi ad communionem, tantum abest, ut ad ordinationem admitti debeant. Verum est, in illo canone non videri esse sermonem de his apostatis exterioribus, de quibus nunc loquimur, sed de his, qui a fide recesserunt.

Hæreticorum fautores eamdem cum illis irregularitatem incurrunt.

5. Tertio extendi potest hæc irregularitas

ad hæreticorum fautores, receptatores, consilium, auxilium, aut favorem eis dantes. Ita docet Navarr., cap. 27, num. 205; Sylvest., verb. *Hæresis,* 1, quæst. 7; Maiol., lib. 5, cap. 46, et alii Summistæ et moderni. Probatur autem ex cap. 2, § Hæretici, de Hæreticis, in 6, ubi idem, quod de hæreticis, statuitur de eorum fautoribus, receptatoribus et defensoribus, nimirum, quod sint inhabiles ad omne *Ecclesiasticum beneficium et officium publicum.* In quo textu non caret difficultate, an sub aliquo illorum membrorum Ordines comprehendantur; non enim sub priori, scilicet, beneficium, ut per se constat; nec sub posteriori, quia officia publica potius dici videntur ibi magistratus, et similia officia temporalis reipublicæ, cumque materia sit odiosa et pœnalis, videtur potius restringenda, maxime in irregularitate, quæ requirit jus expressum. Nihilominus auctores communiter sub officio Ordines ibi comprehendi intelligunt, quia non est ibi tantum sermo de officiis temporalibus, sed etiam de Ecclesiasticis, inter quæ officia Ordines sine dubio computantur. Præterea supra diximus, suspensionem ab officio includere suspensionem ab Ordine; ita ergo in præsenti. Nam, quod addatur illa particula, *publicum,* non refert, quia etiam officium Ordinum publicum est; hunc ergo intellectum tanquam veriorem, et communiter receptum in tota hac disputatione supponimus. Citatur etiam ad hoc cap. Si quis omnem, 1, quæst. 7. Sed inde nihil colligi posse videtur, nisi fortasse a simili, quod argumentum in præsenti infirmum est. Prior vero textus videtur sufficiens, præsertim, quia fere semper in jure hi æquiparantur hæreticis, vel potius quasi hæretici reputantur. Quod etiam supra vidimus exponendo Bullam Cœnæ. Quapropter omnia, quæ diximus de irregularitate hæreticorum, in his etiam locum habent.

6. *Præbens sacramenta hæretico jam converso, an fiat irregularis. — Conclusio.* — Addit vero Maiolus supra, etiam illum fieri irregularem, qui sacramenta præbet hæretico jam converso, et pœnitentiam agenti. Citatque Speculatorem, tit. de Dispens., § Juxta, v. 7, et Bernardum Diaz, in Pract., c. 107, alias 115, ubi nihil aliud dicit, quam quod statuitur in cap. Excommunicamus, § Credentes, vers. *Si vero clerici,* et vers. *Sane clerici,* de Hæret., in quo juxta verum intellectum sermo est de clericis ministrantibus sacramenta his fautoribus hæreticorum in sua malitia perseverantibus, vel saltem nondum ab excommunicatione absolutis. Pœna vero, quæ his clericis imponitur, non est irregularitas, neque alia ipso jure incurrenda, sic enim dicitur: *Alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur, absque indulto Sedis Apostolicæ speciali;* ubi verbum illud, *priventur,* cum sit de futuro et actionem hominis imperet, juxta communem regulam Jurisperitorum non significat pœnam ipso jure latam, sed ferendam. Igitur ex vi illius textus nullam irregularitatem incurri video propter hoc delictum; neque alias speciales ipso jure latas. Videntur tamen hujusmodi clerici fieri suspecti de hæresi; imo et favere hæreticis, quando ministrant sacramenta hæretico, vel fautori hæretici perseveranti in suo errore vel delicto; non tamen quando post peractam pœnitentiam id faciunt; imo licet aliquis id faciat ante absolutionem a censura, potius favet excommunicato, quam hæretico; et ideo non credo ad illum extendi hanc irregularitatem. Qui autem sint censendi fautores hæreticorum, sufficienter attigimus supra, circa Bullam Cœnæ, et videri potest Eymericus, in Direct., quæst. 50 et sequent.

Schismatici an pœnam irregularitatis incurrant.

7. Quarto extenditur hæc irregularitas ad schismaticos, juxta sententiam, quam refert, et sequitur Maiol. supra, num. 4, et Franciscus Penna, in Directorio, part. 2, comm. 73, referens Canonistas, in cap. Quia diligentia, de Elect. Qui solum asserunt, schismaticum etiam post abjuratum schisma manere inhabilem ad beneficium, et dignitates Ecclesiasticas, quod quidem habet in illo textu magnum fundamentum, nam dispensative tantum ejus electio confirmanda dicitur: de irregularitate vero nihil asserunt dicti Doctores, neque colligi potest ex illo textu; probari autem solet ex cap. 1 de Schismaticis, et cap. Qui contra, 24, quæst. 1. Hanc vero extensionem omiserunt Summistæ, et Navarrus supra, et merito; nam si sumatur schisma, ut aliquam hæresim includit, sic schismatici includuntur sub hæreticis, et hoc modo dicitur schisma non esse sine hæresi, in cap. Inter schisma, 23, quæst. 3. Et in eodem sensu videtur loqui dictum cap. 1 de Schismaticis; nam illi schismatici hæresiarchæ ibidem vocantur; sic ergo schismatici sunt irregulares, quia sunt hæretici; imo

omnes hæretici schismatici sunt, quamvis non convertantur, ut dixit D. Thom., 2. 2, q. 39. At proprie schismatici prout distinguuntur ab hæreticis, sunt illi, qui Romanam Ecclesiam scindunt, non quidem male sentientes de potestate Summi Pontificis, sed conantes usurpare eam dignitatem vel in aliquem, cui jure non competit, illam transferre; et pro his schismaticis non invenio irregularitatem ipso jure impositam. Nam, in dict. cap. 1 de Schismaticis (licet demus de his proprie loqui juxta Rubricam, quæ distincta est ab altera de hæreticis), nullum est verbum, quod irregularitatem significet; sed primum indicatur suspensio a potestate ordinandi, ibi, *ordinationes ab eis factas irritas esse censemus.* Deinde indicatur suspensio a collatione beneficiorum et administratione Ecclesiarum, ut latius inter suspensiones declaravimus. In dict. autem cap. Qui contra, generaliter est sermo de his, qui agunt contra pacem Ecclesiæ, sub quibus merito includuntur schismatici; tamen pœnæ, quæ ibi designantur, omnes sunt per homines imponendæ, ut in textu manifestum est. Denique in cap. In nomine Domini, 23 dist., ubi contra hos schismaticos pœnæ efferuntur, nulla fit mentio irregularitatis, sed gravissimi anathematis ipso facto incurrendi, et depositionis, non ipso facto impositæ, sed ferendæ; verba enim textus sunt : *Ab omni Ecclesiastico gradu, in quocumque fuerat prius, sine retractione deponatur.* Idemque intelligi potest ex cap. Licet, de Elect., et cap. Ubi periculum, eodem titulo, in 6, et ex Theologis in propria materia, et Summistis, verb. *Schismatici,* qui recensentes schismaticorum pœnas, hujus non meminerunt. De quo etiam videri potest Eymericus cum comm. Francisci Pennæ, in 2 part. Direct., quæst. 48, et Turrecrem., lib. 4 Sum., part. 1, cap. 8.

Suspectus de hæresi an incurrat hæreticorum irregularitatem.

8. Quinto extenditur hæc irregularitas ad suspectos de hæresi, ut late tractat Maiolus, lib. 3, cap. 17, quamvis ibi indicet, hanc irregularitatem, non tam pertinere ad pœnam hæresis, quam ad irregularitatem ex infamia, de qua infra dicturi sumus; probat autem hanc irregularitatem ex cap. ult., d. 30, ubi sic dicitur : *Iste non obediens, nec suspicionem hæresis a se removens, deponatur de ordine clericatus;* et ex cap. Infames, 6, q. 1, ubi et suspecti et rectam fidem non habentes, ad sacros gradus dicuntur non provehendi. Idemque non obscure colligitur ex cap. Inter sollicitudines, de Purgat. canon.

9. *Primum caput unde potest hæc suspicio provenire. — Secundum caput hujus suspicionis. — Tertium caput. — Discrimen inter hanc irregularitatem et præcedentem.* — Advertere autem possumus, suspicionem hanc interdum provenire ex alio crimine includente cooperationem ad hæresim, quale est favere, recipere, aut defendere, familiaritatem habere cum hæretico, et in hoc genere suspicionis duplex irregularitas videtur incurri, una ratione talis criminis, juxta superius dicta, alia ratione suspicionis vehementis de hæresi. Nihilominus tamen existimo utramque incurri per modum unius, vel potius esse unam tantum. Quanquam enim verum sit, utramque rationem in illo casu esse per se sufficientem ad inducendam irregularitatem, tamen, cum per se imposita sit propter tale crimen, quod intrinsece et per se habet conjunctam talem suspicionem vel infamiam, propter utramque rationem imposita est; sicut hæreticus ipse non incurrit duas irregularitates, unam propter delictum, aliam propter infamiam. Aliquando vero inducitur hæc suspicio ex alio crimine, quod formaliter non includit cooperationem, favorem, aut defensionem hæreticorum, ut videtur esse schisma; aliquo enim modo reddit hominem suspectum de hæresi, juxta Extravagant. *Ad certitudinem,* de Sent. excomm. Similis est suspicio juris de illo, qui per annum excommunicationem sustinuit, juxta cap. Cum contumacia, de Hæreticis, in 6, et cap. Excommunicamus, 1, § Qui autem, de Hæreticis, et generalius in Tridentino, sect. 25, cap. 3. De quibus et de aliis causis hujus suspicionis videri potest Franciscus Penna in Directorio, 3 part., comm. 24, num. 109, cum aliis quos allegat. Et in his casibus quamvis ratione talis delicti per se non incurratur irregularitas, incurri tamen potest ratione suspicionis. Differt tamen hæc irregularitas a præcedente, quod hæc non imponitur proprie per modum pœnæ, sed solum per modum indecentiæ ortæ ex infamia, ideoque ablata tali infamia, et purgata suspicione, auferetur talis irregularitas, ut patebit ex dicendis infra de infamia. Unde majori ratione hoc dicendum erit, si contingat, hanc suspicionem generari absque aliquo delicto, ut quia aliquis natus est, vel educatus inter

hæreticos, vel quia necessitate aliqua compulsus, ad eorum terras confugit, vel quia bona fide cum eis familiaritatem habuit ignorans eorum errores. In his enim et similibus casibus sufficienter purgata suspicione, auferri existimo irregularitatem. Atque ita sentit Maiolus supra.

10. *Suspicio hæresis duplex.* — Denique adverto, suspicionem hanc duplicem a nobis distingui posse, unam juris, et alteram facti. Prior est, quando inducitur per indicia jure probata, ut est illud de pertinacia unius anni in excommunicatione; posterior est, quando ex conditione ipsius operis absque alia juris dispositione talis suspicio generatur. Inter quas prior suspicio videtur esse major, magisque certa, majoremque purgationem requirere; posterior autem prudenti arbitrio judicanda est, non tamen sine magno fundamento est admittenda. De qua re, præter citatos auctores, videri potest Bernardus Diaz, in Practica, cap. 148, et plura dicemus infra agentes de infamia.

11. *Qui pactum habent cum dæmone an sint irregulares.* — Sexto hinc facile intelligitur alia extensio hujus irregularitatis, quam dicuntur etiam incurrere, qui pactum cum dæmone habent, eumve colunt, aut invocant, vel responsa ab eo petunt; formaliter enim nullam invenio irregularitatem in jure propter hoc crimen impositam. Tamen per hoc delictum aliquis de hæresi suspectus efficitur, ut tradit Glossa, in c. Accusatus, § Sane, verb. *Saperent,* de Hæreticis, in 6, quam esse communiter receptam affirmat Penna, in Direct., 3 part., comment. 24, n. 109; et Zanchinus, tractat. de Hæreticis, cap. 22, n. 7; et sumi potest ex cap. Non observetis, cum aliis, 26, quæst. 7. Hanc ergo ob causam potest ex tali facto irregularitas contrahi, non quidem per se ratione delicti, sed quando tale fuerit, ut suspicionem hæresis inducat, quod in aliis criminibus observandum est, de quibus postea dicemus.

SECTIO III.

Utrum hæc irregularitas ad hæreticorum filios, et ad neophytos in fide extendatur.

1. *Conclusio.— Cap. Statutum, de hæretic., expenditur. — Notandum circa illud. — Secundum notandum. — Tertium notandum.* —Quod ad filios et nepotes hæreticorum attinet, expressa est juris dispositio, in cap. 2, § Hæretici, de Hæret., in 6, ubi idem canonicum impedimentum, quod imponitur hæreticis et fautoribus eorum, ad filios illorum usque ad secundam generationem extenditur. Quod declaratur ex cap. Statutum, 2, eodem titulo. Primo quoad nepotes seu secundam generationem, ut solum habeat locum in filiis per lineam paternam; per maternam vero in prima generatione sistatur. Quod fortasse ideo factum est, quia filius magis videtur patrem repræsentare vel imitari, quam matrem. Hoc autem ita intelligitur, ut si mater fuerit hæretica, filii ejus, non autem nepotes, irregulares sint; si autem pater fuerit hæreticus, filius et nepotes irregulares fiant; filia vero non est capax irregularitatis, neque etiam ejus filii eam incurrunt, quia jam descendunt ab hæretico per lineam maternam et sui patris conditionem sequuntur. Vide Antonin. Gomez, lib. 3 Variar., cap. 2, num. 4. Secundo intelligitur tantum de filiis hæreticorum, qui in suo errore et divisione ab Ecclesia moriuntur. Nam, si convertantur et reconcilientur Ecclesiæ, filii non contrahunt talem inhabilitatem. Et in hoc voluit lex constituere differentiam inter ipsummet, qui crimen committit, et ejus filios; nam ille, quamvis Ecclesiæ reconcilietur, adhuc manet irregularis, donec dispensetur; filii vero non indigent dispensatione post parentis reconciliationem. Meritoque hac moderatione lata est hæc pœna; nam licet ob criminis gravitatem, et infamiam, et alias causas potuerint parentes in filiis etiam puniri, ut latius prosequitur Castro, de Justa hæreticorum punitione, cap. 10, nihilominus tamen juste fuit hæc pœna gravius et inseparabilius imposita ipsi delinquenti, quam ejus filiis. Quod etiam utile esse potuit aliquo modo, ut ipsi parentes facilius convertantur. Denique constat ex eisdem juribus, hoc non solum de filiis hæreticorum, sed etiam de filiis fautorum et credentium eorum intelligi; de omnibus enim illis fit expressa mentio in dicto textu. Atque hæc est communis doctrina, ut patet ex Glossa ibi, et Doctoribus, et Summistis, verbo *Irregularitas;* Navarro, cap. 27, num. 205; Maiolo, lib. 5, cap. 46; Eymerico, in Directorio Inquisitorum, 3 part., quæst. 114 et 115; ubi Penna materiam latissime disputat, et alios refert, tractatque duas graves quæstiones breviter expediendas.

2. *Qui filii hæreticorum hac pœna afficiantur.— Quid de filiis genitis ante lapsum patris. — Notandum.* — Prior est, de quibus filiis hoc intelligendum sit, ad quam respondeo

omissis opinionibus, de omnibus intelligendum hoc esse; nam cum lex nihil distinguat, sed filios absolute nominet, omnes plane comprehendit, nec nos possumus eam limitare aut convenienti aliqua ratione inter filios distinguere. Itaque comprehenduntur in primis filii legitimi, et omnes illegitimi cujuscumque modi; non enim debent esse melioris conditionis, eo quod turpius geniti sint. Deinde comprehenduntur filii, sive ante, sive post patris lapsum nati. De qua re generalis controversia est inter auctores, an filii nati ex patre hæretico antequam lapsus fuerit in hæresim, æque participent pœnas, quæ ad filios extenduntur, ac illi, qui post lapsum nati sunt. Cujus partem negantem defendit Simancas, in Catholicis institutionibus, tit. 23, cum multis, quos refert. Partem autem affirmantem defendit Castro, lib. 2 de Justa hæreticorum punitione, cap. ultim., et lib. 1 de Potestate legis pœnalis, cap. 7; et Covarr., lib. 2 Variarum, cap. 8, num. 5; Antoninus Gomez, tom. 3 Variarum, cap. 2, num. 16; et Gregorius Lopez, partita 7, titul. 2, lib. 2, verb. *Sus filios,* quæst. 1. Quidquid vero sit de aliis pœnis, aut de jure civili, vel communi, vel proprio regni Hispaniæ, quoad pœnam, de qua nunc agimus, et quoad jus canonicum, quo introducta est, hæc posterior sententia, atque adeo assertio posita verior nobis videtur. Tum quia etiam quoad hanc partem jura citata generatim et indifferenter loquuntur; tum etiam quia in dict. cap. Statutum, 2, hoc explicatur de filiis et nepotibus hæreticorum, credentium et aliorum hujusmodi, *qui tales esse vel tales decessisse probantur*. Ergo, ut filius sustineat hanc pœnam, satis est quod pater ejus hæreticus esse probetur; hoc autem satis probatur, etiamsi post genitum filium in hæresim inciderit; alias oportebit probare patrem non solum esse, sed etiam fuisse hæreticum antequam filium generaret, quod lex non requirit, nec nos possumus illud addere sine majori fundamento, cum in jure canonico nullum appareat, nec ratio, quæ urgeat. Nam illa, ob quam hæc pœna derivatur in filios, non est, quia parens jam erat infectus, quando genuit filium, ut propterea virus in ipsum transtulisse videatur; nam hoc non est veluti originale peccatum, quod per generationem transfundatur, neque hæc pœna est propter cooperationem aut imitationem paterni delicti (quanquam hæc non minus, vel fortasse magis præsumi possent in filio jam nato, quando delictum fit; quam in postea concepto), sed est propter puniendum gravius ipsum patrem, non tantum in se, sed etiam in filiis; ad hoc autem impertinens est, quod filii fuerint jam nati, necne, ante lapsum in hæresim. Advertendum autem est illud verbum, *Probentur,* quia ut filii incurrant hanc pœnam, necesse est, ut parentes in judicio fuerint convicti, vel confessi, vel saltem ut res sit satis publica et omnibus probata. Dices : ergo etiamsi filius hæretici ordinatus sit antequam pater incideret in crimen hæresis, removendus erit ab executione Ordinum. Patet sequela, quia si non esset ordinatus, contraheret irregularitatem; ergo tunc etiam contrahit quantum potest; consequens autem videtur absurdum, nimirum, ut *aliquis privetur quo fungitur gradu, quem propria culpa ab illo non dejicit,* ut dixit Gregorius, lib. 10, epist. 8. Respondetur, in eo casu probabile esse filium non privari usu Ordinum, quia jam habet jus acquisitum, ut dixit Gloss., in c. Satis perversum, dist. 56, et sumitur ex Simancas, de Catholicis institut., tit. 29, num. 20, ubi alios refert. Et ad hoc potest expendi cap. 2, § Hæretici, de Hæret., in 6, in verb. *Admittantur;* non enim præcipit, ut dejiciantur, vel ut priventur beneficiis aut officiis jam obtentis; idem ergo est de Ordinibus. Quod procedit, non solum quando filius acquisivit jus ante delictum patris in re ipsa commissum, sed etiam si fuit acquisitum ante sententiam declaratoriam criminis, propter eamdem rationem, ut iidem auctores dicunt.

3. *An filii relapsorum qui reconciliantur Ecclesiæ, et tamen seculari brachio traduntur, sint irregulares. — Pars affirmans. — Pars negans.* — Altera quæstio est, an dicta declaratio cap. Statutum, habeat locum in hæreticis relapsis, qui reconciliantur Ecclesiæ et brachio seculari traduntur, an scilicet, filii eorum vel nepotes per illum textum excipiantur, ne irregulares fiant. Et est ratio dubii, quia in illo textu limitatio fit ad hæreticorum filios, qui tales esse vel tales etiam decessisse probantur. Sed licet parentes combusti sint, filii eorum non sunt filii talium hæreticorum, *qui hæretici esse aut decessisse probentur.* Atque hanc partem secuti sunt auctores graves, quos Penna supra citat. Ipse vero contrariam tenet sententiam cum Joanne Andrea, Simancas, et aliis etiam, quos refert; et videtur hæc fuisse sententia Glossæ in dicto textu, verb. *Reincorporatos.* In quo verbo præcipuam vim faciunt auctores hujus sen-

tentiæ, quia non dicuntur Ecclesiæ reincorporari, nisi qui ad gremium Ecclesiæ iterum admittuntur. Sed profecto etiam relapsi, si sufficientia pœnitentiæ et fidei signa ostendant, absolvendi sunt a censura et a culpa, quamvis postea sint corporaliter puniendi; ergo prius reincorporantur Ecclesiæ; nam per absolutionem a censura fit hæc reincorporatio. Quod autem post hanc admissionem ad Ecclesiam, oporteat in ea persistere diutius, aut non privari vita corporali, ut illa sit vera incorporatio, nulla videtur sufficienti ratione probari, cum hæc reincorporatio spiritualiter intelligenda sit, solumque fiat per abjurationem errorum, et professionem fidei ex parte rei, et absolutionem ex parte Ecclesiæ.

4. *Objectio. — Solvitur. — Replicatio. — Enodatur. — Resolutio.* — Sed urgent, quia textus ille non tantum requirit hos hæreticos emendatos, sed reincorporatos; non potest autem dici emendatus, qui in crimen, quod abjuraverat, relapsus est. Sed hoc minus urget, nam relapsus, quatenus talis est, non potest dici emendatus a tali lapsu; tamen, si post relapsum, ipsius reincidentiæ veram pœnitentiam agat, ab utroque lapsu potest esse vere emendatus. Et patet, quia priusquam hujusmodi reus absolvatur a censura et culpa, judicandus est emendatus, alias non potest digne absolvi; at in prædicto casu omnino absolvendus est; ergo supponitur emendatus. Alia verba, quæ in illo textu sequuntur, videntur magis favere huic sententiæ, quia non solum requiritur, ut isti sint emendati et reincorporati, sed additur : *Et pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam receperint, quam ipsi vel jam perfecerint, vel humiliter prosecutioni ejus insistant, vel parati fuerint ad recipiendam eamdem.* Per quæ verba satis significari videtur talem requiri reconciliationem, quæ admittat veniam et det locum pœnitentiæ, quæ omnia simul sumpta non habent locum in relapsis. Verumtamen neque hæc verba omnino cogunt, præsertim propter illud ultimum membrum disjunctivæ, *vel parati fuerint ad recipiendam eamdem;* nam hæc pars verificari potest etiam in relapso vere converso; nam ipse paratus est ad recipiendam pœnitentiam. Nihilominus modus ille loquendi juxta communem usum indicat sermonem esse de his, qui ad pœnitentiam admittuntur vel juridice admitti possunt, ideoque licet prior sententia videatur benignior, hæc in rigore videtur verior. Juxta quam consequenter idem dicendum est de filiis hæresiarchæ, quamvis relapsus non fuerit, quia etiam non ita reincorporatur, ut ad pœnitentiam admittatur, prout in eo textu postulari videtur. Idemque dicendum est de illo, qui negat delictum hæresis, de quo convictus est, et propterea traditur brachio seculari, quia ille nec emendatus dici potest, nec reincorporatus, cum non absolvatur, et in foro Ecclesiæ probatus est esse et decedere hæreticus quidquid ipse neget. Denique tanta est infamia, quæ ex hac pœna parentis filiis creatur, ut vel propter eam causam non fuerint excipiendi.

De neophytis. Secunda conclusio.

5. *Vox neophytus quid significet. — Irregularitas hæc ab Apostolis instituta.* — De neophytis dicendum secundo est, illos esse irregulares. Ut probetur, adverto vocem *neophytus* esse ambiguam. Generatim enim significat novum in statu, unde aliquando novitius dicitur neophytus, tanquam in religione novus, cap. ult., dist. 48, et Gregor., lib. 7, epist. 110. De quo novitio controversia esse solet, an pro tunc sit irregularis ad Ordines, de qua alibi dicam; est enim a præsenti materia aliena. Sic etiam dici potest neophytus in clericatu, qui recens ordinatus est, ut sumitur ex multis decretis, dist. 59 et 61. Et in eo considerari potest irregularitas, pertinens vel ad defectum ætatis, vel ad servanda interstitia Ecclesiastica, vel debitum ordinem, ne per saltum ascendat, quæ omnia ad præsens non spectant et supra tractata sunt. Aliter ergo dicitur neophytus, qui est in fide Christiana novus, unde etiam catechumenus sic aliquando vocatur, cap. Neophyti, de Consecrat., dist. 1, ex Concilio Carthaginensi IV, cap. 86. Ille vero etiam non spectat ad præsentem considerationem, quia est plus quam irregularis, ut supra dictum est. Igitur hic neophytus dicitur, qui in ætate adulta baptizatus est et novus est in baptismate; hæ namque duæ conditiones ex jure colliguntur; non enim dicuntur neophyti in fide, nisi vel catechumeni, vel qui post catechismum recenter sunt baptizati, quod solum habet locum in adultis. De hoc ergo neophyto intelligitur assertio posita, quæ communis est. Censeturque hæc irregularitas Apostolica seu ab Apostolis instituta. Probatur ex illo 1 ad Timoth. 3 : *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Ibi tamen

solum de Episcopo Paulus loquitur. Et ratio quam subjungit, videtur specialiter dignitatem Episcopalem respicere, quia neophytus subito ad illam dignitatem evectus facile posset in superbiam efferri. Unde in can. 70 Apostolorum, solum dicitur, Non est æquum, eum, qui ex vita Gentili accesserit et baptizatus fuerit, protinus Episcopum fieri. Tamen in Concil. Nicæn., c. 2, æque fit sermo de Episcopatu et presbyterio. Et subditur : *Et post baptismum multa probatione indiget; evidens namque est Apostolicum præceptum dicens, Non neophytum,* etc. Et in Concil. Laodic., c. 3, dicitur, *non oportere eos, qui nuper sunt illuminati baptismate, in sacerdotali Ordine promoveri.* At vero in Concil. Arelat. II, c. 1, dicitur, *ordinari ad diaconatus vel sacerdotii officium neophytum non debere.* Et in Concil. Sardic., c. 13, dicitur : *Nec ratio, nec disciplina patitur, ut temere vel leviter ordinetur, aut Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui neophytus est, maxime cum et magister gentium beatus Apostolus ne hoc fieret, denunciasse et prohibuisse videatur.* De subdiaconis et inferioribus Ordinibus non ita expresse loquuntur antiqua jura; nec mirum, quia neque omnium illorum Ordinum inferiorum est ita frequens mentio in illis. Tamen sine dubio dum de diaconatu loquuntur vel presbyterio, cum proportione reliquos Ordines subintelligunt, cum alias sæpe statuant eadem jura, in omnibus Ordinibus servandam esse debitam probationem in inferiori, priusquam ad superiorem ascendatur, ut videre licet fere tota dist. 59 et 61; et in Concilio Romano sub Sylvestro, c. 11; et in Tridentino, sect. 23 in Reform., cap. 11 et sequent. Unde Gregor., lib. 4, epist. 51, alias cap. 95 : *Ad sacros* (inquit) *Ordines Paulus Apostolus neophytum venire prohibebat.* Ubi non videtur loqui de Ordinibus sacris in eo rigore, quo nunc majores Ordines ita vocamus, sed absolute de toto clericali Ordine. Ratio etiam, quam Paulus insinuat, in omnibus Ordinibus cum proportione locum habet; nam in quolibet Ordine inchoatur suo modo Ecclesiastica dignitas; et ideo in quolibet esse potest elationis periculum, si inordinate ad illum ascendatur. Accedunt etiam aliæ rationes, quæ in citatis canonibus attinguntur, quia recenter conversus ad fidem, neque in doctrina fidei potest esse satis instructus, neque in Ecclesiasticis rebus expertus, imo neque in constantia fidei satis probatus.

6. *Quanto tempore dicatur quis neophytus.* — Quæret tamen aliquis, quanto tempore judicandus sit aliquis neophytus, ut possit post baptismum susceptum Ordines recipere, quia jura nihil circa hoc specialiter disponunt, sed absolute loquuntur de neophyto, et ad summum vocant recenter illuminatum seu baptizatum. Quanto autem tempore dicendus sit recenter baptizatus, non declarant. Solum dicit Gregorius, in dict. epist. 110, lib. 5 : *Neophytus tunc dicebatur, qui initio sanctæ fidei erat eruditione plantatus,* ut refert Gratianus; nam in originali solum dicitur : *Qui in sanctæ fidei erat eruditione plantatus;* lib. autem 4, epist. 51, addit : *Qui adhuc noviter erat in fide plantatus.* Et subjungit, nunc etiam neophytum reputari, *qui adhuc novus est in sancta conversatione.* Quanto autem tempore, aut quomodo judicandus sit noviter plantatus in fide, nulla certa regula videtur posse discerni. Nisi quis fortasse dicat, eum, qui in adulta ætate baptizatus est, semper reputari recenter conversum, etiamsi multo tempore vivat, ita ut nunquam possit sine dispensatione ordinari. Sed hoc nullo jure fundari potest, imo oppositum insinuant citata jura, quia in eis dicitur, neophytum non esse admittendum usque ad sufficientem probationem et instructionem, id est, donec neophytus esse desinat; ergo non est necesse, ut sic baptizatus, semper neophytus sit. Ad quod etiam faciunt verba illa cap. Eam te, de Rescriptis : *Pro eo vero, quod Judæus extiterit, eum dedignari non debes.* Ubi Doctores et specialiter Felinus, num. 12, notant, infidelitatem præcedentem non nocere converso, ut promoveatur, nisi fuerit hæreticus, vel nisi fuerit de recenti conversus. Hinc Navarr., cap. 27, num. 205, ait, non esse reputandum neophytum, qui ante decem, vel plures annos conversus est : quod non alia ratione, vel textu probat, est tamen per se verisimile, quia tempus decem annorum sufficientissimum est ad probationem, instructionem, et experientiam, quam Ecclesia in neophytis desiderat, et quia decennii tempus adeo diuturnum in jure existimatur, et quasi perpetuum reputetur.

7. *Conclusio.* — Dico tamen nullam posse certam temporis regulam in hoc negotio assignari, sed prudens judicium necessarium esse, quia nec tempus diuturnum sufficit, si alia necessaria non concurrant, et tot signa fidei, charitatis, doctrinæ, prudentiæ, et aliarum virtutum concurrere possunt, ut intra breve

tempus possit aliquis ordinari; sic enim aliquando legimus factum in Ecclesia, ut sanctissimi viri statim ad Episcopatum repente eligerentur, etiam ante susceptum baptismum. Unde est illud Ambros., epist. 82, alias 25 : *Neophytus prohibetur ordinari ne extollatur in superbiam : sed, si non deest humilitas competens sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.* Quæ verba ita retulit Gratianus, dist. 61, cap. Neophytus. Ambrosius vero cum de sua ordinatione loqueretur, interposuit hæc verba notanda : *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est, quæ nimirum et humilitatem et dignitatem electi demonstrabit.* Existimo tamen hoc prudens judicium quoad inferiores clericos ad Episcopum pertinere, nam quoad Episcopos proprium est Summi Pontificis, a quo debent confirmari; quoad alios vero committendum non est judicio cujuscumque prudentis, aut inferioris pastoris, cum approbatio ordinandorum ad Episcopum pertineat; neque etiam videtur Episcopis hæc facultas deneganda, cum in hoc jura nihil disponant, nec certum tempus limitent. Neque est hæc propria dispensatio in irregularitate, quia hæc irregularitas non habet certum durationis tempus, et ita solum est quædam authentica declaratio, quod talis irregularitas in tali persona finita jam sit. Unde, si contingeret, propter necessitatem alicujus Ecclesiæ, et penuriam ministrorum expedire aliquem adhuc neophytum, et per se ac absolute nondum satis habilem ad Ordines, ad Ordines admitti, non credo id posse fieri arbitrio solius Episcopi, sed necessariam esse dispensationem Pontificis, quia illa jam non est declaratio finitæ irregularitatis, sed dispensatio in illa, quæ, cum sit dispensatio in præcepto Apostolico, et nullibi legatur Episcopo commissa, non videtur ei permittenda. Quin potius, quoties aliquis ab ipsomet baptismate (ut sic dicam) ad Ordines assumendus est, quantumvis propter insignes animi dotes assumatur, videtur necessaria dispensatio Pontificis, quia non obstante quacumque alia dignitate personali, necessaria est aliqua temporis dilatio moralis, ideoque nunquam id factum et probatum legimus, nisi ex aliqua speciali motione Spiritus sancti, et interveniente publico consensu Ecclesiæ seu Episcoporum, ac fere semper ipsius etiam Summi Pontificis.

8. *Tertia conclusio.* — Dico tertio : filii neophytorum, qui ante usum rationis baptizantur, irregulares non sunt. Probatur, quia ipsi non sunt neophyti, ut ex dictis patet, nec quia parentes eorum sunt vel fuerunt neophyti, ideo ipsi sunt irregulares, quia in jure talis extensio non invenitur. Proceditque hæc assertio, sive hi filii nati sint post baptizatos parentes, sive antea, dummodo ante usum rationis baptizati sint. Imo etiam habet locum, licet parentes baptizati non fuerint, ob eamdem rationem, quod ipsi nunquam sunt neophyti, et ob conditionem parentum nullibi fiunt irregulares. Neque in hoc est eadem ratio de his, et de filiis hæreticorum, quia ibi causa irregularitatis est delictum parentis, quod punitur etiam in filiis, et redundat in infamiam eorum; hic autem irregularitas parentis non est propter delictum, sed solum propter novitatem status, quæ in ipso causat indecentiam ad ascendendum subito ad clericalem statum, quæ novitas non habet locum in filio, qui ab infantia baptizatus est, neque in eo causat indecentiam, aut veram infamiam apud Deum. Atque ita sentit Navarr., dict. n. 205. Qui consequenter infert non esse irregulares illos, qui vulgo *Christiani novi* appellantur, quia illi non tantum filii sunt, sed nepotes, vel in alio etiam inferiori gradu descendentes a Christianis, qui a judaismo, vel paganismo conversi sunt ad fidem. Hoc autem intelligendum est cum duplici limitatione. Una est, ut intelligatur ex vi juris communis, nam per statuta particularia alicujus Regni vel Provinciæ possunt excludi. Oportet tamen, ut talia statuta per Sedem Apostolicam confirmata sint. Alia est, ut hoc intelligatur per se, et ex vi talis originis; nam si aliunde talis persona sit suspecta in fide, ex hoc capite erit irregularis, juxta superius dicta; oportet tamen ut suspicio sit rationabilis et prudens, et in individuo de tali persona, alioqui injuria illi fieret, ideoque hoc suspicionis genus, quod alicubi generale est in opinione vulgi, per se non sufficit ad reddendas irregulares particulares personas, licet possit sufficere, ut interveniente Pontificis auctoritate, possint condi statuta, quibus excludantur.

9. *Cap. Constituit, 17, q. 4, objicitur. — Exponitur.* — Sed objici potest contra hanc partem, cap. Constituit, 17, q. 4, quod sic habet, *Constituit Sanctum Concilium ut Judæi aut hi qui ex Judæis sunt officia publica nullatenus appetant.* Ubi *Judæi* appellari videntur, qui ex Judaismo ad fidem conversi sunt, et Gloss. videtur exponere, et cum ea Tiraquellus in tract. de Pœnis temperandis,

caus. 51, n. 19; hi autem, *qui ex Judæis sunt*, dici videntur filii talium Judæorum; ergo etiam filii horum neophytorum sunt irregulares ex vi illius textus. Respondeo, textum illum sumptum esse ex Conc. Toletano IV, can. 65, in quo manifeste est sermo de Judæis, qui illo tempore in Hispania legem suam profiteri permittebantur. Quod patet tum ex ipsa Judæorum appellatione; nunquam enim Concilium homines jam baptizatos, et ad fidem conversos, Judæos appellavit; tum etiam quia statim distinguit illos a Christianis, dicens, *quia sub hac occasione Christianis injuriam faciunt*. Nec Glossa, aut Tiraquellus aliter vocem illam, *Judæi*, interpretantur; sed sub alia, scilicet, *qui ex Judæis sunt*, comprehendi putant eos, qui ex Judæis de novo sunt ad fidem conversi; quod non obstat his, quæ diximus, nam licet hunc sensum admittamus, isti non excluduntur, quia filii Judæorum sunt, sed quia ipsi neophyti sunt. Per se autem est difficilis illa interpretatio, quia hos etiam videtur Concilium a Christianis distinguere in verbis ante ponderatis, et ideo verisimilis est alia Glossæ interpretatio, *ex Judæis*, ibi appellari omnes familiares eorum, seu qui ex familia eorum sunt, præsertim filii familias, ut ibi Turrecremata cum aliis notavit, late impugnans priorem expositionem. Ubi etiam ait, ex Judæis appellari proselytos, qui Judaismum profitebantur, licet ex eorum origine non essent. Addo etiam ibi publica officia, juxta subjectam materiam, appellari Magistratus, et alia officia, quæ pertinent ad politicam et temporalem gubernationem Christianorum, ut ex ipso Concilio satis constat.

SECTIO IV.

Utrum, propter simoniæ vitium, vel aliud religioni contrarium, irregularitas incurratur.

1. *Conclusio generalis*. — Circa quæstionem hanc generatim existimo nullam propriam irregularitatem propter hæc crimina, per se loquendo, seu seclusa infamia, incurri, ex illo fundamento, quod hæc pœna non invenitur expresse in jure lata propter hæc crimina. Tamen, ut hoc in specie probemus, et nonnullas irregularitates, quæ ab aliquibus auctoribus sine sufficienti fundamento adjiciuntur, excludamus, præsentem dubitationem proponimus.

De simonia.

2. *Prima opinio. — Rejicitur quoad posteriorem partem*. — Primo ergo de vitio simoniæ, quidam asserunt, sive committatur in Ordinibus, sive beneficiis, inducere irregularitatem, tam in dante quam in recipiente, ut ait Maiolus, lib. 4, c. 23, et latius, lib. 5, c. 45, cum Speculatore, titul. de Dispensat., § Juxta, v. *Secundo in simonia*, qui aperte loquuntur de propria irregularitate, non de suspensione. Nam Speculator subdit, hujusmodi irregularem ministrando non incurrere novam irregularitatem, et Maiolus dicit hoc esse verum, quantum est ex vi prioris irregularitatis; nam ratione excommunicationis, quam etiam simoniacus incurrit, ministrando fit iterum irregularis; quod dicere non potuissent, si loquerentur de suspensione, et non de propria irregularitate. Hæc vero sententia quoad hanc posteriorem partem falsa est; nam simoniacus in Ordine suscepto celebrans sine dispensatione fit irregularis, non solum quia excommunicatus est, sed etiam quia propriissime suspensus per cap. Si quis, de Simonia. Ubi hæc suspensio in tres personas fertur simoniam in Ordine committentes, scilicet, præsentantem, ordinantem et ordinatum; non tamen æqualiter, neque quoad eadem ministeria, et ideo non etiam æqualiter incurrent hanc irregularitatem ministrando, sed cum proportione, unusquisque, scilicet, in actu sibi prohibito, juxta supra dicta de Suspensione, disput. 31, sect. 4.

3. *Improbatur quoad priorem partem, et jura, quæ pro illa allegantur, exponuntur*.— Atque hinc præterea colligo, falsum esse primum dictum hujus sententiæ, quia nullum est decretum in jure, quod distincte loquatur de irregularitate, sed de suspensione, propter hoc crimen. Quod patet in primis ex dict. cap. Si quis, quod dicti auctores pro se allegant. Afferunt etiam cap. Tanta, eodem titulo, in quo prius dicitur, *Omnis peccator Missam cantare potest, præter simoniacum*. Deinde additur, a quolibet posse accusari, *ut ab Ordine male accepto removeatur*. Verumtamen priora verba ad summum probant, simoniacum habere canonicum impedimentum, ut celebrare non possit; quod verum est ratione suspensionis, et excommunicationis. Sensus enim illorum verborum esse debet, omnem peccatorem, si nihil aliud quam peccatum illi obstet, pœnitentiam agendo, posse Missam cantare; simoniacum autem, etiamsi illam agat, non posse, quia habet aliud impedimentum. Hinc autem irregularitatem inferre, nihil aliud est, quam ex genere speciem affirmative

colligere. Posteriora autem verba ex vi sua, non solum irregularitatem, verum neque aliam pœnam ipso facto incurrendam imponunt, ut patet ex illo verbo, *removeatur;* conjungendo tamen pœnas impositas in aliis juribus, sensus illius verbi est, ut removeatur, cogendo illum ad observandam suspensionem, quam incurrit. Addere item possumus cap. De hoc, eodem titulo, ubi propter simoniam in beneficii susceptione commissam, perpetua depositio imponenda dicitur, et idem insinuatur in cap. Per tuas, eod. tit. Verumtamen illa etiam non est irregularitas, quia ibi non agitur de pœna ipso jure imposita, sed ab homine imponenda. Possunt item verba illa intelligi de executione illius suspensionis, quam alia jura imponunt; sæpe enim suspensio de se perpetua, depositio in jure vocatur. Citatur præterea, cap. Statuimus decretum, et cap. Erga simoniacos, 1, quæst. 1. Sed in hoc posteriori solum dicitur, *simoniacos omnino damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus.* Quæ verba non sufficiunt, et eumdem sensum habent, quem diximus. In priori vero textu dicitur, *a proprio gradu decidant,* quod verbum significare videtur depositionem. Tamen, quia non additur verbum, *ipso jure,* et potest aliquis per se cadere, vel ab alio dejectus, ideo illa etiam verba explicari possunt de suspensione perpetua ab homine imponenda, juxta alia verba, quæ paulo inferius ibidem subjiciuntur : *Ab officio male accepto removeantur.* Et, licet intelligantur de suspensione ipso jure, nihil faciunt ad irregularitatem probandam.

4. *Ratio in contrarium.—Solvitur.*—Tandem vero addi potest in confirmationem hujus sententiæ, quia simoniacus in jure hæretico comparatur, et ideo hæresis appellari solet, ut patet in dicto cap. Per tuas, de Simonia, et cap. Præsentium, 7, quæst. 1; ergo sicut hæreticus fit irregularis, ita et simoniacus. Maxime cum hoc crimen etiam comparetur crimini idololatriæ, et illi quodammodo præponatur, c. Cum omnis, et c. Eos qui, 1, quæst. 1, juncta Glossa ibi; comparatur etiam crimini læsæ majestatis, juxta L. *Si quemquam,* ubi Baldus, Cod. de Episc. et clericis. Denique dicitur majus quolibet alio crimine in dict. cap. Per tuas, et in c. ult., 1, q. 7; ergo si per idololatriam, et alia minora vitia incurritur irregularitas, multo magis per simoniam. Verumtamen hæc etiam ratio non probat, primo quidem, quia simonia non dicitur hæresis per proprietatem, ut per se manifestum est, quia non est vitium inducens errorem in intellectu, sed pravitatem in affectu circa talem materiam; per quandam autem metaphoram seu exaggerationem ita vocatur, quia simoniacus opere ipso videtur profiteri male sentire de rebus sacris, ut docuit D. Th., 2. 2, q. 100, art. 1; lex autem, quæ pœnam imponit propter crimen aliquod, secundum proprietatem intelligenda est. Deinde certum est, hoc vitium non esse majus, neque æquale omnibus aliis, præsertim hæresi, et idololatriæ, quæ magis directe offendunt Deum ipsum, ut latius in propria materia dicendum est; sed jura interdum ita loquuntur, vel per exaggerationem, vel juxta subjectam materiam, loquendo, scilicet, de peccatis fidelium, et clericorum, quæ dici solent crimina mere Ecclesiastica, ut videre licet in Julio Claro, lib. 5, § Simonia. Et maxime intendunt jura dicere, hoc crimen esse valde perniciosum Ecclesiæ, propter pronitatem ad illud, cum illius enormitate. De quo videri potest Turrecremata, in dict. cap. Patet, et in cap. Eos, et in cap. Cito, 1 quæst. Denique (quidquid sit de criminum comparatione) certum est, eam non sufficere ad extendendam irregularitatem ad casum in jure non expressum, qualis est hic de quo agimus. Multo autem improbabilius est, quod Maiolus supra simpliciter asserit, irregularem fieri qui Ordines, aut beneficium per simoniam recipit, etiamsi per ignorantiam et absque peccato id fieri contingat; et ideo statim cum sciverit, debere abstinere, et beneficium dimittere. Nam juxta veriorem sententiam, sic ordinatus, neque suspensus manet, si Episcopus ordinans suspensus antea non erat. Propter simoniam item in beneficio, etiam cognitam, probabilius est non incurri suspensionem ab Ordine : quæ omnia in loco supra citato tractavi; multo ergo minus in his casibus incurretur irregularitas. Igitur de simonia quoad hoc genus pœnæ, nihil addendum est his, quæ de excommunicatione, et de suspensione diximus.

An propter sacrilegium incurratur irregularitas.

5. *Maioli regula. — Exploditur.* — Secundo principaliter dicendum hic est de aliis peccatis contra religionem, de quibus Maiol., lib. 5, cap. 30, generalem regulam statuit, propter crimen sacrilegii irregularitatem incurri, quam in sequentibus per varias species sacrilegiorum declarat, eamque probat, vel

per extensionem ab uno ad alia ob paritatem rationis, vel ex generalitate verborum in cap. Infames, 6, quæst. 1, ubi inter alios sacrilegi infames appellantur, et consequenter irregulares. Sed nunc non agimus de infamia, alioqui multa alia vitia numeranda essent, quæ ibi recensentur; sed agimus de propria pœna talis criminis, et hæc ibi non ponitur, neque alicubi generatim, ut recte significavit Bern. Diaz, c. 87, ubi referens doctrinam Hostiensis, qui in Summ., tit. de Accusationibus, § Qui sit effectus, dixit, sacrilegium puniri pœna depositionis, ipse ait, sacrilegium se habere multipliciter, et ideo considerandam esse speciem ejus, quasi dicat, ex vi generis non habere definitam pœnam, omnibus speciebus communem, et Hostiensem, de sacrilegio, non distributive, sed indefinite, seu de enormi aut gravissimo sacrilegio intelligendum esse. Quam doctrinam ego verissimam existimo, et præsertim quoad pœnam irregularitatis, in qua maxime argumentum a simili validum non est. Sed videamus de singulis.

6. *Primus sacrilegii modus excluditur.* — Primo ergo dicitur hæc irregularitas incurri propter crimen vendendi res sacras, paramenta, calices, etc. Quæ videtur probabiliter colligi ex cap. Si quis presbyter aut diaconus, d. 50. Ubi de committente hoc delictum dicitur, *Placuit in ordinatione Ecclesiastica non haberi.* Quæ verba satis videntur irregularitatem indicare. Omnes tamen expositores locum illum intelligunt de quadam depositione accommodata delicto, nimirum, quia talis clericus removeri debet ab administratione rerum Ecclesiasticarum. Vel etiam de depositione, aut suspensione ab Ordine, si crimen tali pœna dignum fuerit judicio Episcopi, cui totum hoc negotium ibidem committitur.

7. *Secundus modus rejicitur.* — Numeratur præterea sacrilegium turpis commistionis cum moniali, aut sacra virgine. Nam de clerico tale delictum committente dicitur in cap. Si quis Episcopus, 27, quæst. 1, *Deponatur,* sicut de laico dicitur, *Excommunicetur.* Tamen et ex vi ipsius verbi, et ex comparatione dictarum pœnarum satis constat, illam non esse pœnam jure impositam, sed ab homine imponendam, atque adeo non esse irregularitatem, sed depositionem per hominem pronunciandam. Quod etiam constat ex c. Si qua monacharum, et c. Si quis rapuerit, eadem caus. et quæst., et late exponit Bernard. Diaz, c. 81. Ex verbo ergo, *Deponatur*, ut dixi, non bene colligitur irregularitas, alias innumeræ essent multiplicandæ, ut patet tota distinct. 50, cum aliis.

8. *Tertius modus improbatur.* — *Quartus modus.* — Et hoc uno verbo excluduntur plura alia exempla hujus irregularitatis, quæ prædictus auctor affert. Primum de sortilegis, seu magicis divinatoribus, ex 26, quæst. 3, per totam, ubi depositionis pœna imponitur in cap. Si quis Episcopus; quamvis enim Gratianus legat, *suspensus,* tamen correctiora exemplaria habent, *depositus;* et sic etiam Glossa interpretatur; et latius Bernard. Diaz, cap. 107, et Sylvester, verb. *Superstitio,* quæst. 11, ubi refert ex Archidiacono, quosdam dixisse, per hoc crimen etiam occultum contrahi irregularitatem, quam opinionem ipse non reprobat; sed rejicienda est, quia talis irregularitas non est in jure expressa. Refert etiam alios dixisse, saltem incurri hanc irregularitatem, quando tale delictum est publicum, quod ipse sequitur cum Bernard., in cap. 2 de Sortilegis. Refert denique alios, qui hoc etiam negant, quorum sententia verior est, quia talis irregularitas nullibi invenitur. Et patet etiam ex cap. 2 de Sortilegis, ubi clerico tantum suspensio unius anni ab altaris ministerio in pœnam imponitur, idque non ipso jure, sed per hominem. Huc etiam spectat peccatum apostasiæ a religione, vel clericatu, quod irregularitatem inducere dicitur ex cap. ult., dist. 50, cum Glossa, quæ est proxime ante illud, verb. *Apostatæ.* Sed in eo textu tantum dicitur, apostatam a religione, durante eo statu, non esse ad Ordines admittendum. An vero incurrat suspensionem, si ita impœnitens ordinetur, diximus supra. Et videri potest Sylvester, verb. *Apostasia,* quæst. 8, et verb. *Dispensatio,* num. 20, ubi significat, hanc quidem esse irregularitatem, dispensabilem tamen a Prælato religionis, ad quam apostata post pœnitentiam reducitur. Sed neque ibi talis potestas conceditur, neque alibi, et ideo, si ex vi juris communis ordinari potest, hoc est, quia non fuit factus simpliciter irregularis, sed durante statu apostasiæ; ita enim potest caput illud commode intelligi; et favet cap. ult. de Apostatis, si bene expendatur. Quam rem latius in opere de Religione tractamus.

9. *Quintus modus exploditur.* — *Sextus modus improbatur.* — Aliud exemplum est de blasphemia, quod non est probabilius quam reliqua, nam jure antiquo depositionis pœna imponebatur, ut patet ex cap. Si quis, 22, quæst. 1, de qua pœna, quando et quomodo

adhibenda esset ab Ecclesiasticis judicibus, tractant Hostiens. in Summa, tit. de Maledicis, § Blasphemantes; Panor. et alii, in cap. 2 de Maledicis; Bernard. Diaz, cap. 110. Nunc vero extat constitutio Concilii Constant., sub Leone X, sess. 9, ubi non imponitur clerico specialis pœna ipso jure incurrenda, sed prius postulatur, ut sit convictus de crimine, et deinde pro prima et secunda vice leviores pœnæ imponuntur, pro tertia vero privandus dicitur omnibus beneficiis et dignitatibus, et inhabilis reddi ad similia in futurum; de Ordinibus autem nihil dicitur; et pro laicis aliæ pœnæ imponuntur, nulla facta mentione irregularitatis. Ex quibus a fortiori patet idem dicendum esse de peccato perjurii; nulla enim irregularitas pro eo fertur in jure, quamvis si clericus sit perjurus in judicio, et in alia causa, seu extra confessionem proprii delicti, reus sit pœnæ depositionis, non quidem ipso jure latæ, sed ab Ecclesiastico judice imponendæ, ut dicitur in cap. Cum non ab homine, de Judiciis, et ex canone 25 Apostolorum, in cap. Presbyter, dist. 85. In cap. autem De his, dist. 50, dicitur de clericis, qui publice perjuri sunt : *A gradu suo decidant.* Sed præterquam quod textus ille tantum est Rabani, jam supra diximus, verba similia recte intelligi de pœna depositionis a pastorali munere, vel etiam ab Ordine, ab homine imponenda. Quod autem ibi dicitur de publico perjurio ita puniendo, fortasse olim generatim et indistincte observabatur; nunc autem solum in perjurio commisso in judicio dicta pœna locum habet; de qua legi potest Abbas, in cap. Querelam, de Jurejurando; Dec., in dict,. cap. Cum non ab homine, et Bernard. Diaz, cap. 92. Alia ergo perjuria extrajudicialia arbitrio Prælatorum punienda sunt. Et per hæc judicari facile potest de similibus exemplis, quæ non sunt facile admittenda, sed examinanda jura; nam ex eis expendendo verba, sicuti exemplis adductis fecimus, facile constabit non esse sermonem de irregularitate. Erat autem satis grave et necessarium exemplum de sacrilegio, quod frangendo sigillum confessionis committitur, neque esset hic omittendum, nisi in superiori tomo in materia de pœnitentia tractatum fuisset.

SECTIO V.

Utrum, propter alia crimina, vel statum eorum incurratur irregularitas.

1. *Prima generalis regula.* — *Duæ regulæ a Maiolo in contrarium statutæ rejiciuntur.* — In quolibet crimine considerari potest, aut solum delictum semel commissum, aut consuetudo, vel frequentia ejus, aut perseverantia in illo per impœnitentiam. Loquendo ergo de sola commissione criminis, generalis regula statui potest, nullum aliud crimen, præter pauca supra enumerata, et homicidium, sub quo mutilationem comprehendimus, irregularitatem inducere, quia pro nullo legitur in jure imposita ; et qui exceptionem adhibuerit, tenetur textum expressum adducere, quod facere non poterit (ut opinor), id quod a fortiori patebit ex dicendis. Itaque, si cætera crimina per pœnitentiam deleantur, illa commisisse non impediet Ordinum susceptionem, aut executionem, neque ad illam erit necessaria dispensatio, sed absolutio, si forte habeant annexam censuram, ideoque irregularitatem non inducunt. Contra hanc vero regulam duas alias constituit Maiol., lib. 5, cap. 12, in fine. In priori ait committens quodvis capitale crimen irregularem fieri, quia omne tale crimen inducit infamiam, juxta cap. Illi, 6, quæst. 1, quo loco nominantur illa peccata, de quibus Apostolus ait, *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur,* qualia sunt omnia mortalia. Verumtamen nunc non agimus de infamia, sed de irregularitate, quæ sit pœna talis criminis, quæ ibi non imponitur. Neque infamia incurri dicitur per quodcumque peccatum absolute commissum, sed interveniente contumacia post Ecclesiæ correctionem, ut ibi Turrecremata, et alii Doctores advertunt. Citantur etiam Concilium Agathens., cap. 50, et Concilium Aurel. III, cap. 9, in quibus clericus propter capitale crimen deponi jubetur. Sed hoc etiam parum nos cogit, quia sæpe diximus hoc satis non esse ad irregularitatem. Addo, crimen capitale ibi non significare quodlibet mortale; alioqui non statim sub disjunctione adderet : *Qui capitale crimen commiserit, aut cartham falsaverit, vel falsum testimonium dixerit,* cum hæc etiam peccata mortalia sint. Capitale ergo dicitur, quod secundum leges dignum est pœna capitis, ut notant expositores, in cap. Si Episcopus, dist. 50. Huc vero spectat alia re-

gula dicti auctoris, scilicet, omnia peccata, quæ in lege veteri erant capitalia, id est, morte digna, in nova inducere irregularitatem. Solumque probat ex facto Gregorii, quod refert Joannes Diaconus, lib. 2 de Vita ejus, cap. 16. Sed cum illud non contineatur in jure, non sufficit ad irregularitatem inducendam, maxime cum post Gregorium hoc sit in jure declaratum.

2. *Secunda generalis regula.* — Secunda regula etiam generalis est, hujusmodi crimina, quæ non habent in jure irregularitatem annexam quando committuntur, non inducere illam propter solam durationem seu impœnitentiam talis culpæ. Probatur ex eodem principio, quia etiam propter hanc durationem non legitur in jure irregularitas imposita. Et declaratur in hunc modum : nam vel hoc esset ex generali ratione status peccati mortalis, et hoc non, ut patet ex ratione facta, et quia tempus talis durationis definiri non potest. Vel esset ex statu in hac vel illa specie peccati gravioris, et hoc etiam dici non potest, quia ubicumque jus imponit irregularitatem propter aliquod crimen, non fundatur in duratione ejus, sed in sola commissione, ut patet in omnibus supra tractatis. Solent quidem aliquando jura imponere pœnam contumacibus, et perseverantibus in peccato commisso, et sub hac conditione, et non aliter; sed hoc faciunt in censuris ferendis; in aliis vero pœnis nunquam considerant solam permanentiam, sed vel commissionem delicti tantum, vel novam iterationem, vel aliquid hujusmodi; non est tamen dubium, quin irregularitas pro delicto posset sic imponi; hactenus vero nullam inveni, quæ hoc speciali modo imposita sit; si autem inveniretur, non propterea esset extendenda ad alia delicta ratione similitudinis, ut sæpe dictum est.

3. *Objectio. — Solutio. — Quod majus impedimentum, irregularitas, an peccatum mortale. — Maioli dictum improbatur. — Pauli testimonium exponitur.* — Dices, eum, qui est in statu peccati mortalis, esse moraliter inhabilem ad quemcumque Ordinem recipiendum, vel exercendum, non solum ob naturalem conditionem ipsius peccati mortalis, sed etiam ob speciale præceptum Apostoli, 1 ad Timoth. 3 : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse* et de diaconis : *Probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes;* et ad Titum 1 : *Oportet Episcopum sine crimine esse;* dicitur autem sine crimine esse, non solum qui peccatum mortale nunquam commisit, sed etiam qui in eo statu non permanet, veramque pœnitentiam commissi peccati egit, et ob eamdem causam jam tunc dici potest irreprehensibilis, licet antea fuerit reprehensione dignus. Per crimen autem intelligunt Augustinus, tract. 41 in Joan., et Beda, ad Titum 1, quodlibet peccatum mortale; et refertur, dist. 81, cap. 1, ubi multa alia decreta de hac re leguntur. Et faciunt etiam cap. ult., dist. 24, et cap. 1, dist. 81, cum similibus, in quibus deponendus dicitur, qui in aliquo gravi crimine esse convincitur. Respondeo, de hujusmodi statu in peccato mortali dupliciter nos loqui posse, vel in sensu composito (ut sic dicam), id est, quamdiu durat talis status, vel etiamsi auferatur. Loquendo hoc posteriori modo, certum est ex sola duratione status peccati mortalis, ut sic, non nasci irregularitatem, quæ maneat cessante tali statu per pœnitentiam, et aliquam dispensationem requirat; nullum enim extat jus, in quo talis irregularitas fundari possit. Loquor autem per se; nam, si inde generetur aliqua infamia, quæ est aliud caput irregularitatum, illud est accidentarium, aliterque illi malo subveniendum est, ut postea dicturi sumus. At vero considerando peccatum quamdiu durat, sic dici potest ponere impedimentum Ordinibus suscipiendis, et exercendis, non canonico jure inventum, sed divino et naturali. An vero dicendum sit majus impedimentum quam irregularitas, Maiolus, lib. 5, cap. 1, absolute affirmat, fortasse propter majorem malitiam; tamen quatenus facilius auferri potest, dici potest minus. Item quantum ad obligationem non recipiendi Ordines, vel eis non utendi. Nam recipere primam tonsuram in mortali peccato, forte non est novum peccatum mortale; cum irregularitate autem, esse opinor. Similiter subdiaconum uti officio suo in peccato mortali, non est novum mortale; cum irregularitate autem erit, juxta supra dicta, et in 3 tomo de Sacram. in genere. Ratio vero differentiæ est, quia irregularitas directe et quasi ex proprio instituto continet hanc prohibitionem; peccatum vero non ita directe, sed solum ratione cujusdam indecentiæ, quæ extra ministerium et receptionem sacramentorum regulariter non censetur adeo gravis. Unde, quod Maiol., supra, l. 5, cap. 1, n. 2, ait, eum, qui in peccato mortali, etiam occulto, aliquid de suo Ordine exercet, etiamsi solum tangat eas res, quæ sine Ordinibus tangi non possunt, novum peccatum mortale

committere, hoc (inquam) per exaggerationem dictum videtur, cum nullo jure, vel positivo, vel naturali, probari possit, licet Sylvester, et aliqui Summistæ interdum ita loquantur, de quo videri possunt dicta 3 tomo, disputat. 16, sect. 3. Ad testimonium ergo D. Pauli respondetur, per illa verba non induxisse novum præceptum positivum, sed explicasse quod per se debitum est sanctitati Ecclesiastici Ordinis ac ministerii, ideoque ex illis verbis non colligi specialem irregularitatem. Alia vero jura canonica præcipiunt observari hoc ipsum divinum jus, aut naturale, et pœnas imponunt transgressoribus illius, non tamen addunt specialem irregularitatem, nisi in casibus supra numeratis.

4. *Tertia regula.* — *Quorumdam opinio.* — *Improbatur.* — Tertia regula esse potest, nullum fieri proprie irregularem propter frequentiam, vel consuetudinem committendi mortale aliquod crimen. Itaque ubi peccatum semel commissum non habet in jure irregularitatem adjunctam, propter solam frequentiam, vel consuetudinem, non adjungitur illi, quia oporteret hoc ipsum esse in jure expressum, quod tamen non fit. Et quidem si consuetudo peccandi sit occulta, regula est recepta sine controversia, ut a fortiori patebit ex dicendis. De peccato autem publico est nonnulla dubitatio. Nam aliqui sentiunt, clericum publicum peccatorem contrahere specialem irregularitatem, ita ut etiam post peractam pœnitentiam non possit absque dispensatione ad superiorem Ordinem ascendere, vel in proprio ministrare. Quod saltem in quibusdam gravioribus criminibus depositione dignis affirmat Navarrus, cap. 25 Summæ, num. 73, et cap. 27, num. 154, et num. 248 et 249, ex cap. ult. de Temporibus ordinat. In quam sententiam videtur etiam inclinare Maiolus, lib. 5, cap. 1, num. 6, et latius, cap. 12, per totum, ubi affert Speculatorem, titul. de Dispens., § Juxta, et citat plura decreta, ut cap. Testimonium, de Testibus, cum Glossa, et cap. De his vero, et cap. Sacerdotes, 50 dist., et cap. Si quis presbyter, 15, quæst. 8, et ibidem hoc extendit ad crimina non ita gravia, sed mediocria, si publica sint per evidentiam facti, vel per confessionem, aut per sententiam judicialem, juxta cap. Quæsitum, de Tempor. ordin. Vel etiam per publicam infamiam, quæ per purgationem canonicam auferri non potuit. Hæc tamen omnia non constanter affirmat, sed post varia, quæ generatim dicuntur ab auctoribus, concludit, nihil certum posse in generali dici, nisi ad particularia descendatur. Atque hoc ego verissimum censeo. Opinor igitur, in eo casu non incurri propriam irregularitatem, propter quam sit necessaria dispensatio post peractam pœnitentiam, seclusa infamia, de qua postea dicemus. Hoc probo, quia nullo jure probatur talis irregularitas.

5. *Jura pro illa opinione allata exponuntur.* — Etenim in citato cap. ult. de Tempor. ordinat., in primis non est sermo de criminibus in genere, sed de quatuor in particulari, scilicet, homicidio, perjurio, adulterio, et falso testimonio. Deinde, excepto homicidio prout ibi etiam excipitur, propter alia non imponitur irregularitas, neque incurri supponitur, neque aliquod aliud impedimentum canonicum, ut supra probavi disput. 31, sect. 4, sed solum supponitur, propter hujusmodi crimen publicum posse clericum, qui tale crimen publice commisit. impediri ab usu Ordinum, in quo jus Prælatorum Ecclesiæ, et providentia ab eis adhibenda declaratur, non vero speciale impedimentum ipso jure incurrendum imponitur. Multo autem minus probant alia jura. Nam in dict. cap. Testimonium, non agitur de criminibus, quæ inducunt irregularitatem, sed de his, quæ sufficiunt, ut testimonium alicujus in judicio non admittatur, quidquid autem de illis sit, nullum argumentum a simili hic admittimus. Solum possunt similia jura deservire ad explicandum quando et quomodo ex illis contrahatur infamia, et ratione illius irregularitas. Cap. autem De his, in superiori sectione expositum est, quia nec propriam legem, sed Rabani sententiam, nec verbum, quod indicet pœnam ipso facto impositam, continet. Cap. autem Sacerdotes, quod potius de suspensione loquitur, in dicta sectione de suspensione late tractatum est. Ubi etiam exposuimus cap. ult., 15, quæst. 8, quod ad hoc etiam allegari solet. Caput tamen penultimum, seu, *Si quis presbyter,* quod supra citatum est, in primis non est Martini Papæ, sed sumptum ex canonibus Martini Episcopi Bracharens. Deinde in eo non fertur aliqua pœna ipso jure, sed ponitur modus, quo puniendus est presbyter, vel diaconus, qui subticendo peccatum prius commissum, Ordines suscepit. Cum autem ibi dicitur, *Si peccaverit,* intelligendum videtur non de quolibet peccato (quia incredibile est quodcumque peccatum ante ordinationem commissum tam severe puniri), sed de pec-

cato, quod suscipiendis Ordinibus impedimentum affert. Unde in Concilio Neocæsariensi, cap. 9, ex quo videtur Martinus decretum illud sumpsisse, dicitur, *Si corpore prius peccaverat,* etc., et de aliis peccatis secundum veriorem translationem subditur : *Nam reliqua peccata plurimi censuerunt per manus impositionem posse tolli;* ac si diceret, non impediunt ordinationem, si de illis pœnitentia agatur. *Peccatum* autem *corporis,* sine dubio est aliqualis lapsus carnis, et communiter exponitur de fornicatione, ex cap. Qui admisit, 15, quæst. 8, nam fortasse olim simile peccatum commissum etiam ante ordinationem presbyterii, vel diaconatus, puniebatur postea in clerico confitente tale delictum, vel de illo convicto. Sed hoc non est nunc in usu, neque ex tali pœna propria irregularitas colligi potest. Quapropter, sicut supra dixi non incurri suspensionem propter hujusmodi peccatum publicum, ut, v. gr., concubinatum, vel aliquid hujusmodi, ita in præsenti sentio non incurri irregularitatem, nisi vel ratione infamiæ, de qua item dicemus, vel propter aliquod speciale jus, quod solum in delictis supra tractatis invenitur.

6. *Plures casus a Maiolo inter irregularitates numerati excluduntur.* — Non omittam tamen advertere, Maiolum, in lib. 5, fere per 40 capita enumerare quamplurima peccata, quæ irregularitatem inducunt. Sed de nullo id satis probat, præter ea, quæ tractavimus, loquendo de propria et canonica irregularitate; sed interdum quodlibet impedimentum peccati, aut scandali, et alia hujusmodi, quæ natura sua reddunt illicitum usum Ordinum, vocat irregularitates. Sæpe etiam quodlibet censuræ impedimentum irregularitatem appellat, sæpiusque suspensionem, aut depositionem etiam ab homine imponendam, neque amplius probant jura, quæ adducit. Quod possemus facile ostendere discurrendo per singula; tamen ob vitandam prolixitatem id omittimus, præsertim cum ex multis exemplis in superioribus tractatis facile sit de cæteris ferre judicium.

DISPUTATIO XLIV.

DE IRREGULARITATE QUÆ CONTRAHITUR EX DELICTO HOMICIDII VOLUNTARII.

Duplex est hominis occisio, una injusta, altera justa, et prior esse potest voluntaria vel directe, vel indirecte tantum. Illa ergo quæ et injusta, et directa voluntate fit, retinuit nomen voluntarii homicidii; quæ autem non ita voluntaria est, dicitur casualis, habetque aliquam rationem homicidii, si indirecte saltem voluntaria sit; quod si contingat esse omnino involuntariam, dicetur simplex occisio hominis mere casualis, nam homicidium absolute, peccaminosum actum significare solet. Voluntaria vero hominis occisio duplici titulo potest esse justa, scilicet, ratione defensionis, aut publicæ potestatis et causæ. Unde quadruplex consurgit hominis occisio seu materiale homicidium, scilicet, voluntarium, casuale, defensivum, punitivum, et ex omnibus consurgunt irregularitates, quæ hic sigillatim tractandæ sunt, propter connexionem quam inter se habent; simulque de mutilatione dicemus, quia ejusdem speciei est, licet imperfecte illam participet.

SECTIO I.

Quæ voluntas in præsenti materia necessaria sit ad homicidium voluntarium.

1. *Regula generalis.* — *Prima conclusio.* — Supponimus ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem, id enim passim habetur in jure, d. 50, et tit. de Homicidio, per multa capita. Ut autem modus hujus irregularitatis intelligatur, explicare oportet quæ voluntas, et quæ actio ad voluntarium homicidium juxta consuetudinem juris sufficiat; hinc enim resolutio hujus disputationis pendet, ut recte Cajet. notavit 2. 2, q. 64, art. 7. In præsenti ergo quæstione certum in primis est ad hanc irregularitatem esse necessariam voluntatem directam et perfectam homicidii; nam in jure irregularitas homicidii voluntarii multum differt a casuali, ut patet etiam ex Trid., sess. 14, cap. 7 de Reform. Differentia autem solum esse potest in voluntate directa, quæ necessaria est ad voluntarium homicidium, et non ad casuale, ut ex eisdem juribus constat et ex his quæ congerit Covarr., relectione de Homicid., p. 2, initio.

2. *An requiratur voluntas expressa occidendi ad irregularitatem hanc.* — *Prima opinio.*—*Impugnatur.*—Difficultas vero superest an requiratur voluntas expressa occidendi hominem. Nam Covarr. supra negat esse necessariam, sed satis esse putat, quod quis directe intendat alium percutere, et vulnus injuriosum, vel nocivum illi inferre; nam, licet non intendat lethale vulnus, vel potius

quamvis intendat illud non inferre, si tamen de facto intulit vulnus lethale, et sequuta est mors, tale homicidium directe voluntarium censendum erit. Non caret tamen hoc dubitatione; nam illud solum dicitur homicidium voluntarium, quod directe ac perfecte voluntarium est. Quod videtur explicari illo verbo, *Per industriam, vel per insidias,* in cap. 1 de Homicidio, ex verbis Exod. 21, et in cap. Sicut dignum, § 1, eodem titulo, expresse dicitur, *Qui animo occidendi.* Et eisdem modis loquuntur leges civiles. Sed perfectum voluntarium non est, nisi ubi effectus ipse expresse et in se est volitus, ut constat ex 1. 2, q. 6, art. 1 et 3, q. 79, ubi D. Thom. ait, *cum aliquid non cognoscitur esse peccatum, non posse dici quod voluntas per se et directe feratur in peccatum.* Sic ergo in præsenti dici potest, homicidium quod sequitur ex actione quæ non fuit cognita ut occisiva, neque ut talis fuit volita, non posse dici per se et directe voluntarium, quia voluntas tunc non fertur directe et per se in ipsum homicidium; ergo tale homicidium non erit simpliciter voluntarium. Et confirmatur, nam id, quod est voluntarium tantum in causa, est solum indirecte voluntarium, etiamsi effectus sequatur per se ex tali causa; imo tunc maxime intercedit hoc voluntarium; nam, si effectus sequatur mere per accidens, vix potest esse voluntarius, ut sentit D. Thom. supra, et 1. 2, quæst. 20, art. 5. Sed in eo casu homicidium tantum est voluntarium in causa, scilicet, in percussione, cum in se non fuerit intentum : ergo. Confirmatur secundo, nam repugnat eumdem eventum simul esse directe voluntarium, et directe nolitum; sed in eo casu non solum quis non intendit occidere, sed etiam intendit non occidere, et consequenter intendit ita moderari actionem, ut non occidat; ergo, quamvis postea sequutum fuerit homicidium, non potest dici directe voluntarium, cum expresse fuerit nolitum. Confirmatur tandem ex cap. ult. de Homicidio, in 6, ubi qui famulo mandat, ut alterum percutiat, non vero occidat, si famulus mandatum excedat, et occidat, dicitur manere irregularis; et redditur ratio : *Cum mandando in culpa fuerit, et hoc contingere posse, debuerit cogitare.* Ex quibus verbis colligitur, illud homicidium non esse directe voluntarium, sed indirecte in causa quam debuit et potuit vitare; idem ergo erit, etiamsi quis per seipsum alium vulnerat, si tamen id faciat sine proposito occidendi. Et D. Thom., 2. 2, q. 64, art. 8, ad 2, plane sentit in simili casu tantum esse homicidium voluntarium indirecte.

Quæstionis resolutio.

3. *Prima conclusio.* — Pro resolutione adverto, triplicem voluntatem posse hic intervenire : una occidendi expresse, et de hac nulla est dubitatio quin sufficiat. Secunda est definita non occidendi, sed directa vulnerandi absque vulnere lethali. Tertia erit indefinita percutiendi, vulnerandi aut me vindicandi. Deinde oportet distinguere forum conscientiæ, quod veritate rei innititur, ab externo, quod sæpe utitur præsumptione. Dico ergo primo, absolute illud solum dicendum esse in præsenti materia homicidium voluntarium, quod ex proposito occidendi fit. Hoc mihi probant omnia superius adducta, quibus addo verba Concilii Trident., sess. 14, cap. 7, ibi : *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit;* et infra : *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu,* etc. Ex quibus verbis constat, illud appellari homicidium voluntarium, quod ex proposito fit; dicitur autem homicidium factum ex proposito, quod fit ex voluntate occidendi, nam ibi non est sermo de alio proposito; ergo hæc voluntas necessaria est ad homicidium simpliciter voluntarium. Hoc etiam confirmant jura civilia in quibus non dicitur homicidium absolute voluntarium, nisi intercedat dolus, ut patet ex l. In lege, ff. Ad legem Corneliam; dolus autem non est nisi animus occidendi, ut constat ex l. 1, § 1, et ex l. Divus, eod. tit. Quibus locis aiunt juris interpretes, quoties simpliciter sermo est de pœna homicidæ, intelligendum esse illum, qui tali dolo et voluntate homicidium committit, quia ille est tantum homicida simpliciter juxta commune jus, et quia pœnæ restringendæ sunt. De quo late Antonius Gomez, tom. 3 Variarum, cap. 3, num. 15, et sequent. Imo addit Salzedo, cap. 94, in Practica, ad homicidium voluntarium, prout in hac materia sumitur, requiri, quod deliberato animo, et inito consilio fiat; nam si ex rixa repente orta, vel ex inimicitia ob injuriosa verba subito contracta homicidium perpetretur, casuale putat esse, non voluntarium. Et citat Didacum Perez, in lib. 8 Ordinamenti, tit. 13, num. 256, in Rubrica. Sed hæc nimia ampliatio et extensio mihi videtur; quanquam enim rixa ex tempore suborta sit, potest quis libera voluntate directe intendere mortem alterius; ergo tale homicidium est in se directe voluntarium, et sub

hac appellatione in jure comprehenditur, nisi fortasse induat rationem defensionis, cujus alia est consideratio infra tradenda.

4. *Corollarium.* — Ex hac vero regula sequitur, quando aliquis vulnerat alium directa voluntate percutiendi seu vulnerandi, tamen cum proposito non occidendi, quamvis mors sequatur, illud non esse homicidium voluntarium in rigore, et in conscientia, in qua de tali proposito constare potest. Quod secus est in foro exteriori, et ideo in illo conjecturis et signis agitur, quæ ex circumstantiis, ut ex instrumento quo percussit, ex loco, modo, et occasione desumuntur, et in dubio semper præsumitur contra occidentem, ut late Antonius Gomez supra. Aliquando vero necessarium est eisdem conjecturis uti in foro animæ maxime ad dispensationem, ut quando ipsemet occidens nescit explicare intentionem suam. Et præsertim, quando habuit animum percutiendi, neque expresse includendo usque ad occisionem, neque etiam excludendo aut limitando, sed indifferenter absolute volendo percutere aut vulnerare; tunc enim circumstantias considerare necesse est, nam ex eis pendet cognitio causæ, quæ ad occisionem hominis applicata fuerit; nam si illa sit proxima, et ita efficax, ut ex illa moraliter sequi soleat mors, tunc homicidium illud censendum erit simpliciter voluntarium; in quo casu procedet prior sententia ex Covar. citata; nam velle talem causam, perinde est ac velle effectum; nam si quis directe vult applicare ignem segeti, satis directe vult incendium; et qui vult propinare venenum, quod scit esse mortiferum, satis directe vult mortem, etiamsi fingat se nolle. Sic ergo qui ense vult percutere absolute, in quacumque parte potest, et quomodo potest, et hoc modo occidit, tale homicidium voluntarium est, quia moraliter idem est velle talem causam proximam, et velle effectum. Quod secus erit, quando utens eodem instrumento, directe procurat non percutere ita ut vulneret, vel non in parte periculosa; tunc enim si aliud eveniat, præter intentionem erit, et excusabitur a ratione homicidii voluntarii in dicta proprietate. Idemque a fortiori erit, si instrumentum ex se non erat aptum ad inferendam mortem; et simili modo poterunt aliæ circumstantiæ considerari.

5. *Secunda conclusio.*— Dico ergo secundo, ad hanc irregularitatem necessariam esse expressam ac directam, imo et spontaneam voluntatem occidendi, in actu signato (ut sic dicam), vel exercito. Dicitur enim tali voluntate fieri, quando vel mors ipsa est inten a vel saltem actio illa, quæ est causa proxima, et moraliter per se, et inevitabilis mortis, ut satis explicatum est, quia velle talem actionem, revera est velle inferre mortem in actu exercito (ut sic dicam), quamvis in actu signato et expresso non concipiatur. Dixi autem voluntatem hanc debere esse spontaneam, ut excluderem voluntatem se defendendi, quæ in hac materia solet dici necessaria; et licet in ea aliquando excedatur, etiam peccaminose, effectus ex illa secutus non est voluntarius, prout nunc loquimur, sed alterius rationis, ut infra videbimus. Adde, sub nomine mortis mutilationem etiam comprehendi, juxta dicenda sectione sequente.

SECTIO II.

Utrum ad hanc irregularitatem necessarius sit effectus mortis vel mutilationis.

1. *Prima opinio.* — Certum est, solam voluntatem internam non sufficere, si in actum exteriorem non prodeat, ut in principio hujus materiæ dictum est, et patet ex cap. ultim., 15, quæst. 1. Dixerunt autem quidam, fieri aliquem irregularem, si animo occidendi vulnera intulit, vel, quod in se est, fecit ad occidendum, quamvis mors non fuerit subsequuta. Ita Gloss. ultim., in c. Perniciose, de Pœnitent., dist. 1, et probat ex cap. Si cui, eadem dist., ubi Augustinus ait, *qui tentavit facere adulterium, non minus esse reum, quam si in ipso facto deprehenderetur.* Idem tenuit Hugo, in cap. Si quis, dist. 51; Speculator, titulo de Dispensat., § Juxta, vers. *Sed quid de judice?* Et Maiolus, libr. 5, cap. 48, num. 5, qui ita declarat hanc sententiam, ut nec sola voluntas interior, nec quælibet exterior actio ordinata ad occidendum sufficiat ad irregularitatem inducendam, nisi sit actio proxime ordinata ad occisionem, qualis est vulneratio, nam hanc censet sufficere, etiamsi non sequatur mors. Fundamentum est, quia in atrocissimis delictis attentatio, licet non sortiatur effectum, eamdem pœnam meretur; in hoc enim sensu dicitur in l. Divus, ff. de Sicariis : *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* Et in l. In lege : *Dolus pro facto accipitur;* nam ibi dolus non significat solam internam voluntatem, de hac enim non judicat civile jus, sed voluntatem, quæ exterius se prodit in tentando homicidio, de quo in particulari ibi sermo est. Et gene-

ratim de omnibus atrocibus delictis id tradit Baldus, in l. Si fugitivi, C. de Servis fugitivis. Sed hæc irregularitas, de qua agimus, est pœna homicidii; ergo incurritur per homicidium proxime attentatum, etiamsi in re non sequatur. Et confirmatur, quia qui se tentat occidere, et sic sibi vulnera infert, vel laqueo se suspendit, quamvis ab aliis præventus, et impeditus sit ne consummet suam mortem, irregularis manet, cum excommunicationem ipso facto incurrat.

2. *Conclusio.* — Dicendum nihilominus est, irregularitatem hanc non incurri, non subsequuto effectu homicidii, quocumque modo etiam miraculoso impediatur, præterquam in casibus a jure expressis. Est communis, et mihi certa sententia, quam late probavi supra, tractando de Censuris in communi, eademque est ratio de irregularitate ex delicto, et in hoc delicto, ac in cæteris. Est autem generalis ratio, quia pœna ipso jure imposita non incurritur nisi per delictum consummatum, nec sufficit inchoatum, etiamsi pervenerit ad actum propinquum, ut notavit Panormitan., in c. 1, de Eo qui mittit in possessionem, num. 13, citans Joannem Andream, in regul. *In pœnis,* de Regul. juris, in 6, ex qua regula id sufficienter probatur, quia pœnæ non sunt extendendæ, sed coarctandæ ad proprietatem verborum legis. Sumi etiam potest optimum argumentum ex cap. Perpetuo, de Elect., in 6. Item, ex cap. 1 de Homicidio, in 6, ibi : *Quanquam mors forsitam ex hoc non sequatur.* Nam, quia ibi Pontifex voluit extendere pœnam ad homicidium intentatum, etiam non sequuto effectu, ideo id expressit, significans, ubi hoc non exprimitur, non habere locum talem extensionem. Atque hæc sententia communiter recepta est; sumitur ex D. Thom., 1. 2, quæst. 20, art. 5, ad 4, juncta doctrina ejus, in 2. 2, quæst. 64, art. 7, ad 3, et art. 8, ad 2; Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 1, art. 4, et in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 3; Sylvestro, verb. *Homicidio,* 3, num. 2; Armilla, verb. *Irregularitas,* num. 2; Navarr., cap. 27, num. 223; Covar., in Clement. *Si furiosus,* 2 part., in princip., num. 5, ubi alios refert; Antonino, 3 part., tit. 28, cap. 2; Panormit., supra, et in cap. 1, Qui clerici vel voventes.

Extenditur irregularitas ad mutilationem.

3. Dixi autem, *præterquam in casibus a jure expressis,* quia, sicut negatio in præsenti est sufficiens causa negationis, ita et affirmatio affirmationis. Et per se manifestum est potuisse jus extendere hanc irregularitatem ad aliquam percussionem, quæ ad homicidium non perveniat. Prima ergo et præcipua extensio est, si mutilatio fiat; illa enim ad irregularitatem sufficit, c. in Archiepiscopatus, de Raptor., Clement. unic. de Homicid.; tunc autem constat, non incurri irregularitatem propter intentatum homicidium; nam, licet quis percutiat animo mutilandi tantum, et non occidendi, irregularis fiet, quia talis irregularitas non incurritur titulo homicidii, sed præcise causa mutilationis, neque alia intentio seu dolus in jure postulatur. Atque ita talis casus non est proprie exceptio a prædicta regula, quia hæc revera non est irregularitas homicidii, sed alia distincta, quæ cum illa conjungitur propter similitudinem culpæ; nam licet differant ut perfectum et imperfectum, in jure æquiparata sunt quoad pœnam irregularitatis, ut Glossa notavit in dict. Clement., verb. *Mutilat,* ubi alia jura allegat.

4. *Discrimen inter irregularitatem ex homicidio voluntario, et mutilatione.* — Refert autem non parum hanc esse æquiparationem, et non identitatem, seu (quod idem est) has irregularitates esse distinctas, et non eamdem, ut intelligamus, non omnia, quæ jura disponunt circa irregularitatem homicidii voluntarii, extendi ad mutilationem voluntariam. Quod notavit Congregatio Cardinalium in responsione quadam circa sess. 24 Conc. Trid., cap. 6 de Reform., in quo dispensatio irregularitatis homicidii voluntarii reservatur Summo Pontifici; declaravit autem Congregatio illam reservationem non extendi ad dispensationem irregularitatis ex mutilatione voluntaria occulta, sed concedi Episcopo ex vi illius decreti. Quia reservatio illa ad rigorem pertinet, et ideo extendi non debet ad casum non expressum, cum diversus sit, et minus gravis et acerbus, quia homicidium simpliciter odiosius est quam mutilatio. Unde pro regula constitui potest, ea, quæ jura disponunt de irregularitate pro homicidio, si ad lenitatem vel aliquam pœnæ diminutionem pertineant, extendi ad irregularitatem mutilationis, quia favores sunt ampliandi, et a fortiori sufficienter constat hanc fuisse mentem legislatoris. Si vero pertineant ad rigorem, non est admittenda extensio ad mutilationem, nisi in ipso jure fiat, propter rationem dictam. Secus vero esset de jure disponente aliquid circa solam irregularitatem mutilationis; nam, si illud rigorem contineat, exten-

dendum est ad homicidium, non propter argumentum a simili, aut a minori ad majus quomodocumque, sed propter argumentum a parte ad totum, nam homicidium mutilationem, vel formaliter, vel eminenter continet; e contrario vero, si favorem contineat, non erit extendendum, quia diminuta pœna in minori seu partiali delicto, non sequitur diminui in majori seu totali.

5. *Corollarium.* — *Objectio solvitur.* — Ex qua doctrina colligitur, regulam superius positam in homicidio, a fortiori habere locum in mutilatione; non enim sufficiet intentata vel inchoata ad irregularitatem inducendam, nisi consummata sit. Quod adeo verum reputant Doctores, ut asserant, etiamsi membrum aliquod ita vulneretur, vel lædatur, ut inutile reddatur ad ministerium suum, non incurri irregularitatem, nisi abscindatur. Ita Panormit., in cap. 1, Qui clerici vel voventes, num. 9, ubi alios refert, et adducit cap. Sicut urgeri, 1, quæst. 1, propter illa verba : *Ut si cujus manus esset arida, verum quidem esset membrum*, quæ tamen apud Augustinum, ex quo referuntur, non inveniuntur. Eamdem opinionem sequitur Felinus referens alios in cap. Cum illorum, de Sent. excom., num. 11; Navar., num. 206, et num. 219 et 223. Ratio autem est, quia non est simpliciter mutilatio, sed membri debilitatio, quæ est res longe diversa. Unde, cum jura duo exprimant, scilicet, homicidium et mutilationem, et tertium taceant, scilicet, debilitationem membri, argumentum est illud non comprehendere, juxta cap. Nonne, de Præsumptionibus, cum similibus. Dices : æquale nocumentum videtur, ita debilitare membrum, ut inutile reddatur, ac amputare illud. Respondetur, licet forte culpa æqualis sit, tamen effectum simpliciter non esse eumdem, quod satis est, ut pœna non extendatur. Addo etiam, nec nocumentum esse æquale, quia saltem deformitas æqualis non est. Contrarium nihilominus sensit idem Panormit., in cap. Cum illorum, de Sent. excomm., num. 8, quem Sylvest. et Angel. secuti sunt. Sed non est recedendum a priori sententia, nam hæc nullo fundamento nititur. Panormitanus etiam ibi ait, in Clementina unica de Homicidio, distingui mutilationem, et truncationem, et hanc posteriorem esse totalem membri abscissionem vel diminutionem, illam vero esse talem membri debilitationem, quæ ejus munus impediat sine abscissione, et utramque sufficere ad irregularitatem. Hoc vero totum falsum est, quia neque in textu habentur illæ duæ voces, neque in latino rigore aliud significat mutilare quam truncare, vel abscindere, aut diminuere membrum. Quomodo autem possent illæ duæ sententiæ Panormitani in concordiam redigi, infra significabo.

6. *Quæ abscissio ad mutilationem sufficiat.* — *Prima conclusio.* — *Martini V privilegium exponitur.* — *Secunda conclusio.* — *Membrum quod dicatur.* — *Communis sententia.* — Nonnulla vero hic declaranda supersunt. Primum est, quænam abscissio ad mutilationem sufficiat. In quo certum est non sufficere sanguinis effusionem, quantumvis copiosam, et cum multis vulneribus. Ita Navarrus, num. 223, et Abbas, in cap. 1, Qui clerici vel voventes, num. 8. Quia sola vulneratio, et sanguinis effusio non est mutilatio, in verbi rigore et proprietate, quæ tenenda est. Neque obstat, quod Martinus V concessit privilegium quibusdam religiosis dispensandi in irregularitate ex homicidio, mutilatione, et enormi sanguinis effusione, ut constat ex compendiis, quia illa tertia particula vel addita est ad tollendos scrupulos, vel non est sumenda per se sola, sed conjuncta cum aliis, quia quo mutilatio, vel mors facta est cum majori sanguinis effusione, seu multiplicatione vulnerum, eo est irregularitas difficilius dispensabilis. Deinde, etiamsi pars aliqua carnis abscindatur, non incurritur irregularitas, quia illa etiam non est mutilatio nam mutilare significat proprie membrum aliquod abscindere; caro autem non est membrum. Disputant autem late Jurisperiti quid nomine membri intelligatur in statuto puniente mutilationem, aut membri abscissionem, ut videre licet in Panormit., in d. c. Cum illorum, et in cap. 1, Qui clerici vel voventes, n. 10, et Bartol., in l. 2, ff. de Public. judic.; Bald., in l. Data opera, Cod. Qui accusare non possunt, colum. 12; et Navar. supra, n. 206. Qui omnes concludunt membrum in corpore humano appellari partem illam, quæ est quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, ut manus, pes, oculus, non vero partes aliquæ talium membrorum, et hanc regulam sequuntur communiter Summistæ, ut videre licet in Sylvest., *Homicidium*, 3, num. 5, et Angelo, *Homicidium*, 5, num. 6. Unde in cap. Exposuisti, de Corpore vitiatis, cui altera manus deest, dicitur simpliciter mutilatus. In c. autem 2 de Clerico ægrotante, ille, cui media palma manus cum duobus digitis abscissa fuerat, non dicitur truncatus

membro, sed recepisse membri debilitatem et deformitatem; ergo proprie membrum solum est tota manus; et eadem est ratio de cæteris. Cui consonat illud Pauli ad Rom. 12: *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent,* quia membrum dicitur quod aliquem actum habet, ut idem Apostolus late describit 1 ad Cor. 12. Consonat etiam illud Gregorii, quod refertur in cap. 1, dist. 89: *Varietas membrorum per diversa officia, et robur corporis servat, et pulchritudinem repræsentat.* Ratio juxta materiæ capacitatem reddi potest, quia, licet hæc vox æquivoca sit, et juxta philosophiam quælibet pars heterogenea soleat membrum appellari, tamen in materia morali potest sumi cum illa amplitudine, alias qui unguem cum illa parte digiti amputaret, irregularis fieret; quod verisimile non est, nec consentaneum juri, ut colligi potest ex cap. 1 et ult. de Corpore vitiatis. Ergo aliqua moralis regula est constituenda; hæc autem nulla apparet certior quam prædicta.

7. *Aliorum sententia.* — Nihilominus aliqui Theologi ab hac sententia discesserunt, ut videre licet in Cajet., 2. 2, quæst. 65, art. 1, et aliis modernis ibi, et Sot., lib. 5 de Justitia, quæst. 2, art. 1, qui asserunt non esse de ratione membri, in ordine ad mutilationem et irregularitatem, ut per se habeat aliquem actum vel officium; sed satis esse, ut specialem cooperationem habeat ad officium membri principalis. Fundamentum est, quia eunuchus inter mutilatos numeratur in jure, ut sumitur ex cap. Ex parte, cum sequent., de Corpore vitiatis, et ex multis decretis, dist. 55, et tamen eunuchus non caret aliquo membro, quod per se valeat aliquod munus exercere in corpore absque consortio alterius. Item, quia digitus etiam in ordine ad mutilationem videtur esse membrum, tum quia quamvis digitus non possit sine consortio manus operari, tamen sæpe habet aliquid proprium in actione manus, ut patet in musica, scriptura, et similibus; tum etiam quia alias abscindens digitum alteri non maneret irregularis, quod falsum videtur, quia multum diminuit integritatem corporis alterius. Unde concluditur ratio, quam attingit Cajet., quia membra corporis dicuntur illa, ex quibus consurgit integritas corporis organici; ergo quælibet pars organica, qua ablata non manet corpus integrum juxta moralem æstimationem et communem loquendi modum, habet rationem membri in ordine ad mutilationem; hujusmodi autem sunt digitus et similes partes. Accedit, quod alia opinio non habet firmum fundamentum, quia omnia superius adducta recte accommodantur etiam his membris, quæ sunt partes aliorum membrorum principalium; unde non repugnat aliquid esse membrum, et esse partem membri seu membrum membri. Et hoc insinuasse videtur Gloss., in cap. Cum illorum, de Sententia excommunicationis, verb. *Mutilationem membri,* dicens in simili causa non esse distinguendum inter membrum et membrum.

8. *Judicium inter duas positas sententias fertur.* — Inter has sententias hæc posterior absolute probanda videtur, quod ad irregularitatem attinet; nam disputatio physica quid membrum sit, vel juridica quæstio, quid nomine membri in legibus pœnalibus sit intelligendum, non videntur in præsenti necessariæ; nam jura canonica ad hanc irregularitatem vel non requirunt mutilationem membri, sed absolute mutilationem, ut patet ex dicta Clement. Est autem mutilatio simpliciter, si principale membrum notabiliter minuatur, licet non totum abscindatur, juxtà Latinam illius verbi proprietatem; vel certe si alicubi canones membri faciunt mentionem, membri diminutionem sufficere indicant, ut patet cap. 1 de Clericis pugnant. in duel., ibi, *vel membrorum diminutio,* ad quod faciunt, quæ adducit Felin. in cap. Cum illorum, de Sent. excom., num. 3. Exemplisque declaratur, nam quis dicat ad irregularitatem non satis esse digitos vel dimidiam partem utriusque manus abscindere? Item qui aurem abscindit, plane videtur fieri irregularis, quidquid sit an illa pars sit membrum, ut vult Castro, vel pars principalis organica; utroque enim modo illa est gravis mutilatio corporis. Itaque ad mutilationem satis esse videtur, quod sit vel integra abscissio, vel gravis diminutio alicujus principalis membri. Dicitur autem gravis diminutio non omnis illa, quæ ad peccatum mortale sufficit, quia potest esse gravis culpa, et non gravis mutilatio, ut abscindere partem digiti ex sententia omnium non satis est ad irregularitatem, quamvis sine dubio mortale peccatum sit; debet ergo ista diminutio esse notabilis; quæ autem talis sit, ex communi æstimatione et deformitate, ac impedimento ad has actiones pensandum est. Quod si res dubia fuerit, arbitrio Ordinarii relinquitur juxta Innoc., Hostiens. et alios, in dict. cap. Cum illorum, et in eo dubio inclinandum est in favorem legis et irregulari-

tatis, cæteris paribus, quia supponitur certa mutilatio.

9. *An abscissio unius auriculæ sufficiat ad hanc irregularitatem. — Quid de abscissione unius digiti. — De mamilla fœminæ.* — Ex his definiri possunt particularia dubia, quæ ad similium dissolutionem deservient. Primum est, an abscissio unius auriculæ sufficiat ad irregularitatem. Covarr. enim negat, et sequitur Salzedo, in Practica, cap. 99, quia auricula non est membrum, nec illius abscissio est gravis mutilatio. Contrarium tenet Navarr., num. 223, quia licet non sit membrum auditus, tamen ejus abscissio inducit magnam deformitatem in parte superiori et publica. In quo non videtur consequenter loqui, quia deformatio non sufficit sine mutilatione. Sed nihilominus sententia est verisimilior, quia revera illa est mutilatio juxta doctrinam datam, quia auris multum præstat ad organum auditus. Unde considerata ulterius deformitate, quam inducit, videtur esse satis gravis diminutio integritatis corporis humani. Simile dubium est de uno digito, et communiter non reputatur sufficiens ejus abscissio, quod est verisimile, si sit alter ex duobus minimis; de quolibet autem aliorum mihi videtur res satis gravis, et ad minimum dubia, et dispensatione indigens. Solet etiam dubitari de abscissione mamillæ in fœmina; nam Salzedo supra id etiam negat sufficere. Quod ego verum non existimo, quia revera est mutilatio gravis, non minor quam abscissio in viro; non enim minus grave est organum lactis fabricatum in fœmina, quam sit in viro organum seminis; imo Jurisperiti mamillam in fœmina absolute dicunt esse membrum principale, ut patet ex Felino, dicto n. 3, et Baldo, in l. Data opera, C. Qui accusare non potest.

10. Aliud dubium est, an fiat quis irregularis mutilando seipsum, ad quod affirmanter respondendum est, addendum, quoties aliquis fit irregularis mutilando alium, fieri etiam mutilando seipsum eodem modo; e contrario vero aliquam sui mutilationem sufficere ad irregularitatem, quæ in alio facta non sufficeret. Ubi oportet distinguere mutilationem passivam ab activa; prior enim pertinet potius ad defectus corporis, de quibus supra, et per se solum requirit deformitatem et debilitatem ad ministrandum; et ideo percutiens alterum interdum facit illum irregularem, licet ipse non fiat, ut notavit Navarr., num. 206 et 219, quia potest reddere alium ineptum ad ministerium, sine mutilatione, et similiter e contrario potest interdum mutilator fieri irregularis, et non mutilatus, ut in eunucho per injuriam patet, vel si duo digiti pedis abscindantur. Qui ergo mutilat se, utroque modo fiet irregularis, vel active si mutilatio per se sufficiat, quia jura absolute de mutilante loquuntur, vel passive si se reddat deformem, vel ineptum ad ministerium. Aliquando etiam minor sui mutilatio sufficit juxta Innocent., ep. 4, c. 1, et Concil. Tribur., c. 33, et habetur, c. 6, dist. 55, ubi dicitur : *Qui partem digiti cujuscumque sibiipsi volens abscindit, hunc ad clerum canones non admittunt,* quæ mutilatio in alio facta ex sententia omnium non sufficeret, quia in mutilante se specialis atrocitas consideratur, *quæ sibiipsi ausa est ferrum injicere,* Innocent. dicit.

11. *An qui membrum impeditum alteri abscindit irregularis fiat.* — Tertio quæri potest, an maneat irregularis, qui membrum aridum, vel impeditum alteri abscindit. Et est ratio dubii, quia illa non videtur gravis læsio, quia membrum inutile quasi nihil reputatur; imo si sit aridum, revera non est membrum, licet appareat. In contrarium vero est, quia is, qui membrum tantum debilitat, non est irregularis, ut supra dictum est; ergo necesse est, ut qui membrum debilitatum postea abscindit, maneat irregularis; alias posset quis mutilari a duobus, nullo illorum irregulari manente, quod videtur fieri non posse. Respondeo, aliud esse quod membrum sit omnino aridum, id est, mortuum, aliud vero, quod sit debilitatum seu inutile ad suum munus exercendum. Nam, si se habet priori modo, truncatio illius non videtur esse mutilatio corporis humani, sed hæc potius censeri potest tunc facta, quando ita fuit membrum læsum, ut ex vi talis læsionis desierit anima hominis informari, quia licet exterius fortasse non apparet truncatio (quod vix potest contingere), tamen substantialiter facta est, eamque censeo sufficere ad irregularitatem inducendam; nec prius de hac læsione locuti sumus, sed de sola membri debilitate. Atque ita possent dicta Panormitani supra citata conciliari. Nam qui membrum, v. gr., occultum ita lædit, ut ex vi læsionis omnino arescat et siccetur, quamvis nullam partem abscindere videatur, irregularis manet, quia substantialiter, ut sic dicam, mutilat; nam relinquit corpus uno membro principali privatum. Et hoc significasse videtur Sylvest.,

Homicidium, 3, quæst. 3, vers. 3, et Angel., *Homicidium*, 5, num. 5; Maiol., cum aliis, quos refert, lib. 5, cap. 50. Ideoque si alter postea membrum jam arefactum auferet non attingendo membra viventia, non videtur mihi incurrere irregularitatem, propter rationem superius factam. Nam fere eadem est de hoc ratio, quæ de illo, qui cadaver detruncat seu mutilat, de quo manifestum est non incurrere irregularitatem, quidquid Maiolus dicat, loco nuper citato, numero octavo, ubi contrarium sentit, nullum tamen affert juris fundamentum, et nostram sententiam tenet Navarr., cap. 27, n. 219, cum Archidiacono, in cap. Si quis, 15, quæst. 1. At vero quando membrum est verum ac vivum, quantumvis sit debile, vel inutile ad suum ministerium, mutilator illius fieret irregularis, quia vere mutilat corpus humanum, et in jure nihil aliud postulatur; nec potest talis mutilatio non censeri gravis, ac sufficiens, tum quia accidentarium est, quod membrum supponatur impeditum; tum etiam quia talis mutilatio inducit saltem gravem deformitatem, quæ supposita truncatione alicujus partis sufficit ex omni parte ad irregularitatem inducendam.

12. *An deformatio sine mutilatione sufficiat.* — Quarto inquiritur, an deformatio interdum sufficiat sine mutilatione. Aliqui enim affirmant, si tanta sit, ut deformatum impediat, ne promoveri possit, etiamsi partem corporis non abscindat, sed faciem dehonestet, v. gr. Ita refert Sylvester, *Homicidium*, 3, quæst. 3, vers. 3, in fine, ex quodam Guillielmo, et approbare videtur. Et hoc sequitur Maiolus, lib. 4, cap. 1, num. 10, et lib. 5, cap. 50, num. 4. Contrariam vero sententiam tenet expresse Navarrus supra, et est communiter recepta, estque probabilior, quia nullo jure constat de tali irregularitate; et ideo admittenda non est. Antecedens patet, quia jus exprimit homicidium et mutilationem; ergo reliqua tacendo, illa excludit; sed talis deformatio non est mutilatio; ergo propter illam non incurritur irregularitas. Nec refert, quod deformatus irregularis maneat, quia jam dictum est, qui alium irregularem facit, non propterea irregularem fieri, nisi alias sit in jure expressum.

13. *Procurans abortum fœtus nondum animati non fit irregularis.* — Ex quo principio infertur ultimo, hanc irregularitatem non contrahi procurando abortum, etiamsi effectus sequatur, dummodo totum maleficium contingat ante animationem fœtus; secus vero esse, si fœtus sit jam animatus, et inde sequatur mors ejus; nam tunc jam est manifestum homicidium. Unde ratio prioris partis est, quia illud non est homicidium; aliud enim est impedire generationem hominis, quod in eo casu fit; nam vera generatio in informatione animæ efficitur; aliud vero hominem jam procreatum privare vita, quod ad homicidium requiritur. In qua resolutione conveniunt omnes Doctores. Et sumitur, ex cap. Quod vero, et cap. Moyses, 32, quæst. 2, et ex cap. Sicut ex litterarum, de Homicid., et aliis, quæ citat Glossa ita exponens illum textum, in cap. Si aliquis, eodem titulo. Tamen Sixtus V, in speciali Motu proprio contra hoc vitium, irregularitatem extendit ad eum casum, in quo fit abortus ante animationem fœtus, et ad eos etiam, qui pocula sterilitatis fœminis propinant, vel alio modo sterilitatem procurant, dummodo effectus sequatur. Verumtamen cum ipsemet Pontifex dicat, illam esse extensionem hujus irregularitatis, eo ipso confirmat antiquam doctrinam nunc positam, scilicet, ante illam constitutionem in illis casibus non fuisse incursam irregularitatem. Unde, cum Gregorius XIV illam Sixti constitutionem quoad hanc partem revocaverit, et ad terminos juris communis reduxerit, relinquitur doctrina posita in eodem statu, in quo semper fuit, seclusa illa constitutione.

SECTIO III.

Quæ personæ ad homicidium concurrentes hanc irregularitatem contrahant.

1. *Prima conclusio. — Papa si propriis manibus occidat, non fit irregularis.*— Primo certum est, eum potissimum hanc irregularitatem contrahere, qui per seipsum alium percutit usque ad mortem, vel ita ut mors cum effectu sequatur, quam intendebat, juxta superius dicta; nam maxime ille homicida est. Quæ regula omnes personas sine exceptione ulla comprehendit, etiam ipsos principes aut reges. Addunt quidam etiam Summum Pontificem, si propriis manibus aliquem occidat, fieri irregularem, quod ex Baldo et Innocentio, in cap. 2 de Majorit. et obedien., refert Bernardus Diaz, in Practica, cap. 61, num. 4, et non reprobat. Idem Maiolus, lib. 5, cap. 1, num. 2. Mihi tamen videtur falsa sententia, quia, ut supra dixi, Papa non magis potest incurrere irregularitatem, quam excommunicationem, et quia eadem ratio est

de hac irregularitate, et de aliis; non est enim juris divini, ut quidam putant, sed humani. Item quia si Papa per alium occidat præcipiendo, non fit irregularis, ut dicti etiam auctores fatentur, et est verum, etiamsi tale mandatum injustum sit. Et ratio solum est, quia Summus Pontifex non subjicitur juri communi quoad pœnas, quæ ratio locum habet, etiamsi suis manibus interficiat; neque enim Judæi minus occiderunt Christum lingua, quam si manibus interfecissent, ut Augustinus, in Psalm. 66, annotavit. Verum est majorem quemdam horrorem et scandalum illaturum Pontificem, suis manibus, quam præcepto etiam injusto occidendo alium, nec posse licite ministrare divina post tale factum, nisi peracta pœnitentia, et ablato scandalo; tamen id non esset propter irregularitatem, sed propter naturalem obligationem auferendi scandalum, et sancta sancte ministrandi; unde in utroque casu homicidii propriis vel alienis manibus perpetrati obligatio illa locum haberet juxta occurrentem necessitatem.

2. *A conclusione excipitur qui ante baptismum occidit.* — Ab hac vero generali regula excipi solet homo non baptizatus, qui irregularis non fit, etiamsi propriis manibus alium interficiat. Quæ non videbitur exceptio, si advertamus sermonem esse de persona capaci irregularitatis, et supra dictum esse non baptizatum non esse irregularitatis capacem. Nihilominus, quod ad rem spectat, est illa exceptio valde notanda; nam sensus illius est, etiam si ille homicida postea baptizetur, non pullulare, nec manere in illo irregularitatem ratione præcedentis actus. Quod tenet Navarrus, cap. 27, n. 219, ex cap. Si quis viduam, 50 dist., ubi dicitur: *Si homicidii post baptismum,* etc. Ubi Glossa infert: *Ergo si ante baptismum, potest.* Refert tamen opinionem quorumdam dicentium per voluntarium homicidium peccaminosum ante baptismum commissum non incurri irregularitatem, incurri autem per voluntariam occisionem hominis juste factam. Quod videtur profecto incredibile, melioris scilicet conditionis esse in hoc peccantem, quam non peccantem, cum alioqui indecentia, quæ ex voluntaria sanguinis effusione contrahi potest, non minor sit in peccante, quam in alio; et ideo consequenter loquendo, idem de utroque casu dicendum est. Nam, licet posterior casus ad quæstionem infra tractandam pertineat, hic breviter expediri potest, et necessarium est ad totam difficultatem solvendam. Ita ergo generaliter sentit eadem Glossa, dist. 26, cap. Deinde, v. *Inter peccata,* et dist. 51, in princ. Et idem tenent Cardinalis, Clem. unic. de Homicidio, n. 13; Innocentius, Præpositus, et Abbas, in cap. Gaudemus, de Divort., n. 16. Et probari potest ex cap. Si quis post baptismum, 51 dist., nam ex hoc, et ex d. c. Si quis viduam, colligitur, jura non imposuisse hanc irregularitatem, nisi propter homicidium patratum post baptismum; ergo, cum irregularitas non contrahatur nisi in casibus a jure expressis, non est ultra extendenda hæc irregularitas. Et hæc est ratio sufficiens; nam aliæ, quas adducit Panorm., non probant.

3. *Interrogationi satisfit.* — Si autem quis quærat, cur jura ita disponant potius in hac irregularitate, quam in bigamia, responderi potest, hanc irregularitatem contrahi propter delictum, quod omnino tollitur per baptismum; in bigamia autem non considerari delictum. Sed hoc non satisfacit; nam etiam in occisione justa facta a judice, vel a milite, non consideratur delictum, sed significatio et decentia, quæ non minus considerari potest in proprio homicidio peccaminoso, quamvis præscindatur, vel auferatur postea tota ratio culpæ. Panormitanus aliter ait, hanc irregularitatem esse ex constitutione Ecclesiæ, et ideo non extendi ad infideles; sed idem dicendum esse de irregularitate bigamiæ: in neutra vero urget, quia non dicimus constitutionem Ecclesiæ obligare infidelem, sed operari circa hominem jam baptizatum intuitu actionis, quæ præcessit, non propter malitiam ejus, sed propter aliquam significationem, vel decentiam. Augeo difficultatem; nam licet illa duo jura addant illam particulam, *post baptismum,* multa alia simpliciter loquuntur, ut Clem. unic. de Homicid., cum similibus, sub eisdem titulis in Decret., et dist. 50. Hoc vero postremum facile solvitur, tum quia quædam jura per alia sunt interpretanda, et restringenda, maxime in materia pœnali; tum etiam quia omnia illa decreta sunt leges, quæ diriguntur ad subditos, et in eis puniunt hoc modo homicidium; et ideo supponunt baptismum; et ita sunt per se et generaliter decreta intelligenda, ubi aliud non fuerit ab Ecclesia declaratum, vel specialis ratio non intervenerit. Hoc autem ita declaratum fuit in bigamia, non autem in homicidio. Cur autem id factum sit, cum pendeat ex voluntate legislatoris, non multum ad nos refert. Fortasse vero irregularitas bigamiæ ita fuit a principio instituta ab

Apostolis, tum propter significationem matrimonii, tum propter exemplum continentiæ, quod in clero maxime desideratur; in homicidio vero non fuit existimatum necessarium, quia in eo maxime spectatur vel culpa, vel defectus lenitatis, et utrumque speratur per baptismum commutari.

4. *Non oportet occisum esse baptizatum ad hanc irregularitatem incurrendam.* — Hic vero addendum est, limitationem hanc, quæ posita est ex parte occidentis, non habere locum ex parte ejus qui occiditur; non enim oportet illum esse baptizatum, vel aliam conditionem habere, præterquam quod homo sit, ut constat ex cap. Clericus, dist. 50, ubi occidens paganum, irregularis fieri dicitur; et idem est si occidat excommunicatum, aut bannitum, aut infantem in utero matris, dummodo animatus sit, ut antea dixi, et tamen ille neque est baptizatus, neque aliam specialem conditionem habet. Et ratio est, quia jura simpliciter loquuntur de homicidio, et quia in interfectione cujuslibet hominis cernitur, vel eadem culpa, vel idem defectus lenitatis, et ob easdem causas requiritur, ut sit homo, et non sufficit cadaver, aut fœtus nondum animatus, ut supra dictum est. Neque obstat, quod in cap. Excomm., 23, quæst. 5, dicitur, non esse homicidas, eos, qui bono zelo excommunicatos occiderint; intelligendum enim id est de his, qui in justo bello tales personas interfecerint. Nec tamen ibi dicitur, quod non incurrant irregularitatem; nam, licet non contrahant hanc, de qua agimus, incidunt tamen in aliam, quæ est ex defectu lenitatis, juxta cap. De his, 50 d.

5. *Secunda conclusio. — Dubium deciditur.* — Secundo incurrit hanc irregularitatem, qui dat causam morti, quæ cum effectu sequitur, etiamsi remote et per accidens ad illam concurrere videatur, ut qui præbet venenum, licet interdum post longum tempus operetur. Et ratio est, quia ille est vere homicida; nam qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, ut dicitur, de Regulis juris, in 6. Nihilque interest, occidat quis, an causam mortis præbeat, ut dicit Jureconsultus in Leg. 15, ff. de Sicariis. Dices : talis effectus non est in se voluntarius, sed in causa; ergo illud homicidium non est voluntarium, prout nunc de illo loquimur. Respondeo, in primis nos præcipue loqui de illo, qui ex intentione mortis talem causam applicat, cui constat homicidium esse in se voluntarium. Deinde satis est, quod præsciat vim talis causæ, et quod sciens et videns illam applicet, etiamsi id non faciat ex odio, vel ex voluntate occidendi (si tamen hoc posterius possibile est); quamvis enim fingamus id facere animo experiendi vel ostendendi efficaciam illius rei, nihilominus ibi directe vult mortem tanquam effectum, in quo virtus illa manifestanda est. Sed quid si daret venenum spe impediendi statum ejus applicato contrario pharmaco, antequam mors sequatur? Respondeo, si, hoc non obstante mors sequatur, irregularitatem non vitari, quamvis videatur potius pertinere ad homicidium casuale, de quo infra, quam ad voluntarium, de quo nunc agimus, quia in eo casu tantum indirecte imputatur homicidium, ratione causæ imprudenter et illicite applicatæ, non quia in se fuerit volitum implicite, aut explicite. Si autem mors per contrarium pharmacum impediatur, non incurritur irregularitas, juxta supra dicta, etiamsi culpa homicidii apud Deum non fuerit excusata, propter morale periculum ; et ita est intelligendum capitulum Si aliquis, de Homicidio. Sed inquires, an is, qui talem causam mortis applicuit, si pœnitentiam agat sui delicti, prius quam effectus sequatur, evitet irregularitatem. Videtur enim homicidium illud jam non esse illi voluntarium; et ideo non esse sufficientem causam irregularitatis. Respondeo : certum est, sicut pœnitentia non tollit irregularitatem contractam, ita in eo casu non impedire quominus contrahatur, quia non impedit, quominus ille sit homicida, et dignus pœna, tam civili quam Ecclesiastica, et maxime irregularitate, quæ factum potius quam culpam requirit. Unde, licet spectata voluntate præsente, illud homicidium jam non sit voluntarium, satis est, quod in ordine ad præcedentem sit voluntarium ; nam illa prior voluntas fuit efficax, et actu operatur, altera vero est tantum secundum quid, seu velleitas, quæ non tollit voluntarium simpliciter, supposita priori voluntate.

De mandante.

6. *Tertia conclusio. — Difficultas. — Resolutio.* — Tertio incurrit irregularitatem mandans homicidium fieri per alium, si cum effectu fiat, quod est certum apud omnes, quia ille est causa homicidii, et a fortiori habetur ex cap. ult. de Homicidio, in 6, ubi mandans aliquem verberari, et non occidi, si alius a mandatario occidatur, irregularis efficitur propter voluntarium saltem indirectum; ergo, qui di-

recte mandat interfectionem alterius, sine dubio incurrit irregularitatem homicidii voluntarii. Quæri vero potest primo, an in aliquo casu incurratur hæc irregularitas, etiam effectu mortis non sequuto. Dico, in aliquo casu, quia regulariter certum est non incurri, juxta superius dicta. Specialis vero difficultas est in casu textus in c. 1 de Homicidio, in 6, ubi mandans interfici aliquem per assassinos, ipso jure excommunicatur, et deponitur ab Ordine, beneficio, etc., *quanquam mors forsitan ex hoc non sequatur*. In quo textu duo dubitari possunt : unum est, quod sit delictum, de quo ibi est sermo; aliud est, an ibi imponatur irregularitas. Priorem partem tractavi late supra declarando excommunicationes libri 6, ubi dixi, non esse sermonem de quocumque mandante homicidium fieri per alium, etiamsi pecunia data ad hoc munus illum conducat, vel licet conductus sit latro, vel publicus hominum interfector, nisi sit ex quadam peculiari natione et gente, quæ in eo textu, *Assassini*, vocatur, quare in eo solo casu incurruntur pœnæ ibi latæ, per solum mandatum, non secuto effectu. Quoad alteram vero partem resolutio petenda est ex principio hujus materiæ, et proprietas verborum legis tenenda est; ideoque illa solum est depositio seu perpetua suspensio, non vero irregularitas in ea proprietate, in qua hæc canonica impedimenta distingui censentur. Ad propriam ergo irregularitatem semper necesse est, ut sequatur homicidium; non refert autem, quod statim, vel post longum tempus sequatur, quia dilatio temporis non tollit quominus effectus ex tali causa sequatur, et sit verum homicidium, sicut de causa physica dicebamus. Et in hoc conveniunt omnes auctores.

7. *An mandans, qui mandatum revocat ante secutam mortem, incurrat irregularitatem. — Objectio. — Solvitur.* — Dubitant autem, an mandans evitet irregularitatem, revocans mandatum, et revocationem intimans mandatario (alias inutilis esset revocatio, ut per se constat), quando mandatarius, non obstante revocatione, alium interfecit. Aliqui dicunt, in eo casu incurri irregularitatem. Dico tamen, si ex parte mandantis sufficienter facta sit revocatio mandati, non incurrere irregularitatem. Quæ est opinio communis Innocentii, et aliorum in c. Ad audientiam, de Homicidio, quam sequitur Navarr., n. 233. Et ratio est, quia facta revocatione, qui dederat mandatum, non potest dici causa homicidii, quia jam alter non illud commisit ex mandato ejus, sed ex sua voluntate. Sed contra, quia mandatarius semper movetur ex impressione relicta a priori mandato (suppono enim prius non fuisse in tali voluntate, sed ex mandato illam concepisse; mandantem autem, revocando suum mandatum, non potuisse illam revocare); hoc ergo satis erit, ut homicidium referatur in mandantem tanquam in causam, non obstante revocatione. Sicut qui lapidi impressit impetum, quamvis postea conetur illum detinere, et non possit resistere, dicitur causa illius motionis, et effectus ejus; ita enim se habet prius mandatum, sicut impetus impressus. Respondetur, rationem hanc habere aliquam apparentiam in consilio, de quo statim, non vero in mandato, quia mandatum totam vim movendi habet a voluntate mandantis, quia nihil aliud est quam quædam significatio, seu intimatio illius; et ideo, mutata voluntate mandantis, et intimata mandatario, omnino tollitur mandatum, cessatque omnis influxus totaque motio mandantis. In quo est magnum discrimen inter mandatum, et impetum impressum lapidi, non solum quia impetus movet physice, mandatum moraliter, sed etiam quia ille transit in ipsum passum, et est irrevocabilis ab imprimente ut sic, sed solum potest ei resisti per virtutem contrariam sufficientem, quod non est ita in mandato. Tunc ergo mandatarius sua malitia se movet ad occidendum alium. Et quamvis prius mandatum videatur aliqualis occasio hujus voluntatis, tamen, supposita revocatione, illa est valde remota, et jam non est occasio tam data quam accepta.

8. *An mandans aliquam diligentiam adhibere teneatur, ad impediendam mortem. — Resolutio.* — Sed quæres, an saltem teneatur in eo casu mandator aliquam aliam diligentiam adhibere ad impediendam mortem alterius, quando ei constat de pertinacia mandatarii; nam si non constat, clarum est ad nihil teneri, quia existimare debet, cessante causa, cessasse effectum et periculum ejus, et cum sua voluntate mutatam simul fuisse mandatarii voluntatem, quæ a sua tantum movebatur ad hunc effectum. At vero, quando constat de pertinacia et voluntate mandatarii, tenetur mandans, saltem ex charitate, impedire illum effectum, si possit; nam ad hoc quilibet proximus tenetur. Sed difficultas est, an etiam ex justitia teneatur. Et mihi quidem videtur teneri, sequens in hoc auctores, quos in puncto

sequenti de consulente referam. Ratio autem est, quia dans tale mandatum, hoc ipso injustitiam alteri facit; ergo ex justitia tenetur restituere, et impedire damna, quæ ex priori injuria sequi possent; ergo, si scit inde imminere mortis periculum alteri, ex justitia tenetur impedire illud, prout commode potuerit, ut, v. gr., admonendo alium, saltem in communi, quod vitæ ejus insidiæ parentur, vel aliquid simile, sicut de consulente omnes dicunt. Dices : per revocationem mandati videtur impleta hæc obligatio, quatenus erat justitiæ : nam ex vi illius ablatum fuit omne periculum, et si quod postea imminet, jam non oritur ex priori injuria seu mandato, sed ex malitia mandatarii, sicut antea dicebamus; hac enim ratione moti sunt, qui dixerunt hanc obligationem esse tantum ex charitate. Respondetur nihilominus, ad hanc obligationem justitiæ satis esse, quod in re ipsa ex injuria a me illata alter sit constitutus in tali periculo, etiamsi intercedat pertinacia mandatarii; nam unum ex nocumentis, quod prius mandatum alteri intulit, fuit creare in mandatario talem voluntatem; et ideo, si per solam revocationem mandati non possum illam auferre, nondum plene reparavi damnum illatum; et ideo teneor saltem impedire effectum ejus, quoad potuero. An vero ad incurrendam irregularitatem sufficiat omittere hanc obligationem, dicemus infra agentes de non impediente homicidium cum possit et debeat.

9. *Ultimum dubium.— Ratio dubii.— Responsio.* —Ultimo inquiri potest circa mandantem, an, ut incurrat irregularitatem, necessarium sit, quod alter acceptaverit mandatum, et quod hoc constet ipsi mandanti. Contingere enim potest, quod eo tempore, quo mandatum alteri intimatur, dicat se nolle illud munus assumere, postea vero mutet voluntatem, et homicidium exequatur, sine nova scientia, vel voluntate mandantis, imo fortasse etiam contra ejus voluntatem, ut si jam illam mutavit. Difficultas ergo est, an tunc incurrat hanc irregularitatem. Et videtur non incurrere; nam prius mandatum, hoc ipso quod acceptatum non fuit, mansit inefficax, quia est veluti quidam humanus contractus, qui non perficitur, nisi mutuo consensu, et quando non perficitur, nullam habet vim; ergo effectus postea sequutus non potest tribui mandanti, ut causæ, quia non est ex motione ejus; ergo non est homicidium; ergo non fit irregularis. Nihilominus censeo non esse necessariam hanc acceptationem, et in eo casu mandantem manere irregularem, etiamsi nihil denuo scierit, vel licet retractaverit voluntatem suam, si non sufficienter revocavit mandatum. Ita tenet Maiol., lib. 5, c. 48, § 2, n. 3, citans Innocentium in c. Ad audientiam, de Homicidio, et Baldum, in l. 1, C. de Servis fugit. Ratio ejus solum est, quia primum crimen, quod mandando fecerat, adhuc in se perseverat. Responderi autem potest hoc negando, quia hoc ipso quod mandatum non fuit acceptatum, videtur fuisse extinctum. Re tamen vera non fuit; hic enim non est sermo de mandato, quod inducat propriam obligationem, vel justitiæ, vel alicujus præcepti, hoc enim in tali materia locum habere non potest. Est ergo sermo de mandato prout includit petitionem, exhortationem, vel quamcumque significationem voluntatis, quæ aliam ad agendum inducat; hæc ergo semper manet ex vi prioris mandati non revocati, quia, licet alter non acceptaverit, semper retinet hanc æstimationem, quod qui mandavit, hoc ab ipso vult, et desiderat; unde liceta principio non consenserit, semper potest ex vi prioris mandati moveri et induci; igitur quidquid postea operatur ratione prioris mandati, imputatur mandanti, si illud non revocavit. Ex hac vero ratione colligitur, ad hanc revocationem sufficere quamcumque significationem mutatæ voluntatis, etiamsi non verbis, sed effectibus fiat; ut si rediit in amicitiam cum illo, cujus mortem procurabat, et hoc scit esse notum mandatario; quod Navarr. adnotavit, etiam quando mandatum fuit acceptatum, nam quoad hoc eadem est ratio.

De consulente.

10. *Quarta conclusio.* — Quarta persona hujus irregularitatis particeps est consulens, qui in hoc differt a petente, quod rationibus suadet, mandans vero solum voluntate. Estque de consulente expressum cap. Perniciose, de Pœnit., dist. 1, ubi dans consilium, homicida dicitur; in cap. autem Si quis viduam, expressius dicitur : *Si quis præcepto, aut consilio,* etc. Idem in cap. 2 de Cleric. pugnant. in duel. Idem colligitur ex cap. Sicut dignum, § Qui vero, de Homic., ibi : *Nisi forte regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus provocasset,* et clarius ibidem, § ult., ibi : *Et ideo si consilium dederunt,* etc., ubi Glossa late id confirmat ex aliis juribus; estque res certa apud omnes. Semper tamen necessarium est, ut homici-

dium, vel mutilatio reipsa consequatur; carebitque omni dubio, si sequatur re integra, id est, perseverante eodem consilio. Addo etiam, ex vi seu concursu illius. Nam, si is, qui consilium recipit, revera non moveatur ex tali consilio, sed ex alio affectu, vel ratione, non potest consulens dici causa actu influens in tale homicidium, quod necessarium est ad incurrendam irregularitatem, quia hæc non resultat, nisi sequatur effectus; non est autem homicidium effectus consilii, nisi ex illo sequatur, sicut de mandato dicebamus. Quod annotavit Tabiena, *Irregularitas,* 2, num. 14, et docet expresse Hostiens., in cap. Ad audientiam, de Homic., num. 67 et 68; Abbas et Felin., in cap. 1 de Offic. deleg., et alii communiter apud Covarr., dict. Clem., part. 2, § 2, num. 1, qui etiam videndus est in simili in reg. Peccatum, part. 2, § 12, num. 2; Villadiego, de Irregul., cap. 6, num. 20; Navarr., supra, et alii Summistæ communiter. Et favent etiam jura civilia, l. Non solum, § Si mandato, ff. de Injuriis. Ubi ut actio injuriarum detur contra persuadentem, requiritur, quod persuaserit alicui, *alias nolenti.* Verum est hoc ultimum requiri in jure civili, ut consulens censeatur dignus ordinaria pœna, quia tunc solum censetur esse causa principalis delicti, quando per consilium induxit alias nolentem. Ad irregularitatem vero non semper hoc necessarium est; sufficit enim si suo consilio confirmet votum et animum augeat, nam per hoc satis cooperatur ad delictum, et in eo casu loquitur text. in cap. Sicut dignum, § ult., de Homic., et in eo cap., § Qui vero, distinguitur inter eum qui provocat, vel inflammat jam provocatum; et uterque dicitur reus homicidii, licet non æquali pœna dignus. Quæ tamen inæqualitas non habet locum respectu irregularitatis, quia divisibilis non est, ut sic dicam; et ideo uterque illam contrahit tanquam dans causam homicidio. Secus vero est, quando consilium nullo modo augeret, vel immutaret animum alterius, quia tunc potius se haberet ut extrinsece consentiens, quam ut influens aliquo modo in homicidium; quo sensu intelligendi sunt auctores supra citati.

11. *Quid si consulens retractet consilium.* — Est autem dubium, si consulens retractet consilium, et conetur alteri persuadere, ut a tali consilio recedat, et id assequi non possit, et inde sequatur homicidium, an evitet irregularitatem. Circa hoc Navarrus eodem modo sentit de consulente, et de mandante, et ideo sufficere ait prædictam retractationem notificatam alteri ad vitandam irregularitatem, absque alia diligentia. Maiol. vero, dict. cap. 48, cum Navarro convenit in hoc, quod eodem modo loquitur de mandante, et consulente; sed præter retractationem, et persuasionem contrariam, in utroque requirit, quod præveniat aut moneat occidendum, ut sibi caveat. Citat Sylvest., *Homicidium,* 1, quæst. 8, verb. 6, et Tabien., *Irregularitas,* 2, num. 13, qui solum loquuntur de consulente. Imo Tabien., num. 14, addit, plus requiri in consilio, quam in mandato. Et rationem reddit, quia is, cui datur consilium, agit postea sua voluntate et nomine, quæ voluntas per consilium inducitur, et non sufficienter revocatur retractato consilio; mandatarius autem agit tantum voluntate et nomine mandantis, et ideo per solam revocationem sufficienter tollit suum influxum. Qua dictinctione usus est etiam Innocentius, in cap. Ad audientiam, de Homicidio, quem sequitur Bartolus, in dict. l. Non solum, § Si mandato, num. 21, ubi in Additione multa alia pro hac sententia citantur. Quam etiam tenet Bald., in l. 1, C. de Servis fugit., et Joannes Bruneli, in Repetitione cap. 1 de Homicidio, 4 part., num. 43. Et mihi placet distinctio, quando consilium datum fuit in ordine ad persuadendum intellectum, et non tantum ad inclinandum affectum.

12. *Resolutio* — Quod ut declarem, cum propria ratione talis differentiæ, adverto ex Bartolo supra, sub consilio late sumpto, et absque mandato, posse includi omnem modum inductionis factæ alteri, ut gratia sui, seu in suum commodum, aut se vindicando, ac denique nomine suo homicidium committat, sive sit rogando, sive comminando, sive persuadendo; ut cum Petrus rogat Joannem, ut occidendo Franciscum, vindicet injuriam eidem Joanni factam; vel cum iniquus pater dicit filio : Donec interficias eum, qui tibi injuriam intulit, non appareas in conspectu meo. Hos autem et similes inductionis modos dico pertinere magis ad affectum quam ad intellectum; et ideo illos distinguo a propria persuasione, quæ fit per rationes, quibus homo persuadeatur, pertinere ad suum honorem vel commodum, alium occidere. Et hanc persuasionem voco proprium consilium; sub quo etiam comprehendo instructionem, per quam alius docetur, quomodo possit aut valeat talem

vindictam de inimico sumere. Prior ergo modus persuasionis videtur mihi æquiparari mandato quoad revocationem; hic autem posterior, id est, proprium consilium, minime. Ratio est, quia prior inductio semper pendet ex voluntate inducentis, quia in illa tantum fundatur; nam preces, v. gr., non persuadent intellectum, nisi quatenus proponunt voluntatem petentis, ut implendam, et ideo statim ac aliquis desistit a sua petitione eam revocando, aut petendo contrarium, prior petitio omnino amittit suam vim. Idemque est de comminatione, ut per se facile constat. Secus vero est de proprio consilio aut instructione; nam effectus ejus est docere intellectum, quo semel facto non ultra pendet a voluntate ejus, qui consilium dedit; nam, licet ipse nolit, nec petat, ut talis effectus fiat, nihilominus consilium de illo faciendo integrum manet. Et quamvis conetur contrariis rationibus judicium intellectus mutare, frequentius id assequi non potest, tum quia difficile dimovetur ab opinione semel concepta; tum maxime quia in eo casu, de quo agimus, prius consilium regulariter est juxta humanum affectum ejus cui datur, et respicit proprium honorem, vel aliud temporale commodum, ideoque moraliter loquendo, inefficax valde est illius revocatio. Propter quod specialis ratio est in consulente, ut ad illam majorem diligentiam adhibendam obligetur; quod tamen intelligendum est in eo casu, in quo verisimiliter credit alium non desistere, nec mutare consilium semel acceptum. Ita enim limitant omnes auctores citati, uno excepto Maiolo, qui hanc sententiam quoad prædictam limitationem, periculosam esse dicit, quia semper manet mentis corruptio in alio, idemque sentit de mandatario. Sed revera non est morale periculum, nec potest rationabiliter præsumi, quod duret talis corruptio propter solum consilium præteritum, quando alter ostendit voluntatem desistendi a tali facto, et onus admonendi alium est valde grave, ideoque non debet imponi sine morali causa, aut sufficienti necessitate.

43. *Quid si post consilium retractatum mors sequatur.* — *Decisio.* — Difficultas vero superest, si post prædictam diligentiam ex omni parte sufficienter factam sequatur homicidium, an qui dedit consilium excusetur ab irregularitate. Videtur enim ita dicendum, quia citati auctores asserunt, hunc fieri irregularem, nisi revocet consilium, et admoneat occidendum, si necesse sit; ergo, si hæc faciat, sentiunt non manere irregularem, etiamsi sequatur homicidium, alias impertinens esset illas conditiones adhibere. Ratio etiam hoc suadet, quia jam non potest homicidium illud consiliario imputari; fecit enim quantum potuit et debuit ad impediendum illud. In contrarium vero est, quia hoc non sufficit ad impediendam imputationem homicidii, si tandem sequitur ex vi prioris influxus, et causalitatis per consilium; sicut qui propinavit venenum, quamvis postea pœnitentia ductus, faciat quantum potuerit ad impediendam mortem, si tamen non impedit, irregularis efficitur; ita enim se habet consilium, sicut venenum, quod auferri non potuit. Item admonitio alteri facta, non videtur satis ad excusationem; suppono enim illum moralem diligentiam fecisse ad vitandum mortis periculum, et non valuisse. Respondendum vero est defendendo communem sententiam (quæ favorabilior est, et rationi magis consentanea), consilium non esse causam mere naturalem, et physica necessitate influentem, sed esse causam moralem, quæ per rationem auferri, et per liberam voluntatem impediri potest, ideoque non esse de illa judicandum sicut de veneno, vel alia simili causa. Si ergo post applicatam illam causam moralem, consiliarius fecit quod moraliter potuit, et debuit ad tollendam illam, et impediendum ejus effectum, censetur etiam moraliter illam abstulisse, et ob eam rem illi jam non imputatur homicidium, nec incurrit hanc pœnam ejus. Procederet autem optime illud exemplum de veneno in eo casu, in quo, licet voluerit consiliarius retractare consilium suum, et intimare alteri, non potuit (quod etiam in mandante observandum est); ut v. gr., si mandatarius, vel qui consilium accepit, sit absens, et non possit per litteras, vel nuncium admoneri, vel contingat litteras ad eum non pervenire, etiamsi commodo tempore missæ fuerint, etc.; in his enim, et similibus casibus existimo consiliarium, vel mandantem non excusari ab irregularitate, quia, licet conatus fuerit removere causam, quam apposuit, non potuit, non solum ex malitia alterius, sed quia in re ipsa ejus conatus non habuit effectum ex parte illius necessarium, scilicet intimationem alteri faciendam. Nec refert, quod ipse excusetur a nova culpa, quia per ipsum non stetit; quia necesse est, ut de facto non influat moraliter in homicidium ex vi prioris consilii; hoc autem non assequitur per solam culpæ excusationem ex

impotentia provenientem, nisi in re ipsa applicetur contrarium consilium, vel mandatum, seu revocatio prioris.

14. *Ex quo consilio nascatur hæc irregularitas. — Communis sententia.* — Rursus vero inquiret aliquis, quale debeat esse hoc consilium, ut ex eo nascatur irregularitas, an scilicet requiratur directum, vel sufficiat indirectum. Exemplum commune apud auctores est, si amicus dicat amico injuriam passo ab alio, vel dominus famulo : Ne ingrediaris domum meam donec aliquid novi fecisse intelligam cum eo, qui injuriam intulit. Aliud exemplum valde morale est, si Petrus, v. gr., post rixam cum Joanne, consulat Franciscum, an vere manserit injuria affectus, vel (ut aiunt) oneratus a Joanne, ita ut (juxta mundi leges) non possit recuperare honorem nisi per vindictam, et Franciscus declaret illum esse injuria affectum, et postea sequatur homicidium, an hoc sufficiat ad incurrendam irregularitatem. Communis doctrina, et in communi certa, est, sufficere indirectum mandatum, vel consilium per quamcumque moralem insinuationem, ut homicidium imputetur, et irregularitas contrahatur. Ita docet Panorm. in cap. Ex litteris, de Excess. Prælat., num. 3, adhibens primum exemplum. Quæ fuit etiam sententia Bart. in l. Si quis mihi bona, § Justum, ff. de Acquir. hæredit. Sequuntur Armil., verb. *Irregularitas,* num. 17; Tabiena, *Irregularitas,* n. 3, et *Excomm.*, 5, num. 36; Navarr., 1, n. 231; Covarr. late in Clement. *Si furiosus,* 2 part. §, num. 3, ubi alios refert. Ratio est, quia moraliter parum differunt directa, vel indirecta persuasio, aut inductio, quia utraque sufficit ad moralem influxum et causalitatem, in qua hæc irregularitas fundatur. Et fere est de hac re textus expressus in dict. cap. Ex litteris, de Excessibus Prælat.

15. *Primum observandum circa hanc sententiam.* — Quamvis autem in genere hoc certum sit, tamen in particularibus casibus sunt duo attente consideranda. Unum est, an verba contineant sufficientem insinuationem mandati, consilii, aut cujuscumque instigationis, vel excitationis, nam hoc necessarium est, et ex hac parte sufficit, ut patet ex ratione adducta. Ut in exemplis positis, in priori non est dubium quin illa sit sufficiens inductio; tamen in posteriori esse potest pro utraque parte dubium, quia illud judicium non est consilium practicum de re facienda, sed est quasi speculativum judicium de re jam facta; unde sic judicans non movet ad vindictam, etiamsi fortasse res ipsa moveat. Sicut qui narrat alicui injuriam factam in absentia ejus, unde alter excitatur ad iram, et procedit usque ad homicidium, narrans non videtur propterea manere irregularis, quia nec directe, nec indirecte præcipit, aut consulit. In contrarium vero est, quia in prædicto exemplo secundo ille sic judicans moraliter excitat ad vindictam, et consequenter ad homicidium, et juxta pravum usum talium hominum, ille se gerit ut judex per suam sententiam declarans alium morte dignum. Item tam in hoc, quam in alio casu de narrante injuriam ab alio factam, datur moralis occasio provocans ad vindictam et homicidium; ergo est sufficiens causalitas moralis, et indirecta inductio ad homicidium. Quapropter hæc res satis dubia videtur, nec posse generatim aliud affirmari, nisi quod habeat magnam speciem instigationis indirectæ; nihilominus in particulari considerandas esse circumstantias, et particularia verba, quæ proferentur, et ad forum conscientiæ multum etiam conferet intentionem loquentis expendere.

16. *Secundum observandum.* — Aliud in hoc puncto observandum est, an ex tali consilio, vel mandato indirecto, incurratur irregularitas homicidii voluntarii, vel alia minor, scilicet, casualis seu indirecte voliti. Quamvis enim inductio hæc dicatur indirecta, quia non fit verbis expressis, tamen, si fiat ex directa intentione homicidii, quod postea subsequitur, sufficit ad homicidium directe voluntarium, quia ad illud directe tendit intentio, et medium quamvis in ratione signi vocetur indirectum, tamen in ratione medii ad homicidium directe ordinatur, et in illud moraliter influit. Idemque dicendum erit, si illud factum est ex intentione vindictæ, quando materia talis est, ut juxta mundanam existimationem, vel secundum occurrentes morales circumstantias vindicta fieri non possit sufficienter sine morte, aut mutilatione, vel tali percussione, quæ fieri non possit sine gravi periculo mortis; nam, ut dictum est, talis voluntas, cum effectu subsequuto, satis est ad homicidium voluntarium. At vero, quando nec mors est per se intenta, nec materia vindictæ aut rixæ talis est ut moraliter postulet mortem, tunc, quamvis illa sequatur, non imputabitur ut homicidium voluntarium, sed ut indirectum, pertinens ad decisionem cap. ult. de Homicid., in 6, quod

infra tractandum est. Et videri potest late Additio ad Abbatem in dicto cap. Ex litteris, de Excessib. Prælat., et Armil., verb. *Irregularitas,* num. 25 et sequent.

Si mandatarius occisus est, an mandans, aut consiliarius irregularitatem incurrant.

17. *Prima sententia. — Prima conclusio. — Ratio dubitandi.* — Tandem inquiri potest, an in his casibus incurrat mandans, vel consiliarius irregularitatem, si contingat mandatarium occidi ab alio, ad quem occidendum missus est. Et citati auctores absolute respondent, etiam tunc incurri irregularitatem, Sylvest., verb. *Homicidium*, 1, quæst. 8, vers. *Quintum,* et Tabiena, *Irregularitas,* 2, num. 12, et alii Summistæ sub eisdem verbis cum Innocentio, Panormitano, et aliis in cap. Ad audientiam, de Homicidio; Joanne Andrea, et aliis in cap. ult. de Homicidio, in 6. Sed in primis certum videtur, irregularitatem hanc non posse esse homicidii voluntarii, sed ad summum casualis, ut expressius notavit Sylvest., quia mandans, aut consiliarius non intendit mortem illius personæ, neque ad illam per se operatur, ut manifestum est; ergo respectu illius homicidium talis personæ casuale est, solumque potest imputari ut indirecte volitum. Deinde etiam de hac irregularitate potest non immerito dubitari, quia consiliarius ille, seu mandans non facit injuriam illi ministro; ergo, licet postea occidatur, non potest dici commisisse homicidium contra illum, quia, ut supponimus, voluntarie acceptavit consilium, vel mandatum, et volenti non fit injuria. Dices, satis esse, quod illum exposuerit periculo mortis. Sed contra, nam Inquisitores majori periculo exponunt reos, quos non quidem volentes, sed invitos tradunt illis, a quibus certo sciunt fore occidendos, et tamen non manent irregulares. Item alias qui exhortaretur aliquem ad confitendam fidem coram tyranno cum evidenti periculo mortis, fieret irregularis secuta morte, quod absurdum est. Idemque est de exhortante milites in justo bello ad strenue pugnandum, ut late videri potest apud Dominicum, et Cardinalem, in cap. Pro membris, cum sequentib., 23, q. 3, et in cap. Igitur, cum sequentib., 23, quæst. 8. Denique contingere potest, ut mandans, vel consulens expresse admoneat, ut quis homicidium faciat sine periculo suo, id est, sine pugna et rixa, sed alium imparatum et incautum percutiendo, aut dando venenum, vel aliquid simile occidat.

18. *An incurrat irregularitatem qui exposuit alium periculo mortis, illa secuta.— Contraria sententia.* — Hæ difficultates petunt, an incurrat irregularitatem is, qui alteri consilium dat, ut illicite et temere se exponat pericula mortis, si mors ejus sequatur, ut, verbi gratia, quod inter duellum, in quo occiditur, quod inimico insidias paret, et similia. Non enim desunt viri docti, qui absolute negent hunc esse casum irregularitatis, quia jura de hoc non loquuntur, sed solum de dante consilium occidendi. Item quia consilium se exponendi tali periculo ut sic, non est contra justitiam, sed contra charitatem, vel fortitudinem, per temeritatis excessum. Contrariam sententiam video esse communiter receptam, a qua nec speculative, nec practice censeo esse recedendum. Quam ita exponerem, quia consulens alicui, ut se occidat, secuto effectu fieret irregularis, quia ille vere est homicida, et licet illa proxime non sit injuria, respectu illius, cui datur consilium, quia volenti non fit injuria, nihilominus alteri illa actio est contra justitiam, sicut occidere est contra justitiam, quia homo non est dominus vitæ suæ, et mutilare aliquem etiam volentem, et consentientem est contra justitiam, quia ille non est dominus suorum membrorum; ergo eadem ratione consulens alicui, ut temere se ingerat ubi occidendus moraliter est, est homicida et irregularis. Patet consequentia, tum quia in moralibus idem est facere, et se exponere morali periculo faciendi; ergo et consulere; tum etiam quia ille sic occisus vere peccavit contra justitiam sic abutendo sua vita, unde vere dicitur homicida sui; ergo etiam consulens et mandans, vel constituens illum in proxima occcasione mortis temeraria, est homicida et irregularis; præsertim quia licet ille sic occisus voluntarie se exposuit illi periculo, consulens fuit causa talis voluntatis per deceptionem, et mandans per moralem vim seu inductionem, et alioquin illa voluntas est moralis causa illius homicidii, et est non solum temeraria, sed etiam injusta, ut ostensum est.

19. *Rationi dubii satisfit.* — Ad rationem ergo dubitandi contra communem sententiam patet ex dictis responsio. Ad replicas vero respondetur hoc procedere, quoties tale periculum irrationabiliter, et contra naturale præceptum de tuenda vel non prodigenda vita assumitur, vel consulitur, aut mandatur;

cessat autem prædicta ratio, quando egressio talis periculi est juxta legem justitiæ, et charitatis, et ideo non procedunt exempla. Nam in primo de Inquisitoribus exercetur actus justitiæ intra terminos a jure canonico præscriptos, ut infra dicemus; in aliis vero excitatur homo ad actum fortitudinis exercendum, et moraliter non committitur mortis periculo, quia neque illud est per se intentum, nec indirecte voluntarium, cum non intercedat obligatio cavendi illud; sed est tantum permissum, quod non satis est ad irregularitatem contrahendam. Ad ultimam vero difficultatis partem Hostiensis, in cap. Ad audientiam, de Homic., num. 9, sentit in eo casu non incurri irregularitatem, sed solum quando quis directe inducit ad aggrediendum temere periculosam occasionem. Sed oppositum censeo verum; adverto enim hanc non esse irregularitatem homicidii voluntarii, sed casualis, quia homicidium, quod evenit, nullum fuit directe intentum, sed indirecte imputatur. Ad hoc autem genus irregularitatis sufficit mandatum, vel consilium, etiamsi limitatum sit, quando alter excedit fines mandati, vel consilii, ut aperte definitur in c. ult. de Homic., in 6. Quia totum illud debuit prævideri, et caveri, maxime cum difficile sit cavere proprium periculum, quia alteri mortem machinatur.

De consentiente in homicidium.

20. *Notanda pro resolutione.* — Quinto dicitur hanc irregularitatem incurrere consentiens homicidio. Qui casus majorem difficultatem habet, quam reliqui; intelligendum est enim de puro consensu sine aliqua causalitate, aut cooperatione directa vel indirecta ad homicidium. Duobus autem modis potest hic consensus præstari. Primo circa homicidium, quod ab alio fit suo nomine, et sine ullo respectu ad consentientem, qui mere extrinsece se habet ad homicidium, gaudendo quod factum sit. Alio modo potest hic consensus cadere in homicidium, quod ab alio fit meo nomine, id est, ad me vindicandum, vel quod existimet mihi placere. Distinguere etiam oportet inter homicidium dum actu fit, vel quod jam est factum, nam consensus in homicidio cum actu fit, rarissime potest esse purus, id est, sine aliqua operatione positiva, vel saltem omissione impediendi illud, de qua dicemus in puncto sequenti. Aliquando vero posset hoc contingere, si quis videns homicidium, sit omnino impotens ad impediendum illud, et fieri gaudeat, quamvis ad illud nullo modo cooperetur. Quod tamen evenire non potest, quando homicidium fit ab uno, nomine alterius, ipso prospiciente, et sciente animum occidentis; non enim potest tacere et consentire, quin moraliter cooperetur, quia tacite approbat factum alterius, et illud confirmat, imo et animum præbet. Debet ergo saltem explicare voluntatem suam, quia non vult tale facinus propter se, aut suo nomine fieri, etiamsi non possit alio modo resistere, ut saltem omnem cooperationem evitet.

21. *Conclusio prima.* — Duæ igitur regulæ certæ sunt in hac materia. Prior est : consensus in homicidium, quod nullo modo fit nomine consentientis, si purum sit, et absque ulla cooperatione, non inducit irregularitatem, etiamsi verbis expressum sit. Ita tenent Doctores infra citandi. Ratio est, quia talis consensus solum est mentale homicidium, per quod irregularitas non incurritur, ut manifestum est. Nec refert, quod illa voluntas sit verbis declarata, aut aliter exterius significata, quia quando talis exterior actio nullo modo influit in occisionem alterius, per se non pertinet ad peccatum exterioris homicidii, ideoque pœnæ homicidii non incurruntur propter illam actionem exteriorem, nisi expressa et speciali legis declaratione talis fiat extensio, quod in præsenti in irregularitate factum non est, ut a fortiori patebit ex dicendis.

22. *Secunda conclusio.* — *Dubium.* — *Deciditur.* — Secunda regula est. Quoties aliquis consentit homicidio, dum actu fit suo nomine, seu occasione, vel propter ipsum, homicidii reus fit, et ideo irregularitatem non evitat. Hanc supponunt auctores citandi; et patet ex dictis, quia ille non est tantum consensus, sed etiam moralis cooperatio. Maxime autem necessarium est, ut exterius non consentiat, sed repugnet, seque alienum a tali mandato et opere ostendat, quantum possit, nam ad hoc tenetur ob rationem factam. Sed quid si exterius hoc faciat, interius autem revera desideret homicidium illud? Hostiens., in d. cap. Ad audientiam, agens de consulente, et mandatario dicit, necessarium esse, ut talis retractatio seu declaratio voluntatis ex corde fiat, alias (inquit) si corde consentiat, in conspectu Dei cadit, et significat etiam fieri irregularem, nam subdit : *Et sic lex promotionis non semper in solo facto consistit, sed in facto, et animo.* Citat cap. ult., 15, quæst. 1, et cap. 1,

15, quæst. 6, nam in hoc posteriori circa finem dicitur, non tam attendenda esse, quæ fiunt, quam quo animo fiant. Sed illud est verum quoad meritum et satisfactionem coram Deo, non vero quoad pœnas Ecclesiæ, nisi id fuerit jure expressum, ut constat ex supra tractatis de Censuris in communi. Hic vero talis expressio facta non est, nam potius in priori textu dicitur legem de hac irregularitate, *opus magis, quam voluntatem requirere.* In eo ergo casu existimo non incurri irregularitatem, quia nullum est externum opus, neque etiam omissio externi operis, ratione cujus possit tale homicidum imputari; solum ergo ibi relinquitur mentale homicidium, quod non est sufficiens causa irregularitatis; et hoc magis constabit ex sequenti puncto.

23. *An consentiens in homicidium factum nomine suo fiat irregularis. — Prima sententia.* — Difficultas ergo communis est, an consensus in homicidium jam factum ab alio, nomine meo, inducat irregularitatem; multi enim existimant, per ratihabitionem facti præteriti contrahi irregularitatem homicidii voluntarii. Est tamen diversitas inter auctores; nam quidam dicunt, ratihabitionem internam satis esse, Sylvest., verb. *Homicidium,* 1, quæst. 7, et vers. 3, quæst. 5, citatque Astens. et Hostiens.; eum sequitur Maiol., lib. 5, cap. 48, § 6. Alii putant, necessarium esse, et sufficere, ut ratihabitio non sit per solam voluntatem interiorem, sed per exteriorem facti approbationem. Alii addunt, necessarium esse, ut qui ratum habet factum, potuerit illud mandare, quando factum est; nam si tunc erat infans, vel amens, etiamsi comparato usu rationis ratum habet factum, non incurret irregularitatem. Ita Navarr., cap. 27, num. 233, citans Joan. Andream in cap. 1 de Conversione infidelium, et Panorm., in cap. Ad audientiam, de Homicid.; Felin., in cap. Sicut dignum, de Homicid., num. 12. Fundamentum est, quia ratihabitio moraliter efficit tanquam proprium, actum ejus nomine factum, qui illum postea ratum habet, quia ut in regula juris, lib. 6, dicitur : *Ratihabitio retrotrahitur, et mandato comparatur;* ergo sicut ex homicidio, si ex mandato meo factum esset, irregularis fierem, ita ex ratihabitione ejus idem impedimentum contraham.

24. *Vera sententia. — Regula generalis.* — — Contrariam sententiam veriorem censeo, quam tenet Glossa, in cap. Si quis viduam, d. 50, et in c. Si quis vivente, 31, quæst. 1; Covarr., dict. Clement., 2 part., § 1, num, 4; Villadiego, de Irregular., cap. 6, num. 88; Tabiena, verb. *Irregularitas,* 2, num. 7; Armil., num. 22; Angel., *Homicidium,* 2, § 6; Hostiens., in Sum., tit. de Homicid., § Qua pœna, verb. *Quid ergo;* Archidiac., c. Omnes, 17, quæst. 4, et in simili Glossa ult. in c. 1 de Convers. infidel., ubi Panormit. favet, licet soleat in contrarium citari. Ad probationem autem, generalem regulam constituo, nullam censuram, aut pœnam ipso jure impositam propter aliquod delictum, incurri propter solam ratihabitionem, nisi in casibus a jure expressis. Probatur primo, quia ille non committit tale delictum; ergo si pœna tantum sit imposita committenti tale delictum, non extenditur ad ratum habentem. Consequentia patet, quia lex pœnalis non est extendenda, maxime cum pœna ipso facto imponitur, ut in superioribus visum est. Antecedens autem patet, quia non committit delictum, nisi qui aliquo modo est causa ejus, nam ad peccandum necessarius est liber influxus, qui non est sine aliqua causalitate. Sed qui tantum habet ratum delictum jam antea commissum, nullo modo est causa illius; ergo non committit tale delictum, et consequenter neque incurret pœnam latam solum contra committentem tale delictum. Minor probatur, quia ille non fuit causa, quando delictum est commissum, quia tunc nullo modo cooperatus est, et prorsus ignoravit quod fiebat; neque etiam postea, quando ratum habet, est causa, quia jam non fit, nec fieri iterum potest ille effectus, quia supponimus consummatum fuisse omnino homicidium; ergo repugnat postea habere causalitatem in illud. Tota ergo illa complacentia, quæ in ratihabitione habetur circa delictum commissum, respicit illud, ut objectum tantum, non ut effectum; et ideo nunquam comparatur ad eum, qui ratum illud habet, ut delictum ab eo commissum aliquo modo, sed solum, ut objectum gratum.

25. *Pœna committentis delictum non extenditur ad ratum habentem, nisi sit in jure expressum.* — Dixi, *nisi in casibus a jure expressis,* quia lex potest non solum punire qui committit delictum, sed etiam qui ratum postea habet, quia illud etiam est delictum pœna dignum, quam juste potest lex imponere, præsertim canonica. De quo sunt aliqua exempla in jure cap. Cum quis, de Sentent. excomm., in 6, ubi dicitur, incurrere quempiam in sententiam canonis *Si quis suadente,*

si ratam habeat percussionem clerici suo nomine factam, quamvis prius neque illam mandaverit, neque omnino cogitaverit. Similiter in cap. Felicis, de Pœnis, in 6, pœnæ latæ contra percussores Cardinalium expresse extenduntur per illa verba, *vel factum ratum habuerit*. Et similis extensio exprimitur in Clement. 1 de Pœnis, circa percussionem Episcopi. In his ergo casibus in jure expressis juridica est extensio, quia ab ipsa lege fit. Hinc vero non potest sumi argumentum ad alias pœnas, et leges, in quibus talis extensio non fit; quin potius hinc sumitur argumentum in contrarium ab speciali; ideo enim in his juribus et similibus exprimitur ratihabitio, quia si non exprimeretur, non comprehenderetur, sicut etiam exprimitur mandans vel consulens, quia si lex tantum puniret facientem, non comprehenderet mandantem, vel consulentem, saltem quoad censuras, ut supra dictum est idemque est de aliis pœnis, præsertim ipso jure latis.

26. *Ratihabitionem mandato comparari, quomodo intelligendum.* — Dicet aliquis, sub mandante comprehendi ratum habentem, quia ratihabitio mandato comparatur. Unde etiam potest quis urgere dictum cap. Cum quis, quia in eo non tam videtur jus condi, quam declarari; nam pro ratione redditur, ratihabitionem retrotrahi, et mandato comparari; videtur ergo velle Pontifex, ex vi illius canonis, quo excommunicatur mandans percussionem clerici, excommunicari etiam, qui ratum habet. Respondetur, ratihabitionem simpliciter non esse mandatum, quia non habet eum influxum in opus, quem habet mandatum, ut per se notum est; et ideo si lex tantum fertur contra mandantem, non comprehendit ratum habentem, quia non extenditur ultra proprietatem verborum ad ea, quæ per analogiam quamdam vel similitudinem cum aliis comparantur; sicut in præsenti se habet ratihabitio, de qua non dicitur in jure, quod sit mandatum, sed quod ei comparatur. Hæc autem comparatio si ad forum Dei refertur, ut multi volunt, intelligitur facile in gravitate culpæ, sicut desiderium æquiparatur operi in foro Dei; si vero referatur ad forum Ecclesiæ, intelligenda est, quantum per ipsos canones comparatio illa, et æquiparatio facta est; sicut dicere etiam possumus, mandantem æquiparari facienti, quia ex se habet cum illo quamdam proportionem, quam lex potest considerare, ut illos æquales faciat in pœna. Si tamen de facto id non consideret, nec loquatur de mandante, sed tantum de faciente, in ordine ad talem legem jam non æquiparantur; sic ergo de ratihabitione, et mandato existimandum censemus. Neque est verum, in dict. cap. Cum quis, non statui speciale jus; nam ratio illa non inducitur ut per se faciens illam extensionem, sed tanquam sufficiens ad movendum Pontificem, ut illam fecerit. Et ideo fortasse non dixit absolute Pontifex : *Cum ratihabitio mandato comparetur*, sed, *cum debeat comparari*.

27. Hic vero advertendum est, in his casibus, in quibus jura extendunt pœnam ad ratihabitionem, non sufficere approbationem vel complacentiam mere internam, sed externam requiri, quod in casu dicti cap. Cum quis, adnotavit Armilla, verb. *Ratihabitio*, num. 6. Et ratio ex dictis est manifesta, quia hæc pœna non potest imponi per Ecclesiam ratum habenti delictum, propter ipsummet delictum prius commissum, quia illud nunquam est delictum ejus, qui tantum illud ratum habet, ut ostensum est; nemo autem puniri potest propria pœna propter delictum non suum; punit ergo talis lex ratihabitionem tanquam speciale delictum. Non potest autem lex Ecclesiastica punire delictum mere internum, etiam circa actum externum peccaminosum et alienum versetur, quando illum respicit solum ut objectum, et non est ullo modo causa vel circumstantia ejus; ergo non potest punire ratihabitionem mere internam, donec exterioribus signis contestata sit.

28. *Corollarium primum. — Corollarium secundum. — Corollarium tertium. — Primum corollarium probatur. — Secundum et tertium corollarium suadentur.* — Ex his ergo infero primo, in prædicto casu de quo loquimur, non incurri irregularitatem per solam ratihabitionem. Secundo infero, si incurri posset, non fore per interiorem voluntatem sine externa ratihabitione. Tertio infero, talem irregularitatem, si esset, revera non esse homicidii voluntarii, sed alterius delicti longe diversi. Primum probatur, quia irregularitas homicidii nullo jure invenitur extensa ad consentientem tantum per propriam ratihabitionem; ergo non comprehendit illum. Antecedens ab omnibus supponitur, et qui illud negaverit, oportet ut afferat textum, in quo talis declaratio expresse fiat; nam sola illa generalis regula, quod ratihabitio mandato comparatur, nihil probat, ut declaratum est. Et hinc ostenditur conse-

quentia, quia oportet irregularitatem esse in jure expressam. Declaratur deinde, nam quando tale homicidium factum est, non contraxit irregularitatem ille, cujus nomine est factum, ipso ignorante, ut est per se notum in omnium sententia; ergo nec postea contrahit, quando postea sciens homicidium, ratum habet. Patet consequentia, quia tunc nullum fit homicidium, nec cooperatio, aut causalitas ejus; non ergo insurgit nova irregularitas ejus. Et hinc concluditur secundum, et tertium corollarium; nam ut talis irregularitas denuo incurreretur, oportet esse impositam propter novum delictum omnino distinctum a priori homicidio, etiamsi illud respiciat ut objectum, nempe propter approbationem prioris homicidii; ergo necessarium esset tale delictum esse externum; et irregularitas illi annexa non esset communis irregularitas homicidii, sed specialiter imposita propter tale delictum; cum ergo in præsenti materia nulla talis irregularitas inveniatur, sed illa tantum, quæ est ex homicidio, vel causalitate ejus, non est cur admittatur. Tandem explicatur exemplo; nam qui duplex homicidium committit, duas irregularitates incurrit, ut suppono; qui autem commisit unum homicidium et postea iterum atque iterum ratum illud habet, tam interius quam exterius non incurrit aliam irregularitatem, præter primam; ergo signum est propter ratihabitionem homicidii jam facti non esse irregularitatem impositam, quia major ratio esse videtur de ratihabitione proprii facti, quam alieni, etiamsi meo nomine me ignorante factum sit. Imo si ratihabitio hæc sufficeret, sæpius quis contraheret talem irregularitatem, si sæpius talem ratihabitionem repeteret, quia licet versentur circa homicidium, delictum, in quo fundatur proxime talis irregularitas, non est ipsum homicidium, ut ostensum est, sed ratihabitio ejus; ergo multiplicato hoc delicto, multiplicabitur irregularitas, quod nemo, ut existimo, concedet.

29. *Qui omnino involuntarie occidit, etsi postea ratum habeat, non incurrit.* — Dices : ergo si quis suis etiam manibus, casu, et sine culpa occidat alium, et postea intelligens factum, ratum habeat, non contrahet irregularitatem, quod videtur absurdum, quia prius homicidium per subsequentem voluntatem fit voluntarium, et hoc tantum illi deerat, ut per illud contraheretur irregularitas, ut nunc suppono ex infra tractandis. Respondeo concedendo sequelam; imo hinc censeo posse confirmari prædictam sententiam. Nam si per prius homicidium irregularitas contracta non est, ut in casu supponitur, nec propter subsequentem complacentiam contrahetur, quia illa non est homicidium nisi mentale, vel ad summum verbale, ut sic dicam, si complacentia illa verbis explicata est; irregularitas autem solum propter homicidium reale imposita est. Sicut si esset excommunicatio lata in eum, qui comedit carnes tali die, et aliquis ex ignorantia invincibili comedisset, et postea re cognita, complaceret in tali facto, et ratum haberet, excommunicationem non incurreret, quia ille nunquam comedit carnes cum pertinacia, et transgressione illius legis; nec prius factum (quod in hac materia valde observandum est) constituit unum actum moralem cum subsequenti voluntate, nec per illam constituitur in esse actus moralis talis personæ; ideoque nunquam fit tali pœna dignus. Unde in hoc sensu (qui in materia morali est maxime proprius) falsum est, prius homicidium reddi voluntarium per subsequentem voluntatem, quia hoc in rigore significat esse voluntarium per modum actus; tantum ergo est volitum per modum objecti. Quod si hoc ipsum, et nihil aliud intelligatur per tale voluntarium, falsum est hoc tantum illi defuisse ad inducendam irregularitatem; nam potissime defuit illi esse actum voluntarium causaliter, quod maxime necessarium erat, et nunquam habetur per subsequentem voluntatem, ut declaratum est.

30. *Corollarium ultimum.* — Atque hinc ulterius infero, etiamsi quis post commissum homicidium, cui nullo modo cooperatus est, recipiat, occultet, vel defendat homicidam, imo licet ei aliquid donet propter homicidium factum, vel quoscumque similes actus faciat, non propterea participare ejus irregularitatem, quia per illos omnes non est causa talis homicidii, neque illud incipit esse delictum ejus, sed est objectum, vel occasio aliorum delictorum, pro quibus non est lata irregularitas. Idemque est, etiamsi corpus inventum jam defunctum feriat, aut mutilet, etc., nam hæ actiones ostendunt odium, et peccaminosæ et irrationabiles sunt; tamen nec pro eis lata irregularitas, neque sunt causa vel cooperationes homicidii, quod jam omnino consummatum supponitur. Hæc autem omnia in primis intelligenda sunt in foro interiori et conscientiæ; nam in exteriori foro, qui hæc ageret, præsumeretur mandasse delictum, et magna purgatione indigeret, ut se ab

irregularitate liberaret, et merito posset per judicem suspendi, vel ab Ordinibus amoveri. Deinde intelligenda sunt hæc per se; nam per accidens ratione scandali poterit interdum impediri aliquis ab Ordinibus suscipiendis propter has actiones; illa vero neque irregularitas homicidii esset, quidquid Maiolus dicat, sed infamiæ, nec duraret amplius, quam talis infamia; nam ablato scandalo, maneret talis persona habilis ad Ordines.

De cooperatione ad homicidium.

31. *Cap. Sicut dignum, de Homicidio.* — *Qualis cooperatio sufficiat ad hanc irregularitatem.* — Sexto loco participat hanc irregularitatem homicidii ille, qui cooperatur, vel quovis modo opem præbet homicidio. Ita docent omnes Doctores; et colligitur ex c. Sicut dignum, § Illi, de Homicidio, ibi : *Constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt.* Idem sumitur ex cap. Significasti, 2, eodem titulo, ibi : *Studio, consilio vel mandato;* nam his verbis omne genus cooperationis significatum est. Denique qui cooperatur, est causa homicidii; ostensum est autem irregularem fieri, qui causam homicidii præbet : ergo. Difficultas autem est in explicanda hac cooperatione, quam latius et melius explicabimus agentes de homicidio casuali; nam frequentius irregularitas contracta ex hac cooperatione est ob indirectum et casuale homicidium. Si ergo, qui hoc auxilium præbet, directe intendit homicidium, voluntarius homicida est, vel non, sive suis manibus et actionibus percutiat, aut impediat alium, ne se defendat, sive solum defendat ipsum occisorem, vel illi animum præbeat, etiam sola præsentia ad illum finem exhibita. Si autem ipse non intendit homicidium, neque etiam suis manibus infert lethale vulnus, ordinarie non incurret hanc irregularitatem homicidii voluntarii. Nonnulla vero distinctione opus est. Aut enim comitatur alium, vel ei assistit, quem scit intendere mortem alterius, et ad eum finem incedere, et tandem pugnat cum illo; et in eo casu secuta morte, non evitat irregularitatem is, qui præbet auxilium vel per solam assistentiam, ut patet ex dictis juribus, et ex dict. cap. Sicut, § Clericis. An vero talis irregularitas dicenda sit homicidii voluntarii, necne, videtur quidem respectu cooperantis non esse, quia ipse non intendit homicidium, nec machinatur illud; et ideo licet alteri principaliter facienti voluntarium sit, cooperanti non videtur esse voluntarium, sed casuale. In contrarium vero est, quia homicidium voluntarium est, et hic cooperator sciens et videns vult cooperari ad illud; ergo est voluntarius homicida; nam unusquisque tale delictum committit, quale est illud, ad quod vult cooperari. Item quamvis ille per se non intendat mortem alterius, tamen hic et nunc, supposita determinatione amici sui, v. gr., dum vult illum juvare, et cum illo cooperari, jam vult, et intendit homicidium alterius. Quocirca si in eo casu cooperatio eo progrediatur, ut suis manibus inferat lethale vulnus, homicida voluntarius censendus est, etiamsi quasi coactus id fecerit, et conatus fuerit amicum avertere ab illo proposito, et non potuerit, quia totum illud est involuntarium secundum quid, absolute autem hic et nunc est voluntarium; et aliunde actio supponitur esse talis, ut potius videatur esse principale homicidium, quam cooperatio ad illud. At vero si ipsemet non ita percussit, sed ex actione alterius secuta est mors, ipso adjuvante, comitando, assistendo, etc., licet irregularitatem incurrat, non tamen videtur esse proprie homicidii voluntarii, propter rationem factam, et quia ille neque in intentione sua, neque in ipso usu, vel in aliqua actione sua directe vult tale homicidium; alterutrum autem horum est necessarium ad homicidium voluntarium. Unde a fortiori sequitur, multo minus fore homicidium voluntarium, si hujusmodi cooperator ignoret, principalem socium criminis procedere ex intentione occidendi alium, sed vel furandi, vel adulterandi, vel certe vindicandi injuriam, leniori tamen modo, et absque morte vel mutilatione; nam in his casibus nullo modo est directe volita mors ab ipso cooperante, nisi progressu et calore rixæ ita mutetur voluntas, ut ex cooperatore fiat principalis actor et voluntarius homicida. Quæ omnia patebunt magis ex sectionibus sequentibus, ubi etiam dicemus de non impediente; nam si aliquando ille hanc irregularitatem participat, non ex proprio homicidio voluntario, sed ex indirecto. Atque hæc resolutio de cooperatione communis est, de quo late Maiol., lib. 5, cap. 48, § 4; et Covarr., dict. Clement., part. 2, § 2.

SECTIO IV.

Qualis sit irregularitas homicidii voluntarii.

1. *Qualis sit irregularitas hæc quoad effectus.* — *An hujusmodi irregularis amittat beneficia jam obtenta ipso jure.* — Duo quæri possunt : qualis sit hæc irregularitas quoad effectus, et quoad dispensationem. Circa primum dicendum est, hanc irregularitatem habere omnes effectus supra generatim positos de irregularitate, nullum tamen habere specialem ac proprium. Prior pars certissima est, quia hæc irregularitas est omnino integra intra latitudinem hujus impedimenti, imo inter omnes irregularitates pœnales hæc videtur maxime exaggerari in jure, et absque ulla limitatione imponi; maxime cum præter rationem delicti includat totam causam irregularitatis. Altera vero pars probatur, quia in jure nullus invenitur effectus huic irregularitati specialiter debitus. De duobus enim esse potest aliquale dubium, scilicet de beneficiis jam obtentis, an ipso jure amittantur per hanc irregularitatem absque aliqua sententia, et de incapacitate ad recipienda denuo beneficia. De primo puncto fuerunt opiniones contrariæ inter Jurisperitos; nam licet fere omnium concors sententia fuerit, non per omnem irregularitatem homicidii amitti beneficia, quos latissime refert Salzedo, in Pract., c. 94, tamen de homicidio voluntario, quod animo deliberato et præmeditato fit, aliqui censuerunt oppositum, et inter eos refertur Abbas, in c. At si clerici, de Judiciis, num. 39. Sed neque ibi agit de quovis homicida voluntario, sed de qualificato, quod in aliam graviorem speciem transit, ut parricidium, etc. Neque etiam agit de hac pœna, nec de alia, quæ jure incurratur, sed de degradatione, quæ propter tale delictum potest a judice imponi. Et eodem fere modo loquitur Felinus, in cap. Inquisitionis, de Accusationibus, num. 3 et 4; clarius vero asserit, propter homicidium qualificatum amitti beneficia ipso facto, argum. cap. 1 de Homicid., in 6. Sed ibi non est sermo in genere de quolibet homicidio qualificato, sed de illo, quod per assassinos fit; hæc autem pœna expressa in illo speciali casu non est extendenda extra illum. Cujus argumentum evidens est, quia in casu illius textus incurritur illa pœna per solum mandatum, etiam homicidio non secuto, quod certum est non extendi ad alios casus.

2. *Resolutio.* — *Maioli opinio.* — *Rejicitur.* — Nullum ergo est jus, quod hanc privationem ipso facto adjungat irregularitati homicidii voluntarii, etiam alias qualificati; et ideo non est, cur talem effectum huic irregularitati potius, quam aliis tribuamus, argumento etiam sumpto ab speciali ex dicto cap. 1. Et ita sentiunt omnes pene Jurisperiti, ut ex Joanne Igneo refert Salzedo supra, et videri etiam possunt Felin., in cap. De quarta, de Præsumpt., num. 33; et Covarruv., dict. Clement., 2 part., § 3, num. 6; Navarr., in cap. Si quando, de Rescript., except. 9, et cap. 27, num. 249; Rebuffus, in Pract., tit. *de Modo admittendi beneficia*, num. 65, et quæ supra in genere diximus de hoc effectu. Quamvis autem hæc jure communi et antiquo certa sint, nihilominus Maiolus, dict. cap. 48, num. 1, existimat jure novo Concilii Trident., sess. 15, cap. 7 de Reform., dictam opinionem non habere locum, neque in foro externo, neque interno. Verba autem Concilii sunt : *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, omni Ordine, ac beneficio et officio Ecclesiastico perpetuo careat.* Ubi nullum est verbum, quod significet hanc pœnam ipso facto incurri, nisi fortasse sumatur argumentum ex verborum similitudine, nam eodem modo privat Ordine et beneficiis; sed privat Ordine ipso facto; ergo et beneficiis. Inefficax vero est argumentum, tum quia verba accommodantur rebus; carentia autem Ordinis, quæ est irregularitas, non aliter quam ipso jure incurritur. Privatio autem beneficii utroque modo imponi potest, raro vero ipso facto imponitur, et quia rigorem continet, nunquam ita intelligitur, nisi exprimatur. Tum etiam quia Concilium loquutum est sicut antiqua jura; ergo in sensu illorum loquutum est; nam si aliquid peculiare addere voluisset, expressisset. Igitur prædicta communis doctrina tam in foro interiori quam exteriori, etiam nunc servanda est. Unde multi ex auctoribus citatis, post Concilium Trid. loquuti sunt.

3. *An irregularitas hæc inhabilitet ipso jure ad beneficia in futurum.* — *Nomine beneficii non veniunt pensiones.* — *Congregatio Cardinalium.* — Atque ex his constat, quid de beneficiis in futurum obtinendis dicendum sit. Nihil enim hic speciale habemus, præter generalem doctrinam de irregularitate supra datam. Quanquam enim Maiolus, supra, de Concil. Trident. aliter sentiat, re tamen vera nihil in hoc speciale disponit. Nam præter

verba citata, hæc solum habet, quæ ad hunc effectum pertineant : *Nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat.* In quibus etiam verbis nullum est, quod significet collationem talem ipso facto irritam esse; nam verbum, *non liceat,* solum prohibet illam; sola autem prohibitio non statim reddit collationem nullam, nisi aliquid amplius addatur. Adnotare vero oportet, in congregatione Cardinalium circa hoc cap. declaratum esse, quatenus loquitur de incapacitate beneficiorum, in qua sunt homicidæ, non extendi ad pensiones, quod a fortiori habebit locum in quacumque irregularitate, nisi ubi aliud fuerit in jure expressum. Et fundamentum est, quia pensio in rigore non est beneficium; de tali enim pensione videtur declaratio hæc intelligenda, juxta ea, quæ de pensionibus diximus circa effectus excommunicationis. In eo vero, quod congregatio utitur nomine *incapacitatis,* videtur favere opinioni Maioli. Sed non existimo in eo rigore sumptam esse vocem illam, sed eo modo, quo simpliciter dicimus fieri non posse, quod jure non licet, vel certe loquitur de incapacitate in ordine ad futura beneficia, quæ existit non quidem ex vi illius verbi Concilii per se spectati, sed ex generali et antiquo jure irregularitatis.

De dispensatione hujus irregularitatis.

4. *Conclusio prima. — Secunda. — Duo corollaria. — Notandum.* — Circa ultimum punctum propositum, quidam existimant, hanc irregularitatem esse prorsus indispensabilem, utpote jure divino introductam, Exod. 21, 1 Paralip. 22 et 28. Sed hoc fundamentum est falsum, ut supra ostensum est. Certum ergo est, Summum Pontificem posse in illa dispensare, quod constat ex usu, et quia est impedimentum juris humani. Deinde est certum, solum Summum Pontificem posse hanc dispensationem concedere. Quod præter jura antiqua, manifestum est ex Concilio Trident., sess. 24, c. 6 de Reform. Ex quo textu duo colliguntur : unum est, irregularitatem hanc incurri per homicidium quantumvis occultum; aliud est, quamvis alii casus occulti Episcopis ibi delegentur, hanc vero irregularitatem reservari, ut a solo Summo Pontifice etiam in casibus occultis dari possit. Est autem illa exceptio, ut in superioribus adnotavi, de homicidio cum proprietate intelligenda, ita ut mutilationem non comprehendat, etiamsi omnia, quæ hactenus diximus de hac irregularitate, utrique communia sint, quia (præter supra dicta) favorem principis amplissime interpretamur; illa ergo exceptio ad omnem proprietatem et rigorem verborum limitanda est, ut favor ille, et potestas data Episcopis, quantum juste fieri potest, extendatur, sicut etiam congregatio Cardinalium interpretata est. Possunt ergo Episcopi dispensare cum mutilatore voluntario in casu occulto; extra illum vero solus Papa potest. Quis vero sit casus occultus, et alia, quæ ad illam facultatem pertinent, superius declarata sunt.

5. *Tertia conclusio.* — Ultimo addendum est etiam in ordine ad Summum Pontificem hanc irregularitatem esse quodammodo indispensabilem, eo modo, quo impossibile dicitur id, quod difficillime fit. Et fortasse ad hoc insinuandum Concil. Trident., dict. c. 7, sess. 14, absolute dixit : *Ordine perpetuo careat.* Itaque raro, et cum magna difficultate, et nonnisi propter gravissimas causas talis dispensatio concedi debet. Et hoc etiam probat usus, et ad hoc juvat, quod hoc sit consentaneum divinæ sapientiæ et voluntati, quæ aliquando revelavit non esse sibi placitum, quod hujusmodi homicidæ ad suum altare accedant, tum propter gravitatem delicti, tum quia est opus valde alienum a divina lenitate, et misericordia erga homines, quam maxime debet repræsentare, et præ se ferre sacerdos, cujus munus est inter Deum et homines intercedere.

DISPUTATIO XLV.

DE IRREGULARITATE CONTRACTA EX HOMICIDIO CASUALI.

Sub casuali homicidio comprehendimus omne illud, quod privata auctoritate fit ab aliquo præter intentionem ejus, et absque necessitate defensionis, et mutilationem comprehendimus cum eadem proportione. Duobus autem modis contingit hoc homicidium casuale : primo, ut indirecte, tamen voluntarium sit; secundo, quando non solum præter intentionem est, sed etiam præter voluntatem indirectam, utpote quia omnis diligentia debita adhibita est, ne ex propria actione homicidium, vel personale nocumentum proximi sequi possit; de utraque igitur sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Utrum per homicidium indirecte voluntarium irregularitas contrahatur.

1. *Conclusio.* — Responsio affirmans certa est, in qua conveniunt omnes Theologi cum D. Thom., 2. 2, quæst. 6, et omnes Summistæ, verb. *Homicidium,* et verb. *Irregularitas,* et omnes Canonistæ, ut a fortiori patebit ex dicendis; et sumitur ex c. Significasti, 1, et c. Directus, de Homic., et ex c. Clerico, cum aliis, dist. 50. Et ratio est, quia in eo casu qui sic hominem occidit, est verus homicida, esto non sit perfecto modo, ut sic dicam. Nam peccatum commissum per voluntatem indirectam, ejusdem speciei est cum directe voluntario, etiamsi in ea specie imperfectum sit; canones autem ad hanc pœnam non requirunt culpam homicidii directa voluntate commissam, sed omnem homicidii culpam puniunt, quia omnino abhorrent hoc opus in Dei ministris. Statim vero se offerebat quæstio, qualis culpa ad hoc sufficiat; hæc vero explicabitur melius circa aliud genus homicidii casualis.

2. *Notanda circa hanc irregularitatem.* — *Materia.* — *Qualitas.* — *Dispensatio.* — Circa hanc igitur irregularitatem illa tria observanda sunt, quæ circa præcedentem fuse declaravimus, et cum proportione sunt applicanda; nam materia (ut ita dicam) seu fundamentum hujus irregularitatis idem est, scilicet, homicidium vel mutilatio, ita ut effectus in re ipsa sequatur. Qualitas item irregularitatis quoad effectus inducendos eadem est, ut per se, et ex dictis satis constat. Quoad indispensabilitatem vero mitior est hæc irregularitas; nam delictum minus est, propter minus voluntarium; ideoque per se minori etiam est pœna dignum, ut dicitur etiam in cap. Eos vero, 50 dist., ac proinde facilius cum illo quoad hanc irregularitatem dispensatur. Imo in Concilio Trident., sess. 14, c. 7 de Refor., hæc dispensatio, *quodammodo deberi* dicitur, ac propterea ibidem Ordinario committenda dicitur; non enim ipsum Concilium illam committit, sed, *committatur,* inquit. Non quod legem in hoc Pontifici imponat, sed quod explicare voluerit conditionem, et quasi naturam talis irregularitatis. Et eodem sensu ait, ex causa posse committi Metropolitano, vel viciniori Episcopo. Additque conditiones, cum quibus talis delegatio facienda est, vel intelligenda jure ordinario, et dum Pontifex aliud non explicuerit, nimirum, ut dispensatio fiat, *causa cognita, et probatis precibus ac narratis,* et additur, *neque aliter dispensare possit.* In quo significatur, dispensationem aliter concessam nullam esse. Denique advertendum est, concessionem illam juxta illud decretum solum esse necessariam, quando casuale homicidium est publicum, vel deductum ad forum contentiosum; nam si homicidium sit casuale et occultum, Episcopi habent facultatem dispensandi in ejus irregularitate ab eodem Concilio Trident., sess. 29, c. 6 de Reform.; cum enim tantum excipiat homicidium voluntarium, omne aliud concedit; casuale autem non est voluntarium simpliciter, ut supra ex eodem Concilio declaravimus, et notavit Navarrus, c. 27, num. 240, et est communis sententia. Hinc vero inferendum non est, alios, qui participant Episcopalem jurisdictionem, habere hanc potestatem, ut sunt, v. gr., Provinciales vel Generales religionum; jam enim supra ostendi, etiam ex declaratione Cardinalium, nomen *Episcopi* in illo decreto proprie sumi, et non debere extendi ad inferiores Prælatos, etiamsi dicantur Episcopalem jurisdictionem participare, quia hoc intelligitur in ordinaria jurisdictione, non vero in omni speciali, et extraordinaria facultate Episcopis concessa circa ea, quæ alias jure communi erant reservata Summo Pontifici, qualis est hæc irregularitas; et ideo religiosi Prælati jure communi non possunt dispensare in hac irregularitate. Mendicantes autem ex privilegio Sixti IV possunt, quia inter homicidia solum excipit voluntarium, de quo alias.

SECTIO II.

Quibus modis homicidium casuale ad culpam et irregularitatem imputetur, et consequenter quæ personæ hanc irregularitatem incurrant.

1. *Multiplex hujus homicidii modus.* — *Primus.* — In præcedenti disputatione, sect. 5, diligenter exposui, quando homicidium sit voluntarium, quia multum refert ad qualitatem irregularitatis. Omne ergo homicidium, quod a voluntate directa ibi explicata non procedit, et ex quacumque alia voluntate oriatur, saltem indirecte, casuale culpabile dicitur, et ad præsentem irregularitatem sufficit. Hoc autem contingere potest variis modis, quos oportet distinguere, quia non in omnibus est æqualis certitudo. Potest autem in genere duplex modus distingui : unus est

positive efficiendo aliquid, ex quo sequitur homicidium; alius per solam omissionem. Rursus circa priorem distingui possunt omnes personæ, seu modi concurrendi ad hujusmodi homicidium. Primo ergo, ac præcipue incurrit hanc irregularitatem ille, qui immediate exercet actionem, ex qua tandem sequitur homicidium. Ad quod multæ conditiones concurrere debent; quædam vero requiruntur, ut casuale sit, videlicet, quod nec mors sit per se intenta, neque actio, quæ exercetur, ex se, et natura sua sit sufficiens causa proxima mortis, vel saltem, ut hoc ignoretur ab operante; aliæ autem conditiones requiruntur, ut voluntarium sit, nimirum, quod moraliter potuerit talem actionem vitare; nam si non posset evitare causam, non imputaretur effectus. Deinde quod vel ignorantia talis periculi fuerit vincibilis, vel negligentia in illo vitando fuerit culpabilis. Quando vero talis fuerit, necne, in conscientia, viri prudentis arbitrio; in foro vero exteriori, judicio Episcopi, seu Prælati habentis ordinariam jurisdictionem, relinquendum est, quia non potest certior regula constitui. De modo autem ponderandi circumstantias ad ferendum hoc prudens judicium, copiose et optime loquitur Cajetan., 2. 2, quæst. 64, art. 8. Nunc vero non oportet hic distinguere, an interficiens daret operam rei licitæ, et illicitæ; quantumcumque enim opus sit ex se honestum, si incaute factum est, ad hanc irregularitatem sufficit, quia honestas operis non impedit, quominus homicidium voluntarium sit. Imo hoc ipso, quod ita sit, desinit esse honestum in ordine ad operantem, quia non prudenter, et consequenter neque honeste fit. Quomodo autem intelligenda sint jura, quæ hanc distinctionem aliquando insinuant, infra dicemus. Similiter necesse non est distinguere inter opus habens ex se adjunctum periculum occisionis, vel non habens; nam regula posita formaliter, et in universum vera est in omni opere cujuscumque conditionis sit; nam licet ex genere suo non videatur habere periculum, tamen hic et nunc illud habuit, cum supponatur, effectum mortis ex illo fuisse sequutum. Hoc ergo practicum periculum attendendum est, quia per se est obligatio vitandi illud; et respectu hujus obligationis consideranda erit ignorantia, vel negligentia, an fuerit vincibilis, necne: ad hoc autem discernendum utilis erit illa distinctio, quamvis sola non sufficiat; semper enim necesse est circumstantias in particulari considerare.

2. *Secundus modus hujus homicidii.* — *An qui detinet alium ne fugiat, et occiditur, fiat irregularis.* — Secundo potest hoc homicidium casuale committi dando causam, ex qua sequitur mors; duobus enim modis potest hæc causa applicari, primo formaliter, ut causa est, quod moraliter fit, quoties causalitas ejus proxima, seu naturaliter inevitabilis non ignoratur; et tunc homicidium est voluntarium, ut dictum est. Secundo potest causa mortis tantum materialiter applicari, ut quando potio mortifera propinatur absque cognitione ejus, vel virtutis illius, vel certe quia non putatur efficacia ejus inevitabilis, et fit cum proposito impediendi effectum. Et in his casibus, et similibus, homicidium est tantum voluntarium, supposita ignorantia, vel temeritate culpabili; et ita per illud contrahitur irregularitas ad hunc ordinem pertinens. Hic vero inquiri potest, an qui alium detinet, ne fugiat, cum periculo quod ab alio percutiatur, irregularis maneat, si detentus ab alio occidatur. Respondetur, ex omnium sententia illam detentionem esse sufficientem ad contrahendam irregularitatem; imo si mors ab alio inferenda, vel intenta fuit a detinente vel manifeste prævisa, talis irregularitas homicidii voluntarii censenda est; nam moraliter loquendo, non minus influit in mortem, qui cum dictis circumstantiis alium detinet, ut ab alio feriatur, quam qui percutit. At vero si mors præcogitata non est, etiamsi fuerit intenta aliqua percussio levis, sed quæ non esset ad mortem, homicidium erit indirecte voluntarium, quia saltem in causa, et morali periculo volitum fuit; manet tamen intra latitudinem casualis, quia mors ipsa neque in se, neque in proxima causa fuit volita. Eoque magis erit casuale, quo percussio vel nulla, vel minima fuerit intenta; tunc autem necessarium erit, ut intercesserit culpa in non prævidendo talem eventum, alioqui non habebit locum irregularitas, de qua nunc agimus. Et per hæc judicandum est de multis casibus particularibus, ad quos descendere non possumus; gratia vero exempli unum, vel alterum in sequentibus attingemus; viderique potest Sylvest., *Homicidium,* 2, et alii Summistæ.

3. *Tertius hujus homicidii modus.* — *Duobus modis potest contingere casus dict. c. ult.* — *Primus.* — *Secundus.* — Tertio potest hanc irregularitatem incurrere mandans percussionem, ex qua sequitur homicidium, etiamsi cum limitatione mand[illegible] dederit, et man-

datarius imperium excesserit. Hic enim est casus expressus in c. ult. de Homicidio, in 6; supponitur autem ibi tale mandatum fuisse iniquum, ibi : *Cum mandando in culpa fuerit.* At vero Covarruvias, dicta Clement., 2 part., § 1, num. 2, contendit, illud homicidium non esse casuale, sed voluntarium; statim vero subjungit, non directe, sed indirecte esse voluntarium, in quo videtur in modo loquendi differre. Statim vero subjungit, irregularitatem inde contractam non posse tolli ab eo, qui solum habet potestatem dispensandi in homicidio casuali, in quo jam in re a nobis differt. Verius ergo existimo, in casu illius textus homicidium esse casuale, sive tale homicidium reipsa, sive sola interpretatione legis fuerit indirecte voluntarium. Duobus enim modis potest contingere similis eventus: primo, ut mandator, licet mandando verberationem sit injustus, tamen in cavenda morte, ne ex tali verberatione sequatur, sit tam diligens, et sollicitus, ac si verberatio esset justa, et prudentissime mandata; ut, v. gr., si rem commisit ministro fideli, et humano modo prudenti, et cauto, et limitavit modum, et instrumentum, etc., in quibus nullum esset periculum. In quo casu reipsa, et coram Deo homicidium ut sic non est indirecte voluntarium, neque in conscientia culpa illa gravior est propter homicidium subsecutum. Nihilominus tamen censeo mandantem manere irregularem, homicidio subsecuto, ex vi illius cap. ult. quod hanc irregularitatem ponit, solum, *quia mandator in culpa fuit, et hoc evenire posse, debuit cogitare;* quæ duo concurrunt etiam post totam illam diligentiam adhibitam; adhuc enim cogitari debet, non obstante illa, posse mandatarium excedere, si non ex malitia, saltem ex alio casu. In odium igitur talis mandati voluit lex, ut nulla humana diligentia mandantis sit sufficiens ad evitandam irregularitatem, si effectus homicidii sequatur. Atque hac ratione dixi, tale homicidium interpretatione legis reputari tanquam voluntarium quoad hanc pœnam; tunc autem dubitari non potest, quin casuale sit, cum vere, et in re, nec indirecte voluntarium sit. Alio vero modo potest tale mandatum dari non solum injuste ratione objecti proximi, quod est verberatio, sed etiam incaute, et imprudenter ratione periculi mortis; et tunc homicidium voluntarium est, et ex illo contrahitur irregularitas, non solum ex vi illius cap. ultim., sed etiam ex generali ratione homicidii indirecte voluntarii. Pot[illegible] autem tale voluntarium colligi ex modo præcipiendi; nam si absolute præcipiatur percussio, non limitando modum, neque instrumentum, etiamsi addatur, ne usque ad mortem vel mutilationem procedatur, actio mandata semper est ex se periculosa, et ideo dum non vestitur aliis circumstantiis, intrinsece includit illum voluntarium indirectum. Hac ergo ratione potest hoc homicidium dici minus casuale quam præcedens, et alio modo magis voluntarium; tamen juridice loquendo existimo distingui a voluntario simpliciter, atque hac ratione comprehendi sub casuali, ita ut in irregularitate ipsius dispensare possit, qui habet potestatem dispensandi in irregularitate homicidii, excepto voluntario, ut recte docuit Navarr., dict. num. 240. Idemque censendum est, si potestas dispensandi data sit sub alia forma, scilicet, ad tollendam solam irregularitatem homicidii casualis; ita enim loquitur Covarr.; sed revera idem est, quia illud *casuale*, non excludit omne voluntarium indirectum, sed tantum directum, ut supra explicatum est, alias nimis coarctaretur illa potestas, quia rara est irregularitas, quæ ex homicidio pure casuali contrahatur, ut infra dicetur.

4. *Corollarium primum. — Corollarium secundum.* — Ex quibus intelligitur primo, quando hæc irregularitas contrahatur ex mandato injusto verberandi, non vero ex justo; ex illo enim semper sequitur subsecuta morte, sive alia negligentia interveniat, sive non. Quando autem mandatum est justum in ordine ad correctionem, vel disciplinam, ab eo, qui potestatem habet, etiamsi casu accidat mors, non imputabitur, neque insurget irregularitas, nisi aliunde intercedat socialis negligentia, ratione cujus homicidium illud fiat indirecte voluntarium, ut si designetur modus, vel instrumentum verberationis, et tale sit, ut ex genere suo periculum morale includat; tunc enim ex illa circumstantia mandatum fiet injustum. Secundo intelligitur ex dictis, idem homicidium respectu mandatarii posse esse voluntarium (ut si ex prava intentione excedit fines mandati), quod respectu mandantis est casuale, ut recte adnotavit Navarr. Aliquando vero potest e contrario homicidium esse casuale mandatario, quod respectu mandantis voluntarium est, ut si mandatum fuit de occidendo, mandatarius vero volens temperare mandatum non habuit intentionem occidendi, sed leviorem injuriam inferendi, neque usus est instrumentis et

modo per se ordinatis ad occisionem; tunc enim si errore manus, vel alia ex causa contingat occidere, respectu mandatarii percutientis casuale est homicidium, quia est præter intentionem, et præter virtutem actionis directe volitæ; respectu vero mandantis videtur mihi voluntarium, quia respectu illius mors est directe volita per illud instrumentum et actionem. Sæpe vero continget respectu utriusque homicidium esse casuale, sicut etiam potest accidere, ut respectu utriusque sit voluntarium.

5. *Corollarium tertium. — Casus de percutiente mulierem prægnantem deciditur.* — Tertio colligitur decisio vulgaris casus de eo, qui mulierem prægnantem percutit, et inde sequitur abortus prolis jam animatæ, non intentus a percutiente. Quamvis enim certum sit illum manere irregularem, quia tale homicidium voluntarium est in causa, nihilominus dubitatum est, an talis irregularitas sit ex homicidio voluntario. Cajetanus enim, 2. 2, quæst. 64, art. ult., ad 2, ita existimat, nisi vel intercedat ignorantia graviditatis fœminæ, vel tam levis sit percussio, ut moraliter non possit timeri abortus; si tamen percussio sit gravis, et cum cognitione, quod mulier sit prægnans, putat homicidium esse voluntarium. Navarrus autem, dict. n. 240, improbat hanc sententiam, et absolute ait illam irregularitatem esse homicidii casualis. Et videtur hæc sententia esse D. Thomæ in illa solutione ad secundum, nam propterea dicit hunc esse reum homicidii, qui dat operam illicitæ; dixerat autem in corpore articuli, tale homicidium esse tantum indirecte et per accidens voluntarium, loquiturque in casu, in quo percussio est gravis, nam explicat legem Exod. 21, quæ præcipiebat hunc puniri ut homicidam. Atque hæc sententia moraliter loquendo mihi videtur vera, quia talis actio est remota, unde ablata intentione, relinquitur tantum voluntarium in causa. Accedit, quod actualis inadvertentia in hoc casu tantum operatur, quantum ignorantia, et qui sic percutit, moraliter non advertit ad periculum fœtus, quia est objectum remotum; et ideo, sicut interveniente ignorantia culpabili homicidium est casuale, ut fatetur Cajet., ita etiam interveniente inadvertentia actuali etiam culpabili. Idemque censeo, etiamsi quis animadvertat periculum, non tamen sibi persuadet inesse, et conscientiam deponat, non sine aliquo scrupulo et temeritate, nam id satis est, ut homicidium sit moraliter præter intentionem. At vero si non solum advertat, sed etiam sibi persuadeat ex tali actione sequendum esse abortum, vel esse morale periculum ejus, et nihilominus vult ita percutere, profecto homicidium sequutum censendum est voluntarium, quia licet ille dicat se nolle occidere, illa nolitio est inefficax, et secundum quid; absolute autem vult exercere actionem, quam hic et nunc judicat esse occisivam, quod est directe velle homicidium, ut supra dictum. Unde quoad hoc censeo gravandam esse conscientiam sic delinquentis, ut in hoc veritatem narret, nam ejus confessioni standum est; non erit autem dispensatio valida, nisi narratio sit vera.

6. *Corollarium quartum de consulente.* — Quarto, quoad hanc irregularitatem eodem modo censendum est de consulente, quando non consulit directe homicidium, sed aliam actionem injuriosam, seu vindictam, etiamsi advertat ut non procedatur ad homicidium, nam per hoc excusabitur ab homicidio voluntario, non vero a casuali, ejusque irregularitate, si homicidium sequatur. Patet ex prædicto c. ult., nam in hoc pares sunt mandans, et consulens, nam uterque moraliter movet, et consulens quodammodo efficacius et immobilius, ut supra ostensum est. Atque ita de utroque quoad hoc indifferenter loquuntur auctores, ut videre licet in Innocentio et Abbate in cap. Ad audientiam, de Homicid.; Abbate, cap. Ex litteris, de Excessib. Prælat.; Felino, in c. 1, et in c. Sicut dignum, de Homicid.; Navar. et Covar., supra; Sylvest., v. *Homicidium*, 1, n. 12; et Tabiena, *Irregularitas*, 2, n. 2, et aliis Summistis. Unde etiam colligunt omnes, idem dicendum esse in utroque casu, si contingat mandatarium, vel consulentem occidi; constat enim tale homicidium magis indirectum esse, ideoque magis casuale; nihilominus tamen censetur sufficiens ad aliquam irregularitatem inducendam, quia illud homicidium aliquo modo voluntarium est. An vero, si ex circumstantiis contingat revera esse involuntarium, nihilominus contrahatur irregularitas, propter opus illicitum, vel propter d. cap. ult. de Homicid., in 6, dicemus paulo inferius. Cætera, quæ de consulente, et mandatario hic dici possent, petenda sunt ex præcedenti sectione, et cum proportione applicanda. In his enim personis, quæ remotius videntur ad homicidium concurrere, voluntarium indirectum æque ac directum, vel certe etiam facilius, inveniri potest. Et ob eamdem rationem facilius

etiam potest retractari mandatum, vel consilium datum de actione, quæ indirecte tantum et per occasionem affert homicidium, et sic de reliquis.

SECTIO III.

Quando incurrant hanc irregularitatem cooperantes aliquo modo cum homicida.

1. *An ignorantia intentionis principalis operantis faciat in cooperante homicidium casuale.* — Constat ex superius dictis, cooperationem ad homicidium, præsertim si cum peccato sit, ad irregularitatem sufficere; explicandum vero superest, quæ cooperatio in præsenti sufficiat ad homicidium casuale. Primo enim sæpe potest homicidium esse casuale respectu cooperantis, etiamsi respectu principalis homicidæ voluntarium sit, ut si cooperator intentionem socii ignoret, sive invincibiliter, sive etiam vincibiliter; utraque enim ignorantia sufficit ad excludendum directum voluntarium; neutra autem hic sufficit ad excludendum indirectum; nam cum ignorantia invincibili talis intentionis potest esse voluntas cooperandi ad aliquam actionem, vel rixam, vel aliqualem vindictam, cum qua moraliter conjunctum est periculum homicidii. Interrogari autem potest, an ignorantia talis intentionis principalis operantis necessaria sit, ut respectu cooperantis homicidium non sit voluntarium, sed casuale. Videtur enim non esse necessaria, quia etiamsi cooperanti constet de alterius intentione, potest ipse habere voluntatem non occidendi, nec cooperandi ad homicidium; ergo quamvis sequatur, non erit illi directe voluntarium. Respondeo nihilominus, hoc ad summum procedere, quando cooperatio non est directa, infligendo, scilicet, aliquod vulnus, juxta superius dicta; at si cooperatio directa sit, censeo esse necessariam talem ignorantiam, quia non potest aliquis velle sic cooperari illi, quem scit tendere ad homicidium faciendum, quin directe velit cooperationem ad homicidium voluntarium; et hoc satis est, ut illa irregularitas ad ordinem pertineat homicidii voluntarii. Unum vero casum exciperem, videlicet, si talis cooperator comitaretur alium, animo et spe impediendi homicidium, quasi cooperans ad minus malum, ut majus evitet; nam, licet hæc intentio non excuset a culpa, excusat tamen a directa cooperatione ad homicidium voluntarium, ideoque homicidium inde subsequutum videtur respectu illius casuale.

2. *Objectio. — Qui consulit minorem vindictam, si in eo non peccat, secuta morte non fit irregularis.* — Dices : qui in eo casu consuleret minorem vindictam aut percussionem ad vitandum majus malum homicidii, nullam incurreret irregularitatem, etiam casualis homicidii, licet illud fuisset subsequutum. Imo etiamsi consuleret, ut potius mutilaret, quam occideret, non fieret irregularis, quia in neutro casu est culpa in consulente; nam consulere minus malum, licitum est; hæc autem irregularitas non contrahitur sine culpa; ergo pari ratione adjuvans ad ipsum actum intentione impediendi homicidium, quod alter habet in proposito, non incurret aliquam irregularitatem. Patet consequentia, quia non minus adjuvat, qui consulit, quam qui aliter cooperatur. Fortasse aliquis respondebit negando assumptum, et asserendo etiam sic consulentem fieri irregularem, quia, sive peccet, sine non, cooperatur aliquo modo ad homicidium, vel mutilationem. Ego vero in primis assero, quando sic consulens nihil peccat, nullam irregularitatem incurrere, quia ex homicidio, quod ab alio committitur sine culpa sua, nunquam potest in ipsum irregularitas redundare, quia nec propter delictum, cum sit nullum, nec propter aliquod jus, quia nullum tale extat, et evidentius constabit ex dicendis in posteriori parte hujus disputationis.

3. *Potest hoc consilium absque culpa dari. — Discrimen inter consulentem absque culpa et cooperantem.* — Deinde assero, posse illud consilium ita dari, ut nulla culpa in eo sit. Necesse est autem, ut solum detur in sensu conditionali : Si homicidium es facturus, potius mutiles, aut minori etiam vulnere contentus sis. Et rationes, quæ ad tale consilium suadendum allatæ fuerint, ea prudentia sunt afferendæ, ut non confirment animum in proposito sumendi vindictam; tale enim consilium intrinsece malum est, ideoque honestari non potest ex extrinseco fine. Debent ergo rationes eo tendere, ut avertant animum ab homicidio, v. gr., si persuadeant non esse injuriam dignam tam gravi vindicta, vel proponant damna et incommoda, quæ ex tanto malo sequi possent. Ita denique, ut minor percussio permittatur potius quam suadeatur, nisi ad summum sub prædicto modo conditionato. Atque hinc etiam facilis est ratio, ob quam ex consilio sic dato nulla resultet irre-

gularitas, quia nulla est inductio ad mutilationem, vel aliam actionem periculosam homicidii, ut satis declaratum est. Colligitur item differentia inter sic consulentem et cooperantem exterius; nam sic consulens moraliter non influit in actum, quia conditionalis (ut aiunt) nihil ponit in esse; hic autem solum conditionaliter consulit; absolute ergo non inducit ad aliquid agendum, sed retrahit a majori malo. Qui autem cooperatur, reipsa et absolute influit in talem actionem; et ideo nunquam talis cooperatio licita est, quia, sicut non sunt facienda mala, ut veniant bona, ita non sunt agenda minora mala, ut in aliis vitentur majora. Et hæc est differentia clara inter agentem et consulentem, quod agens hoc ipso, quod cooperatur ad malum, jam agit malum, et eligit minus malum a se efficiendum, ut evitet majus malum, vel damnum alterius; qui autem consulit, non eligit, sed solum docet (quod verum est) ex duobus malis minus esse eligendum, supposito, quod alterum eligendum sit, quam suppositionem ipse non consulit, sed persuadere potius, si posset, neutrum fieri aut eligi.

4. *Discrimen aliud inter consulentem et cooperantem.* — Rursus hinc colligitur alia differentia notanda inter consulentem et cooperantem, quæ præcedentem doctrinam magis declarat. Nam consulens, etiamsi non tantum minus malum, sed etiam absolute malum ipsum, ut vindictam, vel quid simile consulat, si de facto non inducit alium in hanc pravam voluntatem, quia jam erat in tali proposito, neque etiam accendit, vel confirmat tale propositum, non incurrit irregularitatem, ut supra dictum est; cooperans vero, quamvis fortasse ob concursum ejus non inferatur majus nocumentum, quam sine illo fieret, nihilominus manet irregularis. Ratio differentiæ est, quia consulens non influit immediate in homicidium, sed media voluntate occidentis; et ideo si de facto non immutat talem voluntatem, ejus influxus non attingit homicidium, sed frustratur, ideoque non participat irregularitatem ejus; cooperatio vero immediate attingit opus ipsum, ex quo sequitur mors alterius; et ideo quamvis voluntas et actio principalis agentis eadem sit, et sufficiens ad eumdem effectum, nihilominus cooperatio alterius hic et nunc simul influit, quod satis est, ut participet homicidium, et consequenter ut incurrat irregularitatem.

5. *Cooperatio ad homicidium duplex in genere. — Remota.* — Jam vero inquiret aliquis, quot modis contingere possit hæc cooperatio. Respondeo esse multiplicem, et in particulari infinitis fere modis posse variari. Generatim vero distingui potest; nam quædam est cooperatio remota, alia proxima. Remote concurrit primo qui dat instrumenta homicidii, ut arma, ignorans, et non intendens rixam, vel percussionem alterius. In quo modo cooperationis, et in omnibus sequentibus semper est in particulari consideranda ignorantia, an fuerit invincibilis, vel in alio titulo actio illa dandi arma possit excusari a culpa; nam, si hoc habeat, etiam excusabit ab irregularitate. Distinguendum item videtur inter arma defensiva, et offensiva; nam, licet utraque præbendo possit incurri irregularitas, facilius tamen ex offensivis, quia magis ordinantur ad damnum inferendum, quod est per se injustum, defensio autem ex se licita est. Secundo concurrit remote, qui conficit, v. gr., potionem mortiferam, ex qua tandem sequitur homicidium. Tertio, qui applicat ligna vel parat ignem, in quo alius est comburendus.

6. *An qui parat ligna ad comburendum aliquem post mortem, fiat irregularis. — Notandum.* — Circa quem modum quæri potest, si homo non est vivus comburendus, sed postquam est mortuus, illud sufficiat ad irregularitatem incurrendam, si nulla alia cooperatio ad ipsam occisionem requiratur. Aliqui absolute sentiunt in eo casu contrahi irregularitatem, Nicolaus Plovius, tract. de Irregularite, reg. 15, ait enim, clericos, qui deferunt ligna ad comburendos hæreticos, etiamsi id faciant causa indulgentiarum, irregulares esse; ergo a fortiori id dicet de ministrante ligna ad iniquam combustionem. Alii vero distinguunt; nam vel ignis paratur, et applicantur ligna ante hominis occisionem, vel post illam; in hoc posteriori casu aiunt non contrahi irregularitatem, quod per se satis clarum est, quia illa non est cooperatio ad homicidium, sed ad combustionem cadaveris. In priori vero casu dicunt incurri irregularitatem. Quod videri potest difficile. Nam etiam tunc non cooperatur quis ad mortem, sed ad combustionem, quæ futura est post mortem, quæ actio non est fundamentum irregularitatis; ergo ille ordo impertinens est, quandoquidem ratione illius non sequitur cooperatio ad homicidium. Unde D. Anton., 3 p., tit. 28, c. 2, § 5, melius inquit, tunc hos contrahere irregularitatem, si materia illa cooperata est

ad mortem; unde, ait, si non est cooperata, quia jam mortui erant, quando ligna attulerunt, vel antequam accenderetur ignis in illa materia, non sunt irregulares. Idem autem erit eadem ratione, etiamsi ignis fuerit ante accensus, si nihil ad mortem cooperatus est, ut egregie Navarr. sensit, num. 217, dicens : *Si ex hoc cooperatus est ad occidendum, alias non.* Et ideo concludit, quoties homo prius occiditur, quam comburatur, illam non esse cooperationem; quando vero quis comburitur vivus, tunc recte ait necessarium esse ad vitandam irregularitatem, quod ligna non projiciantur in ignem, donec homo sit ab igne occisus. Idem Armilla, verb. *Irregularitas,* num. 61, et Sylvest., *Homicidium,* 3, quæst. 7, vers. 10. Qui sine fundamento addidit, seclusa cooperatione ad homicidium, vel non incurri irregularitatem, vel Episcopum posse in ea dispensare. Nam certum est non incurri, seclusa cooperatione; ex hypothesi autem quod incurratur, gratis dicitur posse Episcopum dispensare magis in hoc casu, quam in aliis homicidiis casualibus. De quo videri potest Navar., num. 240, in fine. Consideratione autem dignum est, quando ligna congeruntur ante occisionem, an ea occasione acceleretur hominis strangulatio, quæ non fieret, nisi ignis esset paratus; non fuisset autem paratus, nisi alter ad congreganda ligna cooperatus esset. Nimis tamen videtur remota hæc causa accelerationis, et regulariter vel nulla est acceleratio ob hanc causam, vel certe non potest moraliter cogitari, maxime in combustione justa, quæ fit auctoritate publica; in privato autem homicidio posset facile illa actio excitare ad occisionem majori animo, vel celeritate faciendam; et ideo tunc non facile excusarem ab irregularitate illum, qui hujusmodi cooperationem ante homicidium peractum tribueret.

7. *De proxima cooperatione.* — Proxime censetur cooperari primo, qui immediate applicat causam adjuvantem ad mortem, ut qui daret infirmo cibum aliquem cooperantem ad mortem ejus, quæ sine illo fortasse vel sequuta non fuisset, vel non tam cito. Secundo, qui ad ipsammet actionem occisivam habet aliquem concursum. Qui duplex esse potest, scilicet, directus, ut percutiendo, vel infligendo vulnus. Vel indirectus, ut detinendo alium ne fugiat, vel assistendo occisori, occisoremque sua præsentia tuendo, aut animando, ut supra dictum est. Differentia vero inter hos duos modos est, quia ex cooperatione indirecta, seclusa directa intentione homicidii, solum sequitur irregularitas homicidii casualis; cooperatio autem directa non solum ex formali intentione homicidii, sed etiam ex modo realis cooperationis ad actionem proxime sufficientem ad mortem, potest inducere irregularitatem homicidii voluntarii. Casualis autem erit, si et formalis intentio homicidii desit, et cooperatio, quatenus a directa voluntate procedit, ad mortem non sit per se sufficiens.

An cum plures ex repentina occasione cum aliquo rixantur, et illum interficiunt, omnes maneant irregulares.

8. *Quorumdam sententia.* — Occurrit vero dubium commune, si plures cum aliquo rixentur non ex proposito occidendi, sed ex repentina occasione, et ordinario modo, et illum interficiant, an omnes maneant irregulares. In qua dubitatione Doctores aliqui sub disjunctione respondent; aut enim mors illa causata est ex multis vulneribus, quorum nullum per se esset lethale, omnia vero simul mortem inferant; et in eo casu omnes, qui vulnus aliquod intulerunt, in dubio manent irregulares, quia omnes illi cooperantur ad mortem. Item quamvis positive non constet singulos inflixisse aliquod vulnus, imo contrarium verisimilius sit, quia, v. gr., major fuit numerus hominum, quam vulnerum, si tamen discerni non possit, quis inflixit vulnus, necne, omnes etiam censentur manere irregulares propter dubium, quia alias omnes fierent immunes ab irregularitate, quod est absurdum. Sequela patet, quia non est major ratio de uno, quam de alio. At vero si de aliquo eorum constet nullum inflixisse vulnus, aiunt, illum non manere irregularem, quia de facto non est cooperatus ad mortem, quanquam id facere tentaverit. Aut causatur mors ex uno vulnere lethali, vel cum aliis non lethalibus, vel sine ullo alio; et tunc si constet quis inflixit lethale vulnus, clarum est illum manere irregularem; si vero de nullo in particulari constet, ut quia jactu lapidis vulneratus est, et tunc omnes manent irregulares, propter rationem supra tactam. Si vero constet aliquos non læsisse, vel non vulnere lethali, illi censentur irregularitatem non incurrere. Ita sumitur ex c. Significasti, 2, de Homicidio, ubi in quodam simili casu Pontifex significat, si constare possit vulnus ab aliquo inflictum non esse lethale, percutien-

tem non esse ab altaris ministerio removendum. Quem textum ita intellexit Hostiensis in Sum., tit. de Homic., § Quæ pœna, vers. *Sed numquid omnes,* ubi hanc tenet sententiam. Idem significatur, in cap. ult., 23, q. 8. Nam licet sine distinctione dicatur, eos, qui vulneraverunt occisum, manere irregulares, tamen Glossa ait, illud esse propter incertitudinem, quia nescitur quo ictu periit, indicans, si constiterit, solum illum manere irregularem, qui lethaliter percussit. Et idem sentit Turrecremata ibi, dum addit, omnes esse irregulares, quando nescitur quis inflixerit vulnus lethale, juxta l. Item Mela, § Sed si plures, ff. Ad legem Aquiliam.

9. *Vera sententia.* — Dico igitur, in eo casu omnes rixantes cum occiso manere irregulares. Probo primo generatim, quia omnes cooperantur ad mortem, vel directe, vel indirecte, et non sine culpa : ergo. Secundo sigillatim discurrendo per omnia membra supra posita, et primo si omnes vulnerent, licet nullus ad mortem, certum est omnes manere irregulares, vel ex homicidio voluntario, si illud intendebant, vel saltem ex casuali, si fuit præter eorum directam intentionem. Hoc convincit ratio facta, et textus in dicto c. ult., et est communis sententia Innocentii et aliorum in dict. c. Significasti. Et sumitur ex Bart. in l. ult., ff. de Sicariis; Sylvest., *Homicidium,* 3, quæst. 6, et omnibus. Hinc vero a fortiori infertur, etiamsi unum vulnus sit lethale, et non reliqua, omnes, qui inflixerunt vulnus, esse irregulares. Probatur primo ex dict. c. ult., quod indistincte loquitur. Et præterea expendo verba illa, *secundum statuta canonum,* quæ posita videntur propter constituendam differentiam inter jus civile, et canonicum; lex enim civilis contemplatur ictus uniuscujusque in simili rixa, ut solum illum tanquam homicidam puniat, qui lethaliter percussit, juxta l. ult., ubi Bartholus, ff. de Sicariis. Jure autem canonico, ut in dicto textu insinuatur, non fit hæc consideratio, sed omnes habentur ut homicidæ. Accedit doctrina Bartholi eodem loco, eos, qui inflixerunt vulnera de se non lethalia post inflictum lethale vulnus ab alio, ut homicidas puniri etiam a jure civili, quia vulnera, quæ alias non essent lethalia, in corpore sic vulnerato et affecto lethalia sunt; ergo de his dubitari non potest, quin incurrant irregularitatem, cumque vix possit moraliter constare, an vulnus fuerit prius vel postea inflictum, vel ob hanc incertitudinem incurretur irregularitas. Rursus vero addit idem Bartholus, et probat ex civili jure, etiam eos, qui prius percusserunt non lethaliter, quamvis non puniantur ut homicidæ, puniri tamen tanquam præstantes auxilium homicidæ; hoc autem satis est jure canonico ad incurrendam irregularitatem, ut ex supra dictis constat; ergo. Unde hæc est ratio a priori hujus partis, quia sive vulnera præcesserint, sive sequantur, reipsa semper juvant ad mortem, et subjectum reddunt debilius ad resistendum vulneri lethali, et ut minimum accelerant mortem. Denique incredibile est, si omnes non lethaliter percutiant, et sequatur mors, omnes manere irregulares propter collectionem, et quando unus gravius, et lethaliter percussit, solum ob eam causam alios omnes excusari ab irregularitate.

10. *Corollarium secundum.* — *Maioli dictum improbatur.* — Quin potius addo ulterius, etiam eos manere irregulares qui nullum vulnus infligunt. Quod sentit Gloss., in dict. c. ult., citans c. Si quis post, 50 d., et c. Præsentium, et cap. Continentia, de Cleric. percussor. Ratio vero est, quia, licet illi non vulneraverint, aliquod tamen auxilium, et cooperationem dederunt homicidio. Nam comitari homicidam eique assistere ad maleficium faciendum, sufficit ad irregularitatem contrahendam, ut supra cum communi sententia dictum est. Imo etiam jure civile hic punitur, non quidem ut homicida, sed ut cooperator ad homicidium. Et hoc etiam significatur in jure canonico in dict. c. ult.; nam de his, qui impugnabant, et non vulneraverunt, dicitur, *similiter pœniteant,* utique ut delinquentes in homicidio, quamvis non plene ut homicidas; id vero satis est ad irregularitatem incurrendam, quia in hac pœna non est inæqualitas, ut jam dixi. Neque obstat, quod irregularitas factum requirit, c. ult., 15, quæst. 1, nam hic jam intervenit factum, nempe homicidium, cui præbetur favor et auxilium. Imo addit Maiolus, lib. 5, c. 48, § 4, num. 7, etiam eos, qui juvabant occisum, manere irregulares, si erant clerici. Et citat Raymundum, tit. de Homicidio, vers. *Quod si plures,* et c. Petitio, de Homic. Sed hic textus nihil probat, ut latius ostendam disputatione sequente; nam ibi agitur de homicidiis factis ob justam defensionem, et potius ad incurrendam in eo casu irregularitatem necessarium esse dicitur, ut clericus, qui juvat se defendentes, suis manibus occidat, quod quomodo intelligendum sit, infra dicam;

inde tamen potius sumitur argumentum, per se loquendo non manere irregulares illos, qui juvabant occisum. Quod verum esse credo cum limitatione, nisi provocaverint, vel induxerint eum ad pugnandum, aut fuerint proxima causa, ob quam talis rixa fuerit excitata; nam tunc eis saltem indirecte imputatur homicidium; sicut supra dicebamus fieri irregularem mandantem, si mandatarius occidatur; eadem enim ratio in præsenti militat.

11. Tandem infertur ex dictis, etiamsi vulnus inflictum unum tantum sit, illudque lethale, omnes impugnantes occisum fieri irregulares, non solum quando incerta est persona percutiens, quod est indubitatum, sed etiamsi certa sit, quia alii non manent irregulares propter incertitudinem, sed propter cooperationem. Unde quod dixit Nicolaus Plovius, tractat. de Irregular., regul. 28, in eo casu, quando non constat de interficiente, non manere omnes irregulares, sed unumquemque relinquendum esse conscientiæ suæ, mihi improbabile est; nam in foro conscientiæ existimo omnes esse irregulares, ut ostendi, et idem opinor in foro exteriori, quando de omnium delicto quoad rixam et mutuum favorem constat. Secus vero esset, si constaret homicidium esse factum ab uno ex quatuor hominibus, v. gr., ut quia ex domo, in qua erant, lapis projectus est, et a quo illorum jactus fuerit, ignoratur, nullusque illorum convinci potest. Tunc enim in foro exteriori nullus repelli potest ut irregularis, quia nullus in particulari præsumitur malus, qui non probatur; et melius est unum nocentem tolerare, quam tres innocentes damnare, ut recte notavit Maiolus, lib. 5, cap. 45, § 4, n. 9. Et in eo tantum casu posset procedere sententia Plovii, quod monendi sunt, et relinquendi conscientiæ suæ, non vero in alio, quem tractamus.

12. *Cap. Significasti, 2, de Homicidio, exponitur.* — Neque contra dictam resolutionem obstat cap. Significasti, supra citatum, quia in illo non agitur de pluribus rixantibus, sed de casu, in quo unus aliquem percussit, et postea ipso non vocante, nec consulente, nec volente, alii superveniunt et illum occidunt, qui casus est longe diversus; nam ille, qui primus percussit, non fuit cooperator cum aliis, sed habuit per se actionem omnino diversam; et ideo merito dixit Pontifex, gravitatem ejus esse per se spectandam ad ferendum judicium de irregularitate contracta ab illo primo percussore, nam quod postea supervenit, illi non imputatur, cum sit extra ejus voluntatem directam et indirectam, ut supponitur. Neque ex utriusque actionis concursu fit moraliter una, ut totus effectus singulis percutientibus imputetur, quia respectu primi percutientis concursus fuit mere accidentarius et fortuitus. Statim autem occurrebat quæstio, an decisio illius textus hoc modo intellecta, generaliter et sine limitatione procedat, an vero aliqua moderatio adhibenda sit, sed tractabitur melius in fine hujus disputationis.

SECTIO IV.

Utrum per omissionem obviandi homicidio incurratur hæc irregularitas.

1. Difficultas est de omissione pure privativa, id est, quæ non habet positivum influxum physicum aut moralem in homicidium, qualis esset occultare arma alterius, quibus se defenderet, vel permittere homicidam, ut armis meis utatur ad occidendum alium. In his enim casibus et similibus non est dubium de irregularitate, ut ex dicendis a fortiori constabit. Sed dubium est, quando mere privative quispiam se habet, videndo alterum occidi, et non impediendo, cum possit, et debeat. Hæ namque duæ conditiones supponendæ sunt, alias non est moralis omissio; si enim non possum, clarum est nullo modo esse mihi voluntarium; si autem non teneor, mihi non imputatur tanquam causæ, ut constat ex 1. 2, quæst. 6.

2. *Prima opinio. — Secunda opinio.* — In casu igitur moralis omissionis sunt variæ opiniones. Prima absolute affirmat contrahi irregularitatem, quæ solet tribui Sylvest., Angel., et aliis Summistis, sed generalius loquitur Navarr., in cap. Non inferenda, 23, quæst. 3, num. 18; idem sentit Socinus, in cap. Ad audientiam, de Homicid., quæst. 95, n. 338 et sequent., et quæst. 97, n. 353; fundantur in dicto cap. Non inferenda, et cap. ult., 23, quæst. 3, cap. Facientis, 86 dist., cap. Sicut dignum, § Illi, de Homicid., et in ratione textus, in cap. Quantæ, de Sentent. excomm., in 6. Quia favere censetur, et consequenter homicida esse, qui manifesto homicidio desinit obviare, cum possit et debeat. Secunda sententia absolute negat in eo casu irregularitatem incurri. Ita indicant Innocentius, in cap. Petrus, de Homicid.; Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 2, in princ., et in Summ., cap. 3 de Irregularitat.; et tenuerunt Raymundus,

Albericus, et alii, quos refert Summa Confessorum, lib. 2, tit. 1, quæst. 32. Fundari possunt, quia nullo jure lata est hæc irregularitas pro non impediente, sed solum pro agente aliquo modo, ut patet cap. Si quis viduam, dist. 50, cap. 2 de Cleric. pugnant. in duell. Distinguendum vero est de duplici obligatione charitatis, quæ communis est omnibus proximis, et justitiæ commutativæ, quæ nascitur ex officio prætoris, v. gr., vel alio simili, vel ex alio justo pacto.

3. *Prima conclusio. — Duæ limitationes Maioli examinantur. — Prima. — Corollarium.* — Dico ergo primo : quando quis solum peccat contra charitatem, non impediendo homicidium, non fit irregularis; ita tenent auctores secundæ sententiæ, et prioris ita sunt limitandi. Et sane Navarr. ita sentit in Summa, cap. 27, num. 231 et sequent. Et in dict. cap. Non inferenda, num. 35, nec aliud sentit Sylvest., verb. *Homicidium,* 3, q. 5, § 5. Ratio est illa sæpe repetita, quod talis irregularitas non est in jure expressa. Declaraturque in hunc modum, quia ille tunc nullo modo cooperatur ad homicidium; ergo nec homicida est; ergo non incurrit, etc. Antecedens patet, nam qui quovis modo ad homicidium cooperatur, vel physice, vel moraliter, contra justitiam peccat; ergo e contrario, qui non peccat contra justitiam, non potest dici moraliter cooperari ad homicidium, et consequenter nec irregularis fieri. Unde quoties jura vocant homicidam eum, qui non subvenit proximo in simili periculo constituto, vel qui non præbet cibum fame morienti, homicidium late vocant omnem culpam commissam circa debitam conservationem vitæ proximi; et in hac parte conveniunt fere auctores. Maiolus vero supra, § 5, n. 2, duas adhibet limitationes. Prior est, nisi præter omissionem defensionis exteriora signa adhibeantur, quibus factum approbari ostendatur. Sed hoc tunc erit verum, quando talia signa ita fiunt, ut homicida favorem sentiat, et animosior fiat ad committendum delictum, quia tunc jam non est sola omissio, sed cooperatio aliqua. Possunt tamen illa signa fieri sine hoc effectu, ut si videns factum gauderet et exterius rideret, vel alicui tertio diceret, sibi placere, nihil sciente vel advertente ipso homicida ; tunc enim cessaret omnis cooperatio, et consequenter dicta limitatio, quantum est ex vi illius actionis. Unde a fortiori sequitur, irregularem fieri, qui mandat vel consulit alicui, ut alium non tueatur ab homicidio, quia licet hic posterior contra charitatem tantum peccet, et ideo non fiat irregularis, prior peccat contra justitiam respectu occisi, et positive operatur ad mortem ejus. Idem probabilissime sentit Maiolus supra de illo, qui fores domus suæ claudit fugienti, et ideo occiditur; quia non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam videtur occludere alteri viam necessariam ad fugiendam mortem, estque illa moralis quædam detentio et cooperatio.

4. *Secunda limitatio.* — Altera limitatio est, nisi omissio ex dolo procedat, quæ fuit opinio Angeli, verb. *Homicidium,* 1, § 17, et per dolum videtur intelligere desiderium, ut alius occidatur, argument. cap. Quantæ, de Sentent. excomm., ubi dicitur, in sententiam canonis incidere, qui facinori percussionis clerici, cum possit, desinit obviare; ubi Abbas, num. 3, illam interpretationem juris extendere videtur ad omnem pœnam ipso jure latam; et addit, in foro exteriori præsumi dolum eo ipso, quod aliquis est præsens, et potest obviare, et non obviat. Sed quidquid sit de foro exteriore, in quo fortasse ille non tantum præsumetur omittens, sed habens societatem occultam cum occisore, argument. cap. Sicut dignum, § Illi etiam, de Homicid., et cap. Facientis, 86 dist., nihilominus in foro conscientiæ, si revera tantum intercessit omissio contra charitatem, quamvis illa fuerit voluntaria ex interno odio, et desiderio ac gaudio mortis proximi, nulla incurritur irregularitas, quod sentiunt alii auctores citati. Et favet cap. ult., 23, quæst. 8, ibi : *Qui vero nec eum impugnabant, nec vulnerabant, neque auxilio, vel consilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt, extra noxam sint.* Quamvis enim Glossa id exponat de illis, qui ita adfuerunt, ut impedire non possent, quod est verum loquendo de noxa apud Deum, tamen, cum textus absolute loquatur, recte intelligitur generaliter, et de noxa canonica, id est, quæ per irregularitatem punitur. De quo videri potest Decius in leg. Culpa caret, ff. de Regulis juris. Faciunt etiam quæ tradit Bartholus, in l. 1, § Sed in eo, ff. Ad Senatusconsult. Syllanian., ubi ait, etiam jure civili hunc non teneri de homicidio, et alia quæ citantur in Additione ad Abbatem, in dicto cap. Quanta.

5. *Secunda conclusio.* — Dico secundo : quando intervenit obligatio ex justitia, tunc per omissionem defensionis incurritur irregularitas. Ita tenet Summa confessorum supra,

referens plures alios, et Angelus, Sylvester, ac Maiolus, eisdem locis, et Navarrus, c. 27, num. 231, et cap. 24, num. 5, et 16, et seq.; et Nicolaus Plovius, de Irregularit., reg. 20; Tiraquell., tractat. de Pœnis temperandis, caus. 54, num. 13. Fundamentum sumitur ex dicto cap. Quanta, de Sentent. excom. Neque obstat (ait Maiolus), quod ibi sit sermo de excommunicatione; nam inde sumitur a fortiori argumentum, cum sit majus vinculum quam irregularitas. Sed hoc genus argumentationis infirmum est in hac materia, ut sæpe dixi, quia quidquid sit de comparatione harum pœnarum (diversis enim considerationibus videntur se habere tanquam excedens et excessum, ex cap. Cum illorum, de Sentent. excom.), argumentum neque a simili, neque a majori hic est validum, quia oportet hic ostendere jus expressum, maxime, quia ille casus est specialis, ut statim declarabo. Ratio ergo esse debet, quia in eo casu committitur peccatum homicidii; et ideo incurretur in eo irregularitas ex vi illorum jurium, in quibus propter homicidium fertur. Antecedens probatur late a dictis auctoribus, et a Navarro, in cap. Non inferenda, n. 18, et a posteriori patet, quia talis persona ita punitur jure civili, ac si ipsa commisisset homicidium. Item, quia ille est causa moralis homicidii, et contra justitiam; ergo illa omissio transit moraliter in commissionem homicidii.

6. *Objectiones aliquæ. — Prima. — Secunda.* — Sed occurrunt objectiones. Prima, quia hæc etiam irregularitas non invenitur in jure expressa; nam jus semper requirit factum ad hanc irregularitatem. Dicunt, omissionem actus ex justitia debiti esse quoddam factum morale. Sed contra, nam illud vocatur factum imputatione et interpretatione quadam, non secundum proprietatem, quod Theologi dicunt, omissionem reduci ad dictum, vel factum, vel concupitum, ut interpretatur D. Thomas, 2. 2, quæst. 71, art. 6, et quæst. 72, art. 6. Sic etiam in l. 164, ff. de Regulis juris, dicitur : *Qui non facit quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit.* Expendendum enim est illud verbum, *videtur,* et in l. Quid ergo, vers. *Certe,* ff. de His qui notantur infamia, additur : *Quodammodo fecisse videtur.* Ubi Glossa multa alia refert. In irregularitatibus autem explicandis, non impropriis et amplioribus interpretationibus uti debemus, sed propriis et strictis, cum requiratur jus expressum. Maxime, cum jura, quæ hanc irregularitatem ponunt, definitis verbis exprimant actus ad illam necessarios in his, qui secundario concurrunt, ut sunt consulere, mandare, cooperari, etc. Secundo, quia quod obligatio sit justitiæ vel charitatis, videtur valde extrinsecum ad irregularitatem, quæ præter culpam considerat seu requirit indecentiam fundatam in externa actione vel carentia actionis; hic autem æqualis est carentia actionis exterioris, licet obligatio sit inæqualis. Adde, quod obligatio ex justitia interdum oritur ex publico munere, aliquando ex privato stipendio seu pacto; non videtur autem verisimile, famulum, v. gr., fieri irregularem non defendendo dominum, si ad id ex stipendio teneatur, amicum autem non fieri deserendo illum. Aliud exemplum est de clerico, verbi gratia, qui non subvenit per eleemosynam pauperi indigenti; nam quidam aiunt peccare contra justitiam, alii contra charitatem, quæ diversitas parum videtur referre, ut dicamus eum manere vel non manere irregularem, si fortasse ob eam occasionem pauper moriatur. Simile est de judice vel gubernatore; nam quidam putant illum teneri ad defensionem subditi in eo casu ex justitia commutativa, alii ex legali, et hæc posterior non videtur sine dubio sufficere ad irregularitatem, cum talis culpa proprie ad homicidium non spectet, quatenus dicit peccatum contra justitiam commutativam. Simile est de filio, qui non subvenit vel defendit patrem; peccat enim contra pietatem, non tamen proprie contra justitiam ; non ergo fiet irregularis, et tamen ejus culpa et deformitas magna est.

7. *Objectiones solvuntur.* — Nihilominus recedendum non est a communi sententia, quia fundamentum ejus est solidum; ille enim est moraliter homicida, qui privat alium jure suo et re sua, sibique necessaria ad defensionem, et consequenter habet moralem influxum positivum. At jura, quæ de irregularitate loquuntur, moraliter intelligenda sunt; alia vero, quæ apponunt illas particulas diminuentes, *videtur,* et *quodammodo,* respiciunt ad actionem materialiter occidendi. Nec est verum esse eamdem indecentiam in omittente contra charitatem, quæ est contra justitiam, quia in hoc est multo major, ut per se constat. De casibus autem particularibus hic non disserimus; nam personarum obligationes alibi considerandæ sunt; regula autem posita vera est, sive justitia sit servi ad dominum, patris ad filium, gubernatoris ad subditos, sive e contrario. Propter casum vero illum de eleemo-

syna, si quando danda sit ex justitia, adverto necessarium esse, ut hæc obligatio sit ad hanc personam in particulari; nam si possit quis cum alio implere obligationem justitiæ, et respectu hujus ad summum peccet contra ordinem charitatis, non satis esset ad irregularitatem. Sicut etiam est necessarium, ut obligatio sit pro nunc; nam si satis esset dare eleemosynam crastina die ad implendam obligationem justitiæ, nunc non censeretur omissio contra illam, etiamsi esset contra charitatem.

8. *Primum notandum circa doctrinam datam.* — Denique duo sunt addenda pro declaratione et limitatione hujus sententiæ communis. Primum est, necessarium esse hanc omissionem esse voluntariam, quia alias culpabilis non est, ideoque non poterit effectus sequutus imputari omittenti. Estque mihi satis probabile necessarium esse, ut omissio sit prævisa simul cum mortis periculo, et sic fuerit directe volita vel admissa; nam si ex incuria et inadvertentia etiam culpabili mors eveniat, non videtur ad hanc irregularitatem sufficere, tum quia homicidium ex sola omissione sequutum est valde indirectum et per accidens; et ideo, si ipsa etiam omissio sit solum indirecte voluntaria, relinquitur causalitas homicidii valde remota, et per accidens, ac proinde insufficiens ad irregularitatem; tum etiam quia ita significatur in cap. Quæsitum, de Pœnitent. et remiss., ibi : *Si ex incuria eorum*, id est, parentum, *mortui inveniuntur in cunis,* scilicet, infantes, etc. Nam obligatio, quam parentes habent ad filios infantes, ne sua causa pereant, satis magna est, et tamen ibi dicitur, parentem non manere irregularem, etiamsi ex incuria sua filius in cuna suffocetur, dummodo ex voluntate affectata parentis id non eveniat, ut in priori parte textus declaratur, et sine facto vel actu parentum, ut supponitur, et Innocentius expresse declarat communiter receptus. Aliqui vero expositores ibi id limitant ad incuriam ex culpa levissima, ut Panormitan., et alii; et indicat Sylvest., *Homicidium,* 2, q. 15; tenet Covarr., 2 part., § 4, num. 9; sed probabilius Cardinalis id extendit ad latam culpam, quia textus absolute loquitur de incuria, et non est restringenda vox, aut augendus rigor; vox autem *incuria,* in rigore quamcumque negligentiam comprehendit, quæ non includat dolum seu affectatam voluntatem, ut sentit Glossa, in cap. Ex parte, de Consuet., verb. *Incuria.* Quoties ergo sine actione mea per solam omissionem non directe voluntariam, nec cum prævisione periculi, mors alterius evenit, non efficior irregularis, quantacumque interveniat obligatio.

9. *Secundum notandum circa eamdem doctrinam.* — Alterum notandum est, hanc irregularitatem, quando incurritur, regulariter esse homicidii casualis, potius quam voluntarii; duobus autem modis potest quis hanc velle omissionem. Primo, ex negligentia, ex timore humano, ex avaritia, et similibus affectibus; secundo ex odio ac directa voluntate ut alius occidatur. Prior modus est frequentior, et tunc dicimus, homicidium non imputari ad irregularitatem ut voluntarium, sed ut casuale. Ratio est, quia non est directe intentum, nec etiam directe factum, et quia hic est ordinarius modus peccandi, ideo dicimus regulariter esse hanc irregularitatem homicidii casualis. Quando autem omissio est voluntaria secundo modo, adhuc dubitari potest, an illud dicendum sit homicidium voluntarium quoad irregularitatem, quia licet intentio sit directa, non est influxus directus, nec proprium homicidium. Nihilominus dico talem irregularitatem judicandam esse homicidii voluntarii, quia ex parte voluntatis tale est, et ex parte actionis exterioris non est physice sed moraliter consideranda, ut dixi, et sic est influxus voluntarius in homicidium, sicut est in illo, qui præsentia sua animos et auctoritatem præbet.

SECTIO V.

Utrum ex homicidio casuali sequuto ex opere licito contrahatur irregularitas.

1. *Prima generalis regula.* — Duæ regulæ communiter receptæ sunt. Una est : si sufficiens diligentia adhibita fuit ad vitandum periculum mortis alterius, non contrahitur irregularitas. Probatur, quia tunc homicidium est omnino involuntarium, et alioquin in opere secundum se nulla fuit culpa, ut supponimus; neque etiam ex tali effectu sequitur indecentia, cum non sit humanus; ergo non est ibi fundamentum hujus irregularitatis. Confirmatur, nam hac ratione, qui sine usu rationis alium occidit, non fit irregularis, juxta Clement. 1 de Homic. Denique talis irregularitas non invenitur in jure. Imo hæc regula satis videtur expressa in cap. Dilectus, cum tribus seqq., et cap. Joannes, et c. ult. de Homic., estque communis Theologorum cum D. Thom., 1. 2, quæst. 73, art. 8,

et 2. 2, quæst. 64, art. 8; Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9; Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14; et Summistarum, ac Canonistarum, quos paulo post referemus; et videri potest Maiol., lib. 5, cap. 48, § 3; Navarrus, cap. 27, a num. 290; Covarruv., dicta Clement., 2 part., § 4. Qui, num. 11, refert, quosdam limitasse hanc regulam quoad effectum ascendendi ad superiores Ordines, sentientes non solum contrahi quoad effectum ministrandi in susceptis. Sed non habet probabilitatem, quia non habet in jure fundamentum, ut patet ex juribus citatis, et ex cap. Hi qui arbores, et cap. Si duo, d. 50. Neque obstat cap. Tua nos, de Homic., nam ibi ait Pontifex, monachum, de quo est sermo, multum excessisse alienum officium usurpando; non ergo dabat operam rei licitæ, de qua nunc agimus, sed pertinet casus ille ad sequentem sectionem.

2. *Secunda regula.* — Secunda regula est : etiamsi opus sit licitum, et bona intentione factum, si intercessit negligentia vitandi periculum, sequuto homicidio incurritur irregularitas. Ratio est, quia tunc homicidium est aliquo modo voluntarium, et ideo licet opus sit licitum, non tamen licite fit. Estque communis sententia eorumdem auctorum, et sumitur ex eisdem juribus, et ex aliis, quæ objici solent contra priorem regulam. Primum esse potest capitulum Presbyterum, de Homic., ubi presbyter declaratur irregularis, qui causa disciplinæ puerum percussit in capite, et ea occasione mortuus est. Ad hoc vero dicendum est, castigationem illam, licet ex intentione mala non fuerit, in individuo judicatam esse imprudentem, et non licitam, quia debitum modum, et moderationem excessit. Neque etiam videtur casus omnino fortuitus, quia talis percussio in tali parte corporis non fit sine aliquo periculo, nec cum sufficienti diligentia ad vitandum illud.

3. *C. Continebatur, de Homicid. — Quorumdam expositiones. — Rejiciuntur. — Vera expositio.* — Majorem difficultatem ingerere videtur cap. Continebatur, eodem titulo, in cujus casu aliqui operam dabant rei non illicitæ; veniebant enim ex vineis Ecclesiæ, opere consummato, et levandi laboris gratia, ludum quemdam non illicitum exercebant, baculos in directum jaciendo, ut qui alterius baculum perculeret, vinceret; contigit autem, ut laicus, dum baculum cujusdam diaconi percussisset, incautus in eumdem diaconum equitaturus insilierit, et ab illius falce, qua erat præcinctus, vulneratus obierit. Respondet autem Pontifex, diaconum manere irregularem, cum tamen et opus, quod exercebat, non esset illicitum, et homicidium non tam ex ejus actione, quam ex aliena fuerit sequutum, quam diaconus nec prævenire, nec impedire potuisse videtur. Respondent aliqui, ludum illum fuisse illicitum clerico absolute et simpliciter; alii vero, fuisse saltem illicitum clerico cum laico ludere. Alii, fuisse illicitum saltem propter conditionem ludi. Sed nihil horum placet. Non primum, quia ludus ex objecto non erat malus, et finis, qui in ipso textu exprimitur, erat honestus. Non secundum, quia nec id etiam est per se malum, quando ludus alias indecens non est, ut per se constat. Neque etiam invenitur jure positivo prohibitum, nam in cap. His igitur, 23 dist., et cap. Laicos, 2, quæst. 7, quæ citari solent, hoc non prohibetur. Tertium autem videtur esse contra textum, in quo dicitur clericos non esse usos conditione ludi, sola jactatione contentos; nisi forte quis dicat illud intelligi de clericis inter se, non vero cum laico. Sed hoc non potest satis in textu fundari, nec per se videtur verisimile. Unde potius videtur Pontifex imputasse illi diacono negligentiam in cavendo omni periculo homicidii; cum enim laici liberius agere soleant, non obstante modo ludendi sine usu illius conditionis, timere debuit, ne laicus ille modum excederet, et ideo saltem non debuit ludere falce accinctus, maxime, si illam habebat latentem, ut insinuatur verbo illo textus, *Incautus insiliit;* Panorm. autem ibi probabile existimat, quod si diaconus expresse prohibuisset equitandi licentiam, non mansisset irregularis. Oppositum vero sentit Hostiensis, et videtur magis consentaneum textui, quia talis occasio cum talibus circumstantiis judicata est periculosa moraliter; et ideo licet laicus excesserit pactum vel conditionem, diaconus non excusatur ab aliqua negligentia. Hæc autem, et similia responsa intelligo juxta præsumptionem juris canonici; nam, si in conscientia mihi constaret, illum omnino non advertisse periculum, neque memoriæ occurrisse, quod falce esset accinctus, ita ut si ignorantia facti invincibilis fuerit, illum plane ab irregularitate excusarem, propter rationem, et regulam supra positam, quod est pro omnibus similibus casibus observandum. Estque ad hoc optimus textus in cap. Lator, de Homicidio.

Qualis et quanta negligentia sufficiat ad hanc irregularitatem.

4. *Negligentia levissima, levis, et lata.* — *Sufficit lata et levis culpa.* — Hic vero statim occurrit dubitatio, qualis et quanta negligentia sufficiat ad incurrendam irregularitatem hanc, dando operam rei licitæ. Jurisperiti, Theologi et Summistæ communiter distinguunt culpam latam, levem et levissimam, qui gradus non discernuntur aliquibus certis regulis, sed prudenti arbitrio, considerato genere operis et circumstantiis ejus. De quibus videri potest Gabr., in 4, dist. 15, quæst. 10, in fine, et Panormit., in c. unic. de Commodato. Est ergo levissima negligentia, quando tota providentia et sollicitudo, quæ ordinario et prudenti modo adhiberi solet, posita est, solumque fuit aliquid prætermissum, quod non est animadversum, quia sine magna ingenii perspicacitate et solertia animadverti non poterat. Lata vero culpa dicetur illa, quæ nimiam negligentiam continet, seu quando omittitur illa circumspectio, quam homines mediocriter capaces et prudentes adhibere solent. Levis autem est media inter has, eritque major vel minor, juxta majorem vel minorem accessum ad aliquod extremorum. Quoties ergo culpa lata est, certum est contrahi irregularitatem, quia tunc homicidium est satis voluntarium in causa. De levi etiam culpa communiter dicitur, non sufficere ad vitandam hanc irregularitatem. Ad quod citari solet cap. Clerico jaciente, dist. 50, ubi dicitur, clerico jaciente lapidem, puerum fuisse interemptum, nihil autem de culpa explicatur; sicut etiam in cap. Eos vero, eadem distinctione, absolute dicitur, eos qui casu homicidium faciunt, esse pœnitentiæ subdendos; intelligi autem debet de casu culpabili, ut in utroque textu Glossa exponit; quanta vero culpa sufficiat, ibi non explicatur. Magis videtur favere cap. Continebatur, supra tractatum, quia culpa vel negligentia, quæ in eo casu intervenit, satis levis fuisse videtur.

5. *De negligentia levissima.* — *Prima opinio.* — De culpa autem levissima quidam absolute dicunt, non esse sufficientem ad irregularitatem. Ita tenet Angel., verb. *Homicidium,* 2; et ibi Sylvest., num. 2, et clarius, verb. *Irregularitas*, num. 3 et 20; Villadiego, de Irregularit., cap. de Percussore. Alii vero distinctionem adhibent; nam, si culpa levissima est in omittendo, sufficere dicitur ad excusandam irregularitatem, juxta cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss. Si vero sit in committendo, dicunt non excusare irregularitatem. Ita sentit Panormit., dict. cap. Quæsitum, num. 3, ubi Additio dicit esse commune. Idem Covarruv., dict. Clem., 2 part., § 4, num. 9, cum. Gloss., 2, in cap. Significasti, 1, de Homic.; et idem sentiunt Rosella, verb. *Homicidium,* 3, num. 21; Tabiena, *Irregularitas,* 2, num. 4; clarius Maiol., dict. § 3, n. 2; et ad probandum posterius membrum citantur cap. Presbyterum, et cap. Ad audientiam, de Homicid. Ut autem hæc distinctio et opinio intelligatur, suppono omnem culpam negligentiæ, de qua loquimur, immediate versari circa omissionem cavendi periculum homicidii. Sed ulterius contingere potest, ut illud periculum sequatur tantum ex alia omissione non succurrendi periclitanti, vel non impediendi homicidium, et tunc dicitur tota culpa esse in omittendo. Tunc autem (ut opinor et supra dixi), non tantum levissima, sed etiam lata culpa excusat irregularitatem, juxta cap. Quæsitum, de Pœnit. et remission., et Cardinalis ibi. Aliquando vero prior omissio debitæ diligentiæ est in cavendo periculo homicidii proveniente ex propria et positiva actione; et tunc dicitur esse culpa in committendo, et de hac dicunt auctores citati, non excusare irregularitatem, etiamsi levissima sit.

6. *Prior opinio præfertur.* — Nihilominus prior opinio, contraria quoad hanc partem, satis probabilis videtur. Primo, quia hæc posterior non fundatur in jure sufficienter, quia non ostendit, nec videtur posse probare, in illis juribus, quæ allegat, sermonem esse de levissima culpa. Secundo, prior opinio potest suaderi ex cap. Lator, de Homicid., ubi Pontifex declarat non mansisse irregularem clericum, qui ad latus suum habens cultellum, cum alio luctabatur, quamvis ille mortuus fuerit cadens super clericum, ejusque cultello vulneratus; nam ille clericus non potest excusari saltem a levissima culpa, quia ad ludendum illo modo cum altero, debuisset cultellum deponere, cum res per se spectata non careret periculo. Facit etiam textus in dict. cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss., ubi pater suffocans filium parvulum secum dormientem, tunc dicitur manere irregularis, quando id accidit, vel ipso procurante (quod ad præsentem casum non spectat), vel ex *studiosa negligentia;* indicatur ergo minorem negligentiam non sufficere ad contrahendam

irregularitatem, saltem per argumentum a contrario, quod efficax est in jure, maxime in favorabilibus, et ubi contrarium non probatur ex eodem jure. Adde, responsum Pontificis esse insufficiens, si minor negligentia sufficeret ad illam irregularitatem contrahendam. Unde Cardinalis propter illum textum dixit, etiam levem culpam non sufficere ad hanc irregularitatem; imo addit, studiosam negligentiam tantum esse, quando est affectata et directe voluntaria. Quod refert et sequitur Alexander de Neapol., in Additione ad Abbatem, ibi. Sed hæc nimia restrictio est, vel potius nimia licentia, alias etiam propter latam culpam et crassam negligentiam non incurretur irregularitas in eo casu; quod improbabile videtur; aliud vero de levi culpa magnum fundamentum habet in textu, nam levis culpa non potest profecto dici studiosa negligentia. Unde Tabiena supra dixit, solum ibi comprehendi latam vel latissimam culpam. Fortasse quis objiciat, quia quoad præsumptionem in foro externo, quoties quis tenetur de dolo, et lata culpa in faciendo commissa, tenetur etiam de levissima, juxta doctrinam Bartholi, in l. Quod Nerva, ff. Depositi Et huc etiam spectat, quod refert Covarruvias ex Glossa, in l. Cornelia, ff. ad Sillanianum, levissimam culpam in committendo contingentem, ad levem culpam pertinere. Quod examinare, et qua ratione fundatum sit, inquirere ad nos non spectat.

7. *Dubii resolutio. — Sylvestri objectio solvitur.* — Quidquid ergo sit de præsumptione in externo foro, ad contrahendam in foro conscientiæ hanc irregularitatem necesse est, ut aliqua vera culpa, id est, verum peccatum intercedat, quia si homicidium non imputatur operanti, non est opus ejus; et ideo non reddit illum irregularem. Quod in specie notavit Paludanus, in 4, dist. 25, q. 3, num. 15. Unde sive negligentia (quam nomine culpæ videntur juristæ significare), exterius appareat levissima, sive levis, aut etiam gravis, si tamen in conscientia inadvertentia fuit inculpabilis, nulla contrahitur irregularitas, etiamsi ex actione seu commissione mors sequatur. Neque contra hoc obstat objectio Sylvestri et aliquorum, quia irregularitas homicidii interdum contrahitur sine culpa; nam hoc est verum de homicidio per se et auctoritate publica facto, non vero de privato, quia debet esse voluntarium aliquo modo, ut inducat irregularitatem, ut ex dictis patet, et bene explicuit Cajetanus, 2. 2, q. 64, art. 8; si autem voluntarium fuerit, erit culpabile; quod ergo inculpabile est, irregularitatem non inducit. Unde e converso, si in conscientia constet, negligentiam fuisse culpabilem propter perspicacitatem operantis, qui necessitatem advertit, et ex negligentia omittit, quamvis exterius appareat culpa levis aut levissima, nihilominus irregularitas non excusatur. Eritque generalis regula, quoties negligentia tanta fuerit, ut sit peccatum mortale, non excusare irregularitatem; et hanc indicat Cajetanus. Quando autem talis sit negligentia, quæ ad peccatum mortale sufficiat, recte etiam dixit idem Cajetanus, secundum naturam negotiorum, temporis ac personarum arbitrandum esse, et non esse requirendam summam prudentiam, sed communem, quod exemplis etiam recte declarat. Addit Paludanus, considerandam esse diversitatem personarum, quia respectu unius erit negligentia inculpabilis, quæ in alio culpabilis esset. Et hæc applicanda sunt ad casus particulares, quos omitto, quia in Summistis inveniuntur, et in Maiolo, et aliis, et sunt faciles ex dictis.

8. *An negligentia venialis ad hanc irregularitatem sufficiat. — Prima sententia.* — An vero sufficiat culpa venialis in tali negligentia ad inducendam irregularitatem, Paludanus et Cajetanus nihil declarant; Soto vero, lib. 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9, negat culpam venialem sufficere, quem sequitur Salonus, 2. 2, quæst. 64, art. 8, et uterque citat Cajet. in contrarium, qui tamen non loquitur in hoc casu, sed in eo, in quo datur opera rei illicitæ, de quo statim. Suam vero sententiam probant, quia hæc irregularitas imponitur propter culpam; est autem pœna gravissima; ergo non est verisimile imponi propter culpam tantum venialem. Quod est consentaneum his, quæ supra diximus disputat. 1 hujus materiæ, tractando de causis irregularitatis. Maxime vero probatur mihi hæc sententia in præsenti, quia hoc peccatum non potest esse veniale ex parte materiæ, cum illa gravissima sit, nempe mors hominis; erit ergo ex defectu voluntarii et liberi, quia illa actio, ut attingit homicidium, non est humana, nisi imperfectissimo modo, sed est actus indeliberatus, et ex subreptione; propter quem verisimile non est tam gravem pœnam imponi. Respondent aliqui improbantes sententiam Soti, irregularitatem non esse pœnam, sed impedimentum canonicum ex facto proveniens; et ideo sufficere

factum cum negligentia veniali. Si autem argumentum aliquid valeret, probaret etiam solum factum sufficere absque ulla negligentia. Dico ergo, non omnem irregularitatem esse pœnam, aliquam tamen esse, et talem esse hanc, de qua agimus, et ideo debere esse proportionatam culpæ. Dico etiam ad hanc irregularitatem requiri factum voluntarium simpliciter; homicidium autem hoc, quod solum ex negligentia veniali sequitur, non potest dici simpliciter voluntarium, sed valde diminute, et secundum quid. Est ergo hæc sententia satis probabilis, neque est aliena a mente eorum Canonistarum, qui dicunt, levissimam culpam non sufficere ad hanc irregularitatem; nam profecto negligentia, quæ in hoc negotio excuset a peccato mortali, non potest non esse satis leve.

9. *Maioli sententia. — Maioli sententia improbatur.* — Ultimo in hoc puncto adverto, Maiolum, dicto § 5, num. 3 et 4, asserere, quidquid sit de jure antiquo, hodie nihil referre, quod culpa præcedat, necne, vel quod actio fuerit licita, et de se minime noxia; semper enim qui homicidium commisit, debet abstinere et non promoveri, donec causa plene cognita, dispensatio concedatur, propter decretum Concilii Trid., sess. 14, c. 7. Hæc vero sententia probanda non est, quia Concilium nihil statuit contra jus antiquum, neque habet verbum derogationem indicans; ergo quando requirit dispensationem in homicidio casuali, vel potius requiri supponit, ut statuat, cui committenda sit, loquitur de illo casuali homicidio, in quo juxta antiqua jura dispensatio necessaria est; nam jura concilianda sunt absque derogatione, vel correctione alterius, quoad fieri possit, ut dicitur in cap. Cum expediat, de Elect., in 6. Atque ita inveni postea declaratum a Congregatione Cardinalium, quia Concilium non induxit novam irregularitatem, quod necessarium esset, ut postularet dispensationem. Responderi vero potest ex Maiolo, solum requiri declaratoriam dispensationem, quæ non tollat irregularitatem, sed authentice declaret non esse incursam; nam de hac videtur loqui Concilium, cum dicit talem dispensationem debitam esse; propter majorem autem securitatem et certitudinem illam exigere videtur. Sed hoc totum gratis dictum est, quia Concilium de propria dispensatione loquitur, nec dicit esse simpliciter debitam, sed *quodammodo;* et ad illam concedendam non dat auctoritatem Episcopis, sed *committendam* eis esse dicit; quis autem credat ad illam declarationem faciendam non esse potestatem in Episcopo, aut illam voluisse auferre Concilium? Non sunt ergo hæc onera tam facile imponenda hominibus; sed declaratio illa sine potestate jurisdictionis ab homine prudente et docto fieri potest.

SECTIO VI.

Utrum ex homicidio casuali sequuto ex opere illicito contrahatur irregularitas.

1. *Tres casus distinguuntur. — Primus. — Secundus. — Tertius. — Communis sententia Canonistarum. — Fundamentum. — Rejicitur. — Verum fundamentum.* — Tres casus distingui possunt: primus, quando intervenit negligentia graviter culpabilis, et tunc a fortiori constat ex dictis in sectione præcedenti, contrahi irregularitatem. Secundus est, quando omnis diligentia adhibita est. Tertius, quando levis seu venialis negligentia intercessit. Et de his est quæstio, in qua communis sententia, præsertim Canonistarum est, quoties datur opera rei illicitæ vel prohibitæ, quantacumque adhibeatur diligentia ad vitandum homicidium, si cum effectu sequatur, non vitari irregularitatem. Idem tenuit D. Thomas, 1. 2, quæst. 73, art. 8, clarius 2. 2, quæst. 64, art. 8, ubi Cajetanus idem sequitur, et Paludanus, in 4, dist. 25, quæst. 3, num. 14; et Gabriel, in 4, dist. 15, quæst. art. 3, dub. 2; Covarruvias late referens Doctores dicta Clementina, part. 2, § 4, a princ.; et Navarrus, dicto cap. 27, num. 219 et sequent.; et Maiolus, dicto § 3. Fundamentum aliquorum est, quia ut effectus sequutus voluntarius sit, satis est, quod sequatur ex actione alias mala, quantacumque diligentia adhibita fuerit. Quod sentit Gabriel supra, cum dicat, ex tali damno vel homicidio oriri obligationem restituendi. Sed hæc sententia in hoc sensu probabilis non est, quia, ut recte declaravit Cajetanus citato loco, qui dat operam rei illicitæ, adhibita omni diligentia, ne alius effectus malus sequatur, omnino excusatur a culpa homicidii, si forte sequatur. Et ratio est, quia tale homicidium est illi omnino involuntarium. Patet, quia nec est voluntarium in se ac directe, ut supponitur, neque in causa et indirecte, quia tali diligentia adhibita, consecutio illius effectus ignoratur invincibiliter; ignorantia autem invincibilis tollit voluntarium. Unde D. Thomas, 1. 2, quæst. 76, art. 3, dicit, ignorantiam invinci-

bilem circumstantiæ peccati excusare ab speciali malitia ejus, etiamsi peccatum ipsum voluntarium sit, quia tunc circumstantia est omnino involuntaria; ergo idem est de quocumque effectu subsequuto cum eadem ignorantia, quantumcumque opus alias pravum sit. Et confirmatur, nam si de facto non fuisset sequutum homicidium, ex tali opere illicito, nulla omnino malitia homicidii directi vel indirecti imputaretur operanti, neque apud Deum, neque apud homines; ergo quamvis homicidium sequi contingat, non imputatur ad culpam, quia non pendet ex solo casuali eventu absque voluntate. Verum ergo fundamentum esse debet, quia jura voluerunt punire tale homicidium, propter solam malitiam actionis, ex qua sequutum est, etiamsi specialis malitia, vel indirecta voluntas homicidii non intercedat. Quod enim jura potuerint hoc facere, manifestum est; quod autem fecerint, patet ex cap. ultim. de Homicidio, in 6, et ex cap. Tua nos, de Homicidio.

2. *Posita sententia impugnatur. — Responsio. — Replicatio.* — Nihilominus hæc sententia multis recentioribus Theologis dura visa est. Primo, quia nullo jure canonico sufficienter probari potest, ut Soto notavit; nam licet Navarrus *nimis audacter* illum loquutum fuisse dixerit, verum tamen dixit; nullus enim textus a Canonistis profertur, in quo hæc regula universe et indistincte statuatur, *dantem operam rei illicitæ, si homicidium ex ea sequatur, manere irregularem, quantumvis casu et involuntarie sequatur;* sed afferunt solum ea jura, quæ affirmant, dantem operam rei licitæ cum sufficienti cautione et diligentia, non manere irregularem, etiamsi homicidium sequatur; et ex eis colligunt per argumentum a contrario sensu, quando opus est illicitum, non excusari irregularitatem. Quod argumentum, ait Soto, infirmum est. Respondet autem Navarrus, licet argumentum a contrario sensu dialecticis sit infirmum, Jurisperitis tamen esse firmissimum, maxime quando contrarium non est jure expressum. Sed in primis hic contendimus, contrarium esse expressum, nimirum, in eo jure, quod habet, irregularitatem non incurri nisi in casibus a jure expressis; nam id, quod tantum elicitur ex jure per argumentum a contrario sensu, non potest dici in jure expressum; ergo contra jus est extendere illa jura ad irregularitatem dicto modo. Addo, argumentum ipsum a contrario non esse firmum apud juristas in materia pœnali et odiosa, ut sæpe in superioribus ostensum est; hic autem versamur in materia pœnali.

3. *Alia responsio. — Instantia.* — Melior responsio est, si dicamus, hanc irregularitatem esse expressam in illo jure, in quo propter factum homicidii fertur irregularitas, quia lex illa generalis est, et ab illa non possumus excipere, nisi quos jura excipiunt; jura vero neminem excipiunt, qui homicidium casu fecerit, nisi concurrentibus illis duabus conditionibus, scilicet, quod det operam rei licitæ, et cum sufficienti diligentia; ergo quicumque occidit sine his conditionibus, manet inclusus sub lege irregularitatis. Major constat ex cap. Clerico jaciente, et cap. Eos vero, cum aliis, dist. 50. Minor sumitur ex c. Joannes, et c. Dilectus, et cap. ult. de Homicid., ibi : *Attendentes, quod sacerdos ipse dabat operam rei licitæ.* Sed adhuc contra hoc instatur, quia illæ conditiones non ponuntur ibi, ut omnino necessariæ, sed ut sufficientes et excludentes omne dubium, quando ambæ simul concurrunt; ergo non est unde sufficienter colligamus, utramque esse necessariam. Neque in illis capitulis fit exceptio a generali, sed declaratio quorumdam casuum, qui sub prædicta lege ex se non continebantur, ad quam declarationem faciendam usi sunt Pontifices signis certissimis et indubitatis; non tamen propterea definierunt casum dubium, in quo licet opus fuerit illicitum, diligentia tamen et ignorantia fuit invincibilis, sed illum disputationi Doctorum reliquerunt. Qui autem dicunt, in eo casu non incurri irregularitatem, non putant fieri exceptionem a lege; sed declarant, casum illum non fuisse comprehensum sub tali lege, quæ declaratio et in ratione et in jure fundatur, quia lex illa solum comprehendit homicidium voluntarium; hoc autem homicidium voluntarium non est, ut ostendimus : ergo. Major patet ex Clementina unica de Homicidio, ubi infans, furiosus, et dormiens declarantur immunes ab irregularitate, quamvis occidant, cujus ratio non potuit esse alia, nisi quia talia homicidia non sunt voluntaria. Cujus signum esse potest, quia si ante somnum quis prævideret periculum occidendi alium dormiendo, non evitaretur irregularitas, ut constat ex cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss., et cap. Consuluisti, 2, quæst. 5. Item, quia homicidium, quod non est voluntarium, non est humanum, nec moraliter dici potest esse ab

homine; ergo non potest esse fundamentum irregularitatis, maxime hujus, quæ pœnalis est. Tale ergo homicidium non comprehenditur sub illa lege de irregularitate homicidii; ergo nullum est jus, in quo fundari possit. Quia revera nullum est, quod irregularitatem injungat propter talem culpam, etiam habentem omnino per accidens adjunctum talem effectum, neque illa, quæ sunt ita causalia, veniunt in humanam considerationem.

Secunda sententia.

4. *Prima distinctio in hac opinione. — Impugnatur.* — Propter hæc igitur alii Doctores contrariam regulam generalem statuunt, quoties homicidium casuale voluntarium non est, etiam indirecte, non incurri irregularitatem, quantumcumque sequatur ex opere illicito. Ita sentit Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14, versus finem; adhibet exemplum de ebrio, qui hominem interficit; nam si fuit casus inopinatus, non manet irregularis, etiamsi inebriando se, dederit operam rei illicitæ, sicut non maneret irregularis, etiamsi inebriatus esset sine culpa, propter ignorantiam invincibilem ipsius facti. Alii vero distinctionibus utuntur: una est de opere illicito, quod ex se expositum est periculo occidendi aliquem, vel de opere, quod per se, vel ex alia prohibitione accidentaria prohibitum est. De priori conceditur inducere irregularitatem, non vero de posteriori. Hac distinctione utitur Soto, dicto articulo 9, qui varia adhibet exempla; in priori ponit actionem bellicam, torneamenta, et similia; in secundo ordine ponit equitare, v. gr., tempore prohibito, deponere campanam contra prohibitionem Prælati, vel aliud simile opus facere in die festo; applicando casus cap. Ex litteris, et cap. Dilectus, addendoque solum prohibitionem extrinsecam, ob quam opus sit illicitum. Posteriorem item partem declarat exemplis; sicut enim si quis venando in loco permisso non fit irregularis occidendo aliquem, quia ignorantia et casus fuit invincibilis, ita si venatio fiat in loco non permisso, et ex illo solo capite sit illicita, non incurret irregularitatem, si in cæteris sit æqualitas. Aliud exemplum contra Sylvestrum, *Homicidium*, 2, quæst. 18, est, nam si quis cædens arborem suam, casu occidat aliquem, vitat irregularitatem propter sufficientem diligentiam; eamdem vitat, etiamsi illicite, et furtive scinderet arborem alienam, cum æqualitate in cæteris circumstantiis. Quod exemplum admittit Navarrus, num. 237, ubi alia similia ipse ponit; unde plane videtur cum Soto convenire in prædicta distinctione; nam universe ait, licet opus sit illicitum, si tamen ex se non dirigitur in mortem, neque habet ejus periculum, non sufficere ad irregularitatem, si alias homicidium ex illo secutum sit omnino casuale. Verumtamen admisso hoc posteriori membro, restat interrogandum circa prius, an tale opus in individuo exerceatur cum sufficiente diligentia et morali certitudine, quod hic et nunc nullum sit periculum, necne; quamvis enim opus sit ex se aptum ad occidendum hominem, si adesset, tamen hic et nunc potest moraliter constare non adesse. Si ergo hæc diligentia non supponitur adhibita, recedimus a casu, in quo versamur, quia jam tale opus non solum est illicitum aliunde, sed etiam ex relatione et periculo homicidii; si autem tota illa diligentia posita est, jam eadem ratio versatur in hoc membro, quæ in altero, quia jam tunc homicidium omnino involuntarium est; hæc est enim unica ratio alterius membri. Parumque videtur referre, quod opus in specie consideratum sit periculosum, necne, si in individuo cavetur periculum; nam judicium de rebus moralibus in individuo ferendum est, ut de habituali culpa, et voluntate ferri possit.

5. *Alia distinctio in eadem opinione. — Impugnatur.* — Alia distinctio aliorum est, de opere illicito, si sit causa proxima homicidii, vel tantum remota; nam priori modo censetur sufficiens ad irregularitatem, non vero posteriori. Et hujus membri exempla ponuntur de eo, qui illicite confecit chartas lusorias, ex quarum usu orta postea est occasio homicidii, quæ nec prævideri potuit, nec debuit vitari, quia non tenetur homo, ut sic dicam, tam a longe cavere vel vitare actionem, ex qua potest alius occasionem peccandi sumere. Unde simile exemplum est de eo, qui ensem furto sublatum alteri vendidit eo tempore, quo nulla erat occasio, vel periculum interfectionis, quamvis postea secuta fuerit ex tali venditione, quæ illicita fuit. Item de adultero, cujus occasione maritus uxorem interfecit; non enim manet adulter irregularis, etiamsi dederit operam rei illicitæ. Sed hæc etiam distinctio, licet aliquid verum dicat, non evacuat difficultatem, eadem ratione, qua nec præcedens, vel certe majori, quia utrumque membrum incertum

est. Nam de priori, scilicet, causa proxima, interrogo, an talis sit causa, ut non potuerit prudenter evitari periculum occisionis exercendo illam, necne. Si primum dicatur, receditur a puncto quæstionis, quia jam tunc homicidium non est mere casuale. Si vero dicatur secundum, addendum ulterius est, illam diligentiam adhibitam fuisse; nam in eo casu versamur, et tunc procedunt rationes factæ, quod tale homicidium, quantumcumque causa fuerit proxima, voluntarium non est; ergo nec erit causa irregularitatis.

6. Simile dilemma fieri potest de altero membro; nam si causa sit adeo remota, et per accidens, ut nulla sit obligatio vitandi illam, etiamsi prævideatur effectus possibilis occasione illius potius, quam futurus, tunc parum refert, quod talis causa posita sit in actione licita vel illicita, quia non inde provenit, ut effectus non imputetur; sed quia nullo modo est voluntarius, neque homo est causa ejus, ut recte explicavit Cajetanus, dicto art. 8. Propter quod Navarrus, num. 221, absolute dixit, homicidium omnino casuale sequutum ex opere illicito, quod est causa tantum remota ejus, non sufficere ad irregularitatem. Ponit exemplum in hero, qui mittit servum in domum, vel agrum ad maleficium faciendum, et ibi interficitur a fulmine; non enim propterea dominus irregularis manet. Merito tamen advertit Covarr., dict. § 4, num. 9, in fine, licet causa propinqua maxime sit consideranda, non tamen semper esse necessariam etiam ad homicidium casuale, quod ex opere licito sequitur, nedum ex illicito; nam licet causa sit remota, si hic et nunc moraliter adest periculum, et potest prævideri, obligatio esse poterit vitandi illam, ut, v. gr., in casu cap. Tua nos, de Homicid., remota causa ejus censetur curare tumorem gutturis debito modo, et cum sufficienti animadversione custodiendi se ab injuriis ventorum et aeris. Nihilominus tamen tales possent circumstantiæ personæ, loci et temporis incurrere, ut esset obligatio vitandi illam causam propter periculum. Idemque accidere potest in actione licita ex se conficiendi pharmacum alias utile, si moraliter timeretur pravus usus ejus in perniciem alterius, quamvis illa causa remota etiam sit; ergo a fortiori idem contingere potest in actione illicita conficiendi venenum, vel dandi pecuniam alienam, qua alius emit ensem ad alium occidendum. Quamvis ergo causa sit remota, in particulari considerandum est prudenti arbitrio, an potuerit et debuerit vitari, intuitu talis effectus quamvis remoti. Et tunc revertimur ad idem dilemma; nam licet talis causa sit remota et illicita, vel fit cum debita diligentia cavendi periculum mortis proximi, vel non. In priori casu verum est vitari irregularitatem, non autem in posteriori.

7. *Casus de adultero, ob cujus causam uxor a marito occiditur, resolvitur.* — Sic enim resolvendum censeo casum illum de adultero; nam si temere accessit ad uxorem alterius, exponens illam periculo mortis, irregularis manet, quia moraliter est causa talis homicidii; secus vero erit, si cum sufficienti cautela morali id fecit, quia tunc effectus nullo modo est voluntarius in tali causa. Atque ita sentit in simili Covarr., in d. Relect., 3 part., in princ., n. 4, verb. *Posset quidem,* quamvis part. 2, § 4, n. 10, verb. *Tertio,* cum Castro negaverit, in eo casu incurri irregularitatem. Navarrus autem, cap. 27, num. 239, absolute dicit, in eo casu incurri, juxta suam opinionionem, quam dicit approbatam fuisse a Pio V, cum in sacra Pœnitentiaria hic casus controverteretur; et in foro exteriori videtur mihi valde verisimile, quia semper præsumitur adulter moralem occasionem dedisse homicidio; tamen in rigore conscientiæ distinctio data mihi probatur. Ergo juxta hanc etiam distinctionem nunquam invenitur, homicidium mere casuale, eo quod opus sit illicitum, inducere irregularitatem.

8. *Navarri dictum rejicitur.* — Et ob eamdem causam non omnino probo quod Navarrus, dicto num. 221, ait, tunc homicidium hoc inducere irregularitatem, quando opus, ex quo proxime sequitur, est illicitum, *lege justitiæ.* Quam particulam addidit, ut excluderet homicidium causatum a judice justa sententia, ex odio tamen inique prolata, vel a milite pugnante in justo bello, occidente vero aliquem ex odio. Sed imprimis ad excludenda illa homicidia non oportuit addere illam particulam, tum quia hæc sunt homicidia directe volita, per quæ distinguuntur ab omni casuali; tum quia hic agimus de homicidio privata auctoritate facto, non publica. Deinde fere eodem modo interrogandum mihi superest, quæ lex justitiæ violari debeat per opus illicitum, ut ex illo contrahatur homicidium. Si enim est sermo de lege justitiæ, quæ vetat occidere hominem, dubium non est, quin per opus contrarium huic legi incurratur irregularitas; tamen si hoc requiratur,

aperte sequitur per homicidium omnino casuale non contrahi irregularitatem, quia per illud non violatur illa lex justitiæ, quantumcumque opus sit alias illicitum vel injustum in alia materia. Assumptum patet, quia sine voluntate directa vel indirecta non violatur lex justitiæ; illud autem homicidium utroque modo involuntarium est. Vel est sermo de lege justitiæ in qualibet alia materia; et hoc nec potest ratione fundari, nec difficultatem expedit. Primum patet, quia quid refert opus esse illicitum in ratione furti, quod est contra justitiam, vel in ratione fornicationis contra temperantiam, si ex utroque opere sequitur homicidium cum eadem ignorantia, et æque involuntaria? Aut quæ ratio reddi potest ad exponendum jura hoc modo, quæ absolute de opere illicito loquuntur? Secundum patet repetendo dilemma sæpe factum, quia non obstante injustitia alterius speciei, homicidium potest esse omni modo involuntarium; si ergo hujusmodi sit, alia injustitia parum refert ad inducendam irregularitatem; si vero non est tale, jam non est casuale, de quo agimus.

Quæstionis resolutio.

9. *Prior conclusionis pars suadetur.* — Dico ergo, per homicidium omnino casuale ex opere illicito sequutum, non contrahi irregularitatem, nisi in casibus a jure expressis; censetur autem sufficienter expressus, quando actio est specialiter prohibita propter periculum homicidii, non vero alias. Juxta hanc regulam interpretor opinionem Soti, et Castro, et recentiorum, quam etiam insinuavit Marianus Socinus, in cap. Ad audientiam, de Homicid. Et imprimis regula ipsa seu prior pars ejus, est consentanea juri, quod habet, irregularitatem non incurri nisi in casibus a jure expressis. Nam probatum sufficienter est tale homicidium non comprehendi in sola generali lege, quæ punit homicidium, quia illa ex vi sua solum comprehendit homicidium aliquo modo voluntarium; ergo, si aliud homicidium non voluntarium inducit irregularitatem, necesse est, ut jure sit expressum. Ostensum etiam est, hoc jus expressum non sufficienter ostendi per argumentum a contrario; ergo ubi non fuerit magis expressum, seu directe hoc statuens, non incurritur hæc irregularitas.

10. *Duo casus in quibus in jure exprimitur irregularitas homicid. hujusmodi.* — *Primus.* — Sunt autem duo casus, in quibus hoc sufficienter expressum est in jure. Unus est in cap. ult. de Homicid., in 6, ubi mandans alium injuste percuti, si mandatarius excedat et occidat, qui mandavit irregularis manet, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, ne percussio mortalis esset, quia jus nullam admittit ut sufficientem, supposito tam injusto mandato, ut supra late declaratum est. Alius casus est, in cap. Tua nos, de Homicid. Quem textum non recte intellexit Soto supra, existimans in casu illius textus monachum non incurrisse irregularitatem, quia dedit operam rei licitæ, et adhibuit diligentiam, et ita in textu declarari; nam oppositum expresse habetur in textu quoad utramque partem. Quod enim dederit operam rei illicitæ, patet ex illis verbis : *Licet ipse monachus multum deliquerit alienum officium usurpando.* Quod vero irregularitatem contraxerit, patet ex illis : *Post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare.* Quæ verba manifeste significant, dispensationem fuisse in eo casu necessariam, tamen facilius concedi propter piam intentionem, et diligentiam adhibitam. Et hæc est communis intelligentia. Juxta quam continetur ibi casus expressus, in quo propter homicidium casuale incurritur irregularitas, ratione operis illiciti, etiamsi adhibita fuerit sufficiens diligentia. Potuit enim jus punire illud factum tali pœna, non simpliciter et absolute, sed si ex illo sequatur talis effectus, scilicet homicidium, quomodocumque sequatur. Vel a contrario potuit illi homicidio adjungi irregularitas propter tale factum procedens a tali causa, quia jus interpretatione sua reputat illud voluntarium, propter solum opus, quidquid sit de diligentia adhibita.

11. *Casus cap. Sicut, de Homicidio, expenditur.* — Huc etiam spectare videtur textus in cap. Sicut, de Homicidio, ubi quidam presbyter irregularis declaratur, quia dedit occasionem abortui (supposita fœtus animatione), quæ occasio non videbatur sufficiens; tamen, quia presbyter dabat operam rei illicitæ, declaratione juris occasio sufficiens reputatur. Hoc autem colligi potest ex illius verbis : *Cum qua contraxerat consuetudinem inhonestam, et quæ asserebat se concepisse ex eo.* Et ita exponit Panormitan. ibi, num. 6, ubi Additio ait esse communem interpretationem. Sed nihil esse video quod ad illam cogat, nam actio, quæ ibi narratur, sufficiens causa abortus moraliter existimari potuit, scilicet,

arripere per zonam mulierem prægnantem quasi ludendo, taliter ut ipsa se lædi senserit, et ea occasione fecisse abortionem. Et hoc insinuare videtur ibi Hostiensis dicens, *ludus iste illicitus et noxius erat, nec excusabat*. Et idem tenet Covarr., dict. § 4, n. 10, § Quinto, neque vero ibi præsumi potuit inadvertentia excusabilis, quia actio erat valde propinqua, et materia quasi per se patens. Juvat autem textus ille ad probandum, in hujusmodi actionibus per se expositis hujusmodi periculis seu ordinatis ad homicidium, quando alias etiam turpes et illicitæ sunt, non admitti excusationem ignorantiæ vel inadvertentiæ, quia cum alias imprudenter fiant ex pravo affectu, non est, cur in eis præsumatur inculpabilis ignorantia circa effectum subsequutum.

12. *Secunda conclusionis pars ostenditur. — Exponitur.* — Atque ex his juribus declaratur secunda pars conclusionis; nam in eis prohibentur aliquæ actiones propter periculum homicidii, quod ex se continent, additurque pœna et conditio, ut si effectus sequatur, incurratur irregularitas, sive alia negligentia intervenerit, sive non, propter solam talem actionem sic prohibitam cum tali effectu. Est autem notanda differentia inter illa duo jura; nam, in cap. Tua nos, sermo est de usu artis chirurgicæ, qui non est per se malus, sed in persona clerici est malus, quatenus est illi prohibitus in cap. Sententiam, Ne cleric. vel monach., et ideo secuto effectu, illi adjungitur irregularitas in dict. cap. Tua nos. Unde illa prohibitio licet fiat ratione periculi, non tamen fit intuitu justitiæ, sed religionis, quia non decet personas sacras illi periculo exponi. Unde fit illam irregularitatem non extendi ad laicos. Nam in simili casu ruptio tumoris facta per laicum peritum, et cum cæteris circumstantiis, non inducit irregularitatem, quia non est prohibita propter illud periculum omnibus, sed tantum clericis. Imo addo cum Covarr., supra, num. 10, quod licet illa actio esset illicita ex aliquo extrinseco capite, ut v. gr., quia a Prætore in pœnam erat prohibita huic personæ, vel quia nimio et injusto pretio illam vendidit, non sufficere ad irregularitatem ex homicidio pure casuali, quia id non est in jure expressum, quia illa prohibitio non fit intuitu periculi mortis. Addo insuper, hanc irregularitatem non extendi ad clericos in minoribus constitutos, quia in dict. cap. Sententiam, solum de subdiaconis, diaconis, et sacerdotibus sermo est; inferiores ergo clerici quoad hoc non sunt magis prohibiti quam laici. Et quamvis in dict. cap. Tua nos, sermo sit de sacerdote, idem tamen credo esse quoad irregularitatem de quocumque clerico in sacris, quia ratio adæquata illius decisionis non est sacerdotium, sed Ordo sacer, ut ex alio textu constat. Objici vero potest cap. Ad aures, de Ætat. et qualit., ubi hæc prohibitio et irregularitas extendi videtur ad omnem usum artis medicinæ, quando ex remediis a medico adhibitis etiam prudenter et secundum artem, mors alicujus sequuta creditur, et ibi non tantum de clerico in sacris, sed etiam de inferiori, et laico sermo est. Respondeo, in casu illius textus non induci irregularitatem, ut ibi Panormitanus, et alii notant, et Hostiens., in Summ., tit. de Homicid., in princip., quam cum aliis refert Additio ad Abbatem, ibi, circa num. 2. Unde in illo textu nullum est verbum prohibens, sed consulens tantum. In quantum vero solum ibi datur consilium non ascendendi ad majores Ordines, satis insinuatur, minores Ordines non comprehendi sub irregularitate prædicta.

13. *Casus cap. ultim. de Homicidio, tam clericos quam laicos comprehendit. — Regula generalis.* — Aliter sentiendum est in casu capituli ultimi de Homicid., in 6, nam illa prohibitio non est tantum clericis facta, sed omnibus, et ideo laici etiam mandantes vindictam seu percussionem injustam, irregulares fiunt sequuta morte, quantumvis præmonuerint, ne usque ad mortem procederetur. In ea vero decisione non est tantum materialis casus, ut ita dicam, spectandus, sed ratio formalis et generalis ejus, quæ consistit in hoc, quod actio illa fuit injusta et periculosa, et quod ex illa sequuta est mors. Et ideo ex illo textu recte colligitur generalis regula, quoties ex actione injusta et periculosa alicujus sequitur homicidium, quantumvis casuale sit, induci irregularitatem, quia talis irregularitas satis est in jure expressa, cum eadem species et qualitas delicti, et effectus ejus inveniatur in omni simili actione; quod enim id fiat inclinando, vel includendo, vel agendo, in præsenti materia est tantum materialis diversitas. Et quoad hoc probatur mihi sententia Navarri, quam distinctius videtur explicasse Covarr., dict. num. 10, ubi etiam antiquos ita exponit. Neque aliud sensit Soto, et reliqui auctores possunt facile in eamdem adduci.

14. *Corollarium regulæ datæ. — Exemplis*

declaratur. — *Primum.* — Ex hac vero regula sic intellecta optime intulit Covarr., quando actus est illicitus in materia castitatis, et religionis, et alioqui non est specialiter prohibitus jure humano propter periculum occisionis, non incurri irregularitatem propter homicidium ex casu omnino fortuito inde subsequutum. Quod exemplis declaratur. Primo quando in venatione quis casu occidit hominem, jaculum ad feram mittendo cum sufficiendi diligentia cavendi periculum homicidii; non enim fit irregularis, ut Castro, et alii pro comperto habent. Imo addit Covarr. hoc procedere, etiamsi venatio esset tali personæ prohibita propter alias causas et non propter periculum occisionis, sed quia habet alium indecentem modum, ut vagationem, nimiam distractionem ac superfluitatem, ut patet ex cap. 1 et 2 de Cler. venat., et cap. 1 Ne cleric. vel monach., et cap. Cum Apostolus, de Censib., cap. 1, 34 dist., cum similibus. Et idem sentit Covarr., sup., et Navarr., num. 237, ex parte idem tenet; quamvis nec in hoc exemplo, nec in aliis quæ ponit num. 236 et 238, satis constanter mihi loqui videatur. Specialiter autem notandum est aliud exemplum in casu dict. cap. Sicut, supra declarati, de abortu casuali, quod etiam sequitur Covarr., sup.; Navarr. autem dissentit, ut mihi quidem videtur, non satis consequenter, quia, num. 222, ad hanc irregularitatem requirit opus illicitum contra legem justitiæ, et in illo casu cap. Sicut, opus illud non fuit illicitum lege justitiæ, sed temperantiæ, vel voti, ut ipse supponit, scilicet, inhonesta consuetudo religiosi cum fœmina.

15. *Tertium.* — Idem censeo de vulgari casu homicidii infantis in lecto dormientis; ait enim Navarr. si quis occidat infantem in lecto illicite a se positum, fieri irregularem, alias secus. Verumtamen aut ille casus ad præsentem controversiam non pertinet, vel illa distinctio accommodata non est. Nam habere infantulum in lecto ad dormiendum, non est intrinsece malum, ut omnes fatentur, quia debitis circumstantiis potest honestari, neque est jure prohibitum intuitu periculi, ut colligitur ex cap. Consuluisti, 2, quæst. 5, ubi solum dicitur, monendos esse parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, et ex cap. Quæsitum, de Pœnit. et remiss., ac denique, quia nullum tale jus invenitur, ut tractant Doctores in cap. ult. de His qui filios occiderunt. Ideoque omnes fatentur in aliquibus casibus hoc esse licitum, ut patet ex Navarr., sup., et Sylvest., *Homicid.*, 2, q. 23; Tabiena, *Irregularit.*, 3, num. 6 et 14; Armil. num. 51. Duobus ergo modis potest esse illicitus hic actus. Primo quia ex *studiosa intelligentia* (ut dicitur in dict. cap. Quæsitum) et cum morali periculo fit, ut si parentes in stricto lecto inter se collocent puerum, vel si quis expertus est in se inquiete dormire, et maxime si talis casus iterum illi contingit; et tunc certum est contrahi irregularitatem; tamen homicidium tunc non est casuale, de quo nunc agimus, sed indirecte voluntarium. Alio modo potest esse illicitus ille actus, si fiat, v. gr., ad furandum puerum, vel aliquid simile, tamen cum diligentia sufficiente ad vitandam irregularitatem, si absque tali malitia actus fieret; et tunc dico non habere locum distinctionem illam, quia hæc ratio illiciti operis nihil refert ad homicidium, neque in aliquo jure talis irregularitas fundari potest.

Nonnullæ difficultates circa regulam positam expediuntur.

16. *Prima.* — Supersunt vero nonnullæ difficultates circa regulam propositam. Prima est fundamentalis supra tacta, quæ nunquam est soluta, quia tale homicidium non est voluntarium, et quia injustitia, quæ ibi intervenit, non est contra vetantem homicidium, sed in alia materia. Quod si dicatur, jus canonicum potuisse sic irregularitatem imponere, sequitur saltem hanc non esse irregularitatem homicidii, sed alterius vitii. Secundo sequitur ex dicta regula, eum, qui ex intentione projicit sagittam in Petrum cum sufficienti cautela, ne possit alium ferire, si casu occidat Paulum, manere irregularem, quia exercebat actionem injustam et periculosam. Consequens autem videtur falsum, quia si cum simili cautione direxisset sagittam in feram, non fieret irregularis. Tertio sequitur, eum, qui alium vulnerat non lethaliter, et postea moritur non ex vi vulneris, sed ex sua intemperantia vel negligentia medici, manere irregularem, quod est contra omnes. Sequela patet, quia actio illa fuit injusta, et ex suo genere periculosa, et de facto fuit occasio mortis, quamvis non sola, sed conjuncta cum alio casu fortuito, quod idem est in omnibus similibus casibus.

17. Ad primam respondeo, ut supra, tale homicidium non esse voluntarium reipsa, esse tamen interpretatione legis, et hoc satis

esse. Concedo insuper, ibi non esse propriam et rigorosam malitiam homicidii, esse tamen aliam, quam lex ita punire voluit, si habet adjunctam hominis occisionem, et non alias. Et ita satisfit replicæ, est enim hæc irregularitas homicidii, quia non imponitur nisi illo sequuto, etiamsi culpa non sit proprii homicidii. Addere vero possumus, supposita lege prohibente factum propter solum periculum, non obstante quacumque diligentia, culpam illam indirecte revocari ad homicidium, quia lex positiva inducit obligationem juxta materiæ qualitatem, et consequenter cum eadem proportione dicendum erit, illud homicidium esse aliquo modo voluntarium in causa specialiter prohibita intuitu illius. Et juxta hæc etiam exponi possunt jura, quæ indicant irregularitatem specialiter contrahi propter opus illicitum; nam præter expositiones supra datas adjungi potest, non semper, sed aliquando sufficere opus illicitum, quando scilicet tale sit, quale in jure expressum fuerit, et ideo oportuisse, ut quando jura excusant homicidium casuale, memoriam faciant operis liciti seu non illiciti.

18. *Secunda solvitur.* — Ad secundum duo casus distinguendi sunt. Unus est, quando is, qui jaculum mittit, certo putans in hominem mittere, non tamen ex intentione occidendi quemcumque hominem, sed Petrum, quem ibi esse conjectatur, et sufficientem facit diligentiam, ne sit alius, casu vero contingit esse alium et occidi. Alius casus est, quando quis non certo existimat ibi esse hominem, sed tantum Petrum; quod si ille non sit, probabiliter credit nullum alium hominem ibi esse posse, sed vel feram aliquam, vel nihil. In priori casu certum existimo incurri irregularitatem, quia tunc non cavetur homicidium ut sic, imo intenditur, ut bene notat Castro, dict. cap. 14, in fin. Unde potius dubitari potest, an talis irregularitas dicenda sit homicidii voluntarii, quia homicidium ipsum videtur satis directe intentum et factum, licet error contigerit in persona; probabiliter tamen potest reputari casualis, quia in particulari talis est, et de moralibus in particulari est judicandum. In secundo autem casu videtur res dubia, quia etiam in illo actio procedit ex intentione homicidii; ergo licet respectu Pauli non sit voluntaria, tamen in ratione homicidii est satis voluntaria, quod satis videtur ad irregularitatem. Et ita sentit Maiol., dict. § 3, num. 4, cum Hugone in cap. Sæpe, dist. 50. Et est probabilis opinio propter horrorem facti, et pravam intentionem. In contrarium vero est, quia ille non intendebat homicidium absolute, sed Petri, et supponitur adhibuisse sufficientem diligentiam, ne posset esse alius; ergo omne aliud homicidium est illi involuntarium omnino. Præterea si actio illa cum eisdem circumstantiis processisset ex intentione occidendi feram, non incurretur irregularitas; ergo idem est in præsenti; suppono enim intentionem pravam occidendi Petrum non fuisse, ut in illa actione fuerit majus periculum occidendi Paulum, quam si fuisset ex intentione occidendi feram; tunc enim licet respectu Petri actio sit injusta, et periculosa, non tamen respectu Pauli, qui de facto occiditur; jus autem quando ponit irregularitatem propter hoc homicidium casuale, loquitur de actione injusta, et periculosa respectu illius, qui tandem occiditur. Ut in casu cap. ult. de Homicid., in 6, si mandatarius excedens mandatum intendat occidere quem tantum vulnerare jussus est, et casu omnino fortuito non illum, sed alium occidat, mandans non manet irregularis, quia ejus mandatum nullo modo dirigebatur ad illam personam; quo sensu dicimus actionem illius non fuisse injustam respectu talis personæ; jus autem solum loquitur, quando homicidium contingit in eadem persona, circa quam actio injusta exercetur. Ergo idem erit de quocumque exequente talem actionem. Quanquam enim in illo sit aliqua major ratio dubitandi, eo quod propinquius concurrit, nihilominus tamen in rigore idem esse videtur, quantum ad hanc legem spectat. Unde speculative pars hæc videtur satis probabilis; practice vero consulerem peti dispensationem propter dubium et horrorem facti; et quia ibi non potest excusari malitia homicidii exterioris cum effectu sequuto.

19. *Solvitur tertia.* — Ad tertium negatur sequela; cujus rationem optime declaravit Cajetan., in dict. art. 8, quia ut irregularitas contrahatur ex homicidio casuali, necesse est, ut mors sequatur ex actione ejus, qui irregularis efficitur; in eo autem casu non sequitur ex actione vulnerantis, sed aliunde. Quocirca, quamvis actio vulnerandi ex genere suo periculosa sit, tamen hic et nunc, ut in individuo in proposito casu facta est, non fuit periculosa, ut supponimus, et ideo auctor ejus hic et nunc jam non est causa homicidii. Quod autem dici possit occasio remota, non satis est, ut vulneranti tale homicidium imputetur;

nec de hoc aliquod speciale jus est, et ideo ad irregularitatem non sufficit. Quod recte explicatur in casu cap. ult. de Homicid., in 6. Tunc enim mandans incurrit irregularitatem, quando mandatarius excedens fines mandati occidit vel mutilat; at vero si non excessisset, nec lethaliter vulnerasset, alter vero culpa sua, et propter aliquem inordinatum excessum moreretur, mandans non incurreret irregularitatem ex vi illius juris, quod requirit, ut mandatarius fines mandati excedat; nullum est autem aliud jus propter quod irregularitas in eo eventu incurratur; non ergo incurritur; eadem autem ratio est de ipso mandatario, et de quocumque alio simili percussore.

DISPUTATIO XLVI.

DE IRREGULARITATE CONTRACTA EX HOMICIDIO NECESSARIO, SEU IN DEFENSIONEM FACTO.

Non vocatur hoc homicidium necessarium, quia non fit per actionem humanam; constat enim humano modo et voluntarie fieri; sed quia non sponte fit, nec per se intenditur, sed ex necessitate justæ defensionis. Supponimus enim licitum esse vim vi repellere et se defendere etiam usque ad mortem aggressoris, dummodo fiat *cum moderatione inculpatæ tutelæ*, ut jura loquuntur, id est, quando injuria non potest aliter impediri, et tanta est, ut cum tanto nocumento proximi juste possit propulsari; nam si hæc mensura excedatur, jam homicidium non erit necessarium, sed voluntarium, et propria auctoritate factum. Potest præterea multiplex esse defensio, vitæ et proprii corporis, et bonorum fortunæ, proximi, et patriæ seu communis boni, de quibus sigillatim dicendum est.

SECTIO I.

Utrum occidendo alium in defensionem propriæ personæ contrahatur irregularitas.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi est, quia jura ita indistincte eloquuntur, ponuntque homicidium ob defensionem, ut sufficientem causam irregularitatis, c. Si quis viduam, dist. 50 : *Aut consilio, aut præcepto, aut defensione,* quæ verba repetuntur etiam in c. 2 de Cleric. pugnant. in duell. Favet etiam Concilium Tridentinum, sess. 14, c. 7, dicens : *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defendat, fuisse commissum narretur, quare quodammodo dispensatio jure debeatur,* etc.; supponitur ergo irregularitas contracta. In contrarium autem est, quia tale homicidium humano modo non est voluntarium, sed necessarium, et alioqui est inculpabile, ut supponitur; ergo non est dignum irregularitate, quia neque in pœnam, cum non sit culpa, neque ob defectum lenitatis, quia non intervenit, ubi est necessitas defensionis.

2. *Conclusio.* — De hac re fuit olim controversia juxta antiquum jus, adeo ut D. Thom., 2. 2, q. 64, art. 2, ad 3, dixerit, clericum, qui se defendendo interfecit alium, fieri irregularem, propter cap. De his cleric., 1, d. 50. Et fuit opinio aliquorum Juristarum, ut colligitur ex Glossa, in cap. Sicut dignum, § Clericus, verb. *Consilium,* de Homic., et in l. Ut vim, verb. *Nam jure,* ff. de Justitia et jure. Nihilominus tamen expresso jure novo constat, in eo casu non contrahi irregularitatem, in Clementin. unic. de Homicid., et est communis resolutio, ut videre licet in Covarruv. ibi, 3 part., § 1; Navarr., cap. 27, num. 207; Maiol., lib. 5, cap. 48, num. 6; Cajetan., dict. art. 8; Soto, lib. 5 de Justit., quæst. 1, art. 1; Castro, lib. 2 de Lege pœnal., c. 4; Summist., verb. *Homicid.* Imo probabilius est etiam jure antiquo in eo casu non fuisse incursam irregularitatem. Quod sentit Gloss., in dict. cap. Si quis viduam, verb. *Defensionis,* nam addit, *evitabilis,* in quo indicat, tunc solum ex illo jure sequi irregularitatem, cum homicidium ad defensionem necessarium non fuit; nam tunc defensio non est cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et idem habet Glossa, in c. Sicut dignum. Et sumi potest ex Stephano Papa, in cap. Quia te, dist. 50, ibi : *Sed quia te, non tua sponte id fecisse cognosceris, inde canonice nullo modo judicaris.*

3. Deinde interpretationem illam legitimam esse, patet ex citato decreto Concilii Tridentini; nam, ut supra ostendi, Concilium ibi non introducit novam irregularitatem, neque etiam revocavit statutum vel declarationem Concilii Viennensis, in dict. Clementin. de Homicid., ut per se evidentius est; ergo cum agit de homicidio ex defensione, intelligit de defensione immoderata. Quod recte notavit Navarr., consilio 36 de Homicidio, meritoque ita loquuntur jura, quia homicidium absolute significat actum culpabilem; unde tunc dicitur homicidium ex defensione, quando defensio non est pura defensio, sed transit in aggressionem, ut significatur etiam in cap.

Significasti, de Homicid. Eodem igitur modo exponi potest dict. c. De his clericis, 1, quod nimirum loquatur de occisione facta propter defensionem, non tamen necessaria ad defensionem; nam quod intervenerit culpa, significant illa verba, *per pœnitentiam emendati.* Conjecturæ etiam sunt, quod multi unum occiderunt. Item quod ille erat paganus, quem majori licentia vel etiam odio interficere potuerunt. Unde non probo quod Maiol. supra, num. 9, dicit, ibi latam esse specialem irregularitatem clericorum, ut in eo casu non possint ascendere ad superiores Ordines, licet permittantur in susceptis ministrare; nam ibi nulla talis distinctio datur. Improbabilius vero est, quod sentit, illam irregularitatem nunc durare post Clementin. de Homicid., cum illa simpliciter et sine distinctione loquatur, et ab omnibus ita intelligatur.

Duæ generales regulæ proponuntur, et difficultates in contrarium expediuntur.

4. *Primum dubium de eo qui per fugam potest se defendere. — Prima opinio. — Secunda opinio.* — Ex his ergo duæ certæ regulæ colliguntur. Una est, qui occidit alium in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fieri irregularem. Hæc satis patet ex dictis. Alia est, qui excedit in modo defensionis, fieri irregularem, quia tunc cessat ratio et dispositio juris. Ad has vero regulas explicandas nonnulla dubia expedienda sunt. Primum est, an habeat locum defensio et excusatio irregularitatis, quando per fugam potest vitari periculum, et aliquis non vult fugere, sed resistere ac se defendere. Procedit autem dubium, quando quis certus est per fugam posse se evadere omne periculum mortis, mutilationis et gravis læsionis corporis, alioqui constat fugam non esse remedium, nec tuitionem sufficientem, ideoque neminem cogi tunc ad tentandam fugam. Supposita autem certa evasione per fugam, sunt opiniones extreme contrariæ. Prima dicit, necessarium esse fugere ad vitandam irregularitatem, etiamsi absque dedecore et infamia fugere non possit, quia illa infamia non est vera, sed mundana, cui vita proximi præferenda est. Ita tenet, licet cum formidine, Covarr., dict. Relect., 3 part., § 1, n. 4; Navarr., cap. 27, num. 211, et consil. 6 de Homicid., num. 4 et 5, dicens, licet quis non teneatur fugere ad vitandam culpam, teneri ad vitandam irregularitatem. Idem Maiol., dict. num. 6; qui referunt Gloss. et alios Doctores, qui maxime in hoc fundantur, quod in dict. Clementin. *Si furiosus,* solum excipitur casus, in quo aliter non potest evitari mors. Secunda absolute negat in eo casu incurri irregularitatem, etiamsi absque infamia possit quis fugere, quia hæc irregularitas non incurritur sine culpa, ut infra videbimus, et ibi non est culpa, quia nemo tenetur fugere, etiamsi absque dedecore possit, et ideo nullam aliam pœnam juris incurrit, ut communis Juristarum sententia, quam refert Felinus, in cap. Suscipimus, de Homicid.; Tiraquell., de Nobilitat., cap. 20, num. 64; Julius Clarus, l. 5, § Homicidium, n. 32.

5. *Distinctione data dubium resolvitur. — Suadetur. — Prima pars. — Corollarium.* — Nihilominus distinctione utendum est. Aut enim quis potest fugere sine periculo, et sine dedecore vel infamia, aut non. In priori casu dicendum est fieri irregularem, si resistat et occidat in sui defensionem. Hoc probant fundamenta prioris sententiæ. Nec in eo casu potest quis excusare a culpa coram Deo, quidquid sit de pœna in humano foro, quia sine morali necessitate proximum occidit, nec ibi intervenit justa et necessaria alicujus rei defensio. Hinc communis illatio omnium est, clericum, si occidat alium cum possit fugere, semper et sine distinctione fieri irregularem. Ita Glos. in dict. Clem., et in dict. cap. Suscepimus, et ibi omnes, et alii citati. Et probatur satis ex illo textu. Ratio est, quia clerico non est ignominiosa fuga, quia non tenetur esse paratus ad pugnam, imo nec decet ejus statum. Unde a fortiori constat, idem dicendum esse de religioso. Idem dixit Soto, lib. 5 de Justitia, quæst. 2, art. 8, de homine infimæ sortis, qui nullam honoris jacturam fugiendo faceret; idemque erit, si persona sit ibi ignota et peregrina, vel si noctu fiat; nam in his casibus et similibus nulla creatur infamia.

6. *Secunda pars probatur. — Quorumdam limitatio. — Cum limitatione admittitur.* — In posteriori autem casu, secundo dicendum est, si quis non possit fugere sine gravi nota et amissione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri, si alium occidat se defendendo. Probatur primo, quia quod vitari non potest sine magna infamia et dedecore, moraliter inevitabile est; et ideo merito hic casus sub verbis Clementin. comprehensus intelligitur. Secundo, quia ibi non est culpa, ut omnes fatentur, nec est voluntas,

loquendo moraliter, quia est moralis necessitas; quid enim magis necessarium moraliter quam vitare gravem infamiam vel amissionem honoris? Aliqui vero hoc limitant, nisi præcesserit culpa et injuria ex parte ejus, qui fugere cogitur, ut si ille dedit alteri alapam, vel injuriosum verbum dixit, vel cum uxore inventus est, aut pallium tollere est aggressus, et alter in eum insurgit, non solum ut vim repellat, sed etiam ut vindicet et occidat. Nam tunc licet hic excedat, non potest alter juste se defendere, si potest fugere, cum ipse dederit occasionem rixæ; et ideo, si fugiendo amittit honorem, sibi, et non alteri imputare debet. Quæ limitatio videtur mihi valde probabilis, quando in continenti seu in ipsa actuali injuria totum contingit, ut paulo post dicam. At vero si injuria jam diu præcessit, et qui illam est passus, postea aggreditur ad se vindicandum, non censeo admittendam limitationem, quia illa est occasio valde remota, et in præsenti est pura aggressio.

Defensio quæ sit dicenda moderata, quæ immoderata.

7. *Indicia ad judicandum an defensio moderata fuerit.* — Secundo dubitari potest, supposita licita defensione absque fuga, quando censenda sit moderata vel immoderata respectu hujus irregularitatis. Respondeo, hoc in particulari judicare, prudentis arbitrii esse. Aliqui vero existimant nunc esse hoc judicium reservatum Episcopo per Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 7 de Reform., adeo ut ante talem Episcopi declarationem non possit, qui sic interfecit alium, promoveri vel Ordinibus uti. Verumtamen, nihil quoad hoc Concilium innotavit, ut ex declaratione etiam Cardinalium supra probavi; nam in hoc eadem est ratio de hoc homicidio et de casuali, ut ex textu constat. Quando ergo res deducta fuerit ad forum contentiosum, tunc ad Episcopum pertinebit illud judicium ferre; tamen in foro conscientiæ unusquisque sequi potest judicium conscientiæ suæ, vel alterius viri prudentis et docti, pensatis circumstantiis. Ex quibus aliquæ possunt generatim observari (nam particulares infinitæ sunt). Una et præcipua est, ut qui occidit sit aggressus ab alio, alioqui non esset defensio, sed aggressio. Oportet tamen animadvertere non esse necessarium semper, ut quis expectet ictum vel impetum alterius; aliquando enim necessarium est prævenire, ut si quis desperet se posse resistere inimico propinquius accedenti, ut recte docuit Navarrus, cons. 31 de Homicid., et in Summ., cap. num. 2. Quia tunc illa præventio non est aggressio, sed pura defensio. Supponimus enim (ut idem auctor advertit), actionem illam præveniendi, fieri adversus actualem aggressionem alterius, quia extra illam possunt esse alia remedia, et ideo non est illa licentia extendenda.

8. *Armillæ dictum rejicitur.* — Secundo necesse est, ut defensio fieri non possit cum minori læsione proximi; nam, si sufficeret mutilare aut aliud vulnus infligere, occisio esset immoderata defensio. Et eadem ratione propter solam mutilationem incurretur irregularitas, si cum sola debilitatione membri, aut minori nocumento posset fieri defensio, ut sensit Sylvest., *Homicidium,* 3, quæst. 4, in princip.; et Maiol., dict. num. 6; Armilla, verb. *Irregularitas,* num. 41, ait, non fieri irregularem eum, cui necessarium est mutilare aut occidere alium, si eum occidat, potius quam mutilet, etiamsi mutilatio sufficeret ad evadendum periculum, et citat Cardinal., in dict. Clementin. 1. Et ratio ejus est, quia homicidium et mutilatio æquiparantur in ordine ad irregularitatem, et ideo non refert quod homicidium fiat, potius quam mutilatio. Sed hoc non recte dicitur, quia mutilatio solum æquiparatur homicidio, quoad hoc, ut per illam incurratur irregularitas, non vero quoad rationem excusationis; nam aliquando esse potest culpabile homicidium, ubi mutilatio excusatur, ut in prædicto casu; et ideo, licet in eo excusetur irregularitas mutilationis, non tamen homicidii, si fiat. Et ratio est, quia homicidium tunc non est necessarium ad defensionem, mutilatio vero est inevitabilis. Neque enim dici potest evitabilis, eo quod per homicidium possit defensio obtineri, quia tale medium in eo casu non est prudens, nec rationabile, et ideo aliud solum relinquitur, ut moraliter necessarium, jure potius quam facto, quod in hac defensione maxime considerandum est. Denique potissima conditio, ut defensio sit moderata est, ut sit inculpatæ tutelæ, id est, sine culpa homicidii vel mutilationis, ut patet ex dict. cap. Significasti, 2, de Homicid., cum similibus, et ex ipsa ratione, ob quam irregularitas in hoc casu excusatur. Sed in eo casu defensio non est sine gravi culpa; ergo non est moderata.

9. *Tertium indicium.* — Unde tertia et generalis conditio addi potest, ne defensio fiat

cum gravi culpa, quæ in aggressionem transeat, ut si quis jam fugientem insequatur, aut jam desistentem a pugna excitet ad illam, etc. Sed quid si excessus sit per culpam tantum venialem? Respondeo, juxta superius dicta, non sufficere ad hanc irregularitatem, quia hic non potest esse culpa venialis ex levitate materiæ, ut per se constat; ergo ex subreptione et indeliberatione, quæ profecto non consideratur in lege humana. Alioqui inevitabilis esset hæc irregularitas propter justam defensionem, quia excessus aliquis venialis moraliter inevitabilis est, vel saltem semper esset timenda et servanda talis irregularitas, saltem propter probabile dubium facti, quia nemo est, qui in ea occasione non possit merito timere aliquem excessum saltem venialem.

10. *An injuria proxime antecedens reddat inculpatam tutelam. — Secunda opinio Navarri.* — Sed difficultas est, an ex injuria proxime antecedente reddatur inculpata tutela. Dico proxime, quia si ante aliquod tempus præcessit, et post mortalem interruptionem alter aggreditur ad se vindicandum, nihil refert, quia prior injuria non est circumstantia præsentis actionis, nec causa moralis ejus, licet Navarr. infra citandus etiam in hoc casu oppositum sentiat, quod sane probabile non est, ut a fortiori ex dicendis patebit. Est ergo dubium, quando quis inchoat injuriam actualem, et alius in eum insultat, estque vulgarius de adultero, qui in flagranti delicto inventus, a marito invasus, eum occidit, ut se defendat. Multi censent non manere irregularem, Sylvest., *Homicidium,* 3, quæst. 4, licet male in contrarium citari soleat; Armilla, verb. *Irregularitas,* n. 42; Tabiena, verb. 2, num. 24; Soto supra, art. 9. Ratio est, quia immediata defensio est, ut supponitur, moderata; prior autem occasio est nimis remota, quæ per se non sufficit ad irregularitatem, quando alioqui homicidium voluntarium non est. Et confirmatur, nam ob similem rationem diximus supra cum Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14, adulterum non fieri irregularem, etiamsi postea maritus occidat uxorem ratione adulterii. Denique confirmatur, quia sine culpa homicidii non contrahitur irregularitas in privato homicidio; sed in eo casu non intervenit culpa homicidii, sed adulterii, v. gr., qua supposita, adulter non peccat se defendendo, etiam cum occisione alterius, si aliter non potest. Nihilominus in his casibus incurri irregularitatem tenent Navarr., cons. 32, 33, 34 et 35 de Homicid., et in Summa, cap. 15, num. 7, et cap. 27, num. 138, cum Antonino, 3 part., tit. 5, cap. 8, § 1. Citatur etiam Astens., lib. 1 Summæ, titul. 35; tenet Maiol., dict. num. 7 et 8. Utuntur illo argumento, quia sic occidens dabat operam rei illicitæ, et ideo non excusatur ab irregularitate. Sed hæc ratio non cogit, tum quia ille non dabat operam rei illicitæ per se ordinatæ ad homicidium, et eo titulo prohibitæ a jure; tum maxime quia cum committitur tale homicidium, non datur opera rei illicitæ, nam opus illud, quo immediate fit homicidium, licitum est, nimirum, propria defensio; quod autem supponatur opus illicitum, nimis remotum videtur. Aliter ergo videtur hæc ratio, quia in his casibus ille, qui occasionem præbuit inferendo primam injuriam, moraliter censetur inchoare rixam et alium aggredi, saltem inferendo illi injuriam, quem alter propulsare conatur; ergo illa jam non reputatur pura defensio, sed moralis aggressio, et ideo non videtur esse satis, ut in rixa defensio per se spectata sit licita; debet enim spectari tota illa ut una actio moralis, quæ injuste inchoatur, et per modum aggressionis, quod satis est ad irregularitatem incurrendam. Sicut, si quis aggrediatur alterum animo inferendi injuriam contra honorem ejus sine læsione corporis, alter vero in ipsum insurgat animo occidendi, et ita illum urgeat, ut eum compellat ad se defendendum, quantumvis jam licite se defendat, nihilominus irregularitatem incurret, si occidat, quia absolute fuit aggressor; ergo idem est in injuria adulterii, quæ non minus provocat hominem ad vindictam sumendam. Et confirmatur, nam ob hanc causam in tali casu non omnino excusatur aliquis a pœna homicidii jure civili, quamvis non ordinarie, sed extraordinarie puniendus sit, ut ex Tiraquello et aliis refert Maiolus supra.

11. *Quid in hoc dubio sentiendum.* — Hæc res videtur mihi dubia, nam utraque opinio est probabilis, et habet graves auctores, et apparentia fundamenta. Defendendo autem posteriorem oportet hic distinguere duos casus. Unus est, quando occasione adulterii maritus occidit uxorem, de quo supra diximus; alius vero est, quando occasione adulterii adulter cogitur interficere maritum; nam in hoc posteriori casu est apparentior ratio irregularitatis quam in priori, nam ipsemet qui dedit occasionem homicidio, per seipsum illud efficit; in alio vero casu ipse non est causa

efficiens homicidii. Et in hunc modum responderi potest ad fundamenta prioris sententiæ. Nec tamen difficile est posterioribus fundamentis satisfacere negando illam esse propriam aggressionem, quæ ad rixam vel homicidium ordinetur, nisi valde remote, quod per se non satis est ad irregularitatem, nisi postea ipsamet actio homicidii culpabilis sit. Ad confirmationem autem sumptam ex jure civili respondetur, Juristas non loqui de homicidio facto cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut patet ex Tiraquello, tractatu de Pœnis temperandis, caus. 1, n. 11, ubi refert jura et Doctores loquentes de illo, qui se defendendo modum excessit, quem aiunt, non puniri pœna ordinaria; de illo autem, qui se defendendo modum non excessit, nihil dicunt; imo potius insinuant illum non puniri propter tale homicidium, sed solum propter adulterium vel aliud illicitum opus, in quo versabatur. Atque ita hi auctores potius favent huic posteriori sententiæ, quæ mihi satis probabilis practice et tuta videtur, tum propter dicta, tum etiam quia jus simpliciter excipit se defendentem, et ille casus revera est propriæ defensionis. Est autem hæc res favorabilis, et ideo vel amplianda potius quam restringenda, vel saltem simpliciter accipienda est.

12. *Duo notanda circa præcedentem casum. — Primum. — Secundum. — Casus de ebrio interficiente alium deciditur.* — Duo tamen occurrunt advertenda. Unum est, in eo casu teneri eum, qui priorem injuriam intulit, ad fugiendum, si illo modo sine periculo proprio, et sine occisione alterius potest mortem evitare, neque in illo casu procedere doctrinam superius datam de amissione honoris per fugam; quantumcumque enim amissurus sit honorem fugiendo, non potest jure alteri resistere. Quia ipse adulter alium aggressus est, et actu illi injuriam fecit, et abutitur re non sua; ergo jure ab alio repellitur; ergo tenetur aggressor discedere et non resistere; ergo debet fugere. Et sane quidquid sit de nova culpa, non est dubium, quin ad vitandam irregularitatem sit necessarium, quia tota illa est veluti una actio moralis, cujus initium fuit voluntas injuriosa adulterii, et ideo illi imputatur effectus sequutus, quando illum vitare potuit, et noluit. Præsertim, quia in simili casu nulla est rationabilis infamia in fugiendo, cum maritus habeat humanam excusationem ob dolorem præsentis injuriæ. Et idem est in similibus. Aliud notandum est hic habere locum distinctionem supra datam, et a Covarruv. insinuatam, an hujusmodi delinquens seu adulter prius adhibuit diligentiam ad cavendum illud periculum, procurans, et secretum, et occasionem, in qua non posset tale periculum moraliter timeri; tunc enim maxime procedunt omnia supra dicta. Si autem temere, et sine hujusmodi circumspectione tale facinus aggrederetur, non solum peccaret adulterando, sed etiam moraliter et proxime excitando alium ad rixam; ideoque quantumvis postea moderate se defenderet, non evitaret, ut opinor, irregularitatem, quia a principio fuit illa actio infecta malitia homicidii, saltem indirecte. Exemplum accommodatum est de ebrio, quod late tractat Covarruv., dict. part. 3, nam communis et vera resolutio est, quod si ebrius tempore inebriationis invincibiliter ignoravit periculum, postea non fit irregularis, quia tunc comparatur furioso, et amenti, et ratione prioris voluntatis effectus non imputatur, quia nulla fuit; nec refert, quod prius opus fuerit illicitum, quia non est per se et proxime ordinatum ad homicidium, neque ob eam rationem est specialiter prohibitum; si autem tunc habuit ignorantiam vincibilem, vel propter priorem experientiam, vel propter aliam similem causam, tunc fiet irregularis ex subsequuto homicidio in ebrietate, quia illud fuit voluntarium in causa. Ita ergo in præsenti philosophamur; majori enim ratione censemus, homicidium de quo agimus, factum in defensionem, licet ex eo capite non sit directe voluntarium, tamen in causa fuisse voluntarium, quando adulterium non solum injuste, sed etiam incaute patratum est, et ideo in tali casu irregularitatem incurri.

13. *Qualis sit irregularitas, quando per homicidium in defensionem incurritur.* — Ultimo facile ex dictis intelligitur, qualis sit irregularitas, quando per homicidium in defensionem incurritur. In quo vitanda est quæstio de nomine, an tale homicidium sit casuale, necne; sicut etiam non refert quæstio, an tale homicidium possit licite esse directe intentum aut volitum ut medium. Quidquid enim de hoc sit, in præsenti certum est tale homicidium non esse voluntarium, prout in hac materia usurpatur, etiamsi ob immoderatam defensionem aliquam voluntatem habeat adjunctam, ex qua habet ut sit culpabile, alias irregularitatem non induceret; tamen quia non fit ex proposito et industria, ideo voluntarium non reputatur. Quod notavit Navarrus, cons. 36, de Homicid., et sumitur

ex Concilio Trident., sess. 14, cap. 7, nam tam homicidium factum in defensionem, quam casuale, distinguit ab homicidio facto ex industria, aut voluntate, et de omnibus agit, quatenus sufficiunt ad irregularitatem inducendam. Unde, si omne homicidium, quod voluntarium non est, dicatur casuale, hoc etiam sub tali membro comprehenditur. Et sæpe quidem proprie casuale, vel quia excessus defensionis, et effectus ejus non fuit directe volitus, vel quia culpa non fuit in hoc excessu, sed in priori causa rixæ injuste et incaute datæ, sicut de adulterio dicebamus. Tamen non semper est proprie, et in rigore casuale, nam aliquando potest esse directe intentum et volitum calore pugnæ, ut sentit Navarrus, cap. 27, num. 240, nisi dicatur esse moraliter contingens, quamvis non sit physice, vel dici potest homicidium quodammodo necessarium. Denique utcumque nominetur, irregularitas, ex tali homicidio contracta, non est moraliter indispensabilis, sed comprehenditur sub decreto Concilii Tridentini, sess. 24, et cap. 6, et sub quacumque alia facultate dispensandi in irregularitate contracta ex homicidio, excepto solo voluntario. Et huc spectat, quod Juristæ aiunt, homicidium factum in defensionem etiam immoderatam non puniri pœna ordinaria; sic enim etiam per canones non punitur irregularitate indispensabili, sed leniori; quod ipsi ampliant multis modis, et omnes existimo habere locum in præsenti, scilicet, etiamsi excessus fiat ex positivo, imo etiamsi quis jam fugientem prosequatur et occidat, quia a principio tale homicidium habuit originem alterius rationis, et totus ille excessus imputatur aggressori, et non directe voluntati ejus, qui se defendit. Quod posset hic late confirmari; sed hæc nobis sufficiunt; videatur Tiraquellus, in tractatu de Pœnis temperandis, caus. 1, num. 89, et sequentibus.

SECTIO II.

An ex homicidio commisso in defensionem bonorum temporalium contrahatur irregularitas.

1. *Bona temporalia an possint licite defendi cum interitu ejus qui vult illa violente auferre. — Prima opinio. — Vera sententia.* — Aliquorum opinio fuit hæc exteriora bona non posse defendi licite cum interitu ejus, qui violente vult illa auferre, etiamsi omnino amittenda sint, quia charitas obligat ad hæc bona tribuenda pro tuenda vita proximi, vel etiam quia alius non est dominus vitæ, sed solus Deus; ergo non potest quis illam vitam destruere, ut res suas tueatur. Ita sentit Maiolus, et alii infra citandi. Ego vero suppono, servatis debitis circumstantiis hoc posse esse licitum. Quæ est communis sententia Theologorum, et aliorum Doctorum, ut statim patebit. Circumstantiæ autem sunt. Prima ut temporale nocumentum actu et injuste inferatur, sitque grave et dignum tali propulsatione. Deinde ut sit irreparabile, vel non sine tanta difficultate et periculo, ut vel ob eam causam possit grave dispendium reputari. Tertia, ut defensio sit moderata, et pura. Quarta, ut sit inevitabile nocumentum proximi, ut defensio habeat effectum. Concurrentibus ergo his conditionibus, nec contra justitiam, nec contra charitatem est, invasori resistere usque ad occisionem ejus. Quia charitas non obligat ad præponendam vitam proximi propriis temporalibus rebus, nisi quando proximus est in necessitate; at in præsenti casu ille non est in necessitate, sed in iniqua voluntate, et ideo charitas tunc non obligat ad cedendum illi; neque etiam justitia, quia nemini debet vis aut fraus patrocinari; ergo hic etiam vim vi repellere licet. Detrimentum autem, quod aggressori sequitur, illi potius, quam se defendenti imputatur.

2. *An qui juste res suas defendendo alium occidit irregularitatem incurrat. — Prius fundamentum. — Rejicitur.* — Hoc ergo posito difficultas superest, an in eo casu incurratur irregularitas, quando quis res tantum et nullo modo vitam defendit, quia nimirum dimittendo res, incolumis esset persona. Multi affirmant incurri tunc irregularitatem. Est communis Panormit. et aliorum, in c. 2 de Homicid. Tenet Socinus, in cap. Ad audientiam, eodem titulo, et Villadiego, tractat. de Irregul. Idem Navarr., in Summa, c. 15, num. 2, 4 et 5, et cap. 27, num. 209 et 213. Nicolaus Plovius, tract. de Irregul., reg. 36, ubi specialiter loquitur de clericis. Idem a fortiori tenent omnes, qui putant talem defensionem esse illicitam, quod de clerico etiam affirmat Glos. ult. in c. 2 de Homicid., et in princ. 23, quæst. 3, verb. *Fugiens,* et in cap. Dilecto, de Sentent. excomm., in 6, in verb. *Bonis;* Jason, in l. Ut vim, ff. de Justitia et jure. Priores vero auctores fundantur, quia homicidium illud, quamvis inculpabile, est tamen voluntarium, quod satis est ad irregularitatem, ut patet in homicidio

justo, facto a judice vel milite. Antecedens declaratur, quia esto, possit quispiam res suas defendere hoc modo, non tamen cogitur, nec præcepto obligatur; ergo quando id facit, omnino voluntarie facit. Sed hæc ratio non sufficit; nam etiam quando quis defendit propriam vitam, non habet præceptum se defendendi occidendo alium, sed potest ex motivo charitatis permittere potius se occidi, quam alium occidere, nisi in aliquo casu speciali ob circumstantiam personæ alius ordo sit necessarius, de quo alias, et nihilominus homicidium illud non censetur voluntarium ad incurrendam irregularitatem, quia alius infert moralem vim; idem ergo dicetur in præsenti casu, solumque erit differentia secundum magis et minus, quatenus propensio et jus ad tuendam propriam vitam majora sunt, quam ad conservandas res externas.

3. *Firmius fundamentum.* — Proprium ergo fundamentum esse debet, quia jus canonicum solum excepit defensionem propriæ vitæ propter summam necessitatem moralem, quod est signum non reputasse sufficientem minorem necessitatem ad negotium irregularitatis. Nec sine causa; nam licet illa necessitas excuset a culpa, non tamen a defectu lenitatis, qui in hoc maxime cernitur, quod homo eligit potius sanguinem proximi effundere usque ad ejus mortem, quam res caducas et temporales amittere. Antecedens patet, ex Clement. de Homic., ut solum excipit eum, *qui mortem aliter vitare non valet.* Item in cap. 2 de Homic., dicitur : *Te tuaque liberando;* in quo significatur, tunc solum excusari irregularitatem defendendo bona, quando cum illis simul periclitatur persona. Favet etiam cap. Suscepimus, de Homic., ibi : *Expediebat potius post tunicam relinquere pallium, et rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis rebus vilibus, et transitoriis, in alios tam acriter exardescere.* Facit etiam in cap. Significasti, 2, de Homic. Addit denique Navarr., d. c. 15, num. 5, hoc servare Curiæ Romanæ stilum, *qui facit* (inquit) *jus,* juxta cap. Quam gravi, de Crimine falsi.

4. *Secunda sententia.* — Nihilominus contrariam sententiam tenuit, quamvis sub formidine, Covarruv., in dict. Clement., in 3 p., in fine, cum Fortunio, in l. Ut vim, ff. de Justitia et jure. Quod etiam tenet Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 14; insinuat Soto, lib. 5 de Justit., quæst. 1, art. 8, ubi quoad hanc irregularitatem nihil distinguit inter eum, qui se, vel sua defendit. Fundamentum hujus opinionis tantum est, quia tale homicidium est inculpabile. Respondet autem Navarrus, debile esse hoc fundamentum, quia etiam in judice, vel milite, homicidium est inculpabile. Sed exemplum non est simile, quia illud homicidium omnino voluntarium est; nam ipsemet homo sese ingerit illi ministerio, et actioni, et in hoc maxime consistit defectus lenitatis; in præsenti autem casu illud homicidium non est voluntarium, neque homo se ingerit, sed moraliter cogitur ad illam actionem. Unde in priori casu homicidium est intentum per modum punitionis, in quo talis actionis indecentia consistit; in hoc vero sola defensio est intenta; homicidium vero censetur tanquam per acccidens sequutum.

5. *Proprium fundamentum hujus sententiæ. Irregularitatem hanc non colligi ex Clementina unica de Homicidio.* — Proprium vero fundamentum esse debet, quia hæc irregularitas pro illo non est in jure expressa, vel comprehensa. Hoc autem probatur, quia vel colligitur ex jure novo illius Clementinæ, vel ex antiquo; neutrum dici potest : ergo. Probatur minor quoad priorem partem, quia in illa Clementina nihil de hoc casu statuitur, sed ad summum potest sumi argumentum a contrario sensu, vel ab speciali, de quo jam diximus supra, in materia pœnali, præsertim irregularitatis, esse insufficiens, ut censeatur irregularitas sufficienter expressa in tali jure. Sed præterea hic non admittimus argumentum ab speciali, quia hoc supponit exceptionem a generali regula; supra autem ostendimus, nullam unquam fuisse generalem regulam, per quam fieret irregularis, qui occidit alium in suam defensionem. Non fuit ergo illa exceptio, sed generalis declaratio facta a Pontifice, ut in eo casu esset certitudo; de reliquis autem nihil declarare voluit, sed disputationi Doctorum reliquit.

6. *Prima extensio dictæ Clementinæ.* — *Secunda extensio ejusdem Clementinæ.* — Imo juxta hanc interpretationem, quod nimirum illud non est novum jus, sed declaratio antiqui, colligere possumus, non solum ibi esse exclusam extensionem ad alios casus, sed potius datam esse Doctoribus facultatem extendendi declarationem illam ad casus similes quantum ad formalem rationem. Quod declaratur primo, sumpto exemplo ex priori parte illius textus, in qua solum nominatur furiosus, infans et dormiens, quod non vetat, quominus adjicere possimus ebrium ex igno-

rantia invincibili, juxta sententiam magis receptam, et veram propter similitudinem rationis; et quia illæ personæ non de novo excipiuntur illo jure, sed de novo declarantur comprehensæ. Rursus in altera parte solum fuga mortis nominatur; et tamen extendenda est declaratio ad fugam mutilationis; nam etiamsi agressor nollet me occidere, sed manum vel nasum, vel aliud simile membrum abscindere, possem me tueri occidendo illum, si aliter non possum. Nam licet in eo casu irregularitatem incurri dixerint Plovius, Villadiego et Maiolus supra, oppositum est sine dubio verum. Quod tenent Cardinalis in eadem Clementina, et Sylvester, *Homicidium*, 3, quæst. 4, et Covarruv., dict. part. 3, in num. 2. Quia si mutilatio injuste alteri facta comparatur homicidio quoad irregularitatem inducendam, quomodo defensio propriæ personæ a mutilatione non æquiparabitur defensioni a morte quoad excusandam irregularitatem? Item illa est maxime necessitas moralis, unde habet eamdem rationem excusationis, saltem quoad modum coactionis, quod satis esse videtur, etiamsi non sit omnino æqualitas in gradu. Præterea idem videtur dicendum, etiamsi non timeatur mutilatio, nec vulnus lethale, quando moraliter imminet periculum gravis percutionis corporis, sive illius gravitas posita sit in notabili læsione, seu vulneratione corporis, sive in contumela, vel infamia notabili, ut est in alapa aut percussione virgæ vel arundinis, etc., ut indicavit Soto, dict. art. 8, ad finem. Et ratio est, quia in his omnibus est eadem formalis ratio excusationis, quæ est necessitas et innocentia. Deinde quia integritas corporis et conservatio ejus homini commissa est; sæpe etiam hujusmodi læsio, vel contumelia pluris æstimatur, quam unius membri abscissio : ergo, etc. Atque hinc fit gradus ad defensionem honoris, de quo supra diximus, agendo de obligatione fugiendi.

7. *Ultima extensio ejusdem Clementinæ.* — Ac tandem fit extensio ad bona etiam externa; nam licet hæc sint minoris æstimationis, etiam sunt suo modo necessaria ad vitam. Unde auctores contrariæ sententiæ fatentur, si sint ita necessaria, ut sine illis maneat homo in extrema necessitate, posse illa defendere usque ad necem alterius absque irregularitate. Idem ergo erit, si sint necessaria ad statum, quia etiam cadere ab statu, moraliter reputatur res valde gravis; inferre ergo necessitatem, quæ ad hoc compellat, est moraliter cogere; et effectus inde secutus non potest censeri homicidium voluntarium, cum vis illa iniqua sit. Atque hinc fit, ut defensio bonorum, de qua agimus, regulariter loquendo hujusmodi sit, quia oportet ut bona sint alicujus momenti, ut initio dixi; hæc autem ordinarie inicuique necessaria sunt ad suum statum. Accedit denique, quod si hæc impune defendi non possent, daretur pravis hominibus licentia inferendi similes injurias, et qui illas paterentur, necessario constituerentur in gravi necessitate ad vitam conservandam. Hinc etiam apud Jurisperitos hæc temporalia bona quodammodo vitæ comparantur, quatenus ad illam necessaria sunt, argumen. l. Advocati, in fine, C. de Advoc. diversorum judic. De quo multa congerit Tiraquel., de Nobilit., c. 31, num. 363 usque ad 370. Videri etiam potest Julius Clar., lib. 5, verb. *Homicidium,* num. 25 et num. 47. Ergo novum jus Clement., de Homic., huic sententiæ non repugnat, sed potius per quamdam similitudinem, analogiam, vel reductionem, declaratio illa potest ad omnem justam defensionem extendi.

8. *Irregularitatem hanc non colligi ex jure antiquo. — Cap. 2 de Homicidio, exponitur.* — Superest probanda altera pars de antiquo jure, in quo in primis nullum invenitur verbum alicujus textus, quo magis fiat irregularis defendens bona sua, quam defendens vitam suam; sed ostendimus, etiam ex jure antiquo non esse irregularem eum, qui alium occidit defendendo vitam suam; ergo neque erit defendendo bona sua ex vi juris antiqui. Consequentia evidens est. Major autem probatur primo, quia nullus est textus, qui de hac defensione potius, quam de alia specialiter loquatur; quod si per generale verbum occidendi non comprehendebant antiqua jura occisionem factam in defensionem vitæ, quia illa non est tam occisio quam defensio, nec tam voluntaria, quam necessaria, idem dici poterit de omni defensione justa, ut ex discursu proxime facto constat. Secundo idem probatur discurrendo per aliquos textus, qui ad hoc adduci solent; primus est c. 2 de Homic., ibi : *Te tuaque.* Sed ex hoc verbo non colligitur, ad vitandam irregularitatem necessarium esse vitam et bona simul defendere; alias qui, solam vitam absque aliis bonis defendendo, alium occideret, ex vi illius juris fieret irregularis, quod absurdum est. Ibi ergo solum explicatur, illud fuisse suffi-

cientissimum ad vitandam irregularitatem; quod vero fuerit necessarium, non dicitur. Quod si velimus illud signum copulativum non complexive (ut dialectici aiunt), sed divisive intelligere, favebit potius ille textus dictæ sententiæ; nam sensus erit, si te defendendo, occidisti, non eris irregularis; et similiter, si tua defendendo. Neque est in illo textu aliquid, quod huic interpretationi repugnet, cumque ampla sit, in materia favorabili admittenda videtur. Estque optimum simile in c. Verum, de Jurejurando, ubi vel absolvendus, vel immunis esse dicitur a vinculo juramenti, qui illud invitus *pro vita, et rebus servandis* fecit. Ubi particula *et* (quæ ad nostrum institutum spectat) non copulatim, sed copulative intelligenda est.

9. *Cap. 3 de Homicidio, exponitur.*— Adducitur præterea c. 3 de Homicidio, ubi qui furem nocturnum occidit, non censetur reus homicidii; secus vero qui occidit furem diurnum. Et ratio redditur, quia in diurno potest discerni, ad furandum, non ad occidendum venisse. Sed si recte expendatur textus ille, potius probat oppositum; sumptum enim est cap. illud ex Augustin., lib. 2 Quæstionum in Exod., quæst. 84, ubi exponit legem illam latam Exodi 22, et illius rationem reddit, explicatque esse intelligendam, quando fur tantum exercere tentat injustitiam furti, et potest fugari, ut damnum non inferat, absque homicidio, vel læsione ejus; tunc enim certum est homicidam esse, qui eum occidit; nos autem loquimur, quando fur diurnus per vim vult aliena bona rapere, etiamsi cognoscatur et videatur. Quod vero in eo casu aliter censendum sit, patet ex verbis, quæ Augustinus subjungit, et in eodem textu afferuntur : *Hoc et in legibus antiquis secularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune, scilicet, occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se cum telo defenderit; jam enim plus est, quam fur.* Lex autem illa est 4, ff. ad l. Aquiliam, in qua expendo verba illa, *Si se cum telo defenderit.* Aut enim est sermo de defensione vitæ; et hoc non, quia non est immunis ab homicidio, qui occidit latronem, propterea quod se defendit, ne occidatur, cum in hoc licite faciat; neque enim ita se defendit, nisi quia alius eum aggreditur; vel est sermo de defensione earum rerum, quas furto auferre et deferre molitur; et juxta hunc sensum, qui legitimus videtur, inde potius colligitur non esse reum homicidii, qui occidit furem telo se defendentem, ne a furto faciendo et exequendo impediatur, et abjiciatur re infecta. Et ita constat differentia inter furem diurnum et nocturnum; nam in nocturno discerni non potest periculum mortis, aut modus violentiæ, quam inferre tentat, et ideo non obligatur homo nisi ad vociferandum (ut dicitur in prædicta l. 4), et intelligendum est, quando id sine periculo propriæ vitæ fieri potest; tunc enim est medium accommodatum ad fugandum furem sine ejus occisione; et ideo intentandum prius est, ut defensio sit moderata. Si autem id non sufficit, aut præmitti non potest sine periculo morali, tunc licitum est prævenire et occidere, quia non est aliud medium accommodatum ad se, vel sua bona tuendum. Quod secus est in fure diurno; nam tunc constare potest de modo furti, et de periculo, quod esse potest in resistentia furis, et regulariter sunt alia media, quibus impediatur furtum sine occisione furis. Si autem nullum sit, tunc non prohibetur defensio bonorum, nec de hoc casu sermo est in prædicto textu.

10. *Cap. Suscepimus, de Homicidio, expenditur.* — Præterea colligi solet hæc irregularitas ex c. Suscepimus, de Homicidio, ubi sermo est de quibusdam clericis. Et ideo Panormitanus et alii putant, saltem clericis esse specialiter prohibitum sumere arma ad defendenda hæc bona; ideoque irregulares fieri, si occidant, etiamsi aliter evitare non possint furtum. Sed neque hoc colligitur ex illo textu, quia homicidium, quod in eo casu commissum est, non fuit factum in puram defensionem. Nam in primis clerici illi ligaverunt latrones, qui ad furandum venerant; unde manifestum est, multo facilius potuisse eos liberos, ac vacuos dimittere, sine ullo periculo rerum aut personarum. Deinde quia, ut Glossa ibi notat, monachus, qui illos occidit, nulla necessitate vitandi nocumentum id fecit; potuisset enim ipse fugere, priusquam illi a vinculis solverentur; nam res, quas furari poterant, servatæ jam erant, vel certe illas secum deferre poterat; non ergo fuit illa moderata defensio, sed immoderata aggressio, vel punitio propria auctoritate usurpata. Atque ita intellexit textum illum Covarruv., supra, num. 6, cum aliis, quos refert.

11. *Cap. Significasti, 2, de Homicidio.* — Quarto induci solet c. Significasti, 2, de Homicid., ubi quidam presbyter latronem, qui ornamenta Ecclesiæ asportabat, *fossorio arrepto percussit,* ut nimirum bona Eccle-

siæ, quæ sub sua erant cura, defenderet; et nihilominus irregularis censetur, si vulnus lethale fuit. Sed nec ex hoc textu sumitur probabile argumentum, quia ex illo non constat, percussionem illam necessariam fuisse ad defendenda Ecclesiæ bona; nam satis fuisset vociferatio, ut ex discursu ejusdem textus constat; nam parochiani statim adfuerunt. Unde in fine textus ait Pontifex : *Quamvis liceat vim vi repellere, tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ,* significans in prædicto casu non fuisse servatum dictum moderamen. Deinde occasione hujus textus posset inquiri, an maneat quis irregularis occidendo aliquem in defensionem rerum alterius; nam in eo textu clericus ille non defendebat res proprias, sed Ecclesiæ; et ideo dici posset non licuisse illi absque irregularitate eas defendere cum periculo occidendi alium, quia Ecclesia ipsa vult potius res suas amittere, quam sacerdotes suos sanguinem fundere. Sed licet verum sit potuisse Ecclesiam hoc declarare, tamen ex illo textu talis declaratio non colligitur, ut ex dictis patet. Quid vero in eo casu dicendum sit de defensione rerum alienarum, dicemus in sectione sequenti, ad finem.

12. *Posterior sententia præfertur.* — Ex his ergo satis ostensum videtur, in jure antiquo, hujusmodi irregularitatem non contineri. Possuntque hic addi antiqui canones, in quibus significatur, per homicidium privatum, sine culpa, et sine voluntate factum, non incurri irregularitatem, c. Hi qui arbores, cum duobus seq., d. 50. Et facit etiam c. Quia te, eadem dist., ubi videtur sermo esse de illo, qui in defensionem libertatis suæ, ne scilicet a Saracenis in captivitatem adduceretur, eos occidit; de quo dicitur, *nullo modo inde canonice judicari, quia non sua sponte fecit.* At vero si standum esset in rigore contrariæ sententiæ, quod sola defensio propriæ vitæ excuset irregularitatem, non sufficeret defensio propriæ libertatis, quod illi textui repugnare videtur, et per sese videtur valde absurdum. Et si quis dicat, libertatem æquiparari vitæ, respondemus ita æquiparari, ut non sint idem, neque cum omnimoda æqualitate. Et ideo si talis æquiparatio admittitur, hinc nos colligimus, jura non esse cum illo rigore intelligenda; ideoque æquiparationem extendendam esse ad omnem legitimam culpæ excusationem, ratione cujus homicidium non censeatur propria sponte factum, sed vi, et coactione ipsiusmet aggressoris exortum. Propter hæc igitur videtur hæc sententia satis probabilis, et tuta practice, et in rigore juris vera. Et fundamenta contrariæ opinionis ex dictis sunt expedita; licet enim communior videatur, tamen quia non habet fundamentum juris sufficiens, et hæc materia tota pendet ex jure, et odiosa est, ideoque illam sequi non cogimur.

SECTIO III.

An ex homicidio facto ob licitam proximi defensionem irregularitas contrahatur.

1. *Prima sententia.* — Diximus de omni defensione propria, tam quoad corpus, ejusque integritatem, quam quoad exteriora bona fortunæ, quæ suo modo locum habent, ut declaravimus; superest dicendum de innocentis proximi defensione honesta et charitati consentanea. Multi enim existimant, etiam in eo casu, interveniente alterius proximi occisione, aut mutilatione contrahi irregularitatem. Ita sentiunt Glossa et Doctores, in dicta Clement., et 23, quæst. 8, in princip.; Sylvest., *Homicid.*, 1, quæst. 9; Armil., verb. *Irregularitas,* num. 41; Navar., c. 27, num. 213; Maiol., lib. 5, c. 48, num. 9, et alii, quos refert Covarruvias, dicta Clement., part. 3, § unico, num. 5. Fundamentum potest esse, vel quia tale homicidium non est licitum, cum æque diligenda sit vita unius proximi, ac alterius; vel quia licet possit fieri sine culpa, non est casus in jure exceptus, quia dicta Clementina solum loquitur de defensione vitæ propriæ.

2. *Secunda et vera sententia.* — *Non tamen semper sub obligatione.* — Nos tamen consequenter loquendo contrariam sententiam veriorem existimamus, quam Covarruvias et alii supra citati consequenter etiam tenent, et Major, in 4, dist. 15, quæst. 30. Et in primis suppono, licitum esse innocentem defendere a morte, etiamsi necesse sit aggressorem interficere, ut est communis sententia, quam ex Alciato, et aliis refert Julius Clarus, verb. *Homicidium,* num. 28, quam Navarr. et alii admittunt. Et ratio est, quia magis est diligendus proximus innocens, quam propria bona, vel externus honos; sed hæc licet defendere cum occisione aggressoris, si necessaria sit; ergo et proximum. Imo sunt qui censeant, hoc cadere sub obligationem præcepti, propter ea jura, quæ dicunt, participem esse culpæ, qui mortem proximi potest impedire et negligit, c. Error, 83 dist., c.

Non inferendo, 23, quæst. 3, cum similibus, et favet c. Dilecto, de Sent. excom., in 6, ubi dicitur, licere unicuique pro repellenda proximi injuria suum impertiri auxilium; imo si possit, et negligat, videri injuriantem fovere, ac esse participem ejus culpæ. Verumtamen non censeo hoc esse sub obligatione, nisi in aliquo casu, in quo persona, quæ defendenda est, maxime necessaria sit reipublicæ, vel princeps ejus, vel proprius pater, aut similis, juxta ordinem charitatis, vel aliquam justitiæ obligationem, ut late Navarr., in Manuali, c. 24, num. 17 et 18; Covarruv., dicta Clement., 3 p., § 1, num. 7, et in regula *Peccatum,* 2 part., § 3, num. 4; cum Panormitano, cap. 1 de Offic. delegati, num. 5; Sylvest., *Homicidium,* 1, num. 10; juxta quorum sententiam regulariter nulla intervenit hic obligatio, quia licet charitas obliget ad defendendum proximum, non tamen cum tanto discrimine alterius. Nam etiam propriam vitam non semper tenemur defendere cum tanto damno proximi. Et licet unus sit innocens, et alter iniquus in eo facto, tamen illa non est sufficiens ratio obligationis cum tanto detrimento alterius proximi. Maxime si necessarium sit (prout regulariter continget) propriam vitam periculo exponere propter alium defendendum; de qua latius in 2. 2, quæst. 64, art. 7.

3. *Probatur hæc sententia in defensione ex obligatione.* — In præsenti ergo, quando homicidium non solum fit licite, sed etiam ex obligatione, longe verisimilius est non incurri irregularitatem, ut in particulari notavit Cardinalis, dicta Clement., de Homicid., quæst. 18, et Castro, lib. 2 de Lege pœnali, c. 14. Et ratio est, quia tale homicidium nec culpabile est, ut supponitur, nec moraliter voluntarium, ex duplici capite. Primo, quia non est intentum, sed per accidens sequutum ex tali defensione, ad quam quodammodo cogit ipsemet aggressor, supposito naturali amore patris ad filium, vel filii ad patrem, et similium personarum. Secundo, quia ipsamet lex sub obligatione quodammodo cogit ad tale homicidium, etiamsi homo, quantum est ex se, fortasse nollet talibus actionibus se immiscere. Et confirmatur ex D. Thom., 2. 2, quæst. 40, art. 2, ubi ait : *Nulli, qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo officio incongruus redditur.* Unde e converso colligimus, quoties aliquis licite exercet id, ad quod faciendum jure naturali vel divino compellitur, non posse inde reddi incongruum, vel inhabilem ad officium suum; ergo qui ex obligatione naturalis præcepti occidit unum, ut defendat alium, servatis legibus moderatæ defensionis, non potest inde fieri irregularis, alias fieret ineptus ad officium suum.

4. *Evasio. — Eluditur.* — Dices, hoc argumentum ad summum procedere de clericis, qui ex officio res sacras administrant; imo de illis, aiunt aliqui, solum probare, non fieri irregulares ad usum suscepti Ordinis, quia jam sunt in eo officio constituti, et ad illud habent jus acquisitum; nihilominus vero fieri irregulares, ne ascendant ad superiores Ordines, in quorum officio nondum sunt constituti. Sed hoc non recte dicitur, tum quia distinctio hæc applicata ad præsentem casum, nullum habet fundamentum in jure, sine quo in præsenti materia loqui non possumus; tum etiam quia constitutus in inferiori Ordine, v. gr., subdiaconatus, etiam habet jus ascendendi ad superiores Ordines, nisi illis fiat indignus; non est autem minus inconveniens, quod homo amittat hoc jus, vel quod fiat inhabilis, propter observationem præcepti, ad usum talis juris potius quam ad usum Ordinis suscepti. Quæ ratio procedit etiam de laicis, nam licet non habeant officium clericale, tamen habere possunt; non ergo debent fieri inhabiles propter observationem præcepti simpliciter impositi et prævenientis (ut sic dicam) eorum voluntates; in quo distinguuntur a ministris justitiæ, de quibus infra. Ac denique per se est absurdum dicere, laicos fieri irregulares per aliquod homicidium, per quod, servata eadem proportione, non fieret clericus irregularis, quia si ibi intervenit sufficiens defectus lenitatis, majorem indecentiam inferet in clerico quam in laico. Itaque quando intervenit absoluta obligatio talis defensionis, hæc res magis certa videtur.

5. *In defensione licita, non tamen ex obligatione, eadem sententia suadetur.* — Idem tamen censeo dicendum, quoties defensio licita est, quamvis non cadat sub obligationem, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Hoc autem probandum est eodem discursu, quo usi sumus in præcedenti sectione, quia irregularitas in eo casu non colligitur ex Clementina de Homicidio, neque ex antiquiori jure; ergo nulla est. Prior pars antecedentis patet, tum quia in dicta Clementina non est hoc expressum, quod requiritur in jure; tum etiam quia argumentum a contrario sensu in hac materia est inefficax, ut

sæpe dictum est; tum denique quia illa Clementina non tam inducit novum jus, quam declarat antiquum, juxta veriorem sententiam; declaratio autem in uno casu expresso, non excludit alias in casibus, in quibus sufficiens similitudo rationis inventa fuerit; hic autem talis ratio invenitur, quia debemus proximum diligere sicut nos ipsos, et plusquam temporalia bona. Altera pars antecedentis probatur, tum quia in jure antiquo nullus invenitur textus, qui specialiter de hac defensione, vel de hoc genere homicidii loquatur. Deinde favent alia jura, quæ significant, homicidium privatum non inducere irregularitatem, nisi sit culpabile; quæ paulo antea citavimus. Et in hoc sensu est probabile argumentum, quo multi utuntur, quia interficiens clericum in defensionem proximi non incurrit excommunicationem, ut est communis sententia Innocent. et aliorum in c. Si vero, de Sent. excom. De qua videri potest Covarruv., dicto num. 4, in regula *Peccatum*, et Julius Clarus, verb. *Homicidium*, num. 29; ergo neque incurret irregularitatem. Quanquam enim hoc argumentum a simili per se non sit efficax, tamen supposito, quod versamur in materia, in qua sine culpa non incurritur irregularitas, efficax est; ideo enim excommunicatio non contrahitur in eo casu, quia talis occisio fit sine culpa.

6. Unde tandem confirmatur, quia irregularitas homicidii non contrahitur, nisi per culpam, aut per spontaneam voluntatem, ut in superioribus probatum est; sed in hoc homicidio non intervenit culpa, ut supponimus, neque est spontanea voluntas, tum quia ibi non est intenta occisio, sed defensio, quæ quodammodo etiam per vim exorta est ab iniquo aggressore. Confirmatur præterea; nam si quis invasus ab alio, ut occidatur, aliquem vocet ad suam defensionem, et illi arma præbeat, ut se adjuvet et defendat, non incurret irregularitatem, etiamsi ille defensor occidat aggressorem, ut fatetur Navarr., num. 212. Quia qui potest se defendere per seipsum, potest etiam per alium; ergo neque etiam ipse defensor fiet irregularis. Addo etiam si contingat defensorem occidi ab invasore, non propterea fieri irregularem eum, qui ipsum vocavit in suum patrocinium, quia licite id fecit, et effectus est per accidens sequutus; cur ergo solus ille, qui ex charitate defendit, erit pejoris conditionis, quando victoriam obtinet, et interficit adversarium? Et ita etiam facile solvuntur omnia, quæ contra hanc doctrinam objici possunt. Et fateor quidem, contrariam esse communius receptam; existimo tamen introductam esse occasione verborum dictæ Clementinæ, quæ non satis a prioribus auctoribus expensa videntur, quos reliqui sine majori examine sequuti sunt, quia verba illa visa sunt *fere expressa,* ut Navarrus loquitur, qui cum addidit *fere,* suam fere damnavit sententiam, quia c. Is qui, de Sent. excomm., in 6, non requirit jus fere expressum, sed simpliciter expressum. Eo vel maxime, quod nec fere expressa sunt, neque ullo modo faventia, nisi in quadam specie, seu apparentia, ut satis declaratum et probatum est. Quod autem Navarrus objicit de communi praxi, non etiam obstat, quia si quæ est talis praxis, ex prædicta opinione ortum habuit, vel etiam quia res saltem semper fuit dubia, et ideo securius judicatum est dispensationem petere, præsertim cum his in casibus vix aliquis sit securus de adhibita moderatione necessaria in tali defensione.

DISPUTATIO XLVII.

DE IRREGULARITATE EX HOMICIDIO LICITO OB DEFECTUM LENITATIS CONTRACTO.

Hactenus diximus de privatis homicidiis; nunc dicendum superest de his, qui auctoritate publica fiunt, et consequenter justa sunt; nam si sint injusta, eo ipso non sunt ex potestate publica, sed admiscetur abusus ex privata voluntate ac potentia. Duo autem sunt modi exercendi hanc potestatem, scilicet, in criminali judicio, et in bello, et in utroque modo possunt variæ personæ intervenire: de quibus sigillatim dicemus.

SECTIO I.

Utrum judex ferens sententiam in causa sanguinis, irregularis fiat.

1. *Conclusio.* — Suppono in tota hac disputatione sermonem esse de persona capaci irregularitatis, ut excludam hominem non baptizatum, in quo nondum Christi membro effecto non consideratur lenitatis defectus, ut significat Innocentius I, ep. 3, c. 3, C. *Quæ similiter*, 23, q. 3, de quo plura disputat. 40. Hoc ergo supposito dicendum est, judicem ferentem sententiam in causa sanguinis, effectu secuto, irregularem fieri. Est communis resolutio, quæ probari solet ex cap. Sententiam sanguinis, Ne clerici vel monachi, etc.

Ibi tamen non dicitur, laicos, qui sententiam sanguinis tulerunt, non posse fieri clericos, sed solum ut clericus talem sententiam non dictet aut proferat, quod longe diversum est; imo nec ipsis clericis hoc exercentibus ibi imponitur irregularitas aut alia pœna, sed pura prohibitio. Et in cap. Clericis, eodem titulo, eadem prohibitio solis clericis in sacris ponitur, et additur : *Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur, et loco*. Quæ verba non inducunt irregularitatem, cum significent pœnam per hominem imponendam. Nihilominus tamen certissima est hæc irregularitas, quæ in illis decretis supponitur ex cap. Ex litteris, de Exces. Prælat., ibi : *Cum his non tantum auctoritatem præstiterit*, etc. Idem colligitur ex cap. 1, dist. 51, et ex cap. In Archiepiscopatu, de Raptor., et ex cap. Quæsitum, 23, quæst. 4, et in cap. Sæpe, et cap. His quibus, 23, quæst. 8, cum similibus.

2. *Sententia sanguinis quid.* — Ad intelligentiam autem assertionis tres particulæ explicandæ sunt : prima est, *sententia sanguinis;* nam ea voce intelligitur sententia mortis, vel mutilationis; minus enim nocumentum non sufficit, etiamsi reus flagelletur, vel ad triremes mittatur, vel etiam aliter vulneretur, aut aliquod ejus membrum per tormenta debilitetur. Quod quoad hoc æquiparatur hæc irregularitas omnibus aliis, quæ ex homicidio contrahuntur; ergo effusio sanguinis sine mutilatione, vel morte non sufficit, nec etiam necessaria est, si mors per suffocationem fiat. Nomine autem sententiæ quodcumque præceptum judicis comprehenditur ; nam si reus ex præcepto judicis vel alimento privetur, vel rigore carceris ita affligatur, ut inde moraliter ac celeriter sequatur mors, irregularis fiet, ut notant Covarr., part. 2, § 5, n. 8 ; Penna, in Direct. Inquis., 3 part., comment. 107, qui alios referunt.

3. *Quid particula, Secuto effectu, ibidem significet.* — Secunda particula explicanda est, *Secuto effectu,* quæ ponitur propter quosdam asserentes, solam prolationem talis sententiæ sufficere ad irregularitatem; quod tenuit Antoninus citans Guillelmum, 3 part., tit. 28, cap. 2; imo addit Maiolus, lib. 2, c. 6, n. 3, satis esse exercuisse judicis officium in criminalibus, licet nunquam sententiam tulerit. Dicendum vero est, licet quis exerceat hoc officium, proferat sententiam, et promulget illam, si effectus mortis vel mutilationis quacumque ratione impediatur, ne executioni mandetur, non contrahere irregularitatem. Est communis sententia in dicto c. Sententia sanguinis, et in cap. Ad audientiam, de Homicidio; Hostiensis, cap. Significasti, eodem titulo; Sylvester, *Homicidium*, 3, num. 3; Navarr. cap. 27, n. 211. Probatur, quia nullo jure aliter lata est hæc irregularitas. Secundo, quia per mandatum injustum non habetur irregularitas, non secuto effectu; ergo nec per sententiam justam. Tertio, quia inde non sequitur irregularitas Papalis, ut sentiunt adversarii, et nullibi legitur Episcopo data facultas dispensandi in aliqua irregularitate ob defectum lenitatis contracta ; ergo nullum est. Quare dicti auctores etiam in hoc non consequenter loquuntur. Unde a fortiori constat, non satis esse exercuisse officium judicis, si effectus non est secutus. Dico autem, exercuisse, quia exercere actu impediet, nisi desinatur, ut de curialibus in universum dicemus in sect. 4.

4. *Judicis nomine quis comprehendatur.* — Tertio exponendum est, quid nomine judicis hic comprehendatur, in quo in primis dicendum est, comprehendi omnem judicem Summo Pontifice inferiorem. Prior pars certa est ex absoluta juris canonici locutione; et quia eadem est in omnibus ratio, cujuscumque gradus, vel ordinis existant. Sub judice autem comprehendimus assessorem, consultorem, exhortatorem, ac denique omnem alium cum illo ad sententiam ferendam concurrentem, juxta supra dicta cum proportione de cooperatoribus. Posterior pars constat, quia Pontifex non est capax irregularitatis, ut supra dictum est. Errat enim Gratianus, 23, quæst. 8, a principio, hanc excipiens, tum quia hæc etiam est de jure humano; tum quia cum Papa sit temporalis dominus, necessaria est illi hæc facultas, quam et per se, et per alios exercere potest, dispensando cum illis, ne hanc irregularitatem incurrant. Imo aliqui existimant, eo ipso quod Summus Pontifex concedit alicui licentiam exercendi hujusmodi causas sanguinis, dispensare cum illo, ut sine periculo irregularitatis id facere possit, ut quando dat licentiam alicui ad ingrediendum bellum cum armis offensivis, ut ex Calderino refert Sylvester, *Homicidium*, 3, quæst. 6, in fine. Rectius tamen ipse cum Archidiacono in fine subjungit, oportere, ut modus talis licentiæ et dispensationis sufficienter exprimatur, quia si rescriptum solum contineat licentiam existendi in bello cum armis offensivis, non statim intelligitur dari ad usum offensionis aggressivæ, sed solum

defensivæ, nisi aliud declaretur, et idem est de omni simili facultate; nam in hac materia opinor privilegium esse stricte intelligendum, quia est valde odiosum ordini clericali.

5. *An temporalis dominus committendo alteri hoc munus, fiat irregularis. — Ratio dubitandi. — Conclusio.* — Difficultas vero est, an princeps vel dominus temporalis delegando hanc jurisdictionem, vel committendo alteri officium judicis, irregularis maneat. Et ratio dubitandi esse potest, quia illa videtur esse causa homicidii subsequuti. Nec satis est respondere, esse causam remotam, tum quia etiam judex est causa remota comparatione executoris; et accusator vel tabellio videtur esse causa magis remota; tamen quia unusquisque eorum in suo ordine est causa proxima et per se moralis, sufficit ad irregularitatem; ergo similiter in præsenti. Tum maxime, quia dans jurisdictionem, videtur esse causa principalis, cujus alius est instrumentum; ergo magis influit, et propinquius in suo ordine; ergo magis contrahit irregularitatem. In contrarium autem est, quia si hoc ita esset, neque Episcopi possent habere jurisdictionem temporalem, et illam committere quoad hujusmodi causas; nec religiosi, aut aliæ personæ Ecclesiasticæ, quod est contra usum Ecclesiæ. Respondeo, ex vi hujus commissionis seu delegationis, si pure ac debito modo fiat, non incurri irregularitatem. Adjungo autem hanc conditionem, quia necesse est, ut talis delegatio non fiat determinate ad punitionem faciendam per mortem, vel mutilationem; alioqui jam non tam committeretur jurisdictio, quam daretur mandatum de homine interficiendo, solaque executio committeretur, et sententia supponeretur lata a superiori judice committente. Pura autem delegatio jurisdictionis, vel commissio officii, quod jure ordinario illam includat, est, quando indifferenter datur jurisdictio ad inquirendam et examinandam causam, et justitiam agendam, sive committatur in generali quoad omnia crimina, sive in particulari quoad tale factum. Atque hoc modo explicata conclusio habetur in cap. ult. Ne clerici vel monachi, in 6, ubi Pontifex ait, clericos habentes temporalem jurisdictionem, posse et debere illam delegare sine ullo metu irregularitatis.

6. *Primum notandum circa textum hunc.* — Circa quem textum primo advertendum est, generaliter loqui de Episcopis, et clericis jurisdictionem obtinentibus temporalem; unde non refert, quod eam habeant ratione beneficii, aut ratione patrimonii seu temporalis dominii, quia textus indistincte loquitur, et non est a nobis addenda restrictio, maxime cum par sit utriusque jurisdictionis ratio. Neque enim illa declaratio facta est in favorem (ut sic dicam) beneficiorum Ecclesiasticorum habentium talem jurisdictionem annexam; sed solum propter legitimum usum talis jurisdictionis reipublicæ necessarium. Atque ita sentiunt ibi expositores. Imo addo ulterius quamvis ibi Pontifex clericos tantum nominaverit, a fortiori comprehendere laicos jurisdictionem temporalem habentes, et simili modo eam delegantes, quia per nullam actionem fit laicus irregularis propter homicidium subsequutum, per quam non fiat clericus, quamvis e contrario fiat clericus irregularis, ubi non fieret laicus, quia magis debet esse alienus ab omni specie vel concursu homicidii clericus quam laicus; ergo e contrario, si talis delegatio, etiam cum effectu subsequuto, non sufficit ad irregularitatem in clerico, neque sufficiet in laico. Et ita sentiunt ibi Francus, et Dominicus, licet Ancharranus dissentiat, sine fundamento, quia, licet in textu nominentur clerici, non est cur alii excludantur; sed illi nominantur, quia in eis poterat esse major ratio dubitandi, eo quod non possint per se talem jurisdictionem exercere. Quod autem laici possint per se uti tali jurisdictione, nihil refert ad irregularitatem si de facto illa non utuntur, sed aliis committunt. Ratio enim a priori semper manet eadem, scilicet, quia voluntas committentis jurisdictionem non fertur ad homicidium, sed ad justam gubernationem, et ad hoc per se dat jurisdictionem, et ideo reliqua, quæ sequuntur, accidentaria sunt respectu illius, eique non tribuuntur.

7. *Secundum advertendum circa eumdem textum.* — Deinde advertendum est, in eo textu sermonem esse expresse de delegatione jurisdictionis ad speciale factum inquirendum commissa, ut notavit ibi Glossa, verb. *Super hoc*. Nihilominus, hinc a fortiori constat idem dicendum esse, etiamsi delegatio generalius fiat; nam vel est eadem, vel major ratio, quia quo generalior fit delegatio, eo magis abstrahit a pœna mortis, magisque remota est ab influxu in illam. Atque eadem ratione sub delegatione comprehendenda est commissio jurisdictionis ordinariæ, quæ interdum fit a superiore principe, vel potestate, quando dat inferiori munus aliquod jure suo

habens talem jurisdictionem. Magis enim videtur delegatus operari nomine et auctoritate delegantis, quam inferior ordinarius nomine et auctoritate superioris; si ergo delegatio non sufficit ad irregularitatem, nec ordinaria commissio sufficiet. Imo ulterius extendi hoc potest ad leges vel statuta concedenda, in quibus pœna mortis vel mutilationis propter crimina imponuntur, nam licet princeps, seu dominus temporalis, sive clericus sive laicus, talia statuta faciat, ex vi illorum non manebit irregularis, etiamsi inferiores judices per illa judicent et pœnas exequantur, quia illa actio per se non ordinatur ad homicidium, sed ad bonam gubernationem, et ut caveantur delicta; unde, si mors postea sequitur, est valde remote et per accidens; ideoque multo minus ad irregularitatem sufficit, quam delegatio jurisdictionis, nam illa legum constitutio de se magis indifferens est magisque universalis. Atque ita notavit Sylvest., *Homicidium,* 3, q. 7, vers. 9; Maiolus, lib. 2 de Irregul., cap. 5, n. 16, et cap. 9, n. 9, ubi refert plures. Et a fortiori concludit, eos, qui sunt consiliarii principis in condendis his legibus, ex vi hujus actus non fieri irregulares, quidquid postea sequatur; et idem est licet sint ministri ad promulgandas hujusmodi leges vel ad alios similes actus.

8. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices : ergo etiam licebit dicere judici, pro tali delicto deberi pœnam mortis ex ordinatione legis, absque periculo irregularitatis, quia illa solum est promulgatio privata seu notificatio cujusdam legis. Respondeo, si id fiat mere speculative seu in universali et abstracte, nullum esse irregularitatis periculum, propter dictam rationem; sic enim præceptores hoc in cathedris docent, et non fiunt irregulares, nec fierent, etiamsi id docerent quibuscumque judicibus; nec concionator publice id proponens, et exhortans judices ad vigilandum, et juste gubernandum, exponit se irregularitatis periculo. At vero si practice et in particulari quispiam hoc diceret judici volenti de tali causa et persona judicium ferre, sequuto effectu, non careret scrupulo irregularitatis, ut ex Hostiense, et Panormitan. adnotavit Sylvester, verb. *Homicidium,* 3, q. 5, vers. quæst.; et Angelus, *Homicidium*, 1, num. 11, et *Irregularitas,* num. 4; Rosella, *Homicidium,* 4, num. 9; et Armilla, *Irregularitas,* num. 18; et colligitur ex cap. Ex litteris, de Excess. Prælat. Et ratio est, quia tunc illud æquivalet consilio, quod practice movet et incitat ad talem sententiam ferendam; oportet autem, ut de facto habeat hunc influxum juxta dicta de consulente in disp. 44. Unde hoc maxime habebit locum, quando judex est dubius, et propter dictum alterius se determinat. Dices : ergo, si judex peccet mortaliter non damnando reum ad mortem, non poterit confessor sine periculo irregularitatis proponere illi obligationem, et negare absolutionem, nisi illam impleat, quia moveret illum ad sententiam sanguinis ferendam. Respondeo, in eo casu, et similibus, posse et debere sacerdotem explicare alteri generatim quid sit licitum vel illicitum in tali materia, et cogere judicem, ut vel officium omittat vel justam sententiam proferat, nunquam determinate illum movendo ad condemnandum hunc in particulari; et ita suo satisfaciet muneri et irregularitatem vitabit.

9. *Tertium notandum circa eumdem textum.* — Tertio circa eumdem textum notanda sunt illa verba : *Irregularis censeri non debet, quamvis ipse ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitia mediante.* Est enim difficile hoc ultimum verbum; quid enim si delegatus injuste usus est potestate accepta, inique damnando ad mortem et interficiendo innocentem? numquid propterea delegans fiet irregularis? nam ita in hoc verbo insinuatur, alioqui superflue positum est, nam licet mediet injustitia, non sequetur irregularitas in delegante. Id vero incredibile est; cur enim alterius iniquitas nocebit Prælato, qui nullo modo particeps illius fuit? Respondeo, sive sententia judicis justa fuerit, sive injusta, delegantem immunem esse ab irregularitate, ut recte ibi notarunt Glossa, Cardinalis, et alii. Et ratio est, quia delegatio fuit justa, et delegatus excedit terminos ejus contra voluntatem delegantis. Nam supra etiam dicebamus, mandantem non incurrere irregularitatem propter excessum mandatarii, nisi quando mandatum fuit injustum, cum tamen mandans immediatius videatur influere in actum quam delegans. Addo, particulam illam additam esse in illo textu, quia in eo casu videri poterat esse major dubitandi ratio; quando enim delegatus injuste judicat, revera non utitur jurisdictione delegata, sed abutitur, nec movetur a delegante, sed a sua malitia, et ideo tunc nulla occasio irregularitatis potest esse in delegante. Hæc autem videri poterat esse nonnulla, quando mors infertur justitia mediante, quia tunc delegans dat jurisdictionem, et mo-

vet saltem in communi ad justitiam exercendam; et ideo expressit Pontifex, hoc non obstante, non incurri irregularitatem in eo casu, quia actio illa de se est indifferens, et valde universalis, et alioqui honesta. Oportet autem, ut in eo casu, delegans nec directe nec indirecte participet injustitiam illam. Dico autem indirecte (aliud enim membrum per se notum est), quia si talem jurisdictionem committat cum morali periculo talis injustitiæ, et sine sufficienti examine et cognitione personæ, cui illam committit, effectus injuste subsequutus illi imputabitur, ac proinde irregularitatem non effugiet; illa tamen magis erit ex delicto indirecte voluntario, quam ex defectu lenitatis

Inquisitores tradentes reos mortis, et de crimine convictos, brachio seculari, cur non fiant irregulares.

10. *Quorumdam sententia.* — Quarto hinc intelligitur ratio, ob quam Inquisitores non fiunt irregulares, etiamsi brachio seculari tradant reos mortis de crimine convictos. In qua re aliqui distinguendum putant de reis, si sint laici, vel Ecclesiastici. Nam in laicis censent rem esse claram, quia nec Inquisitores proferunt sententiam mortis in ipsos, nec delegant jurisdictionem, sed remittunt causam proprio judici alias habenti jurisdictionem in talem personam; et ideo laicus non tam dicitur tradi ab Inquisitoribus curiæ seculari quam relinqui, ut notavit Glossa, in cap. Ad abolendam, de Hæret., verb. *Laicus*, et indicavit Eymericus, in Directorio, 3 part., in nono modo terminandi processum fidei, n. 198. At vero quando reus est Ecclesiastica persona, tunc nonnulla major est difficultas, quia Ecclesia videtur tunc jurisdictionem dare ad ferendam sententiam in talem personam. Unde licet Ecclesiasticus judex per seipsum non ferat sententiam mortis, tamen, quia jurisdictionem illam committit in particulari, post sententiam latam declaratoriam delicti, et cum aliis circumstantiis, cum quibus mors est moraliter infallibilis, ideo videtur illa quædam moralis cooperatio, et satis proxima ad homicidium. Propter quam causam censent introductam esse a jure in cap. Novimus, de Verb. signific., intercessionem illam, qua Ecclesiasticus judex *efficaciter debet pro reo intercedere, ut circa mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Quæ diligentia necessaria censetur ad vitandam irregularitatem, quando reus est persona Ecclesiastica; in laicis enim nullo jure postulatur; et ideo quamvis ex quadam pia consuetudine servari soleat, non videtur ita necessaria ad irregularitatem vitandam.

11. *Improbatur distinctio positæ sententiæ.* — *Cap. At si clerici, de Judiciis.* — *Cap. Degradatio, de Pœnis, in* 6. — *Cap. Si quis sacerdotum,* 11, *quæst.* 1. — *Concil. Trident., sess.* 13, *cap.* 4 *de Reform.* — Sed in primis non video magnum discrimen inter laicum et clericum, quoad traditionem, quæ fit brachio seculari, nam quando Ecclesia degradat clericum, directe et per se solum privat illum privilegio clericali, et excludit illum a sua jurisdictione, non vero dat judici seculari jurisdictionem in illum; et hoc sensu dicimus non tradere illum per se et directe, sed consecutione quadam, quia ille privatus privilegio statim est materia apta jurisdictionis temporalis, ut supra disputando de degradatione declaravimus, et insinuatur satis clare in dicto cap. Novimus, ibi : *Qui fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio clericali, seculari foro per consequentiam applicetur.* Et ideo fortasse in dict. cap. Ad abolendam, tam de laico quam de clerico hæretico damnabili dicitur : *Secularis relinquatur arbitrio potestatis.* Et Covarr., dicta Relect., part. 2, § 5, num. 7, dicit tutius esse, quod Inquisitores non tradant sic damnatos judici seculari, sed eos condemnent coram judice laico, atque ita damnatos a propria jurisdictione dimittant, ut ipse postea suum munus exequatur. Verumtamen, cum et antiqua jura, et Concilium Tridentinum verbo *tradendi* utantur, non est in illo vis facienda, nec propter illud injiciendus scrupulus; sed consideranda est res, quæ per illud verbum significari intenditur, quæ non est directa traditio, sed indirecta per remotionem prohibentis. Unde, ablato privilegio, non aliter traditur clericus seculari curiæ quam laicus; ablatio autem privilegii per se non spectat ad sententiam sanguinis, et ita sine periculo irregularitatis fieri potest talis privatio seu degradatio per judicis Ecclesiastici sententiam. Et ideo hæc differentia inter clericum et laicum non multum refert ad vitandam hanc irregularitatem, media intercessione aut sine illa; nam, si aliqua hic esse potest occasio irregularitatis, non est traditio jurisdictionis, sed materialis (ut ita dicam) traditio vel derelictio talis personæ in eorum manibus, a quibus statim interficiendus est,

et eo animo (quantum apparet) ut interficiatur, quia Inquisitores tantum agunt de puniendo tali homine.

12. *Intercessio judicis Ecclesiastici pro reo quem brachio seculari tradit, quam sit necessaria. — Lex Hispaniæ.* — Deinde, quamvis in dict. cap. Novimus, ponatur illa cæremonia, non tamen ibi dicitur esse necessaria ad vitandam irregularitatem, neque in eum finem proponi. Imo neque videtur ibi constitui præceptum rigorosum de hac re; nam licet verbum *debet,* quo ibi utitur Pontifex, aliquando indicet præceptum, tamen non semper, nisi vel materia, vel aliæ circumstantiæ litteræ ad hoc cogant, quod in illo textu non habet locum. Maxime cum non dirigantur verba ad personam judicis, sed in genere dicatur : *Debet autem Ecclesia efficaciter intercedere,* etc. Denique si illa intercessio necessaria est ad vitandam irregularitatem (ut fortasse est probabilius), profecto æque necessaria est in personis laicis quam in clericis, quia licet ille textus de clericis loquatur, illud est, quia non agit tantum de crimine hæresis, sed de omnibus delictis, propter quæ clerici degradantur et traduntur curiæ seculari; ratio tamen, ob quam postulari potest illa intercessio, eadem est in laico et in clerico, nimirum, quia occasione Ecclesiastici judicii talis persona in evidenti periculo mortis constituitur. Atque ita sentire videtur Covarr., dict. num. 7, dicens, hoc esse permissum Ecclesiasticis judicibus in favorem fidei, et ne delicta maneant impunita; tamen ad ostendendam Ecclesiasticam mansuetudinem talem modum præscriptum esse, servandumque esse ad vitandam talem irregularitatem; quod est probabile propter jus illud, quod ita videtur consuetudine interpretatum. Unde etiam in legibus Hispaniæ, partita 1, tit. 6, l. 60, his verbis idem consulitur : *Pero su Prelado deve rogar por el, que le aya alguna merced, si quisiere,* quæ verba etiam sufficiunt ad vitandam irregularitatem, ut notavit Penna, in Directorio Inquisit., part. 2, comm. 20. Credit tamen ritum illum esse diversum a ritu cap. Novimus, esse tamen sufficientem ex dispositione illius legis. Quod non placet, quia lex civilis neque immutare, neque introducere poterat circa hoc novum ritum, sed tantum referre juris canonici dispositionem. Et ita intellexit ibi Gregorius Lopez, et Covarr. supra. Refert autem idem Penna ibidem, Pium V, extendisse quamdam concessionem Pauli IV, ad omnes Inquisitores eorumque consultores, ut habeant liberam facultatem dicendi sententiam in hujusmodi causis absque periculo irregularitatis, et tradendi reos brachio seculari. Unde ipse concludit, nunc non esse necessariam dictam intercessionem ad fugiendam irregularitatem, quia prædicti Pontifices hanc necessitatem abstulerunt.

13. *Rofensis sententia. — Rejicitur.* — Aliter vero Rofensis, art. 33 contra Lutherum, prope finem, quando hæreticus est relapsus, negat pro illo esse intercessionem faciendam, nam aut esset ficta, aut si ex animo fieret, esset iniqua, quia esset de re injusta; et ipsimet Inquisitores suspectum haberent judicem secularem, qui hos non damnaret ad mortem; idemque dicendum erit de hæretico pertinaci vel negativo. Unde consequenter addit, cap. Novimus, non de his loqui, sed de illis flagitiosis clericis, qui post degradationem ita sunt digni pœna mortis, ut tamen aliquo justo colore vel titulo possit secularis judex illam pœnam moderari; tunc enim recte potest, ac propterea debet Ecclesiasticus judex efficaciter intercedere, ut ita fiat. Hæc vero expositio nova est, et contra reliquos Doctores, et contra communem usum, et plane aliena a mente Pontificis, in dict. cap. Novimus. Quamvis enim Innocentius ibi non loquatur in particulari de hæreticis relapsis, loquitur tamen in genere de his, qui ab Ecclesiastico judice traduntur seculari, etiamsi inevitabiliter pœna mortis afficiendi sint juxta communes leges; et ideo illa limitatio non habet fundamentum in textu; imo repugnat illis verbis ejus : *Propter hoc vel aliud flagitium grave, non solum damnabile, sed damnosum.* Nec vero intercessio in eo casu ficta est, aut iniqua, quia in primis fit, ut judex Ecclesiasticus non videatur petere supplicium mortis a potestate seculari, nec desiderare illud. Deinde fit, ut Ecclesiasticus judex, quantum est ex se, ostendat animum absolvendi potius quam damnandi, et hoc modo dicitur efficaciter intercedere, non quidem absolute petendo, ut ita fiat, sed quoad juste et licite fieri possit, quod vere et ex animo fieri potest. Igitur, sive hæc interpellatio necessaria sit ad vitandam irregularitatem, sive non, prætermittenda non est, tum quia præ se fert pietatem, tum propter jus commune et consuetudinem, tum propter majorem severitatem; nam sine dubio utilia sunt omnia juris adminicula, ut in eo casu tollatur omnis irregularitatis scru-

pulus. Quamvis in rigore propria ratio, ob quam non incurritur, esse videatur, quia in his casibus judex Ecclesiasticus nec dat jurisdictionem seculari judici, nec dictat sententiam sanguinis, neque ad illam inducit, sed solum declarat delictum, et reum Ecclesiasticis pœnis afficit, permittitque, ut a seculari brachio capiatur et judicetur; in quo non concurrit per se ad mortem, sed valde per accidens.

SECTIO II.

Utrum accusator in causa sanguinis fiat irregularis.

1. *Ratio dubii.* — Sermo est de accusatione justa; nam si accusatio sit injusta, manifesta est irregularitas, non ex defectu lenitatis, sed ex delicto. Et hinc nascitur ratio dubitandi; nam accusator, quamvis sit justus, est causa homicidii, per quod inducitur irregularitas saltem ex defectu lenitatis; ergo hanc participabit accusator. Nam in hac materia, generalis regula est omnes voluntarie cooperantes ad homicidium, participare irregularitatem, quam tale homicidium inducit. In contrarium vero est, quia si non esset fidelibus liberum, jus suum per accusationem postulare in similibus causis, magna licentia nocendi daretur iniquis hominibus, ex quo magna incommoda provenirent, et toti Christianæ reipublicæ, et singulis ejus personis.

2. *Cap. 2 de Homicid., in 6, exponitur. — Duæ conditiones, ut accusatio hæc irregularitatem non inducat.*— Circa hoc exponendum a nobis est cap. 2 de Homicid., in 6, et illius occasione dicemus omnia, quæ in hoc puncto necessaria sunt. Declarat ergo ibi Pontifex non fieri irregularem clericum per talem accusationem, etiam secuta morte vel mutilatione accusati, dummodo in tali accusatione duo serventur. Primum est, ut accusator *petat emendam sibi fieri, et provideri, ne contra eum talia de cætero præsumantur.* Aliud est, ut expresse protestetur *quod ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendat.* Si ergo hæc serventur, vitatur irregularitas, quia expresse ita disponitur. Ratio autem, quæ movit Pontificem, est supra insinuata, ne detur pravis hominibus materia et licentia inferendi innocentibus injurias. Unde quando illa concurrunt, talis accusatio non censetur cooperatio, neque excitatio ad homicidium, sed reputatur quædam justa defensio, et excitatio tantum ad actionem vel satisfactionem justam; alius autem effectus est per accidens et præter intentionem sequutus. Neque est dubium, quin necessaria sit externa protestatio, quia jus illud expresse eam requirit ad vitandam irregularitatem. Quia enim actio illa exterioris accusationis speciem quamdam habet inductionis vel occasionis homicidii, voluit jus, ut etiam exterius occasio illa vel indecentia, quoad fieri posset, tolleretur. Estque optimum consilium, ut statim cum ipsa accusatione fiat; si tamen tunc omittatur, non erit substantialis defectus, dummodo ante latam sententiam fiat, ut significavit Covarr., dict. §, num. 2, quia tunc potest habere effectum intentum, et in dict. cap. aliud non præscribitur.

3. *An protestatio debeat procedere ex interiori affectu.* — Dubitari autem potest primo, an oporteat hanc protestationem ex animo fieri, vel sufficiat exterior, etiamsi accusator interius desideret, ut sententia sanguinis contra accusatum proferatur. Multi censent, licet in exteriori foro excusetur ab irregularitate, tamen in conscientia non excusari, nisi etiam interiori animo et desiderio fiat. Sylvester, verb. *Homicidium,* 2, quæst. 8, et Navarr., cap. 27, num. 226, qui referunt Hostiensem, Joan. And., Dominicum. Ratio eorum est, quia protestatio a jure requisita, est vera, et non ficta aut mendax. Contrariam tamen sententiam existimo veriorem, quam tenet Covarr., dict. § 5, num. 3, cum Felino, in cap. Postulasti, de Homicid., ubi cum Joanne Andrea declarat illam intentionem esse de consilio, non de necessitate. Covarruvias utitur ea ratione, quia lex humana non fertur in actus internos, nec propter illos irregularitas contrahitur. Sed hæc ratio, nisi aliquid amplius addatur, non convincit, ut Navarr. notavit, quia, licet lex humana non puniat, vel præcipiat interiorem actum per se sumptum, punit tamen, vel præcipit actum externum, ut manantem a tali interiori, et interiorem, ut conjunctum exteriori; et ita in præsenti potuit irregularitatem imponere propter accusationem factam ex tali animo vel cum tali protestatione ficta.

4. De potestate igitur mihi non est dubium, sed factum nego, quia in illo textu nulla fit mentio interioris intentionis, sed tantum exterioris protestationis expressæ; ergo dummodo hæc fiat, sufficienter servatur illa lex, qualiscumque sit interior voluntas. Quandocumque enim lex præcipit actum exteriorem, solum præcipit illum interiorem, qui necessa-

rius est ad substantiam talis actus, et non prohibet alias intentiones accidentales, et internas, dantes extrinsecas malitias, nisi hoc expresse declaret, ut quando prohibet hoc fieri ex odio, vel aliquid simile; in præsenti autem textu nihil tale exprimitur. Falsum ergo est protestationem illam in eo casu non esse talem, qualem jus requirit ad excusandam irregularitatem; nam est protestatio expressa, ut supponimus, et jus nihil aliud requirit. Cum autem objicitur, quia jus non requirit fraudulentam protestationem, respondemus primo, non requirere illam neque approbare; neque vero illam excludere, sed admittere ut sufficientem ad irregularitatem vitandam; sicut Ecclesia non præcipit communionem sacrilegam, admittit tamen ut sufficientem ad vitandam aliquam censuram. Deinde, quamvis protestatio illa respectu pravæ voluntatis seu desiderii fraudulenta videatur, tamen respectu intentionis legis non est fraudulenta, neque in rigore continet mendacium, quia per eam non profitetur accusator se non habere internum odium vel desiderium, sed quod per eam accusationem non intendit vindictam sanguinis, quod potest simul stare cum illo odio vel desiderio; potest enim quis velle alteri mortem, et nolle ut ex actione sua causetur.

An decisio dicti cap. 2 etiam in laicis locum habeat.

5. *Protestatio in laico sufficit ad vitandam irregularitatem. — An sit in laico necessaria. — Ratio dubitandi.* — Secundo dubitari potest, an decisio illius textus in clericis tantum locum habeat, vel extendi debeat ad laicos, etiamsi textus ille de solis clericis loquatur. Respondeo duo haberi ex illo jure. Unum est, facta illa protestatione non incurri irregularitatem in eo casu; aliud est, necessariam esse protestationem ad vitandam irregularitatem. Quoad primum, non est dubium, quin illa concessio ad laicos extendatur, propter rationem supra factam, quod actio, quæ in clerico non censetur cooperatio ad homicidium secundum jura, neque in laico censeri potest. Item quia clericus magis debet esse separatus ab omni specie et umbra homicidii, quam laicus. Item, quia lex quoad hoc est favorabilis, et ideo amplianda, ubi eadem vel major ratio militat. De altera vero parte potest esse dubitandi ratio, quia protestatio illa sub ea necessitate imposita, onus grave est; ergo non est extendendum ultra eas personas, quibus in jure expresse ponitur. Et confirmatur; nam secluso illo jure posset laicus sine irregularitate jus suum petere coram judice seculari, nulla facta protestatione; ergo per illud novum decretum non est limitata hæc facultas in laico, cum de illo non loquatur. Antecedens patet, quia in actuali congressu seu illatione injuriæ laicus potest defendere se, et bona sua absque irregularitate, ut dictum est; ergo quamvis illatam injuriam non possit vindicare, nec bona sua propria auctoritate recuperare, potest per judicem se indemnem tueri absque irregularitate, quidquid inde sequatur.

6. *Etiam in laico protestatio requiritur ad irregularitatem vitandam.* — Nihilominus communiter Doctores intelligunt protestationem hanc etiam laicis esse necessariam, Navarr., cap. 27, num. 213 et 214, et 226; Covarruvias, dict. § 5; Soto, 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9, circa finem; Ledesma, 2 part. 4, quæst. 26, art. 2, et communiter Summistæ, et juris interpretes in dicto cap. 2 de Homicid., in 6, et in cap. Olim, 1, de Restit. spoliatorum, et in cap. Gravis, eodem titulo, ubi præcipue Panormitanus et Imola. Ratio autem est, quia in illo capite non ponitur hoc tanquam novum gravamen, sed potius tanquam remedium a jure inventum ad vitandam irregularitatem; nam hæc incurrenda fuisset ex vi talis accusationis, quæ ex se moralis occasio est mortis subsequutæ; quia tamen illud erat valde onerosum fidelibus, ideo a jure inventus est modus ille, ut per eum impediatur, quoad fieri potest, moralis concursus ad homicidium, quatenus per eam protestationem declaratur, accusationem, et voluntatem, a qua procedit, non tendere ad mortem accusati. Juxta quam sententiam dicendum est, etiam ante illud decretum libri 6, accusatorem laicum fuisse incursurum irregularitatem in eo casu, quia accusatio absolute non est defensio; et ideo ratio supra facta non procedit, alioqui idem de clericis probaret, quia in ipsa actuali injuria etiam illi possunt se defendere. Constat autem, ante illud novum jus clericos accusantes sine protestatione in simili casu futuros fuisse irregulares, quia in illo cap. 2 non est eis imposita protestatio tanquam novum gravamen; ergo si nunc fit irregularis accusans sine tali protestatione, multo magis antea. Imo quod antea, etiam cum protestatione, fieret irregularis, multi Canonistæ sentiunt in dict. cap.

Olim, et dict. cap. Gravis, et videri potest Villadiego, de Irregul., cap. 6, num. 51; quod si verum est, idem erat de laico, quia nullum extabat jus, quod laicos in hoc exciperet, vel majus gravamen clericis imponeret. Imo in cap. Seditionarios, 46 dist., absolute dicitur, injuriarum suarum ultores non esse clericos ordinandos, quod necessario intelligendum est de his, qui ulciscuntur, usque ad deformationem; et ibi non distinguitur, quod per se vel per judicem faciant. Igitur jus illud commune est clericis et laicis, quoad hoc.

An præter prædictas duas conditiones, alia requiratur ad irregularitatem vitandam.

7. *Prima conditio.* — Tertio dubitari potest, an semper hoc liceat, vel cum quibus circumstantiis. Quidam existimant non semper licere, sed quando non subest aliud remedium ad recuperandum damnum illatum. Ita refert, et sequitur Sylvester, verb. *Homicidium,* 2, quæst. 8, et ibidem Angelus, et Tabiena, verbo *Irregularitas*, 3, § 8, et nonnihil favent Felinus et Panormitanus, in cap. Postulasti, de Homicidio, et Navarrus, consil. 9 de Homicid. Nihilominus non censeo hanc limitationem esse necessariam, quia textus absolute loquitur, et concedit illam facultatem, et quia non solum eam concedit propter damni satisfactionem, sed etiam propter providentiam in futurum, *ne contra accusatoris personam talia de cætero præsumantur,* quæ providentia moraliter adhiberi non potest, nisi per superiorem, si debito modo adhiberi debeat. Et ita alii auctores sine tali limitatione loquuntur.

8. *Secunda conditio.* — *Improbatur.* — Secundo alii adhibent limitationem, dummodo pœna sanguinis non sit infallibilis et certa, juxta c. Postulasti, de Homicid., et c. Tua nos, § ult., eod. titul. Dico tamen limitationem non esse veram, neque ex dictis juribus colligi. Ita Felinus et Joannes Andr., dict. cap. Postulasti : *Etiamsi* (inquiunt) *accusator certissime sciat reum moriturum.* Probatur primo ex verbis illis dict. cap. 2 : *Quamvis alias in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari;* ergo quamvis talis pœna sit certa de jure, et quamvis constet moraliter factum esse sufficienter probandum, ac denique licet pro certo credatur judicem mortem illaturum, justitia exigente, non incurritur irregularitas, nam hæc omnia in illo textu claro proponuntur. Solum est expendendum verbum illud, *justitia exigente;* quod eodem modo exponendum est, quo aliud simile explicuimus præcedente sect., circa cap. ult., Ne clerici vel monachi, in 6. Oportet ergo, ut accusator justitiam postulet, et nullo modo judicem inducat ad injustam sententiam ferendam; alioqui, quantumvis protestetur, non vitabit irregularitatem. Imo existimo, ut non solum petat rem justam, sed etiam per justas et legitimas probationes. Itaque si quis verum delictum in accusatione proponeret, quia tamen illud erat occultum et probari non poterat, induceret falsos testes et per eos convinceret reum, vel si precibus aut muneribus induceret judicem, ut contra ordinem juris sine sufficienti probatione, saltem semiplena, interrogaret et torqueret reum, donec ab eo confessionem extorqueat, existimo tunc, sequuto effectu mortis vel mutilationis, non vitari irregularitatem. Quia tunc non fit justitia exigente, sed contra justitiam; nam licet in re ipsa videatur postulari æquitas quantum ad compensationem damni illati, tamen modus est iniquus, et (ut ego existimo) etiam contra justitiam commutativam, quia in re nihil aliud est, quam propria auctoritate, et per quamdam vim moralem vel fraudem inferre mortem proximo ad recuperandas res alias. Hanc autem justitiam noluit lex canonica fovere, et ideo sine dubio in eo casu non vitatur irregularitas, sed solum quando juste proceditur ex parte accusatoris. Tunc autem, licet fortasse judex excedat vel injuste agat, dummodo accusator non sit causa talis injustitiæ, etiamsi fortasse illam prævideat futuram ex malitia judicis, non incurret irregularitatem, nam ipse solum petit, quod justitia exigente fieri potest et debet.

9. *C. Postulasti, de Homicidio, exponitur.* — Neque obstat dict. cap. Postulasti, quia ibi agebatur proprie de restitutione decimarum Ecclesiæ debitarum, quam potuissent debitores facere sine periculo sanguinis; tamen, quia ex vi sua malitia restituturi erant, inde oriebatur periculum; quæ ratio sufficiens erat in eo casu ad excusationem irregularitatis, et ideo Pontifex illam reddidit, non excludens rationes alias, nec de aliis casibus loquens. Secundo dicitur, probabile esse secundum antiqua jura hoc non licuisse sine periculo irregularitatis, nisi in eis casibus, in quibus secundum jura non erat imposita pœna mortis vel mutilationis, ut significavit Glossa, verb. *Irrogari,* in dict. cap. 2, ita exponens dict. cap. Postulasti. Atque eodem

modo posset responderi ad aliud §, cap. Tua nos; quamvis ibi non excusetur irregularitas propter ignorantiam vel incertitudinem eventus, nulla enim de hoc fit mentio; sed solum excusari videtur, propter honestatem actionis de se valde remotæ ad homicidium, neque est ibi sermo de accusatore, sed potius de teste, de quo infra dicemus.

10. *Tertia circumstantia.* — *Expenditur.* — Tertia limitatio et maxime apparens est, ut accusatio sit in causa civili, non autem pure criminali; civilem voco, non quia non agatur de delicto, hoc enim et est contra textum et involvit repugnantiam in casu, sed quia tantum agendum est de recuperatione damni illati per tale delictum, non autem de vindicta delicti; quæ dici solet late causa civilis, vel criminalis civiliter tractata. Unde, si reus paratus sit ad restituendum, vel satisfaciendum integre sponte sua sine coactione judicis, vel si injuria talis fuit, ut nullam aliam admittat satisfactionem præter vindictam, tunc non potest accusatio fieri etiam cum protestatione absque irregularitatis periculo, quia tunc solum criminaliter agitur, et nullo modo civiliter; criminalis autem actio per se tendit ad punitionem; ergo, si punitio in tali casu per legem est definita ad pœnam sanguinis, actio illa directe tendit ad talem pœnam. Hanc limitationem ponit Felinus in dicto cap. Postulasti; requirit enim, ut accusator prætendat interesse, alias protestatio, ait, esset inanis. Idem significant Panormitanus et alii. Sed videtur intelligendum de interesse, quod est in reparatione damni recepti, vel in custodia, aut præventione, ne similes violentiæ fiant. Itaque solum hoc sensu vera est limitatio, quod accusatio non debet directe ad vindictam et pœnam fieri; tunc enim procedit optime ratio, quod talis protestatio vana esset et repugnans accusationi, per quam directe induceretur judex ad sanguinis effusionem; seclusa autem hac directa accusatione, si observentur cætera, quæ in illo cap. 2 definita sunt, non erit necessaria alia limitatio. Nam in illo capite datur licentia accusandi, non solum ad emendam, id est, recompensationem damni, sed etiam ad implorandam judicis providentiam, *ne contra eos talia de cætero præsumantur;* quæ quidem providentia, licet ex parte judicis non fiat sine punitione, ex parte postulantis illam potest dici actio civilis potius quam criminalis. Nam si est actio civilis, qua petitur reparatio damni illati, cur non erit etiam civilis illa, qua petitur præservatio a damno inferendo? Hac ergo ratione semper licet pro injuria illata officium judicis per accusationem implorare, et si debito modo fiat, ob eam rem non incurretur irregularitas, ut in dicto textu significatur, et in citato etiam cap. Postulasti; tunc ergo adjuncta protestatione nihil est periculi.

11. *Quarta circumstantia.* — *Prima.* — Quarta limitatio est, ut accusator in propria causa postulet, non in aliena. Quæ videtur habere fundamentum in dicto cap. 2, ibi : *De laicis suis malefactoribus;* non ergo de alienis; et infra : *Petunt emendam sibi fieri et provideri ne contra eos,* etc. Ubi semper refertur accusatio et intentio ac effectus ejus ad commodum ipsius accusatoris. Ratio autem reddi potest, quia jus proprium, vel ad propriam defensionem vel conservationem, est maxime naturale, et ideo in favorem ejus illa specialis concessio facta est, quæ non potest a nobis ultra verba legis extendi. Ita tenet Felinus, in c. Postulasti, de Homicidio, et dicit esse communem sententiam, quam Navarrus, cap. 27, num. 213, Covarruvias, dict. § 5, num. 5, et alii statim citandi sequuntur; limitant tamen illam ex Cajetano, 2. 2, q. 33, art. 7, distinctionem facientes inter accusationem et denunciationem. Unde licet dicant accusationem in causa aliena fieri non posse sine periculo irregularitatis, denunciationem tamen ex charitate admittunt fieri posse. Fundari autem debent non in dict. cap. 2, cum dicant illud loqui tantum in causa propria, sed in hoc, quod nullibi talis denunciatio est prohibita, ut statim patebit; addunt vero servandas esse quasdam conditiones. Prima est, si denunciatio sit de malo, quod in futurum imminet; nam totam rationem hujus rei ponunt in lege charitatis de subveniendo proximo, et liberando illum a gravi periculo, quod respicit futurum nocumentum. Nam si damnum sit jam illatum, cessat occasio defensionis. Ad vindictam autem vel restitutionem procurandam non obligat, nisi fortasse in eo casu, in quo post unum damnum illatum timeretur aliud, vel nisi damnum illud semper pendeat in futurum, quia, videlicet, recuperari non potest res ablata, cujus perpetua amissio esset grave nocumentum proximo. Semper tamen hæc denunciatio respicit nocumentum, quod impediri vel recuperari potest.

12. *Secunda circumstantia.* — Secundo postulare videtur Cajetanus, ut non solum liceat, sed etiam necessarium sit ex lege

charitatis talem denunciationem facere; nam in hoc præcipue fundatur, quod lex Ecclesiæ non prohibet illa, quæ sunt de lege naturali, nec est verisimile, quod clericus fiat inhabilis ad sacrum ministerium, propterea quod impleat legem charitatis. Et quidem in casu obligationis præcepti mihi videtur res indubitata, propter rationem factam. Neque est simile, si quis objiciat, judicem fieri irregularem dando sententiam, etiamsi præcepto ad hoc teneatur; nam hæc est obligatio subsequens (ut sic dicam) voluntatem habendi et exercendi tale munus; alia vero est obligatio præveniens voluntatem, orta ex ipsa rei natura seu lege charitatis. Majus mihi dubium est, an sit necessaria præcisa obligatio, quia etiam non videtur esse intentum Ecclesiæ, impedire licitum usum charitatis in defensionem innocentium, ut in superiori sectione in simili puncto dictum est; et ideo quando periculum actu et in particulari imminet, probabile censeo satis esse, quod talis denunciatio sit actus misericordiæ. Imo hoc etiam indicant dicti auctores, dum aiunt, hoc non solum habere locum in defensione boni communis seu reipublicæ, sed etiam in defensione privatæ personæ innocentis, nec solum in casu homicidii, sed etiam in casu rapinæ et hujusmodi, cum tamen respectu privatæ personæ sæpe possit hoc esse licitum et non obligatorium, quia non semper tenemur uni proximo subvenire cum tanto dispendio alterius.

13. *Tertia circumstantia.* — Tertia conditio a Cajetano posita est, ut denunciatio fiat cum expressa protestatione, quod solum fit ad cautelam et defensionem proximi, non ad vindictam sanguinis, et consequenter, ut denunciatio non fiat per verba, quæ inducant ad capiendum vel puniendum malefactorem; idem Covarruvias et Navarrus, supra, et in cap. Inter verba, corollar. 58, num. 222, et in Summ., cap. 18, n. 54, et cap. 24, n. 11. Hæc conditio videtur probari a Cajetan., ex dicto cap. 2, dum ait, esse protestationem adhibendam, *ut denunciator conformet se canoni*. Sed consequenter loquendo, non videtur posse colligi ex illo capite, quia illud agit de accusatione, hic autem loquimur de denunciatione, quæ juxta prædictos auctores facilius conceditur, et ideo extenditur ad causas alienas; ergo licet ex vi illius juris protestatio requiratur ad accusationem, non est extendenda ad denunciationem, quia esset augere rigorem. Unde Navarr., dict. cap. 18, n. 54, dicit solum esse necessariam protestationem in eo casu quoad forum exterius. Sed eadem difficultas procedit de exteriori foro. Unde non video quo fundamento inter utrumque forum hic distinguat. Igitur consequenter loquendo in hac sententia dicendum est, protestationem illam, quæ ex natura rei necessaria visa fuerit, postulandam esse, et non aliam; videtur autem ex natura rei necessaria illa, quæ sufficiat, ut mens denunciantis satis exprimatur, nimirum non intendere nec postulare punitionem, sed solum ut damnum proximi impediatur; quod ex natura rei est necessarium ad vitandam cooperationem vel inductionem ad homicidium, etiam justam, et consequenter ad vitandam irregularitatem, supposita generali lege Ecclesiastica.

14. *Quarta circumstantia.* — Quarta conditio est, ut denunciatio talis personæ sit medium moraliter necessarium ad impediendum illud malum, nam si alia via impediri potest, vel si sufficit denunciare in communi periculum nocumenti, non nominando in particulari personam malefactoris, lex charitatis non obligat, neque permittit uti tali medio; nam eadem charitas, quæ inclinat ad vitandum malum unius proximi, inclinat etiam ad vitandam infamiam et detrimentum corporalem alterius, et ideo ita eligit prodesse uni, ut non obsit alteri, si potest. Unde hæc conditio virtute continetur in secunda; nam hæc facultas oritur ex lege charitatis, et ideo tunc conceditur, quando servatur ordo charitatis.

15. *Quando absque irregularitate liceat accusatio in causa aliena.* — Hæc sententia quantum ad hoc posterius de usu denunciationis, quando necessarius est ad præveniendum vel vitandum grave malum proximi, mihi maxime probatur. Et fortasse Felinus et alii Canonistæ, licet indistincte loquantur, non intendunt hanc partem de necessaria denunciatione negare; quæ maxime indubitata est, quando talis denunciatio cadit sub præcepto charitatis. Hinc vero ulterius addo, consequenter idem dicendum esse de accusatione in aliquo casu; suppono enim ex D. Thom., Cajetano, et omnibus, in 2. 2, q. 68, art. 1, accusationem aliquando esse in præcepto propter commune bonum, quando alia via damnum multitudinis impediri non potest, et per accusationem potest, quia potest probari delictum, et judex fungi officio suo. In eo ergo casu, quo aliquis accusat ex præcepto, non incurrit irregularitatem. Et ita Cajetan., licet non meminerit accusationis, illam non exclu-

dit, sed utitur verbis communibus, scilicet, licere coram judice proponere, aut judici revelare, etc. Et eodem modo loquitur Soto, Relect. de Tegen. secret., membr. 2, q. 4, cap. 2, in fine; tamen, quæst. 5, cap. 3, circa fin., utitur verbo denunciandi; lib. autem 5 de Justit., quæst. 5, art. 1, ad 4, utroque modo loquitur, unde non videtur aliam differentiam agnoscere inter denunciationem et accusationem, præter infra assignandam. Atque in eumdem censum trahendi videntur Covarruv. et Navarr., qui Cajetanum sequuti sunt. Tunc autem maxime sunt servandæ aliæ conditiones, præsertim protestatio sufficiens, et quod non sit alia via lenior et suavior, qua possit communi bono satis provideri. Unde, licet contingere possit, ut non obstante sufficientia alterius medii, adhuc sit licita accusatio ex zelo justitiæ, pensatis conditionibus personæ puniendæ in exemplum aliorum, ut notavit Cajet., dicto art. 1, quæst. 68, nihilominus non vitabit quis irregularitatem, si ex tali accusatione sententia sanguinis ejusque executio sequatur, quia ad vitandam hanc irregularitatem non satis est accusationem esse licitam, sed oportet, ut sit etiam necessaria ad proximorum defensionem, quia alias jam illa cooperatio ad homicidium voluntaria est, cum nec ex natura rei, nec ex præcepto sit necessaria. Quoad hoc vero eadem ratio est in denunciatione; nam quarta conditio supra posita etiam in denunciatione alias licita locum habet. Unde quod supra dicebamus, probabile esse, sufficere denunciationem esse licitam, quamvis non sit in præcepto, intelligendum est, quando alioqui est necessaria ad proximi defensionem; potest enim esse necessaria, et nihilominus non esse in præcepto, propter extrinsecas rationes excusantes; nam timor damni inferendi uni proximo excusat obligationem liberandi alterum a periculo, et tunc procedit superior doctrina. Illa vero cum eadem proportione et probabilitate locum habet etiam in accusatione licita et non præcepta. Nam juxta doctrinam D. Thom. et communem, propter periculum privatæ personæ nemo tenetur accusare alium, quantumvis accusatio videatur necessaria, ac subinde licita sit; tunc ergo videtur talis accusatio sufficiens etiam ad vitandam irregularitatem, propter rationes supra tactas de proximi defensione. Atque ita inter accusationem et denunciationem nulla relinquitur differentia, nisi quod ubi denunciatio sufficit, et ex illa minus periculi imminet, quod perveniatur ad sententiam sanguinis, illa sola utendum est, et non ad accusationem procedendum, ne quis obligetur ad producendos testes et convincendum reum, atque ita efficaciter promovendam causam sanguinis, quod vitandum est quoad fieri possit, ad vitandam irregularitatem.

16. *Discrimen inter accusationem in causa propria et aliena ad vitandam irregularitatem.* — Sed dicet tandem aliquis : quid ergo discriminis est inter accusationem in causa propria vel aliena? Respondeo, primum et maximum esse, quod in causa propria potest quis libere accusare facta protestatione, sive alia via possit res suas recuperare vel damnum impedire, sive non possit, quia in tali causa hoc non solum licet naturali jure defensionis, sed speciali jure positivo, ut supra circa primam limitationem declaratum est. At vero in causa aliena hoc solum licet, in ordine ad irregularitatem vitandam, quando non suppetit alia via præveniendi damnum vel periculum, quia hoc solum conceditur ex naturali jure defensionis innocentis. Secundo hinc fit, ut in causa propria certa sit excusatio irregularitatis, etiamsi homo non teneatur accusare, sed solum licite possit; in causa vero aliena juxta sententiam magis receptam necessaria sit obligatio accusandi; nam licet dixerimus, probabile esse sufficere justam defensionem proximi per accusationem, quamvis non sit ex obligatione, tamen in praxi aliud videtur securius propter communem sententiam. Tertio, in causa propria non oportet, ut periculum certi nocumenti in particulari immineat, sed sufficit injuria illata, cum illa communi ratione, ut in futurum non præsumantur similes injuriæ vel ab eadem persona vel ab aliis. At vero in causa aliena necessarium est, ut nocumentum in futurum immineat in particulari ex determinato delicto, quod sit quas in fieri, ut sic dicam, seu in actuali aggressione, a quo proximus defendendus sit per manum judicis, ut satis explicatum est.

17. *Quid per causam propriam in data doctrina intelligendum.* — Ultimo quæret aliquis, quid per causam propriam intelligendum sit, an sola injuria personalis, vel aliquid amplius, quia coarctatio ad propriam personam videtur nimia; si autem admittatur aliqua extensio, vix apparet quibus terminis limitanda sit. Multi Doctores sub causa propria comprehendi censent non solum injuriam propriæ personæ, sed etiam propinquorum,

ut sunt cognati aut propinqui, fratres, parentes, etc. Quod est probabile. Tamen, ut possimus aliquam certam regulam assignare, et ut teneamus proprietatem verborum textus, necessarium est dicere, tantam esse debere conjunctionem, ut alterius injuria in propriam personam censeatur redundare, qualis censetur regulariter esse inter parentes et filios, et fratres inter se, non vero in aliis gradibus, nisi specialis aliqua ratio intercedat, ut si injuria fiat in mea domo, vel personæ, quæ existit sub cura et protectione mea, vel cum alia simili circumstantia, quæ interdum non solum inter amicos, imo aliquando etiam inter extraneos facit ut injuria alterius tanquam propria reputetur. Atque ob similem causam potest dominus accusare propter injuriam factam famulo, vel mancipio, non solum propter nocumentum, quia læditur in re sua, sed etiam propter injuriam propulsandam et similem præcavendam. Atque majori ratione potest Prælatus Ecclesiæ conqueri de injuriis suorum clericorum, vel implorare auxilium magistratus secularis ad propulsandam injuriam, vel nocumentum illatum suæ Ecclesiæ, juxta dict. c. Pervenit, nam licet ipse magistratus ex officio teneatur has injurias vindicare, non expectata Episcopi acusatione, juxta l. Si quis hoc genus, C. de Episc. et cler., nihilominus ipse Episcopus habet facultatem petendi judicis officium et providentiam contra talem reum; neque est, quod timeat irregularitatem, facta protestatione in causa sanguinis, quia injuriam illam merito potest reputare tanquam suam. Et simile est de quolibet alio, ad quem ex peculiari officio aut jure spectet cura alterius personæ, cui injuria facta est.

18. *Conclusio ex dictis. — Expenditur dict. cap. 2 de Homicidio, in 6. — Accusans reum coram judice Ecclesiastico non indiget protestatione. — Neque coram seculari, si crimen non est dignum pœna deformationis.* — Ex his igitur concludo, ut accusatio liceat in causa sanguinis ad accusatorem pertinente, facta protestatione, absque periculo irregularitatis, non esse necessariam aliquam limitationem, præter hanc, quod serventur conditiones vel circumstantiæ in dict. cap. 2 insinuatæ, cujus nonnulla verba notanda sunt. Primum est illud : *Qui de laicis suis malefactoribus;* nam de clerico malefactore accusatio facienda est coram judice Ecclesiastico; et ita non habet locum hæc constitutio, ut statim dicetur; si autem fiat coram judice laico est injusta et iniqua; et similis erit sanguinis sententia, si inde sequatur, et ita non poterit excusari irregularitas, quæ tunc non erit tantum ex defectu lenitatis, sed homicidii voluntarii. Aliud verbum est : *Penes secularem judicem;* nam penes Ecclesiasticum semper hoc licuit, nec est necessaria protestatio, quia Ecclesiasticus judex non potest procedere ad sententiam sanguinis. Quod si fortasse procedat usque ad declarationem criminis digni tali pœna, relinquendo personam rei in potestate brachii secularis, adhuc accusator non fiet irregularis, quamvis protestationem non præmittat, quia ejus actio in Ecclesiastica sententia terminatur, nec magis potest irregularitatem inducere, quam ipsamet sententia. Quod si fortasse Ecclesiasticus judex temere procedat usque ad sanguinis sententiam, ita ut irregularis ipse fiat, non propterea accusatori ad irregularitatem imputabitur, per se loquendo, quia ejus accusatio ad hoc non tendebat, neque ipse censeri potest causa illius damni; secus vero esset, si ex malitia talem sententiam procurasset vel ad illam concurrisset. Atque idem dicendum est, quoties accusator coram judice etiam seculari agit causam, quæ ex se non meretur deformationis pœnam, ut notarunt Navarr., Covarr., et alii citatis locis; nam, licet contingat imponi talem pœnam, vel ex malitia judicis, vel ex supervenientibus occasionibus, non imputabitur accusatori, nisi forte potuerit et debuerit prævidere periculum, atque illud cavere.

19. Tertium verbum est : *Petunt emendam,* etc. Non enim excludit omnem aliam actionem præter accusationem, sed potius hanc concedendo, concedit alias per se cum illa conjunctas, ut sunt querelam prosequi, præsentando testes, et alia efficiendo, quæ ad vincendam causam necessaria sunt, ut ex communi sententia notavit Navarr., consil. 9, de Homicid. Qui addit ex Ancharrano et Franco, etiam post latam sententiam posse petere executionem ejus, et ut malefactores capiantur. Dubitat vero, an ante latam sententiam possit accusator petere, ut malefactor capiatur, magisque dubitat, an possit indicare locum, ubi comprehendi possit fur, vel an possit eum detinere donec capiatur, quia hæ actiones non videntur necessariæ ad recompensationem damni illati, et magis pertinent ad criminalem executionem sententiæ, cui cooperari non licet sine discrimine irregularitatis, quam ad petitionem juris sui, quæ

sola conceditur. Et confirmari hoc potest; nam si quis clamet, ut fur comprehendatur, et inde sequatur ejus mors, non excusatur ab irregularitate, ut videtur esse communis sententia, quam refert Covarr., dict. § 5, num. 3, et Maiol., lib. 5, cap. 48, § 4, n. 7; ergo minus licet illum capere et judici ad mortem tradere.

20. Circa hoc Navarr., dicto consil., distinctione utitur; nam si fur sit fugitivus, licitum erit detinere, vel indicare locum ut capiatur, quia tunc est medium necessarium ad effectum sententiæ et satisfactionem accusatoris; secus vero est, quando malefactor non est fugitivus, sed capi poterit a judice, quia tunc non est medium necessarium. Quod confirmat ex simili distinctione juris civilis, quod debitor fugitivus capi potest auctoritate privata, non vero qui non est fugitivus, l. *Ait prætor,* § Si debitorem, ff. Si in fraudem creditorum. Mihi vero distinctio non videtur necessaria, tum quia juxta subjectam materiam vix potest esse reus, qui non sit persona fugitiva in ordine ad judicis comprehensionem, et semper est periculum, quod capi non possit, quamvis contingat in uno esse plus quam in alio; tum etiam quia supponimus actionem accusatoris alioqui esse licitam, sive per detentionem fugientis latronis, sive per indicia data judici ad ejus comprehensionem; tum denique quia supposito jure dicti cap. 2, non est necesse medium esse necessarium simpliciter, sed satis est esse utile. Dico igitur, illud totum posse fieri sine irregularitate. Quod tenet expresse Covarr., citans plures, dict. § 5, n. 4, in fin., et Tabiena, *Irregularitas,* 3, num. 8, argumento c. Tua nos, § ult., de Homicid. Idem tenet Maiolus, lib. 2, cap. 7, num. 1, citans Speculatorem. Idemque colligitur ex Ancharrano et Franco, quos citat Navarrus. Parum enim referre videtur, quod captura fiat ante vel post latam sententiam; semper enim ad eumdem finem ordinatur. Non ordinatur autem ad criminalem executionem tantum (tunc enim fieri non posset sine discrimine irregularitatis), sed ordinatur ad civilem executionem, id est, ad restitutionem damni illati.

21. *Vociferans adversus latronem, qui in ipsa fuga occiditur, non fit irregularis.* — Ad confirmationem de vociferante adversus latronem, qui ea occasione occiditur, distinguendum est; aut enim occisio fit postea a judice, vel fit statim in ipsa fuga vel captura a privatis hominibus. In priori casu nego vociferantem manere irregularem; nam si licet capere et detinere sine irregularitate, a fortiori licebit clamare, ut ab aliis detineatur. Nego etiam, communem opinionem esse in contrarium, nam auctores, qui citantur, vel pauci sunt, vel non loquuntur in hoc sensu, sed in posteriori. Supponimus autem illum, qui sic clamat, esse ipsummet, qui patitur furtum, seu qui habet jus accusandi furem; oportet autem, ut protestationem postea faciat, ut evitet irregularitatis periculum; si autem quis clamet in furto alieno, ita de illo judicandum est, sicut de accusante in causa aliena. In posteriori autem casu incurritur irregularitas, et in eo expresse loquuntur Innocent., Hostiens. et Abb., in cap. Significasti, de Homicid., et de illo intelligendi sunt Summistæ, Angel., *Homicidium,* 2, num. 4; Sylvester, quæst. 17; Tabiena, *Irregularitas,* 2, num. 19; Armill., num. 33; nam licet absolute loquantur, *quando latro occiditur,* citant tamen prædictos juristas, et ideo juxta illos exponendi sunt; in eo autem casu si homicidium sit intentum, irregularitas erit homicidii voluntarii; alioqui erit casualis, et oportebit periculum esse prævisum, aut incaute ignoratum, quia sic vociferans operam dat rei licitæ, scilicet, defensioni bonorum; non enim debet clamare ut occidatur, quod per se notum est, sed ut impediatur, vel fugetur, vel quid simile. Ita fere Sylvest., supra, et quæst. 16, et Covarruv., supra, et sumitur ex dict. cap. Significasti, et intelligendum est juxta supra dicta de bonorum defensione.

SECTIO III.

Utrum ferens testimonium in causa sanguinis justa, sequuto effectu, fiat irregularis.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi sumi potest ex cap. Tua nos, § ult., de Homicid. Ubi præbens judici signa comprobantia delictum latronis postea occisi non censetur irregularis; illa autem actio æquivalet testimonio, vel certe majus est illo, quia non solum certius, sed etiam evidentius ostendit delictum. In contrarium vero est, quia testis suo dicto et actione est causa homicidii subsequuti; ergo cooperatur judici, et sic participat eamdem irregularitatem cum illo.

2. *Communis sententia.* — Communis sententia est, eum, qui testimonium dicit in causa criminali, sequuto effectu, fieri irregularem. Quam tenet Glossa, Abbas, Felinus, et alii

quos refert et sequitur Covarr., dict. § 5, num. 6, in fin.; et Navarr., cap. 27, num. 212; et Maiolus, lib. 2, cap. 8. Qui distinctius quam alii explicat, quod licet testis judicis præcepto coactus, aut per vim vel metum, qui in virum constantem cadat, cogatur delinquentem revelare, semper erit irregularis, et citat Tabienam, verb. *Irregularitas,* num. 22, ubi id affirmat, non quidem de illo qui solum testificatur veritatem, sed de illo qui indicat alium judici, vel alteri quærenti illum ad mortem. Et idem sentit Sylvester, *Homicidium,* 3, quæst. 7, vers. *Sextum,* et in quæst. 2, idem simpliciter dixerat de teste; in neutro autem loco explicat hoc procedere, etiamsi ex justo timore vel præcepto hoc faciat. Idem tenet Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 2, in princ. Fundamentum præcipuum est, quod est propositum de cooperatione, quæ major est in teste quam in accusatore, quia accusator non ita movet judicem ad ferendam sententiam sicut testis; accusator etiam agit pro se, testis vero in causa aliena. Et protestatio non censetur sufficere in teste, quamvis accusatorem excuset, quia testis non sua defendit, sicut accusator. Unde ad hanc irregularitatem probandam necesse non est aliquod jus afferre, ubi expresse feratur, nam continetur in his, quæ eos faciunt irregulares, qui quovis verbo, aut facto ad homicidium cooperantur, ut cap. De his, et Si quis viduam, cum aliis, dist. 50, addendo, testem nullo jure excipi, etiam facta protestatione, sicut excipitur accusator.

3. *Probatur conclusio in teste accedente ad testimonium ferendum voluntarie.* — Hæc communis sententia indubitata esse debet, quando testis voluntarie accedit ad testimonium ferendum in causa criminali, sive ultro se offerens, sive rogatus ab accusatore, sive vocatus a judice simplici mandato sine coactione vel obligatione in conscientia; nam licet in his casibus non peccet testificando, supponimus enim et causam esse justam et testificationem veram, nihilominus quia testificatio est simpliciter spontanea, sufficit ad irregularitatem ex defectu lenitatis contrahendam. Neque in hoc occurrit aliqua difficultas, quia, licet testificatio videatur esse sola veritatis assertio, tamen practica et in particulari facto proposita, movet et est causa actus, et ideo voluntarie facta sufficiet ad hanc irregularitatem.

4. *Argumenta pro parte negativa de testificante ex præcepto.* — Difficultas autem est, quando intervenit præceptum judicis obligans in conscientia, vel coactio cadens in constantem virum. Nam his duobus casibus videri potest, non incurri irregularitatem propter hujusmodi testimonium, maxime si cum protestatione fiat, quod solum ad vitandum peccatum, vel proprium nocumentum, et non in damnum alterius fit. Ratio est, quia in illo casu neque intervenit culpa, nec fit actio pure voluntaria; ergo nec irregularitas ex delicto, neque ex defectu lenitatis ibi contrahitur. Deinde applicatur ratio supra adducta ex Cajetano circa obligationem charitatis, quia scilicet nemo fit inhabilis in suo officio, eo quod impleat charitatis obligationem; hæc enim non minus urget in obligatione justitiæ, quæ quodammodo major est, et in obligatione obedientiæ, quæ illam etiam includit. Qui enim fieri potest, ut quispiam incurrat in pœnam vel defectum legalem, propterea quod præcepto superioris obediat? Dices : etiam judex obedit legi, quando pœnam sanguinis lege taxatam imponit, et nihilominus fit irregularis. Respondetur, hanc obedientiam judicis seu necessitatem ejus fundatam esse in propria voluntate, qua se ad tale munus seu ad talem causam applicavit; unde dicere possumus, obligationem illius esse quasi conditionatam et quoad specificationem tantum, non absolutam et quoad exercitium; nam si vult judicis munus exercere, debet juste et secundum leges judicare, absolute tamen non cogitur esse judex; necessitas autem et obligatio testis est absoluta, ut culpam et inobedientiam vitare possit; non enim solum obligatur, ut dicat verum si testificatur, sed simpliciter ad testificandum obligatur; et ideo absurdum videtur, quod obediendo irregularis fiat.

5. *Confirmatur eadem pars.* — Et confirmatur ex ratione Pontificis, in dict. cap. 2 de Homicid., in 6, ubi accusatio cum protestatione permittitur clericis, ne detur malefactoribus materia trucidandi et deprædandi ipsos clericos, quæ daretur, si clerici non possent de suis malefactoribus conqueri. Hæc vero ratio et dispositio inefficax esset, si clerici non possent testes producere, qui absque periculo irregularitatis possent saltem a judice per præceptum cogi ad testimonium dicendum; sæpe enim non potest probari veritas nisi per clericos, qui magis deterrebuntur a munere testificandi timore irregularitatis, quam a munere accusandi, quia minus commodi inde sperant; inutilis autem esset accu-

satio, si non posset adhiberi probatio. Quod si clerici tunc testificari possunt, multo magis laici, tum quia facilius ad hoc cogi possunt a judice seculari; in clericis enim necessarium erit Prælati mandatum, quod difficilius obtinebitur; tum propter rationem sæpe tactam, quod omnia, quæ licent in hoc genere clericis sine irregularitate, licent etiam laicis, servata proportione; tum denique quia sæpe evenit delictum non posse probari nisi per laicos, qui timore irregularitatis avertentur etiam a testificando. Ergo concessa illa facultate accusandi sine irregularitate, concessum censeri debet quidquid ad finem et effectum ejus necessarium est. Nam hoc etiam principium in jure manifestum est, concessa potestate ad aliquem usum, concedi etiam omnia, quæ ad illum necessaria sunt.

6. *Objectio.* — *Solutio.* — *Instantia.* — *Confirmatur ultimo eadem pars.* — Dices : hoc argumento probaretur, omnes ministros justitiæ posse sine irregularitate cooperari in tali causa, quia etiam sine illis non posset accusatio ad effectum perduci. Respondeo, esse dissimilem rationem, quia illi omnes ex officio sunt voluntarie deputati ad talia munera, sicut de judice dicebamus; et ideo quamvis necessarii sint in republica, non oportuit eis speciale privilegium concedere, ne tales causæ impediantur, quia nullum est de hac re periculum; nunquam enim desunt ministri, qui hæc munera exerceant propter utilitatem temporalem, non obstante irregularitate. At vero ad testimonium ferendum non sunt aliqui ex officio deputati, sed est particularis actio privatæ personæ, et non voluntaria, id est, non sine coactione aut obligatione præcepti. Sed urgebis : ergo, si contingeret te esse advocatum, tabellionem, vel similem ministrum, qui vellet concurrere in ea causa, non esset irregularis, si ex præcepto judicis ad hoc compelleretur; consequens autem est falsum, alias neque executor sententiæ suis manibus occidendo hominem fieret irregularis, si id faceret præcepto judicis; et idem dicendum esset de militibus et similibus, quod videtur absurdum. Respondeo : primo de illis ministris, qui ex officio sunt deputati ad hæc munera, neganda est sequela, quia licet in particulari causa ad agendum ex præcepto compellantur, illud habet originem ex voluntario usu talis officii, et ideo expresse in ipso jure extenditur hæc irregularitas ad ministros, ut statim videbimus. Secundo de ministro exequente pœnam mortis vel mutilationis quoad hoc eadem erit ratio, si munus illud voluntarie assumpsit; si vero fingamus esse personam privatam, quæ omnino cogitur præcepto, in primis non habet in eo locum ratio proxime sumpta ex dict. cap. 2, quia illud ministerium non est necessarium ad finem et effectum accusationis, prout fieri debet cum protestatione requisita. Deinde in tali persona est peculiare scandalum et peculiaris infamia, ratione cujus non potest ab irregularitate excusari. De militibus autem dicemus postea. Tandem confirmatur hæc pars, nam ibi non est propria voluntas, sed præcepti necessitas; ergo non potest effectus sequutus ad defectum lenitatis imputari; quis enim dicat hunc defectum fuisse in Abraham, eo quod ex præcepto Dei filium interficere voluerit? Sicut etiam esset defectus lenitatis, imo et homicidium sui, vitam propriam prodigere in manibus inimici sine causa; tamen ex præcepto Dei vel Prælati id facere, quando oportet, non est defectus lenitatis. Ergo in præsenti casu in quo versamur, non potest actio illa imputari ad defectum lenitatis; ergo nullum superest fundamentum sufficiens irregularitatis.

7. *Argumenta pro parte negativa, de testificante ob metum gravem.* — Similia argumenta fieri possunt de testimonio dicto per vim vel metum cadentem in constantem virum, quia tunc illa actio non potest dici ex defectu lenitatis, cum sit quodammodo moraliter coacta. Item ibi non est culpa, neque plena voluntas; ergo deest utrumque fundamentum irregularitatis ex causa sanguinis. Item illud est unum ex mediis, quibus judex uti potest ad promovendam causam et accusationem. Denique ipsemet accusator, ut res suas recuperet et similia damna præcaveat, potest sine irregularitate accusare cum protestatione; ergo et testis in prædicto casu. Patet consequentia, quia ille tunc potius agit de damno proprio vitando quam alteri inferendo. Unde illa testificatio solum videtur esse quædam defensio sui per actionem per se et intrinsece honestam; damnum autem, quod alteri inde sequitur, est per accidens respectu testificantis, quia neque est directe voluntarium, ut supponimus, neque etiam indirecte, cum non teneatur illam actionem vitare, ne sequatur tale damnum. Confirmatur ex dict. cap. Tua nos, quod videtur huic sententiæ favere, quia ibi judex misit nuncios ad scholarem quemdam, ut exponeret si quæ sciret de fure, vel traderet intersignia, quæ ille

misit satis magna; respondit Pontifex nullum impedimentum incurrisse; illa autem manifestatio seu traditio signorum quædam testificatio fuisse videtur. Accedit quod in cap. Qui cum fure, de Furtis, dicitur reum esse furti, qui furti conscius quærente possessore non indicat, ubi significatur hoc esse in præcepto juris canonici; ergo qui illud impleverit, non fiet irregularis, licet inde sequatur supplicium sanguinis.

8. *Argumenta solvuntur.* — Ad hæc vero argumenta dicendum est, ad summum probare in causa civili modo supra explicato, ubi directe non agitur de causa sanguinis, sed de interesse alicujus, non incurrere irregularitatem, quando quis licite testimonium præbet, et maxime si id faciat ex præcepto vel coactione superioris; tunc enim licet per accidens sequatur condemnatio in pœna sanguinis vel deformationis, non imputatur testi, quia dabat operam rei licitæ, et per se non cooperabatur illi effectui, nec de tali actione est specialis prohibitio propter periculum ejus; quod si aliquod sit et prævideatur, satis erit tunc protestationem præmittere, sicut de denunciatione dicebamus. At vero in causa criminali digna morte vel mutilatione, nullo modo potest effugere testis periculum irregularitatis, etiamsi maxime compellatur præcepto vel comminatione judicis, quia hæc sunt accidentalia et extrinseca, quæ non considerantur in jure, et alioqui actio illa semper participat indecentiam moralis concursus directe et per se ordinati ad sanguinis effusionem. Et per hoc satisfit omnibus objectionibus et exemplis. Jura autem ultimo loco citata parum urgent; nam cap. Tua nos, § ult., loquitur de homicidio quodam casu et per accidens subsecuto respectu cujusdam scholaris, qui ibi judicatur ab irregularitate immunis; præterquam quod ille testis proprie non fuerat, sed quædam indicia valde remota illius personæ tradiderat. In cap. autem Qui cum fure, imprimis non agitur de manifestatione furis, sed furti, id est, rei furto sublatæ (licet Glossa aliter exponat). Quod si ex charitate et justitia necessarium sit revelare personam, et inde immineat periculum mortis, tunc servanda est regula posita, et ut id non fiat agendo vel testificando criminaliter, et servatis aliis circumstantiis superius positis.

SECTIO IV.

Utrum curiales et ministri justitiæ in causis criminalibus irregulares fiant.

1. *Conclusio.* — *Curiales qui dicantur.* — Innocentius III, epist. 24, cap. 2, hos omnes irregulares esse dicit, et habetur in cap. 1, d. 51. Nam licet in fine ita concludat : *Quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur*, quæ verba videntur pœnam per judicem ferendam continere, et respectu ordinatoris sine dubio talia sint, nihilominus ex præcedentibus verbis constat hujusmodi personas prohiberi, ne ordinentur, atque adeo fieri irregulares ratione talis ministerii. Verba autem, quibus hi ministri significantur, sunt : *Curiales, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata, fecerunt,* et illa : *Qui in forensi exercitatione versati sunt.* In quibus verbis primum obscurum est, quinam sint *curiales,* qui ex tali munere irregularitatem contrahunt. Nam Glossa ibi tantum exponit, id est, *officiarii;* sed intelligenda est juxta subjectam materiam, nam generali appellatione dici solent curiales, qui in curia principis versantur, et in ea munus aliquod exercent ad ipsammet curiam spectans; et nunc vulgari sermone maxime ita vocantur (quasi per antonomasiam) officiales Romanæ Curiæ, qui ad præsentem considerationem non spectant, ut per se notum est. Curiales ergo secundum subjectam materiam dicuntur, qui in quacumque seculari curia ministri sunt in causis sanguinis, quomodocumque ad illas cooperentur, ut sunt tabelliones, procuratores, sollicitatores et inferiores etiam ministri, qui vel denunciant, vel scribunt sententiam, vel aliquod simile munus exhibent, ut aperte habetur in dict. cap. 1, 2 et 3, d. 51, et ex omnibus scribentibus.

2. *Curiales secularis curiæ, dum in officio persistunt, sunt irregulares.* — *Non postea nisi cooperati sint ad causam sanguinis.* — Est autem circa hos curiales advertendum, omnes esse irregulares ad Ordines, quamdiu in ministerio permanent, quosdam vero etiam illo demisso, licet non omnes. Ratio prioris partis est, quia sicut clerici immisceri non debent his officiis secularibus, ita etiam majori ratione qui actu sunt illis officiis destinati, inepti sunt, ut ad clericatum assumantur. Quæ ratio non solum probat de curialibus in causa sanguinis, sed etiam in quibuscumque causis forensibus ac secularibus, ut ex eisdem

capitulis colligitur, et ibi notant auctores. Altera vero pars declaratur, nam vel isti curiales, tempore, quo tale munus exercuerunt, nunquam cooperati sunt in causa sanguinis, quæ habuerit effectum deformationis hominis, et tunc exercuisse tale munus, si illud deponant, et nullum aliud subsit impedimentum, non oberit ordinationi, quia, ut dixi, etiam ipsa sententia sanguinis, si non pervenit ad effectum, non inducit irregularitatem, quod etiam in dict. cap. 1, significatum est, ibi : *Qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata, fecerunt,* quæ imperata paulo ante vocata sunt, *sæva præcepta.* Et in cap. 2, ita exponit Glossa, verb. *Administraverit.* Idem colligitur ex cap. Ossius, 51 d. Dixi autem, *Nisi aliud impedimentum interveniat,* quia potest aliquando tale esse ministerium, ut ex eo generetur infamia, et tunc illa impediet quamdiu duraverit; sed illa est irregularitas alterius rationis. Vel durante munere intercessit cum effectu cooperatio ad deformationem, et tunc etiam relicto munere manet, etiamsi officium deponatur, irregularitas propria, de qua nunc agimus, ut constat, tam ex dictis capitibus quam ex multis aliis dist. 50, et ex citatis in principio.

3. *An advocatus fiat irregularis.* — Hic vero superest speciale dubium de advocato propter illa priora verba dict. cap. 1 : *Qui post baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt;* ubi Gloss. exponit, id est, qui advocati fuerunt; et tamen in eis non postulatur effectus effusionis sanguinis, imo nec fit determinatio ad eos, qui patrocinantur in causa criminali, sed absolute in forensi; ubi Archidiaconus exponit, tam in causa civili quam criminali. Nec dicitur, *qui versantur,* sed, *qui versati sunt;* ergo significatur, ex illo munere reddi hominem irregularem per se et absque alio effectu. In contrarium autem videtur, etiam secuto effectu advocatum non fieri irregularem, quia ipse neque inducit, neque est causa, sed solum declarat veritatem. Dicendum autem est, advocatum in causa sanguinis, si ex illa sequatur effectus deformationis, esse irregularem, non vero absque tali effectu. Utraque pars certa, prior quidem ex citatis decretis, quæ necesse est saltem hoc modo verificari. Et ratio etiam est clara, quia advocatus multum influit in talem sententiam; quamvis enim veritatem consulat vel doceat, tamen quia practice docet movendo ad opus, ideo particeps fit effectus subsequuti. Et in hoc conveniunt omnes Doctores quos supra citavimus, et videri potest Anton. dict. cap. 2, § 2.

4. *Secus si effectus non sequatur.* — Posterior vero pars non est tam certa sicut prior, nam aliqui auctores tenent contrarium, ut Maiol., cum Speculatore, et Hug., lib. 2, c. 9, qui volunt in eo casu incurri irregularitatem Episcopalem. Tamen communior sententia est in contrarium, quam tenent Doctores supra citati circa personam judicis, et a fortiori sequitur ex ibi dictis, nam multo major ratio irregularitatis est in judice quam in advocato. Et ratio generalis est, quia sine actuali effusione sanguinis, neque homicidium intervenit, neque defectus lenitatis. Ad verba autem citata responderi potest, ex vi illorum solum colligi irregularitatem, quæ durat durante munere; nam ut major incurratur necessarium est, ut sequatur effectus, et ideo juxta posteriorem clausulam de curialibus illa prior intelligitur. Aut certe (quod verius censeo) illis verbis conjungendi sunt quæ proxime sequuntur, scilicet, *et obtinendi pertinaciam susceperunt,* quibus significatur, non quodcumque advocati patrocinium, sed illud quod pertinaciter datum est usque ad sequutum effectum, inducere hanc irregularitatem. Quam expositionem significant ibi Gloss., Archidiac., et Turrecr.

5. *An advocatus qui pro reo agit, sequuto effectu deformationis contra accusatorem, fiat irregularis.* — Quæri præterea solet, utrum advocatus fiat irregularis, non solum, qui agit contra reum, sed etiam qui illum defendit, si contingat inde resultare, ut reus absolvatur et in accusatorem feratur pœna talionis. Videtur enim ille non incurrere, quia non agebat contra alium, sed tantum defendebat reum, et alioqui dabat operam rei licitæ, et non ordinatæ ad sanguinis effusionem; ergo, quamvis per accidens sequatur, non inducet irregularitatem. Nihilominus multi censent, in eo casu advocatum fieri irregularem. Ita tenet Gloss., in dict. cap. 1, d. 50; et ibi Archid., et Turrecr.; et Navar., cap. 27, n. 212; et Maiol., dict. cap. 9, n. 2, qui alios refert. Et potest pro hac sententia induci dict. cap. 1, quod indifferenter loquitur de advocato. Ratio vero est, quia defensor rei, licet non directe, per necessariam consequutionem agit contra accusatorem, et ideo est moralis causa deformationis in illo subsequutæ, quamvis illam non intenderet. Alii dixerunt, advocatum rei in hoc casu fieri irregularem, si sit clericus, quia dat operam

rei illicitæ, non vero advocatum laicum, quia licite facit, ut ex Abbate et aliis refert Covarr., d. § 5, n. 6, et multi ex citatis auctoribus hoc indicant. Sed, ut recte advertit Covarr., hæc distinctio parum est ibi necessaria, cum irregularitas hæc non contrahatur ex delicto, sed ex defectu lenitatis.

6. *Prima conclusio.* — *Secunda conclusio.* —Igitur, ut generalius respondeamus, distinguamus inter accusationem justam et injustam, et advocatum accusatoris et rei. Nam in primis, si accusatio sit justa, advocatus, qui suscipit patrocinium rei, etiamsi non obtineat, non erit irregularis, per se loquendo, quod est verum tam de laico quam de clerico, quia sive det operam rei licitæ, sive illicitæ, mors non sequitur ex actione ejus; melius enim et citius sine tali patrocinio sequuta fuisset. Dico autem, *per se loquendo,* quia contingere potest, ut advocati culpa, vel imperitia, aut negligentia damnetur reus, et tunc redundabit irregularitas in advocatum ejus, juxta sententiam Hostiensis, in c. 1 de Postulando, n. 6 et 7, quod intelligendum est juxta superius dicta de modo incurrendi irregularitatem ex omissione. Secundo, si accusatio sit injusta et contingat reum absolvi, accusatorem vero deformari, advocatus ipsiusmet accusatoris fiet irregularis. Hoc non dicunt citati auctores, nec tamen negant. Et sufficienter probatur, quia ille dat operam rei injustæ, ex qua probabile et morale est sequi tale nocumentum. Dices, illud non sequi ex actione talis advocati, quia potius ille patrocinabatur accusatori, et quamvis esset iniquus, non tamen respectu illius, sed alterius. Respondeo : imo etiam est injustus accusatori, maxime si illum decipit, præbendo vanam spem victoriæ. Deinde moraliter illum constituit in tali periculo, nam si ipse non susciperet causam ejus, non auderet accusare; juvat ergo illum ut se occidat; fit ergo irregularis. Quæ ratio probat de quocumque cooperante. Dixi autem *per se loquendo,* quia si bona fide advocatus existimet causam esse justam, in eo casu non fiet irregularis; nam irregularitas illa, quam modo explicui, non est ex defectu lenitatis, sed ex delicto homicidii, saltem indirecte voliti; et ideo si per ignorantiam invincibilem excusetur delictum, etiam irregularitas excusabitur.

7. Tertio, in simili accusatione injusta, in qua accusator succumbit et deformatur, advocatus rei non erit irregularis, si in progressu causæ ea tantum egit, quæ ad defensionem rei pertinebant, non vero ea, quæ ad exceptionem seu objectionem calumniæ vel punitionem accusatoris spectabant. Sunt enim hæc per se distincta, nam ad defensionem satis est ostendere delictum non probari, aut accusatum esse innocentem, quod potest contingere, etiamsi accusatio non sit ex calumnia aut digna talione. Probatur assertio, quia tunc advocatus nullo modo concurrit ad punitionem accusatoris, sed ad solam innocentis defensionem; ergo non est, cur fiat irregularis, maxime si præmittat protestationem, quod non intendat accusatoris pœnam, sed rei defensionem, juxta c. 2 de Homicid., in 6. Et hoc modo inclinat in hanc partem Maiol., supra, citans Hostiens. et Socin., et eamdem tenet Covarr. supra. Qui merito etiam sentit, non solum hoc esse verum in laicis, sed etiam in clericis; maxime si a culpa excusentur assumendo tale patrocinium propter urgentem necessitatem defendendi innocentem. Verumtamen, etiamsi non excusentur (puta quia esset alius sufficiens defensor), non existimo incurrere irregularitatem, quia illa culpa non est contra justitiam ullo modo, neque est circa opus, quod proxime aut per se influat in homicidium; nam quod inde possit resultare remote et per accidens, non satis est, cum inde non oriatur obligatio abstinendi a tali opere, sed ex sola prohibitione positiva alio titulo facta.

8. *Quarta conclusio.*— Quarto, quando advocatus, in simili causa defendens reum, simul agit contra accusatorem, vel quia non potest defendere sine reactione, vel quia non vult unam separare ab alia, tunc recte procedit prior sententia, quam in hoc Covarr. et alii sequuntur. Et ratio est, quia talis advocatus est causa moralis repassionis secutæ in accusatore. Addo tamen limitationem juxta superius dicta, scilicet, nisi innocens esset constitutus in extrema necessitate, nec posset aliter defendi, nam tunc facta protestatione, existimo excusari, propter rationem supra adductam. Ut tamen vera sit talis necessitas, duo debent concurrere, scilicet, ut defensio non possit fieri pura et sine tali reactione, et ut nulla sit persona habilis quæ possit aut velit illud patrocinium suscipere; nam altera utra conditione deficiente, jam non est absoluta necessitas, ut per se notum est.

9. *Corollarium.* — Ex quo a fortiori sequitur, reum etiam non fieri irregularem, si ita se defendat contra accusatorem, ut ob eam rem accusator deformetur in pœnam talionis,

quia multo magis ei concessa est propria defensio. Imo addit Covarr., etiamsi reus obtineat contra accusatorem pœnam talionis, non tantum pure se defendendo, sed etiam petendo calumniatorem puniri, non fieri irregularem, hac tamen observata differentia, quod cum proceditur petendo, fiat protestatio, quæ in pura defensione necessaria non erit. Quam doctrinam veram existimo, dummodo petitio non sit de pœna aut vindicta, nam hoc sensu mihi non placet, et repugnare videtur protestationi; sed ut sit de reparatione damni illati et de securitate in futurum, juxta cap. 2 de Homic., in 6, cujus concessio non habet locum in advocato, ut constat.

10. *Dubium.* — Ultimo interrogari potest de assistentibus in loco supplicii, an fiant irregulares, quod habet aliquod dubium in clericis, quia illis prohibetur in c. Sententiam sanguinis, Ne cler. vel monach. Dicendum vero est, si sit pura assistentia sine ullo genere cooperationis, non inducere irregularitatem, sive illa sit aliqua culpa, sive non; nam in clericis in sacris censetur esse culpa, non vero in minoribus, ut resolvit Navar., cap. 27, n. 214, cum Angelo et Sylvestro, quamvis textus citatus de clericis absolute loquatur. Sed propter materiæ levitatem potest adhiberi limitatio; nam etiam in clericis in sacris non puto esse culpam mortalem, secluso scandalo. At vero si intersint cooperando, aut sua præsentia auctoritatem præbendo supplicio, irregularitatem sine dubio incurrunt ex omnium sententia; quæ etiam sumitur ex c. Ex litteris, de Excess. Prælat. Et ideo religiosi et alii, qui causa pietatis assistunt hujusmodi suppliciis, omnino cavere debent, ne aliquid faciant, vel loquantur, quo supplicium accelerare, vel illud quoquo modo juvare videantur. Vide Maiol., lib. 2, c. 20.

SECTIO V.

Utrum omnes, qui militant in bello injusto, irregulares fiant.

1. *Prima conclusio.* — Quamvis hæc disputatio solum sit de justa occisione, tamen ut gradum faciamus ad justum bellum, pauca de injusto præmittere necesse est. Duplex ergo potest esse eventus illius : unus, ut in eo contingant mortes vel mutilationes ex altera parte; alius, ut nullus talis effectus sequatur. Sit igitur prima assertio, omnes militantes in bello injusto, si in eodem fiant homicidia, vel mutilationes, fieri irregulares, etiamsi propriis manibus sanguinem non fundant, sed effundentibus commilitent, aut cooperentur, aut arma præbeant, aut eos adhortentur, aut quovis modo animos adjiciant. Ratio est, quia omnes ad homicidium cooperantur. Unde hæc irregularitas non est ex defectu lenitatis, sed illius quam explicuimus in privatis rixis; eadem enim vel major ratio est in publico bello. Et favent c. Quod in dubiis, de Pœnis, et cap. Si quis post, d. 51. Et est communis sententia omnium, quos statim referemus.

2. *Quis in hac irregularitate dispensare possit.* — *Prima sententia.* — *Vera sententia.* — Potest autem inquiri, quis possit dispensare in tali irregularitate. Cum clericis dici solet solum Papam posse dispensare. De laicis vero distingui solet; nam si ipsi propriis manibus occiderunt vel mutilarunt, solus Papa potest cum eis dispensare; si autem ipsi non effuderunt sanguinem, sed per alios fuerint facta homicidia vel mutilationes, poterit Episcopus cum eis dispensare. Ita sentit Maiolus, l. 5, cap. 49, in fine, et Sylvester, verb. *Bellum,* 3, quæst. 3, qui tamen nihil distinguit inter laicos et clericos; et ad probandam ultimam partem citat c. 1 et 2, de Cleric. pugn. in duell., quæ de clericis loquuntur, et parum probant. Et primum induci potest in contrarium; nam sub ea conditione conceditur Episcopis potestas dispensandi, dummodo homicidium, vel mutilatio non fuerit subsequuta. Nec restringitur, ne fuerit subsequuta per propriam actionem, sed absolute; ergo sive per se, sive per alium. In cap. autem 2, expresse agitur de homicidio per alium facto, et non conceditur Episcopo potestas dispensandi circa usum Ordinum, sed circa habendum beneficium. Imo neque hæc potestas expresse committitur Episcopo, sed indefinite dicitur : *Poterit tamen cum eo circa obtinendum beneficium misericorditer dispensari.* Itaque non invenio hanc potestatem concessam Episcopo circa hanc irregularitatem, potius quam circa alias. Et ideo aliter distinguendum occurrit; aut enim deformationes fiunt in hostibus, vel solum contingunt in sociis mutilantium; in utroque enim existimo incurri irregularitatem propter cooperationem, non tamen ejusdem rationis. Nam si occisi vel mutilati solum sint ex sociis, irregularitas est homicidii casualis. Quod enim non sit voluntarii, patet, quia non est intentum; quod vero casuale excusari non possit, patet, quia sequitur ex opere illicito contra

justitiam, et periculoso ex se, ut similes deformationes sequantur. Tunc ergo poterunt dispensare qui facultatem habent circa homicidium casuale. At vero si deformationes contingant in hostibus innocentibus, homicidium est voluntarium, quia directe intenditur, et actio per se ordinatur, et est sufficiens ad talem effectum, et tribuitur omnibus ibi assistentibus, et cooperantibus vel excitantibus ad pugnam. Quapropter solus Papa potest tunc dispensare, quia nulla est de hoc casu facta in jure exceptio. Probabile autem est Episcopum posse dispensare cum sacerdote ad beneficium obtinendum, argumento illius c. 2, de Cleric. pugn. in duell., quia, licet loquatur in duello privato, extendi potest ad bellum propter similitudinem rationis; et quia ille est favor, non tam personæ quam sacerdotii, et ideo extendendus est. Et ob eamdem causam ampliari potest ad alios clericos in sacris constitutos, ne mendicare cogantur, quamvis de illis res sit magis dubia, in qua multum poterit consuetudo.

3. *De pugnante in bello injusto ubi nulla fit mutilatio. — Maioli opinio.* — De altero vero casu, quando ex neutra parte sequitur deformatio, tam per se quam per alios, Maiolus supra distinguit inter laicos et clericos, quia clerici (inquit) eo ipso, quod arma sumpserunt in bello injusto, irregulares fiunt, etiamsi nulla deformatio sequuta sit; probat ex Conc. Toletano IV, c. 45, quod sic habet : *Clerici, qui in quacumque seditione* (alias factione) *arma volentes sumpserint,* aut *sumpserunt, reperti, amisso Ordinis sui gradu, in monasterio pœnitentiæ tradantur.* Et refertur etiam a Gratiano, 23, quæst. 8, c. Clerici. De laicis vero non est talis constitutio; et ideo, ait, nisi fiant homicidia vel mutilationes, non incurrunt irregularitatem. Et in his etiam adhibet exceptionem, nisi quis accipiat munus præfecti seu ducis in tali bello injusto; nam eo ipso fit irregularis, etiamsi homicidia non sequantur. Quod probat ex c. Sententiam, Ne cleric. vel monach., et c. Si quis, d. 51.

4. *Prior pars sententiæ Maioli rejicitur.* — Prior pars hujus sententiæ non fundatur sufficienter in illo textu. Primo, quia ibi non dicitur pœnam illam esse imponendam, etiam non sequuto effectu vel nocumento aliquo; unde dici posset textum illum juxta alia jura esse exponendum. Verumtamen, quoad hanc partem probabilis est expositio, quia textus expresse loquitur de his qui arma sumpserunt, et nihil aliud requirit, quod notat ibi Archidiaconus, dicens intelligendum esse, etiamsi non feriant. Et ideo addo ulterius, pœnam ibi impositam non esse irregularitatem, sed suspensionem, non ipso jure latam, sed ab homine imponendam, ut sentiunt Card. Hugo et Turrecr., et alii. Ad quod expendo illa verba, *Reperti tradantur;* nam primum requirit notitiam et probationem; secundum autem postulat judicis actionem; unde, quod dicitur, *amisso Ordinis gradu,* intelligitur, per sententiam judicis privantis clericum seditiosum Ordinis executione, non propter irregularitatem pertinentem ad homicidium, quæ nulla ibi est, sed propter scandalosum delictum sumendi arma in publica seditione. Notanda etiam est illa particula, *Volentes,* ubi Glossa exponit, id est, non ex timore, et alii addunt, neque ex humana necessitate vel ignorantia. Itaque ad illam pœnam requirit opus omnino spontaneum et ex malitia; ad contrahendam autem irregularitatem ex tali actu, si sequuta fuerint homicidia, non est necessaria hæc conditio; nam etiamsi quispiam ex timore humano, vel ex crassa ignorantia in tali prælio arma sumpserit, secuto effectu fiet irregularis, quia ad irregularitatem homicidii non semper necessarium est tam perfectum voluntarium; non est ergo ibi sermo de hac irregularitate, sed de alio genere pœnæ ab homine imponendæ, considerata illa delicti qualitate.

5. *Posterior ejusdem sententiæ pars improbatur.* — Altera etiam pars mihi non sufficienter probatur ex illis textibus. Nam in primis c. Sententiam, quod de clericis tantum loquitur, non agit de bello injusto, sed absolute statuit, *ut clericus non præponatur ruptariis, aut ballistariis, aut hujusmodi viris sanguinum;* unde omnes Doctores colligunt, esse prohibitum clerico esse ducem in bello, etiam justo; quare non magis colligitur ex vi talis muneris, effectu non sequuto, eum esse irregularem in bello injusto quam justo. Deinde, in illo textu nullum est verbum de irregularitate ob transgressionem illius legis, non solum effectu non sequuto, sed etiamsi sequatur; ergo ex illo textu nihil probari potest, sed ex aliis petendum est. Unde Panormitan. ibi, num. 17, ait, si bellum sit injustum et aliqui occidantur, sive ab ipso duce, sive ab aliis, ducem esse irregularem, quia sua auctoritate dat auxilium et operam tali bello; in bello autem justo requirit, ut suis manibus occidat vel mutilet. Supponit ergo,

ubi nullum sequitur homicidium, non habere locum irregularitatem hanc. Et hoc videtur certum, quia ex aliis textibus et principiis hoc solum colligi potest; et in dicto cap. Sententiam, nihil amplius expressum est : ergo reducimur ad illam regulam ut non admittamus irregularitatem in eo casu non expresso.

6. *Cap. Si quis, d.* 51, *explicatur.* — In c. autem Si quis, d. 51, in primis non est sermo de solis clericis, sed de omnibus baptizatis, nec de ducibus tantum, sed de quocumque militante; verba enim sunt : *Si quis post baptismum militaverit, et chlamidem sumpserit aut cingulum,* etc. Neque etiam ibi est sermo specialiter de bello injusto, sed absolute de bello; non ergo recte adducitur textus ille ad casum in quo versamur. Advertendum est tamen, in Codice Gratiani addi hæc verba : *Ad necandos fideles.* Ex quibus colligi potest, ibi non esse sermonem absolute de quocumque bello, sed de eo quod est contra fideles; tamen, etiamsi hoc demus, illud potest esse justum et injustum. In originali vero non habentur illa verba, ut patet ex Collectione Loaysæ in Concilio Toletano I, cap. 8, et ex tomo 1 Conciliorum. Adduntur autem in eodem textu hæc verba : *Etiamsi gravia* (ut legit Gratianus et Surius) vel *graviora* (ut legit Loaysa) *non admiserit.* Ex quibus colligere quis potest, etiam non sequuto effectu fieri quempiam irregularem, ex eo solum quod cingulum militiæ sumpserit. Hoc autem improbabile est, alias omnes milites laici essent irregulares, etiamsi in bello justo militaverint, et licet nulla deformatio inde sequuta fuerit, quod est falsum, ut patet ex dictis et amplius ex dicendis. Sensus ergo illorum verborum est, hos milites fieri irregulares, etiamsi alia peccata gravia non commiserint, vel etiamsi in ipsomet bello non graviter delinquant, quia juste militant; nam illa irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu lenitatis. Unde fit, intelligendum esse, tunc incurri hanc irregularitatem, cum defectus lenitatis intervenerit; hic autem non invenitur, donec effectus homicidii vel mutilationis sequatur. Et ita intelligunt textum illum Glossa, Archidiacon., Turrecr., et sumitur ex cap. 1 ejusdem distinctionis, quod sumptum est ex epist. Innocentii I, missa ad idem Concilium Toletan. I; nullum etiam aliud tempore Innocentii celebratum est, ut notavit Loaysa; unde juxta mentem Pontificis videtur illud decretum editum. Pontifex autem solum vult milites esse irregulares, *quando sæva, seu severa* (ut Loaysa legit) *præcepta sunt exequuti.* Requiritur ergo, ut interveniat sanguinis effusio.

7. Ultimo vero notanda sunt verba, quibus hæc irregularitas in eo textu proponitur, scilicet : *Si ad clerum admissus fuerit, diaconii non accipiat dignitatem;* nam videtur significari, hanc irregularitatem non esse totalem, sed solum ad Ordines superiores ultra subdiaconatum. Vel saltem significari videtur, ex dispensatione Episcopi posse admitti usque ad subdiaconatum, non vero ultra. Neutrum vero sensum censeo admittendum, quia hæc irregularitas absoluta et totalis est, et Pontificiam dispensationem postulat, modo superius explicato. Unde Glossa ibi exponit : *Si admissus fuerit ex dispensatione,* quam alii sequuntur. Est autem difficilis expositio; nam si dispensatio fuit Pontificia, non potuit Concilium vitare, quin ex simili dispensatione diaconatus suscipiatur. Existimo ergo, illa verba alludere ad abusum, qui eo tempore fuerat in Hispania, facile admittendi ad Ordines, hos milites, quem abusum reprehendit Innocentius, in d. c. 24. Propter vitandam autem perturbationem, remisit jam facta, et amplius fieri prohibuit. Hanc ergo mentem Pontificis sequens Concilium, inquit, si qui jam erunt ordinati usque ad subdiaconatum, permittendos fuisse in susceptis ministrare, non autem ascendere; supponit tamen, eos, qui ordinati non essent, non posse deinceps ad ullum Ordinem assumi. De illis vero, qui eo tempore inventi essent ordinati usque ad diaconatum, Concilium nihil dixit; unde videtur illos omni impedimento liberos reliquisse, juxta Pontificis concessionem. Atque hæc sint satis de bello injusto, quæ ex parte etiam deservire possunt pro justo.

SECTIO VI.

Utrum mutilantes in bello justo fiant irregulares?

1. *De mutilante in bello defensivo ob defensionem propriæ vitæ.* — Duplex esse potest justum bellum, unum defensivum, et aliud aggressivum. Quæ ad prius spectant, facile ex dictis expediri possunt. Nam primo si bellum sit necessarium ad defensionem propriæ vitæ et personæ, non fit quis irregularis, etiam sequuto homicidio per propriam actionem, ut supra probatum est de rixa privata; nam eadem ratio est de quocumque prælio defensivo, quod juste, et cum inculpata tu-

tela fit. Et ob eamdem rationem non fiet irregularis, etiamsi sit dux in tali bello, et vocet milites, et det arma, et per illos occidat suos aggressores, quia omnibus his modis potest juste se defendere. Quod recte notavit Navarr., num. 212, et fuit sententia Innocentii, Joann. Andr., et Panormit., licet alii Canonistæ scrupulosius loquantur, maxime quando persona est Ecclesiastica. Sed nullam censeo esse faciendam distinctionem inter clericum et laicum, quando bellum est necessarium ad defensionem propriæ vitæ.

2. *De mutilante in bello justo ob defensionem patriæ. — D. Thom. locus objicitur. — Cajetani expositio rejicitur.* — Secundo, idem assero, quando bellum est similiter necessarium ad defensionem patriæ et boni communis, quia commune bonum excellentius est privato, et defensio patriæ præferenda est conservationi propriæ vitæ, interdum etiam ex præcepto. Quod verum censeo, non tantum in laicis, sed etiam in clericis. Et favet textus, in c. 2 de Immunit. Eccles., ubi in casu necessitatis etiam clerici non excusantur a vigilia et custodia civitatis, et ex superius dictis de defensione innocentis hoc a fortiori probatur. Atque ita sentit Abbas, in c. Petitio, de Homic., et Covar., dicta 2 p., § 3, num. 2, in fine, ubi refert alios auctores. Objici vero nobis potest D. Thom., 2. 2, quæst. 40, art. 2, ubi sentit, clericos semper manere irregulares pugnantes in hujusmodi bello, quantumvis alias licite. Ubi Cajetanus illud extendit etiam ad bellum defensivum, et tam ad laicos quam ad clericos. Sed ille locus D. Thom. non petit hanc interpretationem, quia sufficienter intelligitur de clericis voluntarie militantibus; nam ibi solum loquitur de bello clericis illicito; constat autem bellum defensivum, de quo agimus, licitum esse, imo præceptum esse posse, ut Cajetanus etiam fatetur, qui profecto non loquitur consequenter ad ea, quæ docuerat eod. lib., quæst. 33, art. 7.

3. *De mutilante in favorem tertii.* — Tertio, quid dicendum sit de defensione alicujus innocentis vel bonorum temporalium, ex superius dictis cum proportione sumendum est. Advertendo ex D. Thom. supra, bella hæc publica propter magna incommoda, quæ reipublicæ afferunt, præter potestatem et auctoritatem publicam, requirere causam gravissimam et proportionatam; et ideo non licere pro aliquibus bonis temporalibus, nec fortasse pro unius hominis defensione, si aliud commune commodum inde non redundaret. Cum ergo supponamus bellum hoc defensivum esse justum, consequenter supponimus habere causam proportionatam. Unde, sive illa sit temporalium bonorum defensio, ut, v. gr., quia segetes et agri vastantur, comburuntur, vel deprædantur ab hostibus, sive sit defensio privatorum civium talium, quæ sufficiat ad resistendum juste inimico, etiam per publicum bellum, censeo non incurri irregularitatem propter effectus in tali bello sequutos, etiam ex propriis actionibus militantis in illo, quando ejus auxilium omnino erat necessarium reipublicæ. Quod certius est, quando non solum est licitum, sed etiam præceptum sic militare. Et ita opinantur iidem auctores; et rationes supra factæ, cum proportione applicatæ, idem convincunt.

De bello aggressivo justo.

4. *Prima conclusio.* — Bellum aggressivum justum servat proportionem ad judicium sanguinis, quatenus fieri potest legitima potestate et causa, scilicet, vel reparandi damna injuste illata reipublicæ seu principi, vel puniendi et vindicandi injurias illatas. Igitur militare in tali bello malum non est, nisi his, quibus est speciali jure positivo prohibitum. Primo ergo militantes in hujusmodi bello, si propriis manibus sanguinem non fundant, etiamsi alii mutilent vel occidant, non fiunt ipsi irregulares. Ita Sylvest., *Bellum,* 3, q. 3, citans Raymundum, Godof. et Hostiensem; late Tabiena, *Irregularitas,* 3, n. 20; Covar., d. n. 2; et Navar., n. 215; Maiol., lib. 5, c. 49, in fine, et omnes. Et solet ad hoc citari c. Petitio, de Homicid., ubi Pontifex solum præcipit abstinere illum, qui in simili conflictu aliquem interficit, vel de hoc habet dubiam conscientiam. Videri autem potest textus ille loqui de bello defensivo; tamen quamvis inceperit ab invasione hostium, terminatum fuit in bellum aggressivum ex parte fidelium exeuntium e castro et persequentium inimicos. Et eodem modo induci potest cap. Præsentium, de Cleric. percuss. Ratio vero est, quia hic miles dat operam rei licitæ et justæ, et alias non effundit sanguinem, neque illud intendit.

5. *Objectio. — Solutio.* — Dices : quamvis per se non occidat, per alios occidit; nam militando cum illis, illos adjuvat, eisque animum ad occidendum præbet. Et confirmatur; nam in justa executione homicidii, quæ fit

ratione sententiæ, non tantum exequutor manet irregularis, sed etiam satellites, et alii ministri assistentes, vel comitantes ad promovendum, seu auctoritate donandum actum illum, quantumvis justum; sed multo magis concurrunt et auctoritatem præbent, qui simul militant. Respondeo ad argumentum negando antecedens quoad omnes ejus partes; oportet enim hic duo distinguere : aliud est enim juste et strenue militare, aliud occidere militando. Primum enim non solum est honestum, sed etiam per se abstrahens ab effusione sanguinis; secundum vero illam determinate includit. Milites ergo, qui per se non occidunt, ex eo solum, quod juste militant, non censentur cooperari, adjuvare vel animare alios ad occidendum, sed tantum ad strenue militandum; et ideo, licet alii occidant, remote et omnino per accidens censentur comparari ad tale homicidium. Ideoque eis ad irregularitatem non imputatur. Et in hoc est dissimile exemplum, quod in confirmationem affertur; nam ibi concursus est ad determinatam actionem homicidii; et, quod caput est, in hoc casu, in quo versamur, habemus juris declarationem, in alio vero minime, sed potius generalem regulam, quæ illum comprehendit. Esset autem simile, si miles non tantum in bello justo militaret, sed etiam videns alium aggredientem ad occidendum aliquem, illum animaret directe provocando ad homicidium, vel alium impediret, ne posset fugere, sive vulnerando, sive alio modo; tunc enim sequuto effectu irregularis fieret.

6. *Corollarium. — Casus de occidente bannitum resolvitur. — Qui præbent arma ad bellum justum aggressivum an sint irregulares.* — Unde constat, eos, qui per se occidunt, vel mutilant in tali bello, manere irregulares, saltem ex defectu lenitatis, ut patet ex d. c. Si quis, et c. Aliquantos, dist. 51, cum similibus. Neque in hoc est difficultas; nam hæc est propria et expressa irregularitas hujus generis. Unde facile resolvitur ille vulgaris casus, an fiat irregularis, qui occidit bannitum vel hostem reipublicæ, auctoritate regia juste ad hoc sibi concessa. Dicendum est manere irregularem, non quidem irregularitate homicidii voluntarii, quia supponimus justam fuisse sententiam et potestatem legitime concessam, de quo videri potest Panormitan., in c. Laudabilem, de Conversione infidel., sed ex defectu lenitatis, quia ille se gerit tanquam lictor seu apparitor justitiæ, vel ad summum ut miles occidens in bello justo. Hinc etiam expeditur dubium, an sint irregulares, qui præbent vel præparant arma ad hoc bellum justum aggressivum; item qui convocant ad illud et similes. Dicendum est enim, si actiones tantum in generali tendant ad bellum juste et strenue peragendum, quales sunt regulariter illæ, quæ antecedunt actualem conflictum, ut vendere arma, præparare, etc., ex eis non incurri irregularitatem, quia est actio justa, et de se indifferens. At vero, si in ipso actuali conflictu dentur vel præparentur arma determinate ad actum occidendi, incurretur irregularitas, quia actio illa determinate tendit ad homicidium.

7. *Clericus non potest militare in bello justo aggressivo. — Possunt tamen hujusmodi bello interesse.* — Juxta hæc etiam definienda sunt nonnulla dubia, quæ de clericis hic inquiri solent, de quibus duo sunt certa. Primum est, non posse licite militare in hujusmodi bello aggressivo, etiam justo, ut est communis sententia cum D. Thom., in dict. art. 2, et D. Anton., 3 part., tit. 18; Gloss. et Doctores, in cap. Petitio, de Homicid., et sumitur ex cap. Clerici, cum aliis, 23, q. 8, et ex cap. 1, Ne cleric. vel monach., et cap. Ex multa, de Voto, § ultim. Est enim actio illa valde aliena a ministerio sacerdotali et ideo merito clericis prohibetur. Quod intelligendum puto de clericis in sacris, et inferioribus in statu clericali permanentibus. Nam si illi renunciaverint et clericali privilegio non fruantur, sub hac prohibitione non comprehendentur, quia jam se gerunt ut laici. Secundum est, nihilominus posse clericos licite interesse hujusmodi bello ex pia causa et legitima superioris licentia; ita D. Thom., 2. 2, quæst. 40, art. 2, ad 2. Probatur, quia neque hoc malum est, neque ullo jure prohibitum, imo est concessum in dict. cap. Ex multa, § De clericis, et est in Ecclesia valde usitatum, et necessarium saltem ad spirituale bonum fidelium militum. Unde ad hoc ministerium exercendum non solum in bello justo, sed etiam in bello injusto possunt adesse clerici in exercitu fidelium, quia, licet bellum sit injustum, multi excusari poterunt propter ignorantiam; alii vero corripi possunt et emendari saltem in fine vitæ.

8. *An in bello justo possit clericus milites exhortari ad strenue pugnandum absque irregularitate. — Pars affirmans vera. — Etiamsi absque licentia clericus tali bello intersit.* —

Dubitatur autem, an liceat clericis sine periculo irregularitatis exhortari ad strenue pugnandum in bello justo. In quo certum est, antecedenter licere consilium dare eunti ad tale bellum, et ante actualem congressum animare ad strenue se gerendum, etc., sine dicto periculo. Ita enim sumitur ex c. Maximianus, 23, quæst. 3, cum aliis, 23, quæst. 8, et a fortiori patebit ex dicendis. De actuali vero conflictu est aliqua controversia. Nam Innocentius et Hostiensis, quos sequitur Sylvester, *Bellum*, 3, num. 4, putant secuto effectu contrahi irregularitatem a clerico exhortante, dicto modo. Contraria vero est recepta sententia in cap. penult., de Homicid., Gloss., in cap. Siscitaris, verb. *Prodire*, 7, quæst. 1; Antonin., 3 part., tit. 28, c. 2, § 6; Alvarus Pelag., lib. 1 de Planctu Eccles., cap. 48; Covarruvias, dict. 2 part., § 3, n. 2; Navarr., num. 215; Tabiena, *Irregularitas*, 3, num. 21; et hanc sententiam judico veram, cui favent jura, 23, q. 8; nam quod exhortatio sit in actuali conflictu, non mutat concursum. Sed in primis erit hoc certius, si supponamus clericum licite, et ex pia causa, ac justa facultate interesse bello, ut omne tollatur vestigium illiciti operis. Ille ergo sic exhortando non male facit, quia nec contra justitiam, cum exhortetur ad opus justum; nec contra specialem aliquam prohibitionem, nulla enim extat, supposito quod licite intersit tali bello. Rursus ille non directe provocat ad homicidium (tunc enim fieret irregularis), sed ad fortiter pugnandum; valde ergo remote et per accidens se habet ad homicidium; non ergo ejus voluntati imputandum est; ergo nec irregularitas inde contrahitur. Addo vero, quamvis clericus vel religiosus contra obedientiam vel prohibitionem Ecclesiæ male faciat tali bello assistendo, nihilominus non incurrere irregularitatem propter illam solam generalem exhortationem ad strenue pugnandum. Probatur, quia illa culpa quam committit clericus sic bello assistens, nimis extrinseca est ad homicidium, nec reddit illud magis aut minus voluntarium, solumque est contra prohibitionem positivam, quæ non est facta intuitu vitandi periculum homicidii, sed ut servetur debitus ordo et decentia clericorum, et subordinatio quam habere debent ad Prælatos suos.

9. *Imo etiam si militet, modo propriis manibus non mutilet. — Objectioni satisfit.* — Denique addo, etiamsi clericus sit in tali bello justo militando et vulnerando, si tamen propriis manibus neminem mutilet, vel occidat, vel sit causa proxima ut alii faciant, non incurrere irregularitatem, etiamsi in tali bello multa homicidia sequantur. Ita docent Covarruvias, Navarrus, et alii auctores supra citati, quorum sententia videri potest difficilis, quia illa actio videtur specialiter prohibita clericis propter periculum homicidii, atque ita sequuto effectu, habere irregularitatem annexam, juxta principia juris. Nihilominus verissima est hæc sententia et satis expressa in dict. cap. Petitio, de Homicid., et alia supra citata de clericis loquuntur, quæ per argumentum a fortiori adduximus, ut idem de laicis probaremus. Ratio vero est, quia illi neque mutilant, neque deformant, neque sunt causa proxima deformationis. Quod autem peccent, extrinsecum est ob positivam prohibitionem. Cum autem instatur, hanc prohibitionem esse ob periculum sanguinis, respondeo, esse ob periculum, ne sanguis effundatur ab ipsomet clerico præliante, non vero ab aliis, nam Ecclesia non intendit, nec vult, ut alii milites non effundant sanguinem in tali bello justo, neque igitur vult vitare periculum illius effusionis, ut a laicis, sed ut a clericis fieri potest; ergo, si hoc periculum non perveniat ad effectum ex actione propria ipsiusmet clerici, peccatum illud non habet annexam irregularitatem.

10. *C. Quod in dubiis, de Pœnis, objicitur. — Exponitur primo. — Exponitur secundo. — Exponitur tertio.* — Sed objici potest cap. Quod in dubiis, de Pœnis. Ubi ait Pontifex deponendos esse clericos, qui gubernant naves ad pugnam, vel per se militant, vel alios incitant ad præliandum, quia gravissime peccant, nec requirit aliam sanguinis effusionem ab ipsismet clericis factam. Respondeo primo, si argumentum esset validum, etiam non esset necessarius effectus deformationis humanæ sequutus in tali bello ex quorumcumque militum actione, quia etiam de hac effusione nulla fit mentio in illo textu, sed de solo peccato. Prima igitur expositio est, ut textus ille intelligatur de bello injusto. Ita Glossa ibi, et apparenter probat, quia incitando ad pugnam in bello justo non peccat clericus, ut ex aliis juribus constat, 23, q. 8. Adhuc autem subintelligendum est, effectum mutilationis vel mortis esse sequutum in bello, ex quorumcumque militum actione. Unde posset esse secunda expositio, ut decisio illa procedat etiam in bello justo et de pœna irregularitatis, ita tamen ut singula membra cum

debita proportione intelligantur. Nam incitatio ad pugnam talis esse debet, ut in particulari etiam inducat ad homicidium vel mutilationem, ut intellexisse videtur Navarrus exponendo eumdem textum num. 216; personalis etiam pugna futura est cum actuali executione deformationis; gubernatio autem navis videtur causa sufficiens irregularitatis, etiamsi effectus tantum sequatur immediate ex aliorum actionibus, quia est veluti universalis causa influens cum omnibus militibus seu applicans omnes causas proximas, et maxime quia in particulari ita gubernatur navis ad singulos ictus prout necessarium censetur, ut habeant effectum. Tertio et simplicius, juxta verba litteræ potest intelligi textus ille de quocumque bello, quia ibi nulla fit restrictio; de clericis autem, qui in eo inique assistunt et actiones ibi numeratas peccaminose exercent; non tamen de irregularitate, sed de aliqua pœna depositionis ab homine imponenda, ut Panormitanus intellexit, et Abbas etiam antiquus, juxta proprietatem illorum verborum : *De rigore canonico eos credimus puniendos.* Hæc autem pœna posset ab Episcopo imponi propter gravitatem delicti immiscendi se indebito modo actibus prohibitis et indecentibus statui clericali, etiamsi non sequatur ex illis effectus effundendi sanguinem; secus autem est de irregularitate.

11. *Corollarium.* — Atque ex dictis sequitur, clericum vel Prælatum Ecclesiæ, qui dat arma militibus, ut in bello justo pugnent, non incurrere irregularitatem, etiamsi cum illis postea occidant, sicut supra de laicis dictum est, quia in hoc nulla distinctio est inter clericum et laicum, licet oppositum teneat Sylvester, *Homicid.*, 3, quæst. 6, vers. 5, et Angel., *Irregularitas*, 1, n. 15. Quod autem diximus, tenet Navarrus, num. 216, et sequitur evidenter ex dictis, quia ejusdem rationis est dare arma ac dare consilium vel voluntatem exhortando. Est autem advertendum, Navarrum et alios in his casibus addere limitationem, nisi arma dentur ex intentione, ut milites occidant. Ego vero intelligo, intentionem mere internam nihil ad hoc operari, intelligendumque id esse, quando illa intentio exterius exprimitur dando arma determinate ad homicidia facienda, etiam justa, et ad illa exhortando. Quando autem solum dantur ad strenue pugnandum vel etiam ad procurandam victoriam, non incurritur irregularitas, etiamsi clericus moraliter certus sit de effectu vel etiamsi illum desideret : tum quia illud desiderium nihil exterius operatur, ut sit fundamentum irregularitatis, et per se ad illam non sufficit; tum etiam quia tale desiderium ex se justum est, et includens virtualiter conditionem, si alio modo victoria comparari non potest.

12. *De dispensatione hujus irregularitatis.* — Ultimo loco dicendum supererat de dispensatione hujus irregularitatis. Sed quod attinet ad jus commune satis constat ex dictis; solus enim Papa ex jure communi potest in illa dispensare. Dicunt autem communiter Doctores citati, hoc ipso quod Papa confert alicui clerico facultatem præliandi in bello, facere illum immunem ab irregularitate etiamsi occidat, veluti anticipatam dispensationem ei concedendo. Quod intelligendum est, quando expresse concedit facultatem pugnandi propriis manibus, quia tunc dispensando in substantia legis, dispensat in omnibus annexis. Secus vero est, si det tantum facultatem existendi in bello etiam cum armis defensivis et offensivis, nam si aliud non exprimat, non censetur absolute concedere usum illorum, sed si necessarius fuerit ad propriam defensionem. De Episcopis vero certum est, non posse in hac irregularitate dispensare ex decreto Concilii Tridentini, sess. 24, c. de Reform., quia ibi solum conceduntur irregularitates ex delicto; hæc autem non est ex delicto. Quod bene notavit Navarr., num. 194.

13. *Quorumdam sententia improbatur.* — Dicunt vero aliqui, ex jure antiquo posse Episcopos dispensare in hac irregularitate, si sit occulta. Sed hoc nullo jure probari potest, et ideo rejiciendum est, ut etiam advertit Navarr., num. 218, in fine. Addendum vero est, eos, qui possunt ex privilegio dispensare in irregularitatibus cum exceptione homicidii voluntarii, posse in hac irregularitate dispensare, quia sub homicidio voluntario non comprehenditur illud, quod juste fit, quia simpliciter non est homicidium, ut notavit D. Thom., 1. 2, quæst. 88, art. 6, ad 3, citans August., lib. 1 de Libero arbitrio, cap. 4 et 5, de quo latius in 2. 2, quæst. 64. Sunt ergo hæ irregularitates quasi specie diversæ, et ideo sub exceptione unius non includitur alia. Quod recte docuit Cajetan., verb. *Irregularitas,* et Corduba, in Summ., quæst. 34; et Armilla, verb. *Irregularitas,* num. 13, et sumitur ex Navarro, et aliis supra. Unde religiosi mendicantes, qui habent privilegia dispensandi cum suis religiosis in omnibus irregularitati-

bus, exceptis irregularitatibus bigamiæ et homicidii voluntarii, ut ex compendiis privilegiorum et ex aliis auctoribus constat, poterunt etiam in hac irregularitate dispensare; de quibus privilegiis latius in proprio opere, Deo bene juvante, dicere paramus.

SECTIO VII.

Utrum per alias actiones contrahatur irregularitas ob defectum lenitatis.

1. Præter actum judicii et belli justi, numerari hic solent irregularitates, quas interdum contrahunt medici, vel chirurgi, vel eorum ministri, qui eos adjuvant ad secandum brachium, v. gr., et infirmarii qui curam geruut ægroti et suis actibus interdum accelerant ejus mortem. Nam hi omnes videntur contrahere irregularitatem absque peccato, occasione mortis aut mutilationis; ergo ob defectum lenitatis.

2. *Conclusio.* — Dicendum vero est, ex hoc capite nunquam contrahere has personas irregularitatem. Nam loquendo in primis de laicis, si debitam diligentiam et peritiam adhibeant in suo munere, etiamsi mors sequatur, non incurrunt irregularitatem, cap. Ad aures, de Ætate et qualitate. Incurrent autem illam, si ex imperitia aut negligentia; ex eorum actione sequatur mors. Illa tamen irregularitas non est ex defectu lenitatis, sed ex delicto, pertinetque ad homicidium casuale, potius quam ad voluntarium. Quæ regula communis est chirurgis, ut recte notavit Sylvest., verb. *Homicidium,* 2, quæst. 13 et 14, et a fortiori etiam extenditur ad eorum ministros et cooperatores, ut recte Navarr., num. 218, quia non est pejoris conditionis cooperator, quam agens principale. Differentia autem inter hos omnes, ac judices et ministros eorum, primaria est, quia jura ponunt irregularitatem in uno casu, et non in alio. Hujus vero ratio est, quia illorum actio per se ordinatur ad vindictam et ad sanguinis effusionem; horum vero ad vitæ conservationem.

3. *De infirmariis.* — Unde etiam concluditur, eamdem regulam servandam esse cum his, qui habent curam infirmorum. Nam, si convenientem providentiam adhibeant, nunquam incurrunt irregularitatem, nisi interveniat culpabilis negligentia, ita ut periculum accelerationis fuerit prævisum vel prævideri potuerit et ex notabili negligentia prætermissum fuerit. Quæ est communis sententia Cajetani, 2. 2, quæst. 64, art. 8; Soti, 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9; Navarri, num. 29; Tabienæ, *Irregularitas*, 3, num. 12 et 13; Armillæ, num. 48; Angeli, *Homicidium,* 2, num. 14; Sylvestri, quæst. 11; Maioli, lib. 5, cap. 48, § 1.

4. *Quæ actiones sint circa hoc clericis prohibitæ.* — Hæc autem omnia eodem modo procedunt in clericis, præterquam in casibus in jure expressis, qualis est in cap. Tua nos, de Homicidio; ibi enim prohibetur clericis chirurgiæ artem exercere, unde si ex actione ejus sequatur mors, etiamsi non sequatur ex culpa ejus, sed ex negligentia infirmi vel alia de causa, nihilominus irregulares fient, quia actio illa eis prohibita est ratione talis periculi et sub illa conditione, de quo supra dictum est, et videri possunt auctores in locis proxime citatis.

DISPUTATIO XLVIII.

DE IRREGULARITATE, QUÆ EX INFAMIA CONTRAHITUR.

Quamvis infamia delictum per se non sit, ex delicto tamen oriri solet, et ideo post irregularitates, quæ ex delictis nascuntur, hanc proxime adjungimus, quæ illis maxime affinis est, quamvis interdum possit sine delicto contrahi. Prius ergo de ipsa infamia videndum est, quid et quotuplex sit, et unde oriatur; deinde quomodo ex illa irregularitas contrahatur, et quomodo etiam tollenda sit.

SECTIO I.

Quid sit infamia et quotuplex.

1. *Fama quid.* — Constat ex voce ipsa infamiam esse quamdam bonæ famæ privationem vel diminutionem. Est autem fama (quæ absolute dicta in bonam partem accipitur), *illæsæ dignitatis status, vita et moribus comprobatus et in nullo diminutus,* ut dicitur in l. Cognitionem, ff. de Variis et extraordinariis criminibus. Infamia ergo erit imminutio hujus status, quæ per publicam malamque opinionem de persona fit, et hæc ipsa sinistra opinio publica est infamia. Unde sicut Augustinus, lib. 83 Quæstionum, quæst. 31, definit bonam famam seu gloriam esse claram notitiam cum laude, ita nos dicere possumus, infamiam esse obscuram notitiam, et reprehensione seu vituperatione dignam.

2. *Infamia ex parte materiæ duplex.* — Unde in primis constat, materiam, circa quam versatur infamia, esse vitium aliquod vel defectum personæ. Ex quo capite duplex potest distingui infamia, ita ut una sit de vitio, quod sit proprium peccatum seu delictum personæ, cujus manifestatio personæ existimationem diminuit; alia sit de aliis qualitatibus seu defectibus personæ, quæ sine culpa ejus, statum dignitatis ejus diminuant; et utraque ad præsentem considerationem pertinet, quamvis magis prima, ut videbimus.

3. *Secunda divisio infamiæ in legalem et popularem.* — Solet autem ulterius distingui in infamiam juris et facti, nam de utraque fit mentio in jure. De priori, in l. 1, 2 et 3, ff. de His qui notantur infamia, cap. Infames, 3, quæst. 7; de posteriori, in cap. Licet, de Testibus, cap. Licet, de Probationibus. Ut autem hæc communis distinctio melius exponatur, aliam licet non adeo vulgarem præmitto, qua possumus infamiam dividere in legalem et communem, seu popularem, vel humanam; quarum prior etiam dici potest infamia juris, et posterior facti. Quam divisionem sumo ex l. Eam, C. Ex quibus causis infamia oriatur, quæ sic habet : *Ea, quæ pater testamento suo filios increpans, scripsit, infames quidem filios jure non facit* (ecce infamiam juris). *Sed apud bonos et graves opinionem ejus, qui patris displicuit, onerat* (ecce communem infamiam facti). Legalem ergo infamiam appello illam, quæ ex vi alicujus legis humanæ habet aliquos morales effectus, ratione quorum specialis quædam moralis macula reputatur, et quia in ea ratione completur per institutionem humanam, ideo legalis appellatur, et eodem sensu dici potest infamia juris quoad suam primævam originem et institutionem. Communis autem seu popularis infamia dicitur opinio quædam, quæ obscurat quidem personæ æstimationem et aliquo modo vilem eam reddit, non ex vi alicujus legis, quia nullam inde habet institutionem, neque ullum effectum, sed solum ex hominum judicio et apprehensione, ideoque dici potest infamia facti, ut, v. gr., communis opinio de aliquo, quod descendat ex secta damnata, si non foveatur aliquo jure habente talem personam suspectam, vel eo titulo inhabilitatem aliquam introducente, erit infamia quædam communis et humana; si autem accedat tale jus, erit legalis. Hic ergo esse posset unus sensus illius communis partitionis infamiæ juris et facti, communiterque hoc sensu accipitur, ut videre licet in Sylvest., et aliis, verb. *Infamia,* et Castro, ac Penna, locis infra citandis, et aliis, quos isti referunt; ad infamiam enim facti nullam juris dispositionem requirere videtur. Sed certe in ordine ad effectus morales, ut nunc de illa loquimur, necessaria est aliqua juris dispositio, quæ statuat quale crimen sufficiat ad infamiam, quod in præsenti maxime necessarium est, ut videbimus. Et ideo supponimus omnem infamiam, de qua sermo est in præsenti, debere esse legalem, quam iterum dividemus in juris et facti in alio sensu, nam alia divisio prius necessario præmittenda est.

Tertia divisio infamiæ in civilem et canonicam.

4. Tertio ergo dividitur legalis infamia in civilem et canonicam, juxta cap. ult. de Secundis nuptiis, ibi, *Legalis infamia,* id est, per leges civiles introducta; est enim ibi sermo de infamia, quam lex civilis imponit mulieri, quæ intra annum viduitatis transit ad secundas nuptias, quam infamiam jus illud canonicum abstulit. Unde constat infamiam juris civilis, per se distinctam esse ab infamia juris canonici. Quanquam verum sit infamiam juris civilis, quæ per jus canonicum expresse sublata non est, etiam esse infamiam canonicam, ut notavit Innocentius, in cap. Qualiter et quando, 2, de Accusat., et sumitur ex cap. Omnes, 1, 6, quæst. 1 : *Omnes,* (inquit Adrianus Papa) *infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant.* Quod intelligendum est, nisi jus ipsum canonicum talem infamiam abstulerit; nam tunc potius ipsa infamia civilis per superiorem potestatem juris canonici sublata censetur, ut bene notavit Glossa in dicto cap. *Cum secundum Apostolum.*

5. *Duplex regula ad dignoscendam infamiam canonicam. — Prima. — Secunda. — Aliqua peccata inducunt infamiam canonicam quæ non inducunt civilem.* — Unde duplex solet statui regula ad cognoscendam infamiam canonicam, quæ ad nos pertinet. Una est, omnem infamiam civilem per jus canonicum non revocatam, esse canonicam, non quia a jure civili lata est, sed quia a jure canonico accepta est, vel expresse in dicto cap. Omnes, vel tacite, dum eam non aufert, nam tanquam in re sibi favorabili, et rationi conformi consentire videtur. Secunda regula est

omnem illum, qui suis culpis exigentibus ad sacerdotium promoveri non potest, esse infamem secundum jus canonicum, ut eisdem fere verbis habetur in dicto cap. Omnes, et notarunt Abbas, et Innocentius, in cap. Testimonium, de Testibus. Qui advertunt dictum esse, *Qui suis culpis exigentibus,* quia quando propter alias causas aliquis removetur ab Ordinum susceptione, non propterea infamis efficitur, quod patet ex multis irregularitatibus, quæ sine ulla infamia contrahuntur, ut per secundas nuptias, per occisionem hominis in bello justo vel per justam sententiam. Et ratio est, quia multa possunt ad Ecclesiasticum Ordinem requiri, quibus potest homo carere sine infamia, vel dedecore. Unde obiter constat ratio, ob quam aliqua sunt peccata quæ inducunt infamiam canonicam, quæ non inducunt infamiam civilem, ut notavit Turrecremata in dicto cap. Omnes; multa enim peccata inducunt irregularitatem, quæ secundum leges civiles non efficiunt homines infames. Ratio autem est, quia plus exigitur ad statum Ecclesiastici Ordinis, ejusque decentiam, quam ad civilem temporalem politiam ac decorem, et ideo in ordine ad prædictum finem aliqua reputantur in jure canonico ad irregularitatem inducendam, quæ ex solo civili jure illam non inducunt. Ultimo occurrit circa hanc posteriorem regulam advertendum, illam non deservire præsenti instituto, quia secundum illam infamia est veluti quid consequens ad legem canonicam imponentem irregularitatem propter delictum; hic autem agimus de infamia, quæ antecedit irregularitatem, et est causa ejus ex vi generalis legis, quæ facit irregulares omnes infames. Et ideo in priori regula insistendum est; et deinde addi posset, multo magis esse infamiam canonicam, quam directe ipsum jus canonicum incurrit, etiamsi nullo alio jure imposita sit.

Quarta divisio infamiæ legalis in infamiam juris, et facti.

6. *Infamia facti.* — Quarto utraque infamia legalis, tam canonica quam civilis, in facti et juris infamiam dividi potest, vel (ut verborum æquivocatio tollatur), una dici potest infamia illata per actum juridicum, quam juris tantum appellamus; altera illata per quamcumque facti manifestationem, quam vocamus legalem facti. Quamvis enim talis infamia semper aliquo modo sit ex institutione juris, tamen applicatio ejus ad talem personam seu existentia ejus (ut sic dicam) aliquando fit juridico modo, ut per sententiam judicis, aliquando per solum factum hominis, ut per evidentiam facti publici, vel per divulgatum sermonem. Et in hoc sensu significatur hæc divisio in cap. ult. de Temporibus ordin., ibi : *Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent,* etc., ubi duo modi indicantur infamandi personam, unum per judiciarium ordinem, alium per facti evidentiam; ex priori modo resultat infamia juris, ad quam certum est sufficere sententiam definitivam judicis, per quam aliquis damnatus est, vel declaratus, ut convictus de crimine, ex l. Verbum, C. Ex quibus causis, etc. Ubi dicitur, interlocutoriam non sufficere, sed necessariam esse definitivam sententiam, causa cognita. Et ita censeo esse intelligenda citata verba ex dicto cap. ult.: *Si proposita crimina ordine judiciario comprobata,* utique complete et perfecte, quod non fit, donec definitiva sententia feratur. Et hæc est communis sententia, ut patet ex Glossa, et Doctoribus, in dict. cap. ult., et in cap. Vestra, et cap. ult. de Cohabitatione cleric. et mulier., et in cap. 1 de Exception.; Sylvester, verb. *Infamia*; Navarr., cap. 25, num. 73; Castro, lib. 2 de Justa hæreticorum punitione, cap. 9. Imo addendum est, jure canonico necessarium esse, ut per accusationem processum fuerit, nam si per viam inquisitionis procedatur, etiam si sententia sequatur, non sequitur infamia juris, ut notat Abbas, in cap. Inquisitionis, de Accusation., num. 2. An vero præter hunc modum sit alius sufficiens ad infamiam juris, statim explicabitur. Infamia autem facti esse dicitur, quando sine actu judiciario, ex ipso facto ab aliis cognito, sinistra opinio divulgatur de tali persona, atque infamia generatur; qualis vero notitia ad illam sufficiat, statim explicabitur.

7. *Quomodo infamia legalis ex sola sententia, aut solo facto generari possit. — Ratio dubii.* — Dubitari enim in primis potest circa divisionem hanc quomodo possit infamia legalis, de qua agimus, ex sola sententia aut ex solo facto generari. Duo enim in tali infamia necessaria sunt, substantia infamiæ, ut sic dicam, et legalitas. Primum non potest fieri per solam sententiam seu jus, quia infamia in sua substantia consistit in opinione et notitia hominum; hanc autem non efficit sen-

tentia vel jus ipsum per se, sed divulgatio et locutio hominum; si enim sententia in angulo proferretur et ibi occultaretur, non generaret publicam opinionem sinistram de persona; ergo nec generaret infamiam. Sententia ergo potest esse fons infamiæ, non tamen sola infamiam inferre, nisi conjungatur aliquod factum hominum. Secundum etiam, id est, factum ipsum et divulgatio hominum loquentium non sufficit ad infamiam legalem, nisi adjungatur sententia, quia quantumcumque sit evidens et publica notitia facti, illa non habebit effectus legales, donec sententia judicis accedat; ergo non erit infamia legalis, juxta ea quæ in secunda divisione dixi. Antecedens patet, quia infamia sub illa ratione habet rationem pœnæ, et hæc non incurritur absque judicis sententia.

8. *Quædam responsio ad priorem partem rejicitur. — Tria in infamia juris distinguenda.* — Ad priorem partem responderi posset, illam dici infamiam juris, quia ortum habet a sententia juridica, non quia præter illam prolatam seu promulgatam non sit necessarium aliquod factum hominum loquentium vel scribentium, ut infamia consummetur. Sed hoc non recte dicitur, quia in eodem puncto, in quo finitur juridica intimatio sententiæ, et transit in rem judicatam, incurritur et perficitur infamia. Ad quod explicandum tria possumus in infamia distinguere : unum est, jus quod unusquisque habet ad suam famam, quod dicitur dominium famæ, ratione cujus nemo potest sine injuria infamari, quamdiu integrum retinet dominium famæ suæ; aliud est veluti actualis possessio famæ, vel actualis ejus privatio per publicam notitiam et opinionem talis delicti de tali persona. Tertium est, inhabilitates aliquæ seu effectus morales, qui sequuntur in tali persona ex tali infamia.

9. *Per judicis sententiam aufertur jus ad famam.* — Quod ergo ad primum spectat, immediate fit per sententiam ipsam, si definitiva sit, ut dixi, et delictum sit ex his, quæ in jure notantur infamia, juxta l. 1, cum sequent., ff. de His qui notantur infam., et C. Ex quibus caus. infam., etc., et l. 1 de Postulando, l. 5, cum sequent., C. eodem, cap. Infames, § Porro, 3, quæst. 7. Idemque est quoties in sententia infamiæ pœna imponitur quæ ostendit turpitudinem delicti, et relinquit hominem infamem etiam post perpessam pœnam, ut dicitur in dict. § Porro. Requiritur tamen, ut talis pœna non solum in se abjecta sit, sed etiam per sententiam imposita, ut declaratur in l. Nullam, C. Ex quibus causis, etc. Quod ergo per talem sententiam statim dominium famæ amittatur, constans est apud omnes, quia sub hac ratione habet rationem talis pœnæ, et sententia potens est ad talem pœnam infligendam; ergo quoad illam secum affert executionem, nec enim posset aliter executioni mandari. Unde omnes fatentur non esse contra justitiam publicare delictum hominis sic juridice condemnati, quia jam est privatus dominio suæ famæ, quoad hanc partem, licet fortasse charitas possit interdum obligare ad non divulgandum illud, juxta occurrentes circumstantias, de quo videri potest Soto, lib. 4 de Justitia, quæst. 6, art. 3, ad 4, et lib. 5, quæst. 10, art. 2; Navarrus, cap. 18 Summæ, num. 26, et sequentibus; Cordub., tractatu de Detractione, membr. 4, quæst. 3, conclus. 6, et alii quos refert et sequitur Petrus Navarra, tom. de Restitutione, lib. 2, cap. 4, num. 286, et sequentibus.

10. *Actualis possessio famæ, quomodo per sententiam judicis auferatur. — Effectus legales infamiæ per ipsam judicis sententiam inferuntur.* — Secundum autem, scilicet, actualis spolatio famæ, seu contraria infamatio, fit suo modo per sententiam solum sufficienter, quamvis augeri possit per hominum sermonem. Patet, quia sententia ipsa dat quamdam publicam notitiam delicti; sicut enim illa manat ex scientia judicis ut sic, quæ est scientia publica, et profertur ministerio publico, et coram publicis ministris justitiæ, ita confert notitiam publicam, et consequenter publice obscurat famam. Et præterea dat aliis facultatem loquendi et divulgandi si velint, et consequenter in radice ac moraliter loquendo omnino eripit famam, quamvis actualem notitiam non possit per seipsum omnibus conferre, et quoad hoc crescere possit postea infamia veluti actualis. Et hoc solum probat difficultas tacta, quæ non obstat quominus talis infamia ante talem divulgationem simpliciter dicatur et propriissime infamia juris, quam denominationem semper retineat, etiamsi postea opinio crescat, et volet fama; semper enim eamdem rationem retinet. Quod vero spectat ad tertiam de legalibus effectibus infamiæ, in quo consistit, vel consummatur, ipsam esse legalem, certum est sententiam ipsam secum afferre executionem talium effectuum, quales sunt reddere personam inhabilem ad dignitatem, ad testimonium ferendum, juxta qua-

litatem infamiæ et similis. De quibus Sylvester et Summistæ, verb. *Infamia*. Probatur, quia pœna per sententiam infertur, et quoad hos effectus privativos secum affert executionem, ut de censuris dictum est, et statim amplius exponetur.

De infamia legali facti.

11. *Prima conclusio.* — Occurrebat vero statim dubium, an infamia quoad hæc omnia incurratur aliquando per solam legem ante omnem sententiam, sitque hic alius modus infamiæ juris. Sed hoc dubium simul cum altera parte proposita de infamia ipso facto expediendum est. Ad alteram ergo partem de hac infamia dicitur imprimis solam hominum notitiam vel opinionem de aliquo delicto non inducere infamiam legalem sine aliquo juris adminiculo, id est, sine lege instituente et mandante, ut tale delictum sit ex his, quæ homines reddunt infames, quod bene probat ratio dubitandi ibi facta, et quæ in prima divisione dicta sunt. Seclusa enim institutione juris humani, talis opinio gravabit quidem personam, et obscurabit illam, et reddere poterit indignam dignitatum et officiorum, quantum rei natura vel conditio ex se postulaverit, non tamen per modum pœnæ, vel legalis impedimenti, sed ex naturali tantum ratione; et ideo dicimus talem infamiam non esse legalem, sed humanam et quasi meri facti, cujus gravitas non tam lege humana quam ex intrinsecis circumstantiis et materia spectatur ad judicandum tam de culpa infamationis seu detractionis, per quam inferri solet, quam de moralibus effectibus ejus. Et de hac optime dixit Navarr., cap. 18, num. 20, tunc esse notabilem jacturam ejus, quando ratione illius homo reputatur indignus alicujus gravioris boni animæ, corporis aut fortunæ, quod contingit seclusa lege humana ex morali opinione et judicio hominum veluti per naturalem consequutionem. Nihilominus tamen non erit talis infamia ipso facto, qualis est illa, de qua nunc agimus, quia non erit legalis.

12. *Secunda conclusio.* — Deinde dicendum est, supposita legis institutione, dari aliquam infamiam ipso facto, et esse illam, quæ sine sententia judicis, vel aliquo ordine judiciario reddit hominem infamem. Hoc probant jura supra citata in dicta divisione. Ratio vero est, quia interdum institutio legis talis est, ut ad talem infamiam contrahendam nihil aliud requirat quam factum, et per seipsam fert sententiam, quod facere potest, præsertim in hujusmodi privativis pœnis. Unde constat hoc genus infamiæ facti non habere locum, nisi ubi lex illam expresse imponit per verba, quæ sufficienter significent latam sententiam, qualia sunt, *ipso jure*, vel *eo ipso, absque alia declaratione*, sicut supra de censuris dictum est. Alioqui si verba indifferentia sint, etiamsi, *Qui hoc fecerit, infamis sit*, intelligenda est, *per sententiam*, juxta generalem regulam legis pœnalis. Sæpe tamen adduntur prædicta verba, ut videre licet in citatis juribus, et in aliis, quæ late congerit Maiolus, lib. 3, cap. 1, et tunc procedit doctrina data.

13. *An perpetratio delicti per accidens occulti ad hanc infamiam sufficiat.* — Sed oritur hic gravis difficultas; nam sequitur, ad hanc infamiam facti nec publicam notitiam esse necessariam, sed satis esse perpetrationem ipsam delicti, tametsi per accidens sit occultum, ad hanc infamiam contrahendam, sicut sufficit ad incurrendam censuram similibus verbis impositam. Consequens videtur involvere repugnantiam, nam crimen manere occultum, et per solum factum incurrere infamiam, repugnantia videntur, cum publica notitia sit de ratione infamiæ præsertim facti. Responderi potest admittendo illationem, illam vero infamiam non esse facti, sed juris, alterius tamen modi quam sit illa quæ infertur per sententiam hominis, scilicet, per ipsummet jus legis illata; et ideo non postulare notitiam publicam facti aut juris, sed solam conscientiam operantis. Sed hoc ipsum est, quod videtur involvere repugnantiam, scilicet, quod sit infamia, et quod sit absque ulla notitia publica, cum hæc sit de definitione infamiæ, ut sic dicam. Unde licet in aliis privativis pœnis habeat locum ille modus exequutionis per ipsam legem, in infamia non videtur habere posse, quia non potest lex per se auferre bonam opinionem, in qua consistit fama, et in ejus privatione infamia.

14. *Castri responsio.* — *Impugnatur.* — Propter hanc difficultatem Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 15, in fine, ait, hanc infamiam non incurri ipso jure vel facto per delictum occultum, etiamsi lex dicat, *ipso jure*, vel quid simile. Et hoc putat esse singulare in pœna infamiæ propter specialem repugnantiam; unde sentit non posse aliud per legem fieri, etiamsi legislator velit. Huic autem opinioni in primis obstat, quia juxta

illam vel est repugnantia in legibus ponentibus hanc pœnam ipso jure seu ipso facto, vel superflue adduntur similes particulæ. Dices, non esse superfluas, quia saltem operantur, ut sufficiat sententia declaratoria, et non requiratur condemnatoria. Sed contra, quia vel illa sententia declaratoria, operatur tantum a die quo profertur, vel retrotrahitur usque ad diem commissi criminis. Si primum, non est tantum talis sententia declaratoria, sed etiam condemnatoria respectu talis pœnæ, quia secum affert executionem talis pœnæ, nec potest aliter illam inferre, nisi publice notificando delictum. Sicut in sententia excommunicationis, quæ solum declarat censuram incurri ab eo tempore, in quo ipsa sententia fertur, non potest distingui sententia declaratoria a condemnatoria. Si autem detur secundum, quod scilicet sententia retrotrahatur, ergo per illam declaratur pœnam fuisse incursam a die commissi criminis; nihil enim aliud est sententiam retrotrahi, quam per illam hoc declarari. Declaratur, quia non repugnat pœnam infamiæ hoc modo fieri per legem; ergo si verba legis hoc satis significant, ita contrahetur. Antecedens patet, quia si repugnaret, in nulla lege vel delicto id fieri posset; at in peccato hæresis contrarium docet idem Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., cap. 9, nam in principio dicit, occultum hæreticum esse infamem infamia juris, licet nondum sit infamia facti, quia ejus delictum non est manifestum. Et idem tenet Penna referens alios in Director. Inquisit., p. 1, comment. 4.

15. *Dubii resolutio. — Per factum per accidens occultum inducitur infamia, quæ consistit in publica notitia etiam quoad dominium.* — Quapropter ad difficultatem respondeo in infamia distinguenda esse duo vel tria, quæ supra insinuavi, scilicet substantiam famæ, quæ est quasi materiale in ipsa, et consistit in publica notitia vel opinione, et moralitas seu legalitas infamiæ, quæ est veluti formale. Quoad primum ergo constat non auferri ipso facto per legem, quamdiu occultum est delictum, ut probat difficultas proposita. Oportet autem in hac ipsa substantia famæ duo alia distinguere, scilicet, actualem possessionem ejus, et dominium illius. Et de priori quidem est per se clarum non auferri quamdiu crimen est occultum, et hoc ad minimum demonstrat ratio facta. De dominio autem id posset in dubium verti; sicut enim hæreticus juxta probabilissimam sententiam a die commissi criminis privatur dominio bonorum ex vi legis, quamvis non privetur possessione et usu illorum, ita posset intelligi de fama. Quod plane sentit dict. c. 9, dicens, hæreticum ita incurrere infamiam ante sententiam, sicut amittit dominium suorum bonorum, licet non amittat possessionem, quod statim extendit ad omnia delicta, propter quæ leges imponunt infamiam ipso jure. Sed est sententia rigorosa, et nisi commode explicetur, erit falsa. Si enim sensus sit ita perdi dominium famæ ipso facto ex vi talium legum, ut possit delinquens sine injustitia infamari, licet occultum sit delictum, sicut diximus posse post sententiam definitivam, sic falsa est opinio. Probatur, quia non privatur possessione vel usu famæ suæ; ergo non potest juste illa spoliari ante sententiam; ergo nec infamari per publicationem delicti occulti, quia non potest quis aliter spoliari et privari possessione famæ suæ. Antecedens et prima consequentia patent a simili de amissione aliorum bonorum, quorum possessio non perditur ipso facto, nec potest quis illis spoliari ante sententiam; nullo autem jure fit major privatio famæ per hujusmodi leges ante sententiam, quam aliorum bonorum, nec datur aliis major licentia ad tollendam illam. Et revera non esset expediens, quia esset occasio imponendi falsa crimina et generandi magnas dissensiones et odia. Si ergo non obstante tali delicto occulto, adhuc retinet quis jus in famam suam, ratione cujus non potest illa sine injustitia privari, videtur retinere dominium ejus, quia vix potest dominium famæ habere alium effectum, neque alium proprium usum. Nihilominus quoad aliquid intelligi potest dominium illud famæ infirmari ipso facto, ut jam explicabo.

16. *Incurritur tamen in ordine ad effectus legales.* — De altera ergo conditione infamiæ, quæ consideratur in ordine ad effectus legales, dicendum est, per hujusmodi leges incurri infamiam ipso facto, etiamsi crimen occultum sit. Probatur, quia ex tunc fit persona indigna et inhabilis ad eos effectus, ad quos infames sunt inhabiles secundum jura, ut de hæretico affirmant auctores citati, et eadem est ratio de reliquis, si jura eodem modo loquantur. Quia lex potest per seipsam infamiam inurere quoad hanc partem, et verba ejus significant etiam velle; ergo id operatur. Et quoad hoc dici potest infirmatum dominium talis famæ, quia non potest

qui illa uti, ad obtinendum, verbi gratia, beneficium vel officium publicum, quia obtentio erit nulla; et sententia declaratoria criminis postea lata retrotrahetur usque ad diem commissi criminis quoad hujusmodi effectus, et consequenter declarabitur talis persona in se quidem fuisse infamis, et indigna a tali die, licet ignoraretur, argumento l. Furti, ff. de His qui notantur infamia, licet in alio casu loquatur; talis ergo infamia dici potest infamia juris, quatenus virtute solius legis incurritur, et dici potest infamia vi facti, quatenus nec sententiam, nec aliam publicationem requirit, ut incurratur.

17. *Quales sint actus facti ab hujusmodi infami ante sententiam declaratoriam. — Quomodo teneatur ab eis abstinere.* — Dices: ergo omnes actus facti a tali persona a die commissi criminis erunt nulli, si tales sint, ut ab infami persona valide fieri non possint, et sententia postea lata retrotrahetur ad nullitatem omnium talium actuum declarandam. Respondeo, si sint actus publicæ administrationis, et facti sub titulo publice existimato vero, non annullari, in gratiam communis boni, ut supra de censuris dictum est; si vero sint actus privati, concedo irritari quantum per legem possunt, et consequenter sententiam postea latam ad eorum nullitatem retrotrahi. Ideoque si talis persona Ordines suscepit, declarabitur postea irrita ordinatio, non quidem quoad substantiam ordinationis (id enim fieri non potest), sed quoad exercitium ejus, ut jura sæpe declarant. Ita ergo de similibus actibus judicandum est. Sed dicet præterea aliquis: ergo cogetur hujusmodi criminosus occultus ab his actibus abstinere, etiam ante condemnationem, et consequenter sæpe tenebitur se infamare. Respondetur per se loquendo, teneri ad abstinendum quantum commode possit, quia illi prohibiti sunt hoc ipso quod jure factus est infamis; tamen si actus alias non sint intrinsece mali, sed solum prohibiti, interdum poterit excusari exercendo illos, si aliter vitare quis non possit sui delicti manifestationem, aut vehementem suspicionem, aut simile incommodum grave, quod nemo sibi inferre cogitur, sicut de censuris diximus.

18. *Quando lex imponit infamiam ipso facto propter crimen publicum, non incurritur per occultum per accidens. — Sed per publicum etiam ante sententiam declaratoriam. — Corollarium.* — Ultimo vero addendum est, quando lex imponit ipso jure infamiam propter delictum notorium aut publicum, tunc quidem non contrahi ipso facto per delictum occultum, contrahi vero plene et perfecte per publicum delictum ante sententiam declaratoriam, et consequenter per publicationem delicti prius occulte commissi, quamvis non jure, sed facto divulgatum sit. Atque hæc infamia dici etiam potest aliquo modo facti, quatenus non requirit juridicam publicationem delicti. Quæ tota assertio partim per se clara est, partim ex dictis illata. Prima enim pars de delicto occulto est evidens, quia pœna non debet extendi ultra verba legis; si ergo lex tantum infamat per seipsam publicum delinquentem, non habet effectum in occulto. Secunda vero pars patet contraria ratione, quia lex operatur quantum exprimit; sed talis licet postulet delictum publicum, non tamen requirit juridicam manifestationem, sed absolute publicam notitiam vel evidentiam, et subjungendo particulam, *eo ipso*, vel similem, excludit necessitatem juridicæ sententiæ: ergo. Ultima vero pars ad modum loquendi spectat, et per se clara est. Unde constat, quod licet talis reus, quamdiu delictum fuit occultum, non esset inhabilis ad beneficium, verbi gratia, ad testimonium ferendum, ex vi talium legum, eo ipso quod delictum publicum est effectum, est inhabilis, et contrahit omnes effectus legalis infamiæ; nam legalitas seu formalitas ejus in hoc consistit, et quoad eam infertur per ipsam legem, supposita conditione delicti. Et in hac doctrina conveniunt auctores citati et citandi

Delictum quando publicum reputetur ad infamiam.

19. *Apud quas personas debeat spargi notitia.* — Declarandum vero superest, quando delictum reputetur sufficienter publicum ad hunc effectum infamiæ legalis. De hac enim re nihil certo jure taxatum est, et ideo auctores arbitrium prudens requirunt. Ad hoc autem definiendum arbitrium, tria expendenda videntur, qualitas personarum habentium notitiam delicti, numerus earum, et modus notitiæ. De prima circumstantia solum dicere possemus, oportere, ut apud bonos et cordatos viros talis spargatur opinio. Nam si personæ sint leves et facile moveantur, non sufficiunt ad infamiam, etiamsi plures sint, argum. c. Sunt plurimi, 6, quæst. 11, ut Gregorius ait, sæpe viros sanctos hanc infamia laborare, eamque contemnere juxta illud

Pauli, 2, Cor. 6 : *Per infamiam et bonam famam*. Estque communis doctrina.

20. *Quis numerus personarum sufficiat ad delicti publicitatem.* — Circa numerum personarum necessarium videtur, ut in tota vel majori parte communitatis evulgata sit; non enim oportet, ut sit publicum in tota provincia vel civitate, ut omnes fatentur; ergo saltem esse debet in communitate, ut sic dicam, proxima, in qua quis degit. Quod sumitur ex Glossa ult. in cap. Inquisitionis, de Accusationibus, et Bartholo, in l. De minori, § Plurimum, num. 10, ff. de Quæstionibus; tenet Soto, Relect. de Tegendo secreto, memb. 2, quæst. 6. Et idem videtur sensisse Navarr., in Summ., cap. 27, num. 255. Idem tamen Navarr., cap. Inter verba, coroll. 48, 185, hanc sententiam improbare videtur, negatque esse Bartholi aut Glossæ, et concludit necessarium non esse, ut existat infamia respectu alicujus loci, sed sufficere communem opinionem, ad quos spectat illud scire. Re tamen vera Glossa id aperte affirmat, et Bartholus non dissentit, sed explicat, apud quas personas debeat considerari infamia; et hoc modo recte dicit non esse affixas loco, sed considerandas esse per respectum ad personam infamatam et delictum ejus, quod et nos fatemur. Nec contrarium sentiunt Soto, vel alii, cum dicunt, infamiam debere spargi per majorem partem viciniæ, monasterii aut collegii, etc., sed cum proportione hoc intelligunt; nam in religioso, v. gr., fama, quoad vitam religiosam, considerabitur in suo monasterio; quoad factum vero in aliquo oppido, per notitiam ibi sparsam. Et ita etiam verum est infamiam considerari in personis, ad quas talis cognitio spectat; in eis vero oportet, ut in majori parte communitatis divulgata sit. Addit vero Navarr., dict. num. 255, oportere communitatem constare saltem ex decem personis, quia hoc sufficit, et requiritur, ut delictum sit publicum, ut est communis sententia Panormitani et aliorum in cap. Vestra, de Cohabitatione clericorum et mulierum, de qua videri possunt Sylvester et alii, verb. *Infamia*, et verb. *Notorium*, et Navar., cap. 25, num. 73.

21. *Qui modus notitiæ requiratur ad infamiam.* — *Navarrus exponitur.* — Unde circa tertium punctum de modo cognitionis necessario ad infamiam facti, si loquamur de infamia secundum se, dicendum est non requiri evidentiam delicti apud omnes, ad quos fama pervenit, ut est per se notum ex usu. Et quia aliud est delictum esse notorium vel manifestum, ad quod requiritur evidentia apud omnes vel plures, aliud vero est esse famosum, ad quod satis est opinio publica orta ex judiciis probabilibus, ut Navarr. tradit, dict. num. 255, et Sylvest., verb. *Infamia*, n. 3, ex Gloss., in cap. Manifesta, 2, quæst. 1, et cap. Vestra, de Cohabit. cleric. et mulierum. Ad infamiam autem sufficit delictum famosum. Præterea bona fama non semper fundatur in evidentia rei, sed in bona opinione; pari autem modo mala ad infamiam sufficit. Confirmatur ex l. Cognitionem, ff. de Variis et extraord. crim., dicente : *Fama est illæsæ dignitatis status, vita, et moribus comprobatus, et in nullo diminutus.* Constat autem per evulgatam opinionem contrariam verisimilem probatis viris, multum diminui bonum nomen personæ, quia talis opinio ad infamiam sufficit. Confirmatur denique, quia jura sæpe imponunt vel admittunt purgationem infamiæ; ergo supponunt esse posse infamiam nec evidentem, nec in veritate, sed in rumore fundatam. Sed licet loquendo in genere de infamia, hæc vera sint, tamen ad infamiam legalem Navarr., cap. 25, num. 73, videtur postulare evidentiam delicti; nam propterea dicit necessarium esse crimen notorium, et non sufficere famosum, vel probabile. Sed intelligendum hoc est, quando jus loquitur de crimine notorio; nam tunc restringendum est. Si vero loquamur de famoso, vel absolute de publico, sufficiet ea probabili et publica opinio, quæ ad infamiam satis est, quia quoad hoc pendet res hæc ex dispositione juris.

22. *An confessio rei in judicio sufficiat ad infamiam.* — *Prima conclusio.* — Ultimo inquiri solet, an confessio rei in legitimo judicio ad infamiam sufficiat, si alias crimen sit ex his, quæ in jure notantur infamia. Ad quod breviter dicendum in primis est, si propter tale crimen non sit per legem infamia ipso jure imposita, sed imponenda, non satis esse confessionem juridicam, ut censeatur incursa, donec sententia lata sit. Ratio est, quia nulla pœna, quam lex ipsa per se non infert, censetur imposita, donec per judicem imponatur, quantumvis reus fateatur delictum ; ergo nec infamia. Et in hoc casu maxime procedit, quod leges civiles disponunt, neminem censeri infamem, donec condemnatus est, l. 1, ff. de His qui notantur infam.; nemo autem censetur condemnatus de crimine propter solam confessionem ejus, l. Si confessus, ff.

de Custod. et exhib. reor. Item, quia evidentia criminis etiam maxime publici per notitiam facti non sufficit ad infamiam legalem in eo casu, donec feratur sententia, ut ex communi sententia dictum est; ergo nec confessio in judicio sufficiet; illa enim duo quoad hoc æquiparantur.

23. *Secunda conclusio. — Quid si confessio non fuit ex veritate rei.* — Secundo vero dicitur, si lex inferat ipso facto infamiam propter delictum, confessionem rei in legitimo judicio factam sufficere ad infamiam. Est certa et communis assertio, ut patebit; declaratur autem in hunc modum : nam illa confessio sufficit, ut tale delicium sit publicum publicitate juris, imo et notorium, ut expresse affirmat Navarr., supra, dict. num. 73; Glossæ et Doctores per textus ibi, in cap. Vestra, et cap. ult. de Cohabit. clericor. et mulier., et in cap. ult. de Tempor. ordin., et in cap. 1 de Except., in quibus canonibus aperte disponitur, tale delictum ex tunc manere publicum et notorium, et æquiparatur evidentiæ facti; ergo si alias inferat infamiam propter delictum publicum vel notorium, ex tunc saltem illam inferet. Dico autem *in legitimo judicio,* quia si sit extra judicium, vel in judicio nullo ex defectu jurisdictionis, vel alio simili, tunc confessio illa non facit delictum publicum, et ita nihil per se nocet ad infamiam legalem contrahendam, quamvis possit esse occasio, ut inde divulgetur delictum, et consummetur aliunde infamia facti. Sed quid si judicium fuit legitimum, confessio tamen non fuit ex veritate, sed ex metu, quia scilicet reus vi, aut metu tormentorum confessus est delictum, quod non fecit? Respondeo id satis esse, ut lex inferat infamiam, tum quia hæc infamia magis fundatur in opinione et quasi scientia publica, quam in re ipsa; tum etiam quia leges non judicant de occultis, et illud puniunt, quod in judicio publicum est. An vero in conscientia id sufficiat ad morales effectus talis infamiæ, alia quæstio est supra in simili tractata de censuris, et in sequenti sectione aliquid de illa attingemus.

24. *Qualis sit infamia orta ex confessione rei. — Glossæ opinio. — Opinio Sylvestri.* — Tandem vero interrogari potest, an hæc infamia orta ex confessione rei, dicenda sit juris, vel facti ante sententiam definitivam. Glossa, in dict. cap. Vestra, verb. *Non diffitetur*, significat esse infamiam juris; nam dicit esse notorietatem juris, quam propterea duplicem ibi distinguit, per sententiam, et per confessionem rei; si ergo illud crimen est notorium juris et facti; ergo et infamia, quæ ex illa notorietate nascitur, supposita lege inferente illam, est juris, et non facti, quia et prima impositio illius, ut sic dicam, et applicatio est ex lege et judiciario ordine. Nihilominus Sylvester, verb. *Infamia,* num. 12, significat confessionem rei non sufficere ad infamiam juris. Citatque Bartholum, l. Furti, ff. de His qui notant. infam., et Abbatem, in cap. At si clerici, de Judiciis. Sed si attente legantur hi auctores, non loquuntur, quando lex imponit infamiam ipso jure, sed quando requirit condemnationem rei; nam hoc solum probant jura et rationes, quas adducunt; et in eo sensu est verum, ut jam dixi. Tamen, quando lex imponit infamiam ipso jure, dicta opinio Glossæ vera est, et alii auctores non contradicunt. Et præter rationem factam, quæ optima est, sufficienter etiam probatur ex cap. Testimonium, ubi Gloss. et Doctores, de Testibus.

SECTIO II.

Utrum infamia ex crimine resultans, irregularitatem inferat, et quantum duret.

1. *Prima conclusio.* — Primo certum est infamiam parere irregularitatem, quia infamis non est ad Ordines Ecclesiasticos admittendus, cap. Infamis, 6, quæst. 1, cap. Qui in aliquo, dist. 51; et ex cap. Testes, 2, quæst. 7, generalem regulam colligit Gloss., eos, qui propter infamiam repelluntur a testimonio, esse etiam irregulares; licet Damasus, ep. 3, c. 3, non absolute de testimonio, sed in causa contra Episcopum loquatur. Favet etiam, quod dicitur in penult. Regula juris, in 6 : *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Et hæc est communis sententia Panormitani in cap. Licet Heli, de Simon.; Archidiac., in cap. Deinde, 26 dist., num. 5; Sylvestri et aliorum Summistarum, verb. *Infamia,* et verb. *Irregularitas;* Navar., c. 27, n. 104; Maiol., lib. 3, cap. 1.

2. *Secunda conclusio.* — Secundo dicendum est, irregularitatem hanc incurri per omnem infamiam canonicam, et per solam illam. Prior pars constat ex præcedenti assertione, quia jura generatim loquuntur. Posterior patet, quia hæc irregularitas est impedimentum canonicum; ergo non potest nisi per canonicam infamiam incurri. Item, quia debet esse in jure canonico expressa, et consequenter

annexa tali infamiæ ex vi ejusdem juris, et hoc est infamiam esse canonicam, ut jam declaratum est.

3. *Tertia conclusio.* — Tertio nihilominus addendum est, irregularitatem hanc incurri non solum per infamiam juris, sed etiam per infamiam facti, dummodo canonica sit, modo a nobis explicato. Est communis cum Speculatore, tit. de Dispens., § Juxta, v. 17, et sumitur ex juribus citatis, et ex cap. Qui in aliquo, dist. 51, et cap. Omnipotens, de Accusationibus. Probatur, quia utroque modo persona est simpliciter et actu infamis, et hæc est ipso facto et sine alia sententia irregularis, ut probant adducta in prima assertione. Declaratur primum in hunc modum, quia vel lex canonica, aut (quod perinde est) lex civilis canonizata, propter crimen imponit infamiam ferendam, vel ipso jure latam. In priori casu ante sententiam non contrahitur infamia, nec juris, nec facti, quantumvis delictum fuerit publicum, ut ostensum est; et ideo tunc non oritur irregularitas; sumus enim extra terminos conclusionis positæ, quia persona illa nullo modo est infamis. Post condemnationem autem judicis de tali crimine manet persona irregularis, quia manet infamis. Nec vero propterea dicendum est irregularitatem illam per sententiam, et non ipso jure contrahi; nam sententia per se solum infert infamiam, et eo ipso ex vi aliorum jurium sequitur irregularitas. Et ita patet prima pars conclusionis. In posteriori autem casu, quando lex ipso jure imponit infamiam propter delictum, ante sententiam incurretur etiam irregularitas ex vi ipsius facti, juxta exigentiam legis, et ita patet altera conclusionis pars.

4. *Propter quod crimen incurratur irregularitas hæc. — Corollarium.* — Atque hinc facile expeditur communis quæstio, an hæc irregularitas incurratur propter crimen occultum, vel per publicum, et si per publicum, an per publicum jure, vel facto. Dicendum enim generaliter est, respiciendum esse ad infamiam, quæ est fundamentum hujus irregularitatis; nam illud delictum, ejusque conditio, quæ ad infamiam canonicam contrahendam sufficiens fuerit, juxta dicta in sectione præcedenti, sufficit consequenter ad irregularitatem. Unde etiam fit, durante infamia, duret hæc irregularitas, quia repugnat infamem esse aptum ad Ordines, in sensu composito, ut sic dicam. Et e converso etiam sequitur, ablata infamia auferri irregularitatem, quia est veluti fundamentum et adæquata causa ejus, argument. cap. Cum cessante, de Appellation.

De ablatione hujus irregularitatis.

5. *An per pœnitentiam delicti irregularitas hæc auferatur.* — Contra hanc vero posteriorem partem occurrunt nonnulla dubia, quæ attingunt posteriorem partem in titulo quæstionis propositam, quantum scilicet hæc irregularitas duret, vel quibus modis auferatur. Primum est, an hæc irregularitas talis sit, ut per pœnitentiam peccati auferatur, sine nova dispensatione; videtur enim id sequi ex regula posita, quia per pœnitentiam et emendationem aufertur infamia. Ad hoc vero sub distinctione respondendum est; quædam enim peccata sunt, quæ reddunt personam infamem, ex eo præcise, quod semel commissa sunt; alia solum ex eo, quod in eis perseveratur publice, sive per impœnitentiam, sive per virtualem continuationem, vel frequentiam, ut permanendo in concubinatu, in publico odio, retinendo male parta, etc. Quæ distinctio aperte colligitur ex cap. Testimonium, de Testibus. In peccatis prioris generis non aufertur irregularitas per pœnitentiam, quia pœnitentia non facit innocentem, et ita non tollit infamiam, quando illius fundamentum est solum hoc commisisse delictum; non sufficit ergo pœnitentia, sed necessaria est dispensatio. In peccatis autem posterioris generis tollitur per emendationem proportionatam, et æque publicam, quia illa tollit talem infamiam, ut optime docuit Innocentius communiter approbatus in dict. cap. Testimonium, de Testibus.

6. *Quæ sint peccata, quæ reddunt infamem ex eo, quod in eis perseveratur.* — Sed ulterius superest declarandum, quæ sint crimina unius, et alterius generis. In quo dicendum est primo, quodlibet crimen seu peccatum mortale publicum constituere hominem canonice infamem, atque adeo irregularem, quamdiu in eo statu publice perseverat. Ita sumitur ex cap. Testimonium, de Testib., cap. Constituimus, 3, quæst. 5, cap. Infames, cap. Illi, 6, quæst. 1, ubi omnes illi, de quibus ait Apostolus : *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur,* infamiæ maculis aspersi esse dicuntur. Id autem generaliter dictum est de omnibus, qui mortaliter peccant. Ut autem hoc solum intelligatur de perseverantibus in illo statu, additur in eodem

textu, *Nisi sacerdotali auctoritate subventum sit,* utique per pœnitentiam, ut ibi Turrecrem., quæst. 1, num. 6, et alii exponunt, et colligitur etiam ex dict. cap. Testimonium, ibi, *Si in crimine perseveret,* et ex cap. Si duo, 3, quæst. 6, ibi, *Infames effectos donec ab incesti facinore desinant.* Ubi Gloss., infames (inquit) infamia canonica, quæ deletur per pœnitentiam. Et interdum habet locum hic modus infamiæ, etiamsi crimen habeat annexam excommunicationem ipso facto sine speciali nota infamiæ per sese illata; tunc enim satisfacta Ecclesia, et ablata excommunicatione, aufertur infamia, ut in dict. cap. Infames, et c. Illi, et aliis expresse dicitur; et consequenter etiam tollitur hæc irregularitas.

7. *Quando infamia non tollatur per pœnitentiam.* — Secundo dicendum est, quando infamia per judicis sententiam vel per legem ipso facto imposita est, tunc irregularitas quæ ex illa nascitur, non aufertur per pœnitentiam, sed necessaria est dispensatio; secus autem est quoties lex non imponit infamiam ipso facto, nec judicis sententia est. Prior pars est communis et certa, quia tunc infamia non aufertur per sententiam; est enim pœna quædam, et legalis indignitas, non ad certum tempus, sed indefinite ac proinde ex se perpetuo imposita; ergo sicut nititur auctoritate principis, seu legis, ita per solum illum auferri potest, qui potest in lege dispensare, sicut suspensio, et quælibet alia pœna simili modo imposita.

8. *Quorumdam sententia improbatur. — Navarrus.* — Posterior autem pars proposita est propter quosdam Doctores asserentes, quoties infamia nascitur ex graviori crimine, depositione digno et notorio, non auferri postea per pœnitentiam nisi dispensetur. Quod sentit Navarrus, in capite Si quando, de Rescr., except. 17, num. 9, et in Summ., c. 25, num. 7, et cap. 27, num. 154, et 248; Maiolus, lib. 5, cap. 1 et 12, latius libro 3, cap. 1, qui alios referunt. Nihilominus verissimam censeo propositam regulam, quia vel delictum est tale, ut lex inferat per sese infamiam ratione illius ipso jure seu facto; et tunc non sufficiet pœnitentia ad tollendam infamiam, et consequenter, nec irregularitatem, juxta priorem partem regulæ propositæ, quæ non solum habet locum in delicto notorio, sed interdum etiam in publico seu famoso, et aliquando etiam in occulto, juxta exigentiam verborum legis, ut sectione præcedenti declaravi. Vel pro tali delicto lex non imponit infamiam ipso jure latam, sed ferendam per judicem, juxta leg. 1, ff. de His qui not. infam., cum similibus. Et tunc quantumvis sit atrox et depositione dignum et publicum, etiam per confessionem judiciariam rei, vel notorium per evidentiam facti, non incurrit infamiam indelebilem (ut sic dicam) per pœnitentiam, sed solum pro tempore, quo durat talis status personæ. Ita tenet Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., cap. 9. Et est aperta sententia Innocentii, in dict. cap. Testimonium, ubi in hoc sensu tradit regulam, infamiam canonicam, quæ facti est, non juris, per pœnitentiam auferri. Quod optime ibidem confirmat Panormitanus, n. 6, citans Hostiensem, Abbatem antiquum, et alios. Idem in cap. Diligenti, de Simonia, n. 6, et in cap. Inquisitionis, n. 2 et 3, de Accusat.; Archid., in cap. ult., 25 dist., n. 3; Burgas., de Irregular., tit. de Sortileg., n. 18; Turrecremata, in cap. Illi, 6, quæst. 1, art. 1. Ratio vero est, tum illa communis, quod nulla est irregularitas, nisi sit in jure expressa; hæc autem nullibi expressa est; tum etiam quia ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculat, ut ait Chrysost., Homilia 3 in Matth., habetur in cap. Nunquam, dist. 56, et est frequens in jure, ut refert Glossa penult. in dict. cap. Illi. Ergo si jus, etiam per legem, vel judex per sententiam non commaculent, non est cur infamia, vel irregularitas maneat.

9. *Quis possit auferre irregularitatem infamiæ quæ per pœnitentiam non aufertur.* — Circa hanc vero assertionem declarandum superest, quis possit hanc irregularitatem auferre, quando pœnitentia non sufficit. In quo certum est, et Pontificem Summum hoc posse, et nullum alium posse directe hanc irregularitatem tollere, quia nulli alteri concessum legitur. Difficultas vero specialis est, an interdum Rex possit indirecte tollere hanc irregularitatem, auferendo infamiam civilem, in qua fundatur; potest enim auferre talem infamiam; ergo eo ipso per se cadet irregularitas. In hoc puncto Maiolus, lib. 3, cap. 1, num. 3, negat per talem dispensationem cessare talem irregularitatem quando talis infamia fundata est in facto proprio, nam si fundetur in facto alieno, putat dispensationem sufficere. Ut, v. gr., per crimen læsæ majestatis infamis efficitur jure civili, non solum qui illud commisit, sed etiam filii ejus usque ad quartam generationem; et ideo jure canonico omnes sunt irregulares; si ergo Rex cum om-

nibus dispenset in infamia, non propterea cessat irregularitas in delinquente, cessat vero in filiis. Pro qua sententia affert Archidiaconum, in cap. Lege, dist. 10, et in cap. Si quis cum militibus, 6, quæst. 1. Nullo tamen jure, vel ratione distinctionem illam, aut aliquod ejus membrum confirmat. Ratio autem reddi potest quoad primum membrum, quia potestas civilis non potest auferre impedimentum canonicum. Hæc vero ratio, si quid probat, contra posterius membrum etiam concludit. Et ideo responderi potest, civilem potestatem non posse auferre directe et per se impedimentum canonicum, indirecte tamen posse auferendo fundamentum ejus, quod ab eadem potestate auferri posse videtur, cum per eamdem introductum fuerit, servata proportione ad ea, quæ dicebamus de infamia facti.

10. *Secunda sententia et vera, adhibita limitatione.* — Et ideo alii existimant, quamvis hæc irregularitas directe tantum auferri possit per dispensationem Ecclesiasticam, indirecte tamen auferri etiam posse per ablationem infamiæ, seu restitutione famæ facta a potestate civili. Quam opinionem veram censeo, addita limitatione seu declaratione. Nam si infamia ita est juris civilis, ut etiam sit juris canonici directe et in particulari, ut est, v. gr., infamia hæresis, vel infamia ejus, qui simul contrahit cum duabus, l. Quid ergo, ff. de His qui notantur infamia, et cap. Nuper, de Bigamis, vel infamiæ usurariorum, sodomitarum et similium, in his et similibus existimo non sufficere restitutionem factam per civilem potestatem ad tollendam irregularitatem, quia talis infamia per se et directe virtute juris canonici imposita est, ideoque auferri non potest per inferiorem potestatem, qualis est civilis in ordine ad canonicos effectus. Sicut legitimatio a Rege concessa non sufficit ad tollendam irregularitatem, quæ in defectu natalium fundatur, ut infra videbimus. At vero quando infamia civilis tantum indirecte recipitur a jure canonico per regulam generalem, quod infamis civili jure etiam debet reputari infamis ad Ordines, tunc ablata illa infamia per potestatem civilem, videtur etiam potestas Ecclesiastica consequenter admittere illam restitutionem, quia jus canonicum non excludit illam personam, nisi propter indecentiam, quæ consideratur in illa quatenus civiliter infamis est; jus enim canonicum non addit, neque infert illi infamiam, sed indecentiam præexistentis infamiæ considerat, et indignum reputat admittere ad Ordines eum, qui ad civiles actus legitimos non admittitur; ergo ablata tali infamia civili, cessat indecentia canonica et consequenter etiam irregularitas. Quæ ratio æque procedit de infamia contracta ex delicto proprio; quamvis negari non possit, quin facilius auferri debeat, quæ est ex alieno, quia est pura pœna legalis et civilis in odium alienæ culpæ, quæ vere et coram Deo per se non commaculat alium; peccatum autem proprium per se infert maculam. Nihilominus tamen, si hæc ipsa macula, et humana opinio ex illa orta, ablata est per pœnitentiam, et sufficientem satisfactionem, et alioqui jus canonicum peculiarem infamiam non induxit, et potestas civilis abstulit quod suum jus intulerat, totum irregularitatis fundamentum sublatum est.

11. *An infamia quæ per pœnitentiam non aufertur per baptismum auferatur. — Communis opinio. — Rejicitur. — Infamia facti tollitur per baptismum.* — Tantum inquiri potest, an hæc infamia per baptismum auferatur. Communis opinio affirmat, Sylvest., verb. *Baptismus,* 6, num. 2; Tabiena, 8, in fine; Angel., 7, num. 4, cum Gloss., in cap. Sine pœnitentia, de Consecr., d. 4. Ratio illorum est, quia per baptismum omnino tolluntur peccata, et quidquid ex peccatis, ut peccata sunt, nascitur; unum autem ex his est infamia. Quod si objicias, nam eadem ratione per pœnitentiam auferretur omnis infamia. Respondet prædicta Glossa negando sequelam, quia pœnitentia non aufert omnes sequelas peccatorum, sicut baptismus. Sed hæc differentia solum habet locum quoad reatum pœnæ temporalis apud Deum, non vero in reliquis, ut patet de habitibus pravis, et de quacumque inordinatione concupiscentiæ, et de obligatione restituendi, si forte fuit usurarius, aut fur, et de reatu pœnæ apud homines, etiam mortis, ut si fuit homicida; illa ergo ratio non videtur solida. Et ideo distinguere oportet singulas infamias; nam illa, quæ est meri facti, sine dubio tollitur per baptismum digne susceptum, et ad hoc est optima prædicta ratio. Et objectio non obstat, sed potius veritatem confirmat, nam idem dicimus de pœnitentia. Infamia item canonica non manet, non quia proprie tollatur, sed quia nunquam fuit in tali persona; jus enim canonicum non cadit in personam non baptizatam, et ideo non facit illam infamem ante baptismum; multo vero minus inducit denuo in ipso baptismo talem

infamiam propter delictum antea commissum, quia illa infamia pœna quædam est, et Ecclesia non punit talia delicta

12. *Non tamen infamia juris civilis. — Corollarium.* — De infamia vero civili non procedit hæc ratio, quia homo non baptizatus jure civili obligatur, si temporaliter subditus sit ubi tale jus servatur, et ideo incurrit pœnas talis juris, quarum una est infamia; ergo talis infamia civilis non tollitur per baptismum, quia hoc nec per se et intrinsece spectat ad effectus baptismi ex vi solius institutionis, ut constat ex propria materia in 3 tomo, neque reperitur aliquod jus Ecclesiasticum, in quo hoc ei concedatur. Quapropter si Judæus Romæ, vel Turca hic per sententiam esset condemnatus, vel flagellatus ut fur, quamvis postea baptizaretur, maneret infamis civiliter, et inhabilis ad actus civiles, ad quos non admittuntur infames, quia nec jus ipsum civile limitat hanc pœnam ad baptizatos, neque ex generali ratione pœnæ civilis cessat propter baptismum, quia nec pœna corporalis, nec pecuniaria cessant. Et certe si ille esset condemnatus ad triremes, non liberaretur propter baptismum, nisi accederet dispensatio principis. Idem ergo est de prædicta infamia, cum de illa non sit aliqua peculiaris exceptio aut lex. Antecedens manifestum est, et de eo videri potest Panormitan., in cap. Gaudemus, de Divort., n. 16. Consequentia vero tenet a paritate rationis. Unde Panormitan. ibi solum dixit, infamiam ex delicto contractam (quam intelligo esse infamiam facti), tolli per baptismum. Et de eadem re videri potest Decius, cons. 130, et in c. Quæ in Ecclesiarum, de Constitutionibus, n. 89, et Felinus, in c. De his, de Accusationibus, num. 7. Ulterius fit, ut talis persona post baptismum etiam maneat canonice infamis in ordine ad irregularitatem ex tali infamia contrahendam, ex illo generali principio, quod omnis persona infamis jure civili, jure etiam canonico habetur infamis, et ab Ordinum susceptione removetur. Quod jus canonicum complectitur talem personam quamprimum baptizata est, quia per hoc illi non imponit pœnam, sed potius illam supponit a jure civili impositam, et ratione illius considerat indecentiam, ratione cujus persona fit irregularis.

13. *Infamis per leges civiles infidelium, si baptizatur, non manet infamis, nec irregularis.* — Dixi autem hoc habere locum in his personis, quæ ante baptismum in Christianorum provinciis degentes, et civilibus eorum legibus subditæ, talem infamiam contraxerunt; nam si in provinciis infidelium, juxta illorum jura, talis infamia fuisset contracta, et postea quis transiret ad Ecclesiam, et baptizaretur in provinciis Christianorum, non opinor illum manere infamem in ipsa Ecclesia, vel irregularem. Ratio potissima est, quia quando canones dicunt, omnes illos esse infames, quos leges civiles infames faciunt, videntur plane loqui de legibus civilibus, quibus principes vel respublicæ Christianæ utuntur, et de infamia civili, quæ intra ipsammet Ecclesiam existit, nam hæc est, quæ in existimatione habetur, quæve indecentiam secum affert, nam illa, quæ omnino foris est, et inter infideles, nec consideratur, nec in aliqua existimatione habetur; maxime cum infamia inter infideles sæpe sit irrationabilis, et sine sufficiente fundamento. Accedit etiam, quod in eo casu talis persona omnino mutat forum etiam civile, et ideo non videtur manere subjecta pœnis civilibus in priori statu impositis, inter quas hæc infamia continetur.

SECTIO III.

Utrum, ex infamia non fundata in proprio delicto illius personæ nascatur irregularitas.

1. *Communis doctrina. — Prima conclusio. — Suadetur prior pars. — Suadetur posterior.* — Communis et certa doctrina est, hanc infamiam aliquando sufficere ad irregularitatem, non tamen semper, sed potius raro. Ut autem doctrinam hanc per partes explicemus, dicendum in primis est, ex infamia facti, quæ non fundatur in peccato proprio ipsius personæ, nunquam fieri irregularem secluso speciali jure. Ante probationem advertendum est, sermonem esse de sola ac præcisa infamia, non de fundamento ejus. Alioqui ex eo capite poterit nasci impedimentum, ut si quis habeatur ignorans aut imprudens ex defectu judicii sine culpa, vel ex alio simili defectu. Sed illud impedimentum si ad irregularitatem sufficiat, non erit propter infamiam, sed propter ineptitudinem personæ ad tale ministerium, juxta dicenda infra de defectibus, ad quod caput illa irregularitas pertinebit; hoc ergo supposito, probatur assertio, quia secluso humano jure, nullus sine culpa propria notatur tali infamia, quæ reddat illum inhabilem vel moraliter impeditum ad aliquos actus legitimos vel honores; ergo nec

ad Ordines, quoad nos spectat; patet, quia talis infamia non potest induci ex sola natura rei, ex qua solum peccatum vel pravi mores constituunt hominem dignum ut mala opinio de illo habeatur, atque adeo objectum illius infamiæ, quæ in facto consistere dicitur. Unde, sicut Aristoteles dicit, 1 Ethic., cap. 9, honorem soli virtuti proprie deberi, quem imitatus est D. Thom., 2. 2, quæst. 63, art. 3, ita nos dicimus, solum peccatum seu pravum opus ex natura rei esse objectum infamiæ facti. Unde, si ultra proprium peccatum extenditur, illud semper est propter aliquam significationem vel habitudinem; sicut honor interdum tribuitur propter alios titulos, qui indirecte et per aliquam habitudinem reducuntur ad virtutem, ut D. Thom. exponit. Quia tamen hæc extensio arbitraria est, et pendens ex humana, et sæpe ex mundana prudentia, ideo nulla talis opinio hominum reputatur vera infamia in ordine ad aliquos actus vel ministeria reipublicæ, nisi aliqua lege comprobata sit, quia alioqui sæpe res tota penderet ex vulgi æstimatione, et tot fere essent opiniones, quot ingenia. In hoc ergo sensu dicimus, puram infamiam facti non esse nisi sit de proprio delicto, aut vero, aut communiter existimato. Unde sicut irregularitas, ita etiam hæc infamia non incurritur, nisi in casibus a jure expressis. Est enim ratio eadem. Nam licet talis infamia non sit propria pœna respectu personæ cui imponitur, cum non sit propter delictum ejus, est tamen magnum nocumentum, et ideo sine expressa lege non imponendum, juxta communem regulam Jurisperitorum, quam late tractat Tiraquellus in verb. *Revertatur*, num. 248 et sequentibus; nam, licet illi de pœna loquantur, tamen comprehendunt omnem privationem et omne nocumentum ex se pœnale. Quin potius majori ratione restringendum hoc est, quoties absque propria culpa incurri dicitur, quam cum est propria pœna propter culpam. Quocirca sicut in irregularitatibus non admittitur extensio propter similitudinem vel majorem etiam rationem causæ, ita neque in infamia, quia hæc etiam non pendet tantum ex ratione vel causa, sed ex voluntate legislatoris, quam non oportuit esse eamdem in pœna vel privatione imponenda, etiamsi causa videatur similis. Maxime quia, licet in aliquo sit similitudo, in necessitate vel occasione imponendi infamiam potest non esse. Ac denique hic habet locum regula de odiis restringendis.

2. *Secunda conclusio. — In casibus irregularitates non fundari in infamia ostenditur.* — Secundo assero, aliquos esse casus, in quibus infamia juris et consequenter irregularitas incurritur absque proprio delicto. Hoc patet breviter aliquibus exemplis. Primus est de filio qui interdum fit infamis propter delictum parentis, etiamsi illius nullo modo particeps fuerit. Hoc patet in filiis eorum, qui violentas manus in Cardinales Ecclesiæ Romanæ injecerunt; nam ipso jure canonico efficiuntur infames, c. Felicis, vers. *Quod si quis,* de Pœnis, in 6, et in filiis proditorum, qui committunt crimen læsæ majestatis; nam eorum filii jure civili efficiuntur infames, l. Quisquis, § Filiis, Cod. Ad legem Juliam majestatis. Idem censent aliqui de filiis hæreticorum, quia supra diximus illos fieri irregulares; ergo etiam efficiuntur infames. Patet consequentia, tum quia eorum irregularitas non videtur nisi in infamia fundari; tum etiam quia privantur beneficiis et honoribus in cap. 2 et cap. Statutum, de Hæretic., in 6; hic autem est proprius effectus infamiæ. Atque ita tenet Simancas, de Catholic. institut., tit. 9, num. 268, et tit. 29, a num. 14 ad 20; et Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., cap. 9; et Penna, 1 part. Directorii Inquisit., comment. 4, vers. *Hæc autem infamia.* Isti vero auctores non afferunt textum, in quo talis infamia hujusmodi filiis imponatur, neque ego illum invenio. Nec sufficit, quod fiant irregulares, quia non omnes irregulares sunt infames, sed illi tantum, qui ob propria delicta irregulares fiunt, ut supra dictum est. Neque etiam est necesse hanc irregularitatem in infamia fundari; nam proxime imponi potuit propter gravitatem delicti paterni, et in pœnam ejus. Neque etiam sufficienter colligitur ex eo, quod tales personæ fiunt inhabiles ad beneficia et officia publica, quo maxime fundamento nituntur prædicti auctores. Quia illa inhabilitas non est infamia, sed aliud genus pœnæ, et quasi irregularitas quædam ad beneficia et officia. Quod si quis contendat inhabilitatem illam esse quamdam infamiam, erit tantum secundum quid et quoad tales effectus, non vero simpliciter. Nam infamia juris absolute dicta reddit hominem inhabilem etiam ad testimonium ferendum, et alios habet effectus, de quibus in cap. Non potest, cum sequent., 2, quæst. 7, cap. Testimonium, et cap. Licet, de Testibus, et c. Licet, de Probationibus. Quos tamen omnes effectus non possumus jure tribuere filiis hæreticorum, cum nulla lege, vel

in particulari sub propria ratione, vel nomine talium effectuum, neque in generali sub absoluto nomine infamiæ imponantur. Accedit tandem, quod si filii hæreticorum essent infames, etiamsi jam essent clerici vel beneficiati, redderentur infames, quia etiam clerici et habentes beneficium, sunt capaces infamiæ, si sufficiens causa intercedat; tunc autem ponitur tota causa hujus infamiæ; ergo redundaret in hujusmodi filios. Consequens autem est falsum, alias hi essent privandi beneficiis, et usu Ordinis, et officii, et jure eligendi, v. gr., si illud habeant, quod est contra superius dicta, et contra communem sententiam in dict. § Hæretici, et contra eosdem auctores, præsertim Simancam supra. Sequela vero patet, quia omnes illi actus sunt prohibiti infamibus, juxta supra dicta jura, et alia, quæ refert Glossa, in c. Ut circa, verbo *Eligentium,* de Elect., in 6. Quocirca, vel prædicti auctores videntur infamiam cum irregularitate confudisse, vel certe locutos esse de infamia, non simpliciter, sed in ordine ad honores, seu officia, vel beneficia in jure expressa.

3. *Exemplum aliud ejusdem conclusionis.* —Aliud exemplum hujus infamiæ est, quando oritur ex vili conditione personæ, quæ interdum consideratur vel nascitur ex usu alicujus infamis artis vel ignominiosi muneris, ut histrionum, gladiatorum, carnificum, macellariorum, et similium, de quibus late Maiol., lib. 3, cap. 1, num. 5 et sequent. Semper tamen observandum est, ut aliquo jure vel civili, vel Ecclesiastico constet, talem conditionem seu tale munus inducere infamiam, nisi fortasse tale sit munus, ut vel intrinsece includat culpam gravem, vel saltem cum illa publice fiat; nam tunc ratione culpæ inducet saltem infamiam facti, juxta superius dicta. Tamen ratione solius abjectionis seu infimæ conditionis talis muneris, nunquam inducit irregularitatem sine jure. Ideoque propter usum artis mechanicæ regulariter non incurritur aliqua irregularitas, quia exercentes has artes, si nihil turpe efficiant, nullo jure sunt infames, etiamsi alioqui in republica sint homines infimæ notæ. Similiter filii harum vilium personarum infames non fiunt, neque irregulares, etiamsi parentes eorum infames fuerint, quia nullo jure infames fiunt, et secluso jure ignobilitas parentis non obstat filio in ordine ad Ecclesiastica munera, ut significavit Glossa, in c. Quoniam, verb. *Invidiam,* 24, quæst. 1, et ex ea Felinus, in cap. Cum deputati, de Judiciis, in fine. Aliquando vero contrahitur hæc infamia per matrimonium cum fœmina vilis conditionis, ut cum meretrice, vel simili, ut notabimus agentes de bigamia. Denique ad hanc irregularitatem ex infamia reducitur illa, quæ ex publica pœnitentia nascitur, de qua in superioribus dictum est.

DISPUTATIO XLIX.

DE IRREGULARITATE, QUÆ EX BIGAMIA NASCITUR.

Post irregularitates, quæ ex delicto, ejusve infamia originem ducunt, dicendum superest de his, quæ nascuntur ex aliis defectibus, soletque duplex defectus considerari, sacramenti, et personæ; in priori ordine ponitur bigamia, et de qua hic dicendum est, postea de reliquis.

SECTIO I.

Utrum ex propria bigamia irregularitas contrahatur.

1. *Triplex bigamia. — Propria bigamia quæ.* —Triplex distingui solet bigamia, vera, interpretativa et similitudinaria. Dicitur enim bigamia juxta græcam deductionem, ex duplicato seu multiplicato matrimonio. Cum ergo duplex matrimonium reipsa fit, vera bigamia dicitur; alia vero censetur esse interpretatione juris vel per quamdam analogiam, ut videbimus. Nam, quia hæ species, non æqualiter, sed quodam ordine vel analogia rationem bigamiæ participant, ut clarius procedamus, de singulis sigillatim dicemus. Propriissime ergo bigamus dicitur, qui secundas nuptias contraxit post mortem prioris conjugis, et utrasque consummavit, ut Canonistæ docent in Rubrica de Bigamis, et D. Thom., in 4, dist. 27; et ibidem Soto, et quæst. 3, art. 1; Richardus, art. 4, quæst. 1; Navarrus, cap. 27, num. 195, et patet ex ipsa voce *bigamus,* quæ idem significat, quod bis conjugatus; unde communiter hæc tantum vocari solet vera bigamia, ut infra dicemus. Hæc autem iterata susceptio matrimonii vocatur defectus sacramenti, non quia talis sacramenti secunda susceptio peccaminosa sit; nam certum de fide est, tale matrimonium per se honestum ac licitum esse (ut nunc ex propria materia suppono cum D. Thoma, et aliis Theologis, in 4, d. 42, et videri possunt cap. Aperiant, cum sequent., 31, quæst. 1, et Concil. Carthagin. IV, c. 1). Sed quia tale

matrimonium non est ita accommodatum ad perfectam illius sacramenti significationem. Est enim proprium hujus sacramenti significare conjunctionem Christi cum Ecclesia, ex Paul. ad Ephes. 5; matrimonium autem spirituale inter Christum et Ecclesiam est unicum, et unius viri cum una sponsa; et ideo tale vinculum minus apte per secundas nuptias significatur, et hic appellatur in præsenti materia defectus sacramenti.

2. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices : ex hoc defectu videtur colligi defectus in honestate et commissio alicujus delicti, quia turpe est sacramentum recipere modo aliquo repugnante perfectæ significationi ejus; nam videtur hoc esse contra veritatem significationis sacramentalis. Respondeo defectum hunc non esse contra substantialem, ut sic dicam, significationem sacramenti, sed contra vel potius præter ejus perfectionem. Nam, quamvis matrimonium sæpius contrahatur, nunquam significatur conjunctio Christi cum pluribus Ecclesiis seu personis, quia illa duo matrimonia inter se non conjunguntur ad illam significationem reddendam, sed unumquodque per se significat conjunctionem unius cum una, et unicuique eorum per se considerato accidentaria est alterius significatio, et propter hoc ibi nulla intercedit falsitas, neque irreverentia sacramenti, quæ ad culpam sufficiat. Nihilominus tamen ex parte subjecti est quidam defectus in significatione, quia talis vir vere et in re ipsa non est unus unius, ut dicitur in cap. Debitum, de Bigamis, ideoque in tali matrimonio censetur esse minor reverentia, et quasi quædam indecentia, ad quam significandam consuevit Ecclesia negare his secundis nuptiis solemnitatem illam publicæ benedictionis, ut tradunt Theologi loco citato, et Summistæ, verb. *Nuptiæ*, et aperte colligitur ex cap. 1, et cap. Vir, de Secundis nuptiis.

3. *Cap. De his,* 31, *quæst.* 1, *objicitur.* — *Prima expositio.* — *Objectio contra expositionem.* — *Replicatio.* — *Exceptio alia.* — Sed objici præterea potest cap. De his, 31, q. 1. Nam pœnitentiam imponendam esse dicit propter secundas nuptias, ac si illæ essent illicitæ. At Glossa ibi intelligendum putat caput illud de secundis nuptiis contractis vivente primo conjuge. Idem habet Glossa, in cap. Si quis, 32, quæst. 6, ubi in eodem sensu dici videtur : *Si quis fuerit multis nuptiis copulatus, pœnitentiam agat.* Et eamdem expositionem sequitur Turrecremata cum aliis, in quo sensu textus ille ad rem præsentem non facit. Estque probabilis expositio, nam hoc videntur significare illa verba : *Qui frequenter uxores ducunt,* ubi in originali, scilicet, Concilio Neocæsariensi, c. 3, alia translatio habet : *De his, qui in plurima matrimonia incidunt, tempus quidem constitutum est, sed conversio et pœnitentia eorum tempus contrahit.* Ubi aperte videtur esse sermo de pluribus matrimoniis peccaminose contractis. Obstat tamen huic expositioni, quia ubi in secunda parte illius textus prohibetur presbyter adesse convivio secundarum nuptiarum, textus græcus ejusdem Concilii expresse facit mentionem bigamiæ. Responderi potest, caput illud compositum esse ex duobus capitibus, Neocæsariensi tertio scilicet et septimo; et ideo in illis duabus partibus esse posse sermonem de secundis nuptiis in diverso sensu. Sed contra hoc est, quia in illo capite septimo (quod in decreto est secunda pars illius textus), juxta verba græca, aperte dicitur, bigamum petere pœnitentiam, quod idem est ac esse pœnitentia dignum, ideoque presbyterum non debere suum consensum talibus nuptiis præbere per præsentiam suam. Unde dici potest, etiamsi sermo sit de secundis nuptiis legitime contractis post mortem prioris conjugis, propter illas tamen pœnitentiam fuisse solitam imponi, non propter culpam, quæ necessario insit, sed propter aliqualem incontinentiam, quæ præsumitur, et propter aliorum exemplum. Eo vel maxime, quod Concilium illud provinciale est, et non constat morem illum imponendi pœnitentiam propter secundas nuptias legitimas ab Ecclesia Romana fuisse unquam acceptatum. Vel certe, retinendo priorem expositionem, dicendum est, etiam illum, qui secundas nuptias contrahit vivente prima conjuge, appellatum esse bigamum, de quo statim plura dicemus.

4. *Conclusio.* — *Solum ob duplex matrimonium consummatum contrahitur hæc irregularitas.* — Sic ergo explicata ratione hujus bigamiæ, dicendum est, per illam contrahi irregularitatem. Ita habetur in cap. 1 et 2, de Bigamis, cap. 1, 26, dist. 34, et colligitur ex can. 16 Apostolorum et sequent. Et hæc est præcipua ratio hujus assertionis, scilicet, quia ita jure statutum est. Congruentia vero est duplex. Prima propter defectum sacramenti dicto modo explicatum, ut tradit Pontifex in dicto c. Debitum, de Bigamis. Secunda, quia talis iteratio illius sacramenti est signum

incontinentiæ, ideoque quamdam indecentiam inducit ad clericatum, cum clericus et exemplo, et verbo debeat ad castitatem alios inducere. Unde Ambrosius, lib. 1 de Officiis, cap. ultim. : *Quomodo* (inquit) *potest hortator esse viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit.* Et habetur in cap. ultim., 26 dist. Et simili modo dixit Innocentius I, in Epistola 3 ad Exuperium, cap. 10, incontinentes non esse admittendos ad sacrum ministerium, quod sola continentia oportet impleri, ubi ipse quidem loquitur de vitiosa incontinentia ; cum proportione tamen et secundum congruentiam accommodatur ad hanc incontinentiam, quæ licet vitiosa non sit, dici potest excedens seu abundans. Et ob utramque causam necessarium est utrumque matrimonium esse consummatum, ut declaratur in dict. cap. Debitum, tum quia antea non est perfecta significatio; nam per copulam fiunt vir et uxor una caro, juxta illud verbum Adæ : *Et erunt duo in carne una;* per quam unitatem significatur perfecta conjunctio Christi cum Ecclesia in carnis assumptione, addente Paulo : *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Tum etiam, quia si copula non intercessit, nec dividit quis suam carnem in plures, neque exercet vel ostendit cum effectu incontinentiam.

5. *An ob duplex matrimonium consummatum, quorum alterum invalidum, incurratur.* — Sed superest dubium, utrum ad hanc bigamiam sufficiat duplex matrimonium exterius contractum et consummatum, quando contingit alterum eorum invalidum esse, ut contingit semper, quoties utrumque matrimonium fit vivente utroque conjuge, et sæpe accidere potest in aliis. Verumtamen hoc dubium in præsenti quæstione nullam fere difficultatem habet. Quæri enim potest, an in illo casu contrahatur bigamia vera, necne, vel absolute, an nulla contrahatur. Hoc posterius pertinet ad sequentem sectionem. De primo autem certum est, illam non esse bigamiam veram, nam ad hanc omnes requirunt duplex matrimonium verum et validum. Et colligitur ex c. Nuper, de Bigamis, ibi, *licet in veritate bigami non existant*, quidam (scilicet) plures uxores simul habentes; quod a fortiori dici posset de habentibus plures successive, alteram tamen non vere. Ratio vero est, quia tunc revera non iteratur sacramentum; ergo nec est defectus in significatione; ergo nec vera bigamia. Confirmatur, quia ille revera nunquam habuit duas uxores, nec simul, nec successive : ergo. Unde si ulterius quæratur, an in eo casu contrahatur irregularitas, dicendum est, non contrahi irregularitatem veræ bigamiæ; posse vero contrahi aliam bigamiæ interpretativæ, de qua statim dicemus. Quæ differentia ad effectum irregularitatis non multum refert; ad dispensationem vero obtinendam vel ad interpretandam potestatem concessam ad dispensandum in irregularitate bigamiæ, potest aliquid referre ponderata verborum rescripti proprietate.

SECTIO II.

An ex duplici matrimonio, quando non est utrumque validum, aliqua bigamia et irregularitas contrahantur.

1. *Bigamia interpretativa. — Inducit irregularitatem.* — Primo certum est, præter veram bigamiam, dari aliam, quæ interpretativa dicitur, quæ non fundatur in duplici matrimonio vero, sed in aliqua participatione aut imitatione illius, quæ a jure consideratur. Hoc constat ex communi sententia Doctorum et patebit juribus statim tractandis. Secundo est certum, per hanc bigamiam induci irregularitatem; id enim eisdem juribus et communi consensu constat. Imo reipsa nihil aliud est per hos actus induci bigamiam interpretativam quam a jure reputari et considerari, ut defectus sufficientes ad inducendam irregularitatem. Unde (ne quæstiones multiplicare necesse sit), idem est quærere, an in his casibus bigamia interpretativa, vel quædam specialis irregularitas contrahatur.

2. *Prima sententia.* — Solum ergo explicandum superest, in quibus casibus hæc bigamia jure inducta sit, et præcipua quæstio est hic proposita, in qua variæ sunt sententiæ. Prima affirmat, quoties duo fiunt matrimonia, unum de jure, id est, validum, aliud de facto, id est, solum externum, et invalidum, hanc irregularitatem contrahi. Est communis Theologorum in 4, d. 27; D. Th., q. 3, art. 4, q. 2 ; Richardi, art. 4, quæstiunc. 3; Soto, q. 3, art. 1, concl. 2 ; et Canonistarum cum Glossa in c. 2 de Bigamis, verb. *In Bigamis;* et Panormit., cap. Nuper, eodem, et aliis quos refert Covarr., dicta Clement., 1 part., § 2, n. 2. Probatur primo ex d. c. *Nuper,* ubi ad contrahendam bigamiam dicitur, sufficere affectum intentionis cum opere subsequuto ; in dicto autem casu fuit animus contrahendi secundas nuptias cum exteriori

opere subsequuto, scilicet, quoad carnalem copulam. Idem probatur eodem modo ex cap. ult. de Bigamis, ubi Glossa id notat. Confirmatur, quia alias, qui contraheret secundas nuptias vivente prima uxore, non fieret irregularis, quod videtur absurdum. Sequela probatur, quia secundum matrimonium non est verum, et de jure, sed tantum de facto; ergo, si hoc non sufficit, non contrahetur bigamia. Minor autem patet, quia major incontinentia ostenditur in illo duplici matrimonio, majorque defectus sacramenti committi videtur, quam in his, quæ successive fiunt.

3. *Secunda sententia.* — Secunda sententia distinctione utitur. Duobus enim modis potest matrimonium esse nullum, scilicet, ex defectu consensus, vel ex defectu alterius impedimenti aggravantis matrimonium, ut est affinitas vel consanguinitas in gradu prohibito, etc. Si ergo primum matrimonium fuit nullum ex defectu consensus, non censetur juxta hanc sententiam sufficere ad bigamiam contrahendam per subsequens matrimonium; secus vero esse quoties interveniente consensu ex parte hominis, aliunde matrimonium non est verum. Ratio hujus posterioris partis est eadem, quæ superioris opinionis. Ratio autem prioris partis sumitur a contrario sensu ex eisdem textibus; nam ad hanc irregularitatem requiritur saltem affectus intentionis cum opere subsequuto; sed in eo casu non fuit affectus intentionis, quia, ut supponimus, ille non consensit, neque habuit animum contrahendi tale matrimonium: ergo. Et confirmatur, quia licet rebaptizans maneat irregularis, si tamen id faciat sine intentione conferendi secundum baptismum, non incurrit irregularitatem. Et similiter, licet hæreticus incurrat excommunicationem, si tamen quis exterius neget fidem, non autem mente, non incurrit hæretici pœnas; ergo similiter in præsenti. Denique, ob similem causam Pontifex, in cap. 1 de Sponsal., in 6, statuens per sponsalia contrahi impedimentum publicæ honestatis, excipit: *Nisi fuerint sponsalia nulla ex defectu consensus;* ergo pari modo dicendum est in præsenti; quanquam enim illud primum revocatum jam sit per Concilium Trident., sess. 24, c. 3 de Reform. matrimonii, in præsenti quoad bigamiam nulla correctio seu revocatio antiqui juris facta est. Et hanc sententiam tenent aliqui moderni Doctores, Paulus Grisaldus, in Decisionibus fidei, verbo *Bigamia;* Vivaldus, tractatu de Irregular., n. 8; Henriquez, lib. 12 de Impedimento matrimonii, cap. 6, n. 9. Hi enim requirunt intentionem perficiendi matrimonium.

4. *Tertia sententia.* — Tertia sententia simpliciter negat in eo casu contrahi bigamiam aut irregularitatem, quacumque causa vel impedimento unum matrimonium fuerit nullum. Pro hac sententia citatur Paulus Burgasius, de Irregular., p. 5, tit. de Bigamis, n. 9, quem videre non potui. Citatur etiam Navarr., in Summa, c. 27, n. 195, et lib. 1 Consil., tit. de Bigamis, consil. 1; tamen illis locis oppositum plane docet in præsenti quæstione, cum Antonio de Butrio, et aliis; tamen in alio casu non multum dissimili negat ibi Navarrus contrahi irregularitatem, nimirum, quando quis contrahit matrimonium cum vidua, quod in re fuit nullum; tunc enim negat contrahi irregularitatem. Et fundamenta, quibus id probat, videntur hanc tertiam sententiam confirmare. Præcipuum autem esse debet, quia bigamia interpretativa non potest admitti, nisi in casibus a jure expressis, sicut nec irregularitas. Est enim eadem ratio, quia in præsenti idem sunt, ut dixi; vel quia hæc bigamia solum est ex juris institutione, ideoque, si jura tantum dicant, eum esse bigamum, qui post primam uxorem mortuam, secundam duxerit, non possumus nos interpretari, etiam illum, vel qui revera non habuit primam uxorem, sed tantum quamdam similitudinem ejus, fieri bigamum ex vi talium jurium, quia uxor simpliciter non est illa quæ apparet vel putatur, sed quæ vere existit matrimonio copulata. Maxime, quia in odiosa materia verba sunt restringenda ad omnimodam proprietatem, potius quam extendenda ad similitudinariam, qualis esset illa interpretativa; ergo ubi jus ipsum non introducit bigamiam interpretativam, nulla esse potest. In præsenti autem nullo jure cautum est, quod in eo casu interpretativa bigamia inducatur. Nam si quæ afferuntur, in diverso casu vel speciali loquuntur. Solet enim afferri caput ultimum de Bigamis, quod loquitur de bigamia similitudinaria, qua solum potest sumi argumentum a simili, quod est invalidum. Item citatur cap. Nuper, eodem titulo, quod quidem loquitur de hoc duplici matrimonio, non tamen generaliter, sed specialiter in sacerdotibus, propter specialem indecentiam in pœnam tanti delicti. Et hoc est, quod in eodem textu significatur illis verbis: *Non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto*;

Unde confirmatur, nam pœna, quæ in aliquo speciali casu imponitur propter delictum exterius attentatum, etiam effectu non sequuto, non est extendenda ultra casum a jure expressum, quia est materia odiosa et rigorosa, et ideo potius restringenda; sed hujusmodi pœna est hæc irregularitas; ergo non est extendenda ultra causam sacrilegii commissi a presbytero post secundas nuptias; in quo specialiter textus ille loquitur.

5. Et confirmatur præterea hæc sententia, quia alias sequitur, laicum bis contrahentem matrimonium fieri irregularem, etiamsi utrumque fuerit nullum. Consequens autem est absurdum : ergo. Sequela probatur, quia eadem est ratio, sive utrumque matrimonium fuerit nullum, sive alterum tantum, quia in neutro casu est in re ipsa defectus in significatione sacramenti; in utroque autem est affectus cum intentione et opere subsequuto; supponimus enim in utroque casu copulam intervenire in utrisque nuptiis. Minor autem probatur ex dicto cap. Nuper, ubi idem consequens tanquam inconveniens infertur. Ratione item probatur; nam vel illa irregularitas contraheretur propter significationem seu reverentiam sacramenti, vel in pœnam talis delicti. Primum dici non potest, quia ubi nullum fuit sacramentum, nullus etiam est defectus in significatione ejus. Item, quia alias, qui bona fide contraheret semel, et postea cognito substantiali defectu matrimonii, qui per ignorantiam inculpabilem intercessit, contraheret cum alia, fieret irregularis, quod videtur incredibile, cum ibi nullum verum fundamentum irregularitatis intercedat. Nec etiam videtur dici posse secundum, quia, si duo illa matrimonia successive fiant, vel intendantur mortua priori conjuge, per se loquendo non includunt culpam; si vero simul fiant vivente utraque conjuge, aut consideratur ibi irreverentia, quæ fit sacramento per talem iterationem ejus, et propter hoc non est imposita talis irregularitas; cujus signum est, quia, si copula non sequatur post secundum matrimonium contractum, non sequitur irregularitas; vel consideratur delictum, quod per talem copulam committitur, quod sine dubio dignum est pœna, non tamen irregularitate, quia solum est quidam vagus vel adulterinus concubitus, qui non solet irregularitate puniri, alias qui haberet plures concubinas, vel qui haberet concubinam cum legitima uxore, fieret irregularis. Quod tamen non ita est, ut recte notavit Soto, dicto art. 1, ad 1, et Covarr., in dicta Clement., 1 p., § 2, n. 5, quia nullo jure talis irregularitas lata est. Quanquam enim in canon. 16 Apostolorum, et habetur in cap. 1, dist. 33, dicatur, eum qui post baptismum concubinam habet, non posse fieri clericum, illud vel usu revocatum est, ut ait Covarruvias, vel certe intelligendum est non ratione delicti, sed ratione infamiæ, de qua jam dictum est.

6. *Prima conclusio.* — Nihilominus dicendum est primo, eum, qui, vivente prima uxore, scienter contrahit secundas nuptias, fieri irregularem. Ita D. Th., Richardus et Soto, et omnes; intelligitur autem si cum utraque consummaverit, juxta regulam positam, quæ semper subintelligenda est, ne illam repetere sit necesse. In hoc sensu videtur loqui 16 canon Apostol., qui sic habet : *Qui post sanctum baptisma duobus conjugiis fuerit implicitus, non possit esse de numero sacerdotali.* Nam licet illa verba intelligi possint de duobus conjugiis veris et successive factis, tamen, cum absolute sint de duobus conjugiis, ita sunt indistincte intelligenda, præsertim cum juxta communem usum simpliciter dicatur duo matrimonia contrahere, qui simul illa contrahit. Et præterea in canone 18, dicitur : *Qui duas sorores duxit, non potest esse clericus.* In quo casu alterum matrimonium est nullum, sive fiat vivente conjuge, sive non; ergo a fortiori idem erit, quoties duo matrimonia simul contrahuntur, etiamsi secundum invalidum sit. Facit etiam c. De his, 31, q. 1, quod communiter intelligitur de contrahente simul plures nuptias, et tamen ille vocatur bigamus in ipso Concilio Neocæsariensi, ut supra notavi. Sed hæc, ut verum fateatur, solvi possent. Probatur vero ulterius ex dicto c. Nuper, in quo in primis verum non est, Pontificem loqui de solo presbytero; nam quod ibi adducit de presbytero contrahente nuptias non legales, solum est argumentando, et gratia exempli, non quia de solo presbytero quæstio proposita esset. Unde in responsione generaliter dicitur : *Cum hujusmodi clericis, qui, quantum in ipsis est, secundas nuptias contraxerunt,* etc. Ubi licet Abbas, et alii expositores intelligant, sermonem esse de clerico in sacris constituto, nam propterea dicitur matrimonium ab illo intentatum, fuisse nullum, tamen Hostiensis, n. 4, dicit, etiam ibi comprehendi clericos in minoribus constitutos, qui secundo contraxerunt cum affine, vel consanguinea, et monachos, quorum matrimonium nullum est ratione voti. Illud ergo

non censetur specialiter factum in pœnam talium clericorum, sed simpliciter propter secundas nuptias animo attentatas, cum opere subsequuto, et ita locum habet illa decisio in quocumque contrahente similes nuptias, et ex quocumque capite sint nullæ; atque ita intellexerunt textum hunc omnes expositores, et consentiunt Theologi. Neque habemus sufficiens fundamentum ad restringendam illam decisionem ad solos clericos, quia nullum est verbum, quo significetur, hoc fieri in specialem pœnam clericorum, alioqui quoties canones de irregularitatibus loquuntur in personis clericorum, non haberent locum in laicis habentibus similes defectus.

7. *Irregularitatem hanc non propter culpam, sed propter indecentiam contrahi. — Interrogationi fit satis.*— Ex hac resolutione infero primo, irregularitatem hanc non contrahi propter culpam, sed propter indecentiam. Ita sentit Joan. Andreas, quem Abbas sequitur; nec in illo textu est aliquod verbum, quo significetur, illam irregularitatem positam esse in pœnam delicti, quamvis Glossa et Hostiensis ita loquantur; sed fortasse lato modo pœnam accipiunt pro quocumque impedimento. Nam verba illa, *propter affectum intentionis cum opere subsequuto,* non necessario includunt culpam, ut per se constat. Dices : quænam est hæc indecentia, seclusa culpa, cum in eodem textu dicatur, hanc irregularitatem non esse propter sacramenti defectum. Respondeo, non esse propter defectum verum, sed apparentem et attentatum, in quo intervenit eadem species incontinentiæ. Affert exemplum Panormit. in c. unico de Desponsat. impub., in 6, ubi in § 1, dicitur, per matrimonium inter impuberes, quod nullum fuit propter defectum ætatis, publicæ honestatis impedimentum contrahi; quod non contrahitur propter culpam, sed propter quamdam indecentiam; ita in præsenti, quia in publica Ecclesiæ æstimatione iste bis contrahit exterius matrimonium, effectum bigamiæ participat, licet verus bigamus non sit.

8. *Irregularitatem hanc, etiamsi per ignorantiam utrumque matrimonium contrahatur, incurri. — Objicitur c. Presbyterum, d. 28. — Exponitur.* — Secundo sequitur, hanc irregularitatem contrahi, etiamsi per ignorantiam utrumque matrimonium bona fide contractum sit. Ita docent iidem auctores contra Archidiaconum in eodem c. Nuper, et in c. un. de Bigamis, in 6, et in c. Cognoscamus, 34 dist.; qui dixit, interveniente ignorantia non contrahi hanc irregularitatem; videtur enim existimasse, propter culpam esse impositam ; sed non ita est, ut dixi, sed propter publicam significationem incontinentiæ, et quamdam effigiem (ut sic dicam) vel similitudinem defectus sacramenti. Hoc autem supposito, manifestum est, ignorantiam, aut bonam fidem nihil referre ad prædictam excusationem ; quia in universum irregularitas, quæ sine peccato contrahi potest, non impeditur propter bonam fidem. Objici vero potest cap. Presbyterum, d. 28, ubi propter similes nuptias ex ignorantia factas, non irregularitas, sed quædam suspensio imponitur, et significatur esse propter delictum, eo quod ignorantia fuerit juris et culpabilis. Respondeo primum, textum illum esse ex canonibus Trullanis, qui non habent firmam auctoritatem; maxime quoad hæc moralia, in quibus multa continent juxta usum Orientalis Ecclesiæ, quæ in Latina non sunt in usu. Secundo dicitur, forte impedimentum illud ibi positum esse irregularitatem ; nam quod talis presbyter permittatur habere beneficium, non est contra intrinsecam rationem irregularitatis, de qua nunc agimus, et potuit in hoc indulgeri propter ignorantiam, et ne presbyter cogatur mendicare. Tertio addo cum Turrecremata ibi, nuptias non legales non vocari secundas nuptias, sed quascumque a presbytero contractas; omnes enim nullæ sunt, ut ibi dicitur; et propter illas, etiamsi essent primæ, imponebatur illa pœna.

9. *Ex duplici matrimonio quorum unum ex quocumque capite sit nullum, incurritur.* — Tertio infero, idem esse dicendum, etiamsi alterum ex duobus matrimonii invalidum sit ex alio capite, præter iterationem vivente conjuge. Ita sentiunt Doctores citati, et probant jura adducta, quæ indifferenter loquuntur. Et ratio est eadem ; nam in utroque casu est eadem indecentia, et defectus. Unde etiam fit, idem impedimentum habere locum, sive utrumque matrimonium fiat vivente priore conjuge, sive defuncta, quia, licet in priori casu major sit indecentia, propter irreverentiam et gravem culpam, tamen etiam in posteriori invenitur sufficiens ratio impedimenti, qualis esse potest sine culpa, ut explicatum est. Dices: hoc recte procedere, quando matrimonium validum antecessit, et postea secundum contractum est; at si e contrario contingat, ut prius matrimonium fuerit nullum, illo dissoluto, nulla est indecentia in

secundo matrimonio, neque culpa, per se loquendo. Respondetur, culpam quidem non esse; indecentiam vero esse eamdem, quia per accidens est, quod validum vel invalidum antecesserit; quod patet ex alio casu. Nam secundæ nuptiæ contractæ post primum matrimonium validum et mortua priori uxore, licet aliunde invalidæ sint, sufficiunt ad irregularitatem inducendam; ergo, et e converso, etiamsi invalidæ antecedant et validæ sequantur, idem contrahetur impedimentum, cum ille diversus ordo neque ad decentiam, neque ad significationem, neque ad culpam quidquam referat. Denique jus nihil distinguit inter plura matrimonia simul vel successive, hoc vel illo ordine facta; ergo nec nos distinguere possumus, cum nulla ratio sufficiens cogat.

10. *Quartum corollarium.* — Quarto infero idem impedimentum contrahi, etiamsi matrimonium fuerit nullum ex defectu consensus. Quod in primis probo argumento proxime facto, quia jus in hoc etiam jus non distinguit, neque exceptionem habet; nullum etiam gravem auctorem invenio, qui illam adhibuerit; non est ergo nobis liberum illam facere, cum nulla ratio sufficiens cogat. Nam quod jus ait, hanc irregularitatem incurri propter affectum intentionis cum opere subsequuto, non intelligitur de intentione efficiendi verum conjugium, sed de intentione exterius contrahendi, quæ intentio nunquam deesse potest; supponimus enim exteriores nuptias voluntarie et libere exterius contrahi. Hunc autem esse illius juris sensum, probatur, quia alias sequeretur contrahere hanc irregularitatem sacerdotem ex ignorantia contrahentem tales secundas nuptias, non vero, qui scienter, et ex malitia exteriorem illum contractum facit et consummat, supposito quod nuper diximus cum communi sententia, eum, qui duxit secundam uxorem, vivente prima, fieri irregularem; nam impossibile est, ut qui secundam ducit, habeat verum consensum, et intentionem efficiendi verum matrimonium, nisi interveniente ignorantia juris aut facti; tunc ergo alienum ab omni ratione et ab omnium opinione est, ut irregularis fiat, qui bona fide, vel per ignorantiam ducit secundam uxorem, non vero qui scienter et per malitiam. Denique ad illam indecentiam, quam hæc lex considerat, sufficit affectus ad illum exteriorem contractum, cum opere subsequuto; sine causa ergo alius consensus postulatur. Neque in his rebus argumenta a simili efficacia sunt, quia standum est dispositioni juris, præterquam quod nunquam deest aliqua dissimilitudinis ratio. Ut in exemplo illo, quod in contrarium afferebatur de baptizante, et jura diversimode loquuntur, et ratio est diversa, quia illa irregularitas introducta fuit in detestationem erroris asserentis, baptismum posse iterari, qui error non fovetur, nisi ab his, qui intentione rebaptizandi id faciunt. Aliud vero exemplum a simili ex c. unico de Sponsalib., in 6, etiam non probat, quia illud impedimentum ex sponsalibus contractum minimum est, et ideo noluerunt jura antiqua, ut oriretur, quando ex defectu voluntatis sunt nulla; et signum hujus est, quod novo jure id extensum est ad omnes casus nullitatis, ut diximus.

11. *Quintum corollarium.* — Ultimo, infero, hanc irregularitatem contrahi, etiam si contingat utrumque matrimonium esse nullum, dummodo in utroque sit idem affectus cum opere subsequuto. Hoc non invenio tam expressum in antiquis auctoribus; illud tamen sentire videtur Richard., in 4, dist. 20, art. 4, quæst. ad pr., putatque inveniri in jure hunc casum; nihil autem citat nisi cap. Nuper. Expresse tenet idem Navar., lib. 1 Consil., tit. de Bigam., consil. 1, et in Sum., c. 27, num. 195. Idem indicant Hostiens. et Panormit., quatenus respondentes ad cap. Sane, 2, de Clerico conjug., ubi sacerdos nuptias contrahens non dicitur esse irregularis, respondent intelligendum esse, de sacerdote contrahente primas nuptias; in hoc enim significant, si sacerdos, etiam post sacerdotium, bis nuptias contrahat, fieri irregularem; ad idemque induci potest dictum c. Nuper, in hunc modum, quia absolute dicit esse irregulares clericos, *qui, quantum in ipsis est, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt.* Sed hoc verissime dicitur de clerico, qui post susceptum Ordinem sacrum duo matrimonia contraxit; nec Pontifex ibi limitat suum responsum ad clericos, qui ante susceptum Ordinem sacrum uxorati fuerunt, et vidui effecti ordinati sunt; sed simpliciter de clericis loquitur. Nec vero obstat, quod argumentando Pontifex tanquam inconveniens inferat, sequi eum, qui nullam uxorem habuit, fore ut bigamum reputandum; nam potius ex hoc argumentandi modo colligimus vel Pontificem non loqui tantum de clericis, qui ante sacerdotium semel contraxerunt validas nuptias, et iterum post sacerdotium

invalidas; sed absolute de quocumque sacerdote bis contrahente, sive valide, sive invalide, vel certe ex uno casu colligere alium. Unde cum postea nihil respondeat ad objectionem, sed absolute et sine distinctione definiat, plane significat, nullum inconveniens illud esse, quandoquidem ibi non de vera bigamia agitur, sed de effectu simili quoad irregularitatem, propter externam speciem in indecentia, et defectu significationis, et ostensionis incontinentiæ. Atque hæc etiam est ratio assertionis; nam qua ratione non postulatur ad hanc irregularitatem, ut utrumque matrimonium validum sit, eadem non est necessarium, ut aliquod sit validum; probatur consequentia, quia hæc irregularitas non est vera bigamia; nam vera, ac propria bigamia requirit duplex matrimonium; ubi ergo unum matrimonium est invalidum, est tantum bigamia interpretativa, et a jure considerata; hæc autem etiam reperitur, ubi utrumque matrimonium est invalidum, et æque a jure consideratur, cum jus indifferenter loquatur. Neque inde inferri potest, ex multiplici concubinatu, aut quacumque alia iterata copula illicita, absque matrimonio saltem exteriori, contrahi similem irregularitatem, quia hoc nec a jure consideratum est, neque habet similitudinem rationis, eo quod ibi vel nullum, vel non duplex matrimonium, saltem externum, intercedit. Atque ex his illationibus satisfactum est fundamentis secundæ et tertiæ sententiæ, et prima sufficienter est confirmata et declarata.

SECTIO III.

Utrum ex unico matrimonio interdum contrahatur irregularitas bigamiæ interpretativæ.

1. *Conclusio.* — *Ob vilem conditionem uxoris etiam virginis incurrit aliquando vir irregularitatem.* — *Ob unicum matrimonium cum vidua, quæ prius matrimonium consummavit, incurritur irregularitas.* — Certum in primis est, ex unico matrimonio aliquando contrahi irregularitatem, propter conditionem personæ, cum qua contrahitur. Hæc vero conditio interdum non spectat ad bigamiam, sed ad infamiam, ut si quis contrahat cum ancilla, scurrili, seu mima, vel scenica, fit irregularis, etiamsi illa virgo sit, propter vilem conditionem personæ, cui similis efficitur, qui cum illa contrahit; et ideo censetur indignus Ordinibus, ut Sylvester, Navar., et omnes notant, ex can. 17 Apostolorum, cap. Si quis viduam, 34 dist., ubi Glossa plures rationes hujus irregularitatis adducit; certum est autem non pertinere ad bigamiam, sed ad infamiam. Aliquando ergo conditio personæ pertinet ad defectum sacramenti, in quantum virtute includit duplex matrimonium, vel indicium incontinentiæ, et tunc censentur insurgere aliæ species bigamiæ interpretativæ, quæ ad tres possunt revocari. Primo ergo insurgit hæc irregularitas ex matrimonio cum vidua; nam certum est ex hujusmodi matrimonio insurgere bigamiam et irregularitatem, ut statim ex jure probabitur. Oportet tamen, ut et ipsa prius matrimonium consummaverit, et cum ea secundum consummetur, ut Pelag. P. declarat, in c. ult., d. 34. Magister autem in 4, d. 27, oppositum sentiens, explicat textum illum de sponsa de futuro; et idem indicat Gratian., in c. Quid autem, § Item si sponsa, 27, quæst. 2. Sed prior sensus est certus, tum ex verbis textus: *Mulier ante velata, et quæ iterum velamen accepit;* hæc enim non dicuntur de sponsa de futuro; tum ex declaratione Innocent. III, in c. Debitum, de Bigamis, ut supra visum est; tum ex paritate rationis, quia si non intercedit copula, non est defectus significationis, illa vero existente invenitur, quia Christus virginem Ecclesiam sibi copulavit, et sicut ille est unicus sponsus, ita illa est unica illius, neque unquam fuit alterius.

2. *Bigamia hæc est interpretativa.* — Hinc vero inferunt aliqui, hanc non esse interpretativam, sed veram bigamiam, et ita loquitur Rota, tit. de Bigamia, decis. 1, in novis. Sed hoc est alienum a proprietate verbi, quia ibi maritus vere non contraxit secundas nuptias; sed, quia fit una caro cum fœmina, participat conditionem ejus, et defectum significationis, quod facit ex parte mariti interpretativam, non veram bigamiam; et ideo jura ita loquuntur, et hæc distinguunt; c. Præcipimus, d. 34: *Nec bigamus, nec qui virginem non est sortitus uxorem;* cap. Lector, eadem dist.: *Si viduam acceperit uxorem;* et infra: *Similiter si bigamus fuerit,* c. 3 de Bigamis, et c. Nisi cum pridem, § Personæ, de Renunciat. Nam in hac verborum distinctione significatur non esse has æque veras bigamias, licet per interpretationem juris æquiparentur quoad irregularitatem, quia ita est consentaneum doctrinæ Apostoli, et institutionibus Ecclesiæ, ut ibidem subjungitur.

Quid si matrimonium cum vidua nullum sit.

3. *Pars affirmans.* — Dubitatio vero est, si contingat aliquem ducere viduam in uxorem, et matrimonium cum illa nullum esse propter impedimentum irritans interveniens, sive cognitum sive ignoratum, an per tale matrimonium hæc irregularitas contrahatur. In quo dubio pars affirmans videtur aperte definita in c. ult. de Bigamis, ubi subdiaconus, qui viduam duxit, irregularis declaratur, etiamsi matrimonium cum illa nullum fuerit, propter affectum intentionis cum opere subsecuto, ut ibidem dicitur. Atque ita hoc expresse affirmat Richard., in 4, d. 27, art. 4, quæst. 3; non affert autem dictum textum, sed cap. Nuper, quod in diversa specie loquitur, ut visum est; idem tenet Covarruv., in dicta Relect., part. 1, § 2, n. 2, dicit esse sententiam communi consensu probatam a Doctoribus Theologis in 4, d. 27, et a Canonistis supra dictum textum; idem tradit Rota, tit. de Bigamia, decis. 1, in novis.

4. *Pars negans. — Primum fundamentum.* — Nihilominus Navar., in c. 27, num. 195, oppositam tenet sententiam, dicitque Romæ in sacra pœnitentiaria ita fuisse conclusum; idem late l. 1, consil. 1 de Bigamis, ubi duplex affert fundamentum : primum est, quia talis bigamia neque est vera, ut per se patet, neque interpretativa. Quod probat, quia neque ille contraxit cum duabus invalide; neque cum altera valide; et cum altera invalide; neque cum vidua valide, præter has autem, inquit, non sunt plures species bigamiæ interpretativæ. Sed in hac probatione petitur principium; nam opposita sententia supponit ad hanc speciem bigamiæ interpretativæ sufficere matrimonium de jure, vel de facto cum vidua, vel certe (quod perinde est) hanc ipsam bigamiam interpretativam subdistinguendam esse, quia una est omnino propria in sua specie, in qua ex parte uxoris duplex verum matrimonium intercedit; alia interpretativa etiam, sed magis remota et ficta, in qua matrimonium cum vidua de facto tantum, et non jure intercedit.

5. *Secundum fundamentum.* — Secundum Navarri fundamentum est, quia irregularitas in tali casu non est in jure expressa; sed alii respondent, satis esse expressam in dict. c. ult. Sed contra hoc ipse contendit, ibi non esse sermonem de quocumque invalide contrahente cum vidua, sed de clerico in sacris constituto; nam ibi de subdiacono sermo est, in quo dicitur resultare bigamia, non interpretativa, sed similitudinaria, propter votum castitatis, de qua in sectione sequenti. Sed contra hoc est, quia in textu illo nulla habetur ratio prioris matrimonii spiritualis, quantum ad reddendam rationem illius irregularitatis, sed in hoc solo fundatur, quod ille tractandus est tanquam maritus viduæ. Unde objicitur secundo, quia illa irregularitas, quæ contrahitur ex duplici matrimonio, uno spirituali, et altero carnali subsecuto, est alterius rationis, et contrahitur etiam per matrimonium cum virgine. Quapropter priorem sententiam retinendam censeo. Cætera vero, quæ in hoc puncto dici poterant, sumenda sunt ex dictis in fine præcedentis sectionis; nam hic casus, et ille æquiparantur. An vero extendi hoc debeat ad matrimonium cum vidua, non jure, sed facto, id est, non relicta ex marito vero, cum quo matrimonium jure contraxit, sed solum de facto, dicam in sequenti puncto.

6. *Ob matrimonium cum corrupta incurritur irregularitas.* — Secunda species hujus bigamiæ interpretativæ consurgit ex matrimonio cum corrupta, juxta c. Maritum, 33, ubi dicitur : *Qui unam uxorem, non matronam, concubinam habuit, non potest esse clericus, neque etiam ille, qui meretricem in matrimonium assumpsit.* Ex quo textu videtur colligi, priorem partem intelligendam esse de illo, qui jam prius habuit concubinam, postea duxit uxorem, quia si ageret de concubina alterius, sub altero membro illam comprehenderet. Et ita intellexit Glossa ibi, citatque c. Curandum, et c. Præcipimus, 34 dist., ubi absolute dicitur, qui fœminam non virginem in uxorem duxit, ordinandum non esse; qui autem accipit in uxorem priorem concubinam suam, non ducit virginem. Et hanc opinionem secuti sunt Hostiensis, Hugo, et alii. Nihilominus communiter Doctores asserunt, hanc irregularitatem solum contrahi, quando quis ducit corruptam ab alio. Ita tenet Glossa, in c. Sane, 1, de Cleric. conjug., et in c. Dubium, de Bigamis, verb. *Cognita*, et verb. *Divitiæ*, quibus locis Abbas, et communiter Doctores, et in c. Tanta, et c. unic., statim citandis; D. Thom., in 4, d. 27, quæst. 1, art. 1, quæst. 3, ubi cæteri Theologi; Sylvest. et communiter Summistæ, verb. *Bigamia;* Navarr., c. 27, num. 195; Maiol., lib. 1, c. 43, num. 5. Solent autem ad hoc citari c. Fraternitas, et cap. ult., 33 dist.; ibi tamen nihil dicitur, quod ad rem præsentem faciat, quia in priori solum dicitur, eum,

qui post primas nuptias, mortua uxore, habuit concubinam, cum qua matrimonium non contraxit, non manere irregularem, quod longe diversum est. In alio vero capite agitur de illo, qui contraxit cum sponsa, quæ corrupta non fuit a priori marito. Quod etiam est valde dissimile, ut per se constat.

7. *Cap. Maritum, exponitur.* — Non invenio ergo jus, in quo directe fundetur hæc sententia; fundatur autem hac ratione, quia matrimonium contractum cum priori concubina retrotrahitur, et in jure reputatur quasi factum cum illa ante primam copulam; si ergo ab eodem marito virgo cognita fuit, et nunquam ab alio, matrimonium illud reputatur factum cum virgine, non cum corrupta. Antecedens declaratur ex aliis effectibus; nam filii nati ex priori concubinatu inter solutum et solutam, efficiuntur legitimi per subsequens matrimonium, c. Tanta, Qui filii sint legitimi. Similiter clericus conjugatus tunc solum gaudet privilegio clericali quando virginem duxit, juxta c. unic. de Cleric. conjug., in 6; tamen si duxit illam, quam ante matrimonium virginem agnovit, eodem gaudet privilegio, juxta glossam receptam ibi; ergo idem erit in præsenti. Et confirmatur, quia ille, qui duxit a se tantum cognitam, nec vere, neque interpretative divisit carnem suam in plures, cum illa non fuerit a pluribus cognita; ergo non est, cur veram, aut interpretativam bigamiam contrahat. Hæc ergo sententia nobis probatur, ut communior et favorabilior, et rationi consentanea, et juri non contraria, imo in eo conformis, quod talis irregularitas non invenitur in jure expressa. Nam illa jura, quæ irregularem faciunt eum, qui ducit non virginem, intelligenda sunt aut vere, aut secundum fictionem seu æstimationem juris: et hoc modo qui ducit eam, quam solus ipse cognovit, virginem ducere censetur. In illo autem c. Maritum, per concubinam intelligere possumus alterius concubinam, quamvis ab uno solo cognitam, quæ in rigore non comprehendebatur sub nomine meretricis; nam meretrix dicitur, quæ *multorum libidini paret,* ut ex Hieronymo, epist. 128, affertur in c. Vidua, 34 dist. Adde, textum illum non esse magnæ auctoritatis; nam licet a Gratiano referatur ex Gregorio, tamen revera est Gennadii sub nomine August., lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 72.

Cur major castitas ex parte uxoris, quam ex parte viri requiratur ad hunc effectum.

8. Hæc igitur species bigamiæ, seu irregularitatis, solum insurgit per matrimonium cum corrupta ab alio; et hoc modo est satis expressa in juribus citatis, et hæc est sufficiens ratio ejus. Cur autem jus induxerit hanc irregularitatem, et cur in tali matrimonio sit interpretativa bigamia, nonnullam dubitationem habet; nam si ipsemet vir prius virginitatem non servavit, etiam cum aliis peccando, non fit bigamus postea ducendo virginem; nec in tali matrimonio censetur esse aliquis significationis defectus; cur ergo censetur esse in matrimonio cum non virgine, aut cur magis postulatur virginitas in sponsa, quam in sponso, cum in matrimonio mystico inter Christum, et Ecclesiam major puritas, et virginitas sit in sponso, quam in sponsa? Item si quis post matrimonium cum virgine concubinam habeat, non fit irregularis, cum tamen magis dividat carnem suam in plures, quam qui corruptam ab alio ducit: ergo.

9. *Responsio.* — Circa priorem difficultatis partem varias rationes differentiæ affert Glossa, in d. c. Debitum, eas vero reprehendit D. Thom., dict. quæst. 3, qui rationem aliam affert, scilicet, quia corruptio carnis extra matrimonium contingens, et matrimonium præcedens, non facit defectum in sacramento ex parte illius, in quo est corruptio, sed ex parte alterius, quia matrimonium non cadit supra seipsum, sed supra alterum; et ideo ex termino specificatur, qui etiam est respectu illius quasi materia sacramenti. Ratio est satis metaphysica, et subtilis pro qualite materiæ. Fortasse Ecclesia moralem etiam rationem consideravit, quia defectus virginitatis in sponsa major est indecentia, et vir tenetur, et potest facile illam vitare, et est quædam infamia ducere ab alio cognitam extra matrimonium; quæ omnia cessant, quando corruptio præcessit ex parte viri. Cui etiam, regulariter loquendo, valde difficile est virginitatem servare ante matrimonium; et ideo noluit Ecclesia ad hoc obligare omnes ordinandos, nec difficile reddere matrimonium cujuscumque hominis prius incontinentis, quod sequeretur, si per illud quis fieret irregularis. Altera vero objectio nihil difficultatis habet; nam licet vir post mortem uxoris, quam solam et virginem prius duxerat, incontinens fit per vagum concubitum, non

reddit sacramenti significationem imperfectam aut defectuosam; et ideo in illo casu locum non habet irregularitas hæc, quatenus est ex defectu sacramenti; propter illud autem crimen non est irregularitas aliqua a jure imposita, nisi redundet in publicam infamiam.

10. *Contrahens cum repudiata ab alio fit irregularis.* — Atque ex his intelligitur tertia irregularitas seu bigamia hujus speciei in eisdem juribus contenta, quæ contrahi dicitur per matrimonium cum repudiata ab alio. Ita habetur in c. 1 de Bigamis, ibi : *Vel repudiatarum mariti,* quos a bigamis distinguit, significans non esse hanc veram bigamiam, sed interpretativam. Idem habetur in c. Si quis viduam, 50 dist., ubi dicitur : *Si quis viduam, aut ab alio dimissam duxerit,* etc., nam constat loqui de dimissa ab alio vivente. Idem dicitur in dicto cap. Maritum, d. 33 : *Qui viduam, aut repudiatam,* etc. Et ex can. 18 Apostol., in c. Si quis viduam, 2, d. 34 : *Si quis viduam aut ejectam acceperit,* etc. Et in c. Vidua, declaratur, ejectam vocari, quæ a marito vivente rejicitur. In qua irregularitate in primis supponendum est, hujusmodi repudiatam esse cognitam a suo marito, quia antequam matrimonium sit consummatum, non habet locum bigamia, ut sæpe dictum est ex d. cap. Debitum, de Bigamis. Unde duplici titulo potest contrahi hæc irregularitas : unus est, quia tale matrimonium contractum est cum corrupta ab alio; alius est, quia tale matrimonium comparatur matrimonio cum vidua, quia talis fœmina bis matrimonium contrahit.

11. *Objectio.* — Sed statim oritur difficultas, quia tale matrimonium cum repudiata ab alio nullum est, et ex parte viri est primum matrimonium ejus; ergo non est sufficiens ad inducendam irregularitatem, ut bigamiam interpretativam. Quæ objectio maxime procedit in opinione Navarri asserentis, per unicum matrimonium cum corrupta non contrahi bigamiam interpretativam, nisi matrimonium validum sit, ut patet in Cons. 1 de Bigam., sup. cit., et in cap. 27, num. 195. Accedit, quod Panormit., in dict. cap. 1, addit, hanc irregularitatem hodie non procedere, nisi in eo casu, in quo primum matrimonium fuit nullum propter impedimentum consanguinitatis, vel aliud simile, quod postea innotescit, et ideo separatur mulier a viro; tunc enim posterius matrimonium cum illa validum est. Sed revera dicti textus non loquuntur de hoc casu, sed de muliere repudiata propter adulterium, vel aliquid simile; nam quando matrimonium dissolvitur ex legitima causa, non potest dici mulier illa repudiata aut ejecta. Unde Hieronym., epist. 128 ad Fabiolam, dicit, ejectam esse, quæ marito vivente projicitur; et ita intellexit Hostiens. dict. cap. 1 de Bigamis, qui tamen etiam ait, hodie esse repudium reprobatum, juxta cap. Gaudemus, de Divort., significans, olim fuisse permissum ab Ecclesia, et ideo tunc habuisse locum hanc bigamiam, jam vero cessasse. Et hoc indicavit etiam Abbas, cum dixit, hoc non procedere hodie secundum unum intellectum.

12. *Nunquam fuit in Ecclesia permissum matrimonium cum repudiata, tanquam validum. — Satisfit objectioni.* — Verumtamen matrimonium cum repudiata ab alio vero marito nunquam fuit in Ecclesia permissum tanquam validum. Quod ut certum suppono ex propria materia, et evidenter colligitur ex dict. cap. Gaudemus, ubi Pontifex ostendit, hanc esse Christi doctrinam, ut vere est. Neque etiam arbitrandum est, aliquando fuisse toleratum, seu permissum tale matrimonium, licet fuisset invalidum; nulla enim historia vel auctoritate hoc ostendi potest, nec potuit esse unquam necessarium, imo fuisset intolerabilis error. Igitur prædicta decreta non statuerunt hanc irregularitatem, quia tale matrimonium in Ecclesia permitteretur eo tempore magis, quam in præsenti; sed quia non obstante divina, Ecclesiastica lege, non erant defuturi, qui facto, licet non jure, repudiatas ab aliis in uxores acciperent. Sicut canones etiam faciunt irregularem eum, qui vivente prima, secundam uxorem accipit; non quia tales nuptiæ secundæ permittantur, sed quia de facto ab iniquis hominibus contrahuntur. Ad objectionem ergo concedo tale matrimonium esse nullum jure; tamen quia de facto intendatur cum opere subsecuto, sufficiens reputatum est, supposito primo matrimonio consummato ipsius uxoris, ut contrahens cum illa irregularis fiat. Quod si quis fortasse dicat, hæc jura etiam in hoc sensu interpretata hodie non esse in usu, oportet ut id ostendat; ego enim nullum invenio jus novum, quo illud antiquum revocatum sit, nec de contraria consuetudine mihi constat; neque etiam video rationem ullam, ob quam hoc tempore minus sit dignus irregularitate, seu indignus Ordinibus, qui tale matrimonium contrahit, quam quolibet præterito.

13. Hinc vero duæ nascuntur quæstiones: una est, an is, qui matrimonium contrahit cum corrupta, si matrimonium invalidum fuerit, irregularis maneat, etiamsi illa non fuerit vidua, sed soluta. Alia ejusdem rationis est, si contingat uxorem separari a priore marito propter matrimonii nullitatem, et postea duci ab alio, etiam invalide, propter impedimentum irritans interveniens, an hic posterior maritus fiat irregularis. Ad quas quæstiones, juxta opinionem Navarri supra tractatam, negandum est, per tale matrimonium invalidum contrahi irregularitatem; juxta nostram vero sententiam, et communem doctrinam affirmandum videtur in utroque casu, quia in utroque contrahitur matrimonium cum corrupta vel vidua, si non jure, saltem facto, et cum opere subsecuto. Et hoc maxime confirmatur illis juribus, quæ de matrimonio cum repudiata loquuntur; nam illud matrimonium nullum est, et nihilominus quia est cum corrupta ab alio marito, inducit irregularitatem. Quod autem fuerit cognita a marito vivente, vel mortuo, vel a vero marito de jure, vel tantum de facto, aut etiam omnino ab alieno, nihil refert secundum jura ad bigamiam interpretativam. Probabilius ergo videtur in his omnibus casibus hoc impedimentum intervenire.

14. *Qui accedit ad propriam uxorem adulteram, fit irregularis.* — Ultima species bigamiæ interpretativæ contrahitur per accessum ad propriam uxorem, quæ adulterium commisit, etiamsi in principio matrimonii virgo accepta fuerit. Ita habetur in cap. Si cujus, et in cap. Si laici, dist. 34, ubi absolute dicitur, per adulterium uxoris fieri maritum irregularem; sed subintelligendum est, si post adulterium illam cognovit, ut ibidem Glossa exponit, argument. textus in cap. ult. ejusd. dist., et cap. Debitum, de Bigamis. Ratio autem hujus irregularitatis est, quia vir cognoscendo uxorem suam ab alio cognitam, efficitur maritus corruptæ; et ideo perinde judicatur ac si cum corrupta contraxisset. Unde, sicut supra dicebamus, matrimonium retrotrahi respectu illius uxoris, quæ ab eodem viro ante matrimonium virgo cognita fuit, ita et e converso hic dicimus matrimonium ad præsens tempus revocari respectu illius, qui adulteræ conjungitur, etiamsi prius virgo accepta fuerit. Hæc autem consideratio cessat, quando quis uxorem adulteram amplius non cognovit, quia tunc corruptio uxoris nullo modo cadit sub actu matrimoniali ipsius viri, ut notavit D. Thom., dist. 27, quæst. 3, art. 1, quæst. 3, ad 4. Meritoque comparari hic potest cum illo, qui matrimonium ratum contraxit cum corrupta ab alio, quod cum illa non consummavit; nam ille non efficitur irregularis, juxta citata jura; ergo a fortiori idem est in præsenti.

15. *Defectus in uxore etiam non cognitus inducit irregularitatem.* — Sed quid, si vir ignorans invincibiliter maleficium uxoris, ad illam bona fide accedat? contrahetne hoc impedimentum? Videtur enim non debere contrahere, quia licet de facto accedat ad adulteram, non tamen animo et intentione, quæ in his rebus majoris momenti esse videtur. Quæ interrogatio in multis præcedentibus casibus fieri potest, ut si quis ignoranter ducat corruptam, quam putat virginem, etc. Ad omnes autem respondetur, ignorantiam hanc non impedire irregularitatem, quia non est pœna alicujus culpæ, sed impedimentum ex tali defectu, qui in re ipsa intervenit, contractum, ut notavit D. Thom., dict. quæst. 3, ad 3; et Gloss., in dict. cap. Si cujus; Abb., in cap. Si vir, de Adulter., et in cap. 2 de Bigam., num. 8; Angel., verb. *Bigamia,* num. 4, et ibi alii Summistæ; et Navarr., dict. num. 195; Rota, dict. decis. 1 de Bigamia, ubi advertit, hanc ignorantiam conferre ad dispensationem obtinendam.

16. *Etiamsi uxor per vim oppressa sit, si vir postea illam cognoscat, fit irregularis.* — Ex quo ulterius colligere licet, hanc irregularitatem non solum contrahi, quando uxor propria fuit adultera peccando cum alio, sed etiam si per vim absque culpa vel consensu proprio ab alio violetur, quia hæc irregularitas non fertur propter peccatum uxoris, ut per se notum est, sed propter defectum significationis, qui resultat in matrimonio ex accessu ad corruptam ab alio; hic autem defectus æque resultat, sive ex parte uxoris culpa intercesserit, sive non. Quod notavit Maiol., lib. 1 de Irregul., cap. 32, num. 7, quia in hujusmodi irregularitate non voluntas, sed factum spectatur. Sicut etiam si contingeret uxorem transire ad secundas nuptias, bona et probabili fide existimans maritum esse mortuum, easque consummare, postea vero maritum comparere, eique restitui uxorem, accedendo ad illam fieret irregularis, etiamsi illa actum adulterii formaliter non commiserit, sed tantum materialiter, quia sub titulo matrimonii accedit ad fœmi-

nam ab alio cognitam; ergo idem erit, etiamsi per vim cognita fuerit, nam in hac materia vis et ignorantia æquiparantur, cum æque tollant voluntarium. Verum quidem est, per ignorantiam, non materialem actum, sed malitiam ejus reddi involuntarium; per vim autem utrumque. Hoc autem discrimen ad rationem irregularitatis nihil refert. Videatur in simili Leo Papa, epist. 85, alias 87 ad Episcopos Africæ.

17. Tandem ex eodem principio infertur, quamvis maritus lege justitiæ vel superioris imperio cogatur reddere debitum uxori, quæ adulterium commisit, quæve ab alio cognita est, jure vel injuria, nihilominus fieri irregularem, ut docuit D. Thom., supra, ad 4, ubi ait, de hoc esse opinionem, sed hanc esse probabiliorem, *quia hic non quæritur peccatum, sed significatio tantum.* Sequitur Angelus, verbo *Bigamia,* num. 2, et ibidem Sylvester.

SECTIO IV.

Utrum ex unico matrimonio nullo interdum contrahatur irregularitas propter bigamiam similitudinariam.

1. Tertia species bigamiæ poni solet illa, quæ similitudinaria dicitur, quia in illa non intercedit duplex matrimonium carnale, sed unum spirituale per votum solemne continentiæ, et aliud carnale attentatum tantum, cum invalidum sit post solemne votum. De hac item bigamia certum est, et dari interdum ex juris introductione (quia sine illo esse non potest, cum ex natura rei non sit), et irregularitatem inducere, quia in hoc maxime ejus ratio consistit. Præterea duplex tantum est votum solemne, religionis et Ordinis, et ita duplex tantum potest esse hæc bigamia : una religiosi, qui post professionem matrimonium contrahit; altera clerici in sacris.

2. *Fit irregularis contrahens post solemne votum religionis. — Et idem est de emittentibus tria vota substantialia religionis.* — De priori nulla est controversia, nam est satis expressa in jure, cap. Quotquot, 27, quæst. 1 : *Quotquot (ait) post virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contempta, inter bigamos haberi debebunt;* et alia versio habet: *Quicumque virginitatem profitentes.* Quod autem illa prævaricatio debeat esse per matrimonium, aperte explicatur in cap. Monachus, 27, quæst. 1 : *Si postea uxori fuerit sociatus,* etc. Quod intelligendum est usque ad corporum commistionem, tum propter generalem regulam supra positam de bigamia; tum etiam quia non est antea illa prævaricatio consummata, ut contrahatur irregularitas, quæ statim in eodem textu satis explicatur. Et ampliandum hoc est primo, etiamsi matrimonium contractum sit cum virgine, alias nihil haberet speciale; nam ex matrimonio cum vidua quilibet contrahit bigamiam. Nec refert (quod Sylvester objicit) in textu non fieri mentionem virginis, quia etiam non fit mentio viduæ, sed absolute loquitur, et ita intelligendum universaliter est, ut ratio etiam et materia postulat. Secundo ampliatur nunc ad professionem religionis, etiam per quæcumque vota substantialia religionis, et constituentia personam inhabilem ad matrimonium; quia per illa fit vera virginitatis seu castitatis professio.

3. *De clericis in sacris. — Prima opinio. — Secunda opinio.* — De posteriori autem parte, scilicet, de clericis in sacris, est diversitas opinionum; prima affirmat in eis habere locum eamdem bigamiam et irregularitatem. Angelus, verb. *Bigamia,* num. 7; Sylvester, num. 3, et ibidem Summa Rosella, et Armilla, num. 7; et D. Antoninus, 3 part., tit. 28, cap. 13; et Navarr., dicto num. 195. Solent ad hoc citari cap. Nuper, et cap. ultim. de Bigam., sed illa duo capita non tractant de hac bigamia, sed de aliis, quæ contrahuntur ex vi secundi matrimonii, etiam cum virgine, vel unius cum vidua, etiamsi talia matrimonia invalida sint, ut supra explicui. Citatur præterea dict. cap. Quotquot, 27, q. 1.

4. *Secunda opinio.* — Secunda sententia negat, quia in cap. Sane, 2, de Cleric conjug., de sacerdotibus matrimonium contrahentibus dici videtur, non manere irregulares. Atque ita ex illo textu docuit Abbas, in cap. Nuper, de Bigam., num. 3, quando, scilicet, sacerdos cum virgine contraxit, et in dicto cap. Sane, dicit, in eo casu sacerdotem esse tantum suspensum, et non suspensione propria, sed late sumpta, quæ per solam pœnitentiam auferri potest, quando delictum est occultum. Eodem modo videtur exponere dict. cap. Sane, Hostiens., in dict. cap. Nuper, num. 5, et in dicto cap. Sane, ait, propter illud delictum sacerdotem esse a suo officio suspensum, quando crimen est notorium, ita ut irregularis fiat celebrando; si autem sit occultum, significat nullum contrahere impedimentum. Archidiaconus et Summa Pisana, quos Sylvester citat, dixerunt, hanc irregularitatem

non incurri, nisi tale matrimonium contrahatur cum corrupta, qui supponere videntur, dictum cap. Sane, loqui de sacerdote contrahente cum virgine. Et videtur hæc opinio probabilis, quoad omnes clericos in sacris, quia nullum est jus, quod expresse illos faciat irregulares propter unicum matrimonium cum virgine, et alioqui est alia pœna in jure, quæ pro illo casu imposita videtur in dicto cap. Sane; et in cap. Presbyter, d. 28, solum dicitur presbyter in eo casu deponendus; et in cap. Presbyterum, eadem distinctione, si ex ignorantia culpabili in hoc crimen inciderit, non privatur cathedra seu beneficio, sed solum usu Ordinis, ut patet ex Glossa ibi, et ex Gratiano, in § ult., d. 31. Non videtur ergo hæc irregularitas in his juribus expressa.

5. Argumentum autem, quod a religiosis sumitur ad clericos in sacris, non videtur efficax. Primo ob regulam generalem, quod in irregularitatibus non valet argumentum a simili sine expresso jure. Secundo, quia in professione religionis videtur esse specialis ratio; nam ibi magis contrahitur speciale vinculum cum Christo, ratione cujus matrimonium postea subsequens inducit bigamiam similitudinariam, quod vinculum non invenitur in clerico in sacris, quia nec ratione illius Ordinis, ut per se constat, nec ratione voti, quod solum per accidens ex statuto Ecclesiæ impedit et dirimit matrimonium contrahendum, non vero dissolvit contractum. Unde Rota, in decis. 1 de Bigam., in novis, num. 9, bigamiam similitudinariam solum esse dicit, quando monachus vel monialis professa matrimonium contrahit de facto.

6. *Prior opinio præfertur.* — Licet hæc posterior opinio non improbabiliter defendi possit, nihilominus prior est magis recepta et in rigore verior. Dicendum ergo est, hanc irregularitatem extendi ad clericos in sacris. Quod sentit Glossa, in cap. Super eo, de Bigamia, dicens esse bigamum, qui castitatem promissam violat, citatque dict. c. Quotquot, quod ita videtur intelligendum, quia profiteri castitatem in proprietate latina significat omnem solemnem modum assumendi aliquam obligationem. Et idem sensit Rota supra, citans dictam Glossam. Unde, licet nominet monachum, est quasi materialiter et gratia exempli, non ad limitandam irregularitatem; idem Palud., 4, dist. 27, quæst. 24, loquens generaliter de voto solemni. Et hoc modo est satis expressa in citato jure hæc irregularitas. Facit præterea dictum cap. Nuper, nam licet principalis casus ejus non sit de hac bigamia, tamen Pontifex videtur illam in argumentum a simili adducere, et ita interpretari dict. cap. Presbyterum. Deinde dictum cap. Sane, recte intellectum, non solum non obstat, verum etiam hoc confirmat; nam ibi dicitur sacerdotem, qui nuptias contrahit, post longam pœnitentiam et vitam laudabilem posse ad executionem Ordinum restitui per dispensationem sui Episcopi; non ergo negat Pontifex manere irregularem, sed potius id supponit, et concurrentibus illis circumstantiis dispensationem committit Episcopo. Et ita limitat hanc sententiam et declarat oppositam Covarruvias, dict. Relect., part. 1, § 2, num. 2, cum Sylvestro, verb. *Bigamia*, q. 7.

SECTIO V.

Quo jure introducta sit, quosque effectus habeat hæc irregularitas.

1. *Prima conclusio.* — Ostendimus in quibus casibus bigamia contrahatur, nunc breviter causæ et effectus ejus explicanda sunt. Primo ergo dicimus nullam irregularitatem bigamiæ esse ex divino jure. Hoc supra est universaliter probatum de irregularitate, neque hic est aliquod fundamentum ad faciendam exceptionem. Nam locus Apostoli, 1 ad Tim. 3 : *Unius uxoris virum*, et habet alios probabiles sensus, et intellectus de bigamia, adhuc non videtur proponi sub verbo præceptum continente, sed admonitionem, scilicet, *oportet;* sub quo multa alia ibi requirit, quæ non sunt absolute et ex præcepto necessaria. Verum, etiamsi admittamus, ut probabilius censemus, illud fuisse præceptum, non sequitur fuisse divinum, sed Apostolicum, quod etiam Apostolorum canones confirmant. Unde Ambrosius, epist. 82, dicit, hoc Apostolum statuisse. Intelligitque non solum de Episcopo, sed de presbytero loquutum fuisse, et est verisimile, tum quia statim transfert Paulus sermonem ad diaconos, prætermissis presbyteris; tum etiam quia in eisdem diaconis eamdem conditionem requirit; unde a fortiori supponit eamdem in presbytero postulari. Addit vero Ambrosius, Patres Concilii Nicæni addidisse, *neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* Unde significat, hanc bigamiam, etiam propriam et rigorosam, ut extenditur ad alios clericos infra diaconum, non esse Apostolicam. Tamen Augustinus, tract. 41 in Joan., videtur extendere sermonem Pauli ad omnes

clericos, quamvis non simpliciter, sed de ordinandis ad præposituram Ecclesiæ loquatur. Et licet Gloss., in cap. 1, 81 dist., per *præposituram*, intelligat quodcumque Ecclesiasticum officium, tamen in rigore plus significat, et sine dubio ex vi illorum verborum Pauli hæc irregularitas non extenderetur ultra diaconos. Unde Lucius III, in cap. Super eo, de Bigam., solum dixit : *In bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri;* intelligit ergo Apostolum solum loquutum fuisse de sacris Ordinibus, qui eo tempore solum ad diaconatum extendebantur, et ita exposuit etiam Glossa ibi, verbo *Dispensare.* At in canone 16 Apostolorum, aperte extenditur ad omnes clericos.

2. *Secunda conclusio. — Extenditur conclusio. — Extensio alia conclusionis.* — Secundo dicendum est, solam bigamiam veram, esse Apostolicam, una vel altera excepta, ac proinde alias irregularitates ab Ecclesia fuisse paulatim introductas. Hoc patet, quia præter dictum locum Apostoli nullus alius est in Scriptura, ex quo possit hæc irregularitas colligi; ibi autem solum excluduntur secundæ nuptiæ, ut patet ex vi illorum verborum, *unius uxoris virum;* nam, sive fuerit vidua, sive aliter corrupta, sive virgo, si illam tantum habuerit, dicetur unius uxoris vir; ergo ibi in rigore non comprehenditur bigamia interpretativa, multoque minus similitudinaria. Probabile autem est ibi comprehendi bigamiam, quæ contrahitur simul ducendo secundam uxorem vivente prima, quia licet revera tantum una illarum sit uxor, tamen simpliciter et consueto modo loquendi, ille non dicetur unius uxoris vir, unde multi expositores intelligunt Apostolum potius exclusisse plures uxores simul quam successive. De aliis vero irregularitatibus, quæ contrahuntur per duo matrimonia, quorum utrumque, vel alterum non est verum, sed solum tentatum, probabilius videtur non esse ab Apostolo comprehensas, sed per extensionem et imitationem fuisse ab Ecclesia additas in juribus supra citatis; et ideo fortasse Cœlestinus P., in cap. 3 de Bigamis, cum dixisset : *De bigamis presbyteris, et viduarum maritis idem sentimus,* scilicet quoad irregularitatem, subdit, *maxime cum a doctrina Apostoli, et institutionibus Ecclesiæ sit alienum.* Ubi videtur referre singula singulis, scilicet, doctrinam Apostoli ad bigamum, et institutionem Ecclesiæ ad maritum viduæ. Nihilominus addo, bigamiam interpretativam ex matrimonio cum vidua vel corrupta satis colligi ex can. 17 Apost., qui de vidua ejecta et meretrice loquitur. Unde satis constat hanc esse irregularitatem Apostolicam; nam canon ille habet auctoritatem, et jure receptus, ac consuetudine retentus est. De aliis speciebus bigamiæ, et origine earum satis constat ex dictis.

De effectibus hujus bigamiæ.

3. Tertio addendum est, hanc irregularitatem bigamiæ ex suo genere, seu regulariter loquendo, totalem esse, id est, ex se privare omnium Ordinum susceptione et usu. Hoc adverto contra aliquos, qui dixerunt bigamiam non privare usu suscepti Ordinis, præsertim, si tantum fuerit ex minoribus. Quibus favet cap. Lector, 34 d., ubi lector, si cum vidua contraxerit, permittitur in suo gradu ministrare; et videtur intelligi absque dispensatione, quia statim subditur, in necessitate permitti posse usque ad subdiaconatum ascendere, scilicet, dispensando cum illo, ut Glossa ibi advertit. Nihilominus tamen oppositum est certum; nam jura citata omnino excludunt bigamum ab omni Ordine clericali, et de usu minorum Ordinum est expressus, in c. Sane, 1, de Cler. conjug., ubi non tam fertur novum jus, quam supponitur antiquum, sicut etiam in Concil. Trident., sess. 23, cap. 17 de Reformat. Hoc autem antiquum jus, et ex canonibus Apostolorum, et ex tota d. 34, ac tit. de Bigamis, satis colligitur. Quocirca ubicumque aliquis actus Ordinis videtur concedi bigamo, intelligitur media dispensatione, saltem Episcopali, et ita intelligitur dictum cap. Lector, et cap. Si subdiaconus, d. 34, ut infra videbimus.

4. *Quarta conclusio.—C. unic. de Bigamis.* — Quarto addendum est, ex institutione Ecclesiæ adjunctam esse huic irregularitati privationem privilegii clericalis. Patet ex cap. unic. de Bigamis, in 6, ubi bigami clerici privantur omni privilegio clericali ipso facto, et subjiciuntur correctioni fori secularis, et prohibentur deferre tonsuram vel habitum clericalem. Quod ex parte videtur prius fuisse statutum a Siricio Papa, in cap. Quisquis, 84 d.; est tamen diversitas, quia ibi Pontifex solum dicit, *denudetur,* unde non videtur imponere hanc pœnam ipso facto incurrendam, sed imponendam; in dict. vero cap. unic., declaratur ipso jure factam esse talem privationem. Hinc etiam Concil. Tridentin.,

sess. 23, c. 17 de Reform., dixit, ministeria Ordinum minorum exerceri posse per clericos conjugatos, ubi alii non fuerint, dummodo bigami non sint, juxta cap. Sane, de Cleric. conjug. Unde obiter colligitur, laicos bigamos non solum a susceptione Ordinum, etiam minorum, repellendos esse, sed etiam admittendos non esse ad aliquod ministerium Ecclesiasticum, quod aliquem Ordinem minorem per se postulet, quamvis interdum ob necessitatem soleat laicis concedi, nam et hoc ipsum vitandum esse decernit Concilium Tridentinum.

5. *De quibus bigamis loquatur. — Quarta conclusio. — De bigamis etiam interpretative esse intelligendum.* — Dubitari vero potest, an hæc pœna extendatur ad omnem bigamiam, vel restringenda sit ad omnino veram et propriam. Nam Glossa ibi, verbo *Bigamos,* exponit, *vere vel interpretative,* ponitque exemplum in clerico, qui viduam vel corruptam duxit. Panormitanus etiam, in cap. ult. de Bigamis, videtur hoc extendere ad clericum in minoribus constitutum, qui contraxit cum vidua, etiamsi matrimonium fuerit nullum. In contrarium autem est, quia dictum caput unicum, solum tractat de bigamis; bigami autem in rigore et proprietate juris solent distingui a maritis viduarum, ut supra expendimus, ex cap. 3 de Bigamis, et ex cap. Nisi cum pridem, de Renunciat. Lex autem pœnalis restringenda est ad propriissimam verbi significationem : ergo. Nihilominus prior sententia verior videtur, saltem quantum ad bigamiam interpretativam, nam de similitudinaria statim dicam. Et probatur primo, quia in illo capite unico deciditur quæstio, quæ ex dict. cap. Quisquis, orta fuerat inter juris interpretes, ut ibi Glossa advertit, ex illo principio textus : *Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes.* In dicto autem cap. Quisquis, expresse nominatur *clericus, qui viduam aut secundam conjugem duxerit;* ergo uterque comprehenditur in dicto capite unico. Rursus in dict. cap. Quisquis, non dicitur, qui contraxerit valde, sed absolute *contraxerit;* jure autem declaratum est, in hac materia æquiparari verum contractum, et intentatum cum opere subsecuto. Quocirca, licet in rigore vocis bigamus dicatur, qui bis duxit uxorem, tamen ex declaratione juris quoad effectus hujus irregularitatis latius patet; et ideo in illo textu omnes bigami comprehenduntur. Præsertim, quoniam bigamia, quæ ex vero matrimonio cum vidua consurgit, a multis vera et propria existimatur, et nonnulli eodem modo loquuntur de illo, qui vel simul duas habet uxores, vel successive unam de jure et alteram de facto tantum, ut patet ex Maiolo, lib. 1, cap. 33, num. 13. Hi ergo omnes sub illa lege comprehenduntur. De illo vero, qui invalide contraxit cum vidua, cum bigamia ipsa dubia sit, multo magis erit pœna; consequenter tamen loquendo, cum Panormitano sentiendum est, quamvis in materia odiosa altera opinio quæ favorabilior est, practice servari posset, maxime quoad hunc pœnæ seu privationis rigorem.

6. *An clericus bigamus gaudeat privilegio canonis. — Pars negans vera.* — Secundo dubitari potest circa eamdem legem, utrum talis clericus privatus sit privilegio clericali, etiam quoad immunitatem personæ, ita ut, qui illum percusserit, non incidat in canonem *Si quis suadente,* nam Hostiensis, quem Panormitanus refert et sequi videtur, excipit hoc privilegium, quia in casu dubio timenda est excommunicatio, donec Pontifex aliud declaret. Verius tamen censeo, etiam hanc immunitatem amittere, quod tenet Glossa, in dict. cap. Quisquis, verbo *Duxerit,* et Glossa, in dict. cap. unico, verb. *Omni privilegio.* Ex quo verbo sufficienter probatur hæc sententia; maxime quia statim prohibentur hi clerici deferre tonsuram et habitum clericalem; signum est ergo nulla clericorum immunitate gaudere, alioqui oporteret eis permitti aliquod signum clericatus, ut discerni possent.

7. *Intelligitur tamen de clericis in minoribus. — Hoc privilegium non amittitur per bigamiam similitudinariam.* — Atque hinc colligunt eædem Glossæ, hoc jus solum habere locum in clericis in minoribus constitutis; nam clerici in sacris, donec degradentur, nunquam privantur omni privilegio clericali, neque habitu et tonsura. Item. illi non possunt contrahere verum matrimonium, et ideo, licet illud de facto contrahendo efficiantur irregulares, nihilominus tamen propter reverentiam Ordinum semper manent in statu clericali, et ideo nec privantur obligatione deferendi clericalia insignia et decentem habitum, nec etiam carent omni privilegio et immunitate clericorum, quæ non propter ipsos, sed propter reverentiam talis status eis conceduntur. Quod etiam colligi potest ex cap. Nuper, et ex cap. ult. de Bigamis. Et ob eamdem rationem censeo per bigamiam similitudinariam non amitti hoc privilegium, quia

illa non contrahitur nisi vel a clerico in sacris constituto, vel a religioso professo; de clerico autem in sacris jam dictum est non comprehendi sub illis decretis, et ad idem potest aliquod argumentum sumi ex cap. Sane, 2, de Cleric. conjug.; eadem autem ratio est de religiosis. Maxime cum prædicta decreta solum de clericis conjugatis loquantur.

SECTIO VI.

Quis possit in irregularitate bigamiæ dispensare.

1. *D. Thomas.*—*Bigamia omnis, per Ecclesiam dispensabilis.* — Supponimus in primis omnem irregularitatem bigamiæ esse dispensabilem per Ecclesiam. Quæ est sententia Theologorum in 4, dist. 27, ubi D. Thom., quæst. 3, art. 3, et Quodlib. 4, art. 13. Idem habet Glossa, in cap. Lector, dist. 34, referens Lucium Papam cum Archiepiscopo Panormitano dispensasse. Idem habet Rota, titul. de Bigamis, decis. 1, in novis; Navarr., referens alios, cap. 27, num. 297. Fundamentum est, quia impedimentum hoc non est de divino aut naturali jure; ergo potest per Ecclesiam dispensari, etiamsi demus esse ab Apostolis institutum; nam Apostolicæ constitutiones non transcendunt jus humanum. Et quantum ad actus jurisdictionis, est in Ecclesia potestas æqualis potestati Petri, atque adeo sufficiens ad dispensandum in omni jure humano, etiam Apostolico.

2. *Cap. 2 de Bigamis, objicitur.*—*Quorumdam opinio.* — *Rejicitur.* — Objici vero potest cap. 2 de Bigamis, ubi dicitur : *Cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri,* etc. Idem habetur in cap. Nuper, eodem titulo. Propter hoc dixerunt aliqui Papam non posse dispensare cum bigamo, ut ad sacros Ordines promoveantur. Quod tenuit Glossa ibi cum aliis, quos refert; per Ordines autem sacros intelligit solum usque ad diaconatum inclusive, quia de his tantum loquutus est Paulus, et quia olim subdiaconatus non erat Ordo sacer, cap. ult., 60 dist., et cap. A multis, de Ætate et qualitate. Et rationem addit ex differentia, quæ invenitur inter irregularitatem propter crimen et propter bigamiam positam; nam quando fundatur in crimine, facta pœnitentia et exhibita satisfactione, tollitur indignitas et restituitur homo ad statum, in quo jam est capax dispensationis; at vero defectus sacramenti, in quo fundatur bigamia, nec per pœnitentiam reparari, neque auferri potest. Quæ ratio, si aliquid valeret, non solum de dispensatione ad sacros Ordines, sed ad quoscumque procederet; probaret etiam nullam irregularitatem fundatam in defectu ætatis, v. gr., vel alio simili, posse per dispensationem auferri, durante illo defectu, quod aperte falsum est. Negatur ergo consequentia, nam licet defectus sacramenti semper maneat, non necessario manet in ratione impedimenti ad Ordines, quia quod talis defectus sit impedimentum, non habet natura sua, neque ex divino jure, sed ex Ecclesiæ prohibitione, quæ potest per dispensationem auferri, interveniente causa legitima.

3. *Pars affirmans.* — Ex his ergo certissimum est, Summum Pontificem habere hanc potestatem cum omni plenitudine jurisdictionis, sicut habet alias. An vero Episcopi illam participent, controversum est. Quidam affirmant, saltem quoad Ordines non sacros, D. Thom., 4, dist. 27, q. 3, art. 3; Paludan., q. 4, art. 5; et ibi Albert., Durand., Richard.; Sylvest., verb. *Bigamia,* q. 6; Turrecrem., per textum ibi in cap. Lector, dist. 34, art. 2. Juvantur dict. cap. 2 de Bigamis, exponentes ibi loqui Pontificem de Episcopis, et dicere, non licere eis dispensare ad sacros Ordines, tacite concedens minores a contrario sensu. Alii vero limitant hanc sententiam, ut scilicet possit Episcopus dispensare cum irregulari ad utendum minoribus Ordinibus antea susceptis, non vero ad illos denuo suscipiendos. Quod tenet Navarr., dict. num. 197, ex cap. Lector, dist. 34.

4. *Pars negans vere.*—Dico tamen probabilius videri Episcopum non posse dispensare cum bigamo, etiam quoad minores Ordines. Ita tenet Abbas, c. 2 de Bigamis, n. 5; Glossa, Joan. Andr., Anchar., Franc. et Domin., in cap. unic. de Bigam., in 6; Navarr., supra, ex parte. Probatur primo ex dict. cap. unic., ubi bigami privantur omni privilegio clericali. Secundo ex cap. Nuper, et cap. ult. de Bigam., ubi hæc potestas simpliciter eis negatur. Tertio ex cap. Non confidat quisquam Pontificum, dist. 50, nam Pontificum nomine ibi Episcopi intelliguntur, juxta omnium expositionem et manifestum contextum. Quarto, sicut Episcopo non libet dispensare in lege Apostoli, ita nec in generali Concilio, neque in jure Pontificio, nisi in casibus concessis; hoc autem jus excludens bigamos ab omnibus Ordinibus etiam minoribus, ut minimum latum est a Concilio Nicæno, teste Ambrosio,

epist. 82, et in cap. Cognoscamus, dist. 34; imo supra est a nobis ostensum etiam esse Apostolicum in canonibus Apostolorum; nullibi autem legimus, hunc casum esse concessum Episcopis.

5. *Respondetur ad cap. 2 de Bigamis.* — *Respondetur ad cap. Lector.* — Nam argumentum a contrario sensu ex dict. cap. 2 de Bigamis, non est sufficiens, quia Papa solum respondet ad id, de quo fuerat interrogatus, negans illam ordinationem vel dispensationem esse licitam, loquiturque non tantum respectu Episcopi, sed simpliciter; quid vero in aliis Ordinibus liceat, ibi non definit. Atque hæc ratio probat non tantum de dispensatione ad susceptionem, sed etiam ad usum Ordinum minorum, quia nullum est jus, quod hoc secundum, magis quam primum concedat. Nam, cap. Lector, quod Navarr. citat, vel nihil, vel nimium probat, tum quia etiam ibi conceditur facultas dispensandi cum bigamo lectore, ut ad subdiaconatum ascendat, si necessitas id postulet; tum etiam quia de ipso lectore non per modum dispensationis, sed jure ordinario videtur statui, ut in suo munere permanere possit; nam simpliciter hoc ei conceditur, quod, si esset intelligendum cum dispensatione, fere non differt ab ascensu ad subdiaconatum; nam omnis dispensatio requirit aliquam necessitatem proportionatam. Unde dico, caput illud non potuisse dare aliquam potestatem Episcopis, quia non est Martini Papæ, ut a Gratiano inscribitur, sed Martini Bracharensis, qui diversos canones collegit, et hic sumptus videtur ex Concilio Toletano I, can. 3, ubi longe aliter legitur, scilicet : *Item constituit sancta Synodus, ut lector fidelis si viduam alterius uxorem accepit, amplius nihil sit, sed semper lector habeatur, aut forte subdiaconus;* ubi etiam ad subdiaconatum specialem necessitatem non requirit. Hoc autem Concilium Provinciale est, nec invenitur a Papa confirmatum, nec Leo IV illius mentionem facit in c. De libellis, dist. 20, ubi numerat canones Conciliorum, quibus in judiciis utendum est. Denique post illud Concilium sunt alia decreta Pontificia, quæ prohibent, clericum bigamum ministrare etiam in minoribus Ordinibus, et novissime Tridentinum, ut supra visum est, et quoad hoc non præbet Episcopis potestatem dispensandi, sed potius hunc casum videtur excipere. Quapropter sententiam hanc in rigore juris censeo veriorem; nihilominus prior probabilis est propter tantorum virorum auctoritatem, et in praxi servari potest, ubi fuerit usu recepta.

6. *Cap. 2 de Bigamis, exponitur.* — Sed quid ad dict. cap. 2, quod absolute negat licere hanc dispensationem dare, et loquitur (ut diximus) etiam respectu Summi Pontificis. Respondeo difficultatem dispensationis ostendi, non impossibilitatem; unde non dixit, non potest, sed, *non licet.* Nec tamen hoc dicit, quia id nunquam liceat, sed quia non pro solo arbitrio, nec pro levi causa, sed pro gravissima, atque adeo raro id licet. Et fortasse, quia hæc difficultas respectu sacrorum Ordinum major est, ideo illorum specialem mentionem fecit. Loquitur autem ibi Pontifex præcipue de bigamis veris et propriis, de quibus loquutus est Apostolus, et ideo in eis major est difficultas et rarior dispensatio. Nihilominus tamen cum proportione id locum babet in bigamia interpretativa; nam omnia, quæ adduximus, in suo gradu et proportione æque de illa probant.

7. *Episcopi in bigamia similitudinaria dispensare possunt.* — Dubium tamen superest de bigamia similitudinaria; nam de illa est speciale jus in cap. 1 Qui clerici vel voventes, ubi Episcopis conceditur potestas dispensandi cum diacono, qui uxorem duxerat, ut post peractam pœnitentiam possit ministrare et post laudabilem vitam etiam ascendat ad presbyteratum; in cap. autem 2 ejusdem tituli, videtur magis limitari hæc potestas, scilicet, si ille, qui sic deliquit, ad religionem transire voluerit. Verumtamen, ut ibi Glossa et Doctores exponunt, primum jus generale est, quod sumitur etiam ex cap. Sane, de Cleric. conjug. Posterior autem limitatio in illo particulari facto respectu talis personæ, propter aliquam ejus propriam conditionem (nimirum impœnitentiam ejus vel aliquid simile), addita est. Nec mihi displicet, quod Panormitan. ibi significat, in his textibus significari, quando clericus in sacris, qui matrimonium contraxit, suum agnoscit delictum et voluntarie offert pœnitentiam et dispensationem petit, tunc dari posse ab Episcopo, non postulato ingressu religionis. At vero, quando reus involuntarie convincitur de delicto et punitur, tunc non esse cum eo dispensandum ab Episcopo, nisi religionem ingrediatur; quanquam hæc ipsa moderatio non tam de necessitate quam de consilio esse videatur. Hinc tamen a fortiori constat, posse Episcopum dispensare cum religioso in simili irregularitate, quia hæc bigamia similitudi-

naria æquiparatur in religioso et in clerico in sacris, ut supra visum est; si ergo Episcopus potest dispensare cum clerico in sacris, maxime si religionem ingredi velit, a fortiori poterit cum religioso ipso.

8. *Quorumdam extensio.* — Quin potius est gravium Doctorum assertio, posse Episcopum dispensare in quacumque bigamia etiam ad suscipiendum sacros Ordines, cum iis, qui volunt Deo in religione servire, propter vitandum religiosorum discursum. Ita refert D. Thom., dist. 27, quæst. 3, art. 3, et dum non reprobat, approbare videtur. Et idem tenet Albert. ibi; Palud. et Turrecr., dicto cap. Lector, qui citat dict. cap. 2 Qui clerici vel voventes. Sed ille textus, cum expresse loquatur de bigamia similitudinaria, non potest extendi ad veram vel interpretativam. Unde idem auctor subdit, de consuetudine hoc non servari in bigamia vera et proprie dicta, nec in illa, quæ contrahitur in matrimonio cum corrupta. Atque hoc censeo verius ex vi juris communis, quia nullum invenio, in quo hoc privilegium concedatur; de privilegiis autem religiosorum dicam statim.

9. *Turrecrem. dictum. — Improbatur.* — Addit denique Turrecrem. ibi, Episcopum posse dispensare in bigamia, quando oritur ex facto natura sua occulto, ut ex accessu ad propriam uxorem, quæ occultum adulterium commisit; sed non affert probationem, nec jus, et ideo illi non assentior, cum regula generalis negativa sit in contrarium, ut ipse fatetur ex cap. ult. de Bigamis. Item, quia alias, qui duxisset in matrimonium mulierem non virginem, cujus lapsus esset occultus, posset ab Episcopo dispensari, quod est contra commune jus et sine fundamento. Unde nec nova concessio Concilii Trid. hic locum habet, quia Concilium solum loquitur de irregularitatibus venientibus ex delicto occulto; hæc autem irregularitas bigamiæ non est ex delicto, et licet interdum interveniat delictum, ut quando duplex matrimonium contrahitur vivente utraque conjuge, tamen principale fundamentum ejus non est delictum, sed significatio, ideoque nihil refert, quod factum, in quo fundatur, publicum sit vel occultum.

10. *Irregularitas hæc solum per dispensationem tollitur. — Non per baptismum.* — Ultimo addendum in hac sectione est, non esse alium modum tollendi hanc irregularitatem bigamiæ, præter dispensationem. Hoc assero ad excludendos duos alios modos, de quibus dubitari posset. Unus est de baptismo, nam, juxta sententiam magis receptam, irregularitas hæc non impeditur per baptismum, imo quodammodo cum illo vel post illum incipit, etiamsi causa ejus aliquo modo antea præcesserit. Duobus autem modis intelligi potest baptismum non tollere bigamiam: primo, si duplex matrimonium vel matrimonium cum corrupta ante baptismum præcessit; secundo, si ante baptismum unum matrimonium præcessit, et post baptismum aliud subsequutum est; vel si quis contrahat post baptismum cum illa, quæ ante baptismum corrupta fuit. Ex quibus casibus oriuntur duæ quæstiones, quæ diversam videntur habere difficultatem, quamvis communiter non distinguantur, sed communis resolutio sit, bigamiam per baptismum non auferri. D. Thom., dist. 27, quæst. 3, art. 2, et ibi Palud., Soto, et reliqui Scholastici. Fundantur in sententia Augustini, lib. de Bono conjug., cap. 18, et habetur in cap. Acutius, dist. 26 et 28, quæst. 3; et Ambrosii, lib. 1 de Offic., cap. ult., quorum sententiam probavit etiam Innoc., in epist. 22, cap. 2, et epist. 24 ad Synodum Toletanam, c. 6, quæ referuntur dicta dist. 26, et Conc. Valent. sub Damaso, c. 1. Quorum omnium fundamentum est, quia in baptismo solvuntur crimina, non vero reliqua omnia, quæ gesta sunt, nec leges omnes, quæ in eis fundantur. Per quod solvitur fundamentum Hieronymi, qui oppositum sensit in epist. 82 ad Oceanum, quem videtur secutus Gennadius, de Eccles. dogmat., cap. 72, dicens, maritum duarum post baptismum matronarum, clericum non ordinandum; et habetur in cap. 2, d. 33.

11. *Ostenditur conclusio quando unum matrimonium sequutum est baptismum. — Aut cum corrupta ante baptismum.* — Ut autem rationem hanc et rem totam magis explicemus, distinguamus illos duos modos supra declaratos. Nam quando unum matrimonium post baptismum subsecutum est, licet aliud ante baptismum præcesserit, indubitata est prædicta sententia, quia de hoc casu loquitur expresse Innoc., d. epist. 22, et in eodem loquitur August., et D. Thom., ac fere Theologi. Et ratio est clara, quia ut sacramentum matrimonii habeat defectum significationis, in quo fundatur hæc bigamia, non est necesse, ut prius matrimonium fuerit verum sacramentum; satis est enim, quod fuerit verum matrimonium, et quod prior fuerit vera uxor,

quam relationem (ut sic dicam) non tollit baptismus. Adde interdum non requiri ad bigamiam, ut utrumque matrimonium fuerit verum, quia intentatum sufficit, ut in alio matrimonio vero sit defectus significationis; ergo multo magis hoc sufficiet, quando utrumque matrimonium verum est, licet unum eorum non fuerit sacramentum. Idem manifestum est in matrimonio post baptismum facto cum illa, quæ ante baptismum fuit vidua vel quomodocumque corrupta; nam illud sufficit, ut tale matrimonium defectum habeat significationis, quia reipsa non est cum virgine. Nihilque obstabit, quod virginitas fuerit per crimen amissa, et quod baptismus deleverit crimen, quia hic defectus non fundatur in crimine, sed in sola carnis corruptione, quam non potest baptismus restituere; sicut etiam pœnitentia perfecta potest auferre simile crimen post baptismum commissum, non tamen propterea potest impedire bigamiam.

12. *An quando duplex matrimonium præcessit baptismum, faciat irregularitatem.* — In altero vero puncto difficultas est, an ille, qui ante baptismum duas habuit uxores, post baptismum maneat bigamus, etiamsi postea nullum matrimonium contraxerit. Et ratio dubii est, quia in tali homine, quamvis fuerit duplex matrimonium, nullum tamen eorum fuit sacramentum; ergo non intervenit ibi defectus sacramenti; ergo deest fundamentum bigamiæ et hujus irregularitatis; nam Augustinus ideo dicit, bigamiam non tolli per baptismum, *quia de sacramento agitur, non de peccato,* et infra ait hoc esse propter sanctitatem sacramenti; ergo ubi sacramentum non est, nec talis irregularitas esse potest.

13. *Pars affirmans vera.* — Nihilominus tamen censeo etiam in hoc casu contrahi irregularitatem. Primo, quia Ambrosius ita loquitur : *Etiam ante baptismum iterata conjugia,* etc. Item ratio, quam subdit, generalis est, scilicet : *Quomodo potest hortator esse viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit?* Innocentius etiam, in dict. epist. 22, pro inconvenienti infert, quod plura matrimonia ante baptismum contracta, postea non computentur ut plura; et in altero loco concludit: *In baptismo peccata dimittuntur, non uxorum numerus aboletur;* et infra : *Nullus ergo contra Apostolum tale aliquid sentiat, neque admittat, sed fideliter intelligat, unius uxoris virum, sive ante baptisma esse nominatum, sive post baptismum.* Clarissime vero in epist. 1, cap. 5, ait eum esse irregularem post baptismum, qui ante baptismum viduam duxit uxorem, et cap. 6, generaliter statuit, ne is, qui secundam duxit uxorem, clericus fiat; et infra inquit : *Si ab aliquibus existimatur, ante baptismum si forte quis accepit uxorem, et ea de seculo recedente, alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula.* Ratio autem est, quia Ecclesia potuit in hunc modum impedimentum hoc statuere, ut in doctrina generali declaratum est, quia impedimentum non ponitur homini non baptizato, sed ei, qui baptizatus est, quamvis manet ex causa, quæ vel in totum, vel ex parte baptismum antecessit; sed Sancti et Pontifices declarant hoc sensu positum esse hoc impedimentum : ergo.

14. *Objectioni occurritur.* — Neque obstat, quod matrimonium ante baptismum non sit verum sacramentum novæ legis, quia lex Ecclesiastica non hoc tantum considerat, sed etiam significationem illam, quæ fuit in vinculo matrimonii, ex quo fuit in statu innocentiæ institutum; semper enim significavit aliquo modo conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut Paulus indicat ad Ephes. 5. Simulque considerat indecentiam quamdam in eo, qui sæpius uxorem duxit, propter exemplum, et indicium quoddam incontinentiæ, ad quod parum refert, utrumque matrimonium baptismum præcessisse.

15. *Objicitur can. 10 Apostolorum.* — *Responsio.* — Instari vero potest ex can. 16, alias 17 Apostolorum, qui apud Gratian., c. 1, dist. 33, ita legitur : *Qui post sanctum baptisma duobus conjugiis fuerit implicitus;* et sic videtur destrui resolutio utriusque puncti, quia postulatur, ut utrumque conjugium fuerit post baptismum. Alia tamen versio habet : *Si quis post baptismum fuerit secundis nuptiis copulatus,* et sic saltem impugnatur hæc posterior pars. Unde aliqui fatentur Apostolos initio non posuisse hoc impedimentum cum majori amplitudine, et in hoc sensu quasi dispensasse pro eo tempore cum his, qui post baptismum plures uxores non acceperunt, propter raritatem hominum. Quod est probabile, dummodo non negetur, postea vel eorumdem Apostolorum, vel Ecclesiæ declaratione ampliatum esse hoc impedimentum in sensu explicato. Vel certe adverti potest, in eo canone non postulari, ut utrumque vel alterum matrimonium sit

contractum post baptismum, sed solum quod inveniatur quis post baptismum implicitus secundis nuptiis, quod est verum, etiam si contractus isti ante baptismum facti sint. Solum posset videri non comprehendi, qui duas uxores habuit ante baptismum, et postea neutræ conjugio est implicitus, sed viduus. Respondebimus tamen illud esse accidentarium, et impedimentum semel contractum semper remanere.

16. *Per professionem religionis non tollitur ipso facto irregularitas hæc. — Nec Prælati religionum in ea dispensare possunt.* — Secundo posita est conclusio ad excludendam professionem religionis, quia per illam non tollitur ipso facto hæc irregularitas secundum jus commune. Ita supponunt auctores supra citati, qui ad summum aiunt, Episcopum posse dispensare cum bigamo, si religionem ingrediatur, et in aliquibus casibus hoc etiam dicunt jura; ergo supponunt, hanc irregularitatem non tolli per ingressum religionis. Imo hinc ulterius infertur Prælatos religionum jure communi non posse dispensare cum his religiosis in impedimento bigamiæ. Quod docuit Turrecrem., in cap. Lector, dist. 34, art. 2, concl. 6; nullibi enim legitur in jure facta concessio Prælatis religionum ad talem dispensationem faciendam. Addo etiam nec ordinaria privilegia religiosorum, etiam mendicantium, concedere hanc potestatem Prælatis religionum; an vero aliqua religio habeat circa hoc speciale privilegium, quæstio est de facto, quam unusquisque Prælatus in sua religione scire debet.

17. *Quorumdam sententia improbatur. — Vide Henric., lib. 12 de Matrimon., cap. 6, in fine. — Roderic., tom. 1 quæst. reg., quæst. 24, art. 2.* — Addunt vero aliqui, posse Prælatos religionum dispensare cum suis religiosis bigamis, saltem quoad Ordines minores, quia Episcopi hoc possunt circa suos subditos; Prælati autem religionum exercent circa suos jurisdictionem Episcopali similem seu æqualem. Sed ego hoc nec consulerem, nec admitterem sine speciali privilegio, quia id, quod supponitur, in rigore juris non est verum; unde, cum per aliam illationem extenditur talis potestas ad Prælatos religiosorum, fit minus probabilis. Nam cum dicuntur Prælati religiosorum participare jurisdictionem Episcopalem, intelligendum est quoad ea, quæ communi et ordinario jure Episcopis conveniunt. Minus vero probabile est, quod quidam aiunt, Prælatos religionum posse dispensare cum subditis in bigamia, etiam quoad Ordines sacros, si secundum jus commune intelligatur; si autem de privilegio sit sermo, ostendendum est.

18. *Quid possint Prælati religionum in bigamia similitudinaria.* — Hæc autem intelligenda sunt de bigamia vera vel interpretativa; nam in illam, quæ tantum similitudinaria est, facilius cadit dispensatio. Unde, cum certum sit, jure communi concessam esse potestatem Episcopis dispensandi in irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria, merito affirmare possumus, Prælatos religionum, qui quasi Episcopalem jurisdictionem exercent, ut Generales, Provinciales aut Abbates (juxta uniuscujusque institutum), posse in eodem impedimento cum suis subditis dispensare, sive ante professionem, sive post, illud contraxerit. Potuit enim esse prius clericus in sacris et matrimonium contraxisse, vel etiam post professionem in eadem, vel in alia religione, quæ diversitas non refert ad hanc dispensationem respectu Episcoporum, ut supra dictum est. Oportet autem, ut hoc impedimentum cum aliis non misceatur, nam, si religiosus duxit viduam, non poterit cum eo dispensare Prælatus, cum nec Episcopus possit dispensare, quia jam illa non est tantum similitudinaria, sed etiam interpretativa; et idem erit, si religiosus post professionem duo matrimonia contrahat, quia etiam illa est bigamia interpretativa, juxta superius dicta.

DISPUTATIO L.

DE IRREGULARITATE, QUÆ NASCITUR EX DEFECTU NATALIUM.

Post defectum sacramenti considerandum sequitur de defectibus personæ, qui licet culpam ejus non includant, sufficiunt tamen irregularitatem fundare. Sumimus autem initium ab illo, qui ex ipsa generatione contrahi solet, quia primus est omnium. Est autem hic defectus solum, quando aliquis natus non est ex legitimo matrimonio, et hic vocatur defectus natalium, qui dici potest illegitimitas. De qua dicendum est, an irregularitatem inducat, et qualem, quove jure, et quomodo auferri possit.

SECTIO I.

Quot modis filii nascantur vel fiant legitimi.

1. *Prima conclusio.* — Quia privatio per habitum cognoscitur, ideo de legitimis filiis pauca præmittenda sunt. Dico ergo primo : legitimi filii illi propriissime sunt, qui ex parentibus vero matrimonio conjunctis oriuntur, sive tale matrimonium fuerit sacramentum, sive non, id est, sive sint nati ex parentibus baptizatis, sive ante eorum baptismum, dummodo fuerint matrimonio copulati, ut docet Paul., prioris ad Corinth. 7, et late Innocent. I, epist. 2, 22 et 24.

2. *Secunda conclusio.*— Dico secundo : inter legitimos numerantur, qui, licet fuerint ex illicito concubitu nati, per subsequens matrimonium legitimi facti sunt, quod contingit quoties parentes tempore generationis soluti erant, et habiles ad matrimonium inter se contrahendum, quia tunc subsequens matrimonium quasi retrotrahitur usque ad tempus conceptionis talium filiorum, ex quadam benignitate juris canonici in cap. Tanta, Qui filii sint legitimi. Ubi Glossa advertit, tales filios esse legitimos etiam quoad Ordines, quia matrimonium subsequens omnino purgat præcedentem turpitudinem. Circa quod occurrebat difficultas, ex cap. Innotuit, de Elect., quam infra sect. 5 tractabo. Dixi autem necessarium esse, ut tempore generationis parentes sint habiles ad contrahendum inter se; nam si aliquis eorum fuerit matrimonio copulatus, vel aliud simile impedimentum intercesserit, etiamsi postea ablato impedimento matrimonium contrahant, non comprehenduntur in dict. cap. Tanta. Intelligitur de impedimento sufficiente ad irritandum matrimonium, nam si sit solum impediens, nihil obstabit, cum valori matrimonii non repugnet, ut latius intelligi potest ex Covarruv., 2, part. 4, c. 8, § 2.

3. *Quid si impedimentum ad contrahendum, quod tempore conceptionis fuit, tempore nativitatis fuerit ablatum.* — *Decisio.* — Hic verum occurrit quæstio, si contingat tale impedimentum existere tempore copulæ seu conceptionis, tempore autem nativitatis filii jam esse ablatum per dispensationem, an talis filius per subsequens matrimonium legitimus fiat. De quo sunt contrariæ opiniones, quas ibi Covarruv. late refert; ipse tamen prius resolvit in partem favorabiliorem, nimirum, illum filium fieri legitimum per subsequens matrimonium. Refert vero deinde Sarmientum, lib. 1 Selectarum interpret., c. 5, num. 10, qui post ipsum Covarruviam contrariam sententiam tenuit, cujus rationibus permotus tandem idem Covarruv. rem dubiam et indecisam relinquit. Unde in ordine ad irregularitatem est sine dubio securior sententia, quæ requirit parentes habiles ad contrahendum tempore conceptionis. Et habet magnum fundamentum in dict. cap. Tanta, quod sic habet : *Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* In quibus verbis solum postulatur, ut copula interveniat existente impedimento. Ponamus enim ante nativitatem talis filii mortuam esse uxorem talis viri, et postea duxisse aliam, quam durante priori matrimonio cognoverat, sequitur, in eo casu filium fieri legitimum per tale matrimonium : hoc autem videtur repugnare prædicto textui; nam in illo filio concurrunt omnia, quæ ibi postulantur, ut talis proles semper sit spuria. Ratio etiam hoc suadet, quia lex, quæ illam limitationem posuit, non respexit ad nativitatem filii, in qua non intervenit culpa, sed ad copulam ita turpem et damnabilem, ut voluerit non purgari etiam per subsequens matrimonium ; ad hoc autem parum profecto refert, quod impedimentum sublatum sit tempore nativitatis. Hæc ergo pars mihi valde verisimilis videtur, et maxime quando impedimentum tale fuit, ut pro eo tempore non esset dispensabile, quale est illud de priori matrimonio, idemque censeo de voto solemni, etiamsi demus esse dispensabile, vel de facto dispensari ante natam prolem; in aliis vero impedimentis, quæ facilius tolluntur per ordinariam dispensationem, est fortasse res magis dubia, semper tamen videtur dicta sententia probabilior.

4. *Quid si impedimentum post conceptionem superveniat.* — Secus vero erit, si e contrario contingat, tempore conceptionis non fuisse impedimentum, tempore autem nativitatis jam inveniri; nam hoc non obstabit, quominus si postea, ablato impedimento, matrimonium contrahatur, proles legitima efficiatur. Ut, v. gr., si post copulam inter personas solutas, altera vel utraque earum aliud matrimonium contrahat, deinde vero, ante talis filii nativitatem eædem personæ viduæ effectæ inter se contrahant, prior proles legitima efficitur, ut optime docuit Covarruv.,

supra, num. 15. Et colligitur ex dict. cap. Tanta, nam ibi solum excipitur casus, in quo ipsa copula est damnabilis, propter matrimonium, quod de eo tempore existebat; at vero in illo casu copula non fuit damnabilis dicto modo; ergo proles inde orta comprehenditur sub generali regula textus, ut fiat legitima per subsequens matrimonium, sive aliud præcesserit ante vel post nativitatem, sive non, nam de hoc nihil in textu dicitur, nec nos illud debemus aut possumus limitare; solum ergo requiritur, ut matrimonium postea subsecutum validum sit. Unde si contingeret, aliquam ex illis personis religionem profiteri ante nativitatem prolis prius conceptæ, postea vero ex dispensatione Pontificis reddi habilem ad matrimonium, per illud fieret filius legitimus, ex eodem principio, quod prior copula fuit tantum simplex, et matrimonium, postea subsecutum, fuit validum.

5. *Corollarium.* — Unde colligimus ulterius, quoties tempore conceptionis impedimentum existit inter parentes, quod matrimonium inter eos irritaret, etiamsi ab altero eorum ignoretur, et in conscientia excusetur ab incestu vel adulterio, v. gr., licet non a fornicatione simplici, nihilominus prolem inde exortam non fieri legitimam propter matrimonium subsequens, ablato impedimento. Quam rem late disputat Covar., sup., num. 16 et 17, refertque contrarias opiniones satis communes, tandemque in hanc sententiam magis ipse inclinat; quæ mihi profecto indubitata videtur ex dict. c. Tanta, ubi generaliter dicitur, si vir vivente uxore aliam cognoverit, filium inde conceptum semper esse spurium, nulla mentione facta, an mulier illa, quam cognovit, sciverit, vel ignoraverit viri statum seu conditionem; ergo non possumus nos illam limitationem addere, cum nullo jure fundata sit, ut magis ex sequenti puncto constabit.

Tertia conclusio.

6. Dico tertio : ut filius sit legitimus canonico jure, satis est, quod matrimonium sit verum, aut bona et probabili fide reputatum, etiamsi contingat ex occulto impedimento nullum esse. Ita declaravit Pontifex, in c. Ex tenore, Qui filii sint legitimi, ubi Abbas et cæteri Doctores, Antonin., 3 p., tit. 29, c. 4; Maiol., lib. 1, c. 5; et Covar., d. 2 p., c. 8, § 1. Constatque ex prædicto textu hoc non solum procedere, quando hæc bona fides in utroque parente invenitur, sed etiam si in altero tantum existat; nam in casu illius textus mater sola bonam fidem habuisse dicitur; nam pater, qui aliam sibi matrimonio copulaverat, non videtur potuisse bonam fidem habere, quamvis in textu nihil de hoc asseratur. Satis vero est, quod sola bona fides matris, cum publica existimatione legitimi matrimonii, sufficere dicitur, ut jure canonico talis filius legitimus censeatur. Neque est dubium, quin etiam ad effectum suscipiendi Ordines hoc intelligendum sit, quia jus absolute, et sine limitatione reputat illum legitimum; ergo quoad omnes effectus. Atque hæc est communis interpretatio, cujus ratio solum est, quia jus ita disposuit in favorem prolis legitime conceptæ sub titulo matrimonii validi, juxta conscientiam saltem alterius conjugis et publicam opinionem.

7. *Objectio contra corollarium secundæ conclusionis.* — *Solutio.* — Hinc vero solet argumentum sumi contra id, quod dictum est superiori puncto; sequitur enim, quando ante matrimonium præcessit conceptio cum impedimento ignorato, non obstare, quominus per subsequens matrimonium talis partus legitimus fiat. Negatur autem consequentia, et similitudo rationis, quia in priori casu habemus expressam juris declarationem, non vero in altero. Nec subest eadem causa, ut extendamus illam dispositionem tanquam favorabilem, quia in priori casu bona fides parentis est circa matrimonium ipsum, et actum ejus tanquam absolute legitimum; in altero vero casu bona fides et non est circa consummationem matrimonii, et solum est quoad diminutionem culpæ, ut sic dicam, absolute vero conceptio est turpis, et proles ex vi illius illegitima; et ideo, si in re ipsa interveniat impedimentum, ignorantia ejus licet, excuset talem speciem culpæ, non tamen confert ad legitimationem prolis per subsequens matrimonium.

8. *Dubium.* — *Resolvitur ex generali regula.* — Sed quid si matrimonium fiat illicite propter impedimentum non dirimens cognitum, et cum impedimento irritante ignorato, ac proinde ex hac parte bona fide reputetur validum? numquid proles inde genita erit legitima? Ut si quis habens votum simplex castitatis ducat fœminam, quam omnino ignorat esse affinem in secundo gradu, in re tamen habet hoc impedimentum. Respondeo generalem regulam esse, hujusmodi prolem

esse legitimam, quia de valore matrimonii ignorantia est invincibilis, et consequenter copula, quæ subsequitur, matrimonialis et legitima est in existimatione inculpabili, et ita comprehenditur in dicta dispositione juris, et alia malitia, quæ miscetur in contractu matrimonii, accidentaria est ad hunc effectum.

9. *Exceptio a regula secundum jus antiquum. — Cap. Quod nobis, Qui filii sint legitimi, objicitur. — Exponitur.* — Potest autem excipi juxta antiquum jus casus matrimonii clandestini; nam licet in re esset validum, ab Ecclesia non admittebatur, donec esset coram illa probatum seu confirmatum, et ideo si casu intercedebat impedimentum irritans ignoratum, proles inde concepta non erat legitima juxta, c. Cum inhibitio, § 1, de Clandest. despons. Objici vero potest cap. Quod nobis, Qui filii sint legitimi, ubi, qui de clandestino matrimonio postmodum ab Ecclesia probato generatus est, legitimus judicatur, quod plerique intelligunt de matrimonio clandestino a principio nullo, quamvis bona fide facto. Respondetur tamen primo, admissa hac expositione, ibi non dici, filios natos ex tali matrimonio, durante ejus invaliditate, judicari legitimos, sed tantum, postquam est *ab Ecclesia probatum,* id est, validum effectum per approbationem Ecclesiæ. Quam expositionem indicat Abbas sequens Calderinum, et mihi videtur necessaria, supposita dicta expositione et decisione alterius textus in d. c. Cum inhibitio. Deinde dicitur, non oportet textum illum intelligere de matrimonio invalido, sed simpliciter de matrimonio clandestino, quod licet esset validum, tamen cum esset occultum, et non contractum in facie Ecclesiæ, filii ex eo geniti non habebantur legitimi, donec matrimonium esset per Ecclesiam approbatum. Nam juxta c. 2 de Clandest. despons., ante hanc Ecclesiæ probationem, et confessionem ipsorum conjugum, non poterant illi compelli ad perseverandum in tali matrimonio, et consequenter nec proles reputabatur legitima in foro Ecclesiæ; tamen si contrahentes ipsi in facie Ecclesiæ rem totam fatebantur, et ratam habebant, matrimonium ab Ecclesia recipiebatur ut legitimum a principio, et ideo etiam proles a principio genita judicabatur legitima, dummodo aliud impedimentum non obstaret. Hoc vero non videtur habere locum post statutum Concil. Trident., nisi fortasse ubi ipsum non fuerit sufficienter promulgatum, quia jam nunc matrimonium clandestinum invalidum est, et ideo filius ex eo genitus per se est illegitimus, et quoad legitimationem per subsequens matrimonium ita de illo judicandum est, sicut de quocumque genito per fornicationem et concubinatum.

10. *Quid secundum jus novum.* — Matrimonium autem factum coram parocho, et testibus, juxta Tridentinum, per se validum est, quantum est ex modo contrahendi; et ideo si bona fide ita fiat, sufficit, ut proles inde concepta sit legitima, etiamsi per ignorantiam contingat aliquod subesse impedimentum, quod illud reddat nullum. Quod censeo verum, etiamsi cum aliquo peccato contractum sit, ut, v. gr., prætermissis publicis denuntiationibus quas Concilium non prætermitti præcipit, sine justa causa et licentia, quia hoc non obstante illud matrimonium non clandestine, sed in facie Ecclesiæ contractum est; et ideo non comprehenditur sub decisione textus in dict. c. Cum inhibitio, ac proinde manet sub alia generali regula juris, quod proles judicetur legitima, quæ nascitur ex matrimonio legitimo reputato. Dices, in eo casu ignorantiam non reputari invincibilem, quia non est adhibita diligentia ad tollendam illam, quæ ex præcepto Ecclesiæ adhibenda fuisset. Respondeo, hanc causam sufficere, ut in exteriori foro illa ignorantia suspecta habeatur; nihilominus tamen si in conscientia constet ignorantiam fuisse invincibilem, et alio modo factam esse sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam, in eodem foro proles judicanda est legitima, quia revera nullum impedimentum canonicum illi obstat. Idemque dicendum existimo in foro exteriori, si de bona et probabili fide alia via in eo constiterit sufficienter, quia illud præceptum præmittendi admonitiones valde extrinsecum est, ut propter solam illius transgressionem existimandum sit, prolem mala aut minus probabili fide fuisse conceptam.

11. *An filius ante matrimonium genitus, per subsequens matrimonium nullum, verum existimatum, legitimetur. — Augustinus. — Soto.* — Ultimo dubitari potest in hoc puncto, an matrimonium reputatum legitimum bona fide, æqualiter operetur ad filii legitimationem, ac matrimonium verum, ut, v. g., an matrimonium bona fide contractum inter consanguineos reddat legitimam prolem ante tale matrimonium ab ipsis genitam, cum eadem ignorantia de gradu consanguinitatis. Aliqui enim Doctores affirmant talem prolem fieri legitimam, quia matrimonium reputatum pe-

vinde operatur ac verum. Ita tenet Antonin., in c. Tanta, num. 9, Qui filii sint legitimi. Contrarium vero tenet Socin., Cons. 31, et in idem magis videtur inclinare Covar. supra, num. 17, in fine. Et videtur probabilius. Nam primo, si bona fides non sit in utroque parente, sed in altero tantum, juxta dicta consequenter negandum est, prolem illam fieri legitimam per tale matrimonium reputatum, non quia ad hoc minus sit efficax, quam matrimonium verum, sed quia nec per matrimonium verum talis legitimatio fieret, eo quod præcedens conceptio in re fuerit incestuosa, et sola ignorantia unius partis non poterit illam reddere naturalem seu simplicem, ut dictum est. At vero quando tempore copulæ ex utraque parte intervenit bona fides quoad ignorantiam impedimenti, tunc certe dubitari potest, an proles, quæ materialiter genita est ex incestu, habenda sit tanquam naturalis, ut legitimari possit per subsequens matrimonium reputatum; nam tunc filius genitus post tale matrimonium legitimus judicatur; ergo etiam prius genitus cum eadem ignorantia; quia illud matrimonium retrotrahitur, ut supra dictum est. Verumtamen si hæc ratio efficax esset, idem probaret, etiamsi bona fides a principio tantum ex parte alterius parentis intervenisset; ideoque verius censeo etiam in illo casu non legitimari prolem per tale matrimonium. Quod non solum procedit de matrimonio putato, sed etiam de vero, quia semper præcedens copula incestuosa manet, licet ob ignorantiam non imputetur; id vero satis obstat, ut non possit subsequens matrimonium prolem facere legitimam. Atque hæc sufficiunt præsenti instituto, quoad filios legitimos; reliqua in materia de Matrimonio dicentur.

SECTIO II.

Quot sint species filiorum illegitimorum.

1. *Varii gradus filiorum illegitimorum.* — *Naturales.* — Regula generalis est, omnes filios, qui non sunt legitimi aliquo ex prædictis modis, illegitimos quoad præsentem irregularitatis effectum appellari. Sunt autem varii gradus horum illegitimorum. Primo enim distinguuntur in naturales, et spurios; naturales dicuntur, qui orti sunt ex copula illicita eorum, qui inter se matrimonium contrahere poterant. Solent autem hi subdistingui in nothos, et simpliciter naturales; priores sunt qui nascuntur ex soluto et soluta domi non retenta; posteriores vero, qui nascuntur ex concubina domi retenta; et requiri etiam solet, ut illa unica sit, juxta Authenticam Quibus modis naturales efficiantur sui, § Si quis autem defunctus, collat. 7. Quæ divisio ad alios effectus juris civilis potest fortasse conferre, et maxime, ut filius reputetur talis patris; nam quando concubina domi retinetur, filius præsumitur ejus, qui illam apud se retinet, etiamsi ipse non declaret; quod secus est, quando proles extra domum nascitur, nam oportet, ut pater filium recognoscat, vel sufficienter probetur. De qua re videri possunt Abbas, in c. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, num. 31, et quæ late scribit Covar., d. 2, p. 4, cap. 8, § 4; et Antonius Gomez, in L. 9 Tauri, a princip. In præsenti vero hæc distinctio necessaria non est, nam omnes isti sunt jure canonico filii naturales quoad præsentem effectum irregularitatis, imo et quoad omnes alios. Quod etiam jure Regio Hispaniæ receptum esse ostendunt dicti auctores, et alii juris interpretes recentiores, qui etiam aiunt, consuetudine totius orbis ita esse receptum. Atque ita intelligendum est, quod dixit Isidorus, lib. 9, Originum cap. 5 : *Naturales filii dicuntur ingenuarum concubinarum filii, quos sola natura genuit, non honestas conjugii,* et habetur 32, quæst. 2, c. ult., ubi ingenuam appellat, non quia necesse sit eam esse nobilem, aut alterius similis conditionis; satis est enim quod sit soluta, et ad matrimonium contrahendum cum tali viro non habens impedimentum; ingenuitas vero matris potius requiritur, ut filius sit liber, et non servus, quam ut sit naturalis, ut sumitur ex eodem, et ex c. Innotuit, juncta Gloss., verb. *Ingenua,* de Elect.; Turrecremata vero, d. cap. ult., significat necessarium esse, ut non sit meretrix; sed neque hoc necessarium est, ut filius sit naturalis, dummodo alia conditio, seu aptitudo ad matrimonium non desit, ut præter dicta optime colligitur ex cap. Innotuit, junct. Glos., verb. *Conjugata,* de Electione.

2. *Filii spurii.* — *Tres eorum species.* — Secundo, filii spurii universaliter dicuntur omnes alii illegitimi, qui naturales non sunt, dicunturque omnes hi nati ex damnabili coitu; nam simplex fornicatio seu concubinatus licet in foro animæ damnabilis etiam sit, tamen, si non habeat graviorem deformitatem, humano jure permittitur, seu toleratur; quando vero accrescit malitia adulterii, vel alia similis, dicitur damnabilis copula, quia

jura etiam humana illam damnant. In ea vero sunt gradus, nam aliquando licet damnetur talis copula, non tamen specialiter in jure punitur, ut, v. gr., adulterium conjugati cum soluta; aliquando vero etiam punitur, ut e converso adulterium conjugatæ cum quocumque alio. Quæ differentia ad nostram intentionem parum refert, licet interdum possit aliquid conducere ad facilitatem vel difficultatem dispensationis. Et ob eamdem causam tres præcipuæ species horum illegitimorum notandæ sunt. Quidam enim sunt filii adulterini, id est, ex adulterio nati, qui possunt esse in triplici differentia, scilicet ex conjugato et soluta; et ex soluto et conjugata; et ex conjugato et conjugata. Alii sunt filii incestuosi, nati ex his, qui habent impedimentum affinitatis vel consanguinitatis sufficiens ad irritandum matrimonium inter ipsos, si tempore, quo inter se convenerunt, fuisset contractum. Unde juxta varietatem hujus impedimenti potest esse similis varietas in his illegitimis, quorum impedimentum eo majus erit, quo major fuerit inter parentes sanguinis propinquitas. Alii denique sunt filii, qui dici possunt sacrilegi, quia ex illis parentibus nati sunt, qui ob impedimentum voti solemnis castitatis inter se contrahere non poterant, sive illud fuerit in utroque, sive in altero tantum, et sive illud fuerit votum annexum Ordini sacro, sive professioni religionis.

3. Est autem in his votis observandum, convenire primo in hoc, quod si matrimonium post illa sequatur, nullum est, et ideo proles est sacrilega. Secundo in hoc, quod si post natam prolem ex vero matrimonio votum sequatur, quod sit validum, quia vel alter conjugum mortuus est, vel quia ex illius licentia legitima factum est, nullum impedimentum affert legitimæ proli prius genitæ, argumento cap. Ad hæc, de Filiis Presbyt. Differunt tamen, quia si antecedit matrimonium validum sive consummatum, sive ratum tantum, et sequitur susceptio Ordinis sacri, matrimonium non dissolvitur, ut per se notum est, imo neque uxor amittit jus suum, si in talem ordinationem mariti non consensit eo modo, quo exigit in cap. Conjugatus, de Convers. conjug. Quapropter, si uxor petat jus suum, cogetur maritus, non obstante ordinatione, reddere debitum, quamvis illud petere non possit propter votum castitatis, ut definit Joan. XXII, in Extr. *Antiqua*, de Voto, Glos., et Doctores, in c. unic. de Voto, in 6, et tractat Covar. diserte in 4, 2 p., c. 7, § 4, n. 9. Atque hinc fit, ut filius natus ex tali matrimonio legitimus sit, non obstante voto et ordinatione patris, quia talis copula non est sacrilega, et votum tunc est quasi suspensum quoad impediendam redditionem debiti, et delictum parentis solum fuit in temeraria susceptione Ordinis, non in filii procreatione. Et hæc est communis sententia, ut patet ex Covar., supra, et Maiol., lib. 1, c. 9, num. 8. In voto autem solemni religionis non habet locum similis casus; aut enim matrimonium, quod antecessit, ratum fuit, et consummatum, aut ratum tantum; in priori casu professio subsequens nulla fuit, ac proinde filii posterius generati legitimi sunt; in posteriori autem casu matrimonium dissolvitur per subsequentem professionem, quæ omnino valida fuit, ideoque filii postea geniti ex priori sponsa ita sunt illegitimi, ac si nullum matrimonium antecessisset.

4. *Tertius gradus filiorum illegitimorum. — Prima sententia.* — Tertio dicendum est aliquos esse filios canonice illegitimos, qui naturaliter legitime procreati sunt. Suppono interdum vivente utroque conjuge posse utrumque vel alterum eorum solemne votum continentiæ valide emittere, ita ut uterque maneat privatus jure petendi, et sine obligatione reddendi debitum, c. Si vir, 37, q. 2, c. 1, et c. Conjugatus, de Convers. conjug., de qua re quomodo fieri debeat, et an sit necessaria auctoritas Episcopi ad valorem actus, vel ut ordinate fiat, in opere de Religione dicimus. Suppono secundo, in eo casu vinculum matrimonii prius contracti, et consummati, non dissolvi, quia prorsus indissolubile est quoad vinculum, juxta illud : *Quos Deus conjunxit homo non separet*. Tertio suppono, si contingat ex conjugibus in tali sacro jam constitutis filium generari, illum dici posse generaliter legitimum, quia revera natus est ex legitimo matrimonio. Imo addit Abbas statim citandus, etiam esse legitimum civiliter, id est, quoad successionem hæreditatis, quod fortasse est verum, quia non constat per jura civilia excludi. Sed de hoc alibi. His ergo positis, de hoc dicimus, non obstante naturali origine esse canonice illegitimum. Non caret tamen res controversia; nam quod alias copula sit sacrilega ipsis parentibus, non obstat, quando sacrilegium non est contra substantiam vinculi matrimonii, quod patet, tum in eo casu, in quo uterque parens habet simplex votum castitatis; tunc enim sacrilege

conveniunt, et nihilominus proles legitima est; tum etiam in eo casu, in quo clericus in sacris contra voluntatem viventis uxoris ordinatur, et cum illa cohabitare compellitur, et generat, non tantum reddendo, sed petendo debitum, in quo etiam sacrilegus est, et non obest filio quominus legitimus sit; idem ergo erit in præsenti casu. Et confirmatur ex cap. Litteras, de Filiis Presbyt., ubi consultus Pontifex de quodam sic progenito, respondet : *Si aliter dignus inventus fuerit, permittimus ipsum ordinari in clericum, et ad Ecclesiasticum beneficium promoveri;* ergo supponit illud non fuisse impedimentum. Propter quem textum hanc partem tenuit Raymund. in Summa, in cujus sententiam inclinat Palud., 4, dist. 41, quæst. 3, num. 9.

5. *Objectio. — Solutio.* — Nihilominus assertio posita et vera, et communis est. Quam tenuit Glos. 1 in c. Ministri, 81 dist., et Hostiensis in Sum., tit. de Filiis presbyt., § Qui possit, v. *Quid si sacerdos generat filium ex uxore legitima;* Innocent., Joan. Andr., et alii, quos refert Panormit. Idem tenet Anton., 3 p., tit. 20, c. 4, et Maiol., lib. 1, c. 4, n. 7. Probatur autem præcipue ex dict. c. Litteras, ubi verba illa, *permittimus ordinari*, relaxationem significant, unde supponunt impedimentum, ut ibi Glos., Innoc., Adrian., Hostiens., Panorm., et communis intelligunt, Glos. etiam in c. de Filiis presbyt., in 6. Et videtur colligi ex conditione, quæ adjungitur, *Si alias dignus inventus fuerit.* Sed objici potest, quia verba commode possunt exponi, ut non dispensationem, sed declarationem contineant, et conditio adjecta optime etiam sic quadrat, ut sensus sit : Si aliud non obstat, hoc non est impedimentum; similis enim forma verborum in eodem sensu habetur in c. Tua nos, et ult., de Homicid. Nihilominus certum est, Pontificem in illo c. Litteras, dispensationem concessisse, et talem, qualem solus Summus Pontifex concedere poterat. Hoc evidentius colligitur ex integro textu, quem refert Anton. August., in Collect. 2 Decretal., c. 5 ejusdem tit., ubi interponuntur hæc verba : *Verum quia in filiis paterna incontinentia propellenda dignoscitur, et propter cautelam presbyterorum filii a sacris Ordinibus juxta sanctionem canonicam removentur, non expedit, ut super hujusmodi ita supplicantium precibus annuamus, quod videamur aliis impetrandi similia spem aliquam facilius impertiri; sed ut suæ postulationis effectum, cum ad Sedem Apostolicam similiter accesserit, ex toto corde defraudari se non doleat, præsenti scripto vobis significamus, quod si aliter,* etc. Ex quibus verbis evidenter constat, primo fuisse necessariam dispensationem in illo casu, imo etiam non facile concedendam. Secundo constat, Pontificem aliquid ibi concedere, quod ipse solus concedere poterat, quodque verebatur concedere, ne aliis spem daret similia petendi. Quare vel dicendum est, Pontificem dispensasse etiam quoad Ordines sacros, vel certe tunc non potuisse Episcopum, sed Pontificem tantum dispensare quoad minores Ordines, et in his Pontificem dispensasse, quod indicant illa verba : *Ut ex toto defraudari se non doleat.*

6. Denique colligitur ex dictis verbis, ad hanc illegitimitatem solum considerari a jure, quod hujusmodi sint filii presbyterorum propter parentum incontinentiam ab Ecclesia specialiter damnatam et reprobatam procreati. Unde fit, non sufficere vinculum matrimonii, si ejus executio fuerit dicto modo ablata, et interdicta. Dices, hunc textum recte probare quoad filios presbyterorum, non vero quoad inferiores in sacris constitutos, nec quoad religiosos, quia de his non exprimitur, nec valet argumentum a simili. Respondetur de his omnibus idem esse judicium ex omnium Doctorum sententia, et notat specialiter Addit. ad Abbat., in d. c. Litteras, citans Rom., singul. 522 et 523. Neque illud est argumentum a simili, sed est ex formali ratione talis prohibitionis, quæ non est Ordo sacerdotalis, sed solemne votum continentiæ, ratione cujus in foro Ecclesiæ propria uxor non reputatur uxor quoad debitum reddendum, ut notavit Glos., in d. c. Ministri, ponderans verbum textus : *Invadere cubile, tanquam alienum.* Et hæc est clara differentia inter votum solemne et simplex, et inter hanc copulam et aliam illicitam cum propria uxore ex quacumque alia prohibitione, quæ sufficiens non est, ut propterea filii censeantur illegitimi. Et ita solutæ manent rationes dubitandi positæ in contrarium.

SECTIO III.

Utrum omnes filii illegitimi sint irregulares.

1. *Conclusio.* — Ex dictis in præcedenti sectione facile definitur, quo titulo hæc irregularitas contrahatur, et ad quas personas derivetur. Fundamentum enim illius est ortus ex coitu illegitimo; hujusmodi autem cense-

tur esse omnis ille, qui non est ex legitimo matrimonio vero aut probabiliter existimato, et cujus executio ablata non sit modo in superioribus declarato. Unde fit, ut hæc irregularitas derivetur ad omnes filios illegitimos, in quocumque gradu, vel specie sint. Quod satis expresse habetur in c. 1 de Filiis presb. extra, et in 6, et in c. Consuluit, juxta Gloss. de Servis non ordinat., et c. Per venerabilem, Qui fil. sint legit., et ex multis c. dist. 56, a princ., et est communis Doctorum sententia eisdem locis, et Summistar., v. *Irregularitas;* Navar., c. 27, n. 201; Bernard. et Salzedo, in Pract., cap. 14; Maioli, supra. Ratio autem, ob quam Ecclesia hanc irregularitatem induxit, multiplex considerari potest, scilicet, in detestationem paterni sceleris, ob infamiam quamdam et turpitudinem, quam inde contrahit filius, et quia timeri potest, ne filius sit paterni criminis imitator. Et ideo non est inconveniens, quod hoc impedimentum redundet in filios sine culpa eorum, quia hæc irregularitas non est pœna respectu talium filiorum, sed impedimentum canonicum impositum propter quamdam indecentiam, quæ sine culpa ex vitio naturæ contrahi potuit.

2. *Cur patres illegitimorum irregulares non efficiantur.* — Sed objicies, saltem debuisse irregularitatem hanc non solum filiis, sed etiam parentibus imponi, quia cum in patre fuerit culpa, in eo etiam est major turpitudo et indecentia; ergo plus debet ei propria culpa obesse, quam culpa aliena filio. Respondeo imprimis hic non agi de pœna culpæ, sed de indecentia, et de præcavenda simili turpitudine in futurum; in parente autem non consideratur indecentia ulla præter delictum, de cujus punitione, quatenus ad delinquentis irregularitatem vel suspensionem pertinere potest, supra dictum est. Deinde dicitur, esse disparem rationem, quia pater non accipit esse per turpem generationem, sed dat filio; actio vero non est in agente, sed in passo; et ideo defectus, seu indecentia, quæ inde nascitur, non manet in parente, sed redundat in filium, excepta culpa, quæ est quasi immanens in ipso operante.

3. Addit vero Maiol., lib. 1, cap. 12, aliquos esse casus, in quibus fit irregularis, eo quod habeat filios etiam legitimos. Unus est de clerico, qui ex matrimonio legitimos filios habuit ante ordinationem suam; nam ille censetur irregularis, non quidem ad Ordines sacros, sed ad Episcopatum, vel prælationem Ecclesiasticam, sumpto argum. ex cap. Cathinensis, d. 61, ubi Pontifex, vacante quodam Episcopatu, præcipit eligi, qui nec uxorem habeat, nec filios. Et idem habetur in c. De Syracusanæ, 13, d. 28, ubi dicit Pontifex, hoc fuisse prohibitum principali constitutione, quia quando Episcopus habet filios, *Ecclesiastica solet periclitari substantia.* Habetur autem illa constitutio in Auth. *Quomodo oportet Episcopos,* et c. 5, colla. 1, ubi in Glossa refertur alia similis constitutio græca ejusdem Justiniani imperatoris, in qua pro ratione redditur : *Ne contemptis pauperibus Christi, propriis filiis incumbat, et in eos facultates Ecclesiæ transferat.* Sed hæ leges civiles per se non possunt inducere irregularitatem, ut constat, et generaliter notat Abb., in c. Ecclesia S. Mariæ, de Constit. Non videntur autem dicti canones approbare hoc simpliciter tanquam impedimentum canonicum, sed solum acceptare, ut egregium consilium, et maxime approbare causam, quæ Imperatorem movit ad illam legem constituendam. Et ideo Gloss. circa prius capitulum dixit, *Si nulla sit præsumptio,* aut periculum, quod dilapidentur bona Ecclesiæ, vel detur cautio, et fiat inventarium, posse quempiam eligi in Episcopum, licet habeat filios. Quod videtur expresse ita dispositum in c. Sint manifestæ, 12, quæst. 1. Et in cap. Episcopus qui filios, 12, quæst. 2. Unde inter jurisperitos controversum est, an clericus habens filios, possit sine dispensatione ascendere ad Episcopatum. De qua re alibi latius dicetur; interim videri potest Abb., in c. 1 de Testamentis, n. 2, ubi Additio plura allegat. Et mihi quidem verisimile est, cum Pontifex daturus sit Episcopatum vel confirmaturus electionem, necessarium esse illi aperire talem personæ conditionem, ut legitima sit collatio vel confirmatio, et non subreptitia, quia valde movere potest, et difficilem reddere Pontificis voluntatem. Et hoc saltem probat dict. c. De Syracusanæ, ubi Glossa distinguendum putavit quoad hoc inter legitimos et illegitimos; sed immerito, ut recte Panormitan. notavit, cum textus nihil distinguat, et quodammodo major ratio sit in filiis legitimis, quia magis solent eos parentes diligere, magisque eis thesaurizare procurant.

4. Alius modus hujus irregularitatis censetur esse in causa supra tractata, si clericus uxoratus sine consensu uxoris sacrum Ordinem suscipiat; manet enim inhabilis et irregularis tam ad usum Ordinis suscepti, quam ad ascensum ad superiorem. Verumtamen hæc irregularitas non provenit proprie ex

filiis, sed ex ipsa conjunctione ad uxorem, etiamsi alii non procreentur. Neque etiam videtur nova irregularitas contracta per talem susceptionem Ordinis sacri, sed ex vi ipsius vinculi matrimonii, quia ratione illius, secundum præsentem Ecclesiæ statum, fit quis inhabilis ad ascendendum ad superiores Ordines, et usum eorum, et ad Ecclesiastica beneficia, vivente scilicet uxore, et ipsa non consentiente et castitatem vovente, c. 1, 2 et 3 de Cleric. conjug. Dico autem secundum præsentem statum, quia olim permittebatur clericis in sacris habere uxores, licet non permitteretur usus earum, ut constat ex Conc. Ilibertino, can. 33; Tolet. I, can. 1; et Leone P., ep. 84, c. 4, et ep. 92, c. 3, et ex Gregor., lib. 3, ep. 34, et habetur in c. Multorum, 27, quæst. 2, de qua re latius Deo dante in opere de Religione.

SECTIO IV.

An expositi, et in universum omnes, quorum origo incerta est, sint irregulares.

1. *Varii sensus quæstionis.* — In præcedenti sectione ostendimus, omnes illegitimos esse irregulares. Nunc declarandum est, quam certus esse debeat hic defectus natalium, ut irregularitatem inducat. Varii enim gradus incertitudinis, seu cognitionis in hoc esse possunt. Primus est, quando neutrum scitur, ut contingit in filiis expositis, sub quibus comprehendimus omnes, quorum parentes ignorantur. Secundus gradus est, quando filius natus est ex matre habente virum, et communi existimatione creditur esse genitus ab illo, re tamen vera est genitus ab alio, id tamen non constat, nisi fortasse ex aliquibus conjecturis, vel aliqua infamia, aut etiam per assertionem matris id secreto affirmantis filio. Tertio potest contingere aliquem esse natum ex conjugatis in externo foro Ecclesiæ, postea vero declarari matrimonium fuisse nullum; dubium tamen vel incertum relinqui, an parentes bona vel mala fide contraxerint, et filium genuerint. Extra hos autem casus semper videtur altera pars certa, humana fide et opinione, quod in hac materia satis est; et ideo de illis tantum dicemus, et inde colligemus generalem regulam.

De Expositis.

2. *Prima opinio.* — Circa primum ergo punctum de expositis, variæ sunt opiniones. Prima negat expositos esse irregulares. Quam tenet Ananias, et Felinus, quos cum aliis refert Covar. statim citandus. Et hanc opinionem tenet Menoc., cons. 96, et esse communiter receptam, dixit Paleotus, in lib. de Filiis notis, c. 63, n. 3. Fundamentum est, quia, qui non probatur malus, præsumitur bonus in jure; sed hi expositi non probantur illegitimi; ergo præsumendi sunt legitimi, et consequenter non irregulares. Et confirmatur a simili; nam isti ob hanc causam præsumuntur nati ex parentibus et progenitoribus fidelibus, qui nunquam a fide discesserunt, et admittuntur ad officia, et beneficia in Ecclesiis, in quibus sunt statuta non recipiendi neophytos, solum quia, cum non probentur esse ex vitiata radice, præsumuntur esse ex bona. Quod videtur ita definitum ab Innocentio III, in c. Cum deputati, de Judiciis, ubi Glossa ult. advertit, jus præsumere quemlibet esse dignum, nisi probetur contrarium, et allegat varia jura. Est autem optima Regula 75, C. de Regul. jur., *Semper in dubio præferenda esse benigniora.* Responderi vero potest hoc fundamentum procedere, quando res est in utramque partem æque ignota; hic autem esse moralem et vehementem præsumptionem hos expositos esse illegitimos, quia filii legitime nati non solent ita exponi. Sed hoc non satisfacit; nam, licet demus frequentius ita esse, non tamen semper, quia interdum experientia compertum est, parentes propter paupertatem nimiam vel aliam similem causam exponere legitimam prolem, ut Exod. 2 legimus, Moysem, quamvis legitimum, fuisse sic expositum. Idem supponitur in cap. unic. de Infantibus expositis, in illis verbis : *Hoc ipso fuit a potestate patria liberatus,* nam hoc proprie non cadit nisi in filium legitimum, ut constat ex § ult., Instit. de Nuptiis, et § ult., juncta Gloss., Instit. de Patria potestate. Hoc ergo satis est, ut in ordine ad favores hi præsumantur legitimi. Sicut supra dicebamus, quando ex aliquibus hominibus quidam sunt homicidæ, alii vero non, si Ecclesia non possit aliquos discernere, neminem repellere, ne involvat innocentes cum nocentibus; melius enim esse videtur plures habentes defectum incognitum accipere, quam expellere paucos reipsa maculam non habentes; ergo in gratiam paucorum, v. gr., qui possunt esse legitimi, satius est omnes legitimos reputare. Et confirmatur, nam ob hanc causam jura tam canonica, quam civilia, favoribus prosequuntur hos expositos, quod ad

dietatem etiam spectat, eo quod sint veluti humano subsidio destituti. Et ideo in c. 1 de Infant. expositis, servi expositi efficiuntur liberi, et liberti fiunt ingenui. Et idem habent leges civiles C. eod. tit., et l. *Nemini*, C. de Episcopali audientia.

3. *Secunda sententia. — Limitatur secunda sententia.* — Secunda sententia est, hos esse irregulares, quamdiu de eorum parentibus non constat. Quam tenet Maiol., lib. 1, c. 11. Qui textum non adducit, sed maxime fundatur conjecturis. Prima et præcipua est illa, quod isti expositi frequentius sunt ex turpi conceptione; in obscuris autem inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet, ut dicitur in l. 115, ff. de Regul. jur. Secunda, quod possunt esse rebaptizati, et dubium de rebaptizatione sufficit ad irregularitatem. Sed non credo esse verum assumptum, maxime quando certum est rebaptizationem non potuisse cum culpa rebaptizati contingere, ut est in præsenti casu. Maxime quod, regulariter loquendo, tale dubium non est positivum et probabile, sed mere negativum, quod sine dubio non sufficit. Tertia, quia peregrini et incogniti repelluntur propter incertitudinem. Sed hoc etiam exemplum et limitatione indiget, ut in superioribus traditum est, et non est simile, tum quia de illis peregrinis habemus expressam decisionem Juris in cap. 2 de Clericis peregrinis, quæ in præsenti non habetur; tum etiam, quia illi peregrini tenentur de seipsis rationem reddere, et testimonium suorum Prælatorum afferre; et ideo quamdiu illud non exhibent, in culpa esse juridice præsumuntur, donec aliquo modo, saltem per probatam consuetudinem purgentur. Addit quarto hujusmodi expositos censeri esse ex parentibus infamibus, vel qui per ipsam expositionem infames facti sunt. Sed hoc parum refert ad præsentem irregularitatem, et ad quamcumque aliam inhabilitatem, quia illa infamia parentum, qualiscumque sit, non redundat in filios, neque eos infames facit. Nihilominus ob solam primam conjecturam inclinat in hanc opinionem Covar., in Clem. *Si furiosus*, p. 1, in princ., n. 9, cum duplici limitatione. Una est, ut expositus nondum promotus, sit irregularis ad suscipiendos Ordines in futurum; si vero jam sit ordinatus, prohibendus non sit ab usu Ordinis. Secunda est, quod Episcopus possit dispensare in hac irregularitate. Quam opinionem sequitur Salzedo, in Pract., c. 14, ad finem, quamvis fateatur rationem ejus non concludere, nec meliorem afferat. Potest pro hac sententia citari Gloss., in c. Consuluit, de Servis non ordin., quatenus dicit, spurium illegitimum esse, *qui patrem ostendere non potest, vel si ostendit, verecundum ostendit.* Confirmari etiam potest hæc pars ex illis juribus, quæ affirmant, in dubiis facti præsumendum esse aliquem irregularem; nam hic dubium facti intercedit, et tale, ut in deteriorem partem magis inclinet.

4. *Quid in hac controversia sentiendum.* — Hæc res adeo est dubia, ut nonnulli graves et antiqui doctores indecisam eam reliquerint, ut Ancharran., in c. 1 de Infantibus exposit., et Barbatius, in c. Cum deputati, de Judiciis. Quapropter utramque sententiam censeo probabilem; unde potest, qui voluerit, priori adhærere in praxi; securius autem erit uti moderatione, qua Covarruv. lenivit rigorem posterioris sententiæ. Itaque primo certum est, si, postquam aliquis fuit expositus, de ejus parentibus constiterit, ex sola expositione nullam irregularitatem contraxisse, quia nullo jure expressa est, quod etiam Maiolus fatetur. Unde si constiterit, illum fuisse ex legitimo matrimonio natum, irregularis non erit. Potest autem id constare vel utriusque parentis testimonio (illud enim sufficere videtur), vel ex aliis conjecturis et probationibus. Secundo, si parentes omnino ignorantur, et bona fide ordinatur, non est censendus irregularis ad usum Ordinum. Covarruv. hoc solum probat dicens : *Propter auctoritatem Ananiæ et Felini.* Sed certe propter eamdem idem dicendum esset de ordinatione ipsa. Propria ergo ratio est, quia in dubiis melior est conditio possidentis, et ideo addidi in assertione : *Si bona fide*, etc. Nam hoc principium habet verum in possessoribus bonæ fidei, mala enim fides non juvat. Cum ergo sic ordinatus habeat jus ad usum Ordinis, propter solum dubium, quod de expositione nascitur, non debet prohiberi. Fateor autem alia via posse etiam excusari, etiamsi a principio mala fide ordinatus sit, deponendo illam fidem et confirmando se opinioni probabili. Sed hoc ideo licet, quia idem a principio fieri potuisset. Unde dico tertio, hujusmodi expositum posse, si velit, in conscientia conformari priori opinioni, quia habet graves conjecturas et auctores, atque ita potest sine scrupulo absque dispensatione ordinari. Tamen, quia facile potest dispensatio ab Episcopo obtineri, securius erit illam postulare et ita consulendum censeo. Nam licet Episcopus non possit

dispensare cum illegitimis, ut infra dicemus, in hoc tamen casu ejus dispensatio sufficiet, vel quia Prælati auctoritas simul cum opinione probabili sufficit ad pacandam conscientiam, vel quia in similibus dubiis potest Episcopus dispensare, ut in sequenti sectione videbimus, vel certe quia hæc non petitur per modum propriæ dispensationis, sed solum per modum cujusdam approbationis vel liberæ facultatis. Nam quia Episcopus daturus est Ordines vel dimissorias litteras ad eos recipiendos, et talis conditio personæ posset merito retardare ejus voluntatem, oportet eam illi proponere, ut ea non obstante, Episcopus voluntarie approbet personam ad facultatem concedendam, quod regulariter facere debet, si alia causa rationabilis non obstet.

5. *De nato ex adultera matre a qua esse illegitimum agnoscit. — Prima conclusio.* — Circa secundum punctum dubitari solet, an in eo casu teneatur quis se reputare illegitimum propter subortam infamiam vel solius matris testimonium. In qua re primo est recepta sententia, filium in eo casu non teneri se credere illegitimum propter solum testimonium matris id asseverantis, etiam in fine vitæ. Ita sentit Navarr., cap. 27, num. 201, citans Hostiens., in cap. 1 de Filiis presbyt. Idem Maiol., l. 1, cap. 7, num. 3; Castro, l. 2 de Lege pœnali, cap. ult., concl. 3; Salzed., in Pract., cap. 14, lit. C, parum a principio, et in materia de justitia in ordine ad obtinendam hæreditatem; est etiam hæc communis sententia, ut videre licet in Abb., in cap. Per tuas, de Probat., num. 4; et aliis Canonistis, in c. Officii, de Pœnit. et remiss.; et Covarr., regula Peccatum, 1 part., n. 3 et 6; et Soto, 4 de Justitia, quæst. 7, art. 2, ad 2; et Theol., in 4, dist. 15. Et potest probari ex dict. cap. Officii; nam ibi significatur, hujusmodi adulteram non teneri suum facinus detegere, ne hæreditas mariti ad alienum filium deveniat, quod regulariter et ut plurimum intelligendum est; hujus vero ratio est, quia filius non tenetur adhibere fidem dicto matris, juxta l. Filius, ff. Qui sunt sui vel alieni juris; nisi sufficienter probetur tempore conceptionis non fuisse cognitam a marito. Et ratio est, quia licet filius credat matrem fuisse adulteram, non ideo cogitur credere se esse illegitimum, cum utrumque possit æque contingere, et in eo casu lex hunc legitimum præsumit.

6. *Objectio. — Solutio.* — Dices : licet quoad alios effectus hoc forte precedat, non tamen in ordine ad irregularitatem, quia, ut minimum, est res dubia; in dubio autem facti inclinandum potius est in favorem irregularitatis. Respondetur, hoc argumentum probare, quod supra diximus, illam regulam non esse indistincte sumendam; nam si dubium ortum est sine hominis culpa, et aliunde nullum est medium ad illud expellendum, et quis est in legitima possessione, non tenetur se illa privare propter dubium; hæc autem omnia in præsenti concurrunt. Nam dubium hoc non oritur ex culpa filii, et expelli non potest, estque in possessione filii legitimi ex vero titulo matrimonii, cui etiam favendum est; potest ergo deponere dubium speculativum, et practice se filium legitimum reputare.

7. *Moderatur præcedens conclusio.* — Addit vero Soto, tam vehementem esse posse matris persuasionem, ut filius intus in mente credere convincatur, et in eo casu in conscientia obligari. Sed in hoc oportet distinguere factum a necessitate vel debito. Factum appello credulitatem filii, de qua verum est, quacumque ratione filius interius credat se esse illegitimum, sive ex levitate animi, sive ex ignorantia, sive ex nimia conjectura, teneri in conscientia se gerere ut irregularem, et non ordinari absque dispensatione, quia alioqui ageret contra conscientiam. Quod Navarrus supra notavit. Imo Maiol. et Salzed. addunt, si scrupulis angatur et interius magis inclinet in matris assertionem, debere dispensationem petere. Quod est consilium ad majorem quietem, non tamen absolute necessarium; potest enim deponere scrupulum, etiamsi interius urgeat; imo, si prius levius credidit, potest postea melius instructus mutare credulitatem, et consequenter etiam deponere conscientiam. Necessitatem autem credendi appello illam, quæ ex præmissis vel rationibus infertur intellectui, ut assentiatur, et hoc modo non potest filius ex persuasione matris convinci ad credendum. Primum quia illa est tantum humana fides. Deinde nititur tantum unius testimonio, et mulieris, quæ multis ex causis potest moveri ad asserendum. Ac denique est de re, quæ non potest ipsi dicenti esse omnino certa, nam licet de adulterio possit esse certa, non tamen de conceptione ex tali viro, nisi in eo casu, in quo evidens illi sit post adulterium, prius fuisse prolem formatam quam a marito fuerit cognita, qui casus vix potest contingere, quin maritus rem intelligat. Et ideo quando res est omnino occulta, non potest mater cogere seu convin-

cere filium ad credendum. Quapropter nec debitum seu obligationem credendi potest inducere, nisi fortasse tot afferat conjecturas et circumstantias probabiles, vel ipsi filio alias notas, ut rem faciant vehementer credibilem. Maximum autem testimonium esset, si maritus etiam haberet perspectum matris adulterium, et testificaretur reputato filio, se non cognovisse uxorem eo tempore, quo concepit, nam tunc profecto duorum testimonium sufficere videtur ad obligandum filium, ut credat se esse illegitimum. Quod a simili probari potest ex cap. Transmissa, Qui filii sint legitimi, ibi : *In tali casu standum est verbo viri et mulieris, nisi certis indiciis et testibus constiterit, esse filium.* Quamvis Abb., in c. Per tuas, de Probation., num. 4, ex eodem textu, adjuncta Gloss., verb. *Indiciis,* oppositum asserere videatur, quod ad summum posset habere locum, quando contra parentum testimonium essent æquivalentes probationes et conjecturæ, ut recte Covarr., 2 part. 4, c. 8, § 3, num. 9. Denique hinc etiam a fortiori constat, secluso testimonio utriusque parentis, nunquam debere aliquem se reputare illegitimum propter rumorem aliquem vel infamiam, quia hæc non inducunt sufficientem probationem, et ideo prævalet justa possessio cum justo titulo matrimonii, in quo a parentibus semper fuit ut verus filius recognitus et tractatus, ut ex Covarruv. supra a fortiori sumitur.

8. *De filiis suppositis.* — Atque ex his, quæ diximus de filiis adulteris, judicandum est de filiis suppositis, de quibus etiam loquitur cap. Officii, de Pœnit. et remiss. Et quoad obligationem matris, si illum supposuit ignorante patre, idem fert judicium, quod de filio adulterine concepto. Unde videtur simili modo dicendum, hunc non teneri ad fidem matri adhibendam, nisi concurrant alia, quæ cogant ipsum ad credendum, sicut de adulterino dictum est. Nihilominus tamen non videtur esse omnino similis ratio, nam in priori casu, ut filius non credat matri, non oportet, ut credat ipsam mentiri in assertione adulterii; satis enim est, quod etiam illo posito non recte sequitur istum esse filium adulterinum; in præsenti autem si mater verum dicit, necessario inde sequitur hunc esse filium alienum; ergo non potest filius hoc non credere, nisi credat matrem mentiri. Hac autem sola ratione difficile est excusare filium ab obligatione credendi se non esse ortum ex tali matrimonio, quia licet unius testimonium non sit firmum, tamen cum talibus circumstantiis videtur esse vehemens. Quia vera mater non negat verum filium, neque est verisimile, quod decipiat illum, nisi aliunde constet aut de vehementi odio, aut de nimio amore erga alium, cui hac via benefacere studeat. Et ideo in hujusmodi casu existimo facilius posse filium obligari ad dandam fidem matri, quamvis in particulari circumstantiæ pensandæ sint.

9. Advertenda est autem alia excusatio, quia licet filius in hoc casu credat matri, non statim se credit illegitimum; potuit enim prius ex una legitime nasci, et statim alteri supponi. Et ideo, si eadem mater, quæ negat esse verum filium suum, affirmet nihilominus esse ex legitimo matrimonio natum, id satis erit, ut non se putet irregularem, quia non est major ratio credendi unum quam aliud. Et quod filius alias legitimus, postea suppositus sit, non inducit novam irregularitatem, nullo enim jure lata est. Si autem mater affirmet et non esse suum, et alias esse illegitimum, et ei credatur, irregularitatis dispensatio necessaria erit; an vero credendum sit, jam dixi juxta occurrentes circumstantias judicandum esse, quia non potest hic certior regula tradi, propter vehementem conjecturam, quod vera mater sciens et videns non decipiat filium in re tali. Si vero quispiam se credat filium suppositum tali matri, et ignoret an alias legitimus vel illegitimus sit, tunc eadem ratio de illo esse videtur, quæ de filiis expositis, quia similiter ignorat ortum suum. Aliqualis tamen videtur esse differentia, quia in hoc casu major est ratio suspicandi talem infantem esse legitime natum, quia frequentius contingit, ut parentes legitimi infantes suos tradant aliis parentibus supponendos, quia in hoc nihil periculi est, et multum potest esse commodi, sicut naturalis et legitimus parens libenter tradit filium suum, ut ab altero in filium adoptetur; sic enim in præsenti mater vel pater, qui filium alienum sibi supponit, tacite illum adoptat. Ob hanc ergo causam facilius potest hic suppositus, si nihil aliud sciat, se credere legitimum quam alius expositus.

10. *De filiis conjugatorum tantum in externo foro habentes impedimentum irritans.* — Circa tertium punctum breviter dicendum est, quotiescumque non constat de mala fide parentum, credendum esse filium legitime conceptum, atque adeo non irregularem, ut sumitur ex cap. Pervenit, cum communi interpretatione, Qui filii sint legitimi, et indicat

Covarr., 2 part. 4, cap. 8, § 3, n. 1, dicens, ut aliquis habeatur illegitimus, non satis esse, ut probetur matrimonium inter parentes fuisse invalidum, nisi etiam probetur, parentes mala fide contraxisse aut convenisse; ergo multo minus tenebitur ipse filius credere, nisi sufficienter probetur. Maxime quia in dubio non debet præsumere culpam in suis parentibus. Unde cum hoc pendeat ex interna dispositione parentum, nulla indicia vel conjecturæ videntur sufficere, regulariter loquendo, seclusa eorum assertione. At si uterque eorum affirmaret, esset violenta probatio, etiam in conscientia sufficiens; si tamen alter tantum id diceret, judicandum erit juxta dicta in proximo puncto. Et consulenda etiam sunt dicta in præcedenti sectione de filiis legitimis ex reputato matrimonio.

SECTIO V.

Quibus modis tolli possit hæc irregularitas.

1. *Primus modus quo auferri potest.* — Primus modus et manifestior tollendi hanc irregularitatem est per dispensationem. Quam primo et præcipue concedere potest Summus Pontifex quoad omnes illegitimos et quoad omnes Ordines et dignitates ac beneficia Ecclesiastica. Nec de potestate est ulla difficultas. Circa actum vero dubitari potest, quam causam requirat et quibus verbis facienda sit. Sed de his videantur supra dicta in communi et quæ attigimus sect. 1 hujus disputationis. Solumque observetur, majorem causam postulandam esse, ubi defectus natalium fuerit major, vel ubi fuerit notior, aut certe minorem dispensationem tunc esse concedendam, ut ordinarie res fiat, nam ut facta teneat, sufficiet voluntas Pontificis. Videatur Sylvest., verb. *Legitimus,* n. 10; Maiol., lib. 1, c. 9.

2. *Quid possit Episcopus.* — Secundo de Episcopis dicendum est, posse dispensare cum illegitimis quoad Ordines minores, si aliud impedimentum non interveniat, ex cap. 1 de Filiis presbyt., in 6, ubi hæc potestas conceditur respectu omnium illegitimorum in quocumque gradu, quia indefinite dicitur : *Is qui defectum patitur natalium.* Atque ita ibi notat Glossa et omnes; expresse autem additur, in superioribus Ordinibus non posse Episcopum dispensare, sed solum Pontificem Summum. Aliqui vero excipiunt illegitimos canonice tantum et non naturaliter; nam cum illis putant posse dispensare Episcopum ad Ordines sacros, ex cap. Litteras, de Filiis presbyt., nam per illa verba : *Permittimus ordinari,* aiunt, permitti Episcopo, ut possit dispensare. Ita Joan. Andr. ibi, et faciunt verba illa : *Si alias dignus inventus fuerit.* Sed in primis multi intelligunt verba illa de solis Ordinibus minoribus, cum Gloss. ibi communiter probata per Abbat. et alios, quia talis dispensatio est odiosa, et ideo indefinite concessa restringitur; nam cum largior est, additur distributio, *ad omnes* vel *ad sacros Ordines,* juxta cap. 1 et 2 de Filiis presbyt., in 6, et quæ ibi notantur. Deinde in dict. cap. Litteras, non concedit potestatem dispensandi; nullum est enim verbum quod hoc significet; sed ipse dispensat, ut supra ostendi sect. 2. Hæc ergo sententia seu exceptio nullo jure fundatur, et ideo non est admittenda; quin potius ex illo cap. Litteras, colligi potest hunc Episcopum non habuisse hanc potestatem dispensandi in minoribus Ordinibus cum illegitimis, cum Papa ibi illam concedat, sed hanc ex novo jure l. 6. Sed hoc etiam est incertum, quia Papa dispensavit in illis Ordinibus, ut aliquid concederet, ut in ipso textu significatur, licet illud non plus fuerit quam potuisset ab Episcopo concedi, quod indicavit Gloss., in c. 1 de Filiis presb., in 6.

3. *Navarr. extensio rejicitur.* — Addunt vero ulterius aliqui, si contingat illegitimum bona fide ordinari subdiaconum vel diaconum, posse Episcopum cum illo dispensare, quoad usum Ordinis sic suscepti. Ita tenet Navarr., tit. de Filiis presb., consil. 4, n. 2, citans Gratianum, 9, quæst. 2, § His auctoritatibus, sub cap. Non invitati, cum cap. Lugdunensi, quod proxime sequitur. At ibi non est sermo de hoc casu, sed de alio valde diverso, videlicet, quando quispiam ordinatur ab Episcopo non suo; tunc enim dispensari potest a suo Episcopo quoad usum Ordinis sic suscepti, quia illa non est dispensatio in irregularitate, sed in suspensione contracta propter indebitam susceptionem Ordinis contra subordinationem debitam proprio Episcopo, cui propterea merito talis dispensatio committitur. Et ob eamdem causam invalida etiam apparet ratio, quam Navarr. addit, nimirum, quia illa solum est quædam suspensio, in qua potest proprius Episcopus dispensare; est enim hoc verum de impedimento contracto ex susceptione Ordinum ab alieno Episcopo sine licentia proprii, non vero de impedimento, quod provenit ex defectu nata-

lium. Unde in quodam scholio addito in fine illius Consilii, advertitur, dispensationem, de qua loquitur Navarrus, in illo num. 2, non respicere impedimentum natalium, sed ordinationis ab alieno. Quod quantum ad rem ipsam recte notatum est, menti autem auctoris quadrare non potest. Nam n. 1 definit in casu illi proposito non fuisse incursam suspensionem propter Ordines susceptos ab alieno, quia suscepti fuerunt cum litteris dimissoriis et bona fide. Secundam autem quæstionem proponit, utrum Episcopus originis possit dispensare cum illegitimo promoto ad Ordinem subdiaconatus sine licentia Papæ, ubi non quærit de dispensatione cum ordinato ab alieno absque licentia proprii, sed de dispensatione cum illegitimo, et respondet affirmative. Fundamenta autem, quæ adducit, non loquuntur in hoc casu, sed in alio, ut ostendi. Et statim quæst. 3 addit, posse Episcopum in eo casu dispensare etiam ad suscipiendo superiores Ordines. Iterum vero subjungit, illam esse absolutionem a suspensione, quod etiam procedit in alio casu, non vero in præsenti.

4. *Evasioni occurritur.* — Respondeo igitur, in prædicto casu non posse Episcopum dispensare, nec quoad ascensum, nec quoad usum sacri Ordinis suscepti. Prior pars est certa, nec videtur credibile Navarr., in contrario sensu fuiss[illegible]um, quia dict. c. 1 de Filiis presbyter., in 6, generaliter negat Episcopo hanc potestatem, et exceptio in illo casu nullo alio jure fundata est, nec ulla probabili ratione; cur enim propter unum Ordinem male susceptum habebit Episcopus novam potestatem dispensandi, ut alius etiam suscipiatur? Atque hæc ratio mihi æque probat secundam partem de usu Ordinis suscepti, quia illud impedimentum manens in hujusmodi sic ordinato, non est ex censura vel suspensione denuo contracta, sed ex vi prioris irregularitatis quæ semper manet; illam autem non potest auferre Episcopus, neque error commissus novam ei potestatem contulit. Navarr. autem significat, per illam ordinationem contrahi novam suspensionem ratione prioris irregularitatis et ordinationis, quod esset verum, si bona fides non intercessisset; bona autem fides impedit suspensionem, ut supra in proprio loco dictum est, ubi etiam diximus, quando illa incurritur, an possit Episcopus in illa dispensare. Dicet fortasse aliquis, propter eamdem bonam fidem acquisitum esse jus per ordinationem ad usum ejus, et ideo rationi consentaneum esse, ut Episcopus possit impedimentum tollere. Respondetur, esse hanc congruam rationem, ut Papa concedat hanc potestatem, si velit; hactenus tamen non legimus eam concessisse; congruentia autem sola per se non sufficit sine potestate, maxime cum, per se loquendo, non sit necessitas, et possit facile ad Pontificem recurri.

5. *Quid possit Episcopus in casu occulto.* — Tandem vero inquiri potest, an possit Episcopus hanc dispensationem quoad omnes Ordines sacros dare quando hic effectus est occultus, juxta cap. Liceat Episcopis, in Concilio Tridentino, sess. 24; non enim defuere, qui conati sint ita extendere textum illum. Sed sine dubio est improbabilis sententia; quia ibi Concilium expresse loquitur de irregularitate contracta ex delicto. Quod si quis dicat etiam hanc irregularitatem contrahi ex delicto parentum, torquet sensum Concilii, et verborum sensu abutitur, quia irregularitas ex delicto non vocatur nisi ea, quæ contrahitur ex crimine ipsius, qui irregularis est. Quantumvis ergo defectus occultus sit, solus Pontifex potest illum auferre quoad sacros Ordines accipendos.

6. *Quid possit Episcopus in hoc casu quantum ad dispensationem ad beneficia.* — Ultimo quæri potest, quam dispensationem possit Episcopus concedere illegitimo ad obtinenda beneficia. Respondeo, posse illi concedere, ut beneficium habeat, *cui cura non imminet animarum,* ut dicitur in cap. 1 de Filiis Presb., in 6, id est, beneficium simplex, sub quo in præsenti, et ex vi illorum verborum comprehendi canonicatum affirmat Archid. ibi, et sequitur Navarr., dict. cons. 4, num. 4, et est recepta sententia, quæ intelligenda est, dummodo aliud non obstet ratione specialis institutionis vel obligationis alicujus præbendæ, seu canonicatus. Item hoc non est extendendum ad dignitates et personatus, ut ibidem Gloss. notat; nam hæc non veniunt appellatione simplicis beneficii, ut dicitur in cap. ult. de Præbendis. Advertit autem Maiolus, lib. 1, cap. 12, num. 13, Episcopum non posse uti hac potestate circa proprium filium illegitimum, si illum habeat, quod nullo jure probat, sed quibusdam congruentiis, quæ probant quidem non decere, ut Episcopus per se hoc faciat, impotentiam vero non ostendunt, et alioqui dictum cap. 1 absolute et sine restrictione loquitur. Quid autem nomine Episcopi in eo textu intelligendum sit, dubitari etiam potest. Breviter tamen res-

pondeo juxta materiam subjectam, jurisdictionis potius quam consecrationis rationem esse habendam. Itaque si sit Episcopus electus, et confirmatus, id satis est, licet non sit consecratus, quia jam potest exercere jurisdictionem Episcopalem, cap. Transmissam, de Electione. Et simili ratione censeo inferiores Prælatos exemptos habentes Episcopalem jurisdictionem eo nomine comprehendi, quia participant ordinariam jurisdictionem Episcoporum. Denique etiam Capitulum, Sede vacante, habet eamdem potestatem, ut recte Navarr., qui alios refert, cons. 7, de Filiis Presb., quia succedit Episcopo in tota jurisdictione ordinaria, tam contentiosa quam voluntaria. Nam hæc est generalis regula juris, ut supra de Censuris in communi diximus, quæ proinde solum est limitanda in casibus a jure expressis, inter quos numerari non potest hic, de quo agimus.

Secundus modus auferendi hanc irregularitatem, per legitimationem.

7. *Legitimatio in quo differat a dispensatione.* — Secundus modus tollendi hanc irregularitatem est per canonicam legitimationem. Hic modus reipsa non est diversus a priori, nisi fortasse in nomine et modo dispensationis. Tamen, ut hoc ipsum explicemus, distincte illum proponimus. Legitimatio ergo proprie sumpta, seu totalis, in hoc solum differt a dispensatione stricte sumpta, quod legitimatio dicit integram dispensationem in defectu natalium, et quoad omnes effectus ejus; dispensatio vero vocatur, quando solum fit quoad aliquem, vel aliquos effectus, ut tradunt Panor. cum aliis, cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, et Covarr., 2 part. 4, § 8, d. principio. Solet autem rursus distingui legitimatio a jure, et ab homine, ut patet ex Sylvest., verb. *Illegitimus,* num. 4, cum Palud, in 4, dist. 41, quæst. 3, num. 7. Hic non agimus de legitimatione juris, hæc enim esse censetur, quando jus reputat legitimum aliquem, licet natus non sit ex matrimonio vero, vel propter bonam fidem parentum, vel propter matrimonium subsequutum, etc., de quibus casibus jam diximus sect. 1, et generalem regulam statuimus, quoad præsentem irregularitatem vitandam, legitimos censeri omnes, qui beneficio juris canonici legitimi effecti sunt, etiamsi naturaliter (ut sic dicam) non sint legitimi. Hinc vero manifeste sequitur, idem dicendum esse de legitimatis ab homine, quia eumdem effectum habet talis legitimatio circa particularem personam, ad quam factum hominis dirigitur, quem habet universaliter legitimatio juris ad personas, de quibus tale jus loquitur; nam actus est idem, proportione servata; solum differunt in causa efficienti; utraque tamen supponitur habere potestatem ad integram legitimationem. Unde confirmatur, quia totum includit omnes partes; ergo legitimatio totalis, de qua agimus, tollit omnia impedimenta, quæ defectus natalium induxerat, quorum unum est irregularitas.

8. *Legitimatio hæc debet esse canonica.* — Dixi autem necessarium esse, ut legitimatio canonica sit, id est, per potestatem Ecclesiasticam facta, ut illam distinguerem a legitimatione civili, quam Rex, v. gr., per temporalem potestatem concedit; illa enim, quantumcumque totalis et integra in eo genere concedatur, non sufficiet ad irregularitatem tollendam. Nam solum potest tollere omnes effectus, quos lex civilis vel temporalis potestas potuit introducere; illa autem non potuit inducere irregularitatem, et ideo neque auferre potest, ut per se constat ex superius dictis, et tradit Covarr. referens alios, dict. § 8, num. 18. At vero si legitimatio sit canonica, vel Ecclesiastica, manifestum est hunc habere effectum, quia nec deest potestas (suppono enim concedi a Summo Pontifice, nullus enim alius habet hanc potestatem, nisi ei delegetur); neque etiam deest voluntas, seu actio, cum totalis fiat legitimatio, ut supponimus. Nam si sit solum partialis legitimatio, jam potius dispensatio dicenda erit, et tunc solum habebit hunc effectum, quando in concessione expressus fuerit.

9. *An omnes illegitimi sint capaces legitimationis. — Pars affirmans resolvitur.* — Dices, hoc ad summum procedere, quando persona est capax integræ legitimationis; aliquos vero esse ita incapaces, ut ad eos applicari non possit. Quod ita declaratur, nam quidam illegitimi nati sunt ex parentibus, qui tempore conceptionis potuissent inter se matrimonium contrahere vel absolute, vel saltem ex humana dispensatione, ut sunt consanguinei, et affines in secundo et inferioribus gradibus, etc., ac proinde potuerunt hujusmodi illegitimi per humanam etiam potestatem restitui ad eum statum, in quo essent, si ex tali matrimonio nati fuissent. Alii vero sunt adeo

illegitimi, ut parentes eorum tempore conceptionis fuerint ita inhabiles ad matrimonium inter se, ut nec per humanam dispensationem illud contrahere potuerint, ut filii nati ex duobus fratribus, v. gr., aut ex patre et filia, aut ex adultera, et similibus. Hi ergo non possunt per legitimationem restitui ad statum legitimorum; non ergo habet in eis locum legitimatio; ergo non poterit per illam tolli ab eis hæc irregularitas. Respondeo, quidquid sit de hac distinctione, quam latius tractant Canonistæ in cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, ubi specialiter Panor., num. 21 et 22, et Covarr., dict. § 8, num. 4, tamen quod ad præsens spectat, nihil referre censeo, quia in omnibus, quantumcumque illegitimis, potest Summus Pontifex auferre omnes effectus jure humano introductos, præsertim canonicos (quod ad nos nunc spectat), solumque auferre non potest illam veluti maculam, quæ ad factum potius quam ad jus spectat; est enim veluti quædam infamia facti, aut sicut quædam ignobilitas, quod (servata proportione) æque habet locum in utrisque illegitimis. Et quamvis illa quasi infamia major semper maneat in posterioribus, seu magis illegitimis, hoc tamen non obstat, quominus legitimatio eis restituat quidquid jus canonicum abstulit, et consequenter eos reddat habiles ad Ordines suscipiendos. Quæ doctrina communis est, ut patet ex Panorm. supra, et cap. Ad hæc, de Filiis presbyt., et ex Covarr., dict. § 8; Maiol., lib. 1, cap. 8; et plura videri possunt apud Tiraquellum, verb. *Susceperit*, num. 52, in l. Si unquam, C. de Revocandis donat.; et Paulum Burgasium, de Irregular., part. 5, tit. de Filiis presbyt., num. 10; Sylvest., verb. *Legitimus*, et alii.

10. *Corollarium. — Maioli opinio. — Aliorum opinio.* — Ex hoc consequenter colligitur, legitimationem canonicam, non solum auferre irregularitatem, ut impedit Ordines, sed etiam ut impedit promotionem ad beneficia seu dignitates Ecclesiasticas. Patet, quia illa legitimatio est quædam dispensatio totalis; ergo aufert omnes effectus ortos ex defectu natalium per canonicam institutionem; unus autem effectus est inhabilitas ad beneficia et dignitates : ergo. Hanc vero doctrinam limitant aliqui, ut locum non habeat quoad Episcopatum, quia ad illum non fiunt habiles ex vi generalis legitimationis, sine speciali dispensatione. Ita tenet Maiolus, 1, c. 4, num. 13, qui solum loquitur de legitimatione juris, quæ fit per subsequens matrimonium; eadem autem erit ratio de legitimatione ab homine, si verbis æque generalibus fiat. Citatque in suam sententiam Abbatem, et Sylvestrum, qui oppositum aperte sentiunt. Fuit ergo illa sententia Raymundi, ut refert Abbas in cap. Ad extirpandas, de Filiis presbyt., in fine. Sed in oppositum refert Hostiensem, et Gofred., quos ipse sequitur. Et eodem modo opinatur Sylvest., verb. *Illegitimus*, quæst. 3, et in verb. *Legitimus*, num. 4, sine restrictione ait, hos filios fieri legitimos quoad omnia. Idem tenet Gloss. in cap. Innotuit, verb. *Conjugata*, de Elect. Fundamentum est, quia legitimatio sive a jure, sive ab homine, reddit personam habilem quoad omnes actus lege prohibitos; ergo etiam quoad susceptionem Episcopatus, si non excipiatur, quamvis non expresse declaretur. Quæ est enim necessitas specialis declarationis quoad talem dignitatem, potius quam ad alios actus? Dicetur fortasse, rationem esse, quia in cap. Cum in cunctis, de Elect., specialiter cautum est, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui de legitimo matrimonio sit natus. Hoc autem non urget, quia facta legitimatione, seu declaratione juris, censetur quis ex legitimo matrimonio natus, ut patet ex cap. Tanta, Qui filii sint legitimi, ubi Gloss., verb. *Legitimus*, advertit, hos esse legitimos quoad omnia, tam quoad Ordines quam quoad honores, nullamque adhibet limitationem. Et Gloss. in eodem cap. Cum in cunctis, verb. *Matrimonium*, advertit non magis requiri illam conditionem nativitatis ex legitimo matrimonio in Episcopo, quam in quolibet alio, qui promovetur ad honorem, vel ad regimen animarum, juxta cap. 1 et ult. de Filiis presbyt. Constat autem etiam ex sententia aliorum Doctorum, hos legitimatos per subsequens matrimonium censeri tanquam natos ex legitimo matrimonio quoad alias dignitates et beneficia; ergo idem dicendum est quoad Episcopatum.

11. *Cap. Innotuit, de Electione, objicitur.— Exponitur.* — Huic vero declarationi obstat dict. cap. Innotuit, juxta antiquam seu integram lectionem, in qua præcipue fundabatur Raymundus, quia ibi post legitimationem per matrimonium postulatur dispensatio. Respondet Panormitanus, quod hodie illam non habemus. Sed licet non habeamus in jure, si tamen de illa constat, id satis est, ut nobis etiam constet Innocentium III indicasse illegitimum eum, qui natus fuerat ex soluto, et

soluta, qui postea inter se matrimonium contraxerunt. Hoc autem sumitur ex integra lectione, quam refert Antonius Augustinus, in 3 collectione, ubi addit hæc verba : *Et ipsam infra quadriennium a nativitate ipsius matrimonium contraxit;* quæ mendosa sunt et incongrua. Et fortasse legendum est, *ipsa;* quod si ita est, nihil inde probari potest. Tamen in corpore Juris canonici edito Parisiis anno 87, in eodem cap. Innotuit, integra lectio refertur his verbis, *quo facto cum ipsa infra quadriennium a nativitate ipsius matrimonium contraxit;* quæ lectio nostræ sententiæ repugnat. Tamen si illa lectio admittitur, non solum quoad Episcopatum, sed etiam quoad Ordines et beneficia admittenda est, quia simpliciter est ibi sermo de tali persona, tanquam de illegitimo ad Ordines; quod tamen videtur incredibile, cum Alexand. III quem ibidem refert Innocentius, hunc vocet simpliciter legitimum in dict. cap. Tanta. Accedit, quod in eodem cap. Pontifex multa commemorat, quæ ad concedendam in eo casu dispensationem concedere videbantur, *litterarum* (inquit) *scientia, morum honestas, vitæ virtus, et fama personæ,* etc. At vero si in eodem casu matrimonium inter parentes fuisset subsequutum, et hoc fuisset Pontifici propositum, illud maxime commemorare debuisset, nam erat causa, quæ præcipue movere poterat ad dispensationem, si adhuc impedimentum durasset; non est ergo verisimile in illo casu talem circumstantiam intervenisse. Et ideo non censeo illam lectionem esse admittendam; quia nec mihi constat unde sumpta sit, neque ipsas editiones concordes invenio; et in re dubia potius inclinandum est in favorem matrimonii et prolis, juxta cap. Ex tenore, Qui filii sint legitimi, et cap. Videtur, Qui matrimonio accusare, etc. Maxime cum habeamus expressum jus favorabile in dict. cap. Tanta. Ex quo idem censemus dicendum in omni legitimatione canonica a jure, vel ab homine simpliciter facta.

De tertio modo auferendi hanc irregularitatem, nempe per ingressum religionis.

12. *Quando auferatur.* — Tertius modus tollendi hanc irregularitatem est per ingressum religionis. Ita statuitur in cap. 1 De Filiis presbyt., ibi : *Nisi monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes;* quod jus vim suam nunc retinet. Nam licet Sixtus V ita fecerit illegitimos inhabiles ad religionem, ut consequenter irritum reddiderit hoc jus ad hunc effectum, tamen Gregor. XIV constitutionem illam ad terminos juris communis postea reduxit anno 1588. Dubitari autem potest, quando tollatur hoc impedimentum per ingressum religionis, an in habitus susceptione, vel in professione tantum, seu votorum emissione. Respondeo non auferri per solam habitus susceptionem, donec fiat professio, ut recte docent Soto, in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 3; Richard., ibi, art. 4, quæst. 3; Palud., dist. 41, quæst. 3, num. 14, in fine; D. Antonin., 3 part., tit. 1, cap. 27, § 3; Maiol., lib. 1 de Irregularitate, cap. 10. Et idem sentiunt Jurisperiti, quos late refert Gregorius Lopez, in lib. 12, tit. 6, partita 1, et communiter scribentes in cap. 1 et ult. de Filiis presbyt., et expressius Philippus Francus, in cap. 1 de Filiis presbyt., in 6, num. 11. Qui ita expendit verba cap. 1, Extra eodem, ibi, *nisi aut monachi fiant;* nam debent intelligi cum effectu; non fit autem quispiam religiosus vere, et cum effectu, donec professionem seu vota emittat, quia antea non est vere religiosus aut monachus. Quanquam enim vulgari modo novitius etiam soleat religiosus appellari, quia jam est in via, et participat aliquo modo illum statum, ejusque fructum, et privilegia etiam religionis quoad effectus illi tempori accommodatos, et convenientes, non est tamen verisimile Pontificem in dict. cap. 1, usum esse illis verbis, *monachi fiant,* in hac amplitudine, ut comprehendant novitios, qui per solam habitus susceptionem quodammodo monachi fiunt, quia et altera est significatio magis propria verborum, et illa sola est materiæ, de qua agitur, accommodata. Cum enim legitimatio ad Ordines sit ad rem quamdam perpetuam, non expediebat concedi, donec status religionis de se perpetuus assumptus sit. Alioqui (ut ait Francus) fraus contra legem esset, si legitimus novitius ordinaretur, et statim religionem egrederetur, quod pro suo arbitrio facere potest. Atque ita solet sumi in jure illa locutio, *fieri monachum,* aut *ingredi religionem,* quando materia id postulat, ut patet ex cap. ult., 19, quæst. 3, et ex cap. Ex publico, de Convers. conjug.

13. *Quorumdam extensio.* — Quidam autem extendunt hoc jus dicendo non solum professionem aut receptionem habitus, sed etiam educationem religionis tollere irregularitatem hanc ad Ordines suscipiendos, dum-

modo non ordinentur nisi ut religiosi fiant. Nam hoc videtur insinuari in illis verbis cap. 1 de Filiis presbyt.: *Vel in congregatione canonica regulariter viventes*. Unde in Summario illius cap. sic dicitur : *Illegitimus non ordinatur nisi ut religiosus fiat;* in cap. etiam 1, dist. 36, sic ait Urbanus Papa : *Presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis removemus, nisi in cœnobiis, aut in canoniis religiose probati, fuerint conversati.* Hæc autem religiosa probatio potest esse per diuturnam educationem. Unde consequenter sentiunt hi auctores sufficere receptionem habitus; maxime si educatio aliqua in religione antecessit, vel probatio aliqua post receptionem subsecuta sit, etiam si ad professionem nondum sit perventum. Neque enim alio jure prohibitum est novitios ordinari, quidquid aliqui Summistæ dicant, de quo alias. Quod si quæras, an iste sic ordinatus maneat omnino immunis ab irregularitate, etiamsi postea religionis propositum relinquat, respondeo, non manere, sed reincidere in eamdem irregularitatem, ita ut impediatur uti susceptis Ordinibus et ad superiores ascendere; sicut novitii absoluti virtute privilegiorum a censuris reservatis, dimittentes habitum ante professionem, in easdem incidunt, juxta quoddam privilegium Clement. IV.

14. Sed hæc sententia cum nova sit, nullam enim habet antiquum auctorem, et nullo jure sit fundata, nec sufficienti ratione, in re adeo practica et gravi, non videtur admittenda. Etenim illa verba dict. cap. 1, immerito ad rem hanc allegantur, nam illorum sensus est quem Urbanus statim citatus expressit, non solum monachos, sed etiam clericos seu canonicos regulares frui illo privilegio; in utrisque vero requiritur aliqua professio, quæ constituat hominem religiosum. Verba autem illius Summarii non habent auctoritatem, et fortasse in eis redundat illa particula, *ut,* nam Panormit. ibi in principio eamdem summam seu conclusionem elicit, illa particula relicta. Verba denique Urbani Papæ contrarium probant, quia non requirit tantum, ut sint educati in religione, vel ut sint in probatione, sed ut sint *religiosi probati;* hujusmodi autem illi tantum sunt, qui post sufficientem probationem sunt admissi; tunc enim per admissionem approbantur, et per professionem religiosi fiunt. Denique non oportet fingere dispensationem irregularitatis ad reincidentiam, quia in jure nullum fundamentum habet, neque est in usu, neque ea, quæ de absolutione a censura traduntur, ad irregularitatem applicanda sunt, ut sæpe dixi.

15. *Per ingressum religionis non fit habilis illegitimus ad prælationem.* — Secundo additur in præd. cap. 1 de Filiis presb., dispensationem cum illegitimis ex vi religionis non extendi ad prælationem habendam, sed solum ad Ordines suscipiendos, quem textum Gloss., Panorm., et omnes ita intelligunt. Gloss., in c. ult. de Filiis presbyt.; Panorm., in cap. Ex litterarum, de Apostatis; Antonin., 3, tit. 28, c. 4, § 2; Greg. Lopez, dict. l. 12, tit. 6, part. 1; Navar., cap. 27, n. 201, ubi hoc etiam extendit ad fœminas. Idem tenet Palud., in 4, dist. 41, quæst. 3, num. 14; Richard. et Soto, ubi supra; Maiol., qui alios refert, in dict. cap. 10. Qui omnes hoc extendunt non solum ad prælationem in religione, sed etiam extra illam, et ad omnem dignitatem, et beneficia, præsertim curam animarum habentia. Et omnia satis fundantur in dict. cap. 1, nam licet ibi solum dicatur: *Prælationem vero nullatenus habeant,* quæ verba proprie videntur intelligi de prælatione in religione ipsa, tamen ideo posita sunt, quia jus illud in favorem religionis, et in ordine ad ministeria ipsi religioni necessaria constituebatur, et ideo ad tollendam omnem dubitationem fuit necessaria illa declaratio. Tamen eo ipso, quod in superioribus verbis solum facta erat mentio de habilitandis his religiosis ad sacros Ordines, etiamsi nihil aliud exprimeretur, non posset extendi talis dispensatio juris ad beneficia, vel dignitates Ecclesiasticas. Addunt etiam dicti auctores, neque ex dispensatione Episcopi posse religiosum habilem reddi ad prælationem, quia nullo jure hoc ei conceditur, quia nec generaliter, ut supra visum est, nec in hac specie, ut patet ex dict. cap. 1, et clarius ex cap. ult. de Filiis presbyter.

16. *Objectio.* — Contra hanc vero receptam sententiam objiciunt aliqui, quia jure divino professio religionis dissolvit matrimonium ratum; ergo multo magis tollet omnino illegitimitatem. Et confirmatur primo, quia Glossa, in c. Cum deputati, de Judiciis, in fine, ait, religionis professionem auferre omnem irregularitatem, et Justinianus Imperator, in Auth. de Monachis, collat. 1, in princ., ait, *detergere omnem maculam*, qualis est defectus natalium. Confirmatur secundo, quia multi jurisperiti censent hanc religiosi legitimatio-

nem ita esse absolutam, ut reddat filium, vel monasterium loce illius, hæredem patris etiam ab intestato, ut late refert Covarr., 2 part. 4. cap. 8, § 8, n. 4; ergo a fortiori reddet habilem ad omnes alios effectus honorum, et dignitatum. Sed hæc parum urgent contra expressam juris definitionem. Unde ad argumentum, quidquid sit de antecedente, quod dubium est, negatur consequentia, quia professio seu status religionis non habet eam repugnantiam cum irregularitate seu illegitimitate, quam habet cum matrimonio, ut per se constat. Ad primam confirmationem respondetur, illam sententiam Glossæ vel non esse universaliter veram, vel accommodate intelligendam esse, quod tollat omnes irregularitates, sed non eodem modo; nam quasdam tollit ipso facto, alias vero præbendo facilitatem in earum dispensatione. Et idem dici potest ad Authenticam, quamvis ibi potius sit sermo de malo culpæ seu morali. Secunda item confirmatio sumitur ex re valde extrinseca, et fortasse falsa, ut ibidem Covarruv. docet, et latius Greg. Lopez, citato loco, et Salzedo in Pract., cap. 14. Sed ad nos nunc id non spectat. Certum ergo est, hanc non esse legitimationem simpliciter, sed ad definitum effectum in citato jure expressum. In favorem autem religionum data est potestas Prælatis, vel Capitulis earum, ad dispensandum cum religiosis illegitimis, virtute privilegiorum illis concessorum, de quibus, Deo dante, alibi dicemus.

Quartus modus auferendi hanc irregularitatem.

17. Quartus modus tollendi seu expellendi hanc irregularitatem esse posset per morum probitatem, scientiam, et alias dotes ipsius personæ illegitimæ, quæ illam satis Ordinibus dignam reddant. Quam quæstionem ex professo disputavit Innocentius III, in cap. Innotuit, de Elect., juxta antiquam lectionem; refertque aliquos dixisse, antiquos canones non prohibere undecumque genitos ad quoscumque Ordines premoveri, dummodo merita eis suffragentur, id est (ut inferius exponit) : *Si religiosi fiant,* vel *si paternam incontinentiam non imitentur.* Hi autem canones videntur præcipue haberi, 66 dist., cap. 3, et sequentibus, usque ad 9, et cap. 12 et 13, quæ specialiter loquuntur de electione ad beneficium. Propter quos canones ita sentit Gratian., in § *Sed hoc,* sub cap. 1, dist. 56, et alii, ut late tractat Albertus Trotius, in lib. 2 de Vero et perfecto clerico, cap. 2.

18. *Excluditur.*— Jam vero certa et indubitata sententia est, probitatem vitæ extra professionem religionis per se non tollere hanc irregularitatem. Quæ quoad Ordines et prælationes sufficienter probatur ex cap. 1 de Filiis presbyter., quatenus ibi solum excipit profitentes religionem; exceptio autem firmat regulam in contrarium. Unde in cap. Litteras, eodem titulo, dispensatio ad Ordines postulatur, quamvis supponatur persona a pueritia honesta. Evidenter etiam probatur ex dict. c. Innotuit, ubi Innocent. III hoc confirmat, tum sua auctoritate; tum Alexandri III, prædecessoris, *qui,* ait, *canones non ignorabat antiquos, sed probe noverat canonicas sanctiones.* Ratio vero est, quia jura hanc irregularitatem specialiter imposuerunt, non præcise propter pravos mores, vel incontinentiam illegitimorum (quamvis hæc etiam in illis timeantur), sed præcipue propter vitiosam originem, quæ moraliter reputatur vilis quædam conditio, jam pertinens ad quamdam infamiam juris; hæc autem non purgatur per pœnitentiam, vel quamcumque bonam vitam, ut in superioribus visum est, et videri potest Glossa, in cap. De his, de Accusationib., cum his, quæ fuse tractat Tiraquell., de Moderandis pœnis, cap. 28, a princ.; et Covar., lib. 2 Variarum, cap. 10, n. 3, et in cap. Alma mater, 1 part., § 11, in fine. Antiqui ergo canones intelligendi sunt interposita dispensatione, ut notavit Gloss. 1, in cap. Dominus, dist. 56, et sumitur ex cap. Apostolicæ, eadem dist., ibi : *Connivendo eum recipimus,* et cap. sequent., ibi, *patienter suscipimus, non tamen, ut hoc pro regula in posterum assumatur,* etc. Hoc etiam confirmat usus, nam quando Papa dispensat cum illegitimis, addere solet, *Dummodo incontinentiæ paternæ non fuerint imitatores,* ut refert Burgasius supra. Est ergo hæc optima causa, cum aliis, ad impetrandam dispensationem, non vero per se sufficiens ad tollendam irregularitatem.

DISPUTATIO ULTIMA.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU PERSONALI INCULPABILI.

Ad tria capita possumus hos defectus revocare : quidam censentur pertinere ad animam, alii ad corpus, et alii ad carentiam externo-

rum bonorum quæ fortunæ dicuntur, de quibus breviter eodem ordine dicemus.

SECTIO I.

Utrum aliqua irregularitas ex defectu animæ contrahatur.

1. *Nonnullæ incapacitates ad Ordines, ab irregularitatum numero excluduntur. — Defectus characteris baptismalis. — Hæresis.* — Solent sub hac specie plures irregularitates numerari, quæ revera irregularitates non sunt, vel ad alia capita potius pertinent; imo, ut in principio hujus materiæ notavi, non erat admodum necessarium hoc caput irregularitatum distinguere, quia vel ad alia pertinent, vel ad defectus corporis reducuntur; tamen, ut hoc ipsum magis explicemus, et hoc etiam consuetudini demus, hanc speciem omittere noluimus, nam aliqua etiam inhabilitas proprie ad eam pertinere potest. Numerant ergo hic aliqui irregularitatem provenientem ex defectu characteris baptismalis ex c. 1, et c. Veniens, de Presbyt. non baptiz., ut patet apud Navarrum, num. 205. Sed hæc, ut supra dixi, non est irregularitas, sed omnimoda incapacitas. Numeratur item irregularitas proveniens ex defectu fidei, qualis est in apostata, aut hæretico baptizato; quæ irregularitas in eo manet etiam post peractam pœnitentiam et obtentam absolutionem a censura. Verumtamen hæc irregularitas pertinet ad illam quæ est ex delicto, alias cum omnis culpa sit defectus animæ, omnes irregularitates ex delicto huc essent revocandæ; hic autem solum agimus de defectu inculpabili. Quapropter idem a fortiori dicendum est de credentibus, seu fautoribus hæreticorum, quos hic etiam Navarrus numerat. Filii autem hæreticorum, qui in crimine cum patre non communicarunt, et neophyti, majori ex causa possent sub hac specie constitui, quia in eis non est hic defectus ex delicto; tamen propter connexionem rerum, et jurium, de illis supra diximus tractando de hæreticis et infidelibus, et posset hæc irregularitas reduci ad quemdam defectum natalium.

2. *De carentibus usu rationis. — Pueri. — Perpetuo amentes. — Maiolus rejicitur.* — Secundo numerantur sub hac specie omnes, qui carent usu rationis, nam hic est magnus defectus animæ, et sæpe sine delicto; semper tamen provenit ex aliquo defectu corporis, et ideo sub illo etiam capite comprehendi posset. Considerare vero oportet, quod hic defectus ex ipsa rei natura impedit susceptionem Ordinum, quia reddit hominem ineptum ad usum eorum, et ex hoc capite non est hæc propria irregularitas, sed solum quatenus a lege humana speciali modo aliquando consideratur. In hoc ergo ordine possunt in primis numerari pueri carentes usu rationis, quanquam eorum irregularitas etiam pertineat ad defectum ætatis, quæ in superioribus tacta est, et iterum attingetur sectione sequenti. Deinde, huc etiam spectant perpetuo amentes. De horum autem defectu dubitari solet, an sit non solum irregularitas, sed etiam omnimoda incapacitas, ita ut Ordo eis collatus non sit validus. Sed hæc quæstio non ad præsentem locum, sed ad materiam de Ordine pertinet, quam, Deo dante, in sequenti tomo tractabimus. Nunc solum adverto Maiol., lib. 2, c. 13, absolute negare carentes perpetuo usu liberi arbitrii, recipere characterem si ordinentur, et citat D. Thom., in 4, d. 25, et Tabien., verb. *Ordo*, 4. Uterque autem oppositum dicit, D. Thom., quæst. 2, art. 1, quæst. 2, cujus verba Tabiena transcribit; et uterque excipit solum consecrationem Episcopalem; non loquuntur autem in specie de perpetuo amentibus, sed de infantibus ante usum rationis, et generatim de quolibet defectu usus rationis. Soto vero, dist. 25, q. 1, art. 2, in specie idem affirmat de perpetuo amentibus; et exceptionem de Episcopatu non admittit. Atque sententia D. Thom. est communius recepta contra Durand., de qua re latius prædicto loco.

3. *Furiosi ad tempus.* — Præter hos huc pertinent alii, qui defectum usus rationis patiuntur, licet non perpetuum, quales sunt in primis furiosi, de quibus loquitur textus in c. Maritum, dist. 33. Et est communis sententia, ut patet ex Navarr., n. 201, et Maiolo, lib. 2, c. 14; Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 5; Alvaro Pelagio, de Planct. Eccles., lib. 1, c. 48, versus finem, et Summistis ac Theologis, in 4, dist. 25. Sub furiosis autem comprehendimus omnes amentes, sive in iram et furiam provocentur, sive tantum sint stolidi, seu carentes usu rationis, nam ad Ordinis ineptitudinem perinde est. Inter hos autem varii sunt gradus. Quidam enim sunt, qui continuo, ac perseveranter patiuntur hunc defectum; et de his certum est non posse tunc licite ordinari, tum propter Ecclesiæ prohibitionem, tum etiam ex natura rei, quia non possunt consensum præbere suæ ordinationi; qui qui-

dem consensus est per se et ex natura rei valde necessarius ad ordinationem, ut res adeo gravis convenienti modo fiat, cum ordinatio semel facta, perpetuo futura sit, et non sit rationabile aliquem constitui in statu perpetuo, et non necessario ad salutem animæ, sine proprio consensu. Et præterea quia illi, sicut in tali statu inepti sunt ad usum Ordinum, ita etiam sunt illis indigni, et ideo si ad mentem non redeant, ordinandi non sunt; cum autem redierint, tunc de eorum capacitate et dignitate judicabitur.

4. *An qui semel in amentiam incidit, sanitate recuperata fiat irregularis. — Prima conclusio.* — Statim vero suboritur dubium, an is, qui semel incidit in furiam, vel amentiam, perpetuo maneat irregularis, ita ut licet sanitatem recuperet, sine dispensatione promoveri non possit. Nam in d. c. Maritum, in hoc sensu videtur ferri hæc irregularitas, ut indicant illa verba : *Neque illum, qui in furiam aliquando versus, insanivit.* Nam adverbium, *aliquando,* significat sufficere, quod semel contigerit; et præteritum, *insanivit,* indicat non satis esse sanitatem recuperasse, sed sufficere ad irregularitatem defectum illum passum esse aliquando. Respondetur, aliud esse loqui de impedimento suscipiendi Ordines, aliud utendi jam susceptis. De primo dicendum est, hanc irregularitatem perpetuo manere ad suscipiendos Ordines ob talem defectum, etiamsi judicium rationis restitutum sit. Ita sentiunt communiter auctores citati, et expresse Gratian., in § ult., 15, quæst. 1, et sufficienter probatur ex illo textu, quem supponimus esse usu receptum, aut referre antiquam legem; nam profecto auctor ejus, qui fuit auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus (quamvis Gratianus citet ex Gregorio), potestatem non habuit condendi legem. Est autem ibi sermo de irregularitate in ordine ad promotionem, ut patet ex illis verbis, *Clericum non ordinandum,* etc. Ratio vero est, quia qui semel passus est hanc ægritudinem, raro præsumitur perfecte sanus absque timore reincidendi; et ideo merito non admittitur ad Ordines, vel saltem desideratur Prælati approbatio, ut prius ei constet de sanitate integre recuperata. Hoc autem intelligendum est de amentia, quæ est, ut ita dicam, per modum habitus, et habet propriam ac permanentem causam, fundatam in propria læsione organorum vel humorum. Nam si quis ex vehementi febre amittat usum rationis, et deliret, vel etiam furiosus fiat, nullam inde contrahit irregularitatem, quia ille simpliciter non potest dici amens aut furiosus; nam (ut Aristoteles dixit) passio transiens non denominat simpliciter. Neque in hoc locum habet periculum, vel indecentia, quæ in proprio amente. Et ita habet communis usus, ut notavit Maiolus, lib. 2, c. 31, n. 5.

5. *Secunda conclusio.* — At vero in clerico jam promoto talis defectus superveniens non dejicit illum perpetuo ab usu Ordinum, sed solum quamdiu talis defectus durat. Ita docet Gratian., in dicto § ult., et Glos. ult., in d. c. Maritum, et sumitur ex Navarro, n. 203; et Sylvest., verb. *Corpore vitiati,* quæst. 8; Antonino, 3 part., tit. 28, c. 5, in fine. Et probari potest ex c. Illud, 7, quæst. 1, et melius ex c. In tuis litteris, 7, quæst. 2. Requiritur tamen, ut omnino sit sanus, et per tempus diuturnum, prudenti arbitrio æstimandum, in sanitate confirmatus. Maiolus autem supra censet necessarium, ut Episcopus judicet de sanitate recuperata; unde nullum discrimen facere videtur inter receptionem Ordinum et usum Ordinis suscepti, nam ad utramque requirit approbationem Episcopi, et eam in utroque casu sufficere arbitratur. Verumtamen probabilius est, quod Navar., et alii dicunt, ad recipiendos Ordines requiri Pontificiam dispensationem, quia est vera irregularitas, cujus dispensatio nulli conceditur Episcopo. Ad usum autem Ordinum securius quidem est postulare judicium et consensum Episcopi, quia licet in amentibus non sit forte hoc in jure expressum, tamen in epilepticis, de quibus eadem ratio est, ut dicemus, id statuitur in c. Communiter, 33 dist. Ubi etiam statuitur unius anni tempus expectandum esse ad hoc judicium, quod, ut opinor, non est in usu, sed prudenti arbitrio relinquitur. Tunc autem, si res vere ita exigat, Episcopus tenebitur suum consensum præbere, qui potius est justa declaratio, quam gratiosa dispensatio; nam hæc irregularitas non est simpliciter perpetua, sed durante causa, et ea cessante, cessat absque ulla dispensatione. Et ratio esse videtur, quia hi per ordinationem habent jus acquisitum ad usum ejus, et ideo sine culpa non amittunt illud per supervenientem causam, nisi durante illa, ut in sequentibus amplius videbimus.

6. *De epilepticis et lunaticis.* — Atque ad hunc modum loquendum est de lunaticis, et similibus, qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. Item de epilepticis, seu qui morbum caducum patiuntur, qui pro tunc

etiam usu rationis privantur; nam hi etiam irregulares sunt, et si ordinati non sunt, quamvis morbo integre liberentur, ordinari non possunt, ut patet ex tota distinctione 33, et ex eisdem auctoribus; si autem erant jam ordinati, distinguendum est quoad usum Ordinis. Nam vel frequenter patiuntur talem defectum, et tunc durante morbo non debent ministrare; vel patiuntur raro, et subdistinguendum est. Nam si aliquid tunc efficiant, quod indecentiam vel horrorem afferat, ut est ore spumare, vel quidquiam simile, omnino abstinere debent; si autem rarus sit eventus, et sine hujusmodi circumstantiis, non propterea privantur omnino ministerio sacrificandi, præsente coadjutore, qui supplere possit defectum, si contingat, et servatis tali loco et tempore, in quibus omne cesset scandalum. Quæ resolutio sumitur ex c. 1 et 2, 7, quæst. 2, et ex cap. Ille, 7, quæst. 1, et ex citatis auctoribus. Estque tota rationi consentanea; nam in ea habetur ratio decentiæ et reverentiæ sacramenti, et juris ac solatii sacerdotis, sine culpa patientis, quando sine periculo sacramenti fieri potest. Unde a fortiori constat, si hujusmodi defectus seu morbus omnino tollatur, tolli etiam impedimentum utendi Ordinibus susceptis, sicut de amentia dictum est; est enim eadem ratio, et eodem modo declaranda.

7. Denique fere idem dicendum est de arreptitiis, qui a dæmone vexantur, et tunc etiam usu rationis, et libera facultate utendi exterioribus membris privantur, nam hi etiam irregulares omnino sunt ad Ordines suscipiendos, et ad usum susceptorum, eodem modo, quo alii, de quibus diximus, et cum eadem distinctione. Nam quoad Ordines nondum susceptos est irregularitas perpetua, etiamsi semel tantum quispiam hoc passus fuerit, ut constat ex dicto cap. Maritum. Quoad usum etiam Ordinis jam suscepti aliqui existimarunt, in dæmoniaco ob specialem deformitatem irregularitatem esse perpetuam. Probabilius autem est, idem esse ferendum judicium de illis ac de cæteris, et cum eisdem omnino distinctionibus. Ita enim sumitur ex cap. Communiter, et cap. Clerici, et cap. Usque, 33 dist., et ex Glossa 1, in eodem cap. Communiter, quam sequuntur Sylvester, Navarrus, et alii supra, et Burgasius, de Irregularitate, tit. de Corpor. vitiat., num. 18. Priori vero parti hujus resolutionis obstare videtur can. 78 Apostolorum, qui sic habet: *Si quis dæmonem habet, non fiat clericus; sed neque cum fidelibus precetur; purgatus autem recipiatur, et si sit dignus, fiat.* Respondetur, vel posterioribus temporibus, existente majori numero fidelium, qui sine his incommodis possent ad hoc munus assumi, legem illam amplius restrictam esse, vel certe etiam tunc intelligendam fuisse interveniente dispensatione, quæ facile concedenda erat virtute illius canonis, interveniente dignitate personæ.

De ignorantibus, an fiant irregulares.

8. *Quæ scientia ad Ordines requiratur.* — Tertio magis proprie pertinet ad hunc defectum animæ imperitia seu ignorantia litterarum, quæ si tanta sit, ut privet scientia seu eruditione secundum canones necessaria ad aliquem Ordinem, irregularitatem censetur inducere, juxta cap. *Illiteratos*, dist. 35, *quia litteris carens* (dicitur) *sacris non potest esse aptus officiis*. Et quod illa sit propria irregularitas, patet, quia eodem modo proponitur a Gelasio Papa in illo textu, ac irregularitas ex defectu integritatis corporis. Idem habetur ex cap. ult. de Ætat. et qualit., in quo specialiter sermo est de Episcopo. In cap. autem Cum in cunctis, de Elect., dicitur: *Fortius quidem ad Episcopatum, tamen ad omnes etiam sacros Ordines litterarum scientia necessaria est.* In cap. vero ultim. de Tempor. ordin., in 6, præcipitur Episcopis, ut illiteratis primam etiam tonsuram non conferant. Quæ vero peritia ad hæc sufficiat, declaratur in Concil. Trident., sess. 23, c. 4 de Reform.; tantum enim requirit ad primam tonsuram, ut quis fidei rudimenta et legere, ac scribere sciat. In cap. vero 11, ad minores Ordines postulat, ut *saltem latinam linguam ordinandi intelligant, et quod de gradu in gradum in eis vitæ meritum, et doctrina major accrescat, et quod majoris scientiæ spes majoribus Ordinibus dignos ostendat.* In c. vero 13, ad subdiaconatum et diaconatum requirit, ut quis sit instructus in litteris, et iis, quæ ad exercendum Ordinem pertinent. In presbytero vero postulat in cap. 14, ut comprobetur idoneus ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad ministranda sacramenta. De scientia vero necessaria in Episcopo nihil aliud dicit in sess. 7, c. 1 de Reform., quam quod in dict. c. Cum in cunctis, statuitur. In sess. autem 22, cap. 2, addit, *ut ea scientia polleat, ut necessitati sui muneris possit satisfacere;* et ideo requirit, ut sit magister, Doctor, aut licentia-

tus in sacra Theologia aut in jure canonico, vel ut saltem publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; vel si regularis sit, a suis superioribus similem fidem habeat. De hac vero scientia ordinandorum ex professo dicendum est in propria materia de Ordine. Nunc solum advertendum est, hanc scientiam partim esse posse jure naturali, et divino requisitam, partim humano seu Ecclesiastico. Priori modo defectus talis scientiæ contrarius non pertinet ad irregularitatem proprie sumptam, ut constat ex dictis in principio hujus materiæ, quia omnis irregularitas impedimentum canonicum esse debet. Ex præciso autem jure naturæ solum petitur illa scientia, quæ absolute est necessaria ad legitimum usum suscepti Ordinis; nam jure naturæ, unusquisque tenetur non suscipere ministerium vel officium, quod debite præstare nesciat; quia vero is, qui ordinatur, non tenetur statim exercere Ordinem susceptum, et potest habere animum comparandi scientiam necessariam ad exercendum illum, et antea non ministrare, ideo ex sola natura rei raro potest certa et necessaria obligatio circa hoc imponi, vel certe rarissime. Quapropter maxime sunt circa hoc observandi canones Ecclesiastici; nam defectus illius scientiæ, quam ad singulos Ordines ipsi canones requirunt, inducet hanc irregularitatem ad illos suscipiendos.

9. *An impertitia impediat usum Ordinis suscepti.* — Sed quæres, an hæc irregularitas impediat etiam usum Ordinis suscepti; nam juxta generalem doctrinam superius traditam ita affirmandum videtur, quia hæc irregularitas absolute, et sine ulla limitatione ponitur. Et hæc est natura, et instititutio irregularitatis sic impositæ, ut prius impediat Ordinum susceptionem, et, si accipiantur, postea impediat eorum usum. Respondetur, hoc sine dubio verum esse, quoties illiteratus vel furtive, vel ob iniquum favorem, vel quacumque alia ratione mala fide sic ordinatur; manet enim suspensus ab Ordine, non tantum propter novam censuram contractam (de qua judicandum est juxta principia posita in propria materia), sed ex vi prioris irregularitatis, ut probat ratio facta. Nonnulla vero dubitatio esse posset, si quis bona fide Ordines accepisset, ignorans probabiliter dispensationem juris, suamque obligationem, quia simpliciter postulans Ordines a suo Prælato, nulla alia diligentia facta illum approbavit, et securum in conscientia reddidit; tunc enim cum per Ordines acquirat jus ad usum eorum, non videtur illo privandus sine culpa. Respondeo nihilominus, illum manere impeditum, donec defectum illum abjiciat; quia lex absoluta est, et excusatio illa est valde per accidens, cum hæc irregularitas non sit propter culpam, sed propter justam causam, quæ, non obstante illa excusatione, integra manet. Neque enim scientia postulatur in clerico propter receptionem Ordinis, sed maxime propter usum, et consequenter propter decentiam talis status. Quæ ratio etiam tunc perseverat, ut notum est.

10. *Quomodo auferatur hæc irregularitas.* — Tandem inquiri hoc potest de ablatione vel dispensatione hujus irregularitatis; duobus enim modis auferri potest : primo ablata ignorantia; et tunc dico, cessante causa, cessare effectum, quia per se et omnino in illa sola fundatur; quod existimo verum, non solum ut recipi possint Ordines nondum suscepti, sed etiam ut exerceri possint jam suscepti, etiamsi inique cum tali impedimento recepti sint. Quod tamen intelligendum est præcise de impedimento proveniente ex hac irregularitate ; quod ideo assero, quia si nova suspensio contracta est per indignam ordinationem, illius absolutio erit necessaria ; tamen illa obtenta, et exclusa ignorantia per sufficientem scientiam, non erit necessaria alia dispensatio in hac irregularitate ad usum Ordinis sic suscepti; quia culpa in hoc commissa non aggravat (ut sic dicam) irregularitatem in seipsa, nec mutat naturam ejus, quæ est, ut hæc irregularitas in ignorantia, quæ actu duret, fundetur. Alio ergo modo intelligi potest hæc irregularitas tolli durante ipsa ignorantia ; et hoc clarum est fieri non posse absque dispensatione, cum sit contra jus. Certum etiam est, talem dispensationem non posse per Episcopum concedi, quia nullibi datur ei talis potestas, et aliunde talis dispensatio est contra jus commune, et Pontificium. Quinimo de Summo etiam Pontifice multi existimant, non posse in hac irregularitate dispensare, quia est contra divinum jus. Quod sentit Maiolus, lib. 1, c. 32, n. 13, referens Innocentium in cap. Dilectus, de Temp. ordin.; ibi tamen non loquitur de Pontifice, sed de Episcopo; unde per argumentum ab speciali posset inferri contrarium ex mente ejus. Refert etiam Felinum in c. Inquisitioni, de Sent. excom., qui aperte ita sentit in n. 4; Innocentium, in cap. Cum nostris, de Concess. præbend.

11. Dicendum ergo est, aliquid esse hic de jure divino et naturali, aliquid vero de jure Ecclesiastico, ut explicuimus. In eo ergo, quod juris divini est, non potest Pontifex dispensare; est enim intrinsece malum, quod quis utatur munere sine scientia necessaria ad debitum usum. Quia vero non est contra jus divinum habere Ordinem non utendo illo pro aliquo tempore, in quo possit sufficiens scientia addisci, ideo non est absolute contra jus divinum ante scientiam acquisitam Ordinem recipere; in hoc ergo poterit Papa valide dispensare. Item si ex jure humano aliqua major scientia postulatur, quam ex natura rei necessaria sit, in hoc etiam poterit Papa dispensare. Item si talis defectus impedit sub aliqua pœna canonica vel censura, ut illa non incurratur, poterit dispensatio Papæ deservire. Atque hoc modo potest dispensari in hac ignorantia, quatenus rationem irregularitatis habet, nam irregularitas, ut sic, ad jus positivum pertinet. Et hoc est, quod Turrecremata sentit in cap. Si in laicis, dist. 38; sequitur Bernard. Diaz, in Practica, cap. 22, ubi Salzedo plura ex jure et Doctoribus refert, ex quibus potest hæc sententia elici, quanquam ita exposita per sese careat omni difficultate. Addit vero Navarrus, cap. 27, n. 205, Papam raro, vel nunquam dispensare in hoc defectu, nisi forte indirecte dispensando in ætate, in qua nondum potest esse acquisita scientia; arbitror tamen rarissimam etiam esse tantam dispensationem in ætate, quæ ad scientiam absolute necessariam non sit satis, etiamsi fortasse ad majorem scientiam non sufficiat.

12. Quarto nominari hic solet alia irregularitas ex defectu honestæ vitæ; verumtamen hæc coincidit cum irregularitatibus omnibus ex delicto provenientibus, de quibus jam dictum est; neque hic defectus contingit sine culpa, et ideo ad præsens non spectat.

SECTIO II.

Qui defectus corporis irregularitatem inducant.

1. Primo loco hic numerari solet sexus fœmineus : sed hic non irregularitatem, sed incapacitatem inducit; quia fœmina ita est incapax Ordinis, ut si illi conferantur, nulli sint, juxta communem sententiam Theologorum, et omnino certam, de qua latius in 4, dist. 25. Quamvis autem de fœminis hoc certum sit, quando in eo solum sexu constituuntur, si aliqua persona utrumque participet, sitque hermaphroditus, poterit ex hoc capite contrahi aliqua irregularitas. Circa quam, doctrina communis est, si persona aliqua utrumque sexum æque participet, vel magis inclinet in sexum fœmineum, non solum irregularem esse, sed etiam incapacem characteris Ordinis. Ita docent communiter Theologi, in 4, d. 25, ubi præsertim Paludanus, q. 3 ; Soto, q. 1, art. 3; Navarrus, c. 27, n. 203; Sylvester, et omnes Summistæ, verbo *Hermaphroditus;* Antonin., 3 part., tit. 28, c. 6, § 5. Et ratio esse videtur, quia talis persona non est absolute, et simpliciter vir, quia vel magis inclinat in fœminam, vel saltem neutram denominationem absolute recipit. Neque obstat, quod Jurisperiti dicunt, in eo casu optionem esse dandam hermaphrodito, cui sexui malit inservire, ut ex multis refert Tiraquellus, de Jure primigeniorum, q. 17, opinion. 1, n. 15. Id enim locum habere potest quoad civiles et externas actiones, non vero quoad capacitatem Ordinum; hæc enim non pendet ex usu unius, vel alterius sexus, neque ex voluntate habentis utrumque, sed ex naturali conditione personæ, supposita institutione, qua credimus, pro viris seu masculis esse tale sacramentum institutum. At vero si magis inclinet in sexum virilem, capax quidem est characteris, quia simpliciter censetur vir, juxta l. *Quæritur,* ff. de Statu hominum, et l. *Repetundarum,* ff. de Testibus, et c. Si testis, vers. *Hermaphroditus,* 4, q. 3. Nihilominus tamen ob indecentiam et monstrositatem est irregularis ex omnium sententia, quæ fundari potest in cap. 1, 36 dist., ubi generatim corpore vitiati irregulares fiunt. Talis autem sine dubio est corpore vitiatus, et monstrosus; et ideo absque dispensatione Papæ ordinari non potest, ut Navarrus supra notat, et sentit etiam Archidiaconus in dicto vers. *Hermaphroditus,* 4, q. 3, et ibidem Glossa, et reliqui Doctores citati.

2. *Quid si fœmina erumpat in virum.* — Atque hinc intelligitur, quid dicendum sit, si contingat fœminam erumpente natura in virum mutari; id enim aliquando accidere testis est Plinius, lib. 7, cap. 4. Nam vel illa mutatio ita fit, ut uterque sexus in tali persona maneat; et tunc juxta distinctionem in superiori propositam respondendum est. At vero si mutatio sit totalis, ita ut jam non maneat fœmineus sexus, sed tantum virilis, in eo casu credimus non solum esse capacem Ordinis, sed etiam non esse irregularem,

quia jam est tantum in sexu masculino; et quamvis extraordinario, et (ut ita dicam) monstroso modo ad illum perveniat, tamen jam in tali termino constitutus monstrosus non est, nec corpore vitiatus, neque ex priori mutatione aliquam indecentiam, vel maculam contraxit; unde nulla apparet irregularitas in jure expressa, quæ hunc comprehendat. Atque in eo casu posset verum habere opinio Burgasii, de Irregular., part. 5, tit. de Corpore vitiat., num. 22, Socini, in cap. Sententiam sanguinis, Ne clerici vel voventes, dicentium, hermaphroditum, qui transit, vel inclinat in masculinum, non esse irregularem; si enim hoc sentiant, durante adhuc utroque sexu, falsum dicunt, ut ostendimus; ergo ut illud dictum in aliquo sensu verum habeat, oportet, ut sexus fœmineus omnino extinctus sit, et in masculinum commutatus.

3. *Defectus ætatis.* — Secundo numeratur hoc loco irregularitas ex defectu ætatis. Disponunt enim sacri canones, ut nullus usque ad certam ætatem ordinari possit, ut supra tractando de suspensionibus breviter attigimus. Defectus ergo ætatis requisitæ secundum canones ad aliquem Ordinem est quædam irregularitas, quia est impedimentum canonicum impediens Ordinis susceptionem, et usum, ut colligitur ex Clement. ult. de Ætat. et qualit., ibi: *Alio non obstante impedimento canonico,* et ex multis aliis decretis, 77 dist., et est communis resolutio Theologorum, 4, d. 25; Jurisperitorum circa jura citata, et in cap. Vel non est compos, de Temp. ordin.; Covarruviæ, in Clement. *Si furiosus,* § 1, n. 4; Maioli, lib. 1, c. 30; neque obstat, si quis objiciat, irregularitatem debere esse impedimentum perpetuum, hunc autem defectum ætatis temporalem esse; dicendum est enim non esse de ratione irregularitatis, ut absolute perpetua sit, sed solum, ut durante causa ejus, semper insit; non tamen repugnat, quod talis causa vel per alia remedia vel solo tractu temporis auferri possit.

4. *An ordinatus ante legitimam ætatem fiat irregularis exercendo Ordines.* — Hic autem dubitari solet, an ordinatus ante legitimam ætatem, exercendo actus Ordinis ante completam ætatem, novam irregularitatem incurrat. Quod late tractat Covarruv. citato loco referens opiniones et auctores. Nobis vero quæstio illa necessaria non est; supponit enim aliam, an per talem ordinationem nova censura suspensionis sit contracta, necne. Si enim ipso facto non incurreretur nova suspensio (ut antiquo jure), nec nova etiam irregularitas contraheretur. At vero supposito jure Pie II, ex vi cujus talis suspensio incurritur, consequens est, ut exercendo Ordinem ante ætatem legitimam nova irregularitas contrahatur, ut supra dixi. In eo vero casu obtenta suspensionis absolutione, et dispensatione irregularitatis contractæ ob crimen celebrandi, si jam ætas legitima completa est, libere poterit quis in suscepto Ordine ministrare. Et simili modo si quis ante legitimam ætatem celebravit, post illam impletam absolutus a suspensione poterit libere ministrare; sicut antea, quando illa suspensio ipso facto non incurrebatur, cum sola pœnitentia peccati commissi in præmatura ordinatione poterat ministrare. Quia hæc irregularitas per complementum ætatis purgatur, et non fit magis indelebilis (ut sic dicam), propter peccatum in accipiendo Ordine commissum, si alia censura, vel novum impedimentum canonicum additum non est, vel non perdurat.

5. *An fiat quis irregularis ob nimiam ætatem.* — Quæret vero tandem aliquis, an possit hæc irregularitas contrahi per nimiam, et decrepitam ætatem. Respondetur, si præcise, ac formaliter in ratione ætatis sistamus, nullum augmentum, vel antiquitatem ejus irregularitatem inducere; nullus enim circa hoc terminus per canones præfixus est. Et merito, nam senilis ætas per se aptior est ad sacros Ordines, ut significat Anacletus Papa, epist. 2, et refertur in c. ult., 84 dist., et Siricius Papa, in c. Quicumque, 77 dist., quia illa ætas maturior est, et ad prudentiam, castitatem, et religionem aptior. Dixi autem *præcise, ac formaliter sistendo in ratione ætatis,* quia si tanta sit senectus, ut declinet in morbum, seu illi æquivaleat quoad impedienda organa, vel impediendas vires necessarias ad ministerium Ordinum, sic quidem non minus inducet irregularitatem, quam morbus perpetuus, de quo infra dicetur. Imo jam hæc non irregularitas tantum, sed incapacitas quædam censeri potest, non quidem ut ordinatio talis personæ, si fiat, invalida sit (nam revera tenebit, et imprimet characterem, quia capacitas absoluta semper manet in homine, quantumvis impeditus sit), sed quia est illicita talis ordinatio, non tam ex prohibitione Ecclesiæ, quam ex natura rei, eo quod per eam quispiam assumatur ad id, ad quod est prorsus ineptus. Ideoque illud impedimentum non videtur proprie canonicum, neque in eo potest Pontifex dispensare, si ineptitudo duret, et jam

perpetua censeatur, utpote ex senectute proveniens. Et hoc sensu intelligendum censeo, quod dixit Glossa 2, in cap. 1, 85 dist., senectutem impedire promovendum, non tamen dejicere promotum. Nam postquam aliquis ordinatus est, licet præ nimia senectute non possit commode ministrare, permittitur, ut cum aliquo adjutorio, vel commoditate quasi dispensatoria possit ministrare, argumento c. Illud, et c. Petiisti, cum aliis, 7, q. 1, et c. Litteras, de Renunciat., et faciunt dicta in simili in sect. præced.

De his, qui seipsos mutilant.

6. Tertio inducitur hæc irregularitas per vitium corporis consistens in alicujus membri mutilatione impedientis usum Ordinum, vel inducentis gravem deformitatem, ac proinde indecentiam. Hæc est communis sententia, et multis juribus fundata, quæ videri possunt, dist. 55, et in tit. de Corpore vitiat., et tit. de Cleric. ægrot. minist. Quanquam vero res hæc late a Doctoribus tractari soleat, quia tamen magna ex parte reducitur ad prudens arbitrium, ideo paucis principiis illam comprehendam. Primum ergo advertendum est, aliud esse passive tantum carere aliqua parte corporis, vel a nativitate, vel hominum injuria, vel alio casu contingente; aliud vero esse, active seipsum voluntarie mutilare, vel aliquam sui corporis partem abscindere; in utroque ergo casu potest incurri irregularitas. Verum posterior magis incurritur propter culpam activæ abscissionis, quam propter carentiam membri, quamvis utrumque consideretur. Quando ergo vitium hoc seu defectus corporis provenit ex hac causa, scilicet, propria voluntate, et culpa se mutilandi, est generalis regula, sive antecedat, sive sequatur ordinationem, sive abscissio sit alicujus membri principalis, sive partis ejus, sive notabiliter impediat, aut deformet, sive non, irregularem inducere, dummodo tanta sit mutilatio, quæ per se et seclusa inadvertentia sine peccato mortali fieri non possit. Ita colligitur ex cap. Qui partem, dist. 55, dum ait, illum esse irregularem, qui partem cujuslibet digiti sibi abscindit, cum tamen carentia illius partis alias contingens non inducat irregularitatem, ut ibidem dicitur. Et ratio est, quia *in eo non consideratur tantum defectus ex abscissione relictus, sed voluntas est judicata, quæ sibi ausa est ferrum injicere,* ut ibidem subjungitur. Atque hoc manifestum est, quando aliquis directe, et per indignationem, atque iram, talem partem sibi abscidit.

7. Secus vero esse videtur, si contingat partem illam ab alio ascindi, non sine culpa ejus, qui patitur; nam ipse non cooperatur directe ad abscissionem, sed omnino ab alio fit, non videtur incurri hæc irregularitas, juxta cap. 1 de Corpore vitiat., ubi quidam, qui in duello voluntario partem digiti amisit, quæ celebrationem non impediebat, non censetur irregularis. Et confirmatur, quia tunc cessat ratio dicti cap. Qui partem, quia longe atrocior culpa est in seipsum ferrum sumere, quam pugnare cum aliquo cum hoc periculo. Atque ita sentit Navarrus, cap. 27, num. 198, citans Cardinalem. In contrarium vero ponderari potest dictum cap. 1 de Corpore vitiat., quia in eo casu non simpliciter, sed ex dispensatione permittitur clericus ministrare in suo Ordine, ut patet ex illis verbis : *Poteris cum eo misericorditer agere et permittere.* Quæ ita intelligunt Panormitanus, et alii. Respondetur cum Navarro supra, ibi dispensationem non fuisse necessariam propter vitium corporis, sed propter gravem culpam a presbytero commissam, sponte ingrediendo duellum. Quod illa verba textus significant : *Licet ejus excessus gravis admodum extitisset.* Potest autem illa misericordia intelligi, vel per anticipationem (ut sic dicam), vel propriam dispensationem. Forte enim ille clericus per illud delictum non incurrit suspensionem ipso facto, erat tamen dignus illa, per judicem inferenda; satis ergo misericorditer cum eo agitur, dum pœna illa non imponitur, sed permittitur ministrare, et hanc voco anticipatam dispensationem. Vel potest intelligi delictum fuisse publicum, et scandalosum, infamiamque induxisse, ac proinde suspensionem, cujus dispensatio necessaria erat, quæ ibi committitur Episcopo; nam dispensatio in irregularitate ob defectum membri non est in jure commissa Episcopo.

8. Addendum vero ulterius est, quamvis aliquis non directe seipsum mutilet, sed ab alio, si tamen sua culpa mutiletur, et abscissio sit alicujus membri principalis, semper inducere irregularitatem, etiamsi membrum illud sit occultum, et non impediat usum Ordinis, nec afferat aliquam deformitatem, quæ scandalum, vel indecentiam in usu Ordinis inducat. Ita Navarrus, dict. num. 198, citans Hostiensem, Joannem Andream, et communem sententiam. Exempla

sunt, si aliquis in pœnam delicti jussu judicis eunuchus fiat; idem si inventus cum adultera a marito idem per injuriam patiatur, aut si injuste aggrediens alium, ab ipso mutiletur, etc. Quæ sententia fundari potest in cap. Ex parte, de Corpore vitiat., ibi : *Qui seipsos sani absciderint, vel affectaverint, ut ab aliis abscindantur.* Nam in his irregularitatibus indirecta voluntas, seu voluntarie exponere se tali periculo, æquiparatur directo affectui. Quæ sententia securior quidem est, utpote communius recepta; tamen si jura in rigore inspiciantur, omnia loquuntur de propria culpa seipsum abscindendi, aut mutilandi ex indignatione, aut ex aliquo indiscreto zelo, ut videre licet in cap. Si quis, 1, 2 et 3, et cap. Hi qui, 55 dist., et cap. Maritum, 33 dist., et in can. 22 et 23 Apostolorum. Hoc autem vitium plane requirere videtur propriam voluntatem, quam etiam indicat dictum cap. Ex parte, in verbis illis, *vel affectaverint;* nemo enim dicet, eum, qui cum adultera peccat, affectare, ut a marito abscindatur. Denique in dicto cap. Qui partem, hoc significant illa verba, *In illis voluntas est judicata, quæ sibi ipsi ausa fuit,* etc., indicat enim specialem quamdam audaciam et ferocitatem in seipsum, quæ non reperitur in sola indirecta voluntate exponendi se periculo id patiendi ab alio. Sicut in aliis juribus ferentibus censuras contra eos, qui præsumunt, aut temere faciunt, etc., expendimus illa verba, ut inde colligamus non sufficere indirectam voluntatem per ignorantiam, etc., ad incurrendas illas censuras; ita ergo videtur in præsenti dicendum, servata proportione. Hæ igitur conjecturæ probabiliter suadent in his casibus non incurri irregularitatem ex hoc speciali capite abscindendi, vel mutilandi se; nihilominus ex generali ratione mutilandi, vel existendi causam mutilationis alicujus, non videtur posse excusari irregularitas. Nam si esset simili modo causa talis mutilationis in alio, esset irregularis : ergo et in seipso. Et ita tunc habet locum differentia insinuata; nam, quando aliquis in seipsum temerarias manus injicit, non solum non consideratur deformitas, aut impossibilitas ad ministrandum, verum etiam neque perfecta membri mutilatio necessaria est, ut jam declaravi. At vero quando irregularitas provenit ex alio modo culpæ, necessarium est, ut mutilatio sit perfecta, qualis supra tractando de homicidio declarata est.

De his, qui alios membrorum defectus patiuntur.

9. Omissa ergo culpa mutilationis, vel abscissionis activæ, circa passivam mutilationem, seu defectum alicujus membri corporis, qui ex se abstrahit a culpa, ulterius distinguendum est; aut enim agimus de illo, qui nondum ordinatus est, respectu Ordinis suscipiendi, vel de clerico jam ordinato respectu usus Ordinis jam suscepti. Rursus distinguendum est de qualitate defectus; aut enim talis est, ut impediat usum Ordinis, ne secure, et sine periculo fieri possit, vel saltem tantam afferat deformitatem, ut sine scandalo, et indecentia non possit sacrum ministerium exercere, vel neutrum ex his incommodis affert.

10. *Prima conclusio.* — Primo ergo dicendum est : quoties mutilatio non habet adjunctum aliquod ex dictis impedimentis, per se, ac seclusa culpa, non inducit irregularitatem. Ita docent omnes Doctores, Summistæ, verb. *Irregularitas,* et verb. *Corpore vitiat.,* Navarrus, n. 199; Covarruvias, in Clement. *Si furiosus,* part. 1, § 1, num. 5, qui alios referunt, et colligitur ex citatis capitulis, dist. 55, et dicto canone 22 Apostolorum, in quibus dicitur, eunuchos factos sine propria culpa non esse irregulares; eadem enim ratio est de quolibet alio simili defectu cujuslibet partis. Item ex cap. 1 et ult. de Corpore vitiat., in quibus defectus non impedientes usum Ordinum, nec afferentes gravem deformitatem, non censentur inducere irregularitatem. Idem expresse in cap. Qui partem, et cap. Si quis infirmitate, et cap. Lator, et cap. Præcepta, dist. 55. Ratio vero est, quia sine causa, vel culpa non imponitur irregularitas; hic autem non est culpa, ut supponimus, neque etiam causa, quia hæc respicere debet usum Ordinum; si ergo ad talem usum neque est indecentia, neque obstaculum, cessat omnis causa imponendi irregularitatem.

11. Secundo dicendum est : quando defectus membri gravem atque indecentem deformitatem affert, vel impedit usum Ordinis, inducit irregularitatem simpliciter in laico, ne Ordines suscipere possit, vel in clerico, ne ascendere possit ad Ordinem nondum susceptum. Hoc etiam est certum et commune, et habetur ex cap. ult., dist. 55, ubi defectus oculi dicitur inducere irregularitatem in diacono ad sacerdotium absolute, et sine exceptione; qui defectus non impedit absolute

sacrum ministerium; sed tamen propter deformitatem statuerunt canones, ut irregularitatem induceret. Neque ad hoc oportet distinguere de sinistro aut dextro oculo; nam licet hoc possit conferre, ut sit facilior, vel difficilior dispensatio, non tamen refert, quominus in utroque casu inducatur irregularitas, quia canones in hoc nihil distinxerunt, et ideo nec distinguendi licentiam nobis reliquerunt, et in dict. cap. insinuatur, et ibi Gloss. notavit. Et juxta hoc exemplum judicandum est de reliquis defectibus membrorum inducentibus solam deformitatem.

12. *Corollarium.* — Evidentior autem est necessitas, quando inducit impossibilitatem, ut est defectus alterius manus, de quo in cap. Exposuisti, de Corpore vitiat., ubi Gloss. advertit, idem esse si desit digitus, ad fractionem hostiæ, v. gr., necessarius; et sumitur ex cap. ultim., eodem titulo, ibi, *Si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens;* si ergo esset impotens, irregularis esset. Ex quo obiter colligitur, non solum mutilationem membri, sed etiam abscissionem partis ejus, vel etiam solam debilitationem membri, si hoc impedimentum ministrandi afferat, eamdem inducere irregularitatem, quia hæc non fundatur formaliter (ut sic dicam) in carentia membri, sed prædicto impedimento, ut ex dict. cap. constat, et ex cap. Presbyter, de Cleric. ægrot., ibi.: *Quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus.* Ibi enim duæ illæ rationes afferuntur, quia in eo casu concurrebant, non quia ambæ simul necessariæ sint; quælibet enim earum per se sufficit. Quin potius hæc ratio impedimenti adeo est intrinseca et necessaria, ut videatur esse potius ex naturali lege, quam canonica, et ideo non pertinere proprie ad irregularitates. Nihilominus tamen est propria irregularitas, primo, quia non solum impedit, quando est manifesta impossibilitas, sed etiam quando est tanta debilitas, ut possit esse morale periculum in debito usu. Secundo, quia impotentia unius, vel alterius usus non ita reddit personam incapacem ex sola rei natura, ut nec valide, nec licite Ordo recipi possit; nam idem Ordo potest habere plures actus, et defectus membri potest impedire unum et non alium, unde, seclusa irregularitate, posset Ordo accipi saltem propter alterum actum. At vero talis est hæc irregularitas, quando antecedit Ordinum susceptionem, ut omnino impediat receptionem Ordinis, etiamsi defectus unum tantum ejus actum principalem impediat, ut constat ex prædictis juribus et ex auctoribus citatis, et in sequenti assertione amplius declarabitur.

13. *Tertia conclusio.* — Tertio dicendum est: quando talis defectus supervenit ordinationi sine culpa, ad illum tantum usum Ordinis irregularitatem inducit, qui sine scandalo, vel periculo exerceri non potest. Ita docent citati auctores, et Innocent., Panorm., et alii in cap. 1 de Corpore vitiat., et in c. 2 de Cleric. ægrot., ex quo textu manifeste probatur, ibi: *Ipsum autem cæteris sacerdotalibus Officiis fungi minime prohibemus.* Inde enim constat sacerdotem, cui manus, v. gr., sine culpa abscissa est, licet celebrare non possit, posse confessiones audire, quia ad hoc ministerium non est necessaria manus, quanquam si ille defectus antecessisset, nullo modo posset ordinari. Idem est circa defectum cæcitatis; nam antecedens omnino impedit sacerdotium, cap. 1, 49 dist., et clarius in can. 76 Apostolo, ubi de cæco, et surdo idem dicitur, ut notat Maiol., lib. 1, cap. 29. In quam sententiam inclinat Navarr., cons. 6 et 7 de Corpore vitiat., quamvis oppositum censeat probabile, quia non putat esse in jure expressum; sed certe in eo canone expressum est, et quamvis ibi sit sermo de Episcopo, tamen sub illo comprehenditur presbyter, juxta modum loquendi Pauli, 1 ad Timoth., eo tempore usitatum. At vero cæcitas superveniens sacerdoti, impediet quidem celebrationem, non vero absolutionem a peccatis, et e contrario surditas moraliter impediet ministerium confessionis (loquitur enim de omnino surdo, non de surdastro), non tamen impediet ministerium celebrandi, quia non est simpliciter necessarium, ut sacerdos audiat ministrum respondere; satis enim est, quod moraliter sit certus illum respondere, quod signis etiam et oculis potest aliquo modo percipere. Unde etiam fit, posse sacerdotem impeditum dicto modo ad celebrandum, in diaconatu, vel subdiaconatu solemniter ministrare, tum a paritate rationis, vel etiam a fortiori, tum etiam quia hæc omnia comprehenduntur sub officiis sacerdotalibus. Et ad hoc etiam citari solet cap. Significavit, de Corpore vitiat. Sed in casu illius textus irregularitas revera fuit contracta ex culpa se abscindendi; et ideo ab usu omnium Ordinum impediebat. Concedit autem Pontifex Episcopo potestatem dispensandi in usu sacerdotalis officii absque altaris ministerio. Inde vero sumitur argumentum a

fortiori, quando irregularitas est in causa inculpabili, non impedire sacerdotem ab usu inferiorum Ordinum, si alias decenter, et sufficienter fieri possit. Quæ omnia communiter recepta sunt; neque ullam habent difficultatem, nisi in explicando, quando et quomodo judicandum sit defectum membri sufficienter impedire, vel ratione scandali, vel ratione impossibilitatis; sed hoc magis potest ipso facto et usu perpendi, quum aliqua certa regula, ut dixit Glossa in cap. Presbyterum, de Cleric. ægrot., argument. text. in cap. Apostolicæ, de Donat. Est ergo necessarium prudens arbitrium juxta ea, quæ in puncto sequenti dicemus.

14. *De irregularitate ex notabili deformitate corporis.* — Quarto contrahitur hæc irregularitas ex qualibet notabili deformitate corporis, aut membrorum ejus, licet sit sine mutilatione membri, aut partis ejus, vel sine ulla ægritudine, aut proprio morbo. Hæc est etiam communis resolutio cum D. Thom., in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 2, quæst. 4, quæ sumitur ex cap. 1 et ult. de Corpore vitiat., per argumentum a contrario; directe vero ex cap. 2 ejusdem tituli, ubi committitur Episcopo cum consilio suffraganeorum judicium vel dispensatio in irregularitate orta ex oculi macula, quod non poterat esse nisi ratione deformitatis, quia agebatur de quadam electione ad Episcopatum, cujus administrationi non poterat macula impedimentum afferre, sed deformitatem. Et additur ibi, concessionem factam esse *ex maxima dispensatione,* quo indicatur, talem maculam, si deformitatem causet, magnam inducere irregularitatem, et non committi alteri, nisi ex dispensatione Pontificis. Idem colligitur ex decretis, dist. 25.

15. *Casus resolvitur.* — Hinc est etiam communis resolutio, eum, qui caret virtute videndi in solo oculo dextro, si nec oculo caret, nec exterius apparet deformitas, non esse irregularem; si autem simili modo careat videndi virtute in sinistro, esse irregularem, quia licet absolute non reddat faciem deformem, facit tamen, ut ipse actus celebrandi seu legendi canonem cum quadam deformitate fiat; propter quod oculus sinister oculus canonis vocari solet Romano stilo. Ita Navarr., cap. 27, num. 190; et Burgas., 5 de Irregul., tit. de Corpore vitiat., num. 4; Sylvest. vero, verb. *Corpore vitiatus,* num. 5, ait, cæcum tantum ex uno oculo esse irregularem, referens Archid. ex cap. Si Evangelica, dist. 55, qui textus loquitur de eo, qui caret oculo, de quo etiam loquitur Gloss., in cap. 2 de Verb. significat., in 6, potest autem quis esse cæcus ex uno oculo, et non carere illo; et tunc non semper est irregularis, sed cum prædicta distinctione. Imo addit Navarrus, si quis carens visiva virtute in oculo sinistro, tanta polleat virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere canonem, non esse irregularem, quia cessat fundamentum irregularitatis. Quod certissimum est, quando talis defectus subvenit post ordinationem; quando vero antecedit, est etiam practice probabilis sententia, quamvis tunc maturiori judicio, et prudentia animadvertere oportet, ut virtus alterius oculi, et firma sit, et sufficiens ad illam deformitatem tollendam in lectione canonis.

16. Et per hæc judicandum est de cæteris deformitatibus faciei, membrorum aut sensuum; de quibus in particulari dicere esset inutile, cum in particulari hoc semper pendeat ex prudenti arbitrio; videri tamen possunt, quæ late prosequitur Maiol., lib. 1, a cap. 13, ad 26. Solum potest quæri, ad quem pertineat hoc arbitrium. Et communis resolutio est pertinere ad Episcopum, argument. cap. 2 de Corpore vitiat., ubi id notant Doctores. Est autem considerandum ibi committi similem causam Archiepiscopo cum consilio suffraganeorum. Sed hoc ideo fuisse videtur, quia agebatur de electione ad Episcopatum, quæ ad Papam, vel ex commissione ad Archiepiscopum spectat. Inde tamen cum proportione colligimus, judicium hoc pertinere ad Prælatum, qui vel Ordines confert, ut volunt Sylvest. et Navarr. supra, vel saltem dimissorias litteras concedere potest ad Ordines recipiendos, ut voluit Angel., verb. *Corp. vitiat.,* num. 5. Quod licet Sylvester rejiciat ex congruentia philosophica, mihi placet, quia talis Prælatus habet jurisdictionem Episcopi, ad quam magis hoc pertinet, quam ad characterem. Verum est semper esse liberum Episcopo, qui daturus est Ordines, admittere vel rejicere tale arbitrium.

De irregularitate proveniente ex morbo corporis.

17. Quinto potest hæc irregularitas oriri ex morbo corporis, qui licet non deformet illud, nec mutilet, infert tamen debilitatem virium, aut gravem deformitatem perpetuam et mo-

raliter incurabilem in usu Ordinum. Hæc etiam regula communis est Doctorum, ut videre licet in Maiolo, lib. 2, cap. 18 et 19; Navarro, num. 199 et 200; Covarr., in Clementin. *Si furiosus*, part. 1, in princip. n. 5. Et sumitur ex D. Thom., 3 part., quæst. 82, art. ultim., et ex cap. ultim., dist. 85, et ex aliis juribus citatis, de Corpore vitiatis, et de Cleric. ægrot., et dist. 55. Et ratio etiam est eadem. Nam fundamentum hujus irregularitatis est, vel deformitas, vel debilitas; quod ergo hæc proveniant ex defectu membri, vel ex defectu salutis, vel alia simili causa, non variat rationem irregularitatis. Postulatur autem, ut talis morbus incurabilis censeatur, quia non quælibet infirmitas statim facit hominem irregularem, quia hoc nullo jure fundatur; nam infirmitas, quæ curari potest, simpliciter non vocatur in jure vitium corporis, ut explicatur in l. Inter stuprum, ff. de Verb. signific. Nec propter ægritudinem absolute fertur alicubi irregularitas, sed solum propter deformitatem vel impedimentum perpetuum. Verum quidem est, actualem infirmitatem afferre actuale impedimentum quamdiu durat; est tamen potius facti quam juris, nisi actu inducat deformitatem vel periculum in usu Ordinis; nam pro tunc jam erit impedimentum canonicum, quamdiu duraverit.

18. Reliqua de hujusmodi morbo eodem modo expedienda sunt, quo de cæteris dictum est. Nam quando hic defectus antecedit ordinationem, omnino impedit illam, si totale afferat impedimentum et non per intervalla temporum, ut latius Maiol., lib. 2, cap. 22. Quando vero subsequitur, impedit usum, non omnino, sed quantum ad actum repugnantem tali morbo. Quod intelligo hic esse verum, etiamsi morbus propria culpa contractus sit, in quo differt a mutilatione, quia de hoc nihil est in jure expressum, sicut de causa mutilationis. Idem fere est cum proportione dicendum de tali irregularitate in ordine ad beneficia. Nam sic ægrotus est irregularis ad beneficium curatum de novo suscipiendum; ad simplex enim non ita, si jam sit clericus, ut inde sustentetur. At vero si ægritudo supervenit post beneficium obtentum, non privat illo, ut colligitur ex cap. ult. de Cleric. ægrot., et cap. De rectoribus, eodem titulo. Neque oppositum dicitur in cap. Tua, eodem titulo, quidquid ibi Glossa dicat, et 7, q. 1, in princip.; removetur enim ab actuali ministerio, non autem privatur beneficio. Denique, quando dubium fuerit de qualitate morbi, judicium erit penes Episcopum, juxta supra dicta, non autem dispensatio, si semel irregularitas supponatur; hæc enim ad solum Papam spectat jure communi, ut est communior opinio Innocentii et aliorum, quos referunt et sequuntur Navarrus et Covarruvias supra, et generaliter verum habet de tota hac irregularitate, quæ ex aliquo vitio corporis contrahitur.

SECTIO III.

An ex defectibus bonorum temporalium contrahatur aliqua irregularitas.

1. *De irregularitate ex servitute proveniente.*—Inter hæc bona primo loco numerari posset fama; sed quia vera infamia ex delicto nascitur, ideo irregularitas illa cum irregularitatibus ex delicto supra conjuncta fuit. Primum ergo bonum, quod hic considerandum occurrit, est libertas, quatenus servituti opponitur, juxta illud ad Gal. 4 : *Jam non sumus ancillæ filii, sed liberæ;* et 1 ad Cor. 13 : *Sive servi sive liberi.* Defectus ergo hujus boni servitus appellatur et irregularitatem inducit, ex multis decretis, dist. 54, a princ., et ex toto titulo de Servis non ordinandis, et habetur in Auth. Si servus, cap. de Episcop. et cleric. Tradunt Theologi, in 4, d. 25; ibi D. Thom., quæst. 2, art. 2, quæst. 1; Richard., Palud., et reliqui; Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 6; Sylvester et alii Summist., verb. *Servus*, et verb. *Irregularitas;* Navarr., c. 27, n. 204; Maiol., lib. 1, c. 35; Salzed., in Pract., c. 19, et alii. Congruentia redditur a D. Thom., quia per ordinationem quis mancipatur Ecclesiasticis ministeriis; sed servus non potest hoc modo seipsum mancipare; ergo non potest ordinari. Minor patet, quia nemo potest dare alteri, quod suum non est; at servus non est suus, nec dominus suorum operum : ergo, etc. Quæ ratio insinuata est a Leone I, epist. 1, in c. 1, dist. 54, dicente : *Debet esse immunis ab aliis, qui divinæ militiæ est aggregandus, ut a castris dominicis, quibus nomen ejus scribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.*

2. In qua ratione animadvertere licet, sacros canones non considerasse in servo ignobilitatem illam, quæ esse videtur in vili conditione servi, ut ratione illius hanc irregularitatem imponerent, quamvis possent illam considerare. Nam D. Thom. supra dixit, q. 3 et 4, in homine ordinando requiritur ex quadam decentia claritas quædam propter eminentiam illius status; huic autem claritati

non minus videtur repugnare servitus, quam illegitima origo, vel infamia et similia. Nihilominus canones nullam hujus rei rationem habuisse videntur, quia illa conditio, licet vilis appareat, omnino pertinet ad bona vel mala fortunæ, et nullam connexionem habet cum pravis moribus, sicut habet infamia aut defectus natalium. Et ideo per se non censetur afferre indecentiam sacris Ordinibus, si impedimentum non afferat. Hoc ergo solum decreta considerarunt, et ex una parte rationem justitiæ respectu domini, et ex alia religionis causam in ministeriis sacris observari voluerunt. Quæ omnia confirmat optime can. 81 Apostolorum, dicens : *Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum non permittimus ad eorum, qui possident, molestiam, domorum enim eversionem talia efficiunt; si quando autem dignus servus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, et domini concesserint, ac liberaverint, et domibus emiserint, fiat.* De quo Onesimo dixit Paulus, epist. ad Philem.: *Ut illum reciperes, jam non servum, sed pro servo charissimum fratrem.*

3. *Servitus non inducit irregularitatem nisi quamdiu durat.* — Atque hinc colligitur, servitutem non inducere irregularitatem absolute perpetuam, sed quamdiu durat et dominus non consentit. Hoc aperte constat ex citato canone et ex aliis decretis. Quocirca, quacumque ratione servus redimatur et a servitute liberetur, desinit esse irregularis absque alia dispensatione, quia ablatum est fundamentum hujus irregularitatis, et ex sola præcedenti servitute non relinquitur macula vel indecentia moralis, quæ a lege considerata sit ad irregularitatem inducendam. Dico autem, *ex sola servitute,* quia illam præcise nunc consideramus; solet autem cum illa conjungi recens conversio ad fidem, ex qua nascitur alia neophytorum irregularitas jam tractata, quæ manebit etiam ablata servitute. Rursus durante servitute, potest servus ordinari de licentia et voluntate domini, ut constat ex citatis textibus et docent dicti auctores; per talem autem ordinationem manebit ordinatus a servitute liber, ut iidem auctores docent.

4. *Quid si servus ordinetur et postea manumittatur.* — Circa hoc autem dubitari potest, an oporteat manumissionem antecedere ordinationem, vel sufficiat per ordinationem ipso facto fieri. Nam dict. canon. Apostolorum postulare videtur, ut antecedat; et clarius c. Nulli, d. 54 : *Nisi prius,* inquit, *a propriis dominis legitimam libertatem consequantur, cujus libertatis charta in ambone publice legatur,* et eodem modo loquuntur alia jura, de Servis non ordinandis. Imo additur in c. Quicumque, d. 54, ex Concilio Toletano IV, cap. 72, alias 73, necessarium esse, ut talis manumissio absoluta præcedat, id est, non retento obsequio a dominis; *nam qui adhuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Ecclesiasticum Ordinem promovendi.* Per quæ verba explicantur illa duo canonis Apostolorum, *liberaverint, domibus emiserint.* In contrarium vero est, quia alia jura et communiter auctores dicunt, si servus ordinetur de licentia domini, manere liberum; ergo necesse non est, ut manumissio antecedat. Alioqui sequeretur, facta prius manumissione, quamvis postea non sequeretur ordinatio, servum manere liberum, quod esset in fraudem domini. Respondeo, quæstionem non esse magni momenti. Ut enim res licite et legitime fiat, necesse est, ut expressa manumissio aliquo modo antecedat, quia ita jura disponunt, et ad tollendas fraudes et lites ita expedit. Non oportet autem, ut illa manumissio sit absoluta, ita ut effectum habeat ante ordinationem, sed conditionata, ita ut in ipsa ordinatione suum incipiat habere effectum. Et ita utrumque verum est, et manumissionem debere antecedere, et libertatem per Ordinem ipso facto comparari.

5. Ulterius vero addendum est, ad consequendam libertatem per ordinationem sufficere qualemcumque licentiam domini, etiam tacitam. Quod docent citati auctores et est satis expressum, dist. 64, in cap. *Si servus sciente et non contradicente domino, in clerum fuit ordinatus, ex hoc ipso, quod constitutus est liber, et ingenuus erit.* Ex quibus verbis facile explicatur aliud, quod hic interrogari poterat, de qua, scilicet, ordinatione hoc intelligendum sit, an de sacra, vel quælibet minor sufficiat. Dicendum est enim, quamlibet sufficere, etiam primam tonsuram; hanc enim vim habent illa verba : *In clerum fuerit ordinatus seu constitutus,* ut statim declaratur; nam per primam tonsuram unusquisque in clero constituitur. Et ratio est, quia ex tunc talis persona dicatur et consecratur divinis obsequiis, et ideo accedente voluntate domini, jus vel interpretatur, vel efficit, ut per eam libertas concedatur, quia res Deo dicata non debet humanis servitiis manere mancipata, juxta reg. *Semel,* de Regul. jur., in 6.

6. *An manumissio debeat esse omnino libera.*

— Occurrit autem ulterius inquirendum, an oporteat hanc manumissionem esse liberam omnino, ut insinuatur in dict. c. Quicumque, vel sufficiat facta sub onere alicujus servitii, vel officii domino impendendi. Sunt enim in hoc diversæ opiniones, ut refert Turrecrem. ibi. Nam quidam propter illum textum putant necessariam esse manumissionem ita absolutam, ut non possit dominus sibi reservare aliquod obsequium, vel spirituale, vel corporale, vel positivum faciendi hoc aut illud, vel negativum non faciendi, v. gr., non accusandi, non damnificandi ipsum dominum, etc. Alii vero putant posse dominum reservare obsequium saltem spirituale, et corporale negativum, id est, manumittere servum sub ea conditione, ut post ordinationem obligatus maneat, vel ad cantandum, vel ministrandum in sua capella, vel ad non inferendum sibi aliquod nocumentum, vel aliquid simile. Hoc enim videtur supponi clare in cap. Nullus, de Servis non ordin., ubi dicitur, *Si quis servum suum libertate donatum, fecerit presbyterum ordinari, et ille postea in superbiam elatus, domino suo canonicas horas psallere noluerit, apud Episcopum accusatum degradari debere.* Quod profecto non præciperetur propter solam ingratitudinem; supponitur ergo casus, in quo ex justitia talis obligatio maneat. Unde Glossa et ibi Doctores ex eo textu colligunt, posse dominum imponere spirituales operas servo, quem ad Ordines manumittit. Imo multi etiam addunt, quamvis hæc conditio non exprimatur, ex ipsa declaratione juris subintelligi et relinqui hanc obligationem saltem ad spirituales operas. Hac tamen interveniente differentia, quod quando deducitur in pactum, potest illa etiam pœnalis conditio adjungi, ut si obligationem non impleverit, post degradationem in servitutem redigatur; si autem hoc non sit in pactum deductum, licet puniri possit propter ingratitudinem, non tamen in servitutem reduci. Ita fere Panorm. ibi.

7. *Secunda opinio.*—Alii distinctione utuntur inter servos Ecclesiæ et privatarum personarum; nam priores etiamsi manumittantur et ordinentur, obligati manent ipso jure ad honesta Ecclesiæ servitia, non solum spiritualia, sed etiam circa alia negotia, quæ clericum non dedecent; quæ si facere renuerint, in servitutem rediguntur, juxta c. Diaconi, 12, quæst. 2, et cap. Qui ex familiis, dist. 54, ubi Glossa id advertit. Respectu vero particularium dominorum non manet tam gravis obligatio, nec sub tam gravi conditione, ut colligitur ex dict. cap. Quicumque, et ex cap. ult. ibid. Nam hac ratione liberti prohibebantur ordinari viventibus et invitis dominis, quia semper manebant illis ita obnoxii, ut si quidpiam contra patronum committerent, in eorum servitutem redigerentur, juxta civilia jura. Potestque congrua ratio differentiæ reddi; nam respectu Ecclesiæ nulla indecentia est, quod clericus obnoxius maneat ad quælibet officia præstanda, quæ alias non sunt indecentia statui clericali, quia illa omnia obsequia Ecclesiæ præstita quodammodo spiritualia sunt. Secus vero est, quando talis obligatio manet respectu privatæ personæ, quia magis repugnat privilegio clericali, juxta cap. 1, dist. 54, minusque decet, factum clericum, servum fieri privatæ personæ, quam Ecclesiæ. De qua re legi possunt plura apud Maiol., lib. 1, cap. 36; ad praxim enim non est admodum necessaria vel utilis

8. *Resolutio.* — Existimo ergo manumissionem, quæ ad Ordines fit, si absolute et simpliciter fiat, nullam includere conditionem, saltem sub obligatione justitiæ. Hoc enim mihi probat dict. cap. Quicumque, cum cap. 1 et 2, dist. 54, et cap. 1 de Servis non ordin. Imo in cap. Eo libentius, eodem titulo, hoc extenditur ad servos ab Ecclesiis manumissos. Nihilominus tamen non repugnat in ipsa manumissione conditionem apponi statui clericali non repugnantem, qualis de operibus spiritualibus, vel etiam de officiis privativis, seu potius de non præstandis officiis justitiæ aut gratitudini repugnantibus. Ita Turrecr. supra, cum aliis ex dict. cap. Nullus, et argument. cap. 2 de Condit. apposit. Qui etiam docent, ad hoc non esse necessarium Episcopi consensum, quia nullo in jure postulatur. Quod etiam tenet Abbas in dict. cap. Nullus.

9. Hinc mihi probabilius est, quandocumque dominus facit facultatem servo suscipiendi Ordines, sive expressam, sive tacitam, manumissionem esse absolutam ex vi ipsius ordinationis, quia nulla conditio apposita est. Unde a fortiori fit, quod quamvis libertus etiam sit irregularis juxta dict. cap. ultim., dist. 54, quia quodammodo et quasi ex parte retinet servitutem juxta proprietatem juris civilis, si tamen sciente patrono et consentiente, ordinetur, ex tunc desinere esse libertum quoad viles conditiones et obligationes ejus, et incipere esse absolute liberatum seu manumissum, quod plane sequitur ex priori

resolutione, quia illa facultas censetur esse talis, ut omnino auferat fundamentum hujus irregularitatis. Hoc tamen non impedit, quominus hujusmodi clericus ex gratitudine teneatur debita obsequia honoris et reverentiæ manumissori exhibere. Non tamen opinor, propter solam ingratitudinem, nisi injuriam etiam includat, posse tam graviter puniri, ut degradetur vel deponatur. Sed hoc magis ad Jurisperitos pertinet.

10. *Dubitatio. — Prima conclusio. — Secunda conclusio. — Objectio. — Solvitur.* — Sed quid, si servus, non obstante irregularitate, inscio domino ordinetur. Respondeo in primis, illum manere ordinatum, quia servitus non est incapacitas, sed propria irregularitas. Deinde, si tantum sit ordinatus minoribus Ordinibus, nullo modo a servitute liberatur, nec simpliciter, nec sub conditione aliqua. Ita docent omnes et sumitur ex c. 2 de Servis non ordin., in quo absolute sermo est de Ordinibus seu gradibus Ecclesiasticis. Tamen saltem quoad Ordines minores absolute et sine ulla restrictione ab omnibus intelligitur, quia quoad hanc partem nullo alio jure restringitur, et idem probat c. 2, d. 54. Potest tamen objici, quia res semel consecrata Deo, etiamsi injuste et contra voluntatem domini consecrata sit, non debet domino restitui, juxta sententiam Gregorii in cap. Comperimus, 14, quæst. 6, et reg. *Semel Deo,* de Reg. juris, in 6. Respondetur primo, dicta jura loqui de rebus inanimatis, in quibus non est dolus, et alias possunt facile compensari; in homine vero, qui ordinatur, est fraus, quæ non debet illi patrocinari, quoad fieri possit. Item in re inanimata consecratio est mere materialis et superficialis (ut aiunt Juristæ); consecratio vero, quæ fit per ordinationem, magis est in anima. Ita fere Sylvest., verb. *Servitus,* num. 6, in fine, et Gloss., in dict. cap. Comperimus, et in cap. Frequens, d. 54. Addo insuper, consecrationem quæ per ordinationem fit, non consummari perfecte usque ad sacerdotium et in solis minoribus esse valde imperfectam, adeo ut clerici in minoribus constituti facile ad secularia negotia transferantur, et ideo etiam in hoc casu facile propter injustitiam lex canonica hoc permisit.

11. *Tertia conclusio. — Dubium. — Resolvitur.* — Tertio si usque ad diaconatum, vel supra ordinetur cum scientia Episcopi ordinantis, liber efficitur; tenetur autem Episcopus cum domino duplici satisfactione compensare, juxta c. Si servus absente, d. 54, ubi id Glossa notat, et Panomit., in cap. 2 de Servis non ordin. Et idem sumitur ex cap. Per venerabilem, vers. *Præterea,* Qui filii sint legitimi. De subdiaconatu vero res videri potest dubia, quia in prædicto cap. Si servus, solum diaconi, et presbyteri mentio fit; et ideo in lib. 6, tit. 22, partita 4, dicitur, etiam servum ordinatum usque ad subdiaconatum, inscio domino, posse a domino in servitutem revocari; nam eodem modo censet illa lex de subdiacono, quo de minoribus Ordinibus. Quod fortasse procedere poterat jure antiquo, quando subdiaconatus non reputabatur Ordo sacer, quia non habebat votum continentiæ annexum, nec reddebat hominem ad matrimonium inhabilem. Favebatque cap. Ex antiquis, dist. 54, ibi : *Reliqua vero officia,* nam sub hac universalitate subdiaconatus comprehendebatur. Nunc vero subdiaconatus est sacer Ordo, ideoque quoad hoc æquiparatur nunc diaconatui, ut expresse disponit Alexander III, in cap Miramur, de Servis non ordin. Quæret vero aliquis, quando ordinatio tantum est in minoribus, an obligatio reddendi duplicem satisfactionem domino, id est, duos servos æquales, vel duplicatum pretium, sit in conscientia, et justitia. Videtur enim ex vi justitiæ satis esse reddere æquivalens, reliquum autem pertinere ad pœnam per legem impositam, quæ non obligat, donec per judicis sententiam quis condemnetur, et eam pœnam solvere cogatur. Et ideo in dict. c. Per venerabilem, solum dicitur ordinatorem teneri domino satisfacere. Respondetur nihilominus, teneri Episcopum ex vi prædictæ legis absque alia sententia condemnatoria ad reddendum duplicatum pretium pro servo, neque aliter illum liberari a servitute, nec dominum teneri, aut cogi posse ad dimittendum servum, nisi adimpleta illa conditione. Et ratio est, quia ita per legem dispositum est. Unde sicut ex vi illius legis dominus cogitur dimittere servum, etiam si contra justitiam, et voluntatem ejus ordinatus sit, ita etiam conditio a lege posita in favorem ejus implenda est, alias non potest legitime compelli. Unde sumitur etiam congruentia illius legis, quæ non est quoad hanc partem mere pœnalis, sed in rerum æquitate fundata; nam dominus in eo casu non solum amittit servum, sed etiam obligatur per actionem injuriosam ad redimendum illum, quæ obligatio virtute quidem legis juste fit in favorem religionis et Ordinis sacri; tamen quia hæc obligatio etiam est pretio æstimabilis,

voluit lex etiam illam compensari, quod fit pretio duplicato soluto; cap. ergo Per venerabilem, intelligendum est de satisfactione per legem statuta.

12. *Quarta conclusio. — Interrogationi fit satis.* — Quarto, si Episcopus ignorans conditionem servitutis servum in sacris ordinet, tenebuntur ad eam satisfactionem faciendam, qui eum ad ordinationem induxerunt, vel rogando, vel falsum testimonium ferendo. Ita disponitur in dicto cap. Si servus absente, quia jura maxime detestantur hanc injuriam quæ dominis fit, abstrahendo servos a debito opere persolvendo. Et ideo in Concilio Granatens., cap. 3, anathemate feriuntur, qui prætextu religionis hoc crimen committunt. Sed quid, si etiam illi non sint in culpa, sed bona fide et cum ignorantia probabili id fecerint? Respondetur, in eo casu ipsummet servum ordinatum teneri ad eamdem satisfactionem faciendam, vel saltem ad reddendum per se vicarium, ut dicitur in c. Ex antiquis, d. 54. Quod si nec talem satisfactionem facere possit, in hoc jura distinguunt inter presbyterum, et inferiores. Nam diaconus vel subdiaconus in eo casu rediguntur in servitutem, ut dicitur in dicto cap. Ex antiquis, et tacite confirmatur in dicto cap. Miramur, de Servis non ordin., et docent Panormitanus, et alii in cap. 2, de Servis non ordin.; et Antonin., 3 part., tit. 28, cap. 6, § 6; Navarr., Sylvest., Maiol., et alii locis citatis. Et hoc modo intelligendum est dictum cap. 2 de Servis non ordin., et c. De servorum, dist. 54. Et ratio est, quia talis servus supponitur per dolum et fraudem injuriam facere domino; et, ideo licet in favorem Ordinis ei concedatur, ut satisfactione facta redimi possit, tamen sine tali satisfactione hoc jura non concesserunt, quia cum nondum ad sacra ipsa mysteria peragenda ordinatus sit, non est adeo necessaria ingenuitas seu libertas talis personæ, ut non obstante injuria et gravi nocumento domini, concedenda fuerit. Oportet autem, ut dominus intra annum, postquam sciverit ordinationem servi, illum repetat, et ex c. Si servus sciente, dist. 54, Glossa ibi, et Innocentio, in cap. 2, de Servis non ordin., n. 5, et aliis citatis. Nam si post scientiam per annum dissimulaverit, censetur consentire, et servum manumittere. Quo fit, ut servus sic ordinatus rregularis maneat ad usum talium Ordinum, idonec vel domino satisfactum sit, vel ipse dominus consensum suum præbeat, aut expresse, aut per scientiam et tolerantiam unius anni. Et quando talis clericus in servitutem redigitur, non solum manet privatus usu Ordinum, sed etiam exutus privilegio clericali, ut aperte dicitur in dicto cap. Ex antiquis, et ibidem Glossa advertit. At vero, si talis servus ordinatus sit sacerdos, non reducitur in servitutem, etiamsi domino integra satisfactio fieri non possit; sed solum cogitur amittere peculium suum, et domino reddere, ut in dicto cap. Ex antiquis, habetur. Quod si peculium non habuerit, satisfaciet, si in proprio sacerdotali ministerio, domino suo ministret aut celebret; et ad hoc poterit obligari, juxta cap. Frequens, dist. 54. Quod factum est, tum in reverentiam sacerdotii; tum etiam quia illud ministerium est altius et utilius domino, et ideo in re ipsa non graviter læditur, quamvis propter excellentiam ministerii id non fiat per modum compensationis, quia res temporalis non potest per spiritualem redimi.

13. Ultimo dubitari in hoc poterat, de quibus servis intelligenda sit hæc irregularitas. Sunt enim quidam servi propriissime dicti, alii vero sunt servi adscriptitii, vel originarii, aut conventionales, prout late distinguit et declarat Hostiensis in Summa, tit. de Natis ex ventre libero; Sylvester, verb. *Servitus,* et Maiolus, lib. 1, cap. 35. Quia vero hi varii modi servitutum jam vere in usu non sunt, ideo in eis declarandis et distinguendis immorari non est necesse. Et regula generalis sit, omnem servitutem, undecumque trahat vel nomen, vel originem, inducere hanc irregularitatem. Ita enim expresse definit Leo Papa, ep. 1, c. 1, et Gelasius, ep. 1, c. 16, et habetur in c. Generalis, et c. Admittuntur, d. 54, ubi expressa mentio fit de servis originariis et similibus, et notat Glossa in c. 2 de Judæis, quamvis in illo textu hujusmodi originarii seu coloni servi liberi dicantur. Quod ve- intelligendum est de his colonis, qui non tra[ ]hunt obligationem culturæ ex servili origine et pacto suorum prædecessorum cum dominis, de quibus in l. Originarius, et l. Colonos, cum similibus, C. de Agricolis et cens., l. 11, vel intelligitur de libertate quoad alios actus, non vero quoad ordinationem, ut ibi Glossa declarat. Addo denique, quod licet interdum hæc obligatio non sufficiat ad servitutem inducendam, et consequenter neque ad irregularitatem, de qua agimus, sufficit tamen ad aliam, de qua in sequenti puncto dicemus.

De irregularitate ex obligatione ad ratiocinia.

14. *Conclusio.* — Secundo igitur incurritur irregularitas ex defectu propriæ libertatis, provenientis ex obligatione ad actiones humanas et politicas exercendas. Qui defectus in jure appellatur obligatio ad ratiocinia, juxta Rubricam de Obligatis ad ratiocinia non ordin. Est ergo certum hanc obligationem ad ratiocinia inducere irregularitatem, ex cap. unic., in dict. tit., et d. 54, cap. 3. Est enim illa obligatio vinculum quoddam temporale reddens hominem valde impeditum ad Ecclesiastica ministeria, et ideo merito a jure reputatum est sufficiens ad removendum hominem ab ordinatione. Atque ita docent Theologi, in 4, dist. 25. Ubi D. Thom., quæst. 2, art. 2, quæst. 1, cum de servis dixisset, subdit tantum hæc verba : *Et similis ratio est de omnibus, qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, et hujusmodi personæ.* Latius id tractant Jurisperiti super dicta jura; Summistæ, verb. *Ratiocinium,* et verb. *Ordo,* et verb. *Irregularitas;* Paulus Burgasius, de Irregul., 5 part., tit. de hac re; Maiolus, lib. 2, cap. 5 et 11; Bernard. Diaz, in Pract., c. 20.

15. *Quid intelligatur per hanc obligationem.* — *Duplex obligatio ad hoc ratiocinium.* — Exponendum vero superest primo, quid intelligatur per obligationem ad ratiocinia; nam in dictis textibus non aliter declaratur nisi per exempla, scilicet : *Procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum, seu tutores,* Concilio Carthaginensi I, c. 8. Existimo tamen non esse limitandam rem hanc ad hæc materialia exempla, sed sub illis comprehendi omnes publicas administrationes forenses et temporalium ac secularium rerum, quæ eodem modo implicant hominem negotiis secularibus; nam fundamentum hujus irregularitatis est obligatio ad hæc secularia ministeria. Unde in c. 2 et 3, d. 51, sub generali nomine *Curialium, qui causas agunt vel quibuslibet publicis functionibus occupantur,* hi omnes comprehenduntur. Sunt autem in his personis duæ obligationes distinguendæ. Una est ad tales actiones seu ministeria peragenda, ad quæ obligantur ratione talis muneris, et non durat nisi durante ipso munere. Alia obligatio est ad reddendam rationem peracti muneris, quæ sæpe manet, etiam munere relicto; nam, sicut durante munere, interdum exigitur ab homine ratio eorum, quæ gessit in superiori tempore, ita etiam, quamvis tempus officii absolvatur, vel ipsum officium voluntarie relinquatur, manere potest obligatio ad rationem reddendam. Quæ ratio interdum redditur de ipsis actionibus, an justæ ferint, etc., interdum vero de pecuniis aut aliis rebus æquivalentibus.

16. *Dubium resolvitur quoad priorem obligationem.* — Quantum spectat ad priorem obligationem, certum est, illa durante, esse hominem irregularem ad Ordines suscipiendos, quod in superioribus tactum est tractando de defectu lenitatis, et habetur d. 51, quatuor primis cap.; Sylvest., verb. *Curiales,* et alii. Statim vero occurrere potest practica difficultas, nam videmus in curiis principum et regum clericos esse ordinarios judices causarum civilium et huic muneri esse deputatos, nec propterea censeri irregulares, vel ad usum Ordinum, vel ad promotionem ad superiores, etiam durante tali munere; et tamen ministerium illud non minus implicat negotiis secularibus quam officium advocati et similia. Respondetur, communiter Doctores excipere ab hac regula consiliarios principum, ut videre licet in Panormitano in cap. Sed nec, Ne clerici vel monachi, et in cap. Clericis, eodem titulo, ubi idem sentit Joan. Andreas; idem Panormit., in cap. Non est, de Voto; Decius, Baldus, quos referunt et sequuntur Bernardus Diaz et Salzedo, in Pract., cap. 61. Cui sententiæ favet etiam lex Hispaniæ, partita 1, tit. 6, l. 48, ubi Gregorius Lopez id advertit, citans ad hoc cap. In Archiepiscopatu, de Raptoribus, ubi Papa Archiepiscopo concedit, quod ex commissione regis possit judicium in causis temporalibus ferre, extra judicium sanguinis. Adduci etiam solet cap. Non est, de Voto, ibi : *Consilium et auxilium tuum sibi censerit hactenus profuisse.* Qui textus et similes non videntur convincere, quia aliud esse videtur, esse judices ordinarios in publico regni tribunali, quod videtur prohibere in cap. Sed nec, et in cap. Clericis, Ne clerici vel monachi, cum similibus; aliud vero adesse regi ad ferendum consilium vel ex commissione ejus vindicare pauperum injurias, quæ permittuntur in dictis capitulis et similibus. Nihilominus usu receptum est, sive ex concessione Pontificum, sive quia consuetudo ita interpretata est ipsa jura, ut clerici absque nota irregularitatis vel alterius impedimenti canonici possint esse consiliarii regum in hujusmodi judiciis seu tribunalibus, in quibus de convenienti regni gubernatione et providentia, vel ad summum de civilibus causis agitur. Aut enim hoc mi-

nisterium non est judicatum adeo repugnans officio clericali, præsertim quando clericus curam animarum, aut aliam specialem obligationem ratione beneficii non habet, vel certe propter commune bonum regni aliquid de rigore juris in hac parte remissum est; ideoque hoc non est extendendum, sed quoad fieri possit, limitandum.

17. Addendum vero est, quando administratio rerum temporalium est circa bona Ecclesiastica, tunc obligationem ad talem administrationem non pertinere ad hanc irregularitatem, quia illa administratio non censetur secularis, sed spiritualis quodammodo et Ecclesiastica, juxta cap. 1 Ne clerici vel monachi, et notarunt Innocentius, Panormitan. et alii, in cap. 1 de Obligatis ad ratiocinia; Sylvester, Maiolus et alii supra citati. Item licet administratio sit temporalis, si tamen ex causa necessaria ad pietatem pertinente suscipiatur, scilicet in favorem pauperum aut similium miserabilium personarum, jam illud negotium non est mere seculare, neque alienum ab statu clericali, et ita simul cum priori conjungitur, in cap. 1, 21, quæst. 3, et in cap. ult., 86 dist., et in cap. 1, 88 dist. Hoc autem maxime verum est, si accedat Episcopi licentia aut talis necessitas, quæ ex vi alicujus legis obligationem inducat, ut in eisdem juribus significatur, et notavit Sylvester, et alii auctores. Qui maxime hoc explicant in administratione seu officio tutoris; nam per se quidem prohibitus est clericis, ut patet ex tota quæst. 3, caus. 21, et ideo expresse numeratur in dict. cap. de Oblig. ad ratioc.; nihilominus tamen ex causa pietatis suscipi potest a clerico, et non impediet usum Ordinum. Et eadem ratione non impedit Ordinis susceptionem, si judicio Episcopi pia administratio judicatur. Cætera de his personis obligatis ad hæc ministeria videri possunt latissime in Maiolo, dicto c. 5.

18. *Resolvitur dubium quoad posteriorem obligationem.*—At vero, si hujusmodi personæ officium dimittant et obligatione liberentur, vel quia lapsu temporis finita est, vel ex conventione partium, vel ex facultate superioris, jam tunc ex hac parte tolletur irregularitas, ut in superioribus dictum est. Dico autem, *ex hac parte,* quia oportebit advertere ne ex alio capite orta sit, vel propter effusionem sanguinis, vel propter aliquam infamiam, ut supra notatum est. Quod vero ad præsentem irregularitatem magis pertinet, relinquitur adhuc consideranda altera obligatio ad ratiocinia reddenda; nam, si hæc manet ex priori ministerio, adhuc permanet irregularitas, ut constat ex dicto cap. unic. de Obligatis ad ratiocinia, ibi : *Post deposita onera et reddita ratiocinia;* utrumque ergo compleri debet, ut hæc irregularitas cesset. Et in hoc etiam omnes Doctores conveniunt, quia est sufficienter in dicto jure expressa, et quia ratio et fundamentum hujus irregularitatis in eis permanet, quamdiu rationem sui muneris non dederunt, quia semper manent obligati ratiocinio, et consequenter implicati negotiis secularibus, et expositi, ut possint a judicibus secularibus cogi et infamari, si fortasse dolus aut fraus in ratiociniis inveniatur. Quæ ratio ac decisio locum habet, sive ratiocinia sint pecuniarum, sive de justitia servata in ipsis actionibus ad tale munus pertinentibus.

19. *An resolutio data de omni obligatione ad ratiocinia procedat.—Resolutio.*—Difficultas vero est, an hoc habeat locum in omni administratione, et obligatione ad ratiocinia, quæ ex illa resultat. Multi enim distinguendum putant de administratione vel publica, id est, bonorum reipublicæ, vel privata, id est, circa privatam personam vel bona ejus. Nam in priori casu dicunt procedere regulam positam indistincte; in posteriori autem putant, deposito munere, etiam si quis maneat obligatus ad ratiocinia, posse ordinari, nisi dolus aut fraus ei objiciatur. Ita distinguit Glossa, verb. *Ratiocinia,* dict. cap. 1 unic. de Obligatis ad ratiocin., quam ibi sequuntur Abbas et alii communiter, ut patet ex citatis auctoribus, et favet cap. unic., dist. 53, ubi solum fit mentio eorum, qui rationibus publicis reddendis sunt obligati. Mihi tamen aliter occurrit dicendum esse, considerata decisione dict. cap. de Obligatis ad ratiocinia. Aut enim administratio talis est, ut illa retenta, seu obligatione ad illam, persona maneat irregularis, vel non. Quando administratio ipsa retenta non inducit irregularitatem, obligatio etiam ad ratiocinia, quæ ex illa, sive retenta, sive deposita resultat, non inducet irregularitatem, sive ratiocinia sint publica, sive privata, ut si fuit œconomus Ecclesiæ, vel si fuit tutor ex causa pietatis. Et ratio est, quia accessorium sequitur principale, induitque rationem illius; hic autem administratio et obligatio ad illam principalis est, reliqua obligatio ad ratiocinia est accessoria et resultans ex altera, et ideo nec censetur magis temporalis aut secularis quam illa, nec perseverans aut durans potest magis

irregularitatem inducere quam ipsamet administratio, si duraret. Accedit, quod dictum cap. unic. solum agit de illis muneribus quæ, quamdiu durant, impediunt Ordines; ergo etiam solum agit de ratiociniis, quæ ex talibus muneribus nascuntur.

20. Unde sequitur contrario modo judicandum esse, quando administratio ipsa talis est, ut quamdiu durat, impediat Ordines; nam tunc etiam obligatio ad ratiocinia, sive publica, sive privata, inde suborta, et nondum data, impediet Ordines, ut si fuit œconomus temporalis reipublicæ vel tutor voluntarius alicujus personæ non indigentis. Hoc autem videtur probari manifeste ex dict. c. de Obligat. ad ratiocinia, ubi de omnibus officialibus seu ministris, quos, quando tales sunt, judicat ineptos ad Ordines, dicit non posse admitti, nisi deposito onere et reddita ratione; ibi autem comprehendit indifferenter omnes, ut patet de tutoribus pupillorum; ergo in omnibus etiam indifferenter requirit illas duas conditiones; ergo sine fundamento fit limitatio et exceptio. Ratio autem est, quia quamdiu manet obligatio ad ratiocinia, nondum censetur omnino depositum onus talis ministerii, et ideo si ministerium ipsum tale est, ut quamdiu durat, impediat susceptionem Ordinum, etiam obligatio ad ratiocinium nondum extincta idem impedimentum inducit. Et fortasse prædicti auctores non intendunt hoc negare, sed loquuntur in alio sensu, de quo jam dicam.

21. *Quid si post ratiocinia reddita resultet debitum pecuniarium. — Prima sententia. — Secunda sententia.* — Sed quid si jam sint ratiocinia reddita, et ex eis resultet solum pecuniarium debitum absque alia lite vel infamia, debitum autem nondum solutum sit? sufficietne hoc, ut duret irregularitas? Videtur enim adhuc durare, quia nondum negotium illud omnino finitum est, nec potest dici ratio omnino et sufficienter reddita, quamdiu debitum inde resultans solutum non est. Atque ita videntur sentire nonnulli ex citatis auctoribus. Alii vero in hoc sensu applicant distinctionem datam, ut sumi potest ex Hostiensi; nam si debitum resultans sit publicum, seu reipublicæ, putant impedire, non tamen si sit debitum privatæ personæ. Primum probant ex l. Rescripto, ff. de Muneribus et honoribus, ubi dicitur, debitores reipublicæ non esse admittendos ad honores, donec solvant, quando debitum ex administratione publica contractum est; constat autem Ordines inter honores publicos computari, cap. Præcipimus, 93 dist., et l. Jubemus, § Servus, C. de Episc. et cleric. Secundum autem probatur, quia debitum pecuniarium privatæ personæ non impedit susceptionem Ordinum, per se loquendo, id est, nisi alias inducat paupertatem ordinationi repugnantem, de qua statim dicemus; vel nisi talia sint debita, ut ex eis inextricabiles lites oriantur, nam tunc censebitur implicari negotiis secularibus, ut notavit Maiolus, dict. cap. 11, num. 13. Seclusis autem his circumstantiis extrinsecis, privatum debitum per se non impedit, nullo enim jure id cautum est; ergo quamvis tale debitum ortum sit ex munere vel ratiociniis, quantumvis secularibus, non impediet Ordinum susceptionem, quando administratio illa privata est, quia in jure non magis hoc disponitur de tali debito privato, quam de aliis. Sicut etiam publicum debitum ortum ex mutuo, locatione, aut alio simili contractu, non impedit Ordines, quia de tali debito nihil est in jure dispositum, sed de solo illo, quod ortum est ex publica administratione.

22. *Improbatur.* — In hoc ergo sensu probabilis est dicta sententia et distinctio. Nihilominus tamen etiam hoc modo mihi dubia est, quia vel durante illo debito, censentur ratiocinia reddita et consummata, vel non; si non sunt reddita, non est ablata irregularitas, sive debeantur privatæ personæ, sive reipublicæ; si autem reddita sunt ratiocinia, jam cessavit irregularitas, tam in publicis, quam in privatis administrationibus, quia in prædicto capite nihil aliud postulatur. Lex autem civilis, quæ de publicis debitis et honoribus affertur, non potest inducere irregularitatem, ut per se constat. Nisi quis fortasse dicat, inducere illam in virtute alterius legis canonicæ, quæ habet, non esse admittendos ad Ordines, quos leges civiles non admittunt ad honores. Sed neque hoc mihi satisfacit, quia illa lex canonica loquitur de illis, qui non admittuntur propter infamiam, ut supra visum est; in præsenti autem lex illa non fundatur in infamia, sed solum lata videtur in favorem communium bonorum, ut ita cogantur, qui illa administrant, solvere debita inde contracta; non ergo est cur legem illam, quæ solum loquitur de honoribus ejusdem ordinis, ac temporalibus, ad Ordines extendamus.

23. *Resolutio dubii.* — Satis ergo probabile existimo, solum debitum pecuniarium, quod ex ratiociniis redditis interdum relinquitur,

indistincte, id est, sive sit publicum, sive privatum, non sufficere, per se loquendo, ad irregularitatem. Tum quia nullo jure canonico hoc cautum est, quia juxta communem sensum, et loquendi modum, vere dicuntur ratiocinia reddita et finita, etiamsi resultans debitum nondum solutum sit; jus autem canonicum solum hoc requirit. Tum etiam quia tunc jam cessat ratio fundamentalis hujus irregularitatis, quæ est implicatio, seu revocatio ad negotia secularia, quia hæc non oritur ex hoc debito pecuniario, magis quam ex quocumque alio; supponimus enim ita esse totum aliud negotium finitum, et cum ea partium consensione, ut nullæ lites inde timeantur. Unde hoc maxime procedit, quando sciente et consentiente creditore alius ordinari vult, nam si ille contradiceret, et impedimentum opponeret, res esset magis dubia. Opinor autem, ad Episcopum tunc spectare, declarare, an talis persona secundum præsentem statum censenda sit adhuc obligata ad ratiocinia reddenda, necne. Illud tamen certum videtur, si talis persona sufficientem securitatem talis debiti reddat, vel datis pignoribus, vel fidejussoribus, omnino esse immunem ab hac irregularitate. Quod expresse docet Maiol. supra, n. 14, cum Abbate, et aliis; de qua re nonnulla addemus in puncto sequenti.

De irregularitate proveniente ex paupertate.

24. *Duplex defectus ex paupertate consideratur. — Primus.* — Tertio potest irregularitas contrahi ex paupertate, quæ ad præsens etiam caput pertinet, quatenus defectus est temporalium bonorum. De qua irregularitate nihil invenio in propria specie dictum ab auctoribus, fortasse quia non videtur esse in jure expressa. Nihilominus tamen hic defectus dupliciter considerari potest, vel privative tantum, vel contrarie (ut sic dicam). Priori modo patitur quis defectum paupertatis, quando non habet unde congrue sustentetur; et talis defectus, quamdiu durat in persona laica vel seculari, dici potest irregularitatem inducere, maxime juxta novum jus Concilii Trident., sess. 21, c. 2 de Reform., ubi prohibet eos ordinari, qui hunc patiuntur defectum, ita confirmans et declarans quæ de hac re erant antiquiora jura, et Concil. Lateran. sub Alexand. III, p. 1, cap. 5. Hunc autem defectum videntur auctores comprehendisse sub defectu legitimi tituli; nam qui sine illo ordinatur, ex hac parte ordinatur irregularis, et ideo irritam ordinationem accipere dicitur in c. Sanctorum, 93 dist. De hoc autem defectu, et de expositione illius decreti Concilii Trident., dictum est supra tractando de suspensionibus, quas incurrunt male promoti; et ideo nihil hic amplius circa illud immorari necesse est.

25. *Posterior paupertatis defectus.* — Contrarie vero dico pati defectum paupertatis illum, qui nimium gravatus est ære alieno, de quo nihil invenio expresse in jure traditum in ordine ad irregularitatem. Unde solum poterit ad illam sufficere, si virtute contineat, aut inducat aliquem alium defectum ex supra numeratis; ut, v. gr., si ad fundandum temporalem titulum congruæ sustentationis contracta sint debita æqualia, vel majora, quæ aliunde a creditore solvi non possint, existimo tale debitum inducere, vel potius non auferre irregularitatem, quia talis titulus non potest verus ac legitimus reputari, cum revera non constituat personam extra statum paupertatis et necessitatis repugnantis decentiæ status clericalis, quod jura intendunt. Item, si tale sit debitum, talisque persona, ut juxta civilia jura possit propterea redigi in servitutem, vel obsequium creditoris, cum aliter non sit solvendo, ut est, in Hispania, lex 3, tit. 6, lib. 5 novæ Recopil., tunc talis defectus reputari moraliter potest quædam servitus, ut significavit Glossa, in l. Fidei commissa, § Si rem, ff. de Legatis 3. Vel certe reputabitur veluti quædam obligatio ad ratiocinia reddenda, et ideo Ordines impediet. Ideo enim milites stipendiarii, decuriones et similes, irregulares censentur, donec tali debito et obligatione liberentur, l. Quisquis, C. de Episcopis et clericis; imo etiam feudatarii, nisi ab obligatione feudali liberentur, saltem per ipsam ordinationem, juxta ea quæ tradit Sylvest., verb. *Feudum,* et Maiol., d. c. 5, n. 5, et videri etiam potest Tiraquellus, de Primogenitis, cap. 44, num. 6. Idem ergo est de omnibus debitoribus similibus.

26. Denique tunc etiam impediet hic defectus, quando talia et tanta sunt debita, ut sine litibus et contentionibus expediri non possint, ut supra cum Maiolo notavi, quia tunc revera inciditur in defectum obligationis ad ratiocinia reddenda, seu (quod perinde est) ad secularia negotia peragenda. Extra hos vero casus debitum pecuniarium per se non inducit irregularitatem, cum nullo jure

expressum appareat. Imo addit Maiolus, d. c. 11, n. 15, quantumcumque aliquis sit oneratus debitis, si bonorum concessionem faciat, reservata congrua sustentatione, juxta c. Odoardus, de Solut., liberum manere ab irregularitate, quia inde nulla contrahitur infamia, quæ in jure consideretur, et per illam cessionem cum sustentatione congrua ablatum est omne impedimentum paupertatis et obligationis ad ratiocinia reddenda. Clericus autem sic ordinatus, in quo foro conveniri possit propter tale debitum ante Ordinem contractum, ad nos non spectat; probabilius autem est in Ecclesiastico foro conveniendum esse. De quo videri potest Covarr., in Practicis quæst., c. 3, n. 4, et alii Canonistæ in c. unic. de Oblig. ad ratioc. Atque hæc de hac materia ad divinam laudem dicta sint.

LAUS DEO.

INDEX CAPITULORUM

JURIS CANONICI

QUÆ IN TOMIS XXIII ET XXIII BIS PRÆCIPUE EXPONUNTUR.

EX LIBRO VI DECRETALIUM.

EX LIBRO CLEMENTINARUM.

EX EXTRAVAGANTIBUS JOANNIS XXII.

EX EXTRAVAGANT. COMMUN. IN CORPORE JURIS.

DECRETA EXTRA JUS COMMUNE.

CONCILII TRIDENTINI.

EX JURE CIVILI.



INDEX RERUM

QUÆ IN TOMIS XXIII ET XXIII BIS CONTINENTUR.

ABSOLUTIONIS A CENSURA DIVISIONES.

ABSOLUTIONIS A CENSURA FORMA.

ABSOLUTIO A CENSURA CANONIS.

ABSOLUTIO AB EXCOMMUNICATIONE.

BAPTISMUS.

BELLUM.

BEGUINÆ.

BENEFICIUM.

BENEFICII COLLATIO.

BENEFICII ACCEPTATIO.

CESSATIO A DIVINIS.

CHOREPISCOPI.

CLERUS.

CLERICUS.

CLERICUS QUOAD PRIVILEGIUM CANONIS.

CLERICI PERCUSSIO.

INFAMIA.

INQUISITOR.

INFIRMARIUS.

INTERDICTUM.

INTERDICTI EFFECTUS.

INTERDICTI CAUSA.

INTERDICTI CAUSA FINALIS.

IRREGULARITAS.

IRREGULARITATIS DIVISIONES.

IRREGULARITATIS CAUSA EFFICIENS.

IRREGULARITATIS ABLATIO.

JUDEX.

JURISDICTIO.

JURISDICTIO ECCLESIASTICA.

LEGATUS.

LEGITIMATIO.

LEX.

LEX PŒNALIS.

LIBRI.

LITTERÆ DIMISSORIÆ.

LOCUS.

MARANATHA.

MATRIMONIUM.

METUS.

SUSPENSIO.

TABELLIO.

TESTIS, TESTIMONIUM.

TESTAMENTUM.

TRIBUTUM.

TUTOR.

VICARIUS.

VISITATIO.

USURA, USURARIUS.

LAUS ET HONOR DEO.